JOANNIS LIGHTFOOTI, ... OPERA OMNIA: DUOBUS VOLUMINIBUS...

John Lightfoot, Angelo frate a S. Michele a Murano Calogierà

Digitized by Google

6
33 N
22

F. 7.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

JOANNIS LIGHTFOOTI,
SS. TH. P.
Aulæ Catharinæ apud Cantabrigienſes Præfecti, Canonici Elienſis,

OPERA OMNIA:

TOMUS II.

Syllabum eorum quæ in hoc Volumine habentur ſequens pagina exhibet.



ROTERODAMI,
Typis REGNERI LEERS,
MDCLXXXVI.
Cum Privilegio DD. Ordinum Hollandiæ & Weſt-friſiæ.

Digitized by Google

SYLLABUS TRACTATUUM

in hoc Volumine contentorum.

I. Harmonia, Chronica & Ordo Novi Teſtamenti: quibus ſubjungitur Diſſertatio de Hieroſolymorum Excidio & ſequente Judæorum Statu. Pag. 1

II. Horæ Hebraicæ & Thalmudicæ, impenſæ I. in Chorographiam aliquam terræ Iſraeliticæ. II. In Euangelium S. Matthæi. 163

III. - - in Euangelium Sancti Marci. Præmittitur Decas Chorographica, loca nonnulla terræ Iſraeliticæ perluſtrans, & præſertim quorum mentio apud S. Marcum. 393

IV. - - in Euangelium Sancti Lucæ. Præmittuntur Chorographica pauca de locis apud hunc Euangeliſtam nominatis. 469

V. - - in Euangelium Sancti Joannis. Præmittitur Diſquiſitio Chorographica, loca quædam terræ Iſraeliticæ inveſtigans, illa præſertim quorum mentio apud hunc Euangeliſtam. 571

VI. - - in Acta Apoſtolorum. 683

VII. Commentarius Chronologicus & Criticus in Acta Apoſtolorum. 743

VIII. Horæ Hebraicæ & Thalmudicæ impenſæ in quædam Capita Epiſtolæ S. Pauli ad Romanos. 873

IX. - - in Epiſtolam primam S. Pauli ad Corinthios. Quibus adjuncta ſunt quædam Capita de Uſu Bibliorum in Conventibus Judæorum Sacris, deque Bibliorum Verſionibus, potiſſimum Septuaginta Interpretum. 879

HAR-

Digitized by Google

HARMONIA, CHRONICA ET ORDO NOVI TESTAMENTI.

U B I

Textus Quatuor Euangeliſtarum methodicè diſponitur.
Hiſtoria Actorum Apoſtolicorum ſuis temporibus diſtinguitur.
Ordo Epiſtolarum evincitur.
Tempora Apocalyptica inveſtigantur.

Dilucidiora ſunt facta omnia;

Additis in præcipuæ notæ Difficultates, tam Dictioni Novi Teſtamenti intelligendæ, quam ſenſui eruendo inſervientibus

Obſervationibus

TEXTUALIBUS ET TALMUDICIS.

Subjungitur demum

D I S S E R T A T I O

De Hieroſolymorum Excidio & ſequente Judæorum ſtatu.

Digitized by Google



Digitized by Google

PRÆFATIO AD LECTOREM.

TRajectis rerum geſtarum Hiſtoriis Sacras tam Novi quam Veteris Teſtamenti Scripturas ſcatere; atque hac vel maximè ratione Spiritum Sanctum ſtyli ſui majeſtatem, divinamque ſapientiam manifeſtam feciſſe, nemo eſt qui non videat: Quantum porrò hominis Sacrorum Oraculorum ſtudioſi interſit, Tranſpoſitiones haſce accuratè obſervaſſe, quemque fructum percepturus ſit, quiſquis ſuo quidque Loco & Tempore digeſſerit, notiora ſunt; quam ut prolixa rei per ſe claræ demonſtratione Lectori moram facere neceſſe ſit. Id ſolum ago, ut conſilii mei in concinnanda hac Novi Teſtamenti Harmonia rationem, quidque in ea præſtitum ſit, quod ad ſtudioſos hac in parte juvandos ſpectat, paucis exponam.

Pauci interceſſere anni, ex quo Veteris Teſtamenti Harmoniam, Chronica & Ordinem publici juris feci. Notatis quæ obveniebant Traductionibus, earumque cauſis, luxata & loco mota, ſuo quaque loco, ſuo Tempore reponenda curavi, nativamque Librorum, Capitum, Narrationum, & Prophetiarum per totum Veteris Teſtamenti ſeriem commonſtravi: cum autem perſpicerem ad eundem plane modum conſcriptum, eodem prorſus filo contextum Novum Teſtamentum parem flagitare curam, non potui mihi temperare, quin idem hic quoque tentarem. Primò igitur quatuor Euangeliſtas παραλλήλως deſcribendo, in unius Hiſtoriæ quaſi corpus redegi, quo facilius & evidentius, collatione inſtituta, Ordinem & Tempora conſtituerem; quod manu propria exaratum integrum hic repræſentaſſe in animo fuit: verum cum Opus prælo oblatum ægre proceſſurum videretur, ſatis habui, poſitis Capitum & verſuum notis, ad ordinatam Lectionem quaſi digitum intendiſſe. Fuiſſet utique illud Lectori & facilius, & jucundius, ſi Textus quatuor, quatuor columnis diſcriminati, ſimul & ſemel oculis ſubjecti legerentur: verum hoc majoris licet laboris, non tamen minoris utilitatis erit, dum Lector Textum ſacrum ad præſcriptos à nobis Canones exigendo, & proprio marte diſponendo, confirmatiorem reddet & memoriam & intellectum.

Apoſtolorum Acta, ſervata plerunque narratarum rerum ſerie, minus negotium Lectori faceſſent. Sed Tempora certa cuivis rei aſſignare, id verò ut in multis neceſſarium, ita prorſus arduum: ea tamen inveſtigata, ſicubi res poſtulare viſa eſt, & indicata dedimus, pro ea, quam vel ex ipſo Textu, vel aliunde elicere potuimus, luce.

Præcipua verò fuit cura, Epiſtolarum, (cum quæ in Tempora Actorum incidunt, tum etiam quæ ſubſequuntur) quo quæque ſcripta fuerit, Tempora obſervaſſe; quæ in quibuſdam adeo certa ex Textu conſtituuntur, ut nullus dubitationi relinquatur locus: in cæteris, conjecturis agimus, ei tamen fundamento innixis, ut neque ſæpe, neque multum à ſcopo aberratum ſperem. Lectoris ſit Judicium.

Vellem equidem licuiſſet Apocalypſin intactam reliquiſſe, partim quidem, quod in id genus rebus audere refugit animus; (audentiores hic exſtitiſſe pleroſque & video & doleo) partim verò, quod à receptis paſſim de Temporum & rerum accommodatione opinionibus diſſentire neceſſe habui. Quum tamen inſtituti mei ratio refragaretur, neque inceptum Chronologiæ Sacræ filum abrumpere jam integrum eſſet, hujus quo-

quæ Libri Tempora collegi. Neque id fieri potuit abſque aliquali ipſarum rerum tractatione, feci quod potui: (omnia doctiorum judicio ſubjiciens) ubi autem proprie, ubi alluſive verba eſſent accipienda conjecturas adhibui, quantum licuit, ex uſu dialecti petitas.

Quoniam vero non poſſet non obrepere Lectori tædium, ſi ſolum Tranſpoſitiones meditaretur, iiſque in Locos ſuos reponendis totus occuparetur, non tantum facem prælucco, verum etiam viam Obſervationibus identidem ſterno, ut non paſſim obviis, (quid enim aliud foret illud, quam tædium tædio cumulare) ita, uti ſpero, nec infructuoſis, nec injucundis.

Suſcepiſſe me juſtum Commentarium ſcribere, nolim putes; id ſolum volui, ut quæ ad illuſtrandos obſcuriores pleroſque locos ſive ex ipſo Textu, ſive ex Talmudicis collectionibus annotata habui, ea Lectori non invidiſſe viderer: poſterioris quidem generis quam plurima quidem accivi, neque illa maximam partem, uti reor, abs re aliena, neque ad illuſtrationem inutilia. Nam quamvis verum ſit non temere reperiri, qui Chriſto *magis adverſentur, aut Doctrinæ Euangelicæ magis refragentur Hebræis ſcriptoribus; tamen ut* Corachi *Thuribula, & Manubiæ, quas* David *ex hoſtibus reportavit, ſanctuarii uſibus rite conſecrata inſerviebant, ita, quæ apud hos occurrunt Judaicarum rerum monumenta plurimis Novi Teſtamenti Periochis explicandis pulcherrimè poſſunt inſervire: imò ſexcentos licet locos proferre, quibus lucem aliunde quam ex horum monumentis, fruſtra quæras. Cum enim quæ hic memorantur, ut plurimum in Judæa geſta ſint, ſermones Chriſti & Apoſtolorum ad Judæos & apud Judæos habiti, Judæique nati & educati fuerint ii, qui Euangelia & Epiſtolas ſcripſerunt; nil mirum ſi Hebraiſmos totum ſpiret, Judæorumque Traditiones, Dogmata & Conſuetudines tantum non ubique & ſemper reſpiciat. Quiſnam quæſo eſt omnium, qui uſquam exſtant Authorum, quem, niſi ex Scriptoribus & Idiotiſmis ſuæ gentis probè cognitis, intelligere queas? Quem unum Romanarum Rerum Scriptorem cum fructu legere, niſi prius in P. R. Hiſtoriis, Inſtitutis, Moribus, loquendique formulis verſatiſſimus fueris? Ita prorſus comparatum eſt cum Novo Teſtamento. Loquitur cum vulgo. Quanquam enim Græcè conſcriptum ſit, inter Judæos tamen, & à Judæis conſcriptum, Judæorum loquendi modos nuſquam non adhibet: ſuntque inibi Phraſes quamplurimæ, quæ niſi hic, aut aliis Judæorum ſcriptis nullibi occurrunt. Vehementer errant, qui Novum Teſtamentum propterea quod familiarem & minime obſcuram Fidei & Reſipiſcentiæ doctrinam complectatur, intellectu facillimum arbitrantur. Non eſt inficiandum, ſi materiam, quam tractat, ſpectes, expeditius & luculentius eſſe Veteri, ideo quod Veteris Explicatio quædam ſit; verum ad laborem qui utrique Teſtamento communiter impendendus eſt, accedit in Novo Teſtamento ad comparandum Phraſium, quibus utitur, intellectum, unus item & alter labor: accuratè enim diſpiciendum eſt, primo ubi, & quatenus verſionis ſeptuagintaviralis veſtigia premat, quod ſæpiſſime facit; deinde quando Judæorum idiomata uſurpat, aut certe reſpicit, quod quidem nuſquam non facit. Non difficile foret homini ſtudioſo, qui quidem in illorum Lingua & ſcriptis aliquamdiu verſatus fuerit, Novum Inſtrumentum de verſu fere in verſum, in Linguam Talmudicam transfundere; adeo à vulgari eorum & communi loquendi ratione nuſquam & nunquam diſcedit. Quæ autem ſunt à me in hunc Tractatum tranſlata ex Talmudiſtis teſtimonia, ea quidem levi tantum brachio perſtrinxi, utpote qui non Commentarium ſcribendum, ſed Sciagraphiam quandam Temporum, Ordinis & Hiſtoriæ totius Novi Teſtamenti delineandam in me receperim: quam ob cauſam fieri poteſt, ut reperiantur non pauca, quæ Lectori minus attento non videantur eum attingere ſcopum, in quem ſunt à me directa, quemque ſi libuiſſet in iis interpretandis operam poſuiſſe, (quod ſtudio brevitatis non feci) effeciſſem ut planè viderentur eſſe aſſecuta.*

Quid in hoc genere præſtitiſſe poſſem, unico oſtendam dato ſpecimine, per modum Commentarii in unicam Periodum: is eſt verſ. 22. Cap. 5. Matth. *quem ideo ad hanc*

rem

Digitized by Google

rem elegi, quia apud omnes omnino Expoſitores in confeſſo eſt, reſpectum hoc in loco eſſe ad quaſdam Judæorum conſuetudines. Prolixitatis hic gratiam mihi faciet Lector candidus, qui alias omne tædium amoliendum curavi.

Πᾶς ὁ ὀργιζόμενος τῷ ἀδελφῷ αὐτοῦ εἰκῆ, ἔνοχος ἔσται τῇ κρίσει, ὃς δ' ἂν εἴπῃ τῷ ἀδελφῷ αὐτοῦ ῥακά, ἔνοχος ἔσται τῷ συνεδρίῳ. ὃς δ' ἂν εἴπῃ μωρέ, ἔνοχος ἔσται εἰς τὴν γέενναν τοῦ πυρός.

Conſenſere in eam opinionem plerique Interpretes, ut horum verborum ſenſum peti debere putent ex reſpectu, quem habent ad tria Judiciorum genera apud Judæos, quorum infimum tres habuit Judices, medium viginti tres, ſupremum ſeptuaginta unum. Me autem, ut in omnia alia eam, tria ſunt, quæ impellunt.

Primum quidem, quod infimo illi Foro, cui proprie accommodant vocem Judicii, *nullo modo de cujuſquam capite decernere liceret. Quum igitur membrum poſterius præcedentis verſus non poſſit ita concipi, quaſi dictum eſſet,* Si quis occiderit, obnoxius erit Judicio Triumvirali, *(non enim de rebus capitalibus, quale erat homicidium, cognoſcebat) conſequens eſt, ut neque in primo hujus verſus membro, ubi idem ſervatur verbum* Judicium, *ita intelligi debeat.*

Secundum autem, quod vocabulum συνέδριον *in ſecundo ſolum commate adhibeatur: atqui perdifficile erit rationem probabilem reddere, cur medium hoc Concilium ſolum eo nomine inſigniretur, (prout vult hæc interpretatio) cum ſingula, imprimis ſupremum, ea appellatione gauderent.*

Tertium denique, quod Gehennam ignis *pœnis à ſummo Conſeſſu inflictis accommodare (quod quidam faciunt) adeo ſit inverecundum & coactum, (ut in illis ipſis, quas nobis ipſi cuderunt, alluſionibus videre eſt) ut neminem putem ſibi pro vero & germano ſenſu obtrudi paſſurum.*

Non diffiteor Chriſtum *hoc loco alludere ad quiddam Judæis in Judiciis uſitatum, quod quale fuerit, conjecturam differendam cenſeo uſque eo, quoad viam ad germanum ſenſum eliciendum explanavero: quod ut faciam, tria ſunt præſtanda,* I. *Explicanda venit trias vocabulorum,* Ἀδελφός, Ἔνοχος *&* Γέεννα, *quæ aliis quoque locis occurrunt, atque propterea latioris ſunt conſiderationis, quam ut anguſtis hujus verſus limitibus contineatur.* II. *Dicendum eſt de tribus Delictorum, quorum mentio hic facta eſt, gradibus, ea ſunt* temere iraſci, *dicere* Raca, *& dicere* Stulte. III. *Denique conſiderandæ ſunt tres pœnæ in hæc delicta ſtatutæ.* Judicium *ſcilicet,* Concilium *&* Gehenna ignis.

I. *Frater, quod vocabulum ſignificatu ſuo omnes, qui nomen* Chriſti *confitentur, in N. T. perpetuo involvit, non incommode ſpectari poteſt, ex perſpecto* τοῦ Proximus *in V. T. ſenſu, prout hoc Judæis intellectum & expoſitum fuit. Uſurpando vocem* Proximus, *inquit* Rabbi Nathan, omnes Ethnicos excludit. Aruch in בן ברית *Audi & perpende hunc* Maimon. *locum:* Perinde eſt, *inquit*, Iſraëlitam occidere, & Cananæum ſervum occidere, qui alterutrum fecerit, morte multandus eſt. Iſraëlita, qui alienigenum inquilinum occiderit, non eſt propterea à Synedrio morti dandus, quia dictum eſt, *Exod.* 21:14. Si quis ex induſtria occiderit Proximum ſuum, neque attinet dicere, non eſſe eum propter Ethnicum morte puniendum. Item, perinde eſt ſi quis alienum ſervum occiderit, & ſi ſuum ſervum occiderit; nam ob utrumvis morte multandus eſt, quoniam Præcepta in ſe recepit, & eſt hæreditati Domini additus, in Retſeah, cap. 2. *Unde liquet comprehendiſſe eos ſub nomine* Proximi, *omnes & ſolos ſuæ Religionis populares, quam ſententiam perſtringunt verba Salvatoris,* Luc. 10: 30, 31. &c. *Fuere igitur in Eccleſia Judaica, qui* Fratrum *nomine indigitabantur, omnes ſcilicet Iſraëlitici ſanguinis: fuere item, qui* Proximorum; *atque hi ſunt, qui ex aliis gentibus ad Iudaicam Religionem proſelyti facti tranſierunt. Et* non docebit ultra vir Proximum ſuum, & vir Fratrem ſuum, &c. Jer. 31: 34. *Sub Novo autem Fœdere, ubi nulla manet Tribuum, nulla familiarum aut Gentium diſtinctio, tam latè patet plerunque* Fratris *appellatio, quam olim patebat* Proximi. *Complectitur enim omnes, qui Euangelium profitentur: neque minus hoc jam, quam illud olim, contrarium habet*

 Ethni-

Digitized by Google

Ethnicum. Si is qui Frater nominatur, &c. 1 *Cor.* 5:11. Si peccaverit in te Frater tuus, &c. ſit tibi ſicut Ethnicus, *Matth.* 18:15, 17.

II. Ἔνοχος, Reus obnoxius, *reſpondet verbis* חייב *&* מחויב, *quæ tam frequentis ſunt apud Iudæos Scriptores uſus, quam quæ frequentiſſimi, ut* חייב מיתה Reus mortis, חייב כרת Reus exciſionis. *Quævis ferè pagina utriuſque Talmud hujuſmodi exempla ſuppeditabit.*

III. Gehenna, *ſatis conſtat appellationem ortam à* גיא הנום Vallis Hinnom, *de qua, ut & de ſordibus & abominanda fœditate loci tam multa dicuntur in S. Scripturâ. Hic poſitum fuit exſecrandum illud* Molochi *idolum, cui Liberos ſuos igne cremandos obtulerunt. Atque huc (quod dicit* D. Kimchi*) projiciebantur omnes ſordes, & inſepulta cadavera, hic inextinctus alebatur ignis ad exuſtionem ſordium & Oſſium*, in Pſalm. 27.

Atque hinc tranſlato vocabulo Gehenna *uſi ſunt paſſim in quotidiano ſermone Judæi ad ſignificandum* Infernum; *ſumpto, uti videtur, tranſlationis fundamento ex noviſſimo verſu Prophetiæ* Eſajæ, *quem quidam illorum hujuſmodi gloſſemate obduxere*, Hieroſolymis exibunt in vallem Hinnom, ibique conſpicient eorum cadavera, qui rebellârunt, &c. *vide Kimchi* & *Aben Ezra in Loc.*

Infinitum eſſet frequentati apud eorum ſcriptores vocabuli exempla omnia proferre; pauca hæc ſufficere poterunt. Chald. Paraph. in Eſaj. 26:15. Appareas in potentia tua ad projiciendos omnes impios in Gehennam. *Item in* Eſaj. 33:14. Impii judicandi ſunt, tradendi in Gehennam incendio ſempiterno. *Item in* verſ. 17. Aſpicies & videbis deſcendentes in terram gehennæ, Rab. Sol *in* Eſaj. 24:22. Congregabuntur, ſicut vincti in barathro hypogæo congregantur, & incarcerabuntur מחויבי גהנם לגהנם ἔνοχοι εἰς γέενναν, εἰς γέενναν, qui rei ſunt Gehinnom in Gehinnom. *Targ. in* Ruth. 11:12. Liberaberis à Judicio Gehennæ. *Midraſch Mishle, fol.* 69. Sperasne te liberatum iri à Judicio Gehinnom. *Baal Tur. in* Gen. 1:1. Propter Legem liberantur à judicio Gehennæ. *Exſtat etiam Phraſis* Matth. 23:33. Quomodo fugietis à Judicio Gehennæ.

De vocabulis tribus egimus, progrediamur, & videamus quænam ſint ea, quæ hic à Chriſto *vetantur: tria item ſunt, quæ gradibus ὑπαλλήλοις inter ſe diſtingui facile agnoſcent omnes.*

Primum quod attinet, Iraſci temerè, *ita ſunt perſpicua & plana per ſe & verba & res, ut explanatione non indigeant.*

Secundum eſt, Quiſquis dixerit Fratri ſuo Raca. *Probroſum nomen, & faſtidio plenum! apud Judæos frequens, quod in opprobrium & contumeliam alius alii objectabant. Atque hanc potiſſimum appellationem in exemplum adduxit Salvator noſter, ideo, quod frequentiſſimi eſſet inter eos uſus, neque iis illam in quenquam jactare Religio eſſet. Pauca tibi habe exempla.* Statuerat apud animum ſuum quidam ad reſipiſcentiam (*& reſtitutionem*) ſe conferre, dixit ei uxor, *Recah* ſi reſtitutionem meditaris, ne cingulum quidem, quo circumdaris, tuum eſt. *Tanch. fol.* 5. *Diſſertabat* Rabbi Iochanan de ædificanda Sapphiris & Adamantibus Hieruſalem; irriſit diſcipulorum unus, poſtea vero perſpecta & agnita rei veritate dixit ei, Rabbi tu expone, dignus tu, qui exponas, prout dixeras, ita vidi: reſpondit ei, *Recah*, niſi vidiſſes, non crediſiſſes, &c. *Midras Tillim, fol.* 38. *col.* 4. Cui aſſimulatur res? Regi carnis & ſanguinis, qui Regis filiam in matrimonium duxerat; dicit ei aſſiſte mihi, & adimple mihi poculum, verum illa noluit. Quamobrem iratus eam repudiavit. Abiit illa, & de infima plebe cuidam nupſit: ille etiam dicit ei, adſta mihi & impleto mihi poculum. Reſpondet illa *Recah*, Regis ſum filia, &c. *Idem in Pſalm.* 137. Dicit Ethnicus ad Iſraëlitam, lautas habeo tibi paratas dapes; ille ait quas? Reſpondet, carnem ſuillam: dicit ei *Recah*, quicquid vel mundarum beſtiarum vos mactatis, nobis interdictum eſt, multo magis hoc, *Tanch. fol.* 18. *col.* 4.

Tertium ne quis fratri dicat Stulte; *quod quomodo à* Raca, *quod* vanum, inanem *ſive* caſſum *ſonat, diſtinguendum ſit, difficultate non careret, niſi* Salomon Lexici alicujus

vicem

Digitized by Google

vicem præſtitiſſet, docuiſſetque voce Stultus, *facinoroſum & extremæ impietatis hominem ſignificari, cui nihil omnino inſit ſpiritualis ſapientiæ.*

Cavetur igitur in primo quidem commate, ne quis fratri temerè, *ſine juſta & idonea cauſa, aut ſupra modum iraſcatur. In ſecundo verò, ne quis in fratrem* convicia probroſa cum faſtidio, & contumelia conjuncta, eructet. *In ultimo denique, ne quis fratrem* Improbrum, rejectaneum, aut reprobum appellet: *Ne ſecluſa charitate, acerbè de ſpirituali, & æterno ejus ſtatu ſententiam ferat. Atque hoc ultimum imprimis Scribas & Phariſæos tangit; qui arroganter ſibi aſſumſerunt ut ſoli* חכמים *ſapientes appellarentur, de aliis verò omnibus faſtuoſe & malitioſe pronunciabant,* Turba hæc, quæ non novit Legem, maledicta & execrabilis eſt, *Joh.* 7: 49.

Reſtat Tertium, ut de Pœnis, quas in hæc delicta denunciavit Chriſtus, *dicamus; quod ut faciamus, obſervandæ veniunt duæ traditiones Judæorum, quibus occurrere, & contradicere videtur.* I. *enim opinati ſunt, Præceptum illud,* non occides, *reſtringi debere ad actuale homicidium, neque amplius quidquam prohibere; imo in Præceptis ſuis* 613. *ex lege collectis, nihil aliud velle hoc Præceptum intelligunt, quam ne Iſraelitam occidas:* vide trip. Targ. ibid. Sepher Chinnuch, ibid. Maimon. in Retſea, cap. 1. *Atque, quod conſequens eſt, hanc ſolam hujus Legis violationem Judicio ſubjici ſtatuerunt. Abſurdo huic gloſſemati opponit Dominus primum illud membrum,* Audiſtis dictum eſſe, non occides, *& qui occiderit, nec fuerit actu effuſi ſanguinis inſons, Judicio obnoxium eſſe, neque ulterius hujus præcepti violationem extenditis: Ego vero vobis dico, etiam irâ temerè in fratrem conceptâ violari illud præceptum, atque eam hominem Judicio obnoxium reddere.* II. *Id ſolum homicidium Concilii ſeu Synedrii animadverſioni ſubjiciebant, quod perpetratum eſt ab homine in propria perſona. Sinamus ipſos loqui.* Homicida eſt, qui vicinum vel ſaxo, vel ferro occidit; aut qui eum in aquam, vel ignem trudit, unde nullo modo exire poteſt, ſi læſus morietur, obnoxius eſt חייב ἔνοχος. Verum ſi illum in aquam, vel ignem præcipitaverit, unde evaſiſſe poſſibile erat, quamvis moriatur, pro inſonte habendus eſt. Si canem, vel ſerpentem in eum inſtigaverit, impune habebit. Si advenam interficere volens, Iſraëlitam interficiat, ſi parvulum petens adultum occiderit, ſi lumbos ejus ferire, & talis ictus in lumbis non ſatis ad necem valeret, verum omiſſis lumbis cor feriat, atque eum conficiat, abſolvendus eſt. Si ictum in cor ejus dirigat, & talis ictus in corde ſatis poſſet ad inferendam mortem, is autem in lumbos incidat, atque talis ictus in lumbis non ſatis haberet ad necem virium, quamquam moriatur, abſolvendus eſt. Si propoſitum eſſet adultum percutere, atque talis ictus non ſatis eſſet ad adulti necem, verum in parvulum incidens ad eum interimendum valuit, inſons eſt. Si propoſitum fuit parvulum ferire, & in ictu eo ſatis ineſſet virium ad parvuli necem, atque is ictus, cui non ſatis virium ad adulti necem inerat, in adultum incidat atque is moriatur, inſons eſt. *Rab. Simeon dicit.* Si unum occidere volens, alium occidat, inſons eſt, &c. *Talm. in Sanhedrin, cap.* 9. Quiſquis Proximum manu ſua interficit, ut ſi enſe feriat, vel lapide, vel ſtranguler, vel igne adurat, ita ut mortem inferat, quoniam in propria perſona eum quoquo modo interficit, ecce talis eſt ad mortem dandus à Synedrio: ſed qui alium conducit, qui proximum trucidet, vel ſervos ſuos mittit qui eum necent, vel qui eum leoni vel alii beſtiæ, quæ eum interimit, vi obtrudit: hi omnes ſunt ſanguinis effuſores, & illis adhæret reatus effuſi ſanguinis, & obnoxii ſunt morti per manum cœli: ſed non ſunt à Synedrio capite damnandi. Unde verò probatur ita fieri debere? Quia ſcilicet dictum eſt, *Quicumque effuderit ſanguinem hominis, per hominem fundetur ſanguis illius,* hic eſt qui per ſe hominem occidit, non per manum alterius. *Sanguinem veſtrum animarum veſtrarum requiram,* hic eſt qui ſe ipſus occidit. *De manu omnis beſtiæ requiram,* hic eſt qui proximum beſtiæ dilacerandum objicit. *De manu hominis, de manu viri fratris ejus requiram animam hominis,* hic eſt qui alios conducit, qui proximum occidant. In hac interpretatione cum *requiram* dicitur de tribus communiter, ecce eorum Judicium reſervatur Cœlo *(vel Deo).* Atque omnes hos, & ſimiles homicidas, qui non ſunt neci tradendi à Synedrio, Rex Iſraël ſi velit, Regni Judicio, vel gentium jure, capite plectere poteſt, &c. *Maimon. ubi ſupra, cap.* 2.

Vides

Digitized by Google

Vides in miſellis his traditionibus duplex homicidium, duplex item Judicium. Alterum quidem, cum alium in propria perſona, & propria manu quis occiderit; atque hunc Synedrii *Judicio ſubjectum volunt, & ad mortem dandum utpote homicidam. Alterum vero, cum quis ad occidendum quempiam, non manu propria, ſed vicaria alterius opera uſus, beſtiam aut ſerpentem, aut hominem pecunia conductum, in eum immiſerit. Hunc* Synedrio *neque judicandum, neque plectendum ſtatuunt, ſed remittendum, & reſervandum Judicio Dei. Hinc proinde ſatis liquet, quo ſenſu vox* Judicium *in fine præcedentis, & in principio hujus verſus, uſurpetur; nimirum non de aliquo* Synedriorum *cujuſvis Judicio, (ut plerique interpretantur) verum de* Judicio Dei. *In priore verſu loquitur* Chriſtus *ad eorum ſenſum; in primo hujus commate ſuum illi accommodat.* Audiviſtis dictum eſſe, quicunque occiderit, obnoxium eſſe Judicio Dei; ego verò dico vobis, qui immeritò fratri iraſcitur ſolummodo, Judicio Dei obnoxium eſſe. *Audiviſtis dictum eſſe, illum ſolum qui propria manu cædem perpetravit, Concilio vel* Synedrio *ut homicidam judicandum; Ego vero dico vobis, qui vel* Raca, *(utut vos appellationem eam uſu tritam pro nihilo habeatis) fratri dixerit,* Synedrio *judicandum ſiſti debere.*

Poſtremò, qui fratri dicit Stulte, Improbe, rejectanee, *vel* reprobe, ἔνοχος ἔσται εἰς γέενναν πυρός. *Duo ſunt in his verbis animadvertenda. Primum; mutatus caſus: antea enim dictum eſt,* τῇ κρίσει, τῷ συνεδρίῳ, *hic autem* εἰς γέενναν. *Propterea* Sam. Petitus, Var. Lect. lib. 1. cap. 1. *ait ſe ſatis mirari non poſſe, varietatem hanc interpretibus non obſervatam Quod ipſe ex hac re obſervata elicit, non libet huc transferre; ipſius verba conſulat Lector. Sane parum attento oculo Græcum Textum inſpicit, quiſquis hoc non videt: neque quo mutationis ratio conſtet, longis verborum ambagibus opus erit: nempe elatiorem quendam &* ἐμφατικώτερον *ſenſum jam præ ſe ferunt verba, quo vehementius auditorum mentes feriant, validioremque impreſſionem faciant. Qui dicit fratri* Raca, *reus erit Concilio; at qui dicit* Stulte, *is quidem longe majori pœnæ, ipſi infernali igni, obnoxius erit. Atque ita B. Salvator hiſce peccatis, ſuas pœnas, injuſtæ iræ, juſtam Dei iram & Judicium; publico convicio, publicam Synedrii correptionem; latæ in fratrem ſententiæ quaſi filium Gehennæ, Gehennam ignis; juſtiſſimo parallelismo æquatas voluit. Secundum autem, quod non dicatur* εἰς πῦρ γεέννης, in ignem inferni, *ſed* εἰς γέενναν πυρός, in Gehennam ignis, *quam formam ideo uſurpavit, ut ſignificantius &* ἐμφατικωτέρως *verba ſonarent: & præter reſpectum ad* Vallem Hinnom, *videtur ob oculos habuiſſe pœnam aliam à Synedrio infligi ſolitam, exuſtionem ſcilicet, ſive vivicomburium, quo mortis genere nullum aliud acerbius, aut atrocius apud eos fuit. Quæ pœna ita ſe habuit.* Circundatum Rei, in ſterquilinio genuum tenus conſtituti, collo mantelium, hic huc, ille illuc eò uſque trahebant, donec vi victus os aperiret; tunc ori infuderunt fervens plumbum, quod in ventrem deſcendens viſcera ejus exuſſit, *Talmud in Sanhedrin, cap. 7. Cum igitur in præcedente membro de Judicio* Synedrii *meminiſſet, à quo nullum atrocius ſupplicium ſontibus irrogari potuit, quam erat iſthæc exuſtio, in hoc longe atrociorem pœnam, exuſtionem quidem illam, verum in Gehenna, non plumbo ferventi faciendam, ſed* Gehenna ignis, *minitatur.*

Facile eſſet oſtendere quam abundet N. Inſtrumentum hujuſmodi reſpectibus ad res vulgo notas, aut uſitatas inter Judæos, aut certè eorum ſermone tritas, qui quidem ſi ubique animadverſi & perſpecti, rectè adhiberentur, vel obſcuriſſima quæque longe facilius, quam nunc, explicari poſſent. Imo per Interpretum in his imperitiam factum eſt ut cum in multis locis non potuerint commodum ſenſum elicere, auſi ſint Textum ipſum corruptum pronunciare, & novum ſupponere, quem de ſua ſententia commenti fuerant: cum negotium omne, hoc modo ſi fuiſſet tractatum, facile potuiſſet expediri: cujus rei in hoc opere nos multa dedimus documenta, quibus alia ejuſdem generis quamplurima potuiſſent accedere; niſi largioribus commentationibus abſtinere, inſtituti noſtri ratio ſubinde monuiſſet.

III. Cal. Sept. 1654. *JOHANNES LIGTFOOT.*

HAR-

Digitized by Google

HARMONIA, ORDO ET CHRONICON NOVI TESTAMENTI.

PARS PRIMA, viz. HARMONIA ET ORDO QUATUOR EUANGELISTARUM.

SECTIO I.

LUCÆ CAP. I. *verſ.* 1, 2, 3, 4.

Lucæ Præfatio. Poteſtas ei facta conſcribendi Euangelium.

HÆC *Lucæ* Præfatio, Euangelio ſuo præfixa, toti quatuor Euangeliſtarum hiſtoriæ, in unam & continuam ſeriem redactæ, tanquam generale proœmium commodiſſimè præponi poteſt.

Si ſub idem ferè tempus, quo & *Acta Apoſtolorum*, Euangelium ſuum conſcripſit, hoc factum foret, poſtquam *Paulus* per biennium plus minus *Romæ* incarceratus fuerat, *Act.* 28:30. viginti & ſeptem annos ſcilicet poſt aſcenſionem *Chriſti*; cum demum Euangelium per Apoſtolos, *oculatos* ſcilicet operum *Chriſti teſtes*, & per diſcipulos, *Sermonis Miniſtros*, per maximam Mundi partem diſſeminatum fuiſſet.

Horum concionibus & teſtimoniis edocti, multi Euangelia conſcribere cœperunt, ſuo partim, & partim aliorum commodo conſulentes. Quod quamvis licitè & bono animo factum fuerit, quæque ſcripſerant veritati fuerint conſona; tamen quia nec afflati, nec divinitus conceſſa poteſtate fecerunt, hæc illorum ſcriptorum autoritas planè fuit humana, nec ſacro Canoni erant adnumeranda. *Lucas* verò edoctus & imbutus *cœlitus* fuit, *ἄνωθεν*, *verſ.* 3.

SECTIO II.

JOHANNIS CAP. I. *ab initio ad verſ.* 15.

Chriſti Deitas oſtenſa: Ejuſque, Verbi ſcilicet, incarnationis congruitas.

POſt Præfationem jure hæc Sectio proximè ſequitur: quoniam non ſolùm de *Chriſti Deitate* agit, quæ imprimis in illius hiſtoria ſpectanda, ſed inſuper oſtendit congruitatem illius (ſecundæ ſcilicet *Trinitatis* perſonæ) incarnationis, præ utriuſvis aliarum Perſonarum. I. Cum fuerit Λόγος, per quem mundus creatus fuit, & idcirco aptiſſimus per quem redimeretur. II. Λόγος in quo vita promiſſa fuit, *verſ.* 4. ideoque aptiſſimus per quem præſtanda erat. III. Illius ſermonis promiſſi ſumma, quæ tanquam *lux ſplenduit* per omne Vetus Teſtamentum *in tenebris* typorum, umbrarum, prophetiarum & myſteriorum ibidem; quam non comprehenderunt tenebræ diſpenſationum illarum obſcurarum, quin in ea rerum caligine ſplenduit & emicuit. Neque enim hanc lucem comprehendere potuerunt, majore quippe ſplendore, quam præbere potuerunt, orituram.

SECTIO III.

LUCÆ CAP. I. *à verſ.* 5. *ad verſ.* 57.

Nativitas Johannis Baptiſtæ, & nativitas Servatoris noſtri prædicta per Angelum Gabrielem.

Hujus ſectionis ordo & methodus ſatis certa & manifeſta eſt. Quæ præceſſit, Chriſti præcurſorem indicabat, *Joh.* 1:6. & hæc plenè de eo agit.

HErodes Magnus, proſapiâ *Edomiticâ*, & à *Romanis* Rex *Judææ* conſtitutus, [confer *Gen.* 27:40.] præter alia facinora perpetrata, durante ejus aſpero & inæquali regno, *Sanhedrin* trucidaverat, *Joſeph. Antiq. l.* 14. *c.* 17. ad quam rem denuo palliandam, conſilio *Bavæ Ben Botæ* Templum reparavit, majore ſumptu & ſplendore quam antehac factum fuerat. *Juchaſ. fol.* 19.

ANNO MUNDI 3927. ROMÆ 735. AUGUS. 30. HERODIS 34.

Digitized by Google

Hoc opus anno decimo octavo regni ſui aggreſſus eſt, & poſt octo annos perfecit, *Joſeph. Antiq. l.* 15. *c.* 14. Adeò ut hæc nova fabrica per octo tantum vel novem annos ſteterit hoc anno, de quo verba facimus.

In hoc Templo *Zacharias* ſacerdos ex claſſe *Abiæ* ſuffitum faciebat juxta ritum quotidianum in loco Sancto. Illi prædictum filium ſuſcepturum, qui *Meſſiæ* præcurſor foret: Licet *Zacharias* è Claſſe *Abiæ* fuiſſe dicatur, tamen vix exiſtimandum eſt, eum ex ejus poſteris, aut illius proſapiâ fuiſſe. Quatuor tantum claſſes è *Babylone* reduces fuiſſe, inter quas *Abiæ* claſſis haud numeratur, facta eſt mentio, *Ezr.* 2: 36, 37, 38, 39. Omnes ſacerdotes, è quatuor illis Claſſibus, reduces plus minus 4290. in viginti quatuor claſſes diſpertiebantur juxta primitivam inſtitutionem: *Zacharias* octavæ claſſis, *Abiæ* ſcilicet, uti ante Captivitatem numerabatur, & cujus nomen adhuc præ ſe ferebat, ſacerdos fuit. Reliquæ porrò claſſes nomina retinebant eorum, à quibus à principio denominatæ fuerunt. De hâc diviſione & ordine claſſium poſt Captivitatem copioſe agitur in utroque *Talmude*, *Tract. Taanith*, *cap.* 4.

Quicquid ſit de illo, an *Zacharias* fuerit è poſteris *Abiæ* nec ne; ex eo quod in claſſe *Abiæ* miniſtraverit, conſtat eum non fuiſſe ſummum ſacerdotem, ſed ex privatis quendam, qui ſuis vicibus miniſtrabant, quique proprias miniſterii partes ſorte obtinebant. Hujuſmodi in hunc finem ſortilegii ratio copioſe narratur, *Tamid*, *Cap.* 3. *Joma*, *cap.* 2.

Angelus *Gabriel*, qui ante annos circiter 456. *Danieli* tempus perpeſſionum *Chriſti* prædixerat, eo tempore jam appropinquante, primus tum ejus præcurſoris, tum illius nativitatem annunciat.

Simillima his quæ *Zachariæ* contigere, ſeu ejus viſionem Angeli in Templo, ſeu longiorem moram ibidem cum ſuffitum faceret, perpendamus, reperimus in *Gemar. Hieroſol.* in *Joma*, *fol.* 42. *col.* 3. *Simeon Juſtus*, uti ajunt, *Iſraëlitarum erat Sacerdos Magnus per quadraginta annos Anno ultimo dicit illis, hoc anno moriturus ſum. Ajunt illi, Qui ſcis? Reſpondet; huc uſque quotannis cum in Sanctum Sanctorum iveram*, [die expiationis] *quidam Seni albis induto ſimilis, quique candido velo tectus fuit, unâ mecum introiit & exivit. Hoc autem anno mecum introiit, at mecum non exivit.* Et paulo poſt, *haud licuit ſummo Sacerdoti in Sancto Sanctorum precans diu morari, ne metum populo injiceret. Quidam aliquando diu moratus eſt, & populus poſt eum introiturus erat. Ajunt quidam fuiſſe* Simeonem *Juſtum. Dicunt illi, quid ita diu moratus fuiſti? Reſpondit, pro Dei veſtri Sanctuario orabam ne deſtrueretur. Ajunt, quod ſi feceras, haud tamen ita diu morari debuiſti.*

Si quid veri fuerit in hiſce, quæ ſupra referuntur, indicium videtur ceſſationis Viſionis: (uti Prophetia haud multò antehac deſierat) nam *Simeon Juſtus* dicitur fuiſſe משירי אנשי הכנסת הגדולה i. e. *è reliquis Synagogæ magnæ* Ezræ. *Aboth R. Nathan*, *cap.* 4. Etenim mortuis *Zacharia* & *Malachia*, qui ejuſdem Synagogæ fuerunt, deſiit Spiritus Prophetiæ: hic verò Viſio & Prophetia demum diluceſcunt.

Zacharias eò quod Angeli annunciationi fidem non haberet, efficitur חרש, *ſurdus & mutus:* & hoc ſignum fuit brevi deſiturum *Leviticum* ſacerdotium. In *Judæorum* conſtitutionibus reputatur חרש inter quinque genera eorum, qui ab omnibus negotiis, honoribus, fide, & rebus alicujus momenti arceantur. Significat verò quenquam שאינו לא שומע ולא מדבר, *qui nec audire nec loqui poteſt. Hieroſol.* in *Chagig.* fol. 75. col. 4.

Uxor ejus *Elizabeta* concepit, & occultavit ſe menſes quinque, ut intaminatam ſe ſervaret; utero ſcilicet gerens ſelectum *Nazaræum*, *verſ.* 15.

Haud tantum quinque menſes eò propter ſe occultavit, pari jure enim per totum tempus dum uterum geſtaret, tenebatur. Quinque vero menſes ſolummodo memorantur tanquam hiſtoriæ procemium, reique quæ ſtatim ſexto menſe eveniſſe dicitur.

Sexto menſe idem Angelus virgini *Mariæ* apparuit, & ei nativitatem *Meſſiæ*, quem erat paritura, annunciat. Cui illa fidem habens, quamvis per leges naturæ fieri haud potuerit, cum feſtinatione profecta eſt ad cognatam ſuam *Elizabetam* in montanam regionem *Judææ*, [*Hebronem*, *Joſ.* 21: 11.] non tantum ut eam viſeret, & unâ gauderet, neque ut veritatem eorum, quæ Angelus ei dixerat, reſciret, ſed, uti vero ſimile eſt admodum, Sancto Spiritu incitata, uti ibidem, *Hebrone* ſcilicet, *Meſſiam* conciperet, ubi tot inſignes & conſpicui de illo Typi, quæque illum reſpiciebant Sacramenta olim fuere.

Hæc Virgini annunciata ſunt ſub finem hujus anni aut initium ſequentis, & *Hebronem* mediâ hieme profecta eſt.

SECTIO IV.

MATTHÆI CAP. I. totum.

Chriſti Genealogia è Salomone per patrem ejus putativum Joſephum. Mater illius temerè Adulterii ſuſpecta, in diſcrimen divortii venit.

UTrum *Maria* conceperit eo ipſo tempore, quo Angelus annunciaverat ejus conceptionem, uti plures exiſtimant, an cum

Digitized by Google

cum ad cognatam ſuam *Elizabetam Hebronem* veniret, cum per *tres menſes* apud eam commorata fuiſſet; tum demum facile deprehendi potuit prægnantem fuiſſe, uti poſt idem temporis intervallum *Thamaræ* evenit, *Gen.* 38:24. Cujus ibidem conditio, vitæque diſcrimen conferri poteſt cum Beatæ Virginis conditione hic memorata, illiuſque repudii periculo. Talmudica decretalia tres menſes ad hanc rem detegendam aſſignant. *Quævis fœmina repudiata aut vidua facta*, ajunt, *viro jungi*, *nec deſponſari jure poteſt per nonaginta dies*, *ut deprehendi poſſit utrum conceperit nec ne*; *& ut inter ſemen primi & ſecundi mariti diſcriminatio fiat. Item extraneus & illius uxor*, *proſelyti per nonaginta dies ſeparantur ut diſcriminatio fiat inter ſemen in ſanctitate ſeminatum* [ſcilicet cum relicta gentilitate veram religionem amplexi fuerint: confer 1 *Cor.* 7:14.] *& ſemen haud in ſanctitate ſeminatum.* Talmud in Jebammoth, Cap. 4. & in Chethuboth, Cap. 5. Maimon. in Gerush. Cap. 11.

Hoc temporis intervallum, in hâc hiſtoriâ, quam aptè ultimus verſus præcedentis ſectionis, viz. *Luc.* 1:56. hujusque *verſ.* 18. connectantur, oſtendit. Interpoſita Genealogia haud interrumpit, at illuſtrat narrationem propoſitam. Neque ſolum aptè, ſed neceſſariò in principio Euangelicæ narrationis ponitur: ut hinc in re maximi de *Chriſto* momenti, quamque S. Scripturæ ſæpius inculcant & *Judæi* inprimis reſpecturi erant, factum fieret ſatis; viz. ut hinc conſtaret *Jeſum Nazarenum*, obſcurè licet natum, eſſe *filium Davidis.* Duo dogmata eximia inter *Judæos* reperire eſt. I. *Neminem Iſraëlitarum Regem futurum*, *qui non è Domo Davidis & Salomonis proſapiâ fuerit.* Talmud in Sanhedrin, Cap. 10. Ideoque Regem *Meſſiam* ex eâ proſapiâ expectabant. II. *Familiam matris haud eſſe familiam*, Juchaſ. *fol.* 55. Hinc aptiſſimè *Matthæus* genealogiam ejus per *Salomonem* ad *Joſephum*, maſculum ſc. & putativum *Jeſu* Patrem, perducebat.

Ultimus hujus Capitis verſus, ut *Joſephi* & *Mariæ*, ad nativitatem *Chriſti* uſque, inter ſe invicem geſta reſpicit, aptè, quòd ad Harmoniam Euangelicam attinet, ſuo loco ponitur. At verò uti ad Nativitatem *Chriſti* refertur, cum *Lucæ Cap.* 2:7. coincidit. Juxta variam hanc relationem lector cogitabundus, ut ei videbitur, ponet.

SECTIO V.

LUCÆ CAP. I. *à verſu* 57. *ad finem.*

Nativitas Johannis Baptiſtæ.

CUm *Maria* tres menſes apud cognatam ſuam *Elizabetam* commorata fuiſſet, probabile eſt *Elizabetam* aut peperiſſe aut brevi parituram. Atque hinc ſatis patet ordo hujus ſectionis præcedentem ritè ſubſequentis.

Johannes Baptiſta Hebrone naſcitur; loco ſcilicet ubi *Abrahamus* habitaverat, & ubi *David* primitus regnaverat. Hîc Circumciſio primum inſtituta eſt, hîc ille naſcitur qui Baptiſmum loco Circumciſionis introducturus erat. Sacerdotes, dum in Templo diluculum expectarunt, dicere ſoliti fuerunt, *Facies cœli Hebronem uſque lucida eſt*, Talmud, Joma, *Cap.* 3. & Tamid *Cap.* 3. Confer Euangelii diluculum, per nativitatem *Baptiſtæ*, nunc ibidem oriens, & verba *Zachariæ* Sacerdotis, *verſ.* 78.

Nativitas *Baptiſtæ* (ut conſtat ex eâ Servatoris noſtri) verno tempore circiter feſtum *Paſchatis*, quando etiam *Iſaac* natus fuit, contigiſſe comperietur.

SECTIO VI.

LUCÆ CAP. II. *à verſ.* 1. *ad verſ.* 40.

Chriſti Nativitas.

E *Lucâ* patet Ordo, qui nihil inter nativitatem *Baptiſtæ* & *Chriſti* ponit: neque enim reperire eſt in quovis Euangeliſtarum quod ritè intervenire poteſt. MUNDI 3928. ROMÆ 754. AUGUS. 31. HERODIS 35.

Quatuor Monarchiæ, quas *Daniel* futuras prædixerat, & ante adventum *Chriſti* deſituras, jam finem ſuum ſortitæ ſunt; & enata eſt quinta multò potentior, nec minus truculenta, quam quatuor ſimul junctæ: idcircò ſignis quatuor præcedentium deſcribitur. Confer *Apoc.* 13:2. & *Dan.* 7:4, 5. &c.

Edictum *Auguſti*, *Romæ* datum, occaſionem præbet implendi decreti Dominici de nativitate *Meſſiæ Bethlehemi.* Natus eſt ſub *Romanâ* taxatione; jamque prophetia de *Chittim*, ſeu *Italia Heberum* affligente, *Num:* 24:24. liquidò impleri cœpit.

Natus fuit menſe *Tiſri*, qui *Septembri* noſtro partim reſpondet; & circiter feſtum *Tabernaculorum*, ut ex eo quod triginta duos annos & dimidium omninò vixerit, & *Paſchatis* tempore moreretur, probari poteſt. Ille menſis pluribus de cauſis inſignis fuit. Tum mundus factus, cœptum Tabernaculum, Templum denuò conſecratum; &, uti *Gemariſtæ Hieroſolymitani* rectè monent, tum *Patres* [ante-diluviani] nati fuerunt, *Roſh Hashan. fol.* 56. *col.* 4.

Noctu illius nativitas contigit, eam comitabatur Canticum totius Angelorum chori: confer *Hebr.* 1:6. cum *Job.* 38:7. & lux ſplendidiſſima Paſtores *Bethlehemi* circumdans, quibus primum magnus hic Paſtor revelatur.

Digitized by Google

Octavo à nativitatis die circumciditur, & ſit membrum Eccleſiæ *Iſraëlis*: natus dies quadraginta in Templo ſiſtitur, in porta Orientali Atrii *Iſraëlis*, quæ *Nicanoris Porta* vocabatur. *Mariæ* paupertas ex oblatione ejus cognoſcitur. [Confer *verſ.* 24. cum *Lev.* 12. *verſ.* 6,8.] Agnoſcitur tamen ejus Filius tanquam *conſolatio & expectatio Iſraëlis*.

Primum ætatis & infantiæ annum egit *Chriſtus Bethlehemi*: cum enim Dominus per Prophetam eo loco naſciturum prædixerat, *Michæ* 5:2. haud licuit illius parentibus alibi eum enutrire, donec à Domino imperatum fuerit, quod per Angelum factum reperimus *Matth.* 2:22. Quomodo verò verba *Lucæ Cap.* 2:39. intelligenda ſint, in proxima ſectione dicemus.

SECTIO VII.

MATTHÆI CAP. II. *totum*.

Chriſtum Magi adorant, perdere inſtituit Herodes: *Chriſti in Ægyptum fuga.*

CHRIST. II. ORdo hujus ſectionis & hiſtoriæ patet è *verſu* 7. & *verſu* 16. Unde Chriſtum, cum ad eum venerint Magi, *duos annos natum* fuiſſe conſtat. *Herodes* enim diligenter exquiſiverat ab eis tempus, quo ſtella apparuit, & juxta tempus quod illi adſignaverant, infantes maſculos *à bimulis & infra* occidit. *A bimulis*, quia biennium fuiſſe, ex quo ſtella apparuit, antè ſignificaverant; *& infra*, ut, cum dubitari poterat an præcurſor fuerit an comes illa ſtella nativitatis Regis Judæorum, cujus meminerunt, hac ratione caveret ne *Chriſtus* effugeret.

Stellam apparuiſſe ipſiſſimo nativitatis tempore ex eo, nè quid amplius dicam, certò conſtat, quod alias Magi temporis ejus nativitatis adeò ignari fuiſſent, ut an natus fuerit nec ne, jam *Hieroſolymam* profecti dicere haud potuerint.

Ipſâ igitur nocte, quâ natus eſt, viſa eſt ſtella. Et quoniam Magi *Herodi* nunciaverant quantum temporis elapſum ſit ex quo primum viſa eſt, ille omnes bimulos trucidat: bimulum enim infantem, quem quæſivit, juxta eorum dicta, credidit; Infantes etiam infra eam ætatem trucidavit ut certius rem propoſitam perageret, neque à ſcopo aberraret. Hâc re perpenſa, ſequitur, *Chriſtum* ſecundum annum agere cum Magi veniſſent, & argumento eſt ritè collocatam eſſe hanc ſectionem: & hanc hiſtoriam illi de purificatione *Mariæ* poſtponendam, non præmittendam, ut multi exiſtimant.

Objici poteſt, *Lucam*, poſtquam narraverat quod in Templo ſiſteretur, ſubjungere, *Ut perfecerunt omnia ſecundum legem, reverſi ſunt in Galilæam.* Si verò in *Galilæam* reverſi fuerint cum *Chriſtus* quadraginta dies natus erat, quî *Bethlehemi* jam bimulus repertus fuit? Reſp. *Lucas* in ea clauſula juxta ſeriem ſuæ hiſtoriæ intelligi debet: nihil de *Magis* dicturus erat, neque de *Chriſti* in *Ægyptum* profectione, [hæc enim *Matthæus* prius enarraverat] idcircò reditus ejus è *Galilæa Hieroſolymam* ad celebrandum Feſtum quoddam ſubſequitur: cum enim nilquicquam in animo habuit referre inter illud ſpatium temporis, quo in Templo ſiſtebatur quadraginta dies natus, & annum vitæ ejus duodecimum cum ad Templum rediret, inter ea verba, *Cap.* 2. *verſ.* 39. brevem tranſitionem facit, ut *Chriſtum* in *Galilæa* poneret, unde duodecim annos natus venit cum ſapientiam ſuam palam fecerit.

Μάγοι in Sacris Literis malo ſenſu ſemper uſurpatur, & magicas & illicitas artes exercentes denotat. Hoc in loco ſi ea vox ita uſurpetur, majoris potentiæ & uberioris gratiæ *Chriſti* indicium eſt, cum ex omnibus Ethnicis, has artes qui exercuerant, primùm *Chriſti* nomen profiterentur. Novam & inſuetam ſtellam in cœlis conſpicientes [lux fortean, quæ Paſtores *Bethlehemiticos* circumdederat, è longinquo nova & inſueta ſtella *Judææ* impendens viſa eſt.] poſt biennium à Deo, cujus rei ſignum fuerit, edocti ſunt; & illius Spiritu incitati ſunt adorare *Chriſtum*, quem præmonſtrabat.

Herodes ut audiverat *Regem Judæorum* natum, & adeò illuſtri ſtella comitante, uti Meſſiam eum reſpicit, & tamen trucidare aggreditur. Angeli præmonitione unà cum matre in *Ægyptum* mittitur, ubi tunc temporis Gentis Judaicæ frequentia planè infinita fuit. *Succah, cap.* 5. *Fuit in Alexandriâ permagna Eccleſia Cathedralis, duplici clauſtro donata, & nonnunquam ibidem tot fuêre, qui bis numerum Iſraëlitarum ex Ægypto exeuntium æquarent; & ibidem* 71. *aureæ ſellæ fuerunt, ſecundum numerum* 71. *Seniorum Synedrii magni: Eratque in medio poſitum ſuggeſtum ligneum, ubi cætus miniſter ſtetit, &c. Alexandrum Magnum* hanc multitudinem trucidaſſe refert Talmud Babylonicum, *Trajanum* Hieroſolymitanum. Utriuſque veritatem ex Autore *Juchaſin* diſcimus. *In diebus Simeonis Juſti*, ait, *Alexandria* (*quæ & Amon, Min & No appellatur*) *repleta fuit Iſraëlitis, qui numerum exeuntium ex Ægypto bis æquarent, &c. Hos* Alexander *omnes trucidavit. Poſtea, à tempore ſcilicet Oniæ, qui magnum ibidem Templum & Altare conſtruxit, novo populo aucta fuit, & eò omnes Ægyptii venerunt, &c. Ibidem permagnus erat cætus bis numerum ex Ægypto exeuntium æquans, fol.* 14. De hoc Templo per *Oniam* conſtructo in *Ægypto*, vide *Joſeph. Antiq.*

Digitized by Google

Antiq. lib. 3. *cap.* 6. & *Talmud in Menachoth*, *cap.* 13. Adeo ut *Chriſtus*, cum mitteretur in *Ægyptum*, ad ſuos populares miſſus fuerit, qui eam regionem repleverant.

Per tres aut quatuor ad ſummum, menſes in *Ægypto* verſatus fuit. Tam citò Dominus *Herodem* interfecerat eo quod innocuos infantes trucidaverat, & Dominum vitæ occidere deſtinaverat.

Poſt *Herodis* obitum *Joſephus* & *Maria* ex *Ægypto* evocati *Bethlehemum* in *Judæa* petere in animo habent, ſed metuentes *Archelaum*, ab Angelo præmoniti *Galilæam* petunt. *Chriſtum Bethlehemi*, ubi natus fuerat, non enutriendum haud noverunt. Ibidem igitur commoratur dum bimulus factus fuerit, neque inde amovere eum auſi ſunt, donec metu & Angeli præmonitione excitati *Ægyptum* peterent; ex *Ægypto* demum reverſi *Bethlehemum* denuo meditantur, uſque dum pari metu & præmonitione excitati *Galilæam* petunt.

CHRIST. Nihil de *Chriſto* apud quenquam Euange-
III. liſtarum dictum reperitur ab exitu ejus ex
IV. *Ægypto* ad annum ejus duodecimum. Ut hoc
V. temporis intervallum melius dignoſcatur,
VI. quædam è *Joſepho* excerpta dabimus. *Hero-*
VII. VIII. *des*, inquit, *regnavit annos* 34. *ex quo Anti-*
IX. *gonum amoverat*, *&* 37. *annos ex quo primùm*
X. XI. *Rex à Romanis declaratus fuit*, Antiq. lib. 17.
cap. 10.

Anno decimo regni ſui Archelaus à populo haud ferente ejus crudelitatem & Tyrannidem apud Cæſarem accuſatur, *à quo* Viennam *relegatus fuit*. *Paulo poſt* Cyrenius *à* Cæſare *miſſus eſt ut* Syriam *taxaret*, *& bona* Archelai *publicaret*, Ibid. cap. 15.

Cum Cyrenio Coponius *miſſus eſt ut* Judææ *præficeretur*, lib. 18. cap. 1.

Coponio, *Romam revertenti*, Marcus Ambibuchus *in ea præfecturâ ſuccedit*; *cui ſucceſſit* Annius Rufus: *cujus tempore* Cæſar Auguſtus *ſecundus* Romanorum *Imperator diem obiit*, Ibid. cap. 5.

Cum diem obiret *Auguſtus*, *Chriſtus* quatuordecim annos natus erat, uti ex eo conſtat, quod, exacto anno viceſimo nono, agere cœpit triceſimum, anno decimo quinto Imperatoris proximè ſuccedentis *Tiberii*, *Luc.* 3:1,2. Ex hoc intervallo temporis, à *Joſepho* commemorato inter mortem *Herodis* & mortem *Auguſti*, viz. annorum decem *Archelai*, præfecturæ *Coponii*, *Ambibuchi* & *Rufi*, perpenſo, certò conſtat *Herodem* infantes *Bethlehemiticos*, cum jam bimulus eſſet *Chriſtus*, ultimo regni ſui anno trucidâſſe.

SECTIO VIII.

LUCÆ CAP. II. *à verſ.* 40. *ad finem Capitis.*

Chriſtus duodecim annos natus inter Doctores ſapientiæ ſuæ ſpecimen edit. Eâ ætate Salomon *in dirimendâ lite inter duas pellices, ſuam ſapientiam palam fecerat*. Ignat. Martyr in Epiſt. ad Magneſ.

ORdo hujus ſectionis, uti præcedentem MUNDI
ſubſequitur, ſatis patet, cum nihil à 3939.
Chriſti infantiâ ad initium anni illius triceſimi, ROMÆ
de eo à quovis Euangeliſtarum dictum ſit, 765. AUGUS.
præterquam quod hic traditur de illius ſapien- 42.
tiâ, quam palam fecit duodecim annos na- CHRIST.
tus, inter Doctores *Synedrii* cujuſdam (tri- XII. ARCHE-
plex enim fuit) in Templo conſidentis: Fuit LAI 10.
Synedrium Judicum 23. in portâ orientali montis domûs *Shushan* dictâ. Aliud parem habens numerum in porta *Nicanoris*, ſeu orientali porta atrii *Iſraëlis*. Et *Synedrium* magnum 71. Judicum in Conclavi *Gazith*, non procul ab Altari.

Licet *Herodes Synedrium* trucidaverit, uti *Joſephus* & alii nonnulli referunt, haud tamen illa Curia, aut illius poteſtas judicialis penitus extincta fuit, ſed denuò rediviva per multos annos poſt vaſtationem Civitatis permanſit.

Hujus rei narratio reperitur in *Talmude Babylon. Bava Bathra* fol. 3. f. 2. *Herodes ſervus fuit familiæ Aſmonæorum*, *in puellam ejuſdem familiæ oculos conjecit. Quodam die è cœlo vocem* [Bath Kol] *audivit dicentem*, *cuivis ſervo rebelli hoc anno proſperè ſuccedet. Conſurrexit & omnes Dominos ſuos interfecit*, *puellam illam ſervans*, *&c. Et cum dictum ſit*, *Regem conſtitues è fratribus*, (i.e. *è præcipuis ex fratribus*, ut eorum ſapientes intellexerunt, uti ibidem gloſſa commemorat) *omnes magnates trucidavit*, *excepto* Bava ben Bota, *quem conſulturus erat. Ibidem gloſſa ait*, *non omnes magnates penitus trucidaſſe*; Hillel *enim & filii Betiræ ſuperſtites ab eo relicti ſunt. Joſephus* porrò ait eum *Sammajo* peperciſſe: Refert inſuper *Abraham Zaccuth*, *Menahemum* & 80. viros eximios, & illius gentis maximè illuſtres, illius ſervos ſponte factos fuiſſe, eique dediſſe operam; ita ut hi, aliique denuo conſtituti, rupturam illam *Synedrii*, quam enſe ſuo fecerat, citò reſarcirent. Cum enim quos oderat interfecerat, reſtaurationem *Synedrii* haud impedivit.

Hillel præſes fuit continuè per quadraginta annos, & diem obiit [uti ex *Judæorum* computo cum eo *Chriſtianorum* collato conſtat] circiter annum *Chriſti* duodecimum. Ajunt enim *vixiſſe annos* 120. *quorum quadraginta*

Digitized by Google

excurrentes Synedrii Præſes conſumpſit, eam adeptus dignitatem centum annos ante vaſtationem civitatis.

Menahemus ab initio una cum eo vice-præſes fuit; cum verò is *Herodis* ſervus factus fuerit, *Sammajus* locum ejus tenebat: à prima traditionum origine haud unquam hiſce duobus viris aut egregii magis aut doctiores ea loca tenebant. Dignus adeò exiſtimabatur *Hillel*, ut cum per mortem *Shemajæ* & *Abtalionis* vacuus foret *Præſidis* locus, cumque *R. Judah* & *R. Jeſhua Betiræ* filii, ſuccedere potuerint, *Hillelem* uti digniorem præferrent, *Talm. Hieroſol. in Peſach. fol.* 33. *col.* 1. Multos eximios diſcipulos educavit, octoginta ſcilicet, è quibus maximè illuſtres fuerunt *Jonathan Ben Uzziel*, Chaldæus Paraphraſtes, & *R. Jochanan Ben Zaccai*; qui hoc anno *Chriſti*, ut probabile eſt, & diu poſt ſuperſtites fuerunt. De *R. Jochanan* dubitari non poteſt: vidit enim vaſtationem civitatis & Templi, & poſt hæc Præſes fuit *Synedrii Jaſnæ*. Ad hoc tempus etiam in vivis fuerunt filii *Betiræ* ſupra memorati.

Sammajus tum doctrinâ tum doctorum inſtitutione, *Hilleli* parum cedebat. Par doctrina & Scholæ inter eos lites de doctrina & deciſione quarundam traditionum movebant. De paucis articulis Magiſtri, de plurimis diſcipuli atque acriter diſſidebant.

Hæc contentio inter diſcipulos, dum Magiſtri in vivis erant, adeo acris fuit, ut diſcipuli *Sammaji* contumeliis laceſſerint *Hillelem*, in eumque conſpiraverint in Templi atrio, *Talmud Hieroſol. in Jom Tob*, *fol.* 61. *col.* 3. Et harum ſcholarum contentio eò uſque gliſcebat, uti refert *Talmud Hieroſol.* ut ſanguinem effunderent, & ſeſe mutuò occiderent, *Shabb. fol.* 3. *cap.* 3. *Hæ ſunt quædam è traditionibus, quæ conſtitutæ ſunt in Conclavi* Hananiæ, *filii* Ezekiæ, *filii* Garon; *diſcipuli* Sammaji *erant numero plures diſcipulis* Hillelis. *Erat ille dies* Iſraëli *luctuoſus*, *ſicut ille dies*, *in quo factus fuit vitulus aureus. Diſcipuli* Sammaji *ſtantes infra trucidarunt diſcipulos* Hillelis. Gliſcebant hæ ſimultates, & pervicaciter litigabant donec victrix evaſerit Schola *Hillelis*, litem dirimente voce cœlitus miſſâ, uti obtendebatur. Hiſce enim figmentis gaudent.

Uſque dum miſſa eſt vox è cælo, [Bath Kol] *cuivis licuit facere juxta gravia aut levia Scholæ* Sammaji, *aut juxta gravia aut levia Scholæ* Hillelis. Jaſnæ *cœlitus miſſa eſt vox dicens*, *utriuſque verba ſunt verba Dei viventis*: *ſed certa rei determinatio eſt ſecundum Scholam* Hillelis. *Quique in verba Scholæ* Hillelis *peccat*, *mortem meretur*, Ibid. in Beracoth, fol. 3. col. 2.

Hoc igitur tempore ad ſummum faſtigium evaſerat doctrina Scholaſtica: *Hillel* etenim & *Sammajus* multò altius eam promoverant quam prius attigerat; atque hinc cœperunt Tituli *Rabban* & *Rabbi*. *Rabban Simeon* filius *Hillelis*, primus fuit è præſidibus *Synedrii*, qui titulo appellabatur: ad hæc enim tempora illuſtres & docti viri propriis ſolummodo nominibus gaudebant. Jam nunc idcircò peropportunè *Chriſtus*, Divina Dei ſapientia, inter eos ſe palam facit conſidetque. Cœpit duodecim annos natus, & porrò durante ejus miniſterio ſapientiam eorum ſtultitiam eſſe oſtendere pergit, ipſius ſcilicet verba & doctrinam divina eloquia ſapientiæ. Peropportunè ſcilicet, non ſolum quia jam ad ſummum faſtigium doctrina eorum evaſerat, ſed quia illorum traditiones irritum fecerant verbum Dei.

Duodecimus annus *Chriſti* fuit ultimus regni *Archelai* filii *Herodis*, cujus mentio facta eſt, *Matth.* 2: 22. Apud *Auguſtum* accuſatur rei malè adminiſtratæ, & eò propter ab eo *Viennam* relegatur, uti ſupra dictum fuit; & *Coponius* ejus loco Præfectus *Judææ* conſtituitur.

Anno decimo quarto *Chriſti* moritur *Au-* CHRIST.
guſtus Cæſar, menſis *Auguſti* die decimo nono: XIII.
duobus Sextis Pompejo & Apulejo Coſſ. Suet. in XIV.
Auguſto, *cap.* 10. Natus erat annos 75. menſes 10. & dies 26. Imperator fuit poſt *Actiacam* victoriam 44. annos, demptis diebus 13. *Dion. Caſſ. lib.* 56. Huic ſuccedit *Tiberius Cæſar.*

Totum hoc ſpatium vitæ *Chriſti*, à duode- CHRIST.
cimo anno ætatis ſuæ ad annum viceſi- XV.
mum nonum ab omnibus Euangeliſtis re- XVI
ticetur: rationem enim reddituri erant non XVII
privatæ ejus vitæ & operis, ſed publici mini- XVIII
ſterii. Hac in re imitabantur Angelum *Ga-* XIX
brielem, qui tempus illius adventus prædixe- XX
rat, *Dan.* 9: 24, 25. &c. Ubi agens de annis ab XXI
eo tempore ad *Meſſiam Principem* elapſuris, XXII
narrationem de *Meſſia*, à tempore miniſterii XXIII
ejus ſolummodò inſtituit, ſcil. à poſteriore XXIV
medietate ultimæ ſeptimanæ ibidem memo- XXV
ratæ, cum ſcilicet erat corroboraturus fœdus XXVI
multis, &c. XXVII
XXVIII

Hos annos *Nazarethæ* unà cum parentibus tranſegit, *Luc.* 2: 51. artem patris ſui fabrilem exercens, *Matth.* 13: 55. cum *Marc.* 6: 3. Duo hæc præcipuè occæcabant Judæos quo minus uti *Meſſiam* agnoſcerent, viz. I. Quia pauper erat & vilis artifex, cum *Meſſiam* magnificè ornatum ſperaverint. II. Quia cum primum miniſterium ſuum publicum cœpit exercere, venit è civitate *Nazaretha*: Nativitas ejus, tot retrò annis elapſis, *Bethlehemi* aut animadverſa non fuit, aut illius rei memoria jam penitus exciderat.

SECTIO

SECTIO IX.

LUCÆ CAP. III. *à verſ.* 1. *ad verſ.* 18.
MATTHÆI CAP. III. *à verſ.* 1. *ad verſ.* 13.
MARCI CAP. I. *à verſ.* 1. *ad verſ.* 9.

Cœpit Euangelium in Miniſterio & Baptiſmo Johannis.

CHRIST. XXIX. ORdo hujus ſectionis à tribus his Euangeliſtis confirmatur. Hinc initium Euangelii ſui ſumpſit *Marcus*: nam quæ ad Nativitatem *Chriſti* & illius ætatem minorennem ſpectabant, à Spiritu Sancto, qui & illius calamum regebat, aliis dictabantur. Miniſterium & Baptiſmum *Johannis*, *principium Euangelii* vocat; & meritò quidem, non ſolum quia *Johannes Chriſtum* prædicavit, ejuſque adventum appropinquare annunciavit; verum etiam quoniam per illius miniſterium magna facta fuit mutatio tum doctrinæ tum recepti moris. Fuit ille prædicator & Miniſter *Baptiſmi reſipiſcentiæ ad remiſſionem peccatorum*, cùm huc uſque adhibitus fuerat Baptiſmus uti ritus, quo Legis obſervationi tenebantur: porrò ille Judæos in alienam Religionem baptizabat, cum huc uſque baptiſmus ritus fuerat, per quem Ethnici in religionem Judaicam recepti fuerant.

Hic expoſita eſt temporis Epocha, quam Spiritus Sanctus in Novo Inſtrumento exhibuit; ad quam, plenitudinem ſc. temporis, Chronicam ſeriem ab orbe condito perduxit: & à quâ, certâ viz. normâ, omnia tempora Novi Inſtrumenti, ſi æram indubitatam velimus, metiri oportet.

Duplicem narrationem præcipue inſtituit *Lucas* hoc Capite tertio, de *Johannis Baptiſmo* alteram, & alteram de *Chriſto baptizato. Decimo quinto Tiberii Cæſaris Johannem* baptizaſſe ſcribit; quo autem tempore *Chriſtus* baptizatus fuerit, ex ſequentibus colligi poteſt. I. *Chriſtum*, cum à *Johanne* baptizatus fuerit, triceſimum ætatis annum tum agere cœpiſſe ſubinnuit, uti ex verbis ejus liquet, ἀρχόμενος ὡν ὡσεὶ, *incipiebat eſſe quaſi annorum triginta*, *aliquali* ſc. *modo*, ſicut Sacra Scriptura computare aſſolet, quæ primum anni diem pro eo ipſo anno reputat. יום אחד בשנה חשוב כשנה. *Talm. Babylon. Roſh Haſhan. fol.* 2. II. *Johannes* baptizavit ſex menſes priuſquam *Jeſus* venerat ut ab eo baptizaretur; erat enim *Johanne* ſex menſes ætate minor, *Luc.* 1: 26. Uti *Chriſtus* baptizatus fuit & Miniſterium ſuum inivit, cum triceſimum ætatis annum agere cœpit, ita *Johannes* eâdem ætate ſuum Miniſterium iniverat juxta legem latam, *Num.* 4. III. *Chriſtus* baptizatus fuit menſe *Septembris*, eodem ſcilicet anni tempore, quo natus fuit. Nam ex loquutione *Lucæ* ſuprà memoratâ, liquidò conſtat eodem ferè tempore baptizatum fuiſſe, quo & natus fuerat. IV. Ut *Chriſti* & *Tiberii* anni fiant contemporanei, ponendum eſt *Tiberii* annum decimum quintum, anno *Chriſti* viceſimo nono congruere; utrùm annum *Tiberii* à principio illius imperii, viceſimo ſcilicet *Auguſti*, numeremus, [ſic inſtitutâ computatione menſe *Septembris*, cum *Chriſtus* baptizatus fuit, cœpit annus illius decimus ſextus & *Chriſti* triceſimus] an juxta conſuetum morem *Faſtorum Romanorum* à *Januario* ad *Januarium*: Tum enim quamvis *Chriſtus* tres menſes triceſimi ſui anni anno *Tiberii* decimoquinto, juxta hanc ſupputationem, tranſegerat, novem tamen menſes anno ejus decimo ſexto egit.

Annus *Tiberii* decimus quintus, & *Salvatoris* viceſimus nonus fuit illuſtris ille annus Principii Euangelii, per prædicationem & baptiſmum *Johannis*, qui hoc opus aggreſſus eſt circa tempus Paſchatis, ſeu menſem *Abib*, aliàs *Niſan*. Hoc anni tempore *Abrahamo* promiſſum fuerat datum, natus *Iſaacus*, ex *Ægypto* redemptus *Iſraël*, in deſerto *Tabernaculum* erectum. *Judæi*, minùs forteaan cautè, ajunt, *Sicut menſe Niſan facta eſt olim redemptio*, *ita eodem menſe Niſan futuram redemptionem*, Talm. Babylon. ubi ſupra, fol. 11. Eo menſe cœpit Euangelium, & *Chriſtus* mortuus eſt.

Res mira videri poteſt, quod, cum *Johannes* baptizare cœpiſſet, & ritum adeò alienum & inuſitatam doctrinam induxiſſet, tanta turba, uti referunt Euangeliſtæ, eum ſequeretur, & illius baptiſmum alacriter reciperet. Ad tollendam hanc difficultatem, præter illud, quod ex ſpeciali Dei providentiâ, Euangelii propagationem promovente, concludi poterat, quatuor hæc aptè notari poſſunt.

I. Hoc tempore *Judæi* adventum *Meſſiæ* expectabant, *Luc.* 19: 11. *Gabrielis* Hebdomadæ, *Dan.* 9. hoc tempus diſtinctè & ad amuſſim monſtraverant, ita ut non ſolùm pii & docti inter Judæos non potuerint non obſervare, verùm etiam per magnam orbis partem expectatio fuerit Magnatis cujuſdam è Judæis oriundi, qui totius mundi gubernator foret. *Percrebuerat Oriente toto vetus & conſtans opinio, eſſe in fatis ut eo tempore Judæâ profecti rerum potirentur*, Suet. in Veſp. cap. 4.

Porro adeò manifeſta fuit veritas temporis per *Danielem* prædicti, ut *Gemariſtæ Hieroſolymitani*, qui *Meſſiam* veniſſe gravatè profitentur, non poterint negare; uti conſtat ex ſequenti narratione. *Beracoth, fol.* 1. *col.* 1. *Dicunt Doctores noſtri nomen Regis Meſſiæ eſſe* David;

Digitized by Google

vid. *R. Joſhua ben Levi ait*, Germen, *Zach.* 3:8. *R. Juda filius R. Ibhu*, Menahem. (i.e. Paracletum) R. Judæ *ſententia* Judæi *cujuſdam exemplo confirmatur: illo arante, mugiebat bos: Arabs quidam tranſiens, & mugitum audiens dixit, Judæe, Judæe, ſolve boves tuos & pone aratrum, ecce enim vaſtatum eſt veſtrum ſanctuarium. Alterâ vice mugiebat bos: repetebat ille, Judæe, Judæe, mitte ſub jugum boves tuos & aratrum ligato, natus enim eſt Rex* Meſſias. *Dixit illi, quodnam eſt illius nomen? Cui reſpondit Menahemi;* [Paracletus] *Et quodnam eſt nomen patris ejus? Reſpondit, Hezekiah:* [Deus Fortis] *Dixit illi, unde oritur? Reſpondit, è Regio palatio Bethlehemi Judæ. Abiit & vendidit boves ſuos, nec non aratrum reliquamque materiam; & ex urbe in urbem proficiſcens faſcias infantium vendidit. Cum ad eam urbem venerat, omnes fœminæ, exceptâ* Menahemi *matre, ab eo coëmebant. Fœminas dicentes audiebat, Mater Menahemi, mater Menahemi, quæ divendita ſunt, tuo infanti affer. Reſpondit, utinam omnes hoſtes Iſraelis ſuſpendantur, eo enim die quo natus fuit, dirutum fuit Sanctuarium: Dixit illi, ſperamus, uti ad pedes ejus dirutum fuit, ita ad pedes ejus denuò ædificandum. Dixit illi, non habeo pecuniam: Reſpondit, an eò propter pœnas dat? Si tibi jam pecunia non ſuppetit, poſt biduum reverſus recipiam: Elapſo biduo in urbem venit & dicit illi, quomodò valet infans? Reſpondit, ex quo me vidiſti, venti & procellæ è manibus meis eum eripuerunt.* Ex his liquidam habemus confeſſionem tum adventus *Chriſti*, tum paupertatis matris illius.

II. Magnam rerum mutationem, adveniente *Meſſiâ*, exſpectabant; & ex eo quod *novos cœlos & novam terram* fore Propheta prædixerat. Hinc apud eos dictum eſt אלף שנה עתיד הקב״ה לחדש את עולמו, i. e. *Deus benedictus mundum renovabit mille annos*, *Aruch* in ערך. Linguâ eorum loquitur *Johannes* cum de regnando cum *Chriſto* mille annos loquitur, *Apoc.* 20:4. quod non magis de futuro tempore intelligi æquum eſt, quam *Meſſiam* adhuc expectare. Hinc *Meſſiæ* tempus appellant בריה חדשה, *novam creationem:* vide 2. *Cor.* 5:17. *Midr. Till. fol.* 4. *col.* 3. De tribus ſeculis loquitur R. *Houna*, quarum ultima eſt דרו של משיח, i.e. *ætas Meſſiæ, quæ cum venerit*, inquit ille, *Deus benedictus dicit, jam mihi incumbit novam inſtituere creationem.* Hoc tempus etiam vocant עולם הבא, i.e. *ſeculum venturum*, propter rerum mutationem, quam tunc expectabant, quaſi novus mundus creatus fuerit. *Tanchum, fol.* 77. *col.* 3. *In ſeculo futuro mittam Angelum meum citò, & coram me viam parabit.* Eo ſenſu *ſeculum venturum* uſurpat *Paulus*, *Heb.* 2:5.

III. Multis retrò ſeculis ante tempora *Johannis Baptiſtæ* uſurpatus fuerat Baptiſmus, tanquam ritus quo Proſelyti in Eccleſiam recepti fuerunt, ſive viri fuerint, ſeu fœminæ aut infantes.

Talm. in Jebamm. cap. 4. & Maimon. in Iſſure biah, cap. 13. Haud fit quiſquam Proſelytus, donec circumciſus & baptizatus fuerit.

Id. in *Chethub.* cap. 1. קטון כטבילין אותו על דעת ב״ד, i. e. *parvulum baptizant ſententiâ ſynedrii.* Et Maimon. in Avadim, cap. 8. *Iſraëlita, qui ſuſcipit Ethnicum infantem, aut qui invenit Ethnicum infantem, & ut Proſelytus fiat, baptizat eum, ecce Proſelytus fit.*

Hinc ratio reddi poteſt, cur in N. Inſtrumento Pædo-baptiſmus neque claro aliquo præcepto aut exemplo, quicquid alii ſentiant, nobis commendatus ſit; neque enim neceſſum erat, cum Pædo-baptiſmus in Eccleſia Judaica non minùs uſurpatus olim fuerat quam poſtmodùm in Eccleſia Chriſtiana. Satis fuit meminiſſe, *Chriſtum* baptiſmum ſub Euangelio inſtituiſſe: ex veteri enim more ſatis conſtabat quis baptizandus fuerit. Rectè igitur infertur, *quoniam Pædo-baptiſmus haud vetitus eſt in Euangelio*, ergò *infantes ſunt baptizandi.* Cum enim apud Judæos communiter infantes, æquè ac viri & fœminæ, baptizati fuerint, Salvator noſter Pædo-baptiſmum prohibuiſſet, ſi eos excludi vellet; adeò ut ſilentium hâc in re antiqui moris approbationem neceſſariò inferat.

Diſcrepantia inter baptiſmum *Johannis* & baptiſmum, qui prius obtinuerat, in eo ſolummodo fuit: per baptiſmum olim recepti ſunt Proſelyti in Religionem Judaicam, & ad obſervationem legis tenebantur, uti per circumciſionem. Per baptiſmum *Johannis* Judæi in Euangelicam Religionem recepti ſunt; fuit enim *baptiſmus reſipiſcentiæ in remiſſionem peccatorum*, uti ſuprà meminimus.

IV. Quamvis è Judæis nonnulli *Meſſiam* expectaverint, qui eos redempturus fuit licet non reſipiſcerent, uti Ethnici quidam contendunt in *Talm. Babylon. Sanhedrin, Cap.* 10. & *R. Samuel in articulis fidei Judaicæ*; communior tamen & ſanior ſententia fuit, *Meſſiam* pœnitentiam gentis requiſiturum; adeò ut alii Gemariſtæ ibidem dicant: *Si Iſraëlitæ uno die pœnitentiam agant, ſtatim venit Meſſias.*

His ritè perpenſis, haud æquum eſt mirari tantam populi turbam ad baptiſmum *Johannis* confluxiſſe. Hoc enim tempore Judæi *Meſſiam* expectabant: porrò baptiſmus communiter uſurpatus fuerat; deinde hic baptiſmus pœnitentiæ adhibitus fuit in ordine ad receptionem *Chriſti* jam nunc venturi: hæc res ſententiæ eorum de neceſſitate pœnitentiæ ante illius adventum conſona fuit.

Baptiſmus fuit [ne quid de aliis ejus finibus dicam] quaſi teſſera, quâ baptizati & ſuo baptiſ-

Digitized by Google

baptiſmo adhærentes, ſignati fuerunt, ut ſalvarentur ab impendente gentis incredulæ ruinâ. Eò propter *Johannes* eorum ad baptiſmum confluxum appellat *eorum fugam ab ira ventura*. Eodem ſenſu *Petrus* ait *per baptiſmum nos jam ſalvari*, 1 *Petr.* 3:21. Sicut olim *Arca* ſervaverat quoſdam cum mundum veterem deſtruxit Deus, ita baptiſmum ſervaret ab exitio jam impendente. Et *Act.* 2:40. huic monito, *Reſipiſcite & baptizemini*, ſubjungit, *Servate vos à generatione hâc pravâ.*

§.

MATTHÆI CAP. III. *à verſ.* 13. *ad finem.*
MARCI CAP. I. *verſ.* 9, 10, 11.
LUCÆ CAP. III. *verſ.* 21, 22.

CHRIST. XXX. Chriſtus cum cœpit agere annum triceſimum, baptizatus fuit. Eâ ætate *Joſephus Pharaoni* ſiſtebatur, *Gen.* 41:46. Eâ Sacerdotes olim munere ſuo fungi cœperunt, *Num.* 4. Eâ denique *David* regnare cœpit, 2 *Sam.* 5:4.

Jam per tres annos & dimidium in vivis futurus eſt, ut & publicus Euangelii miniſter, ſicut prædixerat Angelus *Gabriel*, *Dan.* 9:27. Et *in medietate ultimæ annorum hebdomadæ*, ibidem memoratæ, *corroborabit fœdus multis*. Dixit *R. Jochanan*, *per tres annos & dimidium ſtetit gloria Divina ſuper montem Olivarum, & clamavit, Requirite Jehovam dum inveniri poteſt*, Midr. Tillim, fol. 10. col. 4.

Hoc temporis ſpatium olim inſigne fuerat, per quod *Elias* cœlum clauſerat, *Luc.* 4:25. *Jac.* 5:17. jam verò apertum eſt cœlum. Porrò *Antiochus* per hoc ſpatium temporis Religionem ſacram conculcaverat, *Dan.* 12:7, 11. nunc demum redemptio & reſtitutio facta eſt.

Cum igitur *Chriſtus* tres annos & dimidium vixerit, & *Paſchatis* tempore mortuus fuerit, conſtat baptizatum fuiſſe menſe *Tiſri* circa *feſtum Tabernaculorum*, quo anni tempore & natus fuerat; & cum baptizaretur, viginti & novem annos tranſegerat, jam incipiens agere annum triceſimum: quibus adde tres annos & dimidum poſt ejus baptiſmum, & inde conſtat eum triginta duos annos cum dimidio natum fuiſſe cum moriebatur. Per hoc ipſiſſimum ſpatium temporis regnavit *David Hieroſolymis*, 1 *Reg.* 2:11. *Dies quibus regnavit David ſuper Iſraëlem, fuerunt quadraginta anni: Chebrone regnavit ſeptem annos, Hieroſolymis verò regnavit triginta tres annos.* h. e. *Chebrone* ſeptem annos & dimidium anni, 2 *Sam.* 5:5. & *Hieroſolymis* triginta duos annos & dimidium. Ita rectè computat *Talmud Hieroſol. Roſh Haſhan. fol.* 1. *col.* 2.

Sicut *Chriſtus* per circumciſionem membrum *Eccleſiæ Judaicæ* factus fuerat, ita per baptiſmum conſtituitur membrum *Eccleſiæ Euangelicæ*: per baptiſmum prætereà & unctionem Spiritus Sancti in functionem Miniſterii ſui receptus, ſicut olim Sacerdotes per ablutionem & unctionem.

SECTIO X.

LUCÆ CAP. III. *à verſ.* 23. *ad finem Capitis.*

Chriſti Genealogia Materna.

Matthæi Genealogia & *Lucæ*, ſicut non eandem proſapiam oſtendunt, ita nec in eundem finem inſtituuntur. *Matthæus* oſtendere proponit *Jeſum Chriſtum* fuiſſe filium *Davidi* promiſſum; *Lucas*, ſemen mulieris *Adamo* promiſſum, *Gen.* 3:15. qui ſectione ſequente cœpit conterere caput ſerpentis. Cum igitur promiſſum illud *Adamo* factum impleri cœperit in initio *Chriſti* miniſterii, & cum per Sanctum Spiritum *Meſſias* obſignaretur, divinitus intertexitur hæc genealogia.

Matthæus hanc proſapiam ducit per ſtirpem *Joſephi*, patris ejus putativi, à *Solomone*; *Lucas* per ſtirpem *Mariæ*, matris ejus, à *Nathane*. Cum enim *Judæi* eum uti *filium Davidis* conſiderabant, proſapiam maſculam eamque Regiam ſpectaturi erant, idcirco *Matthæus* eam naſcenti attribuit: ſi verò uti *ſemen mulieris Adamo* promiſſum ſpectetur, quærenda eſt materna proſapia. Et quandoquidem hoc ſemen mulieris *Satanæ* poteſtatem veritatis verbo perempturum erat, uti *Satanas* verbis mendacibus homines peremerat; aptè *Lucas* proſapiam illius, cum jam prædicare incepturus erat, ad *Adamum* uſque producit.

Proſapiam inde à Captivitate, cujus nulla alibi in Sacris Literis mentio, *Matthæus* & *Lucas* è quibuſdam tabulis, ſatis tunc temporis apud *Judæos* notis, ſumpſerunt. Dixit *R. Levi, Libellus proſapiarum Hieroſolymis repertus fuit, ubi ſcriptum eſt, Hillelem fuiſſe è ſtirpe* Davidis. Ben Jatſaph *è familiâ* Aſap, &c. *Talmud Hieroſol. in Taanith, fol.* 68. *col.* 1. Proſapiarum tabulas ſervarunt, at præcipuè familiæ *Davidis*, quia exinde *Meſſiam* oriturum credebant.

SECTIO XI.

MATTHÆI CAP. IV. *à principio ad verſ.* 12.
MARCI CAP. I. *verſ.* 12, 13.
LUCÆ CAP. IV. *à principio ad verſ.* 14.

Pugna inter ſemen mulieris & ſerpentem.

Marcus & *Lucas* hiſce verbis, *continuò ſpiritus illum expellit*, & *Jeſus regreſſus eſt*

eſt à Jordane, ſeriem hanc ſtabiliunt, adeò ut dubitari non poſſit, quin hæc hiſtoria præcedentem rectè ſubſequatur. Nonnulla tamen diverſitas reperitur inter *Matthæum* & *Lucam* quoad ordinem tentationum. Quas cum *Matthæus* ſuo proprio loco enarraſſet, [uti conſtat ex particulis τότε, *verſ.* 5. & πάλιν, *verſ.* 8.] *Lucas* in ſua enarratione non adeò de ordine, quem *Matthæus* priùs ſtabiliverat, ſollicitus, totam exhibet hiſtoriam, adeò ut ad pleniorem rei cognitionem cederet.

Sicut mater noſtra *Heva* à *Satanâ* tentabatur *concupiſcentiâ carnis*, *& concupiſcentiâ oculorum & faſtu vitæ*, vide 1 *Joh.* 2: 12. [vidit enim quod arbor erat *commoda eſui*, & *oculis deſiderabilis*, & *ad erudiendum* expetenda, *Gen.* 3. *verſ.* 6.] ita hiſce illecebris, ſi fieri potuiſſet, Tentator idem *ſemen mulieris* ſuperare ſatagebat: tentabat enim eum, ut *lapides in panem transmutaret*, ad implendam *carnis concupiſcentiam*; ut *proſtratus eum adoraret*, cum præ *oculis* haberet ſpeciem faſcinantem; denique ut in aëre *faſtuosè* volaret, ad aucupandam inter mortales gloriam. *Lucas*, ut hæc convenientia melius animadverti poſſit, ita ordinem harum tentationum, ut illarum ordini conveniret, diſponit.

Jeſus baptizatus circiter feſtum *Tabernaculorum*, ad finem ferè *Septembris* noſtri, in deſertum *Judææ* continuò abducitur,. Sancto afflatus Spiritu, pugnam illam cum Serpente aggreſſurus, quæ propoſita fuit *Gen.* 3: 15. Quadraginta dies & totidem noctes [cum ille interea temporis totus in vigiliis, jejunio & ſolitudine fuiſſet, & inter feras, uti *Adamus* olim, innocuus permanſiſſet] tentat eum Diabolus inviſibiliter, uti alios tentare ſolet; conabatur ſcilicet pravas ſuggeſtiones illi injicere; haud tamen in eo quemquam pravitatis fomitem repperit: vide *Joh.* 14: 30. Elapſis igitur diebus quadraginta aliam inivit rationem, eique denuò apparet viſibiliter formâ Angeli lucis, [ita olim *Heva* per eum decepta fuit ſpecie boni Angeli]tentatque eum *hortatu*, *Scripturâ* & *vi*; *Verbo* verò vincitur, ſuperatur & profligatur.

SECTIO XII.

JOHANNIS CAP. I. *à verſ.* 15. *ad finem Capitis.*

Johannes Chriſtum commonſtrat, & quidam è diſcipulis ejus eum ſequuntur.

NArrationis ſeries in hunc modum percipiatur. *Chriſtus* recens baptizatus continuò in deſertum proficiſcitur, & *Johannem* apud *Jordanem* relinquit *Judæam* verſus: cum *Johannes* per quadraginta tentationis dies diſcipulorum meſſem collegiſſet citrà *Jordanem*, trans *Jordanem* proficiſcitur, & *Bethabaræ* baptizat. Eò quidam Phariſæi mandato *Synedrii* perveniunt, de poteſtate illi factâ baptizandi inquiſituri: neque enim Baptiſmum demirati ſunt, ritum ſcil. qui diu apud Judæos obtinuerat, ſed illius facultatem, quâ fretus peculiari hoc more baptizavit, in jus vocantes.

Die ſubſequente *Chriſtus* in conſpectum prodit, per *Johannem* commonſtratur, & quidam è diſcipulis ejus eum ſequuntur.

Per ſex menſes *Johannes* baptizaverat in nomine *Chriſti*, quem ignoravit: vide *verſ.* 31, 32. Univerſa tantummodò gens *Meſſiam* eo tempore venturum expectavit, & *Johanni* revelatum fuerat brevi compariturum; eo nomine *Johannes* baptizavit, & ad eum confluxit populus. Illis omnibus, qui ad eum venerunt ut baptizarentur, & nunc quoque Judæorum inquiſitoribus profitebatur ſe tantum in nomine ejus, qui eum ſequuturus erat, baptizare, *cujus ſolearum haud dignus fuerat qui ſolveret corrigiam*, *verſ.* 27. Excerptum quid è *Toſaphtoth* hiſce verbis lucem afferat: אי זו היא חזקת עבדים נעל לו סנדלו והתיר לו סנדלו והוליך אחריו כליו למרחץ: i.e. *Quodnam eſt ſervi ſignum? Calceos Domini ligat & ſolvit, Dominumque ad balneum ſequens ejus utenſilia apportat.* Kidduſchin, Cap. 1. In eandem ſententiam *Maimon. Mekerah*, Cap. 2. *Servus Canaanita emitur ſicut fundus, argento ſcilicet aut ſcripto, aut miniſterio aliquo tanquam arrhabone: Quo tandem arrhabone emuntur ſervi? Scilicet ut tanquam ſervi coram Domino tractentur, ut calceos ligent aut ſolvant, & ad balneum eum ſubſequentes res ſuas apportent.*

Adeò ut hi qui jam baptizati fuerunt, qui plurimi erant, *Jeſum Nazarenum Chriſtum* eſſe haud noverint: nec quicquam amplius de *Chriſto* reſciverunt quam quod priùs illis notum fuerat, propediem ſcilicet eſſe venturum. Tantum Baptizati fuerunt in fidem in eum & in reſipiſcentiam.

At verò cum *Chriſtus* ad eum veniret ut ab eo baptizaretur, tum demum *Johanni* palam factus eſt; quem cum conſpexerat, diſcipulis etiam ſuis eum commonſtrare facile potuit. Hinc *Petrus*, (&, ut veriſimile eſt, *Johannes*) *Andreas*, *Philippus* & *Nathanael* eum ſequuntur.

SECTIO XIII.

JOHANNIS CAP. II. *totum.*

Aqua in vinum mutata.

Chriſti, *poſt baptiſmum*, *primum Paſcha.*

HÆc verba *die tertio*, *verſ.* 1. utrum intelligi debent de die tertio ex quo *Chriſtus* in *Galilæam* venit, *Joh.* 1: 44. an de die tertio, ex quo cum *Nathanaele* ſermones habuit, aut

Digitized by Google

aut de die tertio ex quo diſcipuli eum primum ſequuti ſunt, ſeriem & connexionem hujus & præcedentis Capitis abundè oſtendunt.

Circiter medium *Novembris Chriſtus* è deſerto *Bethabaram* ad *Johannem* venit, menſes ſc. quatuor ante *Paſcha*, quod ſpatium temporis *Galilæam* peragrando conſumpſit; denique domum ſuam *Capernaumi* venit. Duo hæc loca inter ſe collata, *Poſtero die voluit Jeſus abire in Galilæam*, *Joh.* 1: 44. Et, *poſteà deſcendit in Capernaumum*, &c. *manſeruntque illic non multos dies: nam propè erat Paſcha Judæorum*, *Johan.* 2: 12. palam faciunt *Jeſum* hoc tempore *Galilæam* peragraſſe, ad quam rem intervallum temporis haud modicum inſumebatur. Primum igitur ipſius miraculum, cùm aquam in vinum mutaret, factum fuit *Novembris* medio, aut paulò poſt.

Nuptiæ Judæorum certis quibuſdam ſeptimanæ feriis annexæ fuerunt: *quartâ feriâ Virgo*, *vidua quintâ ducenda erat*, *Talmud in Chetbub. Cap.* 1. (cujus conſtitutionis rationem reddere haud eſt hujus loci) Dato has nuptias *Canæ* fuiſſe nuptias Virginis, & factas quartâ feriâ, die ſc. *Mercurii*, ſequitur *Chriſtum* primum ſemet conſpiciendum præbuiſſe *Johanni*, & diſcipulis ejus apud *Jordanem* primâ feriâ, quæ poſtmodum Chriſtianum Sabbatum fuit.

Convivia nuptialia inter præcepta numerabantur: hinc Conſtitutionem ſequentem reperire eſt. *Non convenit diſcipulis Sapientium ut Conviviis, niſi quæ præcepto inſtituuntur, interſint, utpote ſponſalibus & nuptialibus*, Maimon. Deah, Cap. 5.

Sex menſes *Chriſtus*, ante hoc *Paſcha*, baptizatus fuerat, exinde per tres annos in vivis futurus, quos per tria ſubſequentia Paſchata computat *Johannes*: vide *Joh.* 5: 1. *Cap.* 6: 4. *Cap.* 18: 28. In hoc temporis intervallo, ſex menſium ſcilicet, per quadraginta dies tentatus fuerat, quoſdam diſcipulos vocaverat, & *Galilæam* peragraverat.

Hieroſolymis, *Paſchatis* tempore coram univerſo populo *Magni Prophetæ* partes egit, purgavitque Templum ſuum, *Mal.* 3:1,3. multa patrat miracula, pravas multorum cogitationes reſcivit, quibus ſemetipſum non credidit.

Invenit in Templo venditores boum & ovium, *verſ.* 14. Ad elucidationem hujus loci narratio excerpi poteſt è *Talmude Hieroſol. Jom Tob*, fol. 61. col. 3. *Quodam die* Bava ben Beta *in atrium Templi venit*, *& vacuum repperit*; (ſcilicet ſine beſtiis ſacrificii ergò) *Dixit*, *vacuæ ſint domus eorum qui domum Dei vacuam reddiderunt: Quid porrò fecit? miſit & introduxit* 3000. *Oves è Kedar & exploravit an abſque maculâ fuerint*, *denuò duxit in montem domûs*; [ſeu Atrium exterius, ubi jam *Chriſtus* boves & oves invenit] *& dixit*, *fratres mei Iſraëlitæ, quicunque vel holocauſtum vel ſacrificium ſalutare offerre in animo habet*, *offerat*.

Inter alia, quæ *Jeſus* fecerat ad repurgandum Templum ſuum, dictum eſt, *Argentariorum numulos effudit*, *menſaſque ſubvertit*, Κολλυβιστῶν ἐξέχεε τὸ κέρμα: atque ita, *Matth.* 21: 12. Maimon. Shekal. Cap. 1. *Præceptum legis affirmativum eſt*, *ut Iſraëlita quivis annuatim ſolvat ſemi-ſiclum*; *etiam pauperculus*, *qui eleemoſynis nutritur*, *hâc lege tenetur*, *pecuniam in hanc rem vel emendicare*, *vel ex venditâ tunicâ corradere.*

Talmud, Shekalim, Cap. 1. *Primo die menſis* Adar *edictum promulgari conſueverat*, *ut ſemi-ſiclum hunc paratum haberent. Die decimo quinto ejuſdem menſis Exactores in unaquaque civitate conſederunt ut reciperent: huc uſque neminem ſolvere coegerunt. Die verò viceſimo quinto in Templo conſederunt*, (octodecim ſcilicet vel novemdecim dies ante ſolennitatem Paſchatis) *& tum ſolvere coëgerunt*, *eorum bona*, *qui recuſârunt*, *diſtrahentes. Duæ arcæ coram iis fuere, in quarum unâ præſentis anni pecuniam reponebant, in alterâ præcedentis anni reſiduam. Quiſque tenebatur ſemi-ſiclum ſuo nomine ſolvendum paratum habere: cum igitur quiſquam ſiclum adferret ut pro duobis ſemi-ſiclis commutaretur, tenebatur ſolvere* קולבון לשולחני, Κόλλυβον τῷ τραπεζίτῃ, *i. e. numulario pretium quoddam lucri causâ. Cum pro duobus ſiclus allatus fuiſſet, duplex lucrum numulario debitum erat.*

SECTIO XIV.

JOHANNIS CAP. III. *totum.*

Nicodemus. Diſcipuli in nomine Jeſu baptizant.

PRiuſquam Salvator noſter *Hieroſolymas* reliquerat, venit ad eum *Nicodemus*, quidam è Judicibus *Synedrii* magni, & factus eſt illius Diſcipulus. Neque enim alibi magni illius Concilii membrum tam veriſimiliter expectare licet ac *Hieroſolymis*. Per illius miracula diluculum dierum *Meſſiæ*, ſeu *regni Cælorum* perſenſerat. Cùm verò craſſè & falſò de *regno Cælorum*, ſeu ſtatu illius temporis ſenſiſſet, (uti maxima pars gentis oberraverat) eâ de re rectè ſentire docetur: porrò de regeneratione & fide in *Chriſtum*, magni momenti Articulis, edoctus eſt. *Chriſtus* enim de regeneratione per Spiritum & aquam agens, baptiſmum extollit, & *Nicodemum* ad baptiſmum invitat. Apud *Talmudiſtas* mentio eſt cujuſdam *Nicodemi*, qui hoc tempore vixit, cui id muneris incubuit, aquam populo abundè propinandam in ſolennitatibus ſuis parare.

Edoctus eſt, contra communem gentis errorem, *Meſſiam Ethnicis* pariter ac *Judæorum* redemptorem

Digitized by Google

demptorem fore. Judæi vulgò appellabant *Ethnicos* אוכות העולם, i. e. *Gentes mundi.* Terram diſpertiebant in חוצה לארץ וארץ ישראל, i. e. *Terram Iſraëlis*, & *extra terram*; populum etiam in אומות העולם & ישראל, i. e. *Iſraëlem*, *& gentes mundi.* Novum Inſtrumentum, quod plerumque vulgarem illorum loquendi modum uſurpat, per utrumque loquendi modum Ethnicos indigitat, nonnunquam eos appellans *illos qui ſunt extra*, alibi *mundum*.

Nicodemus facile hunc vulgarem loquendi modum intellexit, dicente *Chriſto*, *Ita Deus dilexit mundum ut Filium ſuum dederit.* Probè etiam novit *Chriſtum* hiſce verbis contradixiſſe eorum vulgari & inclementi hallucinationi, quâ credebant *Meſſiam* ſolummodò *Iſraëlitas* redempturum: [exceptis tantum illis Ethnicis, qui *Judaiſmum* in ſe reciperent] reliquos verò Ethnicos penitus perditurum. Plurima indicia hujus inclementiæ edere facile foret; ſufficiant duo vel tria. Talmud Hieroſol. Taanith, fol. 64. col. 1. *Diluculum venit*, *etiam nox*; *Iſraëli diluculum*, *nox Gentibus mundi:* loquuntur de *Meſſiâ* venturo, & citant *Eſaj.* 21: 12. Midr. Till. in Pſalm. 2. *Tritura venit*, *ſtramen in ignem projiciunt*, *paleam in ventum, in areâ verò conſervant triticum; hoc quicunque videt, capit & oſculatur.* כאוכות העולם, *Ita ajunt Gentes mundi, noſtri causâ factus fuit mundus: illis verò dicit Iſraël, an non ſcriptum eſt? Erit autem populus tanquam exuſtio fornacis calcariæ: Iſraël verò tempore venturo* [לעתיד לבוא ſc. tempore *Meſſiæ*, juxta conſuetum loquendi modum] *ſolus erit, ut ſcriptum eſt, Dominus ſolum ducet eum*, *neque erit cum eo Deus extraneus.* Baal Turim in *Num.* 24: 8. in ea verba, *Conſumet gentes inimicas ſibi*, *& oſſa eorum franget*; notat literam ע donatam peculiari quodam ſigno, quod præmonſtrat *eradicaturum ſeptem Gentes* [*Canaanitarum* ſcilicet] *& tempore venturo* [לעתיד לבוא] *reliquas ſexaginta tres gentes*, i. e. univerſas ſeptuaginta Gentes Mundi. Aliter Chriſtus: *Ita Deus dilexit mundum*, i. e. *Ethnicos*: & *non miſit Deus filium ſuum* Chriſtum, ut *Mundum*, ſeu *Ethnicos* damnet, *ſed ut ſervetur* mundus *per eum*.

Poſt hoſce cum *Nicodemo* ſermones habitos *Jeſus*, *Hieroſolymis* relictis, in *Judæam* tranſit, ubi diſcipulos ſuos in ſuo baptizare nomine jubet. Cum enim *Johannes* ſolummodò baptizaſſet in nomine *Chriſti*, quique ab eo baptizati fuerunt, quis fuerit *Chriſtus* ignoraverint, Diſcipuli ejus baptizant in nomine *Jeſu Nazareni*, eum eſſe *Chriſtum* oſtendentes, in cujus nomen *Johannes* baptizaverat.

Johannes ipſe adhuc in *Ænon* in *Galilæâ* baptizat, cum peragraſſet *Judæam Jordanem* verſus, nec non *Peræam* trans *Jordanem*, & eò venerat ubi propediem deſiturus ſit.

Hoc Capite hiſtoria ſex menſium continetur, & paulò amplius, viz. à Paſchate [dato quod tunc temporis cum *Nicodemo* habitus fuerit ſermo] ad plus quam finitam *Scenopegiam.* Annus tum elapſus fuerat ex quo *Chriſtus* baptizatus fuerat, & annus & ſex menſes ex quo *Johannes* baptizare cœpit.

SECTIO XV.

LUCÆ CAP. III. *Verſ.* 18, 19, 20.

Johannes incarceratur.

A Præcedentis ſectionis verſu ultimo nihil de *Johanne* in ullo Euangeliſtarum dictum reperimus, uſque dum in carcerem conjectus fuerat. Adeò ut hæc *Lucæ* verba, de illius incarceratione ſcilicet, jure præcedenti ſectioni ſubjuncta ſint. Obſervandum intereà quam aptè primus hujus & ultimus præcedentis ſectionis verſus cohæreant. *Lucas* quidem, in animo habens una vice effecta prædicationis *Johannis* referre, per anticipationem narrationem incarcerationis *Johannis*, illi de *Chriſto* baptizato, præmiſit. Phariſæi, Sadducæi, Publicani, milites reliquuſque populus doctrinam ejus amplexi ſunt, cum peccata eorum redargueret, eoſque erudiret: cum verò *Herodem* reprehenderet, haud adeò facilem reperit eum, ſed ab eo in carcerem conjectus fuit. Tempus incarcerationis illius ediſcere licet ex eo tempore, quo *Chriſtus*, ſaluti ſuæ conſulens, ſubduxit ſe, cum de *Johannis* incarceratione inaudiverat, quod medio *Novembris* factum fuiſſe conſtabit. Verno tempore anni elapſi, abhinc circiter menſes octodecim vel novendecim, *Johannes* prædicare & baptizare cœperat.

SECTIO XVI.

JOHANNIS CAP. IV. *totum.* MATTHÆI CAP. IV. *verſ.* 12.

Chriſtus apud fontem Jacobi: Samaritanos convertit: Ægrotum ſanat, &c.

CHriſtus in *Judæâ* agebat cum *Johannes* CHRIST.
prehenſus fuerat per *Herodem* in *Galilæâ*. XXXI.
Præ ſe ferebat innovationis periculum è turbâ diſcipulorum *Johannis*; at reverà tum *Herodis*, tum *Herodiadis* inimicitias contraxit *Johannes* ob apertam reprehenſionem inceſti illorum. *Phariſæi Hieroſolymitani* propediem certiores fient, quid factum fuerit de *Johanne*, qui illis offendiculo fuerat; & quid in eo *Herodes* incuſaret, diſcrimen ſcilicet è turbâ diſcipulo-

rum

Digitized by Google

rum ejus. Ut ergo cognovit Salvator noſter illos audiſſe ipſum plures diſcipulos facere quam *Johannes* fecerat, adeòque eo nomine in pari poſitum diſcrimine, *Judæam* reliquit, & abiit in *Galilæam* extra tela eorum. An verò cum in *Galilæâ* eſſet, extra tela eorum etiam fuit?

Quo tempore abiit in *Galilæam* è *verſu* 35. colligere licet, ſcilicet cum *quadrimeſtre ſpatium ſupereſſet ad meſſem*, i.e. ad Paſcha: incipiebat enim meſſis eorum die ſecundo ſeptimanæ Paſchalis, *Levit.* 23: 11, &c. Hinc de tempore, quo *Johannes* in carcerem conjectus eſt, conjecturam facere licet à ratione minimè abhorrentem. *Chriſtus* in agro *Sichar* fuit circa finem *Novembris*, cum quadrimeſtre ſpatium ſupereſſet ad Paſcha, & ſimulac de *Johannis* incarceratione inaudiverat, iter illud fecit, *Matth.* 4: 12. Jam annum ætatis triceſimum primum iniverat.

Cum in *Galilæam* venerat relictâ ſuâ Civitate *Nazarethâ*, *verſ.* 44. (cujus cives inter quos tenuiter enutritus fuerat, nullam ſui rationem habituros noverat) *Canam* petit, ubi primum ſuum miraculum patraverat. Ibidem verbo ſuo ſanat quendam, qui *Capernaumi* ægrotus erat. Filius erat βασιλικοῦ τινὸς, *cujuſdam qui partes Regis*, *Herodis* ſenioris ſcilicet, *ſequebatur*; cui plurimi illuſtres & docti Judæi operam dare in ſe ſuſceperant, victi ſcilicet aulæ blanditiis, licet ea res malè alios haberet, & reclamante eorum animo facta fuerit, *Juchaſin*, *fol.* 19.

SECTIO XVII.

LUCÆ CAP. IV. *à verſ.* 14. *ad verſ.* 31.
MARCI CAP. I. *verſ.* 14.

Chriſtus in Synagoga Nazarethæ prædicans in periculum vitæ ſuæ venit.

CHriſtus denuò *Hieroſolymis* in *Galilæam* venit, relictâ *Judæâ*, ubi diu commoratus fuerat. Lector perpendat quantum χάσμα (ſi ita vocare liceat) fit in narratione *Lucæ*, qui à *Chriſti* in deſerto tentatione ad adventum ejus in *Galilæam*, nullâ re interpoſitâ, tranſit; cum tamen unius anni narratio intervenerit. Hujuſmodi χάσμα prius obſervavimus *Cap.* 2. *verſ.* 39.

Cum primum iter hoc inſtituens *Galilæam* peteret, civitatem ſuam *Nazaretham* devitat, quia novit prophetam in ſuâ patriâ ſine honore verſari: jam verò cum aliquandiu totam regionem peragraſſet, famaque ejus apud incolas volitaſſet, tandem civitatem ſuam petit, quam acceptus foret expectans. Ibidem [tanquam Synagogæ membrum] *Maphtir* ſeu publicus anagnoſtes ſecundæ ſectionis propheticæ ſcilicet eo die legendæ, cooptatur. Cum verò in ea verba quæ legerat, commentaretur, & vocationem Ethnicorum inſinuaret, *Eliæ* & *Eliſæ* cum quibuſdam Ethnicis acta referens, & ſimul eâ ratione pravitatem *Nazarethæ* perſtringens, in periculum vitæ venit, & ſemet liberat miraculo quodam.

In Synagogis ad hunc modum prædicat, & autoritatem *Prophetæ* oſtendit. Et uti prius eam autoritatem per miracula alibi oſtenderat, ita jam *Nazarethæ* per lectionem ſectionis propheticæ: quæ cum pro more *linguâ Hebraicâ* legenda eſſet, quæ tunc temporis perierat, & ſolummodo ſtudio acquiri potuit, per hanc ſuam linguæ hujus cognitionem, quam per inſtitutionem haud acquiſiverat, propheticum ſuum Spiritum palam facit. Anagnoſtes tum Legis tum Prophetarum, interprete uti ſolitus fuit, qui quod lectum fuerat, è textu Hebraico in linguam vernaculam traduxit, & nonnunquam textum elucidavit, [uti Chaldæus Targumiſta fecerat, præſertim in Prophetas] nec *verbatim* ſemper reddidit. *Gemariſtæ Hieroſolymitani* hujus moris exemplum exhibent in *Sanhedrin*, fol. 20. col. 3. *Joſephus Maonita in Synagoga Tiberiadis interpretatus fuit hæc verba.* Audite hoc omnes populi, *cur legi operam non datis? An non dono vobis dedi Synedrium?* Et Audi Domus Iſraël: *Cur Synedrio non redditis donum apud Sinai conſtitutum?* Et Audi Domus Regis, quia ad vos judicium: *Ad vos loquor, ſed judicium ad ſacerdotes, veniam & cum illis in judicio ſedebo, & ex hoc mundo exterminabo eos.* Ita *Chriſtus* cum ſectionem Propheticam legeret, Interpretis & Paraphraſtæ munere fungitur.

SECTIO XVIII.

MATTHÆI CAP. IV. *verſ.* 13, 14, 15, 16, 17.
MARCI CAP. I *verſ.* 14, 15.

Chriſtus Capernaumi in finibus Zabulon & Napthalim, &c.

CUm *Matthæus* initio hujus ſectionis *Chriſtum Nazaretham* reliquiſſe dicat, *Lucas* ſub finem præcedentis cauſam narrat, viz. quod ibi vitæ periculum ſubiiſſet; hinc connexio ſatis conſtat.

In finibus *Zabulon* & *Napthalim* Captivitas primo cœpta eſt, 2 *Reg.* 15: 29. ibidem *Chriſtus* cœpit appropinquationem *regni cælorum* & redemptionis, publicitus & magis luculenter prædicare. Cum poſt Captivitatem terra repleri cœperit, *Galilæa Samaritaniſmum* effugit, & ad hoc faſtigium honoris evehenda ſervabatur, ut ibidem primum *Chriſtus* Evan-

Digitized by Google

gelium prædicaret: & uti ea regio ante Captivitatem plurimos è decem Tribubus incolas habuit, ita denuo redeuntibus è *Babylonià Zorobabelis* & *Ezræ* temporibus, quibuſdam è decem Tribubus repletam fuiſſe exiſtimare licet. Nam I. promulgatum per *Cyrum* edictum fuit, ut liceret quibuſcunque è proſapia *Judæorum* per totum regnum ſuum *Hieroſolymas* aſcendere, *Ezræ* 1: 3, 4, 5. Decem Tribus intra limites regni ſui fuiſſe dubitari non poteſt: & vix credi poteſt ita penitus Dei & patriæ immemores fuiſſe, uti, cum liberum foret redire, recuſarent. II. Reperire eſt *Ezræ* 2: 64. *ſummam totalem* eorum, qui redierunt è Captivitate, promulgato Edicto, fuiſſe 42360. Ibidem ſingulæ familiæ numerantur, quæ ſummam iſtam confecerunt; videre eſt tamen ſummam totalem ſingularum familiarum minorem prædictâ ſummâ circiter 16000. Ubi jam quærendus numerus hic 16000. qui non reperitur in prædictis familiis? Cum enim familiæ prædictæ Tribubus *Judæ* & *Benjamin* aſcriptæ fuerint, 16000. decem Tribubus haud malè tribuuntur. III. Cum conſtet redeuntes, qui fuerunt è Tribubus *Judæ* & *Benjamin*, incoluiſſe *Judæam*, vix dubitare licet quin nonnulli è decem Tribubus *Galilæam* repleverint. Hinc eorum *linguæ* ab Hebræorum, qui *Judæam* incolebant, nec non morum diverſitas; hinc poſt Captivitatem certæ cuidam proſapiæ è decem Tribubus nonnulli aſcripti fuerunt, uti *Hanna*, Tribui *Aſher*, *Luc.* 2: 36. *Ben Cobiſin è proſapia Ahab:* Talmud Hieroſol. in Taanith, *fol.* 68. *col.* 1.

Hic primus reditus decem Tribuum ponendus eſt: veriſimile porrò eſt, maximam duodecim Apoſtolorum partem, & multos è reliquis diſcipulis, qui *Chriſtum* plerumque ſecuti ſunt, è quibuſdam inter decem Tribus ortos fuiſſe.

SECTIO XIX.

LUCÆ CAP. V. *ab initio ad verſ.* 12.
MATTHÆI CAP. IV. *verſ.* 18, 19, 20, 21, 22.
MARCI CAP. I. *verſ.* 16, 17, 18, 19, 20.

Petrus & Andreas &c. *Piſcatores hominum conſtituti.*

METhodus & Series per *Matthæi* & *Marci* tranſitionem confirmantur. Narrationis ordo, quem *Lucas* uſurpat, aliquantulum difficilis eſt. I. Vocationem horum diſcipulorum non eo modo, quo alii, refert. Ajunt enim illi, *Chriſtum* vocaſſe *Petrum* & *Andream*, ut ambulabat juxta mare; Hic verò, cum *Chriſtus* cum iis in navi unâ eſſet. Illi referunt, eum *Jacobum* & *Johannem* vocâſſe, aliquo temporis intervallo elapſo ex quo *Petrum* & *Andream* vocaverat; Hic verò eum omnes ſimul vocaviſſe inſinuat. Hæc non pugnant, ſed ad uberiorem elucidationem cedunt. Eandem tradunt veritatem, & ſeſe mutuò explicare operam dant. Plena ex omnibus narratio ita ſe habet: ut *Jeſus* ambulavit juxta mare *Galilææ*, ibidem duas naves vidit, *Petri* & *Andreæ* alteram, alteram *Jacobi* & *Johannis*: hi omnes, ſocii ſcilicet, per totam noctem fruſtrà in piſcando laboraverant, & jam naves egreſſi retia lavabant. *Chriſtus* in littore compreſſus turbâ, ingreditur in *Petri* naviculam, deque eâ populum docet. Hinc paulùm in profundum provectus *Petrus* capturâ piſcium miraculoſâ donatur: tanta vis piſcium cum fuerit, *Jacobo* & *Johanni*, qui in littore fuerunt, ſigno indicavit ut adnavigarent & opem ferrent. Captis & in ſcaphas receptis piſcibus *Jacobus* & *Johannes* ad littus regreſſi retia, imparia ſcilicet tanto piſcium ponderi, adeoque lacerata, reſarciunt. *Petrus* hæc cum vidiſſet, *Chriſtum* adorat: tum ille, tum *Andreas* in mari commorantes, ab eo Piſcatores hominum conſtituti ſunt, & navigium ad littus admoventes, omnibus relictis eum ſequuntur. *Chriſtus* unà cum illis per littus paulùm progreſſus *Jacobum* & *Johannem* conveniunt, eoſque vocat. Hæc plena eſt hujus rei narratio.

II. Alia difficultas in ſerie narrationis *Lucæ* hæc eſt, viz. quod bina miracula, ejectionem ſcilicet Dæmonis in Synagoga *Capernaumi*, & ſanationem ſocrûs *Petri*, vocationi horum diſcipulorum, quam prius contigiſſe ex hoc Euangeliſta conſtat, præmiſerit. Cujus ratio potiſſimum concipi poſſit eſſe hujuſcemodi. Narraverat *Cap.* 4. *verſ.* 30, 31. *Jeſum Nazarethâ* elapſum veniſſe *Capernaumum*: cujus rei cum faceret mentionem ſimul narrat bina miracula ab eo ibidem edita, (licet non eo tempore facta fuerint) habitâ ratione loci potius quam temporis. Ita alibi obſervare licet, ſacros hos Scriptores, factâ prius loci cujuſdam mentione, eâ cauſâ res geſtas & loco ſuo addicere, licet alio tempore haſce res contigiſſe conſtet.

Hi diſcipuli hucuſque uti homines privati *Chriſtum* ſequebantur, & jam primum ſolummodo facta eſt mentio eorum, ut qui ſcilicet ad miniſtrorum munus, ut ſint *hominum piſcatores*, deſignati fuerunt. Quomodò igitur ante hæc baptizarunt? *Joh.* 3: 22. cum *Joh.* 4: 2. Hæc objectio in mentem revocat dictum illud Apoſtoli, 1 *Cor.* 1: 17. *Non miſit me Chriſtus ut baptizarem, ſed ut Euangelium prædicarem.* An igitur privatis hominibus baptizare licet? an ἀσύςατα ſunt baptizatio & prædicatio? Reſp. Duo requiſita fuere Baptiſmi, prout

Digitized by Google

prout apud Judæos ſub lege, ut ritus admittendi Proſelytos, uſurpatus fuerat, I. צריך לטבלו בפני שלשה i.e. *Baptizandum coram tribus baptizari oportet.* II. הדבר היה צריך בית דין i.e. *hoc negotium conſeſſum exigebat*, ut fieret autoritate ſenatus cujusdam. *Et quoniam conſeſſum exigebat* [inquit *Maimon.* cujus & ſuprà dicta ſunt] *die Sabbati, aut quovis die feſto, aut noctu non baptizabant. Et qui ſeipſum baptizaverat, & ſe proſelytum fecerat, licet coram duobus teſtibus; aut qui dixerit, proſelytus factus ſum in hujus vel illius conſeſſu, & baptizatus, haud datur copia in Eccleſiam ut recipiatur, niſi prius adduxerit teſtes*, Maimon. Iſſure Biah, pag. 13. Tanta uſi ſunt cautelâ, quia Religio illis fuit, conſueſcere aut matrimonium contrahere cum Ethnicis; priuſquam eos *Iſraëlitas* factos eſſe conſtaret.

Chriſtus & Apoſtoli in baptizando, aut eorum morem ſequuti ſunt aut reſpuerunt, ut iis viſum fuit. Concionatur & diſcipulos vocat (ſequutus eorum hic morem) qui baptizant. *Chriſtus* interim primariò ſpectatur, & eò propter eum baptizaſſe ſcriptum legimus, alibi verò eum non baptizaſſe. Porrò diſcipuli haud ut privati homines ſpectandi ſunt, arctiſſimè quippe *Meſſiæ* adhærentes, neque ſolum per eum converſi, ſed ut cum eo eſſent, vocati, & per eum deſignati, ut, cum ei viſum foret, in functionem miniſterii ſolenni modo admittantur.

Denuò quod dicit Apoſtolus, ſe *non baptizare ſed prædicare* miſſum fuiſſe, hæc inter ſe pugnantia non facit; quę conjuncta reperimus in ea facultate, quæ per *Chriſtum Paulo* reliquiſque *Miniſtris* conceſſa eſt, *Matth.* 28:19. At loquitur juxta præfatum morem, quem ſequuti ſunt Apoſtoli; qui, cum plurimi diſcipuli ut baptizarentur, confluerent, (quos concionibus ſuis eò impulerant) eos ab aliis baptizari permiſerunt, illiſque non privatis hominibus, ſed *συνέργοις* & Euangelii Miniſtris.

Piſcatores hominum] Maimon. Talm. Torah, pag. 7. de quibuſdam דייג' תורה, i.e. *Piſcatoribus legis* loquitur.

SECTIO XX.

MARCI CAP. I. *à verſ.* 21. *ad verſ.* 40.
LUCÆ CAP IV. *à verſ.* 31. *ad finem Capitis.*
MATTHÆI CAP. VIII. *verſ.* 14, 15, 16, 17.

Dæmon ejectus in Synagogâ Capernaumi. *Socrus* Petri, *aliique ſanati.*

Si quis perpendat ut *Marcus* à præcedente ad hanc narrationem tranſit, liquidò illi conſtabit Ordo: *Chriſtum* diſcipulos ſuos vocaviſſe narraverat, ſubjungens, *& illi* Chriſtus ſcilicet unà cum diſcipulis recens vocatis) *ingrediuntur Capernaum*, civitatem ſuam.

Ibidem Sabbato in Synagoga ejecit Dæmonem, qui *Jeſum* eſſe *Meſſiam* cum profiteretur, terrere populum ſatagebat quo minus eum reciperent. A Synagoga, *Petri* domum petunt ibidem pranſuri, ubi illius Socrum febri laborantem ſanat. Poſt occaſum ſolis, Sabbato finito, plures ad eum ducuntur & ſanantur: Ab occaſu ſolis Sabbatum inceperunt, cumque occidiſſet ſol, finiebant, *Talmud Hieroſol. Sheviith, fol.* 33. *col.* 1. Celebrandi ritus (ut paucis expliccm) hujuſmodi fuit. Nam hujus rei animadverſio cedit ad elucidationem quorundam Euangelii locorum, ubi Sabbati frequens facta eſt mentio.

Veſpera Sabbati, ſeu dies præcedens, *dies præparationis* Sabbati appellabatur, *Lucæ* 23:54. & à pomeridiano ſacrificio & deinceps, Sabbato ſe præparare cœperunt, & ab operibus abſtinere, adeò ut tonſorem non peterent, nec in Judicio ſederent, &c. neque deinceps comederent donec inciperet Sabbatum: neque porrò eas res committerent, quæ conjunctæ opus ſuum conficerent, niſi confectum foret priuſquam inciperet Sabbatum. viz. *Gallas & vitriolum ut atramentum conficerent, immergere noluerunt, niſi ſatis madefacta forent cum dies eſſet, & priuſquam veſpera Sabbati advenerat; neque lanam tingebant, niſi ſatis infecta foret dum adhuc dies fuit. Neque linum in clibanum conjicere fas fuit, niſi futurum eſſet ſatis aridum dum eſſet dies*, Talmud in Shabb. Pag. 1.

Faciem, manus pedeſque aquâ tepidâ lavabant, quo nitidiores forent in adventum Sabbati. In more erat apud priſcos ſapientes diſcipulos ſuos congregare & dicere: *Obviam eamus Regi Sabbato.* Maimon. in Shabb. Pag. 36.

Sub occaſum ſolis, appropinquante Sabbato, lucernas Sabbatinas accenderunt. *Viri & fœminæ tenebantur Sabbato lucernam accenſam in domibus habere, licet adeò pauperes eſſent ut oleum eò propter emendicare cogerentur. Accenſio lucernæ inter ea cenſebatur, quæ Sabbatum delicias fecerunt. Fœminæ præſertim tenebantur huic rei operam dare, &c.* Ibid.

Præceptum magni momenti cenſebant, *Sabbatum ſanctificare quibuſdam verbis*, quia dictum eſt, *recordare dies Sabbati, ut ſanctifices illum.* Et proptereà duo hæc fecerunt; viz. ſolenni formula verborum utebantur, ut, cum inciperet, ſanctificarent, קידוש vocantes; & aliâ verborum formula ſub exitum illius, quam הבדלה appellabant.

Dum inciperet, hoc ſolenni ritu ſanctificabant. Menſam ſternunt & epulis inſtruunt, lucernâ

lucernâ Sabbatinâ propè lucente. Paterfamilias cyathum vini accepit, & cum prius recitaverat quod ſcriptum eſt *Gen.* 2: 1, 2, 3. ſuper vinum benedixit, & ſanctificantem ſabbati benedictionem enunciavit, & vinum ebibit: tum demum reliqui domeſtici biberunt, deinde manus lavabant & comedebant. Hæc lucem afferunt carminibus *Perſii*, *Sat.* 5.

——— ——— At cum
Herodis venere dies, unctaque feneſtra
Diſpoſitæ pinguem nebulam vomuere lucernæ
Portantes violas, rubrumque amplexa catinum
Cauda natat thynni, tumet alba fidelia vino:
Labra moves tacitus, recutitaque Sabbata palles.

Solebant Sabbato epulari, eaque ratione diem honeſtare ſe obſtrictos credebant. Primum epulum inſtituebant cum jam inciperet Sabbatum ſub occaſum ſolis. Etiam pauperes eleemoſynarii Sabbato ter epulari tenebantur: ditiores lautiores epulas, ſaltem non eaſdem, quas aliis diebus conſumere aſſueverant, parare tenebantur.

Manè Synagogam petunt ad preces matutinas, quibus peractis domum redeunt & ſecundas epulas comedebant. Poſt hæc *Beth Midraſch* (Scholam ſcilicet Theologicam) petunt, & ibidem tempore pomeridiano diu commorati domum redeunt, & tertias epulas comedebant; & continuè edebant & bibebant donec exiret Sabbatum.

Sub exitum Sabbati, ſeu occaſum ſolis Paterfamilias denuò ſuper cyathum vini benedixit, tum ſuper lucernam ejus (nam lucernam exitus accenderat) poſtea ſuper aromata quædam, quibus utebantur ad recreandum vel in vitam revocandum quemvis, qui præ mærore ob exitum Sabbati deliquium pateretur. [Hanc cauſam ipſi aſſignant] Tum demum pronunciavit הבדלה i. e. *benedictionem ſeparationis*; Sabbatum ſcilicet quod jam exibat, ſegregans à profeſto die jam ineunte: quibus peractis ille, ut & reliqui domeſtici, cyathum vini ebibit & rurſus epulabatur.

Par eſt ut redeamus tandem ad Euangeliſtas noſtros: Inverſus *Lucæ* ordo hoc in loco luculentius, quam prius, conſtat. Nam initio Capitis quinti vocationem diſcipulorum narrat, & ſub finem quarti ejectionem Dæmonis in Synagogâ *Capernaumi*, quæ eorum vocationem ſubſequuta eſt. Hunc ordinem uſurpat, (quæ prius de hac re dicta ſunt, prætermiſſis) quia ultimo verſu Capitis quarti prædicationem *Chriſti* in univerſis Synagogis narraverat, eò propter initio Capitis quinti vocationem diſcipulorum refert, ut *Chriſtum* peragrationem illam, illis comitantibus, inſtituiſſe oſtenderet. Ad quam rem etiam inſinuandam *Matthæus* vocationi eorum hanc peragrationem ſtatim ſubjunxit, *Matth.* 4: 22, 23. quanquam interea temporis aliæ res geſtæ fuerint, quas procul ab hoc loco narravit; uti de ſocru *Petri* in hac ſectione memoratâ. Dixerat *Matthæus*, Cap. 4: 23. *Obibat totam Galilæam Jeſus, docens in Synagogis eorum, & prædicans Euangelium regni, curanſque omnem morbum.* Doctrinam igitur illius primum narrat, concionem illius in monte referens; tum demum illius miracula, *Cap.* 8. & primum narrat ſanationem leproſi, quod primum miraculum patravit in eâ peragratione; & poſtea ſanationem ſervi Centurionis, quod primum, finitâ concione in monte, miraculum edidit; & ibidem factâ mentione unius miraculi *Capernaumi* editi, aliud etiam narrat, [licet non eo tempore ſed prius editum] ut ſimul eo loco miracula patrata enarraret. Ita demum methodi illius ratio liquidò conſtat. Ubi denuò obſervare licet, quod & ſupra annotatum fuit, viz. ſacros hos ſcriptores, facta prius loci cujuſdam mentione, res geſtas narrare haud eo quo geſtæ fuerunt tempore, quia ſimul & una vice, quæ eo loco facta fuerint, narrare ſategerunt.

SECTIO XXI.

MATTHÆI CAP. IV. *verſ.* 23, 24, 25.

Tertia peragratio Galilææ.

INitio hujus & fine præcedentis ſectionis collatis liquidò conſtat ordo & ſeries.

Chriſtus bis *Galilæam* peragraverat, ex quo baptizatus fuerat; verum ſolus, aut paucis comitatus: jam verò diſcipulis ejus & permagnâ turbâ comitantibus; & fama ejus per totam *Syriam* percrebuit. *Syria* Judæis admodum repleta fuit, & variis nominibus terræ *Canaan* æquiparata. *Adeò ut controverſum fuerit inter ſapientes noſtros*, [inquit *R. Menahem in Deut.* 11.] *an* Syria, *per* Davidem *ſubjugata*, *terra* Iſraëlis *fuerit*, *nec ne*.

Triplici nomine, ajunt, Syria *terræ* Iſraëlis *æquiparatur*, *& triplici nomine ethnicorum regionibus. Polluit pulvis non aliter, ac pulvis regionum Ethnicorum. Qui libellum repudii è* Syriâ *offert*, *eſt quaſi afferens è regione Ethnicâ*; *pariter ſervum ſuum in* Syriam *vendens. Triplici nomine terræ* Iſraëlis *æquiparatur. Emens agrum in* Syria, *par ei eſt qui emerat in ſuburbiis* Hieroſolymarum; *porrò decimis & anno Sabbatico tenetur. Præterea munda eſt ei, qui in munditie ſuâ eam petere poteſt.* Toſaph. Kelim, pag. 1.

SECTIO

Digitized by Google

CHRIST. XXXI.

SECTIO XXII.

MARCI CAP. I. *à verſ.*40. *ad finem Capitis.*
LUCÆ CAP. V. *verſ.* 12, 13, 14, 15, 16.
MATTHÆI CAP. VIII. *verſ.* 2, 3, 4.

Leproſus ſanatur.

E *Marco* & *Luca* liquido conſtat ordo: Ratio, ob quam *Matthæus* hanc narrationem aliter diſpoſuit, jam nunc commemorata fuit. Quæ cum à quibuſdam non perpenſa fuerit, haud eandem hanc *Matthæi* & reliquorum Euangeliſtarum narrationem eſſe autumant; verum exiſtimarunt de binis Leproſis ſanatis diverſo tempore, verba facere: cum tamen Sermones Leproſi, nec non dicta & facta *Chriſti* apud tres Euangeliſtas fidem faciant, eandem plane narrationem fuiſſe. Neque tamen hallucinatio hujuſmodi contigerat, ſi ratio diſlocationis *Matthæi* perpenſa fuiſſet.

Leproſi apud *Iſraëlitas* intra urbes non admiſſi fuerunt, uſque dum Sacerdotes mundos fuiſſe denunciaſſent, & eâ demum ratione eccleſiæ reſtituiſſent: neque enim Sacerdotes ſanare, ſed dignoſcere ſolum morbum potuere; & qui mundi denunciati ſunt, non penitus morbo erant ſoluti, ſed ſolummodo ſeparatione ſuâ, qua à populo ſummoti erant. Porrò Lepra manſit, licet à Sacerdote mundi pronunciati fuerint, [quæ res peccatum originis luculenter repræſentavit] evanuit contagii periculum cum publici conſortii poteſtas eis data fuerit. Dato, Leproſum hunc haud pronunciatum fuiſſe mundum per Sacerdotem, ſequetur eum fide vel ſtudio ſummo ſanitatis, aut utriuſque ſimul impulſum, legem latam violaſſe, cùm ad *Chriſtum* in urbe agentem perrupiſſet, *Luc.* 4: 12. Si prius per Sacerdotem mundus pronunciatus fuiſſet, *Chriſtum* convenit ut à morbo ſanaretur; Sacerdos enim ſolummodo mundum pronunciaverat: etenim Sacerdotes quod *ad cætum* mundum pronunciabant; *Chriſtus* vero ipſum mundum reddidit.

SECTIO XXIII.

MARCI CAP. II. *ab initio ad verſum* 15.
LUCÆ CAP. V. *à verſu* 17. *ad verſum* 29.
MATTHÆI CAP. IX. *à verſu* 2. *ad verſum* 10.

Paralyticum ſanat Chriſtus: *remittit peccata:* Matthæum *vocat.*

E *Marco* & *Luca* conſtat ordo. *Matthæi* verò diſlocatio narrationis hujus aliquid difficultatis præbet; ad quam amovendam incipiendum à fine hujus Sectionis, è cujus ordine confirmato, ſeries initii hujus Sectionis conſtabit. Narrationem vocationis *Levi* à narratione convivii, quod *Chriſto* poſt vocationem ejus fecit, ſegregavimus; licet Euangeliſtæ omnes, qui hanc rem tractarunt, ſimul hæc enarraverant. Duplici de cauſa haſce narrationes, in textu licet conjunctas, ſegregavimus: I. Indubiè conſtat, è ſerie narrationis & Euangeliſtarum hucuſque progreſſu, vocationem *Levi* hoc tempore contigiſſe, uti in fine hujus Sectionis ponitur. II. Conſtat porro Convivium illius diu poſt ejus vocationem factum fuiſſe. Dicit enim *Matthæus*, *eo loquente* (viz. de jejunando & immittendo panniculum novum in veſtimentum vetus, quæ dicta fuiſſe in convivio *Levi*, vel quam proximè, narrant reliqui Euangeliſtæ) *venit ad eum* Jairus: vide *Matth.* 9: 18. *Marc.* 2: 15, 18, 19. *Luc.* 15: 29, 33. Conſtat verò è ſerie narrationis *Marci* & *Lucæ*, plurima contigiſſe & intervallum temporis haud exiguum, inter vocationem *Matthæi* ſeu *Levi*, & adventum *Jairi*, interceſſiſſe. *Levi* vocatur *Marc.* 2: 14. & *Luc.* 5: 27. *Jairi* adventus primum memoratur *Matth.* 9: 18. & *Luc.* 8: 41. Cum vero verba illa, quæ Chriſtus fecit, cum ad eum veniret *Jairus*; *Matth.* 9: 18. in convivio *Levi* dicta fuerint, *Luc.* 5: 29, 33. conſtat illius Convivium diu poſt vocationem factum fuiſſe; eò propter in hac Harmoniâ Euangelicâ haſce narrationes ſegregavimus. Fatendum tres Euangeliſtas haſce narrationes ſimul referre, quia res geſtas *Levi* una vice narrare in animo habuerunt. *Marcus* & *Lucas* quod in Convivio illius contigit, narrant; hoc peracto, quæ vocationem ejus proxime ſequebantur, denuò commemorant.

Cauſam hic dignoſcere licet, cur *Matthæus* narrationem de Paralytico, de quo hic eſt ſermo, adeò diſlocaverit: viz. quia Capite nono tempus Convivii *Levi* memorans, quę proxime ſequebantur, narrat. Cum vero tempus Convivii ſelegerat, vocationem illius quoque narrat, quia, uti à reliquis Euangeliſtis factum eſt, in animo erat una vice omnes res geſtas illius abſolvere. Vocationem illius & Paralytici ſanationem, quia eodem tempore contigerunt, ſimul enarravit.

Matthæum non pudet officii ſui vilitatem, priuſquam vocatus fuerat, palam facere; ut gratia, qua vocatus fuerat, magis eluceſceret. Publicanus fuit, & ut veriſimile eſt, telonii *Capernaumi:* Collector ſcilicet Vectigalis & portorii transfretantium, aut in mari *Galilææ* negotiantium. Conſtitutum eſt in *Talmud. Hieroſol. Demai, fol.* 23. *col.* 1. חבר שנעשה גביי דוחין אותו מחברותו *Phariſæus*; ſeu Religioni deditus, *qui Publicanus factus fuerit, à gradu ſuo detruditur: ſin vero Publicani*

CHRIST. XXXI.

CHRIST. XXXI.

munus ponat, demum reſtituunt. Adeo ἀσύςατα Religionem & hoc munus exiſtimabant, *Maimon. Gezelah*, par. 5. *Eorum opibus uti non licet, qui latrocinii & rapinæ ſuſpecti ſunt, uti publicanorum & furum, quorum negotium latrocinium eſt, &c.* Apoſtolus factus eſt & Euangelii Scriptor: Primus omnium Euangelium ſuum ſcripſit, idque Græco ſermone, licet præcipuè Judæorum cauſa ſcripſerit. Adeò enim deſueta fuerat lingua *Hebraica*, ut communiter haud intellecta fuerit: Biblia Græca indoctioribus ſuppetebant, quibus ea quæ per eum vel quemvis alium Divum ſcriptorem è Vetere Teſtamento citabantur, probarentur. Prophetæ paulò ante *Matthæi* tempora traducti fuerant in linguam Chaldaicam per *Jonathanem Uzzielidem*; & paulo poſt *Onkelos* legem traduxit. *Talmud Hieroſolymitanum* mentionem facit *Targum* ſeu traductionis *Jobi*, autore *Gamaliele* præceptore *Pauli*, *Shabb. fol.* 15. *col.* 3. eò quod *Hebraica* lingua haud vulgò intellecta fuit. Cum legem & Prophetas in Synagogis legerent, interpretibus uſi ſunt qui in *Syriacam* linguam vertebant, ut ſupra annotatum fuit, quia textum Hebræum non intelligebant. Eò propter abſonum a ratione fuiſſet, credere *Matthæum* ſcripſiſſe linguâ Hebraicâ, quam plerique non intelligebant.

SECTIO XXIV.

JOHANNIS CAP. V. *totum.*

Infirmus Betheſdæ *Sanatur.*

Chriſti, *poſt baptiſmum, ſecundum Paſcha.*

AD confirmandum & illuſtrandum ordinem hujus loci hæc ritè perpendenda ſunt. I. *Marcum* & *Lucam*, duos ſcilicet Euangeliſtas, qui ordinem temporis maximè ſervant, poſt vocationem *Levi* primum narraſſe quod ſpicas vellerent diſcipuli. Interſeruerunt quidem convivium *Levi*, & diſcipulorum *Johannis* de jejunio quæſtionem, ut unâ vice abſolverent Hiſtoriam *Levi*, non verò rerum ſeriem & ordinem ſpectantes, uti prius annotatum fuit. II. Cum ut diſcipuli ſpicas vellerent proximè ſubjungant, Paſcha interveniens expectandum eſt; haud enim licuit, donec Paſcha celebratum fuiſſet, & manipulus primitiarum ſecundo die demum oblatus fuiſſet, fruges contrectare, uſurpare aut comedere, *Levit.* 23: 14. III. Dixerat *Chriſtus* cum in agro *Sichem* fuiſſet, ſupereſſe *quadrimeſtre ſpatium ad meſſem*, *Joh.* 4: 35. ad *Paſcha* ſcilicet, cum meſſis hordeacea inciperet, *Levit.* 23: 11. *&c.* Narrationis ſerie ritè perpenſa, ex quo hæc ibidem dicta ſunt, concludendum eſt, impleri quadrimeſtre illud ſpatium, & Paſcha obtigiſſe, per ea verba inſinuatum. Exiſtimare porrò licet, Euangeliſtam hoc feſtum haud ῥητῶς Paſcha appellaſſe, quia prius inſinuaverat proximum *Judæorum Feſtum* Paſcha futurum. Mentionem quidem facit *Paſchatis*, *Cap.* 6:4. at verò è ſerie narrationis reliquorum Euangeliſtarum conſtabit illud Paſcha, tanto ſpatio temporis demum futurum, haud intra quadrimeſtre ſpatium, ex quo *Chriſtus* in agro *Sichem* fuerat, contingere potuiſſe. *Feſtum Judæorum* ergò, cujus meminit hujus Capitis *verſ.* 1. illud Paſcha fuiſſe inſinuatum *Cap.* 4: 35. liquido conſtat. Hæc animadverſa ſeriem confirmant.

Tempore hujus Paſchatis ſanatur quidam decumbens in piſcina *Betheſdæ*, qui infirmus fuerat ſeptem annos ante nativitatem *Chriſti*. Hæc piſcina primum per *Salomonem* facta fuerat, uti conjectare licet è *Joſepho de Bello lib.* 5. *cap.* 13. cum *Nehem. cap.* 3. & primitus *piſcina Salomonis* appellabatur, jam verò *Betheſda*, ſeu *miſericordiæ locus* ob illius vim ſanativam. Aqua replebatur è fonte *Siloam*, typo regni *Davidis* & *Chriſti*, *Eſaj.* 8: 6.

Quinque circa illam porticus, & ſanati bajulatio lecti per porticum, in mentem revocant מבואות i. e. *Introitus* ſeu *veſtibula*, de quibus frequens mentio eſt in Tractatu *Erubin*; e quibus qui quicquam in plateam die Sabbati portabat, reus fuit ac ſi portaret מרשות היחיד לרשות רבים, è loco ſcilicet privato in publicum.

Eò propter coram *Synedrio* ſiſtitur, ubi palam profitetur & oſtendit ſe eſſe Meſſiam: porrò affirmat ſibi omnem poteſtatem & judicium commiſſa eſſe, eandemque autoritatem pro adminiſtrandis rebus Novi Inſtrumenti ſibi competere, quam Pater ſub Vetere exercuerat. Adeò ut ἀναπολόγητοι facti ſint.

Judæi omina quædam memorant, quæ quadraginta annos ante vaſtatam urbem contigerunt, viz. *Traditio eſt, quadraginta annos ante deſtructum Sanctuarium extinctam fuiſſe lucernam occidentalem, & limbum coccineum rubedinem ſuam retinuiſſe, & ſortem Domini in ſiniſtram aſcendiſſe. Porrò templi fores veſperi obſerabant, quas reſeratas manè reperiebant*, Hieroſol. Talm. Joma, fol. 43. col. 3. *Et* Sanhedr. fol. 18. col. 1. *Quadraginta annos ante vaſtatum Templum poteſtas vitæ & mortis ab Iſraëlitis ablata fuit.* Sunt qui 38. annos ſolummodò excurriſſe à morte *Chriſti* ad urbem vaſtatam ſentiunt: hoc conceſſo, ominoſa hæc præſagia hoc anno obtigerunt. Juxta hunc computum ab hoc Paſchate, ubi *Chriſtus* infirmum in piſcina *Betheſdæ* decumbentem ſanaverat, ad illud tempus quo *Titus* caſtra metatus eſt, & obſidione cinxit *Hieroſolymas*, quod & Paſchatis tempore factum fuit, quadraginta anni rotundi effluxerunt: ſed judicet de eo Lector.

SECTIO

Digitized by Google

CHRIST. XXXI.

SECTIO XXV.

LUCÆ CAP. VI. *ab initio ad verſum* 12.
MARCI CAP. II. *à verſu* 23. *ad verſ.* 7. CAPIT. III.
MATTHÆI CAP. XII. *ab initio ad verſum* 15.

Diſcipuli ſpicas vellunt. Manus arida ſanatur die Sabbati.

Σάββατον δευτερόπρωτον apud *Lucam*, *verſ.* 1. ritè intellectum ad illuſtrationem ordinis hujus & confirmationem prioris Sectionis cedet.

Juſſerat lex craſtinum à *Paſchate* feſtum fore uti Sabbatum, *Exod.* 12: 16. eà cauſa & Sabbatum appellatur, *Levit.* 23: 7, 11. Porrò mandatum fuit, die craſtino hujus Sabbati manipulum primitiarum Domino obſerre. Ab eo numerare tenebantur ſeptem ſeptimanas ad *Pentecoſten*, ſolenne ſcilicet feſtum, cum gratias agebant ob dimidium meſſis, hordeaceæ nimirum, quam tum temporis collegerant, *Levit.* 23: 15, 16, 17. Idcircò ille dies, quo primum manipulum hordeaceum obſerebant, & à quo deinceps numerabant ſeptem ſeptimanas, *ſecundus nimirum dies ſeptimanæ Paſchatis*, ſequentia Sabbata ad *Pentecoſten* uſque denominabat: ut primum appellabatur Σάββατον δευτερόπρωτον, ſecundum δευτεροδεύτερον, tertium Σάββατον δευτερότριτον, & ita porrò reliqua è ſeptem. Obſervandum porrò, I. haud fas fuiſſe, frumentum aut ſpicas comedere priusquam manipulus primitiarum oblatus & agitatus fuiſſet coram Domino, *Levit.* 23: 14. II. Secundo die ſeptimanæ Paſchatis agitatum fuiſſe. III. Primum fuiſſe Sabbatum poſt diem illum ſecundum, quo diſcipuli ſpicas vellebant: Hinc conſtat, *Paſchatis* hanc narrationem ſucceſſiſſe, & meritò Capiti quinto *Johannis* proximè ſubjungendam.

Verum *Matthæi* ordo dubitandi anſam præbet, & eò majorem, quia non ſolum hanc narrationem rebus geſtis jam tum futuris præpoſuit, ſed etiam *illo tempore*, quæ hic narrantur contigiſſe, præfatur. Veruntamen illa verba haud ſemper hiſtoriarum tempus præciſe arguunt, ſed nonnunquam uſurpantur uti tranſitio inter duas narrationes, quarum tempora haud parum ſejuncta ſunt. Ut *Gen.* 38: 1. *Deut.* 10: 8. ita illa verba, *in diebus illis*, *Matth.* 3: 1.

Narratio ſanationis manus aridæ, quæ priorem narrationem ſubſequitur, unanimi trium Euangeliſtarum conſenſu diſpoſita eſt; adeò ut de illius ſerie dubitari nequeat.

Pars magna Religionis Judaicæ, quod ad Sabbatum attinebat, fuit, eo die lautius epulari quam diebus aliis: eo enim ter epulari ſe obſtrictos, uti prius dictum eſt, exiſtimabant. In eum finem citant *Eſaj.* 58: 13. Vide *Kimch. ibid. & Tam, fol.* 1. *Talmud & Maimon. in Shabb. &c.* Confer *Philip.* 3: 19.

Obſervare licet diſcipulos hunc morem nequaquam obſervaſſe, cum loco lautiorum epularum, paucæ ſpicæ hordeaceæ [nam hordeaceæ fuerunt] iis prandium forent.

Spicas vellere die Sabbato per conſtitutiones eorum *verbatim* prohibitum fuit. *Talmud, Shabb. par.* 7. *& Maimon. Shabb. par.* 7, 8. *Qui Sabbato frumentum metit, ad quantitatem ficus, reus eſt. Qui vellit & qui metit, perinde rei ſunt: qui quicquam evellit quod enaſcitur, reus eſt perinde ac ſi meteret.*

Chriſtum, prius quam ſanaverat manum aridam, rogant, *an liceret Sabbato ſanare?* Permiſerunt conſtitutiones eorum nonnunquam. *Tanchum, fol.* 9. *col.* 2. *Periculum vitæ pellit Sabbatum, inquiunt noſtri ſapientes: nec non circumciſio & illius ſanatio.* Verum, *inquit R. Akibah, hæc eſt regula, quod veſpere Sabbati fieri poteſt, non pellit Sabbatum.* Talmud in Shabb. par. 19. hujuſmodi hæc res fuit. confer *Luc.* 13: 14. quovis alio die hoc fieri potuiſſe credebant.

SECTIO XXVI.

MARCI CAP. III. *à verſu* 7. *ad verſum* 13.
MATTHÆI CAP. XII. *à verſ.* 15. *ad verſ.* 22.

Permagna turba Chriſtum ſequitur: Qui omnes ad eum venientes ſanat.

Liquidò conſtat ordo è connexione hujus narrationis, quam videre eſt apud binos hoſce Euangeliſtas. *Phariſæi* conſilium ceperunt ut eum perderent; *quod cum Jeſus reſcivit*, abiit, &c. *Herodiani* hujus conſilii participes fuerunt, qui videntur fuiſſe eruditi & magnates gentis, qui *Herodis magni* primum, deinde filii ejus ſuprà memorati, ſervi facti ſunt.

SECTIO XXVII.

LUCÆ CAP. VI. *à verſ.* 12. *ad verſ.* 20.
MARCI CAP. III. *à verſ.* 13. *ad medium verſ.* 19.
MATTHÆI CAP. V. *verſ.* 1.

Duodecim Apoſtoli conſtituti.

Lucas & *Marcus* tempus concionis in monte habitæ ſtatuunt, quam *Matthæus* in ſuo Euangelio prius collocaverat, quia in animo

habuit primum *Chriſti* doctrinam, deinde ejus miracula narrare.

In monte juxta *Capernaumum* Miniſterium Euangelicæ Eccleſiæ conſtituit, & doctrinam Euangelicam tradit; uti *Moſes* legem ad montem *Sinai* dederat. Miniſtri jam conſtituti, quos Apoſtolos vocat, duodecim fuerunt, uti olim *Tribus* Iſraëlitarum: ut, ſicut illæ Eccleſiæ Judaicæ origo fuerunt, ita Ethnicorum hi forent. *Viginti quatuor ſeniores*, totam Eccleſiam repræſentantes, utrumque hunc numerum conjunctim reſpiciunt, *Apoc.* 4. & 5. & *Cap.* 21:12, 14.

Conſtituti ſunt, ut conſtat è Sacra Scriptura, propter has cauſas, viz. I. *Ut cum Chriſto eſſent*, gloriam illius videntes, & teſtes illorum quæ fecit, *Joh.* 1:14. *Act.* 10:39, 41. *Luc.* 24:48. II. Ut eos ad prædicandum mitteret. III. Ut ſanarent morbos & ejicerent dæmonia.

Gradatim, non ſimul, dotibus cæleſtibus imbuti fuerunt. Diu auditores doctrinam Euangelicam ediſcebant, quam demum prædicaturi erant. Licet enim jam eos *Chriſtus* elegerit, haud tamen ad prædicandum mittit, ut ex ſequentibus patebit, prius quam annus ferè elapſus fuiſſet. Quod intervallum temporis, præter id ſpatium quod eorum electioni præceſſit, audiendo & ediſcendo ea ex ore Præceptoris ſui inſumebant, quæ poſtmodum cum eos mitteret *Chriſtus*, prædicaturi erant. Adeò *ut ipſi Apoſtoli, cum primum miniſterio ſuo fungi cæperunt, haud Spiritu ſolum edocti prædicarent; ſed ea docebant, quæ audiendo, ſtudendo, conferendo & meditando edocti fuerant.*

Uti ſub lege, & à primordiis Eccleſiæ Judaicæ, Deus peculiarem ordinem quorundam ſegregaverat, qui cultum Sanctuarii obſervarent; ita ſub Euangelio peculiarem ordinem virorum ſeparavit, qui miniſtri Euangelii forent. Hoc munus Euangelicum non minus peculiare, ac illud ſub lege, fuerat. Uti ſub lege ſpecies quædam fuerunt eorum qui eo munere fungebantur, ſummi ſcilicet & primarii Sacerdotes, ut & ſubſellii inferioris, & Levitæ, quorum munus peculiare cum fuerit, reliquis vetitum erat; ita ab Euangelii primordiis, Apoſtoli, Euangeliſtæ, Prophetæ, Paſtores & Doctores fuerunt, prout temporis ratio poſtulabat; hi vero omnes peculiari vocatione ſegregati & muniti fuerunt, quorum muneribus immiſcere aliis haud fas erat. Tituli & nomina, quibus miniſtri in Novo Inſtrumento donantur, peculiarem & diſtinctum ordinem denotant; prout *Sapientes* & *Scribæ*, *Matth.* 23:34. Nam apud Judæos חכמים וסופרים i.e. *ſapientes* & *Scribæ* doctos ab aliis ſegregatos, ſeu peculiarem hominum ordinem χειροθεσίᾳ ſeparatum ſemper denotant; neque enim uſpiam reperire eſt apud *Hebræos* olim dictos *Sapientes* & *Scribas* alio ſenſu. Miniſtri Novi Inſtrumenti vocantur *Seniores*; *Epiſcopi*, *Eccleſiarum Angeli*, *Paſtores*, *Doctores.* Hæc epitheta in Synagogis uſurpata fuerunt, & ordinem peculiarem denotabant, uti facile probari poterat ex antiquitatibus Synagogicis. *Seniores* ſeu *Presbyteri* apud Hebræos, ſegregatos ab aliis certo quodam munere ſignificant. חזן *Epiſcopum*; שליח צבור *Angelum Eccleſiæ*; פרנס *Paſtorem*; מורה במדרש *Doctorem* ſeu *Lectorem Theologiæ* ſignificat: Hæ voces ſemper peculiarem functionem & ordinem ſeparatum denotare ſolebant.

SECTIO XXVIII.

MATTHÆI CAP. V. VI. VII. LUCÆ CAP. VI. *à verſu* 20. *ad finem Capitis.*

Concio in monte habita.

HAud deſideratur ordinis probatio. E *Luca* liquidò conſtat. Prædictum fuerat per Prophetas, *Omnes filii tui edocti erunt à Jehova*, *Eſaj.* 54:13. Quod ad Ethnicos, edocti fuerant à Diabolo, illius Oraculis & Idolis; quod ad *Judæos*, edocti fuerant quidem à Jehova per Prophetas, homines ſcilicet illis haud abſimiles: hæc verò Prophetia prædicationem *Chriſti*, qui Deus fuit, prænunciat. Magnus ille Doctor mundi, *Eſaj.* 2:2. & 51:4. inter eos commorans, & prædicans è monte juxta *Capernaumum*, Euangelicam ſuam legem tradit; non eo animo ut legem & Prophetas ſolveret, ſed ut elucidaret & impleret.

I. Benedictiones primum annunciat, utpote Euangelii ſolamini maximè conſentaneas. Hinc in memoriam revocat quæ de *Gerizim* & *Ebal* dicta ſunt, *Deut.* 27. Licet enim *Iſraëlitæ* juſſi ſint ibidem & benedictiones & maledictiones ſuper eos montes pronunciare; tamen maledictiones ſolummodò memorantur & enumerantur. Per legem enim maledictio; qui demum venturus erat, benedicturus fuit. Quæ res in ſolamen noſtrum admodum commodè cedit. *Lucas* porro ait, eum comminationes denuntiaſſe, uti, *Beati pauperes: Beati qui nunc eſuritis, &c. Sed væ vobis divitibus: væ vobis, qui impleti eſtis, &c.* Secundum hunc morem, ajunt Judæi, benedictiones & maledictiones ab *Iſraëlitis* pronuntiatas fuiſſe è duobus montibus ſupra dictis, *Talmud in Sotah*, *par.* 7. & *Toſaph. ibid. par.* 8. *Quomodo* Iſraëlitæ *benedictiones & maledictiones pronunciaverunt? Sex Tribus verticem montis* Gerizim *conſcenderunt, item ſex montis* Ebal: *Sacerdotes, Levitæ & Arca in medio inter utrumque ſcilicet montem fuerunt: verſus*

Digitized by Google

ſus Gerizim *vultus eorum obvertebant & benedicere cœperunt: Benedictus qui non facit ſculptilem aut fuſilem imaginem, abominationem Domino, &c. Utrinque reſpondebant & dixerunt, Amen. Tum verſus montem* Ebal *vultus obvertebant, & maledicere cœperunt. Maledictus ſit vir, qui fecerit ſculptile aut fuſile, &c. & utrinque reſpondebant, Amen.* Et ſic demum de reliquis.

II. Amplitudinem legis porrò oſtendit ſecundum plenam ejus extenſionem & intentionem, nec non traditionalium gloſſarum vanitatem, quæ legem irritam fecerant. Legem illam, *Non occides*, tantum de actuali homicidio, & propriâ manu perpetrato, interpretati ſunt. Nam *ſi quis alium conduxerit, ut quenquam occideret, aut feræ occidenti eum objiceret, haud eum putabant Synedrio obnoxium homicidii cauſa*, quamvis Dei iram merebatur, *Talm. in Sanhedrin, par.* 9. *Maimon. in Retzea, par.* 2. Docet porrò per legem hanc *iram temerariam* prohiberi, eamque Dei iram mereri: nec non inhumanum fratris contemptum, per *Raka* indigitatum, *judicium Synedrii*, & præcipuè eum qui *Stultum*, juxta Salomonis hujus vocis interpretationem, fratrem appellaret, ſeu de ſtatu ejus ſpirituali temere judicium ferret, Gehennam mereri. Præceptum illud, *Nè committas adulterium*, de actuali ſolum adulterio, eoque cum nuptâ interpretati ſunt, *trip. Targ. in marg. Exod.* 20. Docet verò *Chriſtus* prohiberi quamvis impuram cogitationem & conſpectum, & quod *quicunque aſpicit mulierem ut eam concupiſcat, jam adulteravit eam in corde ſuo. Rabban Simeon oblectabat ſe formoſas mulieres aſpicere, uti, conſpectâ earum venuſtate ad Deum laudandum moveretur.* En bellam orationem! *Talm. Hieroſol. in Beracoth, fol.* 12. *col.* 3.

Lex repudia permiſerat propter Adulterium ſolummodò, *Deut.* 24: 1. illi verò ob quamlibet cauſam permiſerunt, adeo ut *Rabbi Akibæ* dictum fuerit, *cuivis licet uxorem dimittere, qui aliam mulierem, quâ magis oblectatur, conſpexerit, Gittin, par.* 9. Perjurium prohibuerat lex: hinc temerarie & ad libitum jurabant, caventes ſolummodò nè falſa jurarent; *vide Talmud, & Maimon. in Scheviith.*

Execranda hæc gloſſemata, quibus legem irritam fecerant, divinitus damnat, & in hiſce rebus veram & genuinam Legis mentem aſſerit.

III. Officia Chriſtiana mandat, pietatis præſertim, charitatis & ſinceritatis; & *Phariſæorum* hypocriticam his in rebus ambitionem perſtringit. Cum eleemoſynam in Synagogis erogarent, ſoliti fuerunt operam dare uti palam fieret, & uti quaſi buccinæ cantu omnibus innoteſceret, *Hieroſol. in Demai, fol.* 23. *col.* 2. In plateis etiam pauperes unà convocabant, ut quod reliquum fuerat in agrorum angulis, colligerent, *Id. Peah, par.* 4. *&c.* Ut conſpicerentur in plateis orantes porrò avebant, præcipuè manè & veſpere Phylacteria geſtantes, nec non alias preces pro re natâ concipientes, *Id. Beracoth, par.* 1, 2. Sæpius eas preces fundere ſolebant, nec non alias in Synagogis, ſeparatim à precibus & officiis Synagogæ jam tum uſurpatis; hinc animi devotio ſingularis facilius ſpectabatur, *Id. fol.* 8. *col.* 3. *&c.* Dies jejunii ex eorum moribus, vultu & veſtitu facile dignoſcebantur, *P. Toſaph. in Taanith, par.* 1. *&c.* Denique omni devotione ſua & geſtu famam aucupati ſunt. Hoc eorum vitium perſtringit *Chriſtus*, & ſinceritatem & ſtudium haud fucatæ pietatis exigit.

Per totam hanc concionem Chriſtus, Divinæ veritatis magnum ſcilicet Oraculum, non ſolum prædicat ſacra dogmata fidei, morum, quæque ad vitam æternam ſpectant; at porro ſibi penitus perſpectas fuiſſe illius temporis tum traditiones, tum omnem literaturam & dogmata recepta ſibi non ignota fuiſſe, palam facit. Ad explicationem hujus Divinæ Concionis multiplex & accurata Judaicarum Antiquitatum cognitio requiritur: Chriſtus enim in unaquaque ferè linea linguam, dogmata, mores, traditiones & ſententiam Judæorum reſpicit.

SECTIO XXIX.

LUCÆ CAP. VII. *ab initio ad verſ.* 11.
MATTHÆI CAP. VIII. *verſ.* 1. *& tum verſ.* 5. *ad verſ.* 14.

Centurionis ſervus ſanatur.

TRanſitio illa *Lucæ*, *Cum finiviſſet omnia verba ſua*, ordinem confirmat. De ordine quatuor illorum verſuum, de Leproſo ſcilicet apud *Matthæum*, ſupra dictum fuit.

Dux Proſelytus, qui Religioni Judaicæ addictus, Synagogam *Capernaumi* ſtruxerat, conſpectis *Chriſti* operibus, ejuſque verbis auditis, credit eum eſſe *Meſſiam*, &, ut ſervum ſuum ſanaret, precatur. Hanc rem in *Chriſti* poteſtate ſitam eſſe, è vi imperii ſui in milites ſubditos facile colligit. Cum enim illi ad nutum ipſius huc illuc curſitare parati eſſent, multo magis vel *Chriſti* vox ſervi ſui morbum profligaret. *Chriſtus* ſæpius, in concione ſua ſuper montem habitâ, ſuam autoritatem aſſeruerat, tum contra tum ſupra illam, quam præ ſe ferebant, Traditionum aſſertores, nec minorem illo ſermone qui legem dederat. Permagna hic & opportuna recognitio poteſtatis verbi *Chriſti* per Centurionem facta eſt, & illius potentia è ſanatione ſervi, longè abſentis, liquidò

 conſtat.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

CHRIST. XXXI.

conſtat. Meritò illius fides, licet Ethnicus fuerit, prædicatur; & rejectio Judæorum apertè prædicitur, quam *Chriſtus* prius haud adeo explicitè prædixerat.

SECTIO XXX.

LUCÆ CAP. VII. *verſ.* 11, 12, 13, 14, 15, 16, 17.

Filius viduæ in Nain *ſuſcitatur.*

UTi heri *Chriſtus* puerum ſub articulum mortis ſanaverat, ita alium hodie etiam mortuum ſuſcitat. Verba ἐν τῇ ἑξῆς, *verſ.* 11. ordinem confirmant. *Die ſequenti*, *&c.*

Mentio eſt apud *Joſephum*, *Antiq. lib.* 20. *cap.* 5. villæ *Nais* Samariæ conterminæ, in via qua iter fecerunt *Galilæi*, *Hieroſolymas* cum proficiſcerentur: veroſimile eſt *Chriſtum* jam tum *Hieroſolymas* profecturum ad feſtum quoddam, *Pentecoſten* uti probabile eſt.

Ut ad Civitatem *Nain* venerat, occurrit ei cadaver elatum; [מת מוטל linguâ Talmudicâ] neque enim intra civitates ſepelire licuit: ſi vero Levitarum Civitas foret, haud licuit intra ſuburbia ſepelire, *Maimon. Shemit. vejobel*, *par.* 13. [ſi civitas Hieroſolymitana eadem lege tenebatur hâc in re uti in aliis, qua Levitarum Civitates; *Chriſti* ſepulchrum majore à civitate intervallo ab urbe ponendum erit, quam vulgo creditur] Mortuum hunc ſuſcitat in propatulo, & coram omni turba, quæ permagna erat, quæ ibidem fuerat. Attamen cum denuò *Jairi* filiam ſuſcitaverat, in mandato dat iis, qui miraculum illud patratum viderant, qui numero quinque fuerunt, ut quod factum fuerat, nemini renunciarent, *Luc.* 8: 56. Hoc mandaverat potius ob locum, in quo patratum fuerat miraculum, quam ob aliam aliquam cauſam: *Capernaumi* enim factum fuit miraculum, civitatis ſcilicet maledictioni prius addictæ.

SECTIO XXXI.

LUCÆ CAP. VII. *à verſu* 18. *ad verſum* 36. MATTHÆI CAP. XI. *à verſ.* 2. *ad verſ.* 20.

Johannis ad Chriſtum nuncium. Chriſti de Johanne Teſtimonium.

LUcæ tranſitio à præfatis narrationibus, de ſuſcitatione mortui ſcilicet & ſanatione ſervi Centurionis, (*& annunciarunt Johanni diſcipuli ipſius de his omnibus*) ordinem confirmat.

Johannes è Caſtro *Machæri*, ubi incarceratus erat, duos ex ejus diſcipulos mittit ad Chriſtum ab eo ſciſcitatum, an is *erat qui venturus erat*. Non quod *Johannes* eum ignoraverit, qui de eo certior factus fuerat, deque eo teſtimonium perhibuerat egregium, *Joh.* 1: 35, 36. & 3: 29, 30. Neque porrò exiſtimandum eſt, diſcipulos *Johannis* adeò obſtinatè fuiſſe ignaros, quin à præceptore præmoniti eum noverint. Verum eò propter nuncium hoc inſtitutum eſſe videtur. Inaudiverant *Johannes* & illius diſcipuli de magnis & multis miraculis, quæ *Chriſtus* ediderat, ægrotorum ſcilicet ſanatione & ſuſcitatione mortuorum, &c. Mirum illis interea temporis viſum fuit, *Chriſtum*, cum tot miracula feciſſet, haud liberâſſe *Johannem*, qui ob Euangelium, quod prius prædicaverat, incarceratus fuit. Hæc fortean ratio fuit illius quæſtionis, *Tunc is es*, *qui venturus erat*, *an alium expectabimus?* Expectabant ſcilicet aliquid amplius à *Meſſiâ* quam quod fecerat. Miracula jam edita, è quibus liquidò conſtabat, eum fuiſſe illum qui venturus erat, quæſtionem eorum plenè ſolvebant. Quod ad miraculoſam *Johannis* liberationem ſpectat, quam ſperare videbantur, reſpondit, id ſui eſſe muneris, Euangelium prædicare, beatumque demum eſſe qui in eo offenſus non foret, quique ſe ſubmiſſe dederit regimini illius ſapienti. Cumque reverſi fuerant *Johannis* Diſcipuli, luculentum de eo Teſtimonium edit coram populo. Oſtendit tamen illum, qui particeps fuerit *regni cælorum*, ejuſque naturam ſatis noverit, illi anteponendum, qui liberationem temporalem inde ſperaverat.

Matthæi methodus aliquantulum hoc in loco difficilis eſt. De induſtriâ videtur miſſionem tum *Chriſti*, tum *Johannis* diſcipulorum conjunxiſſe. Exiſtimo *Chriſtum Hieroſolymis* tum fuiſſe, cum ad eum venerant *Johannis* Diſcipuli. Dato hoc contigiſſe *Pentecoſtes* feſto, ſequetur *Johannem* per ſeptem vel octo menſes incarceratum fuiſſe.

SECTIO XXXII.

MATTHÆI CAP. XI. *à verſu* 20. *ad finem Capitis.*

Chorazin & Bethſaida increpantur.

HÆC *Matthæus* præcedenti Sectioni continuo ſubjungit, & civitatum increpatio præcedentibus verbis, *verſ.* 17, 18, 19. conſentanea eſt, adeò ut eo tempore hæc dicta fuiſſe conſtet.

Cum Chriſtus dicit, *Si Tyro & Sidone editæ fuiſſent virtutes, quæ editæ ſunt apud vos, &c.* Item, *ſi Sodomis editæ fuiſſent &c. reſipuiſſent & manſiſſent*, *&c.* non de gratiâ ſalvificâ & reſipiſcentiâ ad ſalutem intelligere licet; ſed de externa humiliatione, quæ ruinam præver-

tiſſet.

Digitized by Google

CHRIST. XXXI. tiſſet. Ad hunc modum Civitas *Niniveti* reſipuerat & cladem comminatam prævertit. Reſipiſcentia non *civium* ſaluti, ſed *Civitatis* incolumitati cedebat; uti *Ababi* humiliatio impendentem cladem, haud vero ipſius finalem condemnationem prævenit.

SECTIO XXXIII.

LUCÆ CAP. VII. *à verſ.* 36. *ad finem Capitis.*

Maria Magdalena ad Chriſti pedes flet, eoſque lachrymis rigat, &c.

PRobatur ordo ex eo, quod in *Lucâ* hæc verba proximè ſequantur Sectionem xxxi. Lector facile deprehendet præcedentis Sectionis interpoſitionem per *Matthæum*, quæ ibidem neceſſariò ponenda erat, haud turbare narrationem, ſed potius illuſtare. Res geſtæ enim, quæ in hac Sectione narrantur, tum *Phariſæi*, qui *Chriſtum* invitaverat ut cibum ſecum caperet, tum mulieris peccatricis, quæ ad pedes ejus flens miſericordiam petit, oriri videntur ex occaſione verborum *Chriſti*, quæ in duabus præcedentibus Sectionibus habuit. In priore dixerat, *Venit filius hominis edens ac bibens*; hinc fortean factum fuit quod vocaverit eum *Phariſæus:* in poſteriore dixerat, *Venite ad me omnes qui fatigati eſtis & onerati*; inde *mulier* attracta videbatur.

Hæc mulier fuit *Maria ſoror Lazari, quæ etiam Maria Magdalena vocabatur*, cujus mentio facta eſt ſub initium Capitis proximi. Fuiſſe *Mariam Lazari* ſororem è *Johannis Cap.* 11. *verſ.* 2. aſſerere licet, ut ibidem videbitur. Ibi enim probabimus ea verba, *Ea erat Maria, quæ unxit Dominum unguento, & exterſit pedes ejus capillis ſuis*, ad hanc ſolummodo narrationem propriè pertinere. Et *Mariam ſororem Lazari, vocatam fuiſſe Mariam Magdalenam*, proximâ Sectione demonſtrabimus. *Chriſtum* cum ad eum venirent *Johannis* diſcipuli, Sectione xxxi. *Hieroſolymis* fuiſſe putavimus, & congruenter hanc rem *Bethaniæ* contigiſſe opinari licet: & *Simonem Phariſæum* eundem eſſe, qui *Simon Leproſus* vocatur, *Matth.* 26: 6. probabile eſt. Ubi hæc mulier denuo eum unxit.

SECTIO XXXIV.

LUCÆ CAP. VIII. *verſ.* 1, 2, 3.

Mulieres quædam Chriſtum ſequentes.

E *Lucâ* conſtat demum ordo. Prius narraverat de quâdam muliere *Chriſti* miſericordiâ ſanatâ; de pluribus hic, & inter eas de *Maria Magdalena* loquitur: eam fuiſſe *Mariam ſororem Lazari*, è duabus ſequentibus rationibus ritè perpenſis, ſatis conſtabit. CHRIST. XXXI.
I. Si *Maria Magdalena* non fuiſſet *Maria* ſoror *Lazari*, tum *Maria* ſoror *Lazari* nec morientem *Chriſtum* comitabatur, neque illius ſepulturæ operam dedit: [ſaltem de eâ nihil hujuſmodi literis traditur] quæ res planè incredibilis eſt, neque multis eget ut ſumma hujus rei incredibilitas conſtet. Mentio facta eſt *Mariæ Magdalenæ*, & *Mariæ* matris *Jacobi* & *Salome*, *Marc.* 15: 40. & *Johannæ*, *Luc.* 24: 10. nulla verò *Mariæ* ſororis *Lazari*: bis *Chriſtum* illius ſeptimanæ ſpatio unxerat, neque fuerat è mulieribus quæ Chriſtum ſequebantur, quæ vel magis fervidè aut conſtanter ei operam dabat; præterea *Bethaniæ* propè *Hieroſolymas* commorata eſt. Ubinam jam eſt cum *Chriſtus* moriturus, & danda opera eſt illius ſepulturæ? Hoc præſertim tempore illi operam dare inſuper habuit? An Euangeliſtæ, cum aliarum mentionem fecerint, illam præteribant? Hæc adeò abſurda ſunt, ut neceſſum ſit aſſerere per *Mariam Magdalenam* mentionem factam *Mariæ* ſorori *Lazari*. II. Ratio, quam affert *Baronius*, multò validior eſt, quam primo intuitu videtur. Ille, in *Annalibus ad Annum Chriſti* 32. noſtram ſententiam confirmaturus oſtendit Patres & Antiquos in eâ ſententiâ fuiſſe. Verba illius hæc ſunt. *Dicimus atteſtatione* Johannis *Euangeliſtæ, imò Chriſti, apertiſſimè conſtare, unam eandemque perſonam fuiſſe* Mariam Lazari *&* Marthæ *ſororem cum* Maria Magdalena. *Nam cum in* Bethania *eadem ſoror* Lazari *unxiſſet pedes* Jeſu, *ac* Judas *ob eam cauſam ei eſſet infenſus: ipſe* Jeſus *furentis diſcipuli audaciam reprimens, dixit: ſinite illam, ut in diem ſepulturæ meæ ſervet illud. Cæterum eandem ipſam, quæ ad ungendum corpus* Jeſu *paratum unguentum ad ſepulchrum attulit;* Marcus *Euangeliſta fuiſſe* Mariam Magdalenam *affirmat, quæ cum* Maria Jacobi *&* Salome *id officii exhibuerit; cumque nec aliqua apud eum, vel alios Euangeliſtas habeatur mentio de* Maria *ſorore* Lazari *ad illud munus præſtandum, à Domino præmonſtrata; cognoſci perfacile poteſt, unam eandemque fuiſſe* Mariam, *quæ utramque obiret functionem.*

Ad *Johann. Cap.* 12. *verſ.* 7. oſtendemus ea verba eodem ſenſu intelligenda eſſe, quo ea ille ſumit: excepto quod, vulgatum interpretem ſequens, legit, *ſine ut ſervet*, quæ lectio pleniorem illius ſenſum facit, licet alias ſatis ad rem erit.

Objicere quidem fas eſt *Mariam Magdalenam* vocatam fuiſſe à loco *Magdala* dicto; cujus mentio facta eſt *Matth.* 15: 39. ut & in *Talm. Hieroſol. in Maazaroth, fol.* 50. *col.* 3. ubi dicitur *R. Jochanan in nomine R. Simeonis*
Ben

CHRIST. XXXI.

Ben Jochai: duo habuit ſepta, unum in Magdala, aliud in Tiberiade. Et in *Beracoth, fol.* 13. *col.* 1. mentio facta eſt *R. Judæ Magdalæ*, רבי יודה מגדליא. Jam vero cum *Magdala*, ſecundum nonnullos, in *Galilæa* ſita fuerit, aut ex adverſo trans Jordanem, juxta alios, adeo longe aberat à *Bethaniâ*, ut *Maria* ſoror *Lazari*, quæ ibidem commorabatur, *Magdalena* à *Magdala* denominari haud potuerit. Huic objectioni, cujus meminit *Baronius*, cum eo reſpondere licet, viz. quod quamvis *Bethaniæ* nata fuerit, *ibidemque* fuerit paterna domus, *Magdalæ* tamen vel pro re natâ commorari vel ibidem nubere potuerit. Denuo licet adducere quæ Talmudici dicunt de quadam מרים מגדלא, *Maria Magdalena* ſeu *Megaddala*, uti ea vox punctari poteſt, quam infamem fuiſſe meretricem in diebus *Jeſu Nazareni*, affirmant. *Alphes in Gittin, fol.* 605. *Quidam muſcam in calice repperit, quam ejiciens haud demum bibet; tali ingenio fuit* Papus *filius Judæ, qui, cum egrederetur, obſerabat oſtium cum intus fuerit uxor.* Gloſſæ, *R. Solomon* ſcilicet, & *Niſſim*, in eum locum hæc commentantur. Papus *filius* Judæ, *maritus fuit* למרים מגדלא, *Mariæ Magdalenæ, & cum egrederetur oſtium obſerabat uxorem claudens, nè quenquam conveniret, more ſcilicet illicito; hinc ortæ inter eos lites, eaque mæchata eſt.* Per מגדלא demum plicatricem crinium intelligunt: hanc ἐμπλοκὴν τριχῶν damnat *Petrus*, 1. *Ep.* 3:3. *In Talm. Babyl. Venet. in Sanhedrin, par.* 7. mentio facta eſt cujuſdam, qui ad *Idololatriam* ſeducens per Synedrium lapidatus fuerat. *Porrò*, inquiunt, Ben Satdæ in Lydda *ſuſpenderunt veſpere Paſchatis. Ben Satdæ filius erat* Pandiræ; (Servatorem noſtrum blaſphemè *Ben Satdæ* vocant) & paulò poſt: *mater ejus fuit* Satda, *mater ejus fuit* Maria Magdalena, Maria *plicatrix crinis muliebris*: vide etiam *Shabb. fol.* 104. & *Chagig. fol.* 4. *Angelus mortis dixit ſuo nuncio, ad me ducito* Mariam *plicatricem crinium muliebrium; adduxit* Mariam *plicatricem crinium Adoleſcentium cauſa.* Jam vero utrum מגדלא *Magdela* ſeu *Magdila* legatur, participium ſcilicet in *Hiphil*, (quæ lectio maxime congrua eſt, & probata, ut videre eſt in *Aruch* in גדל, & *Kelim, par.* 15.) ſive *Megaddela* in *Piel*: Quævis vox, prior præſertim, Græca facta, hanc vocem præ manibus tam propè ſonat, ut jure *Mariam Magdalenam* de mulieri infami, juxta Talmudicam loquutionem, & ob laſcivum cultum & geſtum ſic dictam, interpretari liceat. Obſervanda porrò *Lucæ* verba Μαρία ἡ καλουμένη Μαγδαληνή, *Maria quæ vocabatur Magdalena.* Qui loquendi mos perrarò uſurpatur, cum quiſquam voce patronymicâ deſcribitur.

SECTIO XXXV.

CHRIST. XXXI.

MATTHÆI CAP. XII. *à verſu* 22. *ad verſum* 46.

MARCI CAP. III. *à poſteriore clauſulâ verſ.* 19. *ad verſ.* 31.

Ejicitur Dæmon: Chriſtus Beelzebub vocatur. Blaſphemia Spiritus Sancti.

Series & conſequentia hujus Sectionis elucidationem aliquam deſiderant. I. Lector facile deprehendet *Marcum*, ex quo duodecim Apoſtoli fuerant ordinati, hucuſque nihil narraviſſe. Etenim Spiritus Sanctus, qui Euangeliſtarum calamos direxit, eo modo eos afflavit, ut nonnunquam hic, aliâ vice alius, plures aut omnes res geſtas narrarent. Quamvis enim initium hujus Sectionis apud *Marcum*, *veneruntque domum*, proximè ſequatur Apoſtolorum ordinationem, ac ſi proximè eveniſſet; ſeries tamen narrationis reliquorum Euangeliſtarum palam facit, non eo loco ponendam eſſe hanc narrationem: porrò narrationis etiam apud *Marcum* progreſſus, hoc loco ponendam eſſe arguit, uti diligenti hujus rei diſquiſitori conſtabit. II. *Matthæus* hanc narrationem de ejectione Dæmonis, &c. duabus aliis narrationibus, quæ contigerunt ante concionem in monte habitam, proximè ſubjunxit, uti ſuo loco oſtendebatur; eo ut videtur fine, ut Scribarum & Phariſæorum exceptiones unâ vice renunciaret. Hanc narrationem apud *Matthæum* proximè ſequentibus jure jungi, ex iis conſtabit. III. Narratio occurrit apud *Lucam*, *Cap.* 2. huic ſimilis, adeò ut eadem videatur; mentio enim ibidem facta eſt ejuſdem Miraculi, ejecti ſcilicet Dæmonis, & planè ejuſdem exceptionis *Phariſæorum*, nec non reſponſi *Chriſti*. Tamen narrationis apud *Lucam* eò uſque ſeries, & præſertim illius exitus, aliam fuiſſe narrationem fidem faciunt. Iſtiuſmodi enim ea ſunt, quæ ſubnectit *Lucas*, quæ narrationibus horum Euangeliſtarum cohærere minimè poſſunt. Et poſtmodum obſervabimus *Chriſtum*, ad finem ſuæ vitæ, multa, quæ dudum dixerat, denuò dixiſſe. Ut *Moſis Deuteronomium* erat recapitulatio rerum, quæ prius dictæ & geſtæ fuerant. Scribis & Phariſæis, ubicunque fuerunt, idem inerat Spiritus Diabolicus, Chriſtoque occurrebat etiam in locis pluribus. Dignitatem & autoritatem Miraculorum ejus elevare decreverant, affirmantes eum omnia feciſſe vi magicâ: hac inſanâ ſententiâ imbutos ubivis eos repperit. Nec mirum eos ubivis hujuſmodi blaterare, cum ſemper imbuti forent pravâ hâc opinione. Obſervare porrò licet, ut contumelioſe ſignum è cœlo quærant, cum

tamen

Digitized by Google

CHRIST. XXXI. tamen nuperrimè ſignum maximè cœleſte viderant.

Vox *Beelzebul* majoris ignominiæ cauſa uſurpata fuit, ſignificans *Deum ſtercoreum.* Et ſacrificium Idolis factum, *ſtercorationem Idolo* vocitabant. *R. Joſe, Ben R. Ben* inquit, ראה אותם מזבלין לעבודה זרה, *Qui videt eos ſtercorantes Idolo, debet dicere, qui Diis alienis ſacrificat, extirpabitur, Talm. Hieroſol. Beracoth, fol.* 12. *col.* 2.

Quod *Chriſtus* de irremiſſibilitate blaſphemiæ Spiritus Sancti affirmat, ſententiæ eorum contradixit: credebant enim blaſphemiam per mortem, & per mortem ſolummodò expiari. *Qui*, inquiunt, *nomen Dei blaſphemat, per pœnitentiam non eximitur è pœnâ, nec expiatur per diem expiationis, neque purgatur per Judicum inflictiones: Pœnitentia verò & dies expiationis partem tertiam, tertiam afflictiones, & tertiam mors expiat. Et de hujuſmodi dictum eſt, ſi hæc iniquitas expietur uſque dum moriemini, ecce diſcimus mortem expiare, Talm. Hieroſol. Sanhedr. fol.* 27. *col.* 3.

Judæi miracula *Chriſti* ſugillabant tanquam vi magicâ patrata, uti conſtat non ſolum ex hoc loco & aliis Euangeliſtarum locis, verum etiam è *Talm. Babylon. Shabb. fol.* 104. *col.* 2. *Dixit ſapientibus R. Eliezer, an non Ben Satdæ* (ita *Jeſum Nazarenum* ore blaſphemo vocant, uti prius dictum fuit) *incantationes adduxit ex Ægypto in carnis ſuæ inciſionibus?*

Cum vero non potuerint contradicere, nec elevare famam miraculorum, quæ fecerat; neque amplius è re ſuâ foret affirmare, eum ea feciſſe poteſtate ei à Diabolo conceſſa: aliam viam inīverunt (diabolo inſtigante) planè contrariam, affirmantes ſcilicet Meſſiam, cum veniret, nulla prorſus miracula editurum. Ita loquentes videre eſt, *Sanhedr. par. hal. & Maimon. Melachim, par. ult.*

SECTIO XXXVI.

MATTHÆI CAP. XII. *à verſ.* 46. *ad finem.*
MARCI CAP. III. *à verſ.* 31. *ad finem.*
LUCÆ CAP. VIII. *verſ.* 19, 20, 21.

Mater & Fratres Chriſti *quærunt eum, &c.*

Conſtat ordo è tranſitione *Matthæi, cum adhuc loqueretur: Lucas* adventum matris & fratrum *Chriſti* poſuit poſt parabolam ſeminantis, cum duo reliqui Euangeliſtæ ſuo proprio loco præpoſuerint, finem ſcilicet illius adventus innuens, viz. ut à prædicando eum abſtraherent; eo fine importunè eum ſequuntur ubique. Indicium hic habemus peccati *Mariæ Virginis*, ut & aliarum mulierum: detur modo intentionem abſtrahendi *Chriſtum* à miniſterio ſuo peccatum fuiſſe, ut certè fuit, ſub quovis prætextu, *Marc.* 3: 21. *Propinqui ipſius venerunt ut prehenderent eum, dicebant enim,* ἐξέστη. Quicquid ea vox ſignificat, utrum, *apud ſe non eſt*, aut *languidus eſt*, aut *eſt in ecſtaſi*; eò operam dederunt, ut à munere, quo fungebatur, eum abſtraherent. Quod cum probè noviſſet, acriter reſpondit, *Quæ eſt mater mea? &c.* Confer *Deut.* 33: 9. CHRIST. XXXI.

SECTIO XXXVII.

MATTHÆI CAP. XIII. *ab initio ad verſ.* 54.
MARCI CAP. IV. *ab initio ad verſ.* 35.
LUCÆ CAP. VIII. *à verſ.* 4. *ad verſ.* 19.

Parabola ſeminantis: & aliæ Parabolæ.

Ordo conſtat è tranſitione *Matthæi: Illo die egreſſus Jeſus, &c.* eo die ſcilicet, quo ad eum venerant mater & fratres ejus, uti è *Cap.* 12. conſtat. Quod ritè perpenſum methodum *Lucæ* elucidat. Cum enim duo reliqui adventum matris & fratrum *Chriſti* parabolæ ſeminantis præpoſuerunt, ille ſubjunxit, non repugnans, licet alio modo narret. Utraque enim res geſta fuit eodem die: porrò hanc methodum uſurpans oſtendit matrem & propinquos *Chriſti*, cum eum repperiſſent, unà cum eo profectos; vel ut eum à prædicando abſtraherent, vel, melius edocti, ut ei & ejus doctrinæ operam darent.

Chriſtus per Parabolas docens, uti ſæpiſſimè videre eſt apud Euangeliſtas; morem & ſtylum Gentis, hujuſmodi Rhetoricæ quam maximè addictæ, imitatur. Talmudiſtæ, & plerique veteres Scriptores, hoc genere Orationis abundè ſcatent. Porrò in more eſt Parabolam hac præfatione præmiſſa narrare, משל למה הדבר דומה i. e. *Parabola; cui rei ſimilis eſt res?* quem morem ſæpius ſequitur. Nonnunquam magis abruptè incipiunt in hunc modum præfati, לאיש vel למלך בו *viro* ſeu *Regi carnis & ſanguinis*; innuentes, rem ſimilem eſſe viro vel Regi, &c. Plurimi ſunt, uti credo, qui non multum verſati in ſcriptis Judaicis, excerpta tamen ab aliis legerunt, qui eos facile mendacii & fraudis accuſant (neque penitus ſunt excuſandi) ex ignorantia modi, quo Parabolas & Hyperbolicas loquutiones exprimere ſolebant.

Tractatus Talmudici, *Peah*, *Demai* & *Kilaim*, ubi de induſtria de ſeminando & de ſeminibus agitur, ad majorem elucidationem harum parabolarum inſervire poſſunt. In *Kilaim* de ſeminando diſputatur, על גבי סלעים על גבי טרשים חיטין וזונין, *ſuper rupes & ſaxa*, & com-

CHRIST. XXXI. miſcendo *triticum zizaniis, &c. Cap.* 1. *In Peah, Talm. Hieroſol. fol.* 20. loquuntur de *arbore ſinapis*, quam etiam ſcandere licuit ut reliquas arbores, &c. Porrò hi Tractatus lucem dabunt aliis harum parabolarum periochis, cum *Chriſtus* ubivis de rebus vulgò apud gentem notis, & in more poſitis loquatur.

SECTIO XXXVIII.

MATTHÆI CAP. VIII. *verſ.* 18, 19, 20, 21, 22. MARCI CAP. IV. *verſ.* 35. LUCÆ CAP. IX. *verſ.* 57, 58, 59, 60, 61, 62.

Scriba Chriſtum ſequuturus.

NArratio de *Chriſto* in ulteriorem ripam tranſituro jure huc refertur, ut è *Marco* conſtat: Dicit enim, *illo die, cum ſerum diei eſſet*, &c. *Matthæus* videtur, eo quo poſuit loco, hanc narrationem retuliſſe, propter ejus proximitatem convivio *Matthæi* ſeu *Levi*, uti conſtabit è ſubſequente narrationis ſerie. Hoc convivium vocationi *Matthæi* contemporaneum fecit, ſimiliter plures ſimul narrationes retulit varias, tempore plurimum diſtinctas, quaſdam propè vocationem illius, alias ejus convivium, ſed major difficultas occurrit viz. an hæc narratio *Matthæi* de duobus *Chriſtum* ſequuturis, eaque apud *Lucam*, *Cap.* 9. *verſ.* 57. *&c.* de tribus eandem rem ſpondentibus, una eademque narratio ſit, an bina rerum quæ diverſo tempore evenerunt. Utcunque Chronologiam non turbat, haud facile eſt litem hanc dirimere. Certè verba *Chriſtum* alloquentium, ut & illius reſponſa, adeò conveniunt, ut haud facile quis in animum inducat diverſas narrationes ita ad amuſſim convenire. Eò tamen quod *Lucas* longè à ſuo loco hanc rem narraverit, diverſam hanc eſſe narrationem, conjectari facile eſſet. Plus operis quam emolumenti eſſet, de hac re multum diſquirere. Ut certius rem expediam, utraque narratio utroque loco ponenda eſt; binas enim eſſe narrationes facile credo. Ubi in utraque dicunt *Chriſtum* alloquentes, *permitte mihi primum abire & ſepelire patrem meum*, non argumento eſt, patrem eorum aut mortuum fuiſſe aut animam agere; verum obſtrictos ſe putabant, patrem dum in vivis eſſet, haud derelinquere.

SECTIO XXXIX. CHRIST. XXXI.

MATTHÆI CAP. VIII. *à verſ.* 23. *ad finem: Et* CAP. IX. *verſ.* 1. MARCI CAP. IV. *à verſ.* 36. *ad finem: &* CAP. V. *ab initio ad verſ.* 22. LUCÆ CAP. VIII. *à verſ.* 22. *ad verſ.* 41.

Sedatur per Chriſtum *tempeſtas maris; ejectaque Dæmonum Legio, &c.*

SAtis conſtat ordo è tribus Euangeliſtis; licet in narratione hujus rei videantur diſcrepare. I. Dicit *Marcus*, *acceperunt eum ut erat in navigio, viz.* ut tunc in navigio erat, quo conſcenderat ut populum doceret, *verſ.* 1. Duo reliqui de ingreſſu ejus in navigium tunc temporis, quaſi ibidem prius non fuiſſet, loquuntur; quia hanc narrationem haud continuò ſubjungunt narrationi de parabolis, quas è navigio loquutus eſt, uti *Marcus*, ſed alias narrationes huic præponunt. II. Quod *Matthæus* regionem illam trans Jordanem, quo abiverat, *Gergaſenorum* vocaverit, reliqui duo *Gadarenorum*, parvi momenti eſt: duplici enim nomine, antiquo ſcilicet & recentiori, ea regio gaudebat. III. Maxima difficultas ex eo oritur, quod cum *Marcus* & *Lucas* unius ſolum Dæmoniaci mentionem faciant, *Matthæus* duorum meminit. Ita obſervare licet, *Matthæum* de duobus cæcis mendicantibus ad urbem *Jericho* narrare, *Cap.* 20: 30. *Marcum* vero de unico, *Cap.* 10: 46. *Matthæum* etiam de duobus latronibus *Chriſto* exprobrantibus, *Cap.* 27: 44. *Lucam* verò de uno ſolum, *Cap.* 23: 39.

Quod ad hanc narrationem attinet, dici poteſt duos, de quibus *Matthæus*, non pari furore exagitatos fuiſſe; at unum alio rabidiorem fuiſſe; illum videlicet, de quo *Marcus* & *Lucas* verba faciunt. Aut fortean, nec repugnat huic ſententiæ Græcus apud *Matthæum* Textus, duo de marito & illius uxore intelligi poſſunt, de quibus reliqui duo Euangeliſtæ ac de uno loquuntur. Ex adductis tamen exemplis, ubi *Matthæus* de duobus, *Marcus* & *Lucas* de uno ſolum loquuntur, liquido conſtat, *Marcum* & *Lucam* (cum prius *Matthæus* ſcripſerat, & res geſtas narraverat, & perſonarum ibidem memoratarum numerum retulerat) non adeo ἀκριβῶς perſonarum numerum, quibus Miracula contigerunt, narraviſſe, (quam rem ille prius fecerat) ac ipſum miraculum referre, ut ipſa ſaltem opera *Chriſti* omnia literis mandarentur.

Euangeliſtæ horum miſellorum, qui obſeſſi fuerant, conditionem non aliter depingunt

Digitized by Google

CHRIST. XXXI.

gunt ac Judæi illum, quem שוטה vocant: hunc, cum quatuor aliis id genus hominibus, negotiis alicujus momenti & fidem deſiderantibus, eximunt. שוטה, *inquiunt*, ſeu mente motus dicitur, *qui noctu foras egreditur*; *& inter ſepulchra cubat*, *qui veſtimenta ſua dilacerat*, *& quod illi dono datur*, *corrumpit*, *Hieroſol. in Teroumoth*, *fol.* 4. *col.* 2.

Mirari fortean quis poſſit, qui tanta porcorum copia ibidem foret, cum Judæi à porcina carne quam maximè, nec multò minus à porcorum paſtoribus & ſubulcis, abhorrerent. *Dixerunt ſapientes*, *Maledictus ſit qui canes & porcos alit*, *Maimon. Niz. Mammon*, *par.* 5. De fœmina quadam narrant, quæ cuidam Sapienti hiſce verbis convitiata fuerat: *Aut vinoſus es*, *aut fænerator*, *aut porcos alis*, *Hieroſol. Shekalim*, *fol.* 47. *col.* 3. *Plinius* vero, cum nos edoceat quantum in delitiis apud *Romanos* caro porcina fuerit, hanc difficultatem tollit. *Neque alio ex animali numeroſior materia ganeæ*, *quinquaginta prope ſapores*, *cum cæteris ſinguli.* Hinc illæ Cenſorum paginæ Legum. *Interdictaque cœnis abdomina*, *glandia*, *teſticuli*, *vulvæ*, *ſincipita verrina.* Paulò poſthæc, *Solidum aprum Romanorum primus in Epulis appoſuit* P. Servilius Rullus, (pater ſcilicet *Rulli*, qui *legem agrariam* promulgavit conſule *Cicerone*) *tam propinqua origo nunc quotidianæ rei eſt.* Hinc obſervare licet, in more fuiſſe apud *Romanos*, totum aprum in epulis apponere: vide *Plin. Nat. Hiſt. lib.* 8. *cap.* 51. Conceſſo, *Gadarenos* fuiſſe *Judæos*, plerique enim non fuerunt; nec mira res porcos apud Ethnicos paſtos reperire, cum carnem porcinam culinæ & Romanorum luxuria poſcerent, facile morem gererent avari Judæi, præſertim cum per legem non vetitum fuerit vivos alere, licet cæſos comedere ſeverè prohibitum fuiſſet.

SECTIO XL.

LUCÆ CAP. V. *à verſ.* 29. *ad finem Capitis.*
MARCI CAP. II. *à verſ.* 15. *ad verſ.* 23.
MATTHÆI CAP. IX. *à verſ.* 10. *ad verſ.* 18.

Levi *Convivium: De Jejunando*, *&c.*

NON opus eſt de ordine hic multum dicere. Cur *Levi*, ſeu *Matthæi* vocatio & convivium unà narrentur per Euangeliſtas, ſuprà dictum fuit, quia ſcilicet unâ vice illius res abſolvere ſatagebant: vocationem ejus eo loco contigiſſe, quo poſuimus, ex hiſtoriæ ſerie liquidò conſtat; nec non convivium hoc loco ponendum, conſtat è verſu 18. *Matthæi.* Ait enim, *hæc eo loquente illis* de jejunando, &c. *venit ad eum Jairus*: cujus adventum reliqui duo Euangeliſtæ huic loco clariſſimè aſſignarunt.

CHRIST XXXI.

In ædibus *Matthæi*, non ita pridem publicani, quo *Chriſtus* ad convivium vocatus fuerat, multi publicani & peccatores unà cum eo diſcumbunt & comedunt; à quo more maximè abhorrebant Phariſæi; & eo propter Chriſtum & illius diſcipulos incuſant. Chriſtum enim & illius diſcipulos חבריא i. e. *Sapientes* reputabant, & idcirco obſtrictos convictum vulgi vitare; præſertim hominum ejuſmodi qui male audiebant. *Haud licitum erat*, juxta eorum conſtitutiones, *diſcipulo ſapientis cum quovis vulgi edere*, multo minus cum publicanis & peccatoribus, peſſimi ſcilicet nominis viris.

SECTIO XLI.

MARCI CAP. V. *à verſ.* 22. *ad finem Capitis.*
LUCÆ CAP. VIII. *à verſ.* 41. *ad finem.*
MATTHÆI CAP. IX. *à verſ.* 18. *ad verſ.* 27.

Sanguinis profluvium ſanatur. Jairi filia vitæ reſtituta.

E *Matthæo* conſtat ordo. Dicit enim, *hæc eo loquente*, ea ſcilicet quæ præcedenti Sectione memorantur *de jejunando*, *&c.* venit ad eum *Jairus*, rogans ut ſanaret filiam ſuam jam morituram.

Jairus fuit præfectus Synagogæ *Capernaumi*, ubi tot miracula per *Chriſtum* edita viderat, ut, dato nondum diſcipulum *Chriſti* factum, credat facile filiam ſanare poſſe, quamvis animam jam ageret. *Jeſum*, cum eo ambulantem per plateas *Capernaumi*, ſequitur mulier profluvio ſanguinis à duodecim annis laborans, eumque tetigit. Tot annos eo morbo laboraverat, quot nata erat *Jairi* filia, *Luc.* 8: 42, 43.

Hujus fœminæ morbus non ſolum maximus languor fuit, verum etiam immunditiies, Legalis ſcilicet, permagna. Multa fœda dictu de hoc morbo, quoad illius immunditiem, ediſcere licet è *Tractatu Zavim*, *& Maimon. Iſſure Biah*, *cap.* 4, 5, 6. Et ea fortean de cauſa timida & tremula hæc mulier ad *Chriſtum* venit, cum latere haud potuit, *Marc.* 5: 33. quia, cum immunda fuerit, *Chriſtum* tangere auſa eſt.

Hiſtoria de imaginibus *Chriſti*; hujuſque fœminæ eum tangentis; æneis, quas Pontificii ad ſtabiliendum cultum imaginum retulerunt, diffito admodum ab hoc loco *Chriſtum* & hanc fœminam conveniſſe, innuit. Narratio, uti apud *Euſebium*, *Baronium* & alios videre eſt, hujuſmodi eſt. Cæſareæ Philippi,

Digitized by Google

CHRIST. XXXI. *quam alias* Paneada *vocant, videre eſt domum hujus mulieris; pro foribus domus illius, æneam mulieris effigiem genibus flexis: huic è regione viri imaginem ex eadem materia conflatam, veſtitu ad talos uſque ornatam, & manum mulieri porrigentem; ibidemque peregrinam quandam herbæ ſpeciem enaſci; quam quidem, ubi ad ænei veſtitus fimbriam excreverit, morbi cujuſque generis medicandi vim & facultatem habere.*

Quomodò vero hæc *Ceſareæ Philippi?* Cum ſanatio fœminæ per tactum fimbriæ, *Capernaumi* contigerit. *Matthæus* enim narrat, *Jeſum*, relicta *Gadarenorum* regione, *in ſuam urbem veniſſe*, *Cap.* 9: 1. *Capernaumum* ſcilicet. Ibidem erat *Matthæi* domus, ubi fuit cum *Jairus* ad eum venit: vide Sectionem XXIII.

Prius quam venerat domum *Jairi*, filia illius mortua fuit, & ibidem *tibicines* & turbam tumultuantem, luctus nimirum ſignum, repperit. Hoc in more erat poſitum apud Judæos hac in re, ut videre eſt in *Talm. Hieroſ. Beracoth*, *fol.* 5. *col.* 4. *Maimon. in* אישות *Cap.* 14. *&c.* vide etiam *Hieroſ. Moed Katon*, *fol.* 83. *col.* 4.

Capernaumo triſtem olim ſententiam denunciaverat, *Matth.* 11: 23. *ad Sect.* XXXII. *Tu Capernaum, quæ es uſque ad cœlum ſublata, uſque ad inferos deprimeris, &c.* Quæ urbi velut toti denunciatur, quæ per eas res, quas audiverat atque viderat, ad cœlum uſque fuerat exaltata; cumque eſſet urbs Chriſti, ſive locus ubi domicilium habebat, non tamen crediderat. Eò propter, cum vitæ hanc puellam reddiderat, vetat illius parentes palam facere. Ea enim urbs tanta dignatione jure exciderat. Hoc non obſtante frequenter eo venit, ibidemque commoratur; partem quia alios ibi habebat, qui in media plurimorum incredulitate ad illum pertinebant, in eumque credebant; & partim quia ratio nulla erat, cur propter eorum incredulitatem aliò migraret, vel mutaret domicilium alienæ pravitatis gratia; ubicunque enim novum fixurus erat, inter aliquos ejuſdem indolis erat commoraturus.

SECTIO XLII.

MATTHÆI CAP. IX. *à verſ.* 27. *ad verſ.* 35.

Duo cæci, nec non mutus & dæmoniacus ſanantur.

CONſtat ordo ex hiſce verbis, *cum Jeſus digrederetur illinc*, *verſ.* 27. & iis, *egredientibus illis*, *verſ.* 32.

Jeſus, relictis *Jairi* ædibus, domum ſuam venit, *verſ.* 28. Duo cæci ibidem eum conveniunt, quorum oculos tetigit, dicens, *ſecundum fidem veſtram fiat vobis*, perſtringens hiſce verbis urbis illius, *Capernaumi* ſcilicet, CHRIST. XXXI. perverſam incredulitatem, nec non *Phariſæos*, qui aderant, *verſ.* 34. monens, fidem extollendo.

Egreſſis hiſce cæcis, mutum adducunt Dæmoniacum, qui etiam ſanatur; quam ſanationem Phariſæi magiæ vi factam eſſe ajunt.

SECTIO XLIII.

MARCI CAP. VI. *verſ.* 1, 2, 3, 4, 5, 6.
MATTHÆI CAP. XIII. *verſ.* 54, 55, 56, 57, 58.

Chriſtus Nazarethæ: ibidem quidam in eo offenſi.

DIctum eſt per *Matthæum*, *Jeſum*, relictâ *Gadarenorum* regione, in urbem ſuam veniſſe, *Cap.* 9: 1. *Capernaumum* ſcilicet; ubi ipſe commorabatur, nec non *Matthæus* & *Jairus*. Tres præcedentes Sectiones narrant, quæ geſta fuerant in tribus horum ædibus. *Marcus* porrò dicit, *egreſſum illinc veniſſe in patriam ſuam*, *Nazaretham* ſcilicet: ita enim ea urbs rurſus appellatur, *Joh.* 4: 44.

In eâ Synagogâ contumelioſe olim habitus fuerat, & non ſine vitæ periculo, *Luc.* 4: 29. Eò iterum venit ut eos probaret, ubi malè habitus eſt ut olim, abſque tamen vitæ diſcrimine: idcircò non edidit illic virtutes multas propter incredulitatem eorum; *Marcus* ait, *neque potuit illic virtutem ullam edere*, *verſ.* 5. Quæ verba defectum potentiæ non arguunt, ſed illius conſilium & agendi conſuetam normam ſubinnuunt. Hujuſmodi loquendi morem videre eſt *Gen.* 19: 22.

Quod per eundem Euangeliſtam dicitur, *& mirabatur incredulitatem eorum*, haud ita intelligi debet ac ſi miraretur, quod ad ſalutem non credidiſſent, ſed quod majorem fidem non habuiſſent.

SECTIO XLIV.

MATTHÆI CAP. IX. *verſ.* 35, 36, 37, 38.

Alia Galilææ peragratio.

MAtthæus hæc verba rebus geſtis, *Sectione* XLII. memoratis, ſubnectit; & ultima verba, apud *Marcum*, præcedentis Sectionis, *circuibat vicos in orbem docens*, primis hujus Sectionis verbis cohærent, adeoque connexionem aſtruunt.

Cum prius *Nazarethæ* rejectus fuiſſet *Chriſtus*, cœpit inde egreſſus in *Synagogis* eorum prædicare, uti videre eſt *Sectione* XVIII. Ita & nunc facit. Eum jam tanta multitudo ſequi-

Digitized by Google

CHRIST. XXXI. ſequitur ut diſcipulos ad prædicandum publicitus emittere ſtatuat.

SECTIO XLV.

MATTHÆI CAP. X. *totum*, *Et* CAP. XI. *verſ.* 1.
MARCI CAP. VI. *verſ.* 7, 8, 9, 10, 11.
LUCÆ CAP. IX. *verſ.* 1, 2, 3, 4, 5, 6.

Duodecim Apoſtoli ad prædicandum emiſſi.

ORdo è *Matthæo* & *Marco* liquet.

Duodecim diu conſtituti fuerant Apoſtoli, & ex eo tempore una cum *Chriſto* erant, tanquam candidati, ut opera illius viderent, & illius doctrinam ediſcerent. Ex quo Apoſtoli deſignati ſunt, multus fuit *Chriſtus* in docendo, ut Euangelium Regni ediſcerent, & illud prædicarent cum emiſſi eſſent. Diſcipuli hucuſque fuerunt, neque à reliquis, qui *Chriſtum* ſequebantur, diſcrepabant, quod ad Spiritus dona attinet. Jam dat iis poteſtatem ſanandi & ejiciendi dæmones, vim edendi miracula ſcilicet reſtituens. Spiritu morbos ſanabant, at verò *Spiritu* non prædicabant: ea verò docebant, quæ per *Chriſtum* edocti fuerant.

Mittit eos binos; probabile eſt duodecim exploratores olim binos & binos etiam terram exploraviſſe. Apoſtolos binos profectos eſſe, eo ſcilicet ordine, quo apud *Matthæum* enumerantur, conjectari etiam fas eſt.

Quod vero *Chriſtus* vacuos eos mittit, eò fecit, I. Ut curis ſoluti toti ab eo pendeant. II. Ut certiores eos reddat, acceptos fore miniſterio ſuo fungentes, nec non incolumes victum reperturos. Idcirco cum apud *Lucam*, *Cap.* 22: 36. dictum ſit, *jam verò crumenam & peram ſumite*, *&c.* non ita intelligendum eſt, ac ſi minorem eorum curam haberet quam olim, ſed monet eos fore ut minus accepti & majoribus malis obnoxii demum eſſent.

Cum in *Matthæo* & *Luca* baculos ſumere prohibentur, apud *Marcum* dictum eſt, ut *nihil ſumerent ad iter niſi virgam tantum:* non baculos, quibus vel alios ferire vel ſemet defendere poſſint; at virgam cui itinere fatigati inniti poſſint, *Gen.* 32: 10.

Limites prædicationis illis præſcribuntur, ſc. terra Iſraëlis; ubi tamen Ethnici quam plurimi in civitatibus unà commorabantur: voluit enim Dominus hanc gentem primâ Euangelii prædicatione dignari, uti olim legiſlatione fecerat; cum privilegio peculiaris populi exciderunt, *Chriſtum*, qui Euangelium annunciaverat, crucifigentes, tum poteſtas facta eſt Apoſtolis eundi ad Ethnicos, *Matth.* 28.

CHRIST. XXXI.

SECTIO XLVI.

MARCI CAP. VI. *à verſ.* 14. *ad verſ.* 30.
MATTHÆI CAP. XIV. *ab initio ad verſ.* 13.
LUCÆ CAP. IX. *verſ.* 7, 8, 9.

Johannes *decollatur. Diſcipuli ejus Chriſtum adeunt.*

M*Arcus* & *Lucas*, *qui hanc* narrationem miſſioni diſcipulorum *Chriſti* proximè ſubjunxerunt, ordinem confirmant. Cum *Matthæus* dicit, *illo tempore*, ea verba latè ſumenda ſunt, juxta uſitatum Sacræ Scripturæ morem, de tunc temporis ſcilicet majore intervallo, non præciſe de ipſo die vel temporis momento cum res geſta fuit. Nihilominus videtur his verbis reſpexiſſe quoque ad hiſtoriam, quam proximè recitaverat, quanquam mediocre temporis ſpatium interceſſerat. Narraverat enim ut *Chriſtus*, cum in patriam ſuam veniſſet, ſpretus fuerat, & quod in eo fuiſſent offenſi: *Herodes* tamen, cum rumorem miraculorum ejus audiverat, territus fuit.

In hâc Sectione duo tempora perpendere oportet, tempus ſcilicet mortis *Johannis Baptiſtæ*, & tempus, quo *Herodes* de *Jeſu* rumorem audiverat. Binæ verò narrationes quam maximè connexæ ſunt. Dum diſcipuli, juxta miſſionem *Chriſti*, paſſim prædicabant, *Herodes Baptiſtam* decollavit. Per prædicationem autem eorum in nomine *Jeſu*, de illius fama audivit *Herodes*; porrò diſcipuli de *Johannis* homicidio audientes, Dominum ſuum adeunt. Adeò ut ſuo loco, & eo tempore, quo contigit, *Johannis* mors narretur. Et è *Johanne* Euangeliſta, proximâ Sectione, facile conjectari licet de tempore, quo decollatus erat. Initio enim ſubſequentis Sectionis obſervare omnes licebit, quatuor Euangeliſtas receſſus Chriſti privatim in deſertum, mentionem facere. Cauſam *Matthæus* memorat; viz. quia nuper, per *Johannis* diſcipulos de illius morte inaudiverat. *Johannes* Euangeliſta verba faciens de *Chriſti* receſſu, hæc verba addit, *& Judæorum Paſcha appropinquabat*; unde licet concludere, mortem *Johannis* proximè ante Paſcha contigiſſe. Hinc elicere licet totum ſpatium tum miniſterii ejus, tum incarcerationis. Prædicare & baptizare cœpit anno *Chriſti* 29. illius anni verno tempore circa Paſcha. Elapſis demum ſex menſibus circa feſtum *Tabernaculorum*, per eum baptizatur *Jeſus*. Uſque ad exitum feſti Tabernaculorum ſubſequentis anni, viz. *Chriſti* 30. bap-

CHRIST. XXXI.

baptizat *Betbabaræ* & *Ænoi*. Eo anno, *Octobrem* circa, incarceratur uſque dum appropinquaret Paſcha anni *Chriſti* XXXII. Adeò ut trium annorum ſpatium, majorem ſcilicet partem libere prædicans, reliquam incarceratus egerit.

Herodes, rumorem de *Jeſu* audiens, percuſſus eſt conſcientiæ tremore ob cædem *Johannis*. Si *Sadducæorum* fermento infectus fuit *Herodes*, haud obſtante hoc fermento terretur, & *Johannem* è mortuis ſurrexiſſe ſuſpicatur.

SECTIO XLVII.

MATTHÆI CAP. XIV. *à verſ.* 13. *ad finem Capitis.*
JOHANNIS CAP. VI. *à principio ad verſ.* 22.
MARCI CAP. VI. *à verſ.* 30. *ad finem Capitis.*
LUCÆ CAP. IX. *à verſ.* 10. *ad verſ.* 18.

Quinquies mille miraculoſe paſcuntur. Chriſtus ſuper mare ambulat.

QUatuor Euangeliſtæ eandem narrationem referunt, de pluribus ſc. millibus, quos Chriſtus in deſerto miraculoſe paſcebat. *Marcus* & *Matthæus* hanc narrationem præcedenti nectunt; ut cuivis liquido conſtabit è verſu ultimo præcedentis, & hujus Sectionis primo.

Johannis Diſcipuli mortem Domini nunciantes, & diſcipuli *Jeſu* à prædicando redeuntes, eodem ferè tempore ad eum veniunt. *Johannis* diſcipuli fortean ex eo tempore *Chriſto* hærent, neque poſthæc eum derelinquunt. Hoc nuncio accepto in deſertum ſecedit *Jeſus*, *ſuper mare Galilææ*, *Job.* 6: 1. non in oppoſitum littus trans *Jordanem*, ſed pernavigans mare idem legebat littus, *Capernaumo* ſcilicet ad deſertum *Bethſaidæ*. Dicitur enim, *turba pedibus ſequuta eſt eum*, *Matth.* 14: 13. & ad eum venit. Cumque diſcipuli ejus renavigant, dicuntur *Bethſaidam* tranſire, *Marc.* 6: 45. & inde *Capernaumum*, *Job.* 6: 17. eandem nempe oram ſemper legentes.

Tertium à Chriſti Baptiſmo Paſcha.

Johannes appropinquantis *Paſchatis* mentionem fecit *verſ.* 4. Ille enim ſolus *Paſchatum*, quæ inter baptiſmum *Chriſti* & illius mortem contigerunt, rationem reddidit, ut ſpatium publici illius miniſterii rectius intelligatur: Apoſtoli eopropter fortean una conveniunt, viz. quod appropinquaret *Paſcha*, Dominum ad celebrationem hujus feſti ſequuturi. Unà conveniunt *Capernaumi*, urbis Domini, quò venire eo tempore, uti veriſimile eſt, eos prius commonuerat.

CHRIST. XXXI.

Cum turbam *Chriſtus* paſcere in animo habuit, *Philippum* rogat, *Ubi panem coememus?* In deſerto ſcilicet *Bethſaidæ*, urbis *Philippi*, *Job.* 1: 44.

SECTIO XLVIII.

JOHANNIS CAP. VI. *à verſ.* 22. *ad finem Capitis.*

Jeſus *in Synagoga* Capernaumi *docet*, *de eſu carnis ſuæ*, *&c.*

PRima hujus Sectionis verba, ſc. *die ſequente*, ordinem aſtruunt.

Quidam ex iis, qui per *Chriſtum* in deſerto *Bethſaidæ* miraculoſe paſti fuerant, ſub dio per totam noctem manſerunt, reditum *Jeſu*, qui ſine diſcipulis abiverat, expectantes. Proximo mane eum ſequuntur *Capernaumum*, ibidemque eum reperiunt. Erat ibidem tunc dies Synagogicus, ſecunda ſcilicet aut quinta feria: ibidem *Chriſtus* de eſu carnis ſuæ & ſanguinis potatione docet: adeo aliena hæc videbatur doctrina; ut quidam qui eum ſequuti fuerant, eum derelinquerent.

Quid ſibi vult populus hic? Heri miraculoſe fuerant paſti; hodie verò dicunt, *Quod ſignum edis, ut videamus & credamus? verſ.* 30. *Patres noſtri ederunt manna in deſerto*, *&c. verſ.* 31. Expectabant miraculoſam paſtionem & perpetuam, uti *Moſes Iſraëlem* in deſerto Manna paſcebat; & eò ſpectant verba *Chriſti*, *verſ.* 26. *Quæritis me, non quia vidiſtis ſigna, ſed quia ediſtis panes.*

Dictum eſt, *cum vidiſſent ſignum*, *quod* Jeſus *ediderat*, *dicebant*, *Hic eſt verè Propheta ille*, *qui venturus erat in mundum: & abrepturi erant eum ut facerent Regem*, *Job.* 6: 14, 15. In hoc miraculo putabant ſe videre ſignum *Meſſiæ*, quem expectabant, qui, uti *Moſes*, populum ſuum miraculoſe paſceret: idcirco, cum iſtiuſmodi ſignum petunt, *Chriſtus* vetat eos alium cibum ſperare, prӕter ſuam carnem & ſanguinem. Hæc verba adeò illis diſplicent, ut porrò eum ſequi recuſent.

SECTIO XLIX.

JOHANNIS CAP. VII. *verſ.* 1.

Verſabatur autem Jeſus *poſt hæc in* Galilæa; *nolebat enim in* Judæa *verſari*, *quia ſtudebant eum* Judæi *interimere.*

INter hanc & præcedentem Sectionem contigiſſe *Paſcha*, de quo *Job.* 6: 4. conjectari licet. Poſt ea, quæ dicta ſunt in Synagoga *Capernaumi*, *Chriſtus Hieroſolymam* profectus eſt ad *Paſchatis* feſtum; ibidemque *Judæi*, *Synedrium* ſcilicet, ſtudent eum interimere. *Paſchatis* tempore anni elapſi coram iis ſiſtitur, ob

ob *violatum* Sabbatum; cum hominem *Betheſdæ* decumbentem ſanaret, accuſatus, *Joh.* 5. Ibidem aſſerit & liquido probat ſe eſſe *Meſſiam*; evadit porro ſine noxa, licet quo tandem modo hoc contigerit, ſcriptum non ſit.

Jam verò diſcipulorum incrementum, illiuſque fama & doctrina per prædicationem duodecim propagata, & fortean trucidati *Baptiſtæ* exemplum, excitaverant eos inſidias illius vitæ ſtruere: eâ cauſa relictis *Hieroſolymis Galilæam* petit, & etiam nunc in *Judæa* commorari noluit.

SECTIO L.

MARCI CAP. VII. *totum*, & CAP. VIII. *à principio ad verſ.* 22.
MATTHÆI CAP. XV. *totum*, & CAP. XVI. *à principio ad verſ.* 13.

Impiæ Scribarum & Phariſæorum traditiones: Sanantur filia *Cananææ*, *ut & mutus & ſurdus. Quater mille miraculoſe paſcuntur. Phariſæi ſignum poſcunt, &c. Eorum fermentum, &c.*

CHRIST. XXXII. BIni hi Euangeliſtæ hanc narrationem fini Sectionis XLVII. nectunt. De ordine tamen Sectionis XLVIII. & XLIX. quas interpoſuimus dubitandi locus non eſt.

Quidam *Scribæ* & *Phariſæi*, eâ de cauſa *Hieroſolymis* miſſi (ut ex eo conjicere licet, quia *Synedrium* ibidem *Jeſum* trucidare ſtudebat) ei inſidias ſtruunt, & factionem ei adverſam creant, cum ejus diſcipulis certantes eò quod illotis manibus ederent. De hâc re eorum ſuperſtitionem videre eſt in Tractatu Talmudico *Jadaim*, & *Maimon.* in *Mikvaoth*, & paſſim apud Scriptores *Hebræos*, ubi de conviviis & edendi ritibus agunt.

I. *Manuum lotio, ſive immerſio per Scribas inſtituta fuit*, inquit *Maimon. Mikv. par.* 11.

II. *Hillel & Shammai de lotione manuum conſtituerant: verum R. Joſe filius R. Ben ait, traditionem ea de re ad eos perveniſſe, & excidiſſe. Hi igitur conſtituebant juxta mentem præcedentium*, Talm. Hieroſol. Shabb. fol. 3. col. 4.

III. אכילת הולין בטהרה i. e. *Comeſtio cibi communis in munditie*, paſſim in ſcriptis eorum occurrit, & deprædicatur. Gloſſa in *Chagig. par.* 2. pii viri ſignum ſtatuit, *comeſtionem cibi vulgaris in munditie*. Et *Gemariſtæ* in locum *Talmud. Hieroſol.* jam nunc citatum, dicunt, *Quicunque in Terra Iſraëlis commoratur, & cibum vulgarem in munditie edit, & linguâ ſanctâ loquitur, & mane & veſpere Phylacteria recitat, vitam futuri ſeculi procul dubio conſequetur.* CHRIST. XXXII.

In *Challah*, fol. 58. col. 3. *R. Joſ. nomine R. Shabeai, & R. Chajash nomine Simeonis Ben Lachish*, inquiunt, *Tenetur quivis quatuor milliaria ire ad lavandum manus. Traditum eſt lotionem ante cibum pro lubitu, à cibo eſſe de jure. Ante cibum verò, non item à cibo, quædam preces recitandæ ſunt. R. Jacob Bar R. Iſaaci dixit, An dicis eum, qui lavat, preces recitare, & tamen lotionem arbitrio relinquis? Dicunt, teneri quatuor milliaria ire ad lavandum manus, & tamen rem arbitrariam eſſe affirmas?*

Ut hanc aliaſque Scribarum traditiones, verbo Dei prætulerint, & eâ ratione irritum fecerint, paſſim apud eos videre eſt, blaſphemias hujuſmodi eructantes: *Verba Scribarum pulchriora ſunt verbis Legis, & graviora ſunt verbis Prophetarum.*

Et, qui dicit, Phylacteria non eſſe, eoque verba legis tranſgreditur, non reus eſt. Qui vero quinque Phylacteria eſſe aſtruit, eoque verbis Scribarum addit, reus eſt, Hieroſol. Beracoth, fol. 3. col. 2. *Anguſta eſt lex ſcripta, oralis vero terrâ longior & mari latior eſt*, Tanchum, fol. 4. col. 4.

Salvator noſter has execrandas Traditiones damnans, impium illud dogma, quo liberi parentibus illudentes ſubſidium illis negabant, perſtringit ῥητῶς; ſcilicet cum quis patri aut matri dixerit, eſt *Corban, &c.* Officium filii in patrem canones illorum ita depingunt, viz. *victum & veſtitum ſuppeditare, cum fuerit opus, lavare manus, pedes, faciem, & egredientem aut ingredientem ducere*, *Toſaph. in Kidduſchin, par.* 1. Per hanc tamen Traditionem omne hoc officium tollebant. Vocem *Corban*, uti hic uſurpatur, Tractatus Talmudici, *Nedarim* & *Nazir*, & *Toſaphtoth* ibidem, ſatis explicant.

Quod de edendo illotis manibus dixit, magnam *Phariſaiſmi* partem evertit. Lotio ante cibum, licet maxima pars eorum ſanctimoniæ fuerit, è traditione ſolum pendebat. *Moſes* quidem quædam vetabat, uti tactu immunda: & qui hæc tetigerat, contaminatus fuit ſecundum eam legem, ſcilicet à Sacris & à cœtu arcebatur: hæc vero immundities, cujus ergo lotio ante cibum inſtituta erat, iſtiuſmodi non fuit.

Chriſtus Ethnicam petentem ut è filia dæmonium ejiceret, alloquens, Ethnicos *Canes* appellat. Ejus mentem aſſequuta eſt facile; ſolebant enim *Judæi*, eos canes appellare, *Midr. Till. fol.* 6. *col.* 3. אומות עולם נמשלו ככלבים i. e. *nationes mundi canibus aſſimilantur.*

Nullum ſignum *Phariſæis* petentibus conceditur præter ſignum *Jonæ* Prophetæ: quo

Chri-

CHRIST. XXXII. *Chriſtus* non ſolum ſuam ſepulturam & reſurrectionem innuit, ſed præcipue vocationem *Gentium* poſt reſurrectionem illius; ut vocati ſunt *Ninivitæ*, poſtquam *Jona* emerſerat. Hæc res *Judæis* admodum ingrata fuit.

SECTIO LI.

MARCI CAP. VIII. *verſ.* 22, 23, 24, 25, 26.

Cæcus Bethſaidæ ſanatur.

Marcus connexionem confirmat. *Chriſtus* præcedente Sectione, ut & illius diſcipuli, mare trajiciebant; jam vero *Bethſaidam* venerunt. Eò navigabant cum *Jeſus* quinquies mille paſceret, Sectione XLVII. Ibidem diſcipuli haud rectè intelligebant verba *Chriſti*, *Cavete à fermento Phariſæorum*, ac ſi objurgaverat eos, quod panem non attulerint. Ipſe locus, ubi tum fuere, errorem illum redarguere potuiſſet.

Chriſtus cæci oculos aperit, haud verò *Bethſaidæ*, ſed extra oppidum educens. Porrò ei *Bethſaidam* redire, cum ſanatus fuerat, aut cuiquam ibidem prædicare interdicit. Olim, ut dictum eſt ſupra, *Bethſaidæ* comminatus fuerat, *Matth.* 11:21. & propter illius pervicaciam eam abdicaverat: iis, ibidem commorantibus vocatis prius, qui ſui erant.

SECTIO LII.

MATTHÆI CAP. XVI. *à verſ.* 13. *ad finem Capitis.* MARCI CAP. VIII. *à verſ.* 27. *ad finem Capitis. Et* CAP. IX. *verſ.* 1. LUCÆ CAP. IX. *à verſ.* 18. *ad verſ.* 28.

Claves regni Cælorum traditæ Petro, &c.

E *Matthæo* & *Marco* patet ordo.

Cum *Petrus* profeſſus fuerat *Jeſum* eſſe *Chriſtum filium Dei viventis*, I. Spondet ſe ædificaturum Eccleſiam ſuper *Petram* hujus veritatis; & *Petram* per eam agnitam, juxtà *Eſaj.* 28:16. *Pſalm.* 118:22, &c. II. *Claves Regni cœlorum Petro* ſolummodo pollicetur, utpote qui primus januam fidei & Euangelii Ethnicis reſeraret: quod & impletum erat, *Act.* 10. III. Poteſtatem ei facit *ligandi & ſolvendi*, quæ & reliquis diſcipulis etiam facta fuit, *Matth.* 18:18.

Ligare & ſolvere, eo ſenſu quo paſſim apud Scriptores Judæos uſurpatur, (quo ſenſu & *Chriſtum* loqui admodum veriſimile eſt) magis *res* quam *Perſonas* reſpiciunt. Idcirco dicit, ὃ ἐὰν δήσῃς, non ὃν, & *Matth.* 18:18. ὅσα ἂν δήσητε, non ὅσους.

Hæc Phraſis לאסור ולהתיר, i.e. *ligare & ſolvere*, ut paſſim uſurpatur, ſignificat prohibere & permittere, aut docere quid prohibitum aut permiſſum ſit, quid licitum, quid illicitum, ut ex hiſce exemplis, innumeris prætermiſſis, ex eorum ſcriptis depromptis, conſtat.

Talm. Peſach. par. 4. *hal.* 5. *Dicunt ſapientes in Judæa ſolitos fuiſſe operari die Paſchatis ad meridiem uſque, haud vero in Galilæa. Quod ad noctem* בית שמאי אוסרין i.e. *Schola Shammæana ligabat*, interdixit ſcilicet, & operari prohibuit; ובית הלל מתירין עד הנץ החמה i.e. *Schola Hilleliana ſolvit ad ortum ſolis:* i.e. operari permiſit uſque ad ortum ſolis.

Hieroſol. in Shabb. fol. 6. *col.* 1. de lotione in Balneis *Tiberiadis* die Sabbati loquentes, de hac re hoc modo ſtatuunt ואסרו להן רחיצה והתירו להן זיעה i.e. *lotionem ligant, ſolvunt ſudorem*; *viz.* ſtatuebant licitum eſſe Balneis uti ſudoris cauſa, non voluptatis.

Ibid. fol. 4. col. 1. *Litteras per Ethnicum haud mittunt veſpere Sabbati, nec quinta feria; quarta* בית שמאי אוסרין, *Schola Shammæana ligat*, ובית הלל מתירין, *& Schola Hilleliana ſolvit.*

Ibid. fol. 7. col. 4. *Die Sabbati non permittitur mulieri ſpeculum inſpicere: ſi verò parieti infixum fuerit* רבי מתיר וחכמים אוסרין, *ſolvit Rabbi, ſapientes ligant.*

Idem Jom Tob, fol. 60. col. 1. *R. Jóchanan relicta Tſippore Tiberiada venit: Dicit, cur ad me hunc ſeniorem adduxiſtis* דאנא שרי והוא אסר ואסר והוא שרי, *nam quod ſolvo ligat, & quod ligo ſolvit.*

Maimon. in Hhamets Umatſah, par. 4 המץ ספרים אסרוהו *Scribæ fermentum ligarunt*; i.e. interdixerunt.

Tanchum, fol. 1. col. 3. כרוחך התירו שאלת שלום בשבת, i.e. *coacti ſunt ſolvere ſalutationem die Sabbati:* ſcilicet permiſerunt, aut licitum eſſe ſtatuerunt.

Innumera hujuſmodi exempla depromere facile eſſet. Conſtat Judæos hæc verba uſurpaſſe cum eorum ſapientes docerent, quid licitum & permiſſum, quid illicitum & interdictum fuerit. Munus hoc depingitur in *Toſaph. ad Jebammoth, cap.* 4. חכם שדן את הדין טמא וטהר אסר והתיר, i.e. *Sapiens Judex contaminat & mundat, ſolvit & ligat.* De mundo & immundo, permiſſo & prohibito ſtatuit ſcilicet. *Maimon. in Sanhedr. cap.* 4. de ſeniorum χειροθεσία, eorumque muneribus agens, ait: *Sapientem, qui totam legem docere poteſt, Domus Judicii poteſtatem habet promovendi in Judicem ſcilicet, non in Doctorem ligati & ſo-*

Digitized by Google

CHRIST. XXXII. *& ſoluti; aut in hujuſmodi doctorem non item in judicem de rebus pecuniariis: aut in utrumque munus, non item in judicem de mulctis*, &c. Qui ad miniſterium promovebatur, nimirum ut populum doceret quid illicitum, quid licitum; quid agendum & quid interdictum fuit, ad hunc modum promotus fuit: *Cape poteſtatem ligandi & ſolvendi, aut docendi quid ligatum aut ſolutum eſt.* Utroque enim modo loquuntur לאסור ולהתיר & להורות באיסור והתר.

Ex hoc vulgari ſenſu horum verborum (qui etiam ſolummodò obtinuit) apud ſcriptores Judæos, mentem *Christi* diſcipulos alloquentis, facile quivis aſſequi poteſt. Quippe poteſtatem illis facit docendi, quid *ligatum* & *ſolutum*, quid licitum & illicitum. Hanc illis concedit ut miniſtris, & porrò omnibus miniſtris ſucceſſivè ad conſummationem mundi. Ut verò *Apoſtoli* fuerunt, ad gradum ſcilicet peculiarem & maximè eximium evecti, ad quem nulli poſtmodum evehendi eſſent, poteſtatem iis facit *ligandi* & *ſolvendi*, ſenſu eminentiori, quam miniſtris ſuccedentibus. Cum ſcilicet quædam præcepta Legis *Moſis* porrò eſſent obſervanda, quædam abroganda forent; quædam ibidem prohibita, demum permittenda eſſent; & quædam permiſſa, jam interdicenda forent; Apoſtolis pollicetur Spiritus auxilium, iiſque poteſtatem concedit ut quicquid ſtatuerent ratum eſſet, & irritum quicquid abrogarent. Scilicet ut *quod in terra ligarent, ligatum eſſet in cœlis*, &c.

SECTIO LIII.

MATTHÆI CAP. XVII. *ab initio ad verſ.* 24.
MARCI CAP. IX. *à verſ.* 2. *ad verſ.* 33.
LUCÆ CAP. IX. *à verſ.* 28. *ad verſ.* 46.

Chriſtus transformatur. E puero ejicitur Dæmon.

MAtthæus & *Marcus* hanc narrationem præcedenti nectunt hoc ligamento. *Sexto poſt die*, &c. *Lucas* verò dixit, *poſtea quaſi octo dies*, eodem prorſus ſenſu. Sex integri dies elapſi erant, ex quo præcedentia verba loquutus fuerat *Chriſtus* ad diem transformationis ſuæ. Adeò ut dies transformationis ejus octavus fuerit ex quo dixerat, *Sunt quidam ex iis, qui hic adſtant, qui non guſtabunt mortem uſque dum viderint regnum Dei veniſſe cum potentia.*

Hiſtoria transformationis *Chriſti* reſpicit prædictionem de magno illo Propheta, *Deut.* 18:18. *Prophetam ſuſcitabo eis è medio fratrum ipſorum, ſicut tu es*, &c. *Erit autem ut quiſquis non auſcultaverit verbis meis, quæ locuturus eſt in nomine meo, ego repoſcam ab eo. Prophetam*, i.e. ſucceſſionem Prophetarum, uſque dum veniret *magnus ille Propheta*, qui viſionem & Prophetiam obſignaret. CHRIST. XXXII.

Chriſtus, cum baptizatus fuerat, eâdem ætate quâ olim ſacerdotes munere ſuo fungi cœperint, ſuo miniſterio functurus, ſignum *ſummi Sacerdotis* receperat per vocem è cœlis dicentem, *Hic eſt filius ille meus dilectus in quo acquieſco.* Jam verò *ſummi Prophetæ* ſignum recepit cœlitus etiam per eadem verba, *Hic eſt filius ille meus dilectus, in quo acquieſco.* Additur verò, *audite eum:* ſecundum ea quæ dicta ſunt, *quiſquis non auſcultaverit*, &c. *Deut.* 18:19.

Primus Prophetarum *Moſes* oracula ſua è nube acceperat: & nubes gloriæ, dux ſcilicet *Iſraëlitarum* in deſerto, illo mortuo, receſſit. Nubes hæc inumbrans, & inde procedens Divinum oraculum, cum obſignaretur *Moſe* major Propheta, eâ de re nos cogitare monent.

Moſes primus fuit Propheta Judæorum, Ethnicorum primus *Elias:* bini *Chriſtum* dominum eorum comitantur. Per totam noctem *Chriſtus*, & illius tres diſcipuli in monte transformationis ejus agebant: dicit enim *Lucas*, *factum eſt autem ſequenti die cum ipſi deſcendiſſent*, &c. *verſ.* 37. *Chriſti* transformationem & ſplendorem faciei ejus cum ſplendore faciei *Moſis*, porrò primum Prophetam cum hoc *ſummo Propheta*, conferre licet.

Diſcipuli qui in omnia Dæmonia vim & poteſtatem acceperant, *Luc.* 9:1. hic unum ejicere non poſſunt. Duplicem ejus rei cauſam aſſignat *Chriſtus*, *viz.* eorum incredulitatem, & quia id genus non egreditur, niſi per precationem & jejunium. Nec mirum, quamvis ante hæc dæmonia ejeciſſent, *Marc.* 6:13. quòd major jam fuerit eorum incredulitas, ſi hæc duo perpendantur. I. Quidam morbi fuerunt, iique naturales, quos Judæi dæmonis obſeſſionem reputabant; præſertim ſi mentem turbarent, aut corpus graviter convellerent. Secundum hanc vulgarem loquendi morem & *Judæorum* mentem, frequenter loquuntur Euangeliſtæ. Plura hujuſmodi dialecti apud Judæos exempla depromere facile eſſet. Ita *Maimon. Geruſh. cap.* 2. *Qui malo ſpiritu turbatur, & cum morbus* [חולי] *eum invadit, ſcribe libellum repudii uxoris meæ, nihil dicit, quia ſui compos non eſt. Idem dicendum de ebrio, qui ad ebrietatem Lot propè accedit*, &c. Malum hunc ſpiritum חולי i. e. morbum appellat, i.e. phreneſin aut inſaniam, quæ lucida intervalla habuit.

Judæi porro loquuntur de quodam שאחזו קורדיקוס i. e. *qui Cordico obſidetur*; ſpiritu ſcilicet, qui vinum plus ſatis è torculari bibentem invadit, *Talmud in Gittin, cap.* 7. vide *R. Sol*, & *Niſſim ibid.* Et quoniam de puero inſtituta eſt hoc loco narratio, unicum ex-

Digitized by Google

CHRIST. XXXII.

emplum de malo ſpiritu pueros invadente adducam. שיבתא *Shibta*, inquiunt, *eſt malus ſpiritus, qui colla puerorum prehendit, etiam nervos ponè collum, quos ſiccat, & inutiles & invalidos reddit, puerumque occidit. Puerum invadit ex quo duos menſes natus eſt, & donec ſeptem annos natus fuerit, hoc diſcrimine haud eximitur*, Aruch in שיבתא. Hoc de motibus convulſivis aut nervorum contractione, aut de quovis alio iſtiuſmodi morbo naturali intelligere licet.

Hic verò puer non ſolùm motibus convulſivis & morbo comitiali, &c. laborabat, ſed reverà dæmone obſeſſus fuit. Quamvis Diſcipuli quoſdam morbidos ſanaverant, quos malis ſpiritibus obſeſſos vocabant Judæi, quem loquendi morem & Euangeliſtæ uſurpant; hoc tamen majoris penſi opus erat, cum reverâ dæmon in corpore hujus pueri fuerit. II. Conceſſo (neque enim pernegamus) eos reverà dæmonia priùs ejeciſſe, dicendum eſt majoris penſi hoc opus eſſe. Paſſim priùs prædicabant, & poteſtas iis facta fuit ejiciendi dæmonia, ut doctrinam ſuam confirmarent: jam verò eo munere non funguntur. Porrò jam *Scribæ* & *Phariſæi* eos adorti ſunt, proinde haud vulgari modo, quippe ab infantia obſeſſus eſt hic puer; id agunt Scribæ & Phariſæi ut eos confundant, peropportunè id tentantes, cum *Chriſtus* & tres è Diſcipulis præcipui, *Petrus*, *Jacobus* & *Johannes* abeſſent. Hiſce omnibus ritè perpenſis, aliquantulum concuſſam fidem eorum fuiſſe, mirari non licet.

SECTIO LIV.

MATTHÆI CAP. XVII. *verſ.* 24, 25, 26, 27.

Pecuniam ſolvit Chriſtus *miraculo partam.*

E Verbis *Marci* initio ſubſequentis Sectionis, cum primo verſu hujus collatis utriuſque ordo ſatis patet.

A *Chriſto* petunt ſemi-ſiclum, quem *Iſraëlita* quivis lege tenebatur annuatim ſolvere, animæ ſcilicet pretium, *Exod.* 30: 13. Hoc ediſcere licet è voce Δίδραχμα. Corradere ſolebant appropinquante Paſchate, ut ſuprà è Tractatu *Shekalim* annotatum fuit. Et licet ferè ſex menſes jam elapſi eſſent à *Paſchatis* tempore, tamen *Jeſus* ante hæc domi ſuæ *Capernaumi* non fuerat, ex quo tempore pecuniam hanc colligere ſoliti ſunt. Semi-ſiclus hic, quem annuatim ſolvit quivis *Iſraëlita*, cedebat ad conſervandum Templum ſartum tectum, & ad coëmendum quicquid ad cultum ibidem deſideratum fuit. *Debita eccleſiaſtica ſolvit Chriſtus*; licet, uti ex illius verbis ediſcere licet, cum filius eſſet magni illius Regis, cui hoc tributum debebatur, immunis eſſet. Reges enim ab alienis, non à ſuis liberis tributum accipiunt. Quod miraculo ex ore piſcis partum ſolveret, ſignum erat Divinæ illius poteſtatis, quâ res omnes ſibi operam dare cogeret, ut & ſummi ſtudii debita ſolvendi & vitandi offenſionem; & porrò paupertatis ejus, qui pecuniolæ hujuſce causâ miraculum edidit, quod abſque neceſſitate edere noluiſſet. Pro *Petro* etiam ſolvit, qui ejuſdem oppidi incola, & eadem lege aſtrictus, tamen ſolvendo non erat. Reliqui Diſcipuli ſolvere tenebantur, ubi commorati ſunt. Poſt excidium *Hieroſolymitanum* per *Romanos*, Δίδραχμον ἐτάχθη τοὺς τὰ πάτρια αὐτῶν ἔθη περιςέλλοντας τῷ Καπιτωλίῳ Διῒ κατ' ἔτος ἀποφέρειν. *Jovi Capitolino hunc ſemi-ſiclum annuatim ſolvere jubentur Judæi*, Xiphilin. apud Dion. lib. 66. Joſeph. de Bell. l. 7. cap. 27.

SECTIO LV.

MARCI CAP. IX. *à verſ.* 33. *ad finem Capitis.*
MATTHÆI CAP. XVIII. *totum.*
LUCÆ CAP. IX. *à verſ.* 46. *ad verſ.* 51.

Diſceptatur quis eſſet major. Quidam Dæmonia ejicit, qui Chriſtum *non ſequitur. Dic Eccleſiæ*, &c.

ORdo probatione non eget. Εναντιοφανία inter *Matthæum* & *Marcum* animadvertenda eſt. *Marcus* narrat eos diſceptaſſe, quis eſſet major, *Capernaumum* euntes, &, cum *Chriſtus Capernaumi* quærebat, quâ de re diſceptaverant, eos tacuiſſe. *Matthæus* narrat, *eodem tempore*, ſcilicet quo fuit *Chriſtus Capernaumi*, Diſcipulos ad eum veniſſe eumque interrogaſſe, *quis eſſet maximus*, &c. duas narrationes, de quibus *Marcus*, in unicam compingens, viz. diſceptationem in via, quis eſſet maximus, & quæſtionem *Chriſto* delatam.

Hæc diſceptatio ex eo fortean orta eſt, quod *Chriſtus Petrum*, *Jacobum* & *Johannem*, nuper in montem ſecedens, è reliquis ſelegerat. Litem hanc diremit puerum in medio ſtatuens, &c. Qui in eâ ſententiâ fuerunt hunc puerum fuiſſe *Ignatium* tunc temporis infantem, poſtea Martyrem, (vide *Niceph. lib.* 2. *cap.* 3. *Baron. ad annum Chriſti* 71. *Marg. de la Bign. in Ignat. in Bibliothec. Patrum, Tom.* 1.) haud ſatis perpendunt ipſius verba (modò ipſius ſint) in Epiſtolâ ad Eccleſiam Smyrn. Μετὰ τὴν ἀνάςασιν ἐν σαρκὶ αὐτὸν οἶδα. *Non ſolum ſcio Chriſtum in carne veniſſe, eo quod natus & crucifixus fuerit, ſed in carne vidi eum poſt reſurrectionem.* Latinus interpres reddit, *vidi eum in carne.* At licet quis vertat, *novi eum in carne*, &c. jure tamen mirari quis poteſt,

Digitized by Google

CHRIST. XXXII. teſt, eum, qui adeò infans fuerit ut in ulnas *Chriſti* reciperetur hoc anno, feſtum circiter Tabernaculorum, ſubſequente intra ſex menſes *Paſchate*, adeò gnarum fore ut eum reſurrexiſſe intelligeret.

Ex occaſione ſermonis *Chriſti* de excipiendo eos, qui veniunt in nomine ejus, ſuboritur *Johanni* ſcrupulus, de quodam qui nomen illius præ ſe ferebat, & in ipſius nomine dæmonia ejecit, neque tamen diſcipulum profitebatur, neque eum ſequebatur: Hinc major difficultas oritur, qui poteſtatem edendi miracula adeptus fuerit? Miracula enim revera edidiſſe (& non egiſſe partes magici exorciſtæ in nomine *Jeſu*, uti fecerunt poſtea quidam Euanlii hoſtes) è verbis *Chriſti* conſtat, qui miracula in ejus nomine edita concedit, & de homine tanquam de amico non hoſte loquitur. An hæc miracula ediderat in nomine *Chriſti*, an *Jeſu*, non diſquiremus. Eandem cauſam hujus poteſtatis ei factæ ac *Cajaphæ* prophetiæ, aſſignare licet. *Hoc autem ex ſemet ipſo non dixit: ſed cum eſſet Pontifex Maximus eo anno, prophetavit*, *Joh.* 11:51. Ἐμφατικῶς *eo Anno.* Jam enim nunc erat plenitudo temporis, annus expectatus, completio viſionis & Prophetiæ, & effuſionis Spiritus ultra quam olim facta erat. Cum convivium lautum *Chriſtus* pro ſuis paraverat, decidentes ex hac menſa micæ, quas alii colligebant & edebant, convivii amplitudinem oſtendunt, & de tempore monent. De *Chriſto* enim & de magno illo & illuſtri anno per Prophetas in omnibus ſeculis prædicto, miracula per eum edita, & per illius diſcipulos, & per ipſos *Judæos*, *Matth.* 12: 27. abundè teſtantur.

Matthæus uſque ad *verſum* 10. eadem plane narrat cum reliquis Euangeliſtis, uti Lector facile deprehendet. A *verſu* 10. ſolus verba *Chriſti* refert, & de illo narrationem inſtituit.

In more erat apud *Judæos* numerum centenarium diſtribuere in nonaginta novem & unum. Talm. in Peah, cap.4. hal. 1,2. *Cum nuces quis inter pauperes diſtribuit, quamvis nonaginta novem dividere, & unus ſpargere ſuadeat, huic eſt obtemperandum*, &c. *Econtra verò, ſi quis uvas & dactylos diſtribuit*, &c. Hieroſol. in Shabb. fol. 14. col. 3. *Rab*, & *R. Chajaſh dicunt, ſi nonaginta & novem per oculum malum, unus verò per manum cœli moriatur. Dixerunt R. Chaninah & Samuel, ſi nonaginta & novem per frigus moriantur, & unus per manum cœli*, &c.

Regulæ quas *Chriſtus* tradidit, juxta quas tractandus eſt peccans frater, erant *Judæis* ſatis notæ, & eorum praxi, ſaltem diſciplinæ conformes, viz.

I. *Admonitionem privatam* inter peccatorem & partem læſam: de hâc *Maimon. in Deah, cap.* 6.

II. *Admonitionem coram duobus Teſtibus.* Hieroſ. in Joma, fol. 45. col. 3. *Requiritur ut qui proximo injuriam infert, dicat ei, injuriam tibi intuli: ſi placatur, bene habet; ſin minus, adducat duos, & coram eis placatum reddat*, &c. *Chriſtus* tamen majus faſtigium charitatis exigit, ſcilicet ut pars læſa ad nocentis emendationem nitatur. Ita zelotypus coram duobus uxorem monebat, *Sotah, cap.* 1. *Et Synedrium* per duos diſcipulos ſapientum civitatem *Iſraëlitarum* idololatricam monebat, priuſquam bellum inferretur, *Maimon, Avodah Zarah, cap.* 4.

III. *Quod ſi neglexerit audire, Dic Eccleſiæ.* In more erat in Synagoga incorrigibilem quemvis promulgare. *Fœminæ rebelli, quæ maritum divexat, & ait, eum divexabo eò quòd hæc vel hæc mihi fecit; denunciat domus judicii, dicens, notum tibi facimus quod ſi præfractè in contumaciâ tuâ perſtes, licet dos tua fuerint centum minæ, eâ te excidiſſe. Poſt hæc de illâ edicunt in Synagogis & Scholis per quatuor Sabbata quovis die continuò, dicentes, fœmina hæc in contumacia ſuâ adverſus maritum perſtat*, &c. Maimon. in אישות, cap. 14. Et *ibid.* cap. 12. *Si quis liberis ſuis non proſpexerit, reprehendunt eum & pudore ſuffundunt, & eum urgent. Si denuò perſtet, in Synagoga promulgant, dicentes, inhumanus eſt hic vir, & liberos ſuos alere recuſat.* Publicâ hâc promulgatione *Eccleſiæ dixerunt.*

SECTIO LVI.

JOHANNIS CAP. VII. *à verſ.* 2. *ad verſ.* 10.

Feſtum Tabernaculorum.

CHRIST. XXXIII. M*Atthæus* & *Marcus* narrant quod, *cum finiviſſet* Jeſus *Sermones iſtos*, præcedentis ſcilicet Sectionis, *ſolvit à* Galilæa, *& venit in fines* Judææ *trajecto Jordane*, *Matth.* 19: 1. *Marc.* 10: 1. Quæ verba non ita intelligenda ſunt ac ſi illico eò veniſſet, ſed eos de rebus illius geſtis verba non facere uſque dum eo venerat, intermiſſo fere ſex menſium ſpatio, de quo *Lucas* & *Johannes* narrant. Illi *Jeſum* è *Galilæa* trans *Jordanem* perducunt, & illicò *Hieroſolymam* reducunt ad paſſionem ſcilicet ſuam: Hi verò, uti videre licet, bis eum *Hieroſolymam* reducunt, ad feſtum nimirum *Tabernaculorum* & *Dedicationis*, ante ultimum illius adventum.

Fratres, ſeu cognati *Jeſu* hortantur eum ad feſtum Tabernaculorum ire, ut *Diſcipuli ipſius* in *Judæâ* commorantes opera ejus conſpicerent, *verſ.* 3. vide *Joh.* 3:22. & 4:1. Fratres illius in eum non credebant, *verſ.* 5. eâ præſertim de cauſa, quod obſcuram & latitantem vitam, quam degere elegit, minus ſplendori & amplitudini *Meſſiæ* convenire autumabant. Petunt idcirco ut per miracula ſua ſe no-

Digitized by Google

CHRIST. XXXIII. tum redderet in *Judæa* florentiſſimâ regni parte, ut, ſi *Meſſias* reverâ eſſet, ibidem ſeſe oſtentaret, quam rem *Meſſiam* facturum credebant.

SECTIO LVII.

LUCÆ CAP. IX. *à verſ.* 51. *ad finem Capitis.*

JOHANNIS CAP. VII. *verſ.* 10.

Chriſtus iter inſtituit ad Feſtum Tabernaculorum.

HOc *Chriſti* iter *Hieroſolymam* verſus, de quo *Lucas* in hâc Sectione, idem eſſe de quo hic *Johannes*, ſcilicet ad feſtum Tabernaculorum, ex eo conſtat, quod *Lucas* duo itinera, quæ, præter hoc, verſus *Hieroſolymam* inſtituit, demum memorat, viz. *Cap.* 13:22. ad feſtum *Dedicationis*, & *Cap.* 17: 11. ad *Paſcha*, cum paſſionem ſuam ſubiturus erat.

Verba *Lucæ, cum impleretur tempus, quo ſurſum reciperetur, tum ipſe ſeſe obfirmavit ut proficiſceretur Hieroſolymam*; ita intelligenda ſunt: q. d. cum jam intra ſex menſes moriturus eſſet, in animum induxit demum, *Hieroſolymam* frequentius, quam olim fecerat, ire. Quem locum, & regionem ei vicinam prius ſæpius evitaverat, quia *Judæi* vitæ illius inſidias ſtruxerant.

Narrationes de quibuſdam in hac Sectione, qui ſpondentes ſe *Chriſtum* ſequuturos, aliis rebus aſtricti fuerunt, ſupra memorantur, Sectione XXXVIII.

SECTIO LVIII.

LUCÆ CAP. X. *ab initio Capitis ad verſ.* 17.

Septuaginta Diſcipuli emiſſi.

QUod ad narrationis ordinem, notandum eſt, I. *Lucam* dicere *poſt hæc*, ſcilicet quæ priore Sectione memorantur, i. e. poſtquam *Chriſtus* relictâ *Galilæâ* ad feſtum Tabernaculorum iter inſtituit. II. Dictum eſſe, *Joh.* 7:10. *Jeſum aſcendiſſe ad feſtum; non manifeſtè, ſed in occulto*; unde concludere licet, eum ſeptuaginta Diſcipulos emiſiſſe priuſquam eò venerat. Eadem illis in mandatis dat, quæ prius duodecim dederat, eandemque poteſtatem ſanandi ægrotos. Præterquam cum duodecim paſſim ad quaſvis civitates *Iſraëlitarum* mitteret, quod hi ad ea loca miſſi ſint, quò *Chriſtus* erat venturus, ut animos hominum præpararent in ipſius adventum: ita ut jam *Chriſtus* ſe *Meſſiam* eſſe palam facere inſtituerit. Præmiſſi enim Septuaginta hanc doctrinam promulgant, & in illius nomine prædicant, ſequitur *Jeſus* & oſtendit ſeſe ipſum eſſe de quo prædicabant. Numeri XII. & LXX. in memoriam revocant XII. Tribus & LXX. Seniores *Iſraëlitarum*. Haud diu in itinere agebant Septuaginta, [XXXV. bini etenim brevi multum operis expedient] ad Dominum revertuntur, priuſquam *Hieroſolymam* reliquerat, *Luc.* 10: 17, 38. CHRIST. XXXIII.

Iterum *Chorazin*, *Bethſaidæ*, & *Capernaumo* exprobrat, ut ſuprà Sectione XXXII. nec immeritò, cum de contemptu Euangelii verba faceret, illius contemptum illis exprobrat, quibus præcipuè annuntiatum fuerat.

SECTIO LIX.

JOHANNIS CAP. VII. *à verſ.* 11. *ad finem Capitis.*

Chriſtus ad feſtum Tabernaculorum advenit.

LIquidò hîc conſtat ordo. Duabus præcedentibus Sectionibus iter *Chriſti* ad feſtum, hîc illius adventus narratur.

Agitur jam annus mundi 3960. & *Chriſti* 33. inceptus, uterque hoc ipſo menſe quo Tabernaculorum feſtum erat. Magnus hic annus mundi, temporis plenitudo, redemptionis annus & effuſionis Spiritûs; Annus porrò erat *Jubilæi*, utcunque *Judæi* rationem hanc turbent, [vide *Maimon.* in *Shemittah vejobel*, *cap.* 10.] an inſcienter, an de induſtria ipſi viderint. A ſeptimo enim anno regiminis *Joſuæ*, cum finita eſſent bella *Canaan*, & cum cœperint Jubilæa, ad annum hunc ſunt anni 1400, Jubilæa duodetriginta. Poſt hunc annum *Iſraëlitæ* Jubilæo haud amplius gaudebunt. Dictum eſt in *Zohar* in *Levit.* 25. *Gloriam divinam libertatem & redemptionem fore in anno Jubilæi.* Confer emiſſionem ſeptuaginta Diſcipulorum appropinquante hoc *Jubilæo*, cum clangore tubæ *Jubilæum* promulgante, *Levit.* 25: 9. & deprehendere facile eſt, hanc rem illi typo aptiſſimè convenire.

Ab hoc Feſto Tabernaculorum ad illud *Paſcha*, cum *Chriſtus* paſſus fuerit, ſemeſtre illud ſpatium fuit ultimæ ſcilicet ſeptimanæ, cujus mentio facta eſt *Dan.* 9. quod cum illo ſemeſtri ſpatio conferre licet, quo *Iſraëlitæ* in *Ægypto*, ſtatim ante exitum, fuerant. Tunc miracula ſua edidit *Moſes*, porrò huic ſpatio finem impoſuit Paſcha.

Inter varias ſolennitates & feſtivitates Feſti Tabernaculorum, de quibus fuſiùs alio libro egimus, uſurpata fuit effuſio aquæ è fonte *Siloam* hauſtæ, cum libaminum vino; ſuccedebat eâ nocte propter hanc effuſionem ſumma alacritas cantibus, tripudiis & feſtivis geſtibus indicata. Hæc *Spiritus Sancti effuſionem* ſignificare à quibuſdam dicitur in *Hieroſol. Succah, fol.* 55. *col.* 1. Hinc lux adfertur *verſibus* 37, 38. *Ultimo die illo magno feſti* Jeſus *clamavit, dicens, ſi quis ſitit*, &c. *Qui credit in me*, &c. *Flumina*

Digitized by Google

CHRIST. XXXIII. *mina aquæ fluent*,&c. Hæc cum dixiſſet, multi in eum credunt, plurima enim indicia & Spiritûs dona perſpexerant in miraculis, ſcilicet ab eo & illius diſcipulis editis. Dicitur tamen, *Spiritus Sanctus nondum datus erat, quia* Jeſus *nondum erat glorificatus*. Quæ verba de uberiore effuſione futurâ intelligenda ſunt.

Synedrium eum prehendere, & ut pſeudoprophetam pro Tribunali ſiſtere avebat, ut ediſcere licet è *verſu* 52. Nondum autem venerat hora ipſius.

JOHANNIS CAP. VIII.

Mulier in Adulterio deprehenſa, &c.

DIctum eſt *Cap*. 7. *verſ*. 53. *Profectus eſt unuſquiſque*, *Synedrii* ſcilicet, *domum ſuam*; & *Cap*. 8. *verſ*. 1. Jeſus *profectus eſt in montem Olivarum*. Quæ verba narrationem hanc præcedenti apertè ſubnectunt; non quod in monte Olivarum ſub dio pernoctaverit, ſed *Bethaniæ* in ædibus *Lazari*, ut è proximâ Sectione ediſcere licet.

Matutino tempore venit ad Templum, & in Gazophylacio ſeu atrio mulierum ſedet & populum docet. Qui populum docebant, ſoliti erant ſedentes docere; edocti verò circumſtabant. Ad eum ſedentem & docentem Scribæ & Phariſæi mulierem ducunt in Adulterio deprehenſam, &c.

Hanc narrationem omittit Syrus: de eâ dubitat *Beza*, [de textu ſuſpicari paſſim proclivior] eò quod Chriſti actio, cum in terra digito ſcripſerit, inſolens fuerit. *Mihi ut ingenuè loquar*, inquit, *vel ob hunc ipſum locum ſuſpecta eſt hæc Hiſtoria*. At verò *Johannis* ſtylum redolet ubique, necnon Scribarum & Phariſæorum mores; & ut *Chriſtus* eos tractare ſolitus fuerat, ſatis aptè refert. Varias inſidias hâc in re *Chriſto* ſtruxerant; viz. ut Adulteram condemnaret, at ubi adulter? Cur eum non adduxerunt? Si damnat, agit partes Judicis: ſi non damnat, temnit legem. Ipſe verò divinitus edoctus, eorum malitiam perſtrinxit, & eorum inſidias eluſit. Quod digito in terrâ ſcripſerit, vel reſpicit *Num*. 5:23. aut *Jerem*. 17:13. aut quod occurrit in *Talm. Hieroſol. in Megillah, fol*. 74. *col*. 2. Alias demùm elucidationes facilius eſſet reperire, quam eam ob cauſam veritatem ipſius narrationis pernegare. Domûs judicii, ſaltem Synedrii viginti trium, partes erant, in hujuſmodi mulierem ſententiam ferre: ſententia in eam ab ipſo lata anſam incuſandi eum præbuiſſet. Deſponſata fuerat hæc mulier, necdum nupta, vide *Deut*. 22:24. Per conſtitutiones eorum, qui deſponſatam virginem vitiabat, *lapidandus* erat, *Sanhedr. cap*. 7. *hal*. 4. qui verò nuptam, *ſtrangulandus*, *ibid. cap*. 11. *hal*. 1.

Verba *Chriſti verſ*. 25. *Id quod à principio dixi vobis*, apertam ejus & manifeſtam aſſertionem factam coram Synedrio, quâ ſe *Meſſiam* eſſe profeſſus fuerat anno & ſex menſibus jam nunc elapſis, *Joh. cap*. 5. reſpiciunt. CHRIST. XXXIII.

Verba *verſ*. 57. *Quinquaginta annos nondum habes*, ſunt intelligenda q. d. nondum vel primos limites ſenectutis attigiſti: Anno enim quinquageſimo Levitæ emeriti eſſe cœperunt, *Num*. 4. Porrò *Judæi* in eâ communiter ſententiâ fuere, eum qui mortuus fuerat, priuſquam quinquaginta aut ſaltem quinquaginta duos annos habuiſſet, immaturè & quaſi per *exciſionem* diem obiiſſe.

SECTIO LX.

LUCÆ CAP. X. *à verſ*. 17. *uſque ad finem*. *Et* CAP. XI. XII. *&* XIII. *uſque ad verſum* 23.

DEbita ſubſequentia hujus Sectionis, ut præcedenti ſuccedit, & ſeries omnium in eâ narrationum, ex initio & fine hujus Sectionis ritè perpenſis, conſtabit. Incipit à reditu ſeptuaginta Diſcipulorum, qui munere functi fuerant à Domino illis prius concredito. Ad eum reverſi ſunt, cum *Hieroſolymis* eſſet Feſti Tabernaculorum cauſâ; quod ex eo conſtat, quod poſtquam ad eum venerant, *Bethaniæ* in ædibus *Mariæ* & *Marthæ* fuerit, *Luc*. 9:38, 39.

Sectionem hanc hæc verba claudunt, *Tranſibat ſingulas urbes & vicos, docens & iter faciens Hieroſolymam*, *Luc*. 13:22. *Cap*. 10. *verſ*. 17. *Hieroſolymis* agit cauſâ feſti Tabernaculorum: *Cap*. 13:22. iter facit *Hieroſolymam* ad feſtum *Encæniorum*. Hæc Sectio res illius geſtas narrat, quæ inter hæc duo feſta contigerunt.

Cap. X. Narrantibus diſcipulis dæmonia ipſis ſubjecta fuiſſe in nomine ejus, reſpondit, *Spectabam Satanam ut fulgur è cælo cadentem*. Quæ verba partim reſpiciunt mortem ipſius brevi futuram, quâ devictus fuit Satanas; partim (*cælo* Judaicam Eccleſiam, ibidemque Religionis ſtatum, ut ſæpius fit, denotante) Euangelii potentiam hoc anno & deinceps, inter eos, unde ejectus fuerat. Cum hiſce *Chriſti* verbis, unà cum tempore ad quod referuntur, plurima loca licet conferre, quæ iis tum lucem dant, tum ab iis mutuò accipiunt; ut *Matth*. 12:45. ubi de reditu Satanæ, priùs ex hâc gente ejecti, agitur, 1 *Cor*. 6:3. *Apoc*. 12:9. *Cap*. 20. *verſ*. 1, 2. &c.

Quis *Proximus* ſit, Legiſperitum docet *Chriſtus* per parabolam vulnerati & miſericordis *Samaritani*, multum à doctrinâ Phariſæorum eâ de re abhorrens.

Ad majorem hujus Parabolæ elucidationem quæ-

Digitized by Google

CHRIST. XXXIII. quædam Judæorum dogmata excerpere licet.

I. *Fratrem* neminem præter *Iſraëlitam* natum, *Proximum* neminem præter *Proſelytum* putabant, *Aruch* in בן ברית. *Vox* Proximus *Ethnicos excludit.* Maimon. Retzea, cap. 2. *Iſraëlita, qui Proſelytum inquilinum occidit, non eò propter per Synedrium morte plectendus, quia ſcriptum eſt, ſi quis Proximum,* &c. Hinc conſtat *Proſelytum inquilinum* ab iis *Proximum* non habêri.

II. Cruentum & immane hoc dogma docent. *Hæreticos*, i.e. *Iſraëlitas Idololatricos, & flagitia perpetrantes, veluti qui cadaver edunt, aut heterogeneis contumaciter veſtiuntur; Item Epicureos, Iſraëlitas nimirum, qui legem & Prophetas negant, tenetur quis occidere ſi poteſt; licet cuivis enſe audacter interficere: ſi id non poteſt, inſidias ſtruat donec peremerit. Si viderit quemvis ex iis in puteo jacentem, ubi ſcala prius fuerat, eam tollere licet, ac dicere, opus eſt mihi ut per eam de tecto ædium deſcendat filius, tunc eam reddam tibi. Ethnici verò quibuſcum nobis bellum non eſt, & paſtores pecoris minoris Iſraëlitarum & iſtiuſmodi, non eo modo tractandi ſunt. At quamvis inſidiæ illorum vitæ ſtruendæ non ſunt*, vetitum tamen eſt eos mortis diſcrimine eximere. N.B. *ex. gr. Si quem horum in mare cadentem conſpexerit, haud extrahet eum: nam ſcriptum eſt, adverſus ſanguinem Proximi tui non ſtabis,* &c. *Iſtiuſmodi verò Proximus non eſt.*

III. Maxime abhorrebant à *Samaritanis*, ut conſtat è *Joh.* 4: 9. & 8: 48. & è multis è ſcriptis eorum depromptis. Servator noſter idcircò apertam & amplam charitatem in hâc parabola exigens *Samaritani*, à *Judæo* maximè abhorrentis, exemplo utitur: porrò ille ut *Proximus* proponitur, qui tum ſanguine, Religione, ac conſuetudine quàm maximè diſtabat.

Chriſtus Bethaniæ agebat, *verſ.* 30. in ædibus *Mariæ* & *Marthæ*. Sæpius *Martha* ut fœminæ nomen, occurrit apud Judæos. Joshua *filius* Gamlæ *uxorem duxit* Martham *filiam* Baithi, *Juchaſ. fol.* 57. Abba *filius* Marthæ, *Id. fol.* 72. & *Aruch* in אבא Iſaac *Bar* Shemuel, *Bar* Marthæ, *Hieroſ. in Shabb. fol.* 3. *col.* 4. &c. Si rectè rem æſtimet Lector, facile deprehendet, *Chriſtum* familiariter hâc familiâ uſum, ex quo peccatrix (quam ſuprà *Mariam* ſororem *Lazari*, *Magdalenam* vocatam fuiſſe probavimus) pedes ipſius lavit, *Luc. Cap.* 7.

Cap. XI. *verſ.* 2. *Oratio Dominica recitatur.* Annus & ferè ſemeſtre ſpatium effluxit, ex quo *Chriſtus*, in concione in monte habitâ, hanc orationem dederat. Jam rogatus, ut precari doceret, repetit. Qui negant hanc præſcriptam eſſe formam, aut neſciunt aut non ſatis perpendunt, cujuſmodi Preces *Judæi* magis eximii præſcripſerant. Juxta morem illum gentis *Johannes* ſuos preces fundere docuerat. Rogatus *Chriſtus* ſuos diſcipulos docere, ut ſuos docuit *Johannes*, hanc præſcriptam formam, quam priùs dederat, repetit. Demùm qui hanc orationem à *Sanctis* ſolummodò uſurpandam aſſerunt, quoniam alii Deum *Patrem noſtrum* compellare jure non poſſunt; aut neſciunt aut non ſatis perpendunt hanc compellationem in more uſurpatam fuiſſe in precibus apud *Judæos*, quorum loquendi recepto mori ubique ſe accommodat *Chriſtus*.

Verſ. 14. &c. de ejecto dæmonio inſtituitur narratio, haud abſimilis illi, cujus mentio facta eſt Sectione XXXV. Conveniunt utrobique obtrectationes *Judæorum* & verba *Chriſti*; duas tamen narrationes eſſe, ex hiſtoriæ ſerie conſtat. Prout enim *Judæi* ſemper in malam partem miracula *Chriſti* acceperunt, ita ubique eodem modo reſpondit, ut ſuprà annotatum fuit.

Temporis & narrationis ligamentum videre eſt *verſ.* 27. *Cum hæc diceret:* ut & aliud *verſ.* 29. ſi conferatur cum *verſ.* 16. & aliud *verſ.* 37. ubi denunciatio minarum in Phariſæos, licet non abſimilis foret illi factæ *Matth.* 23. non eadem tamen fuit. Diverſo enim tempore, & ob diverſas cauſas factæ ſunt, uti conſtabit cum ad illud Caput deventum fuerit.

Cap. XII. multa repetit quæ prius dixerat: eadem enim præcepta vel iiſdem auditoribus inculcanda ſunt, multò magis recentibus ſubinde ingruentibus. *Chriſtus*, ſicut olim *Moſes* ſub finem vitæ ſuæ *Deuteronomium*, doctrinam quam prius docuerat, denuò repetebat.

Cap. XIII. connexionem & narrationis ſeriem docet verſus primus. *Aderant eo tempore*, &c. *Pilati* crudelitas, qui ſanguinem *Galilæorum* ſacrificiorum ſanguine miſcuit, in Templo ſpectanda eſt. Multùm aberrat in ſuâ narratione *Joſephus*, *Antiquit. lib.* 18. *cap.* 5. *Siloam* in mediâ civitate erat, *Hieroſol. in Chagigah*, *fol.* 76. *col.* 1. Locus ſcilicet magnæ frequentiæ, ubi turris collapſa duodeviginti trucidavit.

SECTIO LXI.
JOHANNIS CAP. IX.
ab initio ad finem Capitis X.

Cæcus à nativitate ſua ſanatur. Chriſtus bonus Paſtor. Encænia.

SAnationem cæci *Hieroſolymis* contigiſſe ex eo conſtat, quod *Chriſtus* eum miſerit ad piſcinam *Siloam* ut lavaret, *verſ.* 7. quæ in occidentali Urbis parte ſita erat. Jam enim *Chriſtus* ad *Feſtum Encæniorum* aſcenderat, *Cap.* 10: 22. Hinc conſtat tum ordo tum tempus.

Die Sabbati cæci oculos ſanat, illinens eis luto è ſputo facto: hoc potius viſum tollere quivis exiſtimaret. *Maimon. in Shabb. cap.* 21. *Vetitum eſt ſputum jejunantis oculis illinere die ſabbati.*

Mor-

Digitized by Google

Morbos parvulorum inuſitatos *Judæi* parentum peccato tribuebant. Traditionum Doctores hoc modo parentes traditionibus aſtrictos reddebant. Hujuſmodi de hoc cæco opinio obtinuit, *Joh.* 9: 2, 34. *Tu in peccatis natus es totus.* Suprà verba fecimus de *Shibta*, *malo ſpiritu parvulorum colla invadente, qui nervos contraxit.* Cauſam hujus rei hujuſmodi aſſignant, viz. *Si mater è cloaca rediens continuò infantem lactet, &c.* Hac fraude fœminas terrebant, ne hujuſmodi lotiones negligerent, & ut eorum ea de re traditionibus meliorem famam conciliarent.

Qui ſanatur, *Jeſum* eò propter *Prophetam* eſſe credit, licet eum *Meſſiam* eſſe non noverit, *verſ.* 17. & cum *Judæis* dicit, *an vultis diſcipuli ejus fieri? verſ.* 27. ex animo loquitur, inſtigatque eos, ut eum Prophetam agnoſcerent, ut ipſe agnoverat: eumque vehementius piam hanc ſententiam profitentem Synagogâ movent: *Jam enim conſtituerant, ut ſi quis eum confiteretur eſſe Chriſtum, Synagogâ moveretur, verſ.* 22. Quæ verba perpendenda ſunt, ut melius intelligatur excommunicationis ratio, & res aliæ in hac divinâ narratione occurrentes magis perſpicuæ fiant.

Cap. X. *Chriſtus* ex *Ezech. Cap.* 34. & *Zach. Cap.* 11. ſe magnum illum Paſtorem eſſe aſſerit, & malos paſtores, qui gregem ſpoliabant, damnat; præſertim *tres illos, quos odio habuit, Zach.* 11: 8. *Phariſæos* ſcilicet, *Sadducæos* & *Eſſæos*. Duobus baculis paſtoralibus inſtructus gregem ſuum paſcebat, qui *Decus* & *Funiculus* vocabantur: hos confregit demum; confracto *Decore* irritum factum eſt fœdus peculiare olim cum *Iſraëlitis* peculio ſuo initum, qui eo privilegio jam exciderunt, & hujus gratiæ participes facti ſunt Ethnici. Fracto *Funiculo* irrita facta eſt fraternitas inter *Iſraëlem* & *Judam*, adeo ut jam diſcrepantia ſit inter verum *Iſraëlitam* & *Judæum*, adeo ut *Iſraëlitæ Chriſtum* agnoſcentes, & illi qui non agnoſcunt, haud amplius fratres fuerint.

Facta autem ſunt Encænia Hieroſolymis, verſ. 22. *Tempore quo ſteterat Templum ſecundum, cum Reges Græci adverſus Iſraëlitas decreta ſtatuerent; & eorum Legem abrogarent, & legem ac ſtatuta obſervare prohiberent, & eorum tum facultates tum filias invaderent, & Templum ingredientes labefactarent, & munda contaminarent, adeo ut Iſraëlitæ in maximas anguſtias redacti ſint, & plurimum afflicti, donec Dominus Deus patrum eorum miſertus è manu eorum eos liberaverit: Et ſummi Sacerdotes Aſmonæi prævaluerunt, eoſque trucidarunt & Iſraëlitas liberarunt: & Regem è ſacerdotibus conſtituerunt, & Regnum demum conſtitutum eſt inter Iſraëlitas, & duravit plus ducentos annos uſque ad excidium ſecundum. Die menſis Ciſleu viceſimo quinto* Iſraëlitæ *victos hoſtes trucidabant, & Templum ingreſſi olei puri unicam lagenam reppererunt, quantum ſcilicet unico diei ſufficeret; accenderunt tamen eo lucernas per octo dies, dum ex olivis confractis oleum purum extraxerunt; eò propter ſapientes illius temporis ſtatuerunt, eos octo dies, ſcilicet à* 25. *menſis Ciſleu, fore dies lætitiæ & gratiarum actionis. Lucernas accendunt veſpere ad fores ædium, quavis ſcilicet nocte octo dierum in publicam hujus miraculi memoriam: dies illi Encænia vocantur*, Maimon. in Chanucha, cap. 1. vide 1 *Macc.* 4: 59. Hi octo dies *Ciſleu* medio circiter *Decembris* noſtri coincidunt; adeò ut *Johannes* hiſce verbis narrationis tempus ſubinnuat. Ex quo *Chriſtus Feſto* Tabernaculorum intererat, paulò plus quam duo menſes effluxerunt.

Tres ultimi verſus Capitis 10. ubi mentio facta eſt de *Chriſti* itinere trans *Jordanem*, eandem rem narrant quam *Cap.* 19. *verſ.* 1. & *Marcus Cap.* 10. *verſ.* 1. locis ſcilicet parallelis. Cum verò diu fuit poſtquam *Hieroſolymam* reliquerat *Chriſtus*, ex quo trans *Jordanem* venerat, hoc loco hi tres verſus interſerendi ſunt, qui ſcilicet *Hieroſolymam* ab eo relictam memorant, & deſtinatum ab eo iter trans *Jordanem*.

SECTIO LXII.

LUCÆ CAP. XIII. *verſ.* 23. *uſque ad finem.* CAP. XIV. XV. XVI. XVII. & CAP. XVIII. *ad verſum* 15.

PErobſcurus hic eſt ordo, duas præſertim ob cauſas. I. Quia primus hujus Sectionis verſus videtur ad tempus præcedentis pertincre. *Tranſibat ſingulas urbes & vicos docens & iter faciens Hieroſolymam: tunc dixit ei quidam, &c.* II. Propter ea verba *Cap.* 17: 11. *Et factum eſt inter eundum Hieroſolymam, ipſe tranſibat per mediam Samariam & Galilæam*; quæ videntur idem iter narrare, cujus mentio facta eſt *Cap.* 13: 22. & ſubinnuere omnes res geſtas, quæ hiſce capitibus referuntur, huic itineri coincidere.

Ad luculentam probationem ordinis, quô poſuimus, duo adnotanda ſunt. I. Ea narratio, à qua hæc Sectio incipit, viz. *Dixit ei quidam, Domine, num pauci ſunt qui ſerventur? &c.* eo ipſo die quo dixit Chriſtus, *Hieroſolyma, Hieroſolyma, verſ.* 31, 34. ponenda eſt. Hæc dixiſſe *Hieroſolymam* relicturum uſque ad ultimum illius eò adventum, ex illius verbis conſtat, *verſ.* 35. *Non videbitis me uſque dum venerit tempus cum dicetis, Benedictus qui venit in nomine Domini*; poſtquam ſcilicet ad *feſtum Encæniorum* aſcenderat. Hæc verba dicta ſunt dum *Hieroſolymis* ageret, priuſquam relictis *Encæniis* iter ſuum trans *Jordanem* inſtitueret. Idcirco vox *Then*,

initio

Digitized by Google

initio hujus Sectionis poſita in verſione noſtrâ Anglicanâ, temporis connexionem haud arguit; non enim in Græco textu τότε, ſed δὲ reperitur. II. Verba illa *Cap.* 17. *verſ.* 11. *inter eundum Hieroſolymam ipſe tranſibat per mediam Samariam & Galilæam*, de ultimo illius itinere intelligenda ſunt: porrò loquendi modus ordinem confirmat, uti cum eò ventum fuerit, patebit. *Herodes* tunc temporis *Hieroſolymis* agebat, *Luc.* 13: 31, 34. Et fortean, cum *Galilææ* præfectus fuerit, *Galilæorum*, quos *Pilatus* ſacra facientes trucidavit, necem promoverat: monetur porrò *Jeſus* de conſimili diſcrimine per eum ſubeundo. Hanc rem partim cauſam fuiſſe quod relictâ urbe trans *Jordanem* profectus fuerit, exiſtimare licet. Hæc profectio ultimis præcedentis Sectionis verſibus refertur, *Joh.* 10: 40. Porrò narrationis ſeriem facilè deprehendet Lector. Ad *Chriſtum* venit quidam, cum *Hieroſolymis Encæniorum* in Feſto ageret, & dicit, *Domine, num pauci ſunt qui ſerventur? Lucæ* 13: 23. Eodem die *verſ.* 31. monetur à Phariſæis *Herodem* devitare. Reſpondet, ſe *Hieroſolymis* moriturum; de Prophetâ enim judicium ferre ſolum magnum ibidem Synedrium jure potuit, *Talm. in Sanhedrin, cap.* 11. Supererat verò illi aliquid temporis, quo ante obitum miracula edere poſſit, eò propter *Hieroſolymam* linquit.

Cap. XIV. Hydropicum Sabbato ſanat, & hanc rem defendit ex eo, quod miſericordiâ tacti beſtias extrahere ſoliti ſint è foveis die Sabbati: de quâ re vide *Maimon. in Shabb. cap.* 25.

R. Abuhabh in præfat. ad Ner. 7. Parabolam refert verbis illis *verſ.* 8. conſonam. *Tres ad convivium vocati ſunt, princeps, ſapiens & humilis: Princeps loco ſuperiore ſedit, proximus illi ſapiens, humilis loco infimo: ea re obſervatâ, principem rogat Rex, cur tu loco ſuperiore ſedes? Cui ille, quia princeps ſum; ſapientem, cur tu proximus? Cui ille, quia ſum ſapiens: humilem, cur tu infimo loco? Cui ille, quia humilis ſum. Rex humilem ſupremo loco, ſapientem ſuo, principem infimo loco collocavit.*

Cap. XV. Per tres illuſtres & patheticas parabolas Deum peccatores reſipiſcentes promptè amplexari docet. Per harum ultimam vocatio Ethnicorum apertè innuitur.

Cap. XVI. Parabola diſpenſatoris, divitis & *Lazari*, vide *Pſalm.* 49. *Lazer* in *Talmude Hieroſol.* ſemper uſurpatur loco *Eleazer.* Vox ſignificat, *Deus juvet*, ſive, *Deus mihi adjumentum eſt*, mendicum aptiſſimè referens. *Sinus Abrahæ* eſt phraſis à Judæis uſurpata. *Eo die quo mortuus eſt Rabbi, dixit R. Ada Ben Ahavæ, hodie in Abrahæ ſinu ſedet, Juchaſ. fol.* 77. *col.* 4. Linguas damnatorum in inferno etiam aquæ ſitientes docent Judæi, vide *verſ.* 24. *Talm. Hieroſol. in Chagig. fol.* 77. *col.* 4. Hiſtoria refertur de bono & malo, qui mortui ſunt: vir bonus לא איתגמל ליה חסד i. e. *inſepultus jacuit*; malus ſepultus fuit. Poſt hæc quidam in viſione conſpexit bonum inter hortos & amænos fontes ambulantem: malum verò juxta fluvium, ejuſque linguam verſus aquam exporrectam, at nequaquam eam attingentem.

Cap. XVII. *verſ.* 11. dictum eſt, *inter eundum Hieroſolymam, tranſibat per mediam Samariam & Galilæam.* Hæc verba de ultimo illius eò itinere intelligenda ſunt: verum hæc verba more inuſitato uſurpantur. Si dictum fuiſſet, *inter eundum Hieroſolymam tranſibat per mediam Galilæam & Samariam*, hæc verba *Chriſtum Hieroſolymam* proficiſci certiores nos facerent; at verò, uti jam legimus, eum *Hieroſolymam* à tergo reliquiſſe innuunt: verum hæc verba lucem afferunt illis, quæ *Johannes* & reliqui Euangeliſtæ referunt de itinere illius, quo relicta *Hieroſolymâ trans Jordanem* profectus eſt, viz. *eum* non rectâ *Jerichuntem* ad propiorem locum trans *Jordanem* veniſſe, ſed per *Samariam* in *Galilæam*, ubi *Jordanem* transfretavit *Bethabaram*, quæ è regione *Galilææ* ſita erat.

A *verſu* 20. & deinceps eadem ferè *Chriſtus* dicit, quæ videre eſt apud *Matthæum*, *Cap.* 24. Hinc porrò obſervare licet, *Chriſtum* eadem repetere ſolitum.

Cap. XVIII. duabus Parabolis tum neceſſitatem, tum efficaciam fervidæ, indeſinentis, & humilis precationis docet. E precibus Phariſæi *verſ.* 11. cujuſmodi fuerit *Judaica* in Deum fides ediſcere licet: *Propriæ juſtitiæ* innixus à Deo res ſecundas expectabat. At in Euangelio *Juſtitia Dei retegitur*, at verò *ex fide in fidem.* E geſtu publicani inter precandum conſtitutos precantium geſtus ediſcere licet: *ſtantes enim & deſpicientes* preces fundebant. *Maimon. in Deah, cap.* 7. תלמיד חכם מסתרל למטה כמו שהוא עומד בתפילה i. e. *Diſcipulus ſapientum deſpicit, cum ſtat preces fundens.* De *Phariſæi jejunio*, *bis ſcilicet quovis hebdomade*, vide *Hieroſol. Taanith, fol.* 64. 3. *Et Maimon. Taanith, cap.* 1.

SECTIO LXIII.

MATTHÆI CAP. XIX. *ab initio ad verſ.* 13.
MARCI CAP. X. *ab initio ad verſ.* 13.

Chriſtus trans Jordanem: De repudiis.

Dicit *Matthæus*, *cum finiiſſet Jeſus ſermones iſtos, diſceſſit à Galilæa & venit in fines Judææ trans Jordanem.* Diu fuit ex quo hos ſermones finiverat Sectione ſcil. LV. quoniam

Digitized by Google

CHRIST. XXXIII. niam verò nihil retulerat ex eo tempore uſque ad hoc iter trans *Jordanem*, has narrationes connectit. Tempora & facta ab eo prætermiſſa *Lucas* & *Johannes*, ut ſupra retulimus, interſeruerunt.

An verò aliqui *fines Judææ trans Jordanem erant?* Reſp. Aut copula *&* ſubintelligenda eſt, q.d. *venit in fines Judææ & trans Jordanem*, uti *Pſalm.* 133. *verſ.* 3. *Act.* 7: 16. &c. Aut *fines Judææ trans Jordanem* de *Judæorum finibus* intelligendi ſunt: *Syri* enim etiam in finibus trans *Jordanem* commorati ſunt.

Legem de perimendo Adulteram, *Deut.* 22:22. & de repudio, *Deut.* 24. *verſ.* 11. *Moſes* eodem tempore tulerat. Prior lex criminis demeritum oſtendit; poſterior legis rigorem mitigari permittit; ut ea immanitas è duritie cordis eorum oritura præveniretur, ut docet Salvator. De permiſſione repudii jactant *Judæi* non aliter, ac de eximio privilegio iis conceſſo. *Hieroſol. Kiddush. fol.* 58. 3. *R. Chaijah Rab. dixit*, *Repudia non permittuntur nationibus mundi*, i.e. Ethnicis, prout Judæis; cùm revera permiſſa ſint Judæis propter duritiam cordis, *verſ.* 8. & ut majori malo obviam iretur. Cum repudium conceſſum fuerit poſt latam legem de Adulterâ plectenda, ut minueretur legis illius ſeveritas; jure merito quæri poteſt utrum lex de perimendis adulteris laxari non poſſit, conceſſa prius de repudiis lege, & per Servatorem noſtrum, etiam adulteræ indultâ.

SECTIO LXIV.

MATTHÆI CAP. XIX. *à verſ.* 13. *ad finem Capitis.*
MARCI CAP. X. *à verſ.* 13. *ad verſ.* 32.
LUCÆ CAP. XVIII. *à verſ.* 15. *ad verſ.* 31.

Ad Chriſtum infantes adducti: dives quidam contriſtatus abiit.

MAtthæus & Marcus ordinem confirmant; uti ſuprà *Lucas*, quæ illi prætermiſerunt, interſeruit.

Quorum infantes ad *Chriſtum* adducti ſunt? *Reſp.* non infidelium procul dubio, ſed *Chriſtum* profitentium. Cujus rei gratiâ adducti ſunt? *Reſp.* non ut ſanarentur; haud enim eâ de causâ Diſcipuli ægrè tuliſſent: neque enim eâ de causâ aliis ſuccenſebant. Diſcipulorum nomine certè adducti ſunt, ut eo nomine eos *Chriſtus* reciperet, & benediceret. *Chriſtus* uti diſcipulos amplexatur, ad quos pertineret *Regnum cælorum*; *Regnum cælorum* uſitato & Euangelico ſenſu ſumens.

Marc. Cap. 10. *verſ.* 19. &c. cum *Chriſtus* mentionem facit mandatorum, tanquam totius Legis; tamen ſecundæ ſolum tabulæ exempla proponit, uti factum eſt *Rom.* 13. *verſ.* 8. *Jacob.* 2: 8, 9, 10. Horum enim præceptorum obſervatio pietatis erga Deum certa eſt teſſera. CHRIST. XXXIII.

Facilius eſt camelum per foramen acûs tranſire: Hæc loquendi ratio apud *Judæos* uſitata erat. *Talm. Bava Mezia*, *fol.* 38. 2. *Tu fortean Pumbedithæ commoraris, ubi elephantem per foramen acûs traducunt.*

SECTIO LXV.

MATTHÆI CAP. XX. *ab initio ad verſ.* 17.

Operarii in vinea, &c.

PArticula γὰρ, *verſ.* 1. ordinem & connexionem confirmat, hæc præcedentibus nectens.

In Talm. Hieroſol. in Beracoth, videre eſt parabolam huic ſimilem; ſed in alium finem ineptè uſurpatam. *Rex multos operarios conduxit, quendam verò ſupernumerarium. Quid Rex fecit? Eum cepit & unà ambulabat. Cum eſſet ſerum diei, venerunt operarii ut mercedem reciperent, & illi unà cum reliquis plenam mercedem reddit. Murmurabant operarii dicentes, totum diem opus fecimus, ille verò duas horas ſolùm, & tamen illi mercedem totam unà nobiſcum dediſti. Reſpondit Rex, plus effecit ille duas horas opus faciens, quam vos totum diem. Ita R. Bon plus operis in lege fecit viginti novem annos, quàm alii centum*, &c. fol. 5.

SECTIO LXVI.

JOHANNIS CAP. XI. *ab initio ad verſ.* 17.

De ægrotante Lazaro Chriſto nunciatur.

SEctione LXIII. narratur *Chriſti* iter trans *Jordanem*. Nuncium *Mariæ* & *Marthæ* ægroti fratris levamen petentium, redeundi anſam præbuit. Hujus rei narratio illius reditui neceſſario præponenda eſt, quem reliqui Euangeliſtæ proximè narrant.

Verba *verſ.* 2. *Maria ea erat, quæ unxit Dominum unguento, & exterſit pedes ejus capillis ſuis*, communiter de narratione *Cap.* 12. *verſ.* 3. facta intelliguntur, *Maria, accepta libra unguenti nardi liquidæ multi pretii unxit pedes Jeſu, & exterſit pedes ejus capillis ſuis.* Hæc ſententia abſurda & minimè conſona eſſe videtur ob ſequentes rationes. I. Ob quem finem *Johannes* hujuſmodi *prolepſi* uti præſumitur? Neque enim ad hanc hiſtoriam *Capitis* 11. attinebat pedum *Chriſti* unctio per *Mariam*, quæ diu poſtquam fratrem reſuſcitaverat, facta eſt. Neque porrò hic locus erat hujus rei mentio-

CHRIST. XXXIII. nem faciendi, quam proximo Capite plenè narraturus erat. II. ἀλείψασα præteritum denotat, & redditur propriè, *quæ unxerat.* III. Cum abſurda *prolepſis Johanni* tribuatur, ſi de futurâ unctione loquatur; conſonum rationi eſt eum de præteritâ loqui: docet enim neceſſitudinem inter *Chriſtum* & *Mariam* interceſſiſſe, ejuſque apud illum gratiam, (quippe quæ prius laverat & unxerat pedes ejus) quâ freta nunciare de ægrotante fratre non veretur. Verba *Johannis* præteritum reſpiciunt, hiſtoriam ſcilicet peccatricis lachrymis *Chriſti* pedes lavantis, unguento ungentis, & capillis ſuis extergentis, *Luc. Cap.* 7. Fatendum eſt *Johannem*, cujus hæc ſunt verba, hujus unctionis mentionem prius non feciſſe in ſuo Euangelio: Hæc tamen res erat paſſim & luculenter nota, & per *Lucam* literis mandata prius; hanc narrationem, de re vulgò nota & prius memoratâ, reſpicit *Johannes.*

SECTIO LXVII.

LUCÆ CAP. XVIII.
verſ. 31, 32, 33, 34.
MARCI CAP. X.
verſ. 32, 33, 34.
MATTHÆI CAP. XX.
verſ. 17, 18, 19.

Chriſtus perpeſſiones ſuas prædicit.

NUncium *Mariæ* & *Marthæ* de ægrotante fratre, *Chriſtum* in *Judæam* à loco trans Jordanem revocat. Biduum eo loco manet, quo fuerat cum nuncium acceperat; jam verò iter carpit. Et jam ultimum iter *Hieroſolymam* inſtituens Diſcipulis ſuis prædicit, quod ipſi ibidem eventurum eſſet. Pavidi, & attoniti eum ſequuntur, ipſius periculum prævidentes. Attamen, cum explicatius de re hac loquutus eſſet ad eos, haud intellexerunt.

SECTIO LXVIII.

MATTHÆI CAP. XX.
à verſ. 20. *ad verſ.* 29.
MARCI CAP. X.
à verſ. 35. *ad verſ.* 46.

Petitio filiorum Zebedæi. Martyrium eorum prædicitur.

LIquido conſtat ordo. Connexio tamen perplexa eſt. *Chriſtus* enim ſupra ſuam mortem prædixerat; filii interea *Zebedæi* petunt ut à dextera & ſiniſtra ejus in ipſius regno ſedeant. *Galatius* nodum ſolvit. *Diſcipuli*, inquit, *in errore aliquando fuerunt, credentes Chriſtum illicò poſt reſurrectionem terreni regni ſceptro potiturum, unde & quidam eorum ſuper cæteros primatum ambientes ab eo petebant ut ſederent a dextera & ſiniſtra ipſius*, &c. *lib.* 4. *cap.* 1. Fatendum eſt *Judæos* & pariter ipſius Diſcipulos de *Meſſiæ* regno à veritate aberraviſſe, *Act. Cap.* 1. nec minus de reſurrectione *Meſſiæ* errabant donec experimento melius edocerentur. Nequaquam igitur credendum eſt, uxorem & filios *Zebedæi* hæc rogantes de *Chriſti* reſurrectione cogitaſſe, verum de temporali ipſius regno, ſecundum ſententiam eâ de re apud Judæos receptam: idcircò quæ ſuprà *Chriſtus* dixerat de ſuâ flagellatione, crucifixione, morte & reſurrectione, figurativè dicta putabant. Euangeliſtæ enim apertè narrant, eos haud intellexiſſe eo quo ipſe loquutus eſt ſenſu. Eo fortean quod eos *filios tonitru* appellaverit, illecti fuerunt ut hoc peterent. *Chriſtus* ſuam mortem prædicit, nec non eorum *Martyrium, Baptiſmi* nomine, quo ſenſu ea vox accipitur per Apoſtolum, 1 *Cor.* 15:29. Judæorum baptizatio aut immerſio, in purificationibus uſitata, erat cultus pars aſperrima: cum enim gelu & nix, venti & tempeſtates maximè obtinerent, frigida aqua immergi tenebantur; unde baptiſmus mortem & perpeſſiones aſperrimas denotat. Fœminas *Galilæas*, cum frigidâ ſe purificarent, ſteriles factas fuiſſe, ajunt *Gemariſtæ Hieroſolymitani. R. Aba* nomine *Tanchum Bar R. Chajæ* ait, *in diebus R. Joſhuæ Ben Levi, immerſionem tollere ſtudebant, quia fœminæ Galilææ eâ de cauſa ſteriles factæ ſunt. R. Joſhua Ben Levi dixit, an irritum facietis ſepimentum Legis?* Beracoth, fol. 6. col. 3. CHRIST. XXXIII.

SECTIO LXIX.

LUCÆ CAP. XVIII.
à verſ. 35. *ad finem.*
MATTHÆI CAP. XX.
à verſ. 29. *ad finem.*
MARCI CAP. X.
à verſ. 46. *ad finem.*

Cæcus ſanatur.

CHriſtus in itinere à loco trans *Jordanem Bethaniam* ut reſuſcitaret *Lazarum*, per mediam *Jerichuntem* tranſit. Cæcum unum ingrediens *Jerichuntem* ſanat, de quo *Lucas*; alium egrediens, de quo reliqui duo. *Matthæus* quidem de duobus ſanatis ab ipſo *Jerichunte* egreſſo loquitur: in unam narrationem compingens fortean hiſtoriam de ſanato in alio urbis latere, & hoc ipſo, brevitati ſtudens. Sin verò duo ſanati fuerint citra urbem, *Marcus* unius mentionem facit, miraculi rationem & ſpeciem potius referre ſtudens, quam miraculorum numerum; uti ſuprà adnotavimus ad Sectionem XXXIX.

SEC-

Digitized by Google

CHRIST. XXXIII.

SECTIO LXX.

LUCÆ CAP. XIX.
ab initio ad verſ. 29.

Zacchæus Publicanus converſus.

ORdo conſtat è *verſ.* 1. *Chriſtus Jerichuntem* tranſiverat priuſquam *Zacchæum* convenit: *Rabban Jochanan Ben Zaccai* celebravit nomen *Zaccai* ſeu *Zacchæi* apud ſcriptores Judæos: Pater ejus *Zaccai* in vivis jam nunc fortean fuit, & huic *Zacchæo* licet σύγχρονος fuerit, tamen ipſum non fuiſſe è quibuſdam circumſtantiis conſtat. Quiſquis ille fuerit, licet vel nomen ipſius *Judæum* fuiſſe argumento ſit, haud tamen filius *Abrahæ* à *Chriſto* prius reputatur, quam crederet, *verſ.* 19.

Verſ. 11. *Putabant fore ut illico regnum Dei appareret.* N.B. Hoc è *Dan. Cap.* 9. edocti erant, ubi tempus adeò præciſe definitur, ut expectantes conſolationem *Iſraëlis* tum non obſervare, & obſervantes non adimpletum ſpectare non potuerint.

SECTIO LXXI.

JOHANNIS CAP. XI.
à verſ. 17. *ad finem Capitis.*

Reſuſcitatur Lazarus: Cajaphæ Prophetia.

JAm *Chriſtus Bethaniam* venit. An hæc *Bethania* fuerit בירת היני cujus mentio facta eſt in *Talm. Babyl. Peſach. fol.* 53. 1. (ubi de ficubus *Bethaniæ* & dactylis *Tubni* agitur) hoc loco non diſquiram. *Bethania* vocabatur tum oppidum, tum regio aliqua circumjacens. Prout eo loco manſerat, ubi nuncium accepit de *Lazaro* ægrotante, ut cum prius mortuus fuerit, ejus reſuſcitatio in majorem Dei gloriam cederet, *verſ.* 15. ita poſt illius mortem majorem fecit moram, ut hæc gloria auctior eſſet: *Jam quatriduum erat quod obierat*, *verſ.* 39. confer *Maimon. Gerush. cap ult. Si, triduo elapſo, mortuum conſpicimus, dignoſcere eum licet; poſt hæc immutatur ejus vultus.*

Hieroſol. Moed Katon, fol. 82. col. 2. *Anima per triduum corpus circumvolat animo revertendi: poſt hæc, conſpiciens immutatum vultum, avolat.*

Edito hoc miraculo, *Judæi* & *Jeſum* & *Lazarum* perimere ſtudent: *Jeſus* igitur ad civitatem quandam, *Ephraim* dictam, ibat, *verſ.* 54. Talm. Babylon. in Menachoth, fol. 85. 1. *Juchne & Mamre* (*Jannes* ſcilicet & *Jambres*) *Moſi dixerunt, an ſtramen affers Ephraimo?* Gloſſa ibid. *Juchne & Mamre erant primarii venefici Ægypti: cum Moſes miracula ediderit, vi magicâ edita credebant; dixerunt, an ſtramen Ephraimo affers? Ephraim frumento abundabat, tunc frumentum eò afferſ?* viz. *an veneficia in Ægyptum veneficiis ſcatentem affers?*

Aruch in יוחני: *Ephraim urbs fuit in terra Iſraëlis frumento abundans. Ubi rerum obferendarum maxima copia? Maximè abundabat ſimilâ* Micmash *&* Zanoah, *deinde* Ephraim *in valle.*

JOHANNIS CAP. XII.
ab initio ad verſ. 12.

Cæna Bethaniæ. Unguntur pedes Jeſu.

HUjus hiſtoriæ præcedenti Capiti connexio ex ipſo Euangeliſta liquidò conſtat. Confer *Cap.* 11. *verſ.* 55. cum *verſ.* 1. *Cap.* 12.

Quamvis *Jeſum* è medio tollere decretum foret, *Cap.* 11: 57. tamen *Hieroſolymam* petit, nec veretur eum *Lazarus Bethaniæ* hoſpitio excipere. Nec immeritò vitæ diſcrimen illius cauſa ſubit, à quo vitam ſuam acceperat. Ad noctem Sabbati hac cæna exceptus eſt, cum lautius cænari ſolitum fuerit. *Maria*, quæ prius pedes ejus unxerat, *Luc.* 7: 33. iterum inungit.

Quidam, ſine ratione, exiſtimant cænam illam, cujus mentio facta eſt *Matth.* 26: 6, 7. & *Marc.* 14: 3. & hanc *Joh. Cap.* 12. eandem eſſe. Mirari quis poterit, cum multa obſtent; hæc res cum eo ventum fuerit, diſcutienda erit. Illi ſententiæ repugnat (ut de ea re jam moneam) reſponſum Salvatoris, *Mariæ* factum defendentis, *Sine eam, in diem ſepulturæ meæ ſervavit iſtud.* Non quod ea illius mens fuerit, hanc pedum inunctionem fuiſſe in *pollincturam*, ſed quod in eum finem unguenti hujus partem aliquam reſervaſſet: *Judas* murmurabat propter diſpendium unguenti, quo pedes inunxit, & pauperum curam præ ſe tulit. Quid vero? inquit *Chriſtus*, ipſa id ſervavit adhuc, nec omne abſumſit, in miſericordiæ opus, ſcilicet ut corpus meum in ſepulturam inungeret. Nam I. è textu non conſtat, eam totam unguenti libram abſumpſiſſe: neque enim res poſtulabat. II. Neque ſepulturæ ipſius, qui craſtino die *Hieroſolymam triumphantis* more ingreſſurus erat, adeo hoc tempore conveniebat, ac biduo ante *Paſcha*, (cum altera cæna, & inunctio contigerint) ea ſcilicet nocte cum *Judas* de tradendo eum tranſegerat. III. Dicit *Chriſtus*, *injecit corpori meo*, *Matth.* 26: 12. quæ verba de inunctione pedum ſolummodo intelligenda non ſunt. Sex dies ante Paſcha pedes ejus unxit ſecundum conſuetum apud *Judæos* morem, de qua re *Talmudiſtæ* quaſdam regulas tradunt, *Talm. Hieroſol. Sanhedrin, fol.* 21. *col.* 1. Hoc fecit *Maria* ſummo amore Dominum proſequens. Biduum ante *Paſcha*, haud caput ungere adeo dicitur, ac in caput ejus unguentum fundere, ut per tum

Digitized by Google

CHRIST. XXXIII. tum diffluetet corpus: hoc fecit, non ſolum juxta Domini ſententiam, in ſepulturam ipſius, ſed etiam eo animo fecit. Nemo prior illâ (quod ſcimus) moriturum *Chriſtum* credidit, & illa primum reſuſcitatum vidit. Fidem & factum illius prævidit, & cum pedes ipſius unxerit, ait eam ſervaſſe illud ad inunctionem corporis: quod cum fecit, hoc encomio factum celebrat, nimirum, *Ubicunque prædicatum fuerit Euangelium, etiam quod hæc fecit*, (uti ſignum primæ in ipſius mortem fidei) *dicetur ad memoriam ipſius*. Hæc Maria (*Maria* ſcilicet *Magdalena*, ut ſupra dictum fuit) ter *Chriſtum* unxit: Pedes ejus cum primum converſa fuiſſet; & pedes jam denuo ſex dies ante *Paſcha*; & caput & corpus biduum ante *Paſcha*, eâ nocte quâ *Judas* de tradendo eum tranſegit.

SECTIO LXXII.

MATTHÆI CAP. XXI. *à principio ad verſ.* 17.

MARCI CAP. XI. *ab initio ad mediam partem verſ.* 11.

LUCÆ CAP. XIX. *à verſ.* 29. *ad finem.*

JOHANNIS CAP. XII. *à verſ.* 12. *ad verſ.* 20.

Chriſtus aſino inſidens Hieroſolymam ingreditur.

CONnexio patet è *Johannis* verbis, *die craſtino, &c.* & prout *Chriſtus* eo tempore aſcendit, prophetiam illam, *Zach.* 9: 9. apertè adimplens; ita agni *Paſchatis*, decimo die demum recepti, *Exod.* 12: 3. revera antitypus fuit: quippe eo die hæc facta ſunt. *Agnus Dei* jam ingreditur, & ſemet ipſum, magnum ſcilicet Paſcha, dedit.

Johannes refert, eum nocte hac præcedente *Bethaniæ* pernoctaſſe: reliqui tamen Euangeliſtæ narraverunt eum, *cum appropinquaret Betphage & Bethaniæ*, duos diſcipulos miſiſſe ut Aſinum ſolverent, &c. Chorographia Judaica hanc rem expediet. Dicunt enim אלפים אמה הגרש העיר i. e. *Bis mille cubiti ſunt urbis ſuburbia*, Maimon. in Shabb. cap. 27. אלפים אמה תחום השבת i. e. *bis mille cubiti ſunt limes Sabbati*, ſeu, Sabbati iter, *Talm. in Sotah*, *cap.* 5.

Betphage haud fuit oppidum in monte *Oliveti* ſitum, ut plurimi putarunt, ac in chartis Geographicis collocarunt; ſed quædam ædificia, & illud terræ ſpatium, quod à muro *Hieroſolymorum*, verſus montem *Oliveti*, & ſuper montem ad bis mille circiter cubitos extendebatur: eò propter à *Judæis*, tanquam *Hieroſolymorum* pars, eodemque jure utens, cenſebatur. Talm. Babyl. Peſachim, fol. 63. 2. *Qui ſacrificium Euchariſticum intra mactat, & panis ejus eſt extra murum, panis ſanctus non eſt.* Quid ſibi vult *extra murum?* dixit *R. Jochanan, extra murum Betphage.* Gloſſa ibid. *Betphage exterior Hieroſolymorum pars fuit.* Hæc Gloſſa in eundem tractatum, fol. 91. 1. eadem verba habet, ut & fol. 95. 2. *Miſna* ait, *duo panes & panis propoſitionis in atrio Templi & in Betphage permittuntur. Gloſſa* in Sanhedrin, fol. 14. 1. ait, *Betphage par Hieroſolymis in omnibus cenſebatur. Betphage* ab urbe *Hieroſolymitana* verſus & ſuper montem *Oliveti*, extendebatur circiter Sabbati iter: tunc cœpit regio *Bethania* dicta. Hinc *Lucas* ait, *Chriſtum*, cum in cœlos aſcenderet, Diſcipulos *Bethaniam* uſque perduxiſſe, *Luc.* 24: 50. *Sabbati iter* ſcilicet, uti alibi dicit, *Act.* 1: 12. non verò de oppido *Bethania*, quæ 15. ſtadiis aut duobus circiter Sabbati itineribus ab urbe *Hieroſolymitanâ* diſtabat, intelligendus eſt: perduxit vero illos ad ſpatium terræ *Betphage* dictum, ad eam partem *Oliveti*, quæ *Bethania* cœpit vocari, eo loco cœpit *Chriſtus* jam triumphantis more equitare verſus urbem. CHRIST. XXXIII.

Notandum eſt, eum exceptum *Feſti Tabernaculorum* ſolennitate. Geſtatio enim ramorum *Palmæ*, & *Hoſanna* hoc ſolo in feſto uſurpari ſolent, jam vero ad hanc occaſionem transferuntur; quæ res lucem affert *Zach.* 14: 16.

E computatis diebus ad *Paſcha*, quod fecerunt Euangeliſtæ, conſtabit hanc primam feriam fuiſſe, (poſt hæc *Diem Dominicum*) & ab hinc die ſeptimo *Chriſtum* è mortuis reſurrexiſſe.

Etiam triumphans civitatem deflet, quam præſcivit intra quinque dies ſemet perempturam.

SECTIO LXXIII.

JOHANNIS CAP. XII *à verſ.* 20. *ad finem Capitis.*

Græci Chriſtum videre avent. Vox è Cœlis.

LIquido conſtat ordo è textu *Johannis*, neque illuſtrari deſiderat.

Chriſtus ter è cœlis teſtimonium recepit, ſecundum triplex ejus officium, Regis, Sacerdotis & Prophetæ. Cum baptizatus fuerit, ut ſummus Sacerdos, cum ſcilicet unctus fuerit & miniſterium ſuum iniverit. Cum transformatus fuerit, ut ſummus Propheta, quem audire omnes tenebantur. Et nunc ut ſummus Rex, cum prophetiam illam recens impleviſſet, *Lætare Sion, ecce venit Rex, &c.*

Bath Kol, ſeu vox è cœlis quam paſſim crepant Judæi, ſi non ſemper, certè plerumque me-

CHRIST. XXXIII. merum figmentum eſt, ut eo majorem famam conciliarent ſuis tum Doctoribus tum doctrinæ.

SECTIO LXXIV.

MARCI CAP. XI. *à medio verſ.* 11. *ad verſ.* 27.
MATTHÆI CAP. XXI. *à verſ.* 17. *ad verſ.* 23.

Ficus maledicta.

Conſtat ordo è *Marci Cap.* 11: 11, 12. Poſtquam *Chriſtus Hieroſolymam* aſino inſidens ingreſſus fuerat, & totum diem ibidem egerat, veſpere *Bethaniam* pernoctaturus petit. Mane, *Hieroſolymam* iterum petens, eſuriens ficum vidit fructu vacuam, cui maledicit; cum tamen Euangeliſta dicat, *nondum ficuum tempus fuiſſe*: cur *Chriſtus* ficus anni tempore intempeſtivo expectavit?

Reſp. Haud quaſvis ficus expectabat, (ſcilicet maturas & eſui commodas, & hoc verno tempore, *Aprilem* circiter, enatas) verum præteritæ æſtatis ficus, per totam hiemem in arboribus reſiduas, jure expectare poterat. Verum quidem eſt quaſdam arbores etiam *Paſchatis* tempore fructus emittere, (*Maimon. Kiddush. Hhodesh, cap.* 4.) at immaturos; neque inter haſce arbores cenſebatur ficus. Dixit Salvator, *quum ficus folia germinat, noſtis propè eſſe æſtatem*, *Matth.* 24: 32. Quibus adde *Hieroſol. in Scheviith*, *fol.* 35. *col.* 4. *R. Simeon Ben Gamaliel* ait, *ex quo ficus folia germinat, dum appareant groſſuli, ſunt quinquaginta dies, inde, dum flores decidunt, quinquaginta dies; exinde ad maturitatem ficuum, demum quinquaginta dies.* Quinque ſcilicet menſes totus hic numerus conficit.

Variæ ficuum ſpecies eo loco fuerunt, de quibus *Judæi* in *Demai* & *Scheviith*, ubi de hiſce rebus agere anſam nacti ſunt; ne dicam quicquam de ficubus in hortis & ficetis; v. g. I. שִׁיתִין ſeu *ficus deſerti*. II. בנות שקמה quæ ficus erant deteriores. III. פרסאות ſeu ficus ſemel in duobus annis maturos fructus ferentes. IV. בנות שוח, quæ in agris albas ficus ferebant לשלש שנים quovis triennio. *Gemariſtæ* de hac re litigant; *Quid? an quovis anno, an ſolum quovis triennio fructum ferunt? Quotannis fructum ferunt, verum exacto demum triennio matureſcit: qui vero dignoſcere quis poteſt ejus tempus?* i. e. quotus fuerit annus? Dixit *R. Jonah, limbum alligabant; quædam ſigna ſuſpendebant ſecundum traditionem Samuelis.* Ut explicatius dicam ita ſe res habuit. Ficus agreſtis groſſulos æſtivo tempore germinat, poſt duas demum æſtates matureſcunt, adeo ut arbori adhærerent (niſi vi dejicerentur) per ſpatium trium æſtatum & binarum hyemum, priuſquam matureſcerent: quoniam inſolens hujus arboris ratio anni Sabbatici ſeu remiſſionis memoriam & cultum turbabat, (quod de aliis arboribus dici non potuit) funiculos aliquos aut limbos alligabant, aut aliquod ſignum ſuſpenderunt, quo dignoſceretur quotus fuerit annus, & an fructus ejus, ſi quis fuerit, primi, ſecundi aut tertii anni eſſet. Porro ficus פרסאות dictæ, elapſis binis æſtatibus matureſcebant: è quavis harum arborum ficus præcedentis anni jure *Chriſto* expectare licuit. Hæc tempeſtas tamen haud propriè vocatur *καιρὸς σύκων*, (quidam textum immutant, & loco *οὐ γὰρ ἦν*, *non erat*, ſubſtituunt *οὗ γὰρ ἦν*, *ubi enim erat*, vel unius exemplaris autoritate, uti reor, deſtituti) ea enim verba de tempeſtate, qua communiter ficus maturæ erant, circiter quinque menſes poſt Paſcha, intelligenda ſunt. CHRIST. XXXIII.

Chriſtus in Templum venit & emptores & venditores ejicit, uti prius fecerat tribus ab hinc annis elapſis. Veſpere *Bethaniam* petit, ibidemque pernoctat; quatriduum jam erat ante Paſcha.

Mane *Hieroſolymam* redit; triduum viz. ante Paſcha: in itinere Diſcipuli ficum arefactam conſpexerunt; illico dixit, *Habete fidem Dei. Amen enim dico vobis, quicunque dixerit monti huic, tollitor & projicitor in mare, nec hæſitaverit in corde ſuo, ſed crediderit futura quæ dicit, erit ei quicquid dixerit.* Quæ verba fidem montes amovendi poteſtate donatam nequaquam ſpondent. I. Hyperbolicè fidem magni faciens loquitur, uti *Marc.* 9: 23. Hyperbolicæ loquutiones, quibus ſcatet Sacra Scriptura, haud ſecundum literam intelligendæ ſunt, eminentiorem gradum rei memoratæ ſolummodo innuunt. Ex. gr. verba illa *Zach.* 14: 4. de hoc ipſo monte, de quo *Chriſtus*, non ſecundum literam de ſciſſione aut motu *Oliveti* intelligenda ſunt, verum gentem maximè concuſſam, hoſtibuſque obnoxiam denotant. II. Linguâ *Judæorum* loquitur *Chriſtus*, & eo modo, quo ſuas vires magni facere ſoliti ſunt, fidem deprædicat. De eximio quodam ingenio loquentes, *montes transferre* dicebant. *Talm. Babylon. Beracoth*, *fol.* 64. *col.* 1. *An Sinai, an amotor montium prius miſit, &c. R. Joſeph Sinai, & Rabbah fuit amotor montium.* Rationem ſubjungit Gloſſa ibidem: *R. Joſeph Sinai dicitur, quoniam altum ſapiebat; R. Bar Nachman montium amotor ob acumen, &c.* Idem *Talm. in Erubin, fol.* 29. *Dixit Rabba, ſimilis ſum Ben Azzai in plateis Tiberiadis:* Ibidem Gloſſa: *Ben Azzai in plateis Tiberiadis profundè docuit, nec quiſquam eo tempore par ei fuit in transferendis montibus. Montes transferre* dicebantur magna quæque ingenia, iique qui nodos Theologiæ maximos ſolvere potuerunt. Hoc loquendi

Digitized by Google

di modo utitur *Chriſtus* perſtringens inanem eorum de propriis viribus & meritis jactationem, ut fidem, ſummis ſcilicet viribus præditam, pro ſuo merito eveheret.

SECTIO LXXV.

MATTHÆI CAP. XXI. *à verſ.* 23. *ad finem.*
MARCI CAP. XI. *à verſ.* 27. *ad finem. Et* CAP. XII. *à principio ad verſ.* 13.
LUCÆ CAP. XX. *ab initio ad verſ.* 20.

Chriſtus in Templo de Johannis Baptiſmo quærit. Parabola de vineâ, &c.

ORdinis ſeries patet. *Chriſtus* iterum relictâ *Bethaniâ* venit in Templum. Ibi de poteſtate ſuâ interrogatus, quâ fretus hæc fecerat; quæſtione os illis obturavit, viz. de poteſtate *Johannis* in rebus ſacris immutandi: porrò dilemmate capti expedire ſe non poſſunt.

Parabolam de vinea & agricolis narrat, & unà docet tum privilegia tum pertinaciam *Judæorum*, gentiſque excidium prædicit, ex *Eſaj. Cap.* 5. &c. vide *R. Tanchum*, *fol.* 54. *col.* 4.

SECTIO LXXVI.

MATTHÆI CAP. XXII. *ab initio Capitis ad verſ.* 15.

Nuptiarum Parabola.

PAtet ordo. Parabola refert *Judæos* ſalutaria remedia ſpernentes, etiam eos, qui ad ipſos miſſi fuerant, contumeliis & injuriis affeciſſe, *verſ.* 5, 6. eò propter porro tum Urbis excidium, tum Ethnicorum vocatio narratur, &c.

SECTIO LXXVII.

MATTHÆI CAP. XXII. *à verſ.* 15. *ad finem.*
Et CAP. XXIII. *totum.*
MARCI CAP. XII. *à verſ.* 13. *ad verſ.* 41.
LUCÆ CAP. XX. *à verſ.* 20. *ad finem Capitis.*

Tributum Cæſari. Reſurrectio è Lege confirmata. Mandatum maximum. Chriſtus Davidis filius. Væ Scribis & Phariſæis.

ADeo manifeſtus eſt Euangeliſtarum ordo tum hoc in loco, tum in ſequentibus pluribus, ut dubitandi locus non ſit.

Quæſtio, an liceret *Cæſari* tributum dare, orta eſt ex vetere dogmate, quod ex *Deut.* 17:15. falſo colligebant, viz. *haud licere ipſis poteſtati vel Principi ſubjici, niſi Judæus aut ſaltem proſelytus fuiſſet.* Eam ſententiam tenebant urbis & gentis diſpendio.

Reſponſum *Chriſti*, ex imagine *Cæſaris* inſcripta petitum, conſonum ipſorum conceſſionibus. *Talmud Hieroſolymitanum David* & *Abigail* loquentes hoc modo introducit: *Dixit Abigail, quid mali aut ego feci, aut liberi mei, aut meum pecus? Dixit David, maritus tuus contempſit regnum Davidicum. Dixit, tune Rex? Reſpondit, an non Samuel unxit me Regem? Dixit illi* עדיין מוניטה דמרן שאול קיים i.e. *Adhuc moneta Domini noſtri Saul eſt probata.* Sanhedr. fol 20. col. 2. Maimon. in Gezelah, cap. 5. *Licet pertranſire pontem ex arboribus cujuſvis confectum, quas Rex ſuccidit, &c. quomodo hoc intelligi debet? De rege cujus moneta recepta eſt in iis regionibus: eo indigenæ illum Dominum & ſeipſos ſervos agnoſcunt: ſin vero moneta ipſius probata non ſit, pro latrone habendus eſt.*

Argumentum, quo contra *Sadducæos* ad probandam reſurrectionem utitur, etiam ſententiæ ſcriptorum Judæorum conſentaneum eſt. *Tanchum*, *fol.* 13. *col.* 3. *Sanctus Deus benedictus nomen ſuum ſanctis dum in vivis ſunt, non jungit, verum mortuis demum; ut ſcriptum eſt, ſanctis qui ſunt in terra, &c. at vero Iſaaco nomen ſuum junxit* (i.e. vocat ſemet Deum *Iſaaci*) *dum eſſet in vivis, &c.* Hieroſol. in Beracoth, fol. 5. col. 4. *Hinc probatur Juſtos etiam mortuos viventes appellari, &c.*

Phariſæi ad incitas rediguntur in ipſo fidei limine. *Meſſiam* frequenter vocabant *filium Davidis:* moniti tamen de eo, quod *David* vocaverit eum *Dominum*, continuò os ipſis obturatur, & porro eum quæſtionibus adoriri non auſi ſunt. Deinceps eos depingit *Chriſtus*, iiſque minas denunciat. Uti *Matth.* 5. beatitudines annunciaverat, ita *Matth.* 23. minas denunciat, & ipſis maledicit ex *Eſaj.* 65:15. &c.

Cap. XIII. de *Scribis* & *Phariſæis*, nec non ad ipſos ſermo inſtituitur, ut & de ipſorum doctrina & moribus; porro ex ipſorum pandectis & ſcriptoribus, dogmata & mores eorum plenè referentibus, quævis hujus Capitis pars facile explicatur.

Seſſio in cathedra Moſis, *verſ.* 1. de munere Magiſtratuum, quibus in omnibus licitis obedientiam jubet *Chriſtus*, intelligenda eſt: vide *Sanhedr. cap.* 1. *hal.* 6.

Gravia onera, *verſ.* 4. ſunt חומרי תורה, de quibus paſſim eximia dicunt.

Tephillin ipſorum *Phylacteria* vocantur, *verſ.* 5. quæ non ſolum *Monitoria* erant officii & pietatis, [erant enim quatuor Sectiones legis in membranis ſcriptæ binis, quarum una fronti, altera ſiniſtro brachio alligata erat] verum pro-

Digitized by Google

CHRIST. XXXIII.

prophylactica, quæ, uti credebant, malos ſpiritus arcebant. *Hieroſol. Beracoth*, *fol.* 2. *Phylacteria quavis nocte recitare oportet ad fugandos malos ſpiritus.*

Amabant vocari ab hominibus, *Rabbi Rabbi*, *verſ.* 7. *R. Abibah dixit R. Eliezer*, *Rabbi Rabbi*, *Hieroſ. Moed Katon*, *fol.* 81. 1. Videre eſt tamen regulam huic vitio contrariam, viz. *amato opus*, *verum titulum*, Rabbi ſc. *odio habeto*, Maimon. in Talm. Torah, cap. 3.

Patrem veſtrum neminem vocetis, *verſ.* 9. eo ſc. ſenſu, quo ipſorum Doctores titulo אבותינו ornarunt, humanarum conſtitutionum autoritate freti.

Juramenta *per Templum*, *verſ.* 16. inter eos permiſſa paſſim apud Judæos obtinebant. Juchaſ. fol. 50. col. 1. *Bava ben Bota juravit per Templum*, *nec non Rabban Simeon Ben Gamaliel*; *ita enim in more erat apud Iſraëlitas.*

Decimatio *Menthæ*, *Anethi* & *Cumini*, *verſ.* 23. explicatur in Tractatu Talmud. *Demai.* *Sepulchra dealbata*, *verſ.* 27. Shekalin, cap. 1. hal. 1. *Menſe Adar ſepulchra dealbabant.* Eopropter, ut tradunt *Gemariſtæ*, ut facilius ea dignoſcentes *Judæi* immunditiem evitarent: quæ res ritè perpenſa *Chriſtum* acrius in hos miſellos invehere arguit. vide *Gemar. Talm. utriuſque in locum*; & *Hieroſol. in Maazar Shen. fol.* 55. 3.

De Sepulchrorum ornamentis in honorem defunctorum, *verſ.* 29. vide *Hieroſol. in Moed Katon*, fol. 80. col. 3, 4.

Finem imponit Sermoni ſuo innuens eos infames eſſe & pœnæ obnoxios ob fuſum priorum Prophetarum ſanguinem à patribus ipſorum, nec non ob propriam malitiam, qua inſtigati, quos miſerat, perſequuti fuerant, & quos erat deinceps miſſurus, perſequuturi erant. *Serpentes* eos vocat è *Gen.* 3: 15. eoſque uti præcipuum Serpentis ſemen depingit. Omnem Prophetarum ſanguinem ſuper iſtam generationem venturum denunciat: eo enim quod eos, quos Deus miſerat, tum & ipſum *Meſſiam* peſſimè tractaverint, malitiam patrum Prophetas perſequentium longè ſuperabant, etiam ipſorum per quos effuſus eſt ſanguis tum præeuntium tum ipſius *Zachariæ*; licet illius ſanguinem expiari crederent excidio, nece ac captivitate *Babylonicâ*, *Hieroſol. in Taanith*, *fol.* 69. *col.* 2. Nomen Patris ipſius immutat, prout fecit Targumiſta in *Thren. Cap.* 2: 20. Denique excidium lugubre denunciat, ipſumque haud amplius viſuros prædicit, donec dicant, *Benedictus qui venit in nomine Domini.* Hæc verba diu ante hæc dixerat, *Luc.* 13: 34, 35. Et dixerat turba, *Benedictus qui venit*, &c. cum aſino inſidens *Hieroſolymam* ingreſſus fuiſſet. De ſenſu verò horum verborum hoc in loco ambigitur, ſcilicet an hoc velit *Chriſtus*, eos ipſum non amplius viſuros uſque ad noctem Paſchatis; [quævis enim ſocietas *Paſcha* comedens, in *Hallel* magno hæc verba recitare conſueverat, *Benedictus qui venit*, &c.] an, ipſum nunquam amplius viſuros, qui haud fuiſſent edocti eum recipere tanquam à Deo venientem: vide *Joh.* 5: 43.

CHRIST. XXXIII.

SECTIO LXXVIII.

MARCI CAP. XII.
verſ. 41, 42, 43, 44.
LUCÆ CAP. XXI.
verſ. 1, 2, 3, 4.

Viduæ egenæ minuta.

JUdæi, priuſquam preces in Templo aut Synagogis funderent, conſueti ſunt aliquid eleemoſynæ ſeu oblationis nomine donare, ut charitatis & pietatis unà ſpecimen præberent. *Maimon. Mattanath Anijim*, *cap.* 6. In Templo, in *atrio mulierum* (uti alibi adnotavimus, eum locum depingentes) arcæ quædam fuerunt, *Shopharoth* à Judæis dictæ, in quibus oblatam pecuniam recondere ſolebant, ad quaſvis res cultui Templi inſervientes coemendum.

SECTIO LXXIX.

MATTHÆI CAP. XXIV.
totum.
MARCI CAP. XIII.
totum.
LUCÆ CAP. XXI.
à verſ. 5. *ad finem.*
Item MATTHÆI CAP. XXV.
totum.

Chriſtus Hieroſolymorum excidium prædicit: ſigna & calamitates tum quæ præceſſere, tum quæ adjungebantur.

E Talmude diſcimus locum fuiſſe ſuper montem *Oliveti* ex adverſo Templi, ubi vaccam rufam mactavit Sacerdos, redegitque in cineres purificationis; ipſumque cum ſanguinem aſpergeret, Templi fores ex adverſo ſpectaſſe, *Middoth*, *cap.* 1. Hanc ultimam concionem in monte *Oliveti* habet *Chriſtus*, ſedens ſcilicet ſuper montem hunc è regione Templi, *Matth.* 24: 3. Quæque prius, abhinc biduum aut triduum, flens dixerat, excidium Urbis prædicens, *Luc.* 19: 44. jam pluribus refert, calamitatem & ſigna illius excidii prænuncians.

Horum verborum ſcopum, nec non tempus quod deſignant, ediſcere licet è quæſtione Diſcipulorum, cui reſpondent, *Quando hæc erunt?* viz. cum lapis ſuper lapidem Templi non relinquetur? *Marc.* 13: 4. *Luc.* 21: 7. Excidium

Digitized by Google

CHRIST. XXXIII. dium Templi & Urbis hæc apertè referunt. Addit *Matthæus*, *Et quod erit ſignum adventus tui, & conſummationis ſeculi?* Hinc exiſtimarunt nonnulli, hæc verba finem mundi & ultimum Chriſti ad Judicium adventum denotare. Fatendum quidem eſt hujus Concionis verba poſtrema, *Matth.* 25. de extremo judicio intelligenda eſſe; nec non quædam dira, de quibus *Cap.* 24. terrores ipſius aptè adumbrare. Excidium verò Hieroſolymitanum, tum rejectionem & calamitatem gentis Judaicæ propriè & præcipuè referunt ea verba *Capitis* 24. Et hunc horum ſcopum eſſe ex ſequentibus conſtat.

I. Quia *Cap.* 24. *verſ.* 15, 16. oſtendit *Chriſtus* tempus & locum, ubi hæc forent: ſc. cum Templum pollutum fuerit, hæc erunt, &c.

II. Confer *verſ.* 34. *Amen dico vobis, nequaquam præterierit ætas hæc uſque dum omnia iſthæc facta ſint. Hæc ætas* non de *ætate Euangelicâ*, uti nonnulli ineptè interpretati ſunt, ſed *de eâ ipſâ ætate* ſeu *generatione*, ut *Cap.* 23. *verſ.* 36. & *Luc.* 11: 31, 32. & alibi paſſim in N. T. intelligenda eſt.

III. De excidio Hieroſolymitano, tanquam de totius mundi deſtructione, loquitur S. Scriptura, *Jer.* 4: 23. *Eſaj.* 65: 17. & de *Chriſti* adventu ad pœnas urbi infligendum, non aliter ac de adventu ipſius ad extremum judicium, *Matth.* 16: 28. *Joh.* 21: 22. *Matth.* 19: 28. *Apoc.* 1: 7. &c.

Dira illa, de quibus *verſ.* 29, 30, 31. mutuatitia ſunt, quæ iſtius judicii terrorem graphicè depingunt. *Obſcuratio Solis* gentis imminutam gloriam & eminentiam & inclinatam fælicitatem, nec non mærorem, miſeriam, labem denotat, *verſ.* 29. vide *Eſaj.* 13: 10. *Joel.* 2: 10, 30. *Tunc apparebit ſignum filii hominis, verſ.* 30. &c. non de præſentia *Chriſti* viſibili, aut de Cruce in nubibus, ut quidam ſomniarunt, hæc verba intelligenda ſunt; verum cum *Jeſum filium* hominis, ſeu *Meſſiam* Judæi priùs haud agnoſcerent, inflictis pœnis, quaſi *luculento ſigno*, tum Judæis tum Ethnicis ea res demum innoteſceret. Eo propter *ipſius adventus*, & *adventus in regno* vocatur, *Matth.* 16: 28. quia tunc poteſtatem ipſius & gloriam, devictâ gente quæ eum ſpreverat, palam fecit. *Verſ.* 31. *Mittet Angelos ſuos cum tubæ voce magna*, &c. i. e. miniſtros cum tuba Euangelicâ, ut electos ipſius ex Ethnicis (rejectis jam & exciſis Judæis) convocarent. Pſeudo-Chriſti & Pſeudo-Prophetæ, de quibus *verſ.* 5, 24. in gente Judaicâ, inclinante ſcilicet, extitere; uti tum è Novo Teſtamento, tum è *Joſepho* abunde conſtat. Denique *bella & rumores bellorum, & inſurrectio gentis in gentem* impleta fuerunt tum inteſtinis & atrocibus Judæorum bellis, tum magna Romani imperii concuſſione, belligerantibus *Othone* & *Vitellio*, *Vitellio* & *Veſpaſiano*, (de quibus Romanæ Hiſtoriæ Scriptores, præſertim *Tacitus* pluribus) qualis prius haud contigerat, etiam uſque ad Romanæ Urbis direptionem & conflagrationem *Capitolii*. CHRIST. XXXIII.

SECTIO LXXX.

MATTHÆI CAP. XXVI, *ab initio ad verſ.* 14.
MARCI CAP. XIV. *ab initio ad verſ.* 10.
LUCÆ CAP. XXII. *verſ.* 1, 2.
Poſt hæc JOHANNIS CAP. XIII. *ab initio ad verſ.* 27.

Cœnatum Bethaniæ, ibidem Chriſti caput inungitur binas noctes ante Paſcha: tunc Chriſtus Diſcipulorum pedes lavat: Judæ intinctam offulam dat, in quem intrat diabolus.

PRobatio ordinis hoc in loco aliquam diſceptationem deſiderat; non propter rei vel obſcuritatem vel difficultatem, ſed quia hanc rem ſine cauſa quidam turbarunt. Duas ſententias ineptas reperire eſt; unam eorum qui hanc cœnam, cujus mentio facta eſt apud *Matthæum* & *Marcum*, eandem eſſe cujus mentionem facit *Johannes*, *Cap.* 12. quæ fuit *ſex dies ante Paſcha*, exiſtimant. Alteram eorum, qui aſſerunt cœnam, *Joh.* 12. memoratam, fuiſſe cœnam *Paſchatis* nocte factam. Ad probationem ordinis noſtri tria requiruntur.

I. Probandum eſt, cœnam *Joh.* 12. & eam *Matth.* 26. & *Marc.* 14. non unam eandemque cœnam eſſe, ſed binas, & intervallo quorundam dierum interjecto factas. II. Cœnam *Joh.* 13. non contigiſſe Paſchatis nocte, verum prius. III. Cœnam *Joh.* 13. & eam *Matth.* 26: 6, & *Marc.* 14: 3. eandem fuiſſe, & biduum ante Paſcha contigiſſe.

I. Cœnam *Joh.* 12. & eam, *Matth.* 26. & *Marc.* 14. non eandem, ſed binas fuiſſe, (de qua re aliquid ſuprà diximus) è ſequentibus conſtat. I. Cœna *Joh.* 12. facta eſt in ædibus *Lazari*, (neque enim hiſtoriæ ſeriem ſine cauſa luxare par eſt) cœna verò *Matth.* 26. & *Marc.* 14 in ædibus *Simonis Leproſi*. II. In cœna *Joh.* 12. inuncti fuerunt pedes *Chriſti*; at verò caput ejus unctum fuit in cœna, *Matth.* 26. & *Marc.* 14. III. Cœna *Joh.* 12. ſex dies ante *Paſcha* contigit; at ea *Matth.* 26. & *Marc.* 14. facta eſt biduum ante Paſcha. Ita *Marc. Cap.* 14. *verſ.* 1. *Erat Paſcha duobus poſt diebus*: & *verſ.* 3. *Et Jeſus Bethaniæ erat*, &c. Diſſentientes hîc diſlocationem ſupponunt, & non obſtante quod ſcriptum ſit *duobus poſt diebus*, ea tamen continuò narrari quæ ſex dies ante Paſcha conti-

Digitized by Google

CHRIST. XXXIII. tigere. At verò poſt ultimum adventum *Chriſti* ad Urbem *Hieroſolymitanam Matthæus* & *Marcus* res ipſius geſtas recto ordine narraverunt; neque cauſa aliqua aſſignari poteſt cur hoc in loco ordinem inverterent. Diſtinctè actiones ipſius memorarunt, dies quinque, quatriduum, triduum ante Paſcha: jam de *biduo* narrant, deque hâc cœnâ tunc temporis factâ; nam factam fuiſſe ſex ante Paſcha dies quis ſanâ mente præditus credat? *Quinto* ante Paſcha die *Chriſtus Bethaniæ* fuiſſe dicitur, *Joh.* 12:1,12. *Marc.* 11:1, 11. *Quarto*, *Bethaniæ*, *Marc.* 11:12,15, 19, 20. *Tertio* etiam *Bethaniæ*, *Marc.* 11:20,27. & 13:3. Poſt hæc de biduo ante Paſcha narratur, & de *Chriſto Bethaniæ* agente. His non obſtantibus, qui à nobis diſſentiunt, *biduum* ad conventum Principum ſacerdotum ſolùm referunt, & in eâ ſunt ſententiâ, illa, quæ de *Chriſto Bethaniæ* agente dicta ſunt, prius contigiſſe, etiam iis quæ narrantur *Matth.* 21. & *Marc.* 11. Hæc verò ſententia rationis umbrâ deſtituta vel ſemet ipſam ſubvertit.

II. Cœnam *Joh.* 13. ante Paſcha, non Paſchatis nocte, contigiſſe, ex ſequentibus abundè conſtat. 1. *Johannes* ῥητῶς dicit fuiſſe πρὸ τῆς ἑορτῆς, *ante feſtum Paſchatis:* nam eum ſenſum ſemper denotat ἑορτὴ, totum ſcilicet feſtum, non Paſchatis convivium, ut nonnulli exponunt. II. Diſcipuli, cum *Chriſtus* diceret *Judam* alloquens, *quod facis, fac cito*, *verſ.* 29. credebant eum de emptione alicujus rei, cujus opus eſſet ad feſtum, loquutum; unde conſtat nondum contigiſſe feſtum.

III. E *Lucâ* patet, *Satanam* in *Judam* introiviſſe (quod contigit in cœna *Joh.* 13.) ante Paſcha. Seriem ipſius Hiſtoriæ perpendere par eſt. *Cap.* 22:3. *Introiit autem Satanas in Judam, qui abiens colloquutus eſt cum Principibus ſacerdotum*, &c. & deinceps *verſ.* 7. *Venit autem dies Azymorum.* Ex his conſtat hanc cœnam *Joh.* 13. ubi *Satanas* in *Judam* introiit, (qui continuò de traditione Domini tranſegit) non contigiſſe Paſchatis nocte, ſed aliquantulum ante diem Paſchatis. Fatendum eſt quidem verba illa *Joh.* 13. *verſ.* 38. innuere videri, hanc cœnam Paſchatis nocte contigiſſe. Dixit enim *Petro Chriſtus* in hâc cœnâ, *Non emittet vocem gallus, uſque quo ter me abnegaveris;* hæc verba innuere videntur hanc cœnam eâ nocte contigiſſe, quâ *Petrus* Dominum abnegavit. Ad amovendum hunc ſcrupulum hæc perpendenda ſunt. I. *Petrus* ſemel tantum *Chriſtum* abnegavit priuſquam gallus vocem emitteret, *Marc.* 14: 68, 69, 70. Ea etenim verba, *Joh.* 13:38. & *Matth.* 26:34. non ita intelligenda ſunt, ac ſi ipſum ter eſſet abnegaturus, priuſquam aliquis gallus vocem emitteret; verum ter abnegaturum durante ſpatio gallicinii, quod noctis quarta pars fuit, *Marc.* 13:35. Hoc ſenſu hæc intelligenda eſſe conſtat è *Marc.* 14:30. ubi dicitur, *Gallus non bis vocem emittet.* II. *Joh.* 13:38. tantum dicitur, *Gallus non emittet vocem.* At verò *Matth.* 26. & *Marc.* 14. ubi verba ad ipſam noctem referuntur, quâ Dominum abnegaturus erat, dicitur, *hac nocte*, antequam gallus vocem emittat; & *hoc die*, *ipſâ hâc nocte* antequam gallus vocem emittat, &c. Porrò obſervandum eſt, *Chriſtum* alloquentem *Petrum* ea verba bis uſurpaſſe; bis etenim *Petrus* vires ſuas crepabat, eumque propriis viribus fretum bis retundit *Chriſtus*. Primùm, in cœna *Joh.* 13. quæ biduum erat ante Paſcha, ἐμφατικῶς dicens *ter*, q. d. Adeone viribus tuis innixus tuam jactas conſtantiam? Prædico tibi, te *ter* me abnegaturum gallicinii ſpatio. Secundò, Paſchatis nocte, ἐμφατικῶς *hac nocte* dicens, q. d. Adeone fiducia es plenus? Dico tibi, te *hac nocte* me abnegaturum, &c. CHRIST. XXXIII.

Tertiò, ex his conſtat, cœnam *Joh.* 13. non ipſa Paſchatis nocte contigiſſe, ſed ante Paſcha. Denique probandum reſtat, hanc cœnam biduum ante Paſcha contigiſſe, eandemque eſſe cum ea, quam *Bethaniæ* factam memorant *Matthæus* & *Marcus*. Ad hanc rem probandam obſervare licet, *Matthæum* & *Marcum*, poſt hanc cœnam *Bethaniæ*, proditionem *Judæ* continuò narrare, *Matth.* 26:13,14. *Marc.* 14:9, 10. factâ enim iſtius cœnæ mentione addunt, *Tunc unus è duodecim, Judas dictus, profectus eſt ad Principes ſacerdotum*, &c. Conſtat eum proditoris partes agere cœpiſſe, ex quo unâ cum offula introiit in eum Satanas, quod contigit in cœnâ *Johan.* 13. Hinc patet eandem cœnam eſſe, cujus mentio facta eſt *Matth.* 26:6.

Hiſtoriæ ſeries ſic ſe habet: ſex diebus ante Paſcha Chriſtus cœnat & pernoctat *Bethaniæ:* quinque diebus ante Paſcha triumphantis more *Hieroſolymam* ingreditur, & eâ nocte denuò *Bethaniæ* pernoctat: quatuor diebus ante Paſcha *Hieroſolymam* iterum profectus eſt, & *Bethaniæ* pernoctat: tribus diebus ante Paſcha in urbem iterum venit, & eâ nocte *Bethaniam*; ea nocte cœnat in ædibus *Simonis Leproſi*, duobus diebus ſcilicet ante Paſcha; inter cœnandum *Maria, Lazari ſoror*, dicta etiam *Maria Magdalena*, ungit caput ipſius, &c. Priuſquam amoveretur menſa, ſurgit *Chriſtus*, & lavat pedes Diſcipulorum; poſt hæc ſedens offulam *Judæ* dedit.

Digitized by Google

CHRIST. XXXIII.

SECTIO LXXXI.

JOHANNIS CAP. XIII.
verſ. 27, 28, 29, 30.
MATTHÆI CAP. XXVI.
verſ. 14, 15, 16.
MARCI CAP. XIV.
verſ. 10, 11.
LUCÆ CAP. XXII.
verſ. 3, 4, 5, 6.

Satanas in Judam *introit: De proditione Domini ſui tranſigit.*

COnnexio patet è ſerie narrationis apud *Johannem*: *Offulam intinxit & dedit Judæ, & poſt ſumptam offulam ingreſſus eſt in eum Satanas.* Hoc *Bethaniæ* inter cœnandum, biduum ante Paſcha, contigit, uti ſupra probavimus. Hinc *Judas* à Satana omninò inſtigatus, licet nox fuerit, *Hieroſolymam* profectus, de prodendo Domino cum Synedrio paciſcitur. Convenerant de prehenſione & morte *Chriſti* conſulturi; porrò ſtatuerant Feſtum minimè huic rei tempus commodum fore, ob metum ſc. tumultûs; interea temporis venit *Judas*, ſpondetque ipſum etiam in Feſto traditurum, & ſine ſtrepitu, abſente nimirum populo. Triginta argenteos (pretium ſervi, *Exod.* 21:32.) ei dare ſpondent: *Maimon. in Nizke Mammon, cap.* 11. *Pretium ſervorum cujuſvis ſtaturæ aut ſexus, triginta ſicli argenti probati; perinde eſt an valeat centum minas, an denarium tantum.* Idem in *Shekalim, cap.* 1. *Sela* ſeu *ſiclum* argenteum ejuſdem ponderis ac 384. grana hordei eſſe aſſerit.

SECTIO LXXXII.

JOHANNIS CAP. XIII.
à verſ. 31. *ad finem.*
Et CAP. XIV. *totum.*

Chriſtus Diſcipulos ſuos ſolatur, &c.

HÆc verba, *Cum autem exiviſſet*, narrationis ſeriem confirmant. Cum exiiſſet *Judas* ad perpetrandum facinus execrandum, jamque appropinquaſſent perpeſſiones *Chriſti*, (quarum pars aliqua ipſius venditio fuit) Diſcipulos ſuos commonet, erudit, & ſolatur. Ut melius dignoſcatur tempus, quo hæc verba dicta ſunt, (ſequuntur enim exitum *Judæ*, in quem diabolus una cum offula ingreſſus fuerat, quod connexionem innuit) hæc obſervanda ſunt. I. Ultima verba Capitis 14. *Surgite, abeamus hinc*: inde conſtat verba hujus Sectionis, & illa quæ habita ſunt, *Joh.* 15. 16. & 17. diverſo tum tempore tum loco dicta fuiſſe: *Hæc* ſcilicet in Paſchatis cœnâ; narrat enim *Johannes*, *Cap.* 18. *verſ.* 1. *Jeſum*, cum hæc dixiſſet, trans torrentem *Cedron* profectum fuiſſe: *Illa* verò prius & alio loco; cum enim illa dixiſſet, *Jeſus* in alium locum migravit: dicit enim, *Surgite, abeamus hinc.* II. Ea quæ *Chriſtus* dixit, *Adhuc pauliſper vobiſcum ſum, Cap.* 13. *verſ.* 33. *Adhuc paululum & mundus me non amplius conſpiciet, Cap.* 14. *verſ.* 19. *Non loquar amplius multa vobiſcum, verſ.* 30. innuunt ſpatium quoddam temporis adhuc ſupereſſe ad ipſius diſceſſum, idque majus eo, quod interjectum fuit inter ſurrectionem ipſius à cœna ultima & ejus prehenſionem. Hæc dicta ſunt *Bethaniæ*, poſtquam *Judas* egreſſus fuerat. Sectio continet ſummam illius ſermonis, quem *Chriſtus* cum Diſcipulis habuit, dum ibidem commoratus fuit, eâ ſcilicet nocte, quâ *Judas* offulam cepit, & die nec non nocte ſubſequente, & dum appropinquaret veſpera diei ſequentis: & verba illa ultima, *Surgite, abeamus hinc*, innuunt eum relictâ *Bethaniâ* profectum fuiſſe *Hieroſolymam* die Paſchatis. *Judas* vel eâ nocte qua offulam accepit, vel die ſequente, unà cum Principibus Sacerdotum conſilium inivit de tradendo Dominum ſuum in Feſto: quod cum feciſſet, denuò ad Dominum ſuum *Bethaniam* redit. Die craſtino, Paſchatis ſcilicet die, *Chriſtus* mittit *Petrum* & *Johannem* ut *Paſcha* in ſuum adventum pararent. Cumque ipſi viſum erat, dixit, *Surgite, abeamus hinc.* Denique comitantibus eum tum *Juda* & reliquis Diſcipulis, *Hieroſolymam* proficiſcitur.

SECTIO LXXXIII.

MATTHÆI CAP. XXVI.
à verſ. 17. *ad verſ.* 30.
MARCI CAP. XIV.
à verſ. 12. *ad verſ.* 26.
LUCÆ CAP. XXII.
à verſ. 7. *ad verſ.* 24.

Paſcha edit Chriſtus: Euchariſtiam inſtituit, &c.

PEtro & *Johanni*, qui miſſi fuerant ad parandum Paſcha, hæc incubuere, conductio cœnaculi, (ad quam à Domino ſigno inſtruuntur) agni emptio, & in Templum adductio, ejus mactatio ſanguiniſque aſperſio nomine Paſchatis ob viros tredecim. Neque enim agnus nomine Paſchalis erat edendus priuſquam aſperſus fuiſſet ſanguis ad Altare, לשם פסח i.e. *nomine Paſchatis*, & למנין i. e. ob *definitum numerum*, eorum ſcilicet, qui agnum comedere una conſenſerant. *Talm. in Peſach. cap.* 5. [prout *Chriſtus* pro numero definito mortuus eſt.] Hinc conſtat, ut & aliunde, *Chriſtum* Paſcha ſuum ediſſe eodem die, quo ſuum *Judæi*; (quod quidam ex malo intellecto *Joh.* 18. *verſ.* 28. negant) neque enim aliter fieri

Digitized by Google

CHRIST. XXXIII. fieri potuit; haud enim Sacerdos Paſchalem agnum mactaret die alieno.

Mactatum prius ad Templum agnum domum apportant, ubi comedendus foret: ibi aſſandus fuit, panis & vinum, & reliqua juxta morem ad illud convivium requiſita, paranda erant.

Cum ſerum diei eſſet, venit *Jeſus* & recubuit *cum duodecim.* Inter edendum de proditore eos commonuit unâ accumbente & edente. Hinc eſt quod hæc narratio eſſe eadem quæ *Joh.* 13: 21, 22. & eadem utrobique cœna fuiſſe videatur. At apertè hæ narrationes diſcrepant. I. In cœna *Joh.* 13. *Chriſtus* ſignum ſecretò *Johanni* præbens, quis proditor foret ſubinnuit, jam verò apertè eum depingit. Ibi offulam ei dat, hic tantum de intinctione manus ſecum in catino verba facit. Diſcrepant certè Euangeliſtæ hanc narrationem inſtituentes. *Matthæus* etenim & *Marcus* hanc proditoris detectionem ante inſtitutam cœnam Dominicam narraverunt, *Lucas* verò poſt.

Diſcrepant porrò ea verba *Chriſti* referentes, *Non bibam ab hoc tempore ex hoc fructu vitis, &c.* *Lucas* enim hæc verba ante *Euchariſtiam* narravit, reliqui duo poſt eam inſtitutam. Utrobique præcipuus narrationis ſcopus ſpectandus eſt, & deinde de tempore facilius ſtatuere poſſumus. Quod ad priorem narrationem attinet, ex eâ conſtat, *Judam* commenſalem fuiſſe per totum ſpatium tum Paſchalis tum Dominicæ cœnæ, charitatis & communionis Symbolorum, quorum particeps, profligatus licet proditor, fuit. *Matthæus* & *Marcus* hujus rei mentionem faciunt cum *Chriſtum* primum diſcubuiſſe & comedere cœpiſſe narrant. *Lucas* plenius hanc rem enarrat, ipſumque per totum ſpatium temporis tum *Paſchatis* tum *Euchariſtiæ*, diſcubuiſſe oſtendit; neque enim verba Chriſti cum poculum dederat, *Ecce manus ejus qui me prodit*, &c. aliter exponi poſſunt. Quod ad verba poſteriora, *Non bibam ab hoc tempore è fructu vitis, &c.* id vult *Chriſtus*, regnum Dei jam appropinquare, ſeque, uſque dum veniret, nequaquam vel edere vel bibere voluiſſe. Per *regnum Dei* ſuam reſurrectionem & deinceps innuit, cum per eum Deus mortem, *Satanam* & infernum viciſſet. Quod dicit, *Dum bibam vobiſcum novum in regno Dei*, implevit, unà cum iis edens ac bibens poſt ſuam reſurrectionem. Cum hæc ſit horum verborum mens, jure dicere potuit quovis tempore convivii, *hoc ultimum convivium*, cujus unà *vobiſcum particeps ero uſque dum è mortuis ſurrexero.* Hinc de tempore, quo verba hæc dicta ſunt, minus ſolliciti fuerunt Euangeliſtæ. Porrò binæ pericopæ relativæ fuerunt, adeo ut una alteram inferre jure poſſit, & ambæ bis à *Chriſto* dictæ eſſe potuerunt. Demum ſi ſeriem actionum *Chriſti* in hoc convivio perpendamus, quam Euangeliſtæ narrarunt, luculentior hæc res fiet. CHRIST. XXXIII.

Cum diſcumberet cum iis, primò dixit, *Deſiderio deſideravi hoc Paſcha vobiſcum veſci antequam patiar.* Jam enim poſtremò vobiſcum edere licet, antequam veniat regnum Dei. Hinc poculum accepit primum, quod eo in convivio bibere ſolebant, ebibitque vinum & illis dedit, dicens, *Partimini vobis ipſis, non enim bibiturus ſum è fructu vitis, &c.* q. d. haud amplius vobiſcum aut edam aut bibam, &c. Hæc verba occaſio fuere ſequentium, *unus è vobis prodet me:* q. d. haud amplius vobiſcum edam, unus enim ex accumbentibus vitæ meæ inſidias ſtruxit. Hinc quis ille eſſet, quærunt, &c. Poſt hæc agnum Paſchalem pro more comedunt: & deinde *Euchariſtiam* inſtituit: Panem *futurum ſuum corpus* in poſterum eo ſenſu, quo *Paſchalis agnus corpus ipſius* hucuſque fuerat: Et *poculum futurum Novum Teſtamentum in ſuo ſanguine* ſub Euangelio, prout *ſanguis pecudum Vetus Teſtamentum in ipſius ſanguine fuerat*, *Exod.* 24. Poſt datum poculum rurſus ait, ſemet non amplius bibiturum, nam proditoris manus menſam attingebat.

SECTIO LXXXIV.

LUCÆ CAP. XXII. *à verſ.* 24. *ad verſ.* 39.

Diſceptatio inter Diſcipulos de primatu.

E *Lucâ* liquidò conſtat ordo; confirmatur porrò per narrationis ſeriem: de proditore diſquiſitio, hanc quæſtionem de primatu gignere cœpit, abſurdam & intempeſtivam; hanc Dominus non ſolum ſuo exemplo, ſed dupliciter porrò perſtringit. I. Docet eos in ſuo regno pari honore dignandos. II. Eos minimè opportunè dignitates & eximios honores aucupari, tentationis ſcilicet tempore & ſummi diſcriminis, cumque ſuæ ſaluti proſpicere haud facile poſſint.

SECTIO LXXXV.

JOHANNIS CAP. XV. XVI. XVII.

Ultimus Chriſti ſermo cum diſcipulis habitus: ipſiuſque pro illis Oratio.

CUm hæc dixiſſet *Jeſus*, quæ memorantur ſcilicet *Cap.* 15. 16. 17. profectus eſt trans torrentem *Cedron*, inquit *Johannes*, *Cap.* 18. *verſ.* 1. Hinc conſtat hæc loquutum mox antequam è cœnâ ſuâ ultimâ ſurrexerat & profectus fuerat in hortum, ubi prehenſus fuit. Mos erat in cœnis Paſchalibus multa fari illi

CHRIST. XXXIII. feſto conſona & opportuna; præſertim quæ beneficiorum Dei erga populum illum memoriam refricarent. Quicquid *Chriſtus* eâ de re dixerat, literis mandatum non eſt. Quod verò magis è re foret tum Diſcipulorum impræſentiarum, tum Eccleſiæ olim futuræ, & ad rem præſentem maximè attinebat, ſcriptum hic reperimus.

SECTIO LXXXVI.

MATTHÆI CAP. XXVI. *à verſ.* 30. *ad finem.*
Et CAP. XXVII. *totum.*
MARCI CAP. XIV. *à verſ.* 26. *ad finem. Et* CAP. XV. *totum.*
LUCÆ CAP. XXII. *à verſ.* 39. *ad finem. Et* CAP. XXIII. *totum.*
JOHANNIS CAP. XVIII. *Et* CAP. XIX. *totum.*

Chriſtus prehenditur: ſiſtitur ad Tribunal: Ipſius mors & ſepultura.

DE connexione initii hujus & præcedentis Sectionis eo tantum dubitari licet, quod cum reliqui Euangeliſtæ *Chriſtum* hymnum ceciniſſe narrent mox antequam ad montem *Olearum* profectus eſſet, *Johannes* ſermonis ipſius & orationis mentione factâ loco poſtremo, eum hymnum ceciniſſe neutiquam narret. Neque tamen eopropter Euangeliſtæ aut pugnare aut diſcrepare dicendi ſunt, ſed res varias narrare ut plena compingatur hiſtoria. Tres priores Euangeliſtæ narrant *Chriſtum* Paſcha celebraſſe, & deinde inſtituiſſe *Euchariſtiam*, & idcirco opportunè memorant eum hymnum ceciniſſe; erat enim ſolennitatis cœnæ Paſchalis pars perpetua & iſtius convivii coronis: cum vero *Johannes* mentionem non fecerit Paſchalis cœnæ aut Euchariſtiæ, haud neceſſum erat, neque attinebat hymni cantum referre. Sermonem tamen ultimum, & Orationem *Chriſti*, quæ reliqui omiſerant, ipſe narrat. An vero hic ſermo, quem ipſe refert, an hymnus, quem reliqui, præceſſerit quod ad hiſtoriam attinet, parum refert: hymnum præceſſiſſe puto. Hymnus quem cecinerunt, fuit *Pſalm.* 115. & 116. & 117. & 118. pars poſtrema ſcilicet *magni Hallel*, ut vocabatur, quem perpetuo in Paſchate & aliis ſolennibus cecinerunt. Porro hæc poſtrema pars hujus *Hallel* ſolennitatem claudebat.

Ipſius Oratio in Horto.

Chriſtus è cœnâ ſurgens, relictâ Urbe trans torrentem *Cedron* vadit ad montem *Olearum*: confer quæ *Davidi* in itinere obtigerunt, 2. *Sam.* 15:23. Poſt hæc *Judas* in urbem dilabitur, ubi ſicarios à Principibus Sacerdotum habuit paratos ad perpetrandum facinus, de quo convenerant; exiens *Chriſtus* undecim comitantibus prædicit moleſtiam eâ nocte ex prehenſione ſuâ orituram, nec non eorum diſperſionem futuram: ſpondet interea ſe in *Galilæam* præiturum, ibique eos ipſum conventuros. Docet porro, quâ viâ inſiſtendum poſt Feſtum, & quid factu opus mortuo Domino. Denique *Petro* abnegationem eâ nocte futuram prædicit: *Petrus* verò, quippe jam enſe armatus, magna crepat. CHRIST. XXXIII.

Venit in *Gethſemane*, *locum torcularium*, in hortum ad radicem *Oliveti*. *Talmudiſtæ* mentionem faciunt horti ibidem: narrant porrò hortulanos ſolitos terras pingues reddere colluvie ſentinæ, per quam ſordes & ſanguis ex atrio Templi in vallem iſtum defluxit. Relictis à tergo octo diſcipulis, *Petrum*, *Jacobum* & *Johannem* ſecum ſumpſit, deque timore & mæroribus ipſum jam nunc invadentibus certiores facit; & avulſus ab iis quaſi ad jactum lapidis, vigilare & orare jubet: ter precatur dicens, *abeat*, *ſi poſſibile eſt*, *hoc poculum*, &c. & in angore conſtitutus erat ſudor ejus quaſi grumi ſanguinis. Perpende *Adami* in horto lapſum, & primam illam comminationem, *in ſudore vultus tui*, &c. Jam fuit *poteſtas tenebrarum*, *Luc.* 22:53. Omnis poteſtas inferni *Chriſtum* invadere permittitur; neque quenquam aut olim aut poſt hæc eo modo invadere permittebatur, ex quo dictum fuit, *Tu conteres ei calcaneum*, *Gen.* 3:15. Contriſtabatur & angebatur *Chriſtus* non tam propter angores inferni, quos ipſe perſenſit, quam propter inferni inſultus ipſum invadere permiſſos. Quod auferri calicem peteret, *puræ humanitatis* fuit; quod Dei voluntati ſe ſubjecerit, *puræ Sanctitatis* fuit; prout cum membrum *gangrænâ* correptum abſcindendum eſt, *pura natura* renititur, recta ratio ſuadet. Ter oravit, & poſt ſingulas orationes ad tres diſcipulos venit, quos dormientes ſemper reperit.

Prehenditur.

Vix è ſomno tertiâ vice excitaverat, cum proditor unà cum ſicariis eum prehendere tentant. Cum primum appropinquarent, *Judas*, juxta ſignum prius datum, oſculum ei dedit, ut ſceleſti ipſius comites *Jeſum* dignoſcerent. Quod cum feciſſet, accedunt cæteri. Obviam iis proceſſit *Jeſus*, & rogat, *quem quæritis?* Reſpondent, *Jeſum Nazarenum:* dixit, *ego ſum:* tum retrocedunt & in terram concidunt ſupini. Verbo ſuo illos proſternens oſtendit, neminem ipſi invito eripere vitam poſſe. Dum in terra ipſi ſubjecti jacent, de Diſcipulorum dimiſſione conventum eſt: quorum ſaluti & libertati cum proſpex-

Digitized by Google

CHRIST. XXXIII. ſpexiſſet, ſemet ipſum dedidit. Surgentes eum prehendunt. *Petrus* quam ſpoponderat oſtentans fortitudinem, auriculam *Malcho* abſcidit; ſed vulnus ſanat *Chriſtus*. Gregem hunc ſceleſtum, qui eum prehendebat, Domini quidam eorum qui inſtigaverant, comitantur, *Luc.* 22:52. His omnibus dicit, jam conſtare, veniſſe *horam eorum & poteſtatem tenebrarum*: cum enim ſæpius in Templo olim fuiſſet, eum prehendere hactenus non potuerunt. His dictis diſcipuli ſibi proſpiciunt; unus etiam nudus aufugit.

Deducitur ad Annam.

Judæi Paſcha comedentes continuò homicidio ſe inquinant, graviter peccantes in Deum & ipſius *Chriſtum*: At verò præter hæc bifariam conſtitutiones receptas violabant, viz. quod quenquam accuſarent & damnarent Feſti die, qui jam inceptus erat; porrò quod hoc agerent noctu: utrumque per eorum legem prohibitum erat, *Talm. Jom Tob*, *cap.* 5. *hal.* 2.

Ad *Annam* primum *Chriſtum* deducunt. Qui verò? Neque enim primarius magiſtratus fuit, verum *Gamaliel*; neque ſummus Sacerdos, verum *Cajaphas*. Fuit quidem *Sagan* & ſocer *Cajaphæ*, at non eo judicandi poteſtatem habuit, cum privatus vir eſſet. Cum vero principes Sacerdotum præcipuè hoc agerent, cumque *Annas*, utpote *Cajaphæ* ſocer, præcipuum inter eos locum teneret, & id negotii etiam præcipuè & ſedulò ageret, prehenſum ad eum primum deducunt, ut certior fieret, captum fuiſſe quem prehendi voluit, & ab eo maturum conſilium caperent, quid porro factu opus eſſet. Vinctus ad eum deducitur, qui vinctum ad *Cajapham* mittit.

Coram Synedrio ſiſtitur.

Convenerat *Synedrium* in ædibus *Cajaphæ*; an in ipſius ſeparata habitatione in Templo, an in ædibus ipſius in urbe, parum refert. Eo ſequitur eum *Petrus*, & per diſcipulum alium ibidem notum in aulam admittitur; ubi cum ſervis ad focum conſidet. Id agebant Sacerdotes & Presbyteri, teſtes reperire qui ipſum accuſarent. Et quamvis multi *falſi teſtes* [מזוממין linguâ Talmudicâ dicti] reperti fuerint, negotium non promovetur. Nec eum quiſquam reum peragere potuit. Interea temporis ipſe tacuit, *Eſaj.* 53:7. Adjurat eum *Cajaphas*, ut dicat an *Chriſtus* fuerit nec ne. Se *Chriſtum* eſſe fatetur, & prædicit præterea, edoctos fore poſthæc experimento, cum *veniens in nubibus, &c.* ipſos & urbem damnaturus potentiam & vindictam ſuam oſtenderet. Hanc confeſſionem blaſphemiam vocant; & ad confirmandam hanc ſententiam *Cajaphas ſcindit veſtimenta ſua*. De more & ratione ſcindendi veſtimenta, cum blaſphemiam audiviſſent, vide *Hieroſol. in Sanhedr. fol.* 25. *col.* 1. & 2. *Et Maimon. Avodah Zarah*, *cap.* 2. ubi duas conſtitutiones reperire eſt. *Qui nomen Dei blaſphemari audit, tenetur ſcindere veſtimenta.* Et, *Judices blaſphemiam audientes, tenentur ſurgere, & veſtimenta ſcindere, neque ea reſarcire licet.* Obſervandum eſt porro, ſummum Sacerdotem ſolum veſtimenta ſcidiſſe, non item aſſeſſores reliquos, qui tamen pariter de blaſphemia ſententiam ferunt; adeoque mortis reus habetur, lapidationis ſcilicet, *Sanhedr. cap.* 7. *hal.* 4. Jam incipiunt in faciem ipſius conſpuere, ipſi colaphos impingere, & malè tractare. CHRIST. XXXIII.

Abnegatio Petri.

Hic *Petrus* primum ipſum abnegat. Incuſatus enim ad ignem aſſidens à puellâ janitrice, quod ex ipſius conſortio unus fuiſſet, negat, & in porticum dilabitur; tunc primus cecinit gallus. *Lucas* narrat puellam ad eum veniſſe *ad ignem aſſidentem*; *Matthæus* & *Marcus*, eum fuiſſe *infra in Palatio*, & *foras in Palatio* narrant; infra ſcilicet aut extra eum locum, ubi *Synedrium* aſſidebat: inter primam & ſecundam abnegationem non multum temporis effluxit, *Luc.* 22:55. Intermedio tempore ſummus Sacerdos *Jeſum* interrogat de Diſcipulis & doctrina ipſius, & reſpondentem, *Interroga eos qui me audiverunt, &c.* percuſſit eum miniſter officioſus, quaſi minori quam par erat reverentiâ, reſpondiſſet. Interea temporis *Petrus* in porticu fuit, ubi fuerat cum gallus vocem mitteret poſt primam abnegationem; alia puella ibidem eum reperit, & eum deducit ad aſtantes ad ignem, & ipſum unum ex diſcipulis illius eſſe aſſerit; ipſe verò negat, & verba ſua juramento firmat: & *interpoſita quaſi hora una*, *Luc.* 22:59. (dum ſcilicet Synedrium *Chriſtum* de diſcipulis & doctrina interrogabat) cognatus *Malchi* ipſum accuſat, iiſque qui aderant, narrat, ſe vidiſſe ipſum in horto cum *Jeſu*: ipſe interim pernegans lingua ſua dignoſcitur ab omnibus aſtantibus, ut qui *Galilæus* eſſet; pernegat ipſe non ſine execrationibus. Statim ſecundus gallus cecinit: reſpiciente *Jeſu* peccati memor exiit & flevit amarè; ſtatim à ſecundi galli cantu ſolvitur conventus *Synedrii*, relicto *Jeſu* in manibus miniſtrorum, à quibus contumeliis afficitur, percutitur & malè habetur.

Romanis traditur.

Mane *Synedrium* in conclavi ſenatorio ſuo pro formâ convenit; & *Jeſum* iterum interrogat; ſe-

Digitized by Google

(eò deductum & morti deſtinatum) an *Meſſias* eſſet nec ne? Reſpondit uti prius, viz. licet veritatem affirmanti fidem non haberent, tamen poſt hæc veritatem ſuæ aſſertionis experturos. Iterum interrogant, *tune es filius Dei?* Ipſum non abnegantem quaſi blaſphemum & morte plectendum judicant iterum, traduntque poteſtati ſeculari: obſervare licet in utraque interrogatione, tum veſpertinâ tum matutinâ, hac de re, *filium Dei* & *filium hominis*, prout terminos convertibiles uſurpari. Noctu interrogant, *Tune es filius Dei?* Reſpondit, *Videbitis filium hominis*, &c. *Matth.* 26:63,64. Iterum mane reſpondit, *Videbitis filium hominis ſedentem ad dextram poteſtatis*, &c. replicant, *Tune igitur filius Dei? Luc.* 22:69,70.

Judæ retractatio & miſera mors.

Judas ob proditionem animi anxius, judicii eventum expectat, cumque ipſum à *Synedrio* damnatum & Ethnicorum poteſtati tradendum videret, interveniens tum pecuniam reddidit, ſeque innoxium ſanguinem prodidiſſe fatebatur, aſtante, ut veriſimile eſt, ipſo *Chriſto*. Cum reſponſum minime gratum à *Synedrio* accepiſſet, pecuniam in Templo ubi conſidebat, projecit, [an *Gazith*, an *Hhanoth* jam non diſquirendum] abienſque per diabolum, à quo obſeſſus fuerat, in aërem raptus eſt ibidemque ſtrangulatus, inque terram præcipitatus viſceribus ipſius erumpentibus. Triginta argenteis, ſceleris mercede, Sacerdotes agrum figuli emere ſtatuunt. Citatio *Matthæi* interpretes adeò torſit ut quidam vel textûs integritatem negaverint. Hæc illius verba ſunt: *Tunc impletum eſt quod dictum eſt per Jeremiam Prophetam dicentem, & acceperunt viginti nummos argenteos*, &c. *Matth.* 27. *verſ.* 9. Cum reverâ hæc verba apud *Jeremiam* non reperiantur, verùm apud *Zachariam*, *Cap.* 11. *verſ.* 13.

Matthæus loquitur juxta communem morem *Judæorum*, à quibus facile *Zachariam* loco *Jeremiæ* citans, & ſine altercatione intelligi potuit. Ad cujus rei elucidationem par eſt ex ipſis teſtimonium depromere. In *Talm. Babylon. in Bava Bathra*, *fol.* 14.2. de ordine librorum V. Teſtamenti antiquo agitur; ubi memoratur primum generalis diſtributio in אורייתא נביאים כתובים i. e. *Legem*, *Prophetas*, *Hagiographa*. Hagiographa erant *Pſalmi*, *Proverbia*, *Eccleſiaſtes*, *Canticum*, *Job*, *Ruth*, *Eſther*, &c. Poſteà particularis librorum ordo deſcribitur hoc modo. Quinque libri *Moſis*, *Joſhuæ*, *Judicum*, *Samuelis* & *Regum* libri: deinde Prophetæ, inter quos loco primo ponitur *Jeremias*, deinde *Ezechiel*, *Eſajas* & *duodecim*. Objicitur, an non *Eſajas Jeremiâ* & *Ezechiele* diu prior fuit? Cur igitur loco extremo ponitur? Reſpond. *Ultimum Regum librum claudit excidium, excidio repletur Jeremias, excidio incboatur Ezechiel & ſolamine clauditur, Eſajas ſolamine refertus eſt.* סמכינן חורבנא לחורבנא ונחמתא לנחמתא i. e. idcirco *excidium excidio, & ſolamen ſolamini nectunt*. In antiquis codicibus libros *Regum* proximè excepit *Jeremias*, & in volumine Prophetarum primum locum obtinebat. *Matthæus* citans textum *Zachariæ* nomine *Jeremiæ*, locum è Prophetis citavit ejus nomine qui primum inter Prophetas locum obtinuit. Hoc modo loquitur *Chriſtus*, *Luc.* 24: 44. *Oportet impleri omnia quæ ſcripta ſunt in lege Moſis, & Prophetis & Pſalmis*; ubi generalem diſtributionem, de quâ ſuprà, ſequitur, niſi quòd Hagiographa Pſalmos appellaverit, quia ſcilicet *Pſalmi* primum, ex Hagiographis, locum obtinebant. *Matth.* 16: 14. *Alii Jeremiam, aut unum ex Prophetis: Jeremias* ibi ſolus nominatur, qui in volumine Prophetarum primum locum tenebat, & eò de Prophetis loquentibus primum occurrebat.

Chriſtus coram Pilato ſiſtitur.

Principes Sacerdotum & Seniores *Chriſtum* ad *Pilatum* deducunt; ipſi in ædes illius (Ethnici ſcilicet) introire nolunt, *ne polluerentur, ſed ut ederent Paſcha*, *Joh.* 18:28. Quî verò? Paſcha enim nocte præcedente edebant, cum *Chriſtus* ſuum ederet, & reliquam partem noctis malè contriverunt. Hic verò dies fuit ראיה וחגיגה *dies, quo in Templo ſiſtebant ſe, & ſacrificia etiam ſalutaria obſerebant*, quorum pars in convivium ſolenne cedebat, quod *Johannes* Paſcha vocat. Hoc ſenſu *Paſchales boves* memorantur, *Deut.* 16: 2. 2. *Paralip.* 30: 24. & 35: 8, 9. *Comparitio facta fuit, inquit Schola Shammæana, cum duobus argenteis, & Chagigah cum argenti Meah: Comparitio facta fuit cum Meah argenti, inquit Schola Hilleliana, & Chagigah cum duobus argenteis. Holocauſta tunc temporis è grege, ſalutaria è decimis ſumere ſoliti ſunt. Qui primo die feſti Chagigah non celebrat, tenetur per totum feſti ſpatium celebrare*, &c. Chagigah, cap. 1.

Putabat *Pilatus*, *Chriſtum* aliquem eſſe de plebe ſontem, eò propter eum reduci jubet, & à Synedrio judicari juxta legem ſuam. Ex animo loquutus eſt, & verum dixit: poteſtatem enim habebant judicandi & plectendi, neque neceſſum erat ut illi moleſtiam crearent. Reſpondentes, *Nobis non licet occidere quenquam*, *Johan.* 18: 31. vera etiam dicunt. *Pilati* verò & *ipſorum* verba non ſunt ad *idem*. תני קודם ארבעים שנה עד שלא חרב הבית ניטלו דיני נפשות i. e. *Traditio*

Digitized by Google

CHRIST. XXXIII. *ditio eſt, quadraginta annos ante excidium Templi ablatum fuiſſe jus vitæ & mortis*, Hieroſ. Sanhedr. fol. 18. col. 1. Quî verò? Non per Romanos; permittebant enim iis Religionem propriam, leges, magiſtratum, jus vitæ & mortis, pœnarum inflictionem minorum, judicandi ferè omnem poteſtatem uti olim; non ſolum in *Synedriis* in eâ regione, verum in Synagogis extra terram; neque enim olim ampliorem poteſtatem Synagogæ habuere: ſi opus eſſet, pluribus hoc confirmari poterat.

Vera dicunt ad *Pilatum* loquentes, ipſis enim non licuit quenquam occidere: non quod à *Romanis Synedrio* hæc poteſtas erepta fuiſſet, verum eò quod fures, homicidæ, ſceleratique Judæi, numero viribuſque aucti, & zelo imprudenti inſtigati, Synedrii poteſtatem minuiſſent; neque porro audebat, nec amplius potuit nocentes capite plectere, uti par erat. Hæc res ex eorum ſcriptis patet. *Juchaſin*, *fol.* 21. *Quadraginta annos ante excidium Templi, eo ſcilicet tempore quo Templi januæ ultrò apertæ ſunt, cum Rabban Jochanan Ben Zaccai eas reprehenderet dicens, Templum, Templum, de te Zacharias olim prædixit, dicens, januas tuas, Lebanon, aperi, ut introeat ignis, &c. migravit Synedrium: etiam eò quod homicidæ numero aucti eſſent, & quemvis capite plectere nollet, è loco in locum migravit Jamneh uſque.* Eadem res aſſeritur in *Shabbath*, *fol.* 51. *Avodah Zarah*, *fol.* 8.

Cum viderent *Pilatum* non moveri criminationibus vulgaribus; accuſant eum perduellionis, vetantem ſcilicet tributum *Cæſari* dare, & ſemet Regem venditantem: quia id è re fore credebant. Hinc in Prætorium *Pilatus* introivit, (huc uſque enim cum Judæis pro foribus colloquutus fuerat) & de hâc re eum interrogat: ſe Regem eſſe *Jeſus* apertè fatetur; at verò ſuum regnum non mundanum fuiſſe dicit; (adeòque Romanæ poteſtati ex eo nihil damni metuendum foret) adeoque *Pilato* ſatisfecit, ut reduxerit eum ad fores ubi aſtabant *Judæi*, & profiteatur ſe innoxium *Chriſtum* reperiſſe. Judæis de novo eum accuſantibus nihil prorſus reſpondet *Jeſus*.

Coram Herode ſiſtitur.

Pilatus è dictis ipſorum cum reſciret, ipſum è *Galilæa* veniſſe, *Herodis* ſc. ditione, ad *Herodem* jam *Hieroſolymis* agentem, ipſum remiſit, tum ut ſe hoc negotio extricaret, tum ut *Herodem* priùs infenſum deliniret. Tunc *Jeſus* immanem illum conſpexit, qui præcurſorem ipſius trucidarat. *Herodes viſo Jeſu gaviſus eſt*; tenebatur enim multo jam tempore cupiditate videndi eum, & ſperabat ſe ſignum aliquod viſurum ab eo fieri: ipſe verò noluit affari; licet ipſum multis ſermonibus interrogaret *Herodes*, & *Judæi* ipſum eò ſequentes vehementer accuſarent. Senex iſte vulpes olim vitæ ejus inſidias ſtruxerat, *Luc.* 13: 31, 32. Jam verò captum (ſpretum, illuſum & ſplendidâ indutum veſte) remittit ad *Pilatum*, non eò ut elaberetur *Jeſus*, ſed ut Pilatum deliniret: vide *Act.* 4: 27. CHRIST. XXXIII.

Coram Pilato iterum ſiſtitur.

Pilatus iterum ad fores ſermonem cum Judæis habuit, & de dimiſſione captivi ſeu *Jeſu*, ſeu *Barabbæ* verba fecit. Hoc eorum arbitrio permittens, ad tribunal ſuum regreditur. Interea conjux ipſius ſurgens, & certior facta quid rei ageretur, nuntium mittit de ipſius ſomnio. Ad januam reverſus quid de captivorum dimiſſione ſtatuerant, quærit. *Barabbam* omnes expoſcunt. Iterum eligendi poteſtatem concedit; ipſi interea in ſententia ſuâ pertinaces fuerunt. Tertiò urget, & *Jeſu* innocentiam prædicat; illi uno ore clamare ut crucifigeretur. Aquam deinde expoſcit, & manus ſuas lavit, quas continuo ipſius ſanguine polluebat.

Jam *tertia diei hora* fuit, ſeu hora nona matutina, quâ horâ cœpit ſacrificium matutinum. Hinc computum incipit *Marcus*, *Cap.* 15: 25. viz. ex quo tradidit ipſum *Pilatus*. A *Pilato* flagellatur, à militibus in Prætorium ducitur, ſpinis coronatur, [primam terræ maledictionem perpende, *Gen.* 3: 18.] purpurâ induitur, ſceptro arundineo donatur. Hoc modo ornatum reducit *Pilatus* ad januam, ipſumque innocuum eſſe profitetur. Urgent morti dandum, eò quod diceret, ſe eſſe *filium Dei*. His verbis attonitus *Pilatus* ipſum iterum interrogat; qui hoc ſolum reſpondit, *Non haberes poteſtatem adverſum me ullam, niſi tibi data eſſet ſuperne*, &c. Hinc ad januam reverſus dimiſſionem ipſius vehementius expoſcit. Reſpondent, eòque rem conficiunt, *Haud Cæſaris eſſe amicum*, qui hoc expoſcat. Iterum introiit, & *Jeſum* reduxit, & in alio tribunali in propatulo conſidebat, & coram aſtante *Jeſu* purpura induto & ſpinis coronato, Judæis dixit, *Ecce Rex veſter*; illi contrà clamare, *Tolle, tolle, crucifige eum.* Dicenti, *Regem veſtrum crucifigam?* Reſpondent, *Non habemus Regem niſi Cæſarem.* Confer *Zach.* 11: 6. ubi prædicitur excidium ipſorum per *Regem Cæſarem*; quod per *Veſpaſianum* impletum fuit.

Tunc tradidit eum ipſis ut crucifigeretur; *Erat autem Paraſceve Paſchatis, & hora quaſi ſexta*, *Joh.* 19: 14. *Johannes* temporis hanc circumſtantiam narrat non ſolum ut de ipſo tempore conſtaret, (re ſcilicet magni momenti) verùm etiam ut Judæorum impietatem & Religionis contemptum (dum malevolentiæ propriæ indulſerunt) perſtringeret. Solennis

nis

Digitized by Google

CHRIST. XXXIII. nis hic dies fuit, *comparitionis* ſcilicet in Templo, & *Chagigæ*, ut ſuprà monuimus: mane in Palatium *Pilati* ire recuſant, ne contaminati ſolennibus hiſce ſacris indigni privarentur: nihil tamen eò uſque fecerunt, niſi quod effuſionem innocui ſanguinis compararerint.

Duplex nodus apud *Johannem* occurrit. I. Quî conciliatur cum *Marco* dicente, *Erat hora tertia, quando crucifixerunt eum, Cap.* 15. *verſ.* 25. *Johannes* enim ait, *Erat quaſi hora ſexta*, quando tradidit eum *Pilatus?* Reſp. I. Si perpendamus quam multa peracta fuere die hoc priuſquam crucifigeretur, haud erit credibile facta fuiſſe ante horam tertiam. Convenit *Synedrium*, pro tribunali conſidet, captum interrogat, reum pronunciat: ad *Pilati* palatium ductus eſt, ibidem cum *Pilato* variè de ipſo diſceptatur: ad *Herodem* ducitur, de multis interrogatur: mutantur veſtes, ſplendidè ornatur, ad *Pilatum* iterum remittitur; demum diſceptatur de ipſo vel *Barabba* dimittendo; tribus vicibus populum tentat *Pilatus:* tandem clamore evictus manus lavit, ipſum flagellat, & illudendum tradit: milites ipſum in aulam trahunt, coronam è ſpinis nectunt, exuunt, induuntque demum veſtem, pro libitu ſannis excipiunt. Poſt hæc *Pilatus* educit eum foras, & dimiſſionem ejus expoſcit: reducit eum & denuò (cum *Dei filius* diceretur) magno ſtudio eum interrogat, & dimiſſionem ejus poſcit. Tandem ne *Cæſaris* hoſtis videretur, pro tribunali ſententiam in ipſum fert, titulum crucis ſcribit, Judæis interea *Jeſu* illudentibus. Deinde ex urbe crucem ferens ad carnificinam ducitur, locum ſcilicet haud propinquum; denudatur, præbetur ei vinum myrrhâ miſtum, quod recuſavit; crucifigitur, & veſtium facta eſt partitio. Poſt hæc dicit *Marcus*, *Erat hora tertia, quando crucifixerunt eum.* Tot ac tanta hæc ſunt, ut ante horam diei tertiam, ſeu nonam matutinam, hæc omnia peracta fuiſſe nemo facile credat, ne quidem licet *Judæi* id omninò egiſſent (quod minimè verum eſt) ut ante eam horam hæc peragerentur. II. *Marcus* hæc narrans tempus refert ex quo primum *Pilatus* ipſum illudendum tradidit. Verba ipſius connotare facile poſſunt, tum primam ipſius traditionem horâ tertiâ factam; tum crucifixionem, quæ poſt eam traditionem horâ tertiâ contigit. Eo modò ſex horæ perpeſſionum *Chriſti*, ex eo ſcilicet cum primum ipſum *Pilatus* tradidit, ad ipſius mortem, computantur; planè ut anni 430. peregrinationis *Iſraëlitarum* in *Ægypto*, *Exod.* 12. Cujus ſpatii dimidium, antequam in *Ægyptum* venerunt, conſumptum fuit, aliud dimidium in Ægypto. II. Quæritur, qui fieri poſſit ut, cum *Chriſtus* cruci eſſet fixus, invaleſcerent tenebræ, à *ſexta hora*, uti narrant reliqui Euangeliſtæ; cum *Johannes* dicat, *Pilatum* ipſum tradidiſſe *hora quaſi ſexta?* Nodum hunc verba ipſius etiam *Johannis* ſolvunt. CHRIST. XXXIII. Rectè enim dicitur, *quaſi ſexta hora*, juxta conſuetum gentis morem, cum ea hora jam inciperet; etenim priuſquam finiretur, ea omnia fieri poterant, quæ inter ſententiam in ipſum latam & crucifixionem ipſius contigerunt.

Crucifigitur.

Sententia de ipſo capite plectendo fertur cum coccineis veſtibus indutus & ſpinis coronatus aſtaret. Voti jam compotes Judæi ipſum ſannis excipiunt, continuò denudant, & veſtes ipſius induunt. Ad Carnificinam rapiunt, & ipſi imponunt crucem, [hujuſmodi necis inſtrumenta propè Prætorium in promptu erant] ita uti *Iſaacus*, ipſius Typus, lignum bajulavit, quod poſtea portaret ipſum, *Gen.* 22:6, 9. Extra urbem carnificina fuit, חוין לשלשה מחנות ut *Talmudiſtæ* ſtatuunt in *Talm. Babylon. Sanhedrin*, *fol.* 42. 2. [ut Apoſtolus ad ipſius perpeſſiones pro *Ethnicis* hoc referat, vide *Hebr.* 13:12].

Cum extra portas urbis crucem bajulantem jam laſſum viderent, cogunt *Simonem Cyrenæum* (diſcipulum quendam, ut veriſimile eſt, ſatis notum) poſteriorem partem unâ bajulare.

Veniunt ad carnificinam *Golgotha* vulgo dictam; non ſepulchrorum, verùm *Calvariæ locum:* ubi quamvis nonnulli ſepulti fuerint qui plexi erant capite, non ideò ſepulturæ locus dici merebatur. *Qui enim capite plectebatur in ſepulchro patrum poſitus non fuit. Duo loca ſepulturæ hiſce parata erant. Unus enſe & ſtrangulatione interemptis; alius igne & lapidibus interfectis. Carne abſumptâ oſſa colligebant, & in ſepulchris patrum repoſita fuerunt*, Talm. ibid. fol. 46. 1. *Golgolta* propriè hic locus dicitur; verum mos obtinuit ut tunc temporis *Golgotha* vocaretur, uti uſurpatur in verſione Samaritanâ, *Num.* 1.

Ipſum primum denudant; tum vinum mentem perturbans ei præbent, quod bibere recuſat. היוצא ליהרג משקין אתו קורט של לבונה בכוס של יין כדי שתטרף דעתו: *Cum quis capite plectendus eſſet, dederunt ei thus vino miſtum ut eum dementaret, ſicut ſcriptum eſt, Date potum inebriantem perituro, & vinum amaris animo. Traditio eſt, illuſtres fœminas Hieroſolymitanas hoc ultro & gratis præbuiſſe, &c.* Talm. Babyl. ibid. fol. 43. 1. Attinebit porrò quæ continuò eadem paginâ ſequuntur, ſubjungere. *Coram capite plectendo ibat Præco clamans, N. filius N. eò quod talis criminis reus fuerit, jam occidendus eſt: teſtes criminis ſunt N. & N. Si quis ipſum purgare poteſt, loquatur.* Et poſt hæc continuò, *Traditum eſt, Jeſum fuiſſe ſuſpenſum*

Digitized by Google

CHRIST. XXXIII. *ſum Paſchatis veſperâ, & præconem per quadraginta dies coram eo clamaſſe, hic morti tradendus eſt eo quod faſcinaverit, deceperit & perverterit Iſraelitas; ſi quis eum purgare poteſt, eloquatur: ſed non repererunt, qui purgare eum poſſet; idcircò ſuſpenderunt eum veſperâ Paſchatis, &c.*

Manus & pedes ipſius cruci affiguntur: eodem modo *Abelem* (typum ipſius) à *Caino* vulneratum tradunt Judæi, *Tanchum, fol.* 3. *col.* 4. & *Iſaacum* altari alligatum, *Id. fol.* 12. *col.* 2. Cum eo duo facinoroſi cruci affiguntur; (*Joſephum* inter duos ſontes confer, *Gen.* 40.) λῃσαὶ, prout ea vox apud *Joſephum* uſurpatur, hunc locum explicat. Quatuor milites veſtimenta ipſius partiti ſunt, & ſuper veſtem ipſius miſerunt ſortem; porrò aſſiderunt vigiles ipſius.

Cauſa ſupplicii ſupra caput ipſius deſcripta fuit; quæ ab Euangeliſtis varietate quadam exprimitur, verum plena hujus rei narratio ab omnibus mutuanda eſt. Dixit *Marcus*, *REX JUDÆORUM*; *Lucas*, *HIC EST REX JUDÆORUM*; *Matthæus*, *HIC EST JESUS REX JUDÆORUM*; *Johannes*, *JESUS NAZARENUS REX JUDÆORUM.* Ubi id præcipuè narratur, eum eò condemnatum quod ſe Regem Judæorum venditaret, uti præ ſe ferebant, adeòque in *Cæſarem* perduellionis reum: hoc omnes Euangeliſtæ pariter narrant, verborum varietate, ut hoc melius intelligat Lector, utentes. Qui paucis retulit, plenè ſatis cauſam ſupplicii narravit; qui pluribus, eandem rem explicatius enarrabant. Scripta fuit linguâ *Hebræâ*, *Græcâ* & *Latinâ*, de quibus in *Midr. Tillim, fol.* 25. *col.* 4. Dixit *R. Jochanan: Tres linguæ ſunt: Latina bello inſerviens, ſermoni Græca, precibus Hebraica.*

Ad locum ſupplicii ſequuta eum fuerat cujuſvis generis turba. Aliqui apertè flebant & eum plorabant, contra morem conſuetum. In Talmudico Tractatu proximè citato, *fol.* 46: 2. mirum hoc dogma videre eſt, לא היו מתאבלין אבל אונין שאין אנינות אלא בלב i.e. *Capite plectendum non plorabant, verum animo tantum mœrebant*; ob hanc rationem, uti è gloſſa licet ediſcere: *Non plorabant, ut dedecus ipſius expiatio fiat.* In eâ ſententiâ fuerunt, maximum dedecus & ſupplicium in majorem damnati expiationem cedere, ideoque plorare ipſum noluerunt, ne honore afficientes expiationem ipſius minuerent: è contra plorante nemine, majus dedecus, tum majorem peccati expiationem fore. Mira hæc conſuetudo & ſententia illuſtrat publicum hunc ploratum *Chriſti* cauſa.

Alii, inter quos Principes Sacerdotum, Scribæ & Seniores, ipſum in crucem elevatum contumeliis afficiunt; hi otio gaudentes, aut potius odio inſtigati necis ipſius teſtes fiunt. Ipſum ſemet miraculo liberaturum primò verebantur; cum hoc non contigiſſe viderent, triumphantium more inſultant. Neque pepercerunt ei Latrones unâ crucifixi, uti *Matthæus* & *Marcus* narrant. Eorum alter tandem converſus, certus factus eſt fore ut eo die cum ipſo in Paradiſo eſſet: [בגן עדן juxta conſuetum loquendi morem] confer una cum *Joſepho* vinctos, *Gen.* 40. quorum unus, qui mentionem ejus fecerat, evaſit, alter autem pœnas luit.

Fortean obortæ tunc temporis tenebræ, inſolito viz. & tremendo more, latroni anſam præbuerunt credendi *Jeſum* fuiſſe *Meſſiam*. Statim enim ut in crucem ſublatus erat, *ſexta hora* ſeu exactè meridies fuit: & obortæ tenebræ ad horam tertiam veſpertinam permanſerunt. Ipſiſſimâ hac diei parte tenebris ſepultus *Adam*, ſcilicet ex quo lapſus fuerat, donec Deus ipſi *Chriſtum* promiſit.

Ad crucem aſtabat mater *Jeſu* jam vidua, nec non, ut videtur, egena; cui, ipſam fidei *Johannis* dilecti diſcipuli mandans, proſpexit. אלמנה ניזונית מנכסי יורשין i.e. *Vidua ſuſtentanda eſt è bonis hæredum mariti ipſius, donec dotem accipiat*, *Maimon.* in אישות, *cap.* 18. Paupertas verò *Joſephi* & *Mariæ* neque hæreditatem neque dotem præbuit, nec liberos habuerunt præter *Jeſum* jam moriturum: ſi, qui *fratres Jeſu* dicti ſunt, *Joſephi* fuerint liberi ex alia uxore ſuſcepti, uti quidam exiſtimant, cura alendi viduam ad eos jure attinebat.

Hora circiter nona clamavit *Jeſus*, *Eli, Eli lama ſabachthani*, i. e. *Deus meus, Deus meus, cur me deſeruiſti?* Hæc verba non de ſpirituali deſertione intelligenda ſunt, verum eum traditum & objectum inimicorum ſævitiæ innuunt. His dictis quidam ipſum *Eliam* vocaſſe dicebant. An verò illudentes hoc dixerunt, an voces *Eli*, *Eli*, *Eliam* ſignare putabant? Duas ob cauſas ita credere poterant. I. Vox *Eli* aut *Elohi* linguâ *Syriacâ* haud vulgò uſurpata fuit, ſed loco ipſius *Mari*, & eodem ſenſu. II. Vulgò recepta fuit ſententia, fabuloſa licet, de adventu *Eliæ* ut miſeris ſuccurreret, & in dubio poſitos erudiret, qua de re pluribus agunt *Talmudiſtæ*.

Cum ſe ſitire dixiſſet, acetum ei datur; quod cum guſtaverat, mortis angores perſentiens dixit, *Conſummatum eſt.* Magnum porrò clamorem mittens, & Deo ſpiritum ſuum commendans moritur, tempore veſpertini ſacrificii. Eo tempore mota eſt terra, & rupes ſciſſæ ſunt, & aulæum Templi fiſſum eſt in duas partes. Sacerdos, qui tunc temporis ſuffitum faciebat, hujus rei teſtis, attonitus quippe, idoneus eſſe potuit, cum egrederetur. Fiſſæ ſunt rupes eo loco ubi monumenta multorum

Digitized by Google

CHRIST. torum Sanctorum exciſa fuerant, quæ jam XXXIII. aperta ſunt, devictis quippe ſepulchris. Denuò cum terra iterum mota eſſet & *Chriſti* ſepulchrum inde eſſet apertum manè quo reſurrexit, recondita ibidem corpora, in cinerem prius redacta revixerunt, & poſt reſurrectionem *Chriſti* egreſſa è monumentis in *Urbem Sanctam* venerunt. *Matthæus Hieroſolymam* urbem ſanctam vocat, poſtquam *Chriſti* homicidii fuiſſet rea, *Cap.* 27:53. Gens licet improba ſit, non eò Eccleſiæ titulo privanda eſt.

Centurio, & qui cum eo erant, his tremendis viſis quæ evenerunt, attoniti & cogitabundi facti ſunt. Appropinquante veſpera rogant Judæi ut confringerentur eorum crura, ut, eò citius mortui, cruci per totam noctem affixi non forent. Hoc iis conceſſum. Hoc latronem pœnitentem confecit, (ne quid de alio dicam) uti è verbis *Chriſti* colligere licet, qui prædixerat fore ut eo die cum ipſo eſſet in paradiſo. *Chriſto* verò jam mortuo os ipſius nullum confringunt. Quidam verò lanceâ latus ejus fodit, è quo exivit aqua & ſanguis, adeò ut à *ſemvicem* diſtingui facile poſſent.

Cum ſerum diei eſſet, *Joſephus* ab *Arimathæa*, (*Samuelis* urbe, 1. *Sam.* 1:1.) Sacerdos vel Levita quidam è לעכת בולווטא i. e. è conclavi in Templo, ubi Conſiliarii convenire ſolebant, corpus *Jeſu* petit, quod alias cum maleficorum corporibus ſepultum fuiſſet, & in ſuo recondit monumento. Conſenſit *Nicodemus*; & fœminæ ſpectantes ubi poſitum fuit, paraverunt aromata ad ipſius pollincturam poſt elapſum Sabbatum; ipſum quidem *Chriſtum* amore proſequentes, de ipſius reſurrectione vix cogitantes.

SECTIO LXXXVII.

MATTHÆI CAP. XXVIII. *ab initio ad verſ.* 16.
MARCI CAP. XVI. *ab initio ad verſ.* 12.
LUCÆ CAP. XXIV. *ab initio ad verſ.* 13.
JOHANNIS CAP. XX. *ab initio ad verſ.* 19.

Chriſti reſurrectio: prima apparitio, viz. Mariæ Magdalenæ.

HAnc Sectionem præcedentem jure ſubſequi conſtat. Cautè tamen narrationis ordo diſponendus eſt: quoniam quatuor Euangeliſtæ res geſtas, aliqua varietate utentes, narrant.

Dominus vitæ mortuus fuit horas triginta & ſex: quod ſpatium fuit illius diei, quo ſol ſtetit in diebus *Joſuæ*: in eâ fuiſſe ſententiâ *Judæos* dicit *Kimchi*, *Joſ. Cap.* 10.

Ipſe *Chriſtus* hoc temporis ſpatium vocat CHRIST. tres dies & tres noctes, *Matth.* 12:40. cum XXXIII. reverà tantum duas noctes, unum diem integrum & duas portiunculas duorum aliorum contineret; *Chriſtus* tamen loquitur more gentis conſueto, & ſatis noto. In utroque *Talmude* in Tractatu *Shabbath*, *cap.* 9. diſputatur de tribus diebus, quibus *Iſraelitæ* uxoribus abſtinebant antequam daretur Lex, *Exod.* 19:15. Inter alia hæc occurrunt. *R. Akibah fecit diem* עונה *& noctem* עונה; *etiam R. Iſmaël. Hæc verò traditio eſt, R. Eliezer ben Azariæ dicit* יום ולילה עונה ומקצת עונה ככולה עונה i. e. *dies & nox faciunt* עונה, *& pars* עונה *pro integrâ computatur.* Poſtrema hæc verba ad præſentem rem attinent. Tres dies naturales erant totidem עונות, & aliqua pars harum pro totâ cenſebatur.

Euangeliſtæ diſcrepare videntur de tempore, quo mulieres venerunt ad monumentum: veniſſe *Mariam Magdalenam*, *quum adhuc tenebræ eſſent*, inquit *Johannes*; *cum luceſceret*, *Matthæus*; verum *Marcus* ait, ipſam & alias mulieres veniſſe *ſole exoriente*. Omnes ſimul rem plenè enarrant; cum luceſceret, & adhuc tenebræ eſſent, cum primum videre potuiſſent mulieres, (ſaltem *Maria Magdalena*) iter inſtituere cœperunt ad ſepulchrum, eo ſcilicet momento, quo ſurrexit *Chriſtus*, quum motâ terrâ Angelus lapidem devolveret. *Maria Magdalena* ex ædibus fratris *Lazari* venit, quæ *Bethaniæ* erant; (modò è domo ſuâ veniſſe concedatur) reliquæ mulieres in ſuis hoſpitiis fuerunt: unâ convenire (nam unâ id agebant) nonnihil temporis poſcebat. Licet *Maria* ſummo mane ſurrexiſſet, tamen priuſquam omnes ſimul ad ſepulchrum venerant, exortus fuit ſol. Hæ mulieres cuſtodiæ ſepulchro appoſitæ, & obſignationis lapidis ignaræ (manè Sabbati factæ) de devolutione lapidis tantum ſollicitæ fuerunt; venientes devolutum lapidem reperiunt: porrò cuſtodia aufugit, & Angelus, qui lapidem devolverat, ad dextram introitus conſedit: introeuntes alium Angelum viderunt; qui uterque ipſum ſurrexiſſe dicit. Hoc modo *Matthæus* & *Marcus*, qui de unico, cum *Lucâ*, qui de duobus Angelis loquitur, conciliantur.

Reverſæ mulieres Diſcipulis narrant quid viderant; verum *verba earum viſa ſunt apud eos quaſi deliramentum*; nondum enim ipſa *Maria* eum ſurrexiſſe credidit. Diſcipulorum fides diſquiſitionem meretur: in *Chriſtum* credebant ad ſalutem, tamen non credebant moriturum dum in vivis fuit, nec reſurrecturum credebant cum jam reſurrexiſſet.

Petrus & *Johannes* ad ſepulchrum currunt, eoſque ſequuta eſt *Maria Magdalena*: corpore ablato faſcias ibidem reperiunt, [*Johannes* pri-

Digitized by Google

CHRIST. XXXIII.

primum reſurrectionem credit] & domum redeunt, *Maria* verò flens ibidem permanſit; porrò introſpiciens duos vidit Angelos, ad caput unum, alterum ad pedes loci, ubi corpus reconditum fuerat, prout bini *Cherubin* ad utramque Arcæ extremitatem poſiti olim fuerant. Retroſpiciens *Jeſum* vidit, putans hortulanum eſſe; continuò verò ipſum agnovit, & reverſa hæc Diſcipulis renunciat. *Matthæus* breviter hæc enarrat: unicum enim iter mulierum ad ſepulchrum & reditum refert; porrò dicit redeuntibus ipſis *Jeſum* obviam factum: quum reverà *Maria* bis ad ſepulchrum iret, & ipſa ſola *Chriſto* obviam facta ſit, ſecundâ vice rediens; interea temporis cuſtodes in urbem venerunt, & muneribus corrupti ipſum ſurrexiſſe negant; Principes ſcilicet Sacerdotum & Seniores gentis infidelitatem argento conducunt.

SECTIO LXXXVIII.

LUCÆ CAP. XXIV. *à verſ.* 13. *ad verſ.* 36.
MARCI CAP. XVI. *verſ.* 12, 13.

Secunda apparitio facta, viz. Petro & Alphæo, Emmauntem euntibus.

EOdem die tempore pomeridiano ex ipſis duo *Emmauntem* ibant, qui pagus 60. ſtadiis *Hieroſolymâ* diſtabat, i. e. ſeptem milliaribus Italicis & dimidio, uti refert *Joſephus de Bello*, *lib.* 8. *cap.* 27. ubi *Ammaus* vocatur: narrat porrò *Veſpaſianum* poſt excidium *Hieroſolymitanum*, hunc pagum Romanis militibus ibidem relictis, in habitationis locum conceſſiſſe. Verum in *Antiquit. lib.* 18. *cap.* 12. *Emmaus* vocatur, & ut à *Varo* incenderetur, narratur. In *Galilæam* ducebat; eò fortean hi duo redeuntes *Emmauntis* pernoctare ſtatuerunt eâ nocte. Jam verò impediti eâ nocte *Hieroſolymam* redeunt. Hi duo, *Petrus* & *Alphæus* pater trium Apoſtolorum, dictus etiam *Cleophas*, fuerunt: vide *verſ.* 18, 34. De hac apparitione *Petro* factâ agit *Paulus*, 1 *Cor.* 15: 5.

Eundem fuiſſe *Alphæum* & חלפי *Cleopham* è ſoni ſimilitudine, tum ex eo quod iiſdem *Hebraicis* literis ſcribantur, conjectare licet: verum liquido conſtat è *Joh.* 19: 25. ubi quæ *Maria uxor Cleophæ* dicitur, fuit, ut è reliquis Euangeliſtis conſtat, *Maria uxor Alphæi*, mater ſcilicet *Jacobi* & *Joſis*, &c. *Matth.* 28: 56. *Marc.* 15: 40.

CHRIST. XXXIII.

SECTIO LXXXIX.

LUCÆ CAP. XXIV. *à verſ.* 36. *ad verſ.* 49.
JOHANNIS CAP. XX. *à verſ.* 19. *ad verſ.* 26.
MARCI CAP. XVI. *verſ.* 14.

Tertia ipſius apparitio undecim facta.

QUod ad *Johannem* & *Lucam*, connexio patet. Dicit *Johannes*, *quum veſpera eſſet die illo primo hebdomadis: Lucas*, *hæc ipſis loquentibus*, *ſtetit in medio eorum*: (ſcilicet de apparitione præcedente) *Primus dies hebdomadis* Judaico more loquendi uſurpatur; אחד בשבת: ſecundum diem vocant שני בשבת; tertium שלשי בשבת, & ita deinceps. Qui jam eo tantum modo ſingulas ferias appellari volunt, phraſin purè Euangelicam putant, cum reverâ pura puta Judaica fuerit.

Inter cœnandum introiit *Jeſus*; oſtendit manus & latus, una comedit, Scripturas exponit, mentem eorum aperuit; afflavit & dixit, *Recipite Spiritum Sanctum*, *&c. Si quorum remiſeritis peccata*, *&c.* Jam donantur poteſtate & privilegio ſingulari, necdum prius conceſſo, nec die *Pentecoſtis* demum concedendo. Scilicet jam poteſtate vitæ & necis donantur: Porrò morti tradere, aut morbis miraculoſe afficere hoſtes aut contemtores Euangelii poſſunt, aut iis parcere, prout edocti forent Spiritu Sancto, quem jam receperunt. Mors *Ananiæ* & *Sapphiræ* ſpecimen hujus poteſtatis fuit, prout ibidem annotatur.

Thomas abfuit; tamen *Marcus* refert, *ſemet exhibuiſſe undecim unà ſedentibus*: etiam *Lucas* narrat, *Petrum* & *Cleopham undecim congregatos reperiſſe*, *Cap.* 24: 33. Immo duodecim apparuiſſe dicitur, 1 *Cor.* 15: 5. totius *Chori* titulo qui aderant, honeſtantur.

SECTIO XC.

JOHANNIS CAP. XX. *à verſ.* 26. *ad finem Capitis.*

Quarta ipſius apparitio, quum Thomas adeſſet.

JOhannes refert, *octo poſt diebus* hoc contigiſſe; quod reverà ſeptimo excurrente die factum fuit, primâ ſcilicet Septimanæ feriâ: hic dies Chriſtianum Sabbatum conſtituitur. Videns *Thomas* credit; *Beati qui non viderunt & crediderunt*: vide 1. *Petr.* 1: 8.

Tanchum, fol. 8. col. 1. *R. Simeon Ben Lachish dicit*, *Proſelytus magis à Deo diligitur quam turba omnis quæ aſtabat ad montem Sinai. Quare? Quia ſi non vidiſſet tonitrua*, *fulmina &*

Digitized by Google

CHRIST. XXXIII. *& ignem, & trementes montes, & ſonitum Tubæ legem non recepiſſet: Proſelytus verò licet hæc non videat, Deo tamen ſemet dedens, regno cælorum ſe ſubdit.*

SECTIO XCI.

JOHANNIS CAP. XXI.
totum.

MATTHÆI CAP. XXVIII.
verſ. 16. Tunc undecim Diſcipuli in Galilæam profecti ſunt.

Quinta apparitio ſeptem ſcilicet Apoſtolis ad mare Tiberiadis, &c.

CHriſtus dum in vivis erat, prædixit ſe ipſos in *Galilæa* conventurum poſt reſurrectionem ſuam; quumque è mortuis ſurrexiſſet, montem ibidem eopropter inſtituit: eo jam venêre, & conſtitutum tempus expectant. Interea *Petro* & ſex aliis Apoſtolis piſcari erat animus: non ex officio id agebant, (non enim omnes prius piſcatores fuerant) verum vel alimoniæ cauſa, vel quia vix aliud erat quod agerent, donec Dominus de illis ſtatueret. Tribus ex his ſeptem (immò quatuor, ſi *Andreas* una adfuerit) mirandâ piſcium capturâ primum ſemet conſpicuum exhibuerat, jam verò etiam omnibus. Fortean ſperabant idem rurſus facturum *Chriſtum*, eaque de cauſa piſcatum abierunt.

Ipſius ope mirandam copiam piſcium capiunt, grandium ſcilicet 153. (tot millia Proſelytorum fuerunt, qui Templo conſtruendo operam navabant, & additis inſuper ſexcentis, 2 *Paralip.* 2: 17.) & in littore prandium iis parat, & unà cum his prandet. *Hâc jam tertiâ vice patefactus eſt Jeſus Diſcipulis ſuis*, inquit *Johannes*. Hæc verba ordinem Sectionis confirmant, & oſtendunt hoc contigiſſe ante apparitionem omnibus factam in monte, quem conſtituerat. Duas vices, quibus prius ipſis apparuerat, ſupra retulit hic Euangeliſta, unam ſcilicet factam *Thoma* abſente, alteram præſente.

A prandio ter *Petrum* interrogat, qui ter ipſum abnegaverat, & martyrium illius prædicit, *& Johannem* in vivis fore *uſque dum veniret*; ſcilicet cum ulturus eſſet infidelitatem Judæorum: ita enim ipſius adventus & adventus in gloriâ paſſim in Euangelio uſurpatur. *Petrus* martyrium paſſurus erat, *Johannes* ipſos pœnas luere viſurus.

CHRIST. XXXIII.

SECTIO XCII.

MATTHÆI CAP. XXVIII.
à verſ. 17. ad finem.

MARCI CAP. XVI.
verſ. 15, 16, 17, 18.

LUCÆ CAP. XXIV.
verſ. 49.

Sexta apparitio in monte Galilææ undecim facta, & quingentis aliis.

COnſtituit iis montem in *Galilæa* (prope, ut videtur, *Capernaumum*, ubi Apoſtolos elegerat, & concionem habuerat) non ſolum ut undecim appareret; prius enim hoc fecerat, & *Hieroſolymis* hoc fieri poterat: verum ut conveniret non ſolum undecim, ſed omnes ſuos diſcipulos, tum *Galilæos* tum alios; eopropter ſæpius & palam hoc conſtituerat, tum ante tum poſt ſuam reſurrectionem: quod dicit Apoſtolus, *Viſum fuiſſe amplius quam quingentis fratribus ſemel*, 1 *Cor.* 15: 6. hoc tempore & loco contigiſſe jure creditur. Locum conſtituerat, & confluxus eò argumentum eſt, ipſum etiam tempus conſtituiſſe; ſaltem manebat ibidem adventum ipſius expectans. Hîc *Diem Dominicum*, ſeu primam feriam, uti *Chriſtianum Sabbatum*, cum hiſce diſcipulis quam plurimis celebraſſe, conjectare licet; porro ipſis conſpicuum ſemet exhibuit & prædicavit regnum Dei.

Mandat præterea *docere omnes gentes*. Prius juſſerat *Iſraelitis* ſolum prædicare, jam verò *omni creaturæ*, *Marc.* 16: 15. πάσῃ κτίσει (vide *Col.* 1: 23.) לכל הבריות linguâ Judaicâ, i. e. *omnibus*. מודיע לבריות עיון ומעשה *Solomon* in Proverbiorum libro *creaturas docet ſcientiam & praxin. Kaſvenaki in Prov.* 1. משרה רוח הקדש על הבריות i. e. *habitare facit Spiritum Sanctum ſuper creaturas*, Midr. Till. in Pſalm. 135. *Nimrod Idola fecit*, ומטעה הבריות i. e. *& aberrare fecit creaturas*, Tanch. fol. 8. 4. *Vult Dominus ut* בריות *creaturæ preces funderent*, Id. fol. 16. 4. In quibus & in ſexcentis aliis locis vox *Creaturæ* homines ſolum ſignat: & quum *omni Creaturæ* Euangelium prædicare juberentur, omnibus hominibus Ethnicis ac Judæis prædicare tenebantur.

Facta eſt poteſtas, & in mandatis datur eos vocare, (de quo magno myſterio vide *Epheſ.* 3: 4, 6.) qui ſubjecti vanitati Idololatriæ, & omnium peccatorum ſervi fuerant, ex quo rejecti erant *Babelis* 2203. annos abhinc. Edocti fuerant à Dæmone, ipſius oraculis & fraude decepti; jam verò omnes à Deo edocti erunt, *Eſaj.* 54: 13. per prædicationem Euangelii. Perpauci quidem eo tempore à Judæis edocti Dominum agnove-

Digitized by Google

CHRIST. XXXIII.

noverunt, & religionem Judaicam amplexi fuerant deinceps, demum verò iſtiuſmodi proſelytiſmo opus non eſſet; omnes enim Deum cognoſcerent, *Hebr.* 8: 11. prædicato Euangelio omnibus gentibus. Recepti in Eccleſiam Judaicam & veram Religionem amplexi baptiſmo initiati & obſignati fuerant, *Talm. in Jebamm. cap.* 4. *&c.* Illud proſelytorum Sacramentum (ut ita dicam) inter omnes gentes obtineret dehinc ut ſignum fidelitatis & ſubjectionis *Chriſto*, cui *omnis poteſtas data eſt in terrâ & cœlis*, ut & fidei in verum Deum, *Patrem, Filium & Spiritum Sanctum cum abrenunciatione* falſorum Deorum & cultus illiciti. Infantes Chriſtianorum hac teſſera inſigniendi ſunt; licet tunc temporis quid ſignet, prorſus non intelligant. Neque enim par eſt, quenquam è Chriſtianis oriundum hoc ſigno obedientiæ Chriſto Domino debitæ carere, eâque teſſerâ diſtinctivâ, quâ Ethniciſmo & cultui Deorum falſo abrenunciare creditur; uti apud Judæos quivis mas octo dies natus circumciſionis ſigillo obſignabatur.

Μαθητεύειν non de edoctis, ſed edocendis intelligitur: eo enim ſenſu ſemper & ſolum uſurpatur ea vox apud Judæos. Factus enim, in ipſorum ſcholis, fuit תלמיד *diſcipulus*, qui ſemet præceptori tradidit imbuendum: eâ ratione proſelyti, Judaicam Religionem amplexantes diſcipuli facti ſunt. Neque enim Apoſtolorum vel Judæorum quiſpiam unquam inaudiverat vel ſomniaverat de eo hujus vocis ſenſu, quem quidam cuderunt, ac ſi nemo jure baptizari potuerit, niſi prius edoctus fuiſſet.

Hæretici illi pravi, qui Divinitatem *Chriſti* & *Spiritus Sancti* pernegant, haud ſatis perpendunt aut nolunt cauſam perſpicere, ob quam Ethnici baptizandi fuerint in *nomine Patris, Filii & Spiritus Sancti*, quum Judæi interea temporis ſolummodò in nomine *Jeſu* baptizati fuerint, *Act.* 11: 38. Hanc ob cauſam ita conſtitutum erat: viz. ut Judæi in nomine *Jeſu* baptizati ipſum *Meſſiam* eſſe agnoverunt, ita Ethnici, qui Deos falſos coluerunt, baptizati in *nomine Patris, Filii & Spiritus Sancti*, eo Patrem, Filium & Spiritum Sanctum unicum & verum eſſe Deum credere teſtarentur. Quum in mandatis datum fuiſſet ut prædicarent Euangelium *omni Creaturæ*, abſurdum & impium eſſet affirmare, eos, qui baptizati fuerant, baptizatos in nomine filii, *Creaturæ* ſcilicet, & Spiritus Sancti *Creaturæ* itidem. CHRIST. XXXIII.

Miraculoſa dona Spiritus Sancti promittit credentibus, (non omnibus, ſed quibuſdam ad confirmationem doctrinæ) & diſcipulos *Hieroſolymam* redire jubet, ibidemque manere, donec Spiritum Sanctum in ipſos effunderet, cujus ope adjuti miniſterio apud Gentes, ad quod ipſos deſignaverat, fungi poterant. Porrò *Marcus* & *Lucas* hiſtoriam ipſius aſcenſionis paucis enarrant, quia totam ipſius hiſtoriam una narrare avebant, quæ tamen amplius narratur, *Act.* 1.

Septima apparitio, Jacobo ſcilicet facta.

Poſt apparitionem quingentis fratribus ſemel factam, quam præcedentem illam fuiſſe meritò credimus, refert Apoſtolus viſum fuiſſe *Jacobo*, 1 *Cor.* 15: 7. deinde *omnibus Apoſtolis*: Hinc conſtat apparitionem *Jacobo* factam, contigiſſe inter apparitionem factam quingentis Apoſtolis, & ipſius adventum ad omnes Apoſtolos *Hieroſolymam* reverſos. Qui *Jacobus* hic fuerit, reticuit *Paulus*; nec Euangeliſtarum quiſpiam hanc apparitionem narrat: veriſimile eſt *Jacobum minorem* indigitari, de quo alibi paſſim Apoſtolus loquitur, ut & Hiſtoria *Actorum Apoſtolorum*, tanquam de viro egregio tunc temporis, cum *Paulus* Ethnicis prædicaret. Euangeliſtæ ſæpius memorant *Petrum*, *Jacobum* & *Johannem*, tres diſcipulos maximè egregios præter cæteros, eo quod *Chriſtum* in receſſibus ipſius comitarentur, & quorum nomina immutaverat. Ille verò *Jacobus Zebedæi* filius fuit: cum verò ille martyrium paſſus eſſet, *Act.* 12. *Jacobus* filius *Alphei*, dictus *Jacobus minor*, pari faſtigio cum *Petro* & *Johanne* dignabatur, & una cum iis Miniſter circumciſionis factus eſt, *Gal.* 2: 9. Illi Judæorum diſperſorum Miniſtri erant; *Jacobus* in *Judæa* permanſit: vide *Act.* 15: 13. & 21: 18. *Gal.* 2: 13. Veriſimile porrò eſt ipſum in hunc triumviratum cooptatum poſt mortem alterius *Jacobi*, eò quod *Chriſtus* dignatus fuiſſet ipſi apparere: quod quidem non ſolum argumenti, ſed mandati vim habere exiſtimare licet. Jure in eum ordinem cooptatur, idemque munus & officium ipſi mandatur, quibus defunctus fuerat *Jacobus* alter, qui diem ſuum jam obiverat.

CHRONICA ET ORDO ACTORUM APOSTOLORUM, EPISTOLARUM ET APOCALYPSEOS.

LIBRI PARS SECUNDA.

ACTORUM CAP. I.

CHRIST. XXXIII.

EGalilæa Diſcipulos, ubi proximè *Chriſtus* ipſis apparuerat, ipſo jubente, reverſos *Hieroſolymam*, ibidem convenit iterum; ubi inter alia interrogant ipſum, an eo tempore *regnum Iſraëli reſtitueret?* Fortean occaſionem hujus quæſtionis ceperunt ex eo, quod ad hunc locum accerſiti iterum ſint, gentis ſcilicet metropolin. Illi enim una cum reliquis Judæis *Meſſiam* expectabant, qui imperium ſeculare proferret, haud ſatis fortean aſſequentes quid per *promiſſum Patris* vellet. Reſpondit, *Non eſt veſtrum noſſe tempora & opportunitates*, non innuens futuram hujuſmodi reſtitutionem, verum curioſitatem ipſorum inſulſam & inanem reprimens. Porro monet ut, abjectis terrenis cupiditatibus, ſuas res agerent, ſcilicet ut ipſum toti mundo prædicarent. In montem *Oliveti* eos educit *Bethaniam* uſque, & eo ferè loco ubi prius cœperat Aſino inſidens triumphantis more *Hieroſolymam* ingredi, jam nube vectus triumphans ſcandit cœlos.

Diſcipuli, qui aſcenſionem ipſius conſpexerant, & duos Angelos qui ipſum eo modo rediturum, quo ſubductus fuerat, prædixere, *Hieroſolymam* redeunt & in Cœnaculum aſcendunt, numero centum viginti. עליה *Cœnaculum* eruditi Judæi ſeligere ſolebant, ubi de re literariâ & Religione diſceptabant & ſtatuebant. Shabbath, cap. 1. hal. 4. *De his articulis diſceptabat Schola Shammæana & Hilleliana* בעליית *in cœnaculo Chananiæ Ben Hezekiæ, &c.* Hieroſol. Peſach. fol. 30. col. 2. עליית בית ארום בלור i. e. *Cœnaculum Beth Arum Lyddæ, &c.*

Hieroſolymis plures erant diſcipuli quam 120. memorati. Hi verò ii erant, qui *Chriſtum* ſemper ſequebantur, *& comitabantur toto tempore, quo ingreſſus & egreſſus eſt* Jeſus *inter eos*, verſ. 21. & qui, actionum ejus perpetui teſtes, & auditores doctrinæ, ab ipſo deſtinati erant ad Miniſterium. De his intelligenda ſunt loca quæ ſequuntur: *Erant omnes concorditer eodem loci*, *Cap.* 2. *verſ.* 1. *Venerunt ad ſuos*, *Cap.* 4:23. *Diſpicite ex vobis*, *Cap.* 6:3. *Omnes diſperſi fuerunt præter Apoſtolos*, *Cap.* 8. *Qui diſperſi fuerant*, *prædicabant*, *&c. Cap.* 11:19. Dicunt Judæi, *viros Synagogæ Magnæ Ezræ fuiſſe centum viginti. Aboth R. Nathan*, *cap.* 4. *Juchaſin*, *fol.* 13. Per Canones ipſorum illicitum fuit in quavis urbe *Synedrium viginti trium Judicum* conſtituere, niſi ibidem fuerint viri centum viginti variis officiis & muneribus idonei, *Talm. in Sanhedrin*, *cap.* 1. *Et Maimon. Sanhedrin*, *cap.* 1. CHRIST. XXXIII.

Petri in Euangelico opere præter cæteros ſedulitas, paſſim in hâc hiſtoriâ memorata, non ſolum mandata erat, verum incitata verbis illis Domini dicentis, *Cum converſus fueris, confirma fratres tuos.* Decebat eum, qui fœdè lapſus fuerat, ſumma induſtria, ut redintegratis viribus reſipiſcentiæ ſpecimen præberet.

Verba illa, *Judas abiit in locum ſuum*, conferre licet cum dogmate apud *Judæos* de proditore. *Qui Iſraëlitam*, *aut ipſius bona Ethnico prodit*, *non habet partem in ſeculo venturo.* Maimon. in Chobel Umazzik, cap. 8. Gloſſa *Baal Turim in* Num. 24:25. *Balaam in locum ſuum abiit*, i. e. *in infernum*, inquit.

ACTORUM CAP. II.

GEntis expectatio ex *Dan.* 9. Meſſiam tunc temporis exhibitum iri, *Luc.* 19:11. plurimos Judæos è quavis gente adduxerat, ut Prophetiæ

CHRIST. XXXIII.

phetiæ impletionem conſpicerent. Porrò ad celebrandum *Pentecoſtes* feſtum omnes *Judææ* incolæ venerant. In hac turbæ frequentiâ donatur Spiritus Sanctus, & ſedit ſuper centum viginti Diſcipulos in ſimilitudine linguarum ignearum. Eodem anni tempore data fuerat lex, per ignem etiam, annis 1447. dehinc elapſis. *Gemariſtæ Hieroſolymitani* in *Taanith*, *fol.* 65. *col.* 3. dicunt, *Prout Hieroſolyma igne perempta fuit, ita demum igne reædificabitur.* Et in *Jom Tob*, *fol.* 61. *col.* 3. & in *Chagigah*, *fol.* 61. *col.* 1. dictum reperimus, *David diem obiit in Feſto Pentecoſtes.* Bina hæc dicta hoc loco annotanda ſunt.

Uti confuſio linguarum in urbe, *Babel* dictâ, rejectionis Ethnicorum cauſa fuerat, quæ ipſos veræ Religionis participatione privavit,(quæ ſolum apud Hebræâ linguâ utentes obtinuit) ita linguarum donum neceſſariò requirebatur, ut hoc pacto ad Religionem reducerentur; ubi quiſque res Divinas lingua ſua audire poterat. Duplici beneficio donabantur Diſcipuli, tum linguarum ſcientiâ, quâ gentem quamvis lingua ſua affari poterant, tum ſcientiâ S. Scripturæ Textus, quem prius non intelligebant. Neque enim aut eo loco nati ſunt, aut deinceps exculti, ut quemvis ſacrum Codicem tunc temporis uſurpatum vel *Hebraicum* vel *Græcum* intelligerent; ſed jam hoc dono Spiritus edocti primum S. Scripturæ Textum intelligunt, deinde cuivis ſua linguâ explicare poſſunt. Porrò qui S. Scripturas per Spiritum exponere in ſe ſuſcipiunt, tenentur primum linguarum, quibus ſcriptæ ſunt, difficultates reſerare, [hinc maxima S. Scripturæ difficultas oritur] prout Apoſtoli, Spiritu Sancto edocti, fecerunt.

Pentecoſte lætitiæ tempus fuit, & in quovis feſto vini copiâ *Judæi* fruebantur: hinc vino repletos & mente motos Apoſtolos locutos, credebant Judæi: ipſos *Petrus* redarguit, dicens nondum adveniſſe *tertiam diei horam*, ſeu *horam nonam* noſtram. Quovis enim ſabbato & feſto neque edebant neque bibebant antequam finitus fuerat cultus Synagogicus, (*Maimon. in Shabbath*, *cap.* 30.) diu ſcilicet poſt horam nonam, ſeu tertiam diei horam.

Illis ex verbis Joëlis, *In noviſſimis diebus effundam Spiritum meum*, &c. ediſcere licet quo ſenſu *dies noviſſimi* paſſim in Vetere & Novo Inſtrumento uſurpati intelligendi ſunt; viz. *Eſaj.* 2: 2. 1 *Tim.* 4: 1. 2 *Tim.* 3: 1. 1 *Petr.* 4: 7. 1 *Johan.* 2: 18. de diebus ſcilicet noviſſimis *Hieroſolymorum*, & Judæorum reipublicæ. Alio ſenſu ſumentes (ut qui de mundi diebus noviſſimis exponunt) citationem hanc maximè alienam & nihil ad rem attinere ſupponunt.

Ter mille converſi in nomine *Domini Jeſu* baptizantur, *verſ.* 38. Hoc non pugnat cum mandato illo, *Baptizate in nomine Patris*, *Filii*, &c. *Matth.* 28: 19. Baptiſmi enim ratio, prout primitus obtinuit, ab initio Euangelii patefacti, & de quo narratur in N. Inſtrumento, tripliciter conſideratur. I. *Johannes Baptiſta* in nomine *Meſſiæ* ſeu *Chriſti* tunc temporis venturi, baptizabat; at verò diu fuit, priuſquam ipſe novit, *Jeſum Nazarenum Chriſtum* eſſe, *Joh.* 1: 31. prout ſupra annotatum fuit. II. Diſcipuli Judæos baptizantes baptizabant *in nomine Jeſu*, eò quod tunc temporis, an *Jeſus Nazarenus* fuerit *Meſſias* nec ne, inter Judæos acriter diſceptatum fuerit. Judæi omnes *Meſſiam* expectabant, plerique verò *Jeſum Nazarenum* ipſum eſſe pernegabant: qui *Jeſum* eſſe *Meſſiam* per Euangelii prædicationem credebant, in ipſius nomen baptizati fuerunt, eâ teſſerâ ſe verum *Meſſiam* amplexari profitentes. III. Verum inter Ethnicos de *Meſſia* lis non fuit: hi igitur baptizantur *in nomine Patris*, *Filii & Spiritus Sancti.* Baptizatio in nomine *Jeſu* eò uſque ſolum obtinuit, dum ipſum *Meſſiam* eſſe plenius conſtaret. Quum hæc veritas ſatis ſtabilita eſſet, haud amplius in nomine *Jeſu* baptizabant, verum in *nomine Patris*, *Filii*, &c. Similiter dona Spiritus miraculoſa *Jeſum* fuiſſe *Meſſiam* oſtendebant, & propagationi Euangelii per Orbem inſerviebant; quibus rebus confectis dona illa continuò & in perpetuum ceſſabant.

Omnes qui credebant, erant conjuncti, & habebant omnia communia, *verſ.* 44. Credentium infantes, hi enim alendi erant, inter *Credentes* numerandi ſunt. Quum enim bonorum communitas pauperum cauſa introducta fuerit, ut *Capite* 4. videbitur, liberi, parvuli & infantes credentium inter *omnes credentes* ponendi ſunt, & eo nomine alendi; illi enim ad quos, pari cum ipſorum parentibus jure, bonorum communitas attinebat, fidelium titulo privandi non ſunt. Cum quis paterfamilias baptizatus fuerit, liberi ipſius licet recens nati, cum ipſo unâ baptizati fuerunt: hinc *totas domos* baptizatas legimus, *Act.* 16: 15, 33. Anti-pædobaptiſtæ ſupponentes infantes minimè repertos in domibus illis, ſuam produnt inſcitiam modi, quo Baptiſmus primitus adhibitus fuerit. Neque enim neceſſum erit probare, infantes repertos fuiſſe in domibus ſuprà memoratis; verum ſic ſe res habet; in omni familia, ubi parentes baptizati erant, etiam infantes quotquot erant, unâ baptizati fuerunt. Perpetuus hic mos fuit apud *Judæos* in recipiendis Proſelytis: hinc hæc conſtitutio. *Si fœmina uterum gerens Proſelyta facta & baptizata fuerit, infans, cum enixa fuerit, baptiſmo non egebit.* Maimon. in Iſſure Biah, *cap.* 13. Si enim priuſquam baptizata fuerit, natus fuiſſet, unâ cum ea baptizandus

Digitized by Google

CHRIST. XXXIII.

dus foret. Hunc antiquum morem non immutatum fuiſſe, ſed è contra permanere, liquidò conſtat è Novo Teſtamento, ubi narratur, Apoſtolos *totas domos* baptizaſſe.

ACTORUM CAP. III. IV.

FEſtum *Pentecoſtes* octo dies duravit, prout reliqua feſta Paſchatis, Tabernaculorum & Encæniorum. *Hieroſol.* in *Moed Katon* & *Chagigah* pluribus. Quæ ipſo die *Pentecoſtes* contigerunt, ſupra narrantur. An verò claudi ſanatio, & ea, quæ eam proximè ſequebantur, & *Cap.*3. referuntur, eodem die vergente contigerint, aut die proximo, cum omnes mares coram Domino in Templo pro more comparebant, an poſt hæc durante feſto, incertum eſt. Hæc vero Feſti tempore contigiſſe è magno numero eorum, qui unica concione converſi erant, conſtat.

Petrus & *Johannes* in Templum aſcendebant *ad horam nonam, horam precationis. Talm. in Peſachim, cap.* 5. *Juge ſacrificium veſpertinum mactabatur ad dimidium horæ poſt octavam, & ad dimidium poſt nonam offerebatur.* Joſeph. Antiqu. lib. 14. cap. 8. Δίς τῆς ἡμέρας πρωΐ τε καὶ περὶ ἐννάτην, &c. *Bis quovis die, matutino tempore & circiter horam nonam ſuper altare offerebant.* Ingredientes per portam Orientalem in *Atrium mulierum* ducentem, claudum ab utero matris reperiunt, quem ſanant. Judæi hoc miraculum, quod ediderunt, ipſorum ſanctitati tribuebant; prout è reſponſo Apoſtoli *verſ.* 12. conſtat. Credebant enim Judæi eximiâ ſanctitate præditos poſſe etiam miracula edere. Dixit, *R. Phinehas Ben Jair, Induſtria puritatem parit, puritas munditiem, mundities ſanctitatem, ſanctitas humilitatem, humilitas peccati timorem, peccati timor Spiritus Sancti participationem*, Hieroſ. Shabbath, fol. 3. col. 3.

Eâ nocte incarcerantur, & proximo mane ſiſtuntur coram Concilio. Inter alios in eo Concilio Sacerdotes memorantur *Alexander* & *Johannes, verſ.*6. *Alexander* ſcilicet *Alabarcha*, aut ipſius filius, uti videtur; & *R. Jochanan, Ben Zaccai*, tunc temporis ſub *Rabban Gamaliele* Pro-Præſes.

Dimiſſi ad ſuos veniunt, & quæ contigerunt, narrant. Fuſis conjunctis precibus commovetur locus, & iterum replentur Spiritu Sancto. Quî verò, qui prius repleti erant, jam Spiritu Sancto repleri dicuntur? Duas res precantes petebant, viz. ut largiretur ipſis Deus fiduciam ad ſermonem proloquendum; & ut ſanationes, ſigna & miracula in nomine *Jeſu* fierent. Hæc precantes exaudit Deus, & ipſos duplici hac poteſtate imbuit; duodecim præſertim poteſtas etiam Spiritum Sanctum largiendi, omnium miraculorum maxime mirandum, donatur.

CHRIST. XXXIII.

De *communitate facultatum*, memoratâ ad finem II. & IV. Capitis, dicendum, I. Licet nulli ad paupertatem redacti ſint, eò quod Euangelii cauſa perpeſſi fuiſſent, egeni tamen inter eos reperti erant. Quidam etiam Euangelii cauſa pauperiores facti ſunt: qui enim, priuſquam *Chriſtiani* facti ſunt, egeni fuerunt, alebantur eo ſubſidio, quod Synagoga, quam frequentabant, præbuit: jam verò eo ſubſidio privantur, deſertâ Synagoga; ſaltem Synagoga *Judaiſmum* deſerentes deſeruerit. Euangelica Eccleſia jam inchoata egenis proſpicere exemplo Synagogæ docetur; cujus perpetua & ſumma ſollicitudo incuriam Eccleſiæ meritò exprobraret. II. Hæc rerum communitas jus proprietatis, ſeu *meum & tuum*, haud extinxit. Neque enim jus competebat diviti cuivis in alterius divitis bona: hinc enim egenis ſolum proſpectum erat. Neque enim animus erat divites ad paupertatem voluntariam reducere, neque facultates æquare, verum egenis opem ferre, *Cap.*2:45. & 4:35. Dividebant *omnibus*, *prout cuique opus erat*; Euangelium prædicantibus præmium, egenis ſubſidium.

ACTORUM CAP. V.

ANanias & *Sapphira* perpetua monumenta fiunt iræ Dei juſtiſſimæ in contemptores *Spiritus Chriſti.* רוחו של משיח i.e. *Spiritus Meſſiæ* paſſim apud Judæos & honorificè memoratur, quem cum veniſſet, agnoſcere noluerunt. In eo peccabant quod in rem attentiores fucum facere auſi ſint, in animo habentes interea temporis occultè illi Spiritui illudere, per quem tanta patraverant Apoſtoli. Execranda illa ſententia eorum, qui Deitatem Spiritus Sancti negant, peccato *Ananiæ* & *Sapphiræ* ad amuſſim reſpondet.

Hanc pœnam infligendi poteſtatem *Petro* factam legimus hiſce verbis. *Joh.* 20:22,23. *Inſlavit & dicit eis, Accipite Spiritum Sanctum, quorumcunque remiſeritis peccata, remittuntur eis: quorumcunque retinueritis, retenta ſunt.* Quî verò hæc intelligenda ſunt? Abſolutè remittere Dei ſolius eſt: declarativè remittere leve & reſtrictum nimis. Donantur idcircò (uti videtur) poteſtate animadvertendi ea peccata, quæ Spiritus Sanctus (tunc receptus) ipſos punire edoceret, morbis ſcilicet corporeis, ſatanæ tradendo, vel morte; porrò eas pœnas remittendi, quas remittere edocti forent; & hanc remiſſionem ratam fore dicitur. Spiritum Sanctum, quem acceperunt unâ cum hâc inſigni poteſtate, *Ananias* & *Sapphira* apertè temnunt & contumeliâ laceſſunt; cui culpæ hujus poteſtatis receptæ executio conſona admodum fuit. Utcunque res fuerit, ſive *Petrus* ſupra dictâ poteſtate facta fretus, ſeu immediata revelatione eo momento donatus fue-

Digitized by Google

CHRIST. XXXIII.

fuerit, tum ſupplicium tremendum fuit & illius inflictio obſervanda. Plectens enim Spiritui Sancto illudentes oſtendit fiduciam, ſcil. ſuum peccatum (Domini ſcilicet abnegationem) remiſſum fuiſſe; nec non flagrantem amorem, quo Dominum, quem abnegaverat, proſequutus fuerit.

Dictum eſt *verſ.* 12. *Omnes erant in porticu Solomonis*, ſcilicet in orientali clauſtro montis Templi: ibidem jam *Synedrium* conſedit, nec tamen veriti ſunt Apoſtoli circa eum locum partes ſuas agere. Tandem prehenſi in carcerem truduntur; miraculo liberantur & in Templo iterum prædicant, & eopropter coram Concilio ſiſtuntur. *Gamaliel*, præceptor *Pauli*, jam Concilii præſes, eoque honoris faſtigio gaudebat ad annum viceſimum octavum ante excidium Urbis. Apoſtolorum cauſam agit; non quia favebat ipſis aut eorum doctrinæ, *Phariſæus* enim ad mortem uſque fuit; ſed partim quia Sadducæos vidit eo tempore ipſis præcipuè adverſari, partim & præcipuè quia edita miracula manifeſta erant; & fidem fecerunt: his adactus cauſam egit. Non obſtante hac ipſius tunc temporis clementiâ poſt hæc decrevit & evulgavit *Precationem contra Hæreticos*, *Chriſtianos* ſcilicet ברכת מינים dictam. Compoſuit quidem *Samuel Katon*, ipſe verò tunc temporis præſes *Synedrii* [*Jafnæ* tunc conſidentis] approbavit & decrevit: juſſit porrò ſemper in *Synagogis* uſurpari, quâ contra Euangelium & illud amplexantes, orabant; *Taanith*, *fol.* 65. 3. *Maimon. in Tephil. cap.* 2.

ACTORUM CAP. VI. VII.

MUrmur *Helleniſtarum* adverſus *Hebræos*, eo quod ipſorum viduæ deſpicerentur, occaſio fuit eligendi ſeptem Diaconos, ut vulgo vocantur. *Hebræi* erant Judæi incolæ *Judææ*; *Helleniſtæ* vero, qui in aliis regionibus inter Græcos diſperſi degebant: non ſolum in *Græcia*, ſed in pleriſque aliis regionibus, quas *Alexandri* victoriæ, & *Syro-Græcæ* Monarchiæ duratio *Græcis* repleverat; nec non omnes regiones *Judæis* repletæ erant.

In quavis *Synagogâ* fuerunt פרנסין *Parnaſin*, Diaconi, qui egenis proſpexerunt. Ipſorum officium erat eleemoſynam Cœtus petere & diſtribuere. שני גבתי צדקה ויעד אחד כדי שיהיו ג" לחלק צדקה i.e. *Duo eleemoſynam corradebant, tertius additus his, qui diſtribueret*; Maimon. in Sanhedr. cap. 1. *Dicit R. Chelbe in nomine R. Ba Bar Zabdæ, Tres conſtituunt Parnaſin, non pauciores: quoniam ſi de re pecuniaria tres judicabant, multo magis tres judicabunt de re, quæ ipſam vitam tangit*, Hieroſol. in Peah, fol. 21. col. 1. Neceſſarium hoc munus in Eccleſiam Chriſtianam transfertur, & eliguntur ſeptem è numero centum viginti, de quibus ſupra, *Cap.* 1. *verſ.* 15. Poteſtas porrò eligendi penes ipſos erat, neque enim competebat omnibus fidelibus *Hieroſolymæ* agentibus. *Hebræi Helleniſtarum* viduas deſpexerunt eo quod ſententiæ receptæ, de qua ſupra, tenaces fuerint, viz. *Alendam viduam per liberos mariti defuncti*, *Talm. in Chethub. cap.* 2. *Maimon. in* אישות *cap.* 18. (confer 1 *Tim.* 5:4.) vel quia Hebræi *Judææ* incolæ prædiis & aliis bonis divenditis egenorum peculium augerent, quod *Helleniſtæ* è variis regionibus & exteris conflati facere non poterant. Quicquid huc uſque corraſum fuerat, Apoſtolis concreditum erat, qui & dividendi cura interpellati fuerant: id negotii jam ſeptem delegatur, ſolenni χειροθεσίᾳ conſtitutis. Hic ſolum Apoſtolorum χειροθεσίᾳ Spiritus Sanctus non datur: hi enim prius Spiritu Sancto repleti erant.

CHRIST. XXXIII.

Quidam è Synagogâ *Libertinorum* & *Helleniſtarum* cum *Stephano*, egregio viro, diſceptant. *Libertinorum* משוחררים frequens mentio fit apud Scriptores Hebræos; *Alexandrinæ* etiam Synagogæ *Helleniſticæ* mentio facta eſt in *Hieroſol. Megillah*, *fol.* 73. *col.* 4. & *Juchaſ. fol.* 26. ubi *R. Eliezer bar Zadok Synagogam Alexandrinam, quæ Hieroſolymis fuerat, invaſiſſe dicitur, & in proprium uſum convertiſſe.*

Qui argumentis & ratione vinci non potuit, falſo accuſatur, & coram Synedrio ſiſtitur, ut qui *Moſem* ſpreverat, & loci illius excidium prædixerat. Verum priuſquam cauſam ſuam egerit, miraculoſe defenditur ſplendore vultus *Moſis* haud abſimilis; porro Angelicum vultum & Majeſtatem præ ſe tulit, ea proloquens quæ Angelus *Gabriel* prolocutus fuerat, *Dan.* 9: 26, 27.

In apologiâ objecta crimina diluit, verum aliquantulum abſtruſe: Judæi tamen facile intelligebant, quum ipſorum loquendi morem & dialectum uſurparet. Accuſatus quod *Moſem* ſpreverit, & dixerit ipſius ritus immutandos, brevi totam ipſius hiſtoriam recitat; & ſuam fidem orthodoxam oſtendit. Prout ante *Moſem* res prius nondum ſtabilitæ ad ipſius conſtitutionem collimabant; ita cum *Moſes* omnia, quæ ipſi incubuerunt, conſtituerat, Prophetam venturum ipſis præmonſtravit, (*Jeſum* ſcilicet, quem *Stephanus* prædicabat) cui uti ultimo oraculo fidem habere tenebantur. Accuſatus porro quod de excidio Templi prædixiſſet, reſpondet, certum quendam & conſtitutum locum rem parvi momenti eſſe, ut conſtat è Patriarcharum migratione, (de qua pluribus agit) & ex eo, quod Tabernaculum ambulatorium fuerat prius quam ædificatum fuit Templum: quo extructo,

CHRIST. XXXIII. tructo., intra ipſius limites haud coarctatur Deus, nam *Excelſiſſimus non habitat in Templis manufactis*, *verſ.* 48. *&c.*

Ipſe porrò falſo & ſine cauſa accuſatus, ipſos jure & acriter quidem incuſat: eo ſcilicet, quod patrum veſtigia prementes (qui *Prophetas Chriſtum* prænunciantes perſequuti fuerant) ipſum *Chriſtum* prædicantem divexarent; &, quod atrocius erat, quod ipſum *Chriſtum* (cujus *Prophetas* patres eorum trucidaverant) ipſi occidiſſent. Demum eo, quod (licet rituum *Moſaicorum* tenaces fuerint) legem moralem temnerent datam per diſpoſitionem Angelorum.

Hæc dicta eos urebant; qui continuò ipſum morte plectendum malitioſè ſtatuunt. *Stephanus* interea cœlorum Tribunal excelſum reſpicit, *Deum* & *Chriſtum* à dextra ipſius, ipſorum & ſuum Judicem. Proto-Martyri hæc viſa congrua fuerunt.

Urbe ejectus ut blaſphemus lapidatur. Nam *hi lapidandi erant*, *qui cum matre conſueverat*, *aut patris uxore*, *aut nuru*, *mare vel beſtia*: *blaſphemator & adulter*, *&c.* *Locus lapidationis erat extra locum judicii*, (etiam extra urbem, ut ſtatuunt *Gemariſtæ*) *quia ſcriptum eſt*, *educite maledicentem extra caſtra.* Porrò, *Præco coram capite plectendo ibat*, *ipſius crimen prædicans*, Sanhedrin, cap. 6, 7. *Cum intra quatuor cubitos loci lapidationis venerat*, *nudabatur*, *tectis ſolum pudendis*, ibid.

Ubi ad locum ſupplicii ventum erat, primò Teſtes injecerunt manus in plectendum, *Maimon. Avodah Zarah*, *cap.* 2. demum veſtimentis, ſeu tunicis poſitis, ut expeditiores ad hoc opus forent, eorum unus lumbos ipſius vi adigit in lapidem in hunc finem poſitum: ſi tamen peremptus hac ratione non fuerit, alter magnum lapidem in cor ipſius impingit, uti ſupinus jacebat; ſi necdum occiſus fuerit, omnis turba lapidibus eum obruebat, *Talm. ubi ſupra.*

Interea *Stephanus*, in angore licet poſitus, flexis genubus pro immanibus hoſtibus preces fundit, & obdormivit. Vox דמך, quæ *ſomnum* notat, frequenter apud *Judæos* etiam *mortem* (præſertim facilem & jucundam) ſignificat. Hanc vocem hic traduxit *Lucas* כל דנסקלין נתלין i.e. *Lapidati omnes ſuſpenſi fuerunt*, Talm. ibid. An ſuſpenſus fuerit *Stephanus*, incertum eſt: conſtat eum honeſte ſepultum fuiſſe, non maleficorum more.

ACTORUM CAP. VIII.

CHRIST. XXXIV. Mortem *Stephani* magna perſequutio excipit. Perſequutoris partem maximam egit *Saulus*, diſcipulus *Gamalielis*, *Synedrii* præſidis, eoque fortean ferocior. In Talmud. Babylon. Sanhedr. fol. 43. col. 1. quinque *Jeſu* diſcipuli nominantur, viz. *Mathai*, *Nakai*, *Netſer*, *Boni* & *Thodah*, ubi de ipſis capite plectendis diſſeritur, &c. CHRIST. XXXIV.

Centum viginti Miniſtri, de quibus *Cap.* 1:15. diſperſi ſunt; (duodecim interea *Hieroſolymæ* manentibus, tanquam in clibano, ut ſolamini & ſubſidio eſſent afflictæ eccleſiæ) & paſſim prædicant euntes: ita *Satanas* ſua periit aſtutia. Diſſeminatur enim, non opprimitur, quod voluit, Euangelium oborta hac perſequutione.

In *Samaria* primum diſſeminatur juxta mandatum & prædictionem Domini, *Act.* 1:8. *Eritis mihi teſtes* Hieroſolymis, *& in univerſa* Judæa, *& in* Samaria, &c. Dixerat prius, *In viam Gentium ne abieritis*, *& in civitatem Samaritanorum ne ingrediamini*, *Matth.* 10:5. Jam diruendum erat maceriæ interſtitium. Præ cæteris omnibus Judæi *Samaritanos* oderunt, eo præſertim, quod *Judæi* Apoſtatæ fuerint. Licet enim proximè poſt Captivitatem decem Tribuum, ea regio Ethnicis repleta fuerit, 2 *Reg.* 17. tamen, extructo Templo in monte *Gerizim*, Judæorum turba eo continuò confluebat, adeo ut *Samaritaniſmus* nil niſi ſpurius *Judaiſmus* evaſerit. *Jacobum* patrem appellabant, *Meſſiam* expectabant, Templum, Sacerdotium, cultum, Pentateuchum, &c. apud ſe habebant: ut alia præteream, hæc verba depromam è *Talm. Hieroſol. Peſachin*, *fol.* 27. *col.* 2. *Cuthæi feſtum Azymorum unà cum Iſraëlitis celebrantes fide digni ſunt*, *quod ad abolitionem fermenti attinet*: *ſi unà cum Iſraëlitis feſtum Azymorum non celebrant*, *haud ſunt fide digni*, *quod ad abolitionem fermenti attinet*: Dixit *Rabban* Gamaliel, Cuthæi *in omni cultu ſuo ipſis Judæis ſunt ἀκριβέστεροι.* Ambiguum tamen eſt quid Hebræi Scriptores per *Cuthæos* velint. Licet enim ea vox *Samaritanos* propriè ſignificet, per eam tamen etiam *Chriſtianos* denotant, quos hoc execrando nomine vocant. Plerumque ardua res eſt ſtatuere, an *Samaritanos* an *Chriſtianos* per hanc vocem deſignent. Loco ſupra citato videntur *Samaritanos* depingere, quia de celebratione Azymorum & uſurpatione rituum Judaicorum agitur: niſi potius credamus, loco ſupra memorato agi de illis Judæis, qui Euangelium amplectentes *Chriſtiani* facti fuerant, qui poſt hæc in *Judaiſmum* relabentes, ipſum *Chriſtianiſmo* miſcuerunt; plurimi hujuſmodi farinæ extiterunt, prout infra annotabimus.

Simon Magus fidem profitetur & baptizatur. Cujuſdam *Simonis* Magi mentionem facit *Joſephus*, *Antiquit. lib.* 20. *cap.* 5. qui *Druſillam* allexit, ut, priore relicto marito, *Felici Judææ* Præfecto nuberet, quod de hoc *Simone* dici merito poteſt. Scriptum porro eſt in *Talmud. Hieroſol. in Jebammoth*, *fol.* 13. *col.* 1. בני סימונייא אתון לגבי רבי non poſſum

non

CHRIST. XXXIV. non vertere, *Simoniani venerunt ad Rabbi, & dixerunt ei, cedo nobis, quæſumus, virum qui ſit nobis expoſitor, judex, miniſter, Scriba, Traditionarius, & qui faciat quæcunque nobis opus erit.* Satis ſcio quid ſit סימוניא ראונכא *in Talmud. Babylon. in Cholin, fol.* 15. verum בני סימונייא populum aliquem ſignant; undè verò hic populus dictus ſit, non diſquirendi locus eſt.

Philippus Samaritanos baptizavit, & inter eos magna edidit miracula; non potuit verò Spiritum Sanctum iis dare: ea poteſtas ſolum Apoſtolis facta fuit: eò propter ad eos miſſi ſunt *Petrus* & *Johannes: Imponebant eis manus & receperunt Spiritum Sanctum.* Haud omnibus, neque enim opus erat, neque ratio ſuadebat. Dona Spiritus Sancti collata, fuerunt miraculoſa dona linguarum, Prophetiæ, &c. *Act.* 10:46. & 19:6. Hæc dona ob duplicem finem collata erant. I. Ut his miraculis Euangelii doctrina confirmaretur. II. Ut alii hac ratione erudirentur: Linguæ enim in ſignum quidem datæ ſunt, 1 *Cor.* 14:22. non ſolum verò in ſignum, ſed in ædificationem & inſtructionem, prout Apoſtolus pluribus etiam docet Capite proximè citato. Licet non omnes, verùm pauci ſelecti fuerint, qui Spiritum Sanctum recipiebant, tamen Apoſtoli duplicem hunc finem aſſequuti ſunt. Porrò quod ad finem poſteriorem attinebat, ſi omnes miraculo Doctores facti fuiſſent, quinam docendi forent? Apoſtolorum manuum impoſitio, de qua hoc loco & alibi, non omnibus facta fuit. Idcirco ea verba, *Signa autem eos, qui crediderint, hæc conſequentur, dæmonia ejicient, linguis loquentur,* &c. *Marc.* 16:17. *Reſipiſcite & baptizetur unuſquiſque veſtrum, & accipietis donum Spiritus Sancti, Act.* 2:38. non de omnibus credentibus & baptizatis intelligenda ſunt; ſed ſelectis quibuſdam, prout Spiritu Sancto edocti erant, manus imponebant: hos Deus conſtituerat prædicatores fore & Miniſtros populi: hi Apoſtolorum χειροθεσίᾳ Spiritum Sanctum recipientes, hujus donis edocti linguam & mentem Sacræ Scripturæ intelligebant, & alios erudire & ædificare poterant.

Eunuchus Candaces, Hieroſolymâ relictâ, quò ut ſacra faceret, profectus fuerat, *Philippi* operâ Euangelium amplectitur. [de *Candace* Regina Meroës in *Æthyopia* vide *Strab. lib.* 17.] Obviam ei factus eſt deſcendenti ab *Hieroſolymis* ad urbem *Gazam* deſertam. De eo loco *Strabo, lib.* 16. *Ibi portus Gazæorum,* ultra quem circiter ſeptem ſtadia, civitas illuſtris olim, per Alexandrum vero diruta, καὶ μένουσα ἔρημος. *A Diodoro Siculo*, lib. 19. vocatur Γάζα παλαιὰ, i.e. *Antiqua Gaza*; alia enim ædificata fuit ad portum juxta mare, *Majuma* nonnunquam dicta, *Sozomen. Hiſtor. Eccleſ. lib.* 5. *cap.* 3. Et poſtea *Conſtantia*, à *Conſtantino* ita appellata, nomine ſororis ipſius, ſecundum *Euſebium de vita Conſtant. lib.* 4. *cap.* 28. vel filii *Conſtantii* ſecundum *Sozomenum.* CHRIST. XXXIV.

An hic *Eunuchus Judæus* fuerit an *Proſelytus*, diſquiſitionem non meretur. Ipſius devotio meritò ſuſpicienda eſt, quâ incitatus iter longum inſtituit, & ſacris paginis operam impendit. In nomine *Jeſu* baptizatur, *verſ.* 37. & (ut veriſimile eſt) *Gazæ* navim conſcendit, primus ſcilicet, quod ſcimus, qui fidem *Jeſu* in *Africa* profitebatur. Meritò hoc loco memorare licet Templum extructum fuiſſe in *Ægypto* per *Oniam*, & magnam turbam *Judæorum* fuiſſe, qui eo loco & in regionibus vicinis commorabantur: his non obſtantibus in hiſtoria Novi Inſtrumenti quo modo, aut quorum miniſterio, in iis regionibus diſſeminatum fuerit Euangelium, vix innuitur.

Spiritu rapitur *Philippus* jam *Gazæ* agens, & *deponitur* in urbe *Azoto*, quæ à ſe invicem diſtabant ſtadiis 270. ſeu milliaribus 34. juxta *Diodorum Siculum*, ibid.

ACTORUM CAP. IX.
ab initio ad verſ. 23.

Converſus fuit *Paulus*, miſericordiæ monumentum, 1 *Tim.* 1:14, 16. è Phariſæo, Perſequutore, Homicida factus Chriſtianus, Prædicator, Apoſtolus.

In necem *Stephani* conſenſerat, & poſt hæc, poteſtate à Principibus Sacerdotum impetratâ *Hieroſolymis* Eccleſiam devaſtat, *Act.* 8:2. & 22:4. & 26:10.

Principes Sacerdotum non ſolum vehementiores Euangelii perſequutores fuerunt, (prout conſtat ex hoc Actorum Libro) verum prout pleno jure unicè utentes paſſim in hac hiſtoriâ referuntur; ſcilicet ut Curia peculiaris poteſtatem faciens cognoſcendi, damnandi, & exequendi. Fuiſſe *Synedrium Eccleſiaſticum* à *Politico* ſegregatum, credidere nonnulli & etiamnum credunt.

Fatendum eſt fuiſſe Sacerdotum Conſiſtorium in Templo; qui conſidebant in conclavi *Parhedrin* dicto, & *Liſcath Boulente*, i.e. *conclavi Concilii.* Hi conſidebant non magiſtratuum more, ut populum gubernarent; verum uti *Conſiſtorium* tantum, ut cultui & rebus Templi proſpicerent, ne quid deeſſet, eorum quibus opus erat, nec mora fieret in iis parandis; quæ ipſius cultum promoverent: intra hos limites poteſtas ipſorum ſtetit. Alium fuiſſe *Conſeſſum* ſeu *Conſiſtorium*, è *ſolis ſc. Sacerdotibus*, præter hoc, nemo è ſcriptis Judæorum (uti credo) oſtendere poteſt. Porrò hoc conſiſtorium poteſtatem & conſtitutionem *Synedrii* minimè oſtentare potuit. In *Talmud.*

Digitized by Google

in Chethuboth, *cap.* 1. *hal.* 5. mentio facta eſt *Beth Din*, *ſeu Conſiſtoris Sacerdotum*, *qui CCCC. Zuzim in dotem Virginis exigebant*: hinc videtur fuiſſe curia peculiaris, & poteſtate alteri non conceſſa, donata. Verum *Gemariſtæ*, præſertim *Babylonii*, hanc ſententiam evertunt: narrant enim Sacerdotes hos ſtatuiſſe *CCCC. Zuzim in dotem filiarum ſuarum*, Tribus propriæ honori, & conſanguineis conſulentes. Neque enim hoc ſtatuentes juriſdictionem exercebant alios obligantes, verum inter ſe invicem ſtipulantes honori tum ſui muneris, tum proſapiæ proſpiciebant. De hac re (lite alioquin non contemnendâ) nunc non datur diſſerendi locus: quæ ad rem præſentem elucidandam ſpectant, ſolummodo attigimus.

Ut melius intelligatur hæc *Judicialis gnavitas Principum Sacerdotum*, paſſim in hoc libro memorata, Euangeliſtæ verba *Cap.* 4. *verſ.* 5. perpendenda ſunt. Quæ verba de toto *Synedrio* intelligenda ſunt, cujus pars magna, ſi non & maxima & gnavior, Sacerdotes fuerunt. Verum *Sacerdotes* & *Levitæ*, ſi idonei non fuerint, non fuerunt pars neceſſaria aut eſſentialis *Synedrii*: quin *Synedrium* legitimum per Hebræorum conſtitutiones, foret Sacerdotibus & Levitis vacuum. Plerumque tamen iis repletum fuit, qui ratione profeſſionis & muneris tum literati, tum evecti erant. In toto Novo Inſtrumento hæc tantum nomina Senatorum hujus *Synedrii* occurrunt; *Annas* & *Cajaphas*, & *Johannes* & *Alexander*, *Gamaliel*, *Nicodemus*, & *Joſephus* ab *Arimathæa*. Ex his quot Sacerdotes non fuerunt? *Gamaliel* quidem è tribu *Judæ* oriundus, & è proſapiâ *Davidis*, nepos *Hillelis* fuit. E reliquis quidam ſine controverſiâ è Sacerdotali genere fuerunt, imò omnes (uti veriſimile eſt) ex eodem genere fuerunt. *Annas* & *Cajaphas* extra controverſiam poſiti ſunt. Si *Johannes*, *Act.* 4: 6. fuerit *Johannes* tunc temporis inter Judæos maximè conſpicuus, fuit ille *Rabban Jochanan Ben Zaccai* jam Concilii Pro-Præſes, qui Sacerdos fuit, ut è libro *Juchaſin* conſtat. Porrò ſi *Nicodemus* maximè ille egregius *Nicodemus* tunc temporis fuerit, de quo in *Aboth R. Nathan*, *Cap.* 6. & in *Talmud. Babylon. Chethuboth*, *fol.* 66. (quod negare jure non poſſumus) fuit etiam ipſe Sacerdos, talis enim ibidem depingitur. Denique *Joſephus* ab *Arimathæa* Sacerdos fuit, ut conſtat ex eo titulo, quo honeſtatur (Βυλευτὴς dictus) juxta communem Hebræorum loquendi morem. De *Alexandro* non conſtat, neque operæ pretium eſt diſquirere cujus generis fuerit, quum ſuprà memorati teſtes ſufficiant.

Sedulitas Sacerdotum memorata, *Cap.* 7: 1. & *Cap.* 23: 2. & alibi; nec non poteſtas ab iis *Saulo* conceſſa non arguunt, Sacerdotes fuiſſe poteſtate aliqua à *Synedrii* poteſtate diſtinctâ donatos; verum ipſos fuiſſe *Synedrii* partem: tamen credebant è re ſuâ eſſe, ſeque muneris ratione obſtrictos putabant id agere, ut Euangelium, quod malam rem falſò exiſtimabant, non diſſeminaretur. Eo propter eorum præcipuè gnavitas in hâc hiſtoriâ narratur. Ipſe *Paulus Lucæ* narrationem elucidat. Quod enim ſcriptum eſt, *Cap.* 9: 1, 2. *Saulus acceſſit ad Principem Sacerdotum*, *& petiit ab eo Epiſtolas* (quas perferret) *Damaſcum*: ipſe (quo nemo meliùs poterat) illuſtrat in hunc modum, *Cap.* 22: 5. *A Principe Sacerdotum & toto Seniorum ordine Epiſtolas accepi ad fratres*, &c. Ea verba, *E toto Seniorum ordine*, hanc litem dirimunt, & ea verba, *Ad fratres*, præbent anſam de aliâ diſquirendi, viz. uſque quo decreta & mandata *Synedrii* Judæos in exteris regionibus commorantes tenebant. Depromentes verba ſcripti cujuſdam ipſorum tum hanc rem, tum ea verba, *Ad fratres*, unâ vice melius intelligere poſſumus.

In *Talmud. Hieroſol. Sanhedrin*, *fol.* 18. *col.* 4. ſcriptum reperitur. *Pro tribus regionibus annum intercalabant*, *pro Judæa*, *regione trans Jordanem & Galilæa*, *item pro duabus*, *non item pro unâ*. *Rabban Gamaliel & Seniores* (*uti narratur*) *ſedebant ubi ad Templum aſcenditur*, *& Jochanan Scriba coram iis conſidebat*: *Dixit ei Rabban Gamaliel*, *ſcribe* לאחנא בני דרומא עילאה i.e. *ad fratres commorantes in Regione Auſtrali ſuperiore*, ולאחנא בני דרומא ארעיא i.e. *ad fratres commorantes in Regione Auſtrali inferiore*, *pax multiplicetur vobis*. *Certiores vos facimus veniſſe tempus decimas ſeparandi*, &c. ולאחנא *& ad fratres Galilææ ſuperioris & inferioris*; *pax vobis multiplicetur*: *Certiores vos facimus veniſſe tempus ſeparandi decimas veſtras*, &c. ולאחנא *& ad fratres captivos Babylonis*, *Mediæ & Græciæ*, *& ad totam Captivitatem Iſraëliticam*; *pax vobis multiplicetur*: *Certiores vos facimus*, *eò quod agni parvuli ſint*, *& columbæ recentes adhuc ſint parvulæ*, *& tempus ſpicarum maturarum nondum venerit*, *viſum eſſe mihi & ſociis meis triginta dies huic anno apponere*. Eadem narrantur in *Maazar Sheni*, *fol.* 56. *col.* 3. Hinc conſtat *Lucam* Epiſtolas, quas *Saulus* à *Synedrio ad fratres* acceperat, memorantem, morem loquendi uſurpaſſe, quem & iſtiuſmodi Epiſtolæ uſurpare conſueverant, & ipſorum *Epiſtolas miſſivas* ad fratres in exteris regionibus commorantes, *declarationes* potius, quam *juſſa*, fuiſſe. Neque *Synedrii* poteſtas exteros hoſce metu affecit, aut obſtrictos tenebat; verum Judæorum gens ambitioſe jactare conſueverat, ſeque populum peculiarem, diſtinctum & uniformem venditare, porrò legi & cultui Divino addictum, quibus *Synedrium* in omnibus retro ſeculis, tanquam

CHRIST. XXXIV. quam Oraculum eximium, proſpexerat. Hujuſmodi hæ Epiſtolæ ad *Synagogas Damaſci* videntur fuiſſe, non *mandatoriæ*, verum *declarativæ* & *ſuaſoriæ*: quas priuſquam *Saulus* tradiderat, (qui jam eſt שליח סנהדרי גדולה i. e. *Apoſtolus Synedrii magni*) converſus fuit, & *Apoſtolus Jeſu Chriſti* deſignatus.

Chriſtum vidit, *verſ.* 17. 1 *Cor.* 9: 1. licet eum non viderit. Sicut enim *Iſraëlitæ* ad montem *Sinai* Dominum viderunt; non ſimilitudinem, verum ipſius gloriam conſpicientes: ita ipſe *Chriſtum* loquentem, i. e. *Chriſti* gloriam vidit: ita unâ iter facientes audiverunt vocem, *verſ.* 7. ſtrepitum ſcilicet, quo perculſus erat, quem tamen articulate proloquentem non audiebant aut intelligebant, *Act.* 22: 9. confer *Joh.* 12: 29.

Triduo elapſo viſus ipſi reſtituitur, & baptizatur, & Spiritu Sancto repletur, *verſ.* 17, 18. Quo verò modo repletus fuerit, non liquet; ſcilicet an antequam baptizatus fuit, aut in Baptiſmo, an immediata infuſione ut illi de quibus *Cap.* 10: 45. an χειροθεσίᾳ *Ananiæ*. Si per impoſitionem manuum *Ananiæ*, id factum præter morem: Apoſtoli enim ſoli Spiritum Sanctum conferebant: neque exiſtimare licet hoc facturum *Ananiam* ſine poteſtate divinitus indulta. Utcunque res fuerit, jam iis omnibus imbutus, quibus ad miniſterium ſuum opus erat, *Non contulit cum carne & ſanguine*, i. e. hominibus quibuſvis; nec *Hieroſolymam rediit* Apoſtolos conſulturus, *Gal.* 1: 16, 17. verum Euangelii ſcientia repletus, & ipſius veritatis ſumma fiducia, *Damaſci* prædicare cœpit.

XXXV. XXXVI. Hos duos annos Paulus inſumpſit *Damaſci* agens, & in *Arabia*, & iterum *Damaſci*, *Gal.* 1: 17.

ACTORUM CAP. IX.
à verſ. 23 *ad verſ.* 32.

XXXVII Triennio poſt converſionem ipſius exacto, *Hieroſolymam* venit: *Damaſcum* enim linquere adactus eſt inſidiis Judæorum, qui Præfecti abutentes opera comprehendi ipſum voluerunt; per murum in ſporta demiſſus elabitur, 2 *Cor.* 11: 32, 33.

Hieroſolymam rediit ut *Petrum* videret, *Gal.* 1: 18. Ubi eò venerat, metuunt eum Diſcipuli, donec *Barnabas* gratum ipſius adventum fecerat, *Act.* 9: 27. Ut *Petrum* videret venit, ut ipſe Miniſter incircumciſionis cum circumciſionis Miniſtro ſermonem miſceret. *Barnabas* ſocius ipſius futurus ipſi primum innotuit: *Barnabæ* (ut veriſimile eſt) divinitus innuebatur, ipſum una cum *Paulo*, Gentium Apoſtolum fore.

Hieroſolymis tantum quindecim dies manſit, nec quemquam Apoſtolorum vidit præter *Petrum* & *Jacobum minorem*, *Gal.* 1: 18, 19. CHRIST. XXXVII
Ibidem audacter prædicat, adeoque vehementer cum *Helleniſtis* diſceptat, ut vitæ ipſius inſidias ſtruerent, *Act.* 9: 29. Quî vero ipſius potius quam *Petri*, *Jacobi*, *Barnabæ* & reliquorum *Hieroſolymæ* agentium? Reſp. Quia ipſe *Helleniſta* fuit, ejuſdem collegii olim alumnus: quo majore vehementia cum ipſis diſceptabat, eo majore odio eum tanquam Apoſtatam proſequuti ſunt. Qui prius *Stephani* exitium machinatus fuerat, coactus eſt jam vitæ ſuæ fuga proſpicere.

ACTORUM CAP. IX.
à verſ. 32. *ad finem.*
CAP. X. *totum.* & CAP. XI.
à principio ad verſ. 19.

QUÆ ſequuntur *verſ.* 19. *Capitis* 11. ratione temporis incerta ſunt; neque enim quo tempore ea, quæ narrantur, contigerint, aut è *Luca* aut Sacris Scripturis alibi ediſcere licet. Neque res magni momenti eſt referre quo anno aut tempore hæc geſta erant: ſatis erit ſi præcedentibus, de quibus ſupra, jure ſubjungantur. Id agendum ut certiores ſimus de ordine, de tempore definito minus ſolliciti. Et de hac re non opus erit multa diſceptatione. Ultimus verſus præcedentis Sectionis pacem & tranquillitatem memorat omnium Eccleſiarum. Initio hujus Sectionis *Petrus* (durante hâc pace) omnes vicinas regiones peragrare, nec non prædicare, & eos qui Euangelium amplexi fuerant, confirmare dicitur. Hæc merito ſubjungi iis, quæ ſupra narrantur, ex eo conſtat, quod *Petrus* (qui quidem in *Samariâ* fuerat recens Euangelium amplexâ) *Hieroſolymam* reverſus eſſet, *Cap.* 8: 25. Porrò exacto triennio, ubi *Paulus* eò venerat, ibidem fuit. XXXVIII. XXXIX. XL.

De novo idcirco itinere hoc loco agitur, ubi tria permagna opera ab ipſo patrata reperire eſt; viz. *Æneas* paralyticus *Lyddæ* ſanatur, *Dorcas* reſuſcitatur *Joppes*, Euangelii janua gentibus aperitur *Cæſareæ*.

Nomen *Æneas* occurrit apud Scriptores Hebræos. ר׳ שמואל ב״ר אניא i. e. *R: Samuel filius R. Æneæ*, memoratur in *Hieroſol. Jebammoth*, *fol.* 6. *col.* 2. Porrò *Lod* ſeu *Lyddâ* paſſim apud ipſos occurrit, de quo loco multa notatu digna narrant. Et certè hæc *Petri* peragratio, cum Judæorum ſcriptis de hiſce locis collata, aliqualem obſervationem meretur. Cum enim *Joppes* ageret, verſabatur in medio eorum locorum, ubi paulo poſt (& fortean tunc temporis) binæ fuerunt Scholæ maximæ & illuſtriſſimæ.

Jaſnæ, ex uno latere *Joppes*, magnum *Synedrium* diu conſedit, tum ante tum poſt excidium *Hieroſolymitanum*. Quum enim primum

 mum

Digitized by Google

mum migrare cœpit, (quadraginta ſcilicet annos ante urbis excidium) *Hieroſolyma* relicta hoc loco conſedit. Ibidem ſedit *Gamaliel*, *Pauli* præceptor, unà cum *Synedrio* ſuo diu; & fortean etiam tunc temporis, quum *Petrus Joppes* ageret.

Prout à *Judæis Jafna*, ita ab Ethnicis *Jamnia* vocabatur: & quam prope *Joppen* fuerit, è verbis *Strabonis* conjectare licet, *lib.* 16. *Hic locus* (de *Joppe* loquitur) *adeò populo abundabat, ut è vicino oppido* Jamnia *& locis circumjacentibus delectum agere virorum* 40000. *quis poſſet.*

Lyddæ, ex altero latere *Joppes*, ſcholæ illuſtres, & egregii viri, prout *Jafnæ*, fuerunt. Λύδδα κώμη πόλεως τὸ μέγεθος οὐκ ἀποδέουσα, i. e. *Oppidum erat urbis non cedens amplitudini*, *Joſeph. Antiquit. lib.* 20. *cap.* 5. Ad occidentem *Hieroſolymæ*, ſpatio itineris unius diei, ſita erat, uti è Talmude ediſcere licet in *Maaſar Sheni*, *cap.* 5. *hal.* 2. Porrò in *Judæa* ſita erat. *Idcirco viginti quatuor è Scholâ Rabbi eò venerunt ad annum intercalandum; eos verò corripuit malus oculus, & omnes unà mortui ſunt*, Hieroſol. Sanhedrin, fol. 18. col. 3. Neque enim extra *Judæam* annum intercalare licuit, *Maimon. in Kiddush. Hhodesh. cap.* 4. Hoc infortunio perculſi, in *Galilæa* poſt hæc id negotii agebant. Hic, uti videtur, *Synedrium* etiam nonnunquam conſedit: ſaltem conſeſſus non exiguus ibidem fuit: narrant enim lapidatum fuiſſe *Ben Satdæ Lyddæ veſpera Paſchatis*, *ibid. fol.* 25. 4. Res geſtas & viros egregios hujus loci referre maximi penſi foret, & prorſus hoc loco inutile.

Saronis mentio nec non genus, qui locus etiam unà cum *Lydda* memoratur, *Act.* 9:35. meritò me monent ut ad majorem elucidationem Talmudica quædam excerperem. Hieroſol. Scheviith, fol. 38. 4. *Inter Bethoronem & Emmauntem montes, inter Emmauntem & Lyddam planicies, inter Lyddam & mare vallis.*

Idem in Sotah, fol. 18. 4. *R. Jochanan & R. Eliezer relicta Jafnâ, Lyddam venerunt, & R. Joshuæ obviam facti ſunt* בקיעין i. e. *in Bekiin.*

Gittin, cap. 1. hal. 1. *Qui libellum repudii affert è regione Ethnica, dicere tenetur, coram me tum ſcriptus tum ſigillatus fuit: Rabban Gamaliel dicit, etiam qui affert è Rekam & Chagrâ. R. Eleazer dicit, etiam qui affert è Caphar Lodim Lod uſque. R. Niſſim* in locum hæc habet: *Caphar Lodim extra terram fuit, propè Lod, quæ intra terram fuit, & eo nomine vocata, quia Lyddani perpetuò ibidem fuerint.*

Hieroſol. in Beracoth, fol. 3. 1. *Attulerunt arcam oſſibus repletam è Caphar Tebi, ponebantque palam ad introitum Lod: Tudrus Medicus venit & unà cum eo omnes Medici, &c.* *Tebi* nomen viri eſt, (ſervi ſcilicet Rabban Gamalielis, *Beracoth, cap.* 2. *hal.* 7.) prout *Tabitha* in hac narratione mulieris nomen eſt. Vox *Saron*, maſculini quippe generis non oppidi nomen eſt, verum planiciei aut vallis, ubi plura oppida (& fortean quæ hoc loco memorantur) ſita erant.

ACTORUM CAP. X. *totum.* *Et* CAP. XI. *ad verſ.* 19.

Hiſce locis haud multum cedebat *Cæſarea juxta mare*, doctorum virorum fama, aliis nominibus iis luculentior fuit. רבנין קיסרין i. e. *Doctores Cæſareenſes* frequentiſſimè & honorificè memorantur in utroque Talmude, nominatim *R. Hesbaijah Magnus*, *R. Achavah*, *R. Zeira*, *R. Ada*, *R. Prigori*, *R. Ulla*, *R. Tachalipha & complures alii.* Πύργος Στράτωνος, i. e. *Stratonis Turris* olim vocabatur: *Herodis* Magni ſumptibus ædificata & ſplendide ornata fuit, & in honorem *Cæſaris Cæſarea* vocata. Judæis & Ethnicis, pari fere numero, replebatur, nec non copiâ *Romanorum* militum, quia Præfectus ibidem commorari conſueverat.

Cujuſdam Cohortis *Cornelius* Dux fuit, vir certe pientiſſimus, licet quomodo talis evaſerit, dictu haud facile ſit; neque enim Proſelytus fuit, prout ex eo conſtat, quod *Hieroſolymitani Petrum* reprehenderent eò quod ad eum (Ethnicum quippe) profectus fuiſſet. Parum vero refert ſi demus fuiſſe גר תושב i. e. *Proſelytum inquilinum*, uti loquuntur Judæi, quum ſtatuant, גר תושב כגוי לכל דבר, *Proſelytum inquilinum Ethnico in omnibus æquari*, Hieroſol. Jebammoth, fol. 8. col. 1. Undecunque fidem in *Chriſtum* edoctus fuerat, pleniorem *Chriſti* cognitionem per *Petrum* aſſequutus eſt. Cœleſti viſione monitus *Petrum* acceſſivit, qui ad eum proficiſcitur viſione etiam commonitus.

Hoc loco *claves Regni cœlorum Petro* olim concreditæ, *Matth.* 16. munere ſuo funguntur, januam fidei Ethnicis primum aperientes, deinceps non clauſam, neque porrò claudendam dum in Terris Eccleſia futura erat. *Jona* olim *Joppes*, & *Simon bar Jona*, ibidem agens, ambo ad Ethnicos miſſi, merito conferendi ſunt.

Prædicante *Petro* Spiritus Sanctus in Ethnicos ibidem venit, attonitis eo propter *Judæis*, qui eò cum *Petro* venerant. Non ſolum enim rem hujuſmodi prius non viderant, verum edocti fuerant, quum *Judaiſmo* addicti fuerint, diverſam plane ſententiam, viz. *Spiritum Sanctum non cadere in Ethnicum, neque in Judæum in Ethnica quavis regione commorantem. Cæſarea* ſita erat ſecundum Judæos,

Digitized by Google

CHRIST. XL. בין התחומות i.e. *inter limites*: hoc volunt, meritò dubitari an hic locus intra vel extra terram, an ſimul & intra & extra fuerit, *Juchaſin, fol.* 74. Alia porrò hujuſmodi loca fuerunt in parte regionis occidentali, juxta mare magnum ſita, uti *Acon* ſeu *Ptolemais*, *Hieroſol. Challah*, *fol.*60. *col.* 2. *Aſcalon*, Id. *Scheviith*, *fol.* 36. 3. & alia. Omnibus ritè perpenſis hoc loco nullus commodior in totâ regione eligi poterat, ubi Judæi & Ethnici coaleſcerent; non ſolum quod in eâ Urbe (tum intra tum extra terram ſitâ) tum Judæi tum Ethnici commorati fuerint; verùm quia ibidem etiam fuerit Aula Romanorum, qui Ethnicorum præcipui fuerunt. Cum *Cornelius* Cohortis Italicæ fuiſſe dicatur, hæc adnotaſſe haud incommodum erat.

Cum primum Spiritu Sancto Ethnici donabantur, eodem planè modo quo genti Judaicæ, *Actor. Cap.* 2. datus fuit, immediatâ ſc. infuſione. Alibi ſemper, manuum impoſitione interveniente, conferebatur. Adnotandum porrò Spiritu Sancto donatos *linguis loquutos* fuiſſe, *verſ.* 46. quod confirmat quod ſuprà diximus ad *Caput* 2. viz. hoc dono imbutos tum loqui tum intelligere Linguam, qua Sacræ Scripturæ textus exaratus fuerat. Ex hoc loco hoc magis liquidò conſtat, quam è loco ſuprà citato; & liquidiſſimè ex hiſtoria de duodecim *Epheſi* agentibus, *Act.* 19:6,7. & de loquentibus linguis in Eccleſiâ *Corinthiacâ*, 1 *Cor.* 14. In quem finem enim ibi linguis loquerentur, ubi pariter omnes eandem linguam intelligebant? Non enim garrientium more linguâ loquebantur alienâ, ut, qui minime intelligerent, eos ſuſpicerent; verum ut alios & ſemet ipſos ædificarent, 1 *Cor.* 14: 4. *Qui loquitur lingua, ſeipſum ædificat.* Quî vero? An alienâ linguâ loquens ſemet magis ædificaret, quam ſi vernaculâ ſuâ linguâ loquutus fuiſſet? Id igitur hæc verba volunt, dono linguarum imbutum tum poſſe loqui tum intelligere ipſam Sacræ Scripturæ linguam originalem, adeoque tum ſemet ipſum tum alios ædificare. Ponamus v. gr. quemvis Eccleſiæ *Corinthiacæ* poſſe loqui linguâ *Perſicâ*, *Arabicâ*, *Æthyopicâ*, &c. & haſce linguas effutire; haud tamen potuit hiſce linguis loquens (interprete licet utens) populum magis ædificare, quam ſi vernaculâ ſuâ linguâ loquutus fuiſſet: Textum verò Sacræ Scripturæ originaliter intelligens & proloquens (& interprete utens) ædificaret; quod vernaculâ linguâ utens facere non potuit, niſi quæ loquutus fuerit, inde depromeret.

Petrus Hieroſolymam reverſus reprehenditur à Judæis, eò quod ædes Ethnicorum ingreſſus eſſet, & cum iis menſam haberet communem, à quâ re vel maximè abhorrebant Judæi. Eò hæc verba reſpiciunt, *Sit tibi velut Ethnicus*, *Matth.* 18. *Cum ejuſmodi nè cibum quidem capiatis*, 1 *Cor.* 5. Neque tamen *Petrus* & *Johannes* reprehenſi fuerunt quod ad *Samaritanos* profecti fuiſſent, à quibus tamen Judæi quam maximè abhorrebant: verùm *Samaritani* nec præputiati fuerunt, nec Idololatræ; Ethnici verò ob utramque cauſam, præcipue verò ob Idololatriam, exoſi fuerunt.

ACTORUM CAP. XI.
à verſ. 19. *ad finem Capitis.*

PRout *Cæſarea* ſedes Romanorum Præfecti *Judææ*, primum januam fidei Ethnicis apertam viderat; ita *Antiochia*, ſedes Romanorum Præfecti *Syriæ*, *Chriſtianorum* nomine primum honeſtatur. CHRIST XLI. Quidam è centum viginti miniſtris, (de quibus *Act.* 1: 15.) qui, obortâ perſequutione *Stephani* cauſa, aufugerant, *Judæam* primùm peragrantes, prædicabant; ex his quidam pervaſerunt uſque ad *Phœnicen*, *Cyprum* & *Syriam*, Judæis ſolum hucuſque prædicantes: demùm ex his quidam *Antiochiæ* agentes ἐλάλουν πρὸς τοὺς Ἑλληνιστὰς, i. e. *loquebantur ad Helleniſtas*, *verſ.* 20. De ſignificatione vocis Ἑλληνιστὰς meritò dubitare licet; hoc verò conſtat hanc vocem hoc loco non *Judæos* ſignificare, prout ſumitur *Act.* 6: 1. iis enim opponitur, *verſ.* 19. An igitur *Proſelytos* ſignificat? Minimè verò, hi enim Judæis in rebus omnibus æquabantur. An Ethnicos ſignificat? Immò quidem; quod conſtat tum è narrationis hujus ſcopo, & ex eo quod hos fideles *Antiochiæ* agentes, quidam circumcidi adigerent, *Cap.* 15. Quî verò Ἑλληνισταὶ potius quam Ἕλληνες dicti ſunt? Reſp. Quia facti ſunt (prout nonnulli exiſtimant) גרי תושב, i.e. *Proſelyti inquilini*, relictâ ſcilicet *Idololatriâ*, prout fecerat *Cornelius*, licet non fuerit גר צדק i.e. *Proſelytus Juſtitiæ*, ſeu circumciſus. Quid verò ſi indigenæ fuerint *Syri* tum genere tum linguâ, an eò propter *Helleniſtæ* ſeu *Græci* vocandi erant? Vox igitur de *Syro-Græcis* intelligenda eſt: *Antiochia* quondam metropolis Imperii *Syro-Græci* fuerat: Ἕλληνες, ſeu merè *Græci* appellari jure non poterant, (quamvis ſine controverſia eâ linguâ loquerentur) quoniam nec *Græciam* incolebant, nec à *Græcis* penitùs oriundi; verum è *Syris* & *Græcis* *Syro-Græci* facti. Poſteri ſcilicet veterum incolarum & jus civitatis adepti durante hâc Monarchiâ *Syro-Græca*. Quicquid denotet vox *Helleniſtæ*, fuere ſine controverſia Ethnici. Hinc conſtat miniſtris, qui ipſis prædicabant, licentiam Ethnicis prædicandi factam innotuiſſe, & ea quæ inter *Petrum* & *Cornelium* fuerant tranſacta: neque enim poſitos limites tranſiliiſſent ſine poteſtate conceſſa priùs. Porrò ex eo, quod Eccleſia *Hieroſolymis* agens *Barnabam* ad ipſos lubenter mitteret, conſtat ipſi Eccleſiæ prius hac de re fa-

Digitized by Google

CHRIST. XLI. factum fuiſſe ſatis. Conſtat etiam hæc contigiſſe poſt ea, quæ de *Cornelio* narrantur.

Ex eo quod *Barnabas* miſſus fuerit, quodque ipſe *Saulum* ad idem munus unà obeundum accerſiverit, ſequitur, (prout ſuprà adnotavimus) veriſimile eſſe, *Barnabæ* innotuiſſe tum ſuam deſignationem in miniſtrum incircumciſionis, tum *Paulum* unà cum ipſo hoc munere functurum, diu priuſquàm *Antiochiâ* relictâ, ad hoc munus obeundum mitterentur. In Eccleſiâ ibidem totum annum agunt, & ibi *Chriſtianorum* nomen primùm uſurpatum fuit, in Eccleſiâ ſc. Ethnicâ. *Antiochia* olim *Hamath* dicta fuit: jam verò *Antiochi* nomen ferebat, Eccleſiæ & veritatis perſequutoris crudeliſſimi; nec quiſquam Eccleſiam Judaicam majore immanitate divexaverat. Vel loci nomen meditandi materiam præbet.

ACTORUM CAP. XII. XIII.

CHronologicam difficultatem hoc loco videre eſt, de tempore ſcilicet hiſtoriæ horum duorum Capitum. Licet enim priore loco res geſtæ *Cap.* 12. narrentur, & meritò etiam, ut unâ vice hiſtoria *Petri* referatur, & finita foret priuſquam cœperit *Pauli* hiſtoria; de quâ ad finem uſque hujus libri; tamen jure ambigere licet, an miſſio *Pauli* & *Barnabæ Antiochiæ* tunc agentium ad prædicandum Ethnicis, (de quâ initio *Cap.* 13.) non contigerit prius quam nonnulla, nè dicam omnia illa, quæ *Capite* 12. narrantur. Duas ob cauſas res in ambiguo eſt. I. Quia incertum eſt quo anno *Claudii* fames illa prædicta *Cap.* 11. *verſ.* 28. contigerit. Et II. Quia non conſtat quamdiu *Paulus* & *Barnabas Antiochiæ* manſerint, poſtquam *Hieroſolymam* reliquerant, *Cap.* 12. *verſ.* 25. priuſquam ad Gentes miſſi fuerant. De hâc verò re non erit opus ut anxiè diſquiramus. Cognitio enim temporum vix cedere quicquam potuit in pleniorem ipſarum narrationum elucidationem: publicum verò Jejunium Eccleſiæ Antiochiæ reſpicere videtur quædam ex adverſis illis ſuprà memoratis, ut iis σύγχρονον, vel ea proximè attingens; viz. famem per totum orbem, *Cap.* 11:28. aut Eccleſiæ perſequutionem, *Cap.* 12. Haud igitur turbabimus hiſtoriarum ordinem, quem tenent: hâc enim intertexturâ innuit Spiritus Sanctus, ex iis quaſdam eſſe συγχρόνυς, neque ordinem invertere ſuadet. De loco verò & tempore quo quæ narrantur, contigerunt, & ut vel σύγχρονα fuerint aut ſuccedanea (ad pleniorem ſc. elucidationem) ſequentia adnotare par erit.

I. Quum *Dion* Romanæ Hiſtoriæ Scriptor, *lib.* 60. magnam famem, *Romæ* ſaltem, contigiſſe anno ſecundo *Claudii* affirmet, *Joſephus*, *Antiquit. lib.* 12. *cap.* 2. aſſerit, gravem famem *Hieroſolymis* contigiſſe anno *Claudii* quarto, quam ſententiam *Euſebius in Chronic.* fidenter ſtatuit. Hæc tamen non pugnant: frequenter enim in hiſtoriis tum ſacris tum humanis, famem per plures annos durâſſe legimus; quam rem & noſtro ſeculo experti ſumus. CHRIST. XLI.

II. *Herodes Agrippa* occidere *Jacobum*, & *Petrum* in carcerem conjicere ante annum tertium *Claudii* non potuit: nam *Joſephus* (hujuſmodi rei teſtis fide dignus) aſſerit *Claudium*, poſtquam ſecundò conſul factus fuerat, ſecundo ſcilicet imperii anno; Judæorum gratiâ edictum promulgâſſe, & per totum orbem emiſiſſe, & poſt hæc *Agrippam* in ſuum regnum ab eo miſſum. Conſulatus ipſius *Kalendis Januarii* contigit, adeò ut impoſſibile ferè fuerit, hæc *Romæ* facta fuiſſe, *Agrippam* iter inſtituiſſe & confeciſſe, *Hieroſolymam* veniſſe, occidiſſe *Jacobum* & *Petrum* prehendiſſe, priuſquam contigerit Paſcha; niſi feſtinaverit quaſi ſpe mercedis allectus. Qui credit *Petrum* in carcerem conjectum ſecundo anno *Claudii* conſulatus, ſeu imperii, ut hoc credat, tempus quo hæc omnia contigerunt, plus ſatis tenetur contrahere.

III. Tertio igitur anno *Claudii* ea contigerunt, de quibus agitur *Cap.* 12. morte *Herodis* exceptâ, quæ in initio quarti contigit; neque *Paſcha*, quod quarto ipſius imperii anno contigit, *Herodes* vidit.

IV. Adnotandum eſt, *Lucam Pauli* & *Barnabæ* iter, quod inſtituerunt eleemoſynam Eccleſiæ *Antiochenæ* ad pauperes in *Judæa* commorantes ferentes, homicidio *Jacobi* præpoſuiſſe, *Cap.* 11:30. ipſorum verò reditum morti *Jacobi* & *Herodis* ſubjunxiſſe, *Cap.* 12: 25. Neque tamen credere tenemur, eos eo loco manſiſſe uſque dum ea omnia geſta ſunt, de quibus *Capite* 12. agitur; verùm hæc referens iterum *Pauli* & *Barnabæ* hiſtoriam aggreditur. Porrò jure credere licet, ea quæ narrantur poſt martyrium *Jacobi*, incarcerationem *Petri*, & *Agrippæ* mortem, de ipſorum reditu *Antiochiam*, & inde ipſorum profectione ad Gentes, *Cap.* 13. eodem tempore contigiſſe, quo nonnulla, de quibus agitur *Cap.* 12. geſta fuerunt.

Capita igitur, prout poſita ſunt, ordinem minimè turbando, perpendere par erit: interea temporis quædam, quæ in quovis Capite narrantur, fuiſſe σύγχρονα, exiſtimare licet. Et quoniam hoc loco è re fuerit de Imperatoris annis diſquirere, quod prius factum non fuit, & poſt hæc, imperante *Nerone* magis è re noſtrâ erit; haud gravabimur, Imperatorum annos Salvatoris noſtri parallelos poſt hæc apponere.

Cœpit fames. Eccleſia *Antiochiæ* ſubſidium in *Judæam* mittit. CHRIST. XLII. CLAUD. II.

ACTO-

CHRIST. XLIII. CLAUD. III.

ACTORUM CAP. XII. *ab initio ad verſ.* 20.

JAcobus decollatur per *Herodem*; ita enim ſecundum *Hebræorum* pandectam, ea verba intelligenda ſunt, *Jacobum gladio occidit.* Talm. in Sanhedrin, cap. 7. hal. 3. *Qui gladio occiſi fuerunt*, *decollabantur*, *quem morem etiam Regnum*, Romanum ſcilicet, *tenebat.*

Agrippæ zelus, Judaicis ritibus addicti, quo inſtigatus Eccleſiam perſequutus fuerat, peccato Judaicæ gentis tribuendus eſt.

Judæi ſub *Cajo* (qui illis minimè favebat) depreſſi, jam evecti modum neſciunt. Edicto enim *Claudii* ſublevati, immunitatibus ſuis non contenti Eccleſiam Chriſtianam vaſtare ſtudent. Quamvis *Claudii* edicto hæc verba interſerta fuiſſent, Μὴ τὰς τῶν ἄλλων ἐθνῶν δεισιδαιμονίας ἐξουθενίζειν, i. e. *nè temnerent aliarum gentium Sacra.* Hæc ipſorum indebita uſurpatio in cauſa fuit ut Imperator, qui prius ipſorum gratiâ edictum promulgaverat, aliud demum contra ipſos ederet.

Petrus ab homicida ad lanienam deſtinatus, miraculoſe elabitur: *Tyrannus* ipſe, priuſquam elaberetur abhinc annus, tremenda morte cœlitus plectitur.

ACTORUM CAP. XIII. *ab initio ad verſ.* 14.

DIvûs Scriptor, qui hucuſque hiſtoriam Eccleſiæ & Euangelii inter Judæos diſſeminati narraverat; & præſertim acta *Petri* & *Johannis*, ipſorum ſcilicet Miniſtrorum, *Petri* verò præcipuè retulerat; calamum jam invertens Euangelii receptionem & propagationem inter Gentes narrat. Præſertim vero refert Acta *Pauli* & *Barnabæ*, Gentium ſcilicet miniſtrorum, & præcipuè *Pauli*.

In Eccleſia *Antiochiæ* quinque viri reperti ſunt, qui tum *Prophetæ* tum *Doctores* fuerunt; qui ſcilicet non ſolum plebem erudiebant Sacras Scripturas exponentes, verum Spiritu prophetico imbuti erant & revelationum participes. Quamvis enim *Prophetæ* & *Doctores* à ſe invicem diſtinguantur, 1 *Cor.* 12:28. *Eph.* 4:11. & diverſo modo docendi poteſtate imbuti forent, illi ſcilicet revelatione, hi ſtudio; tamen κατὰ τὴν οὖσαν ἐκκλησίαν, (quæ verba perpendenda ſunt) *ſecundum præſentem Eccleſiæ ſtatum*, non ſolum Prophetici erant Doctores, verum, rebus ſic ſtantibus, opus illis erat, donec poſt hæc alii operâ ſtudiis impenſa Doctores evaderent. Quod hactenus fieri non potuit, quum Euangelium ipſis delatum fuiſſet.

Ex his quinque viris *Barnabas* & *Saulus* lectori ſatis innotuerunt. Trium reliquorum nomina magis ignota ſunt: viz.

I. *Simeon dictus Niger.* Si vox *Niger* Latina fuiſſet, conjectare licuiſſet, hunc fuiſſe *Simonem Cyrenenſem*, eopropter *Nigrum* dictum, quod pro more gentis aduſtum vultum haberet. Quum vero vox *Patronymica Cyrenenſis* ſingulari numero de *Lucio*, qui proximè ſequitur, dicatur; & quum vox נגר tum temporis uſurpata fuerit, & porrò apud Judæos plura ſignificaret, uti videre eſt in *Aruch*, hunc *Cyprium* potius credere par erit: vide *Act.* 11:20. prout *Barnabas* erat, *Cap.* 4: 36. quem ipſius cognomen *Niger* (quicquid ea vox ſignabat) à *Simone Petro* & *Simone Cananita* diſcrevit.

II. *Lucius Cyrenenſis.* Hunc quidam credunt, nec ſine cauſa, fuiſſe *Lucam* Euangeliſtam: eò propter apud veteres *Lucas*, ut veriſimile eſt, dictus fuit *Antiochenus*: nec ſine cauſa, quum eo loco repertus fuerit *Lucii* nomine gaudens, licet gente *Cyrenenſis* fuerit, & in collegio ſeu Synagoga *Cyrenenſi Hieroſolymis enutritus* fuiſſet, *Cap.* 6: 9. ibidemque primum Euangelium amplexus fuiſſet. *Paulus*, *Rom. Cap.* 16. *verſ.* 21. nomine *Lucii* Romanæ Eccleſiæ ſalutem dicit, quum nemo fuerit è *Pauli* comitibus, *Luca* excepto, cujus nomen eo modo ſonaret, prout ibidem adnotabimus.

III. *Manaen, qui fuerat Herodis Tetrarchæ collactaneus.* *Juchaſ. fol.* 19. Mentio facta eſt cujuſdam *Menahem*, quondam Pro-præſidis Synedrii, cum præſes erat *Hillel*, qui, unà cum octoginta viris egregiis, *Herodis magni* ſervus factus eſt, de quo pauca ſupra. Fortean hîc illius filius fuit *Manaen* ſeu *Menahem*, uti prius pater ipſius dictus: prout patri *Herodes magnus* maximè favebat, ita *Herodis Tetrarchæ* aulicus & collactaneus ipſius filius fuit.

Hiſce ſanctis viris Domino miniſtrantibus, & jejunio & precibus vacantibus, Spiritus Sanctus dixit, *Segregate mihi Barnabam & Saulum in opus*, *ad quod accerſivi eos*; in miniſterium Gentium ſcilicet. Neque enim ſine poteſtate cœlitus conceſſa, hæc miſſio ad gentes licita fuiſſet. Gentes enim à Judæis ſemper quam maximè ſegregatæ fuerant: quamvis *Petrus*, ad *Cornelium* profectus, Euangelii januam Ethnicis aperuiſſet; tamen jam maceriæ interſtitium magis diruendum eſt, & Euangelium in Gentium regionibus & domiciliis demum prædicabitur. Ea verba, *Segregate eos in opus*, *ad quod accerſivi eos*, palam faciunt prius innotuiſſe, eos præputiatorum miniſtros fore.

Gloſſaria Romana *Miſſam* è voce λειτουργούντων aſtruere conantur; *Rhemiſtæ* porrò, eò quod in eum ſenſum illam vocem non verterint, gratias iis deberi à nobis exiſtimant.

CHRIST. XLIII. CLAUD. III.

CHRIST. XLIII. CLAUD. III.

Quum revera ea vox publicam aliquam miniſtrationem propriè denotet. Porrò Spiritus Sanctus hanc vocem uſurpans innuere videtur, non ſolum publicam miniſtrationem, verum etiam publicum jejunium. Hujuſmodi enim jejunia non communiter, prout cultus ſacri partes uſitatiores, verum pro re natâ, eâque inſolitâ, uſurpari conſueverant. Cujus porrò rei gratiâ hoc jejunium indictum fuerit, diſquiſitionem magis meretur, quam *Miſſam* è Græcâ voce aſtruere quam minimè ſignat.

Ut publica jejunia, & quarum rerum gratiâ, apud Judæos uſurpata fuerint, ediſcere licet è Tractatu *Talmudico*, ut & *Maimonidis*, *Taanith* dicto. Euangelio ſatis conveniebat, iiſdem de cauſis ea ſacra uſurpare. Porrò fames tunc temporis ubique ingraveſcens juſta cauſa fuit, quæ Eccleſiam *Antiochenam* hoc jejunium indicere moveret.

Quicquid occaſio fuerit, ipſis jejunantibus *Dominus Paulum* & *Barnabam* ad ſuum opus ſegregari voluit, eos ſcilicet qui recens munere ab eccleſiis ipſis concredito functi fuerant. Denuò reliqui tres, *Simeon*, *Lucius* & *Menaen*, quibus *Domini* mandatum innotuit, quum alium diem, jejunio & precibus vacantes, conſumpſiſſent manum iis imponentes, hac χειροθεσίᾳ ipſos ſegregabant. Ita Judæi conſueverant *Seniores χειροθεσίᾳ Triumviratus*, ſeu trium ſeniorum ſegregare, *Sanhedrin*, *cap.* 1. *hal.* 3.

Hæc ſecunda χειροθεσία fuit, ex quo cœperat Euangelium, quæ Spiritum Sanctum minimè conferebat, nam hi duo prius Spiritu Sancto repleti fuerunt. Porrò ex quo cœperat Euangelium, hæc prima *Seniorum* χειροθεσία facta eſt extra terram *Iſraëlis*: hanc enim ſolum intra terram fieri per *Hebræorum* canones licuit, *Maimon. Sanhedrin*, *cap.* 4. His rite perpenſis, ut & munere ad quod accerſiti fuerunt hi duo, & miſſionis eòpropter modo, veriſimile videtur, Dominum hoc loco exemplar exhibuiſſe, quo in poſterum Miniſtri Eccleſiarum apud gentes ſegregandi forent.

Paulus & *Barnabas* à *Domino* hoc modo deſtinati, ſegregati & per *Triumviratum* miſſi, denique *Spiritu Sancto* ducti primum *Seleuciam* petunt, viz. ut maximè veriſimile eſt, *Seleuciam Pieriæ*, de qua *Strabo*, qui eam *primam civitatem Syriæ Ciliciâ relictâ*, eſſe ait, *Geogr. lib.* 14. Cui conſentit *Plinius* deſcribens latitudinem *Syriæ*, à *Seleucia Pieria ad oppidum in Euphrate Zeugma*, *Hiſtor. Nat. lib.* 5. *cap.* 12. Eò veniſſe cenſendi ſunt, ut inde in *Cyprum* navigarent, prout in animo habebant; portum enim fuiſſe è verbis *Strabonis*, quæ ſequuntur, conſtat: *E Seleucia uſque ad Soli*, inquit, *navigantibus mille ſunt ſtadia*; ut è verbis *Lucæ* dicentis, *Adierunt Seleuciam*, *& inde navigarunt in Cyprum*, quo eos jam ſequamur.

CHRIST. XLIII. CLAUD. III.

Cyprus adeò *Judæis* repleta erat, ut *Judaica* regio haberetur in miranda ea narratione, quam refert *Dion Caſſius* in vita *Trajani*: *Judæi*, inquit, *qui juxta Cyrenem incolebant*, Andream *quendam ducem eligentes*, *Græcos & Romanos trucidarunt*, *ipſorum carnem edebant*, *& viſcera ipſorum vorabant*, *ipſorum ſanguine ſemet oblinebant*, *& pellibus induebantur. Multos à capite deorſum ſerrabant*, *alios feris objecerunt*: *multos ſemet invicem interficere adigebant*, *adeò ut eo modo* 220000. *perempti fuerint. In Ægypto pariter & Cypro trucidati fuerunt* 240000. *Hinc interdictum Judæis nè Cyprum peterent*, *& ſi qui tempeſtate maris eò appulſi fuerint*, *trucidantur*: *Judæi verò ab aliis victi ſunt*, *præſertim à Lucio*, *quem Trajanus eò miſerat.* *Barnabas* fuit *Cyprius*, *Act.* 4: 36.

Quamvis hi duo Apoſtoli ad gentes miſſi fuiſſent, tamen ubicumque demum venerant, primum Judæis ibidem commorantibus prædicare conſueverant.

Cum *Salaminem* appuliſſent, propè locum ubi ad terram applicati ſunt, cœperunt *prædicare in Synagogis Judæorum*, quibus *Johannes Marcus* miniſter erat.

Inde paſſim prædicantes inſulam peragrabant, uſque dum *Paphum* venerant, extremam inſulæ partem in angulo Auſtrali ad occidentem vergente ſitam. Ibidem *Magum* quendam Judæum conveniunt, qui *Bar Jeſus* & vulgo *Elymas* (quæ vox *Magum* ſignat) dictus fuit. Hujuſmodi Judæi impoſtores regiones peragrabant, Euangelio adverſantes, & technis magicis & mirabilibus fidem ſibi hæc agentibus facientes. Hujuſmodi fuerunt *circumeuntes Judæi exorciſtæ*, *Act.* 19: 13. De hujuſmodi etiam Salvator noſter loquitur, *Matth.* 24: 24. & de hujuſmodi Talmudici quidam ſcriptores agunt. Triplici modo Judæi tunc temporis & poſthæc, Euangelio & ipſius diſſeminationi adverſabantur, ut de ſanguinaria perſequutione nihil dicam.

I. Sub hoc tempus confecta fuit ea precatio, de qua ſuprà, dicta ברכת מינים, i. e. *Precatio contra hæreticos*, quæ quotidianis precibus (non ſine juſſu) inſerta fuit. De ea re *Maimonides* in *Tephillah*, hiſce verbis: *Diebus* Rabban Gamalielis *inter* Iſraëlitas *hæretici multiplicati ſunt*, (per hæreticos Judæos Chriſtianam fidem amplectentes intelligit) *qui* Iſraëlitas *turbabant*, *& religionem ſuam derelinquere ſuadebant. Ipſe*, *una cum Synedrio ſuo*, *perſpiciens hanc eſſe rem maximi momenti*, *ſurrexit*, *& precationem conſtituit*, *qua oratur Deus ut hos hæreticos perimeret*: *hanc publicis precibus inſeruit*, *& ab omnibus fundendam ſtatuit*: *hinc factum ut preces quotidianæ novemdecim fuerint*, cap. 2. Adeo ut quovis die

Digitized by Google

CHRIST. XLII. CLAUD. III. die contra *Chriſtianos* & fidem *Chriſtianam* orarent.

II. Judæorum emiſſarii frequentes fuerunt, qui ubique Euangelium diffamarent, & ſummis viribus, tum ſuis concionibus tum argumentis convellerent,& ipſum & Autorem *Chriſtum* contumeliis afficerent:quod conſtat tum è Novo Inſtrumento, tum è Scriptis Judæorum.

III. Plurimi *Magiæ* periti patrabant quædam miranda, & hiſce falſis miraculis ea, quæ divinitus per *Chriſtum* & Apoſtolos edita ſunt, convellere conabantur. Hiſce mirandis operibus dogmatibus ſuis Euangelio repugnantibus fidem facere ſatagebant. Autor *Juchaſin* loquitur de *Abba Chelchiah* & *Chamin* & *Chamina Ben Duſa* כלומדים בניסים i. e. *miracula edendi peritis*, *fol.* 20. De ipſorum incantationibus & technis magicis agit *Talmud Hieroſol. in Shabb. fol.* 8. *col.* 2, 3. *Sanhedrin, fol.* 25. *col.* 4. Etiam de incantatione *nomine Jeſu* facta, *Shabb. fol.* 14. *col.* 4.

Elymas miraculoſe à *Paulo* cœcitate percullſus fuit, & *Sergius Paulus* Euangelii luce imbuitur. Hæc *Paphi* geſta ſunt, ubi vetus ſuperſtitio cæcum Deum *Cupidinem* ſomniabat. Delirus *Elymas* jam ſocium ſuum quærat. Primum miraculum inter gentes editum, fuit pervicacis *Judæi* occæcatio: quæ res Allegoricè exponi poteſt.

Relictâ *Papho Pergam* in *Pamphylia* petunt, ubi eos relinquens *Johannes Hieroſolymam* rediit; qua cauſa motus haud facile eſt conjectare. An ſcilicet de *Petri* anguſtiis & diſcrimine, *Hieroſolymis* tunc agentis, certior factus ipſum videre averet: inter ipſum enim & *Petrum* neceſſitudo maxima interceſſerat, ut conſtat è 1 *Petr.* 5:13. & ex eo, quod ædes matris ipſius *Petro* ſatis innotuerint, *Act.* 12: 12. &c. An eo, quod cum neceſſarius eſſet *Petri*, circumciſionis Miniſtri, veritus fuerit ad gentes ire, quibus indies ipſos magis immiſcentes viderat. *Paphi* enim, ubi proximè fuerant, fuit Templum *Veneris*; & *Pergæ*, ubi tunc temporis agebant, fuit Templum *Dianæ*, *Strab. lib.* 14. *Pompon. Mela, lib.* 1. *cap.* 14. Utcunque res fuerit, ipſius diſceſſus culpandus tunc temporis inter ipſum & *Paulum* ſimultatem ciebat, & demum inter *Paulum* & *Barnabam*. Verum ipſum linquamus *Hieroſolymam* proficiſcentem; ubi permanſit, uſque dum *Paulus* & *Barnabas* eò iterum venerunt.

ACTORUM CAP. XII.
à verſ. 20. *ad verſ.* 24.

CHRIST. XLIV. CLAUD. IV. HErodis mors initio hujus anni contigit, *Claudii* quarto, vel eò circiter, prout è *Joſepho* ediſcere licet, qui tertium ipſius annum ante mortem ejus finitum fuiſſe, ſcribit, *Antiquit. lib.* 19. *cap.* 7. Filium ſeptemdecim annos natum ſuperſtitem reliquit: qui cum ob immaturam ætatem regno impar fuerit, *Claudius* regno præfecit *Cuſpium Fadum*. Ipſius filiæ fuerunt *Berenice*, ſexdecim tunc annos nata, poſt hæc *Herodis* ſui patrui, *Chalcidis* Regis uxor: & *Mariam* decem annos nata; & *Druſilla* ſex, quæ poſtea *Felicis* uxor fuit.

ACTORUM CAP. XIII.
à verſ. 14. *ad finem*, & CAP. XIV. *totum.*

DE rerum geſtarum tempore, cum ad *Caput* 15. deventum erit, certiores erimus; viz. quoto anno *Concilium Hieroſolymitanum*, ut vulgo dicitur, contigit. Verum de tempore rerum, quæ narrantur abhinc eò uſque, incerti ſumus: quum igitur præciſe rerum geſtarum annum ſtatuere haud integrum fuerit, viſum eſt haſce res omnes ad hos annos indeterminatè referre, & poſthæc ſuis propriis temporibus aſſignare, quantum quidem conjectura accuratiſſima aſſequi fas erit. CHRIST. XLV. XLVI. XLVII. XLVIII. XLIX. CLAUD. V. VI. VII. VIII. IX.

Paulus & *Barnabas*, relicta *Perga* in *Pamphylia*, *Antiochiam* in *Piſidiam* venerunt, & die Sabbati Synagogam ingreſſi, finita lectione legis & Prophetarum, à Primoribus Synagogæ invitantur, populum hortari. Quî vero reſciverunt Primores, eos ad docendum idoneos fuiſſe? Reſpond. Primores cum iis in urbe prius conſueverant, & eâ ratione Euangelio faventes, eos ad concionandum pertraxerunt. Neque enim veriſimile eſt, Primores ipſos tunc primum vidiſſe, aut, ipſos eo ipſo die ad urbem veniſſe; verum prius cum illis conſueſſe.

Pauli concione finita, ſoluto cœtu & egreſſis Judæis, rogabant gentes ut eadem verba haberentur in ſeptimanâ intermediâ, εἰς τὸ μεταξὺ Σάββατον, viz. *ſecunda & quintâ feria ſequentis ſeptimanæ*, ubi in Synagogis convenire mos erat, prout quovis die Sabbati. Traditum porrò eſt, hunc morem conſtitutioni *Ezræ* innixum eſſe, *Talmud in Bava Kamma*, *cap.* 7. *R. Sol & Niſſim in Chethuboth*, *cap.* 1. *in Alpheſ.* Effecerunt conciones, hiſce tribus diebus habitæ, ut proximo die Sabbati tota ferè urbs conveniret ad audiendum ſermonem Dei. E Gentibus plurimi Euangelium amplectuntur; verum Judæi extimularunt quaſdam fœminas infideles, proſelytas, & quoſdam è primoribus civitatis, adeò ut è finibus ſuis ipſos ejicerent; qui excutientes pulverem pedibus adhærentem, *Iconium* petunt. Hunc ritum præceperat Dominus, *Matth.* 10: 14. huic ritui nihil tribuens, verum eo oſtendens, quo loco habendi eſſent ſecundum dogma apud *Hebræos* receptum. Ita enim conſtituerant, *pulverem*

Digitized by Google

CHRIST. XLV. XLVI. XLVII. XLVIII. XLIX. CLAUD. V. VI. VII. VIII. IX.

Ethnicæ regionis aut urbis, Judæum contaminatum & pollutum effeciſſe. Toſaphta ad Kelim, cap. 1. hæc habet: *In tribus* Syria *æquabatur Ethnicæ cuivis regioni: pulvis ipſius quemvis contaminabat, prout pulvis cujuſdam Ethnicæ regionis*, &c. Pulverem idcirco è pedibus excutientes oſtendunt, ſe pro Ethnicis tum ipſos tum urbem ipſorum habere.

ACTORUM CAP. XIV.

ICONII diu permanent, multum promoventes; verum in diſcrimen lapidationis poſiti *Lyſtram* & *Derben*, urbes *Lycaoniæ* dilabuntur, & *in regionem circumjacentem.* Eam regionem deſcribit *Strabo*, *lib.* 12. ubi, inter alia dicit, *Derben* confinem eſſe *Iſauriæ*, & tunc temporis *Amyntæ* ſubjectam. A *Paulo Lyſtræ* aut *Derbes* agente, *Lois* & *Eunice* & *Timotheus* ad Euangelium amplectendum reducuntur, & ibidem, ut quidam volunt, vel *Iconii*, etiam *Tecla.* Claudum ſanantes pro Diis habentur; continuò verò, inſtigantibus Judæis, lapidatur *Paulus*: & cum defunctum putarent, miraculoſe reſtituitur. Inde *Derben* petentes, *Lyſtram* redeunt, *Iconium* etiam & *Antiochiam*, & in his Eccleſiis Presbyteros conſtituunt. Χειροτονήσαντες, *verſ.* 24. non proprie vertitur *per ſuffragia creantes:* neque enim id fieri potuit, quum nemo fuerit in his Eccleſiis idoneus, qui in miniſterium cooptaretur, aut qui donis imbutus fuerit ad id munus obeundum, niſi χειροθεσίᾳ Apoſtolorum Spiritu Sancto donati fuerint, & eo ad id munus idonei facti. In Eccleſia enim Νεοφύτῳ, & in plebe, quæ recens Euangelium amplexata fuerat, haud facile eſſet quempiam reperire adeò cognitione Euangelicæ doctrinæ imbutum, ut huic muneri par eſſet. Verùm Apoſtolorum χειροθεσίᾳ Spiritum Sanctum recipiunt, & eo idonei facti ſunt. Fatendum quidem eſt, vocem Græcam primariò ſuffragia denotare, verum non ſolum: porrò vox סמך proprie χειροθεσίαν denotat, tamen nonnunquam סמיכות eâ carebat. *Maimon. in Sanhedrin*, *Cap.* 4. כיצד חיא הסמיכה לדורות, *Qui fit ordinatio in perpetuum? Non manuum impoſitione in caput Presbyteri, verum eum vocant Rabbi, & dicunt, ecce tu promotus es*, &c.

ACTORUM CAP. XV.

CHRIST. L. CLAUD. X.

JAm deventum eſt ad *Concilium Hieroſolymitanum.* Cujus occaſio fuit ſeditio quorundam, qui jugum *Moſaicorum* rituum cervicibus Ethnicorum, qui Euangelium amplexi fuerant, imponere ſtudebant. Plurimi Judæi, qui credebant, ſtudioſi ſectatores Legis fuerunt, *Act.* 21:20. Nec facile erat eos abſtrahere ab illis ritibus, in quibus fuerant enutriti, & quos quaſi hæreditatem à Patribus acceperant. Inde tunc temporis turbæ & poſt hæc plurimorum defectio ab Euangelio. Ab antiquis creditum eſt, *Cerinthum* primarium hâc in re propugnatorem extitiſſe. Quiſquis ille fuerit, qui primus hanc ſcintillam ſparſerit, niſi opportune extincta fuiſſet, omnia conflagraſſent.

CHRIST. L. CLAUD. X.

Paulus & *Barnabas*, cui miniſterium Gentium præcipuè concreditum fuerat, miſſi ſunt ex *Antiochia Hieroſolymam*, Apoſtolos de hac re conſulturi. Hujus itineris mentio facta eſt, *Galat.* 2:1,2. *Deinde poſt annos quatuordecim rurſum aſcendi* Hieroſolymam *unà cum* Barnaba, *adſumpto ſimul &* Tito. *Aſcendi autem juxta revelationem*, &c. Ab Eccleſia quidem miſſus fuerat, prout *Lucas* aſſerit *verſ.* 2. verùm Eccleſia, revelatione edocta, Apoſtolos *Hieroſolymam* miſit, ad dirimendam hanc litem. Hinc facile de tempore hujus itineris ſtatui poteſt, ſi prius conſtet de initio horum quatuordecim annorum, an ſcilicet velit quatuordecim annos poſt ipſius converſionem, an quatuordecim à priori itinere *Hieroſolymam*, cujus mentio facta eſt *Gal.* 1:18. quod inſtituit poſt tres annos à converſione ſuâ. Poſterior hæc ſententia duas ob cauſas ſequenda eſt. I. Obſcurum valdè eſſet, & à Sacræ Scripturæ computo maximè alienum ſupponere, quatuordecim annos reſpicere tempus ipſius converſionis, non verò tempus proximè præcedens cum *Hieroſolymis* ageret, tribus elapſis annis poſt ipſius converſionem. II. Id agit Apoſtolus, hæc ſcribens, non ut itinera ſua, quæ *Hieroſolymam* inſtituit poſt ſuam converſionem, narraret; verùm ut oſtenderet, quamdiu inter Gentes & extra *Judæam* prædicâſſet, & quod Apoſtoli (ad quos *Hieroſolymis* tunc temporis agentes ſemet receperat) intereà temporis miniſterium ſuum non culparent, aut id vitio verterent. Converſus non *Hieroſolymam* me recepi Apoſtolos conſulturus, verùm *Arabiam* petebam, & demum *Damaſcum* redii, paſſim prædicans, vel de facie Apoſtolis minimè notus. Tamen, poſtquam per tres annos id agebam, aſcendi ad *Petrum* circumciſionis miniſtrum, qui non culpabat quæ feceram, verùm per quindecim dies me excepit. Poſt hæc *Syriam* & *Ciliciam* peragravi, & paſſim apud Gentes, tamen elapſis quatuordecim annis id agendo, ubi *Hieroſolymam* me rurſus recepi, ipſis Apoſtolis gratus erat adventus meus, & datis dextris ſocietatem inierunt. Si ritè hic Apoſtoli ſcopus perpendatur, (atque eò ipſius verba collimare è ſcopò totius Epiſtolæ liquidò conſtat) ſtatuendum eſt, tempus hujus itineris, quod *Hieroſolymam* inſtituit, fuiſſe ſeptemdecim annos poſt ipſius converſionem.

Pau-

Digitized by Google

CHRIST. L. CLAUD. X.

Paulus & *Barnabas* profecti *Hieroſolymam* privatim, κατ' ἰδίαν, ſe receperunt ad *Petrum*, *Jacobum* & *Johannem* circumciſionis miniſtros, quibus expoſuerunt doctrinam, tum rationem qua Gentes tractaverant, *Gal.* 2:2. Id agebant ut amolirentur rumores falſos, quibus culparentur, (ac ſi doctrinam & mentem Apoſtolorum oppugnaſſent) & ut illi judicio ſuo ea, quæ fecerant, adprobarent. Unà cum *Paulo* & *Titus* aderat, cujus pellicula reciſa non fuerat, dum *Pauli* comes fuerat. Jam *Hieroſolymis* agens, coram Apoſtolis circumciſionis, tamen eo loco circumciſionem recipere coactus non fuit; propter falſos quoſdam fratres, qui inſidioſe explorantes tum obſervare tum culpare Euangelii libertatem, quâ Apoſtoli uterentur, ſtudebant; quibus per ſubjectionem non cedebant nè hoc in Euangelii injuriam verteretur. Quamvis enim *Paulus* circumciſionem *Timothei* adprobabat, & hi Apoſtoli *Paulo* ſuadebant, quoſdam *Moſaicos* ritus uſurpare, *Act.* 21:24. ut infirmos minimè offenderet, & lucrifaceret jam confirmatos, tamen his fraudulentis fratribus cedere nolebant, qui inſidioſe occaſionem captare avebant Euangelium opprobriis inſectandi.

Colloquii Apoſtolici hic fuit exitus: tres circumciſionis miniſtri haud culpabant, quæ fecerant incircumciſionis miniſtri duo, neque quicquam iis in mandatis dederant in poſterum ab iis agendum; verùm in eo conſentiunt, ut *Paulus* & *Barnabas* ad Gentes proficiſcerentur, & ipſi ad Judæos; id ſolum petebant ut ad Gentes profecti pauperum Judæorum memores eſſent, quod in ſe ſuſceperunt; eâ ratione omnia unanimiter tranſacta ſunt.

His non contentis jugum *Moſis* imponere ſtudentibus, ad publicam de hâc re diſceptationem deventum eſt. Presbyteri denuò & hi Apoſtoli de eâ re conſulturi unà conveniunt.

Petrus jugum *Moſis* Gentium cervicibus imponi noluit, quas Spiritu Sancto repletas viderat, haud minus quàm qui *Moſaicorum* rituum ſectatores fuiſſent. *Paulus* & *Barnabas* idem planè aſſeverabant: cur igitur Gentes hiſce ritibus turbarentur, ad ipſarum commodum minimè cedentibus, quippè quæ Spiritus donis non minus quam Judæi imbutæ fuiſſent. *Jacobus* verò viam mediam reperit inter eos, qui totum jugum imponere ſtudebant, & eos, qui nè minimam quidem partem; adeò ut Judæi minus offenderentur, & onus minimè Gentibus imponeretur; viz. ut Gentes abſtinerent ab edendis Idolothytis, & ſuffocato, & ſanguine, & fornicatione. Tria priora jam ἀδιάφορα fuerunt, (quamvis ſub lege præcepta fuiſſent) per *Chriſti* mortem interſtitio maceriæ diruto; adeò ut his inutilibus rejectis, haud amplius obtineret diſtinctio ciborum & populorum. Quoniam verò Judæi hiſce rebus adeò addicti fuerunt, ut ab his illicò & violenter abſtrahi non potuerint abſque ſummo diſcrimine, idcircò Concilium, proponente *Jacobo*, decrevit eò uſque *Judaizare* teneri, donec, quum Euangelium tum Judæis tum Gentibus magis innotuiſſet; hæc inutilia prorſus abjicerentur.

CHRIST. L. CLAUD. X.

De hiſce rebus Judæi inter alia hæc conſtituebant.

Avodah Zarah, cap. 2. *Hæc ad Idololatriam attinentia prohibita ſunt*, i. e. *horum uſus vetitus eſt. Vinum & acetum, quod prius vinum fuerat, in Idolorum cultu adhibitum, &c. Verum caro in Idolorum cultum deſignata* (viz. priuſquam oblata fuerit) *non prohibetur: prohibetur verò ea caro, quæ oblata fuit.*

Utres & Lagenæ, quæ in Idolorum cultu uſurpantur, ut & Iſraelitarum vinum in iis poſitum, prohibentur.

Maimon. in Avodah Zarah, cap. 7. hal. 3. *De jumento, Idolo oblato, ad quæſtum lucrifacere prohibitum eſt. Etiam de ſtercore, oſſibus, cornibus, ungulis & pelle ejus: quamvis foramine facto, cor extrahebant, & id ſolum obtulerint.* Alia in Idolorum cultu uſurpata memorantur, quæ etiam erant vetita.

His rite perpenſis verborum differentia facilius intelligitur: quippe ἀλισγήματα τῶν εἰδώλων & εἰδωλόθυτα diſtinguuntur: quodvis enim ἀλίσγημα τῶν εἰδώλων non fuit εἰδωλόθυτον, verum vice verſa quodvis εἰδωλόθυτον erat etiam ἀλίσγημα. In oblatione Idololatricâ plurima uſurpata fuerunt, quæ tamen oblata non erant, ex. gr. cultri, patinæ, &c. eoque Idolothyta non erant: hæc vero nihilominus profana & immunda fuerunt, & hiſce rebus uti per conſtitutiones prohibitum fuit.

Legem ſanguinem edere prohibentem, hoc modo exponebant: *Qui ſanguinem edit ad quantitatem Olivæ, ſi de induſtriâ fecerit, exſcindendus eſt: ſi per ignorantiam fecerit, tenetur Sacrificium pro peccato offerre*, Talmud in Ceritot, cap. 1. & cap. 5. Maimon. in Maacaloth Aſuroth, cap. 6.

Suffocata, juxta Hebræorum conſtitutiones, quævis morticina, ut & quæ ritè mactata non fuerunt, putabantur. *Qui carnem morticini, ad quantitatem olivæ comederit, ſive beſtiæ fuerit, ſive volucris, virgis cædendus erat. Scriptum enim eſt, morticinum quodvis non comedetis: quod non ritè mactatur, pro morticino habetur*, Talmud in Zebachim, cap. 7. Maimon. ubi ſupra, cap. 1. porrò de ratione, qua beſtiæ comedendæ mactandæ fuerint, ſtatuebant; de qua re pluribus agit Tractatus Talmudicus, *Cholin* dictus.

De fornicatione quæritur, an de corporea, an ſpirituali intelligenda ſit; & denuo, quî inter

Digitized by Google

CHRIST. L. CLAUD. X.

ter ἀδιάφορα hoc loco ponatur, cum reverâ (ſive de corporeâ ſive de ſpirituali intelligenda ſit) minime tamen inter ἀδιάφορα ponenda ſit? De ſpirituali fornicatione nequit intelligi; de hac enim per ἀλισγήματα τῶν εἰδώλων ſatis dicitur: de corporeâ idcircò fornicatione agitur. Cur verò inter ἀδιάφορα ponitur? Non quod ejuſdem cenſus fuerit; neque quod ab eâ prout à reliquis Judæi abhorrerent: parvi enim fornicationem faciebant, prout vulgò ea vox uſurpata fuerat. Sed hoc loco *fornicatio* videtur reſpondere voci צריות, *Nuptias intra gradus prohibitos* denotanti. Hos gradus prohibitos Ethnici haud obſervabant: Apoſtoli verò ipſos legi, cujus mentio *Lev.* 18. ſubjectos volunt.

Priuſquam ab hoc Concilio, ut vulgò vocatur, digrediamur, obſervare licet, haud fuiſſe conventum prius deſtinatum & ſolenni ritu indictum, verum pro re natâ convocatum, & ex Apoſtolis & Presbyteris ſolum, qui tum temporis *Hieroſolymis* agebant, conflatum, cum *Antiochia* digreſſi rem diſquirendam proponere continuò ſatagebant: neque enim reliqui Apoſtoli, qui peregrè agebant accerſiti fuerunt; neque opus erat. Neque hæc res ſuffragia plurima efflagitabat, ſed perfici poterat ſuffragiis eorum Apoſtolorum, qui circumciſionem curabant, & quos Eccleſia Antiochena *Hieroſolymis* agere noverat.

Cum de hac re ſtatutum fuiſſet, Epiſtolæ, unà cum decretis ad Eccleſias mittuntur, per *Paulum* & *Barnabam*, *Judam* & *Silam*. Hi *Antiochiam* profecti, & ibidem aliquamdiu manentes demum itinera ſua inſtituunt, viz. *Judas Hieroſolymam*, *Paulus* & *Barnabas* & *Silas* ad gentes.

Conventum fuerat inter *Paulum* & *Barnabam* ex una parte, ex alterâ inter *Petrum*, *Jacobum* & *Johannem*, ut illi bini ad Gentes proficiſcerentur, & hi tres ad Judæos, *Gal.* 2: 9. *Jacobus* permanſit *Hieroſolymis*, prout *Apoſtolus* iſtius regionis *Reſidentsarius*, *Gal.* 2: 13. *Act.* 21: 18. ibique tandem Martyrium paſſus eſt. *Petrus* & *Johannes* peregrè profecti ſunt ad Judæos ſparſos in diſſitis regionibus; adeo ut denique *Petrum* in urbe *Babylone* ad Orientem, *Johannem* in inſula *Patmo* ad occidentem reperire ſit. Hinc ediſcere licet, ut munus ſuum inter ſe partiti fuerint.

Profecturi *Paulus* & *Barnabas*, de *Marco* comite futuro diſſentiunt. *Barnabas* ipſius avunculus ipſum comitem expetebat; renuebat *Paulus*, quia prius ab ipſis diſceſſerat. *Marcus*, ut videtur, tunc temporis *Antiochiæ* fuit, (& fortean etiam *Petrus*, *Gal.* 2: 11) Acriter adeo diſceptabant *Paulus* & *Barnabas*, ut à ſe invicem diſcederent. *Barnabas Marcum* ſumpſit, *Paulus Silam*, iter uterque ſuum carpens: haud conſtat an an alter alterum poſt hæc viderit. Conciliati tamen *Paulus* & *Marcus* fuerunt, & neceſſarii facti, prout poſthæc adnotabimus.

ACTORUM CAP. XVI.

Paulus & *Silas* peragratâ *Syriâ* & *Ciliciâ*, *Derben* & *Lyſtram* venerunt; ibi *Timotheum* circumcidit, quem profectionis ſuæ comitem ſumere in animo habuit, & enutrire ut in miniſterio ſibi ſuperſtes ſuccederet. *Timotheus* fuit adoleſcens ſummâ curâ enutritus, optimæ ſpei, & donis eximiis imbutus. Porrò luculentæ quædam Prophetiæ ipſum præmonſtraverant egregium fore Euangelii propugnatorem; eò propter ipſum ſibi adſciſcit *Paulus* prout cœlitus deſignatum. CHRIST. LI. CLAUD. XI.

Iter inſtituentes *Phrygiam* & *Galatiam* peragrant; porrò in *Aſiam* & *Bithyniam* proficiſci ſtudentes à Spiritu vetiti ſunt: voluit enim Dominus ut continuò in *Macedoniam* irent, novum negotium aggreſſuri, prædicaturi ſc. Romanæ coloniæ; (quod prius non fecerant) talem enim fuiſſe urbem *Philippi* textus innuit, *verſ.* 12. & *verſ.* 21. Idem affirmat *Plinius*, *lib.* 4. *cap.* 11. Semper quidem fuerat *Paulus* in Romanâ ditione; verum inter alias gentes, *Judæos* ſc. *Græcos*, *Syros*, &c. non verò prius eum in urbe Romanâ fuiſſe comperimus. Porrò hæc profectio ad hunc populum adeò fuit luculenta, ut quibuſdam notis à Sacro textu inſigniatur. Ea enim Gens in Sacrâ Scripturâ malè audiebat; à quâ etiam Judæi quam maximè abhorrebant, adeò ut cum Euangelium eò proferretur, eâ de re tribus luculentis ſignis commoniti ſimus. I. *Paulus Aſiam* & *Bithyniam* petens *Spiritu* prohibetur, & eò continuò venire monetur. II. Viſione particulari eò evocatur, quod aliàs neutiquam factum fuit. III. Divus Scriptor jam primum cœpit ſui ipſius mentionem facere. Huc uſque tertiâ perſonâ loquutus, prout, *pervenit Derben*, *verſ.* 1. *Cum pertranſirent civitates*, *verſ.* 4. &c. jam ſemet interſerit narrationi, primâ perſonâ loquens: *ut autem viſum vidit*, quæſivimus *proficiſci in Macedoniam*, *certi facti quod vocaſſet nos Dominus*, *verſ.* 10.

Hæc civitas tamen plurimos Judæos incolas habuit. Judæi enim ſparſi fuerunt & diſſeminati in quamplurimis imperii Romani ditionibus ab urbe Româ Orientem verſus, ne quid de occidentali parte dicam. Die Sabbati juxta fluvium, ubi balnea fuerunt fœminarum purificationi inſervientia, nec non Synagoga, prædicantes *Lydiam* proſelytam convertunt, quæ continuò unà cum domeſticis ſuis baptizatur, priuſquam domum reverſa fuerit: neque enim S. Textus reclamat. Hinc obſervare licet, qualis fides jus totis familiis dederit ad Baptiſ-

Digitized by Google

CHRIST. LI. CLAUD. XI.

ptiſmum. Obſervandum porrò in hâc Romanâ coloniâ ſynagogam *Proſeucham* dictam, ut & extra urbem ſitam fuiſſe.

Paulus cum ſpiritum *Pythonis* ejeciſſet, cæditur, & unà cum Silâ in carcerem conjicitur; verum terræ motu liberatur, & carceris cuſtos convertitur, unâque cum domeſticis illico baptizatur. Paulò poſt *Paulus* & *Silas* diſcedunt, jactis prius fundamentis Eccleſiæ eximiæ, ut poſt hæc luculenter conſtabat. Ad hanc Eccleſiam ſcribens *Paulus* haud minora amoris ſigna agnoſcit quam cujuſvis Eccleſiæ, cujus fundamenta jecerat, quam & poſt hæc ſæpius viſebat. Diſcedens nullos miniſtros ordinat (neque enim textus meminit) donec eò rediret: quem morem in aliis Eccleſiis obſervaverat, *Act.* 14:23. De quibuſdam ibidem cooperariis tum viris, tum fœminis loquitur, *Philip.* 4:3. non de Prædicatoribus, verum de Chriſtianis factis, qui id agebant pro virili ut alios permoverent ad eandem Religionem amplectendam.

ACTORUM CAP. XVII.

PAulus & Silas ſeu *Silvanus*, & *Timotheus Theſſalonicam* veniunt, ubi multi ab iis converſi ſunt, & plurimum oppugnantur. Trium Septimanarum ſpatio, vel paulò plus, quoſdam Judæos, Proſelytos multos, Ethnicos quam plurimos, ut & fœminas illuſtres convertunt. Horum tantus numerus, ut & breve temporis ſpatium, quo Chriſtiani facti ſunt, nec non anguſtiæ, in quas ab infidelibus redacti ſunt, pariter ipſorum pietatem deprædicant, 1 *Theſſ.* 1:6,7,8.

Apoſtoli obortâ perſequutione, *Beræam* petunt, aliam *Macedoniæ* urbem, *Plin. lib.* 4. *cap.* 10. Ibi quoſdam moratiores & doctiores reperiunt quam fuerat plebecula *Theſſalonicenſis*, memorata *verſ.* 5. Eruditos Judæi vocabant בני חורין, i.e. *filios nobilium*: eò fortean reſpicit vox εὐγενέστεροι, *verſ.* 11. Plebecula *Theſſalonicenſis* huc deventa perſequutionem concitat, adeò ut *Paulus Athenas* peteret: *Beræa* verò *Silas* & *Timotheus* manent.

Athenis Judæorum & Proſelytorum Synagoga fuerat, *verſ.* 17. Hinc ſine controverſia de vero Deo Academiæ hujus alumni inaudiverant: neque *Paulus* adeò incuſatur verum Deum prædicans, & falſum oppugnans, ſed quod prædicaret *Jeſum*, crucifixum, redivivum & glorificatum, de quo nec ipſi, nec Judæi ibidem commorantes prius inaudiverant. Eòpropter ſiſtitur coram illuſtri curia, *Areopagus* dicta. Iſtius curiæ ſenator quidam, *Dionyſius* dictus, eo concionante convertitur.

ACTORUM CAP. XVIII.

CHRIST. LI. CLAUD. XI.

RElictis *Athenis Paulus Corinthum* petit: *ea urbs olim clara opibus, poſt clade notior, nunc Romana colonia*, inquit *Pompon. Mela, lib.* 2. *cap.* 3. Non inutile erit pauca de hac civitate ſubjungere. In *Iſthmo* ſita erat, in ea ſcilicet terræ parte, quæ inter *Peloponneſum* & *Atticam* jacebat: ex utroque latere ingruens mare *Corinthum* celebre & opulentum emporium effecit: quippe duos portus habuit, haud nimium ab urbe diſſitos, ex utroque latere; quorum alter vocabatur *Lechæum*, quò venire conſueverant in *Italiam* & regiones Occidentales navigaturi: alter *Cenchrea*, quo ſe contulerunt in *Aſiam* navigantes. Per hoſce portus è variis mundi regionibus *Corinthum* (in medio ipſorum poſitam) advectæ merces ipſam celeberrimum emporium effecerunt. Sita erat ad radicem alti promontorii, quod *Acrocorinthus* vocabatur. Urbis ambitus quadraginta ſtadia, ſeu quinque milliaria complectebatur; valido muro cincta erat. In eâ Templum *Veneris* fuit adeò amplum ut plus mille virgines veſtales (*Veneri* ſc. ſacras) cultum exhibentes reciperet. A *L. Mummio* Duce Romano urbs direpta fuit, eò quod Romanos offendiſſet; præſertim verò quod Romanos Legatos contumeliis affeciſſet. A Romanis verò reſtaurata fuit & *colonia* facta: vide *Strab. lib.* 8. *& Plin. lib.* 4. *cap.* 4.

Eò *Paulus* veniens reperit *Priſcillam*, ut & *Aquilam*, qui nuper venerat ab *Italia*, eò quod præcepiſſet *Claudius* omnes Judæos Roma decedere. De hoc decreto (prout communiter exiſtimatur) loquitur *Suetonius* in *Claudio*, *cap.* 25. *Judæos impulſore Chreſto aſſiduè tumultuantes Româ expulit.* In codicibus nonnullis *Chriſto* ſcribitur. Hæc Chriſtiani communiter in hunc ſenſum intelligunt, de quâ re vel diſquirere haud animus eſt. *Romæ*, prout in omnibus mundi regionibus ubi reperti fuerunt, *Judæi* Euangelium ſummis viribus nec ſine tumultu oppugnant.

Apoſtolus hoc loco, quum extraneus & egenus fuerit, manuum opere victum quærit, prout alibi ad anguſtias redactus fecit. E pellibus Tabernacula conſuebat, in quibus milites in agris verſantes, pernoctare conſueverant: hinc *eſſe ſub pellibus* dicebantur. Hoc opificium edidicerat priuſquam ad literas animum adpulerat. Conſuetudo erat gentis Judaicæ, applicare filios ſuos ad opificium aliquod, etiamſi ſtudiis operam darent. Dicunt enim, *Quodnam eſt officium patris erga filium?* Reſp. *Ipſum circumcidere, ipſum redimere, ſcientiâ legis imbuere, opificium docere, & uxorem dare.* Dixit R. Judah, *Quicunque non docet filium ſuum opificium, perinde eſt ac ſi doceret eum latrocinari.* Dicit Rabban

CHRIST. LI. CLAUD. XI.

ban Gamaliel, *Opificium edoctus cui ſimilis eſt? Similis eſt vineæ ſepimento cinctæ.* Toſapht. in Kiddushin, cap. 1. Egregii quidam ſapientes Hebræi ligna diffindere conſueverant, *Maimon. in Talm. Torab*, *cap.* 1. Prætermiſſis quamplurimis aliis exemplis, *Rabban Jochanan Ben Zaccai*, nunc Synedrii Pro-præſes, quum per quadraginta annos mercator fuiſſet, ad Legis ſtudium animum adpulit, *Juchaſin*, *fol.* 21. *Paulus*, qui prædicabat, eo nomine ſubſidium jure expoſcere potuit: ut ſæpè in Epiſtolis ſignificat. Verum *Corinthi* nondum Eccleſia erat, quę illum alere potuit: verum cum eò veniſſet, nil ſubſidii ab Ethnicis capere voluit, majori Euangelii honori & propagationi conſulens: vide 1 *Cor.* 9: 6, 11, 12.

Quovis die Sabbati Synagogam petiit, ubi tum diſſeruit, tum Judæis & Græcis perſuaſit. *Quum autem è Macedonia veniſſent Silas & Timotheus, coarctabatur Spiritu Paulus, teſtificans Judæis Chriſtum eſſe Jeſum.* Illi enim ipſum certiorem fecerant de profectu & pietate Eccleſiarum *Macedoniæ*, *Philippenſis* ſcilicet & *Theſſalonicenſis*: vide *Act.* 17: 14. 1 *Theſſ.* 1: 8. & 3: 6. His exemplis incitari Judæos *Corinthi* agentes voluit: verum illi reclamant, & blaſphemiis laceſſunt; tum ipſe, *Silas* & *Timotheus* Ethnicos ędificare ſtudent. Hic *Criſpus*, & *Gajus*, & *Stephanæ* domeſtici, Chriſtiani fiunt, 1 *Cor.* 1: 14. &c. ut & *Epenetus*, *Rom.* 16: 5. qui illic *Achajæ primitiæ* vocatur, ut & *Stephanæ* domus, 1 *Cor.* 16: 15. cum enim recens eò venerat, convertuntur. Novum jam opus aggreditur, Deo fretus, à quo noctu commonitus fuerat per viſionem; & *Corinthi* permanſit, dum annus cum dimidio elapſus fuiſſet.

Corinthi agens ſcripſit

PRIMAM EPISTOLAM AD THESSALONICENSES,

quæ quidem Epiſtolarum omnium, quas ſcripſit, prima fuit.

Poſt-ſcriptum ei Epiſtolæ affixum *Athenis* datum fuit, ut videtur, propter ea verba *Capitis* 3: 1. *Viſum eſt nobis, ut* Athenis *relinqueremur ſoli.* Verum I. in *Achaja* Eccleſia fuit, cum hanc Epiſtolam ſcriberet *Paulus*, *Cap.* 1: 7. Jam verò nulla ibi fuit, dum *Paulus* commorabatur *Athenis*; inde enim in *Achajam* eſt profectus, & Eccleſiam *Corinthi* condere incepit. II. *Timotheus* & *Silas* unà cum *Paulo* hanc Epiſtolam ſcripſerunt, *Cap.* 1: 1. Dato ipſos unà cum eo *Athenis* fuiſſe dum ibidem commoratus fuerat, quod fortean concedi, de eorum altero ſaltem, meritò poteſt, 1 *Theſſ.* 3: 1. haud tamen tunc temporis hæc Epiſtola ſcripta fuit. Nam jure dubitare licet an ibidem fuerit *Silas*; porrò *Timotheus* eò nuncius quidem venerat, verum rediit priusquam hæc Epiſtola ſcripta fuerat, *Cap.* 3: 6. Tunc temporis idcirco ſcripta fuit, quum *Timotheus* & *Silas*, relictâ *Macedoniâ*, *Corinthum* ad *Paulum* veniſſent, *Act.* 18: 5. Et *Timotheus* qui eò eâ de cauſâ miſſus fuerat, pergratum perhibet teſtimonium de ipſorum fide & conſtantiâ. Hæc Epiſtola igitur ſcripta fuit *Corinthi*, intra annum primum, quo *Paulus* ibidem commoratus fuerat.

CHRIST. LI. CLAUD. XI.

Inter alia, in hac Epiſtola, mores infidelium Judæorum depingit, *Cap.* 2: 15, 16. Eccleſia enim *Theſſalonicenſis*, ex quo primum ipſius jacta ſunt fundamenta, ab iis maximè divexata fuerat.

In illos perveniſſe iram in finem, ait. Quæ verba an *paſſivè* intelligenda ſint, ſcilicet ipſos iræ Dei ſuccubuiſſe; an *activè*, ſcilicet quod, eo quod Ethnicis ſuccenſerent eoſque divexarent, maledictio prædicta *Deut.* 32: 21. ipſos invaſiſſet; oſtendunt de eâ gente jam conclamatum eſſe. Jam verò eam Gentem pro *Antichriſto* habet in ſubſequente Epiſtola, prout, quum eò deventum fuerit, adnotabimus.

Paulo Corinthi manente tumultus contra ipſum concitatur, & ſiſtitur coram Tribunali Pro-conſulis *Gallionis*; quo abnuente de hujuſmodi rebus ſententiam ferre (quæ ad Judæos in ipſorum Synagogis attinebant) Judæi judicis partes agentes *Soſthenem* coram tribunali cædunt. *Gallio Senecæ* celeberrimi Philoſophi Aulici, & *Neronis* præceptoris, frater erat; de quo *Seneca*, in Præfatione ad librum quartum naturalium quæſtionum, magnificè loquitur in hæc verba, *Solebam tibi dicere*, ad Lucilium ſcribens, Gallionem *fratrem meum, quem nemo non parum amat, etiam qui amare plus non poteſt, alia vitia non noſſe, hoc etiam (adulationis) odiſſe. Ab omni illum parte tentaſti: ingenium ſuſpicere cæpiſti-pedes abſtulit. Frugalitatem laudare cæpiſti: prima ſtatim verba præcidit. Cæpiſti mirari comitatem, & incompoſitam ſuavitatem--nemo enim mortalium uni tam dulcis eſt quam hic omnibus--Hoc quoque loco blanditiis tuis reſtitit, ut exclamares inveniſſe te inexpugnabilem virum adverſus inſidias, quas nemo non in ſinum recipit.* Rurſus in Epiſtola 104. *Gallio*, inquit, *cum in Achaja febrem habere cæpiſſet, protinus navem aſcendit, clamitans non corporis eſſe ſed loci morbum.* Illi dicavit Tractatum de *vitâ beatâ*. De eo plura videre licet apud *Tacitum*, *Annal.* 15. *ſect.* 2.

Corinthi

Digitized by Google

CHRIST. LI. CLAUD. XI.

Corinthi jam agens (an ante hunc tumultum coram *Gallione*, an poſt, parum refert) ſcripſit Paulus

SECUNDAM EPISTOLAM AD THESSALONICENSES,

dum ipſe & *Silvanus* & *Timotheus* unà ibidem agerent, *Cap.* 1: 1. prout quum primam ſcripſerit.

Judæi increduli hanc Eccleſiam, ex quo prima ipſius fundamenta jacta fuerant, maximopere turbaverant & perſequuti fuerant, *Act.* 17: 5. &c. 1 *Theſſ.* 1: 6. & 2: 14. 2 *Theſſ.* 1: 4. Eòpropter Apoſtolus coram iis diſſeruerat de ſtatu & moribus, & exitio iſtius gentis, ut intrepidè omnia ea mala paterentur, quæ maledicta iſta gens infligeret. De eâ re jam demum diſſerit eandem ob cauſam.

Præter externas moleſtias & corporis afflictiones inflictas, erant quidam Doctores mendaces, qui & mentes ipſorum divexabant, duobus modis id agentes. I. Ut ambigerent de ſtatu mortuorum in fide & profeſſione *Jeſu*. Quum enim Apoſtolus de reſurrectione in priore Epiſtola verba fecerit, *Cap.* 4: 14. haud exiſtimare licet ipſos, ad quos ſcripſit, *Sadducæorum* more, reſurrectionem negaſſe, aut reſurrectionem ipſis prius non innotuiſſe. Credebant enim omnes Judæi, *Sadducæis* exceptis, reſurrectionem futuram. Verum eò id agebat, quia Euangelii oppugnatores deploratam poſt mortem ipſorum conditionem fore denunciarunt, eò quod à Judaicâ Religione deficientes, & Apoſtatæ facti Euangelium amplexati fuiſſent. Capite decimo Tractatus *Sanhedrin*, illi enumerantur, qui partem in ſeculo futuro non haberent. Jure exiſtimare licet invidioſos Euangelii oppugnatores eo nomine illos diſcruciaſſe, quià Judaica Religione defecerant & fidem *Chriſti* profitebantur. In hæc verba Tractatus Talmudicus ſupra memoratus loquitur, *Omnes Iſraëlitæ partem habent in ſeculo venturo, ſicut dicitur, omnis populus tuus juſtus erit: hi verò non habent partem in ſeculo venturo,* viz. *qui dicit reſurrectionem in Lege non doceri; & Legem à Deo non eſſe, & Epicurus.* Per *Epicurum* haud *luxu diffluentem*, ut vulgò ea vox ſumitur, volunt, verum המבזה ת'ח i.e. *Sapientes contemnentem*, ut *Gemara* ibidem. Alibi copulant המשומדין והאפיקורוסין i. e. *Apoſtatas & Epicureos*, Rosh Hashan, cap. 1. Porrò omnes, qui inanem de traditionibus doctrinam ſpernebant, parte in ſeculo venturo excidiſſe aſſerebant. II. Ut conturbarent mentes eorum, qui converſi erant, contendendo, diem Domini prope eſſe. Scriptura & Apoſtoli de die adventus Domini verba fecerant, quum ultionem inflicturus eſſet genti Judaicæ propter ipſius malitiam & incredulitatem: hunc diem inſtare aſſeverabant, eoque hanc Eccleſiam attonitam reddiderunt: præ ſe ferebant revelationem, ſermones, & ſcripta Apoſtoli. Id agebant ut recens credentes attoniti de fide ambigerent, & incerti eſſent quid factu opus foret inſtante tremendo illo die. Statuit Apoſtolus diem illum nondum inſtare, prius *defectionem* fore, & revelatum iri *hominem ſceleroſum*.

Phraſis, *homo ſceleroſus* & *filius perditus* ſumitur ex *Iſaj.* 11: 4. *Spiritu labiorum ejus interficiet impium.* Porrò liquidò ad hunc locum reſpicere Apoſtolum conſtat ex eo, quod *verſ.* 8. Prophetæ verba uſurpet, *Quem Dominus conficiet ſpiritu oris ſui.* Judæi vocem eam *impium* apud Prophetam *emphaticè* intelligunt: Chaldæus enim Paraphraſtes reddidit ארמילום רשיעא i. e. *impium Romanum.* Apoſtolus porrò emphaticè reddidit *hominem ſceleratum.* Et eo quod *Chriſtus* apud Prophetam inducitur ultionem ipſi inflicturus, appellatur *filius perditionis*, ad perditionem ſcilicet certò deſtinatus. Fatendum quidem eſt *Romanum* hîc denotari, prout *Chaldæus*, & Reformati, *Apocalipſi Johannis* freti, exponunt: primariò vero hæc verba gentem Judaicam deſignant, quæ non minus ac *Roma*, & *Româ* tum prior, tum diutius *Antichriſtus* fuit. Prout *Judæi* & *Romani Chriſtum* una interfecerunt; ita uterque *Antichriſtus* fuit, tum *Romanus* ſcilicet, tum primo loco *Judæus*. *Myſterium iniquitatis nunc agit*, inquit Apoſtolus, *verſ.* 7. hanc Epiſtolam ſcribens. Quæ verba de Gente Judaicâ neceſſariò intelligenda ſunt, uti ſæpius explicantur, 1 *Joh.* 2: 18. & 4: 3. & 2 *Joh. verſ.* 7. &c.

Quæ de *homine ſceleroſo* paſſim ab Apoſtolo dicuntur, Genti Judaicæ maximè conveniunt; porrò hæc ei à Sacra Scriptura apertè tribuuntur.

I. *Defectio* multorum Judæorum qui Euangelium amplexi fuerant, à *Chriſto* prædicta fuerat, *Matth.* 24: 12. & exinde à *Paulo*, 1 *Tim.* 4: 1. *Noviſſima tempora*, de quibus loquitur, de noviſſimis diebus *Hieroſolymorum*, & Judaicæ reipublicæ intelligenda ſunt, ut paſſim ea verba ſumenda ſunt. Hæc defectio innuitur in Epiſtolis ad *Galatas*, *Hebræos* & *Coloſſenſes*, & *Apoc.* 2: 4. 2 *Tim.* 1: 15. Et ut alia prætermittam, obſervare licet Parabolæ finem, *Matth.* 12: 43, 44, 45. *Sic accidet nationi huic improbæ.* Dæmon ejectus prius per Euangelium, denuò per defectionem revertitur.

II. Huic Genti convenit ὁ ἀντικείμενος, Euangelii oppugnator, uti cuivis Novum Inſtru-

CHRIST. LI. CLAUD. XI.

ſtrumentum legenti patet. Porrò hoc liquido conſtat è Judæorum Hiſtoria, de quâ ſupra ad *Actor. Cap.* 13.

III. Ὑπεραιρόμενος ἐπὶ πάντα λεγόμενον θεὸν, ἢ σέβασμα, *Qui fertur adverſus omnem qui dicitur Deus, aut numen.* Si dictum fuiſſet ἐπὶ θεὸν, i.e. *adverſus Deum*, aptiſſime quadraret Scribis in Templo Dei ſedentibus, & traditiones ipſorum vel Dei præceptis anteponentibus, *Matth.* 15:6. Ut verò ſemet extulerint *adverſus omnem qui dicitur Deus*, ſeu Magiſtratus præpoſitos, videre eſt 2 *Pet.* 2:20. *Dominationem contemnunt:* & *Epiſt. Judæ verſ.* 8. *Dominos ſpernunt, in gloria conſtitutos maledictis inſectantur:* porrò abundè hoc conſtat ex hiſtoriis de Judæis ſcriptis.

IV. Quod ad quartum & ultimum ſignum, viz. *Adventus ipſius ſecundum operationem Satanæ*, magicâ ſcilicet vi & fraude; de eâ gente Salvator noſter hoc prædixerat, *Matth.* 24. *verſ.* 24. coll. cum *verſ.* 34. Porrò hoc liquidò etiam conſtat è Sacra Scriptura, è *Joſepho* & aliis ſcriptoribus Hebræis. Quædam exempla ſupra retulimus.

Quid ſibi vult Apoſtolus de quodam detinente verba faciens, *verſ.* 6. *Et nunc quid detineat, ſcitis;* & *verſ.* 7. *Nunc qui tenet*, &c. haud facile dictu eſt: jure tamen conjectari licet. Prout *dies Domini* duplici ſenſu ſumitur in Sacra Scripturâ, viz. de die, *quo Gentem Judaicam ulturus erat*, & *quo totum mundum erat judicaturus:* ita *defectio* & *homo ſceleroſus* de Gente Judaicâ primùm, & de *defectione* & de *Antichriſto* demum poſt excidium Gentis Judaicæ & ante diem noviſſimum meritò intelliguntur. Poſterior hæc defectio Papatum innuit, & *quod detinet*, imperium *Romanum* ſignat. Quid verò in priore detinebat, quo minus *Antichriſtus* Judaicus citò revelaretur? Reſp. partim *Claudius* Imperator, (qui edicto contra Judæos *Romæ* evulgato, *Act.* 18:2. omnes ubivis Judæos inhibuit adeo ut Euangelium ſummis viribus oppugnare durante ipſius vitâ, iis integrum non fuerit) partim ipſe *Paulus* impiger Euangelii propugnator, & veritatis ubivis ſtrenuus Hyperaſpiſtes contra Judæos, qui ſolutus & peregrè agens ipſorum fraudes & defectionem remoratus fuerat: cum verò eâ libertate privatus eſſet, omnia peſſum ibant: vide *Act.* 20:29. 2 *Tim.* 1:15. &c.

CHRIST. LII. CLAUD. XII.

Paulus Corintho digreſſus ibidem Eccleſiam luculentam reliquit, poſt hæc verò admodum deformata fuit, & brevi, ut inferius paulò obſervabimus. *Epheſum* petit, relictis ibidem *Priſcillâ* & *Aquilâ*, *Hieroſolymam* ſtudens venire ad feſtum quoddam: eò venerat *Apollos*, vir in Sacris Scripturis verſatiſſimus, verum qui ſolum noverat Baptiſmum *Johannis*, ab iis tamen plenius edocetur. Non quod hi, qui aſſuendis Tabernaculis operam dederunt, prædicatores evaſiſſent; verum qui cum *Paulo* conſueverant, & ab eo edocti fuerant, poſſunt & ipſum mutuis colloquiis plenius erudire.

CHRIST. LII. CLAUD. XII.

ACTORUM CAP. XIX.
à verſ. 1. *ad verſ.* 9.

ALios *Epheſi* reperit *Paulus* Chriſtianam doctrinam haud plenè edoctos, *Johannis* ſolum baptiſmum ſcientes. Dixit ad eos *Paulus*, *Num Spiritum Sanctum accepiſtis?* Reſpondent, *Imò neque ſit ne Spiritus Sanctus audivimus.* Quæ verba veram & communiter apud Judæos receptam opinionem reſpiciunt; viz. *à morte Ezræ, Haggai, Zachariæ*, & *Malachiæ Spiritum Sanctum ab Iſraëlitis ablatum*, Juchaſin, fol. 15. Porrò reſtitutum fuiſſe ſe inaudiviſſe negant. Veriſimile etiam eſt eos nihil inaudiviſſe de *Jeſu*, quem prædicante *Paulo* amplectuntur. Dictum eſt, *Baptizati ſunt in nomen Domini Jeſu:* non quod denuò baptizati fuerint, verum de fine Baptiſmi *Johannis* (fide ſcilicet in *Jeſum*, *verſ.* 4.) edocti, eo nomine & in eum finem ſe prius baptizatos fuiſſe agnoſcunt. Nam I. In quem finem denuò baptizarentur, qui per priorem baptiſmum in profeſſionem Euangelii & *Chriſti* recepti fuiſſent, quouſque per eam doctrinam, per quam recepti fuerant, fieri potuit? Defectio à *Judaiſmo* ad *Chriſtianiſmum* baptiſmum quidem flagitabat, non plenior Euangelii cognitio, quum in ejus profeſſionem prius fuiſſent baptizati. Quoties baptizandi forent ab Apoſtolis, ſi quivis inſignis profectus, quem in ſcientia & fide Chriſti fecerint, novum denuò baptiſmum efflagitaret aut admitteret? II. Si hi denuò baptizati eſſent, tum etiam omnes in *Johannis* baptiſmum baptizati, cognitionem *Jeſu* adepti rebaptizari tenebantur. Verum ea res, de quâ in S. Literis altum ſilentium, fide digna non eſt. Neque Apoſtolos per *Johannem* baptizatos denuò baptizatos fuiſſe, quiſquam ſanus aſſeverabit. Quis enim ipſos in nomine *Jeſu* baptizaret, quum *Jeſus* neminem baptizaverit? *Johan.* 4:3. III. A *Johanne* baptizati, in *reſipiſcentiam* & profeſſionem *Chriſti* baptizati fuerant. Niſi ergò differentiam ponamus inter baptiſmum *fidei* & *reſipiſcentiæ*, & inter baptiſmum in nomen *Jeſu* & in nomen *Chriſti*, haud facile erit cauſam aſſignare ob quam hi denuò baptizandi forent.

Conceſſo autem, non dato, hoſce rebaptizatos fuiſſe, haud tamen ſequitur quoſdam nunc dierum rebaptizandos eſſe: maxima enim diſcrepantia reperitur inter ea tempora & noſtra. I. Conceſſo denuò baptizatos fuiſſe, eò tamen id factum fuit quia, *an Jeſus fuerit Chriſtus nec ne*, magna tum controverſia agitata erat. II. Spiritus Sanctus viſibili modo tunc tem-

temporis baptizatis donabatur. Hoc in honorem nominis *Jeſu* quam maximè cedebat: haud minus tamen donorum collatio, *Jeſum* profitentibus facta (baptiſmo prius facto minime abrenunciantibus) in ipſius honorem cedebat.

ACTORUM CAP. XIX.
à verſ. 9. ad verſ. 21.

CHRIST. LIII. LIV. CLAUD. XIII. XIV.

APoſtolus diu *Epheſi* permanſurus erat: ubi primum cœpit in Synagoga per ſpatium trium menſium diſceptare: & quum quidam indurati non crederent, diſcipulos ſegregans in ſchola *Tyranni* diſputabat: Euangelium amplexati hucuſque ad publicum Synagogæ cultum ſe receperunt; ubi *Paulus* indies Euangelium diſſerendo propugnabat: verum in diſcrimine poſitus diſcipulos inde ſubduxit, & in Schola *Tyranni* privatum cœtum conficiunt.

In hiſce magnis oppidis tum in *Judæa* tum alibi, ubi Judæorum magna erat frequentia, fuit Synagoga, ut & Schola Theologica. Schola Theologica *Beth Midraſch* appellabatur, eò ſe receperunt quovis die Sabbati, poſtquam Synagogam reliquerant: hinc adagium vulgare מבית מקדש לבית מדרש, i. e. *E Synagoga in Scholam Theologicam.* In Synagogis preces fundebant, legem legebant, conciones perſpicuas habebant doctrinâ, hortatione & ſolamine refertas: in Scholâ Theologicâ non ſine diſceptatione edocti fuerunt dogmata polemica de legis difficilioribus & aliis rebus abſtruſis. Hinc varii tituli & adminiſtrationes *Paſtorum* & *Doctorum*, *Eph.* 4: 11. fortean fluxerunt; ut & *qui docet*, & *qui exhortatur*, *Rom.* 12: 7, 8. eò reſpiciunt, dato *Paſtorem Miniſtrum* fuiſſe.

Epheſi agens *Paulus*, *ſecundum hominem cum beſtiis depugnavit*, 1 *Cor.* 15: 32. Hæc verba denotare videntur propriè Θεριομαχίαν in Theatro, tunc temporis apud *Romanos* conſuetam, belluino licet & immani more. Nam I. In tumultu, quem concitaverat *Demetrius*, comites *Pauli* continuò ad Theatrum pertrahuntur, *verſ.* 29. tanquam ad ſupplicii locum. II. *Aſiarchæ* ſeu *Theatri* miniſtri *Pauli* amici fuerunt, ipſi prius noti. III. *Demetrii* tumultus (neque in majore diſcrimine unquam poſitum fuiſſe memorat *Lucas*) contigit poſtquam *Epiſtolam ad Corinthios* ſcripſerat, ubi de *Theriomachia* verba facit, quæ huic locó minimè congruit. IV. Phraſis *κατ' ἄνθρωπον* videtur pugnare cum ſenſu metaphorico. V. Afflictio, quæ *Paulo* accidit in *Aſia*, quum ſupra modum gravatus eſſet & de vitâ deſperaret, 2 *Cor.* 1: 8, 9. tumultum Demetrii non ſignat; neque quiſquam tunc manum Paulo injecit; verum aliam afflictionem, quæ poſthæc contigit, cum in majore diſcrimine poſitus fuerit.

CHRIST. LIII. LIV. CLAUD. XIII. XIV.

Duorum annorum, de quibus ſupra, ſecundo, ſeu ultimo quo *Paulus Epheſi* agebat, Octobris die decimo tertio, *Claudius* Imperator diem obiit, cui ſucceſſit *Nero*; vir perditus, omni commemoratione prorſus indignus, niſi ut quicunque ejus vitam inſpiciunt, hominem deteſtentur: cujus tamen imperii annos, rebus à *Paulo* geſtis parallelos, par eſt adnotare.

Paulus ad Presbyteros *Epheſi* dicit, *Per triennium non ceſſavi unumquemque monere*, *Act.* 20: 31. *Lucas* tamen in hoc Capite *verſ.* 10. biennii & trium inſuper menſium mentionem facit: ex his collatis de ſpatio temporis, (de quo à *verſu* 20. & deinceps) quo ibidem commoratus fuerit, ſtatuere integrum erit. Per tres menſes in Synagogis Judæorum diſſerebat, per biennium in Schola *Tyranni*, poſt hæc per novem menſes *Aſiam* peragrabat. Horum trium annorum exitus contigit ſub feſtum *Pentecoſtes Neronis* anno primo.

ACTORUM CAP. XIX.
verſ. 21, 22.

Verſ. 21. *His autem expletis, propoſuit Paulus in Spiritu, tranſita Macedonia & Achaja, ire Hieroſolymam, dicens poſtquam fuero ibi, oportet me & Romam videre.*

Verſ. 22. *Miſſis autem in Macedoniam duobus ex iis, qui miniſtrabant ſibi, Timotheo & Eraſto, ipſe remanſit ad tempus in Aſia.*

CHRIST. LV. NERON. I.

PAuli intentio *Romam* videndi, *Claudium* diem tum obiiſſe oſtendit, Judæos enim inde omnes expulerat, *Act.* 18: 2. Et ipſius edictum, ſuccedente novo Imperatore *Nerone*, irritum factum; & jam iis licuiſſe *Romam* petere: neque enim veriſimile eſt *Paulum* eò profecturum, ubi Judæos reperturus non erat, & quò ſine vitæ diſcrimine proficiſci non poterat, ſiquidem *Claudius* in vivis fuiſſet, & ipſius edictum non eſſet irritum. Rationi igitur conſonum eſt tunc temporis *Claudii* mortem, & *Neronis* ſucceſſionem evulgatam fuiſſe: quum *Paulo* innoteſceret Judæis licere *Romam* petere, iter inſtituere conſtituit valedictorium, & viſere *Macedoniam*, *Achajam* & *Hieroſolymam*, deinde *Romam* petere & ibi prædicare.

Diem obiit *Claudius* Octobri decimo tertio, uti ſupra dictum eſt, cui continuò ſucceſſit *Nero*, Princeps ſub imperii ſui initium adeo clemens & manſuctus, ut *Titus*, poſthæc Imperator, dicere ſolitus fuerit, *Neronem* per primum quinquennium vel optimis principibus parem

CHRIST. LV. NERON. I.

parem fuiſſe. Porro *Seneca*, ipſius præceptor, & eo nomine fortean adulationis ſuſpectus, hæc de eo inter alia *Encomia* ſcribit, libro *de Clementia* ad ipſum dicato. *Potes hoc Cæſar prædicare audacter, omnium quæ in fidem tutelamque tuam venerunt, nihil per te, neque vi, neque clam, Reipublicæ ereptum. Rariſſimam laudem, & nulli adhuc Principum conceſſam concupiſti, innocentiam: nemo unus homo uni homini tam charus unquam fuit, quam tu populo Romano, magnum longumque ejus bonum.*

Aliquod temporis ſpatium interceſſiſſe oportuit priuſquam *Claudii* mors *Epheſi* innotuerit. Novus annus juxta *Romanum* computum (uti eſt veriſimile) cœperat. Quandocunque ea res Paulo renunciata fuerit, & Judæis integrum eſſe *Romam* petere inaudiverit, *Epheſi* permanere ſtatuit uſque ad *Pentecoſten*, deinde *Macedoniam* petere, & *Hieroſolymam* reverti, denuò *Romam* proficiſci. Hæc ſtatuens *Timotheum* & *Eraſtum* in *Macedoniam* præmiſit: *Corinthum ἐν παρόδῳ* petere jubet, & ipſe *Epheſi* permanere ſtatuit uſque dum ad eum eò redirent, 1 *Cor.* 16: 10, 11.

Inter *verſ.* 22. & 23. *Capitis* 19. Actorum Apoſtolorum, tempus occurrit, quo ſcripſit *Paulus*

PRIMAM EPISTOLAM AD CORINTHIOS,

Epheſi dum ageret, & cogitaret inde digredi, *Pentecoſte* proximè ſequente, 1 *Cor.* 16: 8. Jam *Epheſi* per triennium ferè egerat, ubi plurima perpeſſus fuerat: tamen Euangelii vi adeo prævaluerat ut hucuſque non ſolum multi converſi indies fuerint, verum tunc temporis plurimi venefici, & qui magicis artibus uſi fuerant, ſemet Euangelio dicantes & ipſorum libros flammis tradentes, nova fiunt monumenta virtutis & efficaciæ veritatis divinæ. Hujus rei mentionem facit, *de oſtio magno & efficaci ſibi aperto* loquens, 1 *Cor.* 16: 9. Eopropter *Epheſi* jam ipſe permanſit, *Timotheo* & *Eraſto* in *Macedoniam* præmiſſis, *Act.* 19: 21. Dum ibi ageret eò, *Corintho* digreſſi, venerunt *Stephanas* & *Fortunatus* & *Achaicus*, 1 *Cor.* 16: 17. literas ferentes ab Eccleſia ad *Paulum* ſcriptas, 1 *Cor.* 7: 1. Illis revertentibus hanc Epiſtolam reſcripſit, quam per *Titum* & alium miſit, 2 *Cor.* 12: 18. Poſtſcripta quædam *Timotheum* eam pertuliſſe memorant; quum tamen *Corinthum* non peteret in *Macedoniam* proficiſcens, verum inde digreſſus, quumque hæc Epiſtola prius ipſius eò adventus futuri mentionem feciſſet, 1 *Cor.* 16: 10.

Apollos, qui unâ cum *Paulo*, cum hanc Epiſtolam ſcriberet, *Epheſi* agebat, à *Paulo* rogatus unà cum fratribus *Corinthum* petere, abnuebat, 1 *Cor.* 16: 11. Fortean quia noluit coram factioni cœptæ, & nomen ſuum venditanti, favere videri. Eccleſia maximè in ſectas rupta erat, quæ res in ejus incommodum valdè cedebat: ſequentia mala gliſcebant in Eccleſia recens & feliciter fundata, quæ ſtudio partium & ſchiſmati accepta ferenda primitus erant.

CHRIST. LV. NERON. I.

I. Illius Eccleſiæ alumnus habuit uxorem patris, & (prout videtur 2 *Cor.* 7: 12.) dum pater ipſius in vivis eſſet. Quod crimen capitale fuit juxta Hebræorum conſtitutiones. *Qui cum patris uxore conſueverat, duplici nomine lapidandus erat, viz. quia uxor patris erat, & quia alterius erat uxor. Perinde erat an patre vivo an defuncto cum ea conſueverit*, Talm. in Sanhedr. cap. 7. & Maimon. in Iſſure Biah, cap. 1. & 2. Tamen tantum erat partium ſtudium inter *Corinthios*, ut non modò ſceleroſum hunc non abſcinderent ab ipſorum cœtibus, nec eò propter dolerent, verum quidam faverent & defenderent. Elati porro erant cum triſtes eſſe oporteret: ſceleroſi factio gloriabatur adverſam oppugnans, adverſa prorſus lætabatur quod ignominiæ notam alteri factioni hoc flagitium inureret: vel utraque factio libertatem Euangelii libidini prætexentes. Voluit Apoſtolus ut Satanæ traderetur, miraculoſa poteſtate, quæ tunc temporis obtinuit. Eodem modo *Hymenæum* & *Alexandrum* tradidit, 1 *Timoth.* 1: 20. Hanc poteſtatem (ad *Act.* 5. de *Ananiâ* & *Sapphirâ* agentes) ortam exiſtimavimus ex iis verbis *Chriſti* ad ipſius diſcipulos, *Inflavit & dixit eis, quorumcumque peccata retinueritis, retenta ſunt, &c.* Exinde Apoſtoli imbuti erant miraculorum poteſtate contrariæ prorſus efficaciæ. Morbos enim ſanare & Spiritum Sanctum donare poterant; porrò mortem aut morbos infligere poterant & Satanæ tradere. Licet dubitari poſſit an aliqui reperti ſint in Eccleſia *Corinthiaca* hac poteſtate imbuti, tamen Spiritu *Pauli* & *poteſtate Domini* noſtri *Jeſu Chriſti* cooperantibus, *Cap.* 5: 4. de effecto dubitare non licet.

II. Adeò gliſcebant ſimultates ut non ſolum lites ſequerentur, verum coram Tribunalibus Ethnicorum, quæ res maximè pugnabat cum pace & honore doctrinæ Euangelicæ, nec non cum traditionibus Hebræorum, quæ illos conſanguineis ſuis & Religionem Judaicam profitentibus ſolum ſubjici permiſerunt, eoſque ſolum appellare. Hanc culpam corrigens Apoſtolus primum monet eos, *Sanctos mundum judicaturos, Cap.* 6. *verſ.* 2. quæ res, è *Dan.* 7: 18, 27. ipſis innotuerat. *Et regnum, & Dominium, & amplitudo regni dabitur populo Sanctorum altiſſimi.* Quam infeliciter hæc verba detorſerint quintæ Monarchiæ propugnatores, qui Sanctos ſolum regnaturos durante eâ

Mo-

Digitized by Google

Monarchiâ contendunt, ediſcere licet è multis malis, quæ eam ſententiam exceperunt. Id vult Apoſtolus, q. d. *An non vobis innotuit fore Magiſtratum Chriſtianum?* Aut Chriſtianos Rectores & Judices in mundo fore, cur igitur timore aut ſegnitie præpediti de rebus veſtris non judicatis? Per *Sanctos*, verſu præcedente, *Chriſtianos* intelligit ſenſu viz. latiore, prout *Ethnicis* opponuntur. Juxta mentem *Danielis* loquitur, è quo hæc verba deprompta ſunt; q. d. quamvis mundus & Eccleſia, durantibus quatuor Monarchiis, ſub Ethnicorum jugo & tyrannide fuiſſent, tamen ſub Euangelio, regnante *Chriſto*, *Chriſtianos* futuros Reges, Magiſtratus & Rectores qui imperarent. II. Porrò monet, *An neſcitis quod Angelos judicabimus? verſ.* 3. Haud dicit an neſcitis quod *Sancti*, de quibus ſupra, *judicabunt* Angelos; verum *judicabimus*. Angelos ſine controverſia malos ſeu dæmones vult; quos *Sancti*, i. e. omnes pariter *Chriſtiani* Euangelium profitentes non judicabunt, verum nos Apoſtoli & prædicatores Euangelii, qui noſtri muneris efficaciâ ipſorum Oracula, idola, technas & cultum, &c. evertimus: q. d. quum Magiſtratus Euangelici mundum recturi & Judicaturi ſint, & miniſtri Euangelici judicaturi & perdituri dæmones, haud æquum eſt ut inidoneos vos putetis de rebus ſecularibus judicare, & eòpropter obortâ quâvis lite, voſmet coram Ethnicorum tribunali ſiſtatis Euangelio ignominiæ notam inurentes. Porrò ſuadet ut eos judices conſtituerent qui in Eccleſia *minore loco habentur*, *verſ.* 4. Non quod obedientiam Ethnicis Magiſtratibus deberi negaverit, aut ipſorum poteſtatem invadere ipſis permiſerit; verum Euangelium profitentes hiſce judiciis idoneos eſſe aſſerit; demum id agentes, quantum poterant, tum propriæ tranquillitati, tum honori Euangelii eos conſulere voluit. Suprà adnotatum fuit Judæis, licet ſub Romano imperio fuerint, permiſſum ſuis ſacris uti, & propriis legibus ſuam tueri Religionem: de quâ re attinebit plura hîc dicere. Prout Judæi, ſub jugo Romano, tum magno *Synedrio*, tum minore, ſcilicet Judicum 23. gaudebant, ut è Sacra Scriptura & ſcriptis Judæorum conſtat, ita hæc Synedria poteſtate juridicâ & executivâ, primitus conceſſa, gaudebant. Licet enim ſub jugo Romano fuerint, & ipſorum ſacrorum & Legum uſurpatio ex arbitrio Imperatoris penderet, cujus rei periculum fecerunt imperante *Caligula*; plerumque tamen ex eo tempore, quo primum *Romanorum* imperio ſubjecti fuerant, uſque ad ultimam ipſorum defectionem & excidium, *Synedriorum* & curiarum forenſium autoritas ferè ſarta tecta permanſit. Porrò ipſorum Magiſtratus jus dicebant, ipſique ſacris ſuis utebantur, tum intra tum extra terram etiam poſt excidium *Hieroſolymitanum*, prout infrà obſervabimus. Quod de *Synedriis* dictum etiam de *Synagogis*; quoad res ſacras & politicas, meritò dici poterat. Prout enim in quâvis *Synagogâ* rectores fuerunt, qui ſacris & Dei cultui proſpexerunt, ita Magiſtratus erant qui politicis. In quâvis Synagogâ erat *Beth Din Shet Shelesha*, i. e. *domus judicii tribus magiſtratibus gaudens*, ad quos attinebant judicia de rebus pecuniariis, de furtis, damnis, reſtitutione, mulctis & rebus aliis memoratis in Tractatu Talmudico *Sanhedrin* dicto, *cap.* 1. His quidem non competebat jus vitæ & mortis, verùm ſupplicium corporale, uti flagellatio verberum triginta & novem: hinc Diſcipulis prædicit *Chriſtus*, *in Synagogis cædemini*, *Marc.* 13:9. Et *Paulus* quinquies cæſus fuit, 2 *Cor.* 11:24. In quavis Synagogâ Presbyteri fuerunt *Politici*, ut & qui *laborabant in ſermone & doctrina*. His ritè perpenſis non ſine ratione (quicquid alii ſentiant) quis affirmaverit, hæc etiam tunc temporis in cœtibus Chriſtianis obtinuiſſe. Quum enim (quod facile oſtendi poteſt) *Chriſtus* & ipſius Apoſtoli in formandis tunc temporis Eccleſiis Chriſtianis exemplar Synagogicum exprimerent, & quum Romani tunc temporis haud ſecernerent inter Judæos religionem Judaicam profitentes, & Judæos Chriſtianos factos, & ipſorum ſacra, (nondum enim Chriſtianam Religionem perſequebantur) quid obſtat quo minus cœtus Chriſtiani duplici munere tum miniſterii tum magiſtratus gauderent & defungerentur æquè ac Synagogæ Judaicæ? Porrò ea verba, 1 *Tim.* 5:17, (de quibus magna lis orta eſt) juxta hunc ſenſum interpretari meritò poſſumus, nec non verba *Pauli* hoc loco memorata. Verum cum conſtituiſſe dicitur τοὺς ἐν τῇ Ἐκκλησίᾳ ἐξουθενημένους, i. e. *minimi in Eccleſia habitos* ad hoc munus obeundum difficultate non caret. Quid ſi hæc verba reſpiciant ב'ד שלא מומחין i. e. *cœtum hominum privatorum?* de quo inter doctores Hebræos frequens facta eſt mentio; vide *Maimon.* in אישות *fol.* 253. *col.* 1.

III. Antiquus apud Judæos mos erat ut precantes caput & vultum velo obtegerent, ut eò verecundiam & pudorem, quum ſe coram Deo ſiſterent, ſignificarent. Hinc illæ voces paſſim conjunctæ ſunt in ipſorum ſcriptis, התעטף והתפלל i. e. *obtectus precabatur*. Hinc canon ille, *Sapientes & ipſorum diſcipuli non niſi velo tecti precantur*, *Maimon. in Tephillah*, *cap.* 5. Subjungere licet verba *Suetonii* in *Vitell. Cap.* 2. *Lucius Vitellius*, inquit, *miri in adulando ingenii: Primus C. Cæſarem adorari ut Deum inſtituit; cum reverſus ex Syria non aliter adire auſus eſſet, quam capite velato, circumvertenſque ſe, deinde procumbens.*

Mos-

Digitized by Google

CHRIST. LV. NERON. I.

Mos item fuit ut fœminæ Hebrææ foras progredientes faciem velo tegerent; *non licet fœminæ foras progredi*, inquit *Maimon.* ואין עליה רדד, i.e. *ſine velamine*, in אישות *cap.* 24 Hunc morem Talmudici vocant דת יהודית, i.e. *legem Judaicam*, & מנהג צניעות, i.e. *habitum verecundiæ*, Cethuboth, *cap.* 7. & *Alpheſ. ibid.* Ubi porrò hæc habent, *Violant legem Judaicam fœminæ, quæ exeunt ſine velo, quæ nent in plateis, & cum quovis viro ſermones miſcent.*

In Eccleſia *Corinthiaca* viri juxta morem Judaicum velati preces fundebant, obtecto ſcilicet capite & vultu; econtra fœminæ ſine velamine cœtum publicum frequentabant; eò quod (ut ediſcere licet ex Apoſtoli verbis) decora ipſarum ſpecies & forma pudorem, cum Deum colerent, non flagitaret adeò uti in viris. Tum viros tum fœminas reprehendit Apoſtolus: ſi vir velatus preces fundit, qui imago & gloria Dei, multò magis tenetur fœmina, viri ſcilicet gloria. Verum virum, velatum precantem, tanquam caput ſuum dehoneſtantem reprimit. Fœminas jubet *poteſtatem in capite habere propter Angelos*, *Cap.* 11.*verſ.* 10. Vox רדיד, quæ *fœminæ velamen* ſignificat, prout è *Maimonide* ſupra citato conſtat, etiam *poteſtatem* vel *dominium* ſignificat, adeoque inquit Apoſtolus, *habeat mulier poteſtatem in capite.* Quid verò vult per *propter Angelos?* Reſp. *Propter dæmones*, quos Angelos vocaverat, *Cap.* 6:3. q.d. Haud licet fœminæ faciem in cœtu retegere, ne diabolus ipſarum forma, oculos & corda virorum irretiret, quos tunc temporis ſacris rebus vacantes venuſtatem fœminarum intueri & concupiſcere minimè oportuit. Sunt qui per Angelos miniſtros intelligunt, q.d. fœminæ ſint velatæ ne miniſtrorum oculi ipſarum formâ capiantur: quæ interpretatio cum priore non pugnat, quæ totius cœtus caſtitati æquè ac miniſtrorum proſpicit.

IV. Eodem Capite reprehendit Euchariſtiæ participationem indebitam eorum, qui ſimultatibus plus ſatis incaluerunt: quum Domini corpus, Symbolum & communionis vinculum, non ſolum non diſcernerent, verum jam *Chriſtiani* facti in eam regulam peccarunt, quam Judæi cum fuerint, violare noluerunt. Canone communiter noto erant obſtricti, *ne in Synagogâ ederent*, *biberent*, *aut dormirent*, Hieroſol. in Megillah, fol. 74. col. 1. Maimon. in Tephillah, cap. 11. & Gloſſ. in Maimon. in Shabb. 30. Panem & vinum Euchariſtiæ in Eccleſiis jure comedebant & bibebant; verum ſumma injuria ibidem cœnam etiam communem occupabant, alii alios temnentes; ditiores lautioribus epulis pauperiores pudore ſuffundebant: illis luxui & gulæ indulgentibus, hi famelici ſpectatores aſſidebant. [De ſignificatione vocis μεθύειν, *verſ.* 21. vide LXXII. *Gen.* 43:34. *Cant.* 5:1.] Judicium ſibimet (Euchariſtiæ licet participes) edebant & bibebant, dum communionis Symbolum recipientes diſcordiæ tamen ſigna luculenta oſtendunt. Porrò Dominus quoſdam imbecillitate, morbis & morte plectebant pœnas de illis ſumens unà ob ſpretam Euchariſtiam & contemptos fratres. Non multum hæc abludunt ab hiſtoria de crapula & morte *Nabalis.*

V. Prout populus in publico cœtu Deum colens jure culpandus erat, ita & miniſtri, donis ſpiritualibus abutentes, reprehenſionem merebantur. Prætextus Spiritus ſemper plurimos errores & fraudes invexit. Judæi increduli ſpiritum præ ſe ferebant, & ſæpius technis magicis prætextibus ſuis fidem fecerunt. Hac de re Apoſtolus loquitur, *nemo per ſpiritum Dei loquens* (prout hi præ ſe ferebant) *dicit anathema eſſe* Jeſum, 1 *Cor.* 12:3. quod hi dixerunt. Alii ſpiritualibus donis imbuti non in Eccleſiæ ædificationem, verum nonnunquam ad aucupandam gloriolam iis abutebantur: hanc culpam reprehendit, *Cap.* 14. Qui nunc dierum ex eo Capite poteſtatem per ſpiritum prædicandi elicere conantur, incauti eo nituntur exemplo, quod Apoſtolus reprehendit, locum à vero ſuo ſenſu detorquentes.

Fuerunt quidem in Eccleſia *Corinthiaca* dona extraordinaria linguarum & prophetiæ: verum quibus conceſſa, & quid in hiſce commodi, qui denique his utebantur? Reſpon. I. Haud conceſſa erant cuivis Eccleſiæ alumno verum miniſtris ſolum, qui per hæc dona & Apoſtolorum χειροθεσίαν (per quam collata fuerant) in miniſterium recepti, & ad id muneris obeundum idonei facti ſunt. Eruditus lector differentiam notabit inter loquentem linguis & Ἰδιώτην הדיוט, *privatum* ſcilicet, qui aſſidebat, *verſ.* 16. II. Non garriendi cauſa conceſſum fuit linguarum donum, [neque enim miniſter in Eccleſia *Corinthiaca* quemquam ædificaret Perſicè, Copticè, Gallicè, &c. loquens inter eos qui unam eandemque linguam intelligebant] verum ut eo Sacræ Scripturæ textum intelligerent, ejuſque lingua loquerentur ut ſupra dictum fuit, eamque explicare & populum docere poſſent. Hujus Capitis hæc verba obſervanda ſunt; *Qui loquitur lingua, ſeipſum ædificat*, verſ. 4. Et, *Volo autem omnes vos loqui linguis.* Qui verò quis poteſt, lingua loquens aliena, ſe ipſum ædificare, cum eadem vernaculâ utens linguâ, tum loqui tum intelligere poſſit? Quid commodi è linguarum ſcientiâ hac capere poterant, niſi quod eo magis idonei facti fuerint, ut literis humanioribus operam fœlicius darent? Qui verò linguam Sacræ Scripturæ intelligebant, eâque loqui poterant, ſemet ipſos ædificare

CHRIST. LV. NERON. I.

ficare etiam poterant, eaque intelligere & proloqui, quæ linguâ vernaculâ neutiquam potuiſſent. III. E verbis Apoſtoli conſtat hos hiſce donis abutentes, famæ ſcilicet inhiantes, & ἀταξίαν invehentes, eò reprehenſos fuiſſe.

VI. In Eccleſia fuerunt, aut in eam irrepſerant Sadducæi reſurrectionem pernegantes: ſin verò cum Phariſæis reſurrectionem futuram crederent, eorum tamen negabant, qui à Judaiſmo defecerant, adeoque omnes *Chriſtianos* excludebant. De hac re plenè & divinitus agitur *Cap.* 15.

Qui ab hac Eccleſiâ ad *Paulum Epheſi* agentem miſſi fuerant, Epiſtolam perferebant, in qua *Paulum* ea Eccleſia conſuluit de quibuſdam rebus ambiguis, viz.

I. De matrimonio & cælibatu: quid factu opus eſſet quum matrimonium inter præcepta Judaica poneretur. Primum hoc præceptum numeratur inter ſexcenta & tredecim; *vide margin. ad tripl. Targ. ad Gen.* 1. Per Hebræorum canones aſtricti adeò fuerunt ut dictum ſit, qui *maturus uxorem non ducit, præceptum affirmativum tranſgreditur*, Maimon. in אישות, cap. 1. Ea de re inquit Apoſtolus, *Præceptum non habeo*, arbitrio cujusvis permittens prout continere aut non continere quivis poterat. Hoc ſtatuens pro more gentis loquitur, & quantum ad ſententiam gentis accedat, & quantum recedat eruditus quiſpiam ediſcere poteſt è collato initio hujus Capitis cum Tractat. *Maimon.* נשים, præſertim fol. 251. & 248. & 249. *juxta meum exemplar.*

II. De mariti & uxoris cohabitatione, ubi inter Religionem Chriſtianam amplectentem & infidelem contractum fuerit matrimonium. Affirmat, *liberos*, ſi parentum alter Chriſtianus fuerit, *ſanctos fuiſſe*, *verſ.* 14. i.e. Chriſtianos, non Ethnicos. Juxta hunc morem de Proſelytorum liberis, qui nati erant poſtquam facti ſunt Proſelyti, loquuntur Judæi. Nati dicebantur בקדושה, *in Sanctitate*, i. e. in *Religione* non in Ethniciſmo.

III. De comeſtione & participatione Idolothytorum. Scandalum hoc olim periculi plenum fuit, & à Concilio *Hieroſolymitano* prohibitum; ea de re plurima verba facit: quantum ſemet ſegregare par erat ab hujuſmodi communione Idololatricâ tum è naturâ Idolothytorum tum Sacramentorum oſtendit. Verba facit de *Iſraëlitis* omnibus in *Moſen* baptizatis per nubem & mare, eòque ſegregatis ab omni Ægyptiacâ & quavis Idololatriâ & impietate: Baptiſmus pariter & nos ſegregat. Judæi dicunt *Moſem per nubem ſanctificatum*, Hieroſol. in Joma, fol. 38. col. 2. Idem dicit *Paulus* hic de omnibus *Iſraëlitis*, Cap. 10: 2.

IV. De miniſtrorum Euangelicorum victu, *Cap.* 9. *Petrum* & reliquos Apoſtolos, unà cum uxoribus & familiis ex Euangelio vixiſſe oſtendit, *Cap.* 9: 5. *&c.*

Epiſtolam dira execratione claudit, *Si quis non diligit Dominum Jeſum Chriſtum, ſit anathema, Maranatha*, Cap. 16: 22. i.e. maledictus ſit & perditus; *Venit Dominus noſter*. Hæc verba Judæos incredulos primariò reſpiciunt, prout è ſequentibus conſtat. I. Judæi enim omnium ubivis gentium *Chriſti* oſores infenſiſſimi ſunt, & olim fuerunt. *Pagani Jeſum* non amant quia non norunt, neque tamen odiſſe dicendi ſunt, qui eum non noverant: *Turcæ Chriſtum* prout *Chriſtiani* non amant, porrò haud oderunt prout *Judæi*: vox *Jeſus* emphaticè Judæos maledictos ſignat: *Meſſiam* ſeu *Chriſtum* amare præ ſe ferebant, *Jeſum* odiſſe palam profitentur. II. Apoſtolus Judæorum lingua loquitur dicens *Maranatha*: quum enim ubivis in hac & reliquis Epiſtolis *Græcè* ſcripſerit, & ſolum hoc loco *Syriacè* ſine interpretatione, conſtat liquidò hæc verba Judæos præſertim reſpicere. Ita *Jeremias*, Cap. 10: 11. *Chaldæorum* Idololatriæ minas & maledictiones denuncians *Chaldaica* lingua utitur, quod nullibi per totam ipſius prophetiam fecit. III. Judæi ſolum, vel præcipuè *Jeſu* anathema eſſe dixerunt, *Cap.* 12: 3. prout in *Talmude* profiteri non verentur: ad eos igitur præcipue attinet hoc *Anathema*. IV. Hoc ex aliis Sacræ Scripturæ locis conſtat, ſcilicet *Eſaj.* 65: 15. *Et demittetis nomen veſtrum ut ſit execrationi electis meis.* Mal. 4: 6. *Ne veniens percutiam terram anathemate.* Benigniſſimus & pientiſſimus Apoſtolus vel ſemet ipſum anathema optabat pro ea gente ut fide ſalva fieret, *Rom.* 9: 3. quum verò nollent credere, ſalutem reſpuerent, & ipſum Salvatorem oderint, præ amore *Chriſti* vel conſanguineos ſpernit & ipſius inimicos (quotquot ſcilicet Dominum *Jeſum Chriſtum* non amabant) excidendos denuntiat: ipſos præcipuè denotat, qui *Chriſti* hoſtes acerrimi fuerunt.

Voces, *Maran-atha*, ſunt qui excommunicationis majoris formulam ſignare exiſtimant. *Sic ſignatur*, inquiunt, *ſpecies extremi anathematis, ac ſi diceretur, maledictus eſto ad adventum & in adventu Domini*: porrò *Maran-atha* & *Shammatha* idem prorſus ſignificare: verum exemplis, è Judæorum ſcriptis antiquis petitis, deſtituti in hac ſententia ſunt. Quum tamen & hæc verba Hebraica ſint, *Maran-atha excommunicationis* formulam, aut *anathematis* denotare è Judæorum ſcriptis oſtendi minimè poteſt: neque quiſquam facile vel ipſas voces apud Scriptores Judæos reperire poteſt, quocunque ſenſu uſurpatæ fuerint.

Apoſtoli verba *Chriſti* adventum reſpiciunt, quum

Digitized by Google

CHRIST. LV. NERON. I.

quum *Hieroſolymis* & Genti Judaicæ ultionem infligeret, primum ſcilicet execrationi huic addictis. *Maran-atha: Dominus noſter venit.* Plurima & tremenda de hoc ipſius adventu dicta ſunt in Sacris Scripturis, de quibus ſæpius ſupra. Hiſce verbis Apoſtolus tum hanc incredulam Gentem meritò maledictioni addixit, tum hanc maledictionem brevi futuram innuit, quum Dominus veniret ultionem iis inflicturus. Hæc verò de Judæis dicta primariò ſunt, non verò excluſive: quippe quicunque non amat Dominum *Jeſum*, cujuſcunque gentis fuerit, cum Dominus venerit, *Anathema* erit.

Ea verba ſubobſcura ſunt, tum quoad ſenſum, tum quoad hiſtoriam, *Cap.* 5:9, 10. *Scripſi vobis per Epiſtolam ne denuò commiſceremini cum ſcortatoribus; ac non omnino cum ſcortatoribus mundi hujus, &c.* Diſquirendum primum quid hic Apoſtolus prohibuit, deinde quando hanc Epiſtolam ſcripſit. Duo hic prohibentur, alterum quum ſcripſerit, ne cum *ſcortatoribus commiſcerentur*, alterum quum hanc Epiſtolam ſcripſerit, viz. ne cum hujuſmodi *cibum caperent*. Hoc prius permiſerat, quum illud prohiberet. Quod ritè perpendant, qui *cibum capere* de participatione Euchariſtiæ intelligunt.

Præter communionem inter Judæos *in Sacris* duplex erat communio ſeu communicatio politica, alia communior, alia arctior & magis peculiaris. Communior fuit ejuſdem menſæ communis participatio: hanc enim comeſtionem communionem definitam cenſebant. Hinc Judæo cum Ethnico comedere non licebat, *Act.* 11:3. neque eximiam pietatem profitentibus cum publicanis & peccatoribus; eòpropter *Chriſtus* ſæpius reprehenſus fuit, uti ex Euangeliis conſtat. Alia communio ſeu aſſociatio fuit שתוף & ערוב dicta; prior ſocietatem mutuam, deputationes, &c. comprehendit, de quibus Tractatus Talmudicus, triplex ſcilicet *Bava*, & *Maimon.* in *Shittuphin* & *Shilluchin* plurimis agunt. Poſterior verò continebat ipſorum mutuum jus & conſortium, ſcilicet in uſu communis alicujus atrii ſeu clauſtri, ubi unà habitabant plures, de qua re Tractatus *Erubin* fuſe, licet obſcurè, agit. Apoſtolus per μὴ συναναμίγνυσθαι videtur hanc arctiorem communionem prohibere: viz. ſi quis frater ſeu Chriſtianus ſcortator fuerit, &c. ne cum eo commiſcerentur in mutua ſocietate, deputatione, munere, cohabitatione & communi jure, &c. Porro quum de flagitioſo inceſti facinore inaudiverit, jam ſocietatem etiam communiorem prohibet, vetatque unà cum hujuſmodi cibum capere; ab hujuſmodi ipſos maximè ſegregatos voluit, prout Judæi ab Ethnicis ſegregabant, cum quibus vel cibum capere licitum non erat.

Ea verba ἔγραψα ὑμῖν ἐν τῇ ἐπιστολῇ perdifficilia ſunt. Quidam hæc verba Epiſtolam prius ſcriptam & deperditam innuere exiſtimant. Verum hæc ſententia minus convenit. Facilius eſſet, & regulis Grammaticæ magis conveniret, vocem ἔγραψα in hunc ſenſum exponere, q. d. ſcripſi, ſeu ſcripſeram vel ſcripturus eram in hac Epiſtola, ne cum ſcortatoribus commiſceremini, &c. jam vero de hoc inceſti turpiſſimo facinore inaudiens, & hujus exempli diſcrimen perpendens, ſtylum acuens prohibeo non ſolum cum hujuſmodi arctiorem communionem, verum ſocietatem communiorem, ſeu ejuſdem menſæ participationem; eodem planè ſenſu quo dictum fuerat, *Matth.* 18:17. *Sit tibi quaſi Ethnicus.*

ACTORUM CAP. XIX.
à verſ. 23. *ad finem Capitis.*

PAulus *Epheſi* permanere ſtatuerat ad *Pentecoſten* uſque, quia magnum & efficax oſtium apertum fuerat; quam anſam ultro amplexus erat, 1 *Cor.* 16:9. verum haud diu priuſquam tempus hoc conſtitutum pervenerat, *Demetrius*, unà cum reliquis fabris argentariis, contra eum tumultum concitat, eò quod lucrum ipſorum cultum imminutum iverit, cultum *Dianæ* & aliorum Idolorum diffamans. *Hi Templa Dianæ argentea* fabricabant: Ναοὺς ἀργυροῦς, i.e. ædiculas Templi typum referentes; quas emebant, qui *Epheſum* ut Sacra facerent, venerunt, vel Deæ dicandas & in ipſius Templo linquendas, vel in memoriam Deæ potius domum perferendas. *Tullius* in *Verrem* verba facit *de ædibus Minervæ poſitis in fano Apollinis.* Et apud *Dionem Caſſium*, *lib.* 36. memoratur Νεὼς ἥρας βραχὺς, &c. *Ædicula Junonis in tabellâ poſita verſus Orientem ſpectans vertebat ſe verſus Aquilonem.* Et *lib.* 40. Ὁ γὰρ ἀετὸς ὠνομασμένος [ἐστὶ δὲ νεὼς μικρὸς καὶ ἐν αὐτῷ ἀετὸς χρυσοῦς, &c.] *Aquila* (inquit, Romanorum inſigne denotans) *erat ædicula in qua Aquila aurea recondita erat: hujuſmodi Aquila in quavis Romanâ legione poſita dum hyemaret, immota ibidem permanſit uſque dum moverent caſtra. Hanc Aquilam cuſpidis capiti affixam, quidam portabat: cuſpidis pars inferior acuebatur ut in terram impacta foret.* Hinc videtur *Romanas* aquilas haud fuiſſe vexilla explicata pro noſtro more, verum aureas aquilas fuſiles, numiſmatis inſtar, in ædiculâ, typum Templi referente, incluſas. Hujuſmodi erant *argentea Templa Dianæ*, viz. ædiculæ argenteæ Templi & *Dianæ* typum referentes.

Templum hoc inter ſeptem miranda ædificia numerari ſolebat. Sumptibus totius Aſiæ extructum fuit, & opus abſolutum erat elapſis aliquot annorum Centuriis. Et prout totius Aſiæ ſumptibus fuerat extructum, ita

poſt-

Digitized by Google

CHRIST. LV. NERON. I.

poſt hæc totius *Aſiæ* incolæ eò confluxerunt ut ſacra facerent. Hinc perdifficile erat Euangelium ſerere in hoc Idololatriæ centro; porrò *Demetrius* facile perpendit Euangelium Idololatriam indies fugans, non ſine magno damno ſibi & ſuis conſortibus id agere. Hinc contra *Paulum* tumultum concitant, qui augetur non ſolum ab Idololatris Ethnicis, verum à Judæis etiam licet alio nomine. In tumultu *Alexandri* mentio facta eſt, *quem è turbâ protraxerunt, propellentibus eum Judæis; qui manu ſilentio poſtulato volebat rationem reddere populo: quem ut cognoverunt Judæum eſſe, audire noluerunt*, *verſ.* 33, 34. *Paulus*, in ſecunda Epiſtola ad *Timotheum*, *Epheſi* tunc temporis agentem, cum eam ſcriberet, hæc habet, *Alexander faber ærarius multis malis me affecit*, 2 *Tim.* 4: 14. De eodem *Alexandro*, ut veriſimile eſt, utrobique agitur: fuit enim à *Paulo* memoratus ejuſdem cum *Demetrio* artificii, faber viz. ærarius. Ipſum à *Judæis* propulſum, rationem populo redditurum refert *Lucas:* facile conjectari licet, quâ de re dicturus erat, viz., quum Ethnici ubivis Judæos oppugnatores & hoſtes ipſorum Idololatriæ æſtimarent; & quum *Judæi* & *Alexander* perſenſerint; *Epheſios* ipſos pro *Dianæ* hoſtibus habuiſſe, & eo nomine tumultum ingruentem timerent, *Alexandrum* propellunt rationem redditurum. Qui, ſi dicendi copia facta fuiſſet, *Paulum* & ejus comites incuſaviſſet & defendiſſet *Judæos:* verum Deo viſum eſt ſaluti Apoſtolorum proſpicere, quum concitata turba abnueret vel audire *Alexandrum*, qui *Paulum* erat accuſaturus.

ACTORUM CAP. XX.

Verſ. 1. *Poſtquam autem ceſſavit tumultus, convocatis ad ſe Paulus diſcipulis, complexuſque illos, profectus eſt ut iret in Macedoniam.*

Verſ. 2. *Cum autem perambulaſſet partes illas, & hortatus eos fuiſſet multo ſermone, venit in Græciam.*

Verſ. 3. *Et ibi peractis menſibus tribus, quum eſſent illi ſtructæ inſidiæ à Judæis, ſoluturo in Syriam habebat in animo ut reverteretur per Macedoniam.*

IN animo habuit uſque ad *Pentecoſten Epheſi* permanere ſi ibidem turbatus non fuiſſet, 1 *Cor.* 16:8. Quamdiu ante ſtatutum tempus, tumultu turbatus, digreſſus fuerit, non conſtat; certum tamen eſt eum ante æſtatem digreſſum: ea æſtate hæc itinera carpſit, & hæc ipſius peragratio.

I. *Epheſo* digreſſus *Macedoniam* petit, *verſ.* 1. &c. 1 *Cor.* 16:5. Quinque anni elapſi ſunt, ex quo perſequutione pulſus è *Macedonia* fuerat, *Act.* 16. uti jam ex urbe *Epheſo*. Tot tamen ceperat ſigna *Macedonum* in Deum fidei, tot amoris & amicitiæ erga ſemet ipſum ſigna, *Philip.* 4: 15, 16. ut inter eos denuo verſari, & ipſos viſere, & ad majorem ipſorum profectum in doctrina Euangelii inter ipſos adlaborare non veritus fuerit: *Epheſo* digrediens ibidem *Timotheum* reliquit, in diſcrimine quidem poſitum eo loco & tempore. Verum ut id faceret periculum ingruentium falſorum doctorum flagitabat, 1 *Tim.* 1:3, 4.

II. Iter carpens *Troade* aliquamdiu commoratur, non ſine felici miniſterii ſui ſucceſſu; ubi tamen *Titum* non reperiens, cui, *Corintho* digreſſo, obviam fieri ſperabat, ibidem haud diu permanſit, verum continuò *Macedoniam* petit, 2 *Cor.* 2: 12, 13.

III. In animo habuit *Epheſi* commorans, quum iter inſtitueret, *Corinthum* viſere & ibidem aliquamdiu manſiſſe, 2 *Cor.* 1: 15, 16. verum *Titum Troade* non reperiens, neque ab ipſo aut quovis alio factus certior an grata fuerit Epiſtola, quam ad *Corinthios* ſcripſerat, viſum eſt illi *Corinthum* præterire; ſubtriſtem enim congreſſum ibidem expectabat, 2 *Cor.* 2: 1, 2.

IV. Quum in *Macedoniam* veniſſet, adflictiones ibidem reperit: *pugnas foris*, per falſos fratres, aut hoſtes apertos; & *terrores intus*, nè *Corinthi* ea mala gliſcerent, de quibus inaudiverat: verum refocillatur adventu *Titi*, qui ipſum certiorem fecit, res benè ſe habere *Corinthi*; porrò ipſius Epiſtolam feliciter id effeciſſe quod ſperaverat, 2 *Cor.* 7. *verſ.* 5, 6.

V. In *Macedonia* & vicinis regionibus commorans, iis in locis præſertim prædicat, ubi prius fuerat, viz. *Theſſalonicæ* & *Philippis*. Tunc temporis Euangelium uſque ad *Illyricum* diſſeminatum fuit, de qua re loquitur, *Rom.* 15: 19.

VI. *Macedoniæ* regiones peragrans ſcripſit

EPISTOLAM PRIOREM AD TIMOTHEUM,

prout è ſequentibus conſtat.

I. Conſtat è 1 *Tim.* 1: 3. & 3. *verſ.* 15. ſcriptam fuiſſe hanc Epiſtolam poſtquam *Paulus Epheſo* digreſſus fuerat *Macedoniam* petens, quumque in animo haberet brevi *Epheſum* redire.

II. Veriſimile non eſt ſcriptam fuiſſe dum in *Macedoniam* iter carperet, ſcilicet quum recens à *Timotheo* diſceſſiſſet.

III. Neque exiſtimare licet ſcriptam fuiſſe quum è *Macedonia* rediturus *Græciam* peteret: tunc enim in animo habuit *Epheſum* ire, neque tunc opus erat aut nuncio aut Epiſtola: porrò ſubinnuit, *Cap.* 3: 15. tardius fortean

CHRIST. LV. NERON. I.

ad ipſum venturum. Meritò igitur concludimus ſcriptam fuiſſe hanc Epiſtolam nunc temporis, dum in *Macedonia* aut partibus vicinis ageret.

De tempore & loco, ubi hæc Epiſtola ſcripta fuit, conjecturas varias & vagas reperire eſt: dictu hoc mirum eſt, quum de hac re liquidò conſtet ex ipſa Epiſtola collata diligenter cum hiſce temporibus, & *Pauli* itineribus hoc loco memoratis. Hæc Epiſtola data erat *Athenis* juxta verſionem *Arabicam*; ſcripta ſcilicet, ut videtur, ſupponitur quum *Græciam* peragraret, de qua re *verſ.* 3. hujus Capitis: juxta *Syrum*, *Laodiceæ* data erat, & juxta quoſdam Græcos Codices *Laodiceæ Pacatianæ*. Hujus erroris cauſa, prout veriſimile eſt, fuit mentio Epiſtolæ ex *Laodicea*, *Coloſſ.* 4: 16. de quâ re, & errore exinde nato, diſquirentes poſt hæc de tempore, quo ea Epiſtola ſcripta erat, agemus. *Rhemiſtæ* hanc ad *Timotheum* Epiſtolam ſcriptam fuiſſe volunt, quum primum *Paulus* Romæ incarceratus fuiſſet, & liberatus; quam erronea ſit hæc ſententia, quum ad ſecundam Epiſtolam deventum erit, conſtabit.

Paulus diu & multum adlaboraverat & verſatus fuerat in Eccleſia *Epheſina*: porrò jam licet abſens fuerit, ipſi ſumma cura proſpicit; partim ob loci eminentiam, partim ob quorundam inconſtantiam, qui à fide orthodoxâ & receptâ ad hæreſes & ineptas opiniones deſciſcere procliviores erant. Hæc ut præverterentur, & Eccleſiam minimè obruerent, digrediens *Timotheum* ibidem reliquit; eum præ reliquis ad id muneris elegit, quoniam, ut ſupra dictum fuit, quibuſdam propheticis prædictionibus deſignatus fuerat Euangelii propugnator eximius & admodum luculentus, 1 *Tim.* 2: 14.

Duo in hac urbe agenda erant. Primum, errores & hæreſes pullulantes amputare: ſecundo, orthodoxos ritè dirigere & erudire in cultu & diſciplina. Non quod Epiſcopi Diœceſani partes egerit, (neque enim diu ibidem permanſit; porrò quicquid conſtituit, id ab Apoſtolo ſolum edoctus fecit) verum ut qui à *Paulo* orthodoxus, fortis, inculpatus, impiger & fidelis adprobatus fuerit.

Inter Judæos Euangelium amplectentes oborta eſt epidemica & periculoſa defectio vel totalis ab Euangelica doctrina, vel partialis ab Euangelii puritate, prout ſæpius pro re natâ adnotare ſoliti ſumus. Hæc defectio à doctrina & profeſſione *Chriſti* erat iniquitatis hujus gentis complementum, & non ſolum ſignificarit, verùm etiam acceleravit ipſius ruinam & rejectionem.

Prima principia venenata, quibus à falſis doctoribus imbuti ad defectionem impulſi ſunt, fuerunt inanes fabulæ, genealogiæ perplexæ, præſertim quædam ſubtilitates & Legis obligationes non neceſſariæ; fabulæ in eum finem maximè accommodatæ (quantum è Talmudicis ſcriptis conjectari licet) videntur fuiſſe mirandæ legendæ de eximia ſanctitate, pietate & operibus juſtorum quorundam Pharifaicorum & legi adhærentium, & de miranda felicitate, & ætate aurea in diebus *Meſſiæ*, quam carnales hi ſomniabant.

Genealogiæ nunquam finiendæ, de quibus Apoſtolus, *Tit.* 3: 9. & unà cum his fabulis, 1 *Tim.* 1: 4. non fuerunt Sacræ Scripturæ genealogiæ ſanctæ & divinæ, verum extenſæ & perplexæ proſapiæ, quas venditabant ut eo ſemet Levitas, Sacerdotes aut Judæos, &c. eſſe comprobantes, jus ſibi vindicarent ad ea omnia luculenta privilegia, quæ ad Judæos, eo ipſo nomine quod Judæi fuerint, attinere putabant. His addere licet protenſas genealogias & proſapias traditionum, quas per manus plurimorum Doctorum plurimo temporis intervallo ſibimet invicem ſuccedentium acceperunt. De quibus Tractatus Talmudicus, *Aboth* dictus, ex profeſſo & explicatè agit. Porrò ſi vocem יוחסין *Genealogias* exponamus in עשרה יוחסין, ſeu *decem proſapiis*, de quibus loquuntur, quæ reverſæ ſunt e captivitate Babylonica, de his quæſtiones nunquam finiendas reperire eſt, quibus mentes hominum confundebant: vide *Talmud in Kiddushin, cap.* 4. *Alphef. ibid. &c.*

Quod ad legis illecebras, quibus imprudentiores capti ad totalem defectionem ab Euangelio, aut ab ipſius puritate impulſi erant, in Epiſtolis *Pauli* & in aliis Epiſtolis paſſim videre eſt, ut id agerent, & ut aſſequuti fuerint. Veterum traditionum & antiqui moris faſcinatio, deinde ceremoniarum in ſacris ſolennitas adjumento in hunc finem fuerunt, technas ipſorum ſcilicet promoventes.

Hujuſmodi gangræna in Eccleſia *Epheſina* erumpere cœperat: nè ſerperet & inficeret, *Timothei* munus erat operam dare, & ipſius diſcipulos dogmatibus & præceptis orthodoxis imbuere, ut ab his technis venenatis munirentur. Porrò ſui erat muneris Eccleſiæ ſanitati proſpicere, talem cultum conſtituendo, tale miniſterium & regimen, nè ad has fraudes, periculi plenas, propendere videretur. Hinc Apoſtolus cœlitus eum edocuit, verba faciens de more fundendi preces, eligendi & cooptandi miniſtros, Diaconos adprobandi, admittendi viduas, plebem componendi, adeo ut nihil ſanitati Eccleſiæ deeſſet, modò hæc præſcripta amplectantur. In his remediis præſcribendis ſæpius lingua in Synagogis uſurpata loquitur ut melius intelligatur: præterea ipſorum leges & conſtitutiones reſpicit, ut remedia ſua magis ipſis grata forent, & utilia. Miniſtrum *Epiſcopum* vocat, mutuatus ſcilicet titulum com-

Digitized by Google

CHRIST. LV. NERON. I.

communiter uſurpatum & vulgo notum, *Chazan*, qui Synagogæ *Epiſcopus* fuerat, *Aruch* in *Chazan*. Regulas quaſdam & dotes enumerat, quas Epiſcopum eligentes reſpicere tenebantur, plerumque ipſorum regulis in Presbyteri electione obſervandis congruas. *Maimon. Sanhedrin, cap.* 4. verba facit de *Presbyteris*, *qui præſunt* ſolum, & *de Presbyteris, qui præſunt & laborant in ſermone & doctrinâ*: hos ſecernens eoſdem vult, quos *Capite* 3. memorat, viz. *Epiſcopos* & *Diaconos*. Hi ambo, juxta conſuetum loquendi modum, tum *Presbyteri* tum *Rectores* vocabantur. Vox *Parnaſin*, Diaconos communiter ſignificans, vulgo etiam *Rectores* ſignificabat. Apud *Talmud. Hieroſol. in Peah*, *fol.* 21. 1. de tribus *Parnaſin*, ſeu *Diaconis* in quavis Synagoga mentio facta eſt, ubi porro binæ clauſulæ reperiuntur, quæ ad illuſtrationem duorum locorum hujus Epiſtolæ cedunt. *Tres ad minimum Parnaſin in quovis cætu conſtituunt: ſi enim res pecuniariæ per tres judicantur, multo magis tres flagitant res capitales.* Annotare licet Diaconi munus hanc vitam ſpectaſſe, egenis ſcilicet proſpiciendo: hinc verba *Cap.* 3: 12. intelligi ritè poſſunt, *Qui benè Diaconi munere defuncti ſunt, gradum ſibi bonum acquirunt*. Bonum gradum ſcilicet, ut iis animarum cura concredatur, qui munere, hanc vitam concernente, fideliter defuncti ſunt. Altera clauſula hæc eſt, *R. Haggai quandocunque Parnaſin conſtituit*, ſeu Diaconos, *legem populo dedit in mandatis dicens*, *omne regimen donatum è Lege donatur.* Hinc *Diaconatum* appellatum *Regimen* obſervare licet.

Supra adnotavimus haud à ratione abhorrere ſi Presbyteros, qui bene præſunt, de politicis magiſtratibus in quovis cœtu (uti fuerunt in quavis Synagoga) interpretemur. Verum quum Apoſtolus ſolum memoret *Epiſcopos* & *Diaconos*, optimus ſui interpres erit: *Presbyteri*, qui ſolum præerant, Diaconos ſignant, qui *Presbyteri* & *Rectores* æque ac *miniſtri* dicti ſunt: & in Synagogis Judaicis inter viros ex profeſſo literatos cenſebantur. Talmudicus Tractatus ſupra memoratus narrat, quendam è præcipuis Rabbinis, *R. Eliezer* dictum, fuiſſe *Parnas*, ſeu Diaconum in Synagoga. *Epiſcopi* ſeu Miniſtri vocantur. *Oἱ κοπιῶντες ἐν λόγῳ καὶ διδασκαλίᾳ*, i. e. *laborantes in ſermone & doctrinâ*. Diſtinctè hoc modo hæc verba intelligenda ſunt; *laborantes in ſermone*, & *laborantes in docendo*: prius enim ſtudiis operam dabant, ut eò idonei ad docendum denique fierent, & operam utramque hæc verba innuunt. Κοπιῶντες ἐν λόγῳ idem ſonant ac Judæorum לִיעַ בתורה, [vide Syrum hoc loco] ſeu *legi* magnam operam dans. Plurimis aliis omiſſis unicum exemplum depromam ex *Hieroſol. Maaſar Sheni*, *Fol.* 56. *col.* 2.

CHRIST. LV. NERON. I.

R. Jonah decimas ſolvit R. Achæ bar Ullæ, non eò quod ſacerdos fuerit, אלא משום דהוה לעי באורייתא, *verum eò quod in lege laborabat*, ſcilicet eo quod maximè ſtudiis deditus eſſet & idoneus doctor. Magnopere à veritate aberrant, qui credunt, ſub lege decimas in Templo ſolum ſolutas, in ſubſidium Sacerdotum ibidem cultum ritualem præſtantibus, & eo nomine decimas Levitici juris eſſe autumant. Prout enim eo nomine in Templo quædam pars ſoluta erat, ita pars maxima ſoluta erat Sacerdotibus & Levitis in 48. Academiis ipſorum commorantibus, *Joſ.* 21. in ſubſidium ſcilicet eorum, qui ibidem ſtudiis operam dabant, ut idonei ad miniſterium fierent, & populum docerent, in quem finem deſignati erant, *Deut.* 33: 10. *Mal.* 2: 7. Denique per terram ſparſis, & in Synagogis miniſtrantibus decimæ etiam ſolvebantur in ipſorum ſubſidium.

De egenis viduis alendis loquitur, juxta regulas receptas apud Judæos, & laudabiles conſtitutiones in Synagogis obtinentes: Tractatus Talmudicus *Jebammoth* de hac re plurimis agit: vide *Maimon.* in אישות *cap.* 18, 20. Viduas recipi permittit, & publicis ſumptibus alendas, non repudiatas aut juniores, verum ſexagenarias & bonis moribus & ſanctitate imbutas: non quod voto continentiæ tenerentur, (de qua re *Rhemiſtæ* in locum plurimis ad rem non attinentibus agunt) verum ut Eccleſiæ majori oneri non eſſent, neque porrò ſuâ inconſtantiâ dedecori: denique ut peregrinis operam darent, ipſorum pedes lavarent, &c. Quod ad viduas juniores, earum ætas, & illa tempora periculo non carebant. *Nicolaitarum* enim doctrina (quæ permiſit communionem Idololatricam, ſcortationem, commiſtionem & nuptias cum Ethnicis indiſcriminatim) unà cum juventutis ardore has in *Chriſtum* laſcivire, & fidem pernegare, & cum Ethnicis matrimonium contrahere impellerent: ſaltem Eccleſiæ oneri futuræ erant.

Jubet preces pro omnibus fundere. Quum Judæi Ethnicis maledicere conſueverint, & pro nullis preces fundere, niſi pro ſemet ipſis & conſanguineis ſuis. Eccleſiam vocat *columnam & baſin veritatis*, *Cap.* 3: 15. quo titulo *Synedrium* magnum paſſim honeſtatur: vide *Maimon.* in *Mamrim*, *cap.* 1. Quæ obſervatio ad horum verborum elucidationem cedit.

Aliquamdiu in *Macedonia* commoratus, & quum in iis regionibus paſſim prædicaſſet, rediit *Paulus* & in *Græciam* proficiſcitur, *Act.* 20:2. Hoc iter carpens *Cretam* petebat, & ibidem *Titum* reliquit, *Tit.* 1:5. ſtatuens, quum in *Græcia* haud diu commoratus fuiſſet, continuo *Hieroſolymam* proficiſci, & *Titum* ibidem diutius permanſurum. Si enim quæ

CHRIST. LV. NERON. I.

ſupra de *Tito* diximus, ritè perpendantur, viz. quod *Paulus* per eum miſerit Epiſtolam ad *Corinthios* primam, & quod poſt ipſorum diſceſſum eam ob cauſam *Epheſi* haud convenirent, uſque dum *Titus* ad eum veniret *Epheſo* digreſſum in *Macedoniam*, 2 *Cor.* 7: 5, 6. conſtabit quod eum in *Creta* non reliquiſſet quum primum in *Macedoniam* proficiſceretur, neque enim *Paulus* & *Titus* convenerant ex quo *Epheſi* à ſe invicem diſceſſerant. Porrò *Paulum* in *Creta Titum* non reliquiſſe quum ſecundum iter in *Macedoniam* carperet, viz. poſtquam *Græciam* peragraverat, & iter, quod in *Syriam* carpere inſtituerat, præventum fuerat, *Act.* 20: 2, 3. ex eo conſtat, quod continuo poſtquam è *Græcia* redierat, & ex itinere prius prævento *Titum* accerſit, ut ad eum rogatus veniret, *Tit.* 3: 12. Ex his duobus collatis & perpenſis conſtat, *Titum* in *Creta* reliquiſſe, quum è *Macedonia* rediens *Græciam* peteret, & quum conſtituerit, peragratâ *Græciâ* in *Syriam* proficiſci: verum inſidiæ ipſius capiti à Judæis ſtructæ, eum in *Macedoniam* redire permoverunt. Quo cum redierat, aut rediturus, ſcripſit

EPISTOLAM AD TITUM.

Non è re erit diſquirere an hanc Epiſtolam miſerit in *Macedoniam* iter carpens, an quum in *Macedoniam* rediiſſet. Miſiſſe aut redeuntem aut continuo poſt ipſius reditum conſtat, & hoc reſcire ſufficit. Ex *Nicopoli* ſcripta in *Poſtſcripto* dicitur, eò quod dixerat, *Cap.* 3: 12. *Da operam ut venias ad me ad Nicopolim: nam illic decrevi hybernare.* Qui *poſtſcriptum* ſubjunxit iis verbis permotus eo loco ſcriptam putabat: alii verò eo loco non ſcriptam fuiſſe rectius exiſtimant ex eo, quod non dicat ἐνταῦθα *hic*, verum ἐκεῖ, *illic decrevi hybernare*, quaſi eò nondum venerat.

Quis primum in *Creta* Euangelium prædicavit, ſtatuere non licet. *Cretenſes* aderant quum Spiritus Sanctus effunderetur cum linguarum donis, *Act.* 2: 8. an verò Euangelium amplectentes in patriam reportarent, haud fas eſt diſquirere. An *Barnabas* ibidem prædicaverit, incertum eſt, nec quiſquam ſtatuere de eâ re poteſt. Veriſimile eſt *Paulum* eò veniſſe, quod ex eo colligitur, quod dicat, *In Creta te reliqui*: quum verò *Titum* reliquiſſet, haud diu ipſe permanſit ibidem, prout conſtat è tempore itinerum ipſius, quorum ſupra facta eſt mentio.

An ante hæc ibidem fuerat nec ne, an Euangelium per miniſtros ſuos eò protulerat nec ne, utcunque Euangelium eo loco diſſeminatum fuerat, nonnihil deerat ad conſtituendam Eccleſiam, quod *Tito*, ut effectum redderetur, concredidit. Id agere tenebatur quod *Timotheus Epheſi*, prout è collatis binis Epiſtolis conſtat, viz. os obturare Heterodoxis, orthodoxos edocere in rebus fidei & Diſciplinæ, & Presbyteros & Miniſtros in Eccleſia conſtituere.

Presbyterorum conſtitutio in cauſa fuit quod poſtſcripti harum Epiſtolarum autor Epiſcoporum titulo *Timotheum* ſcilicet *Epheſi*, *Titum Cretæ* honeſtaverit: quam brevi verò hiſce in locis verſati fuerint, quivis facile perſentiet.

Apoſtolus in hac Epiſtolâ eum id agere, quod ipſi incubuit, ſeriò monet, ut quamprimum ab eo rogatus veniret ad eum *Nicopolim*, ea civitas ab *Auguſto* devicti *Antonii* vel ſuo nomine ſignum præ ſe tulit, *Dion. Caſſ. pag.* 426. & 443.

Titus, prout conſtitutum erat, ad eum venit; & appetente vere, quumque *Paulus* brevi iter carpere ſtatueret, ad alium locum ad munus obeundum ipſum miſit. Quod cum vere appetente contigerit, ſubſequente anno referretur.

CHRIST. LVI. NERON. II.

Novo anno incepto, *Paulus* in animo habens *Syriam* petere primo vere, *Titum Corinthum* præmittit ad accelerandum ſubſidium ſanctis in *Judæa*, ut ea res plenè confecta eſſet quum *Paulus* eò veniret: unà cum *Tito* duos alios fratres miſit, per hoſce omnes mittit

SECUNDAM EPISTOLAM AD CORINTHIOS.

Hoc tempore, & hoc modo tum ſcriptam tum miſſam fuiſſe conſtat è locis ſequentibus, 2 *Cor.* 9: 2, 3, 4. *Novi promptum animum veſtrum, quem de vobis jacto apud Macedones. Miſi autem fratres nè gloriatio noſtra de vobis inanis fiat hac in parte, &c. nè quo modo ſi mecum venerint Macedones, &c.* Cap. 12: 14. *Ecce tertiò paratus ſum venire ad vos.* Cap. 13: 1. *Tertiò jam venio ad vos.* Et Cap. 8: 16. *Gratia verò habetor Deo, qui cordi Titi indidit idem ſtudium pro vobis.* Verſ. 17. *Tum verò quod majore ſtudio ultrò ad vos iter ſuſcepit.* Verſ. 18. *Miſimus autem unà cum eo fratrem illum, cujus laus eſt in Euangelio.* Verſ. 22. *Miſimus autem cum eis fratrem noſtrum, quem ſæpè in multis probavimus ſtudioſum, &c.*

Quinam hi duo Anonymi fuerint, diſquiſitione egebit: ſecundus, uti videtur, fuit *Eraſtus*, prius enim ipſius diligentia probata fuerat, *Act.* 19: 22. &c. Porrò *Eraſtus Corinthi* permanſiſſe dicitur, 2 *Tim.* 4. Haud tamen inter *Pauli* comites nominatur, quum in *Aſiam* iter inſtitueret, *Act.* 20: 4. quia prius *Corinthum* profectus fuerat.

Quod ad fratrem alterum, cujus *laus* dicitur

Digitized by Google

CHRIST. LVI. NERON. II.

tur fuiſſe *in Euangelio*, plurimi putant (vel ob ea verba) *Lucam* indigitari: q. d. *Qui in omnibus Eccleſiis celebratur eò quod Euangelium ſcripſerit.* Quum revera (ut nihil dicam de verborum interpretatione ſublesta, quæ potius de *prædicando*, quam *ſcribendo* Euangelio intelligenda ſunt) è *Lucæ* verbis conſtet ipſum neque *Corinthum Paulo* præiviſſe, uti dictus frater fecerat, neque *Iroadem Paulo* præiviſſe, prout fecerant reliqui ab ipſo nominati, verum *Pauli* comitem fuiſſe. Perpende enim ipſius verba, *Hi expectarunt* nos *Troade*, &, nos *abnavigavimus à Philippis*, &c. Vox *nos* ſcriptorem *Pauli*, quum iter inſtitueret, comitem fuiſſe innuit, non verò præceſſiſſe.

Alii conjectantur hunc fratrem *Titi* comitem, *Silam* fuiſſe, quia dicitur, *Qui delectus eſt ab Eccleſiis comes peregrinationis noſtræ, &c.* Quum è contra hæc verba *Silam* non fuiſſe arguant: neque enim ab Eccleſiis delectus erat *Pauli* comes, prout neque *Timotheus* & *Titus*: verum à *Paulo* ſolum delectus eſt, ut & illi: vide *Act.* 15: 40.

Ea verba, *Qui delectus erat ab Eccleſiis peregrinationis noſtræ comes*, *Barnabam* aut *Marcum* denotant, neque enim ad quemquam tam propriè ac ad eos hæc verba attinent, præſertim ad *Marcum*, qui, ſine controverſiâ, hoc loco ſignatur. I. Nam vox *noſtræ*, *Paulum* & *Barnabam* itineris comites innuit: porrò delectus comes *Marcus* ſolum fuit. II. Ab Eccleſia *Hieroſolymitanâ* eo propter delectus fuit, *Act.* 12: 25. & ab Eccleſia *Antiochena*, *Act.* 13: 5. adeo ut hæc verba, *delectus ab Eccleſiis*, loca ea ritè explicent. III. Fatendum eſt quidem *Paulum* ſuccenſuiſſe *Marco*, & ob eam cauſam *Barnabam* ab eo diſceſſiſſe, *Act.* 15: 39. verum in ſecundâ ad *Timotheum* Epiſtolâ, *Timotheum* rogat ut ſecum *Marcum* adduceret, *quia ipſi perutilis eſſet ad Miniſterium*, 2 *Tim.* 4. Unde conſtat non ſolum ei conciliatum fuiſſe, verum probaſſe & perutilem repériſſe. Quo tempore conciliati fuerint & unâ operam darent, non conſtat, ita verò ſe rem habere, è loco ſuprà citato liquidò conſtat. Si nunc temporis *Marci* operâ, aut ante hæc uſus non fuerit, haud uſurus erat uſque dum incarceratus fuerit. Quum ad ſecundam ad *Timotheum* Epiſtolam, & ad diſquiſitionem de illius ordine & tempore, deventum erit, de hâc re fuſius agendi erit occaſio, ubi noſtram ſententiam confirmandi copia dabitur, atque etiam ampliandi, viz. *Marcum* non ſolum à *Paulo* miſſum *Corinthum* hoc tempore, verum *Corinthi* tunc temporis egiſſe, quum *Paulus* eum *Romam* accerſeret. Denique ſi hæc verba, *Cujus laus in Euangelio*, intelligenda forent de Euangelii ſcriptore, ad *Marcum*, qui prout & *Lucas* Euangelium ſcripſit, pari jure attinerent.

CHRIST. LVI. NERON. II.

Apoſtolus in ſecundâ ad *Corinthios* Epiſtolâ primum ſemet excuſat eo quod ad ipſos non veniſſet, prout in priore Epiſtolâ promiſerat, 1 *Cor.* 16: 5. Semet porrò purgat de levitate in promittendo, & de eo quod promiſſo non ſtetiſſe videretur, cujus rei cauſam ipſos fuiſſe, & ipſorum tunc temporis res, oſtendit. Neque enim, quum primum *Macedoniam* peteret, de emendatis peſſimis moribus, quos in priore Epiſtolâ reprehenderat, quicquam inaudiverat: porro noluit cum dolore & flagello ad eos venire. Eo quod ad illos non veniſſet, prout promiſerat, quidam ipſum contumeliis affecerunt, quippe doctores falſi quamvis occaſionem arripuerunt inſectandi eum conviciis, verum per totam Epiſtolam purgat ſe met abundè.

Falſi doctores & ipſius hoſtes ipſum conviciis inſectati ſunt, & *Corinthiorum* animos infenſos reddiderunt, eo quod ſumma libertate & zelo vitia eorum reprehendiſſet; præſertim verò quod ex operibus legis iiſque ritibus, quibus Judæi, etiam Chriſtiani facti, addictiores erant, juſtificandos pernegaret. Quod ad prius hoc convitio uſi ſunt, *Epiſtolæ quidem graves ſunt, & validæ, ſed præſentia corporis infirma eſt, & ſermo nihili*, Cap. 10: 10. q. d. Temnendus homuncio, abſens quidem magna crepans, coram haud auſus quicquam proloqui! &c. Hoc reputet qui iſtiuſmodi eſt, inquit, quales ſumus ſermone per Epiſtolas abſentes, tales etiam nos fore reipſa præſentes. Utrobique, cum *Feſto*, *eum inſanire* aſſeverabant, *Act.* 26: 24. Hæc memorat, refutatque, *Cap.* 5: 13, 14, 15. *Nam ſive inſanimus, Deo inſanimus, ſive ſana mente ſumus, vobis ſana mente ſumus. Charitas enim Chriſti conſtringit nos: ut qui hoc ſtatuerimus, ſi unus pro omnibus mortuus fuit, nempe omnes fuiſſe mortuos, &c.* Quum enim Chriſtus pro omnibus mortuus fuerit, id eſt, pro Judæis & Ethnicis, jure concludit, omnes tum Judæos, tum Ethnicos fuiſſe mortuos. Fas erat igitur Judæos commonere ut rejectis propria juſtitia, & operibus legis, juſtificationem ſperarent è fide in *Chriſtum*. Alio convitio eum inſectati ſunt, viz. quod *ſecundum carnem* ambularet (quo nihil à *Paulo* magis alienum) *Cap.* 10: 2. Verum hoc prioris tantum appendix fuit; quia Phariſaicè & ſcrupuloſe minutis legis ritibus haud addictus erat, (quos plerique Euangelio commiſcebant) verum nihili faciebat, idcirco eum carnalem appellant; quod ad hanc calumniam, reſpondet miniſterium ſuum hanc calumniam refellere, *verſ.* 3, 4, 5. eò enim collimaſſe (nec ſine fructu maximo) ut carnales affectiones & actiones eradicaret. Quum dicit, *Militiæ arma valida eſſe ad deſtructionem munitionum*, exponit *Num.* 24: 17. *de Chriſto frangente latera*

Digitized by Google

CHRIST. LVI. NERON. II. *tera Moabitarum & deſtruente omnes filios Seti.* Denique ſpondet, modò morigeri fuerint, ſe ſua Apoſtolica poteſtate contumaciam ulturum.

Quum amicos infidos, & hoſtes apertos in hac Eccleſia haberet, non mirum eum de ipſorum rebus dubitanter ſcribere, eumque brevi ipſos deſeruiſſe. Per priorem Epiſtolam, prout ex hac conſtat, moratiores facti ſunt: verum irrepſerat malum, erant ſaltem qui invehere ſatagebant. Eò igitur quod falſi doctores, tum Dei tum ipſius hoſtes, ipſum contumeliis affeciſſent, & conati fuiſſent, ut eum tum odio proſequeretur, tum temneret Eccleſia, (ut res poſtulabat) fuſe & ſummo ſtudio purgat. Narrat igitur plurimis quid per ipſum Deus fecerit, quid ipſe pro Deo perpeſſus fuerit, quid ipſe pro Eccleſiis: ipſi maledicentes veſtigia hæc haud premebant. Plurima, quæ propriam vitam concernunt, refert, quæ non memorantur in Actis Apoſtolorum. Sæpius inſipientiæ ſuæ in jactando meminit, *Cap.* 11: 1. *Utinam ſufferetis pauliſper inſipientiam meam*; & vide *verſ.* 16, 17. quia reverâ jactatio inſipientiâ non caret, & eo nomine facile ipſum ſugillarent, idcircò licet ipſe inſipiens non fuerit, tamen hanc jactationem inſipientiam vocat, quæ revera fuit tum ſui, tum muneris ipſius neceſſaria & ſancta vindicatio.

Poſtquam hanc Epiſtolam miſerat per *Titum*, *Eraſtum* & *Marcum*, niſi nos conjectura noſtra fallat, & de ſubito adventu ad eos *Corinthios* monuerat, nec non ut paratam haberent pecuniam in pauperum ſubſidium, quum veniret, in *Syriam* ire parat, quod diu in animo habuit; partim ut Eccleſias in iis regionibus viſeret, partim ut afferret pecuniam corraſam in ſubſidium egenorum in *Judæa*, prout promiſerat tribus circumciſionis Miniſtris *Petro*, *Jacobo* & *Johanni*, viz. hanc curam in ſe ſuſcepturum, *Gal.* 2. *verſ.* 10.

ACTORUM CAP. XX.

Verſ. 4. *Comitatus eſt autem eum uſque ad Aſiam Sopater Berrhæenſis: Theſſalonicenſium verò Ariſtarchus & Secundus; & Gajus Derbæus, ac Timotheus; Aſiani verò Tychicus & Trophimus.*

Verſ. 5. *Hi quum præceſſiſſent, expectabant nos Troade.*

Verſ. 6. *Nos verò abnavigavimus poſt dies azymorum à Philippis.*

AD novum annum, narrationis ſerie ducti, jam devenimus, uti prius dictum fuit. Priorem hujus partem, i. e. ab ineunte *Januario* & deinceps uſque ad *Paſcha*, permanſit *Paulus* in *Macedonia*, ibidem adhuc hibernans, viz.: *Nicopoli*, *Philippis*, &c. Elapſo Paſchate *Hieroſolymam* petit, *verſ.* 6. eopropter hunc annum *Neronis* ſecundum, *Christi* quinquageſimum ſextum facimus. CHRIST. LVI. NERON. II.

Cum ad Epiſtolam ad *Romanos* deventum erit, quod brevi continget, de horum nominibus verba facturi ſumus; ibidem enim eorum plurima occurrent: nunc autem prætерire non licet *Timotheum*, cujus hic mentio facta eſt, ſine aliquali animadverſione & diſquiſitione, qui hoc loco repertus fuerit. Anno proximè elapſo *Epheſo* digrediens ibidem eum reliquerat, & quum in *Macedoniam* veniſſet, miſit ad eum Epiſtolam, enixè rogans ut id ageret, cujus gratiâ ibi relictus fuerat, 1 *Tim.* 1. Qui fit igitur ut *Timotheus* jam ad illum in *Macedoniam* venerit, & unà cum eo à *Philippis* abnavigaverit? Haud quidem innuitur *Paulum* eum accerſiviſſe, prout *Titum* è *Creta* accerſiverat, quem tamen diutius ibidem commorari prius voluit. Veriſimile tamen eſt, *Paulum* in *Syriam* navigare ſtatuentem, ad eum acceſſiſſe, quumque Judæorum inſidias ſibi ſtructas reſciret, quæ etiam *Timotheo* minitabantur, eum ſecum adduxiſſe & unà in *Macedoniam* rediiſſe: exacta hieme *Aſiam* denique petunt.

Quum verò *Paulus* ejuſque comites unà *Aſiam* peterent, cur non unà iter inſtituunt, hi verò *Troadem* præirent, ibidemque permanerent, *Paulus* & reliqui comites ſequerentur: eò enim quum omnes convenire oporteret, quidnî eò unà proficiſcerentur?

Reſp. Quia *Paulus Corinthum* profecturus erat, ibidem vero haud permanſurus, verum *Hieroſolymam* continuo profecturus, noluit omnes ſuos comites eò adducere, verum eos rectà *Troadem* præmiſit, conſtituens eos brevi illic conventurum, prout in ſe ſuſceperat. Diu erat ex quo Eccleſiæ *Corinthiacæ* promiſerat, ſe eò venturum, & in eâ Epiſtolâ, quam nuper miſerat, ſe brevi venturum, 2 *Cor.* 12: 14. *Ecce tertiò paratus ſum venire ad vos.* Et *Cap.* 13: 1. *Hic tertius erit adventus meus ad vos.* Non quod bis ibidem prius fuiſſet: ex quo enim primum *Corintho* digreſſus fuerat, (quum diu ibidem commoratus fuiſſet, cum primum Euangelium ibidem prædicaret) haud ullibi memoratur, neque veriſimile eſt, eò iterum veniſſe. Jam verò *tertiò venturus erat.* Semel enim ante hæc conſtituerat & promiſerat eò venire, verum præventus erat, 2 *Cor.* 1: 15, 16, 17. Jam verò non ſolum in Epiſtola ſpondet ſe venturum, verum tres fratres quos eò præmiſerat, teſtes & promiſſi vades oppignorat, 2 *Cor.* 13: 1, 2. ut in ore iſtorum teſtium ratum & conſtitutum ſuum promiſſum foret.

Jam

Digitized by Google

CHRIST. LVI. NERON. II.

Jam fidem ſuam ſolvit, & dum comites reliqui rectâ *Troadem* proficiſcuntur, ipſe & *Lucas*, & alii, quos ſecum ſumere viſum eſt, *Corinthum* prius petunt.

Ut paulò altius diſquiramus de cauſa hujus ſegregationis, & cur *Paulus*, quum *Corinthum* deventum eſſet, haud diu ibidem permanſerit, perpendere par eſt, (præterquam quod *Hieroſolymam* properaret) eum veritum eſſe res *Corinthi* malè habere, adeoque adventum ipſius ſibimet dolorem, *Corinthiis* infamiam, etiam coram comitibus ſuis allaturum. Plurima ſunt in ſecundâ, quam ad eos ſcripſit, Epiſtolâ, quæ eò reſpiciunt. Licet enim, accepta primâ Epiſtolâ, *Corinthii*, quod ad rei ſummam emendati fuerint, adeoque de iis præclara loquatur; erant tamen plurimi, qui malè de eo ſentirent, 2 *Cor.* 10: 1, 2. & qui ipſum & ipſius doctrinam ſugillarent, *Cap.* 11. & 12. Verebatur porrò ne ſine cauſa de eâ Eccleſiâ gloriari coram Eccleſiis *Macedoniæ* videretur, ſi *Macedones* unà ſecum venientes, ut ſe res *Corinthi* haberent, perſpicerent, 2 *Cor.* 9: 4. Cautè idcirco & prudenter, dolorem vitans eos aliò miſit, nec ſine ratione haud diu ibidem permanſit.

Intereà *Corinthi* haud diu agens ſcripſit

EPISTOLAM AD ROMANOS,

prout rectè à veteribus creditum, in *poſtſcripto* aſſeritur, & è ſequentibus conſtat.

I. Ex eo quod ſe *Hieroſolymam* petere affirmet, allaturum ad ſanctos eam eleemoſynam, quam *Macedoniæ* & *Achajæ* incolæ in eorum ſubſidium corrasſerant, *Rom.* 15: 26. Ex eo, quod *Achajam* memoret, conſtat ſe eleemoſynam *Corinthiorum* recepiſſe, adeoque *Corinthum* tunc temporis veniſſe.

II. Ex eo, quod *Romanis* commendet *Phæben*, miniſtram Eccleſiæ *Cenchreæ*, *Rom.* 16: 1. *Cenchrea* autem *Corinthi* portus erat, uti ſupra dictum, licet aliquot lapidibus ab urbe diſtaret.

III. Ex eo, quod *Eraſtum urbis procuratorem* appellet, *Rom.* 16: 23. & ſcriptum ſit, *Eraſtus Corinthi permanſit*, 2 *Tim.* 4.

IV. Ex eo, quod *Gajum hoſpitem ſuum* appellet, ut & *hoſpitem totius Eccleſiæ*, apud quem ſcilicet tum ipſe tum peregrini excepti fuerint, *Rom.* 16: 23. *Eraſtus Corinthius* fuit, 1 *Cor.* 1: 14. Hinc conſtat non eundem fuiſſe *Gajum Derbæum*, qui cum aliis *Troadem* præceſſerat, & hunc *Gajum Corinthium*.

Fatendum eſt in hac Epiſtolâ memorari ſalutationes quorundam, qui unà cum *Paulo* tunc temporis *Corinthi* non fuerunt, ut *Timothei*, *Rom.* 16: 20. qui *Troadem* præceſſerat, & *Soſipatris*, qui etiam eò profectus erat; quem *Sopatrem Berrhæenſem* fuiſſe exiſtimo, *Act.* 20: 4. Hinc videtur hanc Epiſtolam *Corinthi* ſcriptam non fuiſſe. Verum perpendere fas eſt, nuper *Paulum* ab hiſce ſegregatum, ipſoſque proculdubio ab eo certiores factos ſe in animo habere *Romam* mittere, & proinde has ſalutationes meritò inſertas quivis facile dignoſcere poteſt.

Quidam hanc Epiſtolam *Corinthi* ſcriptam fatentur, verum tempore alio, viz. quum *Paulus Græciam* peragraret, cujus itineris mentio facta eſt, *Act.* 20. Tunc *Corinthum* veniſſe, & hanc Epiſtolam ſcripſiſſe exiſtimant. Verum I. non conſtat eum *Corinthi* fuiſſe durante hac trimeſtri peragratione: quum enim in ſe ſuſcepiſſet profecturum *Hieroſolymam* petere *Corinthum*, 1 *Cor.* 16: 7. (quod in animo habuit durante eâ trimeſtri peragratione, verum inſidiis, quas Judæi ei ſtruxerant, præpeditus erat) ſemet purgat quod non veniret prout promiſerat, 2 *Cor.* 1: 16, 17. Et conceſſo tunc temporis *Corinthi* fuiſſe, tamen II. tunc temporis hanc Epiſtolam ſcribere non potuit, quia hanc ſcribens reſcivit eleemoſynam Eccleſiæ *Corinthiacæ* paratam eſſe, *Rom.* 15: 26. Quum autem Græciam peragraret, aut parata non erat, aut eâ de re non reſciverat, uti abundè conſtat è ſecundâ ad eam Eccleſiam Epiſtolâ.

Apoſtolus in hâc ſublimi Epiſtolâ, bina magna Euangelii myſteria plenè & divinitus elucidat, *Juſtitiam* viz. *ex fide*, & *Gentium vocationem*: de hiſce agens etiam de magnis articulis agit, viz. de peccato originis, de electione, & rejectione Judæorum. De primo hanc theſin ponit, *Cap.* 1: 17. *In Euangelio revelari Juſtitiam Dei* (*juſtificantem* ſcilicet, prout in lege *damnantem* reperimus) *ex fide* (qua immediatè Deo innixi ſunt tum *Adamus* ante lapſum, tum Judæi, qui hujuſmodi fidem præ ſe tulerunt) *in fidem*, in alterius juſtitiam, ſcilicet *Chriſti*. Hanc juſtificationis rationem aſtruit, primum oſtendens quoſvis homines tum naturâ tum moribus corruptos, nequaquam ſuis meritis juſtificandos: hoc conſtare probat è depravatis moribus Ethnicorum, *Cap.* 1. (hoc abundè conſtabat è ſcriptoribus tunc temporis *Romanis*) & è moribus Judæorum haud multo minus depravatis, licet legem penes ſe haberent, *Cap.* 2. & 3. Concludit igitur *Cap.* 3: 30. Deum juſtificare Judæos *ex fide*, (non ex operibus, quibus innixi erant) & Ethnicos *per fidem*; eorum enim opera execranda juſtificationem reſpuebant. In *Capite* 4. exemplo *Abrahami* utitur, quem Judæi ex operibus luculenter juſtificatum credebant. Dicebant enim אברהם קיים את התורה כלה: i. e. *Abrahamus implevit totam legem*. Probat eum nihil per propria opera, verum per fidem

CHRIST. LVI. NERON. II.

Digitized by Google

CHRIST. LVI. NERON. II.

dem omnia inveniſſe. In *Capite* 5. imputationem juſtitiæ *Chriſti* ad juſtificationem per imputationem peccati *Adami* ad condemnationem probat; non in animo habuit aſſerere, omnes per *Adamum* condemnatos eâ condemnatione per mortem *Chriſti* exemptos, verum ex deſtinato ſolum aſſerit utriuſque imputationem.

Juſtificatio per juſtitiam alterius à Judæorum dogmatibus.erat quam maximè aliena, idcirco probat argumento è pari deſumpto, ex eo ſcilicet quod damnati fuerint homines per injuſtitiam alterius. Mentem ipſius explicant duo loca obſervatu digniſſima: viz. *verſ.* 12. Διὰ τῦτο ὥσπερ, &c. *Propterea quemadmodum per unum hominem peccatum in mundum introiit*, &c. vocula ὥσπερ, *quemadmodum*, voculam *ita* poſcit, quam voculam reperire eſt, *verſ.* 15, 18, 19. Hic verò non exprimitur, verum ſubintelligenda eſt: & in hunc ſenſum Apoſtoli verba exponenda ſunt, q. d. ita ſe res habet ac in *Adamo*, *ſicut per unum hominem introiit peccatum in mundum*, *&c.* ita hìc, utrobique ſcilicet imputatio concedenda eſt. Porro *verſ.* 18. juxta textum Græcum *verbatim*; *ſicut per unius delictum in omnes homines ad condemnationem*, *ita & per unius juſtitiam in omnes homines ad juſtificationem vitæ*. Quì verò ſuper omnes? Noſtri interpretes ad verborum elucidationem quædam addiderunt, verum Apoſtoli mens è curto ſtylo melius patet: innuitur ſcilicet imputatio, q. d. *Sicut unius delictum cedebat in condemnationem omnium*, *ita unius juſtitia quiddam habet*, *quod cedit ad omnes ad juſtificationem vitæ*. Non id vult, omnes per *Adami* lapſum damnatos per *Chriſtum* redemptos: oſtendit enim peccati originis propagationem, non obſtantibus morte & Juſtitia *Chriſti*, quæ tamen profuerunt antequam fuerunt; *verſ.* 13. *Uſque ad legem enim peccatum erat in mundo: porrò peccatum non imputatur ubi non eſt lex. Regnavit tamen mors ab Adamo uſque ad Moſen.* Quì vero peccatum & mors regnabant quum lex data non eſſet? Reſp. Legem *Adamo* dederat Deus, hanc legem violavit, hujus violationis reatus ad omnes deſcendit.

Quum ad finem *Capitis quinti* doctrinam de juſtificatione per fidem docuiſſet & aſtruxiſſet, in *Cap.* 6. 7. & 8. agit de juſtificatorum ſtatu: qui licet omni culpa vacui non ſint, tamen multo melius ſe habent, quam *Adamus* ante ipſius lapſum. Hic quidem creatâ, finitâ, mutabili, humanâ denique juſtitiâ imbutus erat: hi verò juſtitiâ Dei increatâ, infinitâ & immutabili. Hic naturâ ſanctus & juſtus: hi verò *Chriſti* dono. Ille ſibi & naturæ puritati innixus, *Chriſto* & *Spiritu* vacuus erat: hi verò utroque donati erant: vide *Cap.* 8: 1, 2, 9, 10, *&c.*

Cap. 8. *verſ.* 19. de ſecundo myſterio agere aggreditur, *vocatione* ſcilicet *Gentium*, quas *πᾶσαν κτίσιν*, i. e. *omnem creaturam* vocat. Ita vocantur, *Marc.* 16: 15. *Coloſſ.* 1: 23. Oſtendit vanitati Idololatriæ ſubjectas fuiſſe, & Diaboli fraudibus, porrò ab eo liberandas jugo, & eopropter tunc ingemiſcere: ipſos porro una Judæos, qui primitias Spiritus acceperant, gentium converſionem deſiderare, expectantes adoptionem, i. e. totius corporis redemptionem. Eccleſia enim Judaica infantile corpus erat, & ipſius conſtitutiones ætatem infantilem referebant: verum Gentium Eccleſiæ acceſſio erat myſtici corporis *Chriſti* ſtatura plenaria. De vocatione Gentium & rejectione Judæorum verba facturus, rei initium petens, de Prędeſtinationis dogmate celebri agere incipit, de quâ re à *verſu* 29. *Cap.* 8. ad *verſum* 24. *Cap.* 9. deinde de reliquis agit. Judæos viz. in *Meſſia* offenſos defeciſſe, quærentes propriam non ipſius juſtitiam; rejectos denique, non verò omnes; reliquias ſalvandas, quæ ad electionem gratiæ attinebant. Prout cum mundus totus Ethnicus fuerit, quidam tamen ad electionem attinentes, proſelyti facti ſunt, & verum Deum colebant: ita Judæorum nonnulli credebant, reliquis omnibus in incredulitate perſiſtentibus: & hi increduli futuri ſunt uſque dum Gentium plenitudo introierit; & tunc totus *Iſraël* Dei finitus erit.

Illi, quibus Capite ultimo ſalutem dicit, Judæi plerumque fuere, nec non (quamvis *Romæ* jam agerent) *Pauli* alicubi comites & neceſſarii. Quum Judæi edicto *Claudii* è *Româ* pellerentur, facile plurimos ex iis convenire poterat, uti *Priſcillam* & *Aquilam*, quos primo loco memorat, eâ de cauſa noverat. *Epenetus* ab eo converſus fuerat in *Achaja* agente. *Maria* erga ipſum multum laboraverat, licet *Romæ* nondum fuiſſet. Qui de primo Euangelii *Romæ* prædicatore diſquirere avet, huc advertat animum. Quum Apoſtolus verba faciat de fide *Romanæ* Eccleſiæ deprædicatâ per totum orbem, *Cap.* 1: 8. meritò ambigere licet, an tempora edictum *Claudii* præcedentia, an ipſius mortem excipientia reſpiciat, quum ſparſi reverſi fuerint, & plurimi Judæi, increduli digreſſi, Chriſtiani eò rediiſſent. Hoc *Aquilæ* & *Priſcillæ* contigiſſe credo: quidam etiam alibi converſi jam ibidem agebant, prout *Epenetus*, *Andronicus* & *Junia*, &c.

Ipſius comites nominantur, *Act.* 20: 4. Ex quo loco certiores facti ſumus quinam fuerint, qui in hac Epiſtola ſalutem dixerint: viz. I. *Timotheus.* II. *Lucius*, ſeu *Lucas*, (ut videtur) Latino nomine donatus in Epiſtola ad *Latinos*; unà cum *Paulo* erat *Corinthi*, quum hanc Epiſtolam mitteret: quum enim memoraſſet alios, qui *Troadem* præceſſerant, *hi*,

inquit,

CHRIST. LVI. NERON. II.

Corinthum adjungens. III. *Jaſon*, qui & *ſecundus* (ut videtur) dictus fuit, *Actor.* 20:4. Hebraicum illud, hoc ipſius nomen latinum. *Secundus Theſſalonicenſis* appellatur, nec non *Jaſon*, *Actor.* 17:7. IV. *Soſipater* hoc loco dictus, ibidem (ut veriſimile eſt) *Sopater Berrhœenſis* vocatur. V. *Tertius*, qui Epiſtolam deſcripſerat, fortean *Silas* fuit. Hebraicæ linguæ peritus facilè hanc ſententiam amplectetur: Hebraicè enim שלש ſcribitur: at nomina *Hebraica Romani* more *Romano* interpretantur. VI. *Gajus Græcè* idem ac *Cajus*, Latinis nomen uſitatiſſimum. Fuit ille *Corinthius*, 1 *Cor.* 1:14. *Paulus* eum vocat *ſuum & totius Eccleſiæ hoſpitem*. Obſervatio conſuetudinis Judæorum hæc verba illuſtrat. *Maimon.* in Tractatu de *Sabbato*, de ritu agit, quo verbis ſolennibus Sabbati adventum ſanctificabant: *Hæc Sabbati ſanctificatio*, inquit, *uſurpanda non eſt; niſi ubi edunt: verbi gratia, non licet hæc verba ſanctificantia in unâ domo uſurpare & in alterâ edere. Qui igitur in Synagogis uſurpant? quia ibidem iter facientes edunt & comedunt. Cap.* XXX. ubi Gloſſa hæc habet: *Conſtat in Synagogis nequaquam comediſſe, (ut liquet è Capite undecimo Maimonidis Tractatus de precibus) verum in ædibus Synagogæ vicinis, ibidem porrò ſedebant audientes ſanctificationem Sabbati, &c.* Hinc obſervare licet peregrinos & iter facientes exceptos fuiſſe in loco Synagogę vicino, [confer *Actor.* 18:7.] publico ſc. *Xenodochio* ſumtibus totius cœtus. Hic mos laudandus tunc temporis in Eccleſias Chriſtianas fluxit: confer *Hebr.* 13:2. Et *Actor.* 15:4. De his peregrinorum receptionibus benevolis, *Agapæ* in Epiſtolis Apoſtolorum memoratæ fortean intelligendæ ſunt: *Jud. verſ.* 12. *Hi ſunt in Agapis veſtris maculæ, dum vobiſcum convivantur, ſecurè paſcentes, &c.* Falſi doctores iter incogniti facientes, & in his *Xenodochiis* excepti ſumptibus publicis, hanc anſam facilè arripiebant errores ſuos & fraudes propagandi. Hoc ſenſu commodè *Gajus* dicitur *totius Eccleſiæ hoſpes*, miniſter ſc. publicus ab Eccleſia *Corinthiaca* conſtitutus, ut peregrinorum exceptioni proſpiceret: hoc munere ſine fœminis vix defungi quis potuit; juxta quem morem hujuſmodi loca exponenda ſunt. *Phœben miniſtram Eccleſiæ Cenchreenſis, quæ multis hoſpitium præbuit. Verſ.* 6. *Mariam, quæ multum laboravit erga nos.* Vide 1 *Tim.* 5:9,10. &c. De aliis fœminis loquens teſtatur, *eas multum laboraſſe in Domino*, nempe de *Tryphæna*, *Tryphoſa* & *Perſide*, *verſ.* 12. Quæ verba in hunc ſenſum exponi poſſunt; ſaltem innuunt magnos labores exantlatos cedentes in honorem & propagationem Euangelii, & in ſanctorum ut & proprium commodum. Hujuſmodi opera erant, ægrotorum viſitatio, eorum & pauperum ſublevatio, opera impenſa, etiam cum diſcrimine, Miniſtris Euangelii, quacunque profecti ſunt, inſerviendo; item Miniſtrorum receptio & ſublevatio, ſubortâ perſequutione, non ſine proprio diſcrimine. De *Priſcilla* & *Aquilâ* dicit, *qui pro anima mea ſuum ipſorum cervicem ſuppoſuerunt, &c.* Tribus affinibus ſuis ſalutem dicit, ſcil. *Andronico, Juniæ* & *Herodioni*: duo priores, antequam ipſe converſus fuerat, Euangelium amplexi erant, Apoſtolis bene noti; erant vel è numero LXX. diſcipulorum, aut ſaltem egregii *Chriſtiani*, vel *Chriſti* vel Apoſtolorum tunc temporis fidiſſimi comites. *Concaptivos* eos vocat, ſi *captivos* tantum appellaſſet, facilius quis dixiſſet qui & ubi: nam illi *Chriſtiani* fuerunt, dum ille perſequutor erat. Ubi verò poſt ipſius converſionem concaptivi fuerint, haud facile reperimus. Ubi *Petrus* inter eos, quibus ſalutem dicit? Si *Romæ* tunc ageret, qui fit ut non memoretur?

CHRIST. LVI. NERON. II.

ACTORUM CAP. XX. *verſ.* 6.

Et venimus ad eos Troadem intra quinque dies: ubi ſeptem dies commorati ſumus. Et deinceps, uſque ad verſ. 17. CAP. XXI.

PHilippis digreſſus, elápſo Paſchate, *Corinthum* petit; ibidem brevi manſit, adeò ut *Troadem* venerit intra quinque dies poſtquam eò venerant, qui præceſſerant: ita enim *quinque dies* exponendi ſunt: non quod *Paulus* intra quinque dies, *Philippis* digreſſus, *Corinthum* & *Troadem* venerit; verum quòd ipſius comites unà iter inſtituentes, rectà tamen *Troadem* petentes, ibidem quinque dies ſolum commorati fuerint priuſquam ipſe ad eos veniret.

Ibidem diem Dominicum & cœnam Dominicam celebravit, & per totam noctem prædicat, & verba facit, (quod quidem à Judæorum moribus haud omnino abhorrebat: *Hieroſol. Sotah*, fol. 16.4. *R. Meir eruditè docebat per totam noctem Sabbatorum in Synagogâ Chamath*) adeo ut *Eutychus* dormiens decideret; tollitur mortuus & miraculo reſtituitur. Ritè hoc loco Chriſtiani Sabbati ſubſtitutionem, initium & finem obſervare licet.

Hinc tunc temporis digrediens, ut videtur, *Penulam, libros* & *membranas* apud *Carpum* reliquit, 2 *Tim.* 4:13. *Penulam*: jam enim ad *Judæos* populares ſuos profecturus, ibi more Judaico veſtiendus erat: illic veſtitum ſuum *Romanum* reliquit uſque dum denuò in eas *Romanas* regiones reverſus fuerit. Membranæ fortean exemplaria erant Epiſtolarum, quas ſcripſerat: Apographa enim miſiſſe, & ipſa autographa reſervaſſe è ſequentibus concludere licet. *Ego Tertius*, *qui*

CHRIST. LVI. NERON. II. deſcripſi Epiſtolam, *Rom.* 16: 22. *Salutatio manu mea Pauli*, 1 *Cor.* 16: 21. *Coloſſ.* 4: 18. *Quod eſt ſignum in omni Epiſtola*, 2 *Theſſ.* 3: 17. Nam reliqua Epiſtola alterius manu deſcripta erat.

Troade digreſſus denique poſt varia itinera *Miletum* venit. Eò acceſſit *Presbyteros* Eccleſiæ *Epheſi*; ea urbs vicina erat. Quinam verò fuerunt? Non *Timotheus* & *Trophimus*, ipſum enim eò comitabantur. Verùm duodecim viri, qui ipſius χειροθεσία Spiritu Sancto donati fuerant, adeoque ad miniſterium idonei facti, *Actor.* 19: 6. Et præter hos quotquot *Timotheus* quum ibidem ageret, in miniſterium cooptaverat.

Licet *Epheſina*, & reliquæ *Aſiaticæ* Eccleſiæ tunc temporis malè ſe haberent, erroribus ſcil. ſeductæ, & gravi defectione corruptæ & infectæ; prævidet tamen Apoſtolus deteriorem ipſarum conditionem fore indies, & Lupos rapaces eas invaſuros. Hoc concludit non ſolùm ex eò, quòd ſciret poſt ipſius digreſſum falſos doctores majorem animum audacter ſumpturos, verùm ex eo, quod *Chriſtus* prædixiſſet fœdam futuram defectionem, & falſos ſuborituros doctores ante excidium *Hieroſolymitanum*, quod jam prope erat.

ACTORUM CAP. XXI. *verſ.* 17.

Quum igitur perveniſſemus Hieroſolymam, libenter exceperunt nos Fratres.

PAulus jam *Hieroſolymam* pervenit. Id agendum eſt primùm, quod ad hanc Hiſtoriam attinet, diſquirere quo anno eò venerit; & palam facere pro virili, hoc ſecundo anno *Neronis*, prout poſuimus, contigiſſe. Hæc enim alicujus momenti eſt ut eò certiùs quaſdam obſervationes Chronicas denuò uſurpandas confirmemus.

Eum *Hieroſolymam* perveniſſe, & ibidem prehenſum hoc anno omnes in quovis ſeculo crediderunt: horum tamen nemo hanc receptam apud omnes ſententiam vel quovis luculento argumento probavit. In hac ſententia ſunt quidem *Euſebius*, *Ado*, *Caſſiodorus*, *Baronius*, *Lorinus*, & alii, quo verò argumento innixi fuerint, non conſtat: ſanè haud facile reperire eſt apud pleroſque vel quemquam, qui hanc ſententiam probare conetur. Eſſet perquam facile hos duces ultrò ſequi: nec quiſquam ignominiæ notam nobis meritò inureret, ſi receptam hanc ſententiam apud tot viros eruditos amplecteremur. Verum ne cæci alios ſequi videremur, quibus argumentis innixi alios ſequimur, oſtendemus. Et primum Imperii *Neronis* rationem Chronologicam exhibebimus.

NERON. CHRIST. LVI. NERON. II.

I
II
III
IV *Poppæa Neronis* amaſia facta eſt.
V *Nero* matrem *Agrippinam* trucidat.
VI
VII
VIII *Poppæa* fit uxor *Neronis*. Moritur *Pallas*.
IX
X *Albinus Judææ* Præfectus conſtituitur.
XI *Florus Albino* in Præfectura ſucceſſit.
XII Cœpit bellum Judaicum.
XIII
XIV.

Quamvis ea, quæ *Neronis* quibuſdam annis affixa ſunt, ad rem præſentem minimè attinere videantur, hæc tamen uſui fore conſtabit, quum primùm ita ſe hæc habere, prout exhibuimus, oſtenſum à nobis fuerit.

I. *Poppæam Neronis* amaſiam factam IV. Imperii anno conſtat è *Taciti Annal. lib.* 13. *ſect.* 12. ubi initium adulteræ conſuetudinis ponit ad annum U. C. 811. Conſulibus *Nerone* III. Et *Valerio Meſſalla*.

II. *Neronem* matrem *Agrippinam* interfeciſſe quinto Imperii anno aſſerit etiam *Tacitus*, *lib.* 14. *ſect.* 1. ubi interfectam ait anno U. C. 812. Conſulibus *Cajo Vipſanio*, & *Fonteio Capitone*.

III. *Poppæa* facta eſt *Neronis* uxor anno Imperii octavo, *Tacit. Annal. lib.* 14. *ſect.* 9. ſcil. Anno U. C. 815. Conſulibus *P. Mario*, & *L. Aſinio*. Eodem anno, juxta eum, moritur *Pallas*.

IV. Cœpiſſe bellum Judaicum *Neronis* XII. & *Geſſium Florum* in Præfectura *Albini* ſucceſſiſſe anno præcedente, ex hiſce *Joſephi* verbis confirmatur. *Antiq. lib.* 20. *cap. ult.* Καὶ δὴ τὴν ἀρχὴν ἔλαβεν ὁ πόλεμος δευτέρῳ μὲν ἔτει τῆς ἐπιτροπῆς Φλώρου· δωδεκάτῳ δὲ τῆς τοῦ Νέρωνος ἀρχῆς. Quî vero *Baronius* ex his verbis colligeret, initium Præfecturæ *Flori* decimo *Neronis* contigiſſe, haud aſſequi poſſum. Si enim duodecimus *Neronis* fuit *Flori* ſecundus, ejus undecimus fuit etiam *Flori* primus.

Ad pleniorem de hâc re diſquiſitionem quædam alia eò attinentia ſubnectere par erit.

I. *Cæterum*, inquit Joſephus, *poſtquam Felici Succeſſor Porcius Feſtus à Nerone miſſus eſt, Primores Judæorum Cæſaream incolentium Romam profecti ſunt Felicem incuſaturi: dediſſet que omninò pœnas injuriarum, quibus Judæos affecerat, niſi Nero ei condonaſſet Pallantis Fratris precibus, qui tum in pretio erat apud Principem*, Antiq. lib. 20. cap. 7.

II. Idem

CHRIST. LVI. NERON. II.

II. Idem *Joſephus*, de *Feſti* in *Judæâ* præfecturâ verba faciens, narrat eum regionem reperiſſe latronibus & ſicariis afflictam, quos devicit: deinde *Agrippam* domum ſuam *Hieroſolymis* ſtruxiſſe vel atriis Templi altiorem, & ea re offenſos Judæos extruxiſſe murum, qui impediebat nè quis ſacra in Templo peracta conſpiceret. Porrò *Agrippam* & *Feſtum* eam rem malè habuiſſe, & *Feſtum* in mandatis dediſſe ut murus dirueretur, verùm Judæos obtinuiſſe ut Legatos *Romam* eâ de re mitterent, & miſiſſe: *Nero* autem auditâ legatione οὐ μόνον συνέγνω περὶ τοῦ πραχθέντος, ἀλλὰ καὶ συνεχώρησεν οὕτως ἐᾶν τὴν οἰκοδομίαν τῇ γυναικὶ Ποππηίᾳ, θεοσεβὴς γὰρ ἦν, ὑπὲρ τῶν Ἰουδαίων δεηθείσῃ χαριζόμενος. i. e. *Non ſolum ignovit, ſed permiſit etiam ſic manere parietem, gratificatus in hoc uxori ſuæ Poppææ, piæ fœminæ, quæ pro Judæis deprecatrix fuerat*, Antiq. lib. 20. cap. 8. N. B. *uxori Poppææ*.

III. Idem *Joſephus* profectionem ſuam *Romam* his verbis refert. *Poſt annum verò ætatis ſextum ſuprà vigeſimum, Romam mihi proficiſci contigit ob cauſam hanc. Quo tempore Felix in Judæa Procurator erat, ſacerdotes quoſdam mihi familiares & viros optimos, ob levem cauſam Romam miſit coram Cæſare ſiſtendos. Quos ut aliquo pacto periculo eriperem, Romam profectus ſum, ubi per Judæum quendam* Πομπηίᾳ τῇ τοῦ Καίσαρος γυναικὶ γνωσθεὶς i. e. *Poppææ Cæſaris uxori innotui*.

Baronius hic *Joſephum* ſugillat tanquam propriæ ætatis immemorem. *Videas*, inquit, *in his, quæ ſuæ ætatis ſunt, ſuo ipſius teſtimonio convinci, annorum ſex turpiter errantem.* Qui vero? *Quia affirmat ſe agentem ſuum ſuprà vigeſimum ſextum annum, ſub Felice Judææ Præſide Romam veniſſe.* At verò *Joſephus* hoc minimè dicit: dicit quidem ſe profectum fuiſſe *Romam* ut quoſdam eriperet, quos eò miſerat *Felix*, quo tempore Præfectus fuerat: haud verò aſſerit ſe eò profectum, quo tempore *Felix* Præfectus erat.

Ex hiſce quæ ſupra diximus, obſervare licet.

I. Fatendum eſt, prout refert *Tacitus*, *Pallantem* fratrem *Felicis* (cujus *Claudius*, & *Nero*, imperante *Claudio*, fautores fuerant) brevi, imperante *Nerone*, minus gratioſum fuiſſe, haud verò prorſus excidiſſe è gratiâ apud *Neronem* priuſquam *Poppæa* ipſius amaſia facta fuerit, quæ *Agrippinæ* mortem acceleravit, & ejus ſectatores, inter quos *Pallas* fuit, depreſſit. Hâc gratiâ plenè excidit *Pallas* quinto *Neronis*, quum *Agrippina* interfecta fuerit. Haud igitur credere par eſt, *Felicem* gratiâ *Pallantis* evaſiſſe poſt quartum *Neronis*; ſi ritè perpendamus quantùm *Poppæa*, amaſia jam facta, apud *Cæſarem* poterat, & quanto odio *Agrippinam* & ejus ſectatores proſequuta fuerit.

CHRIST. LVI. NERON. II.

II. *Paulus* per biennium *Cæſareæ* incarceratus fuit *Felice* Præfecto, *Actor.* 24: 27. *Biennio completo Felix accepit ſucceſſorem Porcium Feſtum.* De hoc biennio plurimæ ſunt conjecturæ. *Expleto biennio Neronis*, inquit *Baronius*. *Biennium ab accuſatione Felicis à Judæis*, inquit *Magiſter hiſtoriæ Scholaſticæ*. *Biennium hoc inchoandum à præfecturâ Felicis in Judæâ, nam ante illud præfuerat Trachonitidi Batanææ & Gaulanitidi*, &c. inquit *à Lapide*. Probabilior verò ſententia hæc eſt, hoc biennium denotare tempus, quo *Paulus* incarceratus fuerat, Præfecto *Felice* ſcil. ex quo primùm per *Lyſiam* Tribunum prehenſus erat, ad id temporis, quum *Felix* præfecturâ ſuâ cederet. In hâc ſententiâ ſunt *Beda*, *Beza*, *Salmeron*, *Onuphrius* & alii. Adeò hæc ſententia *Lucæ* ſcopo convenit, ut nec illuſtratione aut probatione indigeat; porrò S. Scripturæ computandi conſuetudini, aliis in locis uſitatæ paſſim, maximè congrua eſt.

Duobus hiſce ſatis confirmatis ſequitur, *Paulum* ſecundo *Neronis* prehenſum, & *Felicem* præfecturâ ſuâ defunctum *Neronis* quarto, priuſquam *Poppæa* ad gratiæ faſtigium evecta eſſet. Porrò biennium, quo *Paulus* incarceratus fuerat, *Felice* Præfecto, ſecundum hanc rationem ſequentem intelligendum eſſe.

Sub *Pentecoſten* ſecundo *Neronis* prehenſus erat, porrò ſub *Pentecoſten*, tertio *Neronis*, annum integrum in carcere egerat: ſub *Pentecoſten*, quarto anno *Neronis*, biennium, quo in carcere egerat, impletum fuit: iſtius anni verno tempore præfecturâ ſuâ ceſſit *Felix*, & *Romam* profectus fuit cauſam dicturus, & ipſius frater *Pallas* (qui nondum plenè è *Cæſaris* gratiâ exciderat) ei *Neronem* conciliat. Jam tandem *Neronis* temporis Chronologiam plenè exhibeamus ſecundùm has probationes ſupra memoratas, & noſtri inſtituti rationem.

CHRISTI.	NERONIS.	
LV	I	*Paulus Epheſi*: petit *Macedoniam*, *Cretam*, *Græciam*; *Macedoniam* denuò, & in urbe *Nicopoli* hibernat.
LVI	II	*Paulus* in *Macedonia* uſque ad Paſcha agit: tunc *Hieroſolymam* petit, & ſub Pentecoſten prehenditur; ex eo tempore in carcere agit ad finem anni.
LVII	III	*Paulus* in carcere agit hunc annum integrum, *Felice* Præfecto.
LVIII	IV	*Felicem* excepit *Feſtus*: *Paulus* navem ſcandit *Romam* profecturus, verum hibernat eò proficiſcens.
		Poppæa amaſia *Neronis* facta.
LIX	V	*Feſtus Judæa* præficitur. Hyeme exacta *Romam* venit *Paulus*: Hic annus primus, quo ibidem incarceratus erat. *Nero* matrem *Agrippinam* trucidat.
LX	VI	*Feſtus Judææ* Præfectus: ſecundum annum in carcerem conjectus *Romæ* agit *Paulus*.
LXI	VII	*Feſtus Judææ* Præfectus.
LXII	VIII	*Feſtus Judæa* Præfectus: *Nero Poppæam* uxorem ducit.
LXIII	IX	*Feſtus* Præfectus: eum fortean *Albinus* hoc anno excepit, & *Jacobus* minor interfectus.
LXIV	X	*Albinus Judææ* Præfectus.
LXV	XI	*Florus Judææ* Præfectus.
LXVI	XII	*Florus Judææ* Præfectus: cœpit Bellum.
LXVII	XIII	
LXVIII.	XIV.	Moritur *Nero*: Imperaverat annos XIII. & menſes VIII.

CHRIST. LVI. NERON. II.

ACTORUM CAP. XXI. *à verſ. 17. ad finem.*

SUb feſtum *Pentecoſtes* venit *Paulus Hieroſolymam* hoc feſtum celebraturis refertam: *Jacobum* continuò adibat, Apoſtolum ſcil. reſidentiarium circumciſionis, Conſilii ſui ſocium futurum. Renuntiat quâ ratione ſe geſſerat inter Gentes, & quid effecerat: hæc *Jacobo* & Presbyteris, qui una erant, pergrata fuere. Certiorem faciunt tamen quid de eo à *Judæis* inaudiverant, ſcil. quod ritus *Moſaicos*, præſertim circumciſionem, diffamaſſet; *Te defectionem à Moſe docere omnes, qui inter Gentes ſunt, Judæos, & dicere eos non debere circumcidere filios*, *verſ.* 21. Eo vero quod quam plurimi Judæorum credentium Legis ſtudioſi eſſent, magnum hoc erat ſcandalum. An vero hæc docuit *Paulus* nec ne? Certè docuit, idque merito, neque eo nomine à *Jacobo* culpatur. Licet enim ipſe & *Paulus* & reliqui Apoſtoli, pacis ſtudioſi, Judaicos quoſdam ritus permiſerint, uti & ex hoc loco conſtat, & ex eo, quod ipſe *Paulus Timotheum* eâ de cauſa circumcidiſſet; tamen circumciſio, prout ipſius uſus apud *Judæos* tunc temporis obtinuit, Euangelio repugnabat. Dicit enim Apoſtolus, *Ecce ego Paulus dico vobis, ſi circumcidamini, Chriſtum nihil vobis profuturum. Teſtor enim rurſum omni homini, qui circumciditur, eum eſſe debitorem totius Legis ſervandæ*, *Galat.* 5: 2, 3. Judæus, Chriſtianus factus, filium ſuum circumcidi voluit: cujus rei rationem expoſcit *Paulus*: Quid vero reſpondere poteſt, niſi quod ex eâ juſtificandus eſſet? Judæi Scriptores in hac ſententia fuerunt, *Qui circumciditur, perfectus eſt*. Et, *Qui circumciditur, in Gehennam non introibit*. Et, *Dixi tibi in ſanguine tuo vive*, Ezech. 16. verſ. 6. *Hic eſt ſanguis circumciſionis*, &c. Tanchum, in *Geneſ.* 17. & 18.

Circumciſionem quidem putabant eſſe initi fœderis ſignum, inde pater infantis circumcidendi dicere conſueverat, *Benedictus tu Domine Deus, qui nos præceptis ſanctificaſti, & fœderis, cum Patre noſtro Abrahamo icti, participem facere infantem juſſiſti. Dicebant circumſtantes, adduxiſti eum in conſortium fœderis, adduc eum etiam ad Legem & Thalamum.* Hieroſol. in Beracoth, fol. 13. col. 1. Putabant interea hoc fœdus fuiſſe fœdus operum, ex operibus enim *Abrahamum*, ut ſupra memoravimus, juſtificatum credebant. Jure igitur *Paulus* contra Judæos converſos, infantes eorum circumcidentes, eoque juſtificationem è fide tollentes, pugnat. Ponamus interea *Paulum*, & quemvis hujuſmodi parentem, de hoc articulo differentes. Infantem tuum ne circumcidas, inquit *Paulus*, eo enim toti legi aſtrictus erit: hinc colligere licet, Sacramento infantem teneri, licet legem & obligationem ejus minimè noverit. Pariter baptiſmus obligat, & eo tenetur infans licet ignarus fuerit. E contra, inquit Parens, non exinde juſtificationem quæro, verum circumcidens infantem fœderis gratiæ participem facio. Conceſſo, Pædo-baptiſmum tunc temporis in eum finem uſurpatum non fuiſſe, quid regerere *Paulus* potuit?

Jacobus non inſtigat *Paulum* palinodiam canere,

Digitized by Google

CHRIST. LVI. NERON. II.

nere, verum ſuadet ut ſemet mundaret, & in Templo parum judaizaret, & eo palam faceret ſe non adeò à Moſaicis ritibus abhorrere, uti paſſim ferebant. Conſentit *Paulus*: Ritus enim Templi, ſtante Templo, melius defendi poterant, quam circumciſio, quæ ritus hujuſmodi non fuit. Die ſecundo aut tertio ſanctificationis ſuæ *Aſiani* quidam Judæi turbam contra eum cient. *Quum autem ſeptem illi dies non penè finiti, verum finiendi eſſent, verſ.* 27. hanc eſſe mentem eorum verborum, duodecim dierum ratio (*Cap.* 24: 11.) ſuadet.

Eum repererunt in Templi atrio ſecundo, *atrio* ſc. *mulierum*, quò Ethnicis venire fas non erat, (in atrium exterius ſeu *montem domus* his venire licuit) & præ ſe ferebant eò adduxiſſe Ethnicum, *Trophymum* ſcilicet *Epheſium*: eam ob cauſam verberibus innumeris à promiſcua turba vapulat: Judæi מכות מרדות i.e. *rebellium verberationem* hanc vapulationem appellant. Eo modo verberati ſunt ſacerdotes in Atrio proximè ſuperiore deprehenſi in immunditia, ut referunt Judæi ſcriptores: hos cauſam dicere non permittebant, verùm eorum ſocii arreptis ex Altari, vel quovis loco, fuſtibus ad mortem uſque verberibus contuderunt. Eodem modo *Paulus* fuiſſet tractatus, ni *Romanus Tribunus* ipſum eripuiſſet: *Paulum* nihilominus ſontem putat, & quærit an non ille Ægyptius fuerit, qui haud diu antehac turbam commoverat? De quo *Joſephus, Antiq. lib.* 20. *cap.* 6. hiſce verbis: *Eo tempore quidam ex Ægypto venit Hieroſolymam, ſe eſſe vatem oſtentans, & plebi ſuadens ut ſecuta ſe in montem Oliveti aſcenderet, illic enim viſuros ſuo juſſu cadere Hieroſolymorum mœnia. Quo cognito Felix, ſtipatus multis equitibus & peditibus interfecit quadringentos*, (quatuor millia textus hic memorat) *ducentos vivos cepit.*

ACTORUM CAP. XXII.

PAulus coram populo cauſam dicit: quî inſtitutus, verſatus, converſus fuerit, narrat: porrò refert ſe cœleſti viſione monitum ad gentes miſſum; hinc novus tumultus, quem ſedat Tribunus. Cenſet interea *Paulum* flagitioſum quendam, eò quod in eum clamores permagni excitati fuiſſent. Flagris eum cædere in animo habuit, verum reſcivit fuiſſe *Romanum*. Eò propter mutato Conſilio, die proximè ſequente eum coram Synedrio ſiſtit. Haud frequenter *Hieroſolymis* Synedrium tunc temporis conſidebat. Ex ea urbe migraverat, ut ſupra dictum eſt, aliquot ab hinc elapſis annis. *Jaſnæ* communiter conſidebat; verum jam *Feſti* cauſa *Hieroſolymis* conſedit.

CHRIST. LVI. NERON. II.

ACTORUM CAP. XXIII.

Et XXIV. *ad verſ.* 27.

RAbban Simeon filius *Rab. Gamalielis, Pauli* præceptoris, Synedrii tunc Præſes erat: duo aut tres anni elapſi erant, ex quo *Gamaliel* diem obierat. De hoc viro dicunt Judæi in *Sotah*, cap. 9. *Ex quo mortuus eſt Rabban Gamaliel, periit legis honor: legebant enim & ediſcebant legem eò uſque ſtantes, poſt ipſius obitum ſedentes. Onkelos*, Legis *Targumiſta, ipſius exequias, incenſo thure multo, honeſtavit. Juchaſin*, fol. 53. *Rabban Simeon* Præſes an adfuerit nec ne, compertum non eſt: certum eſt, *Ananiam* ſummum Sacerdotem pro virili agere, ac ſi Præſes fuiſſet. Hunc deſudantem parvi pendit *Paulus*: *parietem dealbatum*, id eſt, egregium Hypocritam eum vocat. Reprehenſus verò eò, quod ſummo Dei ſacerdoti maledixiſſet, Reſpondit, *Neſciebam, Pontificem eſſe maximum*, q. d. id ſi credidiſſem, haud eo modo eum alloquutus fuiſſem, ſcriptum quum ſit, *Principi populi tui non maledices. Paulus* procul dubio *Ananiam* bene novit: verum eum ſummum eſſe & legitimum ſacerdotem, aut (nam perinde eſt) in eo legitimum & ſummum ſacerdotium minimè agnovit. *Ananias* homo nequam & uſurpator fuit: porrò ſummum ſacerdotium irritum factum fuit per maximum Sacerdotem, qui omnes typos impleverat. Deinde ſummi Sacerdotis officium venale fuerat ſæpius, nummis ſc. gratiâ, etiam homicidio partum.

Scinditur Concilium ſanctâ *Pauli* aſtutiâ; profitetur ſe Phariſæum enutritum, tum doctrinâ etiam præſertim quod ad reſurrectionem attinet: hac ratione Sadducæos & Phariſæos acriter pugnaturos commiſit, verum effecit ut *Phariſæi* ſibi, quod ad ſententiam de reſurrectione attinebat, faverent. Facile potuit *Hillelianos* & *Shammæanos* unâ committere pugnandi anſam præbendo, erant enim & hæ ſectæ in Concilio, & ſe invicem oderunt. Haud verò tanti putabat res ab iis controverſas, aut ſuâ animadverſione dignas. Fatentur Gemariſtæ Hieroſolymitani, *in eo peccaſſe primores ſub Templo ſecundo, quod avari eſſent & ſe invicem odio proſequuti fuerint*, Joma, fol. 38. col. 3.

In tumultu *Paulus* iterum per milites eripitur, & eâ nocte cœlitus edoctus fuit Cæſarem appellare, ſeque *Romam* profecturum reſcivit. Inſidiæ ſicariorum, qui eum occidere ſtudebant, præveniuntur, & *Cæſaream* ad *Felicem* mittitur, ubi incarceratus manſit duos annos. Ex hiſce inſidiis & homicidii ſtudio conjectari licet, quales tunc temporis mores Gentis fuerint. A *Joſepho* depinguntur, qui aſſerit, res *Judæorum indies in pejus ruere*, regio-

Digitized by Google

CHRIST. LVI. NERON. II. *regionem repletam furibus & incantatoribus, quos Felix quotidie pro merito puniebat.* Major latro ſcilicet minorem: peſſimè enim audiebat. *Tacitus* plus ſatis eum depingit dicens, *Antonius Felix per omnem ſævitiam ac libidinem jus regium ſervili ingenio exercuit*, Hiſtor. lib. 5. cap. 2. Plurima apud *Joſephum* reperire eſt de ipſius avaritiâ minimè ferendâ, expilatione, crudelitate, ſacrilegio, homicidiis, & quovis flagitio. *Paulo* ab eo allata injuria, de qua in hac narratione, & vel nomen uxoris ſuæ *Druſillæ* ignominiæ notam inurunt: *Druſillam* enim illecebris & technis magicis à marito abſtulit, & uxorem duxit. *Paulum* denique, quia munere eum non corruperat, immeritò captivum per biennium detinuit; horror quidem ipſum invaſit prædicante *Paulo*, verum brevi evanuit.

CHRIST. LVII. NERON. III. *Paulus* hoc anno captivus detinetur, *Felice* præſide, *Cæſareæ*: hæc urbs permagna *Judæis* pariter & *Græcis* repleta erat, ubi poſt hæc bellum Judaicum primum emicuit. Illuſtris Judæorum Academia poſthæc, & fortean etiam tunc temporis.

ACTORUM CAP. XXIV. *verſ.* 27.

CHRIST. LVIII. NERON. IV. **P***Aulus* adhuc captivus *Cæſareæ* tenetur priorem anni partem, præſide *Felice*: eum tunc excepit *Feſtus*: *Felix Romam* petit cauſam dicturus.

ACTORUM CAP. XXV. *Et* XXVI.

P*Aulus* cauſam dicit, primum coram *Feſto* tantum; deinde coram *Agrippa* & illius ſorore *Berenice*: Hic *Agrippa* fuit filius ejus, qui memoratur *Actor. Cap.* 12. Hic, favente *Claudio* Imperatore, ſucceſſit *Herodi*, patruo ſcilicet unà & ſororis marito (neque enim inceſtuoſa hæc familia ab hujuſmodi matrimonio abhorrebat) in regno *Chalcidis*: nam *Berenice* ejus ſoror uxor fuerat *Herodis* (jam defuncti) Regis *Chalcidis* & amborum patrui; hic *Agrippa* ſucceſſit ei in regno, & erat etiam unà *Judææ* Rex. De hoc *Agrippa*, ut veriſimile eſt, frequens facta eſt mentio apud ſcriptores *Hebræos*. Ferunt ſcilicet Regem *Agrippam* pro more legentem legem ad finem anni remiſſionis, & ea verba legentem, *Non poteris ſtatuere ſuper te Regem virum extraneum, qui non frater tuus ſit*; collachrymaſſe, non enim erat *Iſraëlita*: Cœtum vero hoc conſpicientem exclamaſſe, *Bono animo ſis Rex Agrippa, tu es frater noſter.* Religione ſcilicet non gente Judæus erat, & in Judæorum legibus & moribus apprimè verſatus, ut ediſcere licet è *Pauli* verbis, *Cap.* 26. *verſ.* 3.

Soror ejus *Berenice*, jam vidua, unà cum eo habitabat familiariter, & non ſine ignominiæ nota: eadem familiaritas poſthæc interceſſit inter eam & *Veſpaſiani* filium *Titum*, quum bello Judaico ſe immiſcuiſſet. Mentio facta eſt in *Talmude Hieroſol. in Taanith*, fol. 66. col. 1. & *Megillah*, fol. 70. col. 3. *Scribarum, ſeu Judæorum Doctorum Chalcidis, contra quos turba commota erat.* [alio loco כולקים ſcribitur, alio כלקים] Hos forte *Agrippa* eo loco collocaverat. (margin, right column: CHRIST. LVIII. NERON. IV.)

Paulum cauſam dicentem inſanire aſſerit *Feſtus*: verum *Agrippa* in rebus hujuſmodi magis verſatus commotus fuit; &, ſi *Cæſarem* non appellaſſet, liberandum duxit. Quod fecit res erat magni momenti: Primus erat fortean, qui, quum coram *Synedrio* ſiſteretur, ad Ethnicum tamen Judicem provocaret. Cœlitus monitus hoc fecit.

ACTORUM CAP. XXVII.

P*Aulus* navim conſcendit *Romam* petens; unà cum eo *Lucas* fuit, & *Ariſtarchus Theſſalonicenſis*; eum con-captivum ſuum appellat *Paulus*, *Coloſſ.* 4: 10. An tunc temporis, an cum *Romam* deventum, incertum eſt. Unà etiam erat *Trophimus Epheſius*, *Actor.* 21: 29. quem ægrotum *Mileti* reliquit, ut ea littora *Aſiæ* prætérlegebat, *Actor.* 27: 2. 2 *Tim.* 4: 20. ibidem etiam *Timotheum* reliquit. Quinam præter hos ex iis, qui unà cum eo *Hieroſolymam* profecti ſunt, *Actor.* 20: 4. jam comites ejus fuerint, non conſtat. Vergebat jam annus, & appetebat hyems, (elapſa expiationis ſolennitate) & oborta tempeſtate & confracto navigio enatantes omnes evadunt in terram. Ea *Pauli* verba, 2 *Cor.* 11: 25. *Noctem & diem in profundo egi*, de hoc naufragio intelligi nequeunt: ante hæc enim ſcripta fuerat ea Epiſtola, adeòque ea verba tempus diu elapſum reſpiciunt.

ACTORUM CAP. XXVIII. *ab initio ad verſ.* 30.

P*Aulus* & ſocii ejus tres menſes hybernos agunt in *Melita*, ubi quædam miracula edit: vergente hyeme provecti ſunt *Navi Alexandrinâ*, *cujus inſigne erat Caſtor & Pollux*, ſeu, imago duorum adoleſcentium haſtatorum, & albis equis inſidentium, & juxta utrumque dimidium ovi & ſtella. Amentes & ſuperſtitioſi Ethnici hos *Jove* prognatos gemellos credebant, Deoſque navigantium fautores. Eò propter *Lucas* hanc rem narrat, ut veriſimile eſt, eò ſcilicet ſubinnuens ſuperſtitionem eorum, qui navigationem priore feliciorem ſub hoc inſigni ſperabant. CHRIST. LIX. NERON. V.

Hinc devecti *Syracuſas* in *Sicilia* ibidem triduum manſerunt. Hinc *Rhegium* in *Italia* deveni-

CHRIST. LIX. NERON. V.

veniunt, inde *Puteolos*: ibidem *Chriſtianos* reperiunt, & unà cum iis manent ſeptem dies, tum *Romam* petunt. Ad *Appii Forum*, quod quinquaginta lapidibus ab urbe diſtabat, quidam *Romani* Chriſtiani, de adventu eorum audientes, iis in occurſum prodierunt: plures obviam facti ſunt ad *tres Tabernas* 33. lapidibus diſtantes ab urbe. Ita demum unà verſantur aliquandiu ſimul iter carpentes, quod maximo ſolamini *Paulo* erat, qui diu avebat eos videre.

ACTORUM CAP. XXVIII.

Verſ. 30. *Manſit autem Paulus biennium totum in proprio conducto, & excipiebat omnes, qui in ipſum ingrediebantur.*

Verſ. 31. *Prædicans regnum Dei, & docens quæ ſunt de Domino Jeſu Chriſto cum omni dicendi libertate, nemine prohibente.*

Julius Centurio, qui *Paulum* & reliquos captivos è *Judæa* adduxerat, *Pauli* amicus & fautor fuerat ex quo primum iter inſtituerant, *Cap.* 27:3. Porro *Romæ* copiam facit ei conducendi ædes proprias, & libertate fruendi. Triduo elapſo Judæos primarios accerſit, coram iis res ſuas narrat. Denuo die quodam conſtituto aſſerit & explicat veritatem & doctrinam Euangelii; quidam credunt, alii eò magis ejus hoſtes evadunt.

Qui è *Judæa* venerunt ut eum accuſarent, (quoſdam enim veniſſe ob eam cauſam maximè eſt veriſimile) id egerunt ut, negotio citò confecto, domum quam primum redirent, & eo propter cauſæ illius cognitionem accelerarent. Hujus cauſæ cognitionem ſub initium hujus anni contigiſſe è *Pauli* verbis conſtat in ſecundâ Epiſtola ad *Timotheum*, ubi de defenſione ſua facta loquitur, & *Timotheum* rogat ut ante hyemem ad ſe veniret, 2 *Tim.* 4:16, 21.

Neronem appellaverat, & ipſe *Nero* cauſam ejus cognovit, *Philip.* 1:13. 2 *Tim.* 4:16. (ubi fortean *Paulus* & *Seneca* obviam facti ſunt) ubi qui prius amicitiam præ ſe ferebant, præ timore ſe ſubduxerunt, & in diſcrimine poſitum deſeruerunt.

Cauſam non abſimilem memorat *Tacitus*, elapſo biennio cognitam, ſcil. *Pomponiæ Græcinæ* illuſtris heroinæ *Romanæ*, de Religione alienâ. *Superſtitionis externæ rea, mariti judicio permiſſa. Iſque priſco inſtituto, propinquis coram, de capite famaque conjugis cognovit, & inſontem nuntiavit.* Hæc *externa ſuperſtitio* vel *Judaicam* vel *Chriſtianam* Religionem denotare videtur. Neque enim propter Ethnicam ſuperſtitionem (*Romanis* pergratam) in diſcrimen veniſſe putanda eſt. Si ob Chriſtianam Religionem vitæ diſcrimen ſubiverit, (quod quidem veriſimile eſt) eò Chriſtianos ibidem agentes territos exiſtimare licet. Sin minus, quum tamen fuerit hæc *Pauli* cauſa tum exitus ambigui, tum diſcriminis plena, *Pauli* (jam afflicti & in diſcrimine) familiares ſemet ſubduxerunt & deſeruerunt eum, quum illi maximè adjumento eſſe oporteret. *In prima mea defenſione*, inquit, *nemo mihi adfuit, verum omnes deſeruerunt me.* In quibus verbis non quot aut quales defenſiones fecerit, (ut *Poſt-ſcripti* Epiſtolæ ſubjuncti autor inſinuare videtur) verum ſubinnuit neceſſarios ſuos ſe ſubduxiſſe quam primum aliquid diſcriminis appareret: huc fortè reſpiciunt verba de *Dema* ſcilicet, quod *inductus fuerit amore præſentis ſeculi*, 2 *Tim.* 4:10. ſc. deſeruiſſe *Paulum*, & propriæ ſaluti conſulentem eripuiſſe ſe periculo. Si verò ea verba innuunt, *Demam* ad negotia ſecularia reverſum, aut ad *Judaiſmum* denuo defeciſſe, quicquid innuant, certum eſt, eum anno proxime ſequente officii memorem ad *Paulum* rediiſſe. Defecit ut *Petrus Dominum* abnegans, verum reſipuit & reſtauratus fuit. Permagnâ tentabatur anguſtiâ Apoſtolus, quum in vitæ diſcrimine poſitus ſummo, & hoſtibus tantum non obrutus, deſertus fuerit non ſolum à Chriſtianis *Romæ* agentibus, verum etiam à ſuis comitibus: Dominus verò ei adfuit, eumque eripuit ex ore Leonis. Dei Gratia adjutus & è periculo ereptus certior fit, ſe eò ſervatum ut Eccleſiæ inſerviret, & diſſeminaret Euangelium. Ad id negotii pro virili, captivus quum fuerit, ſe confert, & quum Eccleſias ut olim peragrare integrum non fuerit, Epiſtolas ad eas ſcribit: & primum ſcribit

EPISTOLAM AD GALATAS,

quam perferebat *Creſcens*, prout conjectari licet è 2 *Timoth.* 4:10. ubi *Demas* & *Creſcens* & *Titus* reliquiſſe *Paulum* dicuntur, haud tamen exiſtimare licet eandem ob cauſam reliquiſſe. Licet enim *Demas inductus amore præſentis ſeculi eum reliquerit*, tamen *Creſcens* & *Titus* non eo propter ſugillantur: porrò eximia *Titi* pietas eam ſuſpicionem amolitur, & *Creſcentem*, quippe qui unà ibidem nominatur, pariter culpare non licet. Poſt-ſcriptum hujus Epiſtolæ tum *Græcum*, *Syriacum*, *Arabicum*, &c. ſcriptam fuiſſe *Romæ* aſſerit. *Beza Antiochiæ*, *Eraſmus Epheſi*: verum conjectantur ſolum. Neque enim in ipſa Epiſtola innuitur vel tempus vel locus, ubi ſcripta fuit. *Beza* in ea verba, *Cap.* 1:2. *Quique mecum ſunt omnes fratres*, hæc habet. *Puto ſic totum Antiochenæ Eccleſiæ Presbyterium ſignificari, & inde ſcriptam hanc Epiſtolam tempore interveniente inter redi-*

Digitized by Google

CHRIST. LVI. NERON. II. *regionem repletam furibus & incantatoribus, quos Felix quotidie pro merito puniebat.* Major latro ſcilicet minorem: peſſimè enim audiebat. *Tacitus* plus ſatis eum depingit dicens, *Antonius Felix per omnem ſævitiam ac libidinem jus regium ſervili ingenio exercuit*, Hiſtor. lib. 5. cap. 2. Plurima apud *Joſephum* reperire eſt de ipſius avaritiâ minimè ferendâ, expilatione, crudelitate, ſacrilegio, homicidiis, & quovis flagitio. *Paulo* ab eo allata injuria, de qua in hac narratione, & vel nomen uxoris ſuæ *Druſillæ* ignominiæ notam inurunt: *Druſillam* enim illecebris & technis magicis à marito abſtulit, & uxorem duxit. *Paulum* denique, quia munere eum non corruperat, immeritò captivum per biennium detinuit; horror quidem ipſum invaſit prædicante *Paulo*, verum brevi evanuit.

CHRIST. LVII. NERON. III. *Paulus* hoc anno captivus detinetur, *Felice* præſide, *Cæſareæ*: hæc urbs permagna *Judæis* pariter & *Græcis* repleta erat, ubi poſt hæc bellum Judaicum primum emicuit. Illuſtris Judæorum Academia poſthæc, & fortean etiam tunc temporis.

ACTORUM CAP. XXIV. *verſ.* 27.

CHRIST. LVIII. NERON. IV. PAulus adhuc captivus *Cæſareæ* tenetur priorem anni partem, præſide *Felice*: eum tunc excepit *Feſtus*: *Felix Romam* petit cauſam dicturus.

ACTORUM CAP. XXV. *Et* XXVI.

PAulus cauſam dicit, primum coram *Feſto* tantum; deinde coram *Agrippa* & illius ſorore *Berenice*: Hic *Agrippa* fuit filius ejus, qui memoratur *Actor. Cap.* 12. Hic, favente *Claudio* Imperatore, ſucceſſit *Herodi*, patruo ſcilicet unà & ſororis marito (neque enim inceſtuoſa hæc familia ab hujuſmodi matrimonio abhorrebat) in regno *Chalcidis*: nam *Berenice* ejus ſoror uxor fuerat *Herodis* (jam defuncti) Regis *Chalcidis* & amborum patrui; hic *Agrippa* ſucceſſit ei in regno, & erat etiam unà *Judææ* Rex. De hoc *Agrippa*, ut veriſimile eſt, frequens facta eſt mentio apud ſcriptores *Hebræos*. Ferunt ſcilicet Regem *Agrippam* pro more legentem legem ad finem anni remiſſionis, & ea verba legentem, *Non poteris ſtatuere ſuper te Regem virum extraneum, qui non frater tuus ſit*; collachrymaſſe, non enim erat *Iſraëlita*: Cœtum vero hoc conſpicientem exclamaſſe, *Bono animo ſis Rex Agrippa, tu es frater noſter.* Religione ſcilicet non gente Judæus erat, & in Judæorum legibus & moribus apprimè verſatus, ut ediſcere licet è *Pauli* verbis, *Cap.* 26. *verſ.* 3.

Soror ejus *Berenice*, jam vidua, unà cum eo habitabat familiariter, & non ſine ignominiæ nota: eadem familiaritas poſthæc intercesſit inter eam & *Veſpaſiani* filium *Titum*, quum bello Judaico ſe immiſcuiſſet. Mentio facta eſt in *Talmude Hieroſol. in Taanith*, fol. 66. col. 1. & *Megillah*, fol. 70. col. 3. *Scribarum, ſeu Judæorum Doctorum Chalcidis, contra quos turba commota erat.* [alio loco כולקים ſcribitur, alio כלקים] Hos forte *Agrippa* eo loco collocaverat. CHRIST. LVIII. NERON. IV.

Paulum cauſam dicentem inſanire aſſerit *Feſtus*: verum *Agrippa* in rebus hujuſmodi magis verſatus commotus fuit; &, ſi *Cæſarem* non appellaſſet, liberandum duxit. Quod fecit res erat magni momenti: Primus erat fortean, qui, quum coram *Synedrio* ſiſteretur, ad Ethnicum tamen Judicem provocaret. Cœlitus monitus hoc fecit.

ACTORUM CAP. XXVII.

PAulus navim conſcendit *Romam* petens; unà cum eo *Lucas* fuit, & *Ariſtarchus Theſſalonicenſis*; eum con-captivum ſuum appellat *Paulus*, *Coloſſ.* 4: 10. An tunc temporis, an cum *Romam* deventum, incertum eſt. Unà etiam erat *Trophimus Epheſius*, *Actor.* 21: 29. quem ægrotum *Mileti* reliquit, ut ea littora *Aſiæ* præterlegebat, *Actor.* 27: 2. 2 *Tim.* 4: 20. ibidem etiam *Timotheum* reliquit. Quinam præter hos ex iis, qui unà cum eo *Hieroſolymam* profecti ſunt, *Actor.* 20: 4. jam comites ejus fuerint, non conſtat. Vergebat jam annus, & appetebat hyems, (elapſa expiationis ſolennitate) & oborta tempeſtate & confracto navigio enatantes omnes evadunt in terram. Ea *Pauli* verba, 2 *Cor.* 11: 25. *Noctem & diem in profundo egi*, de hoc naufragio intelligi nequeunt: ante hæc enim ſcripta fuerat ea Epiſtola, adeòque ea verba tempus diu elapſum reſpiciunt.

ACTORUM CAP. XXVIII. *ab initio ad verſ.* 30.

PAulus & ſocii ejus tres menſes hybernos agunt in *Melita*, ubi quædam miracula edit: vergente hyeme provecti ſunt *Navi Alexandrinâ*, *cujus inſigne erat Caſtor & Pollux*, ſeu, imago duorum adoleſcentium haſtatorum, & albis equis inſidentium, & juxta utrumque dimidium ovi & ſtella. Amentes & ſuperſtitioſi Ethnici hos *Jove* prognatos gemellos credebant, Deoſque navigantium fautores. Eò propter *Lucas* hanc rem narrat, ut veriſimile eſt, eò ſcilicet ſubinnuens ſuperſtitionem eorum, qui navigationem priore feliciorem ſub hoc inſigni ſperabant. CHRIST. LIX. NERON. V.

Hinc devecti *Syracuſas* in *Sicilia* ibidem triduum manſerunt. Hinc *Rhegium* in *Italia* deveni-

CHRIST. LIX. NERON. V.

veniunt, inde *Puteolos:* ibidem *Chriſtianos* reperiunt, & unà cum iis manent ſeptem dies, tum *Romam* petunt. Ad *Appii Forum*, quod quinquaginta lapidibus ab urbe diſtabat, quidam *Romani* Chriſtiani, de adventu eorum audientes, iis in occurſum prodierunt: plures obviam facti ſunt ad *tres Tabernas* 33. lapidibus diſtantes ab urbe. Ita demum unà verſantur aliquandiu ſimul iter carpentes, quod maximo ſolamini *Paulo* erat, qui diu avebat eos videre.

ACTORUM CAP. XXVIII.

Verſ. 30. *Manſit autem Paulus biennium totum in proprio conducto, & excipiebat omnes, qui in ipſum ingrediebantur.*

Verſ. 31. *Prædicans regnum Dei, & docens quæ ſunt de Domino Jeſu Chriſto cum omni dicendi libertate, nemine prohibente.*

JUlius Centurio, qui *Paulum* & reliquos captivos è *Judæa* adduxerat, *Pauli* amicus & fautor fuerat ex quo primum iter inſtituerant, *Cap.* 27:3. Porro *Romæ* copiam facit ei conducendi ædes proprias, & libertate fruendi. Triduo elapſo Judæos primarios accerſit, coram iis res ſuas narrat. Denuo die quodam conſtituto aſſerit & explicat veritatem & doctrinam Euangelii; quidam credunt, alii eò magis ejus hoſtes evadunt.

Qui è *Judæa* venerunt ut eum accuſarent, (quoſdam enim veniſſe ob eam cauſam maximè eſt veriſimile) id egerunt ut, negotio citò confecto, domum quam primum redirent, & eo propter cauſæ illius cognitionem accelerarent. Hujus cauſæ cognitionem ſub initium hujus anni contigiſſe è *Pauli* verbis conſtat in ſecundâ Epiſtola ad *Timotheum*, ubi de defenſione ſua facta loquitur, & *Timotheum* rogat ut ante hyemem ad ſe veniret, 2 *Tim.* 4:16, 21.

Neronem appellaverat, & ipſe *Nero* cauſam ejus cognovit, *Philip.* 1:13. 2 *Tim.* 4:16. (ubi fortean *Paulus* & *Seneca* obviam facti ſunt) ubi qui prius amicitiam præ ſe ferebant, præ timore ſe ſubduxerunt, & in diſcrimine poſitum deſeruerunt.

Cauſam non abſimilem memorat *Tacitus*, elapſo biennio cognitam, ſcil. *Pomponiæ Græcinæ* illuſtris heroinæ *Romanæ*, de Religione alienâ. *Superſtitionis externæ rea, mariti judicio permiſſa. Iſque priſco inſtituto, propinquis coram, de capite famaque conjugis cognovit, & inſontem nuntiavit.* Hæc *externa ſuperſtitio* vel *Judaicam* vel *Chriſtianam* Religionem denotare videtur. Neque enim propter Ethnicam ſuperſtitionem (*Romanis* pergratam) in diſcrimen veniſſe putanda eſt. Si ob Chriſtianam Religionem vitæ diſcrimen ſubiverit, (quod quidem veriſimile eſt) eò Chriſtianos ibidem agentes territos exiſtimare licet. Sin minus, quum tamen fuerit hæc *Pauli* cauſa tum exitus ambigui, tum diſcriminis plena, *Pauli* (jam afflicti & in diſcrimine) familiares ſemet ſubduxerunt & deſeruerunt eum, quum illi maximè adjumento eſſe oporteret. *In prima mea defenſione*, inquit, *nemo mihi adfuit, verum omnes deſeruerunt me.* In quibus verbis non quot aut quales defenſiones fecerit, (ut *Poſt-ſcripti* Epiſtolæ ſubjuncti autor inſinuare videtur) verum ſubinnuit neceſſarios ſuos ſe ſubduxiſſe quam primum aliquid diſcriminis appareret: huc fortè reſpiciunt verba de *Dema* ſcilicet, quod *inductus fuerit amore præſentis ſeculi*, 2 *Tim.* 4:10. ſc. deſeruiſſe *Paulum*, & propriæ ſaluti conſulentem eripuiſſe ſe periculo. Si verò ea verba innuunt, *Demam* ad negotia ſecularia reverſum, aut ad *Judaiſmum* denuo defeciſſe, quicquid innuant, certum eſt, eum anno proximè ſequente officii memorem ad *Paulum* rediiſſe. Defecit ut *Petrus Dominum* abnegans, verum reſipuit & reſtauratus fuit. Permagnâ tentabatur anguſtiâ Apoſtolus, quum in vitæ diſcrimine poſitus ſummo, & hoſtibus tantum non obrutus, deſertus fuerit non ſolum à Chriſtianis *Romæ* agentibus, verum etiam à ſuis comitibus: Dominus verò ei adfuit, eumque eripuit ex ore Leonis. Dei Gratia adjutus & è periculo ereptus certior fit, ſe eò ſervatum ut Eccleſiæ inſerviret, & diſſeminaret Euangelium. Ad id negotii pro virili, captivus quum fuerit, ſe confert, & quum Eccleſias ut olim peragrare integrum non fuerit, Epiſtolas ad eas ſcribit: & primum ſcribit

EPISTOLAM AD GALATAS,

quam perferebat *Creſcens*, prout conjectari licet è 2 *Timoth.* 4:10. ubi *Demas* & *Creſcens* & *Titus* reliquiſſe *Paulum* dicuntur, haud tamen exiſtimare licet eandem ob cauſam reliquiſſe. Licet enim *Demas inductus amore præſentis ſeculi eum reliquerit*, tamen *Creſcens* & *Titus* non eo propter ſugillantur: porrò eximia *Titi* pietas eam ſuſpicionem amolitur, & *Creſcentem*, quippe qui unà ibidem nominatur, pariter culpare non licet. Poſt-ſcriptum hujus Epiſtolæ tum *Græcum*, *Syriacum*, *Arabicum*, *&c.* ſcriptam fuiſſe *Romæ* aſſerit. *Beza Antiochiæ*, *Eraſmus Epheſi:* verum conjectantur ſolum. Neque enim in ipſa Epiſtola innuitur vel tempus vel locus, ubi ſcripta fuit. *Beza* in ea verba, *Cap.* 1:2. *Quique mecum ſunt omnes fratres*, hæc habet. *Puto ſic totum Antiochenæ Eccleſiæ Presbyterium ſignificari, & inde ſcriptam hanc Epiſtolam tempore interveniente inter*

redi-

CHRIST. LIX. NERON. V.

reditum Pauli & Barnabæ in Aſiam, primo confecto itinere, & eas afflictiones, quæ Antiochiæ obtigêre, Actor. 14: 28. At verò ea Eccleſiarum defectio, quam in hac Epiſtola & alibi perſtringit Apoſtolus, tunc temporis cœpta non erat, & fortean *Galatia* Euangelium tunc amplexa non fuerat. Hæc etiam militant contra ſententiam eorum, qui aſſerunt hanc Epiſtolam *Ephesi* ſcriptam fuiſſe: quum enim *Paulus Ephesi* ageret, defectio, quæ Eccleſias poſt hæc graviter & paſſim invaſit, recens emicare cœpit. Ob hanc rationem *Romæ* ſcriptam cenſeo, quia ea gangræna in Eccleſiis Orientalibus jam maturuit, prout conſtat è ſecunda Epiſtola ad *Timotheum*, quæ hoc anno etiam ſcripta fuit, 2 *Tim.* 1: 15.

Falſi Doctores *Galatas* ſeduxerunt, adeò ut relicta Euangelii ſimplicitate ceremonias antiquas amplecterentur denuò, & juſtificationem ſperarent ex operibus legis, quam culpam Apoſtolus in hac Epiſtola acriter perſtringit. Primum, Apoſtolatum ſuum aſſerit haud minorem eſſe *Petri*, *Jacobi* & *Johannis* circumciſionis Miniſtrorum, qui Columnæ videbantur, quos ſe tum ſuum munus adprobaſſe oſtendit; tum Legis naturam cœlitus edoctus exhibet, ubi maximè offenſi erant. Præſertim eum articulum attingit, quo innixi ſunt præcipuè, ſcil. quod *in eâ vitam* ſperarent.

Poſuit Dominus in *Sione* lapidem, Judæis quidem huc uſque offendiculum: De hoc ſcriptum eſt *Levit.* 18: 5. *Ezech.* 20: 3. & alibi, & in hujus Epiſtolæ *Cap.* 3: 12. Hinc vitam & juſtificationem ex operibus legis ſperabant: Apoſtolus hujus Epiſtolæ Capite tertio bina dogmata refert, hanc litem dirimentia, & omnia fidei tribuentia. ſcil. I. Legem non datam eſſe ut fœderi gratiæ repugnaret, ſed ut ei inſerviret. II. Ex ipsâ lege conſtare, neminem obſervare eam potuiſſe, verùm maledictioni quemvis fieri obnoxium. Non dicit (N. B.) quotquot *deficiunt*, ſed quotquot *ſunt* ex operibus *legis*. Hinc conſtat legem non ſolum execrationem denunciare non ſervantibus, verùm neminem ſervare poſſe, adeoque quemlibet execrationi obnoxium eſſe. Bina hæc colligere licet ex iis verbis, *Maledictus quicunque non manſerit in omnibus*, &c. Lex igitur non data erat ut ex ea juſtificaremur, verùm ut juſtificationis fœderi inſerviret, non ut cum fœdere pugnaret, verùm ut ei miniſtraret, non eò ut maledictioni obnoxios faceret, verùm ut maledictionem oſtendens præmoneret eam evitare: adeò ut *in ea* non *ex ea* vivere quis potuit: juſtificationis *via*, non *cauſa* erat, *Gal.* 3: 5. Judæi legem moralem gratiæ fœderi repugnantem reddiderunt, dum ex operibus juſtificationem ſperabant, & legem ritualem morali adverſam, dum ritibus ſolùm ſe aſtrictos putabant. Cæterum legem in ſe ſanctam, puram & bonam, in mortem propriam vertebant, eâ abutentes. *In* lege morali, licet non *ex ea* vixiſſent, ſi eâ ritè uſi fuiſſent. Quantò enim magis eam ſervare quis ſtudet, ſuam impotentiam perſentiet, adeoque eò magis ad *Christum* adducitur. Verum ritibus ſe ſolum aſtrictos putantes, moralem legem inſuper habebant. Hinc leges rituales in ſe bonæ, iis factæ ſunt *Statuta non bona, & jura in quibus non viverent, Ezech.* 20: 25.

CHRIST. LIX. NERON. V.

Romæ etiam, ſub initium hujus anni ſcripſit *Paulus*

SECUNDAM EPISTOLAM AD TIMOTHEUM.

Ubi jubet *Timotheum* venire ad ſe ante hyemem.

Timotheus Epheſi agebat, quum ad eum hæc Epiſtola miſſa eſſet, uti ex ipſa hac Epiſtola conſtat.

I. Ex eo, quod ſalutem dicat familiæ *Oneſiphori*, *Cap.* 4. *verſ.* 19. *Epheſi* ſcilicet: *Cap.* 1. *verſ.* 16, 18.

II. Ex eo, quod jubet eum ad ſe venientem *Troadem* petere, *Cap.* 4: 13. *Troadem* petebat *Paulus Epheſo* digreſſus, 2 *Cor.* 2: 12. & denuò *Epheſum* rediens, *Act.* 20: 5.

III. Ex eo, quod eum de *Alexandro* præmoneat, *Cap.* 4: 14. *Epheſo* ſcilicet, 1 *Tim.* 1. *verſ.* 20. *Actor.* 19: 33.

De tempore, quo ſcripta fuerit hæc Epiſtola, dubitarunt quidam (de loco enim ambigere non licet) propter ea verba, *Cap.* 4: 6. *Ego jam delibor & tempus reſolutionis meæ inſtat.* Hinc quidam exiſtimârunt eum proximè Martyrio coronandum, & hanc noviſſimam omnium, quas ſcripſerat, eſſe Epiſtolam. At verò è collatis ipſius verbis, *verſ.* 17, 18. & *Philipp.* 1: 25. & *Philem. verſ.* 22. liquidò conſtat, ea verba non eo ſenſu accipienda, quaſi proximè eſſet martyrio coronandus, ſed alio ſenſu. Quo vero? *Baronius* hæc habet. *Non in alium ſenſum atque ſententiam ea Pauli verba de inſtanti ſuo obitu intelligi poſſe videntur; niſi quod fortaſſe fuerat ſibi divinitus revelatum, ſe ſub Nerone capite plectendum eſſe. Satis enim tempus illud inſtans videri poterat, quod ſub eodem Principe fore noſſet implendum.* Verum minimi momenti hæc ſunt; potuiſſet enim per ætatem *Nero* quinquaginta aut ſexaginta annos vixiſſe poſt ab Apoſtolo exaratam hanc Epiſtolam. Sed ex ipſo textu facile ratio peti poteſt hanc litem dirimendi. *Paulus Timotheum* tanquam præcipuum in Euangelii opere ſucceſſorem ſuum ſpectabat, & ſibi fore ſuper-

Digitized by Google

CHRIST. LIX. NERON. V.

ſuperſtitem: erat enim juvenis, non tantum eximiis donis imbutus, & ad hoc opus capeſſendum inſtructus, verum prophetiis quibuſdam & prædictionibus ad id muneris præmonſtratus, ut ſupra dictum fuit, 1 *Tim.* 1: 18. Hic igitur eum hortatur ut pro virili opus Euangeliſtæ impleret, & miniſterio ſumma cura defungeretur, eò quod ipſe haud diu permanſurus eſſet, ſenex jam factus & labore fractus, captivus etiam tunc temporis, & in diſcrimine perpetuò poſitus: *Timotheum* ergo oportet ſemel parare ad id muneris obeundum defuncto demum *Paulo.*

Timotheum jubet *Marcum* unà ſecum *Romam* adducere, quem *Corinthi* fuiſſe memoravimus quum *Paulus* eò ultimo veniret. Hoc innuunt ea verba, *Cap.* 4: 20. *Eraſtus manſit Corinthi, Trophimum autem reliqui Mileti infirmum. Eraſtum Corinthi* manſiſſe prius novit *Timotheus*, qui unà cum *Paulo* illud iter inſtituit, quum *Eraſtus Corinthium* profectus ibidem manſerit. Porro *Trophimum Mileti* infirmum relictum *Timotheus* prius novit, quippe *Miletum Epheſo* vicinum erat; credere etiam par eſt *Timotheum*, una cum *Trophimo Mileti* relictum: verum quando relictus erat? *Reſp.* Non quum *Paulus Hieroſolymam* proficiſcens Presbyteros *Epheſi Miletum* accerſiverit, *Act.* 20. *Trophimus* enim una proficiſcens cum eo *Hieroſolymis* agebat, *Act.* 21: 19. Verum quum *Paulus Hieroſolymis* relictis, *Romam* captivus peteret, ut ſuprà annotatum, licet eò veniſſe non memoretur. Sunt qui vocem *Miletum* pro *Melita* poni cenſent, inter quos *Beza*, qui textum, quem elucidare non potuit, depravatum facile credere ſolet. *Potius conjicio legendum* ἐν Μελίτῃ, inquit, *quod vocabulum facilè fuit* in μιλήτῳ *depravare. Lucas* ῥητῶς dicit, *Paulo* relictâ *Judæa* & *Romam* petente, eos in animo habuiſſe *navigare ſecundum Aſiæ regiones*, *Act.* 27: 2. Rationi magis erat conſentaneum credere, *Paulum* id itineris carpentem *Miletum* veniſſe, (erat enim pars regionum *Aſiæ*) quam ſine causâ *Miletum* in *Melitam* vertere. Porrò Apoſtoli ſcopus eam mutationem vetat: haud enim *Timotheo* ſenunciat, *Eraſtum Corinthi* manſiſſe, aut *Trophimum Mileti* ægrotum relictum, tanquam rem novam, quam prius non reſciverat: verùm hæc ſatis comperta & nota refert, uti ad ſcopum ſuum attinentia. *Timotheum* & *Marcum Romam* accerſiverat; ut eos ad hoc iter carpendum ſtimularet, duobus argumentis utitur. I. Refert, ſe ab omnibus neceſſariis ſuis deſertum, *verſ.* 9, 10. adeoque deſtitutum iis opus habere. II. Monet porrò eſſe qui vices eorum, dum abeſſent, præſtarent. Licet enim *Marcus Corintho* digrederetur, tamen *Eraſtus*, qui ibidem manſit, ejus vicem præſtaret; licet *Timotheus Epheſo* digrederetur, tamen *Trophimus*, quem *Mileti ægrotum reliquerat*, paratus erat qui ejus vicem præſtaret.

Per *Tychicum*, qui hanc Epiſtolam ad *Timotheum* pertulerat, *Cap.* 4: 12. *Paulus* etiam miſit

EPISTOLAM AD EPHESIOS.

Conſtat enim vinctum eam Epiſtolam miſiſſe, *Cap.* 3: 1. & *Tychico* perferendam dediſſe, *Cap.* 6: 21. *Ut autem ſciatis res meas, & quid agam, omnia vobis nota faciet Tychicus charus frater & fidus Miniſter in Domino: quem eò propter ad vos miſi.*

In hac Epiſtola præſertim alloquitur Chriſtianos in Eccleſia *Epheſina* ex Ethnicis factos, quos in veritate confirmat, & præmunit adverſus gliſcentem tunc temporis defectionem. Porrò explicatius exponit Euangelii myſterium, præſertim duobus Capitibus prioribus, prout Capite tertio ipſe profitetur. *Deus per revelationem notum mihi fecit myſterium illud, (ſicut ante ſcripſi paucis) ex quo perlecto poteſtis perpendere quæ ſit mea intelligentia in myſterio Chriſti*, verſ. 3, 4.

Multa loquitur de myſterio vocationis Gentium: Judæos & Gentiles, in unitate fidei & agnitione Filii Dei junctos, appellat *virum adultum ad menſuram plenæ ſtaturæ Chriſti*, *Cap.* 4: 13. *Cap.* 5: 26, 27. Agens de *Chriſto* Eccleſiam lavante, ut ſibi eam ſiſteret *non habentem maculam & rugam*, &c. reſpicere videtur Judaicam ſuperſtitionem in ablutionibus & purificationibus uſurpatam. Maimon. in Mikvaoth, cap. 1. *Nihil intercedere debet inter eum, qui lavandus eſt, & aquam: ſi quid inter eum & aquam interpoſitum ſit*, e. g. *ſi lutum aut farina ſubacta carni adhæreat, immundus eſt, neque ablutio quicquam prodeſt.* Et paucis interjectis: *Si cujuſvis carni aut vaſi adhæreat quicquam interpoſitum, farina ſubacta ſcilicet, pix aut quicquam hujuſmodi, licet non excedat granum ſinapi, & ſi animum advertat, ablutio nihil prodeſt.*

Quod *verſu* 28. ait, *Ita debent viri diligere ſuas uxores ut ſua ipſorum corpora*, Judæorum Doctrinæ congruum eſt. *Dicunt Doctores noſtri, qui uxorem ut ſuum corpus diligit, & qui eam præ ſuo corpore honorat, & qui filios ſuos in via recta ducit*, &c. *de hujuſmodi ſcriptum eſt*, Cognoſces pacem in Tabernaculo tuo futuram, &c. *Alpheſ. in Gittin, cap. ult.*

CHRIST. LX. NERON. VI.

Jam deventum ad annum ſecundum captivitatis *Pauli*, quo ei obtigerunt res variæ & alternæ, ſcil. Eccleſiarum peregrè agentium viſitationes & ſalutationes gratiſſimæ, & quorundam domi agentium & malevolorum

CHRIST. LX. NERON. VI.

rum oppugnationes: dolor ob morbum *Epaphroditi* periculi plenum, gaudium & ſolamen ob ipſum ſanitati redditum. Eccleſia *Philippenſis* cum ad *Paulum* viſendum ſuo nomine miſerat, & per illius manus quædam amoris pignora in ipſius ſubſidium, & in carcere agentis ſolamen. *Romæ* decubuit morti proximus: ubi convaluit & domum rediturus fuit, per eum *Paulus* miſit

EPISTOLAM AD PHILIPPENSES;

ſuo & *Timothei* nomine ſcriptam, qui jam, uti rogabat, ad eum venerat. In hac Epiſtola refert, quoſdam Euangelium prædicaſſe ex charitate & alios per invidiam & contentionem afflictionem vinculis ſuis addentes. Vinctus tunc temporis fuit, verùm liberationem ſperavit, ut dictum *Cap.* 2: 24. Sperabat enim brevi *Timotheum* ad eos mittere, & unà cum eo venire. Poſt hæc comperiemus *Paulum* ſolutum, *Timotheum* autem incarceratum, adeoque iter conſtitutum impræſentiarum præventum.

Huic Eccleſiæ ſolum unà cum *Epiſcopis* & *Diaconis* ſalutem dicit. In aliis Eccleſiis procul dubio *Epiſcopi* & *Diaconi* fuerunt, verùm hîc nominantur fortean eò quòd *Epiſcopi* & *Diaconi* collectam pro eo corraſiſſent, & ad eum miſiſſent; vel quia in animo habuit officii & ordinis formam in Eccleſia *Philippenſi*, ex Ethnicis omninò conflatâ, exhibere ei Eccleſiarum fidelium Judæorum conformem.

De hæreticis & incredulis Judæis cavendis inculcat, quos *canes* & *conciſionem* vocat. Ethnicos *canes* appellare Judæi conſueverant; eos jam *canes* appellat *Paulus*. Haud minus apud Talmudiſtas malè audit ſeculum illud, quo venturus erat *Meſſias*, quàm apud S. Scripturam, 2 *Tim.* 3: 1. &c. Inter alia hæc habent. *Cum venerit Filius Davidis, Synagogæ in lupanaria vertentur. Excindetur Galilæa: vaſtabitur Gablan*, (*Samaritana* Pentateuchi verſio ſemper vertit *Seir, Gablah*) *& viri in finibus Iſraëlis migrabunt è civitate in civitatem, ſapientia Scribarum erit faſtidita, viri pii opprobiis afficientur, & canini erunt vultus iſtius ſeculi hominum*, Talmud. Babylon. in Sanhedrin, fol. 97. Eos appellat κατατομὴν, *Conciſionem*. Ea vox notat ſuperſtitioſas, vanas & impias inciſiones carnis apud Ethnicos uſurpatas: ut 2 *Reg.* 18: 27. &c. De circumciſione ad eum modum cenſet. Uſurpatur hæc vox Græca à LXX. *Levit.* 21: 5.

Philippis agentem quendam *Socium Germanum* vocat, reſpiciens fortean ad vocem רב, notantem apud Judæos pietate inſignem: חבריא דרבנן paſſim in *Talmude Hieroſolymitano* uſurpatur; ſeu vocem זוגי; *juga* aut *compares* notantem: ita vocabantur Præſes & Vice-præſes Synedrii; egregii illi compares *Shemajah & Abtalion*, *Hillel & Shammai*, &c. De quo verba facit *Paulus* hoc loco, non conſtat; *Barnabæ* aut *Silæ* hæc maximè conveniunt. Quiſquis ille fuerit, videtur fuiſſe vir quidam inſignis tunc temporis in Eccleſia, quem rogat lites tunc temporis natas dirimere, & ubi opus eſſet operam impendere. Proculdubio *Epaphroditus* eum certiorem fecerat ſigillatim de Eccleſiæ ſtatu, & eò reſpiciens *Philippenſes* hortatur.

CHRIST. LX. NERON. VI.

Prout Eccleſia *Philippenſis* ad eum viſendum *Epaphroditum* miſerat, ita *Coloſſenſis* miſit Eccleſiæ Miniſtrum *Epaphram* eandem ob cauſam, *Col.* 1: 7, 8. exinde per *Tychicum*, qui anno proximè elapſo *Epheſi* fuerat, ut *Timotheum* adduceret, & cum eo *Romam* redierat, *Coloſſ.* 4: 7. & *Oneſimum Coloſſenſem*, *Coloſſ.* 4: 9. *Paulus* & *Timotheus* mittunt

EPISTOLAM AD COLOSSENSES.

Hanc Epiſtolam hoc anno ſcriptam fuiſſe ex eo conſtat, quod *Marcum* unà cum ipſo fuiſſe, memoret, *Cap.* 4: 10. Licet enim anno proximè elapſo *Tychicus Epheſum*, ad *Timotheum* profectus, *Coloſſis* vicinam, hanc Epiſtolam pertuliſſe crederetur; tamen ex eo quod *Marcus* jam *Romæ* ageret, dubitandi locus relictus non eſt. Quum autem per *Epaphram* (qui ad *Paulum* viſendum ab Eccleſia miſſus fuerat) hanc Epiſtolam mittendam quivis facilè crederet, è contra conſtat è *Cap.* 4. *verſ.* 12. eum cum *Paulo* manſiſſe & con-captivum ejus jam fuiſſe, *Philem. verſ.* 23.

Coloſſenſes, ut & *Laodicenſes Paulum* nunquam conſpexerant, ut conſtat è *Cap.* 2. *verſ.* 1. Has Eccleſias tamen per Miniſtros plantaverat, aut ſaltem ſatis rigaverat. Apoſtoli ſubordinatos ſibi miniſtros habuerunt in eum finem; vox *Opitulationes*, 1 *Cor.* 12: 28. hanc rem innuere videtur.

Laodicenſes Epiſtolam ad eum miſerant, (prout *Corinthii* fecerant, 1 *Cor.* 7: 1.) quam memorat, *Cap.* 4: 16. *Facite ut etiam legatis Epiſtolam à Laodicea*; non quod Epiſtolam ibidem ſcripſiſſet nunc deperditam, (ubi nunquam fuerat) ut nonnulli exiſtimant, verum Epiſtolam vult, quam ad eum miſerant *Laodicenſes*. Non id vult ut perlegatur tanquam parem autoritatem cum ſuis Epiſtolis nacta, verum prout *Coloſſenſibus* non inutile exemplar. Si hæc interpretatio minus arrideat, aliam exhibebimus cum ad Epiſtolas *Johannis* deventum erit: neque enim par eſt credere deperditam fuiſſe aliquam *Pauli* Epiſtolam in Eccleſiis olim perlectam.

Inter eos, qui ſalutem dicunt, memoratur *Demas*: qui anno proximè elapſo eum deſeruit,

inductus

Digitized by Google

CHRIST. LX. NERON. VI.

inductus (prout putabat) *amore præſentis ſeculi*, 2 *Tim.* 4: 10. jam denuo vir bonus revertitur. Gratiæ vel ipſa primordia (licet ipſi *Paulo* haud conſpicua fuerint) gravi tentatione & libidine ferè obruta, tamen æterno decreto & amori ſempiterno innixa haud penitus deficere poſſunt. Equidem gratiæ exercitium deliquium pati poteſt, & emortuum vel oculatiſſimo *Paulo* videri poteſt, dum habitus in vivis eſt. Id volo, eam mutationem per gratiam factam, ſeu animæ regenerationem & cor lapideum carneum factum, licet poſt hæc obdureſcat, haud tamen rurſus lapideum prorſus evaſurum. *Fides quâ apprehendens* labi quidem poteſt, verùm *fide quâ apprehenſa* imbutus labi non poteſt.

Per *Tychicum* & *Oneſimum*, per quos miſerat Epiſtolam ad *Coloſſenſes*, miſit etiam

EPISTOLAM AD PHILEMONEM.

Philemonem Coloſſenſem fuiſſe ex eo conſtat, quod *Paulus Oneſimum* ſervum ejus *Coloſſenſem* appellet, *Coloſſ.* 4: 9. *Archippus Coloſſis* Miniſter, *Coloſſ.* 4: 17. *Philemonis* vel filius vel domeſticus videtur fuiſſe, *Philem. verſ.* 2. In hac Epiſtola (uti in ea ad *Coloſſenſes*) ſalutem dicunt, *Epaphras*, *Marcus*, *Ariſtarchus*, *Demas*, *Lucas*. In hâc verò, non autem in eâ, *Epaphram* concaptivum vocat; in eâ *Ariſtarchum* concaptivum vocat, non autem in hac. Non opus eſt hic ſcrupulum movere: meritò tamen quæri poteſt, quî captivi hi facti ſint? *Ariſtarchus* unà cum *Paulo Hieroſolymas* reliquit, & inter ipſius comites ſolus nominatur, *Act.* 27: 2. vel quia unà cum *Paulo* captivus tunc temporis fuit, aut quia reliqui, qui una cum *Paulo* erant, perpetui ipſius comites & miniſtri quum fuerint, eò propter non nominantur; neque enim opus erat. Sin verò *Ariſtarchus* nunc primum incarceratus fuerit, quæ de *Epaphra* dicenda ſunt, ad eum attinebunt. *Epaphras* recens *Coloſſas* reliquerat, *Coloſſ.* 1: 7, 8. Quî verò & quam ob rem jam in carcerem conjectus fuit? Petere licet è *Romana* hiſtoria ſubſidium, ut huic quæſtioni reſpondeamus. *Suetonius*, in vita *Neronis*, *cap.* 16. verba faciens de eo Imperii ejus tempore, quo moderate ſe geſſit, priuſquam atrocia flagitia perpetraverat; & quædam memorans, quæ fecerat & juſſerat, & quæ in emendationem morum cedere videbantur, hæc habet. *Multa ſub eo & animadverſa ſevere, & coercita, nec minus inſtituta. Adhibitus ſumptibus modus: Publicæ cœnæ ad ſportulas redactæ: Interdictum nè quid in Popinis cocti, præter legumina aut olera, veniret, cum antea nullum non opſonii genus proponeretur. Afflicti ſupplicii Chriſtiani* (N. B.) *genus hominum ſuperſtitionis novæ & maleficæ.*

Tacitus, *Annal.* lib. 15. cap. 40. tremendum incendium *Romæ* contigiſſe refert decimo *Neronis* imperii anno, (de quo cum eò deventum fuerit) & communiter dictum ab eo ignem accenſum. *Abolendo rumori Nero ſubdidit reos, & quæſitiſſimis pœnis affecit, quos per flagitia inviſos, vulgus Chriſtianos appellabat. Auctor nominis ejus Chriſtus, qui Tiberio imperitante, per Procuratorem Pontium Pilatum ſupplicio affectus erat. Repreſſaque in præſens exitiabilis ſuperſtitio, rurſus erumpebat, non modo per Judæam, originem ejus mali, ſed per urbem etiam; quò cuncta undique atrocia aut pudenda confluunt, celebranturque. Igitur primò correpti qui fatebantur*, &c. Illa verba, *repreſſa in præſens*, ambigua ſunt; ſcil. an denotent *Chriſtianam* Religionem tunc temporis ſuppreſſam à *Nerone*, (qui Chriſtianos pœnis quæſitiſſimis affecit quaſi incendii autores) decimo ſcil. imperii ſui anno, nihilominus poſt hæc denuo erupiſſe. An denotent eam Religionem prius repreſſam, jam *Neronis* decimo erupiſſe, & denuo ab eo repreſſam. Ambigua enim ſunt hæc verba, quippe denotant vel, *exitiabilem ſuperſtitionem in præſens repreſſam, rurſus erupiſſe*, vel, *prius repreſſam jam tandem denuo erupiſſe*, vel, *eo uſque repreſſam fuiſſe.* Licet in his verbis hæc ambiguitas reperiatur, ſequentia tamen arguunt, repreſſam fuiſſe *Chriſtianam* Religionem priuſquam erupit ea manifeſta perſecutio, quæ contigit anno *Neronis* decimo. I. Quia *Suetonius* refert, eum *Chriſtianos ſuppliciis afflixiſſe*, quum ſuo modo Religionis reformationi incumberet, idque priuſquam malè res adminiſtraret, aut eum incuſaret; & priuſquam ſuæ litaret famæ *Nero*, quod decimo Imperii ſui anno fecit. II. Mentio facta *Pomponiæ Græcinæ*, (prout ſupra dictum) capitis cauſam agentis de Religione ſub initium *Neronis.* III. Hoc conſtat ex incarceratione *Epaphræ*, & fortean etiam *Ariſtarchi* ſimul, & certè *Timothei* haud diù poſthæc. Par eſt enim hos Religionis ergo incarceratos exiſtimare. Veriſimile eſt igitur, *Neronem* vel aliquo facto aut edicto Religionem *Chriſtianam* repreſſiſſe non ſolum *Romæ*, verum etiam in *Judæa*, prout verba *Taciti* ſuadent, *Rurſus erumpebat, non modo per Judæam*, &c. Hoc accelerare facile potuit defectionem Eccleſiarum Judaicarum ab Euangelio, quæ ubivis aut Legem *Moſaicam* denuò amplectebantur, aut Euangelium profitentes legi ſimul adhærebant. Ita religionem *Judaicam* (quæ ab eo repreſſa non fuit) prætexentes, *Chriſtianam* qualem qualem retinebant. Si *Romæ*, ut veriſimile eſt, tunc temporis repreſſa

Digitized by Google

CHRIST. LX. NERON. VI.

preſſa fuerit, liberatio *Pauli* ex ore Leonis erat magis conſpicua, quum coram accuſatoribus cauſam ageret de religione, & coram Judice ei minime favente.

Quum verò exinde huc uſque *Romæ* nihil tranſactum comperiamus, nec quemquam præter *Paulum* in carcerem conjectum, qui fit ut *Nero* nunc exardeſceret, quum olim Chriſtianam Religionem perſecutus fuerit? Facile hoc loco in memoriam revocamus verba *Pauli* recens ſcripta in Epiſtola ad *Philip.* 1: 15, 16. *Nonnulli per invidiam & contentionem Chriſtum prædicant, nonnulli bono affectu. Alii per contentionem Chriſtum non caſtè annunciant, exiſtimantes addere afflictionem meis vinculis.* Hinc conjectari licet, quoſdam *Pauli* inimicos & ipſius ſociorum, arripuiſſe anſam è *Neronis* edicto contra Chriſtianam Religionem, prædicantes pro virili Euangelium; id ſolum agentes ut in primarios Euangelii prædicatores (*Paulum* ſcilicet & illius comites) animadverteretur. Hinc fortean *Epaphras* & *Timotheus* tunc temporis in carcerem conjecti ſunt; nec non *Ariſtarchus*, modò captivus tum primùm fuerit.

CHRIST. LXI. NERON. VII.

Hoc anno incarceratur *Timotheus* & liberatur *Paulus*; incarcerationis enim ipſius biennium elapſum erat ſub finem proximè præcedentis, aut ſub initium hujus anni; quod hiſce verbis innuitur: *Hebr.* 13: 23. *Scitote fratrem* noſtrum *Timotheum ſolutum eſſe*, *cum quo* (*ſi mox venerit*) *videbo vos.* E voce enim Ἀπολελυμένον, ut mihi videtur, eum vinctum fuiſſe conſtat: hinc vinctum fuiſſe *Timotheum* concludere licet, & de ipſius incarceratione inaudiviſſe *Hebræos*; jam verò ſolutum, ut & *Paulum*, qui paratus erat unà cum *Timotheo* ad eos venire. Ad *Philippenſes* ſcripſerat, quod ſperaret citò *Timotheum* ad eos mittere, *Philip.* 2: 19. Et ad *Philemonem*, ut pararet ſibi hoſpitium, ſperabat enim brevi ſe eò venire, *Philem. verſ.* 22. Hinc concludere licet, eum jam ſolutum haud in animo habuiſſe diu *Romæ* manere, aut *Timotheum* ſaltem brevi ad eos venturum, niſi ejus incarceratio, ut contigit, eos præverterat. Hoc igitur anno ejus incarceratio ponenda eſt. Quamdiu vinctus fuerit, ſtatuere non licet. Exiſtimare tamen licet, ſolutum fuiſſe anno proximè ſequente, tunc enim ad *Hebræos* Epiſtolam ſcriptam putamus, ubi ſolutum fuiſſe memoratur.

Dum cogitamus, *Neronem* Chriſtianam Religionem repreſſiſſe, & eò propter hos vinctos fuiſſe, mirari licet operationes Dei inſignes: tunc enim temporis in *Neronis* domo Chriſtiani erant, *Philip.* 4: 22.

Hoc anno quædam in *Anglia* noſtra contigerunt, & eo propter memoranda, licet ad rem præſentem non attinent. *Suetonius Paulinus* à *Romanis* dux hîc conſtitutus erat; aggredi parat inſulam *Monam*, *incolis validam & receptaculum perfugarum*, inquit *Tacitus*. Litori cum militibus accedens aciem pro litore ſtantem reperit, ipſius ad terram applicationem prohibentem: inter viros fœminæ intercurſabant, *in modum furiarum*, *veſte ferali*, *crinibus dejectis faces præferebant.* Aſpectus novitate perculſi erant in præſens milites, poſt hæc invadunt & obvios ſternunt, inſulam denique occupant & præſidium imponunt; *Exciſique luci ſævis ſuperſtitionibus ſacri*: *nam cruore captivo adolere aras*, *& fibris hominum conſulere Deos fas habebant.*

CHRIST. LXI. NERON. VII.

Quæ *Plinius* de *Italia* aut *Roma* dixit, vera ſunt & memoratu digna. *Quæ*, inquit, *ſparſa congregaret imperia*, *rituſque molliret*, *& tot populorum diſcordes feraſque linguas ſermonis commercio contraheret ad colloquia*, *& humanitatem homini daret*, Natur. Hiſtor. lib. 3. cap. 5. Mirabitur fortean hoc ab eo dictum eſſe, qui ſævitiam & ſuperſtitionem *Romanorum* perpenderit: veriſſimum tamen eſſe deprehenditur; erant enim *Romani* literis dediti, & diſciplinæ ſtudioſi; & hæc ubivis, ubi rerum ſummâ potiti ſunt, diſſeminabant. Porrò hæc, ita providente Deo, cujus viæ inſcrutabiles ſunt, tum ad hominum mores molliendos, tum ad diſſeminandum Euangelium cedebant. Cujuſmodi fuerint mores antiqui *Britannorum*, conjectari licet vel ex iis ſolum, quæ de vicinâ inſula *Mona* referuntur.

Hæc agenti *Suetonio Britannorum* defectio nuntiatur. Hujus defectionis cauſa fuit ſæva extorſio Decimi *Cati* Præfecti, qui quædam onera à *Claudio* remiſſa denuò impoſuit; nec non grave fœnus exegit *Seneca*, qui etiam nolentes coëgit quam maximam argenti ſui copiam iniquiſſimo fœnore accipere: quam pecuniam unà cum fœnore, nullâ miſericordiâ tactus, tunc repetebat; ut & infelix obſequium *Praſutagi* Regis *Icenorum*, aut ſaltem ipſius obſequii abuſus: moriens enim *Neronem* & duas filias ſuas hæredes ſcripſerat. Hinc *Romani* centuriones, *Neronis* legatum prætexentes, omnia arripiunt & regnum vaſtant, uxorem ejus, ut & duas filias inhumaniter & inclementer tractant, neque ejus neceſſariis, affinibus aut proceribus parcunt. Inde commoventur omnes, præſertim *Boodicia* defuncti Regis vidua: coloniam *Camaloduni* agentem, præſidium *Romanorum* & eorum ſocios *Londini*, ut & *Verulamii* deſtruunt; ceciderunt ſeptuaginta millia. Tandem *Suetonius* cum iis præliatur. Bis centum & triginta millia *Boodiciam* ſequebantur: hos omnes pellit, & octoginta millia trucidat. *Boodicia* vitam veneno finivit: *Romani* flammis & enſe omnia hoſtium oppida vaſtant. Varia prodigia ab hiſtoricis narrantur harum calamitatum præſagia, ſcil. ſanguine conſperſum mare, voces

inuſi-

Digitized by Google

inuſitatæ & ululatus exauditi, in *Thameſi* conſpecta ſpectra, ſubmerſarum domuum, obrutæ coloniæ, &c.

CHRIST. LXII. NERON. VIII.

Paulus in Epiſtola ad *Coloſſenſes*, *Cap.* 4:10. ſubinnuit *Marcum*, tunc temporis ſecum *Romæ* agentem, brevi, ut erat veriſimile, ad ipſos venturum Orientem verſus. Hortatur eos porrò ſuo nomine eum excipere, licet inter ſe & *Marcum* quondam diſcordia interceſſerat. An incarceratio *Timothei* iter *Marci* diſtulerat, ambigere licet; quum enim binos unà acceſſiviſſet *Paulus*, 2 *Tim.* 4:11. veriſimile eſt *Marcum* dimittere non potuiſſe, dum *Timotheus* incarceratus ipſi operam dare non potuit. Exiſtimare igitur licet, incarcerato *Timotheo*, cum *Paulo* manſiſſe *Marcum*. Eo propter quandocunque Orientem verſus profectus fuerit, veriſimile eſt, *Paulum* ſcripſiſſe & per eum miſiſſe

EPISTOLAM AD HEBRÆOS,

& quum iis tradidiſſet, ut *Paulus* eum juſſerat, ad *Petrum Babylonem* in *Chaldæa* profectum: ibidem enim *Petrus* ſecum *Marcum* tunc temporis agentem memorat, 1 *Pet.* 5: 13. ut & hanc Epiſtolam, 2 *Pet.* 3:15.

Obſervare licet hos binos egregios Apoſtolos, *Petrum* ſcilicet & *Paulum*, Miniſtros quippe diſtinctos Judæorum & Gentium, vicarios reciprocos habuiſſe: *Silvanus* ſeu *Silas*, *Pauli* Miniſter, apud *Petrum* agebat, illi operam dabat, & illius primam Epiſtolam perferebat, 1 *Petr.* 5:12. Et *Marcus*, *Petri* Miniſter, apud *Paulum* agebat, 2 *Tim.* 4:11. *Coloſſ.* 4:10. &, ut veriſimile eſt, ei operam dabat hanc Epiſtolam ad *Hebræos* perferendo. Illi, quibuſcum res erat, è mutuâ Miniſtrorum operâ impenſa, duorum Apoſtolorum concordiam facile ediſcere potuerunt.

Licet certò ſtatuere non auſi ſumus, aut quis hanc Epiſtolam pertulit, aut quo tempore ſcripta fuit; præciſè definire; fuiſſe tamen ſcriptam ſub hoc tempus, de quo nunc agimus, è ſequentibus conſtat. I. *A parte ante:* haud diu ante hæc ſcriptam fuiſſe ex eo conſtat, quod *Timotheus* incarceratus fuerat jamque ſolutus erat priuſquam ſcripta fuit, *Hebr.* 13:23. II. *A parte poſt:* haud diu poſt hæc ſcriptam fuiſſe conſtat ex iis verbis, *Cap.* 12:4. *Nondum ad ſanguinem reſtitiſtis.* Brevi enim poſt hæc uſque ad ſanguinem reſiſtebant.

A *Paulo* ſcriptam fuiſſe omnes codices & verſiones fidem faciunt; porrò ſcriptor hujus Epiſtolæ *vinctus* fuerat, *Cap.* 10:34. etiam in *Italia*, *Cap.* 13:24. & erat *Timothei* neceſſarius, *Cap.* 13:23. Hæc *Paulo* maximè conveniunt.

Quod nomen ſuum haud adſcripſerit, quod in aliis Epiſtolis fecit, non arguit ab eo ſcriptam non fuiſſe. Neque enim eo nomine prima Epiſtola *Johannis* ab eo non ſcripta minus creditur. Porrò nomen Apoſtoli Ethnicorum in Epiſtola ad *Hebræos* minus gratum fuiſſet. Denique per *Marcum* miſit, uti veriſimile eſt, qui Apoſtoli *Hebræorum* Miniſter erat, & eos facilè certiores facere potuit, quis hujus Epiſtolæ ſcriptor fuerit.

CHRIST. LXII. NERON. VIII.

Haud abs re erit diſquirere ad quam partem Judaicæ gentis hanc Epiſtolam *ad Hebræos* ſcripſit, & quare *ad Hebræos* potius, quam ad *Judæos* ſuperſcripſit. Credere fas eſt perferendam dediſſe ad locum aliquem modicis ſaltem limitibus definitum; neque enim qui perferebat, quiſquis fuerit, omnibus ubivis ſparſis Judæis tradere potuit: porrò *Cap.* 13:23. ait ſe, cum iret *Timotheus*, unà venturum eoſque viſurum. Locus igitur è titulo ſolum, *ad Hebræos* ſcilicet, eliciendus eſt. Duas ob cauſas *Hebræos* potius quam *Judæos* appellat; ſcil. vel quia *Judæorum* nomen jam cœperat inviſum eſſe; vel quia *Judæos* incolas ſcil. *Judææ*, ſeu terræ *Iſraëlitæ*, denotare in animo habuit: juxta hunc ſenſum *Hebræorum* titulo donantur à Spiritu Sancto, *Actor.* 6:1. Ubi ſcriptum reperitur, *Ortum eſt murmur Helleniſtarum adverſus Hebræos*: vox *Helleniſtæ* Judæos peregrè agentes inter Græcos denotat; *Hebræi*, incolas *Judææ*. Adeòque fas erit credere hanc Epiſtolam à *Paulo* ſcriptam & miſſam ad *Judæos* fideles *Judææ* incolas. Illi *Paulo* plurimum debebant eò, quod egenis apud eos degentibus proſpexiſſet, ubivis collectas corradens in peragratione ſua: & *Marcus* (quem hanc Epiſtolam pertuliſſe exiſtimamus) miniſter ipſius, ut & patrui ſui, *Barnabæ*, factus erat, poſtquam in *Judæam* profecti fuerant perferentes collectas in ſubſidium earum Eccleſiarum, *Actor.* 11. & 12.

In animo habuit procul dubio per hanc Epiſtolam omnes ubivis ſparſos Judæos commonere; adeòque *Petrus* ſcribens ad *Judæos* ſparſos per *Pontum*, *Galatiam*, *Cappadociam* & *Aſiam*, hanc Epiſtolam ad eos attinere innuit, 2 *Pet.* 3:15. Tamen ſuperſcribit & mittit ad *Hebræos*, ſeu incolas *Judææ*, præcipui ſcil. loci, ubi degebant Judæi, & unde facile ad ubivis ſparſos Judæos poſt hæc tranſmitti potuit.

Præcipuè agit de iis, quæ Judæi ſcriptores חוקות תלויות בארץ appellitant: i. e. *præcepta terræ annexa*; ſeu ritibus ſacris terræ annexis: cujuſmodi erant ea, quæ ad Templum, ſacrificia, ſacerdotium, &c. attinebant: eò propter eos primariò alloquitur, qui terræ incolæ quum fuerint, hiſce rebus aſſueti, & facilius allecti, hanc anſam arriperent defectionis ab Euangelii puritate (quæ tunc temporis frequenter contigit) ad hoſce ritus denuò amplectendum.

Digitized by Google

CHRIST. LXII. NERON. VIII.

De linguâ, qua primum ſcripta erat hæc Epiſtola, ſubdubitarunt nonnulli: exiſtimarunt quippe par non fuiſſe *Græcâ* lingua ad *Hebræos*, *Judææ* præſertim incolas, ſcribere. Verum hoc dubium ſolvunt ipſi *Hebræi*, etiam *Judææ* incolæ; *Hieroſolymitani* ſcil. *Gemariſtæ* de lingua Græca paſſim verba facientes.

In *Megillah*, fol. 71. col. 2. hæc habent. *Tradidit Ben Kaphra: Deus dilatabit Japhetum & in tentoriis Semi habitabit: Japheti enim linguâ loquentur in tentoriis Semi. Gemar. Babylon.* in eundem Tractatum, *fol.* 9. *col.* 2. quæ *Japheti* lingua denotetur, docet; prius verba fecerat de *Græcæ* linguæ excellentia & dignitate; tandem ait יופיותו של יפת יהא ונו' i. e. *Pulchritudo Japheti erit in tentoriis Semi.*

Hieroſolymitani Gemariſtæ hæc porro habent. *Dicit R. Jonathan è Beth Gubrin, quatuor linguæ mundum coboneſtant*, ſcil. *Vulgata*, *Romana*, *Syriaca* & *Hebraica*, *& juxta nonnullos Aſſyriaca*. Quid per *vulgatam* velit diſquirendum: Græcam eſſe à ratione non eſt alienum. Quod è *Midraſch Tillim* liquidò conſtat: nam *fol.* 25. *col.* 4. de hac re verba faciens (paulò aliter tamen citans) *Græcam* memorat, hoc loco non memoratam: Hebræi igitur *Græcam vulgatam* vocant.

Subjungunt, *ibid. col.* 3. *Traditio eſt; Dixit R. Simeon Ben Gamaliel: in libris Græcè tantùm ſcribere permiſſum fuit: ſcrutantes compererunt, legem plenè explicari non poſſe, niſi Græcâ linguâ fiat. Quidam ſemel Syriacâ è Græcâ expoſuit. R. Jeremiah nomine R. Chaijah Ben Ba inquit: Aquila Proſelytus legem expoſuit coram R. Eliezer & R. Joshua; eum laudabant dicentes, pulchrior es præ filiis hominum.*

Hæc habet ipſiſſimum *Talmud* in *Sotah*, fol. 21. col. 2. *R. Levi Cæſaream petebat, ubi audivit* קריין שבע אלוניסתין i. e. *recitantes Phylacteria Helleniſticè*, ſeu linguâ Græcâ. N.B. ſi *Cæſareæ* (ubi ſcholæ illuſtres erant, nullis ſecundæ) hoc factum fuerit; porrò ſi *Phylacteria* (ſelectæ ſcil. legis pericopæ) & præ aliis *Hebraicè* recitandæ (juxta ſcriptores Hebræos) Helleniſticè recitabantur, jure *Paulus* ad *Hebræos* Judææ incolas Græcâ linguâ ſcripſit, quæ lingua in Academia Judaica communiter uſurpata erat.

Hiſce de linguâ Græca teſtimoniis addere licet, quæ in Tractatu *Shekalim* reperire eſt, cap. 3. hal. 2. *Super tres arcas Templi nummarias ſcriptæ erant Aleph, Beth, Gimel.* Dixit *R. Iſmael, Græcè inſcriptæ erant, Alpha, Beta, Gamma.* Qui hanc Epiſtolam, & Euangelium ſecundum *Matthæum* Hebraicè ſcripta fuiſſe credunt, haud perpendunt linguam Hebraicam indoctis ignotam tunc temporis fuiſſe; Deum porrò ſuâ providentiâ propagationi linguæ Græcæ per totum orbem proſpexiſſe: *Alexandri* ſucceſſibus, & *Græcâ* monarchiâ hoc confectum fuit. Vetus denique Inſtrumentum in *Græcam* linguam à *Septuaginta Interpretibus* verſum fuerat.

Apoſtolus in reliquis Epiſtolis, in hac præcipuè, Judæorum loquendi morem, linguam, doctrinam uſurpat: ipſorum dogmata reſpicit, ut & traditiones & ritus. In hâc etiam Judæorum planè modo arguit & diſſerit. Communire eos ſtudet adverſus gravem defectionem, quæ jam incepta erat: plurimi enim à puritate Euangelii deſciſcebant, vel legi *Moſaicæ* in totum adhærentes denuo, aut ritus legis ceremoniales Euangelii profeſſioni miſcentes. E loquendi modo, quem uſurpat, collato cum more diſſerendi uſurpato apud *Talmudicos*, *Zohar*, & *Rabboth*, & alios antiquos ſcriptores *Hebræos*, facile conſtaret quibuſcum res illi erat, licet ad *Hebræos* diſertim ſcripta non fuiſſet. Vel phraſeologia diſcipulum *Gamalielis* ſapit, melius tamen edoctum & eruditum, quam per præceptorem licuit.

Primum probare ſatagit, *Meſſiam* eſſe *Deum*, & *Jeſum* eſſe *Meſſiam*: quod ad prius, errabant Judæi, quod ad poſterius, maledicebant. Ad probandum, *Meſſiam* eſſe *Deum*, inter alia, citat verba *Pſalm.* 102:25. *Tu Domine ab initio terram fundaſti, &c.* verum dicet Judæus, hoc de Deo patre intelligendum; quî verò refelli poteſt? Reſp. E conceſſis, prout hoc loco arguit. Verba enim *Gen.* 1:2. *Spiritus Dei ferebatur ſuper facies aquarum*, de *Spiritu Chriſti* intelligebant. Ajunt enim זה רוחו של מלך המשיח i. e. *Hic eſt Spiritus Meſſiæ.* Eandem ſententiam ediſcere licet è *Zohar*, *Bereshith Rabbah*, & aliis. Si Spiritus *Chriſti* creationi rerum incubuit, quod ultrò concedunt Judæi, citationem hanc reſpuere jure non potuerunt.

Chriſtum Angelis eſſe majorem oſtendit multis nominibus, præſertim quod ad eum attineat *ſeculum venturum*, *Cap.* 2: 5. Ea verba, Judæorum more loquendi *regnum Meſſiæ* denotant, prout ſupra memoratum fuit.

Porrò oſtendit, eum eſſe majorem legiſlatorem, quam fuerat *Moſes*, majorem ſacerdotem, quam *Aaron*, & majorem Regem & Sacerdotem, quam *Melchizedec.* Totam œconomiam Leviticam typum tantum fuiſſe oſtendit, *Chriſtum* eſſe anti-typum, & fœdus antiquum abolitum ſuperinductione melioris. Per fœdus antiquum aut primum *fœdus peculiare* intelligit, ſeu talem adminiſtrationem fœderis gratiæ, qua *Iſraël* peculiaris & diſtinctus populus factus fuerat. Hoc peculiare fœdus irritum fecerunt Judæi brevi poſtquam ictum fuerat, aureum vitulum conflando, in cujus rei ſignum deinde duæ tabulæ confractæ erant. Licet enim lex in duabus tabulis conſcripta

CHRIST. LXII. NERON. VIII.

ſcripta moralis fuerit, adeoque omnes homines teneret, eò tamen quod lapideis tabulis inſcripta fuerit *Iſraëlitarum* cauſa, iisque ſervanda traderetur, eorum peculiaritas innuitur. Quæ de fabrica & inſtrumentis *Tabernaculi*, iiſque quæ in *Arca* recondita erant, dicit, lucem accipient è *Talmude Hieroſol. in Shekalim*, fol. 49. col. 3, 4. & *Sotah*, fol. 22. col. 3. Defectionem jam inceptam innuit, quæ ipſum permoverat hanc Epiſtolam ſcribere, & ejus periculum oſtendit, *Cap.* 6. *verſ.* 4, 5. &c. & *Cap.* 10: 26, 27, &c. Dum hoc agit, videre eſt quoſdam, qui Euangelium amplexi fuerant, eoque evectos ut participes facti fuerint donorum Spiritus Sancti minime vulgarium, deſciviſſe tamen, & jam ſponte & ultro in Euangelium peccaſſe. Dum eorum reatum depingit, verba illa *Cap.* 10. *verſ.* 29. à quibuſdam ſecus quam par eſt, intelliguntur. [*Filium Dei conculcavit, & ſanguinem fœderis, per quem fuerat ſanctificatus, profanum duxit*] Dicunt enim, hunc miſerum Apoſtatam, qui *Chriſtum* conculcare dicitur, prius ſanctificatum *fuiſſe per Chriſti ſanguinem*: quum id volunt hæc verba, *Chriſtum* ſanctificatum fuiſſe per ſanguinem fœderis, eo ſenſu, quo *Chriſtus* dicitur è mortuis reductus per ſanguinem fœderis, *Cap.* 13: 20. Deteſtandam impietatem eorum, qui ſanguinem fœderis profanum ducunt, eò oſtendit, quod per eum ipſe Dei filius ſanctificatus fuerat, ſeu ſegregatus ut Mediator; q. d. Conculcavit ipſum Filium Dei, & ſanguinem fœderis, per quem ſanctificatus fuerat Filius Dei, profanum duxit. Fidem extollit, ea opera, è quibus juſtificari ſperabant, oppugnans, oſtenditque viros pios, tum ante tum poſt legem latam, ſolum ob fidem inſignes fuiſſe. Porrò monens, *Ne quis ſit ſcortator aut profanus ut Eſau*, &c. *Cap.* 12: 16. non ſolum loquitur ſecundum dogma *Judæorum*, qui *Eſavum* ſcortatorem putabant, (vide *Targum Hieroſol.* in *Gen.* 25.) verum doctrinam *Nicolaitarum*, qui ſcortationem permiſerunt, jam frequenter obtinentem reſpicere videtur; ut & *Cap.* 13. *verſ.* 14. *Honorabile eſt conjugium*, &c.

Dehinc de hoc Apoſtolo mentio facta non eſt. Quid ei poſt hanc ſcriptam Epiſtolam obvenerit, è Sacra Scriptura neutiquam conſtat: Ultima mentio de eo facta reperitur, *Cap.* 13: 23, 24. *Scitote fratrem* noſtrum *Timotheum ſolutum eſſe, cum quo, ſi mox venerit, videbo vos.* His verbis adjutis conjectari licet. I. Solutum *Romam* reliquiſſe, & in *Italia* prædicaviſſe. In Epiſtola ad *Romanos* ſe in votis & in animo habuiſſe in *Hiſpaniam* ire prædicatum memorat, *Rom.* 15: 24. Diu erat ex quo hoc ſtatuerat: interea temporis aliquid obvenerat, quod merito ipſum aliud iter carpere ſuadebat. II. Conſtat eum, hanc Epiſtolam ad *Hebræos* ſcribentem, in animo habuiſſe brevi in *Judæam* proficiſci. Dato ipſum hanc Epiſtolam ad *Hebræos* in *Judæa* degentes ſcripſiſſe, quod veriſimile eſſe ſupra oſtenſum fuit; in animo habuit & ſperabat petere *Philippos*, *Philipp.* 2: 23, 24. etiam *Coloſſas*, *Philem. verſ.* 22. denique *Judæam*. Veriſimile eſt, Apoſtaſiam & inconſtantiam Orientalium Eccleſiarum, de qua inaudiverat, in cauſa fuiſſe ut eò properandum potius, quam Occidentem verſus, cenſeret. III. Aliquamdiu *Timotheum* jam ſolutum expectabat ad ipſum in eam *Italiæ* regionem, ubi tunc temporis agebat, perventurum: ſi veniſſet, in animo habuit ſecum adducere. An vero convenerint & unà iter carpſerint, aut quid deinde utrivis eorum obtigerit, haud diſquiremus, ne prorſus hallucinemur.

CHRIST. LXIII. NERON. IX.

Supra annotavimus veriſimile eſſe, *Albinum* in Præfectura *Judææ Feſto* ſucceſſiſſe nono anno *Neronis*. Hoc dato, *Jacobus* Apoſtolus (qui *Jacobus minor* dictus fuit) martyrium perpeſſus eſt hoc anno. *Joſephus* hanc hiſtoriam refert, *Antiq.* lib. 20. cap. 8. *Cæſar*, inquit, *accepto nuntio de morte Feſti, Albinum in Judæam miſit Præfectum*: *& Rex*, Agrippa, *Joſephum ſummo ſacerdotio privavit, & dedit ſacerdotium Anano Filio Anani. Hic Ananus junior audax erat & ferox, & erat ſecta Sadducæus, quod hominum genus erat in judicando apud Judæos ſeveriſſimum. Talis quum fuerit Ananus, ratus ſe tempus opportunum nactum, mortuo Feſto & Albino iter carpente, Concilium convocat, & coram eo ſiſtit Jacobum fratrem Jeſu, Chriſti appellati, & alios præterea tanquam reos, quos lapidandos tradidit. Hoc vero civibus clementioribus & Legis ſtudioſis diſplicuit: miſſiſque ad Regem clam nunciis rogarunt, mandaret Anano ne quid tale poſt hæc ageret. Quidam occurrentes Albino Alexandria digredienti, certiorem eum fecerunt Anano non integrum fuiſſe ſine ipſius conſenſu Concilium convocare: hinc minitans Anano ſcripſit; eò propter Rex Agrippa eum Pontificatu privavit poſt tertium menſem, & Jeſum Filium Damneæ ſucceſſorem dedit.*

EPISTOLA JACOBI.

Licet præciſe definire, quo tempore hæc Epiſtola ſcripta fuerit, integrum non ſit, tamen quia hoc anno diem ſupremum obiit, haud diu ante mortem ipſius ſcriptam fuiſſe meritò credimus; & eo potius, quia *Hieroſolymitanum* excidium appropinquare non uno loco ſubinnuit, *Cap.* 5: 8, 9. *Adventus Domini appropinquat.* Et, *Ecce Judex ſtat pro foribus.*

Digitized by Google

CHRIST. LXIII. NERON. IX.

ribus. Apoſtolus reſidentiarius *Hebræorum* in *Judæa* quum fuerit, Euangelii & ejus Miniſtrorum inimicis quam maximè diſplicuit. Porrò ob eam cauſam facile prævidit, ſigna à Domino prædicta excidii jam appropinquantis; hujuſmodi fuerunt Pſeudo-prophetæ, iniquitatis abundantia, charitatis defectus, mutua proditio & vaſtatio: ex his facile concludebat, Judicem & Judicium appropinquare.

Inter alia à Servatore prædicta, hoc excidium antecedentia, dictum erat: *Et prædicabitur iſtud Euangelium regni in toto terrarum orbe, ut ſit teſtimonio omnibus gentibus, & tum veniet finis*, *Matth.* 24: 14. Euangelium duobus, ut & decem Tribubus, nec non reliquis gentibus annunciatum fuit. Idcirco *Jacobus Hebræorum* Miniſter, jure ſcribit hanc Epiſtolam ad *ſparſos quoſvis è duodecim Tribubus*.

Judæi nonnulli Euangelio inimiciſſimi erant, alii ejus gratiâ diriſſima quæque perpeſſi erant. Illos igitur ſolatur, *Cap.* 1. his merito minatur, *Cap.* 4. & 5. Quatuor præſertim oppugnat, quæ non ſolum Chriſtianæ profeſſioni minime convenerunt, verum ab ea quam maxime abhorrebant. I. Quod ſplendide veſtitos honorarent, & egenos Euangelii Prædicatores & Diſcipulos temnerent. II. Quod plures præceptores & doctores ſequerentur: hinc errores & ſchiſmata facile diſſeminata inter eos, & multa mala per effrænes linguas inducta. III. Quod hiſtorica fide innixi fructus ſalvificæ & vivæ fidei inſuper haberent. IV. Quod frequenter & temerariè jurarent. Hic mos obtinuit apud Judæos, idque conſtitutionum ſuarum nimiâ lenitate & licentiâ.

Sub finem Epiſtolæ de *Presbyteris ægrotos oleo inungentibus* loquitur, *Cap.* 5: 14. Sequentia è Judæorum ſcriptis deprompta lucem iis verbis afferunt.

I. Ægrotos oleo inungere medicinaliter conſueverant. *Talmud Hieroſol. in Beracoth*, *fol.* 3. *col.* 1. *R. Simeon filius Eleazar permiſit R. Meir vinum oleo miſcere, & ægrotos inungere die ſabbati. Ipſum verò ægrotantem inungere volentes non permiſit.*

Idem, *In Maaſar Sheni*, fol. 53. col. 3. *Traditio. Inunctio die ſabbati facta licita eſt: ſi dolet caput aut ſquamis obductum fuerit, inungitur.*

Talmud Babylon. in Joma, fol. 77. col. 2. *Qui ægrotat aut cujus caput ſquamis obductum fuerit, ſuo more inungitur*, &c.

Dato Apoſtolum hoc conſulentem, morem medicinalem reſpexiſſe, medicinalis operationis utilitati proſpexit; ſcil. quum ægrotos oleo inungere medicinali ſolerent, id agit ut per Presbyteros (quos accerſendos vult) id fiat. Non quod inunctio per eos facta quicquam eo ſolùm nomine valeret, (erat enim ſolummodo operatio medicinalis) ſed ut inungentes preces etiam una pro ægrotis funderent, ſaluti corporis & animæ (piis ſcilicet monitis & ſolamine adhibitis) ſimul proſpicientes; non aliter ac ſi apud nos (ubi medicinalis inunctio non obtinet) ægrotus Miniſtrum accerſeret, pharmacum hauſturus, ut ſecum preces funderet, & ſemet moneret & ſolaretur.

II. Judæi conſueverant quoſdam ægrotos inungere & una incantamenta adhibere. De hoc more agitur in *Talmude Hieroſol. in Shabb. fol.* 14. *col.* 3. זה שהוא לוחש נותן שמן על גבי ראשו ולוחש i. e. *Qui incantat, oleum capiti imponit & incantat.* Paulò poſt referunt, quam ob cauſam incantamenta adhibuerunt, ſcil. *ob oculum malum, ſerpentes, ſcorpiones*, &c. Et *col.* 4. memoratur quidam, qui incantamenta adhibuit ſuper ægrotum *in nomine Jeſu Pandiræ*. Quum hæc inunctio ægrotorum una cum incantamento mos fuerit vulgaris & execrandus, hic Apoſtolus (eo quod inunctio vulgare & commodum remedium fuerit, neque propter abuſum omnino tollendum) melius eos docet, accerſendos ſcil. Presbyteros ſeu Miniſtros Eccleſiæ ad ægrotos, ut inungerent & una pias & vehementes preces pro iis funderent; quod non ſolum magis uſui & ſolamini foret, verum Euangelio magis conſentaneum, quam incantamenta omnia, quæ uſurpata fuerant.

CHRIST. LXIV. NERON. X.

Hoc anno, Conſulibus *C. Lecanio* & *M. Licinio* incendium *Romæ* contigit (de quo pauca ſuprà) omnium, quæ huic urbi acciderunt, graviſſimum & atrociſſimum. *Quippe in regiones quatuordecim*, inquit *Tacitus*, *Roma dividitur: quarum quatuor integræ manebant, tres ſolo tenus dejectæ; ſeptem reliquis pauca tectorum veſtigia ſupererant lacera & ſemiuſta.*

Vulgò creditum & dictum fuit, ipſum *Neronem* incendii hujus autorem præcipuum fuiſſe, & cladis propagatorem; aut ſuo ingenio inhumano & ſævo inſtigatum, quo clade maximè gaudebat, aut gloriam quærentem condendæ urbis novæ & cognomento ſuo appellandæ. Abolendo rumori, famæ ſuæ conſulens *Nero* ſubdidit reos *Chriſtianos* in urbe degentes, quos pœnis quæſitiſſimis affecit, ac ſi fuiſſent hujus cladis unici autores. *Igitur primo correpti qui fatebantur, deinde indicio eorum multitudo ingens, haud perinde in crimine incendii, quam odio humani generis convicti ſunt. Et pereuntibus addita ludibria, ut ferarum tergis contecti, laniatu canum interirent; aut crucibus affixi, aut flammandi; atque ubi defeciſſet dies, in uſum nocturni luminis urerentur. Unde quanquam adverſus ſontes & noviſſima exempla meritos, miſeratio oriebatur; tanquam*

non

Digitized by Google

CHRIST. LXIV. NERON. X.

non utilitate publica, ſed in ſævitiam unius abſumerentur. Hæc *Tacitus, Annal.* lib. 15.

Quanta ex hac gravi perſecutione ſtrages? Ceciderunt proculdubio tum alii *Romæ* degentes *Chriſtiani*, tum ex illis nonnulli, quibus *Paulus* in Epiſtola ad *Romanos* ſalutem dicit, *Rom. Cap.* 16. Ipſe *Paulus*, nec non *Timotheus* & *Lucas*, & ipſius comites alii ſe hoc periculo, uti credere fas eſt, ſubduxerant. *Paulus* enim in Epiſtolis ſuis diu abhinc ſcriptis, ut ſupra dictum eſt, ſæpius ſe inde brevi digreſſurum (adhibita omni debita celeritate) ſpondet. Qui vero *Petrus* tunc temporis *Romanus Epiſcopus*, juxta Pontificios, evaſit?

An hæc perſequutio intra *Romanæ* urbis aut *Italiæ* limites ſteterit, an *Tyranni* juſſu omnes alias regiones pervaſerit (vide *Euſebii Eccleſ. Hiſtor.* lib. 2. cap. 24. & *Oroſ.* lib 7.) haud è re erit ſtatuere. Siquidem quamvis edicto mandata non fuerit, tale tamen exemplum facile inſtigaret eos, qui vel abſque præcepto aut exemplo ultrò Euangelium amplectentes divexaverant, eoſque obruendi quamvis anſam arripuerant aut invenerant. Id agebant ſedulo Judæi præ aliis omnibus; ſemper etenim operabatur illud *myſterium iniquitatis*, 2 *Theſſal.* 2:6,7. verum rem conficere non potuerunt, aliquid enim obſtitit. Si *Claudius* fuerit *obſtaculum*, qui *Roma* Judæos pellens toti genti minitabatur & ipſorum rabiem repreſſit, decem jam anni effluxerant, ex quo ſublatus erat: ſub initium imperii *Neronis* ipſorum vincula aliquantulum dilatata erant. Licet ſub initium Imperii (potiorem ſcil. ipſius partem) omnia non vaſtaret, quod poſt hæc fecit, ſævè tamen repreſſit Religionem *Chriſtianam*, uti ſupra annotatum fuit: cæterum in rebus agendis negligens, utque res ſuccederent minime ſollicitus, otio, luxuriæ, & voluptatibus ſuis indulſit, quod in malam rem vertebant ipſius Tutores *Seneca* & *Burrhus*. Jam vero Judæi conſpicuo, ſævo & execrando ipſius exemplo animati, & qui prius minitabantur nondum ipſorum ruptis vinculis, ſoluti & effrænes tali exemplo redditi rabiem exercent. *Chriſtianis* prius infeſti fuerant, jam rabidi fiunt. Utque appropinquabat eorum excidium, eò magis ſedulo operam dabant inſtigati à Diabolo, qui novit ſe ibidem defuturum.

Decimo *Neronis* Cometa, dira fulgura & tonitrua, & partus monſtroſi memorantur.

CHRIST. LXV. NERON. XI.

Hoc anno (*Neronis* ſcil. undecimo, *Silio Nerva* & *Attico Veſtino* Conſulibus) plurimi *Romani* egregii & inſignes à *Tyranno* perempti ſunt, ſicut anno proximè elapſo plurimi eximii *Chriſtiani*. *Chriſtianos* perculit per inſidias, quas ipſe illis ſtruxit; *Romanos* propter inſidias, quas ipſi ſtruxerant ei. *Romani* nobis notiores fuere *Seneca* Philoſophus, *Neronis* Præceptor, & ejus nepos *Lucanus* Poëta; ſcriptis ambo clari, & vitiis infames. *Seneca* avaritiæ, fœnori & oppreſſioni deditus, ut ſupra annotatum fuit. *Lucanus* matrem ſuam prodidit. *Tacitum* incuſantem ferat. *Lucanus, Quinctianus & Senecio diu abnuere. Poſt, promiſſa impunitate corrupti, quo tarditatem excuſarent, Lucanus Atillam matrem ſuam*, (N. B.) *Quinctianus Glicium Gallum, Senecio Annium Pollionem amicorum præcipuos nominavere.* Quodam die tormentis dilacerata *Atilla* nihil fatebatur: proximo die cum ad eoſdem cruciatus retraheretur, (nam diſſolutis membris inſiſtere nequibat) ſellæ geſtamine, laqueo ſpiritum expreſſit; mori enim maluit, quam denuò cruciari aut quemvis prodere. Hæc res ignominiæ notam indelebilem *Lucano* inuſſit; neque enim tanti flagitii autor evaſit: ſectis enim venis coactus eſt mori, ut & ejus avunculus *Seneca*.

Bellum Judaicum jam appropinquat, ſequente enim anno cœpit; nec non bellum civile *Romanum* propè erat. Ea prædictio implenda jam erat, *Matth.* 24:7,8,9. *Inſurget gens in gentem, & regnum in regnum*, &c. *hæc autem omnia principium dolorum. Tunc tradent vos afflictioni & trucidabunt vos. Lucas* verò, *ſed ante hæc omnia injicient vobis manus & perſequentur vos, Cap.* 21:12. Hæc pugnare videntur, ac ſi ab uno Euangeliſta Diſcipulorum trucidatio ante hanc cladem contingere diceretur, ab altero poſt cladem cœptam. Hæc facile conciliantur: *Chriſtus* etenim apud Euangeliſtas verba faciens, duas res refert, ſcil. cladem Judæos invaſuram ante ipſorum excidium, deinde diſcipulorum cladem interea temporis. Voculæ *tunc*, apud *Matthæum*, & *ante*, apud *Lucam* innuunt tantum tranſitionem ab unâ narratione ad alteram, & tempus ſubinnuunt; hæc initium ſcilicet perſecutionis prædictæ, illa ejus continuationem denotat.

Impletionis prædictionis hujus magis commodum tempus reperire non licet, quam hunc annum, de quo nunc agimus, inter duos luculentos annos intermedium: quippe proxime præcedens erat initium perſecutionis *Chriſtianorum Romæ* agentium, & proxime ſequens belli Judaici.

Quamvis igitur haud liquido conſtet, quando ſcripta fuerit

PRIMA EPISTOLA PETRI,

Tamen ex iis, quæ in hac Epiſtola eò attinentibus innuuntur, hoc anno ſcriptam fuiſſe veriſimile eſt. Ut nihil de iis verbis dicam, *Omnium finis imminet, Cap.* 4:7. (quæ gentis & Rei-

Digitized by Google

CHRIST. LXV. NERON. XI.

& Reipublicæ excidium denotant) *Explorationis per ignem* mentio, *verſ.* 12. & *tempus eſt ut incipiat judicium à domo Dei*, *verſ.* 17. prædictionis ſupra citatæ, *tunc tradent vos afflictioni*, complementum luculentum cenſendum eſt. Fatendum, Eccleſiam perſequutionem perpeſſam fuiſſe ex quo Euangelium primùm prædicatum fuit, & quoſdam illius cauſa mortem perpeſſos; *Stephanum* ſcilicet & utrumque *Jacobum*, & eodem tempore, quum illi trucidati fuerint, alios: verum in regionibus extra *Judæam*, quo *Synedrii* poteſtas haud pertingere potuit, aut ſævitiam exercere, licet ſatis tumultus fuerit nec non verberum & odii, raro tamen ſanguinis effuſio contigit, donec *Tyrannus Romanus* anno proxime elapſo, ſævitiæ ſpecimen execrandum exhibuerat, & jam appetebat gentis *Judaicæ* perturbatio. Tunc enim *Judæi* non ſolum in ſe invicem ſæviebant, verùm in omnes ab iis diſſentientes. Id agebant non ſolum in *Judæa*, ubi bellum obtinuit, verum per totum terrarum orbem ubicunque turbas ciere licuit. *Dionis* verba obſervatu digna ſunt, ubi de obſeſſis à *Tito Hieroſolymis* narrat, *Judæos in exteris regionibus degentes, tum intra tum extra ditionem Romanam, ſubſidium ad fratres in Judæa commorantes miſiſſe*, *lib.* 66.

Cum *Cyrus Judæis*, elapſis 70. captivitatis annis, poteſtatem fecerat in patriam revertendi, ex iis quam plurimi (quibus domicilia in *Babylonia* cordi erant) ſedes ſuas mutare abnuêre, ibidemque manſere: excreverunt poſt hæc in gentem magnam & populum ſegregatum, & conſtituerunt quendam è popularibus ſuis ריש גלותא *Principem captivitatis*; tres etiam Academias habuerunt illuſtres, *Nehardeam* ſcil. *Pombeditham* & *Soriam*, quæ quam plurimos in *Hebraicis* doctiſſimos viros alumnos habuerunt.

In partitione muneris inter tres Miniſtros circumciſionis, *Petrum*, *Jacobum* & *Johannem*, *Babylon Petro* obtigit, ibidem, in iſtarum regionum centro agens, hanc Epiſtolam ſcripſit ad Judæos ſparſos per *Pontum*, *Galatiam*, *Cappadociam*, *Aſiam* & *Bithyniam*; ubi defectio à fide plurimum invaluerat, adeoque Euangelio adhærentium ſævior erat afflictio. *Electis* inſcribens reſpicere videtur Salvatoris verba de hac defectione prædicta, *ſeducent, ſi fieri poſſit, etiam electos*, *Matth.* 24. *verſ.* 24.

Inter alia documenta cœleſtia eos, & nos edocet, quis *Petra* fuerit, ſuper quam ædificatur Eccleſia, *Cap.* 2: 4. &c. & quî intelligenda ſint ea verba *ſuper hanc Petram*, *Matth.* 16. Magiſtratibus ſubjici vehementer jubet, *Cap.* 2: 13, 14. eò potius quod *Zelotarum* principiis paſſim infecti Judæi Ethnicæ poteſtati ſubjici recuſarent.

CHRIST. LXV. NERON. XI.

Baptiſmum teſſeram & pignus ſalutis eſſe aſſerit: quo baptizati & baptiſmo adhærentes adverſus imminentem gentis cladem communiti erant, *Cap.* 3: 21. Verba faciens de morte *Chriſti*, *verſ.* 18. miro quodam modo per ſaltum, Veteris Teſtamenti hiſtoria prætermiſſa, incidit in Orbem diluvio peremptum; & *Chriſti Spiritum*, iſtius ſeculi hominibus prædicaſſe oſtendit. Cur verò, omiſſis ſeculis intermediis, cum idem ſpiritus etiam prædicabat, iſtius ſolum facit mentionem? *Reſp.* Quia Apoſtolus conferre ſtudebat cladem iſtius ſeculi cum gentis Judaicæ excidio brevi venturo. *Noachum* & ſuos aqua ſervatos oſtendit, *verſ.* 20. Ἀντίτυπον ἡμᾶς, i. e. baptizatos ejus rei Anti-typum eſſe; & Baptiſmum jam fore ſalutis pignus & viam ipſi adhærentibus. *Johannes Baptiſta* hoc edocuit dicens, *Quis vobis præmonſtravit ut fugeretis à futura ira?* Baptiſmum vocans Συνειδήσεως ἀγαθῆς ἐπερώτημα εἰς θεόν· i. e. *ſtipulationem bonæ conſcientiæ apud Deum*, haud eum definit, quaſi quivis baptiſmum ſuſcipientes ſtipulari tenerentur; verum à circumciſione, qua ſordes carnis aliquo modo abjectæ erant, nec non à lotionibus legalibus & Phariſaicis, quibus ſordes abjectæ etiam alio licet ſenſu, diſtinguit. Sicce habet collatio. Spiritum *Chriſti* prædicantem in ore *Noachi* reſpuebant veteres, & ob eam cauſam perempti ſunt: Judæi, cujus politia *vetus mundus* in S. Literis vocatur, *Chriſtum* per Apoſtolos prædicantem & in propria perſona (ita ut conſpiceretur & audiretur) reſpuebant, & idcirco perimendi ſunt. *Noachus* autem & ipſius familia Deo morem gerens (dum alii Deo dixerunt, *recede à nobis*, *Job.* 22: 16, 17.) aquâ ſervabantur, *cui res nunc reſpondens Baptiſmi exemplar nos ſervat.* Neque enim Baptiſmus erat tantum ablutio ſordium corporis, prout fuere purificationes legales paſſim uſurpatæ, verum Dei ſyncera recognitio, (derelicta perverſa & iniqua generatione) à qua deficere non licuit. Quum igitur in hunc finem inſtitutus fuerit Baptiſmus, quem etiam edocti erant baptizandi, ſcil. in teſſeram & ſignum ſalutis ab imminente excidio, ex eo pædo-baptiſmus probatur, licet hæc verba contra pædo-baptiſmum militare plurimi exiſtimarunt: ſi enim parentes baptiſmum ſuſceperunt ut eò fugerent ab ira ventura, pro liberis etiam eandem ſalutis teſſeram expeterent.

Pro more gentis loquitur cum diluvio *Noachi* peremptos *incarceratos* appellat, *verſ.* 19. Hæc enim habent in *Sanhedrin*, cap. 10. hal. 3. *Generatio diluviana non habet partem in ſeculo venturo: neque in Judicio ſtabit. Dictum eſt enim; non amplius Spiritus meus cum homine diſceptabit*, *Gen.* 6: 3. *Petrus* nos docet, Spiritum

Digitized by Google

CHRIST. LXV. NERON. XI.

ritum cum mundo vetere diſceptantem fuiſſe Spiritum *Meſſiæ*.

Per *Sylvanum*, *Pauli* olim comitem, tunc temporis *Petri*, hanc Epiſtolam miſit. *Per Sylvanum*, inquit, *fidum vobis fratrem*, *ut puto*: haud ambigens verum certus hæc ſcribit. Ille, qui miniſter Ethnicorum fuerat, ad Judæos hanc Epiſtolam perlaturus erat. Ad rem igitur attinebat dicere, ὡς λογίζομαι. q.d. fidum vobis Judæis fratrem exiſtimo, quod & vos exiſtimare volo.

Marcum ſecum fuiſſe memorat. Hoc in mentem revocat, quæ ſuprà de *Marco* dicta ſunt: fuiſſe ſcil. cum *Paulo Romæ*, & hinc digreſſum verſus Orientem perveniſſe. Binum *Marcum* ſupponentes, alium *Petri*, alterum *Pauli* comitem, ſine cauſa rem turbant, & ſententiam amplexantur, cui S. Literæ non ſolum non ſuffragantur, verum manifeſtè refragantur. Ut *Johannes Marcus Pauli* & *Petri* neceſſarius factus fuerit, facile deprehenditur: *Marcus* alius in Novo Inſtrumento non memoratur, eóque fictitius putandus eſt. Jam tandem *Petri* & *Pauli* comes erat, quum olim *Barnabas* ejus avunculus, & *Paulus* ejus cauſa à ſe invicem diſceſſiſſent. Scripſit Euangelium cum *Petro* (fortean) agens, prout *Lucas* cum *Paulo* commorans ſuum ſcripſit. Porrò in ſuo Euangelio præ reliquis Euangeliſtis accuratius temporis ordinem & narrationis ſeriem ſervat.

CHRIST. LXVI. NERON. XII.

Προσελάμβανε τὴν ἀρχὴν ὁ πόλεμος δωδεκάτῳ μὲν ἔτει τῆς Νέρωνος ἡγεμονίας, Ἀρτεμισίου μηνός. i.e. *Bellum Judaicum cœpit duodecimo imperii Neronis menſe Majo*, *Joſephus*, *de Bello*, lib. 2. cap. 25.

Gentis Judaicæ præſentem ſtatum, utque ejus ſe res habuerint per triginta aut quadraginta annos proximè elapſos ſpectantes, facilè erit deprehendere, præter conſueta peccata, quæ apud eam obtinebant olim, quatuor peccata atrociſſima & ſine exemplo obtinuiſſe. I. Eò quod tunc temporis *Meſſiam* ſperabant, cum revera *Chriſtus* venerat, hujus temporis & ſpei quidam anſam arripientes præ ſe ferebant, vel *Chriſtum*, vel ipſius *Prophetas*, aut adventus ipſius *Comites* fuiſſe, *Matth.* 24: 24. De quibus *Joſephus* & alii ſcriptores *Judæi* pluribus agunt. II. *Zelotæ* plurimi fuerunt *Judæ Galilæi* ſectatores, qui *Romanæ* poteſtati ſubjectionem deberi negabant: neque vel ipſi ſubjici volebant, aut alios permittebant, quantum in iis fuerit. III. Judæi increduli hoſtes acerrimi, & perſequutores credentium ubivis fuerunt. IV. Plurimi, qui Euangelium amplexati fuerant, ut dictum ſupra, defecerunt, & ſeducti aut inſignes ſeductores facti, diras hæreſes & inquinationes introduxerunt. Adeo ut pro maligna illa & multifaria Gentis inebriatione, continua inter ſe diſſidia, tumultus, incendia, homicidia, & peculationes diu flagrarant: quin &, præ alia quavis Gente, ſe inquiete gerentes, novaſque ſemper turbas moventes, Romanos in ſe offenſiſſimos fecerant, & tamen non uſque hunc annum in apertum Martem deſcenditur.

CHRIST. LXVI. NERON. XII.

Lis apud *Cæſaream maritimam* primò orta eſt ex occaſione, quod homo Gentilis uſurpationem fecerat in viam, quæ ad Judæorum Synagogam duceret; & citiſſimo ardore per totam regionem efferbuit, *Floro* Præfecto anſam adeò avidè arripiente, ut per diem decimum ſextum menſis *Maji*, milites ejus *Hieroſolymas* diripuerant, hominum tria millia & ſexcentum trucidarant, ipſa *Berenice* Regis *Agrippæ* ſorore vix & ne vix occidionem elapſa.

Frequens fit inter Romanos & Judæos dimicatio, capta arx *Meſſadæ*, & præſidium illic Romanum occidione occiditur. Templum, uti & alia loca civitatis à militibus diverſarum partium communiuntur, quæ porrò per incendia alioſque impetus factos in peſſum eunt. Judæorum vicies mille ad *Cæſaream* cæſi die ſabbati. Unde univerſim omnes arma capeſſunt, atque in ulciſcenda cæde iſta *Syriam*, *Phœniciam*, *Samariam*, *Peræam* furibundi quaquaverſum diſcurrunt, oppida & urbes depopulati, nulli non hominum generi jugulum petunt. *Ceſtius*, *Syriæ* Procurator, Judæorum ſævitiam rependit, devaſtatis oppidis homines cædit, quin & urbis *Hieroſolymiticæ* majorem partem flammis miſcet.

Hunc cum exercitu receſſurum, Judæi à tergo inceſſunt, & quatuor mille hominum conficiunt. Ex hoc ſucceſſu animos ſibi addunt, ad aciem ſe accingunt, & quavis re neceſſaria in diutini belli tolerantiam paratâ, ardet univerſa natio flammis, gladio, bello & internecione.

Abominatio deſolationis, de qua *Matth.* 24. *verſ.* 15. jam *in Sancto poni cœpit*, cum Templum ipſum præſidio munitum cæde & ſanguine labefactetur. *Antonia* arx Templi, obſidionem perpeſſa diripitur, & præſidium Romanum exciditur. חנות h.e. *Tabernæ* ſive pars iſta ædificiorum ad murum orientalem *montis domus* extructa (locus ubi Synedrium olim convenerat) incendiis corrumpitur. *Hieroſol. in Peah*, *fol.* 16. *col.* 3. Brevi dicam, Templum abhinc ſemper militibus confertum, nunquam à tumultu & cædibus quievit, donec in cineres redigeretur.

Urgebat hora jam, ut qui Chriſti prædictionibus fidem habuere, ſe ad montes reciperent, perfugium iſtic quæſituri; jam enim ingruit afflictio illa magna, *Quæ ab initio mundi ad hoc uſque tempus non fuit*, *neque unquam fiet*, *Matth.* 24: 21. Vulgo fertur Chriſtianos

CHRIST. LXVI. NERON. XII.

nos *Pellam*, urbem trans *Jordanem* ſitam migraſſe; *Euſeb. Hiſt. Eccl. lib.* 3. *cap.* 5. At viderint docti, quâ ratione hæc cum *Joſepho* convenerint, qui *Pellam* unam ex eis civitatibus narrat, quam Judæi ad ulciſcendam ſtragem viginti millium cæſorum ad *Cæſaream*, funditus everterant, *de bello*, lib. 2. cap. 33.

Sub hæc itaque tempora conjectare licet, ſcriptam fuiſſe

SECUNDAM EPISTOLAM PETRI.

Id veriſimilius videtur ex eis, quæ habet *Cap.* 1. *verſ.* 14. *Quum ſciam brevi futurum, ut deponam tabernaculum meum, ſicut Dominus noſter Jeſus Chriſtus declaravit.* Hic in animo recogitat verba, quæ *Chriſtus* ipſi ſimul ac *Johanni* circa exitus ſuos loquutus fuerat, *Joh.* 21. Ubi *Petrum* indicat non ſolummodò martyrium ſuſcepturum; ſed id etiam ante fieri debere, quam Chriſtus *Hieroſolymas* vindicta affecerit: cui tamen *Johannes* ſuperſtes eſſet, *verſ.* 22. *Petrus* igitur *Babylone* agens, & res Judaicas totiuſque Gentis ſtatum ſeriò perpendens, eorum equidem cladem è Chriſti verbis, *Matth.* 24. prope affuturam, ſuum verò exitum propinquiorem concludit; atque ea propter pro reſiduo pauxilli ſui temporis piam quam poſſit curam impendit, tam erudiendis iis, quos ſecum habet, quam Epiſtola compellandis, quos è longinquo diſſitos norit, ſpeciatim eos monens ut à *falſis doctoribus* caverent: factaque venturæ ultionis deſcriptione ad vigilantiam, vitæque probitatem obnixè hortatur.

Id quod primo de hujuſmodi doctoribus monet, habemus *Cap.* 2: 1. *Subintroducent hæreſes exitiales, etiam Dominum, qui illos emit, abnegantes.* Hæc uti & alia paſſim, ex *Deuter. Cap.* 32. tranſtuliſſe videtur, *verſ.* 6. *Annon is eſt qui te redemit?* Non quaſi ii à Chriſto prius redempti, in tot fœda poſt redemptionem prolapſi ſint; (in hac ſententia nonnulli ſunt) verum ſubinnuit Apoſtolus redemptionem iſtam ex *Ægypto*, quâ Judæi in peculium Dei aſcripti fuerant, quam redemptionem utcunque hi veteratores glorioſe jactitarint; at ſubintroducendo iſtiuſmodi impiam tam doctrinam quam praxim, quoad ſcortationem & participationem cum Idolis, Deum verum abnegant, qui eos ex *Ægypto* redemptos in peculium ſuum olim admiſerat. *Labes* eos & *maculas* vocat, *verſ.* 13. ex *Deuter.* 32: 5. quos etiam tanquam *priſco mundo*, *Sodomis*, *Balaamo*, quin & lapſis Angelis haud impares depingit.

Excidium Urbis & Gentis deſcribit eodem ferè modo, quo Chriſtus antea, *Matth.* 24. aliaque paſſim S. Scripturæ loca, *Deuter.* 32. *verſ.* 22, 23, 24. *Jerem.* 4: 23. h. e. per ſimilitudinem conflagrationis mundi. *Cæli cum ſtridore præteribunt, elementa æſtuantia ſolventur, terraque & quæ in eâ ſunt opera, exurentur.* Unde etiam *cælos novos & terram novam* ſubindicat, ex *Eſaj.* 65: 17. Novum ſcil. Eccleſiæ ſtatum, qui ſub Euangelio inter Gentes emerſurus fuerit, cum priſcus hic mundi Judaici ſtatus evanuerit.

CHRIST. LXVI. NERON. XII.

Is *Pauli* ad *Hebræos* aliarumque Epiſtolarum honeſtam mentionem facit; non diffitetur tamen quædam in eis eſſe δυσνόητα, ab indoctis quibuſdam & parum ſtabilibus, ſuo ipſorum exitio diſtorta. Verum neque *Petrus* neque ipſe *Paulus* (qui adhuc in vivis erat, & probè novit Epiſtolas ſuas in aliquibus locis pravè detorqueri) in his difficilibus elucidandis ſtudium impendit, quin omnia, ut erant, immutata reliquit: Spiritu Sancto id providente, ut in indagandâ Sacrarum Scripturarum veritate ſtudioſi ſudarent.

Atque hîc poſtremam mentionem habemus hujuſce Magni Apoſtoli apud Sacras Scripturas. Martyrium ſuum præſto eſſe perſentit: novit ſe mori oportere ante quam perderetur *Hieroſolyma*, quæ tamen non ultra annos quatuor jam perduratura eſt. Fortean Judæi *Babylonid* agentes (quâcunque enim mundi plagâ jam erant, præter modum inſaniebant) Petrum iſthic morte plectebant, eò ferocius eos in Euangelium inſtigante Diabolo, quò gentem iſtam brevi delendam norit.

JUDÆ EPISTOLA.

Quemadmodum multa inter ſecundam *Petri* & hanc *Judæ*, quoad ſtylum & res eis contentas, apparet congruentia & vicinitas, ſic, haud multum temporis inter ſe diſtare videntur; cum eandem improborum & improbitatis maturitatem ambæ depingant. Id ſivi invicem ſunt, quod *Obadiæ* Prophetia parti iſtæ *Jeremiæ* fuit, *Cap.* 49: 14. &c. eadem loquuti ſunt, eodem modo arguendi, eiſdemque ferè verbis uſi. Fortaſſe *Judas* fratris ſui *Jacobi* munere ſuſcepto quoad circumciſionem in *Judæa* agentem, Epiſtolam ſuam *omnibus ſanctificatis*, & in lubricis iſtis temporibus *ſervatis* ſcribit, prout frater ejus ad duodecim Tribus ubivis diſſipatas ſuam ſupra mandârat.

Hiſtoriam narrat de *Michaële Archangelo diſceptante cum diabolo de corpore Moſis*, *verſ.* 9. In hoc *Paulo* ſimilis, dum *Jannem* & *Jambrem* memorat; h. e. rem apud Judæos notiſſimam, utcunque non ante hæc apud S. Scripturas occurrerat, ſc. à ſuis ipſorum autoribus & ſententiis communiter receptis confirmationes petit. Abſurdè nimium, ut mihi videtur, nonnulli

Digitized by Google

CHRIST. LXVI. NERON. XII.

CHRIST. LXVI. NERON. XII.

nonnulli ad *Zach.* 3:1,2. hæc referunt, cum neque nomen *Michaëlis*, neque aliquid ſimile *corpori Moſis* illic reperiendum ſit. Verum inter Talmudicos occurrit id, quod affinitatem huic rei aliquali modo ferre videatur: de *Michaële* nempe & *Angelo Mortis* diſſertantibus circa tranſlationem animæ *Moſis*.

Idem de eo cenſendum eſt, dum prophetiam *Enochi* memorat. Celebratam nempe quandam atque inter Judæos vulgatiſſimam traditionem attingit, atque iis, quæ jam tractarat, accommodat. [Liber *Sepher Jesher* Hebraicè ſcriptus ad eundem ferè modum *Enochi* mentionem habet.] In utraque verò allegatione ſuo ipſorum teſtimonio in eos ſtringit; ac ſi explicatius dixiſſet, *Hi ſunt, qui dignitates probris inceſſunt*, cum interim ex traditione vulgò inter ſe receptâ probè norint, *Michaëlem Archangelum*, dum cum Diabolo certaret de corpore *Moſis*, noluiſſe ei impingere notam maledicti,&c. Et præterea Prophetiam *Enochi* plurimum inter ſe decantatam habent, quæ Dominum exhibet venturum, ut ferat judicium, &c. Hi ipſi equidem ſunt, quos peculiari modo hæc ſpectant, &c. Haud inuſitata res eſt paſſim in N. Inſtrumento, quin Chriſtus & Apoſtoli, Judæos è ſuis ipſorum ſcriptis & conceſſionibus redarguant.

EPISTOLÆ JOHANNIS TRINÆ.

INcertum omnino eſt præ aliis quibuſvis Epiſtolis Apoſtolicis, quo tempore hæ datæ eſſent: nihil nobis intereſt ſive earum locum mutare, ſive è loco, quem in S. Bibliis obtinuere, de tempore ſcriptionis conjecturam facere. Haud certe conſtat, eas à *Petri* Epiſtolis ſcriptas fuiſſe, eò quod ponè eas locum hic habeant: id quod maximam nobis lucem in hac re præbet, in tertia Epiſtola videre eſt.

Gajus ille, ad quem tertia hæc ſuperſcribitur, ex eis laude dignis, quæ de eo *Johannes* recenſet, haud alius cenſeri debet, quam *Gajus Corinthius totius Eccleſiæ hoſpes*, *Rom.* 16:23. Etenim cum adeò laudatus is ſit propter hoſpitalitatem Eccleſiæ & exteris factam, iis præſertim, qui Gentibus prædicarant, nihil inde accipientes, haud alius quiſquam eſt, cui hujuſmodi encomium de jure pertineat; nec opus eſt ut de ſecundo *Gajo* ultra quæreremus. Ex hac viri probabilitate fas ſit hæc ulterius obſervare.

I. Quod tertia iſta Epiſtola ſcripta erat tempore, quo ii, qui Gentibus prædicatum exceſſerant, nihil de eis accipientes, & in iſto munere fungendo jam ſe ſategerunt: *Gajum* enim monet ut hos commeatu & viatico proſequeretur, *verſ.* 6. Clauſula verò iſta, *nihil de Gentibus accipientes*, cum nullo magis quadrare videtur, quam vel cum *Paulo* vel cum *Barnabâ*, eorumque diverſis ſtipatoribus; nullos enim præterea memorat Sacra Hiſtoria adeò gratis Euangelizantes. Si ad *Paulum* & conſortium ſuum hæc pertinent, (etenim nihil omnino *Barnabæ* cum *Gajo* ſocietatis interceſſiſſe legimus) tum neceſſe erit ut Epiſtola hæc multò antè ſcriberetur, quam quod præ nobis jam eſt: ſaltem niſi credibile eſſet, *Paulum*, poſtquam è vinculis liber evaſerat, in haſce regiones iter de novo ſuſcepiſſe, ut prædicaret Euangelium. Mihi quidem veriſimilius videtur, *Johannem* Epiſtolam hanc *Gajo Corinthi* miſiſſe ab *Epheſo* per *Timotheum*, qui tunc temporis *Romæ* a *Paulo* vocatus profecturus erat, 2 *Tim.* 4:9,11,21. Oportuit *Timotheum* de viâ *Corinthum* ſalutare, & *Marcum* ibidem agentem ſecum deducere. De his itaque *Johannis* admonitio *Gajo* facta probè intelligi poſſit: *Quos rectè facies, ſi proſequutus fueris ut Deo dignum eſt; nam pro ejus nomine exceſſerunt, ex Gentibus nihil accipientes. Marcus* nempe cum *Barnabâ*, & *Timotheus* cum *Paulo*.

II. Antequam *Johannes* hanc *Gajo* miſerit, aliam prius Eccleſiæ cuidam (*Corinthiæ* fortaſſis, ubi *Gajus* tunc egit) ſcribendam curarat: *Scripſi*, inquit, *Eccleſiæ, ſed qui primatum inter eos ambit Diotrephes, non recipit nos*. Hæc ad primam *Johannis* referri debent, ni temerè & injuria (ut ne pejus dixerim) ulla uſpiam ſanctiſſimi viri ſcripta periiſſe ſuſpicemur.

III. Suppoſito itaque, quod is ab *Epheſo* per *Timotheum Gajo* ſcripſerit, ſupponendum præterea eſt, eum aliquot moras traxiſſe apud Eccleſias *Aſiaticas*, quibus etiam poſtea ab inſulâ *Patmo* literas dedit. Et ſi cuivis non arriſerit conjectura iſta, quam ſupra fecimus circa *Epiſtolam à Laodiceâ ſcriptam*, *Coloſ.* 4:16. tutius ei eſt conjectari primam *Johannis* à *Laodiceâ* ſcriptam fuiſſe, quam unam iſthinc à *Paulo* miſſam temporis tractu deſiiſſe. In utraque tam ſecunda quam tertiâ, ſpem ſuam ſubindicat quaſi brevi advenerit. Unde eum in mente habuiſſe videtur, ab *Aſiâ Minore* (ubi jam erat, & ex qua Epiſtolas miſit) ad Occidentem, *Græciam* verſus viam carpſiſſe, & in ipſo itinere *Patmon* relegatum fuiſſe, *Apoc.* 1. E qua inſula literas de novo ad Eccleſias *Aſianas* ſcribit.

In ſingulis Epiſtolis ad charitatem præcipuè & perſeverantiam hortatur: monitum ſanè ætati iſtæ ſchiſmati & apoſtaſiæ pronæ, perquam utile & opportunum! Antichriſtos jam natos prodit; iſtiuſmodi nempe homines, qui cum veritatem ſemel amplexi eſſent, ab ea perditè defecerant. *E nobis egreſſi ſunt, ſed non ex nobis fuerunt, &c.* Hanc defectionem notat ut *peccatum ad mortem*, monetque ut ne his quidem ave dixerint: אישר vulgari lingua dicunt. *Hieroſol. Taanith*, fol. 64. col. 2. *Rabbini*

Digitized by Google

CHRIST. LXVI. NERON. XII.

bini ſancto cuidam viro de Caphar Immi obviam facto dixerunt אישר *h.e. Ave*: *is verò ne verbum reſpondit*. Idem, in Sheviith, fol. 35. col. 2. & 36. col. 1. *R. Chinnah bar Papa, & R. Samuel bar Nachman præterierunt quendam, agrum ſuum arantem in ſeptimo anno,* (h. e. anno relaxationis) *dixit ei R. Samuel* אישר *Ave: R. Chinna ait, nefas eſt ei Ave dicere, qui fundum ſuum aratro turbârit in anno ſeptimo.*

Johannes ſe *Presbyteri* titulo inſigniit; pariter & *Petrus*, 1 *Pet.* 5: 1. non quaſi ſe de poteſtate Apoſtolica denudare vellent; verum ut eos, ad quos ſcripſerunt, jure miniſteriali tractarent. Nec non per hunc ipſum titulum quem ſibimet aſſumunt, occultius fortaſſis ſubinnuunt; non debere exhinc functionem iſtam extraordinariam donaque Apoſtolica ſupra illud ſeculum ſperari, quin miniſterialem potius, atque ordinariam regiminis formam per Miniſtros ſive Presbyteros ſuſtentandam: tituli genus id fuit, diu inter eos familiare & vulgariter notum. *Diotrephem* verò memorans, ejuſque pervicaciam, tum certè Apoſtolicum gladium ſuum ſtringens dira ei interminatus eſt, vereque *Boanergem* ſeu *filium tonitrui* ſe exhibuit.

CHRIST. LXVI. NERON. XII.

APOCALYPSIS JOHANNIS THEOLOGI.

Etiamſi nullus non fatebitur, quin hic liber *Apocalypſeos* ad calcem Bibliorum Sacrorum (quem locum univerſim obtinuit) rejici debeat; ſunt tamen, qui mihi fortaſſis in vitium vertent, quaſi præmaturam ejus mentionem fecerim; adeò nempe multo ante *Hieroſolymarum* ſtragem, quum vulgo receptum ſit, eum multò poſt, h. e. tempore *Domitiani* ſcriptum fuiſſe. Verum quare id fecerim, infra, è quibuſdam paſſim in ipſo Libro notatis, patebit.

Quemadmodum Deus *Danieli plurimum dilecto* ſtatum tam populi Judaici, quam Regnorum Judæis gravium à ſuo ſæculo uſque ad adventum *Meſſiæ* revelavit: ſic etiam Chriſtus *Johanni Diſcipulo ſuo dilectiſſimo* res Eccleſiæ ejuſque hoſtium infenſiſſimorum prædicit, abinde uſque ad ſæculorum conſummationem: adeò ut, à quo *Daniel* prædictiones ſuas claudit, *Johannes* ſuas inſtituerit; ut qui nihil negotii haberet cum quatuor iſtis Imperiis, quorum revolutiones deſcripſerat Prophetia *Danielis*: ſed cum quinto quodam (Romano ſcil.) quod, utcunque ex iſtorum quatuor quaſi cineribus natum, tractu temporis ea plenius abſorpſit.

Quoad libri texturam, in eo haud *Danieli* abſimilis videtur, quod rem unam iterum atque ſæpius phraſi ſolutiore & diverſa recenſeat: *Ezechielem* quoad methodum & res dictas amuſſim ſequutus. Stylum habet planè Propheticum, & in more loquendi, idiomate Hebraico refertum. Veterum Prophetarum ſententias & dicta, in rebus novis prædicendis affectat. Judæorum linguæ, morum, & dogmatum gnarus ad ea plurimum alludit, quo inter populares familiarius intelligeretur. Et quemadmodum *Ezechiel* clades *Hieroſolymarum*, cum jam in limine eſſent, vaticinatus eſt; pari modo *Johannes*, uti ego reor, Urbis populique πανωλεθρίαν narrandam aggreditur exorto jam bello, aliiſque ingruentibus calamitatibus, è quibus funditus delerentur.

APOCALYPSEOS CAP. I. II. III.

Tria priora Capita, ad ea tempora, in quibus ſcripſit *Johannes*, referri debent. In iis ratio Apocalypſeos *Johanni* permiſſæ, ſtatuſque ſeptem Eccleſiarum, quæ in Aſia fuerunt (ex Epiſtolis colligendus) deſcribitur.

Johannes in negotio prædicandi Euangelii itinere ſuſcepto, Aſiamque ultrò citroque peragratus, dein in Occidentem verſus, inſulam pervenit, quæ vocatur *Patmos*; mari *Icario* ſita eſt (*vide Strab. lib.* 10.) circuitum habet plus-minus triginta mille paſſuum. (*Plin. lib.* 4. *cap.* 12.) Iſtic loci, die Dominica, Chriſtus ei viſiones dignatur, quarum interpres Angelus immittitur.

Chriſtum itaque vidit ſacerdotali amictu indutum ποδήρη, *verſ.* 13. (conſule τῆς LXX. in *Exod.* 28: 4.) nec non more ſacerdotum zona aurea ad mamillas præcinctum, inſigni gloria & maje-

Digitized by Google

& majeſtate egregium, quem *Danielem* ſequutus depingit, *Dan.* 7:9. & 10:5, 6. Inter alia ornatur nominibus *Alpha* & *Omega* apud Judæos non inuſitatis, (idiomate mutato) quibus *initium* & *finem*, *primum* atque *ultimum* deſignant. *Midr. Tillim*, fol. 47. col. 2. *Abrahamus & Sarah totam legem impleverunt ab Aleph ad Tau.* Marg. tripl. Targ. in *Deut.* 18. *verſ.* 13. *Qui ſyncere ſe gerit, eſt, ac ſi totam legem impleverit ab Aleph ad Tau.*

Epiſtolas inſcribit *ſeptem Eccleſiis, quæ ſunt in Aſia.* Quæ Eccleſiæ utcunque adeò labefactæ, & vitiis ſcatentes, *candelabra* tamen *aurea* dicuntur, harumque Antiſtites *Angelorum* titulis ornati ſunt: ita enim præ ſe fert Epiſtolarum inſcriptio; nec æquum ſane eſt, ut Eccleſiæ jura facilè perdiderint, qui pravis moribus aliquatenus contaminentur. Titulus iſte, *Angelus Eccleſiæ*, analogiam habet cum שליח צבור *Sheliahh Tſibbor*; titulo nempe cujuſque miniſtri Synagogæ, cui Legem & Prophetas publicitus legere & interpretari cura incubuit. Haud ſecus hæ ſeptem Epiſtolæ Eccleſiarum præſidibus inſcriptæ ſunt, eòque amandatæ, quo in cœtibus ſolennibus recitarentur.

Septem Epiſtolæ diverſis Eccleſiis diſtinctè inſcribuntur, à *Chriſto* immediate dictatæ & miſſæ; quibus addenda eſt una generalior à *Johanne* univerſis data, in qua jus & modum ſcribendi illas ſeptem oſtendit.

Spiritum Sanctum vocat *ſeptem Spiritus*, more Judæorum, qui ab *Eſaj.* 11:2. multa & magna loquuntur de *ſeptem Spiritibus Meſſiæ*. Pari modo *Chriſtum* perhibens *cum nubibus venturum*, *Cap.* 1:7. Id ex *Daniele* accepit, *Cap.* 7:13. uti ex ipſis Chriſti verbis, *Matth.* 24:30. Ex quibus ſimul conſtat, *Johannem* à fine prædictionum Danieliticarum initium ſuarum duxiſſe, *Chriſti* adventum regnumque, everſis iſtis quatuor Imperiis, ſubſtituente, nec non, quod præcipuum eſt, peculiari quodam reſpectu innuiſſe, primum iſtud fore ſpectabilius Meſſiæ Imperii & poteſtatis indicium, quod in radicitus evellenda Judæorum natione adeò maturas vindicias in perditiſſimos hoſtes cœlitus immiſerit. Quæ res quidem, magna ex parte fidem mihi fecit, *Librum* hunc *Apocalypticum* prius ſcriptum fuiſſe, quam urbs *Hieroſolymitana* ad exitium perduceretur.

Cogitanti mihi *Aſiaticarum* Eccleſiarum ſtatum, prout in Epiſtolis deſcribitur, non immerito occurrit iſtud *Pauli*, 2 *Timoth.* 1. *verſ.* 15. *Noſti quod ſe averterint à me omnes, qui ſunt in Aſia.* Heu flebilem Apoſtaſiam! Cujus ut non leves inſtantiæ in his ipſis Eccleſiis ſunt, ita, quænam iſtius Apoſtaſiæ effecta, nec non quid plerumque in cauſa eſſet, quod tam fœdè defecerint, hîc loci innuitur. E. gr. I. Judæi non credentes, quos Spiritus Sanctus nigro carbone notat, *Synagogam Satanæ* eos ſemper denominans. Hi Eccleſiam, quæ apud *Smyrnam*, magis vero *Pergamum* infeſtarunt, ubi propter ſceleſtiſſima flagitia iſtic loci acta, trucidato *Antipa fideli martyre*, *Satanæ thronus* erigi indigitatur. II. Pſeudo-apoſtoli & ſeductores; inter quos nonnulli jus & delegationem Apoſtolicam vana oſtentatione ementiti, magicis fortean præſtigiis quibuſdam, & fictis miraculis, prætextui fucum fecerunt. Hujuſmodi veteratoribus vexabatur Eccleſia *Epheſina*, quorum tamen fraudes jam explorarat, & *mendaces compererat*. III. Alii inſuper erant, artium harum Satanicarum haud adeò gnari, qui tamen dogmata quædam ab inferis lata diſſeminarunt: doctrinas *Nicolaitarum*, qui ſcortandi licentiam, & edendi ex eis, quæ Idolis immolabantur, arbitrio cujuſque permiſerunt. Mulier quædam *Thyatirenſis*, ſcortum, lamia, quin & altera *Jezabel*; hujusmodi doctrinas effutiit, unde ei cum filiis ſuis, h. e. Diſcipulis Chriſtus peſtis internecionem interminatus eſt; id genus nempe excidii, quo olim ruêrunt qui cum *Baal-Peore* ſcortati fuerant.

APOCALYPSEOS CAP. IV. V.

OCcurrit ſecunda Viſio. In priore *vidit quæ ſunt*, *Cap.* 1:19. In hac & ſequentibus videt quæ futura ſunt, *Cap.* 4. *v.* 1. *Oſtium apertum in cœlis, & vox audita tanquam tubæ cum Johanne loquentis.*

Scena Viſionum, quæ in *Cœlis eſſe* dicitur, quadrat cum ſchemate Templi & Majeſtatis Divinæ, quæ in Templo reſiderat: unde mentionem paſſim habemus Altaris, Candelabri, Maris vitrei, (*labri ænei è mulierum ſpeculis fabrefacti*) Arca fœderis, & ſimilium. Et quemadmodum cum aperirentur januæ Templi, clanxerunt tubæ, ita eodem hîc alluditur. Oſtium in cœlo apertum eſt, & tubæ clangor *Johannem* iſthuc vocat, ut *veniens videret quid illic eſſet.* Exinde *mox ſpiritu correptus eſt*, *verſ.* 2. Quid vero? Annon antehac in ſpiritu fuit? *Cap.* 1. *v.* 10. Annon quum oſtium viderit in cœlo apertum? &c. Quidni? Aſt exhinc notari oportet diverſus in afflatis extaſeos gradus, pro vario iis reſpectu habendo. Sunt qui in Prophetiam vel prædicandi munus aſcribebantur, alii in ſublimiora afflati, S. S. Scripturis edendis operam navarunt. Utrique Provinciæ *Johannes* par factus duplici inſpirationum gradu ornatur, tam in hac quam in altera viſionum vice. Supra, in ſpiritu corripiebatur ut revelationem videret, nec non in ſpiritu rurſus, ut quæ vidit, ſcriptis mandaret, & ad Eccleſias mitteret. Pari ratione

Digitized by Google

CHRIST. LXVI. NERON. XII.

tione hîc loci commate primo hujus Capitis, in ſpiritu corripitur, quo viſionem reciperet: & *verſ.* 2. in ſpiritu rurſum, quo viſio altiores in animo radices ageret, eamque is plenius perſcriberet.

Chriſtum Throno inſidentem vidit, velut in Eccleſiæ medio, per emblema viſionarium, haud illi multum abſimile, quod apud *Ezechielem* occurrit, *Cap.* 1. & 10. Quinetiam ſcena iſta olim à *Daniele* inſtructa, *Cap.* 7. *verſ.* 9, 10, 22. hîc loci & expoſitionem ſuam & adimpletionem habere videtur. Apud *Ezechielem* cum *Hieroſolymarum* excidium in propinquo ſtaret, Majeſtaſque Divina aliò migratura eſſet, Populo Iſraëlitico foris exulaturo, Jehova iſtiuſmodi Throno ſublimem, tanquam pro tribunali ſedentem & gradatim iſthinc ceſſurum ſe palam dedit: confer *Ezech. Caput* 1. cum *Cap.* 10. Similiter Chriſtus hîc loci, cum præſto eſſent clades Hieroſolymiticæ, populumque infidelitati ſuæ, mentique obduratæ permiſſum jam derelicturus, vix non inter Gentes pedem fixiſſet, ſolio ſe conſpicuum tanquam Regem & Judicem, atque illuſtri ſatellitio ſtipatum perhibet, Judæis ſententiam criminibus & infidelitati æquam laturum, reſque Eccleſiæ, quam jam alibi fundarat, adminiſtraturum.

Schema Viſionis ad exemplar caſtrorum Iſraëliticorum delineari videtur. I. Medio eorum ſtetit Tabernaculum, pariter & hîc Thronus. II. Agmina Levitarum quadrata, numero quatuor, proxime ad Tabernaculum caſtra metabantur, qualiter & hîc quatuor animalia Thronum ambiunt. III. Poſt eos univerſa omnium Tribuum caſtra, eiſque reſpondent viginti quatuor Presbyteri, in duplicem iſtum tam Tribuum quam Apoſtolorum numerum duodenarium fundatam Eccleſiam repræſentantes.

Qui Thronum inſidebat, librum obſignatum dextrâ tenuit, cui aperiendo nemo ſuffecit. Quod ad *Danielem* recurrere jure nos cogit, *Dan.* 12: 4. ubi *verba occluduntur, & obſignatur liber uſque ad determinatum tempus.* Quod tempus quum jam revolutum ſit, librum itaque hic aperiendum habemus.

APOCALYPSEOS CAP. VI.

APertura ſex ſigillorum in hoc *Capite* deſcripta, exitium & repudiationem Gentis Judaicæ, uti & Urbis ſtragem jam proxime affuturam deſignat.

Primum ſigillum apertum, *verſ.* 2. Chriſtum oſtendit, quaſi acie in hoſtes inſtructa, ſæviſſimam eis vindictam intentaturum. Sicuti *Pſalm.* 45: 4, 5. quod itidem peculiari quodam magniloquio ſæpius apud Novum Inſtrumentum paſſim deſcriptum habemus; ubi Chriſtus modò *per nubes*, modò *in Regno*, modò *cum multa pompa & ſplendore venturus* depingitur. Nec dubium ſane eſt, quin cum Chriſtus tot ſuppliciis Genti inſenſiſſimæ, quæ ipſum crucis ſuſpendio affecerat, ſummoque odio Euangelium ſuum inſectarat, inflictis ſe vindicarit; primum inde (nec equidem leve) indicium facturus eſſet, ſe revera Meſſiam eſſe. Hactenus enim ſecundum externam rerum faciem, tenuem ſe & exilem præſtiterat; ipſe omnia prius indigne paſſus, etiam ſuos atroci hoſtium arbitrio permiſerat: jam verò ad horrendam ultionem experrectus, per iræ ſuæ exercitia conſpicuum ſe præbet.

Tria ſequentia ſigilla inſtrumenta exhibent, quibus uſus Judæos delevit; tres nempe iſtas graviſſimas plagas toties à Prophetis denunciatas, *Gladium*, *famem*, *peſtemque*.

Aperto enim ſigillo ſecundo, prodiit quidam equum rufum inſidens, cujus Provincia erat pacem è terris tollere, ut alii alios mactent: *Datus ei eſt gladius magnus.*

Sub tertio ſigillo graſſatur fames; adeò gravis annonæ caritas, ut triticum more aromatum ſtaterâ trutinetur, *verſ.* 5, 6.

Quartum ſigillum quendam equo pallido invectum prodit, ei nomen *mors.* (Chald. Interpres ſæpius peſtem per vocem iſtam מותא deſignat, quæ in eodem ſenſu etiam accipienda eſt, *Apocal.* 2: 23.) hunc *hades* ſequebatur, *verſ.* 8.

Quintum ſigillum cauſas explicat; unde nempe id factum eſt, ut tam horribilis vindicta decerneretur. Clamavit ſanguis juſtorum, qui ab iſto ſæculo repoſci debuerat, *Matth.* 23: 35, 36. Horum animæ clamare ſub altari dicuntur; forte cum alluſione ad victimarum cruorem, qui ad altarium radices profundi ſolet; vel potius ad Judæorum dogma vulgo inter eos receptum, *Juſtorum animas ſub Throno Majeſtatis Divinæ recondi.* Huic clamori reſponſum eſt, ut paululum temporis requieſcerent, uſque dum confratrum martyria complerentur, quorum trucidationem excepturæ eſſent ultimæ hoſtium ſtrages: quæ non inepte quadrant cum eo, quod ſupra notavimus, jam, nempe, inſtare tempora ſæviſſimæ perſecutionis, *Apoc.* 2: 10. & 3: 10. *horam tentationis* dicta. Judæis cum Satana petulantius furentibus, donec Chriſtus in Judæos triumphos agendo rabiem iſtam perdomârit.

Sextum ſigillum apertum, *verſ.* 12, 13. Gentis πανωλεθρίαν oſtendit, phraſi S. S. Scripturis ſolenni, eo modo deſcriptam, ac ſi totius terrarum Orbis interitus depingi deberet. Conſule *Matth.* 24: 29, 30. Sol obfuſcari dicitur, ſtellæ in terram ruere, cœlum loco moveri, totaque terræ compages diſrumpi; atque ut in hunc ſenſum jure verba interpretemur,

Digitized by Google

CHRIST. LXVI. NERON. XII.

mur, aſtipulatur nobis extrema iſta clauſula, *verſ.* 16. *Dixerunt montibus & petris cadite in nos*; quaſi loquutione Chriſtus utebatur, *Luc.* 23: 30. Porrò, exhinc aliud nobis argumentum ſuppetit, quare hîc potiſſimum *Apocalypſeos* librum tractaremus, quoniam ex his liquet eum ante perſcriptum fuiſſe, quam *Hieroſolymæ* cecidiſſent.

APOCALYPSEOS CAP. VII.

AD finem præcedentis Capitis innuitur *Hieroſolymarum* excidium; uti & in initio hujus per ſimilitudinem quatuor Ventorum, quos Angelus retinuit, ne flarent ſuper terram, prædictum eſt Prophetiæ deliquium. Confer *Cantic.* 4: 16. cum *Ezech.* 37: 9. Equidem reſiduum Iſraëlitarum unà cum innumera Gentium turba, cum ſignaculum receperint, nullo per ventorum retentionem damno recepto, ſalvi evaſuri ſunt. Adjumento hîc nobis eſt *Ezechiel*, quo firmiorem iſtam rerum explicationem, quam præcedenti Capiti adnotavimus, & luculentiorem habeamus. Is eiſdem fere verbis utitur, quum Urbem olim perdendam deſcriberet *Ezech. Cap.* 9. 10. & 11. Conferatur ſignaculum fronti affixum cum eo, quod innuitur *Exod.* 28: 38. Notandum bene eſt, quod dum cæteræ omnes Tribus ſignari in hoc Capite dicuntur, *Danitica* omittitur, utpote quæ in Idolorum cultum prima omnium prolapſa ſit, *Judic.* 18. 1 *Reg.* 12.

APOCALYPSEOS CAP. VIII.

APerto ſigillo ſeptimo, in novam rerum ſeriem perducimur, prout & nova mundi facies emerſit quum depopulatæ eſſent *Hieroſolymæ*: ſub ſex alteris ſigillis ſupra apertis, exhibebantur Judæorum clades, nec non Gentilitiæ Eccleſiæ ortus & primordium. Hîc verò, ſeptem tubæ ſub ſeptimo ſigillo inflatæ, generalem quaſi temporum proſpectum præbent, uſque ad ſæculorum conſummationem; generalem inquam, etenim ab initio *Cap.* 12. ad finem *Cap.* 19. ſpecialius tractantur.

Silentium in Cælo aliquantiſper factum eſt, & ſeptem Angeli ſeptem tubas gerentes in iſtud *Joſuæ Cap.* 6: 4. 10. animum revocant; monentque ſtylum Propheticum, novæ jam *Canaanis*, ſive ſuccenturiatæ Eccleſiæ res & fatum reſpicere; qualiter & id, quod apud *Jerichuntem* actum erat, in veteris terræ poſſeſſionem Iſraëlitis viam præſtravit. Potius vero, quum per totum hunc librum, res ſub Templi ſchemate repræſentatæ ſint, ad ritus fortean in Templo ſolennes, alludere videtur.

Quid quod hîc loci mentio fit altaris ſuffitus, & tubarum? hæc omnia erant Templi appendices. Inter ejus itaque ſolennia mos fuit, ut, cum ſacerdos ſe ad ſacra accingeret, plebs longius à porticu abſcedens altum ſilentium (utcunque interim fundendis precibus occupata) teneret, donec ad aras is ſacra peregiſſet: quod inter cætera rerum ſacrarum miniſteria nequaquam fuit, clangentibus interim, vel concinentibus Levitis. Ad hæc itaque aptari alluſio oportet: ſacrificio enim ſuper aras impoſito, ſacerdos favillis inde deſumptis, ad altare aureum coram Templi velo ſitum, thus adolevit, quibus peractis, tubæ ſuper mactatam victimam perſonarunt. Hic itaque innuitur primo Chriſti ſuper aras immolatio, dein ejus in Sanctum Sanctorum proceſſio, ut qui interceſſione facienda populi partes ſuſceperit; denique tubarum ſonitu edicitur quid is in mundo facturus ſit. Id quod porrò dicitur, *verſ.* 5. *Angelum* nempe *ignem ex altari cepiſſe & in terram jeciſſe*, non adeò è Templi ritibus, ac ex *Ezechiele*, *Cap.* 10: 2. deſumptum videtur, ultionemque iſtam, quam tubæ indicarant, venturam oſtendit.

Hæ ſeptem tubæ, cum iſtis ſeptem Phialis, *Cap.* 16. in multis quadrant. Quid Synchroniſmi inter eas ſit, infra cum ad Phialas deventum fuerit, σὺν Θεῷ notabimus.

Clangente Tuba prima, grando & ignis ſanguine permiſta in terram decidunt, tertiamque partem arborum & graminis deprædantur. *Ignis cum grandine*, inter alias plagas olim *Ægyptum* afflixit, *Exod.* 9: 23. Aſt grando & ignis cum *ſanguine* permiſta, nova videtur vindictæ Divinæ ſpecies, qua indigitantur miſeriæ, quæ per bella & flammas, per horribiles procellas, intempeſtivas anni revolutiones, atque id genus plagarum mundum vexaturæ ſint.

Clangit ſecundò, ex quo ingens mons igneſcit, & in mare projicitur, cujus tertia pars in ſanguinem verſa eſt. *Mare* ſtylo Prophetico, multitudinem populi ſonat. Sic *Jerem.* 51: 36, 42. mons igneſcens fuit Imperium *Babylonicum*, *Cap. ſupradicto*, *v.* 35. Poteſtas itaque Imperatoria hîc deſignatur, quæ tot lanienis, non in Chriſtianos duntaxat, ſed in populum ſuum promiſcue factis, flammas vere evomuiſſe dici poſſit. Sic ad hæc tempora *Nero*, ſic paulò poſthæc *Vitellius*, *Domitianus*, *Commodus*, ſic denique plerumque omnes Romanarum rerum potiti in populum ſuum pro libitu laſcivierunt; immo verò, ſive avaritiæ, ſive ambitionis, vindictæ aut petulantiæ ergo, totus fere terrarum Orbis, hac vel illa parte, cæde & ſanguine commiſcebatur.

Tertia tuba, ſtellam *Abſinthium* in flumina & aquarum fontes cadentem prodit: qua potiſſimum innuitur, peſtifera hæreſium eluvies

CHRIST. LXVI. NERON. XII.

CHRIST. LXVI. NERON. XII.

vies, quæ limpidiſſimos S. S. Scripturarum, ipſiſſimæ veritatis fontes, turbatura eſſet, & fœtore polluturа. *Stellæ* nomen plerunque in hoc libro occupant Eccleſiæ Rectores, *Cap.* 1. *verſ.* 20. (Talis inter Judæos fuit *Ben Chochab ſtella Abſinthium*, non inepte *Ben-Chozba* mendax dictus) Alludit vero iſtiuſmodi phraſiuncula, *ſtella è cælo cadens*, ad illud *Eſaj.* 14: 12. *Quomodo decidiſti de cælis Lucifer?*

Sub quarta tuba, Solis & Lunæ & ſtellarum pars tertia obſcurata eſt, h. e. tam Eccleſia quam Reſpublica triſtem imminutionem gloriæque deliquium paſſuræ ſunt; in pejus enim utrinque ruunt, hinc per inteſtina diſſidia, hoſtiumque impetum foris ingruentem; illinc per incrementum ſuperſtitionis, idque ante Papiſmi exortum, qui non niſi ſub ſequente tuba ſe prodit. Obſcurata luminaria in cœlis, ſæpius apud Prophetas occurrunt, quæ Eclipſin Imperii, & deteriorem Reipubl. ſtatum paſſim ſignificant, *Eſaj.* 13: 9, 10. *Joël.* 2: 10. Quomodo ſe res tam in Eccleſia quam Imperio habuerint, quoad mala in utroque graſſantia, juxta hæc tempora ante quam Papatus mundum vexarat, qui non novit, vix eum limina hiſtoriæ, ſive Eccleſiaſticæ, ſeu civilis attigiſſe puto.

Tres tubæ ſequentes, *væ*, *væ*, *væ* clangunt. Infœlix ſæculum ante actum, ſed infœlicius futurum!

APOCALYPSEOS CAP. IX.

SUb quinta tuba Papatus deſcribitur: cadente altera ſtella (inſigni quidem) de cœlo in terram: *data clavis putei abyſſi*, à clavibus *Petro* conceſſis, immane heu! quantum differt? Claves hæ ſunt *Regni Cælorum*, quibus juxta *clavem putei abyſſi* poſitis, ſat conſtabit, quam invicem contrariæ ſint. Quum Mundus ex Ethniciſmi fuligine ad Euangelii notitiam expediri oportuit, Chriſtus claves *Regni Cælorum Petro* porrectat, quo reſeratis tenebrarum januis lux ſalutifera intromitteretur: Is enim primus omnium Ethnicis ſalutem propinat, *Actor.* 10. & 15: 7. Quum vero in priſtinum Ethniciſmum prolabi meruerit, (at meruit ſanè propter Religionis contemptum, vel infructuoſam ejus profeſſionem) non inconcinnè hæc deſcribuntur, per modum aperiendi inferorum portas, porrigendi claves putei abyſſi, omniaque ſpiſſiſſima caligine miſcendo. Clavigerum habemus iſtum *filium perditionis* (*Abbaddon* is eſt & *Apollyon*) perditorem truculentiſſimum, qui & ipſe perditiſſimo interitu olim delendus eſt. *Chittim* (*Italiam* ſive *Romam*) *perpetuo affligentem*, quæ & ipſa *in perpetuum peribit*, *Num.* 24: 24. Antichriſtum ſecundæ editionis multo auctiorem, priori illo inter Judæos celebri, quem ſupra *in* 2 *Epiſt.* ad *Theſſalon.* notavimus, ſuccedaneum; Antichriſtum provectæ ætatis, & planè adultum. Verum fateor, *Roma*, dum ſub Ethniciſmo inſaniit, Antichriſtum in parte nobis exhibuit; Papiſmum verò amplexa, multò inſignius. *Stella* tum verè *de cœlo cecidit*. Adeò ut, tametſi ſub Ethniciſmi tyrannide multa perpetrabantur fœdi & ſævi nominis, huic verò, uti magis efferato, primum VÆ affigi videmus.

Verum enim verò ut hoc primum *væ* adimpleretur, Chriſtianum Orbem pervadunt horribiles inſcitiæ fumi, & fuligines, ex inventis humanis & traditionibus exortæ, è quibus prodeunt *locuſtæ*, h. e. Religioſi ordines, votariorum agmina. Locuſtarum deſcriptio haud multum ab eâ diſcrepat, quam apud *Joëlem* habemus, *Cap.* 1. ſaltem quoad ſtragem terris per eas commiſſam. Verum cum ora humana gerant, locuſtæ humanæ ſunt; quarum etiam crines, more *Nazaræorum* nutriti, & ad inſtar mulierum promiſſi, votariorum genus loquuntur. Nihil eis cum gramine ſeu viridibus terræ, quibus communiter veſcuntur vulgares locuſtæ; ſed cum hominibus, locuſtæ quidem nomine, ſed re ſcorpii: caudæ aculeis armantur, (*Propheta falſitatem docens eſt cauda*, *Eſaj.* 9: 15.) nec tamen his mortem revera incutiunt. Religionem hominibus (talem qualem) relinquunt, ſed veneno infectam, & vix non exanimem. Spatium eis lædendi permiſſum menſium quinque; id quod locuſtis rapacibus à provecto vere, uſitatò conceſſum eſt. Atque eo modo abſolutum eſt primum VÆ.

Ex occaſione aculeorum, quos geſtârunt locuſtæ, occurrit menti, quod apud Romanorum rerum Scriptores narratum memini, & fas ſit huic loco apponere, ut ut abs re impræſentiarum tractatâ videatur. *Dion* ad vitam *Domitiani Imperat.* hæc refert. *Sub id tempus plurimi acubus veneno intinctis clanculum fodicati, vix ipſi vulnus acceptum ſentientes, quaſi ex inopinato enecti ſunt; cujuſmodi impia conſuetudo, non in urbe Roma duntaxat, ſed per totum pene terrarum Orbem obtinuit.*

Et Rurſus ad vitam *Commodi Imperat.* hæc habet; *Sub id tempus*, inquit ille, *tam lethifera peſtis urbem Romam pervaſit, ut plus duobus mille hominum, unoquoque die fato ceſſerunt; præterea quod per univerſam ditionem Romanam, innumerum hominum genus, ex punctiunculis venenatarum acuum, nefariâ manu occulto factis, perierit. Maxima tamen omnium lues ipſe Imperator Commodus haberi meruit.*

Clangente ſextâ tubâ en alterum VÆ. Solvuntur quatuor Angeli, qui ad flumen *Euphratem* vincti fuerant. Tremendo exercitu ſtipati procedunt, equis, quos inſederunt, ignem,

Digitized by Google

CHRIST. LXVI. NERON. XII.

nem, fumum & ſulphur ſtertentibus, caudis etiam aculeo armatis, &c. *Turcæ* & *Mahometis* aſſeclæ, æquè Orientem infeſtant, ac Occidentem *Papicolæ*. Hi etiam caudis lædunt (falſam doctrinam inducunt) non minus quam qui ſub præcedenti tubâ prodierant. Verùm hi præterea capita in caudis geſtant, utpote qui ſub capite, omnibus numeris diverſo militant, aliumque omninò ſervatorem h. e. *Mahometem* profeſſi ſunt.

APOCALYPSEOS CAP. X.

CHriſto libellum manu tenente præfiguratur veræ Religionis inſtauratio, quæ tandem cæcam inſcitiæ abyſſum ſupradictam eluctatura eſſet. Mens viſionis explicatur, *verſ.* 6, 7. *Juravit per eum, qui vivit per ſæcula ſæculorum*, TEMPUS *non amplius fore, ſed in diebus ſeptimæ tubæ* Myſterium Dei *conſummari debere*. *Myſterium Dei* dicitur, electorum vocatio, præſertim Gentilium, *Rom.* 16: 25, 26. *Epheſ.* 3: 5, 6. cui hactenus *Roma* Pagana, hæreſes multæ, Papatus, & Turciſmus malè præpedierant. Nunc verò jurat Chriſtus, MORAM non amplius fore; ita enim ſumi oportet vox χρόνος, quod tam vocis interpretationi, quam ſenſûs texturæ, nec non loco ipſi, ex quo hæc verba citantur, meliùs quadrare mihi videtur. Conſule *Dan. Cap.* 12: 7. ubi Angelus (uti hîc loci) jurat, *Antiochi* rabiem ad conſtitutum tempus duraturam, & non ultra, quin rerum redintegratio ſine morâ fieret. Unde è locorum collatione (ſuppoſito interim *Antiochum* fuiſſe *Antichriſti* typum) revelationis explicatio faciliùs conſtabit, excepto quod Angelus illic curavit obſignari ea, quæ ſeptem tonitrua effarant, & quæ propriè ad hæc tempora immediate ſpectârunt. Res hujus Prophetiæ generatim conſiderata, Euangelii & puræ Religionis inſtaurationem, hiſce ultimis ſæculis eventuram complectitur, quæ proximo Capite ſtrictim tantum & leviſſimè attingitur. *Johannes* libellum devorat, prout olim *Ezechiel*, *Cap.* 2: 8, 9. Monitus porrò *Prophetaturum ſe coram populis, & Gentibus, & linguis & Regibus multis*: non quaſi ipſe peregrè profecturus, multasque inter Gentes diſſeminando Euangelio negotium ſibi faceſſens, hæc eo modo impleret; verum in his prædicitur, veritatis (quam ipſe inter nationes & populos promulgaſſet) progreſſus & ampliatio, poſtquam ſub iniquiſſimâ tyrannide diu delituiſſet. Hæc in noviſſimis hiſce ſæculis effecta ſunt; quum jam diſſipatâ aliquantiſper Papiſmi caligine, relucere cœperit Euangelii veritas. Cognationem aliquam habent hæc verba cum iſtis, quæ ad finem *Danielis* videre eſt. *Abi ad terminum, & quieſces & perſtabis in ſorte tuâ ad terminum uſque dierum*: quæ non ita intelligi oportet, ac ſi *Danieli* permiſſum eſſet malis omnibus ab *Antiocho* perpetrandis ſupereſſe; verum quòd tandem obtineret doctrinæ veritas, atque in iſtis temporibus vires reſumeret. Haud abſimili dicto Chriſtus apud diſcipulos uſus eſt, quum eis polliceretur, quomodo in duodecim thronis ſublimes in duodecim Tribus Iſraëliticas, ſententias olim laturi ſint: non quaſi propriis perſonis pro tribunali ſeſſuri eſſent, quin prævalebit tandem eorum doctrina, Gentemque iſtam infidelem ream peraget.

APOCALYPSEOS CAP. XI.

VIſio hujus Capitis adimpletionem *Myſterii Dei*, de quo *Cap.* 10: 7. ſpectat. Uti menſuratio Templi apud *Ezechielem*, inſtaurationem cultûs & populi Dei, *novas Hieroſolymas*, Gentiumque vocationem præſignificarat; eòdem ſpectat menſuratio hîc loci juſſa. Eccleſia Chriſtiana ſub myſticæ *Babylonis* jugo (prout olim Judaïca ſub illo Orientalis, tempore quo *Ezechiel* iſta ſcripſit) triſtia multa & dura perpeſſa eſt, *Cap* 9. Sicut itaque menſuratio Templi tunc præſcripta, tam prædictio quam pignus fuit reſtitutionis Iſraëliticæ, haud ſecus hîc loci conſiderari oportet. *Johanni* præſcribitur, *ut atrium, quod extra templum eſt, excluderet, & ne illud metiretur, ut quod datum ſit Gentibus; & Urbem Sanctam calcabunt menſibus quadraginta duobus*. Nihil hîc hoſtile dictum: *Calcabunt atria*, i. e. Domum Dei cultui ejus debitè perſolvendo frequentabunt. Similem phraſin videre eſt apud *Eſaj.* 1: 12. & *Pſalm.* 122: 2. Hæc itaque in hunc ſenſum redeunt, *Ne metiaris atrium Gentibus conceſſum propter multitudinem, quæ cultui Divino celebrando, citra omnem numerum iſtuc accurritura eſt.*

Menſes 42. & *dies* 1260. *verſ.* 3. uti & *Cap.* 12: 6. nec non *tempus, tempora, & dimidium temporis*, *Cap.* 12: 14. phraſiunculæ ſunt è *Daniele* ſumptæ, qui eo loquendi modo uſus, *Antiochi* rabiem & conculcatam Religionem, per ſpatium triennii & ſex menſium duraturam, deſcribit, *Dan.* 7: 25. & 12: 7, 11. quibus adverſa & afflicta quædam tempora (haud definitam ullam periodum) deſignari videtur. Hic equidem ſenſus iſtius modi dictionum apud Scriptores Judaïcos paſſim obtinuit. Sic inquiunt, *Adrianum obſidione urbem Bitter cinxiſſe, ſpatium triennii & ſex menſium*, *Hieroſol. Taanith*, fol. 68. col. 4. Verum enim verò (ut rebus afflictis melior ætas parum rependeret) id ſpatium temporis præciſè, in explendo Chriſti Miniſterio in terris, excurrit, quo exhauſtam & labefactam Religionem auſpiciis adeò fœlicibus repara-

Digitized by Google

CHRIST. LXVI. NERON. XII.

paravit. Quod etiam Judæi notârunt dicto illo ſupra memorato, *Majeſtas Divina ſuper montem Olivarum quieſcet, ſpatium triennii & ſex menſium, & prædicabit*, &c. Unde, ſecundum hanc numerorum expoſitionem, ſi quæ hîc ſunt accommodemus, obvia fient & intellectui facilia. *Gentes atrium Dei calcabunt menſibus quadraginta duobus, & duo illi Teſtes prophetabunt diebus mille ducentis ſexaginta, ſaccis amicti*: h. e. Gentes Euangelii Miniſterio cultuique Divino invigilaturæ ſunt: quæ ut *Johannes* exprimeret, alludit ad ſpatium temporis, quo Chriſtus in terris ſuo Miniſterio incubuit. Attamen hæc Gentium converſio ad Deum & veram Religionem, haud ſine vexatiſſimâ rerum perturbatione efficienda eſſet: Is ibidem, ut hæc exprimeret, alludit ad ſæviſſima tempora *Antiochi*.

Teſtium duorum mentio è veteri lege deſumitur, *ex ore duorum vel trium teſtium ſtata res eſto*: atque eos deſignat, qui in iſtiuſmodi temporum anguſtiis veritati ſuffragium ſuum audacter tulerint; præſertim verò Miniſterii Euangelici ſortem nacti, qui ſub duplici charactere *Moſis* & *Eliæ* inſigniuntur: par illi teſtium ſunt ſuis ſæculis ſingulari modo illuſtrium, ille Judæorum anteſignanus, hic Gentium. *Duæ oleæ* (de quibus *Zachar* 4: 3. *Rom.* 11: 17, 24.) duo candelabra (vide *Cap.* 1: 20.) in ſeipſis pulchra, luceque prædita, quam & aliis præbent, qui, cum ſtatutum opus perfecerunt, ſub *Antichriſti* tyrannide, martyrii coronam ſument.

Horum ſors & conditio, quum *Chriſto* Domino quodammodo conformis ſit, melius explicari poterit comparatione invicem factâ. Chriſtus per ſpatium triennii & ſex menſium, non ſine moleſtiſſimâ vitæ afflictione Euangelium prædicat; ſimiliter & hi ſaccis & ciliciis amicti. *Chriſtus* Miniſterio perfunctus interficitur, ita & iſti: dein reſuſcitatus, in cœlos aſſumitur; pariter & illi. Unde rerum ſtatus & progreſſus, in hunc itaque modum colligi debet: quemadmodum *Chriſtus* iſtiuſmodi fundamenta Religioni jecit, ut, peracto ſuo Miniſterio, immò ſe mortuo, revicto & in cœlos aſſumpto, Euangelii ſui veritas nequaquam ſupprimi potuit, quin ſuccedentium Miniſterio aucta & propagata latiùs ſe ubique diffunderet: haud aliter de *duobus hiſce Teſtibus* cum alluſione cenſendum eſt. Supponendum eſt, eos contra Papiſmum non ſine ſæviſſimâ perſecutione primùm teſtatos, veritati per innumera martyria propugnaviſſe: verum cum hâc prophetizandi provinciâ perfuncti eſſent, teſtimonium ſanguine ſuo obſignantes, atque exinde cœlum, martyrii coronas ſumpturi peterent, haud fatiſcit Euangelium, quin in his ipſis teſtandi primordiis prævalet & *Romam* quaſſat.

Eorum cadavera jacebunt in plateis Urbis magnæ, ubi Dominus noſter crucifixus eſt. Urbis epitheton [magnæ] modò alia quævis argumenta deeſſent, *Romam* eſſe oſtendit: quod tamen fuſiùs probatum infra videſis ad *Cap.* 17. & 18. Sub urbis iſtius procuratione cruci affigebatur Dominus Noſter, lite in eum intentatâ, ob fictum crimen læſæ Majeſtatis Romanæ, quòd ſe Regem eſſe dixiſſet; atque ea propter à *Pilato* ſententiam tulit. Hujuſce rei mentionem *Johannes* jam recens facit, quum Novam *Romam* deſcriberet eo fine ut palam fieret, urbem hanc Chriſticolis negotium faceſſendo, eadem adhuc veſtigia comprimere, quibus antiqua inceſſerat, quum *Chriſtum* ipſum ſupplicio affecerit; uti & teſtes hoſce idem omninò debere poculum haurire, quod Dominus eis olim propinârat.

Urbs iſta vocatur ſpiritualiter (דרך משל ut Hebraice loquuntur) *Sodoma & Ægyptus. Sodoma* ob fœdiſſimas ſpurcities: *Ægyptus* ob Idolorum cultum, & crudelitatem illæ genti communem. Nec ſane gens ulla pejor Romanâ uſquiam audiit reſpectu conſpurcatiſſimarum libidinum, & beſtialitatis verè *Sodomiticæ*, ſaltem in iſto ſæculo, quo *Johannes* ſcripſit. Et quàm non ſub Papiſmo honeſtior fieret (proh pudor!) teſtantur Hiſtorici. Qui *Martialem* & (ut ne plures dicam) *Juvenalem* legerunt, mirari debent, humanum genus eò evaſiſſe poſſe. Et optandum ſane eſſet ut iſtiuſmodi ſcripta omni liturâ in perpetuum obducerentur, vel in lucem potius nunquam emiſſa fuiſſent, niſi quòd aliquali modo ſubſerviant Veteri *Romæ* adeò ad vivum delineandæ, ut S. S. Scripturæ, quæ de eâ paſſim loquuntur, faciliùs intelligi poſſint. Notatu dignum eſt quod D. *Paulus* innuit, *Rom.* 1: 21, 22, 23, 24. Ethnicos nempe, quum in belluinas circà Deum ratiocinationes prolapſi eſſent, affectibus adeò inhoneſtis inde derelictos meritò fuiſſe, ut, more pluſquam belluino, fœdatis præter naturam corporibus, vitam tranſigerent. E quibus palam fit, Deum eos in iſtiuſmodi ſpurcitiem (h. e. affectus Sodomiticos) tradidiſſe, pœnâ impiarum opinionum, quas de ipſo commenti fuerant, atque idolorum zeli, quo adeò fœdè flagrârant. Huc facit id, quod ſacra Hiſtoria contexuit; quæ cum res *Babelis* geſtas (h. e. mundum in Idololatriam prolapſum) notaſſet, *Gen.* 11. haud ita multò poſt, ſcelus illud *Sodomis* perpetratum, pœnasque inde cœlitus immiſſas narrat, *Gen.* 19. Hæc, ſi rebus impræſentiarum circa *Romam* tractatis accommodaremus, aliquantillum nobis lucis afferrent.

Cadavera in plateas projecta inſenſiſſimam hoſtium rabiem in *Teſtes* notant, in hoc quidem Domino ſuo parum diſpares. Et ut per ſpa-

tium

Digitized by Google

CHRIST. LXVI. NERON. XII.

tium triennii & ſex menſium prophetarint; ſic per triduum & ſemidiem, quaſi extra omnem viſibilem vitæ aleam poſiti inſepulti jacent: dein tamen reſuſcitati cœlos aſcendunt. Decimâ parte Urbis, terræ motu concuſſa, obruuntur ſepties mille; dum reliqui, territi duntaxat, Deo gloriam dederunt. Novem urbis partes uſque perdurant, quarum ruinæ tamen, horum Teſtium operâ primitùs inceptæ, paulatim matureſcunt, Regnis terræ in Regnum *Chriſti* indies euntibus.

APOCALYPSEOS CAP. XII.

QUemadmodum *Daniel*, *Cap.* 2. mentione quatuor Imperiorum factâ (ex occaſione imaginis *Nebuchadnezzari* in ſomniis viſæ) generalem rerum faciem à ſuis temporibus ad *Chriſti* uſque adventum exhibet; (horum enim omnium tam ortus quam exitus, antequam is advenerit impleri debebant) eademque rurſus alio ſchemate pleniùs planiuſque pertractat, *Cap.* 7. & 8. 10. 11. 12. Similiter *Johannes* noſter Apocalypticus, hìc & deinceps. Hactenus generaliorem rerum faciem, à temporibus ſuis, ad finem uſque mundi exhibuit; nunc verò præcipua quædam rerum capita reſumens, de eis explicatiùs agit.

Incipit à *Chriſti* Eccleſiæque ſuæ natalibus; utrique Diabolus inſidias ſtruit. Eccleſia Judaïca filium ſuum natu majorem parit: hunc devorare *Satanas* plurimùm cupit. Is in ſequentibus delineatur. I. *Magnus ille Draco rufus.* *Pharaoh Ægyptius*, qui naſcentem *Iſraëlem* olim deglutiit, ſimili charactere depingitur, *Eſaj.* 27: 1. *Pſalm.* 74: 13. &c. II. *Septiceps* dicitur; totidem capita imperiis Eccleſiæ infeſtis adnumerantur, *Dan.* 7. Leoni ſcil. unum: Urſo alterum; Pardo quatuor, & quartæ Beſtiæ unum. III. *Decem cornibus* armatur. Perſecutoribus *Syrogræcis* haud abſimilis, *Dan.* 7: 7. &c. IV. *Cujus cauda trahebat tertiam partem ſtellarum cæli, quas abjecit in terram.* Sic olim fecerat Tyrannus iſte *Antiochus*, *Dan.* 8: 10. Adeò ut, quum per hujuſmodi deſcriptiones alluſorias, & phraſiunculas è Prophetiis antiquitus dictis petitas, novam rerum faciem delineari videamus; conſtat Diabolum, cum æquè his ac priſcis adminiculis inſtructus ſit, haud minora ſcelera, ſeu leviores ſtrages & lanienas jam perpetraturum, ac olim fecerat. Mulier in ſolitudine perfugium quærens *Iſraëlitis* reſpondet, qui à *Pharaonis* impetu fugam capeſcentes in deſertum ſe receperunt, *Exod.* 14. &c. Eadem iſtic fota ac enutrita diebus mille ducentis & ſexaginta, oſtendit Eccleſiam adeò à *Chriſto* aſſidue tutari, ut inter extrema diſcrimina (prout temporibus *Antiochi*) incolumis deliteat. Hæc itaque viſio res exhibet Eccleſiæ difficillimas, quam in ipſis primordiis, uſque ad *Hieroſolymarum* excidium, tam perpeſſa eſt quam eluctavit.

Pugna inter *Michaëlem* & *Draconem* eòdem ſpectat. Excepto quod non ſolummodo Eccleſia de fluctibus tutior emergit, verum etiam *Draco* obtritus in terram dejicitur. *Cælum* paſſim in hoc libro Apocalyptico *Eccleſiam* ſonat. Per *terram* itaque non ineptè innui *mundus* poſſit, atque ex eo potiſſimum infideles Judæi; præſertim cum Gentes hìc & alibi ſparſim apud S. S. Scripturas *deſertum* vocantur. *Satanas* itaque victrici *Michaëlis* ſeu *Chriſti Domini* manu, ex Eccleſia projectus, nec illic tranquillam ſedem ſperans, ad reliquos qui fidem abnuerant, ſe auſpicatius recepit, haud ſecus quam in Parabola *Chriſtus* prædixerat, *Matth.* 12: 43, 44, 45.

Mulieri præbentur *alæ Aquilæ* (alluditur ad *Exod.* 19: 4.) eis adjuta deſertum advolat. Afflicta Eccleſia inter Gentes requiem quærit. Diabolus venenum inſtar fluminis à tergo *Mulieris-Eccleſiæ* evomuit, quod *terra abſorpſit.* Judæi infideles quaſi omni *Satanæ* rabie epotâ, non ſolum contra Eccleſiam, ſed inter ſe & contra *Romanos* inſaniunt, aliique aliorum ſanguinem mutuis cædibus miſcent. Et profecto tametſi male ſe habuit Eccleſia, dum inter iſtiuſmodi tumultus civiles verſata eſt: quò ferocius tamen intra ſua viſcera exarſit inteſtinus iſte Judæorum furor, eò magis conſpicuus, odii in veritatem ii pœnas luerunt; hoſtiumque acies ab Eccleſia in ſe verſa videbatur. Quod cum expertus eſſet Diabolus, in mulieris ſemen, h. e. Eccleſiam inter Gentes receptam, bellum inceptat; quod proximo Capite fuſius tractatur.

APOCALYPSEOS CAP. XIII.

SAtanas *Romæ*, quum *Chriſtum* enecuiſſet, urbemque *Hieroſolymarum* contriviſſet, virtutem ſuam delegat; jure equidem, utpote quæ auſpicatò adeò ſub vexillis ſuis militârat, ut ſpem amplam ſibi fecerit, nullam uſpiam Gentem iræ ſuæ & odio commodius ſubminiſtraturam. *Roma* hìc ſub *Beſtiæ* ſpecie deſcribitur, quæ quatuor *Beſtiarum*, quibus olim præfigurabantur quatuor Imperia, *Dan.* 7. quodammodo particeps ſit; immò eis omnibus ratione tam ferociæ, quam virium & poteſtatis longe ſuperior. Verum non omnino oportet Romanum Imperium pro quarto iſto ſumi, quod *Daniel* deſcripſerat. Id quidem rerum iſtic loci dictarum explicationem perplexiorem reddidit; temporum ſerie perturbata, ut juſtè diſtingui non poſſint. Sane iſtiuſmodi gloſſa Judæis ſummopere arridet, ut quæ *Meſſiam* nondum veniſſe ſupponit, quarto iſto *Romanorum* Imperio

Digitized by Google

CHRIST. LXVI. NERON. XII. rio (prout iſti inquiunt) non adhuc ſubverſo. Nec, ut verum fatear, probè video, quid is, qui priora conceſſerit, è contra cauſari habeat. E *Daniele* enim liquido conſtat, quatuor iſta Imperia iſtic deſcripta, radicitùs evelli debere, priuſquam *Meſſias* advenerit: *Romanum* verò nondum exiiſſe liquet, eò quod liber hic Apocalypticus *Romam* tam Papiſticam quam Ethnicam in uno complectitur.

Daniel quatuor iſtas Monarchias, quæ Eccleſiam Judaïcam uſque ad *Meſſiæ* adventum vexaturæ eſſent, indigitat; *Babylonicam* nempe, *Medo-Perſicam*, *Græcam* & *Syro-Græcam*: *Johannes* verò ab earum omnium interitu, Prophetiæ ſuæ initium ſumit; & quintam quandam exſurrecturam prædicit, quæ Eccleſiæ tam Judaicæ quam Gentilitiæ per ſæcula gravis fiet, uſque dum *Chriſtus* ad Judicium ſe ſecundo præſtiterit. Sanè haud diffiteor, *Danielem* leviſſimam fortaſſe iſtius Monarchiæ mentionem delibâſſe, quum *Principem venturum* memoret, *Cap.* 9: 26. à quatuor iſtis, quos ſupra prædixerat, diverſum. Hunc hic loci *Johannes* delineat, quaſi quatuor iſtorum characteribus ſimul imprimeretur: beſtiam nempe *decem cornupetam*; talis erat *Syro-Græcorum* Monarchia, *Dan.* 7: 7. *Pardo ſimilem*: talis erat *Græcorum*, *verſ.* 6. *Pedes Urſi* ferentem; talis erat *Perſarum*, *verſ.* 5. *Os Leonis*, ad modum *Babylonicæ*, *verſ.* 4. Conſtat itaque hanc Beſtiam nequaquam fuiſſe unam vel alteram è quatuor iſtis, quas *Daniel* olim deſcripſerat, quum earum omnium ut plurimum particeps ſit; quin ex communi iſtâ derivatione, quæ huic beſtiæ tribuitur, immenſa Imperii vaſtitas, quin & efferata crudelitas, anteceſſorum æqualis dixerim? immo verò omni gradu immanior colligi debet. Superior (inquam) omni Imperio, quod ante floruerat, tam ditionum amplitudine, viribus, & longævâ perduratione, quàm ſæviſſimâ in Eccleſiam totumque terrarum Orbem barbarie exercitâ, æſtimari oportet. *Balaam*, *Romam* adhuc non conditam, futuram tamen mundo acerbiſſimam peſtem prædixit. *Naves à littore Citthæorum ſolventes, affligent Aſſyrios & affligent Hebræos*, *Numer.* 24: 24. Per *Citthæos* indigitari *Italiam* ſive *Romam*, contendunt Judæi, fatentur paſſim ipſi Romaniſtæ; confirmant alia etiam loca apud S. Scripturas ſparſim notanda, quin & ipſa hujuſce loci ſenſus & veritatis ratio expreſſim poſtulat. Affligit tam afflictos *Hebræos* quam affligentes *Aſſyrios*. Atque in hunc modum equidem in omni ævo, ab ipſis Imperii primordiis ſe geſſit. Hæc fuſius teſtantur Romanarum rerum Hiſtoriæ, dum lanienas victo Orbi illatas narrant. Teſtantur cognomina *Britannici*, *Germanici*, *Africani*, & ſimilia; quæ omnia graſſandi opprobrium ſapiunt. Verbo dicam, in quantum ſe *Roma* cruentavit, ex uno Duce ferè, *Pompejo Magno*, (ex ungue Leonem) videre eſt. De quo *Plinius*, *Natur. Hiſt. lib.* 7. *cap.* 26. hæc habet: *Siciliâ recuperatâ*, *Africam totam ſubegit*, *oppida* 876. *ab Alpibus ad fines ulteriores Hiſpaniæ*, *in Ditionem redegit*; *fuſis*, *fugatis*, *occiſis*, *in deditionem acceptis hominum* 2183000. *depreſſis aut captis navibus* 846. *oppidis*, *caſtellis* 1538. *& ex his*, *Aſia*, *Ponto*, *Armenia*, *Paphlagonica*, *Cappadocia*, *Cilicia*, *Syria*, *Scythis*, *Judæis*, *Albanis*, *Iberia*, *Inſula Creta & Baſternis triumphavit.* Quæ cum ita ſint, proh! quantum per ſæcula graſſata eſt Urbs iſta, quæ ad hunc annum æræ Chriſtianæ 1654. à ſe primo condita conſenuit annos 2408. CHRIST. LXVI. NERON. XII.

Septiceps & *Decemcornupeta* hîc dicitur, uti & Draco (cujus vices jam ſubiit) depingitur, *Cap.* 12: 3. Cornua Poteſtatem, capita Blaſphemiam geſtant.

Unum ex capitibus quaſi læthaliter cæſum, mox reſtituitur. Intelligit fortaſſis comminutam poteſtatem Monarchicam, expulſis *Tarquinis*, quæ tamen ſub *Cæſarum* Imperio reviriſcit. Quidni indicium nobis aliquatenus præſtet ingruentis hujus quintæ Monarchiæ, quum Reſpublica monarchice adminiſtrari de novo cœperit? Id *Lucas* indicat, *Cap.* 2. ubi naſcente *Chriſto*, edictum prodiiſſe dicitur *è Cæſare Auguſto*, *ut deſcriberetur totus Terrarum Orbis.* Cave verò ne de Regimine Monarchico ea propter malè ſentias, quod iniquè in tyrannidem id verterat *Roma Pagana*, uti nec in Religionem quis fabam cudat, quod eam adeò fœde detorſit *Roma Papiſticâ.*

Aſcendit altera Beſtia quoad poteſtatem feritate conjunctam, priori haud impar, quoad præſtigias vero fraudeſque illuſorias ſupra modum eminentior. *Roma* Ethnica in propatulo magis res ſuas geſſit; nudam tyrannidem profeſſa, Religionem peſſundare apertè contenderat. Verum *Roma* Papiſtica, *myſterium iniquitatis* meritò audit. Res ſuas captionibus, neſcio quibus, & fucato quovis prætextu auget & promovet. Unde deſcribitur quaſi *loquuta ut Draco* & *cornua Agni gerens*. In eâ tyrannis *Romæ* Imperialis & Paganæ repullulaſſe viſa eſt: hujus characterem quiſquis non geſtat, aquâ & igni interdicitur; characterem inquam, h. e. *nomen Beſtiæ & numerum nominis*; *hic numerus eſt numerus hominis, & numerus ejus* 666. Secundum Hebræorum numeralia, *Sethur* (nomen cujuſdam viri, *Num.* 13: 13.) hunc numerum implet; & quid *Crypticum* ſive *myſterium* reddi oportet, id ipſum quod Romæ inſcriptum eſt, *Cap.* 17. *verſ.* 5. Apud Græcos ei quadrat Λατεῖνος nomen

CHRIST. LXVI. NERON. XII.

nomen gentilitium olim Romanis proprium. Quoad Arithmeticen genealogicam, numerus familiæ *Adonikamiticæ* huic accommodus videtur, *Ezr.* 2:13. *Adonikam* verò Hebraicè ſonat, *Dominus exſurgens.*

APOCALYPSEOS CAP. XIV.

QUod ad pugnam *Michaëlis* Angelorumque ſuorum ſpectat, cum Dracone & ſuis, nec non iterum Draconis cum ſemine mulieris; de quibus *Cap.* 12. nonnullam eis lucem afferunt, quæ verſus finem *Cap.* 13. & initium 14. dicuntur. Etenim *Cap.* 13. Draco virtutem & thronum ſuum Beſtiæ, *Romæ*, conſignat. Hanc in bellis anteſignanam conſtituit; hujuſque Angeli omnes ſunt, qui charagmate ſuo inſigniuntur. Hîc *Agnus, qui ſtat ſuper montem Sionis*, Michaël *ille eſt, cujus Angeli & aſſeclæ Patris nomen in frontibus ſuis ſcriptum gerunt.*

Verum enim verò quemadmodum ſupra in Capitibus, octavo, nono, decimo & undecimo, Eccleſia; quatenus rebus adverſis conflictura, viſionum materiam præbet; ſic in ſequentibus, quid ipſi fœlicius, atque hoſtibus grave eventurum ſit, oſtenditur. v. gr. I. Euangelium Gentibus prædicandum, *verſ.* 6, 7. II. Myſticæ *Babylonis* exitium, etiam vix adhuc nato ejus in Chriſticolas odio, præſignatur: haud ſecus ac *Eſajas* olim Orientali iſti graviſſima prædixit, etiamſi nondum in tyrannidem exarſerat. III. Saluberrimæ præmonitiones indultæ ſunt; nequis Beſtiam ſive imaginem ejus omnino coluerit: nec non pro majori cautione, tremenda iſtiuſmodi apoſtaſiæ pericula, cruciatus & dolores depinguntur, *verſ.* 9, 10, 11. Hîc porrò Sanctorum tolerantia, *verſ.* 12. & *Johannes* de cœlo monitus ſcribere, beatos eos omnes ab hoc tempore, qui in Domino morituri ſint, *verſ.* 13. Simul hoſtium in Eccleſiam acrem vecordiam oſtendens, cum propter eam optanda eſſet mors: ac qualis adhuc reſtaret piis tolerantiæ & fiduciæ cauſa; ut ne ad mortem uſque, Beſtiæ ſeu imagini ejus locum cedere adigerentur.

Propter hanc rabiem in Eccleſiam, inſtat tempus, quo mundus demeteretur. Hinc *Chriſtus*, uti olim *Ægyptum* adortus, *Eſaj.* 19. *verſ.* 1. *inſidens nubi* deſcribitur; falcem manu tenens, uti *Joël.* 3. *v.* 13. quâ vindictam hoſtibus intentat. Terra itaque detonſa eſt, tam quoad meſſem, quam vindemiam. Hæc generalior quædam mentio eſt ultionis Divinæ, quam ſpeciatim proſequitur ſub effuſione phialarum, *Cap.* 16.

Notatu dignum eſt, edictum è Templo exiiſſe, quod terram metendam juſſit. Etiamſi Chriſtus falcem manu teneret, Angelus tamen è Templo monet, ut eam in meſſem immitteret. Dein alter Angelus falce paratus è Templo prodiit, cui tertius præcipit, ut metat. Fateor equidem hinc colligi poſſe, Eccleſiæ gemitus & lachrymas id à *Chriſto* impetraſſe, ut ad vindictam expergiſceretur, *Luc.* 18:7. Interea verò, ut ſenſus loci plenius conſtiterit, perpendi oportet, ad quid potiſſimum iſtic alluditur. In more Judæorum fuit, ut primæ falcis immiſſio ſemper à ſacerdotum Templique præfectorum juſſu penderet, nec auſi erant meſſores quum ad ſegetem venerint, prius opus capeſſere, quam jure nunciatum eſſet, *Metas*: quod è Talmudicis diſcendum eſt. *Menachoth*, *Cap.* 10. ita apud *Toſaphtah*, ibid. *Tres iſti qui ex præſcripto Synedrii metendum emiſſi erant, in vallem Kidronem, unà innumeris ſtipati, primo die Paſchalis hebdomadæ juxta veſperam, tres falces & totidem caniſtra geſtantes, profecti ſunt. Unus ex eis, quum ad locum devenerint, cæteris edixit, ad hoc Sabbatum, ad hoc Sabbatum, ad hoc Sabbatum; in hoc caniſtro, in hoc caniſtro, in hoc caniſtro; cum hac falce, cum hac falce, cum hac falce metito: cui tres iſti reſponderunt, age, age, age, metam. Metas, inquit ille, dein metunt*, &c. Atque in hunc modum phraſes ex hac vel illa conſuetudine deſumptæ facilius dignoſcuntur.

Similiter ad vulgarem loquendi modum ratione habita, intelligi oportet clauſula infra dicta, *verſ.* 20. *Calcatum eſt torcular extra civitatem, exivitque ſanguis è torculari uſque ad frænos equorum.* Hîc mentionem habemus torcularis ſanguine pleni, & calcati, prout olim calcari *Edom* dicitur, *Eſaj.* 63. *verſ.* 2, 3. *Edom* communi acceptione inter Hebræos *Romam* ſonat. *Torcular extra civitatem poſitum* ad præla vini & olei alludit, quæ extra *Hieroſolymas* ad radices montis Olivarum extrui ſolebant. *Sanguis ad frænos uſque equorum* altus, Hyperbolen præ ſe fert, non inuſitatam Judæis, quum maximam ſtragem & internecionem deſcriberent. Sic *Talm. Hieroſol. Taanith*, fol. 69. col. 1. horribilem cædem in Judæos ab *Adriano* commiſſam, everſa civitate *Bitterenſi* depingens, שקע הסוס בדם עד חוטמו *Equi*, inquit, *ſanguinem calcarunt ad nares uſque per ſpatium* 1600. *ſtadiorum.* Id ſpatium putat *R. Menachem* continere totam terram Iſraëliticam, *in Gen. fol.* 60.

APOCALYPSEOS CAP. XV.

QUod ad calcem ſuperioris Capitis circa torcular divinæ ultionis calcatum generalius dictum, hîc ſpeciatim magis, & ſub negotio ſeptem phialarum explicatius habemus. In initio hujus *Cap.* *Johannes* ad cœ-

leſte

Digitized by Google

CHRIST. LXVI. NERON. XII.

leſte Templum nos revocat, quod paſſim Templo Hieroſolymitico ὡς ἐν τύπῳ reſpondet. *Hic mare vitreum igni mixtum* occurrit; hic *citharistæ juxta mare iſtud ſtantes*, &c. *Canticum Moſis pſallentes:* quæ ſimul repræſentant *Moſen* populumque Iſraëliticum, liberationem ſuam ad littora maris Rubri, cantu celebrantes, *Exod.* 15. ac porrò ad Muſicam Templi alludunt, quæ juxta mare ſive lavacrum perſonare ſolebat, quod mare juxta altare poſitum, quaſi *mare Vitreum igni mixtum* videbatur.

Moſes populuſque Iſraëliticus, deperditis prius *Ægyptiis*, è quorum clade pendebat eorum ſalus, canticum inceptant. Hi verò, qui de Beſtia palmam reportant, utcunque nondum plane occiſa eſſet, ſuam cantilenam modulantur: ei enim etiamſi non adhuc viribus exutæ penitus, ſuperiores tamen indies fiunt. Creſcit Euangelium, prævalet veritas, *Sanguis Martyrum Eccleſiæ ſemen ſit*, fruſtra infrementibus Satana vel Antichriſto.

Finito Cantico *apertum eſt Templum Tabernaculi teſtimonii in Cœlo*, *verſ.* 5. Tota ædificii moles ſuper montem *Moriam* conſtructa, *Templum* dicebatur. Atria, clauſtra, cameræ, &c. Domus verò ipſa, *Sanctum*, *&* *Sanctum Sanctorum* modò, proprie *Templum tabernaculi teſtimonii* exiſtimabatur. Et canticum ſupra dictum, *verſ.* 2. quaſi in atrio juxta altare & lavacrum celebrari viſum eſt; hîc vero Domus ipſa aperitur; haud abſimile ei, quod ſupra habuimus, *Cap.* 11: 19. *Apertum eſt Templum Dei in Cœlo*, *& viſa eſt Arca fœderis ejus in Templo ejus.* Chriſtus in Antichriſtum triumphos acturus, judicia ſua palam faciet, uti *verſ.* 4. Conſilia & fœdus in apricum proferet. Dum enim ſævit perduellis iſte, morte eos plectens, qui collum de jugo ſubtraxiſſe auſi eſſent, (ex quo totus penè terrarum Orbis eum veneratus eſt) Deus judicia & fœdus cum populo ſuo occuluit, rebus adeo ſuſque deque adminiſtratis, ac ſi Nemeſis Divina in utramque aurem dormiret: exporrectâ verò ſemel ultrici manu, tum omnia planius conſtabunt. Angeli, qui Phialas profundunt, habitum & cinctum ſacerdotalem præ ſe ferunt, è Templo prodeuntes *lino albo & ſplendido induti*, *& circa pectora præcincti*, more Sacerdotum. In quorum manus, unum ex animalibus, phialas tradit. Senſus & geſtus idem, *Ezech.* 10: 7.

APOCALYPSEOS CAP. XVI.

QUum ſcena & temporis ſpatium, quo res hujuſce Libri Apocalyptici agendæ ſunt, amplius ſe extenderit, quam quod de Prophetia *Danielis* ſupponi debet; idcirco difficilius hic quam in *Daniele* prædictiones ad propria ſua tempora accommodari poſſint. Liber enim hic noſter totum terrarum Orbem ſpectat, ubicunque gentium Euangelium promulgari contigerit, uti & omne ævum quouſque tempus ipſum duraverit. Excurrerunt etiamnum annorum plus mille & ſexcenta, & quot ultra ſuperſtituri ſint, quis mortalium novit? Atque propterea, res ſingulas ad ſpecialia quævis tempora accommodare, periculoſum omninò eſt. Haud inficias eo, quin in aliquibus locis res ipſæ loquuntur, adeò claræ & perſpicuæ ſunt: in multis verò adeò obſcuræ & involutæ, ut viderit quis ne temere dixerit, qui haud debita textus authoritate munitus res ſpeciatim applicare attentârit. Inter obſcuriora tamen, hæ ipſæ phialæ, præcipuum fortaſſis locum habent. Equidem in genere acceptæ (nec aliter forſan accipi debent) facilius intelligi queunt: verùm ſigillatim eas ad hæc vel illa tempora ſive loca affigere, nil aliud eſt quam proprios conceptus & nugamenta pro veritate obtrudere.

CHRIST. LXVI. NERON. XII.

In Phialis, ad plagas *Ægypto* inflictas, ulcerum nempe, ſanguinis, tenebrarum & ſimilium alluditur. Unde prædictionum mens & intentio palam fit, h. e. *Ægyptum myſticam*, *Cap.* 11: 8. etiamſi diu & ſæviſſime in *Iſraëlem* Dei ſævierit, mercedem ſævitiæ ſuæ tandem reportaturam: &, prout antiquæ *Ægypto* factum eſt, Deum ſuper eam adeò ultrices plagas ex iterato immiſſurum ut ſub iis penitus deleta & eradicata peritura ſit. Analogiam quandam habent cum plagis *Tubarum*, quarum una vel altera, uti ſupra notatum eſt, ſtatum mundi in genere, nondum nato Antichriſto, exhibuit, ſimiliter Phialæ generaliorem nobis Antichriſtianæ cladis deſcriptionem præbent. Ad *Cap.* 6. diximus, nec non S. S. Scripturis ſuffulti, ſub ſex ſigillis rem duntaxat unicam uno intuitu præfigurari; h. e. Gentis Judaïcæ πανωλεθρίαν etiam diverſis ictibus gradatim efficiendam. Iſtiuſmodi interpretatio hic loci accommoda videtur.

E primâ Phialâ effunditur malum & noxium ulcus in Beſticolas; plaga equidem *Ægyptiis* ſexto loco incuſſa, hîc primo. Ipſi *Jannes* & *Jambres* eâ adeò percellebantur, ut coram *Moſe* perſtare nequierint, *Exod.* 9: 11. Pari modo, ut palam fieret, hanc plagam, ipſa ſeductorum capita & primipilos in *Ægypto* hac *myſtica* & Antichriſtiana pertigiſſe, idcirco primum locum hîc obtigit.

Secunda Phiala & tertia effuſæ ad ſingulam iſtam plagam *ſanguinis Ægyptios* vexantem pertinent; ſed modum excedunt. Illic enim utcunque amnes & ſtagna quaquaverſum in ſanguinem verterentur, *Ægyptii* tamen circumcirca quærentes aquas potu ſuaves, nec

in

Digitized by Google

CHRIST. LXVI. NERON. XII.

in ſanguinem verſas effodiunt, *Exod.* 7:27. Quærit *Aben Ezra*, nec inepte rem ipſe ſolvit. *Dictum eſt, ſanguinem per totam terram Ægypti diffuſum fuiſſe; & tamen Magos inſuper per ſua incantamenta, id miraculi feciſſe. Unde verò Magis ſupereſſent aquæ, quum quævis flumina prius in ſanguinem mutarentur?* Reſpondet, *Aaronem aquas terræ ſuperficiem duntaxat perfluentes, in ſanguinem vertiſſe, ſubterraneas nequaquam.* Hic verò maria, hìc fontes, hìc flumina, hic denique univerſæ aquarum ſcaturigines, ſanguis fiunt; ut plagas haſce perditos homunciones ad extremum uſque afflicturas oſtenderet.

Inter eas, memoratur *Angelus aquarum*, *verſ.* 5. ubi (cum Angeli omnes, uti ſupra dictum, ſub habitu ſacerdotali nobis exhibiti ſint) ad iſtum proprie ſacerdotem alluditur, cujus curæ aquarum proviſio committi ſolebat, ut earum copiæ & ſalubritati proſpiceret, ne populo ad tria feſta ſolennia aſcenſuro potus deficeret. Inter cætera ſacerdotum munera, Templo perfungenda, hoc adnumeratur, *Maimon. in Kele Mikdash, cap.* 7. Nec non *Nicodemum* ex eis unum fuiſſe huic officio aſcriptum, affirmat *Talm. Aboth, R. Nathan, cap.* 6.

Quarta Phiala in ſolem effuſa, calidiſſimos æſtus producit, & fortean ad *Joſhuæ* ſive *Deboræ* tempora alluditur, quum ſydera ipſa, ſuſceptis Iſraëlitarum partibus, cœlitus præliata ſint, ſole interim gradus ſuos ſiſtente, ut Iſraëlitæ luminis ejus miniſterio uſi pugnârint, dum *Canaanitici* æſtu gravati elanguerunt. Huc illud Pſalmiſtæ referendum videtur, *Pſalm.* 121:6. *Interdiu Sol non percutiet te.*

Verum ut ſub quartâ Phialâ Solis æſtu premerentur, ſic ſub quintâ extinĉto jam lumine pœnas luunt. Beſtiæ ſedes & thronus, prout olim *Pharaonis* regnum & ſolium, obſcuratur; trepidantibus interim & frementibus iis, qui tenebrarum involucris implicabantur, haud ſecus ac *Ægyptii* olim ſpectrorum horribili viſu expavefacti.

Sub ſexta Phiala, exſiccatio *Euphratis* Regum ergô ex ortu venientium, eundem ferè tenorem ſervare videtur, cum eis, quæ ſub Tuba ſextâ dicuntur de ſolutione quatuor Angelorum, qui ad *Euphratem* vincti ſederunt. Iſtos cùm *Turcas* & *Mahumediſtas* fore, Chriſtianis infenſiſſimam peſtem, ſupra conjecturam fecerimus, hos hic non immeritò opinamur hoſtes quoſdam in Antichriſti exitium olim venturos. In priore illo ſchemate alluſum fuit ad quatuor iſtos Reges *Trans-Euphratenſes*, qui terram Canaaniticam debellatum venerunt, *Gen.* 14. in hoc verò ad exſiccationem *Euphratis*, cujus flumina *Cyro* & *Dario* priſcam *Babylonem* drepturis exhauriebantur. Quum itaque hic loci de *Babylone* quâdam tractandum eſſet, uti *verſ.* 19. ſcena antiquæ iſtius Urbis haud inidonea videri debet. Huc facit itaque quod Hiſtorici, qui *Babylonem* à *Cyro* ſubactam narrant, quo id ſuſceptum perficeret, exhauſtum fuiſſe *magnum Euphratem*, & in rivulos derivatum perſcribunt.

CHRIST. LXVI. NERON. XII.

Plaga ranarum *Ægyptiis* adeò ærumnoſa, hìc loci in aliud ſchema transfertur, ſed ærumnoſius valdè. *Tres impuri Spiritus, ex ore Draconis, Beſtiæ, & Pſeudo-prophetæ, ſimiles ranis prodeunt*, qui ſunt *ſpiritus Dæmoniorum ſigna edentes*, &c. Hæc inter ſextam & ſeptimam Phialam locum habent, propter mala mox affutura. Equidem fictitia miracula, & id genus illuſiones totum Beſtiæ & Pſeudo-prophetæ tempus occupant. Veruntamen etiamſi tam impoſtores quam ſeducti ſingulis ſuis ſæculis, mercedem errorum reportârint: quum tamen hìc loci de ultimo Antichriſti excidio tractaretur, idcirco ſummatim omnia nunc dici par fuit. Dicitur hìc, ὁ Pſeudo-propheta, utpote qui ſit ſeductorum omnium caput & princeps. Hujuſmodi illecebris miſerrimi homunciones in θεομαχίαν pellecti, perduntur ad inſtar exercitûs *Jabin* Regis Canaanitici, *Judic.* 5. *verſ.* 19. ad *aquas Megidduntis* ad internecionem cæſi. *Armageddon* hominum *ſtragem* ſeu *excidium* ſuper *montem* factum ſignificat. Hìc locum habet ſolennis iſta commonitio: *Ecce venio ut fur: Beatus qui vigilat & cuſtodit veſtimenta ſua.* In more Judæorum fuit, ſacerdotem quendam, Templi præſidia prælatis facibus de nocte obire; & ſi quem intra excubias ſtertentem offenderit, veſtes admotâ face accendit, *Middoth, cap.* 1. *hal.* 2.

Septima Phiala Beſtiæ cædem obſignat. Urbs illa magna, in tres partes diſcinditur: ſive ad inſtar *Hieroſolymarum, Ezech.* 5:11,12. cujus pars tertia peſti, gladio altera, altera diſperſioni tradenda eſſet: ſive quòd mentione terræ-motus factâ, eorum ruina in genere tantum hìc prædici videtur; uti *Zachar.* 14. *verſ.* 4, 5. Decima pars Urbis deciderat ſupra, *Cap.* 11:13. jam verò reliquæ novem ſub tripartitâ ſtrage funditus corruituræ ſunt.

APOCALYPSEOS CAP. XVII.

Myſtica *Babylon* ſub figura antiquæ *Babylonis* depicta, urbs *Roma* dicitur: jure equidem, cum hæc Idololatriæ, pariter ac *Babel* olim Gentiliſmi parens ſit. Porrò, ſub armis *Babylonicis* (ea enim perſecutionum omnium fere fons & origo olim fuit) ruerunt antiquitus *Hieroſolymæ*: *Roma* itidem veræ Eccleſiæ ſemper ſe gravem & infeſtam exhibuit.

CHRIST. LXVI. NERON. XII.

Aſſimilatur fœminæ *inauratæ auro*, &c. uti *Eſaj.* 14:4. *inſidenti Beſtiæ ſepticipiti & decemcornupetæ*, uti ſupra, *Cap.* 13:1. quæ Beſtia, *fuit & non eſt*, *& adhuc eſt*, *aſcenſura ex abyſſo*, *& in exitium abitura*. *Roma* Papicola, a vetere *Roma* diverſa, eadem tamen eſt: non Ethnica quidem, nec ſub Imperatorum regimine, prout olim, adminiſtrata; verùm quoad Idolorum cultum, rabidiſſimam Eccleſiæ inſectationem, atque omne prorſus malum ſibi ipſi nullatenus abſimilis. Urbs, propter ſitum ſuper ſeptem colles, à cunctis dignoſcenda: cum vix quiſquam inter Poëtas ſive Hiſtoricos Romanos ſit, quin *Romam* paſſim *ſepticollem* denominet. Præterea verò per ſeptem capita, notari videtur ſeptiplex Regiminum forma, quæ in Urbe iſta fundarentur. *Quinque ceciderunt*, *verſ.* 10. h. e. Reges, Conſules, Tribuni, Dictatores, Triumviri jam exierunt. *Manet unus* tempore quo ſcripſit *Johannes*; ſcil. Imperator Romanus: *Alius nondum venit*. Imperator nempe Chriſtianus, non diu ante Imperio potitus, quam advenerit Beſtia, *quæ fuit & non eſt*. *Is octavus & ex ſeptem illis eſt*. Qui Romanam Monarchiam, quartam iſtam fuiſſe apud *Danielem* deſcriptam tenent, oportet eos etiam, ob hæc quæ hîc loci dicuntur, agnoſcere eam non adhuc extingui. Decem illa cornua Beſtiæ aſcripta, *Dan.* 7:5. decem ſunt Reges, unus alteri eodem in regno ſuccedanei. Hîc verò *verſ.* 12. diverſa ſunt regna, quorum unumquodque tamen Beſtiæ tam Imperiali, quam Papiſticæ, in ditionem venit. Horum Reges in *Myſticam* meretricem olim inſurrecturi, vaſtabunt eam & deſertam reddent. Probabile eſt, Regna quædam etiamnum Papiſmum renunciatura, priuſquam penitus in peſſum ierit.

APOCALYPSEOS CAP. XVIII. & CAP. XIX. *ab initio ad verſ.* 11.

RUentem *Babylonem* celebrat duplex cantilena tum Elegiaca tum Θειαμβευτική. Prior, *Cap.* 18. verbatim ferè deſumpta ex *Eſaj. Cap.* 13. 14. 21. & 34. è *Jerem. Cap.* 51. & *Ezech.* 27. Poſterior, *Cap.* 19. Hujus etiam phraſiologia ad verbum pene è Veteri Inſtrumento mutuò accipitur.

Incipit cantilena triumphalis voce *Hallelujah* ſæpius repetita. Vox iſta primum ad finem *Pſalm.* 104. occurrit. Ubi cum Pſalmiſta prius Impiis mala omnia precatus eſſet, *Deficiant peccatores à terra*, *& improbi amplius non ſint*; ad extremum addit, *Benedic anima mea Jehova*. *Hallelujah*.

His nonnihil lucis affert mos vulgò receptus, cum in Templo ſolitum eſſet *Magnum Hallel*, ſeu *canticum Laudis* συμφωνεῖν. *Hallel* iſtud ſeu *Canticum Magnum* cum è pluribus Pſalmis conſtructum eſſet, nempe à *Pſalm.* 113. ad finem *Pſalm.* 118. ad hanc vel illam periodum iſtius Cantici, Pſalmodiam recitaturis ſacerdotibus, iteratò reſpondit populus, *Hallelujah*. In hoc verò paululum differt, quod hic adjicitur *Amen Hallelujah*, *verſ.* 4. Verùm apud Judæos traditio eſt, *Intra Templum nunquam recitari Amen. Quid interim reſponderint? Benedictum ſit nomen Majeſtatis in Regno ejus in ſæcula ſæculorum*, Hieroſol. in Beracoth, fol. 13. col. 3. Attamen cùm ſancta Dei promiſſa (quæ ipſa ſunt *etiam & Amen*) jam denique complementum ſuum habeant, jure inſertum eſt; uti & propter hanc cauſam Chriſtus ipſe in hoc libro *Amen* dicitur, *Cap.* 3:14.

Nuptiæ Agni præſtò ſunt; & *uxor ejus paravit ſe*, *verſ.* 7. Conſummata eſt Eccleſia.

APOCALYPSEOS CAP. XIX. *à verſ.* 11. *ad finem.*

HIc incipit Viſio de novo, quod liquet ex verbis iſtis, *Deinde vidi cœlum apertum*. Ubi *Johannes* totam rem, quam antehac tractârat, recapitulari videtur. Notari oportet quod *verſ.* 19. dictum eſt. *Vidi Beſtiam & Reges terræ*, *& exercitûs eorum congregatos ad gerendum bellum cum eo*, *qui inſidebat equo*, *& cum ipſius exercitu*. Notandum præterea eſt, tam Beſtiæ exitium ſupra, *Cap.* 18. quam Agni nuptias & nuptiarum cœnam, *Cap.* 19: 7, 8, 9. deſcripta fuiſſe. Quum igitur res hîc dictæ, vix omnino poſthæc locum habere poſſint, ergo brevior quædam recapitulatio rerum à *Cap.* 12. hucuſque dictarum videtur, quæ bellum *Michaëliticum* cum Dracone Angeliſque ſuis commiſſum ſpectant.

APOCALYPSEOS CAP. XX.

SUpra tractatum eſt, quid rei *Chriſto* fuit cum Beſtiâ ejuſque ſectatoribus, quam jugiter nempe cum eis præliatus mature ſemper confecerit. Jam vero eò deventum eſt, ut quid Diabolo eorum inſtigatori contigerit, videre eſt. Habuimus *Chriſtum* cum Dracone belligerantem, *Cap.* 12. ubi Draco pugna minor, in mulieris ſemen tela convertit. In hunc finem, Thronum, jus & poteſtatem Beſtiæ, h. e. *Romæ*, delegat; quæ Draconis vices ſuſceptas quam ſtrenuè explerit ab iſto Capite & deinceps oſtenditur; verùm ubi interim Draco ille malorum omnium dux & auctor ſe recipit? Ille quidem tanquam ſpectator ſedet, dum ſua res agitur; vicariâ *Româ* primò Imperiali dein Papiſticâ inique incitata, utriuſque iræ & inimicitiis fomitem præbet.

Sed

Digitized by Google

CHRIST. LXVI. NERON. XII.

Sed quid tandem Draconi obvenerit? Abſurdum ſane eſſet vindictam Divinam in Miniſtros exercitam adeò pluribus diſſerere, de præcipuo interim ſtimulatore nihil. Id itaque hîc loci factum eſt. Ubi à *Cap.* 13: 3. *Johannes* rem reſumens, explicat quid Draconi contigerit, poſtquam is Thronum Beſtiæ conceſſerat. Non equidem tranquillè ſe habuit; nec credibile eſt *Michaëlem* dum inſtrumenta punierit, Diabolum impune dimiſſurum; quin tam in inſtigatorem quam organa triumphos agit, detruſis una in abyſſum.

Duplici modo Diabolus humanum genus perdidit. Eccleſiam, perſequendo; mundum, fictis Oraculis, Idolorum cultu, fucatis miraculis, & id genus mendaciis illudendo: de priore, ſat ſupra; hic de poſteriore.

Princeps Angelorum *Michaël*, *Chriſtus* Dominus noſter, quicum claves inferorum & abyſſi ſunt, *Cap.* 1: 18. Virtute Euangelii Diabolum coercet, *ne amplius gentes ſeduceret* per ſpatium millennii. Notetur clauſula. Non dicit *ne perſequeretur*, ſed *ne ſeduceret*: nec dicit *Eccleſiam* ſed *Gentes*. Quod ad Eccleſiæ perſecutionem ſpectat, ſupra habuimus; quod ad Gentium ſeductionem, pœnaſque eo propter datas, hic traditur. Et certe quum Satanas ſemel, in negotio affligendæ Eccleſiæ, poteſtatem ſuam *Romæ* delegaſſet, quoad Gentes ſeducendas fræna ei injiciebantur. Facile novimus quibus is potiſſimum modis *Gentes ſeduxit*, partim inductione Idolorum, quæ mendacium dicuntur, *Eſaj.* 44: 20. *Rom.* 1: 25. partim prætextu Oraculorum, in quibus *nulla* eſſet *lucis ſcintilla*, *Eſaj.* 8. partim verò pompâ miraculorum, quæ reverâ erant meræ præſtigiæ Hinc mundus, prævalente Ethniciſmo, ſub poteſtate tenebrarum jacere dicitur, *Actor.* 26. *verſ.* 18. *Coloſſ.* 1: 13. Exortâ verò Euangelii luce, diſparuerunt hujuſmodi phantaſmata, adeò ut, exploſis id genus impiis incantamentis, haud amplius ſufficit Satanas Gentes (Ἔθνη) hiſce antiquatis illuſionibus, uti olim, ſeducendo.

Vinctus hîc dicitur per *mille annos.* Judæi tempora *Meſſiæ* deſcribere millennii ſpatio ſolent. Apud *Talm. in Sanhedr. cap. Helek.* Hebræorum dogma circa *Meſſiæ* ſæculum plenius patet. Inter alia, hæc habent, prout *Aruch* eorum verba recitat in voce אירך. *Traditio eſt in domo Elijæ, juſtos, quos Benedictus Deus à mortuis reſuſcitârit, haud amplius in cineres reverſuros; ſed per ſpatium mille annorum, quo Deus Sanctus Benedictus mundum renovarit, tribuet eis alas, ſicut alas aquilarum, & ſuper aquas volabunt. Talm.* in *Sanhedr.* fol. 92. In textu quidem deeſt vox *mille*; gloſſa verò ad marginem poſita, ſenſum ſupplet, & millennium iſthic ſubintelligendum oſtendit: quod etiam *Aruch* ratum habet, uti omnibus communiter notum & receptum. Eadem habet *R. Eliezer in Midraſch Tillim, fol.* 4. *col.* 2. *Meſſiæ tempora ſunt mille anni.*

CHRIST. LXVI. NERON. XII.

Quemadmodum *Johannes* ubique ſparſim per hunc librum, res novas, priſtinarum mentione indicat, non ſolùm phraſeologia V. T. paſſim uſus, ſed ad conſuetudines, idioma, & dogmata Judæorum ſæpius alludens, quo propius eorum captui accederet; ad eundem modum hic loci & deinceps, id facit. Hæc poſterior pars libri, cum poſteriore parte *Ezechielis* quadrat. Illic memoratur Reſurrectio, *Ezech.* 37. *Gog & Magog*, *Ezech.* 38. & 39. etiam *Novæ Hieroſolymæ*, *Ezech.* 40. Haud ſecus hîc; reſurrectio *verſ.* 5. *Gog & Magog*, *verſ.* 8. *Novæ Hieroſolymæ*, *Cap.* 21. 22.

Illic reſurrectio, non mortuorum è ſepulchris, ſed Gentis Iſraëliticæ ex infimo ſtatu ſervitutis Babylonicæ. Illic *Gog* & *Magog*, h. e. inimica *Syro-Græcorum* natio & *Antiochi* domus. Denique novarum *Hieroſolymarum* deſcriptio, quæ quidem quoad locum ſitumque promiſſum *Iſraeli* factum præ ſe fert, quo in terram ſuam reduces, urbem inſtauratam haberent, quod temporibus *Ezræ* & *Nehemiæ* effectum erat. Verum ex urbis depicto ſplendore & amplitudine (ultra enim ipſius terræ *Canaaniticæ* limites & ambitum extendi videtur) moniti fuerunt longius proſpicere, h. e. ad cœleſtem & ſpiritualem civitatem, Eccleſiam ſcil. per univerſum terrarum orbem diſſeminandam.

Judæi verò allegoriarum (pro more) impenſe ſtudioſi, hæc ad tempora *Meſſiæ* accommodari in hunc modum velint. Primò, reſuſcitatio juſtorum in ejus adventu fiet; dein *Gog* & *Magog* debellandi ſunt; & tum denique conſummari oportet עתיד לבא glorioſum illud ſæculum, de quo tot nugatoria ſomniârunt. Præter ea, quæ in Tractatu Talmudico ſupra citato ſuper hanc materiam occurrunt, hanc clauſulam videre eſt in *Hieroſol. Megillah*, *fol.* 73. *col.* 1. ubi partes ſingulas *Magni Hallel* ad ſingula tempora accommodant: (quid iſtud *Magnum Hallel* eſſet, ſupra notavimus) *clauſula iſta*, inquiunt, *Jehovam diligo quia vocem meam exaudiit, ad tempora Meſſiæ ſpectat. Clauſula iſta, ligate ſacrificia funibus, ad tempora Gog & Magog. Iſta verò, Deus meus es & laudes tuas cantabo, ad futurum ſæculum referri debet.*

Noſter Apocalypticus *Ezechielis* quodammodò æmulus etiam in allegoriis, ad nonnullas Judæorum dictiones (utcunque eas non admodum probârit) alludit, ut faciliorem eis ſe redderet. Hîc etiam reſurrectionis mentionem habemus, aſt non corporum; de iis ne verbum quidem, verum animarum. *Animæ*

Digitized by Google

CHRIST. LXVI. NERON. XII.

*eorum, qui ſecuri percuſſi ſunt, ob teſtimonium Jeſu, vivunt & regnant, verſ.*4. nihilo ſecius tamen hæc *prima reſurrectio* dicitur, *verſ.* 5.

Ut verò ſenſum totius ſigillatim eruamus, duo ſunt, quæ hic loci præcipue deſignantur. I. Ut *Regni Satanæ* abolitio. II. Ut *Chriſti Regni* conditio & ſtatus oſtenderetur. Multa habent ſacra volumina, de *Chriſti Regno*, ejus in *Satanam* triumphis, junctaque cum eo ſanctorum dominatione. Iſte locus communis hîc breviter tractatur. Regnum illud præſertim inter Gentes Euangelio obſequium ceſſuras, ſtabiliendum. Verum illic potiſſimum *Satanæ* regnum diu & magnifice floruerat: hunc itaque *Chriſtus* ibi loci, ubi tamdiu laſcivierat, catenis vinctum in abyſſum detrudit, ne amplius ſeduceret. (Sic etenim in more eſt ut præſtigiatores famoſi carcere plecterentur.) Hæc, illucelcente Euangelio, factitat *Chriſtus*. Tum verò, quod ad *Meſſiæ* regnum pertinet, *Vidi Thronos*, inquit *Johannes*, *& ſederunt ſuper eos*, &c. *verſ.* 4. Hic *Chriſtum* & ſuos una inthronizatos & regnantes habemus. Sed quâ ratione ii potiſſimum cum *Chriſto* regnare dicantur? Equidem *Johannes* futilem iſtam Judæorum opinionem, quâ ſe ſæculari pompâ fruituros unà cum *Meſſiâ* ſuo, ſperare jactitârunt, ſugillat; totoque eos cœlo errare oſtendit. *Iſti qui cum eo paſſi ſint, cum eo regnabunt.* Qui *Chriſto* adhærent, teſtimonium ei ſuum præbent, ejus cauſa mortui ſunt, ii ſoli cum eo thronis invecti unà regnabunt. *Securi percuſſos* ſpeciatim nominat, ut quæ eſſet tunc temporis uſitatior necis inflictio, tam Judæis quam Romanis communis, prout ad *Act. Cap.* 12. è *Sanhedr. cap.* 7. *hal.* 3. dictum ſupra: quo genere necis primus qui de *Meſſiâ* teſtatus eſt, *Johannes Baptiſta* afficiebatur. Tales revicturos oſtendit, ut cum *Chriſto* per millennium regnârint: non quaſi eos ad initium millennii è mortuis reſuſcitari oporteret, & dein cum *Chriſto* ad finem iſtius millennii regnare, prout haud pauci temerè opinati ſunt. Apage purum putum Judaiſmum! Quin potius hinc diſcimus, *Chriſti* regni morem & modum; tolerantiam nempe, & obſtinatam cum omni peccato, Beſtiæ charagmate & ſimilibus, colluctationem: contra quod expectârunt Judæi, quaſi per ſpatium millennii, terreſtris, neſcio cujus, dominii pompâ & externo ſplendore fruerentur.

Reliqui verò ex mortuis non reviviſcent, donec expleti fuerint illi mille anni. Hæc eſt prima Reſurrectio. Non quod hi poſt exactum millennium vitam reſument; verum in hunc ſenſum accipienda hæc ſunt. Ii in hoc tempore *vivendi*, quum vinctus eſſet *Satanas*, & exoriretur Euangelii vita & veritas, mortui uſque jacent. Gentes, priuſquam Euangelii vis & virtus eas attigerit, apud S. S. Scripturas haud rarò mortuæ dicuntur, *Epheſ.* 2:1,2. & *Cap.* 4: 18. &c. verum Euangelium amplexæ, renaſcuntur, *Johan.* 5:25. Hæc *prima eſt reſurrectio* in & ad Regnum *Chriſti*. Secunda reſurrectio, *verſ.* 12. tractatur. *Paulus* eiſdem ferè verbis rem exprimit. Exuſcitationem è tenebris & peccato, virtute Euangelii factam, vocat vitam è mortuis, *Rom.* 11:15. Quum itaque id tempus advenerit, quò Gentes ad *Vitam* vocatæ eſſent, imminuto *Satanæ*, ampliato *Chriſti* regno, vitaque & luce per Euangelium exhibitis, prout *Johan.* 1: 4. quiſquis Chriſto non adhæſerit, nec ſuffragium ei tulerit, quin Beſtiæ, peccati, & nequam hominum characteribus notari ſe ſupinè permiſerit; hic mortuus uſque eſt, *nec reviviſcet uſque dum mille anni complerentur, i.e*, non per totum illud temporis ſpatium, quo anſa vivendi arripi potuiſſet.

Beatus itaque & ſanctus, qui habet partem in reſurrectione primâ, in hunc enim ſecunda mors poteſtatem non habet, verſ. 6. *Secunda mors* phraſiuncula eſt Judæis uſitatiſſima. *Onkelos* ſic reddit *Deut.* 33: 6. *Vivat Reuben, nec* ſecundam mortem *moriatur.* Et *Jonathan*, *Eſaj.* 65: 6. in hunc modum. *Ecce ſcriptum eſt, vitam longam eis non concedam, ſed rependam eis peccata eorum, & tradam eorum cadavera* in ſecundam mortem: & *verſ.* 15. *Jehovah eos* morte ſecundâ *afficiet.*

Notatu dignum eſt, Prophetam Judæorum ſtragem & repudium prædixiſſe: Judæorum, inquam, Gentis jam maledictæ, & ſecundæ morti devotæ. Nec non *Cap.* 66. *verſ.* 19, 20, 21, 22. dictum eſt, Jehovam miſſurum, genteſque in populum ſibi aſcripturum, quos etiam Sacerdotes & Levitas conſtituet. Hæc ad ſupradicta accommodemus. Loco populi prorſus maledicti, hi *beati & ſancti* ſunt mortem ſecundam nunquam ſubituri, quos etiam Chriſtus ſibi ipſi & Patri ſuo in ſacerdotium conſtituit.

Hîc rurſum *Johannes* nugacem Judæorum interpretationem ſubſannat, quam de Reſurrectione apud *Ezechielem* habent. Iſti ſenſu literali rem ſumunt, & quoſdam actu mortuos, reſuſcitatos fuiſſe, in terram Iſraëliticam veniſſe, prolem novam genuiſſe, & ſecundò diem obiiſſe futiliter tradunt. Immò verò adeò præter modum ineptiunt, ut eorum & filiorum nomina recitare auſi ſint, *Talm. Babylon.* in *Sanhedrin*, ubi ſuprà.

Elapſo millennio ſolutus *Satanas* ad priſtinas artes revertit, in ſeducendis gentibus, *verſ.* 8. *Zohar*, *fol.* 72. *col.* 2. hæc habet. *Traditio eſt, quo tempore mundus judicio ſiſtatur, & Sanctus Deus Benedictus pro tribunali ſedeat, tum palam fiet quomodò Satanas quaquaverſum ſeductor, perdendo mundum & deſtruendo animas aſſidue operam navat.* Ingruente

CHRIST. LXVI. NERON. XII.

Papa-

Digitized by Google

CHRIST. LXVI. NERON. XII.

Papatu, Ethniciſmus quaſi ex poſtliminio reſtitui videtur, impulſore *Satanâ*, æquè jam ac olim ſoluto, atque in negotio ſeducendi prompto ac pervigili. Tum idolorum cultus, prona Oraculis veneratio, cæcaque miraculorum nugis fides, repullulare cœpit. A primo ortu Euangelii, hujuſmodi præſtigiæ vim ſuam paulatim amiſerant, *Satanâ* de die in diem fortioribus vinculis reſtricto. Et utcunque *Roma Pagana*, ſemper ei amica, ultimis viribus, regnum ejus ſuffulſiſſe contenderit, excitatâ in Eccleſiam cruentiſſimâ perſecutione, obtigit tamen Euangelium, & incaſſum eum contranitentem, ſubvertit. Verum pollente Papatu, manu quaſi miſſus *Satanas*, priſtiniſque lenociniis uſus, adeò mundum ludificatus eſt, ut vix & ne vix in purum putum Ethniciſmum prolapſus eſſet. Sin millennium literali ſenſu acceperis, h. e. pro ſtato iſto temporis ſpatio, & vel ab ineunte Euangelii Luce, ſub *Johannis Baptiſtæ* Miniſterio, vel à *Petro* ad ædes *Cornelii* ſe recipiente, cum primum Gentibus Euangelium indulgeretur, vel denique à *Paulo* & *Barnabâ* una ad Gentes miſſis, æram inceperis, tum millennii terminus in ipſo Papatûs meridie conſtabit: præſertim verò, modò ab excidio *Hieroſolymarum* calculum feceris, (quo tempore Gentium epocha inſigniori notâ indicatur) tum in tempore ipſius *Hildebrandi* ſive *Gregorii Septimi* terminari debet, quo, quidni Diabolus ſumma Imperii faſtigia attigerit?

Johannes Eccleſiæ hoſtes, *Antichriſtum* præcipuè *Gogum* & *Magogum* vocat: id nominis obtigerat Syro-Græcorum Monarchiæ, Eccleſiæ Judaicæ olim infeſtæ, *Ezech.* 38. & 39. (*Plinius* locum in *Cœloſyriâ* memorat, nomine *Magog* communiter notum, *lib.* 5. *cap.* 23.) Hic itaque ex hiſtoriis rerum antiquitus geſtarum, & tragœdiis olim actis, novas quaſi tranſcripſit: vulgari interim S. Scripturarum idiomate, Judæorum linguâ itidem uſus & dogmatibus, quo familiarem ſe magis reddiderit. In hoc Capite itaque ſummarium temporum colligitur, à primordiis Euangelii inter Gentes recepti, ad conſummationem ſæculi; idque quaſi in hoc duplici faſciculo: Ethniciſmi & idolorum cultus abrogatione, cum primum Chriſtianiſmo Gentes imbuerentur; novaque Ethniciſmi repullulatione cum germinaret Papatus. Ejus exitium annotari videtur, *verſ.* 9. igne cœlitus immiſſo, quo vel ad *Sodomas*, vel ad 2 *Reg.* 1. *verſ.* 10, 12. alluditur; quod tamen ad calcem ferè ſæculi rejiciendum eſt. Satanas & Beſtia, (*Roma Imperialis*) Pſeudo-propheta (*Roma Papalis*) in ſtagnum ignis & ſulphuris conjiciuntur, *verſ.* 10. ubi eo modo loquendi uſus eſt *Johannes*, quo methodus, de quâ ſupra, facilius dignoſceretur. *Diabolus conjectus eſt in ſtagnum ignis & ſulphuris, ubi & Beſtia illa & Pſeudo-propheta ille ſunt.* Hiſtoriam Beſtiæ & Pſeudo-prophetæ, qui Diabolo adeò ſedulò ſubminiſtrârant, & quid de illis factum eſſet, ſupra narrârat, *Cap.* 19: 20. & hìc ipſiuſmet Diaboli fatum contexit; neceſſe enim ei fuit hæc ſeorſim tractare. Exin trium horum perditionem, eorumque omnium, qui utriuſvis charagmate imprimebantur, & quorum nomina in libro vitæ nequaquam inſcripta fuerant, uno dramate complexus eſt.

APOCALYPSEOS CAP. XXI.

H*Ieroſolyma de cœlo deſcendens* deſcribitur. Phraſis *Paulo* uſitata, *Gal.* 4: 26. Judæis uſitatior. *Zohar*, fol. 120. col. 4. *R. Aba dicit, lux eſt*, ירושלם עלאה Hieruſalem quæ de cœlo eſt, *quam Sanctus Deus Benedictus in poſſeſſionem cedit; ubi beneficia ſua, ſuis manibus confert in terra munda: ſed in terra immunda nonnulla omnino beneficia ſperanda ſunt.* Confer *Apoc.* 21: 27. cum *Cap.* 22: 15. *Midraſch Tillim, in Pſalm.* 122. *Hieroſolyma, civitas conſtructa, quæ coagmentata eſt inter ſe pariter. R. Johanan dicit, Sanctus Deus Benedictus dixit, non introibo Hieroſolymam, quæ de cœlo eſt, priuſquam introierim Hieroſolymam, quæ de terrâ eſt.*

Hieroſolyma apud *Ezechielem* deſcripta, duplici ſenſu (ut ſupra annotatum eſt) accipi debet. Equidem promittitur, urbis inſtauratio poſt captivitatem efficienda: ſed porrò indigitatur, idque primo & præcipuo loco, Hieroſolyma ſpiritualis, h. e. Eccleſia ſub Euangelio formata. De hâc omnino tractat *Johannes*, atque huic depingendæ inſiſtit. Cui, cum *Eſajam* ſequutus, *Cap.* 65: 17, 18. novos cœlos & novam terram adnectat, inde tempus ipſum indicat, quo extrui cœperit hæc ſpiritualis civitas, tempus nempe promulgandi Euangelii, quo omnia nova facta ſunt, 2 *Cor.* 5: 17. Novus populus, nova inſtituta, nova œconomia, præterito jam mundo veteri Iſraëlitico. Utcunque verò hujus Urbis deſcriptio extremam partem libri hìc occupet; jacta tamen fundamenta ejus, ſynchroniſmum habent cum iis, quæ ad primævam Gentium vocationem ſpectârunt. Deus Tabernaculum ſuum medio eorum poſuit; prout olim medio Iſraëlitarum, *Levit.* 26: 11, 12. Hæc *Cap.* 4. & 5. effecta ſunt. Quod ad lachrymarum abſterſionem, luctuum, laborum, & mortis ceſſationem ſpectat: profectò ſi literali ſenſu ſumenda eſſent, nil niſi perfectiſſimam in cœlis beatitudinem ſonarent; (cujus quidem typus & adumbratio, hujuſmodi Hieroſolymarum delineatio exiſtimari oportet) hìc loci tamen, ut de reliquis etiam cenſendum eſt, ſenſus myſticus & ſpiritualis accom-

Digitized by Google

CHRIST. LXVI. NERON XII.

accommodus magis & aptior videtur. h. e. Antiquatur legis maledictio, peccati & mortis aculeus, &c. *Nulla nunc eſt condemnatio eis, qui ſunt in Chriſto Jeſu.*

In deſcribendâ Urbe, phraſes mutuat ex Prophetis *Ezechiele* & *Eſajâ*, quod ex collatione palam fiet. *Oſtendam tibi ſponſam uxorem Agni, verſ.* 9. *Cantato ſterilis* (Gens Ethnica) *quæ non parit*, &c. *Conjux tuus eſt opifex tuus & vindex tuus*, &c. Eſaj. 54: 1, 5. *Suſtulit me per ſpiritum in montem magnum & ſublimem, verſ.* 10. Conſule *Ezech.* 40: 2. *Oſtendit mihi civitatem illam magnam, Sanctam illam Hieroſolymam, &c.* Hæc ad amplitudinem urbis apud *Ezech.* deſcriptæ referri debent; ad quadraturam etiam, tres portæ ad ſingulum latus poſitæ, &c. quin & gloria urbis inde tranſcripta: nec non ex *Eſaj.* 58: 8. & 60: 2, 3. & 54: 11, 12. &c. Murus ad ſtadiorum duodecim millia quadrangularis; ſive ad milliarium mille & quingenti in unoquoque latere, orientali, occidentali, ſeptentrionali, auſtrali, æquis partibus extenditur; in circuitu milliarium ter mille, altitudine, mille & quingenti, murus ſalutis dicitur, *Eſaj.* 26: 1. & 60: 14.

Fundamenta murorum duodenis lapidibus pretioſis ornantur, (vide *Eſaj.* 54: 11.) ad modum eorum, qui in amiculo ſeu pectorali locabantur; unicuique lateri tres ordine poſiti. *Primum fundamentum erat Jaſpis.* Is Tribui Benjamiticæ proprius; in gratiam fortaſſis D. *Pauli*, qui in primâ inſtitutione Eccleſiæ Gentilitiæ adeò præcipuas partes egit. *Hieroſol. Talm. in Peah, fol.* 15. *col.* 3. diſertè affirmat Jaſpidem Tribui Benjamiticæ appropriari. *Jaſpis Benjamiticus* (ex amiculo) *quondam amiſſus fuit, & dixerunt, quis omnino lapidem ejuſdem pretii ſecum habet? Reſponderunt nonnulli, Damah filius Nethinæ*, &c.

Nec Templum vidi in eâ, &c. *verſ.* 22. In hoc ſanè ab urbe *Ezechielis* differt; in hâc Templum fuit, in iſtâ nullum. Præterea, obſervatu dignum eſt, Templi ichnographiam ibidem deſcriptam quoad dimenſiones & figuram, Templo ſecundo plerumque reſpondiſſe, etiamſi urbis delineatio, amplius ipſa terrâ Canaaniticâ ſe extenderit: quod quidem duplici rerum ſignificationi ſupra dictæ clariùs elucidandæ inſerviat. Promittebatur terreſtre Templum, quod ſub *Zerubbabele* fabricabatur: ſed & cœleſtis Hieroſolyma unà iſtic præfigurata, ibidem depingitur.

APOCALYPSEOS CAP. XXII.

AB *Ezech. Cap.* 47. aliiſque paſſim locis, quæ apud S. Scripturas occurrunt, pergit *Johannes* ampliſſimam novæ *Hieroſolymæ* gloriam, fœlicitatem, & ſanctitatem cohoneſtare. Fluvius aquarum vivarum, i. e. limpidiſſimæ veritatis, quæ Chriſtum, vitamque per eum exhibet, per medium urbis perpetim decurrit, *Ezech.* 47: 1, 9. *Cantic.* 4: 15. Vitæ arbor, *Adamo* olim paradiſo extorri negata, hîc reſtituitur. Tunc diræ & maledictiones efferbuerunt: jam verò *nullum adverſus quempiam anathema erit amplius, verſ.* 3. conſule *Zach.* 14: 11. חרם לא יהיה עוד. His deniquè addit, *Hæc verba fida ac vera ſunt*: quod idem etiam ſupra, ad nuptias Agni, *Cap.* 19: 9. & rurſus ineunte viſione circa novam *Hieroſolymam* dictum videre eſt, *Cap.* 21. *verſ.* 5. Hæc ad innumeras prædictiones de eâ re factas referri debent, quæ omnes jam cum ſummâ fidelitate completionem ſuam habent. *Johanni* (contra quam quod *Danieli*, *Cap.* 12: 4.) interdictum eſt, *Ne obſignârit verba Prophetiæ libri hujus, tempus enim prope eſt.* Inſtat *Chriſtus* Majeſtatem ſuam revelaturus, tam erga Judæos, eorum pervicaciam ad extrema ulciſcendo, quam erga Gentes, jam ſuccenturiatas, & in repudiati populi locum aſſumptas. Intra ſpatium triennii & ſex menſium hæc omnia eventura erant, modò in calculatione temporis, quo hic liber ſcriptus ſit, conjectura non fefellerit. Reſtant anni duo ad finiendum *Neronis* regnum: alter unus in internis Romani Imperii diſſidiis, *Othone*, *Vitellio*, & *Veſpaſiano* mutuâ clade certantibus excurrit; & tertio anno nondum elapſo corruerunt *Hieroſolymæ*.

Ex his itaque modò hic liber Apocalypticus, ultimo omnium librorum Novi Inſtrumenti perſcriptus ſit, (cui fere omnes conſentiunt) palam conſtat, ſummam jam Voluntatis Divinæ revelari & ſcriptis mandari; ultra quam nulla viſio, prophetia vel revelatio expectari oportet. His modis olim Deus mentem ſuam à ſæculo in ſæculum paulatim exarari permiſit, indulto inſuper Angelorum miniſterio, quo plenius homines præceptis Dei imbuerentur, quæ cum tandem juſto Volumine complexus eſſet, æquum eſt ut de futuro, tam Angelorum deſcenſus quam novæ Revelationes prorſus antiquarentur. Atque idcirco hunc librum cæteris quibuſque revelationibus umbilicum duxiſſe cenſendum eſt. Promiſerat ſanè Deus, *ſe in noviſſimis diebus*, h. e. cum ad exitium feſtinaret urbs Hieroſolymitica, *Spiritum ſuum in quamvis carnem effuſurum*, *Actor.* 2: 17, Quinetiam Chriſtus Apoſtolis ſuis pollicetur, *Spiritum Sanctum eos in omnem veritatem ducturum*, *Johan.* 16: 12, 13. Verum exhinc temere & de nihilo inhiantur jam extraordinaria quævis dona Spiritus Sancti, quæ ultra Hieroſolymarum excidium promiſſa haud fuerant. Nec non ſupervacaneum

CHRIST. LXVI. NERON. XII.

ſane

Digitized by Google

ſane videtur; quum ii omnes, quos in iſtum finem inſpiraverat Deus, illa omnia ſcriptis fideliter commiſerint, quæ Spiritus Sanctus perſcribi voluit, & proinde omnis veritas, quæ revelari debuit, vulgata eſt.

Haud equidem diffiteor, quin quibuſcunque dona extraordinaria antequam delerentur *Hieroſolymæ* contigiſſent, ii (modò ſtragi iſtæ ſuperſtites) non ſolum dona ſua retinuerint, quin in eos fines uſi ſint, propter quos primum indulgebantur. Veruntamen precario omnino opinantur, qui hæc vel ſequentibus ſæculis conferri, vel cuivis hominum generi perpetuâ ſucceſſione continuari contendunt. Quemadmodum enim *Iſraëli*, in illius Eccleſiæ primordiis factum eſt; pari modo in primis Euangelii natalibus fieri conjectari licet. Patres equidem in deſerto, qui Synedrio primùm aſcribebantur, hi donis hujuſmodi imbuti ſunt, *Numer.* 11: 25. Cum verò ætas iſta pertranſiiſſet, nemini contigit, in id album conſcribi, niſi qui longâ morum & literarum eruditione id muneris prius meruerit. Eadem ratio fuit inter primævos Euangelii Miniſtros & ſucceſſores. Quum primò promulgaretur, opus habuit viris de cœlo inflatis, alioquin fortaſſis, auſo incaſſum ſuſcepto, excidiſſent. Hoc, unico exemplo fuſius liquebit. *Paulus* fortean regionem hanc vel illam ignotam appellit, ubi ſpatio menſis præterpropter moratus Eccleſiam inſtituit, & mox aliò vertens, abſcedit. Dic ſodes, quis interim in hâc recens natâ Eccleſiâ miniſterio ſuffecerit? Omnes hîc æqualis ſtaturæ ſupponendi ſunt, utpote qui Euangelii doctrinis recens imbuti eſſent: *Paulus* itaque ductu Spiritus Sancti in hunc vel illum manus imponit; ex qua manuum impoſitione, is linguis & prophetiæ donis inſtructus ad miniſterii officium fungendum idoneus fit. Verùm exeunte iſto ſæculo, cum ſcriptis ſemel mandaretur Euangelium, quo hominum ſtudio & operâ ediſcendum eſſet, atque exinde altiores per terrarum Orbem radices egiſſet; tum ſacra volumina manu ſedula evolvendo, id ſacrarum literarum peritiæ gradatim acquirebatur, ut veritate eruenda, aliiſque erudiendis docti & capaces nonnulli ſemper evaſerint. Unde revelationes novæque inſpirationes ſupervacaneæ omninò videntur, neque ampliùs expectari debent. Atque ob hanc cauſam præſertim, *Paulus* ab *Epheſo* & *Creta* jam diſceſſurus, cum per manuum impoſitionem, quoſcunque velit, miniſterii donis ornâſſe pro arbitrio poſſet, abſtinuit tamen, ſubſtitutis illic *Timotheo* & *Tito* ad conferendos Ordines, utcunque facultas eis non eſſet dona extraordinaria impertire. Probè enim is novit, *Chriſtum* in poſterum viros miniſterio cooptandos deſignaſſe, non per modum inflati immediatè Spiritus Sancti, ſed pro cujuſque dotibus, ſtudio & arte expolitis, ad id munus ſeligendos, non miraculoſa quadam ſed communi ordinatione. Hinc etiam *Timotheum* ipſum monet, ut lectioni ſedulò incumberet, 1 *Tim.* 4: 13. etiamſi is donis ſuperne conceſſis inſigniter eminuit, *ibid. verſ.* 14. Quinimo *Paulus* ipſe libros ſuos & membranas ſecum portavit, eo fine ut lucubratius ea evolveret, vel ſaltem incaſſum, 2 *Tim.* 4: 13.

Et profectò his modis potiſſimum Deus per omne ævum (ſaltem à tempore, quo legem ſuam ſcriptis mandârat) populum ſuum à literato quodam hominum genere erudiendum curavit. I. Quinam præſertim inter populum Iſraëliticum id officii in mandatis habuerunt, à primâ Legis ſanctione uſque ad captivitatem Babylonicam? Haud equidem Prophetæ, ſive id genus inflatorum hominum: (ii enim ex occaſione tantum populum monent, idque nonnunquam poſt longam temporis intercapedinem, à quo omnis prophetia ſiluerat) aſt Sacerdotes & Levitæ, qui operoſa librorum inveſtigatione legem ipſi didicerant, *Deut.* 33: 10. *Hoſ.* 4: 6. *Malach.* 2. *verſ.* 7. In hunc finem, urbes eis 48. appropriatæ erant; quaſi tot Gymnaſia & Academiæ, ubi Legem aſſiduâ manu alumni una verſati, inde ad Synagogas undique emitterentur & populum inſtruerent: decimis interim unicæ iſtæ tribui ſolutis, quo ſtudii Legis, ejuſque apud Synagogas legendæ & explicandæ ſatagi, victum ultrò ipſis paratum haberent. Præterea quòd, etiam illi ipſi qui Spiritu prophetico inſigniebantur, non ſolùm evolvendis S. Scripturis vacarent, *Joſ.* 1: 8. *Dan.* 9: 2. verum etiam populum ad ſacerdotes prout conſtitutos Eccleſiæ Miniſtros dirigerent, *Hagg.* 2: 11. *Malach.* 2: 7.

II. Multò magis modò ſæcula ſecundi Templi intueamur, palam erit quàm vero diſſimile ſit populum niſi literato, & in id negotii probè inſtructo ſacerdotio inſtitui poſſe. Prophetia enim tunc temporis obmutuit; ſacris interim Scripturis, linguâ prorſus alienâ involutis, linguâ nemini niſi literarum perito intelligibili. Hinc unaquæque Synagoga interpretem ſuum ſortita eſt, qui in vernaculam linguam redderet quæcunque ex lege ſeu Prophetis ſecundum autographa perlegi ſolebant. In ſumma: Spiritui Sancto viſum eſt pro libitu ſuo hos vel illos inflare, qui mentem Dei membratim traderent, uſque dum omnia ſcriptis conſignata eſſent, quæ Veteri Inſtrumento contineri voluit; cui cum umbilicum duxiſſet, abſtulit ſe Spiritus Sanctus, & exoluit inſpiratio. Dein vero exorta Euangelii luce, Spiritus Sanctus de novo terras inviſit, doniſque ſuis mirificis nonnullos ornat, quorum Provincia eſſet voluntatem Divinam amplius patefactam pervulgare, opus à

Digitized by Google

CHRIST. LXVI. NERON. XII.

Deo propoſitum perficere, Euangelio viam ſternere, Novoque Inſtrumento colophonem addere; quæ omnia cum abſolviſſent, obſignata eſt Prophetia, deſueſiunt Spiritus Sancti dona ac inſpirationes, nec plus ſperari debent, quam novum aliquod Euangelium.

PARERGON
de Excidio Urbis
HIEROSOLYMITICÆ;
Nec non
de ſtatu Judæorum poſt Urbem exciſam.

Quum adeò propè ſtragem *Hieroſolymiticam* deventum ſit, ut vix ultra tres annos & ſex menſes Urbs duratura ſit, & cum frequens adeò nobis cum ejus excidio, & vindictâ Judæis inflictâ, negotium occurrerit: haud abs re erit paulò gradus ſiſtere, ut horrendam iſtam ſcenam contemplemur. Non quod hiſtoriam bellorum ſeu cladis Judaicæ contexere in animo habeam; id ſane eſſet actum agere, & *Joſephi* librum, qui præ omnium ferè manibus ſit, tranſcribere, quin potius faciem temporum eò accedentium ὡς ἐν Παρέργῳ notare operæ pretium eſt, uti & ſtatum populi deletâ Urbe, haud uſque apud Hiſtoricos obvium vel ſcitu facilem, parum intueri. Unde non ſolum comminationes ſæpius repetitas expleri in extremâ ultione, conſpexerimus, quin etiam de Vindictæ naturâ & genere, h.e. in quo præſertim conſiſtat, faciliorem conjecturam facturi ſimus.

CHRIST. LXVII. NERON. XIII.

In hoc anno decimo tertio *Neronis*, *Veſpaſianus* Militiæ dux in *Judæam* venit, bellum cum eis in ſe recepturus. Alter *Nebuchadnezzar*, flagellum Dei; ex propoſito ſuſcitatus, quò Gens iſta diris devota pro meritis vapularet. Urbs & Templum ab ipſo diruta eſſent, prout olim ſub *Nebuchadnezzare* contigerat, & quemadmodum depopulatorem iſtum portentoſa quædam apud *Danielem* memorata præſignarant; haud minus eximium hunc etiam fecerant prodigia quædam, quorum Scriptores Romani uno conſenſu, fidem nobis faciunt. *Nili* æſtus, horâ quâ *Alexandriam* ingreſſus eſt, ſupra modum intumuit. Viſum habuit, dum in ædibus *Serapidis* auſpicium capturus eſſet, *Baſilidem* nempe famulum ſuum, utcunque tunc temporis octoginta mille paſſuum à ſe diſſitum, & febri correptum. Sed quod magis eſt, oculis captum, ſputo eum illinens ſanavit; & claudo manum, pedibus ſolummodo conculcans reſtituit. His adde omnia, quæ ſe Imperii faſces olim adepturum præſagiiſſe viderentur. Similia ſunt, cupreſſus fundo ſuo veſperi radicitus procellis evulſa, mane recta inſurgit & ultro radices agit. Bos ad pedes provolutus dum menſæ accumberet, cervicem ei ſponte ſubegit; nec non canis manum humanam attulit. Non hîc quæro rerum certitudinem, nec qua potiſſimum vi hujuſmodi portenta effecta eſſent. Certo certius eorum fama, *Veſpaſianum* conſpectu vulgi egregium reddidit; quaſi Diis charum, fauſtiſſimi ominis virum, & inſigni cuidam facinori deſtinatum.

Belli acies hoc anno plerumque in *Galilæos* exarſit; ubi ut primum *Ptolemaidi* accederet, *Sipphoris*, Urbs eâ regione celeberrima, ultroneâ deditione (quam etiam antea *Ceſtio Gallo* fecerat) pacem poſcit. *Joſephus* Belli Judaici notiſſimus ſcriptor, haud infimas in eo gerendo partes ſuſceperat. Multas Urbes & loca intra *Galilææ* ditionem, munienda curârat, præcipuus in iſtis partibus *Romanorum* oppugnator, quibus negotium primò faceſſit ad oppidum *Jotapatæ*, quæ obſidionem acerrimam ſpatio quinquaginta dierum paſſa, haud levi interim damno hoſtium armis illato, tandem *Veſpaſiano* victori ſuccumbit. Is urbem intrat menſis *Julii* die primo. *Joſephus* ibi in vincula conjectus, *Veſpaſianum* Imperio potiturum prædixit. Dein expugnatur *Joppa*; dedit ſe *Tiberias*; diripiuntur *Tarichææ*, hominum ſupra ſex mille internecione factâ. *Gamala* etiam *Octobr.* 23. pleraque alia loca hoc anno, ſive vi, ſive deditione ſpontaneâ capta: prout *Joſephus* narrat, de

de Bello Judaic. lib. 3. per totum, & *lib.* 4. ad finem uſque *cap.* 9. ubi in hunc modum harum rerum hiſtoriam claudit, Γαλιλαῖα μὲν οὕτως ἑάλω πᾶσα. *Sic univerſa Galilæa capta eſt.*

CHRIST. LXVIII. NERON. XIV.

Rebus itaque *Galilææ* recens ſubditæ, pro arbitrio ſuo conſtitutis, *Veſpaſianus* in *Judæam* arma convertit; ubi interim inter ſe odiis civilibus flagrantes horrenda perpetrant. Huc enim inquieti hominum greges, ſive belli impetum aufugientes, ſive motuum cupidi turmatim convenerant; adeò ut *Judæa* & Urbs *Hieroſolymitica* multitudine & miſeriis preſſæ, famem, mutuam cædem, atque mox omne genus malorum conflictent. Flebilia hæc fuſius narrat *Joſephus*, uti etiam quid in eo anno Romanorum arma profecerint, *de Bell. lib.* 4. cui penes eſt Lectorem ſe recipere.

Sub id Tempus *Nero* ſuâ manu nece præcipitatâ, infamiores pœnas ſenatu conſultas eluſit. In eo Cæſarum ſtirps prorſus extincta eſt: quin etiam prodit ſe jam tandem iſtud Imperii arcanum; *poſſe Imperatorem aliunde creari quam vel ex ſtirpe Cæſarum, vel civitate Romanâ.* Infœlix interim Imperium, ubi dum gladius Imperatori viam ſternit, Rempublicam peſſundat! Legiones Hiſpanicæ *Galbæ* ſuffragantur, cui adverſatus *Otho*, cum vix ſeptem menſium ſpatio regnâſſet, de ſolio & vitâ eum ſimul deturbat: Is imperii quidem faſcibus familiam ſuam, ſed ſuo fato ornârat. Occiſi caput miles gregarius abſcidit, quod cum propter calvitiem, per capillitium teneri non poſſit, pollice faucibus injecto ad *Othonem* geſſit. Id infimis militum permiſſum eſt, ut pilo affixum per caſtra pro ludibrio jactaretur.

CHRIST. LXIX. OTHONIS.

Othonem vixdum regno occupato laceſſit *Vitellius*: ſed majori Reipublicæ damno. Etenim cecidit *Galba*, haud excitato tumultu, tenui tantum conjuratorum 23. cohorte ſtipato *Othone*. Verum in hac lite dirimendâ, univerſum penè Imperium quaſſatur. In partes itur, & ad prælium tandem ventum. *Othonis* exercitus caſtris exutus; cujus cladis accepto nuncio, ipſe ſecum ſtatuit tam vitâ quam regno ſimul ſuâ manu excedere: ſedit ille diebus tantum 95.

VITELLII.

Vitellius jam rerum ſed haud ſui ipſius potitur; luxui & gulæ præ aliis deditus, quem cum adulatores nonnulli in commeſſando imitarentur, crapulâ pereunt. Non homines duntaxat, ſed & civitates quam plurimæ, ex occaſione ſumptuum, quos is prodigus decoctor fecit, ad ſummam inopiam rediguntur. Miles, ad inſtar ducis, ſe ad omnimodam mollitiem ſolvit. Regnandi tempus (nec equidem ad finem hujus anni duravit) oſtentis infame fit. Scintillat ſtella crinita. Bini ſoles ſimul, hic orientalis, occidentalis alter emicant. Luna bis Eclypſin præter naturam paſſa. Ad Capitolium veſtigia Dæmonum, plurium & monſtroſæ magnitudinis, iſthinc deſcendentium conſpiciuntur. *Jovis* Templum ſponte ſuâ, cum horribili fragore ſe aperit. Nec taceam portentoſum illud, quod de *Marico* quodam fertur. Vir is fuit inferioris notæ, *Bojis* oriundus, qui plebe innumerâ ſtipatus, ſe Deum eſſe inſimulat: quem cum debellatum, feris projectum, & tamen eis intactum, vulgus conſpexerit, ut revera Deum, vix & ne vix reveretur. *Vitellius* verò alii eum necis generi adjudicans, inſimulati numinis gloriolam fœdavit.

CHRIST. LXIX. VITELL.

Equidem ſeditiones minoris momenti, nec non oppidorum direptiones, *Italiam* aliaſque Imperii plagas vexârant, antequam *Veſpaſianus* pedem moviſſet; verum cum is motus cieret, univerſam quaſſationem, qualem haud anteà, experta eſt Reſpublica. Ille, ut ſupra monuimus, orientali bello contra *Judæos* ſuſcepto occupatus, militum copias, *Ægypto*, *Judæâ* & *Syriâ* agentes ſibi obſequio & fide obſtrictas, ultrò & non rogatas menſe *Julii* comperiit. Hos alteræ Provinciæ ad *Achaiam* uſque imitatæ ſunt. Legiones ad *Maſiam*, *Illyricum*, & *Pannonicam* diſpoſitæ in ejus partes accedunt. Literæ in *Britanniam* & *Hiſpaniam* eadem militibus iſthic ſuadent.

Interea verò temporis, *Vitellius* commeſſationibus immerſus, exercitum *Romam* verſus duxit, numero equidem militum ſexaginta mille conflatum, ſed ſolutum admodum, & diſciplinæ militaris rudem. Præter hos eum comitata eſt incondita quædam nepotulorum turba, ipſi ſimilium, militum numerum excedens; his acceſſit innumera è civitate occurſantium colluvies, quorum omnium multitudine incompoſita, conculcatur ſeges: milites probris laceſſiti, plebem laniant, bellumque inter ſe commiſſum videtur. In hunc modum confuſe Urbem petunt, ſtativa quærunt, & in omnimodum luxum ſupine ſe tradunt.

Tandem verò in *Italiam* irruptis *Veſpaſiani* viribus perterriti, claſſicum canunt; mox ad *Cremonam* pugnatum eſt; oppidum illud ſuis ipſius ruinis memoriam pugnæ tulit. Filius huic parti favens, parentem ex alterâ militantem confodit, de quo certior factus ſibi ipſi diras intentat. Creſcunt tumultuum ardores donec in ipſis *Romæ* viſceribus acie inſtructa, dimicatum eſt. Capitolium incendiis petunt, Urbem diripiunt, *Vitellium* trucidant, amicos ejus occidione cædunt, & victricibus ovationibus *Veſpaſianum* quantumvis abſentem *Imperatorem* denunciant. Hìc mente recolligi debet illud *Matthæi*, *Cap.* 24. *verſ.* 7.

CHRIST. LXX. VESPAS. I.

Inter hæc *Veſpaſianus* in *Ægypto* moras nectit. Apud *Alexandriam* agentem melioris ſuæ & partium fortunæ fama pervenit. Ubi amicorum, legatorum, & fœderatorum turbam recepit, qui eò congratulationis & obſequii ergo adeò turmatim fluxerunt, ut arctata Urbs, etiamſi per univerſum Imperium ferè ſecunda, vix eorum hoſpitio ſuffecerit. Cecidit *Vitellius* menſe *Decembris* ad anni exitum; & ineunte altero, rebus ſuis diſpoſitis *Veſpaſianus*, cum paterentur tranquilla maria, *Italiam* petit; dum *Titus* filius patri vale apud *Alexandriam* dicto, *Judæam* repetit, ut bellum iſthic perficeret.

Liceat hîc obiter, quo clarius Chronologia appareat, bina hæc ex hiſtoricis notare, quæ id temporis, quod præ nobis jam eſt, meliùs diſtinguent. Prius ex *Dione Caſſio* in vitâ *Veſpaſiani*, ubi ait, à morte *Neronis* ad initium regni *Veſpaſiani* excurriſſe duntaxat annum unum & dies viginti duos. *Hæc ſcribo*, inquit, *ne quem fefellerit temporum ratio, dum cuivis regnandi ſuum tempus aſcriptum ſit. Unus enim non proprie in alterius locum ſucceſſit, quin dum hic regnaret imperium alter invaſit, adeo ut annorum ſeries computari non debeat prout unus alteri ſucceſſerit, ſed pro exacto ipſius temporis curſu.*

Poſterius ex *Joſepho* obſervandum eſt: qui etiamſi ſæpè ſæpius *Hieroſolymarum* excidium ad ſecundum *Veſpaſiani* rejecerit; *de Bello Jud. lib. 6. cap.* 47. &c. hiſtoriam tamen & tempus iſtius excidii in anno iſto locari contendit, quem Annales Romani, primum *Veſpaſiani* ſcribunt; quod luculentius patebit conſulenti tam hos quam illum. *Joſephi* computatio ad ſuos calculos reduci debet. Is initium regni ducit à tempore, quo milites eum in Oriente Imperatorem eſſe jubent, fidem ei paciſcentes, quod menſe *Julii* contigit; & menſe *Septembris* proximi anni diripiebantur *Hieroſolymæ*; quo tempore *Veſpaſianus* quidem ſecundum annum regni inierat, ſaltem à primâ militum ſalutatione, ſecundum quam computationem *Joſephus* res narrat. Verum *Vitellius* nondum interemptus ſpatio aliquot menſium, in *Veſpaſiani* partes aciem inſtruxit: unde Romanorum Faſti ineunte hoc anno, in initio menſis *Januarii*, initium regni *Veſpaſiani* ſiſtunt.

Verum enimverò *Titus Judæam* venit, & contractis ſummis viribus *Hieroſolymarum* urbem obſidione cingit, quum jam, ex occaſione Paſchatis celebrandi, univerſa ferè natio intra urbis mœnia ſe coëgiſſet. Equidem partium ſimultates intra Imperii viſcera nuper motæ, *Judæis* non ſolum reſpirandi horam, ſed & ſpem & animum fecerant; immò cum *Veſpaſiani* arma viderint aliò divertere, ignavia torpeſcunt, ac ſi ſpes eis eſſet ea nunquam illuc reverſura. Sed quam vana fides eſſet, *Titus* ab extra, fames uti & omne malorum genus intra muros ſæviens actutum oſtendunt. Urbis obſeſſæ ærumnoſas res, famem, peſtem, cædes inteſtinas, atque innumeras necis formas civibus illatas adeò graphicè deſcripſit *Joſephus*, ut ſupervacaneum eſſet hîc loci repetere. Summa eſt; Templum & Urbs in cineres vertuntur: factâ hominum ſupra decem myriadas ſtrage captis, ferè centum mille, quin & natio ipſa penè univerſim vaſtatur. Quæ omnia ſub ſchemate hujuſce mundi fabricæ in diſſolutionem ruituræ apud S. Scripturas (uti ſupra ſæpius diximus) depingi ſolent. Nec mirum cum perierit populus, ſanctiſſimo fœderis nexu Deo olim aſtrictus; cum ruerit ſedes ipſa, quam præ aliis Deus ſelegerat, quâ nomen & ſtatuta locaret: populus quondam dilectiſſimus, nunc exoſus; olim præ quavis Gente ſupernè donatus, jam diris addictus; quorum nomen & memoria, cuivis piæ menti deteſtanda etiam in hoc uſque ſæculum reſtat: dum interim novus quaſi mundus emergit; novus populus in Eccleſiam aſcriptus; novaque rerum œconomia: *Vetera præterierunt, & ecce omnia facta ſunt nova*, 2 Cor. 5:17.

CHRIST. LXX. VESPAS. I.

Et nunc ad inſigniorem rerum periodum devenimus; quarum modò Hiſtoriam Eccleſiaſticam ſuſcipere mens fuerit, neceſſe eſſet, ut quaſi à jacto novi Orbis fundamento initium fecerim. Verum fateor, Gentes ante hæc vocatæ erant, divulgato jam per univerſum ferè terrarum Orbem Euangelio; uti & gens Judæorum à Deo plerumque derelinquebatur, quos itaque Spiritus Sanctus, *canes & Synagogam Satanæ* vocat. Aſt œconomia Judaica nondum radicitus extirpabatur, nondum inſtituta abolita erant, donec indicium ultimæ rejectionis in hoc tandem palam fuit, quòd funditùs deleta eſſet Urbs, diſſipata natio, atque univerſa eorum mens obſtinatius obdurata.

SECTIO I.

Templi & Civitatis clades.

Templum incendio corruit, prout *Joſephus* flammarum ſpectator tempus figit, ἡμέρᾳ δεκάτῃ Λώου μηνὸς, *decimo die menſis Loi*: die præ cæteris, inquit ille, Templo infauſtiſſimo; die quo olim etiam ſub rabie *Babylonica* flammis immiſcebatur, de *Bello Judaic. lib. 6. cap.* 27. Et tamen ii ex indigenis, qui Hebraicè ſcribunt, utrumque id Templi fatum ad nonum menſis *Ab* locandum contendunt; quem diem etiam, propter triplex aliud infortunium, ut inauſpicatiorem notant. *Die nono menſis Ab*, inquiunt, *exiit decretum ne Iſraëlitæ in deſerto, terram intrarent*,

Digitized by Google

CHRIST. LXX. VESPAS. I.

intrarent: die illo Templum, tam primum quam ſecundum flammis deletur: die illo urbs magna Bittar *direpta eſt, ubi Iſraëlitarum multæ myriades, ſub Rege illuſtri,* Ben Coziba, *ab univerſo pene Iſraëlitarum populo, etiam ſapientum præcipuis, æſtimato Meſſiâ, militarant. Attamen in manus Gentilium infælix venit; nec non res ſequebantur haud minus adverſæ, quam cum Sanctum Sanctorum ſolo æquaretur. In illo demque die, die ultionum ſaturo, improbus ille* Turnus Rufus, *Templi fundum & adjacentia aratro ſubegit, quo conſummaretur illud olim prædictum Zion, ut ager arabitur*, *Talmud* in *Taanith*, cap. 4. hal. 6. *Maimon.* in *Taanith*, cap. 5.

Mirum ſane videri poſſit, ſcriptores ejuſdem gentis oriundos, qui & ipſi propriis perſonis ſpectatores ſimul aderant, in re adeò notabili inter ſe diſſidere poſſe. Verùm ſi quis *Joſephi* hiſtoriam, unà cum temporum ſerie prout apud alios ſcriptores Hebraicos digeſtam, accuratius conferret, vix quicquam diſcrepantiæ ei conſtaret. Narrat is, ambulacris clauſtralibus, quæ vulgò Porticus Templi dicebantur, flammas octavo die admotas, quæ ſequente die toto exarſerunt; quo die *Titus* coacto ducum conſilio, tribus ſuffragiis major, ſtatuerat Templum flammis nequaquam amplius permittendum: quum recens inter *Judæos* commotio, invito ferè Imperatore, id irritum fecit, & die proximo incendio vaſtatur, *Joſephus* ubi ſupra, *cap.* 23. 24. 25. Verum apud calendarium Hebraicum conſtat, ignem die nono è Templo veluti è centro erupiſſe: & temporis ſeriem in hunc modum ſiſtunt. *Horâ Veſpertina ignis templo ſubjicitur, qui ad occaſum uſque ſolis diei ſequentis, duravit. Et ecce quid Rabban Jochanan ben Zacchai dixerit. Niſi ipſe in eo ſæculo vixiſſem, vix alium quam decimum menſis ſtatuiſſem, quoniam præcipua pars Templi die iſto in flammis fuit. Nec non in Talmude Hieroſol. traditur, Rabbi & Joſhuam ben Levi tam nonum quam decimum menſis, pro triſti rei memoria, jejuniis addixiſſe*, Gloſſa in Maimon. in Taanith, cap. 5.

Haud levior diſcrepantia videtur circa diem conflagrationis prioris Templi, tempore *Nebuchadnezzaris* factæ. In 2 *Reg.* 25:8, 9. hæc ſunt. *Deinde menſe quinto, ſeptimo die menſis, ingreſſus Nebuzaradan præfectus ſatellitum, combuſſit domum Jehovæ.* Cum interim *Jeremias* dixerit hæc contigiſſe *quinto menſe & decimo menſis die*, Cap. 52:12. quam diſcrepantiam *Gemariſtæ in Talmud Babylon.* in hunc modum conciliant: *Non dici debuit ſeptimo die, quia dicitur decimo; nec equidem decimo, quia ſeptimo. Quid itaque? die ſeptimo exteri Templum ingreſſi ſunt, atque illic comedendo, diebus ſeptimo, octavo & nono, locum prophanarunt, ad veſperam noni flammas ſubjiciunt, quæ per totum decimum diem ardentes Templum demoliuntur, quæ res etiam ita ſe habuit cum Templo ſecundo*, Taanith, fol. 29.

CHRIST. LXX. VESPAS. I.

Dies nonus & decimus menſis *Ab*, quorum uterque ob conflagrationem Templi celebris habetur, circiter viceſimum ſecundum aut tertium menſis *Julii* locari debet. Urbs verò diripitur, & in cineres verſa eſt die octavo ſequentis menſis *Septembris*, *Joſeph. ubi ſupra*, *cap.* 47. die Sabbati Judaici, *Dion. fol.* 748.

Cæſis itaque decem myriadibus & ſupra, captis etiam nonaginta & ſeptem mille, *Titus* edicto ſanxit ut tam Urbs quam Templum, exceptis tribus turribus, *Phaſaeli*, *Hippicâ*, & *Mariamnes*, præ cæteris celſioribus, cum occidentali muro, funditus everterentur. Turres demoliri noluit, quo memoria loci munitiſſimi, & proinde Romana vis & armorum gloria ſæculis futuris conſtaret; nec murum equidem, quo præſidium Romanum iſthic adlocandum, h. e. decimam legionem tutaretur. Legionis præfectus *Terentius Rufus*, haud rarâ mentione ejus factâ, apud Scriptores Hebraicos ſæpius occurrit: prænomen ei decurtant, cum hac tamen additione eum ſemper nominant, טורנוס רופוס הרשע *Turnum Rufum iſtum Improbum.* Infinitæ inter eum & *R. Akibam* memorantur diſceptationes circa Legem & Religionem Judaicam. Hujus etiam defuncti vidua proſelytiſſa facta *R. Akibam* ſecundò nupſit.

Inter alios, qui in excidio urbis perierunt, viri præcipui nominis erant *Jochanan*, *Simeon* & *Eleazar*, ſeditionum capita, motibuſque inteſtinis fœdè ciendis infames. Vir tamen probæ & honeſtioris notæ, horrendæ iſtius ſtragis particeps, fuit *Rabban Simeon*, Synedrii Præſes, ad pedes patris *Gamaliel* unà cum *D. Paulo* olim inſtitutus. Synedrium diu apud oppidum *Jabneh* conventum, ex occaſione paſchatis Hieroſolymas migrarat, atque illic captus eſt *R. Jochanan. Talmud Babylon. loco ſupra citato*, narrat eum beneficio Romani ducis ſemel ab ultimo diſcrimine ereptum fuiſſe: poſtea verò rurſum captus interimitur; ac in Martyrologiis Hebraicis primum locum obtigit ex eis הרוגי מלכות *decem, quos Regnum interfecerat*, h. e. tot illuſtribus viris, quos obtruncârant *Romani.* Hos ſigillatim memorat *Midraſch Tillim, in Pſalm.* 9. *fol.* 10. *col.* 3. *Non obliviſcitur clamoris pauperum*, h. e. *non obliviſcitur ſanguinis Iſraëlitici, quin à Gentibus olim repoſcet. Non oblitus eſt ſanguinis juſtorum, qui interfecti ſunt, ſcil. Rabban Simeonis filii Gamaliel, R. Iſhmaelis filii Eliſhæ, R. Iſhbab Scribæ, R. Hoſpith interpretis, R. Joſis, R. Judæ ben Babæ, R. Judæ Hamacthom,*

Digitized by Google

CHRIST. LXX. VESPAS. I.

Hannacthom, *R. Simeonis ben Azzai*, *R. Hananiæ ben Teradion*, *&* *R. Akibæ*. Auctor libri *Tſemach David* in horum enumeratione, proximum à *Rabban Simeone*, *Ananiam* nominat, *Sagan* ſeu Sacerdotem à ſummo ſecundum: hunc in Urbis clade una cum *Rabban Simeone* confectum ſcribit. Haud rara mentio fit *Ananiæ Sagan* paſſim apud Talmudicos, e. gr. *Shekalim*, *cap.* 6. *hal.* 1. *Tredecim olim inſtituebantur adorationes in Templo*, *verum domus Rabban Gamaliel & Ananiæ Sagan*, *quatuordecim juſſit*.

Sagan Pontificis Maximi quaſi vices geſſit, proximus ei tam dignitate quam officio, cui nonnunquam titulum iſtum dignatæ ſunt S. Scripturæ: conſule *Luc.* 3: 2. Fortean hic ipſe erat, iſtiuſmodi titulo inſignis, *Act.* 23: 2, 4. *Paulo* infeſtus, quem is itaque depingit, & vindictæ Divinæ devovet: *parietem dealbatum* vocat, quem *olim percutiet Deus*. Hoc in Urbis excidio conſummari videtur, interfecto tunc temporis *Anania Sagan*.

Neque hìc omnino prætereunda eſt ulterior calculatio, quam Scriptores Judaici circa Templi-comburium notant. *Prius Templum*, inquiunt, *incendio corrumpitur Veſperâ diei noni menſis Ab exeunte anno relaxationis*, *& exeunte Sabbato*; *quod idem etiam poſteriori Templo accidit*, *Talmud Babylon.* ubi ſupra. Unde ex Judæorum ore evinci poſſit, Templum *die Dominico*, ſive Chriſtiano Sabbato corruiſſe. Flammæ ei ſupponuntur Sabbato *Judaico*, in cineres redigitur, *Chriſtiano*. Ita etiam urbs *Hieroſolymitica* die Sabbati Judaici deleta eſt, uti ſupra è *Dione* memoratum fuit.

SECTIO II.

Conditio & ſtatus Regionis Judaicæ poſt Urbis excidium.

IN primis Urbem ipſam contemplari operæ pretium erit, quæ adeò undiquaque vaſtata erat, ὡς μηδὲ πώποτε οἰκηθῆναι πίστιν ἂν ἔτι παρασχεῖν τοῖς προσελθοῦσι, *ut vix fides facienda ſit viatoribus*, *locum iſtum unquam incolis permiſſum fuiſſe*, *Joſephus de Bello*, *lib.* 7. *cap.* 1. Oportet Monachos iſtic loci agentes, nec non tabulas Coſmographicas nobis depictas, quæ digito quaſi monſtrare præ ſe ferunt, *Pilati* & *ſummorum ſacerdotum baſilicas*, uti & *viam doloroſam*, &c. magis à credulitate noſtrâ pendere, quam à certis uſque monumentis, quæ illic exiſtentia debitæ fidei ſufſecerint.

Teſtes habemus Hebræos Scriptores, qui uno conſenſu non ſolum Templum affirmant, ſed & Urbem funditus ſubverſam & dirutam fuiſſe, immò verò *Turnum Rufum* aratro terram ſulcaſſe, & prædictam prophetiam compleviſſe. Difficile quidem opus agricolæ, verùm id quod factum fuiſſe notant Hebræi, idque eodem anni die, ſpatio interim ad minimum anni interjecto, quo Urbs in hoſtium manus devenerat.

CHRIST. LXX. VESPAS. I.

Non opus eſt Urbis ſive amœnitate ſive frequentia deſcribendis prolixius hærere: Templi ſtructura pluſquam auguſta, modo quævis alia abeſſent ædificia, uti & Synagogarum multitudo, (quæ ad numerum 460. ſcribuntur) utrinque rem loquuntur. *R. Phinehas nomine R. Hoshajæ affirmat Synagogas fuiſſe* 460. *quarum unicuique pertinuit domus tam cuſtodiendæ quam legendæ Legi idonea*, *uti & domus altera docendis & explicandis traditionibus propria*, *Hieroſol. Chethub.* fol. 35. col. 3. quæ tamen in *Megill.* fol. 73. col. 4. & apud *R. Solomonem* in Commentariis ſupra *Eſaj. Cap.* 1. æſtimantur ad numerum 480. Horum omnium nihil omnino reſiduum eſt; nedum Templi, Synagogarum, Midraſch, ſive domiciliorum quorumvis vola vel veſtigium, quin omnia collapſa, demolita & labefacta. Mos civitatis fuit, uſquedum integra ſtetit, *ut per omne anni tempus*, *feſtis exceptis*, *immundi in platearum medio irent*, *mundi verò ad ædium latera: his immundi ſemper inclamârunt*, *Abſiſtite. Verum diebus feſtis mundi in platearum medio irent*, *& immundi ad ædium latera*; *his tum mundi inclamarunt*, *Abſiſtite*, *Hieroſol. Shekalim*, fol. 51. col. 1. Aſt ubi jam iſtiuſmodi frequentia? Ubi iſta delicatula mollities? Immò verò quid de Urbe ipſa, quid de plateis factum eſt! *Titus Imperator* poſt Urbis excidium ſemel illac ὡς ἐν παρόδῳ iter facturus vix ſe à lachrymis temperare potuit, quin Gentis pervicaciæ maledixit, ut quæ urbis adeò magnificæ cladem præcipitârat, *Joſeph. de Bello*, *lib.* 7. *cap.* 15.

Quot mala circumjacens Regio, immo tota *Judææ* plaga perpeſſa eſt, è tam ſævâ Urbis obſidione, belloque adeò cruento & diutino, facilius eſt in animo concipere quam linguâ effari. Narrat *Joſephus*, arbores quaquaverſim ad duodecim mille paſſuum excisas, quo fortiora munimenta extruerentur, machinæque ad obſidionem propulſandam utiles & neceſſariæ paratæ eſſent, *lib.* 6. *cap.* 40.

Fas hìc nobis ſit terram tam quoad ambitum, quam ſitum proſpectare parùm, ex ipſis indigenarum ſcriptis: *Terra*, inquiunt, *Iſraëli è Babylone reduci propria*, *in tres regiones dividitur*, *Judæam*, *Galilæam*, *& trans Jordanem*; *quarum ſingula rurſum in tres partes diſtribui ſolet. Galilæa ſc. in ſuperiorem*, *inferiorem*, *& Vallem. A Caphar Hananiah & ſurſum*, *tota regio quæ ſycaminos non fert*, *æſtimatur Galilæa ſuperior: à Caphar Hananiah & deorſum*, *regio ſycaminorum ferax Galilæa inferior*,

Digitized by Google

CHRIST. LXX. VESPAS. I.

inferior, *& quæ Tiberiadi contermina eſt, Vallis dicitur. Diſpertitur Judæa in montanam, planitiem, & vallem. Planities Lyddæ ſimilis eſt planitiei meridionali: & montana ejus pars, ſimilis monti Regio; à Beth-horone ad mare continetur una regio*, *Scheviith*, cap. 9. hal. 2. Gemariſtæ Hieroſolymitani hæc addunt: *Quænam eſt vallis Galilææ? Vallis Geneſareth & adjacentia. Quænam montana Judææ? Mons equidem Regius. Utique planities meridionalis vallis iſte eſt ab Engedi ad Jerichuntem. Quæ verò eſt montana trans Jordanem? R. Simeon ben Eleazar ait eſſe montes Macvar & Gedor: Planities verò, Heshbon cum civitatibus ſuis, Dibon, Bamoth Baal, & Beth Baal Meon. Vallis verò, Beth Haran & Beth Nimrah*, *Scheviith*, fol. 38. col. 4.

Fruſtra eſſet hîc bellum Judaicum ſigillatim tractare, ſuper hanc rem Lector *Joſephum* petat. Brevi omnia: vix aliqua urbs, vix ullum oppidum niſi quod vel ultrò ſe daret, vel acceſſu eſſet impervium, belli molem non ſenſit. Quoad inacceſſum, præcipuum locum habuit *Judææ pars montana*, *Joſ.* 14: 12. *Luc.* 1: 39. הר המלך *Mons Regius* vulgò apud Scriptores Hebraicos dictus. Locus effuſe frequentatus, prout innuitur *Hieroſol. Taanith*, *fol.* 69. *col.* 1. *Chriſtus* diſcipulos ſuos monet ut hîc loci perfugium quærerent, cum iſtiuſmodi mala ingruerent, *Matth.* 24: 16. quod ut fecerint, tutoque illic ſe locarint, quid vetet, quum id eis ab ipſo *Chriſto* ante indultum eſſet? Verum enimverò utcunque belli ardor tamdiu intra *Judæam* flagraſſet, ut multa tam urbium quam hominum facta ſtrages eſſet; Gens tamen ipſa nondum penitus animam efflârat, etiamſi multum à ſe mutata. Ubicunque loci deditionem ſpontaneam fecerunt (dato modò ut ſuorum rabiem evaſerint) permiſſus eis fuit cultus legum, morumque uſus tranquillus, dummodo poteſtati eò temporis victrici ſummiſſe ſe geſſerint, verum in obſequii teſtimonium vectigal eis jubetur, h. e. didrachma iſtud, ſive dimidium ſicli olim ad expiandum animas Templo reponi ſolitum, *Jovi Capitolino* in poſterum ſolvendum, *Xiphil. apud Dionem*, pag. 748.

Eodem ferè jure & autoritate potitum eſt Synedrium permiſſu Romanorum, poſt urbis excidium ac antè: eoſdem cultus Divini ritus in Synagogis perficiendos inviolate ſervarunt, exceptis iis qui in *Hieroſolymis* ſolummodò perſolvi debuerunt; urbs enim iſta jam ad cineres redacta eſt. Locis verò & populo plerumque, qui belli fatum evaſerant, dum morem victoribus gererent, pax & tranquillitas (ſaltem quæ genti afflictiſſimæ competeret) permiſſa fuit.

SECTIO III.

Synedrium ad huc Jabnæ coactum: Præſide Rabban Jochanane ben Zacchai.

EQuidem *Rabban Simeon* Synedrii præſes *Hieroſolymis* quaſi exinopinatò captus mortem occubuerat: verum *Rabban Jochanan ben Zacchai* propræſes, eodem etiam temporis unà *Hieroſolymis* agens, ægrè licet, incolumis evaſit. *Cæſaris* cauſam egit & oravit, quamdiu id tutò potuit; quum verò haud diutius niſi ſub capitis diſcrimine in urbe deliteſcere ei liceret, tum defuncti perſonam induens ope diſcipulorum *R. Joſuæ* & *R. Eliezaris* extra muros feretro ſubvehitur; nefas enim erat mortuo cadavere vel unâ nocte intra urbem quieſcere; atque illâ equidem fraude uſus, ſalvè effugit & ad *Cæſarem* venit. Ita quidem *R. Nathan* rem narrat, *Aboth*, cap. 4. Is *Rabban Jochanan*, quum dudum antea ab annis quadraginta, Templi Januas ſe ſponte pandentes vidiſſet, infauſtum id omen futuræ cladis mente ſuâ præſagiens, illud ex Prophetâ *Zacharia* quaſi ex præſcripto interpretabatur; *Aperi Libane januas tuas ut conſumat ignis cedros tuas*. Quum itaque urbem eò anguſtiarum longâ obſidione redactam conſpexerit, perpenſis ingruentium malorum præſagiis, haud mirum equidem ſi populo ſuadendo multus & aſſiduus eſſet, quo ultroneâ deditione urbem intactam ſervarent: (hæc ſupra dictus Autor de eo memorat) & quum perſuadendo minorem ſe ſenſerit, haud mage mirum videtur modò ipſe ad pedes futuri victoris ſponte prociderit. Neque ſanè propheticâ quadam extaſi opus ei fuit, quâ hæc malè ominatus præſenſerit, quin ex languidâ Reipublicæ craſi & temperie de præproperâ totius nece facillimam conjecturam feciſſe potuit.

Is itaque captatâ *Cæſaris* gratiâ, impetrat ut Synedrium apud *Jabnen* uſque tranquillum maneret. *Jabne* propè *Joppam* ad littus ſita memoratur, 2 *Paral.* 26: 6. Hîc ſæpius convenerant etiam durante Templo, dum in vivis eſſet *Gamaliel*, & poſtea toto tempore *Rabban Simeonis*, ejus filii.

Præſedit annos quinque, quîcum aſſederunt viri inſignioris notæ, *Rabban Gamaliel*, filius *Rabban Simeonis* cæſi *Hieroſolymis*. *R. Zadok*, qui à tempore, quo Templi januæ ſe ſponte expandiſſent, propter omen propinquæ cladis, aſſiduo jejunio ſe diu macerârat. *R. Eliezer* ejus filius: *R. Judah*, & *R. Joshua* filii *Betiræ*: *R. Eliezer ben Hyrcanus*, author *Pirke Eliezeris*: *R. Joshua*: *R. Eliezer ben Erech*: *R. Iſmael*: *R. Joſe*: *R. Simeon ben Nathaniel*: *R. Akibah*, atque alii plures *Rabban Jochanani* diu ſuperſtites. Plurimas iſtius Synedrii conſtitutiones, quæ Templum præſertim ſpectâ-

CHRIST. LXX. VESPAS. I.

ſpectarunt, videre eſt apud *Rosh Hashanah*, cap. 4. *Shekalim*, cap. 1. &c.

SECTIO IV.

Synedrium etiamnum Jabnæ ſedet, Præſide Rabban Gamaliele.

MOrtuum *Rabban Jochananem* excepit *Rabban Gamaliel*, ſeditque annos ſeptem. Is vulgò apud Scriptores Hebraicos hoc titulo notus: רבן גמלאל דיבנה *Rabban Gamaliel de Jabne.* Verùm ut tempus, quo is præſedit, liquidius conſtiterit, hæc duo obſervare oportet: prius apud *Babylon.* in *Rosh Hashanah*, *fol.* 31. *col.* 1, 2. occurrit; ubi ſigillatim apud *Gemaram* deſcribitur, quomodò Synedrium huc vel illuc ſedes mutarit. *A loco Gazith migravit ad Tabernam*, hæc in monte Templi, *à Taberna Hieroſolymas, ab Hieroſolymis in Jabnen, à Jabne in Osham ſive Usham, ab Osha in Sepharaam, à Sepharad in Beth Shaaraim, à Beth Shaaraim in Tſipporim, à Tſippori in Tiberiadem.* Ex gloſſa margini aſcriptâ hujuſmodi migrationum ratio petenda eſt. *Quum*, inquit, *præſidi viſum ſit in hunc vel illum locum ſedem mutare; Synedrium etiam iſthuc migravit: movente rurſus Præſide ſive filio ſuo, movit iterum Synedrium. Tempore Rabban Jochananis Jabnæ conventus agitur: tempore Rabban Gamalielis Ushæ aliquantiſper agens, Jabnen mox rediit, & inde rurſus tempore Rabban Simeonis filii, Usham petiit.* Adeò ut brevi tantum apud *Jabnen* ſederit *Rabban Gamaliel* à morte *Rabban Jochananis*, mox verò *Usham* migraverit; ubi loci cum parumper manſiſſet, *Jabnen* repetiit. Hactenus de tempore & loco Præſidis. Secundò notatu dignæ ſunt temporis intercapedines, quo is Synedrio præſederit.

Talmudici haud raram mentionem faciunt כד הושיבו ר׳ אליעור בן עזריה *R. Eliezeris filii Azariæ præſidis facti.* Tſemach David hæc habet: *R. Eliezer ben Azariah inter ſacerdotes opulentiſſimus, loco Rabban Gamalielis præſidatum obtinuit; dein Gamalieli junctus & præſidatu comes fuit.* Quæ quidem cum obſcura ſatis in ſe ſint, rem pleniùs narrant *Gemariſtæ Hieroſol.* in *Taanith*, fol. 67. col. 4. *Interrogavit R. Joshuam quidam ex diſcipulis ſuis, quid putas de oratione veſpertina? Reſpondit is, ex arbitrio pendet. Idem de Rabban Gamaliele quærit, quid putas de Oratione Veſpertina? Reſpondit is, puto eſſe pietatis officium à ſingulis neceſſario perſolvendum. Inquit ille, quomodo tum dixit R. Joshua preces Veſpertinas ex arbitrio pendere? Videſis, inquit Gamaliel, & cras cum ego in cœtum venerim, tu adeſto & quæſtionem hanc propalam proponito. In cœtum diſcipulus prodiit, & Gamalielem interrogavit, quid putas de Oratione Veſpertinâ? Reſpondit is puto pietatis officium eſſe à ſingulis neceſſario perſolvendum. Quare itaque,* inquit diſcipulus, *dixerit Rabban Joshua, eam ex arbitrio pendere? Dixit Rabban Gamaliel R. Joshuæ, tune eam dixeris arbitrio pendere? Reſpondit, nequaquam, dixit ei, aſſurgito ut in te teſtimonium ferant. Surrexit itaque & pedibus ſtetit R. Joshua: dum interim Rabban Gamaliel legem interpretatus ſedit. Id univerſo cœtui diſplicuit. Inquiunt itaque R. Hoſpithio interpreti, dimitte populum: & dixerunt R. Zimmun miniſtro, dic, incipe; & dixerunt omnes, incipe; nec non pedibus ipſi etiam ſteterunt. Et dixerunt ei*, Rabban Gamalieli, *quis eſt quem ſcelera tua non moleſtarunt? Et mox R. Eliezerem ben Azariah præſidem conſtituunt, utcunque juvenem ſedecim annos natum, indole tamen & moribus gravem. R. Akibah rei indignatus dixit, non eſt quod is legis peritior meipſo ſit, ſed nobiliori ſtemmate prognatus in iſtud faſtigium ſcandit. Fœlix quem parentela nobilitavit: fœlix cui clavus pertinet à quo pendeat; qualem verò clavum ſibi jactitat R. Eliezer ben Azariah? Equidem decimus ab Ezra æſtimatur. Quot Diſcipulorum iſtic aſſidentium ſubſellia numerantur? R. Jacob bar Suſi ait octoginta præter populum, qui à tergo ſtetit. R. Joſi ben R. Bon ait trecenta. Rabban Gamaliel ſingulos ſtatim domatim adiit ut eos placaret*, &c. Ex his palam eſt, quid eò dedecoris *Gamalielem* redegit, ut de Præſidis jure detruderetur, faſtus nempe & ſtomachi intemperies, (cujus plura, ſi opus eſſet, exempla paſſim recenſeri poterint) aſt in participationem muneris cum *R. Eliezere* tandem admiſſus eſt.

Sæpiſſimè apud Talmudicos occurrit hujuſce *Gamalielis* nomen, ſæpius fortaſſis quàm alius cujuſpiam. Famulus ei fuit apud eos haud raro memoratus, *Tobi* dicitur, cui cum oculum ictu eliſiſſet, ob id damnum acceptum emancipatione eum donavit: hunc etiam mortuum flevit & elogiis ornavit. *Berachoth, cap.* 2. *hal.* 6. Dum *Jabnæ* ſedit, adeò accurate novilunia ſpeculatus eſt, ut varias Lunæ phaſes parieti pingendas curârit; & cum quis novilunii nuncium ei primò attulerit, iſtuc eum adduxit interrogans, *qualem phaſin vidiſti, hanc, vel illam, vel alteram?* &c. Rosh Hashanah, cap. 1. hal. 8.

SECTIO V.

Synedrium apud Jabnen adhuc. Præſes R. Akibah.

EXactis duodecim annis ſub præſidatu *Rabban Jochananis* & *Rabban Gamalielis*, qui à ſecundo *Veſpaſiani*, quo Synedrium apud *Jabnen* primo ſedem ſuam figebat, ad ſecundum *Domitiani* attigerunt; ſedem ſuam occupat

cupat

Digitized by Google

cupat *R. Akibah*, quam tenuit ſpatio annorum quadraginta, h. e. ad expilationem oppidi *Bitter* ſive *Beth-Tar*, quam Judæi ferè omnes ad annum quinquageſimum ſecundum, vel ad ſummum, quinquageſimum quintum poſt Templi excidium locârunt; unde conſtat eum ſediſſe per totum tempus *Domitiani*, *Trajani*, & ad quintum, vel ad ſummum, ad octavum *Adriani*.

Tempora, præſidente *R. Akibah*, Judæis vexatiſſima, regnante *Domitiano*; *Judaicus Fiſcus præter cæteros acerbiſſime actus*, Sueton. Domit. cap. 12. Ubi porro adjicit, *Interfuiſſe me adoleſcentulum memini, cum à Procuratore frequentiſſimoque concilio inſpiceretur nonagenarius ſenex an circumciſus eſſet*.

Trajani tempore exarſit horribilis iſta Judæorum commotio circa *Cyrenen* facta, quam *Dion* memorat, *lib.* 68. ubi *Romanorum* & *Græcorum* cæſa ſunt plus minus ducenta & viginti millia. Horum carnem veſcebantur, quin & devoratis eorum extis & viſceribus, totos ſe hoſtium cruore obliverunt. Iſtiuſmodi turbam moverunt apud *Ægyptum* & *Cyprum*, cæſis iſtic ducentis & quadraginta millibus. *Tſemach David Ben Cozibam* præcipuum in hac re perſcribit, cui itaque debita merces cruentiſſimæ ſeditionis rependitur tempore *Hadriani*. Meſſiæ perſonam præ ſe ferebat; Regem itidem, nummumque ſuo jure ſignandum in ſe recepit מטבע של בן כוזיבא *Hieroſol. Maaſar Sheni*, *fol.* 52. *col.* 4. *Romanorum* arma ſæve in ſe concitat, quorum impetu ipſe cum civitate *Bitterenſi* una cum innumeris Judæorum millibus horribili internecione deperditur. Judæi vulgò oppidum illud ſcribunt ביתר, verum in *Hieroſol. Taanith*, *fol.* 68. *col.* 4. ſcribitur בית-תר *Beth-Tar*, & proprie redditur *domus exploratorum*. Quid non etiam id nominis ſat meruerit, modò vera fert fama, ſcil. Magnates Judaicos iſthuc ab *Hieroſolymarum* excidio elapſos, quemvis *Hieroſolymus* iter tendentem exploraſſe, & ſceleratâ perduellione in hoſtium manus prodidiſſe, *Euſebius*, *Hiſt. lib.* 4. *cap.* 6. Urbem iſtam vocat *Betheka*, nec multum ab *Hieroſolymis* diſſitam fuiſſe affirmat: hanc *Baronius* audaci manu *Bethlehem* reddit. Occiſionem ad hunc locum factam Judæi ut ſæviſſimam præ omnibus, exceptâ *Hieroſolymarum* ſtrage queruntur. Inter cæteros conficitur *R. Akibah*, quum prius *Ben Cozibam*, quem fatuâ mente *Meſſiam* fuiſſe ſomniarat, Armigeri loco ſtipaſſet. En qualem iſti *Meſſiam* ſperant!

Dion narrat, *Severum*, quem *Hadrianus* huic bello gerendo præfecerat, captis quinquaginta munitiſſimis præſidiis, oppidorum pulcrioris notæ 985. funditus evertiſſe. Is etiam *Olivas omnes per totam Judæam radicitus evulſit*, *Hieroſol. Peah*, fol. 20. col. 1. Cladis deſcriptio ad oppidum *Beth-Tar* accepta, ab ipſis petenda eſt, *Hieroſol. Talmud*, *in Taanith*, *ubi ſupra*, nec non *Babylon. in Gittin*, fol. 57. 2.

Horum motuum origo vix liquido conſtat: verum juſtiſſimo Dei Opt. Max. judicio acceptum referri debet, qui gentem meritiſſimas pœnas luituram, in ſeipſam & ſui ipſius excidium incitarat. Et tamen *Spartianus*, turbas *Hadriani* temporibus motas perſcribens, earum originem fuiſſe interdictam Judæis circumciſionem notat. *Moverunt eâ tempeſtate & Judæi bellum, quod vetabantur mutilare genitalia*; in vita *Hadriani*. Equidem *Trajanus* acerbiſſimè in Chriſtianos animadverterat, *Plinius*, *Epiſt. lib.* 10. *Epiſt.* 97. fortaſſis id etiam in Judæos aggreſſus, eos ad inſurrectionem adegit. Cædes eas apud *Cyrenen*, *Ægyptum*, & *Cyprum* commiſſas, *Hadriano* haud immeritò accidiſſe cenſeri poſſet ob ſævitiam in Chriſtianos exercitam, niſi quod fortean ipſi Chriſtiani multa in internecione iſta promiſcue perpeſſi ſint, præſertim cum *Ben Cozibah* primas in iſtis motibus partes tulerit. Etenim apud *Juſtinum Martyrem*, *in Apologia* II. liquet, *Barchochebam Chriſtianos ſolummodò, ſi Chriſti nomen non impeterent blaſphemiis, omnimodis cruciatibus vexaviſſe*. Ita *Euſebius in Chronic. Chochebas motuum Judaicorum dux & anteſignanus, Chriſtianos ſuppetias in Romanos ferre abnuentes, omni genere cruciatuum afflixit*. Præ aliis obſervatu dignum eſt, quod occurrit in *Hieroſol. Jebammoth*, fol. 9. col. 1. *Plurimi, qui præputium metu retractarant, diebus Ben Cozibæ iterato circumcidebantur*. Quod *R. Niſſim* fuſius nobis explicuit. *Plurimi in civitate Bitterenſi tempore Ben Cozibæ de novo circumcidebantur. Equidem præputium ante metu retractarant; cum ſuperior verò evaſiſſet Ben Cozibah, adeò ut ſpatio biennii & ſex menſium inter eos regnaret, præputium ſibi rurſum amputârunt*. Alpheſ. in Jebamm. fol. 428. Phraſis iſta, *præputium metu retractandi* clauſulæ ſupra è *Spartiano* lectæ, haud admodum abſimile ſonat.

Sub id tempus (fortaſſis imperante *Trajano*) Judæi edicto vetabantur ne ſacris initiare ſe audeant; pœnâ capitis tam ejus, qui ſacra conferret, quam ejus, qui ea ſuſciperet. Nec non loci prorſus delendi, ubicunque ſacrorum facultas permittebatur. *Talm. Babylon. Avodah Zarah*, fol. 8. 2.

Ab hoc itaque tempore, à quo hujuſmodi tumultus moveri cœperunt, & deinceps, id quod in *Hieroſol. Sanhedr.* fol. 24. col. 2. notatur, vim habuit. *Diebus R. Simeonis ben Jochai (qui ſub id tempus vixit) poteſtas judicandi etiam in rebus pecuniariis Judæis adimitur*. fol. 18. col. 1. Hæc diebus *R. Simeonis ben*

Shetah

Digitized by Google

Shetah fieri dicuntur; errore tamen, qui loco ſupra citato caſtigatur.

Ex occaſione hujuſmodi motuum, edicto *Hadriani* Judæis cautum eſt, ne *Hieroſolymas* proficiſcerentur, immo ut ne à monte quovis proſpicerent, ex quo urbis ruinæ eminus conſpiciendæ eſſent, *Euſebius*, *Hiſt. lib.* 4. *cap.* 6.

Tryphon Judæus, quîcum *Juſtinus Martyr* adeò prolixam diſceptationem ſuſtinuit, à ſæva hujuſce belli acie perfugit, *Juſtin. Dial. cum Tryphone.* Idem is forte eſt *R. Tarphon*, *R. Akibæ* familiariſſimus, apud Talmudicos crebro memoratus.

SECTIO VI.

Synedrium apud Usham & Sepharaam, אושא ושפרעם. *Rabban Simeon Præſes.*

IN hunc itaque modum conſpeximus vindictam Dei in ſceleſtiſſimam Gentem diſtrictam; quæ tamen ut neque adhuc penitus eradicata eſt, ita neque tot malorum ſeriem apud ſe ſaperent, ut quicquam proficerent. Præter *R. Akibam* vix alium dignioris notæ inter has clades periiſſe legimus, utcunque in medio ſummorum diſcriminum plurimi verſati quotidie eſſent, in ulteriorem peſtem videntur reſervari, quo gentem in pejora ſeducerent. In hunc modum paſſim cladem ad urbem *Beth-Tar* ſeu *Bitter* factam depingunt. Equi nares uſque, ſanguine humano cruentati. Cæſa hominum millia 400. *Hadrianus* vineam muro cinxit, ambitu ſedecim mille paſſuum, menſurâ hominis alto, ex cæſis cadaveribus confecto. Viſa ſunt ſuper unicum lapidem eliſa 300. infantium cerebra. Reperiuntur tres ciſtæ pannoſis phylacteriis refertæ, quarum ſingula tres modios continuit. *Rabban Simeon ben Gamaliel tradit, ſcholas fuiſſe ad minimum quingentas, quarum in minimâ erudiebantur diſcipuli quingenti: dixerunt ii omnes, poſſumus nos hoſtium oculos (ſi venerint) calamis eruere. Verum cum ad rem ventum eſſet, calamos libris involutos igni projiciunt, neque unus quis ſuperſtitit niſi ipſe ſolus.* Non quaſi is diſcipulorum claſſi adnumerari debeat, cum ætate adeò provectus eſſet; aſt, ipſe unicus ex totâ Academiâ ſuperſtes & incolumis evaſit. Veruntamen præter egregios quoſdam ſupra enumeratos, extitit *R. Meir* frequens apud Talmudicos orator, etiamſi plerumque communi ſuffragio adverſum ſe tulit: *R. Simeon ben Jochai*, nec non *Eleazar* filius ſuus, primi autores libri *Zohar*: *R. Nathan* autor *Aboth*: *R. Joſi* Galilæus, ejuſque filius *Eleazar*: *R. Johanan ben Nuri*: *Ben Nanas*: *R. Joshua ben Korcha*: *R. Eliezer ben Chaſma.* Et quid opus pluribus inſiſtere, cùm *Bereshith Rabbah* ad *Geneſ.* 25. ſummam totalem in hunc modum indicet; ſcil. *R. Akibah* diſcipulos habuit viginti quatuor mille. De aliquibus conſtitutionibus apud *Usham* ſancitis, videre eſt apud *Rosh Hashan. fol.* 58. *col.* 3. *Chetub. fol.* 28. *col.* 3.

Sub hæc tempora *Adriani* floruit *Aquila* proſelytus. *In Hieroſol. Chagig. fol.* 77. *col.* 1. repræſentatur cum *Hadriano* diſſerens, circa univerſam hanc rerum fabricam, utrum Spiritu nec ne ſuſtentata & ſuffulta eſſet. In *Megill. fol.* 71. *col.* 3. dictum eſt, *Aquilam proſelytum legem expoſuiſſe, audientibus R. Eliezere, & R. Joshua, adeoque eum ab iis laudatum, ut dixerint, multò pulchrior tu es filiis hominum.* Unde conjectari licet cujuſmodi expoſitio illa ſit, ab iſtis adeò vehementer decantata. *Aquilæ* verſionem *Gemariſtæ Hieroſolymitici* citant, *Megill. fol.* 73. *col.* 2. *Succah*, *fol.* 53. *col.* 4. *Joma*, *fol.* 41. *col.* 1. & alibi paſſim.

Sedit *Rabban Simeon* plus minus triginta annos à ſexto ſive octavo *Hadriani* ad decimum quintum ſive decimum ſextum *Antonini Pii*, imminutâ indies Synedrii dignitate & juriſdictione. Is crebrò apud Talmudicos occurrit, loquendo frequens. Hujus tamen avus Hieroſolymis peremptus, rarò aut nunquam publicis cœtibus profatus quicquam celebratur. Semel eum per Templum jurejuraſſe legimus, *Cherithuth*, *cap.* 1. *hal.* 7.

SECTIO VII.

Synedrium apud Bethshaaraim, Tſipporim & Tiberiadem agit, præſide R. Juda.

MOrtuo *Rabban Simeone* locum ſupplet *R. Judah* filius; anteceſſorum haud impar. Titulus *Rabban* ſane non ei uti præſidibus ſuperioris ſæculi conceditur; appellationibus tamen donatur, quæ æque eum ac ceſſores cohoneſtârunt. Nonnunquam per modum eminentiæ *ille Rabbi* dictus; quandoque *R. Judah ille ſanctus*, interdum *Rabbi ſanctus noſter*, alias *R. Judah Princeps* & ſæpius *Talmud. Hieroſol. R. Judan*: vide *Hieroſol. Sanhedrin*, fol. 30. col. 1. ubi ſinguli tituli enumerantur. Innumera pene de eo fabulantur; parcius quædam rebus hîc loci tractatis magis affinia, fas ſit colligere. *Juchaſin*, *fol.* 2. narrant eum una cum 70. Synedrii aſſeſſoribus ſediſſe apud *Bethshaaraim*, *Tſipporim* & *Tiberiada*, decimo & ultimo ad *Tiberiada* ſedem mutavit. Incertum quamdiu apud *Bethshaaraim* permanſerit, quum de iſto loco vix quicquam apud ſcriptores occurrat. Verum *Tſipporis* צפורי urbs inſignior, quæ & in *Galilæa* primas tenuit *Joſeph. de Bell. lib.* 3. *cap.* 3. Locus fertili ſolo per ſpatium 16. mille paſſuum ſitus, *Talmud. Hieroſol.* Terra lacte & melle affluens, *Biccurim*, *fol.* 64. *col.* 2.

Digitized by Google

col. 2. Hîc ſedit *R. Judah* ſpatio annorum ſeptendecim, id ſibi accommodans: *Commoratus eſt Jacob in terra Ægypti annos ſeptendecim, commoratus etiam eſt Judah in Tſippori annos ſeptendecim.* Hunc locum celebriorem fecerunt hæc duo memoratu digna, unum, quòd lanius quidam cadavera & beſtias dilaceras Judæis fraude impoſuit, carne etiam caninâ eos veſci impellens, *Hieroſol. Trumoth*, fol. 45. col. 3. Alterum, quòd plurimi *Tſipporim* degentes, ſpleniis ora deturparunt, ut ita mutatæ quaſi perſonæ, inquiſitionem ſupra eos factam fefellerint, *Idem*, *Jebammoth*, *fol.* 15. *col.* 3. & *Sotah*, *fol.* 23. *col.* 3. Innumeras doctorum diſceptatiunculas hìc loci ventilatas, aliaſque ſcholarum actiones, etiamſi leviſſimo calamo attingere, ad nauſeam eſſet.

A *Tſippori* ad *Tiberiadem* Synedrium migravit, ad ripam lacus *Genneſareti*; à *Tſippori* novem lapidibus diſtat, *Idem*, *Sanhedr. fol.* 21. *col.* 1. Judæi eundem eſſe locum cenſent cum *Rakkath*, de quo *Joſ.* 19: 35. *Megill. fol.* 70. *col.* 1. etiam *Chammath* eodem loci memoratum, proximè ei adjacuiſſe conjectant; *Erubbin*, *fol.* 23. *col.* 4. propter thermas iſthic exæſtuantes ſic dictum, *Babylon. Megill. fol.* 6. *col.* 1. incertum quamdiu *R.* iſtic commoratus eſt.

Summam eum cum *Antonino* Imper. (*Pio* nè an *Philoſopho* dubium) gratiam iniiſſe ferunt; utervis ſit, *Pium* plerumque opinati ſunt, multæ inter ipſum & *R. Judam* diſſertationes paſſim apud Judæorum ſcripta occurrunt. Imperatorem proſelytum fuiſſe affirmant, &, *cum proſelyti juſtitiæ*, inquiunt, *ſæculo futuro venerint*, *Antoninus choream ducturus eſt*, *Hieroſol. Megill.* fol. 74. col. 1. Veriſimilius tamen videtur, *Antoninum Philoſophum*, ſive *Marcum Aurelium* hominibus literarum peritis familiarius uſum fuiſſe: utrique *Antonino* quin & *Commodo* ſuperſtes *R. Judah* fuit.

Duo potiſſimum, apud Judæos maximi pretii, hujus viri ſtudio & operæ, accepta referri ſolent. Unum, quod legem oralem de manu in manum hactenus traditam, in unum juſtum volumen congeſſit; id *Miſchna* eſt, quod penes nos in hunc uſque diem ſit; & magnæ legum pandectæ habentur, Judæis etiamnum acceptæ, quarum ad amuſſim, vitæ & morum rationem inſtituunt. Is Gentis ſuæ ſtatum indies decreſcentem intuitus, nec non, etiamſi innumera adhuc eruditorum gymnaſia reſtiterint, ægrè ſuſpicatus, ne ſublato Synedrio cabbala ſeu traditionum theſaurus diſſiparetur, ea ſcriptis mandavit, quo Genti ſuæ ad mores ſuos formandos conſervarentur. Alterum ei in honorem ceſſit, quod operam obnixe navavit, quò ספריא ומתנייניא *Scribæ & traditionum doctores oppidatim per univerſam Gentem Iſraëliticam diſpoſiti eſſent*, *Hieroſol. Chagig*, fol. 76. col. 3. In eodem Tractatu, *fol.* 77. fertur, eum ad ſex portiunculas ſacri textus, quandocunque eas perlegere obtigerit, ſemper collachrymaſſe. *Miſchnam* compoſuit circiter annum *Chriſti* centeſimum & nonageſimum; verſus exitum Imperatoris *Commodi*: ſive, prout nonnulli calculos ferunt, juxta annum *Chriſti* 220. centum & quinquaginta annis ab *Hieroſolymarum* excidio.

SECTIO VIII.

De Scholis, viriſque eruditis, qui poſt mortem R. Judæ floruerunt.

PRæter loca, in quibus Synedrium convenerat, quæ omnia etiam poſt diſceſſum Synedrii, ſe in Gymnaſia formârunt, alia inſuper erant tam in *Galilæâ* quam *Judæa*, literarum ſtudioſis referta. Inde iſta diſtinctio, quæ *Talmud Hieroſolymitanum* tractanti crebrò occurret, *Chagig. fol.* 79. *col.* 3. בן דרום & בן גליל, *vir Auſtralis*, & *vir Galilæus*. h. e. diſcipulus unius vel alterius plagæ: hinc mentionem habemus *R. Jacobi* דרומיא *viri auſtralis*, *Erubbin*, fol. 24. col. 2. nec non *ſeniorum auſtralium*, *ibid.* col. 3. *R. Joshuæ ex auſtro*, *Challah*, fol. 57. col. 2. Præ omnibus aliis locis *Judææ* poſt *Jabnen* & *Bitteram Lydda* primas tulit; ubi *R. Akibah* priuſquam Synedrio *Jabnæ* præſedit, Gymnaſiarchæ munere perfunctus fuerat, *Rosh Haſhanah*, cap. hal. 7. Quin etiam illic Gymnaſium extitit uſque ad tempora *R. Judæ*. In *Galilæâ* floruerunt *Magdalah*, *Chammath*; &, (modò *Galilææ* adnumerari fas ſit) *Cæſarea* cum pleriſque aliis.

R. Judah binos filios reliquit: *Rabban Gamalielem* & *R. Simeonem*, quorum prior dum pater adhuc in vivis eſſet, honores non ſpernendos attigerat. Verum mortuo *R. Judâ*; *R. Chaninah* eò honoris ab ipſo *R. Judâ* præſignatus primas tenuit. Cum eo aſſederunt *R. Chaija*, *R. Hoshaja Rubba*, *R. Joshua ben Levi*, *Kaphra*, *bar Kaphra*, *Rabb* & *Samuel*; qui duo poſtremi Academiam *Babyloniâ* celebrem migrârunt. Ex hâc hominum claſſe *Gemariſtæ* primitus oriundi, *Miſchnæ* interpretes, qui veterum dogmatibus recenſendis & explicandis operam navârunt.

Poſt *R. Chaninam*, qui ſpatio decennii ſedit, *R. Jochanan* annos octoginta ſedis potitur. Is, prout fert fama, *Talmud Hieroſolymitanum* compoſuit, anno *Chriſti* 230. Imperante *Alexandro Mammææ* circiter medium ejus regni. Et tamen ea in ipſo *Talmude* occurrunt, quæ Imperatoris *Diocletiani* nomen præ ſe ferunt. *Berachoth*, fol. 6. col. 1.

Digitized by Google

col. 1. כד סליק דוקליטינוס מלכא להכא *Quum Docletinus Rex* (ità enim literæ ſonant) *huc venerit, conſpectus fuit R. Chaijah bar Abbah tumulum aſcendens quò eum ſpectaret. Scheviith*, fol. 38. col. 4. דיקליטינוס איעיק לבני פניים *Dicletianus viros Paneæ graviter afflixit, &c.* In *Kilaim*, fol. 38. col. 3. & *Chethuboth*, fol. 35. col. 2. Dicunt ſeptem maria terram *Iſraëliticam* circundare, quorum poſtremum nominant ימא דאפמיא *mare Apamicum*. (Verſio *Samarit.* in *Num.* 34. *verſ.* 10, 11. *Sepham* reddit *Apamiam.*) *Id*, inquiunt, *mare eſt ſeu lacus Mabaz*, דוקליטיאנוס הקווה נהרות ועשאו *quem Docletianus collectis aquis fecit*. Nec equidem vero abſimile quin *R. Jochanan Talmudis* autor, *Diocletiani* temporibus ſuperfuiſſe poterit; verum in *Trumoth*, fol. 46. col. 3. iſtum *Dicletianum* hìc loci memoratum temporibus *R. Judæ haccadoſh* vixiſſe ex ſequenti hiſtoriâ ſat conſtat. *Filii R. Judæ Principis percuſſerunt* Diclotium *ſubulcum, qui poſtea Rex factus* Paneas *venit, literiſque ad Rabbinos datis juſſit, cavete ut exeunte Sabbato huc adſitis, &c. cum adeſſent dixit; Itanè vero regnum ſpernitis? cui reſpondent: Ita vero* Diclotium *ſubulcum ſpernimus, ſed* Diocletianum *Regem non ita*. Longè hic diſtat ab Imperatore *Diocletiano*. Modo hîc locus eſſet curioſius indagandi tempus, quo *Talmud* compilabatur, haud inepta fortaſſis quæſtio occurreret, quid illud velit דינר גורדיינון, de quo *Chagig. fol.* 79. *col.* 4. utrum ſignificet *denarium Gordiani* nec ne. Verum non mihi animus eſt in his diutius hærere.

A tempore quo abſolutum eſt opus Talmudicum, fit altum ſilentium circa ſcholas vel diſcipulos, ſive in *Judæâ*, ſive in *Galilæâ*; (Academiis jam apud *Babyloniam* frequentioribus factis) verum, ut videtur, haud prorſus deſuefiunt, quin ex iis tandem prodiit *R. Hillel*, nepos *R. Judæ*, qui calendarium Judaicum adeò accuratè perſcripſit ut etiam hodie eis in uſu ſit. Immò verò *D. Hieronimus*, quò doctius literas Hebraicas calleret, viro cuidam earum perito *Tiberiadi* ſe adjunxit.

SECTIO IX.

Status & diſpoſitio populi.

HActenus quædam de ſcholis & magiſtratu, nec non quid Judæis generalius ſub iſta tempora acciderit, leviter attigimus. Jam operæ pretium erit populi affectus & mores pauliſper inſpicere, quò eum exoſum fuiſſe *anathema*, Deoque prorſus rejectaneum luculentius conſtiterit. Equidem ſibi ipſis adhuc non adeò diſplicuiſſe videntur, quin eodem, quo antea, faſtu & fiduciâ turgidi, ſe Dei peculium ſecurè opinati ſunt. Nec ſanè (excepto quod eis ſub inſurrectione *Ben Coziba* contigerat) ſpectatoribus vix ulla ſuſpicio eſſet, populum iſtum tot malis recens fractum & diſſipatum fuiſſe, vel ulterius diris devotum fore; præſertim cum cultus Divini ſolennia eodem ferè tenore & ordine quo olim quotidiè celebrari perpenderint. Regio adhuc Synagogis referta, quæ unoquoque Sabbato, uti & ſecundo quintoque die hebdomadis, tranquillè frequentabantur, decimæ ſolvuntur; purificationes aſſiduæ fiunt; cibis potionibuſque mundis ac immundis ſeveriſſimâ cautione utebantur; ritus denique quoſvis (exceptis iis qui in Templo duntaxat perſolvendi eſſent) ſibi æquo decore vendicabant, ac ſi Urbs & Templum integra ſtetiſſent. Quæ res ipſa tamen indicat flebiliorem populi ſtatum; quin & id quod ſibi ipſis ut miſeriarum lenimentum gratulati ſunt, eò infœliciores ſe, & perditioni planè obſignatos oſtendit.

Duplici reprobatæ gentis notâ unicuique (præter ſe ad omnia cæcutientes) conſpicuâ inurebantur: primò quod futiles traditiones adeò delirè deperierint; dein quod veritati Euangelii tam pervicaci odio iraque adverſati ſint: alia inſuper indicia erant populi in perniciem ſuam deploratò ruituri.

Unicuique inter Talmudicos verſato hæc per ſingulam ferè paginam fuſius patebunt; Gentem nempe Iſraëliticam magis magiſque indies ab Urbis & Templi incendio, ridiculos ritus & traditionum ineptias, quæ Divina Oracula omnino incaſſant, deperiuſſe. Ex eis videre eſt, populum etiamſi extrema anhelantem, rebus tamen perquam frivolis & nugatoriis tantoperè innixum, ac ſi ex iis regnum æternè duraturum penderet. Id eos talpis cæciores demonſtrat: utpote qui deletâ urbe adeo leviter affecti eſſent, ut inde nequaquam moniti ſint quale fatum meruerint egeni & carnales ritus, quin eò vehementius jam eos affectarint. Quiſquis perpenderit quanto clamore Talmudici hujuſmodi nugis propugnarint, hæc dignoſcet. Hic menti occurrit mos inter fœminas nobiliores perquam ridiculus, eis in uſu fuit pro funebri *Hieroſolymarum* memoriâ, coronas aureas, figurâ civitatis fabefractas ſuper vertices geſtare; his nomen inditum עיר זהב *Aurea civitas*. Harum mentionem habemus apud *Hieroſol. Shabb. fol.* 7. *col.* 4. ubi quæſtio agitatur, utrum fœminis fas eſſet hujuſmodi ornamenta capitibus geſtare die Sabbati. Narrant inſuper *R. Akibam uxori ſuæ auream civitatem emiſſe, quam malevolè intuita eſt, æmula Rabban Gamalielis conjux*. Vah præpoſterum lugendi morem! Scilicet per figuram urbis *Hieroſolymiticæ* ex auro fabrefactam, urbem ipſam in cineres verſam deflent! Nec equidem

minori

Digitized by Google

minori proterviâ in ritibus ſuis & traditionibus tuendis uſi ſunt, quæ omnia cum ſub ipſis urbis cineribus ſepelienda eſſent, vehementiori adhuc zelo & ſuperſtitione propagantur.

Supervacaneum hîc eſſet Judæorum dicteria & malevolam mentem in Chriſtum & Chriſtianum cultum perſtringere; quam horrendis blaſphemiis benedictum *Jeſu* nomen lacerarint, quantaque vi & injuriâ erga fideles uſi ſint; ex eorum ſcriptis ſat conſtat; quidni ipſæ patrum diſſertationes contra Judæos ſuſceptæ, rem loquutæ ſint! eos nempe, in quantum licuit, Chriſtianis ad extremum uſque adverſatos fuiſſe. Verum eſt, ſimultates mutuæ & odia inter ſe haud raró gliſcebant; attamen ad inſtar *Simeonis & Levi fratrum in malo*, in hoc ſemper ſe unierunt, ut Euangelium probris afficerent, flocci facerent, ſummoque vituperio exagitarent. Vix unus inter Rabbinos, quos ſupra memoravimus, quin haberet בר פלונתיה *antagoniſtam ſuum*, qui quoad hoc vel illud dogma diverſas partes omnino ſuſtinuit: immo nonnunquam pugnis certatur. Lite ortâ ſemel inter *R. Eliezerem* & *R. Joſi*, legis librum mutuâ colluctatione dilacerant, *Hieroſol. Shekalim*, *fol.* 47. *col.* 1. Nec non, uti ſupra adnotatum eſt, inter *Shammæos* & *Hillelianos* cæde & ſanguine pugnatum eſt. *Rabban Gamaliel* apud *Jabnen R. Akibam* regimine ſuo apud *Lyddam* privavit, *Roſh Haſhanah*, *fol.* 57. *col.* 1. præter alias iſtiuſmodi velitationes, quæ tamen juncto ſemper in Chriſtianos bello ſubſiderunt.

Supra animadvertimus, quam artium magicarum ſtudioſa eſſet Judæorum gens, quarum præſtigiis ſuos fortiori errorum nexu conſtringerent, & ſpecioſa magis oſtentatione Chriſtianiſmum laceſſerent. Erecta iſta expectatio adventus *Meſſiæ*, quæ Judæos plerunque in iſto ſæculo, quo revera ſe exhibuit, affecerat, duplex quidem, ſed valdè diſpar effectum habuit. Viros quidem pios & bonæ mentis ad amplexandum Euangelium promptos ac habiles fecit; dum interim alii exinde anſam arripuerunt fallendi populum; ſeque ſive *Chriſtum*, ſive *egregium* aliquem *Prophetam* præ ſe ferentes, eò facilius plebi impoſuerunt, quo ardentius eò temporis *Meſſiam* expectaverant. Unuſquiſque ferè impoſtor magiæ ſtudiis ſedulò incubuit, cujus artes etiam poſt urbis excidium pluris æſtimabantur. Equidem evanuiſſe oportuit omnis ſpes venturi *Meſſiæ* poſtquam urbs adeò funditus eraſa eſſet; & tamen cum populum iſtiuſmodi ſpe lactari pronum ſeductores experti ſint, id aſſiduè ſategerunt. *Talmud Hieroſolymitanum* iſtiuſmodi exemplis abundat; cujus etiam crebriorem mentionem feci, eo quod ab iſtiuſmodi hominibus plerunque harum artium peritis, Judæis nempe *Judæam* incolentibus, compilatum fuit.

Quod ſomniorum venditores & oneirocriticos ſpectat; innumeræ fraudes ſub horum prætextu ſecurè præſtantur. In *Maaſar Sheni*, *fol.* 45. *col.* 2, 3. memoratur *R. Joſi ben Chalpatha*; uti & *R. Iſmael ben R. Joſi*, *R. Lazarus* & *R. Akibah*, ſomniorum nugis aſſidui. Plura ibidem recenſentur ab eis expoſita; quin & (prout ex aliquibus iſthic loci dictis conjectari liceat) diſcipulos ſuos in iſtiuſmodi literarum fucis inſtituere ſolebant. Benè ſanè *R. Akibæ* ſomniatori cum *Ben Cozibâ* convenit; hic unum genus, is alterum præſtigiarum negotiabatur. Fortean iſti ἐνυπνιαζόμενοι apud *Judæ Epiſtol. verſ.* 8. hujuſce ſæculi homines quoquomodo indigitant.

In *Shabbath*, *fol.* 3. *col.* 2. ſpectrum quoddam uni ex eorum Religioſis viſum fuiſſe dicitur dum Legi operam impenderit. *Ibid. fol.* 8. *col.* 2, 3. & *fol.* 14. 3. de pleriſque incantamentis agitur: ſc. de recitatione carminum ſuper vulnus ſanandum, de lege ſeu phylacteriis diſcumbenti admotis, de incantationum remediis in ſerpentes, oculum malum, &c. exercitis, & de ſimilibus. Cum *oculi mali* ſeu veneficii mentionem fecimus, id haud abs re erit, quod apud *Sanhedr. fol.* 18. *col.* 3. occurrit. *Viginti quatuor è Scholâ R. Judæ Lyddam profecti ſunt, ut anno intercalando adeſſent: introiit malus oculus, ex quo omnes ii diem obierunt.*

In *Sotah*, *fol.* 16. *col.* 2. certamen inter *R. Meir* & incantatricem deſcribitur, cui is ſuperior evaſit.

In *Sanhedrin*, *fol.* 25. *col.* 4. tria narrantur facinora מיני *hæreticis* vi magicâ effecta. Unum ad *Tiberiadem*, bina altera ad *Tſipporim*: etiam quartum adjiciunt *Romæ* geſtum: horum uno vel altero *R. Joshua* non modò paria feciſſe, ſed præcelluiſſe fertur. Quid iſti per *hæreticos* velint; utrum *Samaritanos* an alios, qui, relicto Judaiſmo, Chriſtianiſmum amplexi erant, tales verò quales ipſe Apoſtolus pſeudapoſtolos vocat, dubium eſt.

Quid multis? plurima ſunt quæ de *Bathcol* ſive *voce cælitus emiſſa*, inflatis ampullis prædicant, præſertim verò cum quorundam Doctorum nomina ſupra modum ampliare in animo habeant; conſule *Sotah*, *fol.* 24. *col.* 2. verum figmenta ſunt omnia: vel certè modò iſtiuſmodi vox emitti uſpiam videretur, id arti necromanticæ acceptum referri omnino oportet. Proh quam in ineluctabilem perniciem involuta eſt gens iſta, cujus Religio traditionum nugis & fabulis innixa, praxique magica ſuffulta ſit!

Hujuſmodi offuciis mantiſſæ loco adjiciendæ ſunt mendaces legendæ, ſeu commenta miraculorum, quæ *Rabbinis* aliiſque deliram

iſtam Religionem præcipuo zelo affectantibus falſo aſcribuntur. Quod genus mentiendi etiamſi levioris culpæ notam inurat, ex eodem tamen fabrili cum cæteris excuſa ſunt, inque eum finem inventa, quo vulgus proniore veneratione Doctorum perſonas, dogmata & memorias haberet. Pudet pigetque fabularum vel unicam recenſere: verum per iſtas præſertim affanias & aniles nugas ſtetit, ut Judæorum ſcripta pro deridiculo plerunque habenda ſint.

Denique, nec amplius addam, id Gentis infidelitati & pervicaciæ, immo menti obduratæ poſteris perpetuandæ plurimum contulit; quod canones & traditiones prout tunc temporis congeſſerant, liberorum fidei obnixe mandarent & obtruderent; *Miſchnam* præſertim à *R. Juda* conſtructam; & duplex *Talmud*, maximè *Babylonicum*. Hæc equidem ſcripta tanquam religionis normam & regulam, in hunc uſque diem aſſiduâ manu verſantur, Sectæ *Phariſaicæ* plerumque æmuli, vix uno jam inter Judæos *Karaitâ* reperiendo.

SECTIO X.

In quantum Judæi, in primordiis Chriſtianiſmi, eum vel infeſtârint, vel inquinârint.

NOn eſt ut Judæorum inimicitias in Euangelium, & fidelium gregem (quam primum facultas eſſet) graves, ex iterato repetam; res ipſa loquitur. Duplici quidem tabe Eccleſiam vitiarunt, utrâque ſat peſtifera & lethali, éque una Judaicorum ſcriptorum latrina ortum atque incrementum ducente; hinc nefariæ iſtæ hæreſes, primævæ fidei infeſtæ: hinc iſte mos allegorizandi, S. Scripturis indagandis haud magis utilis, ſi non æque noxius, ac abſurda ea traditionum farrago.

Quam exitioſæ hæreſes, etiam temporibus Apoſtolicis exortæ, Eccleſiam conſpurcârunt, hinc perfidis Judæis, illinc Apoſtatis toxica ſua propinantibus, utrinque pernicioſa, pluribuſque prævaricandi anſam inde arripientibus lethifera, ubertim ſupra oſtendimus, quum in Epiſtolis tractandis argumenti ratio id expectaret. Equidem diverſum venenum fuit, & diverſa malignitas, in hoc uno par tamen, quod de utroque certiſſimum lethum pleno hauſtu potaretur. Judæi infideles cum in exactiſſimum Legi obſequium mordacius inſiſterent, plurimos adeò ſpe juſtificationis per operum merita lactârunt, ut Judaiſmi tenaces ad extrema uſque perſtarent. Apoſtatæ verò æque toto cœlo errantes, & circa libertatem Euangelicam miſerrimè hallucinati, ad omnem licentiam diffluxerunt; auſi ex eis, quæ Idolis immolabantur, veſci; nec non ſcortis etiam ſe immiſcere. Hæc prima quidem hæreſium acies fuit, quæ in juſtificationem fidei, & probitatem vitæ militavit; verum non tota vis, aliæ inſuper errorum turmæ ſub his vexillis incedunt. Iſtiuſmodi ſunt, ſpes reſurrectionis prorſus exploſa, uti à *Sadducæis*; vel ſaltem eis omnibus abſciſſa, qui Judaiſmum abrenunciarint; Angelorum cultus, & quæcunque alia apud Apoſtolorum Epiſtolas paſſim occurrunt, quæ ut ante excidium *Hieroſolymarum* nata erant, ita poſt hæc nequaquam interierunt.

Quemadmodum *Simoni*, *Cerintho*, *Menandro*, *Ebioni*, *Baſilidi*, atque iſtiuſmodi hæreſiarchis natale ſolum, vel in *Judæa* erat, vel plerunque in locis Judæorum refertis, *Alexandrinus* enim fuit *Baſilides*, pari modo hæreſes ab ipſis patrocinium nactæ, aut è Judaiſmi radicibus germinarunt, aut ſaltem impietatis ſucco exinde derivato enutriebantur. Voce *Judaiſmi* hîc complector totum Religionis Judaicæ ſyſtema, utcunque in ſe diſſonæ, Chriſtianiſmo tamen ex adverſo ſemper poſitæ. Sub id tempus *Palæſtina* hujuſmodi ſectis ſcaturiit. I. *Phariſæorum*: quorum ſpecies diverſæ erant, ad minimum ſeptem, *Beracoth*, *fol.* 13. *col.* 2. *Sotah*, *fol.* 20. *col.* 3. II. *Sadducæorum*: quorum ſpecies ad minimum duæ. III. *Samaritanorum*. IV. *Eſſæorum*. *Baithuſæi* verò ſive *Sadducæis* ſive *Samaritanis* ut libet adnumerari poſſint. Atque ex hâc ſectarum diverſitate, quidni contrarietate dogmatum, omne genus pernicioſarum hæreſium ſuccreviſſe neceſſe eſt; præſertim cum invicem ad inſtar *Manaſſis* contra *Ephraim*, atque *Ephraim* contra *Manaſſem* pugnantes, contra tamen Chriſtianiſmum adunatis viribus perpetuo præliati ſint. *Baithuſæi* ſemel *Synedrio* illuſiſſe conati ſunt in re magna initii anni conſtituendi, *Roſh Haſhanah*, *fol.* 57. *col.* 4. *Phariſæos* dicteriis & ſcommate excipiunt *Sadducæi*, quod candelabra Templi lavarent, *Chagig. fol.* 79. *col.* 4. frequens inter utrumque excitatur *diſputandi* ſtrepitus, *Judaim*, *cap.* 4. *hal.* 7. dum interim *Samaritani* Judæis per omnia adverſati ſint. Cum itaque hi omnes veritati Chriſtianæ junctis inimicitiis oppugnent, quid mali omnino eſt, quod tanta vis ſceleribus perficiendis unita, non inter fidei lubricos & vacillantes diſſeminârit. Occurrunt quorundam hæreſiarcharum nomina haud rarò apud Talmudicos; dubium ſanè an ſint ipſiſſimi homines, v. gr. דוסתי *Doſitheus*, *Orlah*, cap. 2. hal. 5. אבין *Ebion*, *Hieroſol. Joma*, fol. 4. col. 3. סומכוס *Symmachus*, *Jebamm.* fol. 11. col. 3. *Chethub.* fol. 25. col. 3. nec non *Papiæ* nomen apud Talmu-

Talmudicos notum. Id ei nomen fuit, qui traditiones tanto cum zelo patrocinatus eſt, *Euſeb. Hiſt. lib.* 3. *cap.* 39.

Supra ad Epiſtolam II. ad *Theſſalonicenſes* adnotatum fuit, Judæos partim infideles partim apoſtatas morem primò geſſiſſe Antichriſto, *myſterio illo iniquitatis*, tunc temporis, cum Apoſtolus ſcripſerit, energiam ſuam prodenti; nec abs re erit præterea obſervare, eos quaſi unum impietatis ſodalitium uſque ad tempora *Conſtantini Magni* permanſiſſe in Judæa, ubi etiam ſcholarum ſucceſſiones eò uſque continuatas fuiſſe ſupra brevi dictum habuimus. Decreſcentibus verò ſcholis Judaicis, magis indies frequentantur tres illæ *Academiæ Babyloniâ* fundatæ; quarum ſcholæ virûmque eruditorum nomina innotuerunt non modò uſque dum abſolutum eſſet *Talmud Babylonicum*, circa æram *Chriſti* quingenteſimam, quinetiam donec altera pars *myſterii iniquitatis*, Antichriſti Papalis, apud *Babylonem* myſticam palam ſe fecerat. Nec dubium ſanè eſt quin ſicuti prior & poſterior *myſterii* pars unum integrum *Antichriſtum* conſtituunt, prioris nempe vicibus à poſteriore ſuſceptis quoad dehoneſtandam atque extirpandam veritatem, idque ab utroque ſub ſpecie & prætextu religionis; ita nimirum hic ab iſto plerunque errorum pandectas tanquam à debito anteceſſore recepit. Hujuſmodi ſunt, traditiones, fictitia miracula, legendæ, ritualia, meritorum, purgatorii, fidei implicitæ doctrinæ, aliaque plurima ex hoc fonte, quaſi ex propriâ & nativâ ſcaturigine, ab uno ad alterum derivata.

Porrò, ſecundo loco diximus, Judæos tam ſe quam poſteros, ne dixerim Eccleſiam Chriſti, corrupiſſe, more inducto, pro juſta S. Scripturæ interpretatione, obtrudendi allegorias; quem, proh dolor! ipſi Patres operam & oleum perdentes, multo Eccleſiæ diſpendio ſequuti ſunt. Profectò ex quâ potiſſimum officinâ hæc mutuarint ſat cuivis conſtabit, qui *Philonem Judæum*, ſive *Judaicum Derushim*, ſtringente tantum oculo verſatus ſit. Talmudici quidem plerunque diſputandi pruritum fovent; nonnunquam verò mentionem faciunt hujus vel illius Doctoris, qui hunc vel illum textum *Darash*, i. e. myſticè interpretatus ſit, & tum iſtiuſmodi nugas effutiunt. *Philo* de *Therapeutis* ſive *Eſſæis* differens eos hoc myſtico genere interpretandi olim uſos fuiſſe affirmat: verum quam proximè *Eſſæis* ſedes ſuas *Chriſtiani* poſuerunt, quum ex *Hieroſolymarum* ruinis profugerint, è *Plinio* & *Mela* præſertim videre eſt: hi enim *Eſſæos* in valle ſecus mare *Aſphalticum* (veterem *Kenitarum* ſedem) collocant. Præter hæc, non oblivisci debemus quod ante notatum eſt, ſcil. montes iſtos, quibus *Chriſtus* Diſcipulos ſuos ſe recipere monuerat, non alios fuiſſe; quam *Judææ Montanam*.

SECTIO XI.

Judæi, utut Chriſtianis offenſi, ne unicum quidem nobis mendoſum textum obtrudere in hunc uſque diem poterant.

NEceſſe nobis hîc erit Judæis crimen excutere, quod à nonnullis falſo eis impingitur: ac ſi textum quendam adulterinum in Chriſtianorum fraudem Veteri Inſtrumento ſuppoſuiſſent, quò in ipſo Religionis ſuæ limine pernicioſe offenderint. Id cum majores ſui in *Ptolomæum* Regem *Ægyptium* conati ſint, haud dubium eſt quin & ipſi auſum inceptarent, modò in ſuo eſſent arbitrio. Aſt nec fuit nec fieri potuit.

I. Res maximi momenti habenda eſt: atque idcirco Judæorum curæ & cordi erat, nè textuum puritas depravaretur. Quod Dominus noſter *Jeſus Chriſtus* prædixerat, *ne unum jota, nec unum apicem Legis præteriturum*, id Judæi ipſi, de eâ re ſummopere ſolliciti, ſemper caverunt. Prolixum nimis eſſet, hîc *Maſoritarum* in hâc re aſſiduitatem recenſere; qui nè unum apicem neque mutarunt nec addiderunt, neque commenti ſunt, quin cuncta, prout ad manum eſſent, notari, ſedulò & anxiè curarunt, poſteriſque eo modo mandari, quo nihil inde immutari omninò poſſet. Teſtes ſunt Judæorum expoſitiones, quæ veritatem utriuſque clauſulæ iſtius ſententiæ à *Chriſto* allatæ, abundè firmabunt. Ἰῶτα ἓν ἢ μία κεραία: Ἰῶτα ἕν. Proculdubio *Chriſtus* Judæorum linguâ uſus, literam *Jod* omnium prorſus minutiſſimam, hîc intelligit: circa quam literam *Talmud Hieroſolymitanum* hæc habet. *Sanhedrin*, fol. 20. col. 3. *Liber Miſchnæ Torah* (h. e. Liber *Deuteronomii*) *ſe coram Deo projiciens dixit, ſempiterne Deus, tu me ſcripſiſti Legem tuam. Teſtamentum in una parte mutilatum, de integro caſſatur: en verò Solomon Jod de me obliterari ſtuduit*, ſcil. *in iſtâ clauſulâ* לא ירבה נשים *uxores tibi ne multiplicato. Dixit Sanctus Deus Benedictus, Solomon atque mille iſtiuſmodi hominum deficient, verum verbum unicum de te non deficiet. R. Honnah in nomine R. Achæ dixit, Jod iſtud, quod Benedictus Deus è matris noſtræ Saræ nomine ſuſtulerat, is dimidium Saræ & dimidium Abrahamo dedit. A R. Hoſhaja traditur; venit Jod & coram Deo procumbens dixit: ſempiterne Deus, tu me ſuſtuliſti è nomine mulieris juſtæ, dixit Sanctus Deus Benedictus, olim ego te ad finem nominis fœminæ poſueram; in poſterum verò tu in initio nominis viri locum habebis. Hoc eſt, quod ſcriptum eſt, Moſes nomen Hoſheæ vocavit Jehoſhuam.* Μία κεραία, propriè

propriè apiculos iſtos ſignificat, qui literas ſibi invicem ſimiles diſtinguunt. Hæc ex ſequente paraphraſi utcunque alias nugaci & frivolâ liquidius patent. *Tanchuma*, fol. 1. *Scriptum eſt*, inquit ille, לא תחללו את שם קדשי *ſanctum nomen meum non profanabis*; *qui* ח *Cheth in* ה *He mutarit*, *deſtruit mundum*: in hunc enim ſenſum vertit, ſanctum meum nomen non laudabis. *Scriptum eſt* כל הנשמה תהלל יה *omne quod ſpirat Deum laudet*; *qui* ה *He in* ח *Cheth mutarit*, *deſtruit mundum*: in hunc enim ſenſum vertit, omne quod ſpirat, Deum profanet. *Scriptum eſt*, יכחשו ביהוה *Jehovæ mentiebantur*; *qui* ב *Beth in* כ *Caph mutarit*, *deſtruit mundum*: in hunc enim ſenſum vertit, mentiebantur ad inſtar Jehovæ. *Scriptum eſt* אין קדוש כיהוה *nemo ſanctus ſimilis Jehovæ*; *qui* כ *Caph in* ב *Beth mutarit*, *deſtruit mundum*: in hunc enim ſenſum vertit, nulla eſt ſanctitas in Jehovâ. *Scriptum eſt* יהוה אלהנו יהוה אחד *Jehovah noſter unus Jehovah*; *qui* ד *Daleth in* ר *Resh mutarit*, *deſtruit mundum*: in hunc enim ſenſum vertit, Jehovah noſter alienus Jehovah eſt, &c. Plura de literâ *Jod* videre eſt in *Chagig. fol.* 77. *col.* 3. uti etiam in *Midraſch Tillim* in *Pſalm.* 114. in *Deuter.* 32: 18. Literula hæc etiam ſeipſa minor ſcribitur in voce תשי: & tamen quoad iſtam minutiorem ſcriptionem immutata perſtitit, atque ita à *Maſoretis* notatur.

II. Veruntamen quam ſedulam cunque in hac re curam Judæi adhibuerunt, non impedit quò minus, pro incuria vel inſcitiâ tranſcribentium, exemplaria ſparſim depravata in aliquorum manus inciderint. Quæſtio agitur in *Shabb. fol.* 15. *col.* 2. de numero mendarum in aliquâ parte Bibliorum, ex quo fas vel nefas ſit iſtam Bibliorum partem verſari. *Modò Hagiographa*, inquiunt, *per unamquamque paginam bis vel ter corrumperentur*, מתקנו וקורא בו *Lector ipſe corrigat & legat*. *Hagiographorum* lectio in Synagogis non permiſſa erat, verùm Legis & Prophetarum duntaxat: hæc itaque de lectione domeſticâ, & de Bibliis privatis intelligi debent, quæ modò mendis ſcateant, ab exemplaribus purioris notæ emendari, atque in uſum ſumi oportent. Quin immò mentionem habemus depravati exemplaris etiàm in archivis ſepoſiti, *Taanith*, fol. 68. col. 1. *Reperti ſunt tres libri in atrio Templi*, *liber* מעוני : *liber* זעטוטי *& liber* היא. *In uno ſcriptum invenerunt* מעון אלהי קדם, *verum in duobus alteris ſcriptum fuit*, מעונה אלהי קדם (*Deut.* 33: 27.) *uno itaque rejecto*, *binos alteros ut authenticos probant*. *In uno ſcriptum*, וישלח את זעטוטי בני ישראל, *in duobus verò ſcriptum* וישלח את נערי בני ישראל (*Exod.* 24: 5.) *uno itaque rejecto*, *binos alteros probant*. *In uno ſcriptum* תשע היא, *in duobus verò* אחת עשרה היא, *uno itaque rejecto binos alteros probant*. Iſtam mutationem זעטוטי ſecundo loco poſitam *Gemariſtæ Babylonici*, uti & *Maſſecheth ſopherim*, *cap.* 1. notant tanquam unam ex eis tredecim, quas LXXII. *Ptolomæo* Regi *Ægyptio* obtruſerunt. Unde conjecturæ locus eſt, eos non ſolummodo Græcam verſionem feciſſe, in qua mille ferè variationes occurrunt; verum etiam unum exemplar Hebraicum Regi tradidiſſe, in quo ſupra memorata σφάλματα irrepſerant; cujus exemplaris tranſcriptum fortean in atrio Templi repertum fuerat.

III. In unaquaque Synagoga recondebatur exemplar integerrimum, nec non unicuique curæ fuit, Biblia ſibimet limpidiſſima ſummo pretio nanciſci, quod ex regulis ſuper hanc materiam, etiam ad affectationem factis abundè conſtat: conſule *Maſſecheth ſopherim* nuper citatum, & *Megillah*. In hoc jactitârunt, ſuamque ſibi præcipuam gloriam æſtimarunt: ſummo itaque ſtudio & diligentia ſemper cavebant, ne dum legerentur Lex & Prophetæ in Synagogis, in ſingulo quovis apiculo lectores hallucinati ſint; eiſque Miniſter præpoſitus fuit, qui ſumma cura inſpiceret, ut omnia rectiſſimè pronuncient; ex quo, uti *Aruch* innuit, nomen ei *Chazan*, i. e. *Epiſcopus*, ſive *ſuperintendens*. Apud *Hieroſol. Sotah*, fol. 21. col. 3. Judæi *Samaritanos* ſugillant, ac ſi Pentateuchum inter ſe receptum ex induſtria corrupiſſent. *R. Eliezer ben R. Simeon dixit*; *dixi ſcribis Samaritanis*, *vos nullo vobis emolumento Legis veſtræ falſarii eſtis*: *Etenim ſcriptum eſt in Lege veſtra*, ad planitiem Moreh, quæ eſt Sichem. *Verum an non palam eſt*, *planitiem iſtam Sichem eſſe*, *etiamſi quis id non addiderit? Vos verò*, *non prout nos à pari interpretamini*: *dicitur hic* planities Moreh, *dicitur etiam alibi* planities Moreh, *iſthic non alia eſt quam Sichem*, *ita neque hic*. Additio iſta, *quæ eſt Sichem*, quam Judæi objurgant, apud *Pentateuchum Samaritanum*, quod hodie extat reperienda eſt, ad *Deuter.* 11: 30. Verum enim verò inter fœdiſſima, quæ *Chriſtus* ſive Apoſtoli Judæis objecerunt, nihil habemus quoad textuum depravationem. Fateor ſanè eos haud rarò rem & ſenſum loci prævaricationibus ſuis colludentes, verbum Dei irritum feciſſe, quod iteratò eis exprobratum videre eſt: verùm de immutatâ uſpiam vel unicâ literulâ, ne γρῦ quidem.

IV. Dato ſed non conceſſo Judæos in animo habuiſſe per interpolationem Sacrorum Bibliorum, Chriſtianis ex induſtria fraudem feciſſe; in eis verò id non ſitum, nec in eorum omninò arbitrio fuit. Etenim I. In unaquâque Synagogâ Judæi Bibliorum exemplar omni nævo & maculâ purgatum ſeponi curarunt,

Digitized by Google

rârunt: cum itaque tot exemplaria extiterint, quæ omne genus fuci dolive facilè detectura eſſent (ſaltem niſi univerſim pari modo depravarentur) quî pote iſtiuſmodi fraus ſeu textuum corruptio deliteat? Præſertim cum innumeri è Synagogis, tam præfectorum quam plebis gregariæ, Euangelium amplexi ſint. II. Plurimi etiam inter doctiſſimos v. gr. *Joſephus Arimatheenſis*, *Nicodemus*, *Paulus*, atque è Sacerdotio haud pauci, quibus leviſſima depravatio textûs æque ac ſagaciſſimis quibuſque facilè ſuboleret, cum iſti in Chriſtianorum album ſemel aſcripti ſint, (& certè numerus iſtiuſmodi egregiorum hominum indies crevit) hos exemplaria probatiſſimæ fidei ſibiipſis tenaciſſimè aſſervare velle nullus dubito.

V. His addi liceat, quòd eadem Dei Opt. Max. invigilantia, quæ Eccleſiam per omne ævum cuſtoditura eſt, Sacras etiam Scripturas integras omninò & illibatas ſervavit. Quem penes eſt totum, in eo itidem ſitum eſt, ſingulam portiunculam aſſerere, ita ut ne apiculus quidem defecerit.

SECTIO XII.

De futurâ Judæorum Converſione.

EX his itaque, quæ hactenus de ſtatu Judaico ab Urbis excidio diſſeruimus, palam fit, in quo potiſſimum conſtat ultio Divina Genti iſti inflicta. Sc. Deus repudio eos remiſſos, atque invictâ obduratione perculſos, ut ne amplius ſuum eſſent peculium prorſùs rejecit. Certè ex infinitâ ſtrage ad obſidionem *Hieroſolymarum*, & calamitosâ Urbis & populi clade apparuit, Judæos præ aliis horribiles pœnas dediſſe: verum quid hæc ad obſtinatam duritiem cordis & putidam cæcitatem, quæ jam plus annis mille & ſexcentis eorum oculos miſerrimè præſtrinxit! Equidem horum majores, cum per 70. annos *Babylonicam* ſervitudinem ſerviiſſent, tum demum patriæ reduces fiunt, tanquam ſat idololatriæ, homicidii aliorumque ſcelerum pœnis affecti. Hi verò (proh perditum hominum genus!) cum jam ſeptuaginta annorum ſpatium vicies repetitum excurrerit, à quo primam infidelitatis mercedem reportârunt; nihilo ſecius eodem adhuc callo obducti perſiſtunt, nec poſt tam longam ſæculorum ſeriem, ſpes ulla mores in melius mutandi affulſit. Eadem adhuc eis mens cæca traditionibus innixa; eadem ſalutis ſpes & fiducia ex operibus Legis; eadem ſui faſtuoſa opinio, ac ſi Deo eſſent chariſſimi; eadem venturi *Meſſiæ* ſpes & exſpectatio; eadem *Meſſiæ* jamdudum revelati aſpernatio & odium; eadem denique, quæ in primordiis Euangelii, (cum *Chriſtum Jeſum* cruci affigendum adeò ægre ſudârint) veritati uſque in hunc diem tergiverſatio, ac inflexa inimicitiarum aſſiduitas. Genus hominum ſunt, olim ſub titulo *Antichriſti* paſſim in N. Inſtrumento deſcriptum, qui ejus imaginem uſque etiam adhuc gerunt.

Sanè religio mihi eſſet à communi ferè Chriſtianorum ſententiâ abſcedere, dum modò adeò benevolè ſe ſperare profeſſi ſint, univerſam olim fore Judaicæ gentis redintegrationem; verum ut Judæi ad unum omnes (quod ſentiunt nonnulli) in ovile tandem cogi debeant, id vix poſſum non in dubium vocare. De hâc itaque re animadverſuris, ſc. de Judæorum reductione poſt tamdiu exercitam in Euangelium Euangeliique autorem iniquiſſimam rabiem, neceſſe nobis eſt hæc quæ ſequuntur, paulò æquius perpendere. I. Euangelii veritas univerſæ Genti Iſraëliticæ, tam decem Tribubus, quam ipſis Judæis amplexanda patebat, haud minore eis indultâ exhibitione ac Gentilibus quibuſque; atque id primævis Apoſtolorum uti & ſuccedentium ſæculis: de Judæis nullus dubito; de cæteris haud magis; ſaltem ſi eorum delicta in memoriam revocemus, quorum ut pœnas luerent, patriæ extorres & palabundi jure exulârunt: & tamen ſalutis doctrina quaquaverſum diſſeminata regiones iſtas, in quas Tribus illæ diſperſæ fuerant, indiſcriminatim attigit. Quum ii itaque oblata beneficia adeò obſtinatò reſpuerint, vix equidem credibile eſt, tantam eis reſervari clementiam, ut ex poſtliminio in ſua uſpiam revocari contigerit. Equidem gentes ipſæ Euangelium ſemel inter ſe receptum, ſuſque deque poſtea habentes, lumine ejus meritò orbatæ in æternum ſunt, & ad pejorem ſtatum redactæ quam *Tyrus* vel *Sidon*. II. Non inficias eo, quin fœdus iſtud quod cum eorum majoribus pepigerat Deus, nonnullius momenti in hâc quæſtione diſcutiendâ haberi debeat, cujus itaque Apoſtolus ipſe hanc rem ventilaturus, mentionem facit, *Rom*. 11: 28. Quid verò? Duplici fœdere Deus cum patribus tranſegit; ſc. fœdere gratiæ, & fœdere peculiari modo cum Judæis inito. In poſteriore intuemur prioris duntaxat adminiſtrationem. Prius, Adamo factum erat, inque gratiam univerſi humani generis, quoſcunque *Chriſtus* pro ſuo ſemine habuerit; eorum ſc. tam præ, quam ſub & poſt legis œconomiam, h. e. Judæorum ſimul & Gentilium. Diſpenſatio verò *Moſaica* iſtiuſmodi fuit fœderis gratiæ adminiſtratio, quâ gens Iſraëlitica in peculium Dei aſcriberetur. Veruntamen ut Judæi ex hujuſmodi fœderatione cum Patribus tranſactâ, Deo ſe appropriârint, utcunque id multo cum ſupercilio in ſe adhuc receperint, quo jure tamen, nobis non conſtat; cum ſub œconomiâ Euangelicâ omne prorſus inter Judæos Genteſque diſcrimen antiquari oportuit.

Neque

Neque hæc tamen impediunt quo minus plurimi gratuitæ electionis fructum accepturi ſint, utcunque Deus eis univerſam vocationem nequaquam dignetur. III. Fœlix fauſtumque Ethnicis auſpicium videri potuit, eoſque in Eccleſiam Dei olim cooptandos ex hoc conjectari licuit, quòd tot proſelyti Judaiſmum indies amplexi ſunt, priuſquam per Euangelii promulgationem ampliati eſſent Eccleſiæ limites: fertur quòd imperante *Solomone*, cum anguſtiore admodum ſphærâ religio circumſcriberetur, in Judaiſmum coaluiſſe exterorum centum quinquaginta tria millia. Judæorum verò proh quam pauciſſimi per tot ſæcula exhibitam *Chriſti* gratiam æqui boni conſuluerunt, etiamſi multò facilius poſſent! Crimen infidelitatis, ex quo ii Deo prorſus rejectanei ſiunt, multò vehementius eos urit, quam id ex quo Ethnici præteriebantur, atque id propter, ſub inflexiore jam mentis obduratione retenti ſunt; immò, quod obſervatu dignum eſt, culpabiliores erant duæ Tribus, quam reliquæ decem. IV. Quum in N. T. paſſim primævi iſti infideles, *Antichriſti* nomen & ſpeciem ferant, & quum eodem ſpiritu actam eorum progeniem ad hunc uſque diem experti ſimus, vix mihi apparet quo jure univerſa Judæorum converſio ſperari debet, niſi & *Antichriſti* ſtirpem in gratiam de integro reverſuram unà expectare licuerit. Fœlix equidem nobis experimentum fecerunt noviſſima hæc ſæcula, in quibus tot eximiæ ditiones jugum Papalis *Antichriſti* excuſſerunt; dum interim *Antichriſtus* etiamnum viret vigetque, ejuſque exitus haud adeò in univerſâ converſione, ac in perditione exitioſâ conſpicuus erit. Pari modo de Judæis in hâc re cenſendum eſt; eorum ſcilicet fortaſſis innumeri Chriſtianæ fidei tandem acceſſuri ſunt, haud ſecus ac Eccleſiæ pars reformata à Papiſmo ſeceſſit; interea verò credibile eſt plurimos in infidelitate, inimicitiis, & blaſphemandi petulantiâ ad extremum uſque perduraturos, qui unà cum *Antichriſto Romano* πανωλεθρίως delendi ſunt. Nec eſt quòd hæc S. Scripturarum ſano ſenſui quoad vocationem Judæorum adverſari vereamur, quin explicatiorem reddunt. Locus iſte celebratiſſimus, in *Epiſtola ad Romanos*, *Cap.* 11. hujuſmodi limitationes præ ſe fert. Quod ex contextu & occaſione argumenti iſthic ſuſcepti, ſat liquet. Scopus loci haud is videtur quaſi Apoſtolus *Judæos* in fidem olim univerſim reverſuros oſtenderet; nequaquam: verum ut demonſtraret potius eos non adeò prorſus repudiatos eſſe, quin poſſibile eſt ex eis aliquot ſaniorem animum quandoque recipere. Hinc *reſiduum relictum* eſſe contendit, *verſ.* 5. atque *electos obtinuiſſe dum reliqui occalluerunt*, *verſ.* 7. nec non *obdurationem ex parte Iſraëli eveniſſe*, *verſ.* 25. Et hoc totum illud *Myſterium* videtur, de quo hîc tractat; nequaquam vero (prout hallucinantur nonnulli) generalis neſcio quæ *Judæorum* converſio. Myſterium illud profectò eſt! Deum unquam populum ſuum tam ſolenni fœdere conſtrictum, adeò prorſus repuliſſe, ut iſti jam, qui quondam ſoli præ cæteris omnibus lucis beneficium adepti fuerant, in tenebris cæci agerent, Genteſque ex occaſione occæcationis Judæorum illuminatæ eſſent. Notatu dignum eſt id, quod tam hîc quam alibi paſſim apud Epiſtolas occurrit; Deum nempe Judæos plerunque prius abdicâſſe, quam Urbs ipſa in hoſtium manus ceſſerat: iſtam verò abdicationem in inſigni illâ *Hieroſolymarum* ſtrage omnibus conſpicuam fieri. Hæc ex primâ ad *Theſſal.* (quam equidem primò omnium Epiſtolarum Apoſtolus ſcripſit) adeò liquidò conſtat, ut pluribus hærere non opus ſit: vide 1. ad *Theſſalon. Cap.* 2: 15, 16. Haud equidem permagni intereſt tempus, quo Deus primò eos rejecit, præciſè diſcutere: utrum immediatè à *Chriſti* crucifixione, an ex promulgatione Euangelii primò inter Gentes permiſſâ, parum refert. Sat nobis obſervare impræſentiarum eſt, eos adeò in primo ortu lucis Euangelicæ abjectos fuiſſe, ut Apoſtolus de eorum converſione tractans eam tam in primævis Chriſtianiſmi incrementis, quam in futuris ſæculis eventuram oſtendit. Ait eorum *abjectionem fuiſſe Gentium opulentiam & mundi reconciliationem*, atque *ipſorum plenitudinem* multò magis Gentes aucturam, & *quaſi vitam ex mortuis fore*. Verum in voce *plenitudinis* non hîc univerſum populum Judaicum complectitur, ſed numerum electorum, quem, inter alios, Judæi ad ſanam mentem reverſi, complerent. Rejectio Judæorum Gentes locupletat, eo quòd exinde Gentibus permiſſum fuit ut in peculium Dei conſciſcerentur: cum verò ii omnes, qui ex Judæis reſipiſcentiæ reſervantur, Eccleſiæ acceſſerint, corpuſque unum abſolutis ſuis numeris perfecerint, multò opulentiores tum Gentes evaſuræ ſunt. Atque hic omninò Apoſtoli ſcopus & inſtitutum in hoc tractatu æſtimari debet; à quo, toto equidem cœlo errare videntur, qui Judæorum vocationem ad plenitudinem Gentium rejiciunt. Verum fateor, Apoſtolus affirmat *obdurationem ex parte Iſraëli eveniſſe*, *verſ.* 25. nec non prædixit Dominus noſter Jeſus Chriſtus, *urbem Hieroſolymarum calcari à Gentibus debere uſque quò impleantur tempora Gentium*, *Luc.* 21: 24. Atqui hæc perditam Urbis deſolationem deſignant, uti & eorum irreparabilem occæcationem, qui eò occalluerunt. *Hieroſolymarum* verò inſtaurationem Gentium numero impleto (prout Judæi nugantur) ſive Judæos à cæcitate ſuâ liberatos, in Eccleſiam Euangelicam univerſim inſerendos ſomniare,

fruſtrà

fruſtra quidem & de nihilo eſt. Quid iſti de mundo ſentiunt? Immò verò quam expreſſè huic putidulæ humani generis diſcriminationi refragari videtur Euangelii veritas? Fruſtra eſſet aliò exempla petere, quum ipſe Apoſtolus loco ſupradicto per totum oſtenderit, tam Judæos quam gentes, qui in electione gratuitâ ſortem ſuam nacti ſint, unum duntaxat corpus compingere. Quin & id quod univerſæ Judæorum vocationi aſtruendæ ſæpius allegatur, *& tunc univerſus Iſraël ſervabitur*, nil amplius vult. Quocirca etiamſi ſperandum eſt, innumeros è ſtirpe Judaicâ, Antichriſtianæ caliginis profundo tandem emerſuros, luciſque Euangelicæ fæliciſſimè potituros: ut verò eorum gens univerſa, diſſipatâ omni *Antichriſtianiſmi* fuligine, fidem olim amplexura ſit, idque non uſquedum *Antichriſtus Papalis* longa plagarum ſerie contritus corruerit; gentiumque plenitudo conſummata ſit (prout ſententiam ſuam venditârunt nonnulli) gratis dictum videtur, & S. Scripturarum fulcro eget.

INDEX

Librorum & Capitum, quæ in Harmonia & Chronicis Veteris Teſtamenti paſſim exponuntur & elucidantur.

EUANGELIUM MATTHÆI.

CAP. I. totum. *Chriſti Genealogia è Salomone per patrem ejus putativum Joſephum. Mater illius temerè Adulterii ſuſpecta, in diſcrimen divortii venit.* Pag. 2 col. 2

Cap. II. totum. *Chriſtum Magi adorant, perdere inſtituit Herodes: Chriſti in Ægyptum fuga.* 4 col. 1

Cap. III. à verſu 1. ad verſum 13. *Cœpit Euangelium in Miniſterio & Baptiſmo Johannis.* 7 col. 1

Cap. III. à verſu 13. ad finem. 9 col. 1

Cap. IV. à principio ad verſum 12. *Pugna inter ſemen mulieris & Serpentem.* ibid. col. 2

Cap. IV. verſ. 12. *Chriſtus apud fontem Jacobi: Samaritanos convertit: Ægrotum ſanat, &c.* 12 col. 2

Cap. IV. verſ. 13, 14, 15, 16, 17. *Chriſtus Capernaumi in finibus Zabulon & Napthalim, &c.* 13 col. 2

Cap. IV. verſ. 18, 19, 20, 21, 22. *Petrus & Andreas &c. Piſcatores hominum conſtituti.* 14 col. 1

Cap. IV. verſ. 23, 24, 25. *Tertia peragratio Galilææ.* 16 col. 2

Cap. V. verſ. 1. *Duodecim Apoſtoli conſtituti.* 19 col. 2

Cap. V. VI. VII. *Concio in monte habita.* 20 col. 2

Cap. VIII. verſ. 1. & tum verſ. 5. ad verſum 14. *Centurionis ſervus ſanatur.* Pag. 21 col. 2

Cap. VIII. verſ. 2, 3, 4. *Leproſus ſanatur* 17 col. 1

Cap. VIII. verſ. 14, 15, 16, 17. *Dæmon ejectus in Synagoga Capernaumi. Socrus Petri, aliique ſanati.* 15 col. 1

Cap. VIII. verſ. 18, 19, 20, 21, 22. *Scribæ Chriſtum ſequuturus.* 26 col. 1

Cap. VIII. à verſu 23. ad finem, & Cap. IX. verſ. 1. *Sedatur per Chriſtum tempeſtas maris; ejectaque Dæmonum Legio, &c.* ibid. col. 2

Cap. IX. à verſu 2. ad verſum 10. *Paralyticum ſanat Chriſtus: remittit peccata: Matthæum vocat.* 17 col. 1

Cap. IX. à verſu 10. ad verſum 18. *Levi convivium: De jejunando, &c.* 27 col. 1

Cap. IX. à verſu 18. ad verſum 27. *Sanguinis profluvium ſanatur. Jairi filia vitæ reſtituta.* ibid. col. 2

Cap. IX. à verſu 27. ad verſum 35. *Duo cæci, nec non mutus & dæmoniacus ſanantur.* 28 col. 1

Cap. IX. verſ. 35, 36, 37, 38. *Alia Galilææ peragratio.* 28 col. 2

Cap. X. totum & Cap. XI. verſ. 1. *Duodecim Apoſtoli ad prædicandum emiſſi.* 29 col. 1

Cap. XI. à verſu 2. ad verſum 20. *Johannis ad Chriſtum nuncium. Chriſti de Johanne Teſtimonium.* 22 col. 1

Cap. XI. à verſu 20. ad finem. *Chorazin & Bethſaida increpantur.* ibid. col. 2

Cap. XII. ab initio ad verſum 15. *Diſcipuli*

puli ſpicas vellunt. Manus arida ſanatur die Sabbati. Pag. 19 col. 1.

Cap. XII. à verſu 15. ad verſum 22. *Permagna turba Chriſtum ſequitur: Qui omnes ad eum venientes ſanat.* ib. col. 2

Cap. XII. à verſu 22. ad verſum 46. *Ejicitur Dæmon: Chriſtus Beelzebub vocatur. Blaſphemia Spiritus S.* 24 col. 2

Cap. XII. a verſu 46. ad finem. *Mater & Fratres Chriſti quærunt eum, &c.* 25 col. 1

Cap. XIII. ab initio ad verſum 54. *Parabola ſeminantis: & aliæ Parabolæ.* ibid. col. 2

Cap. XIII. verſ. 54, 55, 56, 57, 58. *Chriſtus Nazarethæ: ibidem quidam in eo offenſi.* 28 col. 2

Cap. XIV. ab initio ad verſum 13. *Johannes decollatur. Diſcipuli ejus Chriſtum adeunt.* 29 col. 2

Cap. XIV. à verſu 13. ad finem. *Quinquies mille miraculoſe paſcuntur. Chriſtus ſuper mare ambulat.* 30 col. 1

Cap. XV. totum. & Cap. XVI. à principio ad verſum 13. *Impiæ Scribarum & Phariſæorum traditiones: ſanantur filia Cananææ, ut & mutus & ſurdus. Quater mille miraculoſe paſcuntur. Phariſæi ſignum poſcunt, &c. Eorum fermentum, &c.* 31 col. 1

Cap. XVI. à verſu 13. ad finem. *Claves regni Cælorum traditæ Petro, &c.* 32 c. 1

Cap. XVII. ab initio ad verſum 24. *Chriſtus transformatur. E puero ejicitur Dæmon.* 33 col. 1

Cap. XVII. verſ. 24. 25. 26, 27. *Pecuniam ſolvit Chriſtus miraculo partam.* 34 c. 1

Cap. XVIII. totum. *Diſceptatur quis eſſet major. Quidam Dæmonia ejicit, qui Chriſtum non ſequitur. Dic Eccleſiæ, &c.* ibid. col. 2

Cap. XIX. ab initio ad verſum 13. *Chriſtus trans Jordanem: de repudiis.* 40 c. 2

Cap. XIX. a verſu 13. ad finem. *Ad Chriſtum infantes adducti: dives quidam contriſtatus abiit.* 41 col. 1

Cap. XX. ab initio ad verſum 17. *Operarii in vinea, &c.* ibid. col. 2

Cap. XX. verſ. 17, 18, 19. *Chriſtus perpeſſiones ſuas prædicit.* 42 col. 1

Cap. XX. à verſu 20. ad verſum 29. *Petitio filiorum Zebedæi: Martyrium eorum prædicitur.* ibid. col. 1

Cap. XX. à verſu 29. ad finem. *Cæcus ſanatur.* Pag. 42 col. 2

Cap. XXI. à principio ad verſum 17. *Chriſtus aſino inſidens Hieroſolymam ingreditur.* 44 col. 1

Cap. XXI. à verſu 17. ad verſum 23. *Ficus maledicta.* 45 col. 1

Cap. XXI. à verſu. 23. ad finem. *Chriſtus in Templo de Johannis Baptiſmo quærit. Parabola de vineâ, &c.* 46 col. 1

Cap. XXII. ab initio ad verſum 15. *Nuptiarum Parabola.* ibid. col. 1

Cap. XXII. à verſu 15. ad finem. Et Cap. XXIII. totum. *Tributum Cæſari. Reſurrectio è Lege confirmata. Mandatum maximum. Chriſtus Davidis filius. Væ Scribis & Phariſæis.* ibid. col. 1

Cap. XXIV. & XXV. tot. *Chriſtus Hieroſolymorum excidium prædicit: ſigna & calamitates tum quæ præceſſere, tum quæ adjungebantur.* 47 col. 2

Cap. XXVI. ab initio ad verſum 14. *Cænatum Bethaniæ, ibidem Chriſti caput inungitur binas noctes ante Paſcha: tunc Chriſtus Diſcipulorum pedes lavat: Judæ intinctam offulam dat, in quem intrat diabolus.* 48 col. 2

Cap. XXVI. verſ. 14, 15, 16. *Satanas in Judam introit: De proditione Domini ſui tranſigit.* 50 col. 1

Cap. XXVI. à verſu 17. ad verſum 30. *Paſcha edit Chriſtus: Euchariſtiam inſtituit, &c.* ibid. col. 2

Cap. XXVI. à verſ. 30. ad finem. & Cap. XXVII. totum. *Chriſtus prehenditur: ſiſtitur ad tribunal: ipſius mors & ſepultura.* 52 col. 1

Cap. XXVIII. ab initio ad verſum 16. *Chriſti reſurrectio: prima apparitio, viz. Mariæ Magdalenæ.* 58 col. 1

Cap. XXVIII. verſ. 16. *Tunc undecim Diſcipuli, &c. Quinta apparitio ſeptem ſcilicet Apoſtolis ad mare Tiberiadis, &c.* 60 col. 1

Cap. XXVIII. à verſu 17 ad finem. *Sexta apparitio in monte Galilææ undecim facta, & quingentis aliis.* ibid. col. 2

EUANGELIUM MARCI.

Cap. I. à verſu 1. ad verſum 9. *Cæpit Euangelium in Miniſterio & Baptiſmo Johannis.* 7 col. 1.

Cap.

Digitized by Google

Cap. I. verſ. 9, 10, 11. Pag. 9. col. 1
Cap. I. verſ. 12, 13. *Pugna inter ſemen mulieris & ſerpentem.* ibid. col. 2
Cap. I. verſ. 14. *Chriſtus in Synagoga Nazaretha prædicans in periculum vitæ ſuæ venit.* 13 col. 1
Cap. I. verſ. 14, 15. *Chriſtus Capernaumi in finibus Zabulon & Napthalim, &c.* ibid. col. 2
Cap. I. verſ. 16, 17, 18, 19, 20. *Petrus & Andreas, &c. Piſcatores hominum conſtituti.* 14 col. 1
Cap. I. à verſ. 21. ad verſum 40. *Dæmon ejectus in Synagoga Capernaumi. Socrus Petri, aliique ſanati.* 15 col. 1
Cap. I. à verſu 40. ad finem. *Leproſus ſanatur.* 17 col. 1
Cap. II. ab initio ad verſum 15. *Paralyticum ſanat Chriſtus: remittit peccata: Matthæum vocat.* ibid. col. 1
Cap. II. à verſu 15. ad verſum 23. *Levi convivium: de jejunando, &c.* 27 col. 1
Cap. II. à verſu 23. ad verſum 7. Capitis III. *Diſcipuli ſpicas vellunt. Manus arida ſanatur die Sabbati.* 19 col. 1
Cap. III. à verſu 7. ad verſum 13. *Permagna turba Chriſtum ſequitur: Qui omnes ad eum venientes ſanat.* ibid. col. 2
Cap. III. à verſu 13. ad medium verſus 19. *Duodecim Apoſtoli conſtituti.* ibid. col. 2
Cap. III. à poſteriore clauſulâ verſus 19. ad verſum 31. *Ejicitur Dæmon: Chriſtus Beelzebub vocatur. Blaſphemia Spiritus Sancti.* 24 col. 2
Cap. III. à verſu 31. ad finem. *Mater & Fratres Chriſti quærunt eum, &c.* 25 col. 1
Cap. IV. ab initio ad verſum 35. *Parabola ſeminantis: & aliæ Parabolæ.* ibid. col. 2
Cap. IV. verſ. 35. *Scriba Chriſtum ſecuturus.* 26 col. 1
Cap. IV. à verſu 36. ad finem, & Cap. V. ab initio ad verſum 22. *Sedatur per Chriſtum tempeſtas maris: ejectaque Dæmonum Legio, &c.* ibid. col. 2
Cap. V. à verſu 22. ad finem. *Sanguinis profluvium ſanatur. Jairi filia vitæ reſtituta.* 27 col. 2
Cap. VI. verſ. 1, 2, 3, 4, 5, 6. *Chriſtus Nazarethæ: ibidem quidam in eo offenſi.* 28 col. 2
Cap. VI. verſ. 7, 8, 9, 10, 11. *Duodecim Apoſtoli ad prædicandum emiſſi.* Pag. 29 col. 1
Cap. VI. à verſu 14. ad verſum 30. *Johannes decollatur. Diſcipuli ejus Chriſtum adeunt.* 29 col. 2
Cap. VI. à verſu 30. ad finem. *Quinquies mille miraculoſè paſcuntur. Chriſtus ſuper mare ambulat.* 30 col. 1
Cap. VII. totum, & Cap. VIII. à principio ad verſum 22. *Impiæ Scribarum & Phariſæorum traditiones: Sanantur filia Cananææ, ut & mutus & ſurdus. Quater mille miraculoſè paſcuntur. Phariſæi ſignum poſcunt, &c. Eorum fermentum, &c.* 31 col. 1
Cap. VIII. verſ. 22, 23, 24, 25, 26. *Cæcus Bethſaidæ ſanatur.* 32 col. 1
Cap. VIII. à verſu 27. ad finem. Et Cap. IX. verſ. 1. *Claves regni Cælorum traditæ Petro, &c.* ibid. col. 1
Cap. IX. à verſu 2. ad verſum 33. *Chriſtus transformatur. E puero ejicitur Dæmon.* 33 col. 1
Cap. IX. à verſu 33. ad finem. *Diſceptatur quis eſſet major. Quidam dæmonia ejicit, qui Chriſtum non ſequitur. Dic Eccleſiæ, &c.* 34 col. 2
Cap. X. ab initio ad verſum 13. *Chriſtus trans Jordanem: De repudiis.* 24 col. 2
Cap. X. à verſu 13. ad verſum 32. *Ad Chriſtum infantes adducti: dives quidam contriſtatus abiit.* 41 col. 1
Cap. X. verſ. 32, 33, 34. *Chriſtus perpeſſiones ſuas prædicit.* 42 col. 1
Cap. X. à verſu 35. ad verſum 46. *Petitio filiorum Zebedæi. Martyrium eorum prædicitur.* ibid. col. 1
Cap. X. à verſu 46. ad finem. *Cæcus ſanatur.* ibid. col. 2
Cap. XI. ab initio ad mediam partem verſus 11. *Chriſtus aſino inſidens Hieroſolymam ingreditur.* 44 col. 1
Cap. XI. à medio verſus 11. ad verſum 27. *Ficus maledicta.* 45 col. 1
Cap. XI. à verſu 27. ad finem, & Cap. XII. à principio ad verſum 13. *Chriſtus in Templo de Johannis Baptiſmo quærit. Parabola de vineâ, &c.* 46 col. 1
Cap. XII. à verſu 13. ad verſum 41. *Tributum Cæſari. Reſurrectio è Lege confirmata. Mandatum maximum. Chriſtus Davidis filius. Væ Scribis & Phariſæis.* ibid. col. 1

Cap. XII. verſ. 41, 42, 43, 44. *Vidua egenæ minuta.* Pag. 47 col. 2
Cap. XIII. totum. *Chriſtus Hieroſolymorum excidium prædicit: ſigna & calamitates tum quæ præceſſere, tum quæ adjungebantur.* ibid. col. 2
Cap. XIV. ab initio ad verſum 10. *Cœnatum Bethaniæ; ibidem Chriſti caput inungitur binas noctes ante Paſcha: tunc Chriſtus Diſcipulorum pedes lavat: Judæ intinctam offulam dat, in quem intrat diabolus,* 48 col. 2
Cap. XIV. verſ. 10, 11. *Satanas in Judam introit: de proditione Domini ſui tranſigit.* 50 col. 1
Cap. XIV. à verſu 12. ad verſum 26. *Paſcha edit Chriſtus: Euchariſtiam inſtituit, &c.* ibid. col. 2
Cap. XIV. à verſu 26. ad finem, & Cap. XV. totum. *Chriſtus prehenditur: ſiſtitur ad Tribunal: ipſius mors & ſepultura.* 52 col. 1
Cap. XVI. ab initio ad verſum 12. *Chriſti reſurrectio: prima apparitio, viz. Mariæ Magdalenæ.* 58 col. 1
Cap. XVI. verſ. 12, 13. *Secunda apparitio facta, viz. Petro & Alphæo, Emmauntem euntibus.* 59 col. 1
Cap. XVI. verſ. 14. *Tertia ipſius apparitio undecim facta.* ibid. col. 2
Cap. XVI. verſ. 15, 16, 17, 18. *Sexta apparitio in monte Galilææ undecim facta, & quingentis aliis.* 60 col. 2

EUANGELIUM LUCÆ.

Cap. I. verſ. 1, 2, 3, 4. *Lucæ Præfatio. Poteſtas ei facta conſcribendi Euangelium.* Pag. 1 col. 1.
Cap. I. à verſu 5. ad verſum 57. *Nativitas Johannis Baptiſtæ, & nativitas Servatoris noſtri prædicta per Angelum Gabrielem.* ibid. col. 2.
Cap. I. à verſu 57. ad finem. *Nativitas Johannis Baptiſtæ.* 3 col. 1.
Cap. II. à verſu 1. ad verſum 40. *Chriſti Nativitas.* ibid. col. 2.
Cap. II. à verſu 40. ad finem Capitis. *Chriſtus duodecim annos natus inter Doctores ſapientiæ ſuæ ſpecimen edit. Eâ ætate Salomon in dirimenda lite inter duas pellices, ſuam ſapientiam palam fecerat.* Ignat. Martyr in Epiſt. ad Magneſ. Pag. 5 col. 2
Cap. III. à verſu 1. ad verſum 18. *Cœpit Euangelium in Miniſterio & Baptiſmo Johannis.* 7 col. 1
Cap. III. verſ. 18, 19, 20. *Johannes incarceratur.* 12 col. 2
Cap. III. verſ. 21, 22. 9 col. 1
Cap. III. à verſu 23. ad finem. *Chriſti Genealogia Materna.* ibid. col. 2
Cap. IV. à principio ad verſum 14. *Pugna inter ſemen mulieris & Serpentem.* ibid. col. 2
Cap. IV. à verſu 14. ad verſum 31. *Chriſtus in Synagoga Nazarethæ prædicans in periculum vitæ ſuæ venit.* 13 col. 1
Cap. IV. à verſ. 31. ad finem *Dæmon ejectus in Synagoga Capernaumi. Socrus Petri, aliique ſanati.* 15 col. 1
Cap. V. ab initio ad verſ. 12. *Petrus & Adnreas, &c. piſcatores hominum conſtituti.* 14 col. 1
Cap. V. verſ. 12, 13, 14, 15, 16. *Leproſus ſanatur.* 17 col. 1
Cap. V. à verſu 17. ad verſum 29. *Paralyticum ſanat Chriſtus: remittit peccata: Matthæum vocat.* ibid. col. 1
Cap. V. à verſu 29. ad finem. *Levi convivium: de jejunando,* &c. 27 col. 1
Cap. VI. ab initio ad verſum 12. *Diſcipuli ſpicas vellunt. Manus arida ſanatur die Sabbati.* 19 col. 1
Cap. VI. à verſu 12. ad verſum 20. *Duodecim Apoſtoli conſtituti.* ibid. col. 2
Cap. VI. à verſu 20. ad finem. *Concio in monte habita.* 20 col. 2
Cap. VII. ab initio ad verſum 11. *Centurionis ſervus ſanatur.* 21 col. 2
Cap. VII. verſ. 11, 12, 13, 14, 15, 16, 17. *Filius viduæ in Nain ſuſcitatur.* 22 col. 1
Cap. VII. à verſu 18. ad verſum 36. *Johannis ad Chriſtum nuncium. Chriſti de Johanne teſtimonium.* ibid. col. 1
Cap. VII. à verſu 36. ad finem. *Maria Magdalena ad Chriſti pedes flet, eoſque lachrymis rigat,* &c. 23 col. 1
Cap. VIII. verſ. 1, 2, 3. *Mulieres quædam Chriſtum ſequentes.* ibid. col. 1
Cap. VIII. à verſu 4. ad verſum 19. *Parabola ſeminantis: & aliæ Parabolæ.* 25 col. 2

Cap. VIII. verſ. 19, 20, 21. *Mater & Fratres Chriſti quærunt eum*, &c. Pag. 25 col. 1
Cap. VIII. à verſu 22. ad verſum 41. *Sedatur per Chriſtum tempeſtas maris; ejectaque Dæmonum Legio*, &c. 26 col. 2.
Cap. VIII. à verſu 41. ad finem. *Sanguinis profluvium ſanatur. Jairi filia vitæ reſtituta.* 27 col. 2
Cap. IX. verſ. 1, 2, 3, 4, 5, 6. *Duodecim Apoſtoli ad prædicandum emiſſi.* 29 col. 1
Cap. IX. verſ. 7, 8, 9. *Johannes decollatur. Diſcipuli ejus Chriſtum adeunt.* ibid. col. 2
Cap. IX. à verſu 10. ad verſum 18. *Quinquies mille miraculoſe paſcuntur. Chriſtus ſuper mare ambulat.* 30 col. 1
Cap. IX. à verſu 18. ad verſum 28. *Claves regni Cælorum traditæ Petro*, *&c.* 32 col. 1
Cap. IX. à verſu 28. ad verſum 46. *Chriſtus transformatur. E puero ejicitur Dæmon.* 33 col. 1
Cap. IX. à verſu 46. ad verſum 51. *Diſceptatur quis eſſet major. Quidam Dæmonia ejicit, qui Chriſtum non ſequitur. Dic Eccleſiæ*, &c. 34 col. 2
Cap. IX. à verſu 51. ad finem. *Chriſtus iter inſtituit ad Feſtum Tabernaculorum.* 36 col. 1.
Cap. IX. verſ. 57, 58, 59, 60, 61, 62. *Scriba Chriſtum ſequuturus.* 26 col. 1
Cap. X. ab initio ad verſum 17. *Septuaginta Diſcipuli emiſſi.* 36 col. 1
Cap. X. à verſu 17. uſque ad finem. Et Cap. XI. XII. & XIII. uſque ad verſum 23. 37 col. 2
Cap. XIII. verſ. 23. uſque ad finem. Et Cap. XIV. XV. XVI. XVII. & Cap. XVIII. ad verſum 15. 39 col. 2
Cap. XVIII. à verſu 15. ad verſum 31. *Ad Chriſtum infantes adducti: dives quidam contriſtatus abiit.* 41 col. 1
Cap. XVIII. verſ. 31, 32, 33, 34. *Chriſtus perpeſſiones ſuas prædicit.* 42 col. 1
Cap. XVIII. à verſu 35. ad finem. *Cæcus ſanatur.* ibid. col. 2
Cap. XIX. ab initio ad verſum 29. *Zacchæus Publicanus converſus.* 43 col. 1
Cap. XIX. à verſu 29. ad finem. *Chriſtus aſino inſidens Hieroſolymam ingreditur.* Pag. 44. col. 1
Cap. XX. ab initio ad verſum 20. *Chriſtus in Templo de Johannis Baptiſmo quærit. Parabola de vineâ.* 46 col. 1
Cap. XX. à verſu 20. ad finem. *Tributum Cæſari. Reſurrectio è Lege confirmata. Mandatum maximum. Chriſtus Davidis filius. Væ Scribis & Phariſæis.* ibid. col. 1
Cap. XXI. verſ. 1, 2, 3, 4. *Viduæ egenæ minuta.* 47 col. 2
Cap. XXI. à verſu 5. ad finem. *Chriſtus Hieroſolymorum excidium prædicit: ſigna & calamitates tum quæ præceſſere, tum quæ adjungebantur.* ibid. col. 2
Cap. XXII. verſ. 1, 2. *Cœnatum Bethaniæ; ibidem Chriſti caput inungitur binas noctes ante Paſcha: tunc Chriſtus Diſcipulorum pedes lavat; Judæ intinctam offulam dat, in quem intrat diabolus.* 48 col. 2
Cap. XXII. verſ. 3, 4, 5, 6. *Satanas in Judam introit: de proditione Domini ſui tranſigit.* ibid. col. 1
Cap. XXII. à verſu 7. ad verſum 24. *Paſcha edit Chriſtus: Euchariſtiam inſtituit*, *&c.* ibid. col. 2
Cap. XXII. à verſu 24. ad verſum 39. *Diſceptatio inter Diſcipulos de primatu.* 51 col. 2
Cap. XXII. à verſu 39. ad finem. Et Cap. XXIII. totum. *Chriſtus prehenditur: ſiſtitur ad Tribunal: ipſius mors & ſepultura.* 52 col. 1
Cap. XXIV. ab initio ad verſum 13. *Chriſti reſurrectio: prima apparitio, viz. Mariæ Magdalenæ.* 58 col. 1
Cap. XXIV. à verſu 13. ad verſum 36. *Secunda apparitio facta, viz. Petro & Alphæo, Emmauntem euntibus.* 59 col. 1
Cap. XXIV. à verſu 36. ad verſum 49. *Tertia ipſius apparitio undecim facta.* ibid. col. 2
Cap. XXIV. verſ. 49. *Sexta apparitio in monte Galilææ undecim facta, & quingentis aliis.* 60 col. 2.

Digitized by Google

EUANGELIUM JOHANNIS.

Cap. I. ab initio ad verſ. 15. *Chriſti Deitas oſtenſa: Ejusque, Verbi ſcilicet, incarnationis congruitas.* Pag. 1 col. 1

Cap. I. à verſu 15. ad finem Capitis. *Johannes Chriſtum commonſtrat, & quidam è Diſcipulis ejus eum ſequuntur.* 10 col. 1

Cap. II. totum. *Aqua in vinum mutata. Chriſti, poſt baptiſmum, primum Paſcha.* ibid. col. 2

Cap. III. totum. *Nicodemus. Diſcipuli in nomine Jeſu baptizant.* 11 col. 2

Cap. IV. totum. *Chriſtus apud fontem Jacobi: Samaritanos convertit: Ægrotum ſanat, &c.* 12 col. 2

Cap. V. totum. *Infirmus Betheſdæ ſanatur. Chriſti, poſt baptiſmum, ſecundum Paſcha.* 18 col. 1

Cap. VI. à principio ad verſum 22. *Quinquies mille miraculoſe paſcuntur. Chriſtus ſuper mare ambulat.* 30 col. 1

Cap. VI. à verſu 22. ad finem. *Jeſus in Synagoga Capernaumi docet, de eſu carnis ſuæ, &c.* ibid. col. 2

Cap. VII. verſ. 1. *Verſabatur autem Jeſus poſt hæc in Galilæa, &c.* ibid. col. 2

Cap. VII. à verſu 2. ad verſum 10. *Feſtum Tabernaculorum.* 35 col. 2

Cap. VII. verſ. 10. *Chriſtus iter inſtituit ad Feſtum Tabernaculorum.* 36 col. 1

Cap. VII. à verſu 11. ad finem. *Chriſtus ad Feſtum Tabernaculorum advenit.* ibid. col. 2

Cap. VIII. *Mulier in Adulterio deprehenſa, &c.* 37 col. 1

Cap. IX. ab initio ad finem Capitis X. *Cæcus à nativitate ſua ſanatur. Chriſtus bonus Paſtor. Encænia.* 38 col. 2

Cap. XI. ab initio ad verſum 17. *De ægrotante Lazaro Chriſto nunciatur.* 41 col. 2

Cap. XI. à verſu 17. ad finem. *Reſuſcitatur Lazarus: Cajaphæ Prophetia.* 42 col. 1

Cap. XII. ab initio ad verſum 12. *Cœna Bethaniæ. Unguntur pedes Jeſu.* ibid. col. 2

Cap. XII. à verſu 12. ad verſum 20. *Chriſtus aſino inſidens Hieroſolymam ingreditur.* Pag. 44 col. 1

Cap. XII. à verſu 20. ad finem. *Græci Chriſtum videre avent. Vox è Cœlis.* ibid. col. 2

Cap. XIII. ab initio ad verſum 27. *Cœnatum Bethaniæ, ibidem Chriſti caput inungitur binas noctes ante Paſcha: tunc Chriſtus Diſcipulorum pedes lavat; Judæ intinctam offulam dat, in quem intrat diabolus.* 48 col. 2

Cap. XIII. verſ. 27, 28, 29, 30. *Satanas in Judam introit: De proditione Domini ſui tranſigit.* 50 col. 1

Cap. XIII. à verſu 31. ad finem, & Cap. XIV. totum. *Chriſtus Diſcipulos ſuos ſolatur, &c.* ibid. col. 1

Cap. XV. XVI. XVII. *Ultimus Chriſti ſermo cum diſcipulis habitus: ipſiuſque pro illis Oratio.* 51 col. 2

Cap. XVIII. & Cap. XIX. totum. *Chriſtus prehenditur: ſiſtitur ad Tribunal: ipſius mors & ſepultura.* 52 col. 1

Cap. XX. ab initio ad verſum 19. *Chriſti reſurrectio: prima apparitio, viz. Mariæ Magdalenæ.* 58 col. 1

Cap. XX. à verſu 19. ad verſum 26. *Tertia ipſius apparitio undecim facta.* 59 col. 2

Cap. XX. à verſu 26. ad finem. *Quarta ipſius apparitio, quum Thomas adeſſet.* ibid. col. 2

Cap. XXI. totum. *Quinta apparitio ſeptem ſcilicet Apoſtolis ad mare Tiberiadis, &c.* 60 col. 1

ACTA APOSTOLORUM.

Cap. I. 62 col. 1

Cap. II. ibid. col. 2

Cap. III. IV. 64 col. 1

Cap. V. ibid. col. 2

Cap. VI. VII. 65 col. 1

Cap. VIII. 66 col. 1

Cap. IX. ab initio ad verſum 23. 67 col. 2

Cap. IX. à verſu 23. ad verſum 32. 69 col. 1

Cap. IX. à verſu 32. ad finem. ibid. col. 2

Cap. X. totum. & Cap. XI. à principio ad verſum 19. ibid. col. 2 & 70 col. 2

Cap.

Digitized by Google

Cap. XI. à verſu 19. ad finem Capitis. Pag. 71 col. 2
Cap. XII. XIII. 72 col. 1
Cap. XII. ab initio ad verſum 20. 73 col. 1
Cap. XII. à verſu 20. ad verſum 24. 75 col. 1
Cap. XIII. ab initio ad verſum 14. 73 col. 1
Cap. XIII. à verſu 14. ad finem, & Cap. XIV. totum. 75 col. 2 & 76 col. 1
Cap. XV. 76 col. 1
Cap. XVI. 78 col. 2
Cap. XVII. 79 col. 1
Cap. XVIII. ibid. col. 2
Cap. XIX. à verſu 1. ad verſum 9. 82 col. 2
Cap. XIX. à verſu 9. ad verſum 21. 83 col. 1
Cap. XIX. verſ. 21, 22. ibid. col. 2
Cap. XIX. à verſu 23. ad finem. 88 col. 2
Cap. XX. verſ. 1, 2, 3. 89 col. 1
Cap. XX. verſ. 4, 5, 6. 94 col. 1
Cap. XX. verſus 6. pars poſterior, & deinceps ad finem. Cap. XXI. ab initio ad verſum 17. 97 col. 2
Cap. XXI. verſ. 17. 98 col. 1
Cap. XXI. à verſu 17. ad finem. 100 col. 2
Cap. XXII. 101 col. 1
Cap. XXIII. & XXIV. ad verſum 27. ibid. col. 2
Cap. XXIV. verſ. 27. 102 col. 1
Cap. XXV. & XXVI. ibid. col. 1
Cap. XXVII. ibid. col. 2
Cap. XXVIII. ab initio ad verſum 30. ibid. col. 2
Cap. XXVIII. verſ. 30, 31. 103 col. 1

Epiſtola ad ROMANOS. 95 col. 1

I. Epiſtola ad CORINTHIOS. 84 col. 1

II. Epiſtola ad CORINTHIOS. 92 col. 2

Epiſtola ad GALATAS. 103 col. 2

Epiſtola ad EPHESIOS. 105 col. 2

Epiſtola ad PHILIPPENSES. Pag. 106 col. 1

Epiſtola ad COLOSSENSES. ibid. col. 2

I. Epiſtola ad THESSALONICENSES. 80 col. 1

II. Epiſtola ad THESSALONICENSES. 81 col. 1

I. Epiſtola ad TIMOTHEUM. 89 col. 2

II. Epiſtola ad TIMOTHEUM. 104 col. 2

Epiſtola ad TITUM. 92 col. 1

Epiſtola ad PHILEMONEM. 107 col. 1

Epiſtola ad HEBRÆOS. 109 col. 1

Epiſtola JACOBI. 111 col. 2

I. Epiſtola PETRI. 113 col. 2

II. Epiſtola PETRI. 116 col. 1

Epiſtola JOHANNIS Trinæ. 117 col. 1

Epiſtolæ JUDÆ. 116 col. 2

APOCALYPSIS JOHANNIS.

Cap. I. II. III. 118 col. 2
Cap. IV. V. 119 col. 2
Cap. VI. 120 col. 1
Cap. VII. 121 col. 1
Cap. VIII. ibid. col. 1
Cap. IX. 122 col. 1
Cap. X. 123 col. 1
Cap. XI. ibid. col. 2
Cap. XII. 125 col. 1
Cap. XIII. ibid. col. 2
Cap. XIV. 127 col. 1
Cap. XV. ibid. col. 2
Cap. XVI. 128 col. 1
Cap. XVII. 129 col. 2
Cap. XVIII. & XIX. ab initio ad verſum 11. 130 col. 1
Cap. XIX. à verſ. 11. ad finem. ibid. col. 2
Cap. XX. ibid. col. 2
Cap. XXI. 133 col. 2
Cap. XXII. 134 col. 1

INDEX

Digitized by Google

I N D E X

Sectionum in Parergo de Excidio Urbis Hieroſolymiticæ.

SECTIO I. *Templi & Civitatis clades.* Pag. 138 col. 2
SECT. II. *Conditio & ſtatus Regionis Judaicæ poſt Urbis excidium.* 140 col. 1
SECT. III. *Synedrium adhuc Jabnæ coactum, Præſide Rabban Jochanane ben Zacchai.* 141 col. 2
SECT. IV. *Synedrium etiamnum Jabnæ ſedet, Præſide Rabban Gamaliele.* 142 col. 1
SECT. V. *Synedrium apud Jabnen adhuc: Præſes R. Akibah.* ibid. col. 2
SECT. VI. *Synedrium apud Usham & Shepharaam* אושא ושפרעם. *Rabban Simeon Præſes.* 144 col. 1
SECT. VII. *Synedrium apud Betshaaraim, Tſipporim, & Tiberiadem agit, Præſide R. Judâ.* Pag. 144 col. 2
SECT. VIII. *De ſcholis viriſque eruditis, qui poſt mortem R. Judæ floruerunt.* 145 col. 2
SECT. IX. *Status & Diſpoſitio populi.* 146 col. 1
SECT. X. *In quantum Judæi, in primordiis Chriſtianiſmi, eum vel infeſtarint vel inquinarint.* 148 col. 1
SECT. XI. *Judæi, utut Chriſtianis offenſi, ne unicum quidem nobis mendoſum textum obtrudere in hunc uſque diem poterant.* 149 col. 2
SECT. XII. *De futura Judæorum converſione.* 151 col. 1

HORÆ

Digitized by Google

HORÆ
HEBRAICÆ
ET
TALMUDICÆ,

Impenſæ

I. *In Chorographiam aliquam Terræ* ISRAELITICÆ.
II. *In Euangelium* S. MATTHÆI.

Digitized by Google

CENTURIA CHOROGRAPHICA,

Face præſertim

TALMUDICA

Loca quædam terræ *Iſraëliticæ* memorabiliora perluſtrans,

Ea præcipuè quorum mentio apud

S. MATTHÆUM.

Digitized by Google

PRÆFATIO.

INter omnes eos, qui Tabulas Canaanitidis *Chorographicas vel ediderunt ipſi, vel emendârunt aliorum, vix reperias, qui* Talmudicos *hac in materia in conſilium vocaverit: cum certè minimè ſpernendum ſit eorum ſymbolum in iſta cauſa, ſi quidem non præcipuè æſtimandum.*

Nam, præterquam quod illi, præ omnibus aliis hominibus, curioſiſſime inquirunt & de rebus, & de locis iſtius terræ, Doctores Miſnici *omnes, ac* Gemariſtæ *etiam* Hieroſolymitani, *eam inhabitârunt atque incoluerunt: atque eam etiam inviſerunt non pauci è* Babylonicis. *Oculati teſtes: & qui non ſolum (vel Judice quovis Lectore) præ omnibus aliis mortalibus notitiam iſtius terræ non potuerunt non habere ſibi familiariſſimam, eam habitantes, ſed & qui in infinitis* Judaicæ *ſuæ ſuperſtitionis apicibus, religioſa neceſſitate ſe conſtrictos ſunt opinati, de ſitu naturaque locorum in iſta terra omni cum ſcrutinio & curioſitate perquirere, atque inveſtigare.*

Dictet ergò jam ratio: an ii præ omnibus aliis in re Chorographica vel jure negligantur, vel prudenter? An inter omnes limas, in iſta re adhibitas, meritò, aut cum æquitate aliqua, lima ſola Talmudica *non adhibeatur? Terræ* Judaicæ *Chorographia* Judaica? *Iniquum certè eſt, ſi ea vel ex præjudicio rejiciantur, vel ex ignorantia non admittantur, quæ aut planam utilitatem iſtius terræ Chorographiæ ſecum ferrent, aut non inutile ſcrutamen in ea excitarent. Si tabulas* Palæſtinæ *vis cudere, æquiſſimum certè eſt, ut hos autores conſulas etiam cum aliis utpote teſtes proximos, terræ incolas, ſtudioſiſſimè religioſiſſimeque eam deſcribentes: & ſi fide eos dignos non reputaveris, quia ſunt* Judæi, *at certè examine digni ſunt, & veniâ fandi, quatenus ſunt Chorographi.*

Ego, cum in horum lectione omnia, quæ occurrebant huc ſpectantia, excerperem, & cum Tabulis tractatibuſque jam editis conferrem, planè vidi, ſi me non fefellerunt oculi mei, ex his autoribus elici ac produci poſſe plurima, quæ Tabulas corrigerent: plurima, quæ loca ignota patefacerent: plurima, quæ incerta figerent plurima, quæ certa illuſtrarent: atque infinita, quæ Chorographiæ facem aliquo modo præferrent. Et ſiquis dexter & felix artifex, verſatus in Talmudicis, *& Chorographiæ peritus, penſum atque opus iſtiuſmodi in manus ſumeret, ego ab iſta manu politiores ac correctiores Tabulas, pleniorem, planiorem, certiorem terræ* Iſraeliticæ *deſcriptionem expectarem, quam adhuc vidit orbis* Chriſtianus.

Longè nos à talibus auſis: nec manus noſtra Ad opus tam grande vel docta, vel docilis. Illud ſolum, quod in Centuria ſubſequenti aggreſſi ſumus, hoc erat: ut exemplo aliquo ea, quæ de Talmudicis *loquimur, aliquantulum demonſtrarentur: utque ſpecimen aliquod præ oculis proponeretur, quo judicium ferat lector de eorum ſtudio, ſtylo, uſu, utilitate, in re propoſita. Et non modeſtiæ eſſe duximus, Lectorem earum rerum nimietate gravare, quæ dubiæ forſan apud eum futuræ ſunt acceptationis; nec prudentiæ duximus, omnia noſtra, ſimul & ſemel, uni vento & fortunæ exponere, & committere.*

E Muſæo noſtro,

Maji 22. 1658.

Joſephum citavimus ſecundum diſtinctionem capitum in editione *Græca Frobenii*, Anno 1544.

CEN-

Digitized by Google

CENTURIA CHOROGRAPHICA,

Loca quædam memorabiliora terræ *Iſraëliticæ* perluſtrans;

Face præſertim Talmudicâ.

CAPUT I.

Terræ Partitio.

VNiverſum terrarum orbem partiuntur Scriptores *Judaici* in ארץ ישראל, *Terram Iſraëlis*, & חוצה לארץ, *Extra terram*, id eſt, Regiones Ethnicas. Utramque Phraſiologiam agnoſcit pagina Euangelica: *Terram Iſraëlis*, *Matth.* 2: 20. atque Ethnicos vocat τοὺς ἔξω, 1 *Cor.* 5: 13. 1 *Tim.* 3: 7. *&c.* & quandoque ipſos *Judæos* incredulos, *Marc.* 4: 11.

Univerſum terrarum orbis populum diſtribuunt in ישראל, *Iſraëlitas*, & אומות העולם, *Nationes mundi.* Iſtam etiam Phraſiologiam agnoſcit eadem pagina Euangelica, *Matth.* 6: 32. Πάντα ταῦτα τὰ Ἔθνη ἐπιζητεῖ, quod *Luc.* 12: 30. eſt τὰ Ἔθνη τοῦ κόσμου. Hinc vox *Mundus* uſitatiſſimè pro Gentilibus, *Joan.* 3: 16, 17. 1 *Joan.* 2: 2. *&c.*

Eſt ubi diſtinctio fit in ארץ *Terram* [*Iſraëliticam*] & מדינת הים *Regionem maris.* R. Sol in *Gittin*, *cap.* 1. וכל חל״ קרי מדינת הים בר מבבל *Atque omnis regio extranea vocatur regio maris, exceptâ Babyloniâ.* Verba ſunt *R. Solomonis*, quæ tamen ad incudem vocat *R. Niſſim*, ibid. *Durius eſt*, inquit, *omnem regionem, quæ eſt extra terram, pro regione maris habere; nam tum ſub iſto nomine concluderentur loca omnia vicina, & quæ quaſi abſorbentur juxta terram. Dicunt ergò quod loca remotiora vocantur* מדינת הים. *At nec hoc mihi placet. Nam non tantâ diſtantiâ opus eſt, ut dicatur locus aliquis regio maris, &c. At dicitur in relatione ad oram Occidentalem terræ Iſraëlis, à quo latere non ſunt urbes* [Ethnicæ] *vicinæ & abſorptæ juxta terram, ſed mare diſterminat, at non ab aliis lateribus diſterminat, &c. Senſus ergò R. Solomonis, cum dicit, quod omnis regio extra terram eſt regio maris, huc redit, quod omnis regio, quæ ſimilis eſt regioni iſti, ſic vocatur.*

Erant ab ora iſta Occidentali urbes Ethnicæ; at, cum jacerent intra priſtinum terræ terminum, *maris* ſcilicet *Mediterranei* labium, non tam propriè dici potuerunt *Extra terram*, quam iſtæ, quæ omnino erant extra limites: peculiari ergo titulo dictæ ſunt iſtæ urbes atque iſta regio מדינת הים, hoc eſt, *ora*, vel *regio*, *juxta mare Mediterraneum.* Quem titulum etiam ſubierunt omnes aliæ civitates ejuſdem conditionis, intra limites terræ ubicunque ſitæ. Exempla non deerunt procedentibus.

TERRAM ISRAELITICAM duplici ſub notione vulgo definiunt: eam ſcilicet, שהחזיקו בה עולי מצרים, *quam poſſederunt iſti, qui exierunt ex Ægypto*; atque eam, שהחזיקו כה עולי בבל, *quam poſſederunt iſti, qui exierunt è Babylone:* hanc illâ arctioribus limitibus quamplurimis in locis circumſcriptam, non ſolum ob rejectam excluſamque *Samariam*, ſed quod exſectæ eſſent portiones quædam, eæque nec paucæ, nec minutæ, quæ aſcendentibus ex *Ægypto*. ceſſerant in poſſeſſiones, at ſub Templo ſecundo tranſierant in Ethnicas.

Ideo autem accuratiores erant de limitum obſervatione, terram hanc, & ab aliis omnibus, & alicubi quaſi à ſeipſa, notis finibus diſterminantes, quod plurima religionis ſuæ myſteria non alibi quam intra hos limites tractanda definirent: vide *R. Sol*, in *Numer.* 34. Nam, præter illos iſtius Oeconomiæ ritus, quos palam & apertè terræ iſti affigit Scripturâ Sacra, quales ſunt Sacrificia, Paſchata, Sacerdo-

 cerdo-

Digitized by Google

puli ſpicas vellunt. Manus arida ſanatur die Sabbati. Pag. 19 col. 1.
Cap. XII. à verſu 15. ad verſum 22. *Permagna turba Chriſtum ſequitur: Qui omnes ad eum venientes ſanat.* ib. col. 2
Cap. XII. à verſu 22. ad verſum 46. *Ejicitur Dæmon: Chriſtus Beelzebub vocatur. Blaſphemia Spiritus S.* 24 col. 2
Cap. XII. à verſu 46. ad finem. *Mater & Fratres Chriſti quærunt eum, &c.* 25 col. 1
Cap. XIII. ab initio ad verſum 54. *Parabola ſeminantis: & aliæ Parabolæ.* ibid. col. 2
Cap. XIII. verſ. 54, 55, 56, 57, 58. *Chriſtus Nazarethæ: ibidem quidam in eo offenſi.* 28 col. 2
Cap. XIV. ab initio ad verſum 13. *Johannes decollatur. Diſcipuli ejus Chriſtum adeunt.* 29 col. 2
Cap. XIV. à verſu 13. ad finem. *Quinquies mille miraculoſe paſcuntur. Chriſtus ſuper mare ambulat.* 30 col. 1
Cap. XV. totum. & Cap. XVI. à principio ad verſum 13. *Impia Scribarum & Phariſæorum traditiones: ſanantur filia Cananææ, ut & mutus & ſurdus. Quater mille miraculoſe paſcuntur. Phariſæi ſignum poſcunt, &c. Eorum fermentum, &c.* 31 col. 1
Cap. XVI. à verſu 13. ad finem. *Claves regni Cœlorum traditæ Petro, &c.* 32 c. 1
Cap. XVII. ab initio ad verſum 24. *Chriſtus transformatur. E puero ejicitur Dæmon.* 33 col. 1
Cap. XVII. verſ. 24. 25. 26, 27. *Pecuniam ſolvit Chriſtus miraculo partam.* 34 c. 1
Cap. XVIII. totum. *Diſceptatur quis eſſet major. Quidam Dæmonia ejicit, qui Chriſtum non ſequitur. Dic Eccleſiæ, &c.* ibid. col. 2
Cap. XIX. ab initio ad verſum 13. *Chriſtus trans Jordanem: de repudiis.* 40 c. 2
Cap. XIX. à verſu 13. ad finem. *Ad Chriſtum infantes adducti: dives quidam contriſtatus abiit.* 41 col. 1
Cap. XX. ab initio ad verſum 17. *Operarii in vinea, &c.* ibid. col. 2
Cap. XX. verſ. 17, 18, 19. *Chriſtus perpeſſiones ſuas prædicit.* 42 col. 1
Cap. XX. à verſu 20. ad verſum 29. *Petitio filiorum Zebedæi: Martyrium eorum prædicitur.* ibid. col. 1
Cap. XX. à verſu 29. ad finem. *Cæcus ſanatur.* Pag. 42 col. 2
Cap. XXI. à principio ad verſum 17. *Chriſtus aſino inſidens Hieroſolymam ingreditur.* 44 col. 1
Cap. XXI. à verſu 17. ad verſum 23. *Ficus maledicta.* 45 col. 1
Cap. XXI. à verſu. 23. ad finem. *Chriſtus in Templo de Johannis Baptiſmo quærit. Parabola de vineâ, &c.* 46 col. 1
Cap. XXII. ab initio ad verſum 15. *Nuptiarum Parabola.* ibid. col. 1
Cap. XXII. à verſu 15. ad finem. Et Cap. XXIII. totum. *Tributum Cæſari. Reſurrectio è Lege confirmata. Mandatum maximum. Chriſtus Davidis filius. Væ Scribis & Phariſæis.* ibid. col. 1
Cap. XXIV. & XXV. tot. *Chriſtus Hieroſolymorum excidium prædicit: ſigna & calamitates tum quæ præceſſere, tum quæ adjungebantur.* 47 col. 2
Cap. XXVI. ab initio ad verſum 14. *Cœnatum Bethaniæ, ibidem Chriſti caput inungitur binas noctes ante Paſcha: tunc Chriſtus Diſcipulorum pedes lavat: Judæ intinctam offulam dat, in quem intrat diabolus.* 48 col. 2
Cap. XXVI. verſ. 14, 15, 16. *Satanas in Judam introit: De proditione Domini ſui tranſigit.* 50 col. 1
Cap. XXVI. à verſu 17. ad verſum 30. *Paſcha edit Chriſtus: Euchariſtiam inſtituit, &c.* ibid. col. 2
Cap. XXVI. à verſ. 30. ad finem. & Cap. XXVII. totum. *Chriſtus prehenditur: ſiſtitur ad tribunal: ipſius mors & ſepultura.* 52 col. 1
Cap. XXVIII. ab initio ad verſum 16. *Chriſti reſurrectio: prima apparitio, viz. Mariæ Magdalenæ.* 58 col. 1
Cap. XXVIII. verſ. 16. *Tunc undecim Diſcipuli, &c. Quinta apparitio ſeptem ſcilicet Apoſtolis ad mare Tiberiadis, &c.* 60 col. 1
Cap. XXVIII. à verſu 17 ad finem. *Sexta apparitio in monte Galilææ undecim facta, & quingentis aliis.* ibid. col. 2

EUANGELIUM MARCI.

Cap. I. à verſu 1. ad verſum 9. *Cœpit Euangelium in Miniſterio & Baptiſmo Johannis.* 7 col. 1.

Cap.

Digitized by Google

Cap. I. verſ. 9, 10, 11. Pag. 9. col. 1
Cap. I. verſ. 12, 13. *Pugna inter ſemen mulieris & ſerpentem.* ibid. col. 2
Cap. I. verſ. 14. *Chriſtus in Synagoga Nazarethæ prædicans in periculum vitæ ſuæ venit.* 13 col. 1
Cap. I. verſ. 14, 15. *Chriſtus Capernaumi in finibus Zabulon & Napthalim, &c.* ibid. col. 2
Cap. I. verſ. 16, 17, 18, 19, 20. *Petrus & Andreas, &c. Piſcatores hominum conſtituti.* 14 col. 1
Cap. I. à verſ. 21. ad verſum 40. *Dæmon ejectus in Synagoga Capernaumi. Socrus Petri, aliique ſanati.* 15 col. 1
Cap. I. à verſu 40. ad finem. *Leproſus ſanatur.* 17 col. 1
Cap. II. ab initio ad verſum 15. *Paralyticum ſanat Chriſtus: remittit peccata: Matthæum vocat.* ibid. col. 1
Cap. II. à verſu 15. ad verſum 23. *Levi convivium: de jejunando, &c.* 27 col. 1
Cap. II. à verſu 23. ad verſum 7. Capitis III. *Diſcipuli ſpicas vellunt. Manus arida ſanatur die Sabbati.* 19 col. 1
Cap. III. à verſu 7. ad verſum 13. *Permagna turba Chriſtum ſequitur: Qui omnes ad eum venientes ſanat.* ibid. col. 2
Cap. III. à verſu 13. ad medium verſus 19. *Duodecim Apoſtoli conſtituti.* ibid. col. 2
Cap. III. à poſteriore clauſulâ verſus 19. ad verſum 31. *Ejicitur Dæmon: Chriſtus Beelzebub vocatur. Blaſphemia Spiritus Sancti.* 24 col. 2
Cap. III. à verſu 31. ad finem. *Mater & Fratres Chriſti quærunt eum, &c.* 25 col. 1
Cap. IV. ab initio ad verſum 35. *Parabola ſeminantis: & aliæ Parabolæ.* ibid. col. 2
Cap. IV. verſ. 35. *Scriba Chriſtum ſequuturus.* 26 col. 1
Cap. IV. à verſu 36. ad finem, & Cap. V. ab initio ad verſum 22. *Sedatur per Chriſtum tempeſtas maris: ejectaque Dæmonum Legio, &c.* ibid. col. 2
Cap. V. à verſu 22. ad finem. *Sanguinis profluvium ſanatur. Jairi filia vitæ reſtituta.* 27 col. 2
Cap. VI. verſ. 1, 2, 3, 4, 5, 6. *Chriſtus Nazarethæ: ibidem quidam in eo offenſi.* 28 col. 2
Cap. VI. verſ. 7, 8, 9, 10, 11. *Duodecim Apoſtoli ad prædicandum emiſſi.* Pag. 29 col. 1
Cap. VI. à verſu 14. ad verſum 30. *Johannes decollatur. Diſcipuli ejus Chriſtum adeunt.* 29 col. 2
Cap. VI. à verſu 30. ad finem. *Quinquies mille miraculoſe paſcuntur. Chriſtus ſuper mare ambulat.* 30 col. 1
Cap. VII. totum, & Cap. VIII. à principio ad verſum 22. *Impiæ Scribarum & Phariſæorum traditiones: Sanantur filia Cananææ, ut & mutus & ſurdus. Quater mille miraculoſe paſcuntur. Phariſæi ſignum poſcunt, &c. Eorum fermentum, &c.* 31 col. 1
Cap. VIII. verſ. 22, 23, 24, 25, 26. *Cæcus Bethſaidæ ſanatur.* 32 col. 1
Cap. VIII. à verſu 27. ad finem. Et Cap. IX. verſ. 1. *Claves regni Cælorum traditæ Petro, &c.* ibid. col. 1
Cap. IX. à verſu 2. ad verſum 33. *Chriſtus transformatur. E puero ejicitur Dæmon.* 33 col. 1
Cap. IX. à verſu 33. ad finem. *Diſceptatur quis eſſet major. Quidam dæmonia ejicit, qui Chriſtum non ſequitur. Dic Eccleſiæ, &c.* 34 col. 2
Cap. X. ab initio ad verſum 13. *Chriſtus trans Jordanem: De repudiis.* 24 col. 2
Cap. X. à verſu 13. ad verſum 32. *Ad Chriſtum infantes adducti: dives quidam contriſtatus abiit.* 41 col. 1
Cap. X. verſ. 32, 33, 34. *Chriſtus perpeſſiones ſuas prædicit.* 42 col. 1
Cap. X. à verſu 35. ad verſum 46. *Petitio filiorum Zebedæi. Martyrium eorum prædicitur.* ibid. col. 1
Cap. X. à verſu 46. ad finem. *Cæcus ſanatur.* ibid. col. 2
Cap. XI. ab initio ad mediam partem verſus 11. *Chriſtus aſino inſidens Hieroſolymam ingreditur.* 44 col. 1
Cap. XI. à medio verſus 11. ad verſum 27. *Ficus maledicta.* 45 col. 1
Cap. XI. à verſu 27. ad finem, & Cap. XII. à principio ad verſum 13. *Chriſtus in Templo de Johannis Baptiſmo quærit. Parabola de vineâ, &c.* 46 col. 1
Cap. XII. à verſu 13. ad verſum 41. *Tributum Cæſari. Reſurrectio è Lege confirmata. Mandatum maximum. Chriſtus Davidis filius. Væ Scribis & Phariſæis.* ibid. col. 1

Cap. XII. verſ. 41, 42, 43, 44. *Vidua egenæ minuta.* Pag. 47 col. 2

Cap. XIII. totum. *Chriſtus Hieroſolymorum excidium prædicit: ſigna & calamitates tum quæ præceſſere, tum quæ adjungebantur.* ibid. col. 2

Cap. XIV. ab initio ad verſum 10. *Cœnatum Bethaniæ; ibidem Chriſti caput inungitur binas noctes ante Paſcha: tunc Chriſtus Diſcipulorum pedes lavat: Judæ intinctam offulam dat, in quem intrat diabolus,* 48 col. 2

Cap. XIV. verſ. 10, 11. *Satanas in Judam introit: de proditione Domini ſui tranſigit.* 50 col. 1

Cap. XIV. à verſu 12. ad verſum 26. *Paſcha edit Chriſtus: Euchariſtiam inſtituit, &c.* ibid. col. 2

Cap. XIV. à verſu 26. ad finem, & Cap. XV. totum. *Chriſtus prehenditur: ſiſtitur ad Tribunal: ipſius mors & ſepultura.* 52 col. 1

Cap. XVI. ab initio ad verſum 12. *Chriſti reſurrectio: prima apparitio, viz. Mariæ Magdalenæ.* 58 col. 1

Cap. XVI. verſ. 12, 13. *Secunda apparitio facta, viz. Petro & Alphæo, Emmauntem euntibus.* 59 col. 1

Cap. XVI. verſ. 14. *Tertia ipſius apparitio undecim facta.* ibid. col. 2

Cap. XVI. verſ. 15, 16, 17, 18. *Sexta apparitio in monte Galilææ undecim facta, & quingentis aliis.* 60 col. 2

EUANGELIUM LUCÆ.

Cap. I. verſ. 1, 2, 3, 4. *Lucæ Præfatio. Poteſtas ei facta conſcribendi Euangelium.* Pag. 1 col. 1.

Cap. I. à verſu 5. ad verſum 57. *Nativitas Johannis Baptiſtæ, & nativitas Servatoris noſtri prædicta per Angelum Gabrielem.* ibid. col. 2.

Cap. I. à verſu 57. ad finem. *Nativitas Johannis Baptiſtæ.* 3 col. 1.

Cap. II. à verſu 1. ad verſum 40. *Chriſti Nativitas.* ibid. col. 2.

Cap. II. à verſu 40. ad finem Capitis. *Chriſtus duodecim annos natus inter Doctores ſapientiæ ſuæ ſpecimen edit. Eâ ætate Salomon in dirimenda lite inter duas pellices, ſuam ſapientiam palam fecerat.* Ignat. Martyr in Epiſt. ad Magneſ. Pag. 5 col. 2

Cap. III. à verſu 1. ad verſum 18. *Cœpit Euangelium in Miniſterio & Baptiſmo Johannis.* 7 col. 1

Cap. III. verſ. 18, 19, 20. *Johannes incarceratur.* 12 col. 2

Cap. III. verſ. 21, 22. 9 col. 1

Cap. III. à verſu 23. ad finem. *Chriſti Genealogia Materna.* ibid. col. 2

Cap. IV. à principio ad verſum 14. *Pugna inter ſemen mulieris & Serpentem.* ibid. col. 2

Cap. IV. à verſu 14. ad verſum 31. *Chriſtus in Synagoga Nazarethæ prædicans in periculum vitæ ſuæ venit.* 13 col. 1

Cap. IV. à verſ. 31. ad finem *Dæmon ejectus in Synagoga Capernaumi. Socrus Petri, aliique ſanati.* 15 col. 1

Cap. V. ab initio ad verſ. 12. *Petrus & Adnreas, &c. piſcatores hominum conſtituti.* 14 col. 1

Cap. V. verſ. 12, 13, 14, 15, 16. *Leproſus ſanatur.* 17 col. 1

Cap. V. à verſu 17. ad verſum 29. *Paralyticum ſanat Chriſtus: remittit peccata: Matthæum vocat.* ibid. col. 1

Cap. V. à verſu 29. ad finem. *Levi convivium: de jejunando,* &c. 27 col. 1

Cap. VI. ab initio ad verſum 12. *Diſcipuli ſpicas vellunt. Manus arida ſanatur die Sabbati.* 19 col. 1

Cap. VI. à verſu 12. ad verſum 20. *Duodecim Apoſtoli conſtituti.* ibid. col. 2

Cap. VI. à verſu 20. ad finem. *Concio in monte habita.* 20 col. 2

Cap. VII. ab initio ad verſum 11. *Centurionis ſervus ſanatur.* 21 col. 2

Cap. VII. verſ. 11, 12, 13, 14, 15, 16, 17. *Filius viduæ in Nain ſuſcitatur.* 22 col. 1

Cap. VII. à verſu 18. ad verſum 36. *Johannis ad Chriſtum nuncium. Chriſti de Johanne teſtimonium.* ibid. col. 1

Cap. VII. à verſu 36. ad finem. *Maria Magdalena ad Chriſti pedes flet, eoſque lachrymis rigat,* &c. 23 col. 1

Cap. VIII. verſ. 1, 2, 3. *Mulieres quædam Chriſtum ſequentes.* ibid. col. 1

Cap. VIII. à verſu 4. ad verſum 19. *Parabola ſeminantis: & aliæ Parabolæ.* 25 col. 2

Cap.

Cap. VIII. verſ. 19, 20, 21. *Mater & Fratres Chriſti quærunt eum*, &c. Pag. 25 col. 1

Cap. VIII. à verſu 22. ad verſum 41. *Sedatur per Chriſtum tempeſtas maris; ejectaque Dæmonum Legio*, &c. 26 col. 2.

Cap. VIII. à verſu 41. ad finem. *Sanguinis profluvium ſanatur. Jairi filia vitæ reſtituta.* 27 col. 2

Cap. IX. verſ. 1, 2, 3, 4, 5, 6. *Duodecim Apoſtoli ad prædicandum emiſſi.* 29 col. 1

Cap. IX. verſ. 7, 8, 9. *Johannes decollatur. Diſcipuli ejus Chriſtum adeunt.* ibid. col. 2

Cap. IX. à verſu 10. ad verſum 18. *Quinquies mille miraculoſe paſcuntur. Chriſtus ſuper mare ambulat.* 30 col. 1

Cap. IX. à verſu 18. ad verſum 28. *Claves regni Cælorum traditæ Petro, &c.* 32 col. 1

Cap. IX. à verſu 28. ad verſum 46. *Chriſtus transformatur. E puero ejicitur Dæmon.* 33 col. 1

Cap. IX. à verſu 46. ad verſum 51. *Diſceptatur quis eſſet major. Quidam Dæmonia ejicit, qui Chriſtum non ſequitur. Dic Eccleſiæ*, &c. 34 col. 2

Cap. IX. à verſu 51. ad finem. *Chriſtus iter inſtituit ad Feſtum Tabernaculorum.* 36 col. 1.

Cap. IX. verſ. 57, 58, 59, 60, 61, 62. *Scriba Chriſtum ſequuturus.* 26 col. 1

Cap. X. ab initio ad verſum 17. *Septuaginta Diſcipuli emiſſi.* 36 col. 1

Cap. X. à verſu 17. uſque ad finem. Et Cap. XI. XII. & XIII. uſque ad verſum 23. 37 col. 2

Cap. XIII. verſ. 23. uſque ad finem. Et Cap. XIV. XV. XVI. XVII. & Cap. XVIII. ad verſum 15. 39 col. 2

Cap. XVIII. à verſu 15. ad verſum 31. *Ad Chriſtum infantes adducti: dives quidam contriſtatus abiit.* 41 col. 1

Cap. XVIII. verſ. 31, 32, 33, 34. *Chriſtus perpeſſiones ſuas prædicit.* 42 col. 1

Cap. XVIII. à verſu 35. ad finem. *Cæcus ſanatur.* ibid. col. 2

Cap. XIX. ab initio ad verſum 29. *Zacchæus Publicanus converſus.* 43 col. 1

Cap. XIX. à verſu 29. ad finem. *Chriſtus aſino inſidens Hieroſolymam ingreditur.* Pag. 44. col. 1

Cap. XX. ab initio ad verſum 20. *Chriſtus in Templo de Johannis Baptiſmo quærit. Parabola de vineâ.* 46 col. 1

Cap. XX. à verſu 20. ad finem. *Tributum Cæſari. Reſurrectio è Lege confirmata. Mandatum maximum. Chriſtus Davidis filius. Væ Scribis & Phariſæis.* ibid. col. 1

Cap. XXI. verſ. 1, 2, 3, 4. *Viduæ egenæ minuta.* 47 col. 2

Cap. XXI. à verſu 5. ad finem. *Chriſtus Hieroſolymorum excidium prædicit: ſigna & calamitates tum quæ præceſſere, tum quæ adjungebantur.* ibid. col. 2

Cap. XXII. verſ. 1, 2. *Cœnatum Bethaniæ; ibidem Chriſti caput inungitur binas noctes ante Paſcha: tunc Chriſtus Diſcipulorum pedes lavat; Judæ intinctam offulam dat, in quem intrat diabolus.* 48 col. 2

Cap. XXII. verſ. 3, 4, 5, 6. *Satanas in Judam introit: de proditione Domini ſui tranſigit.* ibid. col. 1

Cap. XXII. à verſu 7. ad verſum 24. *Paſcha edit Chriſtus: Euchariſtiam inſtituit, &c.* ibid. col. 2

Cap. XXII. à verſu 24. ad verſum 39. *Diſceptatio inter Diſcipulos de primatu.* 51 col. 2

Cap. XXII. à verſu 39. ad finem. Et Cap. XXIII. totum. *Chriſtus prehenditur: ſiſtitur ad Tribunal: ipſius mors & ſepultura.* 52 col. 1

Cap. XXIV. ab initio ad verſum 13. *Chriſti reſurrectio: prima apparitio, viz. Mariæ Magdalenæ.* 58 col. 1

Cap. XXIV. à verſu 13. ad verſum 36. *Secunda apparitio facta, viz. Petro & Alphæo, Emmauntem euntibus.* 59 col. 1

Cap. XXIV. à verſu 36. ad verſum 49. *Tertia ipſius apparitio undecim facta.* ibid. col. 2

Cap. XXIV. verſ. 49. *Sexta apparitio in monte Galilææ undecim facta, & quingentis aliis.* 60 col. 2.

Digitized by Google

EUANGELIUM JOHANNIS.

Cap. I. ab initio ad verſ. 15. *Chriſti Deitas oſtenſa: Ejusque, Verbi ſcilicet, incarnationis congruitas.* Pag. 1 col. 1
Cap. I. à verſu 15. ad finem Capitis. *Johannes Chriſtum commonſtrat, & quidam è Diſcipulis ejus eum ſequuntur.* 10 col. 1
Cap. II. totum. *Aqua in vinum mutata. Chriſti, poſt baptiſmum, primum Paſcha.* ibid. col. 2
Cap. III. totum. *Nicodemus. Diſcipuli in nomine Jeſu baptizant.* 11 col. 2
Cap. IV. totum. *Chriſtus apud fontem Jacobi: Samaritanos convertit: Ægrotum ſanat, &c.* 12 col. 2
Cap. V. totum. *Infirmus Betheſda ſanatur. Chriſti, poſt baptiſmum, ſecundum Paſcha.* 18 col. 1
Cap. VI. à principio ad verſum 22. *Quinquies mille miraculoſe paſcuntur. Chriſtus ſuper mare ambulat.* 30 col. 1
Cap. VI. à verſu 22. ad finem. *Jeſus in Synagoga Capernaumi docet, de eſu carnis ſuæ, &c.* ibid. col. 2
Cap. VII. verſ. 1. *Verſabatur autem Jeſus poſt hæc in Galilæa, &c.* ibid. col. 2
Cap. VII. à verſu 2. ad verſum 10. *Feſtum Tabernaculorum.* 35 col. 2
Cap. VII. verſ. 10. *Chriſtus iter inſtituit ad Feſtum Tabernaculorum.* 36 col. 1
Cap. VII. à verſu 11. ad finem. *Chriſtus ad Feſtum Tabernaculorum advenit.* ibid. col. 2
Cap. VIII. *Mulier in Adulterio deprehenſa, &c.* 37 col. 1
Cap. IX. ab initio ad finem Capitis X. *Cæcus à nativitate ſua ſanatur. Chriſtus bonus Paſtor. Encænia.* 38 col. 2
Cap. XI. ab initio ad verſum 17. *De ægrotante Lazaro Chriſto nunciatur.* 41 col. 2
Cap. XI. à verſu 17. ad finem. *Reſuſcitatur Lazarus: Cajaphæ Prophetia.* 42 col. 1
Cap. XII. ab initio ad verſum 12. *Cœna Bethaniæ. Unguntur pedes Jeſu.* ibid. col. 2
Cap. XII. à verſu 12. ad verſum 20. *Chriſtus aſino inſidens Hieroſolymam ingreditur.* Pag. 44 col. 1
Cap. XII. à verſu 20. ad finem. *Græci Chriſtum videre avent. Vox è Coelis.* ibid. col. 2
Cap. XIII. ab initio ad verſum 27. *Cœnatum Bethaniæ, ibidem Chriſti caput inungitur binas noctes ante Paſcha: tunc Chriſtus Diſcipulorum pedes lavat; Judæ intinctam offulam dat, in quem intrat diabolus.* 48 col. 2
Cap. XIII. verſ. 27, 28, 29, 30. *Satanas in Judam introit: De proditione Domini ſui tranſigit.* 50 col. 1
Cap. XIII. à verſu 31. ad finem, & Cap. XIV. totum. *Chriſtus Diſcipulos ſuos ſolatur, &c.* ibid. col. 1
Cap. XV. XVI. XVII. *Ultimus Chriſti ſermo cum diſcipulis habitus: ipſiuſque pro illis Oratio.* 51 col. 2
Cap. XVIII. & Cap. XIX. totum. *Chriſtus prehenditur: ſiſtitur ad Tribunal: ipſius mors & ſepultura.* 52 col. 1
Cap. XX. ab initio ad verſum 19. *Chriſti reſurrectio: prima apparitio, viz. Mariæ Magdalenæ.* 58 col. 1
Cap. XX. à verſu 19. ad verſum 26. *Tertia ipſius apparitio undecim facta.* 59 col. 2
Cap. XX. à verſu 26. ad finem. *Quarta ipſius apparitio, quum Thomas adeſſet.* ibid. col. 2
Cap. XXI. totum. *Quinta apparitio ſeptem ſcilicet Apoſtolis ad mare Tiberiadis, &c.* 60 col. 1

ACTA APOSTOLORUM.

Cap. I. 62 col. 1
Cap. II. ibid. col. 2
Cap. III. IV. 64 col. 1
Cap. V. ibid. col. 2
Cap. VI. VII. 65 col. 1
Cap. VIII. 66 col. 1
Cap. IX. ab initio ad verſum 23. 67 col. 2
Cap. IX. à verſu 23. ad verſum 32. 69 col. 1
Cap. IX. à verſu 32. ad finem. ibid. col. 2
Cap. X. totum. & Cap. XI. à principio ad verſum 19. ibid. col. 2 & 70 col. 2

Cap.

Digitized by Google

Cap. XI. à verſu 19. ad finem Capitis. Pag. 71 col. 2
Cap. XII. XIII. 72 col. 1
Cap. XII. ab initio ad verſum 20. 73 col. 1
Cap. XII. à verſu 20. ad verſum 24. 75 col. 1
Cap. XIII. ab initio ad verſum 14. 73 col. 1
Cap. XIII. à verſu 14. ad finem, & Cap. XIV. totum. 75 col. 2 & 76 col. 1
Cap. XV. 76 col. 1
Cap. XVI. 78 col. 2
Cap. XVII. 79 col. 1
Cap. XVIII. ibid. col. 2
Cap. XIX. à verſu 1. ad verſum 9. 82 col. 2
Cap. XIX. à verſu 9. ad verſum 21. 83 col. 1
Cap. XIX. verſ. 21, 22. ibid. col. 2
Cap. XIX. à verſu 23. ad finem. 88 col. 2
Cap. XX. verſ. 1, 2, 3. 89 col. 1
Cap. XX. verſ. 4, 5, 6. 94 col. 1
Cap. XX. verſus 6. pars poſterior, & deinceps ad finem. Cap. XXI. ab initio ad verſum 17. 97 col. 2
Cap. XXI. verſ. 17. 98 col. 1
Cap. XXI. à verſu 17. ad finem. 100 col. 2
Cap. XXII. 101 col. 1
Cap. XXIII. & XXIV. ad verſum 27. ibid. col. 2
Cap. XXIV. verſ. 27. 102 col. 1
Cap. XXV. & XXVI. ibid. col. 1
Cap. XXVII. ibid. col. 2
Cap. XXVIII. ab initio ad verſum 30. ibid. col. 2
Cap. XXVIII. verſ. 30, 31. 103 col. 1

Epiſtola ad ROMANOS. 95 col. 1
I. Epiſtola ad CORINTHIOS. 84 col. 1
II. Epiſtola ad CORINTHIOS. 92 col. 2
Epiſtola ad GALATAS. 103 col. 2
Epiſtola ad EPHESIOS. 105 col. 2
Epiſtola ad PHILIPPENSES. Pag. 106 col. 1
Epiſtola ad COLOSSENSES. ibid. col. 2
I. Epiſtola ad THESSALONICENSES. 80 col. 1
II. Epiſtola ad THESSALONICENSES. 81 col. 1
I. Epiſtola ad TIMOTHEUM. 89 col. 2
II. Epiſtola ad TIMOTHEUM. 104 col. 2
Epiſtola ad TITUM. 92 col. 1
Epiſtola ad PHILEMONEM. 107 col. 1
Epiſtola ad HEBRÆOS. 109 col. 1
Epiſtola JACOBI. 111 col. 2
I. Epiſtola PETRI. 113 col. 2
II. Epiſtola PETRI. 116 col. 1
Epiſtola JOHANNIS Trinæ. 117 col. 1
Epiſtolæ JUDÆ. 116 col. 2

APOCALYPSIS JOHANNIS.

Cap. I. II. III. 118 col. 2
Cap. IV. V. 119 col. 2
Cap. VI. 120 col. 1
Cap. VII. 121 col. 1
Cap. VIII. ibid. col. 1
Cap. IX. 122 col. 1
Cap. X. 123 col. 1
Cap. XI. ibid. col. 2
Cap. XII. 125 col. 1
Cap. XIII. ibid. col. 2
Cap. XIV. 127 col. 1
Cap. XV. ibid. col. 2
Cap. XVI. 128 col. 1
Cap. XVII. 129 col. 2
Cap. XVIII. & XIX. ab initio ad verſum 11. 130 col. 1
Cap. XIX. à verſ. 11. ad finem. ibid. col. 2
Cap. XX. ibid. col. 2
Cap. XXI. 133 col. 2
Cap. XXII. 134 col. 1

Digitized by Google

INDEX

Sectionum in Parergo de Excidio Urbis Hieroſolymiticæ.

SECTIO I. *Templi & Civitatis clades.* Pag. 138 col. 2
SECT. II. *Conditio & ſtatus Regionis Judaicæ poſt Urbis excidium.* 140 col. 1
SECT. III. *Synedrium adhuc Jabnæ coactum, Præſide Rabban Jochanane ben Zacchai.* 141 col. 2
SECT. IV. *Synedrium etiamnum Jabnæ ſedet, Præſide Rabban Gamaliele.* 142 col. 1
SECT. V. *Synedrium apud Jabnen adhuc: Præſes R. Akibah.* ibid. col. 2
SECT. VI. *Synedrium apud Usham & Shepharaam* אושא ושפרעם. *Rabban Simeon Præſes.* 144 col. 1
SECT. VII. *Synedrium apud Betshaaraim, Tſipporim, & Tiberiadem agit, Præſide R. Judâ.* Pag. 144 col. 2
SECT. VIII. *De ſcholis viriſque eruditis, qui poſt mortem R. Judæ floruerunt.* 145 col. 2
SECT. IX. *Status & Diſpoſitio populi.* 146 col. 1
SECT. X. *In quantum Judæi, in primordiis Chriſtianiſmi, eum vel infeſtarint vel inquinarint.* 148 col. 1
SECT. XI. *Judæi, utut Chriſtianis offenſi, ne unicum quidem nobis mendoſum textum obtrudere in hunc uſque diem poterant.* 149 col. 2
SECT. XII. *De futura Judæorum converſione.* 151 col. 1

HORÆ

Digitized by Google

HORÆ
HEBRAICÆ
ET
TALMUDICÆ,

Impenſæ

I. *In Chorographiam aliquam Terræ* ISRAELITICÆ.
II. *In Euangelium* S. MATTHÆI.

Digitized by Google

CENTURIA CHOROGRAPHICA,

Face præſertim

TALMUDICA

Loca quædam terræ *Iſraëliticæ* memorabiliora perluſtrans,

Ea præcipuè quorum mentio apud

S. MATTHÆUM.

Digitized by Google

CENTURIA CHOROGRAPHICA,

Loca quædam memorabiliora terræ *Iſraëliticæ* perluſtrans;

Face præſertim Talmudicâ.

CAPUT I.

Terræ Partitio.

UNiverſum terrarum orbem partiuntur Scriptores *Judaici* in ארץ ישראל, *Terram Iſraëlis*, & חוצה לארץ, *Extra terram*, id eſt, Regiones Ethnicas. Utramque Phraſiologiam agnoſcit pagina Euangelica: *Terram Iſraëlis*, *Matth.* 2:20. atque Ethnicos vocat τȣ̀ς ἔξω, 1 *Cor.* 5:13. 1 *Tim.* 3:7. *&c.* & quandoque ipſos *Judæos* incredulos, *Marc.* 4:11.

Univerſum terrarum orbis populum diſtribuunt in ישראל, *Iſraëlitas*, & אומות העולם, *Nationes mundi.* Iſtam etiam Phraſiologiam agnoſcit eadem pagina Euangelica, *Matth.* 6:32. Πάντα ταῦτα τὰ Ἔθνη ἐπιζητεῖ, quod *Luc.* 12:30. eſt τὰ Ἔθνη τȣ̃ κόσμȣ. Hinc vox *Mundus* uſitatiſſimè pro Gentilibus, *Joan.* 3:16,17. 1 *Joan.* 2:2. *&c.*

Eſt ubi diſtinctio fit in ארץ *Terram* [*Iſraëliticam*] & מדינת הים *Regionem maris.* R. Sol in *Gittin*, *cap.* 1. וכל חל״ קרי מדינת הים בר מבבל *Atque omnis regio extranea vocatur regio maris, exceptâ Babyloniâ.* Verba ſunt *R. Solomonis*, quæ tamen ad incudem vocat *R. Niſſim*, Ibid. *Durius eſt*, inquit, *omnem regionem*, *quæ eſt extra terram*, *pro regione maris habere; nam tum ſub iſto nomine concluderentur loca omnia vicina*, *& quæ quaſi abſorbentur juxta terram. Dicunt ergò quod loca remotiora vocantur* מדינת הים. *At nec hoc mihi placet. Nam non tantâ diſtantiâ opus eſt*, *ut dicatur locus aliquis regio maris*, *&c. At dicitur in relatione ad oram Occidentalem terræ Iſraëlis*, *à quo latere non ſunt urbes* [Ethnicæ] *vicinæ & abſorptæ juxta terram*, *ſed mare diſterminat*, *at non ab aliis lateribus diſterminat*, *&c. Senſus ergò R. Solomonis*, *cum dicit*, *quod omnis regio extra terram eſt regio maris*, *huc redit*, *quod omnis regio*, *quæ ſimilis eſt regioni iſti*, *ſic vocatur.*

Erant ab ora iſta Occidentali urbes Ethnicæ; at, cum jacerent intra priſtinum terræ terminum, *maris* ſcilicet *Mediterranei* labium, non tam propriè dici potuerunt *Extra terram*, quam iſtæ, quæ omnino erant extra limites: peculiari ergo titulo dictæ ſunt iſtæ urbes atque iſta regio מדינת הים, hoc eſt, *ora*, vel *regio*, *juxta mare Mediterraneum.* Quem titulum etiam ſubierunt omnes aliæ civitates ejuſdem conditionis, intra limites terræ ubicunque ſitæ. Exempla non deerunt procedentibus.

TERRAM ISRAELITICAM duplici ſub notione vulgo definiunt: eam ſcilicet, שהחזיקו בה עולי מצרים, *quam poſſederunt iſti*, *qui exierunt ex Ægypto*; atque eam, שהחזיקו בה עולי בבל, *quam poſſederunt iſti*, *qui exierunt è Babylone:* hanc illâ arctioribus limitibus quamplurimis in locis circumſcriptam, non ſolum ob rejectam excluſamque *Samariam*, ſed quod exſectæ eſſent portiones quædam, eæque nec paucæ, nec minutæ, quæ aſcendentibus ex *Ægypto* ceſſerant in poſſeſſiones, at ſub Templo ſecundo tranſierant in Ethnicas.

Ideo autem accuratiores erant de limitum obſervatione, terram hanc, & ab aliis omnibus, & alicubi quaſi à ſeipſa, notis finibus diſterminantes, quod plurima religionis ſuæ myſteria non alibi quam intra hos limites tractanda definirent: vide *R. Sol*, in *Numer.* 34. Nam, præter illos iſtius Oeconomiæ ritus, quos palam & apertè terræ iſti affigit Scriptura Sacra, quales ſunt Sacrificia, Paſchata, Sacerdo-

Digitized by Google

cerdotium aliaque iſtiuſmodi ſtatuta , (quæ vulgo & non incongruè מצות תלויות בארץ, *ſtatuta terræ iſti appendentia* , vocantur) plurima etiam alia intra eoſdem limites circumſcribuntur à Patribus Traditionum.

Kelim, cap. 1. hal. 6. & *Hieroſol. Shekalim*, fol. 47. 4. *Decem ſanctitatibus* , inquiunt, *ſanctificata eſt terra Iſraëlitica præ omnibus aliis terris. Et quænam ejus ſanctitas? Ex ea adducunt manipulum* , *& primitias* , *& duos panes*, *& non ità è quavis alia terra.*

Maimon. in רוצח cap. 10. *Non obtinet lex de vacca decapitanda , niſi in terra Iſraëlitica , atque ultra Jordanem.*

Idem in קדוש חדש cap. 1. *Non ſtatuunt aut determinant de Neomeniis, nec intercalant annum , niſi in terra Iſraëlitica : ſicut dicitur*, Prodibit lex è Sione : vide *Hieroſol. Nedarim*, fol. 40. col. 1.

Idem in *Sanhedrin* , cap. 4. *Non promovent ad Presbyteratum, extra terram Iſraëliticam : non , etiamſi promoventes ipſi promoti fuerint intra terram.*

Et, ne plura cumulemus, ipſum Spiritum Sanctum intra limites terræ iſtius ferè circumſcribunt. Nam, ut habet *R. Sol* , in *Jonæ Cap.* 1. *Shecinah* , inquiunt, *non habitat ſuper quemvis extra terram.* Confer *Act.* 10: 45.

Terram, quam poſſederunt *Judæi* aſcendentes è *Babylone*, ſic partiuntur.

Sheviith , cap. 9. hal. 2. *Tres ſunt terræ* [vel *regiones* , שלשה ארצות] *Judæa*, *Trans-Jordanica & Galilæa. Atque unicuique harum ſunt tres regiones* : iſtas obſervabimus ſuis locis. Receptam hanc diviſionem reſpicit *Salvator* , cum Diſcipulos ad oves perditas *Iſraëlis* mittens prædicatum excludit *Samariam* , *Matth.* 10: 5. Quæ pro conditione gentis nec merè *Ethnica* erat, nec verè *Iſraëlitica*. Non Ethnica , nam juxta *Hieroſol. Avoda Zara*, fol. 44. col. 4. ארץ כותים טהורה ומקוותיה ומדרותיה ושביליה טהורין, *Terra Samaritica reputata eſt munda* , *& collectiones aquarum ejus mundæ* , *atque habitationes mundæ* , *& ſemitæ mundæ* ; quod nullo modo de terra Ethnica dixerit curioſitas *Judaica* : at quoad multa alia , nullum inter eos & Gentiles diſcrimen.

Applicant ſpeciatim quidem magiſtri *Judæorum* diviſionem iſtam de tribus regionibus, loco allegato , ad traditionem & Canonem de ביעור : at ubique tamen eandem partitionem retinent, ubicunque ab iis agitur de diviſione terræ *Iſraëliticæ*. Quid ביעור ſibi velit, diſcas licet à Gloſſatoribus in locum. Ut compendio dicam , hoc erat. Anno ſeptimo fructus in apothecas repoſitos comedere licuit, quamdiu penderent aliqui iſtius generis fructus in arbore, in iſta regione : cum vero ulterius in arboribus invenire eos non erat, iſtos, quos collegerant , atque domi repoſuerant, ejicere oportuit, & non de iis comedere ita ut antea.

CAP. II.

Cingulum terræ ſub Templo ſecundo Talmudicum : ex Hieroſol. Sheviith, fol. 36. col. 3.

ניסים שבים, Ibid. col. 4.

תחומי א"י כל שהחזיקו בה
עולי בבל: פרשת חומרת מגדל
שיר וש"נ דרוך ושורא דעכו
וקציריא תלילא וכברתה
ובית זניתה וקובעיא ומילתה רביר
ובוריי רבתא תפנים וסנפתה ומחרתא
דייתיר וממציא דאבהתא וראש מי
געתון וגעתון עצמה מי ספר ומרחשת
ומגדל חרוב ואולם רבתא ונוקבתא
דעיון ותוקרת ברכה רבא ובר סנגרא
ותרנגולא עילאה דלמעלה מן קיסרין
וטרכונא דמתחם לבוצרה ומלח
חרכאי ינמרין ובית סכל וקנת ורפיח
דחגרא ודרך הגדולה ההולכת למדבר
חשבון ויבקא ונחלא דזרד ויגר
שהדותא ורקם הגעה וגיא דאשקלון.

Quid ſibi hæc omnia velint , non datur vel conjectari, imo vix datur , quid aliqua horum ſibi velint ; nec adeſt Oedipus , nec Sphinx ipſa. Silent ipſi *Talmudici* à commentando , nec adeſt nobis alius, qui commentetur. Ad nutus ergo hic agendum eſt & nictus, idque vel ſilentio vel merâ conjecturâ, cum animus loquentium vel omnino neſciatur, vel omnino de eo dubitetur, an ſciatur. Pulſanda vicatim locorum horum oſtia , ne exſpectes ; ſat erit , ſi vel locorum regiones ruſpari poſſumus, &, ad quoſnam cœli cardines ſint diſpoſita, augurari. Nos inpræſentiarum primam tantum atque ultimam periochæ clauſulas in manus ſumemus , quæ ad introitum noſtrum in negotium præſens aliquantum faciant , reliqua [ſi qua ſunt , quæ aſſequi poſſumus] ſuis locis tractaturi.

Hi ſunt limites, inquiunt, *Terræ Iſraëliticæ , quam poſſiderunt aſcendentes è Babylone.*

פרשת חומרת מגדל שיר *Diviſio*, vel *pars* , *mænium turris Sid.* Nec auſim hoc ſtrenuè de *Turri Stratonis*, vel *Cæſarea*, dictum aſſerere, nec tamen novi cui commodius aptetur. Vocatam eam à *Talmudicis* מגדל שיר obſervamus ſuo loco , quæ quantillo apiculo [promptiſſim èque incuriâ confundendo] ab hac voce diſtet, teſtatur oculus cujuſvis legentis. Conjecturam forſan firmare poteſt , quod tam cito ſequatur עכו nomen *Aconis*,

Digitized by Google

Aconis, שינ" דרור tantum intercedente: de quo nihil adeſt quod dicamus,. ſi modò illud, quod occurrit apud *Babylonicos*, locum aliquem hic obtinere non poſſit. Dicunt illi *in Babylon. Sanhedrin*, fol. 96. 2. תא אשינא דטורא, quod à Gloſſatore redditur בא דרך תחתית ההרים, *Itom via infim*, *infra montes*, atque illi te protegent à nivibus & pluvia. Supponi ergò hinc poſſet, vocem שינ" viam aliquam denotare ad pedem alicujus montani, quæ erat quaſi linea diſſecans, inter *terram Iſraëlis* atque *Extra terram*; fortè ad pedem montis *Carmeli*: ſed non aſſerimus; malumus vel ſilentium vel ignorantiam profiteri, quam levi conjecturâ vel decipere vel decipi.

Diverſæ conditionis ſunt loca iſta, de quibus hic agunt *Talmudici*, ab iſto locorum genere, quod vocabatur מדינת הים *Regio maris*: nam erant iſta loca, oppida hinc illinc quædam in ora hac maritima alibique, quæ habitata quidem erant ab Ethnicis, & ſic propriè reputari pro ſolo *Iſraëlitico* non potuerunt; inter quæ tamen atque ultimos terræ limites erat iterum ſolum *Iſraëliticum*. At loca hæc, de quibus jam agimus, ea erant, quæ ultimi erant limites, atque ultra quæ non erant prorſus, niſi quæ reputanda eſſet *terra Ethnica*: totam ſcilicet exinde oram occupantibus *Phœnicibus*, *Syris*, aut aliis Gentilibus, ad littus uſque maris Mediterranei.

Præterire etiam non poſſumus ea, quæ à *Gemariſtis* dicuntur ipſiſſimâ eâdem paginâ, è qua ſchema antea propoſitum deſumitur. הניסים שבים את רואה אותן כאילו חוט מתוח מטורי אמנה עד נחל מצרים. *Inſulas vides in mari, ac ſi linea ducta eſſet à montibus Amanæ ad fluvium Ægypti: quodcunque eſt intra lineam, eſt de terra Iſraëlitica; quodcunque eſt extra lineam, eſt extra terram.* Eodem modo & *Targum Hieroſolymitanum* in *Numer.* 34:4. *Et limes veſter Occidentalis erit mare magnum, atque inſulæ ejus.* Inſulæ? quænam? Perpendant hæc autores Tabularum.

CAP. III.

Magna pars Judææ Auſtralis exſecta ſub Templo ſecundo. Idumæa Judaica.

TErminatur, ut vides, cingulum *Talmudicum* in רקם הגועה וגיא דאשקלון *Cadesh Barnea, & Aſcalone.*

Hinc non obſervari non poteſt, duo hæc loca in parallelo quaſi ſita eſſe, excluſumque quodcunque ſpatii interjacet inter *Aſcalonem* & *fluvium Ægypti*: LIV. ſcilicet milliarium. Atque aliqua quidem veſtigia iſtiuſmodi excluſionis videre ferè licet ſub Templo primo, in tritiſſima iſta locutione, *A Dan uſque ad Beerſhebam.*

Incultior erat hæc regio, quæ excluſa. De ea ſic *Talmudici Hieroſol.* ubi ante. *Iſte tractus, qui eſt in Gerariku* [Gerare] *eſt malæ habitationis. Uſque quo? Ad fluvium Ægypti.* Et Strabo, lib. 16. *Quæ Gazam ſequitur regio, ſterilis eſt & arenoſa, &c.*

Habitata fuit olim ab *Avæis*, à Gaza ſcilicet ad fluvium Ægypti. *Habitarunt Avæi in Hazerim*, *Deut.* 2: 23. *Hazar* eſt vox frequentiſſimæ memoriæ in terra iſta Auſtrali, *Hazar-Addar*, *Hazar-Gaddah*, *Hazar-Shua*, *Hazar-Suſah*, &c. Videturque campeſtrem aliquam planitiem ac aream denotare, inter montes interjectam. Hinc *Avæorum* habitatio *Hazerim* dicitur, qui cum *Philiſtæis* numerantur, at tamen ſeorſim, *Joſuæ* 13:3. Nam vide illic ut textus ſacer, quinque gentes tantum numerare ſpondens, ſex numeret.

Tranſiit excluſa hæc portio in nomen *Idumææ*: hinc *Plinius Natur. Hiſt.* lib. 5. cap. 13. *Mox incipit Idumæa & Palæſtina ab emerſu Sirbonis lacus.* Nec ea ſolum, ſed & permagna alia pars *Judææ*. Hinc *Diodoro Siculo*, pag. 734. mare *Sodomiticum* dicitur eſſe κατὰ μέσην Ἰδουμαίαν. Et *Joſepho*, libroque *Maccabaicῶν*, loca plurima invenimus ſub nomine *Idumææ* memorata, quæ in meditullio ferè erant *Judææ*. Exempli gratiâ, *Joſeph. Antiq.* lib. 12. & 1 *Macc.* 4: 15. Ἦλθεν μέχρι Γαδάρων, καὶ τῶν πεδίων τῆς Ἰδουμαίας, καὶ Ἀζώτου, καὶ Ἰαμνείας. Et rurſus, *Joſeph.* ibid. cap. 12. Ὁ δὲ Ἰούδας καὶ ἀδελφοὶ αὐτοῦ πολεμοῦντες τοὺς Ἰδουμαίους οὐκ ἀνίεσαν: ἀλλ' ἐνέκειντο πανταχόθεν αὐτοῖς· τήν τε Χεβρῶνα πόλιν καταλαμβανόμενοι, &c. καὶ Μάρισσαν πόλιν, &c. εἴς τε Ἄζωτον ἐλθόντες, &c. & plura paſſim. Ita ut diſtinguatur inter *Idumæam* majorem & minorem. Idem *de bello*, lib. 4. cap. 30. *Simon Geraſenus* τὰς ἀνὰ τὴν Ὀρεινὴν κώμας κατέτρεχεν, &c. κατέτρεχε δὲ τὴν Ἀκραβατηνὴν, καὶ τὰ μέχρι τῆς μεγάλης Ἰδουμαίας. Et memoria ſit ibid. cap. 33. τῆς ἄνω καλουμένης Ἰδουμαίας, &c. Confer cum his *Marcum*, Capitis tertii verſu octavo.

Dum è terra propria abeſſent *Judæi*, ſeptuagenariam ſervitutem patientes in *Babylone*, facile creditu eſt, veteres & ab ovo inimicos, *Edomæos*, poſſeſſiones eorum, quoad poterant, invaſiſſe radiceſque fixiſſe in regione præſertim iſta, quæ ſuæ maximè vicina: at tandem potentibus *Maccabæorum Aſmonæorumque* armis aut exſtirpatos, aut in *Judaiſmum* coactos. Sic *Joſephus* de *Hyrca-*

Digitized by Google

cano; *Antiq.* lib. 13. cap. 17. Ὑρκανὸς δὲ τῆς Ἰδουμαίας αἱρεῖ πόλεις Ἄδωρα καὶ Μάρισσαν· καὶ ἅπαντας τοὺς Ἰδουμαίους ὑποχειρίους ποιησάμενος ἐπέτρεψεν αὐτοῖς μένειν ἐν τῇ χώρᾳ, εἰ περιτέμνειν τε τὰ αἰδοῖα, καὶ τοῖς Ἰουδαίοις νόμοις χρῆσθαι θέλοιεν. Οἱ δὲ πόθῳ τῆς πατρίου γῆς, καὶ τὴν περιτομὴν, καὶ τὴν ἄλλην τοῦ βίου δίαιταν ὑπέμειναν τὴν αὐτὴν Ἰουδαίοις ποιήσασθαι. Hinc miſtum in regione iſta genus, *Judæo-Edomæum*; nomenque loci *Idumæa*, & *Judæa*; *Olivar.* in *Pompon. Melam*, lib. 1. cap. 11. *Diviſaque eſt Palæſtina in quinque regiones, Idumæam, Judæam, Samariam, Galilæam, & regionem trans Jordanem.*

CAP. IV.

Septem maria Talmudicis, & quatuor fluvii ad terræ ambitum.

IN *Hieroſol. Kilaim*, fol. 32. 1. & *Babylon. Bava Bathra*, fol. 74. 2. *Septem maria*, inquiunt, *& quatuor fluvii ambiunt terram Iſraëliticam.* I. ימא רבא, *Mare magnum*, ſive *Mediterraneum.* II. ימא דטיבריא, *Mare Tiberiadis.* III. ימא דמילחא, *Mare Sodomiticum.* IV. ימא דסמכו, *Lacus Samochonitis.* V. ימא דחולתא. VI. ימא דשליית. VII. ימא דאפמיא.

Quatuor hæc ultima alibi apud *Talmud Hieroſolymitanum* ſic ſcribuntur. IV. ימא דסבכו. V. דהילתא. VI. ימא דשלחת. VII. ימא דאפמיא.

Apud *Babylonicum* ſic. IV. ימה של סיבכו. V. ימה של חילת. VI. ימה של הילתא. VII. ימה דאפמיא.

Tria inter ſeptem primò nominata ſunt ſatis nota, & de quarto non dubitatur; tria tantum ejus nomina non ſunt prætereunda.

I. סבכי *Sibbichæum*: vox deduci videtur à סבך, *vepris.* II. סובכו, quod idem videtur ſonare (nam קוצים *Spinæ*, *Targumiſtis* ſunt כובי) eò quod lacus iſte multam profunditatem non habens, ſed æſtate plurimum arefactus, ſpinetis horreret & vepribus. III. סמכו. Unde vulgatum nomen *Samochonitis*, ס & ב in סבכי & סמכו alternantibus.

V. ימא דחולתא. Forſan *Mare arenoſum.* Quod lacui *Sirbonis*, adjuncto commentario *Diodori Siculi*, optimè quadrat: nam refert ille, adeo arenis plerunque operiri iſtum lacum, ut ſæpe viatores, imo totos exercitus, fefellerit & ſupplantaverit, terram firmam fuiſſe arbitrantes.

VI. ימא דשלחת. Non adeſt, quod de hoc dicamus, præter hoc obſervatum, quod cum etiam vocetur ab iiſdem *Gemariſtis* דשליית, ח gutturalis liquefieri videtur in י; quod Dialecto gentis non inuſitatum, ſic lenire atque emollire gutturales. Vocatur & *Babylonicis* חילתא, quod *junceum*, aut *algoſum*, *Talmudicis* aliquando ſignificat: ſed quodnam hoc mare, ignoramus. Non obliti tamen lacus *Cendevii*; ſed num iſte inter catalogum noſtrum ſit numerandus, hac ratione ambigimus, quod ab eadem ora ſit mare magnum.

VII. ימא דאפמיא. *Mare Apamiæ. Hieroſolymitani*, utrobique cum de eo loquuntur, hæc addunt: ימא דאפמיא איכא ימא דחמץ, *Mare Apamiæ idem eſt cum mari Chamats.* דיקליטינוס הקוה נהרות ועשאו, *Dicletinus congregatis fluviis fieri curavit.* Erat ergo junioris editionis. De eo vide Caput ſexageſimum octavum.

Poſt maria iſta à *Talmudicis* memorata, audi etiam eorundem de piſcibus non macram fabulam. *Hieroſol. Taanith*, fol. 69. 2. *R. Chaninah bar R. Abhu dixit, Septingenta genera piſcium mundorum, & octingenta genera locuſtarum mundarum, & volucrum numerus infinitus, migrârunt cum Iſraële in Babylonem, & cum eo redeunte redierunt, excepto piſce* שיבוטא. *At quomodo piſces migrarunt? R. Honna bar Joſeph dicit,* דרך תהום גלו, *Per viam profundi migrarunt, & per profundum redierunt.*

Inventionem certè *Judaicam* requirit [quæ quidlibet poteſt cudere è quolibet] viam vel per mare aliquod, vel per fluvium aliquem inveſtigare, per quam natent piſces è *Palæſtina* in *Babyloniam.* Eadem arte, & *Jonam* in ventre Ceti è mari *Phœnicico* ducunt in *Mare rubrum*, *R. Sol*, in *Jon.* 2.

Duriuſculum quidem eſt illud; attamen non dubitandum, quod dicitur 2 *Paralip.* 8: 18. de *Hiramo* naves ad *Solomonem* mittente in *Mare rubrum.* Quid? Naves à *Tyro* in *Mare rubrum?* Quanam tandem via eſt navigatum? Reſpondetur, Naves *Tyrias*, quæ multum diuque antea in *Mari rubro* negotiationem habuerant, mittit ille conſociandas claſſi *Solomonis.* Huc redit illud, quod ſimul dicitur, & 1 *Reg.* 9: 27. quod *miſit nautas etiam gnaros maris:* id eſt, gnaros iſtius maris; quique, ut probabile eſt, non tum primum *Mare rubrum* velis tentarunt, ſed antea fuerant experti, atque iter *Ophiricum* non ignorarunt.

Quatuor fluvii ad ambitum terræ, inquiunt, ſunt:

I. ירדן, *Jordanes:* iſte ſatis notus.

II. ירמוך, *Jarmoch.* Plinio *Hieramax. Gaddaram*, inquit, *Hieramace præfluente*, *Natur. Hiſt.* lib. 5. cap. 18.

III. קירמיון, *Kirmion.*

IV. פיגה, *Pigah.* De quibus ſic *Aruch*, in קירמיון. *Kirmion eſt fluvius in via, quæ*

tendit

Digitized by Google

tendit ad Damaſcum: atque idem eſt cum Amanah. Pigah eſt Pharphar. Et Jarmoch eſt etiam fluvius in via ad Damaſcum.

Et *Talmudici*, *Parah*, cap. 8. hal. 10. *Aquæ Kirmionis & Pigæ non ſunt idoneæ*; [ad aſperſionem immundorum] *quia ſunt aquæ cænoſæ. Aquæ etiam Jordanis, atque aquæ Jarmoch, non ſunt idoneæ; quia ſunt aquæ mixtæ* [id eſt, ut Gloſſa] cum aquis fluviorum aliorum, quos intra ſe recipiunt.

Ad ſeptem maria, de quibus diximus, referuntur ea, quæ dicuntur à *Midraſch Tillim*, fol. 4.1. *Septem maria creavi, ait Dominus, ex omnibus autem iis non elegi, niſi mare Geneſariticum.*

Et fluvii *Amanæ*, de quo *Aruch*, occurrit memoria in *Targum* in *Cantic.* 4:8. *Offerent tibi munus habitantes juxta fluvium Amanam, &c.*

CAP. V.

Mare Sodomiticum. ים המלח.

JUdææ limes utrinque mare: Occidentalis, *Mediterraneum*; Orientalis, *Mortuum* aut *Sodomiticum*. Hoc *Judaici* Scriptores ubique vocant ים המלח, quod non tam propriè hic *Mare ſalſum* interpreteris, quam *Mare bituminoſum*. Quo ſenſu frequentiſſimè apud eos occurrit מלח סרומית, ad verbum, *Sal Sodomiticus*; at propriè *Bitumen*. Ejus uſus in thymiamate ſacro. Cum aromatibus thymiama iſtud conficientibus commiſcuerunt מלח סרומית *Bitumen*, כפרת הירדן *Ambram Jordanis*, & מעלה עשן Herbam paucis notam, *Maimon.* in *Kele Mikdash*, cap. 2.

Joſeph. Antiq. lib. 15.9. Ἀσφαλτῖτις λίμνη ἀπέχει τῶν Ἱεροσολυμιτῶν ὅρων σαδίους τʹ. Diſtat lacus *Aſphaltitis Hieroſolymis* ſtadiis CCC. [circiter XXXVIII. M. paſs.]

Idem *de bell. Jud.* lib. 4. cap. 27. Ταύτης τῆς λίμνης μῆκος μὲν ἐνενήκοντα καὶ πεντακόσιοι σάδιοι. *Longitudine extenditur* D. LXXX. *ſtad.* [LXXII. M. paſs.] Εὖρος δὲ πεντήκοντα καὶ ἑκατόν. *Latitudine* CL. *ſtad.* [XVIII. M. paſs.]

Plinius, *Natur. Hiſtor.* lib. 5. cap. 16. *Longitudine excedit* CM. *paſſuum*, *latitudine maximâ* XXV. *implet*, *minimâ ſex.* Quàm parum inter hos convenit! Suſpicor *Joſephum* non lingulam maris intra menſuram ſuam comprehendere, de qua mentio *Joſuæ* 15:2. latitudinemque definire prout generaliter ubique diffuſam. De diſtantia ejus ab *Hieroſolymis* etiam *Solinus*, *Polyhiſt.* cap. 38. *Longo ab Hieroſolymis receſſu*, inquit, *triſtis panditur ſinus*, *quem de cælo tactum teſtatur humus nigra*, *& in cinerem ſoluta. Duo ibi oppida: Sodomum nominatum alterum, alterum Gomorrum.* Diſtantia autem iſta non erat directè Auſtrum verſus, ſed longiſſimâ etiam declinatione in Orientem.

Rem abjectioni atque execrationi devotam, quaque nullo modò eſt utendum, *Talmudici* abdicant ad mare *Sodomiticum*, לים המלח.

Hieroſol. Avodah Zarah, fol. 39.2. יוליך הנייה לים המלח *Abdicet is uſum talis rei in mare Bituminoſum.*

Hieroſol. Sotah, fol. 19. 1. & *Nazir*, cap. 4. hal. 4. *Oblationis pro peccato, cujus poſſeſſor mortuus eſt, cedat pretium* לים המלח *in mare Salſum.*

Hieroſol. Demai, fol. 25.13. עקילס הגר *Aquila Proſelytus diviſit hæreditatem cum fratre ſuo Gentili, atque uſumfructum ejus abdicavit ad mare Salſum. E tribus doctoribus unus dicit, quod nummos Idololatriæ abdicavit in mare Salſum.* Hinc alluſio, *Apoc.* 20:14.

Non arridet quod *Sodoma* in Tabulis locetur in finibus *Aſphaltitis* Aquilonaribus, cum potius in extremitate ejus Auſtrali collocanda videatur. Nam

I. Limites terræ ſic definiuntur à Moſe, *Gen.* 10:19. *Termini Canaanæorum erant à Sidone* [ab Aquilone] *ad Gazam* [ab Auſtro] *ut pergis*, vel *donec accedas*, *ad Sodomam.* Nonne hîc flectitur limes à *Gaza* ad ultimum terminum ei oppoſitum ab Oriente?

II. *Joſephus* in deſcriptione *Aſphaltitis*, quam modò exhibuimus, hæc habet, *de bello*, lib. 4. cap. 27. *Longitudo ejus eſt* D. LXXX. *ſtad.* καθὸ δὴ μέχρι Ζοάρων τῆς Ἀραβίας ἐκτείνεται. *Prout extenditur uſque ad Zoarem Arabiæ.* Nota ultimam extenſionis ejus oram, Auſtrum verſus, eſſe ad *Zoarem*; jam verò *Zoar* non multum diſtabat à *Sodoma*, cùm *Lothus* cum ſuis illuc iter confeciſſet ante ortum Solem, *Geneſ.* 19:23. *Scriptum eſt*, inquiunt *Gemariſtæ Hieroſol. Beracoth*, fol. 2. 3. *Sol prodiit in terram, cùm Lot intraret in Zoarem. A Sodoma autem ad Zoarem erant quatuor milliaria.*

Oſtendunt Tabulæ *Zoarem* & *ſpeluncam Loti* in *Judæa*, ad oram *Aſphaltitis* ferè Borealem. Quâ autoritate, ego non aſſequor. Memorant *Talmudici* quidem *Zoarem* quandam, quam etiam vocant *Civitatem palmarum. Jebammoth*, cap. 16. hal. ult. *Hiſtoria eſt*, inquiunt, *de quibuſdam Levitis, qui profecti ſunt Zoarem civitatem palmarum; & unus eorum ægrotavit, quem tulerunt in*

diverſorium; *atque ille ibi mortuus eſt*, &c. At citiùs ego crediderim duas fuiſſe *Zoaras*, quam non crediderim patrem *Moabitarum* conceptum & natum prope *Zoarem Moabitidis.* Vide *Eſaj.* 15:5.

De ætate *Sodomæ* cùm periret, vide *Babylon. Shabb.* fol. 10. 2. & 11. 1. & *Juchaſin*, fol. 8. 1. & perpende loca.

CAP. VI.

Ora Aſphaltitis, Eſſeni, Engedi.

PLinius, lib. 5. cap. 17. *Ab Occidentali* [*Aſphaltitis*] *littore Eſſeni, quos fugitant uſquequaque nocentes. Gens ſola & in toto orbe præter cæteras mira, ſine ulla fœmina, omni Venere abdicatâ*, &c. *Infra hos, Engadda oppidum fuit, ſecundum ab Hieroſolymis, fertilitate, palmetorumque nemoribus, nunc alterum buſtum. Indè Maſſada, caſtellum in rupe, & ipſum haud procul ab Aſphaltite.*

Paria *Solinus*, *Plinii* umbra, cap. 38. *Interiora Judææ*, inquit, *quæ Occidentem contuentur, Eſſeni tenent*, &c. *Oppidum Engadda infra Eſſenos fuit, ſed exciſum eſt: verum inclytis nemoribus adhuc durat decus, lucíſque palmarum eminentiſſimis nihil vel ævo vel bello derogatum. Judææ terminus, Maſſada Caſtellum.*

Loca quærimus non homines: *Eſſenorum* hiſtoriam aliter ordiremur, à verbis iſtis, *Judic.* 1:16. *Et filii Kenæi, ſoceri Moſis, egreſſi ſunt è civitate palmarum, cum filiis Judæ in deſertum Judæ.* Ab his *Rechabitæ*, & vel à ſtirpe, vel ab exemplo eorum, ſupponimus *Eſſenos.* Quod ſi verum; hoc de pravo ſitu *Engedi* in Tabulis formamus argumentum, Septentrionem verſus nimium locatæ, cum in extremis oris Auſtralibus eſſet collocanda.

Si *Eſſeni* iidem fuerunt cum *Kenæis* ſede locoque, habitaverintque *Kenæi* ultra *Arad* verſus Auſtrum, aut æqualiter quidem cum *Arad*, quod aſſeritur textu allegato; ſique infra hos fuerit *Engedi*, quod etiam aſſeritur ab autoribus citatis, tum certè longè, loco proprio diſſitam, diſpoſuerunt eam Tabulæ, nimium verſus Septentrionem. Intuere eas, & hæc cogita. Cui & hoc addimus.

Limites terræ meridionales *Ezech.* 47:19. [ipſiſſimi iidem, qui *Numer.* 34. & *Joſuæ* 15] ſic enuntiantur: *Ora Auſtralis verſus Auſtrum à Tamare ad aquas Meribæ in Cadesh*, &c. Jam vero *Tamar* & *Engedi* idem ſonant, 2. *Paral.* 20:2. Nec adeſt ulla ratio, quare *Tamarem* aliam alibi quæreremus. *Chaldæus* certè, & *R. R. Jarchius* & *Kimchius*, eum ſecuti, *Tamar* reddiderunt *Jerichunta* apud *Ezechielem.* At quânam tandem ratione? Nam quomodo, quæſo, poſſibile fuit, ut *Jerichus* fieret limes terræ Auſtralis, cum *Judææ* foret limes extremus verſus Aquilonem? Hoc eos abſque dubio ad iſtam verſionem vocis adegit, quod *Jericho* vocetur *civitas palmarum*, *Tamarque Palmam* ſignificet; cum ne latum quidem unguem, quoad gloriam palmetorum, cederet *Engedi Jerichunti.*

An *Tadmor*, 1 *Reg.* 9:18. eadem ſit cum *Tamare* hac noſtra, atque an *Tadmor* apud *Talmudicos* eadem ſit cum *Tadmore* iſta, lectoribus relinquimus perpendendum; hæc pauca de ea, quæ ab iis referuntur, perpenſionis iſtiuſmodi gratiâ, adducimus.

Hieroſol. Jebamm. fol. 3. 2. *Recipiunt Proſelytos à Cardyæis & Tadmoræis. R. Abbu nomine R. Jochananis dicit, Traditio aſſerit quod Proſelyti Tadmoræi ſunt idonei, ut introeant in congregationem.* Dictum erat paulò antè, *Haggai Propheta hæc tria docuit.* צרת הברת *Rivalis filiæ* [Sacerdotis] *duci in uxorem poteſt à Sacerdote. Moabitæ atque Ammonitæ decimare debent decimam pauperum anno ſeptimo. Et Proſelyti Tadmoræi idonei ſunt, ut ingrediantur in Congregationem.*

Recitatur hæc hiſtoria in *Miſchna Hieroſolymitana*, *Nazir*, cap. 6. hal. 13. מרים תרמודית *Maria Tadmoræa ſparſam in ſe habens partem ſanguinis*, [quâ erat purificanda] *audiit in ipſo iſthoc articulo temporis, mortuam eſſe filiam ſuam*, &c. At *Babylonica* eam vocat תרמודית *Tarmodæam. A loco Tarmud*, inquit Gloſſa. *Babylon. Shabb.* fol. 21. 2. & *Aruch* in תרמד [*Tarmudæi* תרמודאי *Babylonicis* dicuntur pauperes quidam, qui colligendis, vendendiſque lignis victum ſibi acquiſiverunt.]

Hieroſol. Taanith, fol. 69. 2. *R. Jochanan dixit, Beatus eſt, qui viderit ruinam Tadmor: nam ea communicavit in excidio Templi primi ac ſecundi. In excidio primi adduxit* 80000. *ſagittarios: & ſic in excidio ſecundi.*

CAP. VII.

Cadesh, רקם. *Ea duplex: at quæritur, an bene duplicata in Tabulis?*

OBſervabit Interpretum Orientalium lector, קדש *Cadesh* ab omnibus reddi רקם *Rekam*, aut ſono admodum propinquo. *Chaldæo* eſt *Rekam*: *Syro*, *Rekem*: *Arabi*, *Rakim.* Et *Cadesh Barnea Onkeloſio* eſt רקם גיאה, *Jonathani* רקם גיעה [è quibus collatis obſervare licet liquefactionem gutturalis ע.] *Targ. Hieroſol.* רקם הגיעא. *Gemariſtis* רקם נועה.

Duo loca, nomine רקם *Rekam* inſignita [id eſt, duplex *Cadesh*] erant in ipſis terræ

terræ limitibus, Auſtrali atque Orientali.

I. De *Cadesh*, vel *Rekam*, in parte Auſtrali non dubitatur.

II. De ea in Orientali hæc mentio. מרקם ולמזרח ורקם כמזרח. Vide *Miſchna Hieroſol.* in *Gittin*, cap. 1. *A Rekam ad Orientem, & Rekam eſt ſicut Oriens*: hoc eſt, interprete *R. Niſſim*, *Rekam ipſa pro Oriente mundi reputatur*, [id eſt, pro terra *Ethnica*] *non pro terra Iſraëlitica.* En *Rekam*, vel *Cadesh*, etiam ab Oriente! Aſt aliam *Cadesh* præter *Barneam*, Orientalemque hanc *Rekam*, finxerunt ſibi Tabulæ, quò acceſſiſſe opinantur populum *Iſraëliticum* anno peregrinationis ſuæ quadrageſimo, *Numer.* 20. Rationes aliquas, quibus ad id adducti fuerunt earum autores, has ſupponimus.

I. Quod *Cadesh Barnea* fuerit in deſerto *Paran*, *Num.* 12:16. & 14:1. *Cadesh* verò, quò perventum eſt anno quadrageſimo, in deſerto *Zin*, *Numer.* 20:1. *Reſp.* Exploratores terræ, à *Cadesh Barnea* diſcedentes, dicuntur etiam è deſerto *Zin* prodiiſſe, *Numer.* 13:21. *Paran* erat generale nomen horrendi iſtius deſerti: *Zin* una tantùm pars.

II. In *Cadesh Barnea* caſtra-metati ſunt per dies plurimos, *Deut.* 1:46. at in iſta *Cadesh*, de qua mentio *Numer.* 20. non erat, unde alerentur in diem unam. Queruntur enim, quod eſſet locus ſemine, ficubus, vitibus, malogranatis, omnino vacuus, *Numer.* 20:5. quod omnino non queſti ſunt, dum manerent in *Cadesh Barnea*. *Reſp.* Omiſſo, quod, ubicunque caſtra-metati ſunt, alti ſunt à Manna; orta ipſis eſt querela, non tam de iſthoc ipſo loco, quam, ut ita dicam, de omine & præjudicio loci, quippe quod ex hujus loci ſterilitate præjudicarent de pari ſterilitate terræ iſtius, in quam erant ingreſſuri, & cujus veluti πρόθυρον erat *Cadesh Barnea.* Cùm huc appellerent primò, ante annos jam triginta octo, *Ad montem Amorrhæorum acceſſiſtis*, inquit *Moſes*, *quem vobis dat Dominus*, *Deut.* 1:20, 21. Itane! [cogitant ſecum illi] Non meliora promittit primus introitus terræ promiſſionis? Parum ſpei de ipſa terra, ſi talia primordia. Convenit ergo, ut exploratores præmittamus, qui nobis renuntient, an tanti ſit, ut noſmetipſos defatigemus, periclitemurque, ſolo adeundo, cujus prima facies tam horrida, & deſperabunda. Confer *Deut.* 1:20, 21, 22. Atque hinc infelix argumentum præ oculis, quo cogente, tam unanimi calculo, à toto cœtu contra terram eſt concluſum, & clamatum. Cumque jam poſt tantum temporis elapſum, eòdem eſt recurſum; eadem cogitant, diffidunt, & queruntur.

III. In *Cadesh Barnea* ſuppetiit iis aqua; in *Cadesh*, quò acceſſum anno quadrageſimo, aqua nulla, *Numer.* 20:5, &c. *Reſp.* Biberunt, cùm primum *Cadesh Barneam* accederent, de rupe, quæ eos eſt ſecuta, 1 *Cor.* 10:2. quæ jam terram illico intraturis exaruerat. Si quæris, quare jam exaruerant rivi iſti ſequaces, *Cadesh Barneam* appellentibus, quæ antea illuc appellentibus non exaruerant: quæro & ego, quare ad aliam *Cadesh* accedentibus exaruerunt?

IV. De *Cadesh*, quò acceſſerunt anno peregrinationis ultimo, dicitur, quod urbs eſſet in ultimis oris terræ *Edomææ*: à Rege itaque veniam implorant per terram *Edomæam* tranſeundi, *Numer.* 20:16, 17. *Reſp.* Nihil omnino prohibet, quo minus hæc dici poſſint de *Cadesh Barnea*: quæ monti *Amorrhæorum*, id eſt, montano *Judææ*, jacens contigua acceſſionem tanto exercitui oſtendit, & promiſit, perplexam tantùm atque imperviam; planiorem ergo à Rege *Edomæo* quærunt, ſed non impetrant.

V. Illud forſan, quod præcipuè movit, hoc erat, quod ſuppoſitâ unâ tantum *Cadesh*, *Barneâ* ſcilicet, vix poſſibile erit caſtra-metationes *Iſraëlis* in eremo, eorumque loco-motiones, non confundere. *Reſp.* Eadem erit facilitas eas ordinandi, in verum modò ſenſum reducas verſiculos ſextum & ſeptimum *Capitis* 10. *Deuter.* atque in concordiam cum *Numer.* 33. à *verſu* 31. ad *verſum* 41. quod non arduum. Sed hæc, impræſentiarum, extra metas noſtras. Satis liquet *Cadesh* iſtam, ad quam acceſſerunt anno quadrageſimo, [quæ & *Meribah* dicta eſt, *Numer.* 20:13] eandem eſſe cum *Cadesh Barnea*, ex hoc, quod *Meribah* in *Cadesh* aſſignetur pro termino terræ Auſtrali, *Ezech.* 47:19. qui terminus ab olim erat *Cadesh Barnea*, *Numer.* 34:4. *Joſ.* 15:3.

CAP. VIII.

Fluvius Ægypti Rhinocorura. Sirbonis Lacus.

PLinius, *Nat. Hiſt.* lib. 5. cap. 12. *A Peluſio Chabriæ caſtra. Caſius mons. Delubrum Jovis Caſii. Tumulus magni Pompeji. Oſtracine. Arabia finitur à Peluſio* LXV. M. *paſſuum: mox incipit Idumæa & Palæſtina ab emerſu Sirbonis lacûs.* Aut me fallunt oculi mei, dum hæc lego; aut *mons Caſius* propius *Peluſium* jacet, quàm *Sirbonis* lacus. Tabulæ *Sirbonem* inter *Caſium montem* & *Peluſium* collocarunt pravè.

Sirbon שרבון *Ardorem* denotat, nomine lacus ab ejus natura deducto ignea & bituminoſa. Deſcribitur à *Diodoro Siculo*, *Strabone*, aliiſque, quos vide. Lacus eſt *Sodomitico*

mitico par, & forſan paris fuit fati & originis; divinæ ſcilicet indignationis exemplum: quid ſi monumentum horrendi iſtius terræmotus in diebus *Uzziæ?* *Amoſ.* 1:1. *Zach.* 14:5. cùm etiam igne contenderet Deus, *Amoſ.* 7:4. ita ut perirent urbes quædam more *Sodomæ* & *Gomorrhæ*, *Amoſ.* 4:11. *Eſaj.* 1:9.

נחל מצרים Terminus extremus terræ *Iſraëliticæ* verſus Auſtrum, non eſt *Nilus* in *Ægypto*, ſed *Shibor* in via ad *Ægyptum*, *Joſuæ* 13:3. *Jer.* 2:18. LXX. Interpretibus eſt *Rhinocorura*; nam illud in *Eſaj.* 27:12. עד נחל מצרים reddunt Ἕως Ῥινοκούρων: de quo loco & nomine, à truncatis naribus deducto, vide *Diodorum Siculum*, lib. 1.

C A P. IX.

Judææ facies.

Hieroſol. Schevïith, fol. 38:2. *In Judæa ſunt Montanum, Planities, & Convallis. Quodnam eſt Montanum Judææ?* והר המלך. *Eſt mons Regalis. Planities ejus eſt Planities Auſtri. Convallis eſt ab Engedi ad Hierichuntem. Planities Lyddæ eſt ſicut Planities Auſtri: montanumque ejus eſt ſicut montanum Regale.* מבית הורון ועד הים מדינה אחת פראכורן: *A Beth-horon ad mare eſt regio una* περίχωρος. *Dicit R. Jochanan, Eſt tamen ei Montanum, & Planities, & Convallis. A Beth-horone ad Emmaunta eſt Montanum: ab Emmaunte ad Lyddam Planities: à Lydda ad mare Convallis.*

Judæam non immeritò quadripartiaris: in regionem ſcilicet olim *Philiſtæorum*, quæ partem Occidentalem occupavit. Hanc ab Oriente excepit montanum *Judææ*, quod & *Mons Regalis* appellatur. Montanum ab Oriente excepit planities, regio montibus depreſſior & planior, quæ tamen & alicubi montes ſuos habuit. Hinc illud שפלה שבהר כהר והר שבשפלה בשפלה. *Convallis inter montana æſtimatur cum montano: & montes in convalli connumerantur cum convalli.* Idem, ibid. (Φαραγγώδη τῶν ὀρῶν, *Joſeph. Antiq.* lib. 13. cap. 13.) Planitiem, Orientem verſus, excepit Convallis, planitie depreſſior, ora ſcilicet maris *Sodomitici*, ac tandem *Jordanis.*

Benjamitidos itidem, quæ cum *Judæa* connumeratur, eadem ſuperficiei conditio, quæ, quamvis, ut loquitur *Joſeph. Antiq.* lib. 5. cap. 1. Στενότατος ὁ κλῆρος οὗτος ἦν διὰ τὴν τῆς γῆς ἀρετήν, montanum tamen ſuum habuit, & planitiem, & convallem, idque non ſolùm *Lyddam* verſus & mare magnum, ſed *Jerichunta* verſus & *Jordanem.*

Privilegia *Judææ* præ omnibus aliis terræ *Iſraëliticæ* partibus eminebant plurima: nam præterquam, quod in ea ſita erat totius gentis Metropolis *Hieroſolyma*, atque in ea Templum, atque in eo Synhedrium; hoc etiam ei ex Canonibus peculiare, quod *annum intercalare extra Judæam non licuit, dum licuit in Judæa*: ut videre eſt in *Hieroſol. Nedarim*, fol. 40. 1. Rationem rei reddit *Maimonides*, in *Kiddush. Hhodesh*, cap. 4. *Ideo quod illic habitaret divina gloria. Babylon. Sanhedr. fol.* 11. 2. *Nec erat manipulus hordei primitialis aliunde petendus, quam è Judæa, & quam proximè ab Hieroſolymis.* Idem, *Menachoth*, fol. 64. 2. *&c. Semel petitus eſt à longinquo, &c.*

C A P. X.

Deſcriptio oræ maritimæ ex Plinio & Strabone.

Plin. lib. 5. cap. 13. *Incipit Idumæa & Palæſtina ab emerſu Sirbonis lacûs. Oppida Rhinocolura, & intus Raphæa. Gaza, & intus Anthedon. Mons Angaris. Regio per oram, Samaria. Oppidum Aſcalo liberum. Azotus. Jamnes duæ, altera vicus.* [al. *Intus*] *Joppe Phœnicum. Indè Apollonia. Stratonis turris; eadem Cæſarea. Finis Palæſtines* CLXXXIX. M. *paſſuum à confinio Arabiæ: deinde Phœnice.*

Et cap. 19. *Redeundum eſt ad oram, atque Phœnicen. Fuit oppidum Crocodilon: eſt flumen. Memoria urbium. Dorum. Sycaminum. Promontorium Carmelum: & in monte oppidum eodem nomine, quondam Ecbatana dictum. Juxtà Getta, Lebba, rivus Pagida ſive Belus, vitri fertiles arenas parvo littori miſcens: ipſe è palude Cendevià à radicibus Carmeli profluit. Juxtà Colonia Claudii Cæſaris Ptolemais, quæ quondam Ace. Oppidum Ecdippa. Promontorium album. Tyrus quondam Inſula, &c. Circuitus* XIX. *M. paſſuum eſt, intus Palæ-Tyro incluſa. Oppidum ipſum* XXII. *ſtadia obtinet. Indè Enhydra, Sarepta, & Ornithon oppida: & Sidon artifex vitri, Thebarumque Bœotiarum parens.*

Retrogrado curſu *Strabo*, lib. 16.

Διέχει γὰρ τῆς Σιδόνος ἡ Τύρος οὐ πλείους τῶν διακοσίων σταδίων. *Non diſtat Tyrus à Sidone ultra CC. ſtadia* [XXV. M. paſſuum.]

Vicinitatem hanc obſervarunt *Judæorum* Magiſtri in Canone iſto, quo cautum eſt, nè quis ad navigandum ſe conferat in *Mari Mediterraneo* intra triduum ante Sabbatum. *Tanchum*, fol. 77. 1. *At ſi quis*, inquiunt, *navigare velit à Tyro ad Sidonem, permiſſum eſt, etiam veſperà Sabbati: eò quod*

Digitized by Google

quòd ſat notum eſt, id ſpatii enavigari poſſe, dum adhuc dies eſt.

Ἐν τῷ μεταξὺ πολίχνιον ὀρνίθων πόλις λεγομένη, *&c.*

Inter Tyrum & Sidonem eſt urbecula Ornithon. [Avium civitas.] *Ad Tyrum fluvius exit.*

Ultra Tyrum triginta ſtadiis eſt Palæ-Tyrus. [III. M. paſſuum ¾.] Cum ergo circuitum *Tyri* XIX. M. paſſuum dicat *Plinius: Intus Palæ-Tyro incluſa* non de ipſius urbis ambitu intelligendum eſſe ipſe manifeſtè oſtendit, cum dicat oppidum ipſum XXII. ſtadia obtinuiſſe; nec de tota *Tyriarum* ditionum circumferentia bene accipi poteſt, ſed potius de extenſione limitum iſtâ, quâ pergit, viâ.

Εἶθ' ἡ Πτολεμαῒς ἐστι μεγάλη πόλις, ἣν Ἄκην ὠνόμαζον, &c.

A Tyro porrò [verſus Auſtrum] *eſt Ptolemais, olim Ace dicta: interque Acen & Tyrum eſt littus arenis cumuloſum, ad vitrum conficiendum idoneis.*

Μετὰ δὲ τὴν Ἄκην Στράτωνος πύργος, &c.

Ultra Acen eſt Stratonis turris, &c. *Interjacet mons Carmelus: nominaque quædam urbecularum, & nihil amplius. Urbes Sycaminorum, Bucolorum, Crocodilorum, aliæque. Et exinde ſylva quædam magna.*

Εἶτα Ἰόππη, &c. *Poſtea Joppe, juxta quam Ægypti littus, antè verſus Ortum Solis porrectum, ad Septentrionem notabiliter deflectitur. Ibi quidam Andromedam ceto expoſitam fabulantur. Locus ſatis editus eſt, ita quidem, ut inde tradant Hieroſolymas conſpici, Judæorum Metropolim. Quin & Judæi portu hoc utuntur ad mare degreſſi. Sed portus hi latronum ſunt receptacula. Horum fuère Sylva & Carmelus.*

Καὶ δὴ καὶ εὐάνδρησεν οὗτος ὁ τόπος, &c. *Locus autem hic adeò hominibus abundavit, ut ex Jamnia vico vicino, & circumvicinis habitationibus, quadraginta hominum millia armarentur.*

Εἰσὶ δὲ ἐντεῦθεν εἰς τὸν Κάσιον, τὸν πρὸς Πηλουσίῳ, μικρῷ πλείους ἢ χίλιοι στάδιοι. Τριακόσιοι δὲ ἄλλοι πρὸς αὐτὸ τὸ Πηλούσιον.

Inde ad Caſium montem, Peluſium verſus, diſtantia eſt mille ſtadiorum, & paulò amplius. Et CCC. alia Peluſium uſque.

Siſtendum eſt hîc, & videndum quî conveniat inter hos Authores. Numerante enim *Strabone* excurrunt à *Peluſio* ad *Joppen* MCCC. ſtadia, & paulò amplius; id eſt, CLXIII. M. paſſuum, aut circiter: at *Plinio* primo aſpectu longè plures. Nam *Arabia finitur*, inquit, *à Peluſio* LXV. M. *paſſuum: & finis Palæſtines* CLXXXIX. M. *paſſuum à confinio Arabiæ. Deinde Phœnice.* Summa CCLIV. M. paſſuum. *Joppen* nominaverat antè, *Joppen Phœnicum:* Jam verò, ſi *Joppen* finem *Palæſtines* ſtatuat, & exordium *Phœnices*; ſunt à *Peluſio* ad *Joppen*, ipſo numerante, centum ferè milliaria plura quam apud *Strabonem*. Nec eſt, unde aliquid reſpondeas ex differentia menſuræ ſtadiorum *Strabonianorum*, & *Plinianorum* milliarium. Ipſis enim atteſtantibus eandem ineunt menſuram: nam *Straboni*, lib. 7. τὸ μίλιον ὀκταστάδιον, *Octo ſtadia conficiunt milliare*; & *Plinio*, lib. 2. cap. 23. *Stadium centum viginti quinque noſtros efficit paſſus:* quod eòdem redit.

Dicendum eſt ergò, quod per *Finem Palæſtines* apud *Plinium* propriè denotetur Finis ejus, *Phœniciæ* propriè ſic dictæ contiguus; hoc eſt, finibus *Tyri* & *Sidonis*. Nam, cùm *Joppen* dicit *Joppen Phœnicum*, non concludit *Joppen* intra *Phœniciam*; ſed quia mare, littus iſtud *Palæſtines* alluens, in *Phœnicium* & *Ægyptiacum* vulgari ſermone diviſum erat, [ſic *Strabo* antè, *Poſteà Joppe, poſt quam Ægypti littus*, &c.] & quia *Phœnices* ob navigationem celebrarentur, *Joppen*, portum littoris iſtius nominatiſſimum, eorum nomine inſignit. At fines *Palæſtines* longè ulterius extendit; nempe, uſque dum obvii fiant finibus *Tyri* & *Sidonis*. Eò uſque ergò ſe extendit menſura *Pliniana*, nempe ut ſint ab *Idumæa*, & emerſu *Sirbonis* lacûs, ad fines *Tyri* & *Sidonis* CLXXXIX. M. paſſuum. Locus collimitia hæc diſterminans *Judæis* erat *Acon*, vel *Ptolemais*; quod notabimus, cùm perventum fuerit illuc: at num *Plinio*, in obſcuro latet. Probabilior tamen ſententia eſt, eum ſecundùm vulgarem notiſſimamque diſtinctionem computaſſe.

Guiljelmus Tyrius, ſui temporis fines *Tyri*, Auſtrum verſus, metiens, ad quatuor aut quinque milliaria eos extendit: *De bello Sacro*, cap. 3. *Nam protenditur in Auſtrum*, inquit, *verſus Ptolemaidam, uſque ad eum locum, qui hodie dicitur Diſtrictum Scandarionis, milliaribus quatuor aut quinque.* Si ergo concederetur menſuram *Plinii* eò uſque extendi, longitudinem terræ à *Sirbone*, ubi & fluvius *Ægypti*, ad *Sidonem* his calculis computare liceret.

I. A *Sirbone* ad fines *Phœnices* CLXXXIX. M. paſſuum, *Plinius.*

II. A primis finibus *Phœnices* ad *Tyrum* V. M. paſſuum, *Guilj. Tyrius.*

III. A *Tyro* ad *Sidonem* XXV. M. paſſuum, *Strabo.*

Summa totalis, CCXIX.

CAP. XI.

Montanum Judææ.
הר המלך:

H*Ieroſol. Scheviith*, fol. 38. 2. *Quodnam eſt Montanum Judææ?* זרת הר המלך *Eſt mons Regalis.*

Utcunque montibus, hîc illîc, plurimum extumuerit *Judæa*, præcipua tamen ejus extuberantia emicuit in dorſo montium, lato admodum, excurrente ab ultima ora Auſtrali ad *Hebronem* uſque, atque ipſas ferè *Hieroſolymas*: quæ à Sacra Pagina הר יהודה, ὀρεινὴ Ἰούδα vocatur, *Joſ.* 21: 11. *Luc.* 1: 39.

Corrigendæ, ni ego plurimum fallar, ſunt Tabulæ *Adrichomii*, *Tirini*, aliæque, quæ longiſſimum montium dorſum finxerunt ſibi, ab ipſo ferè *Mari Rubro* ad *terram* ferè *Canaanitidem*, idque cùm hac inſcriptione *Mons Amorrhæus*. Decepti ſunt autores iſti pravâ interpretatione Phraſiologiæ דרך הר האמרי. eam reddentes, *viâ per* (vel, *juxta*) *montem Amorrhæum*, cum reddenda eſſet, *via ad montem Amorrhæum*. Conſulat Lector *Deut.* 1: 19, 20. *Profecti ſumus ab Horeb*; *atque ivimus per totum illud magnum & terribile deſertum, quod vidiſtis*, דרך דר האמרי *viâ* ducente *ad montem Amorrhæi*; *ſicut præcepit nobis Dominus noſter, & pervenimus ad Cadesh Barnea. Tunc dixi vobis, jam perveniſtis ad montem Amorrhæi*, &c.

Initium ſumpſit *Mons Amorrhæus* à *Cadesh Barnea*, limite terræ *Iſraëliticæ* Auſtrali, ac ſe horrente gibboſitate protruſit in *Judæam* ultra *Hebronem*; mutato nomine tandem in *Montanum Judææ*. Unde illud de *Samſone* intelligendum, quod non portârit portas *Gazæ* propè ad *Hebronem*, vel ad montem unde conſpici poſſet *Hebron*; ſed ad verticem montani hujus, quod excurrit ad *Hebronem*: & ſic verba reddenda, *Judic.* 16: 3. *Portavit eas ad verticem montani, quod ante Hebronem.*

Vocatur hoc montanum מדבר הרים *Montanum deſertum*, Pſalm. 75: 6. *Quoniam non ab Oriente, nec ab Occidente, nec à deſerto montium.* Targ. *Nec à meridie, loco montano.*

Quare *Talmudicis* vocetur הור המלך *Mons Regalis*, eſt in ambiguo. An quod Rex eſſet inter omnes alios *Judææ* montes? An quod regia dignitas domus *Davidicæ* hinc exorta, *Hebrone* ſcilicet? Plurima ejus memoria apud Scriptores *Judaicos*.

Chaldæus Paraphraſtes in *Judic.* 4: 5. *Erat Deboræ* עפר חור בטור מלכא *Pulvis albus in monte Regis*; id eſt, ut videtur, argilla figulina: nam loquentes *Gemariſtæ* alicubi de figulis dicunt, *Hieroſ. Bava Mezia*, fol. 11. 4. שהן עושין בעפר שחור quòd *operantur in pulvere nigro*; או בעפר לבן *aut in pulvere albo.*

Hieroſol. Demai, fol. 24. 4. *In diebus R. Hoshaiæ ambierunt quidam immunitatem montis Regalis à quibuſdam decimis.*

Idem, *Avodah Zarah*, fol. 40. 2. *R. Simeonis fuerunt vinitores* בהר המלך *in monte Regali. Vineam voluit ille elocare Ethnicis.*

Ibid. fol. 44. 4. *R. Chaijah, R. Iſſai, & R. Immai aſcenderunt in montem Regalem. Ethnicum quendam viderunt, qui ſuſpicioſus erat de vino eorum.*

Hieroſol. Taanith, fol. 69. 1. *Myrias urbium exſtitit in monte Regali, de quibus mille poſſedit R. Eliezer ben Harſum.* Non ergo vocatum eſt hoc montanum מדבר הרים *Montanum deſertum*, quod eſſet urbibus & oppidis vacuum; ſed quod incultior regio atque aſperior.

Babylon. Gittin, fol. 57. 1. אתרנגולא ואתרנגולתא חריב טור מלכא *Propter gallum & gallinam vaſtatus eſt mons Regalis. In more fuit, cum educerent ſponſum & ſponſam, ante eos ducere gallum ac gallinam: ac ſi dicerent, Creſcite & multiplicamini, ſicut iſtæ. Die quodam præteriit cohors Romanorum, atque gallum ac gallinam ab iis torſit: hi ergo in iſtos inſurrexerunt, & contuderunt. Adierunt ergo illi Cæſarem, & dixerunt, Rebellant in te Judæi, &c. R. Aſai dicit, Ter centies mille ſtringentes gladium aſcenderunt in montem Regalem, atque in eo trucidarunt diebus tribus & tribus noctibus*, &c.

Dicit Rabbi Aſai, Sexaginta myriades urbium erant Jannæo Regi in monte Regali, atque in unaquaque erat numerus æqualis exeuntibus ex Ægypto: tribus exceptis, in quibus erat numerus iſte duplicatus. Atque iſtæ hæ erant: I. כפר ביש *Capher Bish* [id eſt, *Oppidum malum*] *ideo dictum*, דלא יהבי ביתא לאושפיזא *quòd non præberet domum hoſpitalem.* II. כפר שיחליים *Oppidum ab herba quadam dictum, quod iſtâ herbâ nutrirentur.* III. כפר דכריא *Oppidum maſculorum: ideo dictum, inquit R. Jochanan, quod uxores eorum primò parerent mares, & deinde fæmellas, & ſic deſinerent.*

Recitatur hæc hiſtoria ab *Hieroſolymitanis*, in *Taanith*, fol. 69. 1. qui dicunt כפר דכריא ſic dictum fuiſſe, quod niſi inde aliquò diſcederent fœminæ, non potuerunt non mares parere.

At dicit Ulla, Vidi ego iſtum locum, & non potis eſt continere vel ſexaginta myriadas nidulorum: dixit ergo hæreticus quidam R. Chaninæ, Mentimini, Mentimini: cui ille, Dicitur iſta terra ארץ צבי: *jam verò* צבי *Capreolus corium habet carnem ſuam*

non

Digitized by Google

non continens: ſic terra Iſraëlitica dum habitatur, ſpatioſa eſt, dum non habitata contractior.

CAP. XII.

Regio Auſtralis. דרומא עילאה ותתאה *Judæa* דרום *vocata, reſpectu Galilææ.*

H*Ieroſol. Maaſar Sheni*, fol.56.3. & *Sanhedr.* fol. 18. 4. & *Babyl. Sanhedr.* fol. 11. 2. *Rabban Gamaliel & Seniores conſidentes ad aſcenſum in porticum, in monte Templi, aſſidentem habuerunt Jochananem, Sacerdotem, & amanuenſem. Dixerunt ei, age, ſcribe, fratribus noſtris, Galilææ ſuperioris & Galilææ inferioris incolis, ſalutem. Notum vobis facimus adeſſe tempus ſeparandarum decimarum.* לאחנא בני דרומא עילאה ובני דרומא ארעיתא *Et fratribus noſtris, qui regionem Auſtralem ſuperiorem, & qui regionem Auſtralem inferiorem habitant, ſalutem. Notum vobis facimus*, &c.

Regio Auſtralis ſuperior erat montani, *inferior* erat planitiei & convallis utrinque ſubſidentis: quæ regio, quamvis juxtà *R. Tanch.* & *R. Sol*, in *Numer.*13. ſterilis eſſet præ omnibus aliis terræ partibus, incolas tamen ſuos habuit, eoſque frequentes, prout aliæ terræ regiones.

Occurret frequentiſſimè paginas *Talmudicas* evolventi nomen *Auſtri* pro *Judæa* tota ſumptum, in Antitheſi ad *Galilæam*. *Hieroſol. Taanith*, fol. 66. 3. *Jejunium indixerunt Zipporienſes* ad impetrandam pluviam, *at pluvia non deſcendit. Dixerunt ergo Zipporienſes, R. Joſhua ben Levi pluviam impetrat Auſtralibus; at R. Chaninah impedit a Zipporienſibus. Coacti ſunt ergo ad jejunium ſecundum: accerſit (R. Chaninah) R. Joſhuam ben Levi, & egrediuntur ambo ad jejunum, & tamen pluvia non deſcendit. Prodit ergo & coram iis dicit, Nec Joſua ben Levi pluviam impetrat Auſtralibus, nec R. Chaninah cohibet à Zipporienſibus: aſt Auſtralibus eſt cor molle, ut verba Legis audiant & humilientur; Zipporienſibus verò cor durum.* Jam verò *R. Joſua ben Levi*, qui דרומיא *Auſtralis* dicitur, in *Hieroſol. Challah*, fol. 57. 2. juxta *Hieroſol. Trumoth*, fol. 46. 2. *Lyddenſis* fuit: atque *Auſtrales*, pro quibus ille pluviam impetravit, *Lyddenſes* erant, atque regionem iſtam habitantes.

Hieroſol. Erubin, fol.23.3. *Diſcipulus devotus* תלמיד ותיק *anni intercalationem didicit coram Magiſtro ſuo, tribus annis & dimidio: venit & intercalavit pro Galilæa: ſed non ſuffecit intercalationi pro Auſtro*; id eſt, pro *Judæa*. Hinc intelligas, quo ſenſu *Rabbini* quidam vocentur דרומייא *Auſtrales:* ut, ר' יעקב דרומיא *R. Jacob Auſtralis*, *Hieroſol. Soucab*, fol. 53.4. qui & *Rabbi Jacob* דרומנה Idem, *Berac.* fol. 2. 2. vocatur. Item ר' שמלאי דרומיא *R. Samlai Auſtralis*, Idem, ibid. fol.11.4. quem diſputantem habes cum quibuſdam, quos *Gemariſtæ* מינין vocant, id eſt, *Hæreticos:* quos ego arbitror potiùs fuiſſe *Chriſtianos*. Et videtur diſputatio *Chriſtiani* inſtituta ad aſtruendam perſonarum Trinitatem in Deitate, at Unitatem nihilominùs Deitatis. Auditâ re, mecum forſan ſenties. Vide locum.

CAP. XIII.

GAZA.

POſt hiſtorias hujus loci apud paginam Sacram quamplurimas, quas neceſſe non eſt recitare, *Babameſin* tandem *Perſam* (*Joſeph. Antiq.* lib. 11. cap. 18.) in hac urbe obſedit *Alexander Magnus* per ſpatium bimeſtre. Ἔνδοξος δέ ποτε γενομένη κατεσκασμένη ὑπὸ Ἀλεξάνδρου καὶ μένουσα ἔρημος. *Urbſque iſta, quæ ab olim nobiliſſima fuerat, ab eo vaſtata eſt, & reddita deſerta.* Non quod ille fabricam urbis diruerat, aut abſumpſerat igne, [nam illico poſt ejus mortem, pugnantibus ducibus ejus *Antigono* & *Ptolemæo*, muros, portas, & munimenta, ea habuit, *Diod. Sicul.* lib. 19.] ſed quod priſtinâ gloriâ eam deveſtivit, ita ut liquefacta tandem foret in civitatem novam ejuſdem nominis propius à mari conditam, ubi fuerat olim Γαζαίων λιμήν. Illa Γάζα παλαιὰ *Diodoro* dicitur, & Γάζα ἔρημος *Straboni*, & *Novo Teſtamento*, *Act.* 8: *verſ.* 26. Nova tandem *Maijuma* dicta eſt, & poſtea *Conſtantia:* de qua vide *Euſebium*, *de vita Conſtantini*, lib. 4. cap. 28. & *Sozomenum*, *Eccleſ. Hiſt.* lib. 5. cap. 3.

Babyl. Avodah Zarah, fol.11.2. עטלוזה של עזה memoratur à *Talmudicis*, quæ, interprete Gloſſatore, Platea quædam erat extra urbem *Gazam*; ubi erat macellum, ubi etiam erat *Idoleum*.

Hieroſ. Avodah Zarab, fol.39.4. Memoratur & *forum Gazæ*, unum è foris tribus celebrioribus, *Gazæ* ſcilicet, & *Aconis*, & *Botnæ*, בוטנה.

Babyl. Sanhedr. fol. 71. 1. Erat & extra urbem locus, qui vocabatur חורבתא סגירתא *Solitudo*, (vel *deſertum*) *leproſorii*.

CAP.

Digitized by Google

CAP. XIV.

ASCALON. GERAR.

Hiſtoria de octoginta veneficis.

ASCALON Interpreti *Samaritano* eadem eſt cum *Gerar*, *Gen.* 20: 1.

Talmudicis vox *Gerar* in *Gerariku* tranſiiſſe videtur. *Hieroſol. Scheviith*, fol. 36. 3. *Quare*, inquiunt, *non determinarunt* על אותה רוח שבגרריקו *de iſta regione, quæ eſt in Gerariku? Quia malæ eſt habitationis. Uſque quò? Ad fluvium Ægypti. At, ecce! Gaza eſt pulchræ habitationis*, &c.

Autori *Aruch* eſt גרדקי *Gardiki*. *Bereshith Rabbah* [inquit ille] מלך פלשתים גררה reddit לגרדיקי.

מלך גרר *Rex Geraris*, *Gen.* 20: 2. *Targumiſtæ Hieroſolymitano* eſt מלכא דערד *Rex Arad*. Nota affinitatem *Aradis*, *Geraris*, atque *Aſcalonis*, atque accreſcet inde, ni ego fallar, lucis aliquid, loca iſta illuſtraturæ in Sacra Pagina, ubi occurrunt hæc nomina.

Joſeph. de bello Jud. lib. 3. cap. 1. Diſtabat *Aſcalon* ab *Hieroſolymis* DXX. ſtadiis [LXV. M. paſſuum.] Quod de veteriori intelligendum: nam *Benjamin Tudelenſis* duplicem *Aſcalonem* memorat, veterem [hanc noſtram] & novam: ſic enim ille in *Itinerario*, pag. mihi 80. *Indè* (ab *Azoto*) *duabus parſis*, vel *leucis*, (id eſt, VIII. M. paſſuum) *diſtat Aſcalon nova, quam condidit Ezra Sacerdos b. m. ad littus maris, eamque primitus vocarunt* בניברה: *ea autem diſtat ab Aſcalone antiqua, jam dirutâ, quatuor leucis.*

Ita ut ab *Azoto* ad *Aſcalonem*, de qua nos, & de qua ſola Scriptura Sacra, fuerint, eo computante, XXIV. M. paſſuum, *Adrichomio* CC. ſtadia, id eſt, XXV. M. paſſuum.

Georg. Sandeſius noſtras, teſtis oculatus inquit in *Itinerario*, pag. 151. *Decem à Gaza milliaribus, ac juxta mare, ſita eſt Aſcalon, nullius jam nominis, olim Ethnicis veneranda ob templum Dagonis, ac natalitia Semiramidis.*

A *Gaza* ad *Azotum*, teſte *Diodoro Siculo*, lib. 19. erant CCLXX. ſtadia: quæ aſſurgunt ad XXXIV. M. paſſuum. A *Gaza* ſcilicet ad *Aſcalonem* X. M. paſſuum, & inde ad *Azotum* XXIV.

Tritum eſt illud, *R. Niſſim* in *Gittin*, cap. 1. מאשקלון לדרום ואשקלון כדרום *Ab Aſcalone porrò ad Auſtrum eſt regio Ethnica, atque Aſcalon ipſa pro regione Ethnica reputatur.* Et tamen aliquid *Aſcalonis* intra terram *Iſraëliticam* erat. גנייא דאשקלון *Pomæria*, vel *horti*, *Aſcalonis* terram ab ea ora terminabant, quod obſervavimus antè: & tamen, *In Hieroſol. Scheviith*, fol. 36: 3. *Cum præpoſiti eſſent R. Iſmaël ben R. Joſi, & Ben Hakkaphar* על אויר אשקלון *de ſpatio Aſcalonis* [hoc eſt, cùm iis demandatum eſſet, ut judicarent de *Aſcalonis* ſpatiis, vel partibus; quænam ſcilicet eſſent intra terram, & quænam extrà, &c.] *mundam eam pronuntiarunt, ex autoritate R. Phinchaſi ben Jair, qui dixit, Deſcendimus in forum frumentarium Aſcalonis, atque inde triticum recepimus: aſcendenteſque in civitatem noſtram lavimus, & comedimus Thrumam noſtram.* Maxima pars urbis, ſi non urbs tota, extra limites terræ æſtimabatur ſub Templo ſecundo; aſt aliqua pars, aut ſaltem pomœria, & loca proximè adjacentia erant intra terram.

Memoratur fanum quoddam in *Aſcalone* inter *Quinque fana famoſiora. Fanum ſcilicet Bel in Babylone, fanum Nebo in Curſi, Tirathæ in Mapheg, Zeriphæ in Aſcalone, & Niſhræ in Arabia. Babylon. Avodah Zarah*, fol. 11. 2.

Et hiſtoria de jejunio indicto, eò quòd appareret ſignum aliquod uredinis ſegetum in *Aſcalone*. *Taanith*, cap. 3. hal. 6. *Deſcenderunt Seniores ab Hieroſolymis in urbes ſuas, & indixerunt jejunium, eò quod viſum eſſet Aſcalone tantum uredinis, quantum ſpatii continet os clibani.*

At ſummè nobilis eſt hiſtoria de octoginta fœminis veneficis à *Simeone ben Shetach* ſuſpenſis *Aſcalone* uno eodemque die. Rem verbis *Gemariſtarum*, retuliſſe non gravabimur. *Hieroſol. Sanhedr.* fol. 23. 3. *Babylon. Sanhedr.* fol. 44. 2. in Gloſſa. *Cùm duo Diſcipuli Sapientium Aſcalone ſtudio Legis incumberent, uni eorum tandem defuncto, non præſtabantur exſequiæ, cùm tamen morienti tunc temporis Publicano præſtarentur. Viventi ſtudioſo, revelantur gaudia ſalvati ſocii, ac pœnæ pariter damnati Publicani.* וחמא מרים בת עלי בצלים תלייא בחוטי ביזייא *Latinitate* hanc clauſulam donet eruditus Lector: ni me fallat conjectura, virulentiam ſapit & venenum. Ego ſic reddiderim. *Vidit etiam Mariam filiam Eli in umbris ſuſpenſam per glandulas mammarum: cumque quæreret, quamdiu eſſet ea talia perpeſſura; Reſponſum eſt, Uſque dum advenerit Simeon ben Shetach, locum ejus ſuppleturus. Dixit verò ille, Ob quemnam reatum? Reſpondetur, Ideo quòd in animam ſuam aliquando vovit, dixitque, Si evaſero ego Princeps, è medio tollam omnes veneficos: eccum autem eum Principem factum! & tamen hoc non præſtitit; nam octoginta fœminæ veneficæ deliteſcunt in ſpelunca ad Aſcalonem, atque enecant mundum. Abi, & dic ei, &c. Adiit itaque eum, atque hæc nuntiavit, &c. Die ergò quodam pluvioſo, ſociatis ad ſe octoginta juvenibus, accedit ad ſpeluncam, pulſat, unum ſe ex venefico ſodalitio profitetur, & admitti-*

Digitized by Google

mittitur. Videt eas artem ſuam practicantes. Nam muſſitatis una verbis quibuſdam buccellas adducit, alia vinum, alia carnes elixas, &c. Quid tu autem, inquiunt, potes? Vocem, inquit ille, bis edam, atque octoginta juvenes venuſtè veſtitos introducam, ipſos lætabundos, atque vos exhilaraturos. אמרין ליהלין נן כעיין *Dicunt ei, Tales nos vellemus. Edit primò vocem, atque induunt juvenes veſtes ſuas nitidas;* [à pluviis intactas, nam tectas ac tutas eas in vaſculis quibuſdam ſecum comportaverant.] *Vociferante eo ſecundò, ingrediuntur omnes: datòque ſigno, ut unuſquiſque unam è terra in ſublime rapiat (ſic enim perituram magicam earum facultatem) iſti, quæ buccellas adduxerat, dixit, Adduc jam buccellas; at non adduxit. Dixit ergò, eam ad furcam. Affer vinum; at non attulit: eam etiam, inquit, ad ſuſpendium. Et ſic actum eſt de omnibus. Hinc traditio* פ״ נשים תלה שמעון בן שטח באשקלון *Octoginta fœminas ſuſpendit Simeon ben Shetach Aſcalone. At verò non judicant duos eodem die: aſt hoc fecit ille ex temporis neceſſitate.* Ubi Gloſſa, *Hoc facere coactus eſt, eò quòd fœminæ Iſraëliticæ plurimùm proruperant ad veneficia. Sepem ergò fecit tempori, eaſque ſuſpendit, ad rem publicandam. Atque hoc uno eodemque die, ne earum cognati ad eas liberandas ullo modo conſpirarent.*

CAP. XV.

JABNEH. Jamnia.

VOx *Jabneh* in *Jamniam* tranſiit, eâdem alternatione מ & ב, quâ lacus *Samochonitis Hieroſolymitanis* eſt סמכו, *Babylonicis* סבכי.

Plinius oppida hîc ſeriatim ſic ordinat, *Azotus*, *Jamnes duæ*, *Joppe*. *R. Benjamin* retrogrado ordine ſic, *Joppah*, *Jabneh*, *Azotus*. Huic ea eſt *Jabneh*, quæ illi *Jamnia*.

Memoria hujus loci in 2 *Paral.* 26:6. At ſumma ejus celebritas ob ſitum illic Synedrium, & ante vaſtatas *Hieroſolymas*, & poſt.

Præſedit illic juxtà *Juchaſ.* fol. 21. 2. primus, *Rabban Gamaliel*, præceptor *Pauli*: *Hieroſol. Taanith*, fol. 65. 3. ſub quo prodiit ibi execranda iſta orationis formula, quam ברכת מינים *Orationem contra hæreticos* nuncupârunt, compacta à *Samuele parvo*, qui obiit ante excidium Urbis. Octodecim annis ante exciſum Templum obiit *Gamaliel*, atque eum excepit filius ejus *Rabban Simeon*, qui periit cum Urbe, *Juchaſ.* fol. 57, 1.

Exciſis *Hieroſolymis*, à *Tito* victore impetravit *Rabban Jochanan ben Zaccai*, ut *Jabneh* Synedrium adhuc reciperet, retineretque, *Avoth R. Nathan*, cap. 4. quo ab eo conceſſo, præſedit illic primus ipſe *Jochanan*, & poſt eum *Rabban Gamaliel* ſecundùs, & poſt eum *R. Akibah*. Claruitque hic locus præ omnibus Academiæ ſedibus, exceptâ ſolùm noviſſimâ *Tiberiade*: ita ut כרם ביבנה *Vinea Jaſnenſis* abîerit in adagium. שהיו יושבים שורות שורות ככרם *Jebammoth*, cap. 8. & *R. Sol*, ibid. *Nam illic ſederunt ſeriatim inſtar vineæ.* Referturque in *Hieroſol. Taanith*, fol. 67. 4. *Trecentas Scholarium claſſes illic exſtitiſſe, vel ad minimum octoginta.* Quoto tempore hìc ſederit *Rabban Jochanan* ambigitur.

Sunt, qui duos ei tantùm annos attribuant: vide *Juchaſin*, fol. 20. & 22. ſuntque, qui quinque; *Tſemach David*, quibuſcum & nos pedibus in ſententiam imus. Hunc *Rabban Jochananem* ego valde ſuſpicor eundem eſſe cum *Joanne* iſto, *Actor.* 4:6. Omiſſis iis, quæ ab eo *Jaſni* commorante geſta ſunt, liceat verba ejus morientis adducere, prout recitantur à ſuis. *Babylon. Beracoth*, fol. 28. 2. *Cùm jam langueſceret Rabban Jochanan Ben Zaccai, acceſſerunt Diſcipuli ejus eum viſitatum: quos videns ille incepit flere. Cui illi, O lucerna Iſraëlis, Columna dextra, Mallee ſtrenue, unde iſtæ lachrymæ? Quibus ille, Si me adducturi eſſent coram Rege carnis & ſanguinis, qui hodie hìc eſt & cras in ſepulchro; ſi ille mihi iraſceretur, ira ejus non eſt ſempiterna; ſi ille me in vincula conjiceret, vincula ejus non ſunt æterna; ſi me occideret, occiſio iſta non foret æterna; poſſemque eum forſan verbis placare, aut mollire munere: at me adducturi ſunt coram Rege Regum, Domino Sancto Benedicto, qui vivit & permanet in ſecula, atque in ſecula ſeculorum; qui ſi mihi ſuccenſeat, ira ejus eſt æterna; ſi me vinciat, vinculum ejus eſt æternum; ſi me occidat, occiſio ejus eſt æterna; quemque non poſſum vel verbis placare, vel mollire munere. Atque inſuper ſunt coram me duæ viæ, una ad Paradiſum, altera ad Gehennam, neſcioque ego quâ viâ ſint me ducturi. Nonne igitur flerem?* Ah miſeram & languentem *Phariſæi* in morte fiduciam!

Jochananem excepit *Rabban Gamaliel de Jabneh*, homo pragmaticus & ſeverus, *Juchaſin*, fol. 53. 2. Occidendus cum patre ſuo *Rabban Simeone*, intercedente *Rabban Jochanane*, liberatus eſt, *Babylon. Taanith*, fol. 29. 1. Quæſitus etiam ad necem, cùm *Turnus Rufus* [*Joſepho, de bello*, lib. 7. cap. 7. Τερέντιος Ῥοῦφος] aream Templi aratro foderet, liberatus eſt modo vix credendo, *Roſh Haſhanah*, cap. 1. hal. 7. In *Jaſne* ſedens *R. Akibam*, Præfectum tunc temporis Scholæ *Lyddenſis*, præfecturâ ſuâ amovit, *Hieroſol. Taanith*, fol. 67. 4. atque ipſe tandem eſt ſuâ amotus, & ſupra eum collocatur *R. Eleazar ben Azariæ*. Eum excepit *R. Akibah*, ſeditque annis quadraginta, periitque ſtultus, de-

ceptus à *Ben Cozba*, ac cum eo interfectus: & tranſlata eſt Academia à *Jabneh* ad *Uſham*.

Diſtabat Jaſne ab Azoto duabus Parſis, [VIII. M. paſſuum] *vocataque eſt tandem* איבלין *Ivelyn.* Verba ſunt *Benjaminis* in *Itinerario*.

CAP. XVI.

Lydda. לוד.

JOſeph. *Antiq.* lib. 20. cap. 5. Λύδδα κώμη, πόλεως τὸ μέγεθος οὐκ ἀποδέουσα. *Lydda fuit vicus, civitati magnitudine non cedens.*

De ejus ſitu ac diſtantia ab *Hieroſolymis*, hæc *Mibnaſc*, *Maaſar Sheni*, cap. 5. hal. 2. כרם רבעי *Vinea quadriennis* [hoc eſt, fructus vineæ annum quartum jam agentis; nam per primum triennium arbores erant tanquam non circumciſæ] *ad Hieroſolymas afferebatur, per ſpatium itineris diarii, ab unoquoque latere. Hi autem erant ipſius limites*, אילת מן הדרום *Elath ab Auſtro:* עקרבת מן הצפון *Acrabatta ab Aquilone:* לוד מן המערב *Lydda ab Occidente: Et Jordanes ab Oriente.* Gloſſa, *Statuerunt Sapientes, ut ſecunda decima fructuum, intra ſpatium itineris diei ab Hieroſolymis naſcentium, eò deportaretur comedenda & non redimeretur.* כדי לעטר שוקי ירושלם בפירות *Ideò, ut fructibus coronarentur plateæ Hieroſolymitanæ.*

Cùm diſtantiam hanc perpendis, miraberis meritò quid ſibi illud vellet, quod ferè in adagium abiit, *in Gemar. Hieroſol.* in *Maaſar Sheni*, ubi ſupra. *Fœminæ Lyddanæ depſunt maſſam, aſcendunt ad Templum, orant, redeuntque, priuſquam fermentetur.* Non quòd diſtantia locorum imminuatur, ſed ut hinc demonſtretur, nihil fœminis hiſce, vota ſua & religionem perſolventibus, accreviſſe detrimenti.

Miror ego plurimùm, autores Tabularum *Lod* & *Lyddam* pro duobus oppidis habuiſſe; *Lod* non longè à *Jordane* & *Jerichunte*, *Lyddam* non longè à *mari Mediterraneo.* Ridebit hæc *Judæus*, aut in *Judaicis* verſatus; cùm *Lod*, & *Lydda* nihil omnino habeant inter ſe diſcriminis, niſi quod illa *Hebraicè* ſonet, hæc *Græcè*.

Cùm ſederet Synedrium in *Jabneh*, floruerunt Scholæ nobiles in *Lydda*: imò Scholas & doctos ſuos habuit *Lydda*, cùm Academia jam migrâſſet in *Galilæam*, & Scholaribus vacua lugeret *Jabneh*.

Præfecturam Scholæ illic geſſit *R. Akiba*, regimine ſuo, ut diximus anteà, amotus per *Rabban Gamalielem*, *Ideò, quòd plura quam quadraginta hominum paria* [*Jafnen* verſus] *itinerantium, ut Synedrio teſtimonium perhiberent de novilunio, Lyddæ ille detineret, & non ſineret progredi*, *Roſh Haſhanah*, cap. 1. hal. 7.

Mortuo, aut amoto potiùs, *Gamaliele*, cùm Præfecturam in *Jabneh* gereret *R. Akiba*, Rector Scholæ *Lyddanæ* fuit *R. Tarphon*, quem diſputantem aliquoties habes cum *R. Akiba*, aſt ei tandem cedentem cum hoc elogio, *Qui à te ſeparat, eſt ac ſi ſe ſepararet à vita ſua.*

Legimus, quinque Seniores coram *Tarphone Lyddæ* docentes & errantes, *Hieroſol. Jom Tob*, fol. 62. 1. Legimus etiam in *Taanith*, cap. 3. hal. 14. jejunium *Lyddæ* indictum ad impetrationem pluviarum, & *Tarphonem* ſolennitatis moderatorem. Infinitæ ſunt hujus loci hiſtoriæ, nos paucas decerpemus.

Helena Regina feſtum Scenopegiæ celebravit *Lyddæ*, *Hieroſol. Succah*, fol. 51. 4.

Ad feſtum Encæniorum ibidem loci aderant aliquando *R. Eliezar* & *R. Joſhua*: ſed de indicto tunc temporis jejunio non ſatis contenti, hic ad balneum ceſſit, ille ad tonſtrinam, Idem *Nedarim*, fol. 40. 4.

Inſidiis hîc interceptus fuit *Ben Satda*, atque ad Synhedrium adductus & lapidatus, Idem, *Sanhedr.* fol. 52. 4.

Frequentiſſima etiam eſt memoria *Papi* & *Lulieni* fratrum, *Lyddæ* interfectorum à regno *Romano.* *Hieroſol. Taanith*, fol. 66. 1. & *Megill.* fol. 70. 3. יום טריון יום שנהרג לוליינוס ופפוס. *Dies* טריון *eſt dies, quo occiſi ſunt Lulienus & Papus.* טריון *Hieroſolymitanis* eſt, טוריינוס *Babylonicis*: qui *in Taanith*, fol. 18. 2. interfectos hos fratres referunt בלודקיא *in Laodicea*; ut conjiceres. At לודקין inquit Gloſſa, *eſt Lydda*; *nam ubique memorantur* הרוגי לוד *interfecti Lyddæ.* Vide *Babylon.* in *Bava Bathra*, fol. 10. 2. *Atque hi*, inquit, *occiſi ſunt propter filiam Regis, quæ cæſa reperta eſt, & fama fuit, Judæos ipſam occidiſſe. Cùm ergò decretum eſſet acre decretum in Judæos, proſtiterunt ſe hi duo, atque Iſraëlem liberârunt: nam dixerunt, Nos eam occidimus; eos ergò ſolos Rex occidit.*

Cùm annum intercalare non liceret niſi in *Judæa*, *Maimon.* in *Kiddush. Hhodesh*, cap. 2. *Lyddam adierunt quamplurimi è Schola τῦ Rabbi* [*Judæ haccadosh*, è *Galilæa* ſcilicet] *ut intercalarent; at occurrit iis oculus aliquis malus, atque omnes ſimul ſunt mortui. Exinde anni intercalationem dimoverunt è Judæa in Galilæam*, *Hieroſol. Sanhedr.* fol. 18. 3. Et paulò poſt: *Quæſivit R. Jeremiah coram R. Zeira, Nonne Lydda eſt Judææ? Imò, inquit ille. Quare ergò intercalationem anni illic non tranſigunt? Quia pervicaces ſunt, atque imperiti Legis.*

Lydda eſt Judææ. Notent hoc Tabulæ quædam, quæ *Lod* quandam, quæ nunquam exſtitit in rerum natura, longè à *Jerichunte*, ut

Digitized by Google

ut dictum eſt, collocârunt; quia *Lod* in *Benjamitide* adducitur, *Nehem.* 11:35. at *Lyddam* ſtatuunt, longè ultra limites *Judææ*, in *Ephraimitide*.

Hieroſol. Trumoth, fol. 46. 2. *Ad Lyddam aliquando ſe proripuit Koshab bar Ulla, ad R. Joſuam ben Levi illic commorantem, Romanos fugiens. Eum ſecuti ſunt Romani, atque urbem obſidione vallârunt. Niſi eum, inquiunt, nobis tradatis, urbem excidemus. Et perſuaſit R. Joſua ben Levi, & Romanis traditus eſt.*

Liceret innumera in medium proferre nomen *Lyddæ* celebrantia: qualia ſunt

עליית בית ארם בלוד *Camera Beth-Arum in Lydda*, *Hieroſol. Shekal.* fol. 30. 2.

עליית בית לבזה בלוד *Camera Beth-Lebazah in Lydda*, Idem *Scheviith*, fol. 35. 1.

עליית בית נתזא בלוד *Camera Beth-Nethaza in Lydda*, *Babylon. Sanhedr.* fol. 74. 1. Scholas has fuiſſe arbitramur.

Liceret plurima *Rabbinorum* nomina *Lyddæ* reſidentium commemorare, præter eos, quorum anteà recordati ſumus: ut ſunt *R. Chama bar Chanina*, & cum eo *R. Hoshaia*, *Hieroſol. Shekalim*, fol. 49. 2.

Idem *Succah*, fol. 53. 1. *R. Illai* & *R. Eliezer*: aliique, qui *Auſtrales* vulgò vocantur eo ſenſu, quem protulimus antea: nominatim de *R. Joſua ben Levi* hæc habet Autor *Juchaſin*, fol. 92. 1. אי׳ ישיבתו׳ *Habitatio*, vel *collegium ejus fuit in Auſtro terræ Iſraëliticæ: Lyddam* vult.

R. Eliezar, *Cæſareæ* moriens, *Lyddæ* voluit ſepeliri, quem tam ſanguine quàm lacrymis deflevit *R. Akibah*, fol. 68. 1. *Cùm enim feretro ejus occurreret inter Cæſaream & Lyddam; ità ſeipſum contudit, ut ſanguis in terram flueret. Ejulans ſic dixit, O Pater mi, Pater mi, currus & equites Iſraëlis, ſunt plurimi mihi nummi; at deeſt nummularius, qui eos commutet.* Gloſſa, *Sunt plurimæ mihi quæſtiones; at jam non eſt, cui eas proponam.*

Erat inter *Jamniam* & *Lyddam* locus, qui vocabatur בקיען *Bekiin*, de qua hæc mentio, in *Hieroſol. Chagigah*, fol. 75. 4. *R. Jochanan ben Brucha & R. Eliezer Cæcus, à Jabneh itinerantes ad Lyddam* הקבילו ר׳ יהושע בבקיען *obvium habuerunt R. Joſuam in Bekiin*, &c.

A *Jamnia* ad *Joppen* (*Benjamini* in *Itinerario*) ſunt ג׳ פרסאות Tres Leucæ, vel Parſæ, Ἐγγὺς δὲ ἦν Λύδδη τῇ Ἰόππῃ, *Act.* 9:38.

CAP. XVII.

SHARON. CAPHAR LODIM.

כפר לודים.

Villa Lyddenſium.

INter *Lyddam* & mare excurrit ſpatioſa convallis, hinc indè longè ſe diffundens, & ſparſa viculis, quam *Sarona* [τὸν Σάρωνα] vocat Sacra Pagina Novi Fœderis; & forte totam, aut aliquam ejus partem, *Planitiem Ono* vocat Pagina Veteris, *Nehem.* 6:2. & 11:35. 1 *Paral.* 8:12.

Vox שרון regionem campeſtrem paſcuoſam denotat à שרה, pecora emittendo; unam trans *Jordanem*, 1 *Paral.* 5:16. & hanc noſtram.

Nobilis famæ eſt *Vinum Sharoniticum*, *Babylon. Shabb.* fol. 77. 1. cui duas partes aquæ immiſcebant: & memorabile eſt, quod dicunt de domibus *Sharoniticis*, *Sotah*, cap. 8. hal. 7. *R. Lazar dicit, Qui ædificat domum lateritiam in Sharone, ne ſe retrahat:* quod aliis permiſſum, *Deut.* 20:5. nempe ut à bello ſe retraherent, ſi domum novam ædificâſſent, ea autem non adhuc eſſet dedicata. *Hieroſol.* ibid. fol. 23. 1. *At viri Sharonis non ſe retraxerunt*, (verba ſunt *Gemaræ Hieroſolymitanæ*) *quia illi domos ſuas reſtaurârunt intra ſeptennium: ac ſummus etiam Pontifex pro iis oravit die Expiationis, ut domus eorum non fierent eorum ſepulchra.* Gloſſa in *Babylon. Sharon erat nomen loci, cujus fundus non erat lateribus congruus, ideòque domos ſuas ſæpius reſtaurârunt intra ſeptennium.*

Inter vicos in amæna hac convalle diſſeminatos occurrit *Caphar Lodim*, *Lyddam* inter & mare. Ejus memoria in Codice *Gittin* in ipſo limine, cap. 1. hal. 1. *Qui libellum repudii attulerit è regione Ethnica, teſtari ſic tenetur, Me præſente ſcriptus eſt hic libellus; & me præſente conſignatus* —— *R. Eleazar dicit, Imò qui attulerit à Caphar Lodim ad Lyddam. R. Niſſim*, locum explicans, ſic ait, *Caphar Lodim fuit extra terram Iſraëliticam, vicina Lyddæ, quæ fuit intra* (terram) *nomenque iſtud ſortita eſt, quia ſemper illic aderant aliqui Lyddenſes.*

CAP. XVIII.

CAPHAR TEBI.

כפר טבי.

ET hæc villa vicina *Lyddæ*, ab Oriente ejus ſita. *Babylon. Roſh haſhan*. fol. 13.2. *Vinea quadriennis erat R. Eleazaro.* במזרח לוד בצד כפר טבי. *Ab Oriente Lyddæ juxta Caphar Tebi*. De ea etiam hæc mentio.

Hieroſol. Berac. fol. 3.1. *Attulerunt aliquando arcam oſſibus repletam à Caphar Tebi, eamque apertè collocârunt in introitu ad Lyddam. Prodeunt Tudrus Medicus, Medicique reliqui*; ut dijudicarent ſcilicet, an oſſa hominum eſſent, necne; ac proinde an munda habenda eſſent, an immunda. *Tudrus dixit, Hìc nec eſt ſpina dorſi, nec cranium hominis. Dixerunt ergò, cùm adſint hic quidam, qui munda ea reputant; quidam, qui immunda: ſuffragiis res determinetur. Inceptum eſt à R. Akibah, atque is munda pronuntiavit*, &c.

A Capreolis, in fœcunda hac valle diſcurſantibus, deduci videtur nomen טבי *Tebi* huic viculo. Tranſiit etiam vox in nomen hominum, idque, ut videtur, cum aliqua complacentia. Æternâ memoriâ celebris eſt *Tabitha* fœmina, *Act.* 9. & paginis *Talmudicis*, *Tebi Servus Rabban Gamalielis: Beracoth*, cap. 2. hal. 7. *& Tabitha ejuſdem famula, Hieroſol. Nidda*, fol. 49.4. *Imò unaquæque ejus famula vocata eſt* אמא טביתא *Mater Tabitha, atque unuſquiſque famulus* אבא טבי, *Pater Tebi.*

CAP. XIX.

Ora Judææ Borealis. Beth-boron.

DElineatur hæc ora *Joſuæ* 18:12. ubi ad verſum duodecimum corrigendæ ſunt plurimæ verſiones, quæ vocem ים reddunt *Mare*, quales ſunt *Syriaca*, *LXX. Vulgaris*, *Itala*, Vernacula noſtra, &c. Unde oritur ſenſus oculo Chorographico difficultatis inſuperabilis: cùm reddenda quidem eſſet *Occidentis*, ut rectè *Chaldaica*, *Arabica*, *R. Sol*, &c.

Duplicem *Beth-horonem* legimus in Veteri Teſtamento: at unam tantùm ſub Templo ſecundo. Hæc Βαιθωρὼ *Joſepho*, *de bello*, lib. 2. cap. 20. diſtititque, ſecundùm eum, *Antiq. Jud.* lib. 20. cap. 4. C. aut circiter ſtadia ab *Hieroſolymis*. [XII. M. paſſuum, ½.]

Periit illìc loci exercitus iſte magnus *Cananiticus*, *Joſ.* 10. non grandine, [Judicibus *Judæis*] quæ illico liquefit; ſed lapidibus, qui in ſecula omnia ſubſequentia obduruerunt, & duraverunt. Hinc illud, *Babylon. Beracoth*, fol. 54.1. *Quicunque viderit locum, ubi Iſraëlitæ tranſierunt mare, ubi tranſierunt Jordanem, ubi fluvios Arnon, aut lapides iſtos grandes* [אבני אלגביש] *in deſcenſu Beth-boronis, benedicere tenetur.*

Credunt & eodem loci concidiſſe exercitum *Sennacheribi*: nam ſic Gloſſa in verba prædicta, fol. 2. *Deſcenſus Beth-boronis fuit locus, ubi cecidit exercitus Sennacheribi.*

Erat hæc publica via. *Joſephus*, loco anteà citato, hiſtoriam referens de *Stephano* quodam, ſervo *Cæſaris*, qui mala à prædonibus paſſus eſt hoc loco, dicit illud fuiſſe κατὰ τὴν Βαιθωρὼ δημοσίαν ὁδόν. Viâ ſcilicet regiâ, quâ itum eſt *Hieroſolymis* ad *Cæſaream*.

Anguſtus tamen admodum erat hìc tranſitus, ac aſcenſus, quem *Talmudici* ſic deſcribunt, *Babylon. Sanbedr.* fol. 32.2. *Si duo Cameli aſcenſu Beth-horonis ſimul aſcendant: uterque cadit.* Gloſſa, *Aſcenſus Beth-boronis locus erat anguſtus, nec erat, quò declinares ad dextram aut ſiniſtram.*

Mœſta eſt apud *Joſephum, de bello*, lib. 2. cap. 40. *Ceſtii, Romani* Ducis, hiſtoria, at hìc non inopportuna. Caſtrametatus eſt ille contra *Hieroſolymas*, in loco vocato *Scopo*, [Ἐπὶ τοῦ καλουμένου σκόπου] à parte, quod oſtendemus poſteà, urbis Aquilonari: retrocedereque tandem coactus à *Judæis*, μόγις εἰς Γαβαὼ κατελύτησεν ἐπὶ τὸ πρότερον στρατόπεδον. Ulteriuſque ab iis preſſus ad *Beth-boronem* ſe recipit: Προῆγε τὴν δύναμιν ἐπὶ Βαιθωρῶς.

Judæi autem, dum ille per loca ſpatioſa proficiſceretur, minùs urgebant. Συνειληθέντων δὲ εἰς κατά τινα κατάβασιν, *Concluſos autem Romanos intra anguſtias deſcenſus (Beth-boronis) illi prævenientes ab exitu probibuerunt: alii autem poſtremos in vallem compulerunt. Totaque multitudo, protenſa* ὑπὲρ τὸν αὐχένα τῆς ὁδοῦ, *juxta fauces viæ, exercitum telis operuerunt.*

En tibi viam ducentem ab *Hieroſolyma* ad *Beth-boronem!*

I. Ab *urbe* ad *Scopon*, (צופים, de qua nos poſteà) VII. ſtadia: nam ſic *Joſephus*, Διέχει δὲ ἑπτὰ τῆς πόλεως σταδίους.

II. A *Scopo* ad *Gabao*, vel *Gebam*, XLIII. ſtadia: nam diſtabat *Gabao* ab *Hieroſolymis*, referente eodem *Joſepho, de bello*, lib. 2. cap. 37. L. ſtadiis, id eſt, VI. M. paſſuum, & ultra.

III. A *Geba* ad *Beth-boronem* L. ſtadia, aut circiter; eratque circa *Beth-boronem* aſperitas montium maxima, tranſituſque anguſtiſſimus.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

CAP. XX.

Beth-el. Beth-aven.

JOſephus, *Antiq.* lib. 5. cap. 1. *Benjamitidem* ſic deſcribit, Βενιαμῖται δὲ τὴν ἀπὸ Ἰορδάνου ποταμοῦ ἔλαχον, ἄχρι θαλάσσης μὲν τὸ μῆκος· τὸ δὲ πλάτος, Ἱεροσολύμοις ὁριζομένην, καὶ Βεθήλοις. Notentur hæc ultima, *Latitudo Benjamitidis terminatur Hieroſolymis & Beth-ele.* Nonne ex his meritò concluditur, *Hieroſolymam*, *Beth-elem*que, rectâ quaſi lineâ oppoſitas fuiſſe? Quòd ſi tabulas intuearis, ſunt quæ grandi admodum latifundio has ſeparent, à ſe invicem declinantes.

Beth-el erat olim *Luza*: de qua non modicè nugantur *Rabbini* in *Judic.* 1:23, &c. Aliquando vocatur *Beth-aven*: ſic *Talmudici*, *Hieroſol. Shabb.* fol. 11.4. & *Avodah Zarah*, fol. 43.3. *Oppidum illud, quod aliquando vocatum eſt Beth-el, poſtea vocatum eſt Beth-aven.* Et *Chald.* in *Hoſ.* 4:15. לא תסקון לבית אל pro *Hebræo* אל תעלו בית און. Sic etiam *Cap.* 10:5,8. Non, quod non fuerit aliud oppidum, cui nomen *Beth-aven*, (vide *Joſ.* 18:12,13.) ſed quod *Beth-el* nimio ſuo demerito inuſtum ſibi ſtigma iſtius nominis geſſerit, eo modo quo *Hieroſolyma* nomen *Sodomæ*, *Eſajæ* 1:10.

Dicitur de *Deborah*, quòd ea habitaret *Inter Ramah & Bethel in monte Ephraim*, *Judic.* 4:5. ubi *Targum*, *Ei erant Horti in Ramatha, Oleæ facientes oleum in valle, Domus irrigationis in Beth-el.* Non quod *Beth-el* proriè foret in montano *Ephraimitico*, ipſiſſimis *Judææ* collimitiis confinis, ſed quòd habitatio *Deboræ* eſſet ab initio iſtius montani, intercurrente valle inter illud montanum atque iſta collimitia. Sita erat ipſa *Beth-el* in montano, *Joſ.* 16:1. quod tamen vix dixeris montanum *Ephraimi*, (cùm eſſet, quando *Beth-el* oppidaque ejus *Judææ* forent, 2 *Paral.* 13:19. hinc mixta cum *Ephraimitis Judæorum* Idololatria aliquando, de qua à Prophetis non rarò audiunt) ſed erat montanum quoddam, procurrens inter *Judæam* atque *Ephraimitida*. Vide *Joſuæ* 18:12.

Ab Oriente *Beth-elis* erat olim *Hai*, *Gen.* 12:5. *Joſ.* 8:9, &c. at ipſo ferè introitu *Iſraëlis* in terram promiſſam, nullius exinde nominis, nam in cineres redacta eſt à *Joſua* ſempiternos. Non longè ab ea remota erat oppidum *Beth-aven*, *Joſ.* 7:2. quod & eremo adjacenti nomen dedit, *Joſ.* 18:12. in qua *Ephraim* ſitam arbitramur, 2 *Paral.* 13:19. quæ *Ephraim* Novo Teſtamento dicitur χώρα ἐγγὺς τῆς ἐρήμου, *Joann.* 11:54. de qua dicturi ſumus poſteà.

CAP. XXI.

HIEROSOLYMA.

PRimum hujus urbis nomen *Shalem*, *Gen.* 14:18. *Pſalm.* 76:3. in ſcriptione ירושלם retentum eſt, utcunque legatur *Jeruſalaim.*

Beresh. Rabb. Sect. 9. *Nomen iſtius loci eſt Jehovah Jireh. Abrahamus vocavit locum Jireh, Semus vocavit Shalem. Dicit Deus, Si ego eum vocavero Jireh, diſplicebit Semo juſto; ſi vocavero Shalem, diſplicebit Abrahamo juſto: Ego ergò nomen ei imponam, quod ab utroque eſt impoſitum*, יראה שלם ירושלם. Vide *Aruch* in ירושלם.

Gloſſ. in *Babylon. Taanith*, fol. 16.1. לכך אין אנו נותנין יוד" בירושל' *Nos ergò non interponimus Jod, inter literas Lamed & Mem, in voce Jeruſalem, ut retineatur vox* שלם.

Sita eſt, computante *Aben Ezra*, in *Numer.* 13. in 33. gradu latitudinis. Sic enim ille, רוחב מצרים פחות מל" מעלות *Latitudo Ægypti minùs eſt quàm* 30. *graduum:* ורוחב ירושלם שלשים ושלש *Et latitudo Hieroſolymæ* 33. *graduum.*

Babylon. Joma, fol. 12.1. & *Megillah*, fol. 26.1. *Non dividebatur Hieroſolyma inter Tribus: nam Traditio eſt, Non mercede conduci domos Hieroſolymis, quia propriæ non erant. R. Eliazar bar Zadok dixit, Nec etiam lectos. Recepit ergò paterfamilias ab hoſpitibus coria Sacrificiorum. Abai dicit, Hoc etiam indè diſcas, Quòd moris eſt, ut homo relinquat cantharum ſuum teſtaceum, atque etiam corium Sacrificiorum ſuorum hoſpiti ſuo.* Gloſſa, *Mercede non elocabant incolæ Hieroſolymitani domos ſuas ad feſta accedentibus: ſed gratis eas illis conceſſerunt.* Confer *Matth.* 26:17.

Diviſa nihilò minùs eſt urbs inter Tribum *Judæ* & *Benjaminis*, proceſſitque linea diſterminans per ipſum atrium Templi.

Babylon. ubi ſupra. *Quidnam fuit in portione Judæ? Mons Templi, Paſtophoria, atria: & quidnam in portione Benjaminis? Pronaon; & Templum, & Sanctum Sanctorum. Prodiitque linea è portione Judæ, & progreſſa eſt in portionem Benjaminis; atque in ea conditum eſt Altare.* Gloſſa, *Tota latitudo atrii extimi; quoad partem Orientalem, totum atrium mulierum, totum atrium Iſraëlis, undecim cubiti atrii Sacerdotum.* [Hæc intra portionem *Judæ.*] *Indè Altare, & exinde ad Occidentem, eſt intra portionem Benjaminis.*

Accuratâ adeò diſtinctione obſervatæ ſunt hæ portiones, (ibid. fol. 15.2. in *Gloſſa*) ut angulo Altaris *Eurum* & *Auſtrum* ſpectanti non eſſet fundamentum; quia erat iſta portiun-

Digitized by Google

cula in portione *Judæ*, debuit autem totum Altare eſſe intra portionem *Benjaminis*.

Maimon. in *Beth habbech*, cap. 7. *Hieroſolyma ſancta erat præ urbibus aliis, muro cinctis, eò quod in ea comederent ſacra leviora, & decimam ſecundam. Hæc etiam ea ſunt, quæ dicuntur de Hieroſolyma. Non pernoctare in ea permittunt mortuum: non portant per eam oſſa mortui: non elocant in ea domos: non allocant in ea locum* גר תושב *Proſelyto inquilino: non permittunt in ea ſepulchrum, exceptis ſepulchris domus Davidis, & ſepulchro Huldæ Prophetiſſæ, quæ illic fuerunt à diebus uſque Prophetarum priorum: nec ſtercorarium in ea permittunt, propter reptilia: nec proferunt ex ea tabulata, muris adjecta, in plateas, propter inquinationem: nec faciunt in ea caminos propter fumum: nec alunt in ea gallos propter ſacra: nec Sacerdotes gallos alunt per totam terram Iſraëliticam, propter puritatem: non eſt in ea domus recluſionis ſuſpecta de lepra: nec polluitur leprâ: nec fit ullo modo urbs Anathematizanda ob Idololatriam, &c.*

Avoth, cap. 5. hal. 5. *Nunquam ſerpens aut ſcorpio cuiquam nocuit intra Hieroſolymam. Nec dixit unquam quiſpiam proximo ſuo, Arctus nimis mihi eſt locus, in quo hoſpitor Hieroſolymæ.*

Avoth, R. Nathan, fol. 9, 1. *Non occurrit Anathema Hieroſolymæ, nec titubavit quiſquam. Nec evenit illic conflagratio, nec ruina: nec dixit quiſquam proximo ſuo, Non inveni clibanum, in quo aſſem Paſcha meum: vel non inveni lectum, in quo recumbam. Non plantant in ea arbores, hortis roſarum exceptis, qui illic fuerunt à diebus uſque Prophetarum priorum. Non nutriunt in ea pavones aut gallos, multò minus porcos, &c.*

Rationem, quare hortos non permiſerint in urbe, hanc reddunt Patres Traditionum, *Bava Kamma*, cap. 7. hal. ult. *Non faciunt in Jeruſalem hortos, aut paradiſos*, משום סירחא *propter fætorem.* Gloſſa, *Propter fætorem ab herbis malis, quæ projicerentur: moſque eſt hortos ſtercorare, atque inde fætor.*

Rationem etiam, quare gallos non alerent, hanc reddit ibidem eadem Gloſſa: *Etiam Iſraëlitis prohibitum eſt gallos alere Hieroſolymis*, (Sacerdotibus nuſpiam licitum) *propter ſacra. Nam illìc comederunt carnem Sacrificiorum Pacificorum atque Euchariſticorum: jam verò mos eſt gallis gallinaceis vertere ſtercoraria, atque inde forſan educere poſſent oſſa reptilium, unde pollui poſſent ſacra iſta comedenda.*

Horti extra urbem erant frequentiſſimi, iique ab ipſis mœnibus urbis ulterius ſe extendentes. Hinc illud apud *Joſephum, de bello*, lib 5. cap. 7. de *Tito* periclitante, dum urbem exploraturus circumequitaret. Τῷ δὲ πρόσω μὲν ἦν χωρεῖν ἀδύνατον, ἐκτετάφρευτο γὰρ ἀπὸ τοῦ τείχους περὶ τὰς κηπείας ἅπαντα, κήποις τε ἐπικαρσίοις καὶ πολλοῖς ἕρκεσι διειλημμένα.

Hæc mira referunt etiam *Talmudici* de Templo. *Avoth*, ubi ſupra. *Decem miracula facta ſunt patribus noſtris in Sanctuario. Mulier nulla unquam abortionem paſſa, propter odorem carnis ſacræ: nec fœtorem, aut vermes unquam paſſa eſt caro ſacra: nec unquam viſa eſt muſca in domo* (vel *loco*) *mactationis: nec unquam evenit Gonorrhæa Pontifici ſummo die Expiationis: nec extinxerunt pluviæ ignem Altaris: nec prævaluit ventus columnæ fumi: nec profani quicquam repertum eſt in manipulo, aut duobus panibus* (ſummi Pontificis) *aut in panibus Propoſitionis.* עומדים צפופים ומשתחוים רווחים *Steterunt* (in atrio) *coarctati*, (Gloſſa, *Ità mutuò ſe prementes præ multitudine, ut pedes vix terram contingerent.*) *at, cum adorarent, habuerunt ſpatii ſatis, &c.*

Gloſſa in *Erubin*, fol. 101. 1. ירושלם כולה כרמלית *Hieroſolyma tota erat Carmelith, quia erat ſicut atrium commune.* Quid ſit *Carmelith*, docebunt Lexica, & *Gemariſtæ* in tractatu *Shabbath Hieroſol.* fol. 2. 4. ארבע רשוות לשבת *Quatuor capacitates ſunt Sabbati*, (vel reſpectus locorum quoad loco motionem Sabbaticam) *Publica, privata, Carmelith, & veſtibula cooperta. R. Chaijah dicit, Carmelith eſt locus, nec publicus, nec privatus. R. Jiſſa nomine R. Jochananis dicit, Carmelith eſt ſicut Taberna Bar Juſtini, &c.*

קרתני & ירושלמי opponebantur, ſicut *Ruſticus* & *Urbanus*, *Demai*, cap. 6. hal. a. *R. Iſmael* dicit, הקרתני שקבל שדה מירושלמי *Ruſticus*, vel *Paganus, agrum accipit ab Hieroſolymitano: decima ſecunda pertinet ad Hieroſolymitanum. At Sapientes dicunt, Poteſt Ruſticus ad Hieroſolymam aſcendere, atque eam illic comedere.* Gloſſa, קרתני איש מיוחס לכפר *Kartani eſt ex habitantibus villas.*

C A P. XXII.

Partes urbis. Sion Ἄνω πόλις *Ea à parte Aquilonari.*

EST, qui aſſerat *Hieroſolymam* fuiſſe ſepticollem: aſt an ratione magis levi, an obſcurâ, non facile dixeris. *Tanch.* fol. 52. 3. *Demonſtravit cetus Ionæ*, inquit, *Templum Domini; ſicut dicitur*, Ad radices montium deſcendi: *unde diſcimus Hieroſolymam ſuper ſeptem montes ſitam fuiſſe.* Rem ipſam citius ferè comprobaveris, quam probaveris argumentum: ipſe ſuo fruatur, nobis aliunde ſitus petendus.

Ioſephus, de bello, lib. 5. cap. 13. Πόλις μὲν ὑπὲρ δύο λόφων ἀντιπρόσωπος ἔκτιστο. *Urbs ipſa*

Digitized by Google

ipſa condita erat, adverſis frontibus ſeipſam reſpiciens, ſuper duos colles, intercurrente valle diviſos; in quam occurrentia ædificia deſinunt.

Τῶν δὲ λόφων ὁ μὲν τὴν ἄνω πόλιν ἔχων, *&c.* *Ex his collibus iſte, qui urbem ſuperiorem continuit, altior longè erat & longitudine porrectior, & quia munitus valde erat, vocabatur à Davide Rege* CASTELLUM; ἡ δὲ ἄνω ἀγορὰ πρὸς ἡμῶν, *à nobis autem vocatur* OPPIDUM SUPERIUS.

Ἕτερος δὲ, ὁ καλούμενος Ἄκρα, καὶ τὴν κάτω πόλιν ὑφεστώς, &c. *Alter verò, qui vocabatur* ACRA, *oppidum inferius ſuſtinens, utrinque declivis erat.*

Huic verò ex adverſo tertius collis erat, [MORIAH] *Acrâ depreſſior, & latâ valle inde ſemotus: at, cùm regnarent Aſmonæi, vallem aggere replerunt, volentes ut Templum urbem contingeret, detraxeruntque à ſummitate Acræ, ut Templum ei ſuperemineret.*

Erant & alii colliculi, *Bezetha* & *Ophel*, de quibus ſuo loco: cum primum hos duos perluſtraverimus, *Sionem* & *Acram*, atque utriuſque ſitum.

An *Sion*, an *Jeruſalem*, partem urbis Aquilonarem occupaverit, vetus eſt diſputatio, hodiernaque: nos *Sionem* ab Aquilone ſtatuimus, his nixi rationibus.

I. *Pſalm.* 48:3. הר ציון ירכתי צפון *Gaudium totius terræ eſt Mons Sion à latere Boreali.* Ubi *Aben Ezra*, ציון בצפון ירושלם *Mons Sion eſt à latere Hieroſolymæ Septentrionali:* & *Lyranus*, *Mons Sion eſt in Aquilonari parte Hieruſalem.*

LXX. Ὄρη Σιὼν τὰ πλευρὰ τοῦ βορρᾶ.

Appollinar. Οὔρεά τοι Σιῶνος ἀπὸ πλευρῆς βορέαο.

II. Cum Propheta *Ezechiel* novam *Hieroſolymam* in viſione proſpicit, dicit ſe ſtetiſſe in monte alto valde, *Juxta quem erat quaſi ædificium ab Auſtro, Ezech.* 40:2. In quem locum ſic *Kimchius, Locavit me ſuper montem excelſum valde. Iſte mons erat mons Templi: nam Templum condendum erat in monte, ſicut antè. Et civitas Hieruſalem propinqua ei eſt ab Auſtro.* Et *Lyranus* iterum, poſt recitatam nonnullorum iſtius commatis explicationem, & rejectam, *Et ideò,* inquit, *Hebræi dicunt, & melius, ut videtur, quod Propheta duo vidit; ſcilicet civitatem & Templum; & quod Templum erat in parte Aquilonari, civitas autem in parte Auſtrali*

En tibi, Lector, *Sionem* à parte Aquilonari apud *Pſalten*, & civitatem à parte Auſtrali apud *Prophetam!*

Quæ in hanc cauſam faciunt apud *Joſephum* & varia ſunt, & non obſcura; quæ tamen in argumenta compingere non poſſumus, ante perluſtrata ædificia melioris notæ in *Sione*, vel ἐν τῇ ἄνω πόλει· cujus memorem oportet eſſe Lectorem; Appellationem ſcilicet *Sionis* à reditu è *Babylone* fuiſſe deſuetam, vulgatiorem autem fuiſſe τῆς ἄνω ἀγορᾶς.

CAP. XXIII.

Ædificia nobiliora in Sione.

ÆDificia ipſa primò recognoſcemus, & deinde, quantum licet, eorum ſitum.

I. Primum locum perluſtrationis noſtræ ſibi vendicat *Regia*: de qua iſta.

Joſeph. de bello, lib. 2. cap. 39. Ἔπειτα πρὸς τὴν ἄνω πόλιν ἐλθὼν ἀντικρὺ τῆς βασιλικῆς αὐλῆς ἐστρατοπεδεύετο. *Ceſtius* [locis urbis aliis quibuſdam vaſtatis] *venit tandem in urbem ſuperiorem* [*Sionem*] *& caſtra poſuit contra aulam Regiam.*

Cum incendio *Romani Acram* ſolo æquâſſent, οἱ στασιασταὶ ἐπὶ τὴν βασιλικὴν ὁρμήσαντες αὐλὴν, *Seditioſi in Regiam ruentes, in quam ob loci munitionem bona ſua contulerant, illuc avocant Romanos*, Ibid. lib. 6. cap. 37. Et poſtea, cap. 40. Καῖσαρ δὲ, ὡς ἀμήχανον ἐξελεῖν δίχα χωμάτων τὴν ἄνω πόλιν, περίκρημνον οὖσαν, *&c. Cæſar autem, cùm fruſtrà eſſet urbem ſuperiorem aggredi abſque aggeribus, quippe quæ undique declivis eſſet, exercitum operi applicat, &c.*

II. *Domus Aſmonæorum* & *Xyſtus.*

Ibid. lib. 2. cap. 28. *Agrippa* Rex *Hieroſolymitanos* convocat in *Xyſtum*, ſororemque *Berenicen* intra eorum conſpectum ſiſtit, ἐπὶ τῶν Ἀσμοναίων οἰκίας, αὕτη γὰρ ἦν ἐπάνω τοῦ Ξυστοῦ, πρὸς τὸ πέραν τῆς ἄνω πόλεως· *Super domum Aſmonæorum, quæ erat ſupra Xyſtum, in ulteriori parte urbis ſuperioris.*

III. *Pons* erat, à *Xyſto* ducens in *Templum*, *Templumque* conjungens *Sioni.*

Idem, ibid. Γέφυρα τῷ Ξυστῷ τὸ Ἱερὸν συνῆπτεν.

Idem, *Antiq.* lib. 14. cap. 8. Cùm *Pompejus* urbem oppugnaret, *Judæi* Templum ceperunt, καὶ τὴν τείνουσαν ἀπ' αὐτοῦ γέφυραν εἰς τὴν πόλιν ἔκοψαν· *pontemque, inde in urbem ducentem, diruperunt. Alii autem exercitum ejus receperunt, Pompejoque urbem tradiderunt, & Regiam.*

Idem, *de Bello*, lib. 6. cap. 40. *Tituſque* cum ſeditioſos in Regia, in urbe ſuperiori, obſideret, quatuor legionum machinas erigit, κατὰ τὸ πρὸς δύσιν κλίμα τῆς πόλεως, ἀντικρὺς τῆς βασιλικῆς αὐλῆς. Τὸ δὲ συμμαχικὸν πλῆθος, καὶ ὁ λοιπὸς ὄχλος κατὰ τὸν Ξυστὸν, ἐξ οὗ καὶ τὴν γέφυραν.

Vides hæc loca fuiſſe in urbe ſuperiori; diſciſque à *Ioſepho*, urbem ſuperiorem eandem fuiſſe cum *Caſtello Davidis*, vel *Sione*. Jam verò hæc loca fuiſſe à parte urbis Aquilonari ab eodem ex his diſce.

Tur-

Digitized by Google

Turres ab *Herode* conditas, *Pſephinum*, *Hippicum*, *&c.* dicit planè fuiſſe ab *Aquilone*.

Ibid. lib. 5. cap. 12. *Caſtrametatus eſt Titus*, inquit, *ſtadiis ab urbe duobus, à parte muri angulari, juxta turrim Pſephinum, ubi circuitus muri ab Arcto flectitur in Occidentem.* Et capite proximè ſequente, Ἀνεῖχε κατὰ γωνίαν βόρειός τε καὶ πρὸς δύσιν ὁ Ψήφινος πύργος.

Et muri extimi ambitum eodem capite deſcribens, Ibid. cap. 13. Ἀρχόμενον δὲ, inquit, κατὰ βορρᾶν ἀπὸ τοῦ Ἱππικοῦ καλουμένου πύργου, καὶ διατεῖνον ἐπὶ τὸν Ξυστὸν, *&c. Incepit*, inquit, *à Septentrione à turre Hippico, & proceſſit ad Xyſtum.*

Et, cùm turres iſtas deſcripſiſſet, hæc addit, Κειμένοις δὲ πρὸς ἄρκτον αὐτοῖς ἔνδοθεν ἡ τοῦ βασιλέως αὐλὴ προσέζευκτο· *Sitis autem iſtis turribus ab Aquilone, intus adjuncta erat Regia.* Quid clarius? *Regia* erat in urbe ſuperiori, vel *Sione:* at *Regia* conjuncta erat muro extimo Septentrionali; ergò *Sion* erat à Septentrione.

His addas quæ ſequuntur in Hiſtoria de *Pompejo*, anteà adducta. Cum in manus *Pompeji* tradita eſſet *Regia*, Πομπήϊος δὲ ἔσωθεν στρατοπεδεύεται κατὰ τὸ βόρειον τοῦ ἱεροῦ μέρος· *Ille caſtra ponit à parte Templi Aquilonari.*

Et de *Ceſtio*, ibid. lib. 2. cap. 39. Πρὸς τὴν ἄνω πόλιν ἐλθὼν ἀντικρὺ τῆς βασιλικῆς αὐλῆς ἐστρατοπεδεύετο. Et paulò poſt, Κατὰ τὸ προσάρκτιον ἐπιχειρεῖ κλίμα τοῦ ἱεροῦ.

Plura jam non urgebimus: occurrent hinc illinc procedentibus quæ ſententiam hanc noſtram tueantur: cui quæ contradicantur ſatis novimus, quæ æquâ trutinâ Lectori trutinanda relinquimus. Hæc duo verò ſilentio præterire non poſſumus, quæ apertâ facie nobis contraire videntur.

I. Objici poteſt, idque non immeritò, *Sionem* fuiſſe in Tribu *Judæ*, *Hieroſolymam* autem in Tribu *Benjaminis*. Jam verò cùm terra *Iudæ* fuerit à regione *Hieroſolymæ* Auſtrali, cenſenduſque ſit mons *Sion* intra portionem *Judæ*, hoc quomodo fieri potuit cum inter *Iudæam* & *Sionem* interjecta fuerit *Hieroſolyma*, quæ fuit è *Benjamitide?*

Reſp. 1. Nullâ neceſſitate cogimur, ut *Sionem* præciſe intra portionem *Iudæ* circumſcribamus; cùm eam devicerit *David*, non quà à *Juda* ortus, ſed quà Rex totius gentis.

II. At, detur *Sionem Judæ* aſcribendam, linea iſta interſecans inter portionem *Judæ* & *Benjaminis*, de qua mentionem habuimus antè, non ab Oriente in Occidentem proceſſit: nam ſic quidem totam *Hieroſolymam* à tota *Sione* diſſecuiſſet, ſed perrexit ab Auſtro in Aquilonem, & ſic *Hieroſolymam* interſecuit, & *Sionem* interſecuit; ita ut utraque foret in utraque Tribu; atque ità etiam erat mons *Moriah*.

II. Objicitur, Hodie oſtendi peregrinantibus collem & ruinas, ſub nomine *Sionis* & *turris Davidicæ*, à parte urbis Auſtrali.

Reſp. At liceat nobis pro oraculis non habere omnia, quæ ab iis dicuntur, qui loca iſta jam oſtendunt, cùm ſatis pateat, eos in pleriſque aliis hallucinari, extraque omnem controverſiam ſiet, eos non tam veritati in iſta re ſtudere, quàm ſibi ipſis lucrum venari. Utinam iis minùs fuiſſet creditum, & magis de ſitu locorum ex Scriptura & ſcriptoribus aliis ventilatum.

CAP. XXIV.

Ædificia quædam in Acra. Bezetha. Millo.

NOn tam longè in Orientem ſe protruſit mons *Sion*, quàm mons *Acra*: atque hinc eſt, quòd mons *Moriah* à *Joſepho* dicatur *ſitus ex adverſo Acræ*, potiùs quàm ex adverſo urbis ſuperioris: nam *Acram* ſic deſcribens, quod adduximus antè, *de bello*, lib. 5. cap. 13. Ἄτερος δὲ [λόφος] ὁ καλούμενος Ἄκρα, καὶ τὴν κάτω πόλιν ὑφεστὼς, ἀμφίκυρτος· proximis verbis hæc ſubdit, Τούτου δὲ ἀντικρὺ τρίτος ἦν λόφος, loquens de *Moriah*.

Idem conflagrationem urbis inferioris ſic deſcribit, Ibid. lib. 6. cap. 35. Τότε ἀρχεῖον, καὶ τὴν Ἄκραν, καὶ τὸ βουλευτήριον, καὶ τὸν Ὄφλαν καλούμενον ὑφῆψαν· καὶ προὔκοψε τὸ πῦρ μέχρι τῆς Ἑλένης βασιλείων, ἃ δὴ κατὰ μέσην τὴν Ἄκραν ἦν.

I. Ἀρχεῖον. An Curiam Magiſtratuum velit, an Archivorum repoſitorium, pro varia vocis ſignificatione, non decernimus. Erant certè Archiva ſacra in Templo, at civilia abſque dubio in urbe, ubi reponebantur ſchedulæ & monumenta coemptionum, contractuum, donationum, atque actorum publicorum, &c. De eorum repoſitorio ego hoc promptiùs intellexerim, quàm de Curia Magiſtratuum, quia illico diſtinctè nominatur Βουλευτήριον.

II. Ἄκραν. Id eſt, vel ædificia, quæ in ipſa montis ſummitate & vertice, vel præſidium vel caſtellum aliquod in monte. Quo ſenſu non rarò occurrit vox iſta in hiſtoria *Maccabaica*, atque apud *Joſephum*.

III. Βουλευτήριον. Βουλὴν alibi memorat, eamque, ut videtur, in urbe ſuperiori: nam dicit ibid. lib. 5. cap. 13. *murum extimum ab Aquilone incepiſſe ab Hippico turre, & proceſſiſſe ad Xyſtum*, ἔπειτα τῇ βουλῇ συνάπτον, *atque indè Concilio* [vel *Curiæ*] *contiguum proceſſiſſe*

Digitized by Google

ceſſiſſe ex oppoſito porticûs Occidentalis Templi. Βυλὴν in urbe ſuperiori non incongruè interpreteris de Curia Regis. Βυλευτήριον in inferiori de Curia Synhedrii, quò conceſſit, cùm migraret è Tabernis.

IV. Ὀφλᾶν. *Ophel*, *Nehem.* 3:26.

Erat & quartus collis, inquit idem *Joſephus*, ibid. ὃς καλεῖται Βεζεθὰ, *qui vocatus eſt Bezetha, ſitus ex adverſo Antoniæ, atque indè diviſus profundâ foſſa. Bezetha autem, ſi Græcâ interpretatione reddatur*, καινὴ λέγοιτ᾽ ἂν πόλις, *dici poſſit Nova Civitas.* Et tamen eſt, ubi diſtinguere videtur inter *Bezetham* & *Novam Civitatem*: nam dicit de *Ceſtio*, ibid. lib. 2. cap. 39. Κέστιος δὲ παρελθὼν ὑπεμπίπρησι τήν τε Βεζεθὰν προσαγορευομένην, καὶ τὴν καινόπολιν.

Sita erat *Bezetha* à parte *Antoniæ* Aquilonari, expleruntque ea & καινόπολις ſpatium illud ubi deſiit *Sion* ab Oriente, & non in tantum exporrecta eſt, in quantum *Acra*. Πλήθει ὑπερχεομένη [ἡ πόλις] κατὰ μικρὸν ἐξεῖρπε τῶν περιβόλων, καὶ τοῦ ἱεροῦ τὰ προσάρκτια πρὸς τῷ λόφῳ συμπολίζοντες, ἐπ᾽ οὐκ ὀλίγον προῆλθον, καὶ τέταρτον περιοικηθῆναι λόφον, ὃς καλεῖται Βεζεθὰ, &c.

De *Millo* variant interpretes. Eſt, qui locum amplum fuiſſe opinetur, comitiis & conventibus publicis deſtinatum: ità *Kimch.* in 2 *Sam.* 5. Eſt, qui de aggeribus terræ interpretetur, ad murum intus congeſtæ, unde faciliùs aſcendere poſſent in murum: *Davidem*que, cùm dicatur condidiſſe *Millo*, turres ſupra cumulos atque aggeres hoſce erexiſſe: ita *R. Eſajas*, ibid. Sunt, qui de valle, aut platea, intelligant, intercurrente inter *Hieroſolymam* & *Sionem*, & ſic vulgò depingitur in Tabulis. Cùm reverà *Millo* fuerit pars *Sionis*, vel colliculus ei aliquis adjectus à parte Occidentali.

Obſervetur illud 2 *Paral.* 32:5. ויחזק את המלוא עיר דוד *Et reſtauravit*, vel *munivit*, *Millo urbis Davidis*; vel, ut vernacula noſtra, *in urbe Davidis*. LXX. Τὸ ἀνάλημμα τῆς πόλεως Δαυίδ. Cum ergò dicatur *David* condidiſſe *Millo & interius*, idem eſt, ac ſi dixiſſet, Condidit ab extrema parte *Sionis*, quæ vocabatur *Millo*, interiùs ad Caſtellum proprium. Et cætera reſtauravit *Joabus*, 1 *Paral.* 11:8.

Platea, vel vallis, intercurrens inter *Sionem* & *Acram* vocabatur Τυροποιῶν φάραγξ, quaſi dicas, *Caſeariorum vallis*, aut *platea*, *Joſeph. de Bello*, lib. 5. cap. 13. Erat & Δοκῶν Ἀγορὰ, quam Idem, ibid. lib. 2. cap. 39. conjungit cum *Bezetha* & *Nova Civitate*. *Flammis vaſtavit Ceſtius*, inquit, *Bezetham & Cænopolin*, καὶ τὸ καλούμενον Δοκῶν Ἀγοράν.

CAP. XXV.

Gihon, idem cum fonte Siloam.

I. IN 1 *Reg.* 1:33, 38. quod in *Hebræo* eſt, *Deducite Solomonem ad Gihon*; *Et deduxerunt eum ad Gihon*: *à Chaldæo* redditur, *Deducite eum ad Siloam*; *Et deduxerunt eum ad Siloam.* Ubi ſic *Kimchius*. *Gihon eſt Siloam, & vocatur duplici nomine. Et præcepit David, ut Solomonem ungerent ad Gihonem, in bonum omen, ut ſit nempe regnum ejus prout aquæ fontis ſunt perennes.* Sic etiam *Hieroſolymitani*, *Sotah*, fol. 22. 3. *Regem non ungunt niſi ad fontem; ſicut dicitur*, Deducite Solomonem ad Gihon.

Typum regni *Davidici* exhibuerunt ſcatebræ *Siloami*, *Eſaj.* 8:6. ubi ſic *Chaldæus* Paraphraſtes, *Quia tædet hunc populum regni domus Davidicæ, quæ leniter eum tractat, ſicut leniter labuntur aquæ Siloam.* Et *R. Sol. Siloam eſt fons, cujus nomen eſt Gihon & Siloam.* Vide & *Aruch* in voce שלוח.

II. Situs erat fons iſte à parte urbis Occidentali, at non longè ab angulo Occidentem & Auſtrum reſpiciente.

Joſephus de bello, lib. 5. cap. 13. de profunda iſta valle loquens, quæ intercurrebat inter *Sionem* & *Acram*, καθήκει, inquit, μέχρι Σιλωᾶς, *Exporrigitur uſque ad Siloamum, ſic enim fontem vocamus dulcem quidem & largum.* Jam vero procurrebant *Sion* & *Acra* montes, pariterque vallis interſecans, ab Oriente ad Occidentem. Idemque ibidem, de muri extimi ambitu loquens, hæc ait inter alia, καὶ ἔπειτα πρὸς νότον ὑπὲρ τὴν Σιλωὰμ ἐπιστρέφων πηγὴν, &c. *At indè ad Auſtrum inclinat poſt fontem Siloamum.* Poſt tumultum *Hieroſolymis* ſub *Floro* à *Judæis* excitatum, illuc perveniens cum Rege *Agrippâ*, *Neopolitanus* Tribunus à *Judæis* obſecratur, σὺν ἑνὶ θεράποντι περιελθεῖν μέχρι τοῦ Σιλωᾶ τὴν πόλιν, *Ut uno tantum aſſumpto famulo, per urbem pergat uſque ad Siloam*: [id eſt, ab Oriente ad Occidentem per totam urbem] atque ut indè ex pacato & quieto erga ipſum populi geſtu percipiat, non in *Romanos* omnes exardere populum, ſed in *Florum* ſolum, Idem, ibid. lib. 2. cap. 28.

III. Erat *Siloam* à tergo *Hieroſolymæ*, non *Sionis*. Notetur illud *Joſephi*, ibid. lib. 6. cap. 38. Ῥωμαῖοι, τρεψάμενοι τοὺς λῃστὰς ἐκ τῆς κάτω πόλεως, τὰ μέχρι τοῦ Σιλωᾶ πάντα ἐνέπρησαν. *Romani, cum ſeditioſos ex urbe inferiori abegiſſent, totam eam combuſſerunt uſque ad Siloamum.* Hoc ideo obſervamus, quia falli hîc, & fallere videamus Tabulas nonnullas, quæ *Siloamum* collocant poſt *Sionem*; cum reverà ſtatu-

ſtatuendus eſſet poſt *Acram*. *Stagnum Siloami* quidem erat poſt aliquam partem *Sionis*, verſus Occidentem; at *fons Siloam* poſt *Acram*.

IV. Per duplicem rivum ſe evacuavit in duplex ſtagnum: ſuperius ſcilicet & inferius, 2 *Reg.* 18:17. *Eſajæ* 7:3. Inferius erat ab Occidente, & vocatur *Stagnum Siloami*, *Joann.* 9:7. *Nehem.* 3:15. Superius fortè illud erat, quod à *Joſepho* vocatur *Stagnum Solomonis*, loco nuper citato. *Et indè*, inquit ille, *murus extimus ad Auſtrum inclinat poſt fontem Siloamum:* ἔνθεν τε πάλιν ἐκκλίνον πρὸς ἀνατολὴν ἐπὶ τὴν Σολομῶνος κολυμβήθραν, &c. *Atque indè iterum in Orientem inclinat ad Stagnum Solomonis.* Vide 2 *Paral.* 32:30. & *Eſajæ* 22:9, 11.

V. Aquas hauſerunt è fonte *Siloami* in ſolenni iſta feſtivitate feſti Scenopegiæ, quam ניסוך המים *Libationem aquæ* vocarunt: de qua ſic Patres Traditionum, *Succah*, cap. 4. hal. 7. *Libatio aquæ quonam modo fuit? Phiala aurea fuit, Log ter continens, quam implevit aliquis è Siloamo, &c. Gemariſtæ* quærunt, *Babylon.* ibid. fol. 48. 2. *Unde hæc conſuetudo? Ex eo, quod dicitur*, Et haurietis aquas cum gaudio è fontibus ſalutis. *Hieroſol.* ibid. fol. 55. 1. *R. Levi dicit, quare vocatur* בית שואבה *Locus hauſtus? Quia indè hauriunt Spiritum Sanctum.*

Aquam indè hauſerunt etiam, cum cineribus vaccæ rufæ commiſcendam, cùm aſpergendus eſſet aliquis immundus, *Parah*, cap. 3. hal. 2.

Sacerdotes largiùs de ſacris comedentes aquas *Siloami* biberunt, concoctionis ergo, *Avoth R. Nathan*, fol. 9. 1.

Addamus & hæc; ſed *Oedipus* eſto lector. *Hieroſol. Chagigah*, fol. 76. 1. *Immundus à cadavere non ingreditur in montem Templi. Dicitur, quod iſti, qui apparerent, apparerent in atrio. Unde tu menſuras, à muro an a domibus? Tradit Samuel, A Siloamo*, ושלוח היה באמצע המדינה *Et Siloam erat in medio urbis.*

CAP. XXVI.

Cingulum urbis, *Nehem.* Cap. 3.

A *Porta probatica* שער הצאן Peripheriæ initium. Iſtam arbitramur ſitam à parte Auſtrali, at parum remotam ab angulo iſto, qui Auſtrum reſpexit & Orientem. Intus *Natatoria Betheſdæ* ſanationibus celebris.

Pergenti porrò à parte Auſtrali *Turris Meah*: atque ulteriùs *Turris Hananeel*: *Chaldæo* Paraphraſtæ מגדל פקום *Zachar.* 14:10. פקום *Jerem.* 31:38. Ἱππικὸν ſuſpicarer, niſi quod iſta à latere Aquilonari poſita eſſet, hæc ab Auſtrali. Perpendenda ſunt verba *Jeremiæ*, *Ædificabitur civitas Domino, à Turri Hananeel ad portam anguli. Exibitque porrò linea menſurans juxta eam ad collem Gareb: & circuibit ad Goah. Omniſque vallis cadaverum, cineriſque, atque omnia arva ad torrentem Kidron, uſque ad angulum portæ equorum ab Oriente, Sanctitas erit Domino, &c.*

גבעת גרב *Collis Gareb.* Non *Gareb* certè illa, ubi Idolum *Michæ*, de qua ſic *Talmudici*, *Babylon. Sanhedr.* fol. 103. 2. *R. Nathan dicit, A Gareb ad Shiloh erant tria milliaria, fumuſque Altaris commiſtus erat cum fumo Idoli Michæ*: ſed, ut non inconcinnè *Lyranus*, *Mons Calvariæ*: vide & *Midr. Till.* in *Pſalm.* 132. & *Buxtorf.* in *Lexic. Talmud.* in voce מיל.

געתה: *Chald.* ברכת עגלה *Stagnum vitulæ*, etymon vocis ſecutus à געה Mugiendo. *Lyran. Golgotha.*

עמק פגרים והדשן: *Chaldæus* Paraphraſtes, & *Rabbini* de loco intelligunt, ubi periit exercitus *Aſſyriorum*: nec omnino vafrè; nam periiſſe illi videntur, ſi modò juxta *Hieroſolymam* perierunt, in *valle Tophet*, ſive *Ben-Hinnom*, *Eſajæ* 30:33. Agitque *Jeremias* de iſta valle, ſentinâ ſcilicet urbis & cœmiterio, loco præ omnibus aliis urbem ambientibus fœdiſſimo atque abominando; prædicens iſtam vallem, quam noli jam tangere, olim mundam futuram, atque intra urbis ambitum recipiendam: at hoc myſticè & ſenſu magis ſpirituali. Hinc arguimus *Turrim Hananeel* à latere urbis Auſtrali fuiſſe, à quo etiam latere *vallis Ben-Hinnom*, deflectens tamen etiam in Orientem: prout *vallis Kidron* ab Oriente urbis deflexit etiam in Septentrionem. Impoſſibile erit, ni fallar plurimùm, ſi modò initium peripheriæ iſtius apud *Nehemiam*, ab angulo Eurum atque Aquilonem ſpectante ſumas, quod faciunt nonnulli, hæc verba *Jeremiæ* interpretari ſenſu aliquo vel planò vel probabili; niſi comminiſcaris, quod falſiſſimum, *vallem Hinnomis* ſitam ab Aquilone.

VERS. 3. שער הדגים. LXX. τὴν πύλην τὴν ἰχθυηρὰν. Erat & iſta verſus Auſtrum. De ea mentio *Sophon.* 1:10. ubi LXX. Πύλη ἀποκεντούντων· obſcurius. Dictam hanc portam *Portam Piſcium* hariolantur plerique, quod per eam inferrentur piſces in urbem: ego potiùs, quod eſſet *forum Piſcium*; prout *Probatica*, *forum pecorum*. Addit *Sophonias*, ויללה מן המשנה *Et ululatus erit à ſecunda. Chald.* מן עופא. *R. Sol.* משער העופות *A porta volucrum:* fortè porta juxta forum ubi venderentur volucres. *Kimchius* legit מן עפלא, *Ab Ophel*: planius quidem; ſed quæro an verius. Erat

hæc

hæc *porta volucrum*, ea fortaſſe, quæ vocatur *Porta vetus*, *Nehem.* 3: 6.

Propè angulum Auſtrum atque Occidentem reſpicientem, *Fontem Siloam* fuiſſe arbitramur: idque partim verbis *Joſephi* perſuaſi anteà allegatis, partim ratione ipſa inducti: nam hinc fluxit fons iſte juxta murum Auſtralem, Orientem verſus ad *portam*, ut arbitramur, *Probaticam*, illinc flectens rivo decliviori Aquilonem verſus in vallem, atque deſinens tandem in ſtagnum *Siloami*, ad baſim montis *Sionis*.

Ab Occidente erat I. שער הגיא *Porta vallis*, *verſu* 13. cùm jam ad baſin montis *Acræ* eſſet perventum: & II. mille indè cubitis שער האשפות *Porta Eſquilina*, vel *Stercorea*, *verſu* 14. Et III. porrò שער העין *Porta fontis*, *verſu* 15. non *Siloami*, nec *Draconis*; ſed alius.

Et jam perventum eſt ad *Piſcinam Siloami*, & ad pedem *Sionis*, quo per gradus quoſdam aſcendebatur, *verſu* 15. Erant primùm *Piſcina Siloami*, fonſque, & rivus Occidentalis, extra muros; aſt omnes tandem incluſit Rex *Manaſſeh*, 2 *Paral.* 33:14. ut ſecurius urbi eſſet de aqua, ſi obſidionem pateretur: exemplo id edoctus avi *Ezechiæ*, aſt incommodiori, 2 *Paral.* 32:3.

Perrexit murus juxta *Sepulchreta Davidis*, *piſcinam aliam*, *Domumque fortium*, *verſu* 6. & non multò poſt flexit verſus Orientem: & jam ad latus Septentrionale pervenimus. Vide verſum decimum nonum & viceſimum.

Ad anguli hujus flexuram condidit *Herodes* celeberrimam turrim *Pſephinum*, de qua ſic *Joſephus, de bello* lib. 5. cap. 13. Θαυμασιότερος ἀνεῖχε κατὰ γωνίαν βόρειός τε καὶ πρὸς δύσιν ὁ Ψήφινος πύργος, καθ' ὃν ἐστρατοπεδεύσατο Τίτος, &c.

Non erat ab hoc latere Boreali porta ulla: Ædificia, quæ erant intus, memorantur, *Nehem.* 3. *verſibus* 20, 21, 22, 23, 24. & *Turris Hippicus* à *Joſepho*.

Ab Oriente erant, I. Turris prominens in ipſa anguli flexura, Septentrionem reſpicientis & Orientem. Intus Domus Regia, atque atrium carceris, *verſu* 25. II. *Porta aquarum*, cujus & mentio, *Nehem.* 12:37. III. *Ophel*, *& porta equorum*, *Nehem.* 3: 27, 28. de qua & mentio, *Jerem.* 31:40. unde initium erat *vallis Ben-Hinnom*, quæ, infra urbem Auſtrum verſus procurrens, tandem flexit in Occidentem. *Porta* ergò *aquarum* in *vallem Kidronis* duxit, at *porta equorum* in *vallem Hinnomis*, illic loci *vallem Kidronis* contingentem. IV. *Porta Miphkad.* Vulg. *Porta Judicialis.* V. Exinde non longè aberat angulus Eurum ſpectans & Auſtrum: atque indè, aliquantum in latere Auſtrali, *Probatica Porta*, unde primò eſt proceſſum.

Addamus verba *Joſephi* de proceſſu muri extimi. Sic autem ille ubi ſuprà. Ἀρχόμενον δὲ κατὰ βορρᾶν ἀπὸ τοῦ Ἱππικοῦ καλουμένου πύργου, καὶ διατεῖνον ἐπὶ τὸν Ξυστὸν λεγόμενον, ἔπειτα τῇ βουλῇ συνάπτον ἐπὶ τὴν ἑσπέριον τοῦ Ἱεροῦ στοὰν ἀπηρτίζετο. Κατὰ θάτερα δὲ πρὸς δύσιν ἀπὸ τοῦ αὐτοῦ μὲν ἀρχόμενον πύργου διὰ δὲ τοῦ Βηθσὼ καλουμένου χώρου κατατεῖνον ἐπὶ τὴν Ἐσσηνῶν πύλην, καὶ ἔπειτα πρὸς νότον ὑπὲρ τὴν Σιλωὰμ ἐπιστρέφον πηγὴν, ἔνθεν τε πάλιν ἐκκλῖνον πρὸς ἀνατολὴν ἐπὶ τὴν Σολομῶνος κολυμβήθραν, καὶ διῆκον μέχρι χώρου τινὸς, ὃν καλοῦσιν Ὀφλᾶς, τῇ πρὸς ἀνατολὴν στοᾷ τοῦ Ἱεροῦ συνῆπται.

In quæ hæc duo obſervemus ad proceſſionis noſtræ aſſertionem. I. Procedere hanc deſcriptionem ab Aquilone ad Occidentem, Auſtrum, Orientem. II. *Ophlam*, vel *Ophel*, interjectam fuiſſe inter angulum, Eurum atque Auſtrum intuentem, atque porticus Templi; quod nequaquam concipi poteſt, ſi aliunde delineationem *Nehemiæ* ordiaris, quam ubi nos. His addi poteſt ſitus *Siloami*, de quo iſta dici nullo modo poſſunt, quæ & à *Joſepho* dicuntur & Scripturâ, ſi ſitum ejus juxta *Sionem* reputes.

Adjiciamus etiam proceſſionem chori, *Nehem.* 12:31. Aſcendit murum, perrexitque à dextrâ ad *portam ſtercoris*, *portam fontis*, *civitatem Davidis*, *&c. verſu* 37. Obſerventur verba iſta, *Perrexit à dextra*, *verſu* 31. quod fieri nequivit, niſi juxta proceſſionem, quam nos ſtatuimus, ſi modò intra murum aſcenderunt murum, quod non opinari hiſpidum eſſet & alienum.

Chorus alter à ſiniſtra pergit ad angulum, qui Auſtrum & Occidentem reſpexit, & ad *portam Ephraim*; & *veterem*, & *piſcium*, *&c. verſu* 29. De *porta Ephraim* nihil dictum erat in delineatione exhibita *Cap.* 3. De ea etiam mentio 2 *Reg.* 14:13. ubi & mentio *Portæ angularis*, de qua hîc omnino etiam ſiletur.

Apud *Nehemiam* videtur intelligi locus iſte, ubi olim fuerat porta iſtius nominis, quæ jam ſub Templo ſecundo evanuerat.

CAP. XXVII.

MORIAH mons.

Babylon. *Taanith*, fol. 16. 1. *Quare vocatur Mons Moriah? In partes de hac re eunt R. Levi bar Chama*, *& R. Chaninah. Unus dicit*, שיצא ממנה הוראה לישראל *Quod indè prodiret inſtructio Iſraëlis*: *alter dicit* שיצא ממנו מורא לאומות העולם *Quod indè prodiret timor nationibus mundi.*

Maimon. in *Beth Habbechirah*, cap. 2. *Juchaſ.*

Digitized by Google

fol. 9. 1. *Midraſch Till.* fol. 41. 2. *Traditio ab omnibus recepta eſt, locum, ubi David condidit Altare in area Araunæ, fuiſſe locum, ubi ſuum condidit Abrahamus, ſuper quod ligavit Iſaacum; ubi ſuum condidit Noachus, cum egrederetur ex arca; ibidem fuiſſe Altare, ſuper quod obtulerunt Cain & Abelus; ibidem Adamum obtuliſſe cum crearetur, atque indè fuiſſe creatum. Dicunt Sapientes, Idem ei locus expiationis, qui creationis.*

Ita ſitus erat mons *Moriah*, ut Ἀντικρὺ ἡ Πόλις ἔκειτο τοῦ Ἱεροῦ θεατροειδὴς οὖσα, *Civitas theatri inſtar Templum ambiret:* hinc *Sion*, indè *Acra*, atque aliquantum à tergo *Bezetha*, *Joſeph. Antiq.* lib. 5. cap. 14.

Middoth, cap. 2. hal. 1. & *Maimon.* ubi antè. Mons Templi, id eſt, locus ubi Templi ædificia, erat quadraturæ quingentorum cubitorum, [vide *Ezech.* 42: 16, 17.] muro cinctus nobiliſſimo, porticibus, vel baſilicis duplicatis intus munito, dicam? an ornato? an utrumque? Exſpatiatus eſt ultra hunc murum verſus angulum Aquilonem atque Occidentem reſpicientem, in tantum dimenſionis, ut conderetur illic turris *Antonia*, fabricæ atque hiſtoriæ celeberrimæ.

Subterranea concavitas totum ſpatium atriorum excepit, ibid. וכיפין היו על גבי כיפין בנוירת, *Et tota area erat arcubus & columnis ſuſtentata*, nè ullo modo intra ſacrum hoc ſpatium fieret ſepulchrum, à quo pollutio invaderet, vel ſacra, vel populum.

CAP. XXVIII.

Atrium Gentium. Rabbinis
הר הבית.

SCriptoribus *Judaicis* vulgò vocatur הר הבית; nonnunquam חול, vel *Atrium commune.* Hinc porta, ab Atrio mulierum huc deſcendens, dicitur שער יוצא מעזרת נשים לחול *Porta, quâ exitur ab Atrio mulierum in commune.* Hinc autor *Toſaphtoth*, in *Parah*, cap. 2. *Exeunt per portam ducentem ex Atrio mulierum,* לחול, *in Atrium commune: & vaſcula quædam lapidea affigebantur ad parietem graduum aſcendentium in Atrium mulierum, atque eorum opercula conſpiciuntur* לחול *in Atrium commune.*

Huc quippe quòd accederent *Ethnici*;

Hieroſol. Avodah Zarah, fol. 40. 1. *Rabban Gamaliel ambulans* בהר הבית *in Atrio Gentium, vidit fœminam Ethnicam, ac de ea benedixit.*

Atque Excommunicati, & lugentes.

Middoth, cap. 2. hal. 2. *Omnes in Templi montem ingredientes ingrediuntur viâ dextrâ, ac circumeunt; egrediuntur autem viâ ſiniſtrâ: excepto illo, cui aliquid accidit; nam ille circuivit ad ſiniſtram. Quærenti, Quid tibi, quòd ad ſiniſtram circumeas? Reſpondit, Quia lugeo; Et illi, Qui ædem hanc inhabitat te ſoletur: aut, Quia ego excommunicatus; Et illi, Qui ædem hanc inhabitat, cordi eorum indat, ut te recipiant.*

Et non raró etiam immundi.

Imò in ipſum Atrium ingredi licuit auferenti hircum emiſſarium, quanquam jam tunc eſſet immundus. *Babylon. Joma*, fol. 66. 2. נטמא משלחו נכנס טמא לעזרה ומשלחו *Pollutus eſt ille, qui hircum ablaturus eſt? Ingreditur in Atrium etiam immundus, atque eum aufert.*

Middoth, cap. 2. hal. 2. *Maximum ſpatium Atrii Gentium erat ab Auſtro; proximum ei ab Oriente; tertium ab Aquilone; minimum verò ab Occidente. Eo loco, ubi majus erat ſpatium, major erat ejus uſus.*

Erant in muro, ſpatium hoc ambiente, quinque portæ; erantque intus contiguæ muro סטיו לפנים מן סטיו Porticus, vel baſilicæ duplicatæ, quæ & ambulacra præbuerunt perjucunda, & protectionem ſimul à pluviis, *Ibid. cap.* 1. *hal.* 3.

Porta Orientem verſùs erat una tantùm, eaque cognominata *Porta Suſan*; ideo quòd in ea ſculperetur figura *Suſan*, Metropoleos *Perſicæ*, [Ibid.] in ſubjectionis ſignum, *Gloſſa*, ibid. In hac porta ſedit Synhedrium viginti-triumvirale, *Sanhedr*. cap. 11. hal. 2. Juxta portam utrinque erant חנות Tabernæ, & tota Baſilica, latus hoc Orientale excipiens, vocabatur *Porticus Solomonis.*

Ab Auſtro erant portæ duæ, utraque vocata *Porta Huldæ:* de ratione nominis ſoliciti non ſumus. Reſpexerunt hæ *Hieroſolymam*, vel *Acram*. Baſilica, vel porticus, latus hoc Auſtrale decorans, vocabatur Στοὰ Βασιλική, quæ triplicata erat, ſtructuræ nobiliſſimæ, *Joſeph. Antiq.* lib. 15. cap. 14.

Ab Occidente erat *Porta* קיפונוס *Kiponus*, fortè à *Coponio*, Procuratore *Judææ*, denominata, *Idem, ibid. lib.* 18. *cap.* 1. Per hanc deſcenſum eſt in *Sionem*, ponte & viâ illuc deflectente.

Ab Aquilone Porta טדי vel טרי *Tedi*, vel *Teri*, nullius uſûs: nam ſic Traditio, *Middoth*, ubi ſuprà. טדי מן הצפון לא היה משמש כלום *Porta Tedi ab Aquilone nulli erat uſui.* Ab hoc latere erat *Arx Antonia*, ubi cuſtodiam habuerunt *Romani*, atque hinc forſan portæ ſolitudo.

CAP.

Digitized by Google

CAP. XXIX.

חיל : עזרת נשים.

Chel: Atrium mulierum.

ATrium Gentium Templum atque Atria circuivit undequaque. Idem etiam fecit חיל *Chel*, ſive *Antemurale*. *Middoth*, cap. 2. hal. 3. *Spatium illud erat decem cubitos latum; ab Atrio Gentium ſepto diſcretum, decem palmorum altitudinis, in quo tredecim rupturæ fuerant, quas effregerant Reges Græciæ: ſed eas denuò reſtauraverant Judæi, atque iis reſpondentes tredecim adorationes inſtituerant.*

Maimonides, Beth Habbechirah, cap. 5. *Intus* [ab Atrio Gentium] *ſeptum erat undique cingens, altitudinis decem palmorum, atque intra ſeptum Chel*, vel *Ante-murale: de quo dicitur in Threnis, Cap.* 2:8. ויאבל חיל וחומה.

Joſephus, Antiq. lib. 15. cap. 14. Περίβολος δεύτερος περιβαλὸς ἦν βαθμῖσιν ὀλίγαις ὃν περιεῖχε ἕρκιον λιθίνου δρυφάκτου, γραφῇ κωλύων εἰσιέναι τὸν ἀλλοεθνῆ, θανατικῆς ἀπειλουμένης τῆς ζημίας. Hinc *Paulo* periculum illud ob *Trophimum Epheſium*, *Actor.* 21. *verſ.* 29.

Maimon. ubi ante, cap. 7. *Sacratius erat* חיל *Ante-murale, quàm Atrium Gentium: huc quippe accedere non licuit Ethnico, nec immundo à morticino, nec concubanti cum menſtruoſa.*

Middoth, ubi ſupra. *Hinc aſcenſum eſt in Atrium mulierum gradibus duodecim.*

Ab Oriente ejus erat Porta tantùm una, Ὡραία Sacris Literis dicta, *Actor.* 3: 2. *Corinthiaca Joſepho, de bello*, lib. 5. cap. 14. Τῶν δὲ πυλῶν, inquit ille, αἱ μὲν ἐννέα χρυσῷ καὶ ἀργύρῳ κεκαλυμμέναι πανταχόθεν ἦσαν, ὁμοίως τε παραστάδες, καὶ τὰ ὑπέρθυρα. Μία δὲ ἡ ἔξωθεν τοῦ νεὼ Κορινθίου χαλκοῦ πολὺ τῇ τιμῇ τὰς καταργύρους καὶ περιχρύσους ὑπερᾶγουσα. Καὶ δύο μὲν ἑκάστου τοῦ πυλῶνος θύραι, τριάκοντα δὲ πηχῶν τὸ ὕψος ἑκάστης, καὶ τὸ πλάτος ἦν πεντεκαίδεκα.

Ab Auſtro erat etiam porta tantùm una, unaque ab Aquilone: porticuſque, vel Baſilicæ intùs, muro contiguæ, eo modo, quo in Atrio exteriori, at non duplicatæ, *Idem, ibid.* Ante quas poſita erant *Gazophylacia*, vel tredecim ciſtæ, שפרות *Talmudicis* dictæ, in quas infundebantur nummi oblati, ad varia Templi miniſteria: proque iſta varietate inſcribebantur ciſtis tituli varii; unde ab offerente dignoſceretur in quamnam oblationem ſuam conferret, pro ejus qualitate, *Shekalim*, cap. 6. hal. 1.

Uni inſcriptum תיקלין חדתין *Sicli novi*; in quam conferebantur Sicli iſtius anni: alteri תיקלין עתיקין *Sicli veteres*; in quam Sicli anno elapſo debiti: alteri קינן ונחלי *Columbæ & turtures*: alteri עולה *Holocauſtum*: alteri עצים *Ligna*: alteri לבונה *Thus*: alteri זהב לכפורת *Aurum εἰς ἱλαστήριον*: & ſex inſcriptum habuerunt נדבה *Sacrificium voluntarium*. Ibid. hal. 5.

Middoth, ubi antè, hal. 5. & *Babylon. Joma*, fol. 16. 1. *Atrii mulierum longitudo erat 135. cubitorum, & latitudo 135. cubitorum: quatuorque conclavia erant in quatuor ejus angulis, ſingula cubitorum 40. at non contignata.* Vide *Ezech.* 46: 21, 22.

Ad ortum Brumalem erat atrium Naziræorum: quod ibi Naziræi coquerent Euchariſtica ſua, & capillos detonderent, eoſque ollæ ſubmitterent.

Ad ortum Æſtivum, Conclave lignorum: ubi Sacerdotes, labe infecti, ligna ſcrutati ſunt, an immunia eſſent à vermibus; omne autem lignum, in quo inventus eſt vermis, Altari non erat idoneum.

Ad Occaſum Æſtivum, Conclave leproſorum.

Ad Occaſum Brumalem, Conclave vini atque olei.

In ſummis lateribus [verſionem ſequimur clariſſimi *Conſtantini l'Empereur*] *læve ac planum erat Atrium mulierum; ſed id circumſcripſerunt interno podio, ut mulieres supernè proſpicerent, viri autem infernè, nè miſcerentur.*

In Atrio hoc mulierum celebratum eſt ſacrum & feſtivum tripudium in feſto Scenopegiæ, *Libationis aquæ* vocatum, cujus Rituale habes in *Succah*, cap. 5. hal. 2. &c.

Maimon. in *Beth Habbechirah*, ubi antè. *Sacratius erat Atrium mulierum, quàm* חיל; *quippe quòd illud non intraret* טבול יום *quiſpiam qui immunditiam contraxerat, eodem die abluendam.*

CAP. XXX.

Porta Nicanoris, vel porta Orientalis Atrii Iſraëlis.

HUc aſcenſum eſt ex Atrio mulierum gradibus quindecim. Βαθμοὶ δὲ δεκαπέντε, inquit *Joſephus, de bello*, lib. 5. cap. 14. πρὸς τὴν μείζονα πύλην ἀπὸ τοῦ τῶν γυναικῶν διατειχίσματος ἀνῆγον. De his ſic *Talmudici*, ritum tripudii modò memorati referentes; in *Succah*, cap. 5. hal. 4. *Viri religioſi, virique bonorum operum, tripudiârunt, faces manibus tenentes; cantâruntque.*

Levitæque cum cytharis, lyris, cymbalis, tubis, atque inſtrumentis muſicis infinitis, ſteterunt ſuper quindecim gradus, deſcendentes ex Atrio Iſraëlis in Atrium mulierum, pro numero quindecim Pſalmorum graduum pſallentes, &c.

Porta Orientalis Atrii Iſraëlis vocata eſt *Porta Nicanoris*.

Middoth, cap. 2. hal. 3. *Omnes portæ mutatæ erant, ut ex auro eſſent, præter portam Nicanoris, propterea quòd de ea editum eſt miraculum: alii dicunt, propterea quòd æs ipſius ſummè coruſcaret.*

Sotah, cap. 1. hal. 5. In *Porta Nicanoris* potum dederunt uxori ſuſpectæ, aquas amaras: purificârunt puerperam, & leproſum.

De edito circa hujus Portæ valvas miraculo vide *Conſtantinum l'Empereur*, *Middoth*, pag. 57. & *Juchaſin*, fol. 65. 2, &c. qui & rationem aliam nominis adducit his verbis. *In libro Joſephi ben Gorion dicitur, quòd Porta Nicanoris ſic denominetur propterea, quòd illìc editum eſt miraculum, quòd ſcilicet illìc occiderent Nicanorem, Ducem Græcorum, in diebus Aſmonæorum: quod & videtur in fine capitis ſecundi Tractatûs Taanith.*

Hiſtoria allegata ſic ſe habet. *Nicanor* unus erat è Ducibus *Græcorum*, atque unoquoque die manum ſuam agitavit *Judæam* verſùs, & *Hieroſolymam*, dicens, *Ob, quando me penès erit, ut eas devaſtem!* Cum autem prævaleret familia *Aſmonæa*, eos ſubjugârunt, ipſumque occiderunt, atque exciſos manuum ac pedum ejus pollices portis *Hieroſolymæ* appenderunt. Hinc *dies Nicanoris* in Calendario *Judaico*, *Babylon. Taanith*, fol. 18. 2. Vide *Joſeph. Antiq.* lib. 12. cap. 17.

Erat hæc Porta Πεντήκοντα πηχῶν τὴν ἀνάστασιν, τεσσαρακοντάπηχεις τὰς θύρας εἶχε, καὶ τὸν κόσμον πολυτελέστερον ἐπὶ δαψιλὲς πάχος ἀργύρου τε καὶ χρυσοῦ. *Joſephus* ubi antè.

Sedit in iſta Synhedrium viginti trium virorum, prout alterum in *porta Suſan*, *Sanhedr.* cap. 11. hal. 2.

Non ulli è portis erat מזוזה [ſchedula poſtibus affixa] niſi *Portæ Nicanoris*, *Babylon. Joma*, fol. 11. 1.

CAP. XXXI.

De Portis & Conclavibus ad latus Atrii Meridionale.

IN partes hìc eſt itum de conclavibus. Tractatus *Middoth* hæc lateri Auſtrali aſſignat, cap. 5. hal. 3. *Conclave ligni*, *Conclave ſcaturiginis*, *Conclave Gazith*. Iſta Aquilonari aſſignant *Gemara Babylonica*, *Joma*, fol. 19. 1. & *Maimonides*, *Beth Habbechirah*, cap. 5. Apud *Middoth*, *Conclave Salis*, *Conclave Happarvæ*, *Conclave lavantium*, latus Boreale occupant: apud iſtos Meridionale. Vix tanti eſt, ut noſmetipſos in hujus controverſiæ defatigemus deciſione: diſputationes non inimus, probabiliora ſequimur, *Middoth* duce.

I. Supponimus ergò primùm *Conclave Gazith* à latere Atrii Meridionali propè ad angulum Orientalem: idque eâ ratione, quod, cùm ſecundum omnes *Judæos* [utcunque de latere ſitûs ejus differentes] Conclave hoc non eſſet in medio trium nominatorum, ſed ab exteriori parte, vel hinc vel illinc, Synhedrium ſedere non potuit in portione *Judæ*; ſi modò *Gazith* non collocaretur circiter iſtum locum, quem aſſignamus.

Joma, fol. 25. 1. לשכת גזית כמין בסילקי גדולה היתה *Conclave Gazith erat ſpecie Baſilicæ magnæ; eratque dimidium ejus in loco Sancto, dimidium alterum in profano: duoque habuit oſtia, quorum unum verſus Sanctum, alterum verſus profanum aperiretur*: id eſt, unum in atrium, alterum in *Chel*. Sedit Synhedrium magnum in ea parte, quæ in *Chel*: nam *ſedere in Atrio non licuit, niſi Regibus ſolùm è ſtirpe Davidis.*

Ibid. fol. 19. 1. *In Conclavi Gazith ſedit Synhedrium Iſraëlis, & judicavit de Sacerdotibus: quicunque labe tactus repertus eſt, atro veſtitus erat, & velatus atro, atque abiit: quicunque abſque labe, albo veſtitus atque velatus in Atrium conceſſit, & miniſtravit cum fratribus ſuis.*

Ibid. fol. 25. 1. זקן יושב במערבה *Præfectus ſedit à parte Conclavis Occidentali: atque Ab beth Dim à dextra ejus, atque utrinque in hemicyclo Seniores*, *Maimon. in Sanhedr.* cap. 1.

Ut ab hoc Conclavi excuſſum fuerit Synhedrium, & quando, & quare, obſervamus alibi.

II. לשכת הגולה. *Conclave Scaturiginis* proximum huic fuit ab Occidente: *ubi puteus & trochlea; unde aquas ſuppeditabant toti Atrio*, *Middoth*, cap. 5. hal. 3. & *Joma*, fol. 19. 1.

III. Huic contigua erat *Porta aquarum*: ſic dicta vel quod per hanc inferretur aqua in Altari libanda in feſto Scenopegiæ, aut quod aquæ-ductus, à fonte *Etam* in Templum convectus, per hanc pergeret in *Conclave Scaturiginis*. *Babylon. Joma*, fol. 31. *Iſtum fontem altiorem fuiſſe ait Abai pavimento atrii 23. cubitos.* Atque, *Arbitror ego*, inquit Gloſſator, *quòd fons Etam idem fuerit cum aquis Nephtoæ, de quibus mentio in libro Joſuæ*, Cap. 15: 9. *nam indè deſcendit, & declinat*

Digitized by Google

clinat ſolùm in Orientem & Occidentem, *atque iſte locus erat maximè ſublimis è terra Iſraëlitica.*

IV. Poſt hanc portam erat *Conclave lignorum*, & ſupra illud לשכת פרהדרין, *Camera* παρέδρων, vel, ut vulgò vocabatur, לשכת בולווטי *Camera Conſiliariorum:* ubi conſeſſus erat Sacerdotum de negotiis Templi & Liturgiæ conſulentium. *Conclave lignorum* videtur indè dictum, quòd huc conveheretur lignum poſt ſcrutamen de eo habitum in *Conclavi lignorum*, [quod in angulo Atrii mulierum] an in eo eſſent vermes: illud quod Altari idoneum reperiebatur, hîc repoſitum eſt, ut magis eſſet in promptu: vide *Middoth*, ubi antè.

V. Ulterius erat שער הקרבן *Porta oblationis*, & poſt eam *Porta accenſionis* שער הדלקה.

CAP. XXXII.

Portæ & Conclavia à latere Septentrionali.

PRimò occurrit *Porta & Camera Nitſots*, ubi Sacerdotes & Levitæ excubias egerunt: vocabatur & hæc, *Porta Cantici*, *Middoth*, cap. 1. hal. 5.

II. Proximum ei erat *Conclave lavantium*, atque iſti contiguum *Conclave Happarvæ*: in illo lavabant victimarum inteſtina; in hoc ſale condiebant victimarum pelles, *Babylon. Joma*, fol. 35. 1. *Parvam* quendam Magum hujus conclavis ædificatorem credunt quidam: alii *Parvam* iſtum Magum parietem hujus Conclavis ſuffodiſſe, ut per foramen illud perſpiceretur quid à ſummo Pontifice hîc eſſet actum. *Middoth*, cap. 5. hal. 2. *Erat enim in tecto hujus Conclavis balneum pro Sacerdote Magno in die Expiationis.*

III. Exinde *Porta Oblationis*, ſive *Corban*: vocabatur & hæc *Porta mulierum.* Ratio nominis prioris redditur, *Quia ſcilicet per hanc portam victimas ſanctiſſimas inferebant, quæ ad Septentrionem mactabantur*: at poſterioris obſcurior; forſan coram porta iſta victimas ſuas fœminæ tradiderunt in manus Sacerdotum.

IV. *Conclave ſalis* erat poſt iſtam portam verſus Occidentem: ubi reponebatur ſal pro oblationibus. *Ibid.*

V. Exinde *Porta Beth mokad*, vel *Porta Incendii*: ſic dicta à Conclavi contiguo, ubi arſit perpetuus ignis in uſum Sacerdotum. Dicta & hæc etiam erat *Porta Corban*; nam inter hanc & portam noviſſimè nominatam erat Camera, ubi reponebatur publicus Templi theſaurus. In *Beth Mokad* erant quatuor Conclavia. I. לשכת טלאים *Conclave agnorum*: ubi illi reſervati ad uſum Altaris. II. *Conclave panum propoſitionis.* III. Conclave, ubi repoſiti ſunt lapides Altaris ab *Aſmonæis*, cùm Reges *Græciæ* Altare prophanârant. IV. Conclave, quo in balneum deſcendebatur.

CAP. XXXIII.

Ipſum Atrium.

M*Aimon. Beth Habbech.* cap. 6. *Area totius ſoli ſacri non plana erat, ſed aſcendens. Cum quis præcederet à porta Orientali Atrii Gentium ad extremum* ꝧ *Chel, inceſſit in plano. A Chel aſcendit in Atrium mulierum duodecim gradibus, quorum unuſquiſque erat altitudinis ſemicubitalis. Per totum Atrium mulierum proceſſit in plano, atque indè aſcendit in Atrium Iſraëlis quindecim gradibus, unoquoque altitudinis etiam ſemicubitalis.*

Atrium *Iſraëlis* erat longitudine 135. cubitorum, latitudine undecim, *Middoth*, cap. 2. hal. 6.

Per totum hoc Atrium perrexit quis in plano, atque indè aſcendit in Atrium Sacerdotum gradu uno, altitudine cubitali: cui impoſitum erat pulpitum, [ubi Chorus Levitarum pſallentium] atque in eo erant tres gradus, ſinguli ſcilicet cubiti dimidii. Reperitur ergo Atrium Sacerdotum duobus cubitis cum dimidio altiùs Atrio *Iſraëlis*.

Atrium Sacerdotum erat longitudine 135. cubitorum, latitudine undecim: & trabium capita dividebant inter Atrium *Iſraëlis* & Atrium Sacerdotum.

Per Atrium Sacerdotum perrectum eſt in plano, itemque per ſpatium juxta Altare, perque ſpatium inter Altare & πρόναον. Illuc aſcenſum eſt duodecim gradibus, ſingulis ſemi-cubitalibus. Area Pronai & Templi tota plana erat: altiorque erat areâ portæ Orientalis Atrii Gentium cubitis viginti duobus.

Totius Atrii longitudo erat cubitorum 187. hoc eſt, ab Oriente in Occidentem.

Latitudo ſcilicet *Atrii Iſraëlis*	11
Latitudo *Atrii Sacerdotum*	11
Latitudo *Altaris*	32
Spatium inter *Altare* & *Pronaon.*	22
Longitudo *Pronai* & *Templi.*	100
Poſt *Templum* ad *Occidentalem murum*	11
Summa	187

CAP.

Digitized by Google

CAP. XXXIV.

Altare. Annuli. Labrum.

Altare fuit quaquaverſum 32. cubitorum: poſt aſcenſum unius cubiti ita coarctabatur, ut cubito uno minor eſſet totâ quadraturâ, id eſt, quaquaverſum 30. cubitorum. Aſcendebat quinque cubitis, atque iterum coarctabatur in cubitum; ita ut illic eſſet 28. cubitorum quaquaverſum. Locus cornuum ab omni parte unius cubiti; ita ut jam eſſet quaquaverſum 26. cubitorum. Locus ambulationis Sacerdotum hinc inde unius cubiti; ita ut pateret circumquaque 24. cubitos locus Pyræ, *Middoth*, cap. 3.

Filum coccineum cingebat Altare medium, ad diſcernendum inter ſanguines ſuperiores atque inferiores.

Baſi Altaris non erat angulus verſus ortum Brumalem, eò quod iſta portiuncula non eſſet intra portionem *Judæ*.

Ad cornu inter Occidentem & Auſtrum erant duo foramina, narium inſtar, per quæ ſanguis ſparſus deſcendit, ac fluebat in torrentem *Kedron*.

Aſcenſus ad Altare erat ab Auſtro 32. cubitorum, latitudinis 16. cubitorum. Erat adhuc, cùm ſuper hunc Sacerdos Sacerdotem cultro perfoderet, dum inter ſe contenderent, quiſnam primus ad Altare conſcenderet, *Babylon. Joma*, 23. 1.

Ad Septentrionem erant annulorum ſex ordines, quorum ſinguli continebant quatuor: ſunt, qui aſſerant fuiſſe quatuor, quorum ſinguli continebant ſex, ad quos mactabant victimas: locus ergo mactationis illîc loci erat; juxtaque erectæ erant columnæ humiles, quibus impoſita erant tranſtra cedrina: in his infixi unci ferrei, è quibus ſacrificia ſuſpendebantur, ac pelle nudabantur ad menſas marmoreas, quæ erant inter columnas.

Labrum erat inter Pronaon & Altare, ac protrahebatur verſus Auſtrum, ibid. fol. 37. *Ei Ben Kattin fecit duodecim epiſtomia, cui non niſi duo erant. Ipſe etiam fecit* מוכני לכיור *machinam labri*: id eſt, ut Gloſſa, *Ben Kattin*, cum ſummus Sacerdos eſſet, iſta epiſtomia labro confecit, ut ex iis effluerent aquæ, fecit etiam ille trochleam, vel rotam, quâ hauriretur aqua ad uſum labri.

Spatium 22. cubitorum erat inter Altare & πρόναον: illuc aſcenſum eſt 12. gradibus, ſingulis dimidii cubiti altitudine.

Middoth, cap. 4. Templum erat anguſtum à parte poſteriori, ſed latum ab anteriori; referebatque leonis figuram; quia dictum eſt, *Væ Ariel, Ariel, Civitati ubi caſtrametatus eſt David.* Quemadmodum leo arctior eſt à parte poſteriori, latior autem ab anteriori; ita & Templum: nam latius Templo erat Pronaon, quindecim cubitis à Septentrione, & quindecim cubitis à Meridie: & ſpatium iſtud utrinque exuberans vocabatur בית החליפות *Locus cultrorum*; ubi ſcilicet reponebantur cultri ſacri, in mactatione victimarum uſitati.

Excepit longitudo Templi 100. cubitos; latitudo 70. incluſis ſcilicet intra hanc menſuram, Pronao, thalamis, & craſſitudine muri extimi; quæ omnia perſequi nimium eſſet. Et hæc quoque, quæ diximus, ideo feſtinantiore ſtylo percurrimus, & quod de iis doctiſſimè ſimul & copioſiſſimè egit *clariſſimus Conſtantinus l'Empereur*, & quod copioſe ſatis, quamvis craſſiori longè *Minervâ*, nos ipſi, juſto volumine, hæc abſolvimus quondam linguâ noſtrâ vernaculâ.

CAP. XXXV.

Loca quædam alia urbis memorabilia.

Platea erat à *Porta Aquarum* ducens ad montem Templi, quæ *Platea Templi* vocari videtur, *Ezræ* 10: 9. Hac proceſſum eſt à Templo ad montem *Olivetum*.

II. Aſcenſus ad montem Templi nec adeò difficilis erat, quin eo agi poſſent pecora & boves; nec adeò facilis, quin nixum aliquem requireret ab aſcendentibus. *Chagig.* cap. 2. hal. 1. *Parvulus immunis erat à ſe præſentando in Templo ad tria feſta, uſque dum* [ſecundum Scholam *Hillelianam*] *potis eſſet, prehenſâ patris manu, cum eo aſcendere in montem Templi.*

III. *Joſeph. de bell.* lib. 5. cap. 13. Ἡ τῶν τυροποιῶν φάραγξ, τόν τε τῆς ἄνω πόλεως, καὶ τὸν κάτω λόφον διαστέλλων, καθήκει μέχρι Σιλωᾶς. In hanc, ut probabile eſt, introitus erat ab Oriente per *Portam Equorum*, perrexitque platea [totius urbis nobiliſſima] ad Occidentem.

IV. שוק העליון *Platea ſuperior. Shekalim*, cap. 8. hal. 1. *Quævis ſaliva in urbe inventa munda erat, exceptâ eâ, quæ in platea ſuperiori.* Gloſſa, *Sputum cujuſvis immundi eſt immundum, & inquinat. Alienigenæ autem ſunt apud nos immundi, tanquam profluvio laborantes. Habitabant autem alienigenæ in platea ſuperiori.* Subit hîc hiſtoria de *Iſmaele ben Camithi*, ſummo Pontifice, qui, cum prodiret die Expiationis, ut colloqueretur cum quodam Duce [*Ethnico*,] ſparſa eſt ſaliva ab iſtius ore in illius veſtes:

Digitized by Google

veſtes: unde pollutus factus non potuit Liturgiam iſtius diei præſtare: frater ergo ejus vices iſtas ſubiit, *Avoth R. Nathan*, fol. 9. 1.

V. שוק של בטמים. *Platea Macellariorum.*

VI. שוק של צמרים. *Platea Lanariorum.*

Erubin, cap. 10. hal. 9. *In Platea Macellariorum, quæ erat Hieroſolymis, ſerârunt oſtium* [Sabbato] *& clavem repoſuerunt in feneſtra, quæ erat ſupra oſtium. R. Joſe dicit, Erat hoc in Platea Lanariorum.*

Joſephus, *de bello*, lib. 5. cap. 24. Καθὸ καὶ τῆς καινῆς πόλεως, ἐριοπωλία τε ἦν, καὶ χαλκεῖα, ἡ ἱματίων ἀγορά.

VII. *Roſh Haſhanah*, cap. 2. hal. 3. *Atrium magnum erat Hieroſolymis* בית יעזק *Beth-Iaazek dictum, quò congregatæ ſunt urbes,* [ut ſcilicet teſtarentur de Novi-lunio] *atque ibi de iis Synhedrium examen habuit: & convivia iis lauta apparata ſunt illic, ideo ut lubentius illuc, ejus rei gratiâ, accederent.*

VIII. Atria etiam quædam, uti eſt in *Parah*, *cap.* 3. *hal.* 2. erant ſuper petram ædificata, ſub quibus erat tamen excavatio, nè ullo modo ibi fieret ſepulchrum. Huc mulieres quaſdam gravidas adduxerunt, ut parerent illic, atque ibidem filios educarent. Ratioque curioſitatis iſtius erat, ut pueri iſti, ibi nati educatique, ubi iis adeo ſecurum erat à contactu ſepulchri, mundi abſque dubio, idoneique forent ad aſpergendum aquâ purificativâ pollutos à morticino. In iſtis Atriis recluſi ſunt iſti pueri, donec ſeptennes evaderent, aut octennes. [Sic *R. Sol.* qui & citat *Toſaphtoth*, ubi tamen eſt, *Donec ſint annorum octodecim.*] Cumque peragenda eſſet cujusvis aſperſio, pari cura, & curioſitate, ad locum, ubi res præſtanda erat, ſunt convecti, bobus ſcilicet inequitantes, eò quod ventres eorum craſſiores exiſtentes, ſecurius eos ab inquinamento cujusvis in via ſepulchri tuerentur.

IX. Erant in urbe ſpeluncæ non paucæ è petra excavatæ, quod & obſervavimus de excavata area Templi. In harum unam ſe contulit *Simon Tyrannus* cum ſuis, cùm de rebus ſuis deſperatum eſſet; de quo memorabilem habes hiſtoriam, apud *Joſephum*, *de bello*, lib. 7. cap. 7.

X. Præter Stagnum *Siloami*, *Betheſdæ*, *Solomonis*, [ſi illud non idem eſſet cum *Betheſda*] erat στρουθίου κολυμβήθρα, coram *Antonia*, & κολυμβήθρας ἀμύγδαλον, à parte urbis Aquilonari, *Idem, ibid. lib.* 5. *cap.* 30.

XI. Præterire etiam non poſſumus אבן הטועים *Lapidem deperditorum*; in quo ſcilicet publicatum eſt de re quavis deperdita, aut amiſſa, *Taanith*, cap. 3. hal. 8.

XII. Concludimus cum vallo à *Tito* circa urbem ducto, quo ille eam obſidione concluſit, de quo *Joſephus*, *de bello*, lib. 5. cap. 13. *Incipiens à caſtris Aſſyriorum, ubi ipſe caſtra-metatus eſt, vallum duxit*, ἐπὶ τὴν κατωτέρω καινόπολιν, *ad novam urbem inferiorem:* [ſuperior erat *Bezetha* collis, inferior erat locus depreſſior ab Oriente *Sionis*] *atque inde per Kidronem ad montem Olivetum: inde in Auſtrum flectens circumcluſit montem, uſque ad petram vocatam* περιστερεῶνος *Columbarii; collemque ulteriorem, qui ſuperjacet valli Siloami: indè ab Occidente declinans in ipſam fontis vallem pervenit: poſt quam aſcendens, per ſepulchrum Anani ſummi Sacerdotis, ac montem includens, ubi caſtra-metatus fuerat Pompeius, ad latus Aquilonare deflexit, & progrediens ad villam uſque, quæ vocatur Domus, vel locus, Terebinthi,* [fortè בית אלה] *& poſt eam ſepulchrum Herodis includens, ad Orientem juxta propriam caſtrametationem pervenit.*

CAP. XXXVI.

Synagogæ in urbe: & Scholæ.

Hieroſol. Chetbuh. fol. 35. 3. *R. Phinehas nomine R. Hoshaiæ dicit, Quadringentæ & ſexaginta Synagogæ erant Hieroſolymis: quarum unaquæque habuit domum libri, & domum doctrinæ:* בית ספר למקרא ובית תלמוד למשנה *Domum libri pro Scriptura*, id eſt, ubi legeretur Scriptura; *& domum doctrinæ pro Traditionibus*, id eſt, *Beth Midraſh*, ubi docerentur Traditiones. Recitantur hæc alibi, atque illìc aſſurgit numerus ad 480. Idem, *Megillah*, fol. 73. 4. *Dicit R. Phinehas nomine R. Hoshaiæ, Quadragintæ & octoginta Synagogæ erant Hieroſolymis*, &c. De variatis numeris hìc non quærimus; poſterior eſt receptior: aſtruiturque per *Gematriam*, ut vocant, è voce מלאתי *Eſajæ* 2: 21. *R. Sol.* in *Eſajæ* 2: 1. *Invenimus in Peſikta. R. Menahem à R. Hoshaia dicit*, 480. *Synagogæ erant Hieroſolymis ſecundùm valorem Arithmeticum vocis* מלאתי. Nota ut non computetur א.

Memoratur à *Talmudicis* כנכת של אלכסנדריים *Synagogæ Alexandrinorum*: de qua etiam Pagina Sacra, *Act.* 6: 9.

Hieroſol. in *Megill.* ubi antè. & *Juchaſ.* fol. 26. 2. *Eliazar ben R. Zadok accepit* [pretio] *Synagogam Alexandrinorum, atque in ea opera ſua neceſſaria peregit. Alexandrini de ſuo eam exſtruxerant.* Recitatur hæc hiſtoria à *Babylonicis*, iique pro אלכסנדריים *Alexandrinis* habent טורסיים *Ærarios.* Sic enim illi;

Digitized by Google

illi, *Babylon. Megill.* fol. 26. 1. בבית הכנסת של טורסיים *Synagogam Ærariorum, quæ erat Hieroſolymis, ipſi vendiderunt R. Eliazaro*, &c. טורסיים Gloſſa reddit צורפי נחושת *Artifices ærarios.* Rationem quare *Alexandrini* ſic vocentur, fortè petas ex hac hiſtoria. Idem, *Erachin*, fol. 10. 2. *Cymbalum in Templo æneum erat, &, cùm fiſſura in eo eſſet, Sapientes adduxerunt artifices ab Alexandria, qui emendarent*, &c. *Mortarium etiam æneum fuit in Templo, in quo contuſa ſunt aromata: cùmque in eo eſſet fiſſura, Sapientes ab Alexandria artifices adduxerunt, qui emendarent*, &c.

Perpende quid לשון טורסי ſibi velit in Legenda iſta. *Babylon. Megill.* fol. 13. 2. *Bigthan & Teresh* שני טרסיים היו [fortè] *duo Tarſii fuerunt*, aut, ſi velis, *duo ærifices.* והיו כספרין בלשון טורסי *Et confabulati ſunt linguâ Turſi*, [Gloſſa, *Turſi eſt nomen loci*] *& non nòrunt, quòd Mordecai fuerat è Senioribus in Conclavi Gazith, quodque intelligeret Septuaginta linguas*, &c.

In *Babylon. Joma*, fol. 66. hæc referuntur de emiſſione hirci *Azazel.* Ἀρχιερεῖς *non permiſerunt, ut Iſraëlita in eremum duceret hircum emiſſarium: at ſemel Arſela quidam, qui Iſraëlita fuit, eum deduxit; & ſuppedaneum ei fecerunt propter Babylonios, qui capillos ejus vellicare ſoliti, & dicere, Accipe & ito, &c.* Gemara, *Rabba bar bar Channah dicit, Babylonii non fuerunt, ſed Alexandrini: at quia odio habuerunt Babylonios, ideo hos eorum nomine vocârunt. Accipe & ito.* כרה שהי צפירא דין וחובי דרא סגיאין *Quare moratur hic hircus, cùm peccata generationis hujus ſint tam multa?* Gloſſa, *Fecerunt ei Scabellum*, vel *ſuppedaneum, ut ille altior foret, & ſuper hoc exiit ex Atrio, atque ex urbe; atque hoc, nè Babylonii hircum attingerent; nam ſoliti ſunt capillos ejus vellere, dicereque, Itò, feſtina, exi, nè moreris, peccata noſtra ſunt adhuc ſuper nos.* Et poſt, *Incolæ terræ Iſraëliticæ odio habuerunt Babylonios, unumquemque ergò irreverenter atque indecorè ſe habentem eorum nomine vocârunt.*

Συναγωγὴ Λιβερτίνων, Act. 6. *verſ.* 9. כנסת המשוחררים: de quibus infinita *Talmudici.*

CAP. XXXVII.

BETH-PHAGE.

בית פגי.

FRequentiſſima hujus loci apud *Talmudicos* mentio: & digna certè eſt accuratior collatio Tabularum cum iſtis, quæ ab his dicuntur de ſitu hujus loci; cùm illæ eam ſtatuant in monte *Oliveti*, hi contiguam ædificiis *Hieroſolymitanis.*

Agitur in *Talmude Babylonico*, *Sanhedr.* fol. 14. 2. de cauſa זקן ממרא *Judicis* (vel *Presbyteri*) *pervicacis.* Cùm enim ex præſcripto Legis difficilia, & de quibus inferiora Synhedria judicare non nôrunt, ad ſummum adducenda eſſent, ad locum quem elegit Deus, *Deut.* 17:8. cùmque Judex iſte è Synhedrio inferiori, qui poſt determinationem & ſententiam in cauſa iſta, quam propoſuit, prolatam, parere recuſaverit, ac ſecundùm eorum ſententiam ſe habere renuerit, reus ſit mortis, *verſu* 12. quæritur, *Num* מצאן אבית פגי והמרא עליהן יכול תהא המראתו המראה *ſi invenerit Synhedrium conſidens in Beth-phage, atque in ſententiam illic ab iis prolatam rebellaverit, adjudicanda ſit iſta pervicacia pro rebellione*, ſecundùm Legem morte plectenda: & reſpondetur, *Textus dicit*, Exſurges, & aſcendes ad locum, &c. *unde docetur, quòd ipſe locus* (camera *Gazith* ſola) *vim addat ſententiæ.* Gloſſa, בית פגי מקום לפנים מן חומת העיר ודין כירושלם לכל דבריו *Beth-phage fuit locus intra muros urbis, & reputata eſt ſicut ipſa Hieroſolyma quoad omnia.* Audi, *Beth-phage intra mœnia Hieroſolymæ*: adeò ut, ſi ſententia Synhedrii *Hieroſolymis* prolata (extra Conclave *Gazith*) in cauſa propoſita obtinuiſſet, prolata etiam in *Beth-phage* obtinuiſſet.

II. *Talmud Babylon. Peſachin*, fol. 63. 2. *Qui ſacrificium Gratiarum actionis mactat intra murum, & panis ejus eſt extra murum; panis non ſanctus eſt. Quid eſt extra murum? R Jochanan dicit, Extra murum Beth-phage: aſt extra murum Atrii, ſanctus eſt.* Gloſſa, בית פאגי היינו מקום חיצון שבירושלם *Beth-phage eſt locus extimus in Hieroſolymis: & quicunque eſt extra mœnia Beth-phage, eſt extra Hieroſolymas, ubi non eſt locus ad comedenda ſacra.*

III. *Ibid.* fol. 91. 1. Diſcutitur an *Paſcha* ſit mactandum nomine incarcerati ſingulatim, atque inter alia ſic determinatur, *Si ſit intra mœnia Beth-phage, mactent pro eo ſingulatim. Quare? Quia poſſibile eſt, ut ad eum perveniat, atque is comedat.* Gloſſa, *Beth-phage eſt locus extimus in Hieroſolyma: atque illuc Paſcha afferunt ad incarceratum, ut comedat, quoniam ille ibi eſt intra Hieroſolymam.* Nam extra *Hieroſolymam* nullo modo licuit *Paſcha comedere.*

IV. *Menachoth*, cap. 11. hal. 2. *Duo panes* [oblati indies à ſummo Pontifice] *& Panes Propoſitionis ritè pinſuntur vel in Atrio, vel in Beth-phage.*

V. Illud,

Digitized by Google

V. Illud, quod primum adduximus de cauſa זקן ממרא, recitatur etiam in *Babylon. Sotah*, fol. 45. 1. atque hæc adduntur, *Invenit Synhedrium conſidens in Beth-phage: exempli gratia. Si illuc ſe contulerit ad menſurandum pro decollatione vaccæ, aut ad addendum ad ſpatium urbis, aut Atriorum.*

Idem, *Bava Mezia*, fol. 90. 1. *Triturat intra muros Beth-phage.* Gloſſa, *Beth-phage eſt circuitus extimus Hieroſolymæ. Aruch*, *Murus Beth-phage eſt murus Hieroſolymæ.*

Conſule jam Tabulas, & commentarios *Chriſtianorum*, & longè ſitam à mœnibus urbis habes *Beth-phagen*, non procul admodum à vertice montis *Oliveti*: ubi & ejus veſtigia [etiam hodie] falſo oſtenduntur peregrinantibus. Sic de ea *Sandeſius* noſtras, teſtis oculatus: *Aſcendimus modò*, inquit *montem Oliveti, alio tramite in Septentrionem magis vergente.* [nam antè deſcripſerat aſcenſum ad *Bethaniam.*] *A dextra, nec longè quidem à vertice, ſita erat Beth-phage, cujus ipſiſſima fundamenta confunduntur: unde Hieroſolymas, pullo aſini inſidens, triumphans proceſſit Chriſtus; unaquâque Dominicâ Palmarum ſuperſtitioſe jam eum imitante Patre Guardiano.*

Non aliunde certè de ſitu hujus loci ſtatuerunt, quam ex hiſtoria Euangelica; quæ apertè *Beth-phagen* delineare videtur ad montem *Olivetum*. Verè quidem: & tamen nihil prohibet, quo minus *Judæis* etiam credamus, aſſerentibus eam eſſe intra mœnia *Hieroſolymorum*; cùm tot exemplis rem illuſtrent, nec adſit cur in hac re vel quicquid fingant, vel colorent.

Ad rei ergo determinationem recurrendum eſt. Primo ad vocis Etymon: *Beth-phage* à quibuſdam redditur *Domus*, vel *Locus Fontis*, à *Græca* Πηγή, ſed duriuſculè: à Gloſſatore in *Bava Mezia*, loco noviſſimè citato, *Via ſtrata*; *Ambitus extimus Hieroſolymæ*, inquit, *quem ei addiderunt, vocatur Beth-phage, & videtur mihi viam ſubactam denotare.* Cui conſonare videtur iſtud *Targumiſtarum*, אל עמק שוה *Gen.* 14:17. reddentium למישר מפגא. At quid exſpatiari opus eſt in Dialectum, vel alienam, vel inuſitatiorem? cum vox פגי vulgatiſſimè, atque omnium in ore, *Groſſos* denotaret, quibus non parum nobilitatus erat mons *Olivetus*: quamvis enim præcipuè ab *Olivis* nomen deſumeret, produxit tamen & ficus & palmas: &, pro harum varietate in diverſis montis tractibus enaſcentium, varia etiam iſtis tractibus, quod notamus alibi, indita ſunt nomina. Vocata eſt ergò infima iſta pars montis, quæ proximè ad urbem procurrit, à *groſſis*, *Beth-phage*: quo etiam nomine, ob iſtius loci vicinitatem, vocata eſt pars *Hieroſolymæ* proximè adjacens. Atque ex his obſervatis hiſtoriam *Chriſti*, hac procedentis, rectius & planius intelligas.

Pernoctarat ille in *Bethania*, vico *Lazari*, *Joann.* 12. atque indè manè profectus dicitur perveniſſe ad *Beth-phagen* & *Bethaniam*, *Marc.* 2: 1. id eſt, ad locum illum, ubi ſe mutuo contingebant tractus iſti montis, his nominibus inſigniti: cùmque jam aſcenſurus eſſet in cœlum, dicitur Diſcipulos ſuos eduxiſſe Ἕως εἰς Βηθανίαν, *Luc.* 24: 50. at non ultra iter Sabbaticum, *Act.* 1: 12. cum vicus, ubi habitavit *Lazarus*, duplo ferè diſtaret, *Joann.* 11: 18. Profectus eſt ergo ex *Hieroſolymis* per *Beth-phagen* intra mœnia, & *Beth-phagen* extra mœnia, atque emenſus iter Sabbaticum aut circiter, ad locum & tractum illum *Oliveti* appulit, ubi jam deſierat nomen *Beth-phages*, atque inceperat nomen *Bethaniæ*, atque illic aſcendit. Dubito ergo ego, an oppidum aliquod fuerit in *Oliveto*, *Beth-phage* appellatum; ſed potius magnus Montis tractus ſic dicebatur, atque ob vicinitatem ad iſtum tractum vicus *Hieroſolymæ* extimus intra mœnia eodem nomine eſt inſignitus.

CAP. XXXVIII.

KEDRON.

JOſephus de bello, lib. 5. cap. 8. Τὸ ἐλαιῶν καλούμενον ὄρος, ὃ τῇ πόλει πρὸς ἀνατολὴν ἀντίκειται, μέσῃ φάραγξ βαθεῖα διείργει, ἣ Κεδρὼν ὀνόμασται. *Maimon.* in *Shekalim*, cap. 4. 8. כבש היו בונין מהר הבית *Scabellum*, vel *ſuppedaneum*, *arcubus ſuſtentatum conſtruxerunt, à monte Templi ad Montem Olivarum, ſuper quod deduxerunt vaccam rufam* comburendam. *Scabellum pariter iſtiuſmodi confecerunt, ſuper quod deduxerunt hircum emiſſarium. Utrumque conſtructum erat ſumptibus theſauri publici, qui in Templo.* Ratio curioſitatis iſtius de vacca rufa hæc erat. Cùm cineres iſtius vaccæ præ rebus omnibus aliis forent ſummè purificatrices, [nam mundârunt ab immunditia ex contactu mortui] nullam cautelam ſatis eſſe arbitrati ſunt, ut ab immunditia ſartus tectus ille conſervaretur, qui eam eſſet combuſturus. Cum ergo in via, quâ incedendum erat, eſſe poſſent fortaſſis ſepulchra, non conſpicua, à quibus pollui poſſet ille, & ſic tota actio inanis redderetur, ſemitam ei non tenui ſumptu confecerunt, ſuper continuos & contiguos arcus, ubi non poſſibile erat, ut tangeretur locus ſepulturæ. Par cura & curioſitas eſt adhibita in abductione capri emiſſarii.

Demeſſus fuit Manipulus primitialis è *valle cineracea Torrentis Kidron.* Prodierunt

Digitized by Google

die primo Feſti *Paſchatis* deputati quidam à Synhedrio in iſtam vallem, magnâ comitante catervâ: confluxeruntque ex oppidis vicinis quamplurimi, ut præſenti magnâ turbâ res peragere tur: ratioque pompæ inde petita eſt, quod *Baithuſæi*, vel *Sadducæi*, non bene de actione iſto die peragenda ſentirent; itaque, ut ſententiæ iſti contrarianti contrairent, illi ſummâ quâ fieri potuit φαντασίᾳ rem peregerunt. *Cùm jam veſperaſceret, dicit ille, cui incubuit metendi munus, Occidit Sol; atque illi reſponderunt, Bene. Occidit Sol; atque illi reſponderunt, Bene. Hâc falce; atque illi reſponderunt, Bene. Hâc falce; atque illi reſponderunt, Bene. In hoc caniſtro; atque illi reſponderunt, Bene. In hoc caniſtro; atque illi reſponderunt, Bene. Si Sabbatum eſſet, dixit ille, Hoc Sabbato; atque illi reſponderunt, Bene. Hoc Sabbato; atque illi reſponderunt, Bene. Metam; atque illi reſponderunt, Mete. Metam; atque illi reſponderunt, Mete. Hæc ter ille, atquè illi ter reſponderunt, Bene.* Hæc *Menachoth*, cap. 10. & *Toſaphot.* ibid.

Agitur in *Talmude Hieroſol. Nazir*, fol. 57. 4. de removendo ſepulchrum, loco non commodo ſitum, nè polluat. Inducuntur exempla ſepulchrorum domus *Davidis*, quæ locis ſuis ſunt mota, & ſepulchrorum filiorum *Huldæ*, quæ erant intra *Hieroſolymas*, & locis ſuis non ſunt mota. *Hinc apparet, inquit R. Akibah, quod caverna quædam eſſet, quâ deducebantur ſordes, atque immunditiæ in Vallem Kidronis.*

Subterraneo etiam iſtiuſmodi canali, atque evacuatione, fluxerunt ſordes Atrii Templi in *Vallem Kidronis. Babylon. Joma*, fol. 58. 2. *Sanguis fuſus ad pedem Altaris* מתערבין באמה *confluxit in canalem, atque ſe evacuavit in Vallem Kidronis, venditusque eſt hortulanis, quo hortos ſuos ſtercorarent.*

C A P XXXIX.

Vallis Hinnom. גי הנום.

VOcata eſt magna pars *Vallis Kidronis Vallis*, etiam *Hinnom.* Prodiens *Jeremias* in *Vallem Hinnomis* exit per portam החרסית, *Jerem.* 19: 2. Id eſt, interpretibus *Rabbinis*, aliiſque, *per portam Orientalem.* Vide *Kimchium* in locum citatum. Nam indè initium *Vallis Hinnom*, quæ, poſt aliquod ſpatium ſeſe verſus Occidentem flectens, procurrit juxta latus urbis Meridionale.

Quæ plurima de hoc loco referuntur in Veteri Teſtamento non opus eſt ut repetamus, ea ſunt hiſtorica: memoria ejus in Novo non eſt niſi myſtica, aut metaphorica; & transfertur ad denotandum locum damnatorum. Sub Templo ſecundo, cùm evanuerant ea, quæ æternam infamiam huic loco inuſſerunt, Idololatria ſcilicet, atque infantum ululatus *Molecho* toſtorum, remanſit tamen tantum fœditatis, atque abominandi nominis; ut etiam jam ad vivum repræſentationem orci æquè præ ſe ferret, ac olim.

Erat communis totius urbis ſentina: quò confluxit ſordes omnis, atque omnimoda ſpurcities. Erat, ut probabile eſt, commune urbis ſepulchretum: [ſi modò intra tantillam ab urbe diſtantiam jam ſepelirent] *Sepelient in Tophet, uſque dum non ſit amplius aliquis locus, Jerem.* 7: 32. Eratque illic perpetuus ignis, quo abſumebantur oſſa, reliquaque ſordida, ne urbi eſſent nauſeæ, aut contagioni. *Babylon. Erubin*, fol. 19. 1. *Traditio eſt ſecundum Scholam Rabban Jochananis ben Zaccai. Duæ palmæ ſunt in Valle Ben-Hinnom, inter quas aſcendit fumus, & hoc eſt quod diſcimus, Palmæ montis ferri ſunt idoneæ, Et hoc eſt oſtium Gehennæ.*

Applicant huc nonnulli è *Rabbinis* illud *Eſajæ*, Cap. 66. verſu ultimo, *Exibunt & videbunt cadavera hominum in me rebellantium, quia non morietur vermis eorum, atque ignis eorum non extinguetur. Egredientur iſti gentiles*, (inquit *Kimchius* in locum) *qui accedunt ad adorandum, à menſe ad menſem, atque à Sabbato in Sabbatum, extra Hieroſolymam in vallem Jehoshaphati, & videbunt cadavera Gog & Magog, &c.* Et paulò poſt, *Egredientur juſti extra Hieroſolymam in Vallem Hinnomis, & videbunt rebellantes, &c.*

Quid de *Valle Jehoſhaphati* ſtatuendum ſit, ipſe ambigit, ac in bivio relinquit *Kimchius* in *Joel.* 4. *Nam aut Jehoſhaphat*, inquit, *aliquod ædificium hîc erexit, aut aliquod opus fecit; aut vocatur Vallis Jehoſhaphat propter Judicium.* Sic & *Jarchius*, יהושפט משפטי יה *Jehoſhaphat idem vult, quod Judicium Domini.* Chald. פילוג דינא *Diſtributionem Judicii.*

C A P. XL.

Mons Olivetus. הר הזיתים 2 *Sam.* 15: 30. *Zach.* 14: 4. *Rabbinis* vulgò הר המשחה.

JOſephus *Antiq.* lib. 20. cap. 6. Ὄρος τὸ προσαγορευόμενον Ἐλαιῶν, τῆς πόλεως ἀντικρὺς κείμενον, ἀπέχει στάδια πέντε. At *Lucas*, *Actor.* 1: 12. *Tunc reverſi ſunt à monte, qui vocatur Oliveti*, ὅ ἐστιν ἐγγὺς Ἱερουσαλὴμ Σαββάτου ἔχον ὁδόν. Jam verò Iter Sabbaticum

Digitized by Google

cum octo ſtadia excepit, aut totum milliare. Nec tamen pugnat *Lucas* cum *Joſepho*: nam hic ſpatium metitur ad primam baſin *Oliveti*; ille ad locum *Oliveti*, ubi aſcendit *Salvator*. Diſtabat primus pes Montis ab urbe ſtadiis quinque; at *Chriſtus* aſcenſurus Montem ſcandit ulteriùs per tria ſtadia.

Ab *Oleis* monti nomen, utcunque naſcerentur in eo arbores aliæ: & quòd major forſan harum numerus, & dignior fructus. Inter arbores alias memorantur duæ cedri, vel duo cedrorum monſtra. *Hieroſol. Taanith*, fol 69. 1. *Duæ cedri*, inquiunt, *erant in monte Oliveti: ſub una quarum erant quatuor tabernæ, ubi vendebantur omnia ad purificationes neceſſaria; ex altera produxerunt unoquoque menſe quadraginta Seas columbarum, unde ſuppetebat fœminis omnibus purificandis.*

Infra hunc montem ſuſcitandos eſſe omnes mortuos, eſt par ſomnium iſti hiſtoriæ. *Targum* in *Cantic.* 8: 1. *Cùm reviviſcent mortui*, inquiunt, *dirumpendus eſt mons Olivetus, atque omnes mortui Iſraëlis indè exituri: etiam juſti iſti, qui mortui ſunt in captivitate, convolventur ſub terra, & exituri ſunt ſub monte Oliveti.*

Erat locus in monte directè portæ Templi Orientali oppoſitus: vide *Middoth*, cap. 1. hal. 3. ad quem per ſcabellum, ſuper arcus ſtratum, ut dictum eſt anteà, à Sacerdote proceſſum eſt, vaccam rufam combuſturo: cùmque illìc ſanguinem ejus ſpargeret, directè oculos ad Sanctum Sanctorum collimavit: vide *Parah*, cap. 3. hal. 9.

Memoriâ etiam hìc dignæ ſunt flammæ iſtæ ſignales, in vertice hujus montis agitari ſolitæ, in ſignum ſtatæ jam Neomeniæ. Mos & modus ſic deſcribitur in *Roſh haſhanah*, cap. 2. hal. 2, 3, &c. *Olim flammas elevârunt: at, cùm hoc depravarent Cuthæi, decretum eſt ut mitterent nuntios.* Gloſſa. *Elevârunt flammas illico poſt ſtatum tempus Neomeniæ: & non opus erat, ut nuntios mitterent ad remotos in captivitate, ut tempus iis notum facerent; nam flammæ iſtæ notum fecerunt: Cuthæi etiam aliquando flammas extulerunt tempore non juſto, & ſic deceperunt Iſraëlem.*

Pergit Textus. *Quomodo extulerunt flammas? Acceperunt bacillulos longos è cedro, & cannas, & ligna pinguia, & ſtupam lini, atque hæc filo colligârunt. Et quidam in montem aſcendens ignem admovit, atque hinc illinc, ſusque deque flammam agitat, uſque dum alium ità facientem videat in monte ſecundo, & ſic in monte tertio. Unde autem flammas has primò elevârunt?* מהר המשחה לסרטבא *A monte Oliveti ad Sartabam.* מסרטבא לגרופינא *A Sartaba ad Gryphenam.* מגרופינא לחורן *A Gryphena ad Hauran.* מחורן לבירת בלתין *Ab Hauran ad Beth Baltin. Atque ille, qui in Beth Baltin flammam extulit, non indè receſſit: ſed hinc illinc ſusque déque flammam ſuam agitavit, donec videret totam captivitatem flammis abundantem:* כמדורת האש. Quærunt *Gemariſtæ*, *Quid ſibi vult, A Beth Baltin? Hæc eſt Biram. Quid captivitas? Dicit Rabb Joſeph, Hæc eſt Pombeditha. Quid* כמדורת האש *Traditio eſt, unumquemque, arreptâ in manu ſua face, in tectum aſcendiſſe*, &c.

Meſſiam in hoc monte plurimùm verſaturum credunt *Judæi*: quod & veritati conſonum & rationi; nam, cùm primariam ejus ſedem *Hieroſolymis* futuram credant, non poſſunt non tale quid credere de iſto monte. *Midraſh Till. R. Janna dixit, Per tres annos & dimidium ſtetit* שכינה *Divina majeſtas in monte Oliveti, & prædicavit dicens, Quærite Dominum, dum ille eſt inveniendus; invocate eum, dum propè eſt.*

Et jam à monte iſto in urbem retroſpiciamus. Finge te ſedentem in iſto loco, ubi ſtetit Sacerdos, dum vaccam rufam combureret, directè ex adverſo portæ Orientalis Templi. Inter montem & urbem videres intercurrentem vallem, à dextra *Sionem* ambientem, à ſiniſtra *Hieroſolymam*. Tibi oppoſitam *Portam Aquarum*, ducentem ad Templum: ab ejus ſiniſtra *Ophlam* & *Portam equorum*. Indè, ut diximus, initium *Vallis Hinnom*, quæ tandem flexit in urbis latus Meridionale. Illic loci, muro vicinus, erat *Ager fullonis*, qui an à lignis compactis, ubi pannos exſiccarent fullones, dictus foret, an ἀπὸ κναφέως μνήματ@·, de quo *Joſephus*, *de bello*, lib. 5. cap. 13. non diſputamus.

A *Porta Equorum*, Occidentem verſùs, procurrit *Vallis Kidron*, [in quâ torrens, unde vallis denominatio] *Sionem* etiam ab Aquilone circumplexa, & ſe dilatans latitudine ſpatioſiori.

Succah, cap. 4. hal. 5. *Erat infra urbem locus quidam*, [cum deſignare non audemus] qui dicebatur מוצא *Motſa*: *huc deſcenderunt*, [in feſto Scenopegiæ] *& decerpſerunt indè ramos ſalicum perlongos*, [fortè è ripis *torrentis Kedron*] *atque abeuntes eos locârunt juxta latera Altaris, incurvatos ità, ut capita eorum in verticem Altaris declinarent*, &c.

Extra urbem, non mirum eſt, ſi eſſet multitudo hortorum, cùm nulli eſſent intra. Inter eos celebratur גנת וורדים שהיתה בירושלם *Hortus Hieroſolymitanus, in quo naſcebantur ficus, quæ vænibant ſingulæ tribus aut quatuor aſſariis: & tamen de iis nunquam deſumpta eſt, vel Truma, vel decima, Maaſaroth*, cap. 2. hal. 5.

Joſephus, *de bello*, lib. 5. cap. 7. Ἐκπεπτάφρακτο ἀπὸ τοῦ τείχους περὶ τὰς κηπείας ἅπαντα, κήποις τε ἐπικαρπίοις καὶ πολλοῖς ἔρκεσι διειλημμένα.

CAP. XLI.

BETHANIA.
בית היני.

EAdem videtur eſſe *Bethania* cum בית-היני apud *Talmudicos*, de qua ſic illi. Dum agunt in *Babylon. Peſachin*, fol. 53. 1. de comeſtione fructuum anno ſeptimo, & de ביעור, de quâ diximus anteà. Quærunt, quamdiu edere licet hos vel illos fructus: & ſic de re decernunt, *Olivas edunt*, inquiunt, *donec deficiat ultima in Tekoa. R. Eleazar dicit, Donec deficiat ultima in Gush Chalab* [in Tribu *Asher*.] *Ficus aridas comedunt* עד שיכלו פגי בית היני *Donec deficiant groſſi in Beth-bene. R. Judah dicit, Groſſi Beth-bene non memorantur, niſi quoad decimas; ſicut eſt Traditio*, פגי פירות היני ואהיני דטובני חייבין במעשר *Ficus Beth-hene, & Dactyli Tubni, tenentur ad decimationem.*

Gloſſa. *Non memorantur in Scholis inter fructus; niſi quoad decimationem.* Recitantur hæc in *Erubin*, fol. 28. 2. ubi vox בית היני ſcribitur ביתיוני, & טובני ſcribitur טובינא.

Videtur certè *Beth-bene* eadem omnino eſſe cum *Bethania* noſtra: deducique nomenclatura à voce אהיני, quæ *Dactylos palmarum* ſignificat, ad maturitatem non perductos: ſicut etiam vox פגי *groſſos* ſignificat, ficus ſcilicet non maturas.

Et jam montem *Olivetum* pauliſper proſpice.

Hinc oleas videas, atque iſthic loci eſt *Geth-ſemani, locus torcularium oleaceorum.*

Illinc palmas naſcentes, & vocatur locus iſte *Bethania*, בית-היני *Locus Dactylorum*: atque obſervare licet in hiſtoria Euangelica, ut, progrediente *Chriſto* à *Bethania*, in promptu ſint rami palmarum occurrentibus.

Iſtinc ficus naſcentes, & vocatur iſte locus *Beth-phage, locus groſſorum.*

Dicta igitur eſt pars aliqua *Oliveti Bethania* à palmis, & dictum eſt etiam oppidum eodem nomine à regione. Diſtabat oppidum ab *Hieroſolymis* ſtadia xv: perrexit autem regio iſtius nominis, uſque dum perveniretur ad diſtantiam itineris Sabbatici tantùm ab urbe.

CAP. XLII.

צופים.
Σκοπός.

EO modo, quo *Mons Olivetus* ab Oriente ex adverſo urbi objectus eſt, intercurrente *Valle Kidronis*; ità & à Septentrione, poſt vallem aliquantò latiorem, à *Sione* porrò Boream verſus exporrectam, in montem extumuit terra, ad locum, qui *Zophim* indè dictus eſt, quòd indè undique, præſertim verò in urbem, eſt proſpectum.

De eo ſic *Joſephus*, *de bello*, lib. 5. cap. 8. *Cæſar cùm noctu legionem ab Ammaunte recepiſſet, poſtridie indè caſtra movens* Ἐπὶ τὸν Σκοπὸν καλούμενον προέβησαν. Ἔνθεν ἥ τε πόλις ἤδη κατεφαίνετο, καὶ τὸ τοῦ ναοῦ μέγεθος ἐκλαμπρον, καθὰ τῷ βορείῳ κλίματι τῆς πόλεως χθαμαλὸς συνάπτων ὁ χῶρος ἐτύμως σκοπὸς ὠνόμασται.

Hinc Canones & cautiones iſtæ. *Hieroſol. Beracoth*, fol. 13. 2. *Qui mingit, faciem ſuam convertat ad Aquilonem, qui cacat ad Auſtrum: R. Joſi b. R. Bon dicit, Traditio eſt, A Zophim & intùs:* id eſt, Si hoc fiat ab aliquo à *Zophim intùs*, ubi jam eſt intra proſpectum urbis; cùm mingit, faciem ad Aquilonem convertat, nè pudenda coram Templo exponat: cùm cacat, faciem ad Auſtrum; nè nates exponat.

Babylon. Beracoth, fol. 49. 2. *Si quis egreſſus Hieroſolymam, recordatus fuerit, quòd eſt in manu ſua caro ſacra, ſi jam ultra Zophim progreſſus fuerit, eam comburat in loco ubi eſt* [nam polluta fit exportando extra mœnia *Hieroſolymæ.*] *Si autem non ultra Zophim, redeat & comburat coram Templo.* Gloſſa, *Zophim eſt locus, unde proſpici poteſt Templum.* At Gloſſa alia non de loco iſto proprio hìc rem intelligit; ſed de toto ambitu circa urbem, ubicunque primò proſpici urbs potuit. Sic *R. Eliezer* de *Abrahamo*, ab Auſtro ad *Hieroſolymas* pergente, *Tertio die pervenerunt Zophim: ubi autem acceſſit ad Zophim, vidit gloriam divinæ majeſtatis conſiſtentem ſupra montem* (*Moriam.*) *Pirke R. Eliezer*, cap. 31.

CAP.

CAP. XLIII.

RAMAH.

Ramathaim Zophim. Gibeah.

Erat *Ramah* quædam in Tribu *Benjamitica*, *Joſ.* 18: 25. eaque intra conſpectum *Hieroſolymæ*; ut videtur, *Judic.* 19: 13. ubi nominatur cum *Gibeah*: alibique *Hoſ.* 5: 8. quæ oppida non erant multùm ſemota. Vide 1 *Sam.* 22: 6. *Sedit Saulus in Gibeah ſub luco in Ramah.* Nugantur hîc *Gemariſtæ*, *Babylon. Taanith*, fol. 5. 2. *Unde* inquiunt, *locatur Ramah juxta Gibeam? Ut innuat tibi, orationem Samuelis Ramathæi in cauſa fuiſſe, cur Saulus maneret annis duobus & dimidio in Gibeah.* Cœcutiunt ad *Ramam* in Tribu *Benjamitica*, proſpicientes ſolùm *Ephraimiticam*, ubi natus *Samuel*.

Oppidum ejus natale dicitur ſæpiſſimè *Ramah*, ſemel *Ramathaim Zophim*, 1 *Sam* 1. *verſ.* 1. *Erat vir quidam è Ramathaim*, id eſt, *una è duabus Ramathis*, *Zophim* etiam agnominatis. Formula loquendi ſimilis eſt ea, 1 *Sam.* 18: 20. בשתים תתחתן בי *In una duarum gener mihi eris.* Erat oppidum illud *Samuelis Ramath Zophim*; erat & hæc *Benjamitica*, *Ramath Zophim*: ſed Etymologiâ, ut videtur, diversâ. Illa fortè à *Zuph*, *Samuelis* abavo, unde regio iſta ſic dicta, 1 *Sam.* 9: 5. hæc à *Zophim*, de quo loco diximus Capite præcedenti.

Gibeah oppidum *Saulis*. *Joſeph. de bello*, lib. 5. cap. 6. Κώμη Γαβαθ-Σαούλη καλουμένη. Σημαίνει δὲ τοῦτο λόφον Σαούλου διέχοντα ἀπὸ τῶν Ἱεροσολύμων ὅσον ἀπὸ τριάκοντα σταδίων. Hinc etiam diſtantiam *Ramæ* ab *Hieroſolymis* conjecteris. Locum *Gibeæ* propinquum nominat *Joſephus* Ἀκανθῶν αὐλῶνα: fortè חצר סנה vallem ſub rupe *Seneh*, de qua mentio 1 *Sam.* 14: 5.

CAP XLIV.

NOBA. BAHURIM.

Nobam in *Benjamitide*, non longè ab *Hieroſolyma*, ſitam, unde & *Hieroſolyma* conſpici poſſet, arguunt verba *Chaldæi* Paraphraſtæ in *Eſajæ* 10: 32. Sic enim ille. *Venit Senacharibus, ſtetitque in Noba civitate Sacerdotum, coram manibus Hieroſolymæ; dixitque exercitui ſuo, Nonne hæc eſt civitas Hieroſolyma, contra quam excitavi totum exercitum meum, ſubegique omnes ejus provincias: nonne ea minuta & debilis præ omnibus munitionibus gentium, quas ſubegi fortitudine manûs meæ? Contra eam ſtetit nutans capite ſuo, ac manum ſusque déque agitans*, &c. Ubi *Kimchius*; *A Noba conſpici potuit Hieroſolyma; quam ubi indè conſpexit, manum ſuam motavit, ut ſolet homo quidvis deſpiciens*, &c. Et *Jarchius*: *Cùm ſtetit Nobæ, vidit Hieroſolymam*, &c.

Concurrunt in eundem cum *Chaldæo* Paraphraſta ſenſum, atque in ipſiſſima ejus verba, etiam *Talmudici*, *Babylon. Sanhedr.* fol. 94. 2. & 95. 1. hoc inſuper addentes, Loca omnia iſta, quæ apud *Eſajam*, loco allegato, enumerantur, ab hoſte cum exercitu ſuo peragrata fuiſſe uno die.

Reſedit aliquando Tabernaculum *Nobæ*, quâ excisâ, ad *Gibeonem* tralatum eſt. *Fueruntque dies Nobæ & Gibeonis* (verba ſunt *Maimonidis* in *Beth Habbechirah*, cap. 1.) *quinquaginta & ſeptem anni.*

De *Bahurim* occurrit mentio, 2 *Sam.* 16: 5. Erat oppidum *Leviticum*, idem quod *Almon*, *Joſuæ* 21: 18. quod & *Alemeth* dicitur, 1 *Paral.* 6: 60. Verba iſta, *Et venit David ad Bahurim*, loco in libro *Samuelis* allegato, *Chaldæus* reddit אתא דוד מלכא עד עלמת *Et venit Rex David ad Almath.* Ubi *Kimchius*; *Bahurim erat civitas Benjamitarum, vocaturque in libris Paralipomenων, Alemeth: nam Bahurim & Alemeth idem ſunt*; utraque *Adoleſcentes* ſonat.

CAP. XLV.

EMMAUS. KIRIATH-JEARIM.

Hieroſol. Sheviith, fol. 38. 4. *A Beth-Horone ad Emmaunta erat montanum.*

Diſtabat *Hieroſolymis* ſtadiis ſexaginta, *Luc.* 24: 13. *Joſeph. de bello*, lib. 7. cap. 27. Ὀκτακοσίοις δὲ μόνοις ἀπὸ τῆς στρατιᾶς ἀφειμένοις χωρίον ἔδωκεν [Οὐεσπασιανὸς] εἰς κατοίκησιν, ὃ καλεῖται μὲν Ἀμμαοῦς, ἀπέχει δὲ τῶν Ἱεροσολύμων σταδίους ἑξήκοντα.

Quæro, an hæc vox idem etymon ſubeat cum *Emmaunte* prope *Tiberiada*; quæ à Thermis dicta eſt חמת. Hanc certè aliter ſcribunt *Judæi*: nempe vel אמאום, ut *Hieroſolymitani* loco ſupra citato, vel עימאום ut *Miſhnah*.

Erachin, cap. 2. hal. 4. משפחת בית פגרים ובית ציפרא מעימאום היו. *Familia*, inquiunt, *Beth-Pegarim*, & *Beth-Zipperia fuit ex Emmaunte.* Gloſſa, *Emmaus fuit nomen loci; cujus habitatores erant Iſraëlitæ generoſi, filiáſque eorum duxerunt Sacerdotes in uxores.*

Joſephus, *de bello*, lib. 5. cap. 33. proceres quoſdam memorans, à *Simeone Tyranno* occi-

ad irrigationes opulentiſſimus, ſecùs veterem civitatem ſcaturiens, quam cepit Jeſus filius Nave. Quem fontem fama eſt non ſolum olim fructus terræ arborumq; languefeciſſe, ſed & partus mulierum; in univerſùmque omnibus fuiſſe inſalubrem & noxium: at verò in melius mutatum ab Eliſæo, &c. (vide 2 *Reg.* 2: 21.) *ita, ut quæ aquæ fuerant antea ſterilitatis cauſa & famis, exinde eſſent fertilitatis & abundantiæ; tantamque habent in irrigando virtutem, ut, quemcunque locum attingant, maturitatem inducant celerrimam.*

Καὶ πεδίον μὲν ἐπεισιν ἑβδομήκοντα ςαδίων μῆκ☉, εὖρ☉ ϛ εἴκοσιν. *Planitiemque perfluunt LXX. ſtad. longitudine, & latitudine XX. ſtad. nutriuntque ibi hortos pulcherrimos denſiſſimoſque palmarum varii generis, &c. Apes etiam nutrit iſte locus, Opobalſamum producit, & Cyprinum, & Myrobalanum*; ita, ut quis *non malè eum vocaverit* θεῖον τὸ χωρίον, *Regionem divinam, &c.*

Paria *Strabo*, *Geogr.* lib. 16. Ἱεριχοῦς δὲ ἐςι πεδίον κύκλῳ περιεχόμενον ὀρεινῇ τινι, &c. *Hierichus eſt planities montibus circundata, quæ in Theatri ſpeciem ad ipſam alicubi declinat. Ibi eſt Palmetum, cui immixtæ ſunt etiam aliæ ſtirpes hortenſes, locus ferax, palmis abundans ſpatio ſtadiorum C. totus irriguus, & habitationibus plenus. Ibi & regia eſt & Balſami paradiſus, &c.*

Et *Plinius*, lib. 5. cap. 14. *Hierichuntem palmetis conſitam, fontibus irriguam, &c.*

Hinc civitas dicta *Civitas palmarum*, *Deut.* 34: 3. & *Judic.* 1: 16. ubi pro eo, quod in *Hebræo* eſt מעיר התמרים, *Targum* habet מן קרתא יריחו: quod tamen non approbat *Kimchius*, *Civitatem palmarum Hebroni* vicinam reputans; quem vide. Vide & *Targum* in *Judic.* 3: 13. *Kimchiumque* ibidem: & *Targum* in *Judic.* 4: 5.

Cùm nobilem illum fontem, prout à *Joſepho* deſcriptum, recognoſcis; indè intelligis quaſnam aquas *Jerichuntis* indigitet Spiritus Sanctus, in *Joſ.* 16: 1. cumque amœniſſimam iſtam regionem indè irriguam cogitas, ſubeat hiſtoria *Rabbinica* de דושנו של יריחו filiis *Hobab*, ſoceri *Moſis*, conceſſa, quadraturæ 500. cubitorum: de qua vide *Baal Turim* in *Numer.* 10: 29. & *R. R.* in *Judic.* 1.

CAP. XLVII.

HIERICHO ipſa.

URBEM hanc à *Joſua* non ſolum flammâ & ferro vaſtatam legimus, ſed & Anathemate; *Maledictus ſit ille coram Domino, qui exſurrexerit, atque ædificaverit urbem iſtam Jerichunta, Joſuæ* 6: 29. *Nec alia civitas condenda*, [inquiunt *Talmudici Hieroſol. Sanhedrin*, fol. 29. 4.] *quæ vocanda eſſet nomine Jerichuntis; nec Jericho ipſa condenda, quamvis vocanda alio nomine*: & tamen, neſcio quo fato, è pulvere & ruderibus erepſit hæc urbs, revixit, floruit, & ſecunda ab *Hieroſolymis* evaſit. Reſtauratorem ejus *Hielem* iidem, qui jam citati, filium opinantur *Jehoshaphati*, eundem ſcilicet cum *Jechiele*, 2 *Paral.* 21: 2. *Hiel*, inquiunt ibid. *fuit Jehoshaphati, & Jericho Benjaminis.* Et juſtus eſt iſte ſcrupulus, quem objicit *R. David Kimchius* in 1 *Reg.* 16. Quinam tandem rem tam horrendam perpetrari intra regnum ſuum perpeſſus ſit pius Rex *Jehoſhaphat?* Multo magis, quinam hoc à filio ſuo perpetrari? Rem ipſi diſputanto, nos aliò properamus.

Quod fieri non debuit, factum valet. Exſecrabile fecit *Hiel*, quòd *Jerichunta* conderet; exſecrabilis tamen non fuit *Jericho*, cum jam condita. Nobilitata erat illico poſt reſtaurationem Scholis Prophetarum, 2 *Reg.* 2: 5. floruitque cum reliquis *Judææ* urbibus uſque ad excidium gentis per *Babylonios*.

Sub Templo ſecundo floruit magis, ita ut nulli cederet civitati in *Judæa*: imo omnes ei cederent, præter *Hieroſolymas*. *Strabo*, lib. 16. In ea *Regia*, ubi *Herodes* diem ſuum clauſit extremum, *Joſeph. Antiq.* lib. 17. cap. 10. *Hippodromon*, ubi ab eo concluſi magnates *Judæorum* cum is exſpiraret mactandi, *ibid.* cap. 8. *Amphitheatrum*, ubi publicè apertum ejus teſtamentum, & recitatum: & *conſeſſus* aliquando *Synhedrii*, & *turma nobilis Ephemeriarum*, Idem *de bello*, lib. 1. cap. ult.

Hieroſol. Avodah Zarah, fol. 42. 3. *Convenerunt aliquando Seniores in Camera Bethgadia in Jerichunte; prodiit Bath Kol, & dixit iis, ſunt duo inter vos, qui idonei ſunt recipiendo Spiritui Sancto, atque Hillel eſt unus ex iis: oculos conjecerunt in Samuelem parvum*; ut ſecundum. *Vice aliâ convenerunt Seniores in camera in Jafne; prodiit Bath Kol, dixitque, ſunt duo inter vos, qui idonei ſunt recipiendo Spiritui Sancto, & Samuel parvus eſt unus ex iis; oculos conjecerunt in R. Lazarum. Et gaviſi ſunt, quod ſententia eorum congrueret cum ſententia Spiritus Sancti.*

Idem, *Taanith*, fol. 67. 4. *Traditio eſt, vigeſies quater mille viros ſtationis fuiſſe Hieroſolymis, & dimidiam ſtationem* (id eſt, 12000) *Hierichunte. Potuit etiam Jerichus totam ſtationem produxiſſe; ſed, quia cedere voluit Hieroſolymis, dimidium tantum ſtationis produxit.*

Eccos tibi quingentos ex unaquaque Ephemeria *Jerichunte* reſidentes! At quidnam illi? In promptu aderant ſupplendis vicibus deficientibus, ſi quæ tales *Hieroſolymis*; & curârunt de neceſſariis ſupplendis iis, qui *Hieroſolymis* miniſtrabant. Hinc minùs mirum, ſi, in parabola de itinerante inter *Hieroſolymam* & *Jerichunta*, tranſeuntes audias *Sacerdotem* & *Levitam*, *Luc.*10:31,32.

Non potuit in urbe tam celebri, & numeroſi adeò populi, non eſſe Synhedrium aliquod viginti-triumvirale, unum ſaltem nobilius; ſi non plura: cùm tot præſtò eſſent è ſtationibus ibidem commorantibus, qui idonei eſſent regimini tractando; totque, qui regerentur.

Celebrantur in *Peſach.* cap. 4. hal. 8. אנשי יריחו *viri Hierichuntini ob ſex ab iis peracta; de tribus quorum conſenſum iis eſt à Synhedrio ſummo, & de tribus alius non conſenſum.* Ea, de quibus non repugnatum eſt, hæc erant: I. מרכיבין דקלים כל היום *Inſeruerunt*, vel *complicârunt, palmas unoquoque die*, vel *toto die.* Longo hîc opus eſt commentario, eumque proferunt obſcuriſſimum. Res *Jerichuntinis* eſt cum palmis, quas ſive conjungebant & commiſcebant maſculas cum fœminis, ſive germina ramorum teneriora vetuſtioribus inſeruerunt, vel [quod vulgò dicitur] inoculârunt; illud indulgentiæ iis à Sapientibus conceſſum eſt de tempore, quo hæc fiunt, quod vix alibi tolerandum; niſi quòd, ut videtur, natura loci & palmetorum hoc efflagitaret. II. כורכין את שמע *Complicârunt recitationes Phylactericas*: id eſt, vel non diſtinctè eas efferendo, vel doxologias quaſdam aut orationes omittendo, vel ſonorâ nimiùm voce enuntiando. Vide *Gemaram* & Gloſſam. III. קוצרין וגודשין לפני העומר: *Meſſuerunt, & manipulos colligârunt ante oblatum manipulum*; atque hoc, partim ob præcocem eò loci frugum maturitatem, partimque, quòd in humiliori convalli naſcerentur eorum ſegetes, ideòque aptæ non æſtimarentur, ut offerrentur in *Mincham.* Vide Gloſſam. Tria, de quibus non conſenſum iis eſt à Sapientibus, hæc erant: I. מתירין גמזות של הקדש Fructus, & germina, ſiliquæ & Sycominorum, quas uſui ſacro devoviſſent patres eorum, illi in uſus communes alienârunt. II. אוכלין מתחת הנשרים בשבת Comederunt Sabbato ſub arbore fructus ab arbore deciduos, quamvis incerti eſſent, num Sabbato decidiſſent, an veſperâ Sabbati: nam Sabbato decidentes erant prohibiti. III. נותנין פאה לירק Angulum horti pro oleribus conceſſerunt, eo modo, quo conceſſus eſt Angulus agri pro ſegetibus.

Finiatur hujus urbis & loci deſcriptio verbis *Talmudicis, Babylon. Beracoth*, fol. 43:1. משחא דאפרסמא: *Quânam orationis formulâ utuntur ſuper Balſamum? Benedictus ſit, qui creavit unguentum terræ noſtræ.* Gloſſa, *Unguentum terræ noſtræ; nam enatum eſt Jerichunte, & propter ejus odorem vocata eſt* יריחו *Jericho; illud autem eſt Pannag, de quo mentio in libro Ezechielis*, Judah & terra Iſraëlitica mercâtores tui erant in tritico Minnith & Pannag? *Hoc vidi in libro Joſephi ben Gorion.* Judica, Lector.

CAP. XLVIII.

Miſcellanea quædam ad regionem Jerichuntinam ſpectantia.

ORdiamur à poſtremis *Iſraëlitarum* caſtrametationibus, trans *Jordanem.*

Numer. 33: 49. *Caſtrametati ſunt juxta Jordanem, à Beth-Jeſhimoth uſque ad Abel Shittim.*

Hieroſol. Sheviith, fol. 36. 3. & *Gittin, fol.* 43. 31. *A Beth-Jeſhimoth ad Abel Shittim erant milliaria duodecim.*

Receptiſſimum eſt apud *Judæos*, caſtra *Iſraëlitarum* in eremo quadraturam duodecim milliarium excepiſſe. Sic *Targum Jonathanis* in *Numer.* 2: 2. משריתא דישראל אורכא תריסר מילין ופותיה תריסר מילין: *Caſtrametatio Iſraëlis erat longitudinis duodecim milliarium, & latitudinis duodecim milliarium.* Et *Gemariſtæ Hieroſol.* ubi ſupra. *Probibitum eſt Diſcipulo Traditionem docere coram Magiſtro, imò non, donec ab eo diſtet duodecim milliaribus, pro ſpatio caſtrametationis Iſraëlis. Unde autem illud ſpatium probatur?* Et caſtrametati ſunt juxta Jordanem à Beth-Jeshimoth ad Abel Shittim. *Quantum hoc ſpatii? Duodecim milliarium.*

Craſſitudinem exercitûs idem ſpatium retinuiſſe, dum tranſirent *Jordanem*, credunt illi etiam; *Babylon. Sotah*, fol. 34. 1. in *Gloſſa.* Et non iniquum quidem eſt itá credere: videtur enim ſaltem largum admodum ſpatium in tranſitu occupâſſe: hoc præſertim obſervato, quòd ſtanti in medio *Jordanis* Arcæ non licuit appropinquare intra bis mille cubitos, *Joſ.* 3:4. Cùm ergò dicatur, *Populum contra Jerichuntem tranſiiſſe*, de medio exercitûs eſt intelligendum, vel de Arcam portantibus, iiſque, qui proximè ab Arca incedebant.

Ab *Abel* ad *Jordanem* erant ſtadia ſexaginta. [VII M. paſſuum ½] Latitudo *Jordanis* à ripa in ripam modicum ſpatium excepit, *juxta Joſeph. Antiq.* lib. 5. cap. 1. De ea, in aliqua ejus parte, ſic *Hieroſolymitani, Bava Kama*, fol. 5. 3. *Tranſiit aliquando incendium Jordanem* [hoc eſt, flamma, in hac ripa accenſa, ad illam transvolavit.] *Quouſque autem fertur flam-*

Digitized by Google

flamma? R. Eleazar dicit, Ut plurimùm ad ſedecim cubitos; at, ferente vento, ad triginta. R. Judah dicit, Ad cubitos triginta; &, ferente vento, ad quinquaginta. R. Akiba dicit, Ad cubitos quinquaginta; &, flante vento, ad centum.

A *Jordane* ad *Gilgalem* ſtadia quinquaginta, [VI M. paſſuum & ⁏] *Joſeph.* ubi priùs. Totum ergò iſtius diei iter ab *Abele* ad *Gilgalem* erat milliarium XIV, aut circiter. *Talmudici* ambiguitate vocis גלגל decepti, *Babylon. Sanhedr.* fol. 44. 1. ad ſexaginta milliaria extendunt ampliuſque; quos vide poſteà citatos capite octuageſimo octavo. Sic dicitur in *Midraſch Tillin*, fol. 7. 4. *Saulem 60. milliaria uno die profectum fuiſſe.*

De lapidibus à *Joſua* in *Jordane* & *Gilgale* erectis hæc *Gemariſtæ Babylon. Sotah*, 34. 1. *Toſapht. in Sotah*, cap. 8. *R. Judah dicit, Aba Chalaphta, & R. Eleazar ben Mathia, & Chanina ben Chakinai ſteterunt ſuper iſtos lapides, atque eos æſtimârunt, unumquemque ponderis quadraginta Satorum.*

CAP. XLIX.

HEBRON.

A *Jerichunte* pergimus ad *Hebronem*; longè quidem diſſitam, at dignitate proximam: imò erat, cùm ea *Hieroſolymas* nomine & honore anteiret; dum ſcilicet primùm regni *Davidici* jacerentur fundamenta; & tunc temporis in ruderibus ſepeliretur *Jerichus*, & profanis *Jebuſæorum* pedibus tereretur *Hieroſolyma*.

Sita erat *Hebron*, prout in montano *Judææ*, ità in loco admodum ſaxoſo, at regione tamen valde fertili.

אין לך טרשים בכלו ארץ ישרא׳ יתר מחברון: *Babylon. Sotah*, ubi ſupra. *Non eſt locus in tota terra Iſraëlitica ſaxoſus magis, quàm Hebron: indè ſepultura illic mortuorum.* Diſcutiunt *Gemariſtæ* quid illud ſibi velit, *Condita eſt Hebron ſeptem annis ante Zoanem in Ægypto, Numer.* 13: 22. & in hunc ſenſum reducunt, quem etiam citatum reperias apud *R. Solomonem* in textum iſtum *Moſis*, *Non eſt terra aliqua excellentior quàm Ægyptus; ſicut dicitur, Sicut hortus Domini, ſicut Ægyptus: nec eſt in Ægypto locus aliquis excellentior Zoane: & tamen ſeptem vicibus nobilior erat Hebron, utcunque ſaxoſa, quàm Zoan.* Nam Traditio hæc apud eos obtinet, אילים ממואב כבשים מחברון, *Arietes à Moab, Agni ab Hebron:* atque huc applicant illud *Abſolomi*; *Eam, quæſo, ad Hebronem, ut perſolvam votum meum.* Eccur ad *Hebronem*? *Dicit R. Bar bar Chanan, Illuc ivit, ut indè agnos peteret in ſacrificium.* דקלישא ארעא עבדה רעיא ושמן קניינא *Nam tenuis erat gleba, gramen ovibus gratum proferens*, &c.

Situm *Hebronis* reſpectu *Hieroſolymæ* obſervas ex iis, quæ referuntur de more & ritu quotidiano in Templo. *Joma*, cap. 3. hal. 2. & *Tamid*, cap. 3. hal. 2. *Dicere ſolitus eſt unoquoque mane Præfectus Liturgiæ in Templo, Ite, & videte, num adſit tempus mactandi ſacrificium. Si adeſſet, is qui ſpectatum miſſus, dixit,* ברקאי *Luceſcit. Mathia ben Samuel dixit, Lucida eſt tota facies Orientis uſque ad Hebronem: cui alter, Bene,* &c. In quæ ſic *Rambam*, in משניות in *Joma*. *Locus erat excelſus in Templo, quo aſcendit is, qui ſpectatum miſſus: cumque ille videret faciem Orientis ſplendentem, dixit* ברקאי, &c. *Illi autem, qui in Atrio erant, dixerunt* עד שהוא בחברון. *Num, ut ſit lux uſque ad Hebronem? Id eſt, Num eò uſque pervenit lux, ut oculi tui videant Hebronem? Et ille reſpondit, Ita.* Sic etiam Gloſſa in *Tamid*. *Videtur aurora, inquit ille qui in tecto, uſque ad Hebronem; quia Hebronem potuerunt videre inde.*

Juchaſin, fol. 63. 1. *Ideo autem mentionem fecerunt Hebronis* אעפ׳ שגם לצד זה היה המזרח [*quanquam ex iſta regione eſſet Oriens,*] *ut occurreret memoria meriti ſepultorum in Hebrone, ad ſacrificium juge.* Verba ſunt autoris *Juchaſin*, ex quibus iſta præcipuè ſunt notanda [*quanquam ex iſta regione eſſet Oriens*; vel, *ex iſto cardine cœli eſſet Oriens:*] quæ perpende, & confer *Gemariſtas* in locum citatum: nam illi verba iſta, עד שהוא בחברון de luce etiam pertingente ad *Hebronem* intelligunt, æquè ac Gloſſa de oculis ſpectantis eò pertingentibus: quæ omnia collata huc recidunt [ſi autoribus hiſce fides] *Hebronem*, utcunque à Meridie *Hieroſolymarum* ſita eſſet, aliquantulum tamen verſus Orientem declinâſſe, conſpicique potuiſſe è turribus in Templo *Hieroſolyma*que eminentibus. Judicet Lector.

De *Macpelah* ſepulchreto juxta *Hebronem*, dicuntur plurima à plurimis. Ob paria ibi ſepulta, *Abrahamum*, *Iſaacum*, & *Jacobum*, uxoreſque, dicta forſan eſt civitas *Hebron*, id eſt, *Conſociatio*.

Sepultum itidem ibi credunt non pauci *Adamum*, nonnulli ſepultum ſemel, ſepultumque iterum. Idem, fol. 5. 1. *Dixit Adamus*, inquiunt, *poſt mortem meam venient fortè, ac oſſa mea arripientes ea adorabunt: at verò ego arcam meam profundè admodum in terra recondam, in ſpelunca intra ſpeluncam. Vocatur ergo ſpelunca Macpelah*; vel *duplicata*.

Digitized by Google

CAP. L.

De Civitatibus refugii.

NObiliſſima inter has, *Hebron*, reliquarum memoriam nobis excitat.

Babylon. Maccoth, fol. 9. 2. *Tradunt Rabbini. Tres civitates refugii ſeparavit Moſes trans Jordanem, & ex oppoſito tres ſeparavit Joſua in terra Canaan. Et juxta ſe poſitæ hæ erant, eo modo, quo duo vitium ordines in vinea. Hebron in Judæa ex oppoſito Bezer in Eremo. Shechem in monte Ephraim ex oppoſito Ramoth in Gileade. Cadesh in monte Nephtali ex oppoſito Golan in Baſan. Erantque hæ tres ita æquè diſpoſitæ, ut tantum ſpatium eſſet ab ora Auſtrali terræ Iſraëliticæ ad Hebronem, quantum ab Hebrone ad Schechemam: tantumque ab Hebrone ad Shechemam, quantum à Shechema ad Cadesh: tantumque à Shechema ad Cadesh, quantum à Cadesh ad oram terræ Septentrionalem.*

Maimon. in רוצח, cap. 8. Synhedrio incubuit vias ad civitates haſce accommodare, eas dilatando, atque omne offendiculum, in quod titubare, aut impingere poſſes, amovendo. Non permiſſus in via ullus tumulus, aut fluvius, ſuper quem non eſſet pons; eratque via illuc ducens ad minimum 32. cubitorum lata; atque in omni bivio, aut viarum partitione, ſcriptum erat מקלט מקלט *Refugium*, *Refugium*; nè eò fugiens à via erraret.

Solitæ ſunt matres Pontificum in civitatibus refugii ob cædem concluſos victu & veſtitu fovere, nè mortem filiis ſuis apprecarentur: cùm à morte ſummi Pontificis fugitivus ſuis eſſet reddendus; ſi verò anteà ille moreretur in civitate refugii, oſſa ſuis reddenda erant poſt mortem Pontificis, *Maccoth*, fol. 11. 1.

Somniant *Judæi* tres alias civitates iis ſex, quæ in Sacra Pagina memorantur, addendas in diebus *Meſſiæ*, eaſque inter *Kenæos*, *Kenezæos*, & *Kadmonæos*: vide *Maimon.* ubi ſuprà. Somnient.

Babylon. Sanhedrin, fol. 18. 2. *Occidens ſummum Pontificem ex improviſo, fugiat ad civitatem refugii: at nunquam exinde redeat.* Confer hæc cum ſtatu *Judæorum* occidentium *Chriſtum*.

CAP. LI.

BETH-LEHEM.

SIlent admodum de hac urbe *Judæi*: nec memini me quicquam in iis de ea legiſſe, præter ea, quæ adducuntur è Veteri Teſtamento, hoc ſolum excepto, quod natum ibi *Meſſiam* ante ſua tempora fateantur *Gemariſtæ Hieroſolymitani*, *Beracoth*, fol. 5. 1.

Juſtin. Martyr, *Apol.* 2. pag. 75. Βηθλεὲμ κώμη τίς ἐστιν, ἐν τῇ χώρᾳ Ἰουδαίων, ἀπέχουσα σταδίους τριακονταπέντε Ἱεροσολύμων idque verſùs Meridiem.

Pater Annalium Eccleſiaſticorum, *Baronius*, ad annum *Chriſti* 137. hæc verba *Euſebii Eccleſiaſt. Hiſt.* lib. 4. cap. 6. citans, Ἀκμάσαντος δὲ τοῦ πολέμου ἔτους ὀκτωκαιδεκάτου τῆς ἡγεμονίας Ἀδριανοῦ κατὰ Βίθηρα πόλιν, &c. ſic *Latinè* reddit, *Jam verò, cùm decimo octavo anno Imperii Hadriani bellum, juxta urbem Beth-lehem nuncupatam (quæ erat rerum omnium præſidiis munitiſſima, neque adeò longè à civitate Hieroſolymarum ſita) vehementiùs accenderetur*, &c.

Interpres *Euſebii* Βίθηρα *Beth-thera* reddit; non malè: utcunque non ad literam [fortè κ in vocem irrepſit, incuriâ librariorum, pro ρ]. At quâ alter licentiâ *Beth-lehem* reddiderit, ipſe videat. Agit certè *Euſebius* de civitate ביתר *Betar*, (vulgò *Bitter* ſcribitur) de cujus excidio plurima cum planctu referunt *Judæi*; quæ certè eadem vix reputanda eſt cum *Beth-lehemo*.

Addit idem Annalium Pater, *Beth-lehemum*, à temporibus *Hadriani* ad tempora *Conſtantini*, *Adonidis* fano fuiſſe profanatam: in cujus rei aſſertionem *Paulini* hæc verba citat; *Hadrianus, exiſtimans ſe fidem Chriſtianam loci injuria peremturum, in loco Paſſionis ſimulachrum bovis conſecravit, & Beth-lehem Adonidis fano profanata eſt*; ut & ſimilia *Hieronymi*: fatetur tamen in *Origine* contra *Celſum* contrarium videri; veriuſque. Nam *Hadriano* lis non erat cum *Chriſtianis* & *Chriſtianiſmo*, ſed cum *Judæis* dirè rebellantibus.

CAP. LII.

BETAR. ביתר.

DE hac urbe altum ſilentium in Paginis Sacris, at ſonus clamoſiſſimus in *Talmudicis*. Scribitur vulgò ביתר, redditurque à *Chriſtianis Bitter*, vel *Bither*: at ſcriptam reperio in *Talmude Hieroſolymitano*,

Taanith,

Digitized by Google

Taanith, fol.68.4.& 69.1.ſæpiuſculè in eadem pagella ביתתר, legendam, ut videtur, בי־־תר *Beth-Tar*, & abjecto ת primo, quod in voce בית uſitatiſſimum, ביתר *Be-Tar* [*Domum Inquiſitoris.*] *Quare*, inquiunt, *vaſtata eſt* ביתתר *Beth-Tar? Quia accendit lucernas poſt excidium Templi. Et quare accendit lucernas? Quia conſiliarii* בולוטי *Hieroſolymæ habitarunt in medio urbis: cumque viderent quemvis aſcendentem Hieroſolymam, dixerunt ei, Audimus de te, quod tu ambis, ut fias Dux aut Conſiliarius: ille autem reſpondit, Nihil tale in animo eſt meo. Audimus de te, Quod venditurus ſis opes tuas: ille autem reſpondit, Nec hoc in mentem meam venit. Tunc diceret unus è ſocietate; Quicquid tu ab hoc requiris, ſcribe, & ego ſigillabo. Ille itaque ſcripſit, & collega ejus ſigillavit: miſeruntque iſti fictum hoc diploma ſuis, dicentes, Si N. ad poſſeſſionem opum ſuarum iterum accedere nitatur, nè permittite; nam ille eas apud nos vendidit.*

Cauſa excidii *Beth-Teræ* principalis erat *Ben-Cozba*, ejuſque rebellio in *Romanos*: aliud initium aſſignant *Babylonici*.

Babylon. Gittin, fol. 57. 1. אשקא דרספק הריב ביתר *Ob crus carpenti vaſtata eſt Bethara. In more fuit, ut, cùm naſceretur infans, plantarent cedrum; cùm infantula, pinum: cumque nati contraherent matrimonium, ex iis conficerent thalamum. Die quadam tranſiit filia Cæſaris, & confractum eſt ei crus carpenti. Cedrum iſtiuſmodi exciderunt, atque ad eam attulerunt. Inſurrexerunt in eos* [*Judæi*] *atque eos ceciderunt. Relatum eſt Cæſari rebellare Judæos. Profectus ille in eos iracundus, excidit totum cornu Iſraëlis, &c.*

Hieroſol. ubi ſupra. *Per tres annos & dimidium obſidione cinxit Hadrianus Betheram. Gittin*, ubi ſupra. *Cumque eam caperent, interfecerunt mares, & fœminas, & parvulos; ità ut ſanguis eorum flueret in mare magnum. Dices forſan, quod prope mare ea erat; at diſtabat milliari. Traditio eſt, quod dicit R. Eliezar Magnus, quod duo fluvii erant in valle Jadaim; quorum hic hac fluxit, iſte illac: & computarunt Rabbini, quod tertia pars ſanguis eſſet, & duæ partes aquæ. Traditur etiam, Ethnicos per ſeptennium vindemiaſſe abſque ſtercoratione, quia fertiles ſatis erant vineæ è ſanguine Iſraëlitarum.*

Hieroſolymitani de diſtantia urbis hujus à mari hyperbolizant ſatis: *Si dicas enim*, inquiunt, *quod vicina ea eſſet mari; nonne diſtabat milliaribus quadraginta? Dicunt, quod trecenta crania parvulorum inventa fuerint ſuper lapidem unum; treſque ciſtæ Phylacteriorum laceratorum, ſingulæ novem modiorum: at ſunt qui dicunt, Novem ciſtæ, ſingulæ trium modiorum.*

Memorat *Joſephus*, *de bello*, lib. 4. cap. 26. Βήταριν ϗ Καφαρτόβαν δύο κώμας τὰς μεσαιτάτας τῆς Ἰδουμαίας. Ubi per *Idumæam* Auſtralem *Judææ* partem intelligit, præcipuè montanam; ut patet ex contextu. *Idumæam* propriè dictam vocat, ibid. cap. 30. Μεγάλην Ἰδουμαίαν.

CAP. LIII.

עפרים.

Ephraim.

NOn *Ephraimitiden* hîc volumus; ſed oppidum quoddam in confinibus *Ephraimitidos*: de quo 2 *Paral.* 13:19. & de quo *Talmudici*, *Menachoth*, cap. 9. hal. 1. *Quænam eſt optima ſimila* [offerenda in Templo]? מכמס ומזוניחה אי־א לסל־ת: שנייה להם חפריים בבקעה *Michmas & Mezonechah primas obtinent de ſimila: ſecundas autem ab iis Ephraim in valle.* Non eodem modo hæc leguntur ab omnibus.

Miſchnajoth in octavo legunt, prout deſcripſimus; *Toſaphtah* etiam legit מכמס: at *Talmud* מכנים וזטח׳. *Aruch* habet etiam מכמס in hac voce: at pro זוניחה habet זנוח *Zanoah.* Iidem etiam legunt עפריים cum *Ain*: *Talmud* עפוריים: Gloſſa, עפוריים *Ephoraim eſt civitas, de qua ſic ſcribitur in libris Paralipomenon*, Et cepit Abijah Ephraim עפריים.

Gemariſtæ Babylon. Menachoth, fol. 85. 1. atque *Aruch* in יוחני eodem modo legunt, עפריים, hac adjuncta hiſtoria, אמרי ליה יוחנא וממרא למשה *Dixerunt Jannes & Mambres Moſi, Num tu ſtramen inducis in Ephraim?* Quæ recitans *Aruch* hæc addit. *Civitas erat in terra Iſraëlis frugibus fertiliſſima, Ephraim dicta: cum ergò adveniret Moſes cum miraculis ſuis; dixerunt ei Jannes & Mambres, Principes præſtigiatorum Pharao, Hoc eſt negotium noſtrum, & ſic nos facere poſſumus cum incantationibus noſtris; tu ergo ſimilis es cuiquam ſtramentum inferenti in Ephraimam, quæ eſt civitas frugum, atque è qua eſt proventus locis multis: quomodo ergò quiſquam illuc inferat ſtramen? &c.*

Joſephus de *Veſpaſiano*, *de bello*, lib. 4. cap. 33. Ἀναβὰς εἰς τὴν ὀρεινὴν αἱρεῖ δύο τοπαρχίας, τήν τε Γοφνιτικὴν ϗ τὴν Ἀκραβατηνὴν καλουμένην, μεθ' ἃς Βηθηλᾶ τε ϗ Ἐφραὶμ πολίχνια. In hanc *Ephraim* receſſiſſe *Chriſtum* arbitramur, in hiſtoria iſta *Joann.* 11:54.

Addamus & hæc è locis ſupra allegatis. *Toſapht.* in *Menachoth*, cap. 9. *R. Joſi dicit, Adduxerunt etiam de tritico* ברחיים *Barchaim*,

chaim, & כפר אחום *Caphar Achum*; *quæ erant juxta Hieroſolymam.*

Ibid. & *Menachoth*, ubi ſupra, hal. 3. *Quoad oleum*; *primam laudem meretur Tekoa. Aba Saul dicit*, *Secundam ab ea obtinet* רגב *Ragab ultra Jordanem. R. Eliezer ben Jacob dicit*, *Tertiam Guſh Chalab in Galilæa.*

Ibid. *Optimum vinum producunt* קרוחים ועטולין [al. קרותים והטולין : *Aruch*, קרחיים] *Karchiim & Atolin*; *ſecundum ab iis Beth Rimmah*, *& Beth Laban in montano*, *& Caphar Sigana in convalle.*

Adjiciamus & hæc aliunde. Babylon. Sanhedrin, 70. 2. *Comedit omnem victum*, *& non comedit carnem*: לאיתויי דבילה קעילית, *Introducitur Palatha Keilæ. Bibit omnimodum potum*, *at non bibit vinum*: *introducuntur mel & lac.* Idem, *Joma*, fol. 76. 1. *Comedit* דבילה קעילית *Palatham Keilæ*, *& bibit mel & lac*, *atque ingreditur in Templum.*

CAP. LIV.

בירת חרודו & צוק.

CUm emitterent hircum *Azazel*, die Expiationis, erecta erant antea Tentoria decem, milliari uno à ſe invicem diſtantia: quo ſe contulerunt quidam ante iſtum diem, ut parati eſſent eum, qui hircum duxit, comitari. Egreſſi cum eo ex *Hieroſolyma* ſunt generoſiores, comitatique ſunt ad tentorium primum. Illic exceperunt eum alii, duxeruntque ad ſecundum; alii ad tertium; & ſic ad decimum. A decimo ad rupem צוק *Tſok*, unde dejiciebatur Hircus, erant milliaria duo. Iſti ergo, qui eum illic exceperunt, ultra milliare cum eo non ſunt profecti, nè iter Sabbaticum excederent; ſed ibi ſtantes obſervarunt quid ab eo actum. *Diſcerpſit ille liciam coccineam in partes duas*; *quarum hanc cornibus hirci alligavit*, *illam rupi*: *hircumque præcipitavit*, *qui medium præcipitii vix jam attingens in fruſta colliſus & diſſectus eſt.* Diſtabat ergò rupes *Tſok* duodecim milliaribus ab *Hieroſolyma*, ſecundum computum receptiorem: at ſunt, qui novem tantum tentoria, & decem milliaria aſſignent. Vide *Gemariſtas Babylon. Joma*, fol. 66. 2.

צוק *Talmudicis* eſt quævis rupes aſperior excelſiorque. Hinc illud *Babylon. Bava Mezia*, fol. 36. 2. & 93. 2. העלה לראשי צוקין ונפלה *Aſcendit in verticem rupis*, *& cadit.* Ubi Gloſſa; צוקין הרים הרים וגבוהים. צוקין *ſunt montes aſperi & excelſi.*

Tribus ab *Hieroſolyma* milliaribus fuit primus introitus in Deſertum, vocaturque locus iſte בירת-חרודו *Beth-Chadudo.* De eo ſic *Miſchna Babylonica*, *Joma*, fol. 68. 2. *Dicunt Sacerdoti ſummo*, *Jam pervenit hircus in eremum*: *aſt unde iſtud nôrunt*, *quod jam in eremum pervenerit? Altos lapides erexerunt*, *atque ſuper eos ſtantes ſudaria agitarunt*, *atque hinc cognôrunt*, *quod jam appulerat hircus in eremum. R. Judah dicit*, *Nonne ſignum magnum hoc iis erat?* מירושלם ועד בירת-חדודו ג' מילין *Ab Hieroſolyma ad Beth-Chadudo erant tria milliaria. Progreſſi ſunt ad ſpatium milliaris*, *& regreſſi ad ſpatium milliaris*, *& morati ſunt ſpatio milliaris*, *& ſic cognoverunt*, *quod hircus jam pervenerat ad eremum.*

Hieroſolymitana ſic. *R. Judah dicit*, *Nonne hoc ſignum magnum iis?* ג' מילין מירוש' ועד בירת-הורון. *Tria milliaria erant ab Hieroſolyma ad Beth-horonem. Progreſſi ſunt ad ſpatium milliaris*, *&c.*

Ex his collatis non improbabilis eſt conjectura, hircum emiſſum fuiſſe verſus *Beth-horonem*, quæ & XII. mill. paſſuum diſtabat ab *Hieroſolymis*, & rupes vicinas habuit horridas aſperrimaſque; ſenſumque *Gemariſtarum* hunc eſſe, Tria milliaria in via ad *Beth-horonem* erant ad primam oram eremi, eratque loco nomen *Beth-Chadudo.*

CAP. LV.

Varia.

I. BETH-CEREM, *Nehem.* 3: 14.

Middoth, cap. 3. hal. 4. *Lapides tum Altaris*, *tum aſcenſus ad Altare fuerunt* מבקעת בית-כרם *è convalle Beth-Cerem*, *quos effoderunt infra terram incultam. Atque indè adducere ſolent lapides integros*, *ſuper quos agitatum ferrum non fuit.*

De ſanguine profluvii muliebris agentes Patres Traditionum quinque colores ejus enumerant, inter quos iſtum כמימי אדמה מבקעת בית-כרם. *Qui ſit ſicut aqua terræ è convalle Beth-Cerem*, *Niddah*, cap. 2. hal. ult. Ubi Gloſſa. *Beth-Cerem eſt nomen loci*: *unde adducit glebam*, *atque indit ollæ*, *eique ſupernatat aqua*: *hoc eſt*, *Indit ei aquam*, *donec aqua ſupernatet ſuper glebam.*

Gemariſtæ hanc clauſulam diſcutientes hæc habent. *Babylon. Niddah*, fol. 20. 1. *R. Meir dicit*, *Affert glebam è valle Beth-Cerem. R. Akiba dicit*, *E valle* יוטפת *Jotapatæ. R. Joſe dicit*, *E valle* סכני *Sicni. R. Simeon dicit*, *Etiam è valle Geneſaræ.*

II. *Hieroſol. Taanith*, fol. 69. 1. טור שמעון

Digitized by Google

שמעון הוה מפיק תלת מאון דגרבין דפרקין. Pro me reddat autor *Aruch. Mons Simeonis produxit trecentos utres fruſtulorum panis pauperibus unaquaque veſpera Sabbati.* At pro *Mons Simeonis produxit* [unde pro portione *Simeonitidis* intelligi poſſet] reddit ille, *Rabbi Simeon protulit, &c.*

Quare autem vaſtabatur? Sunt, qui dicunt, Ob ſcortationem. Suntque, qui dicunt, Quia luſerunt globulis. Κώμη Σιμωνιὰς memoratur a *Joſepho*, ἐν μεθορίοις Γαλιλαίας, in vita ſua.

III. *Babylon. Sanhedrin*, fol. 111. 2. *Nongentæ civitates erant duabus Tribubus.* Gloſſa. *Nongentæ civitates erant in Tribu Judæ, atque in Tribu Simeonis: novem ergo ceſſerunt Sacerdotibus & Levitis.* Vide *Joſuæ* 21:16. & proportionem trutina.

IV. *Challah*, cap. 4. hal. 10. *Nittai Tekoita placentam attulit è Bitur*; [*Hieroſol.* ביתור] *aſt eam non receperunt. Alexandrini placentas ſuas attulerunt ab Alexandria; aſt eas non receperunt.* אנשי הר צבועים *Incolæ montis Zeboim primitias ſuas attulerunt ante Pentecoſten; ſed eas non receperunt*, &c. Gloſſa, ביתר *Bitar fuit extra terram.* Hæc ergò non *Betar* iſta, de cujus excidio mentionem habuimus antè.

הר צבועים *Mons Zeboim* [ubicunque ille fuit] intra terram certè erat; nam aliter indè non recipiendæ primitiæ: haſce autem non repulerunt, ideo quod in ſeipſis illegitimæ erant; ſed quod allatæ tempore non legitimo: nam *Non obtulerunt Primitias ante Pentecoſten*, inquit Traditio; *Biccurim*, cap. 1. hal. 3. ubi & hæc eadem hiſtoria repetitur.

Memoratur מגדל צבועייא [vox ejuſdem etymi] in notabili iſta hiſtoria. *Hieroſol. Taanith*, ubi ante. *Tres urbes vaſtatæ ſunt.* כבול *Chabul propter diſcordiam.* שיחין *Shichin propter artes Magicas.* ומגדל צבעייא *Et Migdal Zabaaia* [vel *oppidum Tinctorum*] *propter ſcortationem.*

V. *SOCOH, Joſuæ*, 15:35. Indè erat *Antigonus*, aliquando Præfectus Synhedrii. *Avoth*, cap. 1. hal. 3. & *Juchaſ.* fol. 15. אנטיגנוס איש סוכו *Antigonus è Soco Cabbalam recepit à Simeone Juſto.*

VI. קובי & בי תרי. Horum locorum mentionem faciunt *Gemariſtæ Babylon. Sanhedrin*, fol. 95. 1. de prælio *Davidis* loquentes cum *Iſhbi-benob*, 2 *Sam.* 21. *Cum perventum eſſet ad* קובי *Kubi*, inquiunt, *dixerunt, Inſurgamus in eum: cum acceſſum ad* בי תרי *Be Teri, dixerunt Occiduntne leonem inter duas catulas.* Ubi Gloſſa. *Proſecutus eſt eos David fugientes, appropinquavitque ad terram Philiſtæorum: cumque ad Kubi accederet, quæ erat inter terram Iſraëlis & Philiſtæorum, dixerunt, &c.* בי תרי *eſt etiam nomen loci.*

VII. *Gophna.* גופנא. Ambigitur de hujus ſitu, an ſcilicet *Judææ* aſſignanda ſit, an *Samaritidi*: *Judææ* certè hæc videntur eam planè attribuere; *Joſephus* de *Tito* à *Cæſarea* ad *Hieroſolymam* pergente cum exercitu hæc ait, *de bello*, lib. 5. cap. 6. Ἐμβαλὼν διὰ τῆς Σαμαρείτιδος εἰς Γοφνά· ἔνθα μίαν ἡμέραν αὐλισάμενος, ὑπὸ τὴν ἕω πρόεισι, καὶ διανύσας ἡμέρας σταθμὸν στρατοπεδεύεται κατὰ τὸν ἀκανθῶν αὐλῶνα πρός τινι κώμῃ Γαβαθσαοὺλ καλουμένῃ.

Hieroſolymitani, Taanith, fol. 69. 1. *Octoginta paria fratrum Sacerdotum duxerunt in uxores octoginta paria ſororum Sacerdotiſſarum, in Gophna, nocte unâ.* Sacerdotes vix tot reperias in *Samaritide*.

Hieroſol. Nazir, fol. 56. 1. כנישתא דגופנא בציפורין *Synagoga Gophniticorum erat in Zippore*: quos *Samaritanos* vix crediderim.

Joſeph. de bello, lib. 3. cap. 4. Ex undecim Toparchiis, ſecunda poſt *Hieroſolymam* erat *Gophnitica*, quæ *Plinio*, lib. 5. cap. 14. *Zophanitica.*

Vox גופנא à vinetis deducitur.

VIII. בבקעת רמון *Hieroſol. Chagigag*, fol. 78. 4. *Septem Seniores congreſſi ſunt ad intercalandum annum* בבקעת רמון *in valle Rimmon: ſcil. R. Meir, R. Juda, R. Joſi, R. Simeon, R. Nehemiah, R. Lazar ben Jacob, & R. Jochanan Sandelar.* Et paulò poſt, *Erat illic rupes marmorea, cui unuſquiſque infixit clavum: vocatur ergò huc uſque Rupes clavorum.*

IX. *Gloſſa* in *Babylon. Sanhedrin*, fol. 11. 2. *Non adducunt manipulum* [Primitiarum] *niſi à loco aliquo, qui eſt prope Hieroſolymam: at ſi locus aliquis prope Hieroſolymam primitias iſtas non protulerit, tum petunt è longinquo. Erat, cùm afferretur manipulus ex hortis* צריפין *Zeriphim, & duo panes è valle* עין סוכר *En Socar.*

X. *Interrogârunt aliquando R. Joſuam*, בני צרת מה הן *Quid de filiis fœminæ æmulæ*, ut 1 *Sam.* 1:6. *Reſpondit ille, Vos caput meum interponitis inter montes duos excelſos, Scholas ſcilicet Shammæanam & Hillelianam, ut cerebrum meum elidant: at teſtor ego de familia* בית ענובי מבית-צבועים *Beth-Anubai è Beth-Zebuim, & de familia* בית-נקיפי מבית קושש *Beth-Nekiphi è Beth-Koshesh; quod erant filii æmularum, & tamen nepotes eorum Sacerdotes magni ſteterunt, atque obtulerunt ad Altare.*

CAP.

Digitized by Google

C A P. L V I.

S A M A R I A. S Y C H E M.

JOſephus, de Bello, lib. 3. cap. 4. Ἡ Σαμαρεῖτις χώρα μέση μὲν τῆς Ἰουδαίας ἐστὶ, καὶ τῆς Γαλιλαίας. Ἀρχομένη γὰρ ἀπὸ τῆς ἐν τῷ μεγάλῳ πεδίῳ κειμένης Γιναίας ὄνομα κώμης ἐπιλήγει τῆς * Ἀκραβατηνῶν τοπαρχίας. Φύσιν δὲ τῆς Ἰουδαίας κατ' οὐδὲν διάφορος, &c.

* עקרבת *Acrabata diſtabat Hieroſolymis* מהלך יום לצפון ſpatio itineris diei, verſus Aquilonem, *Maaſar Sheni*, cap. 5. hal. 2.

Samaria ſub Templo primo erat urbis nomen, ſub ſecundo regionis Metropolis ejus tunc temporis erat *Sychem*, מקום מוכן לפורענות *Locus deſtinatus vindictæ: Tanchum*, fol. 17. 2. & cui *Judæi*, ut videtur, convitiati ſunt, ſub nomine *Sychar*, *Joann.* 4:5. à verbis Prophetæ הוי שכורי אפרים *Væ ebrioſis Ephraimitis*, *Eſajæ* 28:1. Illi contigui montes *Gerizim* & *Ebal*.

Samaria urbs tandem dicta eſt *Sebaſte*; & *Sychem*, *Neapolis*. De iis ſic *R. Benjamin*, in *Itinerario*, mihi pag. 60. *Sebaſte* [שבשת] *eſt Samaria; ubi jam cognoſcitur palatium Achabi regis Iſraëlis: erat autem iſta urbs in monte, munita admodum, in eâque fontes, & terra irrigata, hortique & paradiſi, vineæque atque oliveta. Et duabus indè parſis* [VIII. M. paſſuum] *Neapolis, quæ & Sychem, in monte Ephraim. Sita autem eſt in valle inter montes Garizim & Ebal: in eâque ſunt circiter centum Cuthæi obſervantes legem Moſis ſolùm, vocanturque Samaritani; ſuntque iis Sacerdotes è ſemine Aaronitico.* Et paulò poſt, *Sacrificant in Templo in monte Gerizim, die Paſchatis & diebus feſtis, ſuper Altare, quod condiderunt ſuper montem Gerizim, è lapidibus iſtis, quos erexerunt Iſraëlitæ, cum tranſirent Jordanem, &c.* Et poſtea, *In monte Garizim ſunt fontes & paradiſi; at mons Ebal aridus eſt ſicut ſaxa & petræ: atque inter eos in valle eſt urbs Sychem.*

Joſephus, de bello, lib 4. cap. 26. loquens de *Veſpaſiano*, Ὑπέστρεψεν εἰς Ἀμμαοῦντα, ὅθεν διὰ τῆς Σαμαρείτιδος, καὶ παρὰ τὴν Νεάπολιν καλουμένην, Μαβαρθὰ δὲ ὑπὸ τῶν ἐπιχωρίων, &c. מעברתא.

Hieroſol. Avodah Zarah, fol. 44. 4. *R. Iſmael ben R. Joſi* אזל להדא ניפולים *adiit Neapolin. Acceſſerunt ad eum Cuthæi; quibus ille, Video ego, inquit, quod vos non adoratis ad montem iſtum; ſed ad Idola, quæ ſub eo ſunt: nam ſcriptum eſt*, Et abſcondit Jacob Idola ſub luco, qui erat juxta Shechem.

Tempora *Samariæ* non incongruè partiaris, ſub Templo ſecundo, in *Ethniciſmum*, ante conditum ſcilicet Templum *Garizimæum*, & exinde in *Samaritiſmum*, prout is erat ſecretus à *Judaiſmo*, atque ab eo Apoſtaſia; quamvis utraque religio nè latum quidem pilum recederet à vaſtra ſuperſtitione.

Non malè hic autor *Juchaſin*, fol. 14. 2. *Tunc* [ſub *Simeone Juſto*] *in partes itum eſt Iſraëli. Pars ſecuta eſt Simeonem Juſtum, Antigonumque, Diſcipulum ejus, eorumque Scholam; prout didicerant illi ab Ezra & Prophetis: parſque Sanaballetum generumque ejus; obtuleruntque ſacrificia extra Templum Dei, rituſque inſtituerunt è corde proprio: in Templo iſto ſacerdotio functus eſt gener Sanaballeti Manaſſeh, filius Jehoshuæ, filii Jozedek ſummi Sacerdotis. Et tunc temporis Zadok & Baithus, Diſcipuli Antigoni, eminebant, atque hinc initium ſchiſmatis; cum ſcilicet diebus Antigoni multi recederent ad montem Gerizim.*

Floruit Templum iſtud annos circiter ducentos, *ibid.* periitque ferro & flammis *Hyrcani*, *Joſeph. Antiq.* lib. 13. cap. 17. at non periit *Samaritica* ſuperſtitio; ſed duravit in ſecula quamplurima, *Judæis* odioſa æquè ac *Ethniciſmus*, *Joann.* 4:9. Fatentur tamen, quòd ארץ כותים טהורה *Terra Samaritanorum munda eſſet, & fontes mundi, & manſiones mundæ, & ſemitæ mundæ*, *Hieroſol. Avodah Zarah*, fol. 44. 4. De eorum tamen victualibus multum diſputatur; loco allegato. *R. Jacob bar Acha nomine R. Lazar dicit, Victualia Cuthæorum licita ſunt: quod intelligendum eſt de cibo, cui non immiſcetur eorum vinum & acetum. Traditio. Aliquando dixerunt, Quare prohibetur vinum Ugdor?* [אוגדור] *Propter* [vicinitatem] *Caphar Pagash. Quare vinum Burgathæ? Propter Birath Sorika. Quare vinum En Cusbith? Propter Caphar Salamam. At poſteà dixerunt, Si apertum eſt, ubique eſt prohibitum; ſi opertum, licitum.* Et ſequitur hiſtoria de *R. Simeon ben Lazar*, אזל לחדא קריה דשמרין qui venit in urbem quandam *Samaritanorum*, אתה ספרא לגביה & acceſſit ad eum Scriba quidam *Samarita*, à quo cum aliquid poſtularet quod biberet, appoſitumque eſſet, אטרח עלוי ille de eo hæſitavit, &c. Aliaque non multo poſt. לא אישתכח חמרא בכל סמרטיקי. *Non inventum eſt vinum in tota Samaria veſperâ quadam Sabbati: aſt exitu Sabbati aderat affluenter; nam Syri attulerant, Samaritanique ab iis receperunt, &c.*

Shekalim, cap. 1. hal. 5. Non receperunt à *Cuthæis* Hemi-Siclum, nec columbas puerperarum, &c. *Hieroſol.* ibid. fol. 46. 2. *Rabbi dixit, Samaritanus eſt ſicut Ethnicus. R. Simeon ben Gamaliel dicit, Cuthæus eſt ſicut Iſraëlita ad omnia. R. Lazar, Traditio eſt de Ethnicis,*

Digitized by Google

Ethnicis, *non de Cutheis*, *&c. At Traditio contradicit R. Lazaro*, *&c.*

Aſt obſervationem meretur illud, *Hieroſol. Peſachim*, fol. 27. 2. כותים כל זמן שעושין מצותן עם ישראל נאמנים הם על ביעור חמץ *Cuthæi*, *cùm Azyma ſua faciunt cum Iſraëlitis*, *credendi ſunt de exterminatione fermenti: at*, *cum Azyma ſua non faciunt cum Iſraëlitis*, *non ſunt credendi de exterminatione fermenti. R. Joſah dicit*, *Hoc intelligendum eſt de iis quoad domos ſuas; at quoad atria ſua de iis poteſt eſſe ſuſpicio: nam illi ſic interpretantur*, Non invenietur fermentum in domibus veſtris; *non*, In atriis veſtris. *Traditio. Rabban Simeon ben Gamaliel dicit*, *in quocunque præcepto Cuthæi verſantur*, *accuratiores in eo ſunt quam Iſraëlitæ. Hoc intelligendum eſt*, *inquit R. Simeon*, בראשונה שהיו משוקעין בכופרניהון *De tempore præterito*, *cùm ſcilicet diffuſi eſſent in villis ſuis: at nunc*, *cùm iis non ſit vel præceptum*, *vel reliquiæ præcepti*, *ſuſpecti ſunt*, *& corrupti ſunt.* Vox משוקעין in mentem revocat illud τοῦ *R. Abbu*, *Hieroſol. Kiddushin*, fol. 65. 3. qui dixit, יג' עיירות נשתקעו בכותים *Tredecim civitates merſæ ſunt inter Cuthæos*, id eſt, inter eos mixtæ & confuſæ. Difficilius eſt, quid ſibi velit הוו משוקעין בכופרניהון, an de *Cuthæis* intra proprias villas reſidentibus an de *Judæis* cum iis, an de iis cum *Judæis*. Quicquid id eſt, claret certè & hinc & aliunde, *Samaritas* aliquando in cohabitationem cum *Judæis* coaluiſſe, hinc indè inter eos ſparſos, & *Judæos* hinc indè inter *Samaritas*. Notatu certè dignum eſt illud, quod refert *Joſephus*, *de bello*, lib. 1. cap. 6. de *Herode*, *Sebaſten*, olim *Samariam*, reædificante: Ἐν μὲν γε Σαμαρείτιδι, inquit, πόλιν καλλίστῳ περιβόλῳ τειχισάμενος ἐπὶ σταδίους εἴκοσι, καὶ καταγαγὼν ἑξακισχιλίους εἰς αὐτὴν οἰκήτορας [num omnes putas hos fuiſſe *Samaritas?*] γῆν τε τούτοις προσνείμας λιπαρωτάτην, καὶ ἐν μέσῳ τῷ κλίσματι ναόν τε ἐνιδρυσάμενος τῷ Καίσαρι μέγιστον, καὶ περὶ αὐτὸν τέμενος ἀποδείξας τελῶν ἡμισταδίων, τὸ ἄστυ Σεβαστὴν ἐκάλεσεν.

Non habent Samaritani, inquit *R. Benjamin*, in *Itinerario*, mihi pag. 66. *literas* ה vel ע vel ח: ה *eſt in nomine Abrahami* ואין להם הוד *Et non eſt iis honor.* ח *eſt in nomine Iſaaci*, ואין להם חסד *Et non eſt iis miſericordia.* ע *eſt in nomine Jacobi*, ואין להם ענוה *Et non eſt iis manſuetudo. At pro his literis utuntur* א; *atque hinc dignoſcitur eos non eſſe è ſemine Iſraelis.* Confer hæc cum Interprete Pentateuchi *Samaritico*, & judica.

CAP. LVII.

CÆSAREA.

Πύργος Στράτωνος.

PRimævum hujus urbis nomen Interpres *Arabs* opinatur fuiſſe *Hazor*, *Joſuæ*, 11: 1. *Judæi Ekron*, *Zephan.* 2: 4.

Babylon. Megill. fol. 6. 1. *Dicit R. Abbu*, (fuit is *Cæſarienſis*) עקרון תעקר *Ekron eradicabitur*, *hæc eſt Cæſarea*, *filia Edom*, *quæ ſita eſt inter profana. Ipſa autem erat ſtimulus infixus Iſraëli in diebus Græcorum; at*, *cùm prævaleret regnum familiæ Aſmonææ*, *eam devicit*, *&c. Dicit R. Joſi bar Chaninah*, *Quidnam illud eſt*, *quod ſcribitur*, Et Ekron erit ſicut Jebuſæus, *Zach.* 9: 7 *Hæc ſunt theatra & tribunalia*, *quæ ſunt in Edom*, *in quibus primates Judæ olim erunt publicè docturi legem. R. Iſaac dixit*, *Leshem eſt Panias*, *atque Ekron eſt Cæſarea*, *filia Edom.*

Seriò vix agunt *Judæi*, cum *Cæſaream* eandem eſſe dicunt cum *Ekrone*; ſed partim luſitant in conſonantia vocum, עקרון & תעקר, partim ei convitiari ſibi proponunt, dum iſtam urbem, *Ethnicam* admodum, comparant cum *Ekrone Beel-zebubis.*

Cum hanc urbem è manu *Græcorum* abripuiſſent *Aſmonæi*, immutatum ei eſt nomen in אחידת מגדל שור, ut *Gemariſtæ* loco allegato; vel, ut Autor *Juchaſin*, fol. 74. 1. אחידת כגדל צור: vel, ut *Hieroſolymitani*, *Scheviith*, fol. 36. 3. nî fallit conjectura מגדל שיר. Num ex his vocibus elicere poſſis nomen Πύργου Στράτωνος, tuum eſto ſtudere, ea certè loci hujus denominatio fuit antequam vocaretur ea *Cæſarea.*

Diſtabat *Hieroſolymis* ſtadiis 600, aut circiter [LXXV. M. paſſ.] referente *Joſepho*, *Antiq.* lib. 13. cap. 19. *de bello*, lib. 1. cap. 13. in hiſtoria iſta de *Juda Eſſeno* vaticinante. Qui, cum videret *Antigonum*, *Ariſtobuli* fratrem, prætereuntem in Templo, accerſitum jam à fratre (reverâ ut inſidiis perimeretur) *Papæ!* inquit, *Nunc bonum eſt*, *ut ego moriar*, *quia à me prædictum it in mendacium. Vivit enim Antigonus*, *quem hodie oportet mori. Locus autem morti ejus aſſignatus eſt* Πύργος Στράτωνος, *Turris Stratonis:* καὶ οὗτος μὲν ἀφ' ἑξακοσίων σταδίων ἐντεῦθέν ἐστιν. *Quæ ſexcentis ab hinc diſtat ſtadiis: horæ autem diei ſunt adhuc quatuor. Ipſiſſimum autem tempus vaticinium irritum facit.* His dictis, perplexus cogitationibus hæſit ſenex: aſt illico nuntiatum eſt occiſum eſſe *Antigonum*, in loco quodam ſub-

terraneo, ἐν σκολιενῇ τινι παρόδῳ, quæ etiam vocabatur Στράτωνος πύργος.

Urbem in honorem nomenque *Cæſaris* condidit *Herodes*, portumque aptavit nobiliſſimum, ſumptibus immenſis. Idem, ibid. cap. 16. Πόλιν πᾶσαν ἀνέκτισε λίθῳ λευκῷ, καὶ λαμπροτάτοις ἐκόσμησε βασιλείοις. ἐν ᾗ μάλιστα τὸ φύσει μεγαλόνουν ἐπεδείξατο. Μεταξὺ γὰρ Δώρων καὶ Ἰόππης, ὧν ἡ πόλις μέση κεῖται, πᾶσαν μὲν συμβέβηκε τὴν παραλίαν ἀλίμενον, &c. Μείζονα μὲν τοῦ Πειραιέως λιμένα κατεσκεύασεν, &c. Καὶ ἐπὶ τοῦ στόματος κολοσσοὶ τρεῖς, &c. Προσεχεῖς δὲ οἰκίαι τῷ λιμένι λευκοῦ καὶ αὗται λίθου, &c. Καὶ τοῦ στόματος ἄντικρυς ναὸς Καίσαρος ἐπὶ γηλόφου κάλλει καὶ μεγέθει διάφορος· ἐν δὲ αὐτῷ κολοσσὸς Καίσαρος, &c. Τά γε μὲν λοιπὰ τῶν ἔργων, ἀμφιθέατρον, καὶ θέατρον, καὶ ἀγορὰν, ἄξια τῆς προσηγορίας ἐνιδρύσατο, &c. Vide plura apud *Joſephum*.

Habitata fuit *Cæſarea* mixtim à *Judæis*, *Ethnicis*, & *Samaritanis*: hinc loca quædam in ea *Judæis* profana & immunda.

Hieroſol. Nazir, fol. 56. 1. *R. Nichomi bar R. Chaija bar Abba dixit, Pater meus non tranſiit ſubtus arcum Cæſareæ: at R. Immi tranſiit. R. Ezekiah, R. Cohen, & R. Jacob bar Acha, ambularunt in palatio Cæſareæ: cum ad arcum pervenirent, ſeceſſit ab iis R. Cohen: cum autem pervenirent ad locum mundum, ad eos ſe iterum recepit.* Recitatur hæc hiſtoria *Beracoth*, fol. 6. 1. atque ibi dicitur, eos ambulâſſe in palatio *Zipporenſi*.

Idem, *Gittin*, fol. 43. 2. *Attulit quidam libellum repudii à portu Cæſareæ. De quo cum foret judicium coram R. Abbu, is dixit, Non opus eſt, ut dicas, Me præſente ſcriptus eſt, & me præſente conſignatus.* ואין למינה של קיסרין כקיסרין *Nam portus Cæſareæ non eſt ut Cæſarea.*

De variis inter *Græcos Cæſarienſes* & *Judæos* concertationibus & tumultibus, in quibus ſemper peſſum-dati *Judæi*, plurima *Joſephus*, *de bello*, lib. 2. cap. 23. Ταραχὴ, inquit ille, ἑτέρα συνίσταται περὶ Καισάρειαν, τῶν ἀναμεμιγμένων Ἰουδαίων πρὸς τοὺς ἐν αὐτῇ Σύρους στασιασάντων. Lis erat de prioritate & principatu, eaque tranſacta coram *Nerone*, ibid. cap. 25. καὶ οἱ Καισαρέων Ἕλληνες νικήσαντες, &c. Ubi obſervabit Lector, *Syros* & *Hellenas* converti.

In hac urbe erant prima ſemina funeſti belli, ob ædificata prope *Judæorum* Synagogam ergaſtula à quodam *Græco Cæſarienſi*, ibid. Cæſa illic poſtcà uno Sabbato viginti hominum millia, ibid. cap. 32. Plures illic ſeditiones & funera ante gentis excidium legas apud autorem citatum.

Longè poſt ejus excidium floruerunt hic *Judæorum* Scholæ & doctores, ita ut רבני דקיסרין *Rabbini Cæſarienſes* ubique celebrentur in paginis *Talmudicis*.

I. *R. Hoshaia Rabba*, vel *magnus*. *Hieroſol. Trumoth*, fol. 47. 1. *R. Jochanan dixit, Profecti ſumus ad R. Hoshaiam Rabbam Cæſareæ, ut diſceremus Legem.*

II. *R. Abbu*, *Juchaſin*, fol. 74. 1. *Inſtituit R. Abbu varios clangores Cæſareæ.*

R. Abbu à Cæſarea ad *Tiberiadis* filium ſuum miſit ad Academiam, &c. *Idem*, ibid.

Hieroſol. Avodah Zarah, fol. 44. 4. *Cuthæi Cæſarienſes interrogarunt R. Abbu, dicentes, Patres veſtri rebus noſtris contenti fuerunt, quare etiam non vos? Reſpondit ille, Patres veſtri opera ſua non corruperunt; at vos corrupiſtis.*

III. *R. Achavah*, & *R. Zeira*, Idem, *Challah*, fol. 57. 1. *R. Mena dixit, Profectus ſum Cæſaream, & audivi R. Achavam & R. Zeiram.*

IV. *R. Zerikan.* Idem, *Peſachin*, fol. 28. 1. *R. Mena dixit, Cæſareæ audivi R. Zerikan.*

V. ר' פריגורי דקיסרין *R. Prigori Cæſarienſis*, Idem, *Trumoth*, fol. 47. 4.

VI. *R. Ulla Cæſarienſis*, Idem, *Peſachin*, fol. 30. 1. Et,

VII. *R. Ada Cæſarienſis*, & *R. Tachalipha*, *&c.* Idem, *Roſh Haſhanah*, fol. 59. 3.

Idem, *Nazir*, fol. 56. 1. Memoratur כנישתא מרדתא דקיסרין *Synagoga Mardatha Cæſareæ*, vel *Maradta*: de ratione nominis non quærimus; nam in *Hieroſol. Beracoth*, fol. 6. 1. ſcribitur כנישתא מדרתה *Synagoga Madadta.* Utrobique cum hac adjuncta hiſtoria. *R. Abbu ſedit docens in Synagoga Maradta Cæſareæ. Venit Tempus elevandi manus, & de ea re illum non interrogârunt. Venit tempus comedendi, atque de eo rogârunt. Quibus ille, De tempore comedendi interrogatis; at non de elevando manus. Quo audito unuſquiſque ſe ſubduxit, & fugit.*

CAP. LVIII.

Antipatris. כפר שלם.

DUplici olim nomine hoc oppidum inſignitum reperimus, ſi nonnullis credimus. I. Καφαρσαλαμᾶ vocatur à quibuſdam, cujus meminêre *Joſephus*, *Antiq.* lib. 12. cap. 17. & liber *Maccabæorum*, *Cap.* 7. *v.* 31. II. Χαφαρζαβᾶ ab ipſo *Joſepho*, *Antiquit. lib.* 13. *cap.* 23. Δείσας δὲ Ἀλέξανδρος τὴν ἔφοδον αὐτοῦ [Ἀντιόχου Διονύσου] τάφρον ὀρύττει βαθεῖαν ἀπὸ τῆς Χαφαρζαβᾶ καταρξάμενος, ἣ νῦν Ἀντιπατρὶς καλεῖται, ἄχρι τῆς εἰς Ἰόππην θαλάσσης ἐπὶ σταδίους ρν'. [Nota obiter; *A Joppa* ad *Antipatrida* CL. ſtad. id eſt, XVIII. M. paſſuum.]

De

Digitized by Google

De nomine non litigabimus; de ſitu ejus, in Tabulis ferè omnibus, hæſitamus. Nos ſcrupuli noſtri rationem ex inſequentibus reddemus, hiſtoriam loci aliquam interea reddentes.

I. Condidit eam *Herodes* in memoriam patris ſui *Antipatri*. Καὶ γὰρ τῷ πατρὶ μνημεῖον κατέστησεν, inquit *Joſephus*, *de bello*, lib. 1. cap. 16. καὶ πόλιν, ἣν ἐν τῷ καλλίστῳ τῆς βασιλείας πεδίῳ κτίσας ποταμοῖς τε καὶ δένδρεσι πλουσίαν, ὠνόμασεν Ἀντιπατρίδα.

II. Huc vectus eſt *Paulus*, cùm duceretur ad *Cæſaream*, *Actor.* 23: 31. ubi, ſi verba iſta ἤγαγον διὰ τῆς νυκτὸς εἰς τὴν Ἀντιπατρίδα, non inuſitatâ interpretatione reddas, *Duxerunt eum verſus Antipatrida*, neceſſe eſt, ut urbem iſtam longè *Hieroſolymis* propiorem ſtatuas, quàm faciunt omnes ferè Tabulæ.

III. Semel iterumque occurrit apud *Gemariſtas* hæc commenſuratio, מגבת ועד אנטיפטרס *A Gebath ad Antipatrida*. *Hieroſol. Taanith*, fol. 69. 2. & *Megill.* fol. 70. 1. *A Gebath ad Antipatrida*, inquiunt, *erant* 60. *myriades urbium*, *quarum minima erat Beth-ſhemeſh*. Veritatem rei non aſſerimus; Phraſiologiam reſpicimus.

Et rurſus, *Babylon. Sanhedrin*, fol. 94. 2. *Ezekiah Rex*, inquiunt, *gladium affixit oſtio Beth-Midraſch*, *& dixit*, *Quicunque Legi non ſtudet*, *transfodietur iſto gladio. Inquiſiverunt à Dan uſque ad Beersbebam*, *& non invenerunt* עם הארץ *quemvis non eruditum*: מגבת ועד אנטיפטרס *A Gebath ad Antipatrida*, *& non invenerunt puerum aut puellam*, *virum aut fœminam*, *qui non callerent Traditiones de munditia atque immunditia*. Gloſſ. *Gebath & Antipatris fuerunt loca in extremis limitibus*. Scenam fabulæ cogita, atque quomodo tale encomion *Antipatrida* pertingere potuit in medio ferè *Samariæ*, prout ea ſita in Tabulis. Et quidnam juris *Ezekiæ* inquirendi inter *Samaritas?*

Dicunt etiam *Talmudici*, Occurſum *Alexandri Magni* atque *Simeonis Juſti* fuiſſe *Antipatride*. *Babylon. Joma*, fol. 69. 1. *Orârunt Cuthæi*, inquiunt, *Alexandrum Magnum*, *ut deſtrueret Templum* [*Hieroſolymitanum*]. *Venerunt quidam*, *atque rem patefecerunt Simeoni Juſto. Quid ergò ille? Induit veſtes Pontificias*, *& velavit ſe velamine Pontificio*, *& proceſſerunt ipſe*, *primateſque Iſraëlis*, *manibus tenentes faces. Proceſſerunt illi hinc*, *atque iſti illinc per totam noctem*, *uſque dum prodiret aurora. Cùm luceret aurora*, *dixit* [*Alexander*] *ſuis*, *Quinam iſti? Judæi*, *inquiunt*, *qui in te rebellârunt. Cùm perventum eſſet* לאנטיפטרס *ad Antipatrida*, *ortus eſt Sol*, *& ab his occurſum eſt*: *cùm videret Alexander Simeonem Juſtum*, *deſcendens è curru adoravit eum*, &c.

Putatiſne Pontificem, veſtibus Sacerdotalibus amictum, *Judæos*que per totam ferè *Samaritida* tam ſolenni proceſſione perrexiſſe? *Joſephus*, *Antiq.* lib. 11. cap. 8. hanc hiſtoriam referens, mutato tantùm nomine *Jadduæ*, occurſum hunc fuiſſe ait Εἰς τόπον τινὰ Σοφὰ λεγόμενον. Τὸ δὲ ὄνομα τοῦτο μεταφερόμενον εἰς τὴν Ἑλληνικὴν γλῶσσαν σκοπὸν σημαίνει. Τά τε γὰρ Ἱεροσόλυμα καὶ τὸν ναὸν ἐκεῖθεν συνέβαινεν ἀφορᾶσθαι. De quo loco ille noſque alibi ſub nomine Σκοποῦ, & צופים.

CAP. LIX.

GALILÆA. גליל

Scheviith, cap. 9. hal. 2. *Eſt Galilæa ſuperior*, *& Galilæa inferior*, *& Convallis. A Caphar Hananiah*, *& ſuprà*, *quæcunque non producit Sycaminos*, *eſt Galilæa ſuperior: aſt à Caphar Hananiah*, *& infrà*, *quæcunque producit Sycaminos*, *eſt Galilæa inferior. Eſt etiam ora Tiberiadis & convallis.*

Joſephus, *de bello*, lib. 3. cap. 4. Δύο δὲ οὔσας τὰς Γαλιλαίας, τήν τε ἄνω καὶ τὴν κάτω προσαγορευομένην, περιέχει μὲν ἡ Φοινίκη καὶ Συρία. Διορίζει δὲ ἀπὸ μὲν δύσεως ἡλίου Πτολεμαΐς τοῖς τῆς χώρας πέρμασιν, καὶ Κάρμηλος.

Quod de Sycaminis anteà dicitur, in mentem revocat *Sycaminon* oppidum, de quo *Plinius*, *Natur. Hiſt.* lib. 5. cap. 19. *Redeundum eſt*, inquit, *ad oram atque Phœnicen. Fuit oppidum Crocodilon: eſt flumen. Memoria urbium*, *Dorum*, *Sycaminum*, *Promontorium Carmelum*, &c.

Et *Joſephus*, *Antiq.* lib. 13. cap. 20. Ἔπλευσε, καὶ κατασχθεὶς εἰς τὴν λεγομένην Συκάμινον, ἐνταῦθα τὴν δύναμιν ἐξεβίβασεν.

Apud *Talmudicos* שקמונה, nomen loci, videtur iſtud oppidum deſignare. *Demai*, cap. 1. hal. 1. כל הרימין פטורין חוץ מרימי שקמונה. Ubi Gloſſa, שקמונה *eſt nomen loci.*

Cùm inter *Judæam* & *Galilæam* interjaceret tota *Samaritis*, nil mirum, ſi inter regionum iſtarum incolas fuerit aliqua diſcrepantia, & morum, & Dialecti: de qua vide Capita 86. & 87.

Joſephus in *vita ſua*, apud me, pag. 642. Διακόσιαι καὶ τέσσαρες κατὰ τὴν Γαλιλαίαν εἰσὶ πόλεις καὶ κῶμαι. Quod de nobilioribus, munitiſque, intelligendum.

In inferiori erant, inter alias, iſtæ à *Joſepho* munitæ, *Jotapata*, *Beerſabee*, *Salamis*, *Pareccho*, *Japha*, *Sigo*, *Itaburion mons*, *Tarichææ*,

richææ, *Tiberias*, Idem, *de bello*, lib. 2. cap. 42.

In ſuperiori *Acharabon petra*, *Seph*, *Jamnith*, *Mero*. Plura occurrent pergentibus.

CAP. LX.

Scythopolis. בית-שאן *initium Galilææ.*

Limes *Galilææ*, Ἀπὸ μεσημβρίας erat Σαμαρεὶς τε καὶ Σκυθόπολις, μέχρι τῶν Ἰορδάνου ῥεῖθρων, *Joſephus*, *de bello*, lib. 3. cap. 4.

Scythopolis eadem eſt cum *Beth-shean*, de qua mentio apud Sacras Paginas non infrequens, *Joſ.* 17. *v.* 11. *Judic.* 1. *v.* 27. 1 *Sam.* 31: 10.

Βεθσάνη, inquit *Joſephus*, *Antiq.* lib. 12. cap. 12. καλουμένη πρὸς Ἑλλήνων Σκυθόπολις. Vide & lib. 13. cap. 10. Diſtabat parùm à *Jordane*, ſita in introitu convallis magnæ: nam ſic Idem, Διαβάντες δὲ τὸν Ἰορδάνην ἧκον εἰς τὸ μέγα πεδίον, οὗ κεῖται κατὰ πρόσωπον πόλις Βεθσάνη, &c.

Vocabatur antea Nyſa [autore *Plinio*, *Natur. Hiſt.* lib. 5. cap. 18.] *à Libero Patre*, *ſepulta nutrice ibi.*

Fuit è terra *Iſraëlitica* in ſubjugatione ejus prima, at vix in ſecunda; ut non ineptè *R. Solomon*, in *Demai*, cap. 1. Hinc in *Græcam* tranſiit denominationem, atque habitata fuit à *Gentilibus*. Inter quos tamen habitârunt *Judæi* non pauci, qui & Scholas ſuas aliquando illic habuerunt & Doctores. *Hieroſol. Megill.* fol. 73. 4. ביתשאני שאלון לר' אימי *Beth-sheanenſes interrogârunt R. Immi*, *Quid ſi lapides ab una Synagoga quis decerpat*, *& iisdem aliam Synagogam ædificet? Reſpondit ille*, *Non licet.* Et memoratur in *Avodah Zarah*, cap. 4. hal. 2. מעשה בבית-שאן *Actum quid in Beth-shean à doctoribus circa vinum Ethnicorum.*

Babylon. Erubin, fol. 19. 1. *Dicit Resh Lachish*, *Si Paradiſus ſit in terra Iſraëlitica*, בית-שאן פיתחה, *Beth-shean eſt oſtium ejus*: *ſi in Arabia*, *Beth-Geram eſt oſtium ejus*: *ſi inter fluvios*, *Damaſcus.* Gloſſ. *Fructus Beth-sheanenſes fuerunt ſuaviſſimi omnium in terra Iſraëlitica. Hieroſol. Kiddushin*, fol. 62. 3. כלי פשתן הדקים הבאים מבית שאן *Veſtimenta linea tenuia confecta ſunt in Beth-shean.*

CAP. LXI.

Caphar Hananiæ. כפר חנניה:

Medium Galilææ.

Vocari etiam videtur *Caphar Hanan*: hinc ר' יעקב דכפר חנן *R. Jacob è Caphar Hanan. Hieroſol. Avodah Zarah*, fol. 43. 2.

De hoc loco mentio ſemel iterùmque. *Babylon. Beracoth*, fol. 55. 1. *Si ſunt cuiquam quinque oves in Caphar Hananiah*, *& quinque aliæ in Caphar Uthni* [בכפר עותני] *non conjunguntur* [id eſt, non connumerantur, ut decimentur] *donec ſit ei una in Zippore.* Gloſſ. *A Caphar Uthni ad Caphar Hananiam ſunt triginta duo milliaria*, *& Zipporis eſt in medio.*

Babylon. Erubin, fol 51. 1. *Homines familiæ Mamal*, *atque homines familiæ Gorionis*, *ficus atque uvas aridas pauperibus diſtribuerunt annis famis*, *in Aruma. Veneruntque pauperes Caphar Shichin*, *& pauperes Caphar Hananiah*: ומחשיכן על התחום *ac, cùm jam tenebreſceret*, *intra limites* [Sabbaticos] *ſe contulerunt*, *& diluculo proceſſerunt.* Gloſſ. *Arumah eſt nomen loci. Pauperes Caphar Shichin vicini erant Arumæis*, *diſtantes tantùm* 4000 [*cubitis*]. Quæ diſtantia cùm excederet iter Sabbaticum, pauperes ante ingreſſum Sabbati, intra limites *Arumæ* ſe contulerunt; ut manè inſequente, abſque violatione Sabbati, ad domos diſtribuentium ſe conferrent. Occurret *Talmudicos* evolventi frequentiſſima hujus oppidi mentio.

Obſervas antè apud *Plinium*, *Sycaminum* ſitum inter *Dorum* & *Carmelum*, atque apud *Talmudicos* fertilitatem *Sycaminorum* inchoantem à *Caphar Hananiah.*

CAP. LXII.

Diſpoſitio Tribuum in Galilæa.

Regio *Samaritica* duas tantùm Tribus continuit, eaſque fraternas, *Ephraimum* & *Manaſſen*: *Galilæa* autem quatuor, *Iſsacharem*, *Zabulonem*, *Nephthalim* & *Asherem*, ac partem etiam *Danitarum*.

De ordine, quo ſitæ fuerunt hæ Tribus, convenit quidem inter Tabulas; at de proprio ſitûs loco, heu, quanta diſcrepantia! Auſtralem *Galilææ* regionem excepit *Iſsacharitis*: eam nonnullæ collocant ab Auſtro *Maris Geneſaritici*, non malè; at malè, dum eam ad ipſum iſtud protendunt; aliæque peſſimè

Digitized by Google

peſſimè, dum ab Occidente iſtius maris eam ſtatuunt. De ea ſic *Joſephus*, *Antiq.* lib. 5. cap. 1. Καὶ μετὰ τούτους [*Manaſſitas*] Ἰσάχαρεις Κάρμηλόν τε ὄρος καὶ τὸν ποταμὸν τοῦ μήκους ποιησαμένη τέρμονας, τὸ δὲ Ἰταβύριον ὄρος τοῦ πλάτους.

Iſacharitidi, à Septentrione, contigua erat *Zabulonitis*; eam Tabulæ quædam juxta *Mare Geneſariticum* expandunt, quædam longè ſupra Mare iſtud diſponunt verſus Aquilonem; priores non bene, poſteriores peſſimè. De ea ſic idem *Joſephus*, ibid. Ζαβουλωνῖται τὴν μέχρι Γεννησαρίτιδος, καθήκουσαν δὲ περὶ Κάρμηλον καὶ θάλασσαν, ἔλαχον. Obſervatâ iſtâ clauſulâ μέχρι Γεννησαρίτιδος, nos [à *Talmudicis* etiam perſuaſi, & ratione ducti] à Meridionali littore & orâ *Maris Geneſaritici Zabulonitin* ſupponimus, totùmque illud mare intra *Nephthalitida* comprehenſum, quibus argumentis ducti, demonſtramus poſteà, cùm agimus de iſto mari. Quam aſſertionem expoſitam obviamque novimus huic objectioni.

Object. Joſephus, loco modò allegato, dicit, *Nephthaliticis* in portionem ceſſiſſe Τῆς Γαλιλαίας τὰ καθύπερθεν, ἕως τοῦ Λιβάνου ὄρους, καὶ τῶν τοῦ Ἰορδάνου πηγῶν. Jam verò, ſi portionem *Nephthaliticam* diſtendas à fontibus *Jordanis* ad ultimam oram Auſtralem *Maris Geneſaræ*, [quod facit ſententia noſtra] heu, quantum hæc excedit proportionem reliquarum Tribuum! Nam à *Scythopoli*, ultimo *Galilææ* limite Meridionali, ad oram *Maris Geneſaræ* Meridionalem non erant ultra XV. milliaria; intra quod ſpatium compacta eſt tota latitudo duarum Tribuum *Iſacharis* & *Zabulonis*. Ab ora autem *Geneſaræ* Meridionali ad fontes *Jordanis* erant circiter XL. milliaria, quæ *Nephthalitidi* ſoli aſſignare, proportionem exuit & congruitatem.

Reſp. Non levis certè foret hæc objectio, ſi *Nephthalitis* æquè ſe verſus Orientem extenderet, ac ſe extendunt *Iſacharitis* & *Zabulonitis*. Nam hæ ad *Mare Mediterraneum* uſque procurrunt; aſt ea interjacentes inter ſe & mare habet *Aſheritida*, & ditiones *Tyri* & *Sidonis*: ità ut, cùm latitudo earum menſuretur à Meridie ad Septentrionem, latitudo hujus menſuretur ab Oriente in Occidentem. Non adeò igitur inter has laboratur inæqualitate, cùm parem latitudinis anguſtiam cum illis hæc patiatur, & pari cum hac fruantur illæ longitudine.

Aſheritida concluſerunt hinc *Nephthalitis*, illinc confinia *Tyri* & *Sidonis*; atque ea pari modo, ac portio *Nephthalitica*, longitudine ſe extendit ab Auſtro in Aquilonem; majoremque (quod ſententiæ noſtræ aliquantum ſuffragetur, objectionique anteà recitatæ reſpondeat) *Joſephus* longitudinem ei attribuit, quam nos *Nephthalitidi*, aut ſaltem æqualem. Nam *Joſephus*, ubi antè, Τὴν δὲ ἀπὸ τοῦ Καρμήλου, inquit, κοιλάδα προσαγορευομένην, διὰ τὸ καὶ τοιαύτην εἶναι, Ἀσηρῖται φέρονται πᾶσαν τὴν ἐπὶ Σιδῶνος τετραμμένην.

CAP. LXIII.

Ora Galilææ Occidentalis. Carmelus.

Iſacharitæ habuerunt Τέρμονας τοῦ μήκους Κάρμηλον καὶ ποταμόν· *Zabulonitæ* Κάρμηλον καὶ θάλασσαν, *Joſephus*, ubi ante.

Fuit *Carmelus* non tam mons unus, quam montanum latitudinem ferè totam *Iſacharitidis* excipiens, magnamque partem *Zabulonitidis*. Erat, ut videtur, inter multa montium capita, quæ eodem nomine ſunt inſignita, nobile quoddam culmen, præ aliis eminens & elatum, *Promontorium Carmelum*, Plinio, *Natur. Hiſtor.* lib. 5. cap. 19. *& in monte oppidum eodem nomine, quondam Ecbatana dictum:* [עקבתן] ubi, ut veriſimile, *Oraculum Carmeli Dei* conſultum aliquando à *Veſpaſiano*, *Tacit. Hiſt.* lib. 2. 19.

Pedem montis alluit mare. *Hieroſol. Beracoth*, fol. 2. 1. *R. Samuel bar Chaiah bar Judah dixit nomine R. Chaninæ, Inſidens quis monti Carmelo, cùm jam orbis Solis occidentis demergi incipit, ſi deſcendat & lavet ſe in Mari Magno, & aſcendat & comedat Trumam ſuam*, טבל ביום חוקה *præſumendum eſt, quod interdiu lavit.*

Κάρμηλον καὶ ποταμόν. Quiſnam iſte fluvius? *Kishon*, inquiunt Tabulæ; nam eum depingunt quædam non longè à *Carmelo*; ſeipſum in mare effundentem: idque non ſine ratione, petitâ à 1 *Reg.* 18: 40. At neceſſe eſt, ut *Kishonem* ſupponas ab Auſtro *Carmelum* præterlabi, non, ut quidam, ab Aquilone.

A radicibus Carmeli profluit Palus Cendevia, & ex ea rivus Pagida, ſive Belus, vitri fertiles arenas parvo littori miſcens. Sic *Plinius*, ubi ſupra. Qui & hæc porrò, *Juxtà, Colonia Claudii Cæſaris, Ptolemais quondam Ace, oppidum Ecdippa, Promontorium album, Tyrus quondam inſula, &c. Indè Ide* [aliàs, *Enhydra*] *ac Sarepta, & Ornithon oppida, & Sidon artifex vitri, &c.*

Hæc loca non tam limites *Galilææ* dixeris, quam *Phœniciæ*; nam in ipſa *Ptolemaide*, vel *Acone*, erat ſeparatio & partitio terræ *Iſraëliticæ* à *Phœnicia*. Hinc *Joſephus*, *de bello*, lib. 3. cap. 4. Δύο δ' οὔσας τὰς Γαλιλαίας, τήν τε ἄνω καὶ τὴν κάτω προσαγορευομένην, περιίσχει μὲν ἡ Φοινίκη καὶ Συρία. διορίζει δὲ ἀπὸ μὲν δύσεως ἡλίου Πτολεμαΐς τοῖς τῆς χώρας πέρασι, καὶ Κάρμηλος. Quid? Num-

nam totam *Galilææ* longitudinem ab Occidente concludunt *Ptolemais* & *Carmelus?* Dixerat ipſe alibi, quod & nos alibi adduximus, *Nephthalitida* uſque ad *Libanum* montem [à Septentrione] exporrigi; eheu, quam longè poſt *Ptolemaida!* ac *Aſteritida* eouſque etiam extendi: aſt erat *Ptolemais Finis Palæſtines* (ut *Plinii* verbis utar) maritimus; nam hinc porrò erant ditiones *Tyri* & *Sidonis*, & jam *Galilæa* non terminabatur mari, ſed iſtis ditionibus.

Vidimus in Schemate iſto à nobis adducto, Capite hujus opellæ ſecundo, quo ἐν ἐπιτομῇ deſcribitur Peripheria terræ ſub Templo ſecundo: ut שורא דעכו *Mœnia Aconis* pro limite illic ſtatuantur: idque hoc ſenſu, de quo diximus, quod & poſteà patebit amplius. Nomina ergo iſta, quæ in dicto Schemate ſequuntur, ſcilicet, I. קציריא דגליליא II. ככרתה. III. בית זניתה. IV. קובעיא, aliaque nonnulla, loca denotare videntur, quæ erant collimitia inter *Galilæam* & fines *Tyri* & *Sidonis*.

CAP. LXIV.

Acon. עכו. *Ptolemais.*

JOſephus, *de bello*, lib. 2. cap. 17. Πτολεμαὶς (quæ & *Acon*) πόλις ἐστὶ τῆς Γαλιλαίας παράλιος, &c. *Ptolemais eſt civitas Galilææ maritima, in campo magno ſita; circumdatur autem montibus: ab Oriente, à LX. ſtadiis, montano Galilææ; à Meridie Carmelo diſtante CXX. ſtadia: altiſſimo autem monte à Septentrione, qui vocatur Climax* (vel *Scala*) *Tyriorum, diſtatque ſtadiis centum. Ab ea autem urbe diſtans duobus ſtadiis, præterlabitur fluvius Beleus, exiguus prorſus, quem prope eſt Memnonis ſepulchrum; habens juxta ſe centum cubitorum ſpatium, ſed admiratione digniſſimum. Eſt enim ſpecie vallis rotundæ, vitream emittens arenam, quam cùm exhauſerint multæ naves pariter accedentes, locus item rurſus impletur.*

Miſchna Hieroſol. in Gittin, cap. 1. מעכו ולצפון ועכו כצפון. *Ab Acone porrò ad Septentrionem,* (eſt terra *Ethnica*) *atque ipſa Acon pro Septentrione* (id eſt, pro terra *Ethnica*) *reputatur.*

Hieroſol. Gittin, fol. 43. 3. *In Acone eſt terra Iſraëlitica, & non.* Ideoque in eodem *Hieroſol. Scheviith*, fol. 35. 3. *R. Joſi ben Hananiah exoſculatus eſt fornicem Aconis, & dixit, Hucuſque eſt terra Iſraëlitica.*

Idem, *Challah*, fol. 60. 2. *R. Simeon ben Gamaliel dixit, vidi Simeonem Ben Cahna bibentem vinum in Acone, &c. At nummam intra limites terræ, necne?* Vide de hac re Autorem *Juchaſin* fusè diſputantem, fol. 71. 1.

Avodah Zarah, cap. 3. hal. 4. Erat balneum *Veneris Acone*: [מר חץ אל אפרודטי] ubi lavans *R. Gamaliel* interrogatur ab *Ethnico* quodam (cui nomen in *Miſchna Hieroſolymitana* eſt פרקלוס בן פלוסלוס, in *Babylonica* פרו לוס בן פלוספוס *Proculus filius Philoſophi.*) *Quid tibi cum balneo* Ἀφροδίτης? *Cum in Lege veſtra ſcriptum ſit*, Non adhærebit manui tuæ quicquam ex Anathemate. *Reſpondit ille, non reſpondendum eſt in balneo*, (quia de Lege non eſt loquendum, cum ſtas nudus) *Cum ergo exiiſſet, dixit, Ego non in limites ejus ingreſſus ſum, ſed ea in limites meos.* (Gloſſa, *Balneum erat priuſquam ea.*) *Et non dicimus, Faciamus balneum formoſum Veneri, ſed faciamus Venerem formoſam balneo, &c.*

Refertur hiſtoria acta *Acone* coram *R. Judah*, non indigna memoratu. *Babylon. Sanhedr.* fol. 5. 2. *Rabbi venit ad locum quendam, viditque homines iſtius loci pinſentes paſtam ſuam in immunditia: cum ab iis quæreret, Quare ita facerent; reſponderunt, Venit huc Diſcipulus quidam, & nos docuit* מי בצעים אין מכשירין *Aquæ* בצעים *non ſunt de liquidis* (pollutionem inducentibus) הוא מי בצים דרש להו ואינהו סבור מי בצעים *Ille de aqua* ב ים (id eſt, *ovorum*) *locutus eſt; at illi eum locutum fuiſſe arbitrati ſunt de* מי בצעים *aquis paludoſis.* Hæc ideo libentiùs produximus; ut videat Lector, quòd litera ע apud hos nullius omnino fuerit ſoni, cui ſimilia exempla proferimus alibi. Jam audi Gloſſatorem. *Hoc*, inquit ille, *vidit Rabbi in Acone, in qua eſt terra Iſraëlitica, & terra Ethnica: iſtos autem vidit ſtantes intra limites terræ Iſraëliticæ, & pinſentes paſtam ſuam in immunditia, & miratus eſt, donec dixerunt ei; Venit huc Diſcipulus quidam, &c.*

Frequentiſſimè memoratur à *Talmudicis* כפר עכו *Caphar Acon.*

Idem, *Taanith*, fol. 21. 1. *Civitas, quæ producit* 1500. *pedites, ſicut* כפר עכו *Caphar Acon, ſi efferantur indè novem mortui tribus diebus ſucceſſivis; ecce eſt peſtis: at ſi die uno, aut diebus quatuor, tum non eſt peſtis. Et civitas, quæ producit quingentos pedites, ut* כפר עמיקו *Caphar Amiku, &c.*

Hinc nomina *Rabbinorum* quorundam *Aconenſium*, ut.

R. Tanchum filius R. Chaiæ è Caphar Acone, Ibid. fol. 7. 2.

R. Simeon ben Juda איש כפר עכו, *Juchaſin*, fol. 69. 1.

ר' אבא דמן עכו *R. Abba Aconenſis:* aliique, Idem, fol. 71. 1.

Perpende hanc hiſtoriam, *Hieroſol. Gittin*, fol. 43. 3.

Digitized by Google

fol. 43. 3. *Attulit quidam libellum repudii ad R. Iſmaëlem, qui dixit ei, Unde tu? Reſpondit ille,* מכפר סמיי שבתחום עכו *A Caphar Samai, quæ eſt in confinibus Aconis. Tunc neceſſe eſt, inquit ille, ut dicas, Me præſente ſcriptus eſt, & me præſente ſigillatus. Cum exiret, dixit ei R. Illai, Rabbi, Nonne Caphar Samai eſt è terra Iſraëlitica, propior ad Zipporim, quam Aconem?* Et paulo poſt: *Civitates, quæ ſunt in collimitiis Zipporis, vicinæ Aconi, & quæ in collimitiis Aconis vicinæ Zippori, quid de iis facies? Sicut Acon, ſic Zipporis.*

CAP. LXV.

ECDIPPA.

Achzib. Joſuæ 19:29. *Judic.* 1:31. Κλίμαξ Τυρίων.

Hieroſol. Scheviith, fol. 36. 2. *Itineranti ab Acone ad Achzib à dextra viæ, Orientem verſus, munda eſt à notione terræ Ethnicæ, & tenetur ad decimas, & ad legem de anno ſeptimo, donec innoteſcat tibi eam immunem eſſe: à ſiniſtra viæ, Occidentem verſus, immunda eſt ſub notione terræ Gentilitiæ, & immunis eſt à decimis, & à lege de anno ſeptimo, uſque dum innoteſcat eam teneri, etiam uſque dum perveneris ad Achzib.* Hæc *Gemara:* Textus autem, in quem hæc commentatio, hic eſt; *Scheviith*, cap. 6. hal. 1. *Tres regiones* (*Judæa* ſcilicet, *Galilæa*, & *Peræa*) *tenentur ad legem de anno ſeptimo: quodcunque poſſederunt aſcendentes è Babylone, à terra Iſraëlitica uſque ad* כזיב *Chezib* (*Miſchnah Hieroſolymitana* גזיב *Ghezib* legit) *non depaſcitur nec colitur: at quodcunque poſſederunt aſcendentes ex Ægypto, à Chezib ad fluvium, & ad Amanam, depaſcitur, ſed non colitur: à fluvio, & ab Amanah, interius depaſcitur, & colitur.*

De *Amanah* dicturi ſumus illico. *Fluvius* (inquit *R. Sol.* in locum) *eſt fluvius Ægypti.* Et *Chezib* (inquit *Rambam* in *Demai*, fol. 12. 2.) *eſt nomen loci, qui diviſit inter terram Iſraëliticam, quam poſſederunt aſcendentes è Babylone, atque eam, quam poſſederunt aſcendentes ex Ægypto: ea autem, quam poſſederunt aſcendentes ex Ægypto, quoad Demai, eſt quaſi extra terram.* Hinc illud in Textu, in quem ille hæc commentatur מכזיב ולהלן פטור מן הדמאי *A Chezib & ultra immunis eſt à Demai.*

Vox Chezib, & *Achzib*, in *Ecdippam* tandem tranſiit, pro more Dialecti *Syræ*; cui vulgare, ז *Zain Hebræorum*, in ד immutare.

Κλίμαξ Τυρίων *Scala Tyriorum*, *Talmudicis* eſt סולמה דצור.

Hieroſol. Bava Kamma, fol. 4. 2. לא מטון לסולמירה דצור עד דשכחון כולן *Omnia obliti fuerant, antequam pertingerent ad Climaca Tyriorum.* Agitur loco citato de *Romanis* quibuſdam, ad *Rabban Gamalielem* miſſis, ut de lege *Judaica* ſciſcitarentur.

De eo etiam eſt hæc hiſtoria, & de eodem loco, *Hieroſol. Avodah Zarah*, fol. 40. 1. *Cum exiret ille aliquando è Chezib, acceſſit ad eum quidam, interrogaturus de quodam voto ſuo. Dixit is ei, qui cum eo profectus eſt, Dic ei, nos bibiſſe quartanam vini Italicam. Dicit ei bene. Interroganti dicit, Vade nobiſcum uſque dum vinum noſtrum deferbuerit.* כיון שהגיעו לסולמה של צור *Cum ad ſcalam Tyriorum attingeret, deſcendit Rabban Gamaliel, & ſeipſum velat, & ſedens ſolvit ejus votum. Ex hoc exemplo hæc diſcimus, quod quartana vini inebriat, quod via ſedat vinum, &c.*

Notetur hoc in tranſitu, quod dicitur רביעית יין משכרת *Quartanam vini inebriare:* & conferatur cum eo, quod dicit *R. Chaja*, *Hieroſol. Shabb.* fol. 11. 1. ארבעה כוסות שאמרו ישנן רביעית יין באיטלקי *Quatuor pocula* (ebibenda ab unoquoque in epulis ſacris) *continent quartanam vini Italicam:* Et judica quam ſobriè iis fuiſſet in iſtis epulis, ſi vino aquæ plurimum non immiſcuiſſent.

CAP. LXVI.

ORA Galilææ ſeptentrionalis. Amanah. Mons Nivis.

Deſcribitur hæc ora à *Moſe*, *Num.* 34:7. *A Mari Magno ad montem Hor. A monte Hor, ad introitum Hamath, &c.*

Mons Hor ſcriptoribus *Judaicis* eſt *Amanah*, cujus mentio occurrit, *Cant.* 4: 8. ubi ſic R. *Sol. Amanah eſt mons in ora terræ Iſraëliticæ Aquilonari, qui lingua Talmudica nuncupatur* טורי אמנון *Montanum Amanon. Idem cum monte Hor.*

Apud *Targum Hieroſolymitanum* pro *monte Hor* eſt טורוס מנוס *Mons Manus:* at *Jonathanis* reddit טוורוס אומנים *Mons Umanis.*

Quidnam, inquiunt *Hieroſolymitani*, *Scheviith*, fol. 36. 4. & *Challah*, fol. 60. 1. *eſt è terra Iſraëlitica, & quid extra terram? Quodcunque deſcendit à Monte Amanah intus, eſt è terra Iſraëlitica: quodcunque eſt extra montanum Amanæ, eſt extra terram.*

Et paulò poſt. *Dixit R. Juſta Bar Shunem, Cum appulerint reduces* (è diſperſione ſua)

Digitized by Google

ſua) *Iſraëlitæ ad montana Amanæ, edent Canticum: quod provatur ex eo, quod dicitur,* (*Cant.* 4: 8.) תשורי ראש אמנה. Reddit ille, *Cantabis è vertice Amanæ.*

Erat & fluvius ejuſdem cum monte nominis, de quo *Targum* in iſtum locum, ſcil. in *Cant.* 4: 8. *Offerent tibi munus habitantes juxta fluvium Amanam, habitanteſque in vertice Montis nivis:* & *Aruch*, in קרמיון. quod notavimus antea, *Kirmion eſt fluvius in via ad Damaſcum, & eſt idem cum Amana.*

Mons Nivis תור תלגא *Paraphraſtis* & *Talmudicis* idem eſt cum *Hermone.* Interpres *Samariticus* in *Deut.* 4: 48. עד טבר תלגא הוא חרמון *Ad Montem nivis, qui eſt Hermon.* Et *Hieroſolymitani, Sanhedr.* fol. 28. 4. *Exſtruxerunt*, inquiunt, *filiabus Midianitarum craticulas à Beth-Jeshimon, uſque ad Montem nivis, & collocarunt illic fœminas vendentes placentas.*

Targum Hieroſol. in *Numer.* 35. *Mons nivis Cæſareæ* (*Philippi*). Vide & *Jonathanem* ibi.

CAP. LXVII.

פמיים.

Paneas fons Jordanis.

DUplicem *Jordani* fontem aſſignant Tabulæ; at quo jure vix patet: multò minùs patet, quo jure hunc *Jor* dixerint, illum *Dan.* Eſt quidem apud *Joſephum* mentio *Jordanis parvi*, & *Jordanis magni*: hinc ut videtur, origo prima apud Tabulas duplicati fontis, & duplicati rivi ad primos fontes. Sic enim *Joſephus*, *de bello*, lib. 4. cap. 1. Πηγαὶ, αἳ τὸν μικρὸν καλούμενον Ἰορδάνην προσπέμπουσι τῷ μεγάλῳ. *Fontes ſunt* (in *Daphne*) *qui Jordanem parvum, ut vocatur, immittunt in magnum.* Agit ille, textu citato, de lacu *Samochonitide*, dicitque, Διατείνει δὲ αὐτῆς τὰ ἕλη μέχρι Δάφνης χωρίου, &c. *extendi ejus paluſtria ad Daphnen regionem, ut aliàs amœnam, ità fontes continentem, qui Jordanem parvum emittunt*, &c.

Riblah, [ut obiter hoc notemus] *à Targumiſtis* redditur *Daphne.* Illi in *Numer.* 34: 11. pro quod in *Hebræo* eſt, *Et deſcendet limes ad Riblam*, reddunt, *Et deſcendet limes ad Daphnen.* Vide & *Aruch* in דפני. At ea certe non eſt iſta *Daphne*, de qua hic *Joſephus*, quod patebit ſatis ex ſequentibus. At, quod ad rem ſub manibus.

I. Et ille, & *Talmudici* fontem *Jordanis* aſſignant *Panium*, vel *Paneada*: nec nominant alium.

Joſephus, *Antiq.* lib. 15. cap. 13. *Prope Panium, quod vocant*, inquit ille, *ſpelunca eſt in monte amœniſſima, eique ſubjecta, in immenſum hians terræ devexitas, plena aquis ſtagnantibus. Ei mons magnus valde imminet, ſub ſpelunca autem ſcatent fontes Jordanis fluvii.*

Et rurſus, *de bello*, lib. 1. cap. 16 Παρὰ τὰς Ἰορδάνου πηγάς καλεῖται δὲ Πάνειον ὁ τόπος.

Ibid. lib. 3. cap. 35. Δοκεῖ μὲν Ἰορδάνου πηγὴ τὸ Πάνιον: & plura ibi.

Talmudici, Babylon. Bava Bathra, fol. 74. 2. *Dicit Rabb*, ירדן יוצא ממערת פמיים *Jordanes oritur è ſpelunca Paneadis: & ſic eſt Traditio.*

Idem, *Megill.* fol. 6 1. לשם זו פמיים *Dicit R. Iſaac, Leshem eſt Pamias.* Gloſſa, *Leshem eſt civitas, quam ſubjugârunt Danitæ.* (*Judic.* 18: 29) *Pamias eſt locus, unde oritur Jordanes.*

Et *Plinius*, *Natural. Hiſt.* lib. 5. cap. 15. *Jordanis amnis oritur è fonte Paneadæ.*

II. Fons iſte *Jordanis* tam celebratus fuit fons *Jordanis*, ut vocatur, *parvi*: nam ſic plane colligitur ex *Joſepho.* Ille de *Danitis*, *Laish*, vel *Leshem*, invadentibus, quam ſubactam illi *Dan* vocârunt, ſic ait, *Antiq.* lib. 5. cap. 2. Οὐδ' οὐ πόῤῥω τοῦ Λιβάνου ὄρους, καὶ ἐλάσσονος Ἰορδάνου τῶν πηγῶν, &c. *Illi autem non longè a monte Libano, atque a fontibus Jordanis minoris, per magnam Sidonis planitiem iter diei unius conficientes, terram bonam & fertilem obſervant, ac ſuis indicant: qui exercitu irruentes Dan civitatem condunt.*

Itemque de *Jeroboamo* loquens hæc ait, ibid. lib. 8. *Duo fana vitulis aureis condidit, unum in Bethel:* Ἕτερον δὲ ἐν Δάνῃ, ἥ δέ ἐστι πρὸς ταῖς πηγαῖς τοῦ μικροῦ Ἰορδάνου· *alterum verò in Dan, quæ eſt ad fontes Jordanis parvi.*

Mireris certè, atque obſtupeſcas, tam celebri famâ & notitiâ inclareſcere fontem *parvi Jordanis*, atque interea latere, ſileri, atque in æterna obſcuritate ſepeliri fontem *magni Jordanis.* Quid? *Minor* tantâ famâ dignus, & *major* nullâ? Liceat nobis liberè loqui, cum bona *Chorographorum* venia, quæ ſentimus.

I. Non conſtat ullum alium *Jordanis* rivum fluere in lacum *Samochonitiden*, præter iſtum, qui oritur è *Paneade.* Apud quemnam Autorem comperies talis rivi vel volam, vel veſtigium? Niſi quod ex verbis *Joſephi*, antea allegatis, male conceptis, in Tabulas irrepſerit talis conjectura, atque in animos hominum.

II. Opinamur ergò *Jordanem majorem* & *minorem* dici, non ratione duorum fontium, aut duorum rivorum diſcretorum, & diſtantium; ſed ratione diſtinctæ magnitudinis ejuſdem rivi. Oriens è *Paneade Jordanes, parvus*

Digitized by Google

vus vocabatur, uſque dum flueret in *lacum Samochonitin*: poſteà verò, è lacu iſto exiens, cùm incrementum magnum ab iſta palude obtinuiſſet, exinde vocabatur *Jordanes major*. *Samochonitis Jordanem parvum* recepit, *magnum* emiſit: nam cùm eſſet & lacus iſte, & regio adjacens paludoſa admodum, ut patet ex *Joſepho*, non tam auctus eſt lacus à *Jordane* influente, quàm *Jordanem* effluentem auxit. κόπλει, inquit *Joſephus*, *de bello*, lib. 3. cap. 35. τὰ τῆς Σεμεχωνίτιδος λίμνης ἕλη τε καὶ πλημμύρα. Videtur ergò fluvius infra *Samochonitin* vocari *Jordanes*, ſupra *Samochonitin Jordanes parvus*.

Ad fontem *Jordanis*, *Paneada*, condita fuit *Cæſarea Philippi*: quam videant Tabulæ, nè remotam nimis indè collocent. Idem, *Antiq.* lib. 18. cap. 3. Φίλιππος πρὸς ταῖς Ἰορδάνου πηγαῖς ἐν Πανεάδι πόλιν κτίζει Καισάρειαν. Itemque, *de bello*, lib. 3. cap. 13. Πανεάδα κατασκευάσας ὀνομάζει Καισάρειαν.

CAP. LXVIII.

Quid dicendum de ימא דאפמיא.

SEptimum inter maria, terram *Iſraëliticam* ambientia, numeratur ימא דאפמיא, quæ vox tam cognatum ſonum habet voci *Pamias*, quo nomine *Rabbini* fontes *Jordanis* indigitant; ut iſtius vocabuli mentio hujus non poſſit non excitare memoriam, imò ferè perſuadere, utrumque unum eundemque deſignare locum; & *Mare Apamiæ* nihil aliud fuiſſe, niſi magnam aliquam collectionem aquarum ad ipſos fontes *Jordanis*.

Hoc etiam porrò adjici poſſet ad roborandam iſtam perſuaſionem, quòd utrobique, apud loca in *Talmude Hieroſolymitano* citata, hæc addantur, *Mare Apamiæ eſt idem cum Mari Chamats, quod* דוקליטינוס *Diocletianus, congregatis aquis, fieri curavit.* Jam verò *Diocletianus* iſte, quicunque is fuit, [nos Imperatorem fuiſſe probamus alibi] verſatus eſt aliquando *Paneade*, ut liquet etiam ex eodem *Talmude Hieroſol. Trumoth*, fol 46. 2.

At verò aliter ſe res habet. Diverſa fuêre loca *Pamias* & *Apamia*, & longè diſſita: altera in terra *Iſraëlitica*, altera in confinibus quidem terræ *Iſraëliticæ*, at in *Syria*.

Notetur hæc Traditio. *Challah*, cap. 4. hal. 11. *Ariſton adduxit primitias ſuas ab Apamia atque eæ acceptæ ſunt; nam dixerunt, Qui poſſeſſionem habet in Syria, eſt ac ſi haberet in ſuburbanis Hieroſolymæ.* Gloſſa. *Apamia eſt nomen loci in Syria.*

Et hæc clariùs apud *Targumiſtas*, ut Auctores alios omittamus. Interpres *Samariticus* vocem שפם *Numer.* 34: 10. reddit עפמיה *Apamia* cum ע [Nota ש mutatam in ע, Nota etiam in voce *Boſor*, 2 *Pet.* 2: 15. ע mutatam in ש *Sin.*] *Jonath.* אפמיאה cum *Aleph*: nam משפם הרבלה reddit ille מן אפמיאה לדפני *Ab Apamia ad Daphnen.*

CAP. LXIX.

Lacus Samochonitis.

PAginis Sacris eſt *Aqua Merom*, *Joſuæ* 11: 5. *Babylonicis* eſt ימה דסבכי *Mare Sibbechæum.* Hinc illud, *Babylon. Bava Bathra*, fol. 74. 2. *Jordanes oritur è ſpelunca Paneadis, & fluit in mare Sibbechæum.* *Hieroſolymitanis* aliquando ימא דכובבו, ut notavimus antè, aliquando ימא דסמכו, unde aliis linguis *Samachonitis*.

Τῇ Σεμεχωνιτῶν λίμνῃ, inquit *Joſephus*, *de bello*, lib. 4. cap. 1. τριάκοντα μὲν εὖρος, ἑξήκοντα δὲ μῆκος στάδια. Διατείνει δὲ αὐτῆς τὰ ἕλη μέχρι Δάφνης χωρίου. *Lacus Semechonitis eſt triginta ſtadiorum latitudine: longitudine ſexaginta. Extenduntur paluſtria ejus ad Daphnen regionem; ut alias amænam, ità fontes continentem*: αἳ τρέφουσαι τὸν μικρὸν καλούμενον Ἰορδάνην ὑπὸ τὸν τῆς χρυσῆς βοὸς νεὼν, προπέμπουσι τῷ μεγάλῳ. Scrupulus latet de hujus clauſulæ punctatione, ὑπὸ τὸν τῆς χρυσῆς βοὸς νεών. Molliùs quidem fluere videretur ſententia, & ſenſus, ſi ſic redderes, *Fontes, qui parvum Jordanem, ut vocabatur, nutrientes, eum in magnum emittunt, ſub Templo aurei vituli*: aſt oritur tum juſta ambiguitas de ſitu iſtius Templi. Referenda eſt ergò potiùs clauſula iſta ad præcedentem, ità ut ſenſus ſic fluat, *Fontes, qui Jordanem parvum, ut vocatur, nutrientes ſub Templo aurei vituli, eum immittunt in magnum*: & ſic Templum aurei vituli habes ad fontes *Jordanis*, locumque adjacentem vocatum *Daphnen*, paluſtriáque *Samochonitidis* eò usque ſe exporrigentia.

Gemariſtæ Hieroſolymitani, *Shekalim*, fol. 50. 1. verba *Ezechielis*, Cap. 47: 8. ſic explicant. *Exeunt hæ aquæ in oram Orientalem*; זה ים של סמכו *id eſt, in lacum Samochonitin. Et deſcendent in planitiem, id eſt, in mare Tiberiadis. Et exibunt in mare; hoc eſt, in mare Mortuum.*

Ἄσωρος πόλις ὑπέρκειται τῆς Σαμαχωνίτιδος λίμνης. *Hazor civitas*, inquit *Joſephus*, *Antiq.* lib. 5. cap. 6. *imminet lacui Samachonitidi.* Metropolis ea *Canaanis*, id eſt, regionis iſtius Septentrionalis, quæ iſto nomine inſignita eſt: quæ & *Galilæa Gentium* vocata. *Jabin rex Hazor* aliíque pugnant cum *Joſua* ad aquas *Merom*; id eſt, ad lacum *Samochonitin*, *Joſuæ*,

Digitized by Google

ſuæ, 11: 4. Et *Jonathas* ibidem, ut videtur, cum exercitu *Demetrii*, Ἐν πεδίῳ Ἀσώρ, ut idem *Joſephus*, ibid. lib. 13. cap. 9. At libro *Maccabæorum* eſt τὸ πεδίον Νασώρ, 1 *Macc.* 11: 67.

CAP. LXX.

Lacus Genneſariticus, vel, Mare Galilææ, & Tiberiadis.

EMetitur *Jordanes* CXX. ſtadia, à lacu *Samochonitide* ad *Genneſariticum*, *Joſeph. de bello*, lib. 3. cap. 35. Lacus iſte Veteri Teſtamento eſt ים-כנרת, *Numer.* 34: 11. &c. *Targumiſtis* ימא דגניסר, aliquando דגניסור, aliquando דגינוסר: idem etiam *Talmudicis*, at frequentiſſime, ימא דטבריא. Utrumque nomen adhibetur ab Euangeliſtis: *Lacus Geneſareth*, Lucæ, 5: 1. *Mare Tiberiadis*, Joann. 21: 1. ac *Mare Galilææ*, Joann. 6: 1.

Tranſiit nomen *Chinnereth* in *Geneſar*, ob regionis amœnitatem hortis ac paradiſis refertiſſimæ: de qua dicturi ſumus poſtea.

Diſputatur ab *Hieroſolymitanis*, *Megill.* fol. 70. 1. quare כנרות occurrat aliquando numero plurali: ut *Joſuæ* 11: 2. נגב כנרות, & *Joſuæ* 12: 3. ים כנרות. *Indè*, inquiunt, *ſunt duæ Geneſarethæ? Aut non fuerunt* אלא ב' אבטוניות כגון בית-ירח וצינברי *niſi duæ arces, ut Beth-Ierach & Sinnabris*; שהן מגדלות כינרים *quæ ſunt turres Chinnerethanorum: at munitio deſtruitur & ceſſit Gentilibus.* Vides ex ipſo ſenſu loci quid ſibi velit vox אבטוניות. Eadem fortè eſt cum voce אבטליות in *Aruch*: & אבטילאות *Babylonicis*, *Becoroth*, fol. 55. 1. Quibus, interprete Gloſſatore, שני אבטילאות *Sunt duæ eparchiæ in eodem regno.* Exemplum præbet *Gemara* in נמר ונמורי. Aſt *Arucho* שני אבטליות *ſunt caſtella duo, inter quæ eſt pons, ſub quo tamen non eſt aqua*: atque exemplum ille præbet in שולנמי ופמורי. At hîc non moramur. צינברי apud *Talmudicos* eſt Σενναβρὶς apud *Joſephum*, diſtans à *Tiberiade* ſtadiis triginta. Nam refert ille, *de bello*, lib. 3. cap. 31. *Veſpaſianum* caſtra poſuiſſe triginta à *Tiberiade* ſtadiis, Καθ' ἅ τινα σταθμὸν εὐσύνοπτον τοῖς νεωτερίζουσι, Σενναβρὶς ὀνομάζεται. Loquitur & ille quoque de oppido Γινναβρὶ, non longè certè ab hoc loco diſtante: nam περίχωρον *Jordanis* deſcribens *ibid.* lib. 4. cap. 17. dicit, quòd ab utraque ejus regione procurrit longiſſimum dorſum montium, [at milliaribus aliquot à fluvio diſtans] hinc à regione *Scythopolitana* ad *Mare Mortuum*, illinc à *Juliade* ad *Somorrham* verſùs *Petram Arabiæ*, quòdque interjacet planities, quæ vocatur μέγα πεδίον, ἀπὸ κώμης Γινναβρὶν διῆκον μέχρι τῆς Ἀσφαλτίτιδος λίμνης.

De lacu *Geneſaritico* ſic idem *Joſephus*, ibid. lib. 3. cap. 35. Ἡ δὲ λίμνη Γεννησὰρ μὲν ἀπὸ τῆς προσεχοῦς χώρας καλεῖται, σταδίων εὖρος οὖσα τεσσαράκοντα, καὶ πρὸς τούτοις ἑτέρων ἑκατὸν τὸ μῆκος, γλυκεῖά τε ὅμως ἐστὶ, καὶ ποτιμωτάτη.

Plinius ſic, lib. 5. cap. 15. *Jordanes, ubi prima convallium fuit occaſio, in lacum ſe fundit, quem plures Geneſaram vocant, XVI. M. paſſ. longitudinis; VI. M. paſſ. latitudinis.*

Hieroſol. Avodah Zarah, fol. 42. 1. ימא דטבריא כגון המים המהלכין הן *Mare Tiberiadis par eſt aquis labentibus.* Diſcutiunt, dum hæc verba proferunt Magiſtri, quidnam ſentiendum de aquis, ubi natant piſces immundi unà cum mundis, an edulio ſcilicet coquendo ſint tales aquæ idoneæ, necne: & reſpondetur, Aquas fluentes & labentes idoneas eſſe, non labentes non ità; atque inter labentes numerari lacum *Geneſariticum*.

Deo dilectum hunc lacum præ omnibus lacubus *Canaanitidis* credunt *Judæi*, aut fingunt, *in Midraſch Tillim*, fol. 4. 1. *Septem maria, inquiunt, creavi, ait Deus; ex omnibus autem iis non elegi, niſi mare Geneſariticum.* Quæ forſan excogitata ſunt in laudem *Academiæ Tiberienſis*, lacui huic contiguæ: at meliùs certè veritati conſonant, applicata ad frequentiſſimam *Salvatoris* illùc acceſſionem.

CAP. LXXI.

Intra quamnam Tribum lacus Geneſariticus.

ORitur hæc quæſtio ex collatione Tabularum cum *Talmudicis*: nam non eſt inter eas, quod ſciam, quæ non planè mare *Geneſariticum* extra Tribum *Nephthaliticam* definiat; illi autem planiſſimè intra.

Babylon. Bava Kama, fol 81. 2. ת"ר ימה של טבריה בחלקו של נפתלי: *Tradunt Rabbini. Mare Tiberiadis eſt portionis Nephthaliticæ. Imò plenum funiculum ea recipit pro retibus à parte ejus Auſtrali: ſicut dicitur,* Poſſide Mare & Auſtrum. (*Deut.* 33: 23.) Gloſſ. *Plenum funiculum habuit* [*Nephthali*] *in arida ab ora ejus Auſtrali, ut extrahere poſſet retia.* Sic etiam *Hieroſolymitani*, *Bava Bathra*, fol. 15. 1. *Dederunt* τῷ *Nephthali plenum funiculum ab ora maris Auſtrali: ſicut dicitur,* Poſſide Mare & Auſtrum. *Verba ſunt R. Joſ. Galilæi.* Sic *Talmud* iſtud, quod conſcriptum *Tiberiade*. Sic *R. Joſi*, qui *Galilæus*.

Conſona his ſunt verba *Joſephi*, quæ citavimus antè ex *Antiq.* lib. 5. cap. 1, Ζαβουλωνίταις, inquit, τὴν μέχρι Γεννησαρίτιδος, καθή-

Digitized by Google

καθήκουσαν ᾗ περὶ Κάρμηλον καὶ θάλασσαν ἔλαχον. *Zabulonitæ portionem ſortiti ſunt uſque ad Geneſaritida, protenſam etiam* [longitudine] *ad Carmelum & mare.* Ab Auſtro *Zabulonitis Iſacharitide* terminatur, latitudine ſeſe extendens Μέχρι Γεννησαρίτιδος, *ad Geneſaritida*: pertingens tantùm ad *Geneſaritida*, non *Geneſaritida* intra ſe complectens. Sic dicit idem *Joſephus*, loco citato, quòd Νεφθαλῖται περιέλαβον τὰ πρὸς τὰς ἀνατολὰς τετραμμένα μέχρι Δαμασκοῦ πόλεως. Ridendum foret, ſi Μέχρι Δαμασκοῦ πόλεως ita redderes, ut *Damaſcum* intra *Nephthalitida* includeres. Parem ſolœciſmum ſolœcizant Tabulæ, dum *Zabulonem*, quæ μέχρι Γεννησαρίτιδος tantùm pertigit, totam *Geneſaritida* intra ſe comprehendere faciunt. Intuere *Adrichomium*, ut alios ſileam, & cum eo confer hæc *Joſephi*.

Huc reducendum fortè eſt illud, quod non parùm torſit Interpretes in *Joſuæ* cap. 19. ubi in limitibus Tribûs *Nephthaliticæ* definiendis bis memoratur *Jordanes*: verſu 33. *Exitus limitis*, hinc, *erat ad Jordanem*: & verſu 34. ובירודה הירדן מזרח השמש *Exitus*, illinc, id eſt, à limite Meridionali, *erat ad Jordanem in Juda verſus ortum Solis.*

Quid *Nephthalitidi* cum *Jordane in Judah?*

Reſp. Juda, id eſt, *Judæa*, hîc *Galilææ* opponitur, non *Juda* reliquis Tribubus. Ante ortum nomen *Samariæ*, notiſſimum erat nomen *Galilææ*, *Joſuæ* 20: 7. & nomen *Judææ*: & tunc temporis totam terram intra *Jordanem* non incongruè bipartireris, in *Galilæam* & *Judæam*; cùm adhuc in rerum natura non eſſet nomen *Samariæ*. In hunc ergò ſenſum ſonant verba allata, ac ſi dictum eſſet, „ Exiit limes *Nephthali* Borealis, Orientem verſus, ad *Jordanem* in „ *Galilæa*: Auſtralis pariter exiit Orientem „ verſùs ad *Jordanem*, jam profluentem in „ *Judæam*: id eſt, in regionem extra *Galilæam*, quæ adhuc *Samaria* non eſt dicta, ſed potiùs *Judæa*.

Videtur certè limes terræ *Nephthaliticæ Jordanem* utrinque attingere, & à parte Boreali, & à parte Meridionali; & ſic *Mare Geneſariticum* intra Sinum ſuum complecti, ſecundùm quod dicitur à *Talmudicis*, antea allegatis, iiſque *Tiberienſibus*.

De *Jordane* & lacu iſto differenti liceat hoc ſuperaddere de *ſcapha Jordanica. Hieroſol. Shabb.* fol. 7. 1. *Dicit R. Jacob bar Aidai, nomine Rabbi Jochananis, Ne quis ſe abſentet è Beth-Midraſch: nam multoties propoſita eſt hæc quæſtio in Jabneh:* עריבת הירדן למה היא טמאה *Cimba*, vel *Scapha*, *Jordanica quare eſt immunda? nec erat, qui quicquam ad hæc reſponderet; donec veniret R. Chaninah filius Antigoni, exponerétque in ſua civitate. Scapha Jordanica eſt immunda, quia eam fructibus implent, eamque deducunt à mari in aridam; atque ab arida in mare.* עריבת; *Judæis* ipſis interpretibus, eſt ספינה קטנה *Navicula parva*, Πλοιάριον. *Joſephus, de bello*, lib. 2. cap. 43. Τὰ δὲ ἐπὶ τῆς λίμνης σκάφη πάντα συναθροίσας, διακόσια δὲ καὶ τριάκοντα εὑρέθη, καὶ ναῦται τεσσάρων οὐ πλείους ἦσαν ἐν ἑκάστῳ.

CAP. LXXII.

TIBERIAS.

HAnc urbem olim à diebus *Joſuæ* munitam fuiſſe, atque eandem cum *Rakkath* exſtitiſſe, de qua mentio *Joſuæ* 19:35. uno ferè ore prædicant *Judæi* omnes.

Hieroſol. Megill. fol. 70. 1. רקת היא טבריא *Rakkath eſt Tiberias*, inquiunt *Gemariſtæ Hieroſolymitani.* Atque idem, idque fuſius, *Babylonici*, *Megill.* fol. 5. 2. & 6. 1. וקיימא לן רקת זו טבריא *Conſtat nobis Rakkath eſſe Tiberiada.* Cumque, poſt paucas lineas interjectas, objiceretur hoc *Rabbi Jochananis*, „ *Cum puer eſſem, rem quandam dixi,* „ *de qua interrogavi Seniores, atque inventum eſt ſicut dixi, quod ſcilicet Chammath* „ *eſt Tiberias, & Rakkath Zipporis:* ſic tandem concluditur, *Rabba dixit, Quiſnam eſt, cui dictum eſt, quod Rakkath non ſit Tiberias? Nam, ecce, cum moritur quis hîc,* [in *Babylone*] *eum illîc* [*Tiberiade*] *deplorant hoc modo. Feretrum viri clari in Sheshach* [*Babylone*] *defuncti, cujus nomen etiam celebre eſt in Rakkath, huc affertur: eum ſic plangite. O amatores Iſraëlis, O Cives Rakkath, prodite & deflete mortuos Babylonis. Cum quieſceret anima R. Zeiræ, ſic eum deflevit quidam, Delicias concepit peperitque terra Babylonica, eas enutrivit terra Iſraëlitica: væ ſibi, inquit Rakkath; quia deliciarum ſuarum vaſa perdidit. Dicit ergò Rabba; Chammath eſt eadem cum Thermis Gadar, & Rakkath eſt Tiberias.*

Contigua mari ſtetit hæc civitas, ità ut ab uno latere mare ei eſſet pro muro. Hinc illud, loco jam citato, *Rabb Hezekiah legit librum Eſther, Tiberiade die decimo quarto,* (menſis *Adar*) *atque etiam die decimo quinto,* (vide *Eſth.* 9: 21.) *dubitans num muris cincta eſſet a diebus Joſuæ, necne. Quis autem hoc dubitaret de Tiberiade? cùm ſcriptum ſit*, Et civitates munitæ Ziddim, Zer, Chammath, Rakkath & Chinnereth. *Conſtat autem nobis, Rakkath eſſe Tiberiada. Ratio ergò, cur ille dubitaret, hæc erat, quod ab uno latere cincta eſſet mari pro muro. Si autem ſic erat, quare dubitaret? Quia planè non erat murus. Cum Traditio ſic ſe habeat*, אשר לו חומה ולא שור אינו סביב *Civitas, cui eſt mu-*

rus & non mœnia, *domus contiguæ ſunt pro mœnibus.* פרט לטבריא שימה חומתה *Excipitur autem Tiberias*, *cui mare eſt pro muro.* Ita etiam *R. Simeon Ben Jochai* in *Gemara Hieroſolymitana* modò allegata: *Inter urbes*, inquit, *muris munitas Tiberias excipitur*, *quippe cui mare eſt pro muro.*

Quam fortunam ſubierit hæc civitas ſub nomine *Rakkath*, in tenebris latet. Nomen *Tiberiadis* impoſuit *Herodes Tetrarcha*, urbemque condidit in gratiam & memoriam *Tiberii Cæſaris*, *Joſeph. Antiq.* lib. 18. cap. 3. Cujus Etymologiam dum aliunde deducunt *Gemariſtæ*, nempe vel à טוב ראיה, *quod pulchra eſſet aſpectu*, vel שבטיבורה, *quod in umbilico eſſet*, *&c.* ingenio luxuriante luſitare videntur potiùs, quam rei ipſius ignoratione laborare.

CAP. LXXIII.

De ſitu Tiberiadis.

CUm *Plinium* lego de urbis hujus ſitu, cumque eo quædam confero, quæ dicuntur à *Joſepho* & *Talmudicis*, non poſſum non animo hærere dubius, quid hic ſtatuendum. Sic de eo *Plinius*, *Natur. Hiſtor.* lib. 5. cap. 15. *Amœnis circumſeptus* [lacus *Genneſaræ*] *oppidis*: *ab Oriente Juliade & Hippo*; *à Meridie Tarichæâ*, *quo nomine etiam aliqui lacum appellant*; *ab Occidente Tiberiade*, *aquis calidis ſalubri.*

Conſule Tabulas, ſitamque apud eas *Tiberiada* vides quaſi in medio littore *Maris Genneſaritici*, æqui-diſtantem ferè ab extremis oris maris, Auſtrali, & Boreali. Quod bene convenire quidem cum *Plinio* videtur, aſt ægrè cum *Joſepho* & ſuis.

I. Aſſerit Joſephus *Hippon* (in *Peræa*) diſtitiſſe à *Tiberiade* triginta tantùm ſtadiis.

Nam, in *vita ſua*, pag. 650. *Juſtum* quendam *Tiberienſem* alloquens, ſic ait, Ἡ δὲ σὴ πατρὶς ὦ Ἰοῦστε, κειμένη ἐν τῇ Γεννησαρίτιδι λίμνῃ, καὶ ἀπέχουσα μὲν Ἵππου τριάκοντα στάδια, *&c.* Aſſerit autem idem, (quod adduximus antè) latitudinem *Maris Genneſaritici* fuiſſe ſtadiorum quadraginta. Quânam ergo ratione totum *Mare Genneſariticum* interponunt Tabulæ inter *Tiberiada* & *Hippon?* Lege iſta apud *Joſephum*; intuere Tabulas, & judica.

II. Dicit idem *Joſephus* de eodem *Juſto*, in *vita ſua*, pag. 628. Ἐμπίμπρησιν ὁ Ἰοῦστος τάς τε Γαδαρηνῶν καὶ Ἱππηνῶν κώμας. Αἱ δὲ μεθόριοι τῆς Τιβεριάδος, καὶ τῆς τῶν Σκυθοπολιτῶν γῆς, ἐτύγχανον κείμεναι. Nota, ut *Gadarenorum* atque *Hipponorum oppida* dicantur μεθόριοι, *contermina Tiberiadi*; quod certè conſiſtere non poteſt, ſi interpoſitum ſit totum mare, quod à Tabulis interponitur.

III. Quæ à *Talmudicis* de loci hujus ſitu diſcimus, non poſſunt produci, niſi obſervatis priùs locis quibuſdam *Tiberiadi* vicinis, à quorum ſitu facilius erit de hujus judicare.

Nos interim hæc ex iis, ex prædictiſque, aſſerimus. Neceſſe eſſe, ut *Tiberiada* ſupponas ſitam, vel ad ipſum influxum *Jordanis* in lacum *Genneſariticum*, ab ora ſcilicet lacus Aquilonari, ubi Tabulæ collocant *Capernaumum* (malè): aut ad effluxum *Jordanis* ex iſto lacu, ab ora ſcilicet lacus Auſtrali. Aſt ad influxum ejus ſtatuere eam non potes, quia dicit *Joſephus*, *Tiberiada* non diſtare à *Scythopoli*, niſi ſtadiis CXX. [id eſt, XV. M. paſſ.] jam verò lacus *Genneſariticus* ipſe erat longitudinis ſtadiorum C. Eratque *Scythopolis* limes ultimus *Galilææ* verſus Auſtrum, ut demonſtravimus antè.

Concludere ergò non veremur, *Tiberiada* ſitam fuiſſe ad ipſum effluxum *Jordanis* è lacu *Genneſaræ*, ad littus ſcilicet lacûs Meridionale; ubi jam ſe iterum intra alveum ſuum recepit *Jordanes.* Patebit hoc è ſequentibus.

De punctatione ergò *Plinii* hæſitamus. De ea certè nobis non ſatisfit, de eaque à nobis immutata minus certè aliis ſatisfiet. At, bona cum venia, liceat hanc lectionem proponere; *Ab Oriente Juliade: & Hippo à Meridie. Tarichæa*, *quo nomine aliqui lacum appellant*, *ab Occidente. Tiberiade aquis calidis ſalubri*: quæ nec à ſtylo abhorret *Pliniano*, & bene convenit cum ſcriptoribus *Judaicis*; ſed doctis judicium ſubmittimus.

CAP. LXXIV.

חמת.

Ἀμμαοῦς.

חמי טבריא.

Thermæ Tiberiadis.

CHammath & *Rakkath* conjunguntur, *Joſuæ* 19:35. Erant quippe civitates admodum vicinæ; *Rakkath*, *Tiberias*, & *Chammath*, κώμη Ἀμμαοῦς *Joſepho.*

De earum vicinitate ſic *Hieroſolymitani*, *Erubin*, fol. 23. 4. *Viri civitatis magnæ poſſunt ambulare* [Sabbato] *per totam civitatem parvam*, [quæ erat intra iter Sabbaticum] *aſt incolæ civitatis parvæ non ambulant per totam civitatem magnam.* Et deinde ſequi-

Digitized by Google

ſequitur. *Olim Tiberienſes incedebant per totam Chammatham; at Chammathenſes non tranſierunt ultra fornicem: at nunc Chammathenſes & Tiberienſes conſtituunt civitatem unam.*

Et *Babylonici*, *Megillah*, fol. 2. 2. מחמתן לטבריא מיל *ab Chammath ad Tiberiada eſt milliare.*

Ibid. fol. 6. 1. *Chammath eſt Tiberias. Et quare dicitur Chammath?* על שום חמי טבריא: *Propter Thermas Tiberiadis.*

Vocatur non rarò חמת דגדר *Chammath Gadaræ*: non ſolùm, quòd viciniſſima foret regioni *Gadarenæ*, nam interponebatur tantùm alveus *Jordanis*, ſed quòd ab utraque ripa *Jordanis*, ut videtur, conderetur, binas partes conjungente ponte.

Idem, ibid. *Dixit Rabbah, Chammath eſt eadem cum Thermis Gadaræ, & Rakkath eſt Tiberias.*

Hieroſol. Erubin, fol. 23. 4. *Licuit, permittente R. Juda Naſi, Gadarenſibus deſcendere in Chammatham*, [Sabbato] *atque redire in Gadaram: at Chammathenſibus non licuit aſcendere in Gadaram.*

En tibi *Tiberiada* tam vicinam *Chammathæ*, ut una ferè cum ea eſſet civitas: *Chammathamque* tam vicinam *Gadaræ* regioni, ut nomen indè ſortiretur *Chammath Gadaræ!*

Hieroſol. Shabb. fol. 5. 4. & *Trumoth*, fol. 41. 1. *R. Samuel bar Nathan nomine R. Chamæ bar Chanina dixit, Ego & pater meus aſcendimus ad Chammath Gadaræ, & nobis appoſuerunt ova parva.*

Idem, *Kiddushin*, fol. 64. 3. *R. Jonathan & R. Juda Naſi adierunt* חמתא דגדר *Chammatham Gadaræ.*

Idem, *Avodah Zarah*, fol. 42. 1. & 45. 2. *R. Immai & R. Judan Naſi* [nepos iſte erat *R. Judæ Naſi*] *adierunt Chammatham Gadaræ.*

De Thermis *Tiberiadis Talmudici* plurima. Excerpantur hæc pauca.

Idem, *Shabb.* fol. 3. 1. *R. Joshua ben Levi ægrotans aliquando lavit in Thermis Tiberiadis*, מסחי בההן דימוסין דטבריא *innixus humeris R. Chajiæ bar Ba.*

Babylon. Sanhedr. fol 108. 1. *Tres Thermæ ſuperſunt ab aquis diluvii.* I. בלועה דגדר *vortex Gadaræ*: lacus iſte *Gadaræ* is forſan eſt, quo poto, ut refert *Strabo*, lib. 16. pecora pilos, cornua, atque ungues amittunt. II. עינה רבתי ובירם *Fons magnus Biram*: de *Biram* vide *Babylon. Rosh Hashanah*, fol. 23. 2. lineâ primâ. III. חמי טבריא *Thermæ Tiberiadis.*

Hieroſol. Shabb. fol. 6. 1. התירו להן מי מערה וחמי טיבריא *Permiſerunt iis aquas Mearæ, & Thermas Tiberiadis.*

Ità & *Joſephus*, in *vita ſua*, *Scripſit ad me Joannes* [*Giſchalita*] *ei ut permitterem, orans*, Χρήσασθαι τοῖς ἐν Τιβεριάδι θερμοῖς ὕδασι, *uſum Thermarum, quæ Tiberiade.*

Ità & *Plinius* antè. *Tiberiade aquis calidis ſalubri.*

CAP. LXXV.

GADARA. גדר.

DUplex erat *Gadara*.

Una ad littus *Maris Mediterranei*: illa primitùs *Gezer* eſt dicta, 1 *Reg.* 9: 15. *Joſepho* Γάζαρα, *Antiq.* lib. 13. cap. 11. Κατεστρέψατο γὰρ Σίμων Γαζαρά τε πόλιν, καὶ Ἰόππην, καὶ Ἰάμνειαν: & libro 1 *Maccabaicōn*, *Cap.* 14: 34. Καὶ Ἰόππην ὠχύρωσε τὴν ἐπὶ τῆς θαλάσσης, καὶ τὴν Γάζαρα τὴν ἐπὶ τῶν ὁρίων Ἀζώτου.

Tranſiit tandem, pro Dialecti *Syræ* idiomate, ז in ד, & pro *Gazara* vocata eſt *Gadara*. Hinc *Strabo*, poſt memoratam *Jamniam*, lib. 16. pag. mihi, 878. Καὶ ἡ Γαδαρίς ἐστιν, inquit, εἶτ' Ἄζωτος καὶ Ἀσκάλων: & paulò poſt, *Gadarenſis fuit Philodemus Epicureus, & Meleager, & Menippus* ὁ σπουδογέλοιος, & *Theodorus Rhetor*, &c.

At *Gadara* altera, quam nos quærimus, in *Peræa* erat, & *Peræa* Metropolis. Ἐλθόντων ἐπὶ τὰ Γάδαρα, μητρόπολιν τῆς Περαίας καρτεράν, verba ſunt *Joſephi*, *de bello*, lib. 4. cap. 26.

Diſtabat à *Tiberiade* ſtadiis ſexaginta, eodem metiente, in *vita ſua*, mihi pag. 650.

Gaddaram Hieramace [ירמוך de quo antè] *præterfluente, & jam dictum Hipponion.* Numerant quidam inter urbes *Decapolitanæ* regionis, *Plin.* lib. 5. cap. 18.

Ei adeò vicina erat & urbs alia, nomine *Gergeſa*, ut ea, quæ *Marco* dicitur χώρα Γαδαρηνῶν, *Cap.* 5: 1. *Matthæo* ſit χώρα Γεργεσηνῶν, *Cap.* 8: 28. quæ, an à *Girgaſæis*, poſteris *Canaanis*, nomen duxerit, an à natura ſoli argillacea, decernendum relinquimus doctioribus. *Chaldæus* certè עובי גרגשתא *lutum craſſum* illud reddit, quod in *Hebræo* eſt מעבה האדמה, 1 *Reg.* 7. *v.* 46.

Ajunt *Hieroſolymitani*, *Scheviith*, fol. 36. 3. *Girgaſæos*, adventante *Joſua*, & præconio edicente, *Qui hinc migrabit migret*, ſe contuliſſe in *Africam*.

CAP. LXXVI.

MAGDALA.

PRopè à *Tiberiade* & *Chammatha* erat *Magdala.* Vicinitatem earum hinc diſcas.

Hieroſol. Maaſaroth, fol. 50. 3. *Si homini ſint duæ areæ, una in Magdala, altera in Tiberiade, fructus amovere licet ab iſta in Magdala, comedendos in iſta, in Tiberiade.*

Idem, *Scheviith*, fol. 38. 4. *Ob macella quædam in plateis Tiberienſibus adactus eſt R. Simeon ben Jochai locum iſtum purificare. Et quicunque juxta Magdalam iter faceret, audire poterat vocem Scribæ, dicentis, Ecce, bar Jochai purificat Tiberiada.*

Idem, *Erubin*, fol. 23. 4. *Paſtor quidam ſenex acceſſit, dixitque coram Rabbi, Memini ego Magdalenſes aſcendentes in Chammatham, perque totam Chammatham ambulantes* [*Sabbato*] *pervenienteſque uſque ad vicum extimum, uſque ad pontem. Permiſit ergò Rabbi, ut Magdalenſes irent in Chammatham, & pergerent per totam Chammatham, procederentque uſque ad vicum extimum, uſque ad pontem.*

Joſephus, in *vita ſua*, de *Magdala* hæc. Πέμπει δ' ὁ βασιλεὺς Ἀγρίππας δύναμιν καὶ στρατηγὸν ἐπ' αὐτῆς Μαγδαλὰ τὸ Φρούριον ἐξαιρήσοντας. Occurrit frequens memoria *Rabbinorum*, vel Scholarium *Magdalenorum*.

ר' יודן מגדליא *R. Judan Magdalenus*, *Hieroſol. Beracoth*, fol. 13. 1. & *Taanith*, fol. 64. 1.

ר' יצחק מגדלאה *R. Iſaac Magdalenus*, *Babylon. Joma*, fol. 81. 2.

R. Gorion dicit, *Magdalenſes interrogârunt R. Simeonem ben Lachish*, &c. *Hieroſol. Megill.* fol. 73. 4.

Vocatur aliquando מגדל גדר *Magdala Gadaræ*: quia erat trans *Jordanem*, *Babylon. Taanith*, fol. 20. 1.

CAP. LXXVII.

HIPPO. סוסיתה.

EAndem *Hippon* eſſe cum סוסיתה, apud *Talmudicos* meritò opineris ex ipſa vocum ſignificatione: at quære. Ejus hæc memoria.

Hieroſol. Scheviith, fol. 36. 3. *R. Joſua ben Levi dicit, Scriptum eſt, Et fugit Jephtah à facie fratrum ſuorum, atque habitavit in terra Tobh*, סוסיתה זו *quæ eſt Suſitha.* Si *Græcè* reddas, Ἱππηνή.

Repleta *Gentilibus* erat hæc civitas, mixtis tamen non paucis *Judæis*. Hinc illud, *Hieroſol. Rosh Hashanah*, fol. 57. 4. *Si prodeant ambo teſtes è civitate, cujus major pars conſtat è Gentilibus*, כגון הדא סוסיתה *ſicut Suſitha*, &c. Et, paucis lineis interjectis, *R. Immai circumcidit ex teſtimonio fœminarum, quæ dixerunt, Sol erat ſuper Suſitham.* Nam non licuit circumcidere niſi interdiu.

Diſtabat *Hippo* à *Tiberiade* ſtadiis tantùm triginta, *Joſephus*, in *vita ſua*, pag. mihi 650.

CAP. LXXVIII.

Oppida quædam alia Tiberiadi vicina.

בירת-מעון : כפר חיטיא : פלטתה :

INter oppida *Tiberiadi* vicina celebrantur præcipuè apud *Joſephum*, in *vita ſua*, pag. 637. *Tarichææ*, urbs à *Tiberiade* diſtans triginta ſtadiis; ejus hiſtoriam & mentionem apud eum invenies frequentiſſimam.

Apud *Talmudicos* nomina etiam alia.

בירת-מעון *Hieroſol. Bava Mezia*, fol. 11. 2. *Tiberienſes, qui Beth-Meonem aſcenderunt, conducendi in operarios, conducti ſunt ſecundùm* morem *Beth-Meonis: Beth-Meonenſes, qui deſcenderunt Tiberiada conducendi, conducti ſunt ſecundùm conſuetudinem Tiberiadis.*

Vocatus eſt etiam hic locus, ut videtur, בירת-מעיין. Agitur, in *Hieroſol. Sotah*, fol. 17. 1. de oppido *Timnath*, de quo dicitur, quòd *aſcenderit Samſon Timnatham*, alibique, quòd *deſcenderit ſocer Samſonis Timnatham*: ità ut illuc fuerit *aſcenſio* & *deſcenſio.* Concludit tandem *R. Aibu bar Nigri, & dicit, Similis eſt* τῇ *Beth-Mein, per quam deſcenditur à* Paltathah; *at per quam aſcenditur à Tiberiade.*

Beth-Meon Joſepho, in *vita ſua*, pag. mihi 629. eſt Βηθμαοῦς ἀπέχουσα Τιβεριάδος στάδια τέσσαρα. Collocant eam Tabulæ remotam indè nimis.

Erat etiam locus non longè à *Tiberiade*, aut *Magdala*, cui nomen כפר חיטיא *Caphar Chittaia*: quod conjectari licet ex hac hiſtoria. *Hieroſol. Horajoth*, fol. 47. 1. *R. Simeon ben Lachish ſic dixit, Principem, qui peccat, flagellant in conſeſſu triumvirali. Audiens hæc R. Judah Naſi, iratus eſt, miſitque, qui eum apprehenderent. Fugit autem ille extra Magdalam. Dicunt autem quidam, Extra Caphar Chittaiam.* Idem, *Megillah*, fol. 70. 1. *Ziddim* [*Joſuæ* 19: 35.] *eſt Caphar Chittaia. Zer eſt ei vicina.*

CAP.

Digitized by Google

CAP. LXXIX.

Regio Genneſaritis.

Eam ſic deſcribit *Joſephus*, *de bello*, lib. 3. cap. 35. *Extenditur juxta lacum regio ejuſdem nominis Genneſar, naturæ mirandæ, atque amœnitatis. Nullam enim plantam negat propter fertilitatem ejus*, &c. *Temperamentum aëris congruit etiam fructibus differentibus: ità ut hinc floreant nuces, fructus magis hyemalis; illinc palmæ, quæ æſtu nutriuntur: & juxta eas ficus & olivæ, quibus aër clementior*, &c.

Paria de loci hujus fertilitate ac amœnitate *Talmudici*.

Aruch, in נגסר. *Dicunt Rabbini, Quare vocatur Genneſar?* גני סרים *Ob hortos Principum. Iſti ſunt magnates, quibus eò loci erant horti. Fuitque è portione Nephthali* [verba ſunt autoris *Aruch*] *ſicut dicitur*, Atque è Nephthali Principes mille.

Memorantur fructus *Genneſaritici* nobili famâ. *Babylon. Peſach.* fol. 8. 2. *Quare* [inquiunt] *non ſunt è fructibus Genneſariticis Hieroſolymis? Nè dicant ſcilicet accedentes ad feſta, Non veniſſemus, niſi ad comedendum fructus Genneſariticos.*

In eodem *Talmude*, *Gloſſa in Beracoth*, fol. 44. 1. Ubi diſputatur quænam pars nobilior cibi, ſalſum quid, an buccella, concluditurque, ſalſum præferri, ac ſuper eo gratias agendas, inducitur mentio fructuum *Genneſariticorum*, חשובים מן הפת quæ præferuntur etiam buccellæ.

Hinc mentio *Tentorii Genneſaritici* סכת גנוסר: *Maaſaroth*, cap. 3. hal. 7. Id eſt, ut Gloſſa, *Cùm Genoſar, quæ & Chinnereth, hortis nobilibus abundaret, umbracula, vel tentoriola quædam confecerunt, pro tempore iſto, quo colligebant fructus.*

Longitudo fœcundiſſimi hujus ſoli, juxta littus maris extenſi, erat non niſi ſtadiorum XXX. & latitudo ſtad. XX. *Joſeph.* ubi antè. וי״ם מקום קרוב לטבריא ויש בו גנות ופרדסים *Et dicunt expoſitores* [ſunt verba *Aruch*, ubi ante] *quòd eſt locus vicinus Tiberiadi, in quo ſunt horti & Paradiſi.* Notetur illud, *Eſt locus vicinus Tiberiadi.*

CAP. LXXX.

CAPERNAUM.

Ex noviſſimè dictis conjecturam non explodendam habemus de ſitu oppidi *Capernaumi.*

Refert *Joſephus*, *de bello*, lib. 3. cap. 35. regionem *Genneſar*, quam deſcripſimus, rigatam fuiſſe Πηγῇ ποτιμωτάτῃ, Καπερναοὺμ αὐτὴν οἱ ἐπιχώριοι καλοῦσι· *Fonte dulciſſimo, quem accolæ Capernaumum vocant.* Ab eo aut urbi nomen, aut potiùs ei ab urbe, iſtique ab amœnitate loci. Nam urbem hanc in *Genneſaritide* ſitam fuiſſe clarum faciunt *Euangeliſtæ* collati. Cùm enim à *Matthæo* & *Marco* dicatur, *Chriſtum* transfretantem à deſerto *Beth-ſaidæ* appuliſſe ad regionem *Genneſareth*, *Matth.* 14: 34. *Marc.* 6: 53. liquet ex *Joanne*, appulſum iſtum fuiſſe ad *Capernaumum*, *Joann.* 6: 22, 24, 25. Cùm ergò regio iſta amœniſſima vicina *Tiberiadi* adjaceret, in eâque foret *Capernaum*, non admodum remotam eam à *Tiberiade* neceſſe eſt ut arbitremur.

Erat ea παραθαλασσία, ἐν ὁρίοις Ζαβουλὼν καὶ Νεφθαλείμ, *Matth.* 4: 13. Non quòd ea utriuſque eſſet terminus, ſed quòd intra fines *Zabuloniticos* & *Nephthaliticos* foret, ex antitheſi poſitis iis ad reliquas partes *Galilææ*. Sic μεθόρια Τύρου καὶ Σιδῶνος, *Marc.* 7. *v.* 24. non centrum iſtud denotant, ubi ſe partiuntur ditiones *Tyri* à ditionibus *Sidonis*; ſed *fines Tyro-Sidonios*, ut diſtinctos à finibus *Galilææ*. Nec longè tamen quidem diſſita erat hæc civitas ab ipſo limite, ubi ſe mutuò contigerunt fines *Zabulonitidos* & *Nephthalitica*, prope oram ſcilicet *Genneſaritici* maris Auſtralem, quod obſervavimus antè.

Nos *Capernaumum* inter *Tiberiada* & *Tarichæas* ſitam ſupponimus. An Κεφαρνώμη, apud *Joſephum*, in *vita ſua*, pag. 654. eadem cum hac fuerit, quærimus.

CAP. LXXXI.

Hiſtoria aliqua Tiberiadis.

Conſcriptum illic Talmud Hieroſolymitanum: quando.

Condita eſt *Tiberias* ab *Herode Tetrarcha* in honorem *Tiberii:* idque in communi cœmiterio, vel in loco ubi fuerant plurima ſepulchra: hinc omnimodâ ſuaſione, illecebris, & beneficentiâ uſus eſt conditor, ut invitaret incolas, *Joſeph. Antiq.* lib. 18. cap. 3. Amœniſſimus, ut videtur loci ſitus eum impulit, ut cum tali difficultate, ac incommodo luctaretur potiùs, quàm tam delectabili ſolo & ſede non frueretur: nam hinc alluens mare, illinc præterlabens intra modicum ſpatium *Jordanes*, iſtinc *Thermæ Chammath*, atque ab alio latere adjacens regio fertiliſſima *Genneſaritis*, urbem hanc, cum conde-

Digitized by Google

conderetur, amœnitate undique cinxit, & deliciis.

. Crevit ea indies in ſplendorem, ac evaſit tandem in primariam civitatem, non ſolum *Galilææ*, ſed & totius terræ *Iſraëliticæ*. Honorem hunc adepta eſt, ob tralatam illuc Academiam à *Rabbi Juda*; & continuatam illîc, per plurima ſecula. Nobilitata fuit juxta *Babylon. Beracoth*, fol. 30. 2. tredecim Synagogis, [inter quas כנישתא עתיקתא דס תגין *Antiqua Synagoga Serongiana*, *Hieroſol. Kilaim*, fol. 32. 3.] Synhedrio illic conſidente: collectâ, forte hîc à *R. Juda*, *Miſchnâ Talmudicâ*, & conſcripto certè ibidem *Talmude Hieroſolymitano*. Volumen illud ipſum locum editionis ipſius apertè loquitur; in quo vocabula הכא *hic*, & להכא *huc*, *Tiberiada* planiſſimè deſignant, locis ferè infinitis. At de tempore major eſt controverſia: inter doctos plurimos conſenſum eſt, conſcriptum fuiſſe hoc *Talmud* circa annum *Chriſti* 230. quod equidem miror, cùm in eo occurrat, nì ego quamplurimum fallar, mentio Imperatoris *Diocletiani*.

Liceat loca annotare.

Beracoth, fol. 6. 1. כד סליק דוקליטינוס מלכא להכא *Cum huc [Tiberiada] accederet rex Docletinus, viderunt R. Chajiam bar Abba ſcandentem ſepulchrum, ut eum videret.* Repetitur hæc hiſtoria in *Nazir*, fol. 56. 1. & vocatur is illic דוקלינוס errore, ut videtur, librariorum.

Kilaim, fol. 32. 3. דיקליטינוס הקוה נהרוה ועשא *Dicletinus congregavit fluvios, & confecit mare Apamiæ.* Recitatur & hæc hiſtoria *Chetbuboth*, fol. 35. 2. atque illic vocatur דוקליטיאנוס *Docletianus.*

Joma, fol. 41. 4. דוקלטינוס היה לו זהב משקל דינר נורדינון שחוט *Docletino fuit aurum puriſſimum, uſque ad pondus denarii Gordiani.*

Scheviith, fol. 34. 4. דוקליטיאנוס כד נחת תמן נחת עימיה קכ׳׳ רבוון *Cùm illuc acceſſit Docletianus, acceſſit cum 120. myriadibus.*

Trumoth, fol. 46. 2, 3. דיקלוט חזירא מחוניה טליי דר׳׳ יודה נשיא *Pueri R. Judæ Principis ictibus contuderunt Diclot, porcorum cuſtodem. Evaſit ille tandem Rex, accedensque Paneada, accerſivit Rabbinos, &c. Dixit iis, Ideo, quod Creator veſter pro vobis operatur mira, vos dominium meum contemnitis.* אמרין ליה דיקלוט חזירא בזינן דיקליטיאנוס מלכא לא בזינן *Cui illi, Nos Diclot porcarium contempſimus, Diocletianum Regem non contemnimus.* Hinc orta doctis nonnullis ſuſpicio, hoc non de *Diocletiano* Imperatore intelligendum; ſed de Regunculo neſcio quo ſordidiſſimæ originis: quod & ego aliquando ſum opinatus, donec aliquid tandem mihi occurrit, unde res extra omnem aleam videtur poſita. Illud reperis in

Avodah Zarah, fol. 39. 4. Quæritur illic à quodam מהו דצור ירידה אהן *Quid de foro Tſur?* Eſt illic inſcriptio, אנא דיקליטיאנוס מלכא שבנית אהן ירידה דצור לגדיה דארקלים אחי תמניא יומין *Ego Diocletianus Rex hoc forum Tſur (vel Tyri) condidi fortunæ fratris mei Herculii octoginta diebus.* ארקלים *Herculium* reddere & ſonus ipſe ſuadet, & conſonantia hiſtoriæ *Romanæ*, è qua quam propinqua cognatio fuerit inter *Diocletianum* & *Maximianum Herculium* omnibus eſt notum.

Diocletianum Palæſtinam peragrantem, memorat *Euſebius*, *de vita Conſtant.* lib. 1. cap. 13. ſordidaque ac humilia ejus incunabula *Romani* hiſtorici omnes, quæ apprimè cum his, quæ à *Talmudicis* referuntur, conveniunt.

Hi ſunt omnes loci, nì multum fallar, ubi in hoc *Talmude* hoc nomen occurrit, uno tantum excepto, quem huc rejeci, eò quod, poſt detectum ex his, hunc fuiſſe *Diocletianum* Imperatorem, numerentur etiam aliquot anni poſt eum excurrentes. Is locus eſt in *Scheviith*, fol. 38. 4. דיקליטיאנוס אעיק לבני פניים *Diocletianus afflixit Paneadenſes. Dixerunt ergo ei, Nos hinc diſcedemus: at dixit ei* סופיסטה *Sophiſta quidam, Aut non diſcedent, aut, ſi diſcedunt, redibunt: ſi autem de hac re vis experimentum, adducantur capreoli aliqui, atque in locum longinquum mittantur, atque illi tandem ad locum ſuum revertentur. Ille ità fecit: nam adducti ſunt capreoli, quorum cornua deauravit, ac miſit in Africam: illi autem poſt triginta annos redierunt ad locum ſuum.* Adverte, triginta annos ab actione hac *Diocletiani* elapſos: quos ſi vel à primo ejus anno numeres, ſcriptamque hanc hiſtoriam ſupponas anno iſtorum triginta ultimo, ad nonum aut decimum pervenis *Conſtantini*.

Occurrit etiam mentio *Regis Saporis*, ſi me non fugiat vera lectio. *Nedarim*, fol. 37. 4. הא חויה דשבור מלכא בלע גמלין *Serpens ſub Sapore Rege devoravit camelos.* Imò oritur mihi neſcio quæ ſuſpicio לוליינוס מלכא *Regem Lulianum*, de quo mentio ipſiſſimo iſthoc loco, *Julianum Imperatorem* denotare. *Cum illuc accederet*, inquiunt, *Lulianus Rex*, *comitatæ ſunt eum 120. myriades.* Sed de hoc ſatis.

Sunt, qui punctata *Biblia Sacra* credunt à Sapientibus *Tiberienſibus*. Ego impudentiam *Judæorum*, qui fabulam invenerunt, non miror; *Chriſtianorum* credulitatem miror, qui applaudunt. Recognoſce, quæſo, nomina *Tiberienſium*, à ſita illic primum

Acade-

Digitized by Google

Academia ad eam exſpirantem: & quidnam tandem invenis, niſi genus hominum, præ *Phariſaiſmo* inſaniens, Traditionibus faſcinans & faſcinatum, cœcum, vafrum, delirum; ignoſcant, ſi dicam Magicum & monſtroſum? Ad opus tam divinum homines quam ineptos, quam impotes, quam ſtolidos! Perlege *Talmud Hieroſolymitanum*, & nota qualiter illic ſe habeant *R. Juda*, *R. Chaninah*, *R. Judan*, *R. Hoshaja*, *R. Chaija Rubba*, *R. Chaija bar Ba*, *R. Jochanan*, *R. Jonathan*, reliquique inter *Tiberienſes* grandiſſimi Doctores, quam ſeriò nihil agant, quam pueriliter ſeria, quanta in ipſorum diſputationibus vafrities, ſpuma, venenum, fumus, nihil: & ſi punctata fuiſſe *Biblia* in iſtiuſmodi Schola potes credere; crede & omnia *Talmudica*. Opus Spiritus Sancti ſapit punctatio *Bibliorum*, non opus hominum perditorum, excœcatorum, amentium.

R. Juda, qui Academiam primus ad *Tiberiada* tranſtulit, ſedit quoque in *Zippore* per multos annos, ibique obiit: ità ut utrobique forent Scholæ celeberrimæ. Compoſuit & compegit ille *Miſchnajoth* in volumen unum. *Cum enim videret prolongationem captivitatis*, [verba ſunt *Tſemach David*, vertente *Vorſtio*] *& Diſcipulos puſillanimes redditos eſſe, ac defeciſſe vim Sapientiæ & Cabalæ, atque Legem oralem valde attenuatam eſſe, collegit & corraſit omnia Decreta, Statuta, & dicta Sapientum, quorum quodlibet ſejunctum conſcripſit, quod docuerat domus Senatus*, &c. *Et conſcripſit illa ſex claſſibus, quæ ſunt Zeraim, Moed, Nezikin, Naſhim, Kedoshim, Tahoroth.* Et paulò poſt, *Syſtema Miſchnajoth ratum habuerunt & in ſe ſuſceperunt omnes Iſraëlitæ: & in iis occupati fuerunt in vita Rabbi in Schola terræ Iſraëlis, duo filii ejus, Rabban Gamaliel & R. Simeon: atque R. Chaija, R. Oshaja, R. Chanina, & R. Joannes, eorumque ſocii. Et in Schola Babylonica iis operam navârunt Rabh & Samuel*, &c.

Examine ergò dignum eſt, unde ortæ fuerint differentiæ iſtæ inter *Miſchnam Hieroſolymitanam* & *Babylonicam*, in verbis infinitæ, in rebus quamplurimæ, quæ conferenti paſſim ſunt obviæ. Exemplum ſignale habes in ipſo *Hieroſolymitanæ* limine, *Beracoth*, cap. 1. hal. 4. ubi deeſt hiſtoria de *R. Tarphone* periclitante inter fures, quæ in *Babylonica* adeſt.

An *R. Juda* Syſtema illud compegerit in *Tiberiade*, an in *Zippore*, ſolicitè non inquirimus: in utraque ſedit, ac utramque Scholis nobilibus ditavit; at præeminuit *Tiberias*. Nam ישיבת טבריא גדולה משל צפורי *Major erat Academia Tiberienſis, quam Zipporitana*; *Gloſſa* in *Babylon. Sanhedrin*, fol. 32. col. 1.

CAP. LXXXII.

ZIPPORIS. צפורי.

Joſephus, *de Bello*, lib. 3. cap. 3. Σέπφωρις μεγίστη τῆς Γαλιλαίας πόλις, ἐρυμνοτάτῳ δ' ἐπικτισμένη χωρίῳ· *Zipphoris maxima urbs Galilææ, loco condita munitiſſimo.*

Babylon. Megill. fol. 6. 1. *Kitron* [*Judic.* 1. *verſ.* 29, 30.] *eſt Zipphoris: & quare vocatur* צפורי *Zipporis? Quia monti inſidet,* כצפיר *ſicut avis.*

Hieroſol. Biccurim, fol. 64. col. 2. & *Babylon. Megill.* ubi ſupra. *Sedecim milliaribus undiquaque à Zippore erat terra fluens lacte & melle.*

Celebrata eſt hæc civitas *Joſepho* ob res bellicas, celebratiſſima *Talmudicis* ob Academiam illic ſtatam, & rem literariam, quam huc contulit, ut diximus, *Rabbi Judah Sanctus.* Sedit ille hoc loci annis ſeptendecim, frequentiſſimeque de ſeipſo hoc dicere eſt ſolitus, *Vixit Jacobus in Ægypto annis ſeptendecim, vixitque Judah in Zippore annis ſeptendecim*; *Hieroſol. Kilaim*, fol. 32. col. 2.

Sedit etiam in *Beth-ſhaaraim*, ut & *Tiberiade*: ſed *Zippore* vitam clauſit, *Juchaſin*, fol. 2. col. 2. De ejus morte hæc hiſtoria, in *Hieroſol.* ubi ante. *Dixerunt Zipporitani, Quicunque nobis dixerit, Rabbi eſſe mortuum, nos eum interficiemus. Intuitus eſt eos Bar Kaphra, capite lacernis velato, dixitque, Sancti homines, & Angeli, apprehenderunt tabulas fœderis, prævaluitque manus Angelorum, atque illi tabulas abripuerunt. Dixerunt ei, Num mortuus eſt Rabbi? Dixit ille, Vos dixiſtis. Sciderunt veſtes ſuas ità, ut vox ſciſſionis uſque ad Papatham permearet, ad ſpatium ſcilicet trium milliarium. R. Nachman nomine R. Menæ dixit, Miracula facta ſunt iſto die. Cum omnes civitates congregarentur ad eum plangendum, idque veſperâ Sabbati, dies non declinavit, uſque dum unuſquiſque ſe domum recepiſſet, utrem aquâ impléſſet, atque candelam Sabbaticam accendiſſet. Bath Kol beatitudinem eum plangentibus pronuntiavit, unum ſolum excipiens, qui, exceptum ſe cognoſcens, è tecto ſe præcipitem dedit atque obiit.*

Gloſſa in *Babylon. Sanhedrin*, fol. 47. col. 1. *Obiit Rabbi Judah in Zippore, at ſepultura ejus in Beth-ſhaaraim; mortem ille in præceptis filiis dedit, Nè me ad ſepulturam portantes ploretis in civitatibus parvis, per quas tranſibitis, ſed in magnis*, &c. Quid tu ad hæc, ô *R. Benjamin*? Tibi, in *Itinerario*, *Sepulchrum ejus eſt in Zippore in monte, ut & ſepulchrum R. Chaijæ, & Jonæ Prophetæ*, &c. Controverſiam

verſiam compone tu cum patruele tuo citato.

Synagogæ plures erant in *Zippore*. In hiſtoria jam allata de morte *R. Judæ*, & ſepultura, mentio fit octodecim Synagogarum eum plangentium, ſed num hæ omnes *Zipporitanæ* fuerint, an è locis aliis, meritò quæritur. Erat certè

Hieroſol. Berac. fol. 6. col. 1. & *Nazir*, fol. 56. col. 1. כנשתא דגופנא דציפורין *Synagoga Gophnitica in Zippore.* Erat etiam כנשתא דבבל בציפורין *Synagoga Babylonica in Zippore.* Idem, *Berac.* fol. 9. col. 1. & *Shabb.* fol. 8. col. 1. Sunt & nomina plurima Doctorum illîc celebrium.

R. Honna Rabba; Idem, *Shekalim*, fol. 46. col. 1.

R. Abudma, *Zipporienſis*; Idem, *Niddah*, fol. 50. col. 2.

R. Bar Kaphra in Zippore; *Babylon. Sanhedrin*, fol. 91. 1.

R. Chaninah Zipporienſis: cujus memoria præ aliis frequentiſſima, *Hieroſol. Maaſar Sheni*, fol. 55. col. 4. *Shabb.* fol. 9. col. 2. *Trumoth*, fol. 45. col. 3. &c.

Controverſia *Zippore* orta determinatur coram *R. Simeone ben Gamaliel* & *R. Joſe*; *Bava Mezia*, cap. 8. hal. 8.

Inter plurimas, quæ adduci poſſent, hiſtorias in hac ſcena actas, nos has tantum in medium proferemus.

Hieroſol. Jebammoth, fol. 15. col. 3. & *Sotah*, fol. 23. col. 3. *Facta eſt aliquando inquiſitio in Zipporienſes: illi ergo, nè cognoſcerentur, panniculos ſuper nares applicuerunt; at tandem ſunt detecti*, &c.

Babylon. Joma, fol. 11. col. 1. *Quidam in platea ſuperiori Zipporis de ſchedulis poſtibus domus affixis curans mulctabatur mille Zuzis.* Arguunt hæc perſecutionem aliquam in *Judæos* in iſta civitate excitatam.

Hieroſol. Trumoth, fol. 45. col. 3. *Lanio quidam Zipporienſis Judæis vendidit carnes prohibitas, cadavera ſcilicet, & dilacerata: canes etiam furatus eſt, & carnem eorum vendidit. Veſperà quâdam Sabbati, poſt potum vinum, in tectum aſcendens inde decidit, atque mortuus eſt. Accedentes canes ſanguinem ejus linxerunt. Interrogatus R. Chaninah, Num abigendi canes? Nequaquam, inquit ille, nam comedunt de ſuo.*

Hieroſol. Horajoth, fol. 48. col. 3. memorantur בולווטייא ו:נניא בצפורין *Conſiliarii & Pagani in Zippore.*

Itemque בני קצרה של צפורין. *Hieroſol. Nedarim*, fol. 38. 4.

Diſtabat *Zipporis à Tiberiade*, referente *R. Benjamino* in *Itinerario*, ה׳ פרסאות 20. M. paſſuum.

Scriptum ſemel in *Talmude Hieroſolymitano*, ſuſpiceris hanc urbem זיפורין: *Avodah Zarah*, fol. 41. col. 2. כשהלך ר׳ עקיבה לזיפורין *Cum adiret R. Akiba Zipporim, adiêrunt eum, atque rogârunt, Num canthari gentilium ſunt mundi?* Perpenſione digna hiſtoria, ſi זיפורין *Zipporim* noſtram denotet *R. Akibah* in *Zippori*. Mortuus is eſt, annos ferè quadraginta ante tranſlatam illuc Academiam. At Scholæ fortè ibi antè Academiam.

Ter recitatur in iſto *Talmude*, *Joma*, fol. 38. col. 4. *Megill.* fol. 72. 1. hiſtoria de *Ben Elam* מציפורין [ſemel ſcribitur בצפרים, *Horajoth*, fol. 47. col. 1.] qui, cum Pontifex ſummus, ob contractam die Expiationis immunditiam, munere iſtius diei fungi non poſſet, ipſe ingreſſus eſt, & functus eſt.

CAP. LXXXIII.

Loca quædam Zippori confinia.

שיחן. קצרה. ישנה.

IN *Kidduſchin*, cap. 4. hal. 5. agitur de matribus Sacerdotum legitimis: inter alia dicitur, ne inquiratur ulterius, *Si pater ejus conſcriptus fuit* בערכי הישנה של צפורי *in Catalogo Jeshanæ Zipporienſis.* Gloſſ. *Urbs fuit vicina Zippori, cujus nomen Jeshanah: atque in more fuit eos, qui judicando idonei fuêre, conſcribere*, &c. Ita, ut tam propinqua *Zippori* videatur hæc *Jeshanah*, ut illîc reponerentur archiva *Zipporitana*.

II *Erachin*, cap. 9. hal. 6. *Oppida munita à diebus Joſuæ: Ketſarah antiqua, quæ pertinet ad Zipporim; & Chakrah, quæ pertinet ad Gush; Calah; & Jodaphath, [Jotapata] antiqua; & Gamala*, &c. Gloſſ. *Ketſarah eſt nomen urbeculæ extra Zipporim*: fortè huc referendum eſt illud, quod citavimus antè, בני קצירה של צפורין.

III. *Hieroſol. Nedarim*, fol. 38. col. 4. *Occurrit aliquando incendium in atrio Joſi Ben Simai in Shihin, & deſcenderunt incolæ Ketſaræ, quæ pertinet ad Zipporim, ut illud extinguerent: at ille non permiſit, dicens, Sinite, ut exactor exigat debitum ſuum. Confeſtim collecta eſt ſupra illud nubes, & deſcenderunt pluviæ & extinctum eſt. Egreſſo Sabbato, miſit unicuique eorum nummum.*

Meminit & *Joſephus*, *in vita ſua*, mihi pag. 653. Γαρεισίμης [*Gariſimes*] diſtantis à *Zippore* ſtad. XX.

Item apud eum, *de Bello*, lib. 2. cap. 37. eſt Ἀσαμὼν, τὸ μεσαίτατον Γαλιλαίας ὄρος, ὃ κεῖται ἄντικρυς τῆς Σεπφώρεως.

CAP.

Digitized by Google

CAP. LXXXIV.

אושא.

USHA.

B*Abylon. Roſh haſhanah*, fol. 31. 2. & *Juchaſ.* fol. 21. 2. *Migravit Synhedrium* מיבנה לאושא ומאושא לשפרעם *à Jabneh ad Usham, atque ab Usha ad Shepharaamam.* Gloſſa. *Ad Jabnen, in diebus Rabban Jochananis* [*ben Zaccai*;] *ad Usham in diebus Rabban Gamalielis: at redierunt ab Usha ad Jabnen; aſt in diebus Rabban Simeonis reverſi ſunt.*

Rationem, cur illuc migraverit *Rabban Gamaliel*, non aſſequimur: quæcunque ea fuerit, ſive turba aliqua à *Romanis* excitata, ſive indignatio ob præfectum cum eo R. *Eliazarum ben Azariæ*, ſeu quævis alia, illic certè exigua erat mora, redeunte poſt aliquantum ſpatium ad *Jabnem* vel ipſo *Gamaliele*, vel *R. Akibâ*, qui cathedram ejus capeſſivit.

At poſt bellum *Hadriani*, mortemque in iſto bello *R. Akibæ*, cum jam turbatior à *Romanis* eſſet *Judæa*, *Rabban Simeon*, *Gamalielis* iſtius filius, Præfecturam poſt *Akibam* excipiens, à *Jafne* ad *Usham* cum Synhedrio commigravit, nec reverſum eſt unquam poſtea ad *Jaſnem*.

Memorantur à *Talmudicis* quamplurima tranſacta *Ushæ*. *Hieroſol. Scheviith*, fol. 39. 2. *Cum intercalarent annum in Usha, die primo, proſtitit R. Iſmael, filius R. Jochananis ben Brucha, dixitque ſecundum verba R. Jochananis ben Nuri. Dixit Rabban Simeon ben Gamaliel, Non ſoliti ſumus ſic facere in Jafne. Die ſecundo Ananias, filius Joſi Galilæi, dixit ſecundum verba R. Akibæ. R. Simeon ben Gamaliel dixit, Sic ſoliti ſumus in Jafne.* Recitatur hæc hiſtoria in *Roſh haſhanah*, fol. 58. 3. & fol. 59. 3. & *Nedarim*, fol. 40. 1.

Idem, *Chethub.* fol. 28. 4. Vide & *Peah*, fol. 15. 2. *In Usha decretum eſt, ut nutriat homo parvulos ſuos: ut, ſi homo bona ſua filiis concedat, nutriatur ipſe & uxor ex iis, &c.*

Determinabatur etiam in *Usha* de comburenda *Truma* in caſibus dubiis quibuſdam; de quibus vide *Babylon. Shabb.* fol. 15. 2.

Sed, ne prolixiores ſimus, pro coronide ſit hæc hiſtoria. *Babylon. Sanhedr.* fol. 14. 1. *Decrevit aliquando regnum impium* [*Romanum*] *perſecutionem contra Iſraëlem: ut ſcilicet omnis ad Presbyteratum quemvis promovens interficiatur, atque omnis promotus interficiatur, atque ut civitas, in qua quis promovetur ad Presbyteratum, vaſtetur, atque ut limites, intra quos fit iſta promotio, eradicentur. Quid fecit Baba ben Judah? Profectus eſt, atque ſedit inter duos montes magnos, atque inter duas urbes magnas, atque inter duos limites Sabbaticos,* בין אושא לשפרעם *Inter Usham & Shepharaamam, atque ordinavit quinque Presbyteros, ſcilicet, R. Meir, R. Judam, R. Simeonem, R. Joſi, & R. Eliezar ben Simeon. Rabb Oia etiam addit R. Nehemiam. Cum hoc notum eſſet inimicis eorum: dixit ſuis, O filii mei, fugite: dixerunt ei, Rabbi, quid de te fiet? Dixit iis, Ecce, ego projectus ſum coram iis ſicut lapis, cui non ſunt motores. Dicunt, quod non indè receſſerunt, donec ei infixiſſent trecenta ſpicula ferrea, eumque feciſſent cribro ſimilem.*

CAP. LXXXV.

Arbel. Shezor.

תרנגלא עילאה.

J*Oſeph. Antiq.* lib. 12. cap. 18. Ἄρβηλα πόλις τῆς Γαλιλαίας. De ea mentio *Hoſeæ Cap.* 10: 14. At ſunt qui variè admodum locum iſtum interpretantur: ſcil. *Chaldæus Paraphraſtes, R. Solomon, Kimchi*; quos vide.

Erat inter *Zipporim* & *Tiberiada*, *Juchaſ.* fol. 65. 1.

Indè *Nittai Arbelites*, qui Præfecturam geſſit cum *Joſua ben Perabiæ*, *Avoth*, cap. 1. hal. 6. בקעת ארבל *Vallis Arbelis* memoratur à *Talmudicis*, *Hieroſol. Taanith*, fol. 69. 2.

Ita etiam סאה ארבלית *Modius Arbelitanus*, *Hieroſol. Peah*, fol. 20.

Juchaſ. fol. 68. 1. *Prope Zephath in ſuperiori Galilæa erat oppidum, nomine Shezor,* שיזור, *unde R. Simeon Shezori: ibi ille ſepultus. Memoria etiam eſt R. Iſmaelis Shezorei, qui fortè fuit ejus frater.*

In Schemate iſto, quod initio hujus operis exhibuimus, è *Gemariſtis Hieroſolymitanis*, limites terræ ſub Templo ſecundo delineantibus, obſervas inter alia locorum nomina mentionem loci, qui vocatur תרנגולא עילאה דלמעלה מן קיסרין. Ego reddo, *Geber*, vel *Gabara*, *ſuperior, quæ ſupra Cæſaream.* Quare תרנגולא reddam *Geber*, facillimè percipient verſati in *Talmudicis*, quippe quibus *Gallus Gallinaceus* indifferenter vocetur, *Chaldaicè* תרנגולא, & *Rabbinicè* גבר. Nec deeſt exemplum verſionis noſtræ: nam *Targum Jonathanis* in *Num.* 33: 35, 36. *Ezion Geber* reddit כרך תרנגולא: meminitque ipſe ipſiſſimum hunc locum, de quo agimus, *Num.* 34: 8. תרנגולא עד קיסרין. Et *Targum Hieroſolymitanum*, ibi, תורנגלא דקיסרין. *Cæſarea* autem iſta, quam volunt, eſt *Cæſarea Philippi*, quæ ad fontem *Jordanis*: *Gabara* autem iſta vocatur תרנגלא עילאה, *Gabara ſuperior*, diſtin-

Digitized by Google

diſtinctionis ergò, ab aliis ejuſdem nominis civitatibus. *Joſephus in vita ſua*, pag. 634. & 640. *Tiberiada*, *Sipphorim*, & *Gabaram*, vocat tres maximas urbes *Galilææ*. Memorat etiam *Ibid. pag.* 642. Γαβαρωθ κώμην, & *Ibid. pag.* 628. Γαβαεργαναίους, qui ab eo cum *Gadarenis*, & *Tyriis* connumerantur.

Hieroſol. Demai, מתרנגול קיסרין *A Gabara Cæſareæ, & inferius, ſicut terra Iſraëlitica*, quoad *Demai*.

CAP. LXXXVI.

Diſcrepantia morum quorundam Galilæorum à Judæis.

QUibuſnam incolis primum à reditu *Babylonico* plantatæ fuerint *Galilæa* & *Peræa*, non injuſta eſt quæſtio, cum apud libros *Ezræ* & *Nehemiæ* de his mentionem vix reperias, ſed de iis ſolum, qui *Judæam* incoluerunt & *Benjamitidem*. At quicunque illi fuêre, ſive puri *Iſraëlitæ*, ſive maculoſiores, ſive aliqui è decem Tribubus; multum certè quibuſdam ritibus, & non parum linguæ Dialecto, diverſi fuerunt *Galilæam* habitantes ab habitantibus *Judæam*.

Diſcrepantiam inter hos variam obſervant Pandecta *Judaica*: quibus hæc pauca producimus exempla, vice plurium.

Hieroſol. Chethub. fol. 29. 2. agitur de forma & modo ſcribendi donationem dotalem: *Sic & ſic*, inquiunt, *ſcripſerunt Hieroſolymitani, & Galilæi etiam ſcripſerunt ſicut Hieroſolymitani; aſt incolæ Judææ aliquid variarunt, &c.* Ubi *Gemariſtæ*, *Galilæis curæ fuit de fama, non de nummo: incolis Judææ curæ fuit de nummo, non de fama*, &c.

Peſachim, cap. 4. hal. 5. *Dicunt Sapientes. In Judæa opera ſervilia fecerunt veſperis Paſchatis, uſque ad meridiem, in Galilæa non omnino.*

Nedarim, cap. 2. hal. 3. חא״ סתם תרומה ביהודה אסורה ובגליל מותרת *Sapientes dicunt, Generale Trumæ in Judæa ligatur, in Galilæa ſolvitur:* שאין אנשי גליל מכירין תרומת הלשכה *nam Galilæi non norunt Trumam Paſtophorii.* Senſus Traditionis hic eſt. Cum quis votum generalibus terminis enuntiaret, ſic dicendo, Hoc mihi eſto ſicut *Truma*, non nominatâ quali *Trumâ*, *Galilæus* ſic dicens à voto ſolutus erat, quia ille præ diſtantia loci [ut Gloſſa] non novit *Trumam* theſauri ſacri: at *Judæam* habitans ſic dicens voto ligabatur.

Additur & eodem Textu, סתם חרמים ביהודה מותרין ובגליל אסורין. *Si generaliter quis vovet per Anathemata, in Judæa ſolvitur; in Galilæa ligatur, quia Galilæi non norunt Anathemata Sacerdotum.* Ubi Gloſſa. *Non erant inter Galilæos Sacerdotes: cum Anathematizarent ergo, Anathematizârunt nonniſi Deo.* Et *Gemara Hieroſolymitana*. *Quia aſſueti illi erant Anathemati Achanis, dicitur quod ligantur: aſt in Judæa, quia non aſſueti erant Anathemati Achanis, dicitur quod ſolvuntur.*

Toſapht. ad *Chethub.* cap. 1. *Dicit Rabbi Judah, in Judæa examen habuerunt de ſponſo & ſponſa tribus diebus ante nuptias; at in Galilæa non ita. In Judæa permiſerunt privatum conſortium ſponſo cum ſponſa per horam unam ante nuptias; at non ſic in Galilæa. In Judæa mos fuit, ut eſſent duo* שושבינין *amici maritatorum, unus è familia ſponſi, alter è familia ſponſæ; aſt non ſic in Galilæa. In Judæa amici iſti dormierunt eodem loco, ubi dormierunt ſponſus & ſponſa: at in Galilæa non ita, &c.*

CAP. LXXXVII.

Dialectus Galilæorum diſcrepans à Judaica.

ΑΛηθῶς καὶ σὺ ἐξ αὐτῶν εἶ, καὶ γὰρ ἡ λαλιά σου δῆλόν σε ποιεῖ, *Matth.* 26: 73. Pro commentario hæc ſunto, quæ traduntur à Magiſtris.

Babylon. Erubin, fol. 53. *Hominibus Judææ, qui accurati fuerunt in lingua ſua, confirmata eſt Lex eorum in manibus ipſorum: hominibus Galilææ, qui non accurati fuerunt in lingua ſua, non confirmata eſt Lex eorum in manibus ipſorum.* Gloſſa. *Accurati fuerunt* [homines *Judææ*] *in lingua ſua, ut loquerentur ſermone puro, non ſordido.*

Hominibus Judææ, qui de lingua ſua ſunt accurati, & ſtatuunt ſibi certa ſigna, confirmata eſt Lex eorum in manibus ipſorum: hominibus Galilææ, qui de lingua ſua non ſunt accurati, nec ſtatuunt ſibi ſigna, Lex eorum non confirmata eſt in manibus ipſorum. Gloſſa, *Accurati fuerunt de lingua ſua, eadem ſcilicet verba reddendo, quæ audierant à Magiſtris ſuis: & quoniam oraliter ſunt edocti, auditione poſt auditionem, ſtatuerunt ſibi de iis ſignum poſt ſignum: ideoque, quia erant accurati de lingua ſua, norunt ſibi ſigna apta ſtatuere, nè obliviſcerentur.*

Homines Judææ diſcunt ab uno Magiſtro, & Lex eorum confirmatur in manibus ipſorum: Galilæi non diſcunt ab uno Magiſtro, & Lex eorum non confirmatur in manibus ipſorum. Gloſſa. *Galilæi audierunt à Magiſtro uno linguâ unâ, ab alio aliâ, & diverſitas linguæ*, vel *enuntiationis, eos confudit ita, ut obliviſcerentur.* Et paulo poſt.

Dixit R. Abba, Si interroget quis homines Judææ, qui accurati ſunt de lingua ſua. מעברין *Num* כאברין תנן או מעברין תנן *dicunt cum* ע *an* כאברין *cum* א? *Num* עכוז *an* אכוז?

אכוו? *Reſpondebunt, Sunt, qui* מאברין *pro-ferunt* [cum א], *ſuntque, qui* מעברין [cum ע]. *Sunt, qui* אכוו, *& ſunt, qui* עכוו. Et paulò poſt.

Galilæus quidam dixit, אמר למאן אמר למאן *reſponderunt ei, O Galilæe fatue!* חמר למרכב: עמר למילבש: חמר למישתי: אימר לאיתכסאה. Senſus eſt, cum *Galilæus* quæreret אמר למאן *Cujusnam eſt* אמר? Literam primam in voce אמר tam vagè & incertè pronuntiavit, ut neſcirent auditores, an חמר vellet, id eſt, *aſinum*; an חמר, id eſt, *vinum*; an עמר, id eſt, *lanam*; an אימר, id eſt, *agnum*.

Galilæa quædam, cum vicinæ ſuæ dicere oporteret, תאי דאוכליך חלבא *Veni, & ego præbebo tibi lac* [vel *pingue* aliquid] *comedendum, dixit,* אמיליה שלוכתי תוכליך לבא Gloſſa. *Literas non diſtinxit, ſed confudit: nam, cum dicere oporteret* ש־ובהי *cum* ב, *quod vicinam denotat, dixit* שלוכתי *cum* כ *Caph. Pro* תאי דאוכליך חלבא, *Veni, & cibabo te lacte, dixit* תוכליך לבא, *quod imprecationem ſonat, id eſt, devoret te leo.*

Mulier quædam coram Judice dixit, ברי כירי תפלא הות לי ונבוך מן וכרו הות דכר שדרו לך עילוה לא מטי כרעיך ארעא Illud, quod dicere voluit, hoc fuit, Δεσπότα κύριε, *Tabula mihi fuit, quam furati ſunt: eaque tanta fuit, ut ſi te in eam collocarent, non attingerent pedes tui terram.* Aſt ea pronuntiatione ſua rem ità fœdavit, ut, interprete Gloſſatore, hunc ſenſum proferret, *Domine, ſerve, tignum mihi fuit, & te furati ſunt: fuitque illud tam magnum, ut ſi te in illo ſuſpenderent, non attingerent pedes tui terram.*

Vides inter alia, in Dialecto hac *Galilæa*, confundi admodum pronuntiationem gutturalium, quam utcunque corrigant in verbis allegatis *Judæi*; ipſis tamen non erat infrequens, ita ut *non diſtinguerent doctores myſtici inter Cheth & He.* Verba ſunt *Hieroſolymitanorum, Shabb.* fol. 9. 2. & hæc quoque *Babylonicorum, Beracoth*, fol. 32. 1. *Scholæ R. Eleazar ben Jacob pronuntiarunt Aleph Ain, & Ain Aleph.*

Exemplum unum iſtiuſmodi confuſionis obſervavimus antè, cum quidam ſic docens מי בצעים אין מכשירין intelligi voluit de מי ביצים, at incertâ pronuntiatione decepit auditores.

Aliud habes, *Hieroſol. Avod. Zarah*, fol. 39. 3. *Rabh dixit* עירדון. *Samuel dixit*, אירדון. *Rabh dixit*, מאברים. *Samuel dixit*, מעברים. *Rabh dixit*, יאותו. *Samuel dixit*, יעותו.

Perlegens verſionem *Samariticam* Pentateuchi alternationem gutturalium adeo frequentem invenies, ut non promptiorem iſtius linguæ clavem adipiſcaris, quam variationem iſtam obſervando.

CAP. LXXXVIII.

גלגל *in Deuter.* 11:30. *quiſnam locus.*

OBſcurum adeo eſt, quod dicitur à *Moſe*, *Gerizim & Ebal fuiſſe* מול הגלגל. *Deut.* 11:30. ut vox מול etiam in contrarias ſignificationes reddatur ab Interpretibus. Quidam in eo ſenſu accipiunt, ac ſi foret סמוך לגלגל, *prope Gilgalem*: *Babylon. Sotah*, fol. 33. 3. Quidam רחוק מן הגלגל, *longè à Gilgale*: *R. Sol. Deut.* 11. *Targumiſtæ, coram Gilgale.* Dum, ut mihi videtur, ſcrupulum non tangunt; qui non tam in ſignificatione vocis מול latet, quam in ambiguitate vocis גלגל. Hi omnes *Gilgalem* iſtam intelligere videntur, quæ populum *Iſraëliticum* excepit, nocte primâ poſt tranſitum *Jordanis*, *Joſuæ* 4:19. quæ, referente *Joſepho*, *Antiq.* lib. 5. cap. 1. diſtabat à *Jordane* ſtadiis tantum quinquaginta: at quam *Gemariſtæ*, quinquaginta milliaribus ampliuſque diſtitiſſe hariolantur. Nam, juxta *Kimchium*, in *Joſ.* 4. *dicunt, quòd iter iſtius diei fuit plus quam ſexaginta milliarium, à Jordane ſcilicet ad Gilgalem.* Atque hoc dicunt, ut *Gilgalem* prope *Gerizim* & *Ebal* ſtatuant; ubi prima nocte poſt introitum in terram *Canaanitidem*, populum caſtra-metatum fuiſſe opinantur, ex verbis *Moſis*, *Deut.* 27:2. *Die quo pertranſieris Jordanem, eriges tibi lapides magnos, & calce lævigabis eos, &c.* Lapides autem iſti, inquiunt, erecti ſunt in *Gerizim* & *Ebal*. Hinc illud *Gemariſtarum*, *Babylon. Sanhedr.* fol. 44. 1. in *Gloſſa*. *Dixit Dominus, Dixi ego, cum tranſieritis Jordanem, erigetis lapides; at vos exſpatiati eſtis uſque ad* 60. *milliaria.* Et *Sotah*, fol. 36. 1. *Gerizim & Ebal diſtabant* 60. *milliaribus à Jordane*

At certè *Gilgal* iſta, de qua *Moſes* in verbis iſtis, *Nonne Gerizim & Ebal ſunt* מול הגלגל, alia intelligenda eſt ab ea, quam *Joſua* eo nomine inſignivit, *Joſuæ* 5:9. Nam, cum *Moſes* verba iſta proferret, nomen *Gilgalis* iſtius prope *Jerichunta* non erat in rerum natura: nec *Gilgali* iſti, cum nomen iſtud ſortita eſſet, applicari poteſt illud, quod in libro *Joſuæ* dicitur de גוים לגלגל *Nationibus Gilgalis*, *Joſuæ* 12:23. Videtur ergo utroque in loco per *Gilgal Galilæa* intelligenda, idque tum ex cognatione vocum; nam גלגל & גליל ejuſdem ſunt radicis & etymi, tum ex ipſo ſenſu locorum. Nam, cum apud *Joſuam* enumerentur Reges quidam particularium aliquarum in *Galilæa* civitatum, *Kedesh*, *Jokneam*, *Dor*, *&c.* additur & Rex *Nationum Gilgalis*, vel *Ga-*

lilææ, qui nempe pluribus dominatus eſt urbibus & regionibus in *Galilæa*.

Sic etiam optimè reddi poſſunt verba *Moſis* in parem ſenſum, "Nonne iſti montes *Gerizim*, & *Ebal* ſunt ultra *Jordanem*, *ex adverſo Gilgal*, vel *Galilææ?*

Conjecturam noſtram firmant, I. Verſio LXX. qui גוים לגלגל reddunt Γεὶ τῆς Γαλιλαίας. II. Collatio *Joſephi* cum libro *Maccabaicôn*, in hiſtoria de *Demetrio*. *Caſtrametatus eſt ille*, inquit *Joſephus*, Ἐν Ἀρβήλοις πόλει τῆς Γαλιλαίας; at I *Macc.* 9:2. Ἐπορεύθησαν ὁδὸν τὴν εἰς Γάλγαλα, καὶ παρενέβαλον ἐπὶ Μεσαλὼθ τὴν ἐν Ἀρβήλοις. *Arbela* huic eſt in *Galgala*, vel *Gilgal*; illi in *Galilæa*.

CAP. LXXXIX.

Oppida varia nomine צור *TYRI inſignita.*

PRæter *Tyrum*, nobile emporium *Phœniciæ*, occurrunt varia ejuſdem nominis loca, & apud *Talmudicos*, & apud *Joſephum*.

Nominant illi *Hieroſol. Demai*, fol. 22.4. צור *Tyrum* unam in ipſis terræ limitibus, quæ tenebatur ad ſolvendas decimas; atque aliam pariter in limitibus, quæ non tenebatur: verba eorum exhibebimus poſtea. Inque his, quæ ſequuntur, exemplis, aliiſque quæ adduci poſſent, plurimis, in medio relinquunt, an de *Tyro Phœniciæ* ſit ſermo, an de loco ejuſdem nominis aliquo alio.

Idem *Kidduſchin*, fol. 64.4. *Jacob Navorienſis profectus eſt Tyrum* [לצור] *& quædam illic docuit, pro quibus eum plagis afflictum voluit R. Chaggai.*

Idem *Avodah Zarah*, fol. 42.1. *R. Mena adiit Tyrum* [לצור]: *quem illic invenit R. Chaija bar Ba, profectuſque dixit R. Jochanani quæ ille docuerat.*

Ibid. fol. 44.2. *R. Iſſa ivit Tyrum* [לצור] *& vidit eos bibentes vinum, &c.*

Joſephus Antiq. lib. 12. cap. 5. de *Hyrcano*, fratre *Simonis* Pontificis. *Condidit ille locum munitum inter Arabiam & Judam trans Jordanem*; καὶ τοιοῦτον ἀπεργασάμενος τόπον Τύρον ὠνόμασεν, *& Tyrum vocavit.*

Idem in *vita ſua*, de *Joanne ben Levi*. Cum ille *Giſchalitas*, jugum *Romanum* jam excutere aggredientes, retinere conatus eſſet, fruſtra id fecit: τὰ γὰρ πέριξ ἔθνη, Γαδαρηνοὶ, καὶ Γαβαραγαναῖοι, καὶ Τύριοι, *nam circumhabitantes populi, Gadareni, & Gabaraganai, & Tyrii, multâ vi militum collectâ, Giſchalam invadunt.* Hoc *Tyrios* vix è *Tyro Phœniciæ* adventaſſe ſupponere potes; ſed ab alio aliquo loco, cui idem nomen. Eâ ratione, qua plurima in terra *Iſraëlitica* oppida nomine *Ramæ* inſignita ſunt; quia nempe loco edito ſita erant; eâdem etiam plurima nuncupata ſunt nomine צור *Tyri*; quia ſcilicet ædificata fuerunt in loco petroſo.

CAP. XC.

CANA.

DE ſitu hujus loci parum certi habemus. Hoc tantum de *Cana* à *Joſepho* diſcimus, diſtitiſſe ſcilicet eam à *Tiberiade* tanto ſpatio, quantum ipſe cum exercitu emetiri potuit unâ nocte. Nam, cum ei per literas nuntiatum eſſet, *Juſtum* hoſtem *Tiberienſes* à fide ſua erga eum retrahere conari, *Ego*, inquit, in *vita ſua*, pag. 631. *tunc temporis eram in oppido Galilææ, vocato Cana; ducens ergò mecum ducentos milites, per totam noctem progreſſus ſum: nuntio præmiſſo, qui adventum meum Tiberienſibus indicaret: manè autem, cum urbi appropinquarem, à populo mihi obviam itum eſt, &c.*

De *Cana* etiam mentionem habet in eodem libello *de vita ſua*, his verbis, pag. 653. *Sylla, Dux Regis Agrippæ, caſtra ponens ſtadiis quinque à Juliade, cuſtodiis vias obſepit*, Τῇ τε εἰς Κανᾶ ἀγούσῃ, καὶ τῇ εἰς Γάμαλα τὸ Φρούριον, *& eam, quæ ducit ad Canam, & eam, quæ ad Gamalam caſtellum.* Jam verò, cum *Julias* & *Gamala* abſque omni dubio forent trans *Jordanem*, quæri etiam poteſt, an *Cana* iſta non etiam foret ab eadem ripa. At quæ ſequuntur, videntur hoc negare: nam vias obſepit, ὑπὲρ τοῦ τὰς παρὰ τῶν Γαλιλαίων ὠφελείας τοῖς ἐνοίκοις ἀποκλείειν, *Ut hoc modo ſubſidia omnia à Galilæis proventura recluderet.* Nota illud, *A Galilæis proventura*, id eſt, *à Cana*, lociſque *Galilææ* aliis *Canæ* adjacentibus

Julias iſta, quam *Sylla* obſidione cinxit, erat *Julias-Betharamphtha*, (de qua poſtea) quæ ſita erat ad ripam *Jordanis* ulteriorem, cum jam influxurus is eſſet in mare *Geneſariticum*. Videtur ergò *Cana* ex oppoſito jacere cis *Jordanem*; quam longe ab eo remotam non dicimus, at, ut conjectari licet, non multum: tantoque ſpatio diſtitiſſe à *Tiberiade*, quantum excepit tota longitudo maris *Geneſaritici*.

CAP. XCI.

PERÆA. עבר הירדן.

JOſephus *de bello*, lib. 3. cap. 4. *Peræa longitudo erat à Machærunte ad Pellam, latitudo à Philadelphia ad Jordanem.*

Hieroſol. Scheviith, fol. 38.4. *Montanum ejus erat Mons Macvar, & Gedor, &c. Planities ejus Heſhbon cum omnibus ſuis civitatibus, quæ in planitie, Dibon & Bamoth-Baal, &*

Beth-

Digitized by Google

Beth-Baal-Meon, *&c. Convallis ejus eſt Beth-Haran*, *& Beth-Nimrah*, *& Succoth*, *&c.*

Memoria *Montium Machmar* occurrit *Tamid*, cap. 3. hal. 8. & *Babylon. Joma*, fol. 39. 2. in hyperbolica iſta Traditione *R. Eliazaris ben Diglai*, dicentis, *Capras* בהרי מכמר *in montibus Machmar ſternutaſſe à nidore ſuffitus Thymiamatis in Templo*. A מכמר vox *Machmarus*.

Tota Regio Trans-Jordanica *Peræa* quidem audiit: at diviſa tamen ita erat, ut pars ejus Auſtralis ſingulatim *Peræa* vocaretur; pars reliqua *Batanæa*, *Auranitis*, *Trachonitis*. Sic dicitur à *Joſepho*, *de bello*, lib. 2. cap. 9. quod, donante *Auguſto*, cederet *Herodi Antipæ* Ἥτε Περαία καὶ Γαλιλαία· *Philippo* autem Βαταναία τε, καὶ Τράχων, καὶ Αὐρανίτις.

בשן: Pro idiomate *Syro* ש in ת permutante, in *Batanæam* tranſiit, בתנין, interpreti *Samaritico*: *Targumiſtis* מתנן, *Mem* & *Beth* alternantibus, quod non inuſitatum.

Urbs hujus regionis præcipua *Golan*, *Joſuæ* 20:8. unde *Gaulonitis*: eaque Γαυλωνιτικὴ ἄνω & κάτω. vide *Joſephum*, ubi prius, cap. 13.

Τράχων: *Judæis* טרכונא דמתחם לבוצרה *Trachon*, *quæ terminatur ad Bozram*. *Hieroſol. Scheviith*, fol. 36. 3. Non *Bozram Edomæam*, *Eſaj*. 63: 1. nec *Bezer Rubenitarum*, *Joſuæ* 20: 8. ſed aliam: nempe *Boſorram*, vel *Boſor*, in *Gileaditide*. De qua vide *Joſephum*, *Antiq*. lib. 12. cap. 12. & librum primum *Maccabaicum*, Capite 5. verſ. 26.

Dum de differentia inter *Bezer* & *Bozram* loquimur, præterire non poſſumus exemplum ſignale de hac re propoſitum à *Babylonicis*, *Maccoth*, fol. 12. 1. *Princeps Romæ* [Gloſſ. *Samael*, angelus mortis] *tripliciter olim errabit*, *ſicut ſcriptum eſt*, Quis venit ab Edom, veſtibus tinctis è Bozrah? *In hac re errat*, *quia refugium non eſt niſi in Bezor*, *& ille ſe recipit ad Bozram*, *&c.*

Joſeph. Antiq. lib. 17. cap. 2. Βαταναία ὡρίζετο τῇ Τραχωνίτιδι.

Auranitis. *Joſephus*, ibid. lib. 15. cap. 13. aliquando eam vocat *Abranitim*. *Cæſar*, inquit, *donavit Herodi* [*Magno*] Τράχωνα, καὶ Βαταναίαν, καὶ Ἀβρανῖτιν idque, ut ille latrones cohiberet, & domaret; qui regiones iſtas miſerrimè vexabant, &c.

CAP. XCII.

ADAM, *& ZARETAN*; *Joſuæ Cap.* 3.

Duplicem in Tabulis nonnullis errorem ſuſpicor, dum duo hæc oppida in *Peræa* collocant; multo magis, dum parum diſtantia collocant.

Non diffitemur quidem civitatem *Adam* in *Peræa* fuiſſe; at *Zaretan* non ita. De *Adam* mentio, *Joſuæ* 3: 16. ubi agitur de exciſione, vel diſſectione aquarum *Jordanis*; ut tranſitum præberent *Iſraeli* קמו נד אחד הרחק מאד באדם. Pro lectione Textuali באדם, marginalis habet מאדם. Utramque applices aptiſſime.

Adam fuit centrum partitionis aquarum: hîc ſtatio Arcæ fœderis, *Jordanem* jam introituræ. Hinc *Pſaltes*, אהל שכן באדם *Tentorium*, *quod fixerat in Adam*, *Pſalm.* 78: 60. Bene ergo obtinet lectio Textualis באדם, *in Adam*; quia illic centrum diſſectionis aquarum: at lucem inſuper addit marginalis מא־דם, *ab Adam*; quia longè ſupra eam earum exacervatio.

Hieroſol. Sotah, fol. 21. 4. *R. Jochanan dicit*, *Adam eſt civitas*, *& Zaretan eſt civitas*, *diſtantque a ſe invicem XII. milliaribus.* Ab *Adam* ad *Zaretanam* erant aquæ arefactæ, à *Zaretana* & ſupra erant coacervatæ. *Adam* erat in *Peræa* ex adverſo *Hierichuntis*, *Zaretan* erat in *Manaſſitide* cis *Jordanem*. Vocatur ea, *Zarthanah*, 1 *Reg*. 4: 12. & prope *Beth-Sheanam* definitur, quæ erat ultimus *Manaſſitidis* limes verſus Septentrionem. Dicuntur vaſa ænea Templi fuſa fuiſſe in planitie *Jordanis*, in terra argillacea inter *Zaretan* [cis *Jordanem*] & *Succoth* [ultra] 1 *Reg* 7: 46. Verba ergò citata apud *Joſuam*, הרחק מאד מאדם העיר אשר מצד צרתן, ſic intelligenda ſunt, ut non tam vicinitatem *Adam* & *Zaretan* denotent, quam ut accumulationem aquarum juxta *Zaretan* fuiſſe innuant. In hunc ſenſum ſunt reddenda, *Et conſtiterunt aquæ deſcendentes à deſuper*: *exſurrexerunt in acervum unum*, *longâ valde diſtantiâ à civitate Adam*, *nempe*, ad diſtantiam iſtam, *quæ eſt juxta Zaretan*.

Adam & *Zaretan* erant hinc illinc remotæ aliquantum à *Jordane*; at nominantur illæ in iſta hiſtoria, quia agitur ibi de tempore, cum *Jordanes* ſeipſum intra alveum ſuum non continuit, ſed ripas exceſſerat.

CAP. XCIII.

JULIAS-BETH-SAIDA.

Duplex erat *Julias*, utraque in *Peræa*: una ab *Herode* condita, *Beth-aramphtha* antè dicta, de qua *Joſeph. Antiq.* lib. 18. cap. 3. Ἡρώδης Βηθαραμφθᾶ μὲν, πόλις ἦν δ' αὕτη, τείχει περιλαβὼν Ἰουλιάδα ἀπὸ τοῦ αὐτοκράτορος ἀγορεύει τῆς γυναικός· altera à *Philippo*; olim *Beth-ſaida*, de quo idem, ibid. Φίλιππος κώμην δὲ Βηθσαϊδὰν πρὸς λίμνῃ τῇ Γεννησαρίτιδι πόλεως παρασχὼν ἀξίωμα, πλήθει τε οἰκητόρων, καὶ τῇ ἄλλῃ δυνάμει, Ἰουλίᾳ θυγατρὶ τοῦ Καίσαρος ὁμώνυμον ἐκάλησεν.

Tabu-

Digitized by Google

Tabulæ unam tantum *Juliada* depingunt; non malè, quia pro altera nomen *Beth-ſaidæ* ſubſtituunt: at de ſitu utriuſque non bene ſentiunt *Julias-Betharamphtha* ſita erat ad ipſiſſimum influxum *Jordanis* in lacum *Geneſariticum*. Nam ſic *Joſephus, de bello*, lib. 3. cap. 35. *Jordanes à lacu Samochonitide centum alia ſtadia emenſus*, μετὰ πόλιν Ἰουλιάδα διεκτέμνει τὴν Γεννησὰρ μέσην. Nonne hæc arguunt *Jordanem*, jam nunc in lacum *Geneſaritidis* ingreſſurum, *Juliada* antè præterlabi? Cui conſona ſunt quæ & ab eodem, in *vita ſua*, dicuntur. *Sylla*, inquit ille, *caſtra-metatus eſt ſtadiis quinque à Juliade, viaſque obturavit, eam ſcilicet, quæ duxit ad Canam, & eam, quæ duxit ad Gamalam caſtellum. Ego autem, hæc intelligens, bis mille armatos mitto, ſub duce Hieremia*; οἱ δὲ καὶ χαρακωθέντες ἀπὸ σταδίου τῆς Ἰουλιάδος πλησίον τοῦ Ἰορδάνου ποταμοῦ. Nota illud: Cum diſtarent ſtadio tantum à *Juliade*, parum abſunt à *Jordane*. Tabulæ remotius eam pingunt ab influxu *Jordanis* in *Geneſariticum*, quam patientur hæc verba.

Julias-Beth-ſaida non ſita erat in *Galilæa*, ut apud Tabulas; ſed ultra mare *Galilææ*, in *Peræa*. Hoc dicimus fide *Joſephi, de bello*, lib. 2. cap. 13. *Philippus*, inquit ille, *Cæſaream condidit in Paneade*, κἀν τῇ κάτω Γαυλανιτικῇ Ἰουλιάδα. Nota illud, *Juliada* [quæ olim erat *Beth-ſaida*] *in inferiori Gaulonitide*. Jam verò, non eſt, qui non novit *Gaulonitin* fuiſſe in *Peræa*. Hæc certè eſt iſta *Julias*, quam *Plinius*, *Natural. Hiſt.* lib. 5. cap. 15. collocat ab Oriente lacus *Geneſaritici*: [nam *Julias* altera vix erat juxta mare omnino] atque iſta, de qua *Joſephus, de bello*, lib. 4. cap. 27. cum ait; *Montanum quoddam trans Jordanem procurrere à Juliade ad Somorrham.*

C A P. XCIV.

GAMALA. CHORAZIN.

G*Amalæ* ſitum hæc definiunt. I. Erat ἐν κάτω Γαυλονιᾷ, in qua, ut vidimus, erat *Beth-ſaida*; *Joſeph. de bello*, lib. 4. cap. 1. II. Erat ὑπὲρ τὴν λίμνην [Γεννησαρεῖτιδα]. III. Erat Ταριχαιῶν ἄντικρυς. Confer Tabulas, num in ejus diſpoſitione cum his conveniant. Idem, *Antiq.* lib. 18. cap. 1. Hic natus eſt *Judas*, vulgò *Gaulonites* dictus, ac vulgo etiam *Galilæus*. Sic *Petrus*, & *Andreas*, & *Philippus*, erant *Gaulonitæ*, è *Beth-ſaida*, *Joan.* 1:45. & tamen dicti ſunt *Galilæi*.

De *Beth-ſaida* dum loquimur, ſubit memoria τῆς *Chorazin*, cum ea conjunctæ, in verbis *Chriſti*, *Matth.* 11:21. ut & in miraculorum ejus participatione, atque in æquali ingratitudine. Situm hujus loci ſi quæras, ubi invenies? Cis *Jordanem* illam collocant Tabulæ nonnullæ, trans *Jordanem* aliæ; at quanam autoritate nituntur, & hæ, & illæ? Merâ, ni fallimur, conjecturâ. Liceat & nobis etiam conjectari.

Vox חורשין, *Chorashin*, *Loca Saltuoſa* denotat, & apud paginas Sacras, & *Rabbinicas*. Indè dictam arbitramur *Chorazin*, quæ ſub manibus, quod ſcilicet loco ſita foret aliquo ſaltuoſo. Iſtiuſmodi locis claruit *Nepthalitis* præ aliis Tribubus; quo ſpectant verba *Jacobi*, *Nepthali Cerva emiſſa*, *Gen.* 49. id eſt, "*Nepthali* ferinâ abundabit, ſicut *Asher*, " [de quo mentio in verbis præcedentibus] " pane & ferculis regalibus: atque iſta *Talmudicorum*, *Hieroſol. Bava Bathra*, fol. 15. 1. *Communiter pecora paſcere licet* בחורשין אפילו שבט יהודה בשבט נפתלי *in ſaltuoſis locis, etiam Tribui Judæ in Tribu Nepthali.* Indè etiam *Harosheth Gentium* dicta, *Judic.* 4:2. quæ in iſta Tribu. His rationibus ductus *Chorazin* noſtram in *Galilæa* fuiſſe ſuppono potius, quam, ubi eam locant Tabulæ pleræque, in *Peræa*.

At mirum cum videatur, locum hunc tam celebrem præſentia frequenti, & miraculis *Chriſti*, nuſquam alibi in hiſtoria *Euangelica* mentionem obtinere, niſi in nuda iſta ejus memoria in verbis *Chriſti*, *Væ tibi Chorazin*, *&c.* cum *Beth-ſaida* & *Capernaum* [cum ea ab eo memoratæ] obtineant; quid ſi ſub hoc nomine, *Cana*, concludatur & regiuncula aliqua ei adjacens, quæ à ſitu in Saltu *Chorazin* diceretur, id eſt, *Saltuoſa*? Celebratur *Cana* frequenti præſentia *Chriſti*, & miraculis. Sed abſit nimia audacia conjecturæ.

C A P. XCV.

Oppida quædam ad ipſos terræ limites.
Ex Hieroſol. Demai, fol. 22. 4.

IN loco citato agitur de decimatione olerum ac ſeminum quorundam, Oryzæ ſcilicet, nucum, ceparum, fabarum *Ægyptiarum*, &c. & quæritur quid de earum decimatione ſtatuendum, ſi naſcantur in locis, quæ videntur extra terram, & hæc ſubinde inferuntur.

אילו עיירות אסורות בתחום צור שצת ובצרת ופי מצובה חנותה עלייתה וחנותה תחתייה ובית בדיא וראש מיא ואמון ומזי: אמר ר׳ מנא הדא דאתאמר בראשונה אבל עכשיו יש סוסיתה: עיינוש ועין תרע ורם ברין ועיון ויערוט וכפר וחרוב ונוב וחספיה וכפר צמח: אילו עיירות שהן מותרות בתחום נבי צור וצייר וגשמיי ווזיין ויגדי חטם ודבב הרבתירה וכרכרה.

Iſtæ urbes prohibentur in limitibus, *Tſur*, *Sezeth*, *& Bezeth*, *Pi Mazobah*, *Chanothah*

thah ſuperior & inferior, *Beth Badia*; *Roſh Maja*, *Amon & Maxi*. (*R. Mena dicit*, *Sic dicta eſt antiquitùs*, *ac nunc Suſitha.*) *Ainoſh*, *En Teraa*, *Ras*, *Berin*, *Jion*, *Jadot*, *Caphar*, *Charob*, *Chaſpia*, *& Caphar Tſemach*. *Iſtæ civitates permittuntur in limitibus*, *Nebi*, *Tſur*, *Tſijar*, *Gaſmi*, *Zivian*, *Jagdi*, *Chatam*, *Debab*, *Charbatha & Cheraccab*, [vel *Debab*, & ſolitudo ejus, & munitio ejus.]

Vides hìc nomen צור *Tſur* [de quo diximus antè] ſemel iterùmque: addamus & hæc ex *Hieroſol. Kilaim*, fol. 22. 3. *Ambulabo coram Domino in terris viventium. Et nonne ſunt aliæ terræ viventium*, *præter Tſur & ſocias ejus*, *& Cæſaream & ſocias ejus?*

De כפר צמח eſt etiam mentio loco primùm citato, col. 3. his verbis: *Rabbi ſolvit Bethshan. Rabbi ſolvit Cæſaream. R. ſolvit Beth-Gubrim: Rabbi ſolvit Caphar Tſemach:* [ab obligatione, ut videtur, τῶ *Demai.*] *Rabbi permiſit recipere olera*, *in exitu anni ſeptimi*; *aſt omnes contrariati ſunt ei. Dixit ille iis*, *Venite*, *& rem judicemus. Scriptum eſt* [de *Ezekia*] Et contudit æneum ſerpentem. *Quid? Annon erat quis juſtus à Moſe ad ejus uſque tempora*, *qui hoc faceret? At Deus reſervavit ei coronam iſtam*, *ut eâ coronaretur*: *& nobis etiam reſervavit hanc coronam Deus*, *ut nos eâ coronemur.* Egregium verò factum, & ſpolia ampla, *&c.*

CAP. XCVI.

Conſeſſus nobiliores: ex Babylon. Sanhedrin, fol. 32. 2.

T*Radunt Rabbini*, *Juſtitiam*, *Juſtitiam perſequere. Ito ad* (*Beth-Din*) *conſeſſum nobilem*, *ad R. Eliazarum ad Lyddam*, *Ad Rabban Jochanan ben Zaccai* לברור חיל: *Traditio. Sonus molarum* בבורני, *in Burni. Septimana filii*, *ſeptimana filii. Candela in* ברור חיל. *Convivium illìc*, *convivium illìc.*

Obſcuriora ſunt hæc & requirunt lucem.

ברור חיל videtur locum deſignare: ſed quemnam? Synhedrium certè *R. Jochananis* erat in *Jafne*, at diſtinguendus videtur Conſeſſus ejus, בית דינו, à Synhedrio. Sic educatus eſt *Paulus* ad pedes *Rabban Gamalielis*: at non in Synhedrio ejus, ſed בבית דינו in Conſeſſu, vel in Schola ejus. Sic conjecteris *Rabban Jochananem*, præter quòd Præſes ſederet ſummi Synhedrii, Conſeſſum ſuum peculiarem etiam habuiſſe in ipſa *Jafne*, vel loco aliquo vicino.

Quod ſequitur, *Traditio vox molarum*, &c. à Gloſſatoribus illuſtretur. *Vox molarum in Burni ſignum erat*, *quòd illìc erat Circumciſio*; *ac ſi publicè clamatum foret*, *Hebdomas infantis hic exſpirat. Et ſonus molæ ſignum erat*, *quòd commolerentur aromata*, *vulneri Circumciſionis applicanda. Erat autem tempus perſecutionis*, *quo prohibitum eſt circumcidere*: *timuerunt ergò publicâ voce notum facere de circumcidendo*; *at ſignum hoc ſtatuerunt.*

Candela in Beror Chel. Gloſſa. *Lux candelæ interdiu*, *aut multæ candelæ lucentes nocte*, *ſignum exhibuerunt*, *ac ſi quis publico præconio edixiſſet*, *Convivium Circumciſionis illìc*, &c.

Gloſſa altera. *Lucernas accendere ſoliti ſunt ad Circumciſionem. Mos etiam fuerat*, *mappam ad oſtium expandere*: *hinc illud*; *Mos invaluit Hieroſolymis*, *ut*, *quamdiu expanderetur mappa ad oſtium*, *itinerantes intrarent.*

Aruch, *in* אור. *Tempore perſecutionis non potuerunt celebrare publicas nuptias*, *nec publicam Circumciſionem*: *clanculùm ergò hæc præſtiterunt*: *ubicunque ergò erant candelæ lucentes in ſuperliminari*, *noverunt quòd illìc foret convivium nuptiale*; *atque ubicunque ſonus molarum*, *ibi Circumciſio.*

Hieroſolymitani Chetubb. fol. 25. 3. addunt, אף על פי שבטל השמד המנהג לא בטל *Quamvis ceſſaret perſecutio*, *non tamen ceſſavit iſta conſuetudo.*

Pergunt *Babylonici. Ito ad R. Joſuam* לפקיעין *ad Pekiin. Hieroſolymitanis* eſt בקיעין *Bekiin*, in iſta hiſtoria.

Chagigah, fol. 75. 4. *R. Jochanan ben Bruchah*, *& R. Eliezer cæcus*, *profecti ſunt à Jabneh ad Lyddam*, *atque exceperunt R. Joſuam in Bekiin*, בבקיעין.

Ito ad Rabban Gamalielem ad Jabnem.
Ito ad R. Akibam ad Bene Barak.
Ito ad R. Mathiam ad Romam.
Ito ad R. Chananiam ben Teradion ad Sichi.
Ad R. Joſen ad Zipporin.
Ad R. Judam ben Betirah ad Niſibin.
Ad R. Joſuam ad captivitatem, videl. ad *Pombeditham.*
Ad Rabbi ad Beth-ſhaaraim.
Ad Sapientes in conclavi Gazith.

CAP. XCVII.

Civitates Leviticæ.

DE iis vide *Numer.* Cap. 35. & *Joſuæ* Cap. 21.

Maimon. in *Shemittah Vejobel*, cap. 13. *Suburbana urbium Leviticarum erant* 3000. *cubitis ab unoquoque latere*, *a mænibus ſcilicet urbis & extrà*: *ſicut dicitur*, A mœnibus urbis & extrà mille cubiti: & menſurabitis ab extra urbem bis mille cubitos, *Num.* 35: 4, 5. *Mille priores ſuburbana erant*, *& bis mille poſteriores erant pro agris & vineis. Unicuique harum*

harum civitatum locum ſepulturæ ſtatuerunt extra hoſce terminos; nam intra iſtos terminos non licuit mortuum ſepelire. Rationem quæris? Non tam ad evitandam pollutionem, quæ contrahi potuit à ſepulchro, quàm ob curioſam *Scribarum* interpretationem Legis dicentis, Suburbana prædia harum civitatum *Levitis* data eſſe, pro pecoribus & jumentis, ולכל חיתם *Num.* 35: 3. *Pro vivis*, ergò inquiunt illi, non pro mortuis, aut pro ſepultura.

Idem, in *Retzeah*, cap. 8. Omnes civitates *Levitarum* erant civitates refugii; at cum hac diſtinctione à ſex iſtis, quæ propriè ſic vocabantur: quòd ſex iſtæ refugium præberent cuicunque in ea habitanti, reciperetne ſeſe illuc eo fine, necne; at reliquæ civitates *Leviticæ* non ita. Itemque, quod homicida incautus, ad ſex iſtas fugiens, gratis habitabat abſque data mercede pro domo, in reliquis civitatibus *Leviticis* non gratis.

Quadraginta octo civitates iſtæ *Levitarum* erant tot Academiæ, quo tribus Miniſterialis, turmatim diſtributa, ſtudio Legis incubuit, docta evaſit, atque indè per totam gentem diſſeminata, doctrinam & ſcientiam Legis per omnes Synagogas ſeminavit.

Duo non immeritò hîc obſervanda, quæ ab omnibus fortè, ſeriò ſatis non obſervantur. I. Statum Miniſterium Eccleſiæ *Iſraëliticæ* non fuiſſe Prophetas, ſed Sacerdotes & *Levitas*, *Mal.* 2: 7. Nam erat non rarò, cum non forent Prophetæ, atque ipſi Prophetæ populum ad Sacerdotes mittunt inſtruendum, *Hagg.* 2: 11. *Mal.* ubi antè. II. Conceſſas eſſe Sacerdotibus & *Levitis* Decimas, non ad Altare, aut in Templo miniſtrantibus ſolùm; ſed & ſtudentibus in Academiis, & concionantibus in Synagogis.

En methodum divinæ inſtitutionis. Populum peculiarem *Iſraëlem* ſibi eligit Deus: populo electo dat Legem & Clerum: Clero præcipit Legis ſtudium: Studiis aptat Sodalitia Academica: Academiis donat prædia & Decimas: Synagogis donat Decimas & Academicos.

Erant & Scholæ Prophetarum Academiolæ quædam, & collegia ſtudioſorum. Rectorem habuêre venerabilem aliquem Prophetam, Spiritu Sancto afflatum, & participem revelationum. Diſcipulos, non ſpiritu quidem eodem Prophetico afflatos, ſed Prophetica ab ore Magiſtri imbibentes. Illis revelavit ille ſibi revelata, de voluntate Dei, & ſtatu populi, de temporibus & eventibus *Iſraëlis*, & ſupra omnia de myſteriis Evangelicis, de *Meſſia*, ejus adventu, temporibus, morte, reſurrectione, & ab eo præſtandis.

In his Academiolis de *ſalute accuratè inquiſiverunt Prophetæ*, [quod ait Apoſtolus *Petrus*] *qui vaticinati ſunt de gratia ventura: perſcrutantes quodnam & qualenam tempus illud eſſet, quod à Spiritu Chriſti, qui in iis erat, fuit indigitatum, cùm paſſiones Chriſti prædiceret & gloriam ſubſecuturam.* Hæc, mero & nudo Legis ſtudio non expiſcanda, hîc docebantur, & ſic conjuncta ſtudia Legis & Evangelii completum reddiderunt Miniſtrum verbi Divini.

CAP. XCVIII.

Miſcellanea quædam faciem terræ ſpectantia.

ORdiamur à Canone iſto de lectione libri *Eſtheræ* in Feſto *Purim*. *Megill.* cap. 1. hal. 1. כרכים המוקפין חומה מימות יהושע *Oppida mœnibus cincta à diebus Joſuæ eum legunt decimo quinto die* (menſis *Adar*) כפרים ועיירות גדולות *Villæ, & civitates magnæ, eum legunt die decimo quarto.* אלא שהכפרים מקדימין ליום הכניסה *Niſi quod villæ anticipent, ad diem congregationis.*

Vides tripartitam urbium & oppidorum diſtinctionem. I. כרכים Munitiones, vel oppida mœnibus cincta à diebus *Joſuæ*. At unde ea dignoſcas? Ea ſcilicet, quæ memorantur in libro *Joſuæ*: פסקי הראש artic. 2. *Quæ utcunque temporibus ſubſequentibus muris cincta non eſſent, ſub claſſe tamen eorum, quoad lectionem iſtius libri, ſunt numerata. II.* עירות גדולות *Civitates magnæ.* Civitas magna ea vocabatur, in qua erat Synagoga; ſic definitur à *Piske Toſaphoth*, artic. 2. עיר גדולה הויא שיש בה י׳ בטלנין *Civitas magna eſt ea, in qua ſunt decem homines otii, orantes & legentes Legem.* Vide quid de his dicimus ad *Matth. Cap.* 4: *verſ.* 23. cum agimus de Synagogis. III. כפרים villæ. Iſtæ ſcilicet ubi non erat Synagoga. Imò, inquit *Piske Harosh*, כרך שאין בו י׳ בטלנין נדון ככפר *Oppidum munitum, in quo non ſunt decem homines otii* (vel *ceſſationis à mundanis*, hi autem conſtituerunt Synagogam) *reputatur ut villa*, &c.

Quod additur in textu *Miſhnico*, *Niſi quod villæ anticipent ad diem congregationis*, ſic explicatur à Gloſſatoribus. *Cùm oppida mœnibus cincta librum Eſtheræ legerent die decimo quinto, & non cincta mœnibus decimo quarto:* vide *Eſther.* 9: 21. *Et tamen dicatur anteà* (in Textu eodem *Miſhnico*) *quòd liber iſte legitur die undecimo, duodecimo, decimo tertio, licentiam villis conceſſerunt Sapientes, lectionem præoccupare, die ſcilicet, quo conventum eſt in Synagoga: nempe, vel ſecundo die Hebdomadis decimum quartum menſis antecedente, vel quinto*

Digitized by Google

quinto Hebdomadis; qui dies conventûs erant, in quibus villæ ſe in civitates receperunt ad judicium. Nam, diebus ſecundo & quinto Hebdomadis, ſederunt Conſeſſus judiciarii in civitatibus, ex inſtitutione Ezræ. Jam verò periti lectionis non erant pagani; neceſſe ergò erat, ut aliquem in civitate lectorem haberent, &c.

II. Obſerventur Canones, & cautiones de ſpatiis aut locis, quàm proximè urbem aut oppidum adjacentibus, è *Bava Bathra*, cap. 2. hal. 5.

I. מרחיקין את השובך מן העיר חמשים אמה *Columbarium non conditum erat intra quinquaginta cubitos ab urbe*: idque, nè columbæ hortos ſatos injuriâ aliquâ afficerent.

II. מרחיקין את האילן מן העיר כה״ אמה. *Non permiſerunt arborem intra viginti quinque cubitos ab urbe. Atquè hoc* [ut Gloſſa] *ob decorem urbis.*

III. מרחיקין את גורן קבוע מן העיר נ׳ אמה *Non permiſerunt aream* horrei *intra quinquaginta cubitos ab urbe*: nè ſcilicet, dum ventilaret, cives offenderent paleæ.

IV. *Non permiſerunt cadavera, aut ſepulchra, nec officinam coriariam, intra quinquaginta cubitos ab urbe*: [ob fœtorem ſcilicet] *nec officinam coriariam omnino permiſerunt, niſi à latere urbis Orientali. R. Akiba dicit, A quovis latere, excepto Occidentali; aſt ad diſtantiam quinquaginta cubitorum.*

III. Ab urbibus in arva & agros progrediamur.

Videres hic alicubi ficubus quibuſdam ſignalia quædam appenſa, quibus demonſtraretur cujuſnam anni forent fructus in ficu pendentes: *Hieroſol. Sheviith*, fol. 35. 4. vide quæ diximus ad *Matth.* 21: 19. Videres alibi arbores aliquas infrugiferas ſtigmate aliquo pudefactas. *Hieroſol.* Ibid. col. 3. *Arborem, quæ fructus ſuos excutit immaturos*, סוקרין אותו בסקרא *colore rubro notant, & lapidibus onerant.*

Videres agrorum arationem, & meſſionem, vinearum paſtinationem, & vindemiationem, normis Scribarum peragi æquè, ac arte agricolæ, aut vinitoris. Ea enim erat Patrum Traditionalium cura & ſolicitudo, de decimandis frugibus, & fructibus, de angulo pauperibus relinquendo, de vitando ſationem Heterogeneorum, & de non transgrediendo Legem de anno ſeptimo; ut non arandum, nec ſerendum, nec metendum foret, niſi ſecundùm regulam Traditionalem: hinc infinitæ iſtæ diſputationes in codicibus *Peah*, *Demai*, *Kilaim*, *Sheviith*, de quali & quota anguli portione relinquenda, & ex quibus rebus debeatur talis angulus, *Peah*, cap. 1. De agrum partientibus ita, ut duplicem angulum debeat pauperibus, *Ibid.* cap. 2. An debeatur angulus ex areis frugum inter oleas naſcentium, an ex agro variegatæ ſationis & meſſionis, *Ibid.* cap. 3. Quænam ſunt arbores, quarum fructus ſunt *Demai*, *Demai*, cap. 1. De quibus ſit decimatio τῦ *Demai*; *Ibid.* cap. 2. Quouſque eadem areola variis ſeminibus ſeri poſſit ita, ut non peccetur contra legem de Heterogeneis, *Kilaim*, cap. 3. Quot vites conſtituant vineam, de earum ordinibus, vineæ areolis, ſatione intra torcular, &c. *Ibid.* cap. 4. & 5. Atque innumeræ illiusmodi deciſiones, quæ agricolam adeò intra limites coercuerunt, ut non pro arbitrio ſuo terram ſuam coleret & meteret, ſed pro norma tradita. *Hieroſol. Peah*, fol. 18. 2. *Incolæ Beth-Namer pauperibus angulum emenſi ſunt funiculo, atque angulum dederunt ex unaquaque ſerie. Abba Saul dicit, Mentionem de iis faciunt in laudem & in vituperium: in vituperium, quia dederunt unam portionem è centum; in laudem, quia metientes funiculo collegerunt, & dederunt angulum ex unaquaque ſerie*: id eſt, funiculo menſurario metientes, centeſimam partem agri conceſſerunt pauperibus, eamque ex unaquaque ſerie manipulorum.

CAP. XCIX.

Subterranea. Metallo-fodinæ. Speluncæ.

Poſt ſuperficiem terræ aliquantùm obſervatam, ſubterranea etiam paulùm rimemur. Ea in tria partiaris, *Metallo-fodinas*, *Speluncas*, & *Sepulchreta*.

Inſigniter *metallo-fodinis* nobilitata erat hæc terra, ita ut *lapides ejus*, in locis quàm multis, *forent ferrum, & ex montibus ejus effoderetur æs*; *Deut.* 8: 9. Ab his *Judæis* lucrum, at *Chriſtianis* non rarò ſervitus & miſeria; quippe qui damnati huc frequenter à Tyrannis: ſic *Euſebius* lib. 8. cap. 15. de *Ædeſio*, Τοῖς κατὰ Παλαιςίνlω δέδοται μετάλλοις. *Ad metalla in Palæſtina eſt damnatus*: & rurſus de aliis, *Ibid.* cap. 17. Εἶτ᾽ ἐπὶ τὰς λοιπὰς μεταβὰς ὁμολογητὰς, τοῖς κατὰ Φαινὼ τῆς Παλαιςίνης χαλκοῦ μετάλλοις τὰς πάντας παραδίδωσιν. *Deinde ad reliquos Chriſti Confeſſores digreſſus, omnes ad æris metalla, quæ erant in Phæno Palæſtinæ, condemnat, &c.*

A parte terræ Septentrionali erant *Metallo-fodinæ* in *Aſeritide*: hinc illud *Deut.* 33: 25. *Calcei tui erunt ferrum & æs.* A Meridionali, in deſerto *Zin*, extremo limite *Judææ*; hinc ועבר צנה *Numer.* 34: 4. *Targumiſtæ Hieroſolymitano* eſt עבר בטור פרולא; *Jonathani*, לציני טור פרולא *Ad palmas montis ferri*: atque apud *Talmudicos*, *Succah*, cap. 3. hal. 1. ציני הר ברזל כשרות *Palmæ montis ferri ſunt idoneæ*, ad conficiendum faſciculum, manu geſtandum, in feſto Sceno-

Digitized by Google

pegiæ. Ab Orientali *Peræa* ora, erat etiam Σιδηρῦν ὄρ⊕, *Mons ferreus*, teſte *Joſepho, de bello*, lib. 4. cap. 27. Erant & aliæ, abſque dubio, hinc inde ſparſæ, iſtiuſmodi *fodinæ* in aliis terræ iſtius partibus, quarum mentio non occurrit.

De hiſce terræ excavationibus minimè mireris, cum utilitatem lucrumque tantum ſecum ferrent, & ad vitam humanam forent tam neceſſariæ: at quid de ſpeluncis & antris in petris & montibus dicendum, unde non lucrum, ut videtur, effoſſum, ſed periculum potiùs ſæpe locis vicinis oriens? Nam quidnam hæc, niſi latibula ferarum & latronum? Infinita harum cavearum mentio, & apud Paginas Sacras, & apud alias, præſertim verò *Joſephum*: apud quem memorantur ὑπόνομοι & σπήλαια infinities. Erantque plurimæ ex his ſpeluncis capacitatis immenſæ, & vix credendæ; ea præſertim apud *Talmudicos*, quæ vocatur *Spelunca Zedekiæ*, menſuræ non paucorum milliarium.

At num opera naturæ excavationes iſtæ, an humanæ manûs & induſtriæ? Exemplo uno è *Joſepho* dato, res determinetur. Referens ille hiſtoriam, de condito ab *Hyrcano* caſtello in *Peræa*, ſic ait inter alia, *Antiq*. lib. 12. cap. 5. Ἐκ ϳ̃ τῆς κατ' ἀντικρὺ τοῦ ὄρυς πέτρας διατεμὼν αὐτῆς τὸ προὔχον, σπήλαια πολλῶν σαδίων τὸ μῆκ⊕, κατεσκεύασεν. Et paulò poſt, Τὰ μὲν τοι ϛόμια τῶν σπηλαίων, ὡς τε ἕνα δι' αὐτῶν εἰσιέναι, ϗ μὴ πλείυς, βραχύτερα ἤνοιξε· ϗ̀ ταῦτ' ἐπίτηδες ἀσφαλείας ἕνεκα, τῦ μὴ πολιορκηθεὶς ὑπὸ τῶν ἀδελφῶν κινδυνεῦσαι ληφθεὶς κατεσκεύασε. Excilæ ergò è montibus, & petris erant hæ ſpeluncæ in uſus bellicos, ut refugia forent & munimenta. Et probabile eſt *Caananæos*, gentem bellicam & *Giganteam*, plurima ex his antris effodiſſe, ante ingreſſum *Iſraëlitarum* in iſtam terram; *Iſraëlitas* quoque numerum eorum auxiſſe. Vide de iſtiuſmodi ſpeluncis, *Joſuæ* 10: 16. *Judic*. 6: 2. 1 *Sam*. 22: 1. & 24: 3. 1 *Reg*. 18: 13. *Eſajæ* 11. *verſ*. 19, &c.

C A P. C.

De Sepulchretis.

Erant ſepulchra vulgaria, & ſepulchra nobiliora. Vulgaria erant in cœmiteriis publicis, ſicut apud nos; aſt erant ea extra urbem. *Maſſech. Semahhoth*, cap. 14. *Ac per iſtum locum non derivandus erat canalis aquarum; non ducenda per eum via publica; non paſcenda illic pecora; nec colligenda illinc ligna*.

Babylon. Berac. fol. 18. 1. *Nec erat inter ſepulchra ambulandum cum Phylacteriis capiti affixis, nec libro Legis brachio appenſo*.

Sepulchra quædam extraordinaria erant (id eſt, quoad locum ſitûs;) ut I. קבר תמצא *Sepulchrum inventum*: *Babylon. Sanhedr*. fol. 47. 2. & *Hieroſ. Nedarim*, fol. 57. 4. id eſt, cùm ſepelitur in agro cujuſvis, eo neſciente; at tandem detegitur ſepulchrum. II. קבר המזיק את הרבים *Sepulchrum publicè nocens*: id eſt, effoſſum juxta locum publicæ ambulationis, aut itinerationis; à cujus vicinitate contrahitur pollutio à prætereuntibus.

Sepulchra nobiliora exciſa erant in petra, in propriis prædiis, non modico ſumptu & artificio. Deſcriptam eorum formam habes, *Bava Bathra*, cap. 6. hal. ult. his verbis.

Qui vendit proximo locum ſepulchreti, quique recipit à proximo locum ſepulchreti, conficiat interiora ſpeluncæ quatuor cubitis & ſex cubitis: atque aperiat intra eam ח' כוכין *octo ſepulchra*. Non ſoliti ſunt, inquiunt Gloſſemata, ſingulatim, aut ſparſim, hìc illìc, homines ejuſdem familiæ ſepelire, ſed omnes unà in eadem ſpelunca: unde, ſi vendat quis proximo ſuo *Sepulchretum*, vendat ei ſpatium pro duabus ſpeluncis, aut cavitatibus utrinque, atque area in medio. כוך eſt ipſiſſimus locus, ubi reponitur mortuus.

Pergit Traditio. ג' כוכין מכאן *Tria ſepulchra ſunt hinc, & tria illinc, & duo juxta ea. Et ſepulchra iſta ſunt longitudinis quatuor cubitorum, altitudinis ſeptem, latitudinis ſex*.

Ingredientibus in ſpeluncam ſepulchralem, & feretro ſubeuntibus, erat primò area, ubi ſteterunt ipſi, ac feretrum depoſuerunt, indè demiſſuri in ſepulchrum: ab hoc ac illo latere erat ſpelunca, vel excavatio, areâ iſtâ quatuor cubitis profundior, in quam cadaver demiſerunt, paratis ibi ad varia cadavera recipienda variis loculis. *R. Simeon dicit, Concavum ſpeluncæ conficitur ſex cubitorum atque octo cubitorum: atque aperit intra eam tredecim ſepulchra, quatuor hinc, & quatuor illinc, & tria coram iis, unumque à dextra oſtii, atque alterum à ſiniſtra. Conficiturque area intra introitum in ſpeluncam quadraturæ, ſecundum dimenſiones feretri, ac ſubeuntium: atque aperit ab ea ſpeluncas duas: hinc unam, aliam inde. R. Simeon dicit, Quatuor ad quatuor ejus latera. Rabban Simeon Ben Gamaliel dicit, Totum conficiendum eſt ſecundum conditionem ſoli*.

Tractantur hæc à *Gemariſtis* & Gloſſatoribus ſummâ curioſitate & prolixitate, quos vide. Ex his, quæ dicta ſunt, plurima planiùs intelligas, quæ referuntur de ſepulchro *Salvatoris*; qualia hæc ſunt.

Marci Capite decimo ſexto, verſu quinto, *Introeuntes fœminæ in monumentum viderunt juvenem ſedentem à dextris*. In ipſa area illicò poſt introitum in ſpeluncam.

Lucæ Capite viceſimo quarto, verſu tertio, *Ingreſſæ non invenerunt corpus*, &c. verſu quinto, *Dum inclinarent faciem in terram*: verſu decimo ſecundo, *Petrus occurrit ad monumen-*

Digitized by Google

numentum, *&*, *cum ſe inclinâſſet*, *vidit lintea:* id eſt, fœminæ, *Petruſque* poſt eas, in area [בחצר] ſtantes, inclinant facies, & deorſum ſpectant in locum, ubi erant ipſa ſepulchra, [למערת הכוכין] qui areâ, ut dixi mus, profundior erat quatuor cubitis. *Joannis* Capite viceſimo, verſu quinto, *Diſcipulus, quem amavit Jeſus, venit prior ad monumentum*; *&*, *cum incurvâſſet ſe*, [in area ſtans, ut in ipſum ſepulchretum deſpiceret] *vidit lintea poſita*, *non tamen introivit: at Petrus introivit*, &c. id eſt, ab area deſcendit in ipſam ſpeluncam, ubi [כוכין] ſepulchrorum ordines; [in quæ tamen non adhuc recondita fuerant aliqua cadavera, præter corpus *Jeſu*] eò etiam poſt *Petrum* deſcendit *Joannes*. Et verſu undecimo, *Maria verò plorans ſtabat ad monumentum foris. Dum ergò fleret, incurvavit ſe in monumentnm, & conſpexit duos Angelos in albis ſedentes, unum ad caput, alterum ad pedes, ubi poſitum fuerat corpus Jeſu.*

Stabat ad monumentum foris: intra ſpeluncam quidem in area; at extra ſpeluncam iſtam profundiorem, ubi diſpoſita ipſa ſepulchra, [vel, כוכין] inclinans ſe, ut illuc deſpiceret; vidit duos Angelos, ad caput & pedes iſtius כוך ubi reconditum fuerat corpus *Jeſu*.

FINIS
Centuriæ Chorographicæ Matthæo præmiſſæ.

INDEX

Capitum in Centuria Chorographica Matthæo præmiſſa comprehenſorum.

CAput I. *Terræ partitio.* Pag. 169
Cap. II. *Cingulum terræ ſub Templo ſecundo Talmudicum: ex Hieroſol. Sheviith, fol. 36. col. 3.* 170 col. 2
Cap. III. *Magna pars Judææ Auſtralis exſecta ſub Templo ſecundo. Idumæa Judaïca.* 171 col. 1
Cap. IV. *Septem maria Talmudicis, & quatuor Fluvii ad terræ ambitum.* 172 col. 1
Cap. V. *Mare Sodomiticum.* 173 col. 1
Cap. VI. *Ora Aſphaltitis, Eſſeni, Engedi,* 174 col. 1
Cap. VII. *Cadesh.* רקם *ea duplex: at quæritur, an bene duplicata in Tabulis?* ibid. col. 2
Cap. VIII. *Fluvius Ægypti Rhinocorura. Sirbonis lacus.* 175 col. 2
Cap. IX. *Judææ facies.* 176 col 1
Chap. X. *Deſcriptio oræ maritimæ ex Plinio & Strabone.* ibid. col. 2
Cap. XI. *Montanum Judææ* : הר המלך 178 col. 1
Cap. XII. *Regio Auſtralis.* דרומא עילאה והתאה *Judæa* דרום *vocata, reſpectu Galilææ.* 179 col. 1
Cap. XIII. *Gaza.* ibid. col. 2
Cap. XIV. *Aſcalon. Gerar. Hiſtoria de Octoginta veneficis.* 180 col. 1
Cap. XV. *Jabneh. Jamnia.* 181 col. 1
Cap. XVI. *Lydda.* לוד. 182 col. 1
Cap. XVII. *Sharon. Caphar Lodim.* כפר לודים. *Villa Lyddenſium.* 183 col. 2
Cap. XVIII. *Caphar Tebi.* כפר טבי. Pag. 184 col. 1
Cap. XIX. *Ora Judææ Borealis. Beth-boron.* ibid. col. 1
Cap. XX. *Beth-el. Beth-aven.* 185 col. 1
Cap. XXI. *Hieroſolyma.* ibid. col. 2
Cap. XXII. *Partes urbis. Sion* Ἄνω πόλις, *Ea à parte Aquilonari.* 186 col. 2
Cap. XXIII. *Ædificia nobiliora in Sione.* 187 col. 2
Cap. XXIV. *Ædificia quædam in Acra. Bezetha. Millo.* 188 col. 2
Cap. XXV. *Gihon, idem cum fonte Siloum.* 189 col. 2
Cap. XXVI. *Cingulum urbis, Nehem. cap. 3.* 190 col. 1
Cap. XXVII. *Moriah mons.* 191 col. 2
Cap. XXVIII. *Atrium Gentium: Rabbinis* הר הבית. 192 col. 1
Cap. XXIX. חיל : עזרת נשים *Chel: Atrium mulierum.* 193 col. 1
Cap. XXX. *Porta Nicanoris, vel porta Orientalis Atrii Iſraëlis.* ibid. col. 2
Cap. XXXI. *De Portis & Conclavibus ad latus Atrii Meridionale.* 194 col. 1
Cap. XXXII. *Portæ & Conclavia à latere Septentrionali.* 195 col. 1
Cap. XXXIII. *Ipſum Atrium.* ibid. col. 2
Cap. XXXIV. *Altare. Annuli. Labrum.* 196 col. 1
Cap. XXXV. *Loca quædam alia urbis memorabilia.* ibid. col. 2

INDEX.

Cap. XXXVI. *Synagogæ in urbe : & Scholæ.* Pag. 197 col. 2
Cap. XXXVII. *Beth-phage.* בית פני. 198 col. 1
Cap. XXXVIII. *Kedron.* 199 col. 2
Cap. XXXIX. *Vallis Hinnom.* גי הנום. 200 col. 1
Cap. XL. *Mons Olivetus* הר הזיתים *2 Sam. 15: 30. Zach. 14: 4. Rabbinis vulgò* הר המשחה. ibid. col. 2
Cap. XLI. *Bethania.* בית היני. 202 col. 1
Cap. XLII. צופים. Σκοπὸς. ibid. col 2
Cap. XLIII. *Ramah. Ramathaim Zophim. Gibeah.* 203 col. 1
Cap. XLIV. *Noba. Bahurim.* ibid. col. 1
Cap. XLV. *Emmaüs. Kiriath-Jearim.* ibid. col. 2
Cap. XLVI. *Regio Hierichuntina : atque urbis ſitus.* 204 col. 1
Cap. XLVII. *Hiericho ipſa.* 205 col. 1
Cap. XLVIII. *Miſcellanea quædam ad regionem Jerichuntinam ſpectantia.* 206 col. 2
Cap. XLIX. *Hebron.* 207 col. 1
Cap. L. *De Civitatibus refugii.* 208 col. 1
Cap. LI. *Beth-lehem.* ibid. col. 2
Cap. LII. *Betar.* ביתר. ibid. col. 2
Cap. LIII. עפרים. *Ephraim.* 209 col. 2
Cap. LIV. בית חרודו & צוק, 210 col. 1
Cap. LV. *Varia.* ibid. col. 2
Cap. LVI. *Samaria. Sychem.* 212 col. 1
Cap. LVII. *Cæſarea.* Πυργ☉ Στράτων☉. 213 col. 2.
Cap. LVIII. *Antipatris.* כפר שלם. 214 col. 2
Cap. LIX. *Galilæa.* גליל. 215 col. 2
Cap. LX. *Scythopolis.* בית-שאן *initium Galilææ.* 216 col. 1
Cap. LXI. *Caphar Hananiæ.* כפר חנניה: *Medium Galilææ.* ibid. col. 2
Cap. LXII. *Diſpoſitio Tribuum in Galilæa.* ibid. col. 2
Cap. LXIII. *Ora Galilææ Occidentalis. Carmelus.* 217 col. 2
Cap. LXIV. *Acon.* עכו. *Ptolemaïs.* 218 col. 1
Cap. LXV. *Ecdippa. Achzib. Joſuæ* 19: 29. *Judic.* 1: 31. Κλίμαξ Τυρίων. 219 col. 1
Cap. LXVI. *Ora Galilææ Septentrionalis. Amanah. Mons Nivis.* ibid. col. 2
Cap. LXVII. פמיס. *Paneas fons Jordanis.* 220 col. 1
Cap. LXVIII. *Quid dicendum de* ימא דאפמיא 221 col. 1
Cap. LXIX. *Lacus Samochonitis.* ibid. col. 2
Cap. LXX. *Lacus Genneſariticus, vel, mare Galilææ & Tiberiadis.* 222 col. 1
Cap. LXXI. *Intra quamnam Tribum lacus Genneſariticus.* ibid. col. 2
Cap. LXXII. *Tiberias.* 223 col. 2
Cap. LXXIII. *De ſitu Tiberiadis.* 224 col. 1
Cap. LXXIV. חמת. Ἀμμαοῦς חמי טבריא. *Thermæ Tiberiadis.* ibid. col. 2
Cap. LXXV. *Gadara.* גדר. 225 col. 2
Cap. LXXVI. *Magdala.* 226 col. 1
Cap LXXVII. *Hippo.* סוסיתה. ibid. col. 1
Cap. LXXVIII. *Oppida quædam alia Tiberiadi vicina.* בית-מעון: כפר חיטיא: פלטתה: ibid. col. 2
Cap. LXXIX. *Regio Genneſaritis.* 227 col. 1
Cap. LXXX. *Capernaüm.* ibid. col. 1
Cap. LXXXI. *Hiſtoria aliqua Tiberiadis. Conſcriptum illic Talmud Hieroſolymitanum: quando.* ibid. col. 2
Cap. LXXXII. *Zipporis.* צפורי. 229 col. 2
Cap. LXXXIII. *Loca quædam Zippori confinia.* שיחין. קצרה. ישנה. 230 col. 2
Cap. LXXXIV. אושא *Usha.* 231 col. 1
Cap. LXXXV. *Arbel. Shezor.* תרנגלא עילאה ibid. col. 2
Cap. LXXXVI. *Diſcrepantia morum quorundam Galilæorum à Judæis.* 232 col. 1
Cap. LXXXVII. *Dialectus Galilæorum diſcrepans à Judaïca.* ibid. col. 2
Cap. LXXXVIII. גלגל *in Deuter.* 11: 30. *quiſnam locus.* 233 col. 2
Cap. LXXXIX. *Oppida varia nomine* צור *Tyri inſignita.* 234 col. 1
Cap. XC. *Cana.* ibid. col. 2
Cap. XCI. *Peræa.* עבר הירדן. ibid. col. 2
Cap. XCII. *Adam, & Zaretan; Joſuæ cap.* 3. 235 col. 1
Cap. XCIII. *Julias-Beth-ſaida.* ibid. col. 2
Cap. XCIV. *Gamala. Chorazin.* 236 col. 1
Cap. XCV. *Oppida quædam ad ipſos terræ limites. Ex Hieroſol. Demai, fol.* 22. 4. ibid. col. 2
Cap. XCVI. *Conſeſſus nobiliores : ex Babylon. Sanhedrin, fol.* 32. 2. 237 col. 1
Cap. XCVII. *Civitates Leviticæ.* ibid. col 2
Cap. XCVIII. *Miſcellanea quædam faciem terræ ſpectantia.* 238 col. 2
Cap. XCIX. *Subterraneá. Metallo-fodinæ. Speluncæ.* 239 col. 2
Cap. C. *De Sepulchretis* 240 col. 1

IN

Digitized by Google

IN EUANGELIUM SANCTI MATTHÆI HORÆ HEBRAICÆ ET TALMUDICÆ.

Digitized by Google

Chariſſimis

CATHARINENSIBUS

ſuis Salutem.

Pſiſſima eadem ſuaſiones, quæ me primùm & præcipuè ad evolutionem Talmudicorum *excitârunt, excitârunt etiam ad præſens opus: ità ut ab iiſdem rationibus emanent hi fructus & uſus iſtius lectionis, à quibus primùm ipſa lectio. Nam*

Primò, Cùm omnes libri Novi Teſtamenti à Judæis *ſint ſcripti, atque inter, & ad* Judæos; *cùmque omnes orationes in eo habitæ, à* Judæis *pariter, atque ad, & apud* Judæos *fuerint habitæ: pro re indubitatiſsima hoc mihi ſemper perſuaſum fuit, non poſſe iſtud Teſtamentum non* Judæorum *ſtylum, idioma, loquendi formam normamque, ſapere ubique, & retinere.*

Atque hinc æquè indubitanter à me concluſum eſt etiam Secundò, Quod in locis iſtius Teſtamenti obſcurioribus (quæ ſunt quamplurima) optimus & ſummè genuinus ſenſum eruendi modus eſt perquirendo, quomodo & quonam ſenſu intellectæ fuerint iſtæ Phraſiologiæ & locutiones, ſecundum vulgarem & communem gentis iſtius Dialectum & ſententiam, & ab iis qui eas protulerunt, & ab auditoribus. Non enim valet, quid nos de iſtiuſmodi locutionibus à conceptûs noſtri incude fingere poſsimus: ſed quid illæ apud eos ſonuerint vulgari ſenſu & ſermone. Quod cum nullo alio modo perquiri poſsit, quàm autores Talmudicos *conſulendo; qui & vulgari loquuntur* Judęorum *Dialecto, atque omnia* Judaica *tractant & patefaciunt: hiſce rationibus ego inductus, præcipuè horum voluminum lectioni me applicui; ſat ſciens quidem & certus, me cum infinitis & inſuperabilibus ferè difficultatibus colluctaturum; aſt omnes poſthabens, atque obdurato propoſito armatus, ut, ſi fieri poſſet, pleniorem ac reconditiorem ſtyli ac Dialecti Novi Fæderis notitiam ac ſenſum obtinerem & lucrarer.*

Volumina iſta legere aggredientem terrere primò poteſt Autorum iſtorum mala fama, qui peſſimè quidem audiunt apud omnes. Fætent Judęi *apud* Marcellinum, *(lib. 22.) & fætent* Judaica *hæc ſcripta fere apud omnes; atque hoc laborant infortunio neſcio quo ſingulari, ut etiam non lecta diſplicеant, & vituperata ſatis ab iis qui legerunt, ab iis qui non legerunt vituperentur multò magis.*

Volumina iſta legentem ſupra modum torquent, cruciant, & fatigant, ſtyli difficultas tantùm non inſuperabilis, linguæ aſperitas tremenda, & rerum tractatarum ſtupenda inanitas & vafrities. Nugis ubique ſcatent ità, ac ſi nollent legi; obſcuris ac difficilibus, ac ſi nollent intelligi: ità ut ubique patientiâ Lectori ſit opus, & nugas ferendo & aſperitates.

Ego quidem, dum ea evolverem, hæc tria mihi ſemper propoſui; ut cruciatus iſtos lectionis, quantùm liceret, vel eluderem, vel emollirem; vel ſolarer; atque fructum ab iis, ſi fieri poſſet, & quantum poſſem, excerperem & reportarem. I. *Ea obſervare apud me ſtatui, quæ facem aliquam præbere viderentur Sacris Paginis; præſertim verò, vel Phraſiologiis, vel ſententiis, vel hiſtoriæ Novi Teſtamenti.* II. *Ea in pugillares referre, quæ memoriam aliquam ſecum ferrent locorum quorumvis in terra* Iſraëlitica, *aut lucem aliquam exhiberent Chorographiæ iſtius terræ.* III. *Ea notare, quæ hiſtoriam* Judæorum *ſpectarent, vel Eccleſiaſticam, vel Scholaſticam, vel Civilem, quæve* Chriſtianam, *aut reliqui mundi.*

Et jam poſt inſpectam atque obſervatam oculo, quantùm potuimus, intento horum Autorum naturam, artem, materiam & medullam, non poſſum ego verum & vivum

Digitized by Google

IN EUANGELIUM S. MATTHÆI HORÆ HEBRAICÆ ET TALMUDICÆ.

CAPUT I.

VERS. I. Βίβλος Γενέσεως Ἰησοῦ Χριστοῦ.

עשרה יוחסין עלו מבבל וגו':

CAP. I. VERS. I.

DECEM *Stirpes aſcenderunt è Babylone:* I. כהני *Sacerdotes.* II. לוי *Levitæ.* III. ישראל *Iſraëlitæ.* IV. חלילי *Profani*, quoad Sacerdotium; Patribus quidem Sacerdotibus orti, at matribus thoro Sacerdotali non idoneis. V. גירי *Proſelyti.* VI. חרורי *Liberti*, vel Servi manumiſſi. VII. ממזירי *Nothi*, è conjugio orti, aſt illegitimo. VIII. נתיני *Nethinæi.* IX. שתוקי *Spurii*, certæ matris, at patris incerti. X. אסופי *Collectitii*, è plateis; patre matreque incertis: *Talm.* in *Kiddushin, cap.* 4. *artic.* 1.

Gens certè maculoſa, atque ideò in hac colluvie [juxta ſententiam Hebræorum] è Babylone educta, nè totum ſemen Judaïcum, illîc adhuc commorans, ab ea commacularetur. כו לא עלה עזרא מבבל עד שעשא כסולת נקיה: *Non enim aſcendit Ezra è Babylone, uſque dum eam puram reddidiſſet inſtar farinæ.* Verba ſunt Gemaræ Babylonicæ, quæ ſic explicat gloſſa: *Non reliquit quemvis illic, modo quovis illegitimum, ſed Sacerdotes tantùm & Levitas, atque Iſraëlitas puræ ſtirpis. Decem ergò hæc proſapiarum genera ſecum abduxit, nè hæ cum iſtis commiſcerentur, cùm jam non ſupereſſet illic Synedrium, à quo de hac re caveretur. Adduxit eos ergò Hieroſolymas, ubi à ſtato illic Synedrio provideri poſſet, nè legitimi conjugia inirent cum illegitimis.*

Hæc paululùm, in ipſo hiſtoriæ Evangelicæ limine jam ſtantes, meditemur.

I. Quanta nubes obſcuritatis, de Ortu Chriſti, populo non oboriri non potuit, vel ab ipſo è Babylone reditu, cùm puriorem illîc, quàm in terra Iſraëlitica, Judaici ſanguinis ſcaturiginem, aut certè viderunt, aut videre ſe certè crediderunt. CAP. I. VERS. I.

II. Quantâ curâ, apud familias puri ſanguinis, opus fuit, ut ab hac colluvie ſe intactas ac puras conſervarent, libelloſque pariter genealogicos apud ſe à ſeculo in ſeculum reponerent, legitimæ ſuæ ſtirpis, ac ingenui ſanguinis, teſtes fidos, ac monumenta ſempiterna.

Audi hac in cauſa querelam ac hiſtoriam. *Hieroſ. Kiddushin,* fol. 65. 3. *Babyl. ibid.* fol. 71. *R. Jochanan dixit, Per templum, In manu noſtra eſt eos detegere, qui non puri ſanguinis ſunt in terra Iſraëlis: At quid faciam? cùm viri primarii hujus ſeculi lateant:* [id eſt, cùm non puri ſanguinis ſint, palàm tamen de iis non prædicatur.] *Idem opinatus eſt cum R. Iſaac, qui dixit,* משפחת שנטמעה נטמעה *Familia* [polluti ſanguinis] *quæ latet, lateat. Dicit etiam Abai, Nos hoc quoque traditione didicimus, Quòd familia quædam fuerit, Beth Zeriphæ vocata, trans Jordanem, & amovit eam filius Zionis.* (Gloſſ. Impuram eam eſſe publico præconio declaravit vir aliquis eximius.) *Alteram autem, quæ talis fuit, appropinquare fecit. Altera etiam fuit, quam ſapientes noluerunt manifeſtare.*

III. Cùm Synedrio Hieroſolymis ſtato ſummè incubuerit, puras familias puras adhuc, quoad in ſe, conſervare; cumque ipſi canones præſcripſerint de conſervanda populi legitimatione, (quod videre eſt in iis, quæ ſequuntur ad locum allegatum) neceſſitas quædam erat, ut apud ſe reponerent publica proſapiarum monumenta, unde dignoſceretur, quænam familia pura, quænam maculoſa. Hinc

Digitized by Google

CAP. I. VERS. 1. Hinc illud *Simeonis ben Azzai* notatu dignum, *Vidi ego*, inquit ille, *libellum Genealogicum Hieroſolymis, in quo ſic ſcriptum eſt, N. ſpurius ex uxore aliena.* Babyl. Jevamoth, fol. 49. 2. Adverte vel ſpurium publicis codicibus genealogicis inſcriptum, ut ſpurium eum eſſe dignoſceretur, atque à ſeminis ejus macula caverent puriores. Notetur & illud, Hieroſ. Taanith, fol. 68. 1. *Codicem Genealogicum invenerunt Hieroſolymis, in quo ſic ſcriptum: Hillel ortus eſt à Davide. Ben Jatſaph ab Aſapho. Ben Tſitſith haccеſe:h ab Abnere. Ben Cobiſin ab Achabo*, &c. Atque Archiva genealogica redolent ea, quæ de Xylophoriis memorantur in Mishnico textu iſtius Tractatus Taanith, cap. 4. halac. 5. *Tempora Xylophorica Sacerdotum populique fuerunt novem. Primo Niſanis, filiis Erach filii Judæ: viceſimo Tammuz, filiis Davidis filii Judæ: quinto Ab, filiis Paroſh filii Judæ: ſeptimo ejuſdem, filiis Jonadab filii Rechab: decimo ejuſdem, filiis Sennaah filii Benjamin*, &c.

Facilè eſt ergò conjectari, unde *Matthæus* Genealogiæ hujus ſuæ tertiam *Decateſſerada* hauſerit, *Lucaſque* quadraginta prima nomina ſuæ: à libellis ſcilicet Genealogicis, tunc temporis ſatis notis, & apud publica κειμήλια repoſitis, atque etiam apud privata. Ac neceſſe quidem erat, in argumento tam ſpectato ac ſublimi, tantæque apud populum Judaicum diſquiſitionis, qualis erat delineatio progeniei *Meſſiæ*, ut non ſolùm veritatem traderent Euangeliſtæ non contradicendam, ſed & è certis & fidis cognationum voluminibus, probandam atque aſtruendam.

Ἰησοῦ Χριστοῦ.

Quòd toties nomini *Chriſti*, in Novo Teſtamento, ſuperaddatur nomen *Jeſu*, non ideò ſolùm eſt, ut ſignetur *Chriſtus* pro *Salvatore* (quod vox *Jeſus* ſignificat) ſed etiam ut *Jeſus* ſignetur pro vero *Chriſto*, contra perfidiam Judaicam, quæ *Meſſiam* [vel Chriſtum] quendam profeſſa, *Jeſum Nazarenum* eum eſſe ſtrenuò negat. Locum habet hæc obſervatio in locis N. T. innumeris, *Act.* 2: 36. & 8: 35. 1 *Cor.* 16: 22. 1 *Joan.* 2: 22. & 4: 15, &c.

Υἱοῦ Δαβίδ.

Ideſt, *veri Meſſiæ*. Nam nullo nomine magis communi, magiſque proprio, *Meſſiam* indigitavit gens Judaica, quam בן דוד *Filii Davidis*: vide *Matth.* 12: 23. & 21: 9. & 22: 42. *Luc.* 18: 38. Atque apud Talmudicos paſſim; præſertim verò *Babyl. Sanhedr.* fol 97. 1. ubi etiam diſcutitur, qualia futura ſunt tempora cùm *filius Davidis* advenerit.

Quæ de *Meſſia ben Joſeph* (quem *Meſſiam ben Ephraim* vocat *Targ. in Cant.* 4: 5.) excogitata ſunt à Judæis, ideò excogitata ſunt, ut vertigini eorum, & deliquio judicii conſulatur in ſententia ſua de *Meſſia*. Cùm enim verum *Meſſiam* tempore à Prophetis præfinito advenientem ſpreverint, crucifixerintque, Chimæricum neſcio quem adhuc expectant, de quo non certum quid habent quod opinentur. Utrùm unus ille futurus, an duo: utrùm è vivis oriturus, an è mortuis: utrùm in nubibus cœli venturus, an inſidens aſino, &c. *Filium Davidis expectant*, ſed neſciunt qualem, neſciunt quando. CAP. I. VERS. 2, 5, 8.

VERS. 2. Ἰούδαν.

Hebr. יהודה. Quam vocem non ſolùm Græci ob defectum literæ *h* in medio vocis; ſed & ipſi Judæi in יודה abbreviârunt; quod apud Talmud Hieroſolymitanum infinitis vicibus occurrit. *Demai, fol.* 22. 3. Idem qui vocatur ר' יוסי בי ר' יהודה, lineâ proximè ſequente vocatur ר' יוסי בי ר' יודה. Sic etiam *Schabb. fol.* 4. 4. Atque hoc fit in ipſiſſima eadem linea, *Jom tob*, *fol.* 62. 3.

VERS. 5. Βοὸζ ἐκ τῆς Ῥαχάβ.

Eò uſque *Matthæo* ſuffragantur Scriptores Judaici, ut *Rachabem* Principi alicui Iſraelitico elocatam fateantur, at de perſona errantes, an hoc ex ignorantia agant, an ex arbitrio, ipſi videant. De hac re Gemara Babylonica, in *Megillah, fol.* 14. 2. hæc habet. *Octo Prophetæ, iidemque Sacerdotes, orti ſunt à Rachabe, atque hi ſunt: Neriah, Baruch, Seraiah, Maaſeiah, Jeremiah, Hilkiah, Hanameel & Shallum. Dicit R. Judah, Huldah etiam erat è poſteris Rachab.* Et paulò poſt, *Traditio eſt, eam, Proſelytiſſam factam, Joſuæ nupſiſſe*: quod & adducit *Kimchius* in *Joſ.* Cap. 6. Scrupulum hìc injicit gloſſ. *Joſuam*, inquit, *eam duxiſſe Proſelytam factam, duriùs ſonat; cùm non licuerit cum Cananæis, etiam Proſelytis factis, connubia contrahere. Dicendum eſt ergò, eam non è ſeptem gentibus Cananæorum fuiſſe, ſed è gente aliqua alia, atque illic peregrinatam. Dicunt autem alii, quòd iſta prohibitio non obtinuit ante ingreſſum in terram promiſſam*, &c.

VERS. 8. Ἰωρὰμ δὲ ἐγέννησε τὸν Ὀζίαν.

Eliduntur nomina *Ahaziæ*, *Joashi*, *Amaziæ*. Vide Hiſtoriam in libris Regum, & 1 *Paralip.* 3: 11, 12.

I. Migrârat quodam modo pro tempore promiſſio, *non vacaturum ſolium Davidis*, in familiam *Jehu*, everſoris familiæ *Joram*. Cùm enim ille domum *Achabi* evertiſſet, *Ahazi-*

Digitized by Google

CAP. I. VERS. 11. *Abaziamque*, è familia *Achabi* ſanguine materno ortum, cum ſuis occidiſſet, pollicetur ei Dominus, filios ejus regnaturos ad quartam uſque generationem, 2 *Reg.* 10: 30. Utcunque ergò, interea temporis, non vacaverit ſolium *Davidis*, ſederintque in illa ætatum intercapedine *Joash & Amazias*, occiſo antè *Abazid*: non incongruè tamen ab Euangeliſta noſtro omittuntur eorum nomina, & quòd illi *Joramo* moribus non admodum abſimiles aliquando fuerint, & quòd eclipſin à regno Iſraëlitico regnum horum quamplurimum fuerit paſſum, interfecto à *Jehu Abaziâ*; atque ejus nepote *Amaziâ*, ab illius nepote, *Joaſo*, capto & ſordidè ſubjugato, 2 *Paralip.* 25.

II. זרע רשעים נכרת. *Semen improborum exciditur*, *Pſalm.* 37:28. Obſervet Lector ſtudioſus, in fonte, ut in ipſiſſimo iſthoc loco litera ע, ultima τῶ רשע & τῶ זרע, quæ jure Acroſticho (ad quod contexitur iſte Pſalmus) proximè ſequentem verſiculum inchoare debuit, elidatur & non adſit.

III. *Non facies tibi ſculptile*, &c. *Ego enim Dominus Deus tuus, Deus zelotes, viſitans peccata patrum in filios, uſque in tertiam & quartam generationem*, Exod. 20: 5.

Ambulavit *Joramus* in moribus Regum Iſraëliticorum Idololatricis, *ad modum familiæ Achabi*, 2 Reg. 8: 18. Quam horrendam ſecundi præcepti violationem, ſecundùm iſtius etiam præcepti comminationem, in poſteros viſitat Deus, eliduntur que ea propter nomina filiorum ad progeniem quartam.

IV. Iſtam *Jorami* Idololatriam, modo non abſimili, & Vetus Teſtamentum etiam ſtigmatizat; indignamque iſtam familiam oſtendit, quæ inter progeniem *Davidicam* numeretur: 2 *Paralip.* 22: 2. בן ארבעים ושתים שנה אחזיהו *Quadraginta duorum annorum filius Abazias*: hoc eſt, non ætatis ſuæ (nam viginti duos annos non exceſſerat, 2 *Reg.* 8. v. 26.) ſed durationis familiæ *Omri*, ex qua ſtirpe, è matre, erat *Abazias*; prout annos numeranti ſatis patebit. Fatale certè, annos regis *Judæ* calculis domûs *Omri* ſupputari.

V. Obſervetur ſtylus Genealogicus non multùm diſpar, 1 *Par.* 4: 1. ubi *Shobal*, in generatione quinta aut ſexta à *Juda* natus, numeratur ac ſi filius *Judæ* eſſet immediatus. Confer *Cap.* 2: 50.

Pari modo *Ezr.* 8. in Genealogia *Ezræ*, quinque vel ſex generationes eraduntur.

VERS. 11. Ἰωσίας δὲ ἐγέννησε τὸν Ἰεχονίαν.

Filii Joſiæ fuerunt iſti. Primogenitus Jochanan, ſecundus Joachim, tertius Zedekiab, quartus Shallum, 1 Paralip. 3: 15. Quiſnam fuerit hic *Shallum* diſputant Hieroſolymitani, *Shekalim*, fol. 49. 4. *Dicit Rabbi Jochanan, Jochanan & Jehoachaz idem ſunt: Et cùm ſcribitur, Primogenitus Jochanan, hoc vult, quòd fuit Primogenitus ad regnum*, hoc eſt, primus regnavit. *Dicitque R. Jochanan, Shallum & Zedekias idem ſunt. Cùmque ſcribatur, Tertius Zedekias, quartus Shallum, Tertius natu fuit, at regnavit quartus.* Eadem etiam adducuntur, *Sotah*, *fol.* 22. 3. At longè rectiùs *D. Kimchius* in Hierem. 24. & 1 Paralip. 3. *Shallum*, inquit, *eſt Jechonias, qui binomius fuit, quique pro filio Joſiæ habetur, cùm nepos eſſet*, (aut hiii hiius) *nam filii filiorum habentur pro filiis.* Confer *Hierem.* 22. *verſ.* 11. cum *verſ.* 24. & res ipſa loquitur. Quodque dicunt Gemariſtæ modò citati, *Zedekiam* etiam *Shallum* vocatum, שבימיו שלמה מלכות בית דוד, *eò quòd in diebus ejus terminaretur regnum familiæ Davidis*; hoc ad *Jechoniam* etiam quadrat quàm aptiſſime, *Hierem.* 22. *verſ.* 28, 29, 30. VERS. 12.

VERS. 12. Ἰεχονίας ἐγέννησε τὸν Σαλαθιήλ.

Hoc eſt, *Filium regni*, vel ſucceſſorem in illa qualicunque dignitate domûs *Davidicæ*, quæ in reliquis *Joſiæ* filiis omninò exaruerat, in illo verò aliquantulum refloruit, 2 *Reg.* 25: 27. Atque hinc eſt, quòd ex omnibus *Joſiæ* poſteris, *Jechonias* ſolus à *Matthæo* nominetur.

Jechonias reverà fuit Ἄτεκνος, *Hierem.* 22. v. 30. & *Salathiel* propriè loquendo fuit filius *Neri*, Luc. 3: 27. at dicitur tamen *Jechonias* eum genuiſſe, non quòd verè fuerit ejus pater, ſed quòd illum ſucceſſorem ſuſceperit; non in regali quidem dignitate; nam ea jam perierat, ſed in ea quæ inter Judæos jam erat ſumma. Sic 1 *Paralip.* 3: 16. *Zedekias* dicitur filius, vel *Joakimi*, cujus quidem fuit frater, vel *Jechoniæ*, cujus fuit avunculus, eò quòd ei in dignitate regia ſuccederet.

Enuntiaverat Dominus, idque non ſine juramento *Jechoniam* futurum ערירי *abſque liberis*. Vocem ערירי ſic interpretantur Talmudici. *Dicit R. Judah, Omnes ii, de quibus dicitur* ערירים יהיו Ἄτεκνοι *erunt hi, non ſunt habituri liberos. Atqui illi, de quibus dicitur* ערירים ימותו Ἄτεκνοι *morientur, hi ſepeliunt liberos.* Hieroſ. in Schabb. fol. 9. 3.

Sic *Kimchius* etiam in locum. *Vox* ערירי, inquit, *hoc vult; Morituros in vita ſua filios, ſi jam ei fuerint filii: ſi verò jam non fuerint filii, nunquam futuros. At dicunt Rabbini noſtri b. m. eum pœnitentiam egiſſe in carcere. Dicuntque inſuper, Oh! quantum valet pœnitentia, quæ edictum pœnale evacuat! Dicitur enim, Hunc ſcribite* Ἄτεκνον, *at illo pœniten-*

 tiam

Digitized by Google

CAP. I. VERS. 16, 17. *tiam agente, in bonum tranſiit hoc edictum, &c. Dicit R. Jochanan, Deportatio expiavit: Nam cùm dicatur, Hunc ſcribite* Ἄτεκνον, *poſt deportationem dicitur, Filii Coniæ, Aſſir filius ejus, Shealtiel filius ejus.* Hæc habentur in *Babyl. Sanhedrin*, fol. 37. 2. ubi hæc adduntur, אסור בנו שעברתו אמו בבית האסורין *Aſſir filius ejus, eò quòd conciperet eum mater ejus in carcere.*

At verba in fonte hæc ſunt, ובני יכניה אסר שאלתיאל בנו, quæ ſic reddenda, *Filii autem Jechoniæ vincti* [vel incarcerati] *Shealtiel filius ejus.* Quam verſionem & accentus firmant & vocum ordo. Nam Zakeph ſupra אסר appenſum, cui Munach infrà יכניה inſervit, conjunctam urget conſtructionem, nempe ut יכניה & אסר conjungantur, ſubſtantivum ſcilicet atque adjectivum. Voxque בנו poſt שאלתיאל collocata, non poſt אסר, genealogiam in *Salathiele* figit, non in אסר omnino.

VERS. 16. Ἰακὼβ δὲ ἐγέννησε τὸν Ἰωσὴφ ἄνδρα Μαρίας.

משפחת אם אין קרויה משפחה: *Familia materna non vocanda eſt familia*, Juchaſ. fol. 55. 2. Hinc ratio facillimè reddi poteſt, cur *Matthæus* prognationem deducit ad *Joſephum*, *Mariæ* maritum; *Lucas* autem ad *Eli*, *Mariæ* patrem. Bifariàm texunt hi duo Genealogiam, pro duplici promiſſionis Chriſti notione. Promiſſus eſt enim ille, ut *ſemen mulieris*, atque ut *filius Davidis*; illud ut homo, hoc ut rex. Neceſſe ergò erat in exequenda illius Genealogiâ, ut de utroque ſatisfieret. Semen igitur mulieris promiſſum, declarat eum *Lucas*, deductâ uſque ab *Adamo* ſtirpe maternâ, ex qua natus eſt homo. Stemma Regium exhibet *Matthæus*, deductâ per familiam *Davidis* regiam proſapiâ ad *Joſephum* [prout reputatus eſt] patrem.

VERS. 17. Γενεαὶ δεκατέσσαρες.

Quamvis in trina hac decateſſerade ad amuſſim omnia non quadrent, nihil tamen eſt cur hoc vitio vertatur *Matthæo*, cùm in ipſis Scholis Judaicis, pro conſuetudine, imò pro Axiomate ferè habitum ſit, res & numeros, paritate aliquâ propinquiore ſe contingentes, reducere ad idem. Exemplo uno aut altero res pateat, cùm centena ferè poſſent adduci.

In Taanith, cap. 4. artic. 6. Calamitoſa quinque eidem diei, hoc eſt, nono menſis Ab, aſcribuntur; *Nam eo die*, inquiunt, *decretum eſt, non ingreſſurum populum in terram promiſſam: eodem die vaſtatum eſt templum primum, atque etiam ſecundum: exciſa eſt civitas Bitter, atque aratro foſſa eſt civitas Hieroſolyma.* Non quod hæc omnia præcisè, CAP. I.
eodem menſis die, occurriſſe crederent, ſed, VERS.
ut annotat Gemara Babylonica, מגלגלין 17.
זכות ליום זכאי וחובה ליום חייב *Quòd fauſtum aliquod ad diem aliquem faſtum reducerent, infauſtum ad nefaſtum.*

Gemara Hieroſ. in eodem Tractatu *Taanith*, *fol. 6. 53.* rationem diſcutit numeri octodenarii quotidianarum precum, atque inter alia hæc habet. *Preces quotidianæ ſunt octodecim, pro numero octodecim Pſalmorum, ab initio libri Pſalmorum ad Pſalmum illum, cujus initium, Exaudiat te Deus in die anguſtiæ* [qui quidem eſt Pſalmus vigeſimus.] *Si autem quis tibi objecerit, quòd eouſque ſunt Pſalmi novendecim, reſpondeas, Pſalmum cujus initium, Quare fremuerunt Gentes, non eſſe ex iis*, Pſalmum diſtinctum. Vide quâ licentiâ numeros cauſæ ſuæ aptent.

Hieroſ. Schabb. fol. 9. 2. Quæritur, unde aſtruatur numerus *triginta novem* operum ſervilium principaliorum, vitandorum Sabbato. Inter alia hæc occurrunt, אלה הדברים: דבר דברי דברים *R. Chaninah Zipporienſis dicit nomine R. Abbu.* אלף *unum denotat*, למד *triginta*, הא *quinque*, דבר *unum*, דברים *duo. Hinc quadraginta labores, excepto uno, de quibus ſcribitur in lege. Rabbini Cæſarienſes dicunt, Non deeſt quicquam è loco ſuo.* אלף *unum*, למד *triginta*, ח *octo.* לא מתמנעין רבנן דרשין בין הא לחית *Non diſtinguunt Doctores noſtri profundi inter He & Cheth:* ut numeros cauſæ ſuæ aptent, pro אלה *Hæc*, ſcribunt אלח, & ח & ה pro libitu immutant.

Idem ibidem, fol. 15. 3. *R. Joſhua ben Levi dicit, Ego per totam vitam meam non inſpexi librum Agadæ* [myſticum] *niſi ſemel: & tunc inſpexi, atque inveni ſic ſcriptum, Centum ſeptuaginta quinque Sectiones legis, ubi ſcribitur* דבר אמר צוה *Loquutus eſt, dixit, præcepit, ſunt pro numero annorum patris noſtri Abrahami.* Et paulò poſt, *Centum & quadraginta & ſeptem Pſalmi, qui ſcribuntur in libro Pſalmorum*, [nota hunc numerum] *ſunt pro numero annorum patris noſtri Jacobi: Unde hoc innuitur, quòd omnes laudes, quibus Iſraëlitæ Deum laudant, ſunt ſecundùm annos Jacobi. Centum iſtæ & viginti & tres vices, quibus Iſraëlitæ reſpondent Halleluia, ſunt ſecundùm numerum annorum Aaronis*, &c.

Concentibus iſtiuſmodi quamplurimùm ſe oblectantes, chordulas ſæpiuſculè ſupra modum torquent, extenduntque, ad crepitum uſque. Ità ut, ſi te carpat Judæus ob imparitatem teſſaradecadum tuarum, ô divine Matthæe, habeas ex ipſorum ſcholis ſcriptiſque, non quo te defendas ſolùm, ſed quod retorqueas.

VERS.

Digitized by Google

CAP. I. VERS. 18.

VERS. 18. Μνηςευθείσης τῆς μητρὸς αὐτῦ.

Non nupta eſt fœmina Iſraëlitica abſque prævia deſponſatione. *Ante datam legem* [inquit Maimonides] *ſi conventum eſſet inter virum & fœminam de connubio, introduxit ille eam in domum ſuam, ac privatim duxit in uxorem. At poſt datam legem, præceptum eſt Iſraëlitis, ut ſi vellet quis fœminam in uxorem ducere, reciperet eam priùs coram teſtibus; & deinceps ſit illa ei in uxorem, ſicut ſcribitur* כי יקח איש אשה *Si accipiat quis uxorem. Acceptio hæc eſt de præceptis affirmativis legis, & dicitur Deſponſatio*: in אישות, Cap. 1. De modo & forma deſponſandi ad laſſitudinem uſque legas in iſto Tractatu, atque in Talmudico *Kiddushin.*

Πρὶν ἢ συνελθεῖν αὐτούς.

In locis plurimis vir fœminam deſponſat, ad ſe autem non ducit niſi interpoſito aliquo temporis ſpatio. Gloſſ. in Maimon. ad אישות Cap. 3.

Diſtinguitur meritò & apertè à Canonibus Judaicis inter ייחוד *Privatum*, ante nuptias inter deſponſantem & deſponſatam, *conſortium* vel *colloquium*, & הכנסה *Introductionem* deſponſatæ in domum mariti. De utrovis intelligas licèt verba, Πρὶν ἢ συνελθεῖν αὐτούς, vel potiùs de utroque. Non ſolùm ad ſe domum eam non deduxerat, ſed & ſolus cum ſola, ultra limites colloquii cœlibum Canonicos, conſortium non habuerat, & tamen inventa eſt gravida.

Εὑρέθη ἐν γαςρὶ ἔχουσα.

Poſt ſpatium ſcilicet à conceptione trimeſtre, cùm jam à conſobrina *Elizabetha* ad ſuos rediret. Vide *Luc.* 1:56. & confer *Geneſ.* 38:24.

Spatium hoc ad rem iſtiuſmodi detegendam aſſignant traditionum Magiſtri. *Fœmina*, inquiunt, *quæ vel à viro eſt dimiſſa, vel viduata, non nubit, nec deſponſatur, niſi poſt moram nonaginta dierum. Ut nempe dignoſcatur, utrùm ſit gravida, necne; atque ut inter ſobolem primi mariti diſtinguatur ac ſecundi. Pari modo vir & uxor, proſelyti facti, per nonaginta dies à ſe invicem ſegregantur, ut dijudicari poſſit inter prolem in ſanctitate genitam*, [id eſt, intra veram religionem: vide 1 *Cor.* 7:14.] *& prolem genitam extra ſanctitatem.* Maim. in *Geruſhin*, Cap. 11. & Talm. in *Jebamoth*, Cap. 4. & *Chetubboth*, Cap. 5. fusè.

CAP. I. VERS. 19, 23.

VERS. 19. Ἰωσὴφ ὁ δίκαιος ὤν, &c.

Non opus eſt ut vocem δίκαιος cruciemus, ut ſenſum *manſuetudinis* aut *clementiæ* indè extorqueamus, quod faciunt quàm multi; nam, diviſim conſtructis verſiculi clauſulis, patebit ſenſus clarus, molliſque ſatis. *Joſephus, cùm eſſet juſtus*, non potuit, non voluit adulteram ferre; *at nolens tamen* Παραδειγματίσαι, clemens cùm eſſet, atque uxorem amans, *voluit eam clàm dimittere.*

Παραδειγματίσαι.

Mortem hoc non hìc innuit, ſed publicam potiùs infamiam [לפרסמה]. Nam non immeritò quæri poſſit, an ad capitale ſupplicium adducenda eſſet, ſi reverà ex adulterio concepiſſet? Nam quamvis exhibita fuerat lex de adulterio morte mulctando, *Lev.* 20:10. *Deut.* 22:22. ac pari modo hac in cauſa ageretur cum deſponſatâ, ac cum jam in uxorem ductâ; euſque tamen delinita, nè dicam enervata, eſt lex iſta, per legem de dando libello repudii, *Deut.* 24:1. &c. ut non licuerit ſolùm marito, uxori adulteræ ignoſcere, atque ad Synhedrium non exigere; ſed vix potuerit, ſi vellet, morti ſubjicere. Quorſum enim aliter indultus eſt libellus repudii?

Nihil ergò hìc conatur *Joſephus*, quod non ſummo cum conſenſu potuit, & legis, & gentis. Adultera potuit dimitti: deſponſata non potuit dimitti, abſque libello repudii, de quo ſic jura Judaica: *Triplici modo deſponſatur fœmina, Pecuniâ ſcilicet, aut ſcripto, aut coitu: Et ſic deſponſata, tametſi adhuc non maritata, nec in domum viri introducta, illius tamen ea eſt uxor. Et ſi quis cum ea præter ipſum coïerit, morte mulctandus eſt à Synhedrio. Sique ille ipſe velit eam dimittere, opus habet libello repudii.* Maimon. in אישות Cap. 1.

Λάθρα ἀπολῦσαι αὐτήν.

Videatur codex Talmudicus *Gittin*, ubi agitur de modo tradendi libellum repudii uxori repudiandæ; inter alia, clanculùm poſſe dari, ſi modò ſic viſum eſſet marito, vel in manum, vel in ſinum fœminæ, duobus teſtibus tantùm præſentibus.

VERS. 23. Ἰδοὺ ἡ παρθένος ἐν γαςρὶ ἕξει.

Vocem עלמה apud Prophetam *virginem intactam* denotare ſatis patet ex ſenſu loci *Eſaiæ, Cap.* 7. Metuit illìc ſibi rex *Achaz* ab imminentibus jam hoſtibus, nè Hieroſolymas excidant, exedantque domum Davidicam.

Digitized by Google

CAP. I. VERS. 23.

cam. Occurrit Dominus huic tremori, ſignali atque inſigniſſimâ promiſſione, *Citiùs*, ſcilicet, *parituram virginem intactam, quàm perituram familiam Davidis.* Duplexque exhibet promiſſio ſolatium: de Chriſto nempe olim de virgine naſcendo, ac de ſecura ab impendente periculo urbis & domûs Davidicæ ſalute. Ità ut, quamvis non niſi à pluribus annorum centuriis adimpletionem ſuam receptura eſſet iſta Prophetia de virgineo partu; de præſenti tamen, cùm ederetur Prophetia, certum & nobile *Achazo* fuit ſignum, ſalvam & ſanam à periculo imminente fore domum *Davidis.* Ac ſi dixiſſet Propheta, Nè tam ſollicitus ſis, ô *Achaze*: Nonne res tibi impoſſibilis videtur, ac nunquam eventura, virginem intactam fieri matrem? Ego autem dico tibi parituram virginem intactam filium, antequàm corruat domus *Davidis.*

Audi hæc, ô perfide Judæe, atque aliquas domûs Davidicæ reliquias nobis jam oſtende: aut adimpletam in virgineo partu hanc prophetiam confitere: aut ſignum dari, cùm ſignum datur, inficiare.

Ὅ ἐστι μεθερμηνευόμενον.

§. *Quânam linguâ Matthæus Euangelium ſuum ſcripſerit.*

I. Syriacam genti Judaicæ in *Judæa* degenti vernaculam fuiſſe linguam omnibus eſt in confeſſo, Hebræamque à vulgo non omninò fuiſſe intellectam argui præcipuè poteſt à duobus. I. Quòd in Synagogis, cùm legerentur Lex & Prophetæ in fonte Hebræo, lectori ſemper aſtiterit interpres, qui in vernaculam linguam id quod lectum eſt redderet, ut intelligeretur à vulgo. Hinc regulæ iſtæ de officio Interpretis, & de locis quibuſdam, quæ ab interprete non erant reddenda vernaculè, *Babyl. Megillah, fol.* 25, &c. *Maſſecheth ſopherim, Cap.* 11, 12, &c. II. Quòd *Jonathan filius Uzzielis, Hillelis* diſcipulus, circa tempus nati Chriſti, Prophetas omnes [id eſt, ut numerant Judæi, *Joſuam, Judices, Samuelem, Libros Regum, Eſaiam, Jeremiam, Ezechielem, & duodecim minores*] Chaldaïcè reddiderat, in linguam ſcilicet Hebræâ populo longè notiorem, atque vernaculâ gratiorem. Si quæratur enim, cur omninò tranſtulerit, & cur non potiùs in vernaculam tranſtulerit omnibus notam? Sique objiciatur de *Matthæo & Paulo*, quòd Judæis ſcribentes, ille Euangelium, iſte Epiſtolam [ad Hebræos] neceſſe habuerint ut Syriacâ vernaculâ ſcriberent [ſi modò in Hebræa non ſcripſerunt] ut intelligerentur ab omnibus: Reſpondemus I. Non ſine ratione è fonte Hebræo in linguam Chaldaïcam reddidiſſe *Jonathanem* Paraphraſtem, eò quòd toti populo longè notior & familiarior eſſet hæc lingua quàm Hebræa. Interprete in linguam notiorem opus habuit textus ſacer, eò quòd eſſet in lingua vulgo omninò jam ignota: nam Hebraïcè non nôrunt, niſi qui ſtudio ſunt docti. Utcunque ergò non ità expeditè Chaldaïcam linguam ſaperent Judæi omnes, Canaanitidem habitantes, ac Syriacam quæ illis jam vernacula eſſet; longè tamen expeditiùs iſtam quam Hebræam, quæ indoctis ignota prorſùs. Hinc, non ſine neceſſitate, in Chaldaïcam linguam verſi ſunt Prophetæ à *Jonathane*, & Lex non ità multò poſt ab *Onkeloſio*, ut à vulgo aliquantulùm intelligerentur, à quo fons Hebræus omninò non intellectus. Librum *Job* etiam *Targum* ſuum habuiſſe tempore *Gamalielis ſenioris*, Pauli ſcilicet Magiſtri, legimus, *Hieroſ. Schabb. fol.* 15. *col.* 3.

CAP. I. VERS. 23.

II. Cur *Jonathan* atque *Onkeloſius* non in *Syram* potiùs, quæ populo toti erat vernacula, tranſtulerint, cùm & ipſi in *Judæa* eſſent, dum operi huic incumberent, & Judæis illìc habitantibus operam navarent, non injuſta eſt quæſtio. Cui duplicem hanc rependimus reſponſionem. I. In Chaldaïcam linguam vertentes illud egerunt, quod uſui foret & Judæam habitantibus & Babyloniam. II. Non æquè grata fuit lingua Syriaca ipſis Judæis, qui eâ pro vernacula uſi ſunt, quàm fuit Chaldaïca, utpote quæ cultior erat & politior, & fratribus etiam in *Babylonia* vernacula, & quam indè ſecum in *Judæam* reportaverant aſcendentes è *Babylone.* Mireris, ô Lector, canonem iſtum audiens, qui hominem ſingularem permittit, *in quavis lingua orationes ſuas fundere, dum ea petit quæ ſibi ſunt neceſſaria, exceptâ ſolùm linguâ Syriacâ*, יחיד שואל צרכיו אומר בכל לשון חוץ מלשון ארמי: *Dum neceſſaria ſibi petit, utatur quâvis linguâ, exceptâ Syriacâ.* פסקי הראש [id eſt, *R. Oshaiæ Rabbæ*: vide *Juchaſ.* fol. 84. I.] in *Beracoth*, Cap. 2. & *Babyl. Schabbath*, fol. 12. 2. & *Sotah*, fol. 33. I. At ridebis rationem audiens: *Ideò*, ſcilicet, *quòd Angeli non intelligant linguam Syriacam.*

An Syriacam linguam hìc à pura Chaldaïca diſtinguant, non tanti eſt, ut ſolliciti inquiramus: hæc tantùm gloſſatoris in *Beracoth*, fol. 3. I. adducemus, quæ in rem noſtram faciunt. *Sunt* [inquit] *qui dicant precatiunculam iſtam, cujus initium* קדיש *ideò linguâ Syriacâ proferri, quòd ſit oratio nobilis & ſummæ laudis; ideòque compacta eſt in lingua Targumiſtica, nè Angeli eam intelligant, nobiſque invideant*, &c. Et paulò-poſt, *In more fuit orationem iſtam* קדיש *recitare* אחר הדרשה *poſt concionem; adfuit autem ibi vulgus, qui linguam Hebræam non intellexit omninò, ideòque in lingua Targumiſtica eam inſtituerunt, ut intel-*

Digitized by Google

CAP. I. VERS. 23.

intelligeretur ab omnibus: *nam hæc eorum lingua.* Audi, Hebræam vulgo omninò ignotam: non mirum ergò, ſi Euangeliſtæ ac Apoſtoli Hebraïcè non ſcripſerint, cùm non eſſent qui ſic ſcripta intelligerent, niſi docti.

Præteriri non debet illud etiam, quod primo aſpectu, etiam linguam Syriacam vel à doctis non intellectam, videtur innuere, *Hieroſ. Sotah*, fol. 24. 2. *Samuel parvus in articulo mortis dixit*, שמעון וישמעאל להרבא: *Simeon atque Iſmaël ad gladium*, ושאר כל עמא לביזה: *Atque omnis reliquus populus ad ſpolium*: ועקין סגיאין הויין *Et calamitates plurimæ futuræ ſunt.* ובלשון ארמית אמרן ולא ידעו מה אמר: *Atque ideò, quòd hæc loqueretur linguâ Syriacâ, non intellexerunt quid eſſet locutus.* Hiſtoriam hanc repetitam habes in *Gemara Babylonica*, *Sanhedr.* fol. 11. 1. *ubi verba morientis ſic proferuntur*, שמעון וישמעאל לחרבא וחברוהי לקטלא ושאר עמא לביזא ועקן סגיאן עתידין למיתי על עלמא: Interpres eſto Gloſſator in locum: *Simeon atque Iſmael ad gladium* [*id eſt*, *Rabban Simeon*, *princeps*, *&* *R. Iſmaël ben Elisba*, *ſummus ſacerdos*, *ſunt interfecti gladio.*] *Et ſocii ejus ad occiſionem* (*id eſt*, *R. Akibah*, *&* *R. Chananiah ben Teradion interfecti ſunt aliis mortibus. R. Akibah ſcilicet pectinibus ferreis*, *&* *R. Chananiah vivicomburio coram Idolis.*) *Reliquuſque populus in prædam*, *&* *plurimæ calamitates venturæ ſunt in mundum.*

Ubi autem dictum eſt, *quòd non intellexerint quid dixit, quoniam linguâ Syriacâ ſit locutus*, nobis etiam non facile eſt intellectu. Quid? Doctores Hieroſolymitanos non intellexiſſe linguam Chaldaïcam, (nam ante urbis excidium mortuus eſt *Samuel parvus*, atque de cæde *Rabban Simeonis*, qui in obſidione urbis periit, eſt locutus, locutuſque eſt iſta, cùm coràm adeſſent nonnulli è doctiſſimis Rabbinis) eoſque hæc verba non intellexiſſe, quæ vel tyrunculus in linguis Orientalibus faciilimè intelligeret?

Senſum ergò rei fortè elicias ex verbis authoris *Juchaſin*, qui eum *Prophetâſſe* ait *linguâ Syriacâ*, התנבא בלשון ארמי, Juchaſ. fol. 21. 1. Jam verò, cùm non niſi linguâ Hebræâ ederentur Prophetiæ, utcunque illi vernaculum verborum ſatis intellexerint, pro prophetia tamen non habuerunt, eò quòd linguâ, propheticis prædictionibus vulgari, non enuntiaretur. Sed non his immoramur. Illud quod volumus hoc eſt, *Matthæum* Hebraïcè non ſcripſiſſe, (quod ex præcedentibus ſatis arguitur) ſi modò eum linguâ vulgò notâ atque intellectâ ſcripſiſſe arbitremur, quod certè arbitrandum: nec eum, nec alios Novi Fœderis amanuenſes, Syriacâ linguâ ſcripſiſſe; niſi linguâ ingratâ gentis ingratæ eos

CAP. I. VERS. 23.

ſcripſiſſe arbitremur, quod certè non arbitrandum. Cùm enim jam rejiciendus eſſet populus Judaicus, atque in æternam execrationem damnandus, incongruum certè admodum fuiſſet, linguam eorum, ſive vernaculam Syram, ſive affinem Chaldaïcam, eò dignitatis evehere, ut lingua originalis foret Novi Teſtamenti. Incongruum certè Euangelium ſcribere eorum linguâ, qui præ omnibus terrarum orbis incolis Euangelium maximè ſpernerent atque oppugnarent.

II. Cùm ergò per prædicationem Euangelii Gentes eſſent ad fidem vocandæ, atque Euangelium amplexuræ, ſumma cum congruitate ſcriptum eſt Novum Fœdus linguâ Gentilitiâ, eâque, quæ inter Gentilitias nobiliſſima, Græcâ. Videamus quæ de hac lingua Judæi, omnibus, præter ſuam, ſatis invidioſi.

Megillah, fol. 9. 2. *Rabban Simeon ben Gamaliel dicit*, *Etiam de libris ſacris non permiſerunt ſapientes*, *ut ſcriberentur in alia lingua quàm Græca. Rabbi Abbu dicit*, *dixiſſe Rabbi Jochananem*, *Traditio eſt ſecundùm Rabban Simeonem: dixiſſe inſuper R. Jochananem*, *Unde probatur illud Rabban Simeonis? Ex eo quòd dicit Scriptura*, *Perſuadebit Deus Japheto*, *atque habitabit in tentoriis Semi: Verba Japheti erunt in tentoriis Semi*; Et paulò poſt, יפת אלהים ליפת *Perſuadebit Deus Japheto*, id eſt, יפיותו של יפת יהא באהלי שם *Decor Japheti erit in tentoriis Semi.* Ubi Gloſſa, *Decor Japheti eſt lingua Græca*, *pulcherrima ex iis linguis*, *quæ ſunt filiorum Japheti.*

Hieroſ. Megillah, fol. 71. 3. *Rabban Simeon ben Gamaliel dicit*, *Etiam de libris ſacris non permiſerunt*, *ut ſcriberentur aliâ linguâ quàm Græcâ. Inquiſiverunt ſeriò*, *atque invenerunt* שאין התורה יכולה להתרגם כל צורכה אלא יוונית: *quòd non poteſt lex verti ſecundùm quod ei neceſſarium eſt*, *niſi Græcè.* Poſteriorem hanc clauſulam caſtratam habes in *Maſſecheth Sopherim*, *cap.* 1. *artic.* 7. ubi hæc etiam adjungitur hiſtoria: *Quinque ſeniores ſcripſerunt legem Græcè pro Ptolemæo rege*, *fuitque iſte dies acerbus Iſraëli*, *ſicut dies quo factus eſt vitulus*, *eò quòd lex non potuit verti ſecundùm quod eſt ei neceſſarium.* Perpenſione digna eſt hæc hiſtoria de *quinque interpretibus* legis, quam rarò, aut vix invenias alibi. Hiſtoriam de LXX. recitat traditio proximè hanc ſequens in loco citato. Vide.

Cùm ergò periiſſet uſus vulgaris linguæ Hebrææ, cùmque gentis maledictæ lingua vernacula Syriaca, aut Chaldaïca, non potuit eſſe benedicta, ipſis inimicis noſtris judicibus, nulla alia lingua reperiri potuit quæ apta eſſet ad conſcribendam legem divinam [Novam] præter linguam Græcam. Quòd diſſeminata, atque apud omnes ferè Gentes Orientales

Digitized by Google

CAP. I. VERS. 23. in uſu, & quaſi ferè vernacula fuerit hæc lingua, idque ubique plantata per victorias *Alexandri*, atque imperium Græcorum, non opus eſt ut pluribus probemus, cùm ubique pateat apud Hiſtoricos Pro vernacula apud ſe ferè agnoſcunt Judæi etiam in Judæa.

Hieroſol. Megill. ubi ſupr. col. 2. *Dixit R. Jochanan de Beth Gubrin, Quatuor ſunt linguæ nobiles, quibus utitur mundus; vernaculâ ad cantum, Romanâ ad bellum, Syriacâ ad luctum, Hebræâ ad elocutionem; & ſunt qui dicant Aſſyriacâ ad ſcripturam.* Quænam ea, quam *vernaculam* vocat? Facillime reſpondetur, *Græca*, ex encomiis ei attributis, adductis antea: idque aſſeverantiùs affirmari poteſt ex verbis *Midras Tillin*, ad hoc dictum R. Jochanan reſpicientis, & Græcam linguam nominatim memorantis, *fol.* 25. 4. *R. Jochanan dixit, Tres ſunt linguæ, Romana ad prælium, Græca ad orationem, Aſſyriaca ad preces.* Huc etiam pertinet illud, quod ſemel iterùmque occurrit *Babyl. Megill.* fol. 18. 1. בלעז יווני *In vernacula Græca.* Exemplum rei habes *Hieroſ. Sotal*, *fol.* 21. 2. *R. Levi Cæſaream veniens, audiit* קריין שמע אלוניסתין: *quoſdam recitantes Phylacteria Helleniſticè.* Dignum hoc notatu. *Cæſareæ* floruerunt ſcholæ Rabbinorum celeberrimæ. רבנין דקסירין *Rabbini Cæſarienſes* memorantur apud utrumque Talmud, præſertim verò Hieroſolymitanum, frequentiſſimè & laudatiſſimè: at inter hos tamen, quaſi vernacula uſurpatur lingua Græca, idque in recitandis Phylacteriis, quæ præ omnibus aliis rebus Hebraïcè recitanda, in Judæa meritò opineris.

In iſtac ipſa *Cæſarea*, Euangelium *Matthæi* Hebraïcum repoſitum in Bibliotheca *Pamphili* memorat *Hieronymus*, his verbis. *Matthæus, qui & Levi, ex publicano Apoſtolus, primus in Judæa propter eos qui ex circumciſione crediderunt, Euangelium Chriſti Hebraïcis literis verbisque compoſuit. Quod quis poſtea in Græcum tranſtulerit, non ſatis certum eſt. Porrò ipſum Hebraïcum habetur uſque hodie in Cæſarienſi Bibliotheca, quam Pamphilus martyr ſtudioſiſſimè confecit. Mihi quoque à Nazaræis, qui in Beræa, urbe Syriæ, hoc volumine utuntur, deſcribendi facultas fuit.*

Minimè dubitandum eſt, Euangelium hoc Hebraïcè repertum fuiſſe, at, quod bono viro impoſuit, non Autographum *Matthæi* fuit, nec quidem in iſta lingua exaratum à *Matthæo*, ſed ab aliquo è fonte Græco in Hebræum verſum, ut ſic à doctis Judæis, ſi fieri poſſet, legi obtineret. Cùm enim illi extraneis libris parùm eſſent amici, id eſt, vel Ethnicis, vel linguâ non ſuâ ſcriptis, quod ex variis de hac re canonibus elucidari poſſet, videtur aliquis ad Euangelium converſus, bono zelo excitatus, Euangelium *Matthæi* è fonte Græco in Hebraïcam linguam tranſtuliſſe, ut docti apud Judæos, qui adhuc non crediderant, illud fortè legerent, cùm jam in lingua ſua ederetur; quod rejectum fuit ab iis, dum in lingua extranea. Sic Euangelium hoc Græcè a *Matthæo* ſcriptum arbitror ob credentes in Judæa, & Hebraïcè ab aliquo verſum ob non credentes. Idem etiam ſtatuendum de lingua originali Epiſtolæ ad Hebræos: ſcripta erat iſta Epiſtola ad Judæos Judæam incolentes, quibus vernacula erat lingua Syriaca; at ſcripta tamen Græcè, ob rationes prædictas. Ob eaſdem etiam Græcè ſcripſit idem Apoſtolus ad Romanos, quamvis in iſta Eccleſia Romani erant, ad quos ſcripſiſſe Latine videri poſſet conſonantius, & Judæi, ad quos Syriacè.

CAP. II.

VERS. 1. Τοῦ δὲ Ἰησοῦ γεννηθέντος. CAP. II. VERS. 1.

Calculus temporum naſcente Chriſto.

SCHEMA temporum, cùm naſceretur *Chriſtus*, nos ſic proponimus.

I. Natus eſt anno Mundi 3928.

Nam à Mundo condito ad Diluvium numerantur planè anni 1656.

A Diluvio ad promiſſionem Abrahamo exhibitam, anni 427. Hoc ſuppoſito, natum eſſe Abrahamum ad annum *Tharæ* 130, quod neceſſariò ſupponendum.

A promiſſione data ad exitum ex *Ægypto*, anni 430. *Exod.* 12: 41. *Gal.* 3: 17.

Ab exitu ex *Ægypto* ad jacta Templi fundamenta, anni 480. 1 *Reg.* 6: 1.

Conditum eſt Templum annis 7. 1 *Reg.* 6. *verſ.* 38.

Connumeratis ergò omnibus his annis

1656.
427.
430.
480.
7.

Exſurgit ſumma annorum 3000.

Patetque Templi ædificationem finitam & perfectam anno mundi 3000.

Perfectum eſt Templum anno *Solomonis* undecimo, 1 *Reg.* 6: 38. atque indè ad Apoſtaſiam decem Tribuum, primo *Rehoboami*, erant anni 30. Iſta ergò Apoſtaſia fuit anno Mundi 3030.

Ab Apoſtaſia decem Tribuum ad exciſas *Hieroſolymas* ſub *Zedekia*, anni 390; quod patet ſatis ex chronica computatione parallelorum temporum Regum *Judæ* atque *Iſraëlis*: quodque innuitur ab *Ezekiele*, Cap. 4. v. 4, 5. & 6.

Digitized by Google

& 6. *Tu dormies ſuper latus tuum ſiniſtrum, & pones iniquitates domûs Iſraëlis ſuper eo, &c. Numero dierum, trecentos & nonaginta dies. Et cùm compleveris hæc, dormies ſupra latus tuum dextrum ſecundò, & aſſumes iniquitatem domûs Judæ quadraginta diebus.* De computatione horum annorum ambigitur, an ſcilicet quadraginta iſti anni connumerandi ſint intra annos trecentos & nonaginta, an per ſe, ut annos iſtos 390. ſubſecuti. Nos priorem ſententiam meritò amplectimur, incluſoſque iſtos annos 40. arbitramur intra ſummam annorum 390; at per ſe, & ſingulatim memoratos, ob cauſam ſingularem. Per quadraginta enim annos, ante urbis excidium per Chaldæos, aſſiduè inter populum prophetavit *Jeremias*, à decimo tertio ſcilicet *Joſiæ* ad everſam civitatem; cui non auſcultans populus, de peculiari iſta iniquitate notatur hâc notâ.

Additis ergò his 390 annis ad annum mundi 3030. cùm reciderent à domo *Davidica* decem Tribus, exſurgit ætas mundi, cùm periret Hieroſolyma, ad annum 3420.

Reſtabant tunc temporis anni captivitatis Babylonicæ explendi 50. Nam initium ſumpſerunt memorabiles iſti ſeptuaginta anni ab anno tertio *Jehojachimi*, *Dan.* 1: 1. cujus quartus inchoat Monarchiam *Babylonicam*, *Jer.* 25: 1. Decimo autem nono *Nebuchadnezzaris* corruit Templum, 2 *Reg.* 25: 12. cùm jam laberetur annus captivitatis viceſimus: reſtarentque alii quinquaginta: quibus 50. additis ad annum mundi 3420. Templo fatalem, exſurgunt anni mundi primo *Cyri* ad 3470.

A primo *Cyri* ad mortem Chriſti Hebdomadæ annorum ſeptuaginta, vel anni 490. *Dan.* 9: 24. Hos addas ad 3470. & Chriſtum crucifixum obſervas anno mundi 3960. Cùm ergò ademeris annos 32 & dimidium, quibus verſatus eſt Chriſtus in terris, eum natum comperies anno mundi 3928.

II. Natus eſt anno *Auguſti Cæſaris* 31. inchoato Monarchiæ ejus calculo à Victoria *Actiaca*: de qua re ſic *Dion Caſſius*, lib. 51. in ipſo initio. Τοιαύτη τις ἡ ναυμαχία αὐτῶν τῇ δευτέρᾳ τοῦ Σεπτεμβρίου ἐγένετο· Τοῦτο δὲ οὐκ ἄλλως εἶπον [οὐδὲ γὰρ εἴωθα αὐτὸ ποιεῖν] ἀλλ᾽ ὅτι τότε πρῶτον ὁ Καῖσαρ τὸ κράτος πᾶν μόνος ἔχεν· ὥστε καὶ τὴν ἀπαρίθμησιν τῶν τῆς μοναρχίας αὐτοῦ ἐτῶν ἀπ᾽ ἐκείνης τῆς ἡμέρας ἀκριβοῦσθαι. Computationem hanc noſtram confirmamus, deductâ ab hoc *Auguſti* anno tabulâ Chronologicâ ad annum *Tiberii* decimum quintum, cùm *Chriſtus*, expleto jam anno ætatis ſuæ viceſimo nono, ac triceſimum jam tunc iniens, baptizaretur. Eam autem, additis uniuſcujuſque anni Conſulibus, ſic formamus.

Anni Mundi	*Urbis cond.*	*Auguſti*	*Chr. nat.*	COSS.
3928	754	31	1	*Cæſ. Aug.* XIV. & *L. Æmyl. Paulus.*
3929	755	32	2	*Pub. Vinicius*, & *Pub. Alfenus Varus.*
3930	756	33	3	*L. Ælius Lamia*, & *M. Servilius.*
3931	757	34	4	*Sext. Æmilius Carus*, & *C. Sentius Saturninus.*
3932	758	35	5	*L. Valerius Meſſala*, & *Cn. Corn. Cinna Magn.*
3933	759	36	6	*M. Æmil. Lepidus*, & *L. Aruntius.*
3934	760	37	7	*A. Licin. Nerv. Silanus*, & *Q. Cecil. Metel. Cret.*
3935	761	38	8	*Furius Camillus*, & *Sext. Nonius Quintilianus.*
3936	762	39	9	*Q. Sulpit. Camerin.* & *C. Poppæus Sabinus.*
3937	763	40	10	*Pub. Corn. Dolabel.* & *C. Junius Silanus.*
3938	764	41	11	*M. Æmil. Lepid.* & *T. Statilius Taurus.*
3939	765	42	12	*Germanicus Cæſ.* & *C. Fonteius Capito.*
3940	766	43	13	*L. Munatius Plancus*, & *C. Silius Cæcina.*
3941	767	44	14	*Sext. Pomp. Sexti F.* & *Sext. Apuleius Sexti F.*

Obit *Auguſtus Cæſar* die decimo nono *Auguſti*: quâ die quondam primum Conſulatum inierat. Vixit annos LXXV. menſes X. dies XXVI. Solus ſummum imperium geſſerat à Victoria *Actiaca* annos XLIV, diebus XIII. tantùm deficientibus. *Dion. Caſſ. lib.* 56.

Digitized by Google

 CAP. II. VERS. 1.

Anni Mundi	Urbis cond.	Tiberii.	Christi.	*Tiberius ingenti ſocordiâ imperium gerit, gravi crudelitate, ſceleſtâ avaritiâ, turpi libidine:* Eutrop. lib. 7. COSS.
3942	768	1	15	*Druſus Cæſ.* & *C. Norbanus Flaccus.*
3943	769	2	16	*C. Statil. Siſenna Taurus*, & *Scribonius Libo.*
3944	770	3	17	*C. Cæcil. Rufus*, & *L. Pomponianus Flaccus.*
3945	771	4	18	*Tiber. Cæſ. Aug.* III. *Germanicus Cæſ.* II.
3946	772	5	19	*M. Julius Silanus*, & *L. Norban. Flac.* vel *Balbus.*
3947	773	6	20	*M. Valer. Meſſala*, & *M. Aurel. Cotta.*
3948	774	7	21	*Tiber. Cæſ. Aug.* IV. & *Druſus Cæſ.* II.
3949	775	8	22	*D. Haterius Agrippa*, & *C. Sulpitius Galba.*
3950	776	9	23	*C. Aſinius Pollio*, & *C. Antiſtius Veter.*
3951	777	10	24	*Sext. Cornel. Cethegus*, & *Viſellius Varro.*
3952	778	11	25	*M. Aſinius Agrippa*, & *Coſſus Cornel. Lentulus.*
3953	779	12	26	*Cn. Lentul. Getulicus*, & *C. Calviſius Sabinus.*
3954	780	13	27	*M. Licinius Craſſus*, & *P. L. Calpurnius Piſo.*
3955	781	14	28	*Appius Jul. Silanus*, & *P. Silvius Nerva.*
3956	782	15	29	*C. Rubelius Geminus*, & *C. Fuſius Geminus.*

Primo vere hujus anni prodit *Joannes* baptizans. Menſe *Tiſri* baptizatur *Chriſtus*, cùm annum ætatis ſuæ jam compleverat vigeſimum nonum, & triceſimum tantùm recens inchoaverat. Triceſimus *Chriſti* cum decimo ſexto *Tiberii* eſt connumerandus.

De *Auguſto* annum triceſimum primum ſuum [quo natus eſt *Chriſtus*] jam ingrediente, hæc porro *Dion. Caſſ.* Πληρωθείσης δὲ καὶ τῆς τρίτης δεκαετίας, τὴν ἡγημονείαν καὶ τὸ τέταρτον ἐκβιασθεὶς δῆθεν ὑπεδέξατο· πρᾳότερός τε καὶ ὀκνηρότερος ὑπὸ τοῦ γήρως. Iſthoc ipſo anno fuit *Cenſus* ſub *Cyrenio*, de quo *Lucas* Cap. 2. Ità ut, ſi quæratur quandonam orta eſt quinta Monarchia, [*Romanorum* ſcilicet] poſt extinctas quatuor iſtas à *Daniele* memoratas, facilis à *Luca* poteſt peti reſponſio, qui ipſiſſimo iſthoc anno, quo natus eſt *Chriſtus*, *Auguſtum* cenſum in univerſum orbem impoſuiſſe refert.

III. Natus eſt *Chriſtus* anno regni *Herodis* 35. quod ex his obſervatis elicimus. I. Regnavit *Herodes*, ex eo quo primùm eſt rex declaratus à *Romanis*, annos 37. *Joſeph. Antiq.* lib. 17. cap. 10. II. Inter mortem *Herodis* & mortem *Auguſti* hæc temporum intercapedo.

1. Decem anni currentes regni *Archelai*, Joſeph. Antiq. lib. 17. cap. 15.

2. Ei, in *Viennam* relegato, in procuratione *Judææ* ſuccedit *Coponius*: Idem, ibid. & lib. 18. cap. 1.

3. *Coponium* excepit *Marcus Ambibuchus.*

4. *Ambibuchum Annius Rufus*, quo *Judæam* procurante obit *Auguſtus*: Idem, ibid. cap. 3.

Cùm ergo à nativitate *Chriſti* ad *Auguſti* mortem laberentur tantùm anni quatuordecim, [ex quibus, cùm decem *Archelai* currentes numeraveris, ac trium procuratorum tempora] non niſi in extremis *Herodis* annis natum eſſe *Chriſtum*, neceſſe eſt ſupputare: nos ſic conjicimus.

Anno ejus triceſimo quinto, natum eſſe *Chriſtum*.

Anno triceſimo ſeptimo jam inchoato recens, adveniſſe *Magos*: illicò infanticidium, & poſt perpaucos menſes *Herodis* mortem.

IV. Natus eſt *Chriſtus* circa annum Præſidatûs *Hillelis* in Synhedrio 27.

Occaſum familiæ *Aſmonææ* excepit ortus familiæ *Hillelianæ* [regnum quidem excepit *Herodes.*] è *Babylone* oriundæ, èque ſtirpe, ut creditum eſt, *Davidis*: Nam *liber Genealogicus repertus eſt Hieroſolymis* (quod memoravimus antea) *in quo ſcriptum eſt*, *Hillelem ortum eſſe è ſtirpe Davidis*, *per uxorem ejus*, *nempe Abitalem.* Hieroſ. Taanith. fol. 68. 1. Aſcendit autem *Hillel* è *Babylone Hieroſolymas*, de rebus quibuſdam ſciſcitaturus ſapientes, cùm jam, poſt mortem *Shemaiæ* atque *Abtalionis*, cathedras primas tenerent duo filii *Betiræ*. Cùmque ille, qui illuc ut aliquid diſceret, acceſſerat, eos quædam de ritibus Paſchalibus, quæ ipſis exciderant, edoceret, ſuffecerunt eum illi in primatum. Hiſtoriam plenam habes, *Hieroſ. Peſachin*, *fol.* 33. 1. exhibemus ad Cap. 26: 1.

Aſcendit autem *Hillel* Hieroſolymas, cathedramque capeſſivit annis centum ante excidium urbis. הלל ושמעון גמליאל ושמעון נהגו נשיאותן לפני הבית ק' שנה: *Hillel, & filius ejus Simeon, atque ejus filius Gamaliel, atque ejus filius Simeon principatum geſſerunt per annos centum ante vaſtatum Templum*, *Babyl. Schabb. fol.* 15. 1. Ex centum iſtis annis, ſi demas annos 32. & dimidium vitæ Chriſti, & XL annos intercedentes (ut vulgò ſupputatur) inter mortem *Chriſti* atque excidium urbis, ſuper-

CAP. II. VERS. 1. perſunt anni 27. *Hillelis* ante natum Salvatorem.

Principatum tenuit *Hillel* per annos quadraginta, [ita ut ejus obitus inciderit circa annum Chriſti duodecimum, aut decimum tertium] filiuſque poſt eum, ac longâ ſerie nepotes, uſque ad *Rabbi Judah Sanctum*. Familiæ hujus *Hillelianæ* ſplendor & pompa ita reliquas ſtirpis *Davidicæ* familias obſcuraverat, ut ex iis naſcendum *Meſſiam* forſan minùs crederent, vel expectarent.

Imò perſuaſum ferè cuidam eſt apud Gemaram Babylonicam, *Rabbi Judam Sanctum è familia Hilleliana eſſe Meſſiam.* Sanhedr. fol. 98. 2. אי מן חייא הוא כגון רבינו הקדוש *Rabbi dixit, Si è vivis ſit Meſſias, Rabbi noſter Sanctus talis eſt; ſi è mortuis, Daniel.*

V. Natus eſt *Chriſtus* menſe *Tiſri*: Septembri noſtro aliquantùm parallelo. Hoc concludimus, omiſſis aliis, ex retrograda computatione à morte ejus. Nam, ſi mortem obiit annos 32. & dimidium agens, ad feſtum Paſchatis, menſe *Niſan*, neceſſe eſt ut natalitia ejus rejicias ad menſem *Tiſri*: aſt ad id ætatis eum obiiſſe, nè pluribus immoremur, ex hoc liquet, quòd baptizatus fuerit trigeſimum annum jam inchoans, vixeritque poſt baptiſmum annos tres & dimidium; prout publici ejus miniſterii ſpatium determinatur per Angelum Gabrielem, *Dan.* 9. *In medietate Hebdomadæ*, id eſt, annis tribus & dimidio, *ceſſare faciet ſacrificium*, &c. ſed de hoc inferiùs.

Nobilitatus fuit hic menſis olim, 1. Creatione mundi. Perpende *Exod.* 23: 15. *Joel.* 2: 23. 2. Nativitate primorum patrum, quod non ſine ratione aſſerunt Judæi. *Hieroſ. Roſh haſhanah, fol.* 56. 4. 3. Reparatis tabulis legis; nam *Moſes*, poſt tertium jejunium quadragenarium, deſcendit à monte nuntius bonorum, decimo die hujus menſis, qui & inde inſtitutus eſt in feſtum Expiationis, in ſecula ſubſequentia. 4. Dedicatione Templi, 1 *Reg.* 8: 2. 5. Triplici ſolennitate feſtorum, videl. Initii anni, Expiationis, & Scenopegiæ: ab hoc menſe etiam initium Jubilæi.

VI. Probabile eſt natum *Chriſtum* ad feſtum Scenopegiæ. 1. Sic juſtus exſurgit calculus annorum 32. & dimidii, cùm mortuus ſit ad feſtum Paſchatis. 2. Typicam Paſchatis & Pentecoſtes æquitatem adimplevit, cùm ad Paſcha ſeipſum obtulit pro Paſchate, ad Pentecoſten donavit è cœlo Spiritum Sanctum, prout eo tempore data eſt lex è cœlo. Tunc temporis ab eo exhibitæ primitiæ Spiritûs, *Rom.* 8: 23. quo ſolitæ exhiberi primitiæ frugum, *Levit.* 23: 17. Mirum certè eſſet, ſi tertiam ſolennitatem, feſtum ſcilicet Tabernaculorum nullo antitypo decoraret. 3. Concinit admodùm inſtitutio feſti Tabernaculorum. Nam cùm *Moſes* decimo menſis *Tiſri* è monte deſcenderet; nuntians pacatum Deum, condonatum populum, atque illicò incipiendam ædificationem Tabernaculi ſacri, (per & propter vitulum aureum adhuc impeditam) quippe quod jam vellet Deus inter eos habitare, & non ampliùs eos deſerere: tabernacula ſua illicò figunt Iſraëlitæ, ſcientes ſe non ab iſto loco migraturos ante perfectum Tabernaculum divinum; atque iſtud opus nervosè aggrediuntur: unde decimus iſtius menſis dies, quo deſcendit *Moſes* hæc bona nuntians, inſtitutus eſt in feſtum Expiationis; ac decimus quintus dies, ſeptemque cum ſequentes, in feſtum Tabernaculorum, in memoriam habitantium in eremo in Tabernaculis, Deo in medio eorum habitante: quæ quàm aptè typico aſpectu incarnationem reſpiciant, cùm Deus inter homines habitaret humanâ carne, patet ſatis. 4. Perpende *Zachar.* 14. *verſ.* 16, 17. CAP. II. VERS. 1.

Ἐν Βηθλεέμ.

Non incongruum erit hìc adducere ipſiſſimos Gemariſtas, apertè confitentes natum fuiſſe Meſſiam jam olim ante ſua tempora: Sic enim illi in *Hieroſ. Beracoth*, fol. 5. 1. *Poſt hæc convertentur filii Iſraëlis, & requirent Dominum Deum ſuum, & Davidem regem ſuum*, *Hoſ.* 3: 5. *Rabbini noſtri dicunt, Iſte eſt rex Meſſias, Si è vivis ſit ille, David eſt nomen ejus; ſive è mortuis ſit ille, David eſt nomen ejus. R. Tanchum dixit, Ego ſic probo. Miſericordiam præſtat Meſſiæ ſuo Davidi, Pſalm.* 18: 51. *R. Joſhua ben Levi dicit, Nomen ejus eſt* צמח *Germen*, *Zach.* 3: 8. *R. Judan bar Aibu dicit, Nomen ejus eſt Menahem*, id eſt, Παράκλητ☉. *Atque huic rei ſuffragatur illud quod evenit Judæo cuidam aranti. Aranti Judæo cùm bos mugiret, Arabs quidam itinerans, mugitumque audiens, dixit. Solve, ô Judæe, boves tuos, atque aratra tua ſolve, nam ecce! vaſtatum eſt templum veſtrum. Mugiit bos ſecundò* א"ל בר יודאי יודאי קטור תוריך וקטור קנקניך דהא יליד מלכא משחא: *Dicit ei Arabs, O Judæe, Judæe, ſub juga mitte boves tuos, atque alliga aratra tua, nam ecce natus eſt rex Meſſias. At Judæus, Quodnam eſt ei nomen? Menahem, inquit ille. Et quodnam eſt nomen patris ejus? Hezekiah, inquit Arabs. Cui Judæus, Atque undenam ille. Reſpondit alter, E palatio regis Bethlehem Judæ. Abiit ille, ac vendidit boves, & vendidit aratra, factuſque eſt venditor faſciarum infantilium, vicatim proficiſcens. Cùm ad urbem iſtam* (Bethlehem) *accederet, omnes mulieres ab eo emerunt, at mater Menahemi nihil emit. Audiit vocem mulierum dicentium, O mater Menahemi, O mater Menahemi, affer quæ hìc ven-*

Digitized by Google

CAP. II. VERS. 1. *duntur filio tuo. At illa, Strangulationem apprecor hoſtibus Iſraëlis, quia, quo die ille eſt natus, vaſtatum eſt Templum. Cui ille, At nos ſperabamus, prout ad pedes ejus eſt vaſtatum, ità ad pedes ejus ædificandum fore. Dicit illa, Deeſt mihi pecunia. Cui ille, At cur hoc ei noceret? Affer illi hinc coëmpta, & ſi non adſit tibi hodie pecunia, poſt aliquot dies redibo, & recipiam. Poſt aliquot dies redit ad iſtam urbem, & dicit ei, Quid agit infantulus? Et illa, Ex quo tempore, inquit, me vidiſti, venerunt ſpiritus & tempeſtates, atque eum è manibus meis abripuerunt. Dicit R. Bon, Quid opus eſt ut diſcamus ab Arabe? Nonne planè eſt ſcriptum? Et Lebanon corruet præ potenti, Eſaj.* 10:34. *Et quid deinde ſequtur, Prodibit germen è ſtirpe Jeſſe, Eſaj.* 11:1.

Confeſſionem non admodum diſparem exhibent etiam Doctores Babylonici, in *Avodah Zarah*, fol. 9. 2. *Dicit R. Chamna, Poſt elapſos quadringentos annos ab excidio Templi, ſi dixerit tibi quiſpiam, Accipe tibi denario uno agrum valentem denarios mille, nè accipias.* Itemque, *Poſt annos quater millenos ducentenos triginta & unum à creatione mundi, ſi dixerit tibi quiſpiam, Accipe tibi denario uno agrum valentem denarios mille, nè accipias.* Gloſſa; *Nam iſtud eſt tempus redemptionis, & tu reduceris ad montem ſanctum, ad hæreditatem patrum tuorum; quare ergò diſperderes denarium tuum?*

Rationem hujus calculi petas licet, ſi vacat, è Tractatu *Sanhedrin*, fol. 97. *Traditio Scholæ Eliæ, Per ſex mille annos duraturus eſt mundus*, &c. & paulò pòſt, *Dixit Elias Rabb Judæ, Mundus duraturus eſt non minùs quàm per Jubilæos octoginta quinque; atque in jubilæo ultimo adveniet filius Davidis. Dicit ei, Numnam in ejus initio, an in exitu? Reſpondit ei, Non novi. Num conſummandum priùs eſt totum hoc tempus, an non? Reſpondit ei, Non novi. At Rabb Aſher aſſerit eum ſic reſpondiſſe, Eò uſque nè eum expectes, at exinde expectato.* Audi tuos, ô Judææ: quot annorum Centuriæ elapſæ ſunt à mundi Jubilæo octogeſimo quinto, id eſt, anno 4250. & tamen Meſſias expectationis tuæ adhuc non apparuit?

Tempus adventûs veri *Meſſiæ* tam lucidè definierant Hebdomadæ *Danielis*, ut univerſæ gentis erigerentur animi in ejus expectationem. Hinc de Baptiſta dubitatur, annon ille *Meſſias*, *Luc.* 3:15. Hinc ab univerſis regionibus congregantur Judæi ad Hieroſolymas, *Act.* 2. expectantes, & ſpectatum venientes, eò quòd jam tum adeſſet terminus à *Daniele* præfixus revelandi *Meſſiæ*. Hinc tantus numerus Pſeudo-Chriſtorum, *Matth.* 24:5, &c. anſam deceptionum ſuarum hinc arripientium, quòd jam adeſſet & compleretur tempus magnæ iſtius expectationis: Et, ut uno omnia, *Luc.* 19:11. *Putarunt fore ut regnum Dei illicò appareret.* CAP. II. VERS. 1.

Cùm verò elapſa eſſent tempora iſta expectationis, nec appareret *Meſſias* qualis ab iis expectatus, (nam verum *Meſſiam* cùm viderent, videre noluerunt) in varias primùm, eaſque veſanas, de tempore conjecturas eſt proruptum, ac tandem omnibus iſtis in inane redeuntibus, in diras haſce concluſum eſt, ſempiternæ cœcitatis meritò genitrices, תפח רוחן של מחשבי קצין *Rumpatur ſpiritus computantium tempora.*

Μάγοι ἀπὸ ἀνατολῶν.

Magi] Id eſt, Venefici, vel malis artibus dediti, nam in hoc ſolùm ſenſu occurit hæc vox in Pagina Sacra.

Ab Oriente] Generaliùs hoc è *terra Ethnica* denotat, eodem ſenſu quo *Regina Auſtri*, *Matth.* 12:42. id eſt, Regina Ethnica. Perpende hoc Talmudicum, מרקם למזרח ורקם כמזרח מאשקלון לדרום ואשקלון כדרום מעכו לצפון ועכו כצפון: *A Rekam ad Orientem, & Rekam eſt ſicut Oriens. Ab Aſcalone ad Meridiem, atque Aſcalon eſt ſicut Meridies. Ab Acone ad Septentrionem, atque Acon eſt ſicut Septentrio.* Hæc ex *R. Judah* citat *R. Niſſim* in *Gittin*, Cap. 1. art. 1. atque illuſtrat hoc gloſſemate: *A Rekam uſque ad fines ultimos terræ Orientem verſus, eſt terra Ethnica: ac Rekam ipſa pro Oriente mundi reputatur, non pro terra Iſraëlitica. Ità etiam ab Aſcalone porrò ad Meridiem eſt regio Ethnica, ac Aſcalon ipſa pro meridie* (id eſt, pro terra Ethnica) *habetur*, &c.

Singulariùs regiones iſtæ, quò diffuſi ſunt filii *Abrahæ* ex uxore *Cheturâ*, Orientales dicuntur, *Gen.* 25:6. *Judic.* 6:3. alibique ſæpè; atque hinc advenisse Primitias has Gentium, unde & Proſelytus primus ad legem, *Jethro*, non eſt abſimile. Et quod de Arabe primo nati *Meſſiæ* indice, à Gemara dicitur, umbra forſan aliqua eſt hujus hiſtoriæ de Magis ex Arabia advenientibus, primùmque apertè nuntiantibus eum natum.

VERS. 2. Εἴδομεν γὰρ αὐτοῦ τὸν ἀστέρα ἐν τῇ ἀνατολῇ.

Nos in Oriente exiſtentes vidimus ejus ſtellam.] Lux illa cœleſtis, quæ ipsâ nocte nativitatis ſalutiferæ, paſtores *Bethleemiticos* circumfulſit, Magis hiſce longè indè ſemotis forſan viſa eſt ſtellæ inſtar, Judææ impendentis; unde facilius eis eſſet conjectari, omen ad Judæos pertinere.

Digitized by Google

CAP. II. VERS. 4.

VERS 4. Καὶ συναγαγὼν πάντας τοὺς Ἀρχιερεῖς, καὶ Γραμματεῖς τοῦ λαοῦ.

Id eſt, Congregavit omne Synhedrium. Occidiſſe quidem dicitur ab authoribus quamplurimis *Herodes* Synhedrium: ſed hoc, nec de toto Synhedrio eſt intelligendum, nec ſi de toto eſſet intelligendum, totalem Synhedrii ſubverſionem denotaret. Hiſtoriam ſic referunt Gemariſtæ Babylonici in *Bava Bathra, fol.* 3. 2. *Herodes fuit ſervus familiæ Aſmonææ. Oculos conjecit in puellulam* [ex iſta familia] *Die quodam audiit Bath Kol* [vocem cœleſtem] *dicentem*, *Quicunque ſervus jam rebellaverit*, *proſperè rem geret. Inſurrexit in Dominos ſuos*, *atque omnes occidit.* Et paulò poſt, *Dixit Herodes*, *Quis eſt qui interpretatur hæc verba*, *Regem in te ſtatues è medio fratrum tuorum?* [Deut. 17: 15.] *Rabbini* [interpretati ſunt] *Surrexit*, *atque occidit omnes Rabbinos*, *relicto ſolùm Bavâ ben Buta*, *quem conſuleret*.

Duo arcua ab *Herode* ſuperanda erant, ut, cum pace & favore Judæorum, in eos regnaret. Nam quamvis à Romanis in regnum evectus fuerat, ut tamen, ſedato & acceptante populo, ſolium ſuum ſtabiliret, primò amovendam ei neceſſarium viſum eſt familiam *Aſmonæam*, quæ, populo jam olim imperans, ei nonnihil erat in deliciis, & quâ ſuperſtite, quietè vix ſibi futurum ſuſpicabatur. Totam ergò hanc familiam primò extirpat. Secundò obſepſit ei lex iſta de rege non niſi de fratribus ſuis præficiendo, cùm eſſet ipſe è ſtirpe Edomæâ. Rabbinos ergò iſtos, qui legi huic mordicùs adhærentes, acceſſioni ipſius ad regnum, quoad potuerunt, poſuerunt obicem, ille omnes tulit è medio. *At omnes Rabbinos certè non interfecit*, [inquit gloſſa in locum allegatum] *nam filii Betiræ ſuperſtites relicti ſunt*, *qui cathedram tenuerunt*, *cùm adventaret Hillel è Babylone*.

Omnes ergò Synhedrii ſeniores non interfecit, ſed eos tantùm, qui, ex lege iſta anſam arripientes, acceſſioni ejus ad regnum reſtiterunt. Evaſerunt ex iſta ſtrage filii duo *Betiræ*, cathedras in Synhedrio primas occupantes à morte *Shemaiæ & Abtalionis*. Evaſit & *Shammæus*, qui, referente *Joſepho*, cædem hanc prædixerat. Evaſit & *Hillel*, ſi modò tunc aderat, & *Menahemus*, qui certè aderat, quique illicò in cathedra ſedit ſecunda. Evaſit etiam, ut refert Gemara, *Bava ben Buta*, qui poſteà *Herodi* perſuaſit, ut Templum reſtauraret, quò ſcelus hoc cruentum expiaret. Evaſêre etiam alii.

Ἀρχιερεῖς.

Cùm conſtaret Synhedrium è Sacerdotibus, Levitis, atque Iſraëlitis (ut docet *Maimonides in Sanhedr. cap.* 2.) ſub voce Ἀρχιερεῖς hìc comprehenduntur duo priores, quotquot ſcilicet è clero erant è Synhedrio: & ſub *Scribis populi* omnes iſti è Synhedrio, qui non fuerunt de clero.

Sacerdotes varias ſubierunt diſcriminationes.

I. Fuerunt è Sacerdotibus qui כהני עם הארץ vocarentur, quaſi dicas, *Sacerdotes plebei*; qui nempe, non è plebe quidem eſſent, ſed educatione ſcholaſticâ carerent, atque inter doctos, ac religioni devotos, non numerarentur. Cùm enim totum ſemen *Aaronis* eſſet ſacerdotale, & Sacerdotes non tam facti eſſent, quàm nati; non mirum, ſi inter eos reperirentur & rudes & pauperes. Hinc illa diſtinctio *Hieroſ. Trumoth, fol.* 44. 1. עניי ישראל ועניי כהנים מלקטין *Pauperes Iſraelitæ*, *& pauperes Sacerdotes colligunt*. Et col. 2. כהן חבר וכהן עם הארץ *Sacerdos votarius*, *& ſacerdos plebeius.* Et cautum eſt שאין תרומה לכהן עם הארץ *Nè detur oblatio Sacerdoti plebeio.* Redditurque ratio, *Quia quicunque oblationem dat Sacerdoti plebeio*, *idem facit*, *ac ſi leoni daret*, *de quo dubitari poteſt*, *an calcaturus ſit pedibus*, *& comeſturus*, *an non. Ità de ſacerdote plebeio dubitari poteſt*, *an comeſturus ſit in munditia*, *an in immunditia: Babyl. Sanhedr. fol.* 90. 2. Utcunque, hi indocti & rudes, vices tamen ſuas ad altare pro ſorte ſubierunt, regulis quibuſdam tunc temporis edocti ad munus ſorte decretum. Obſtupeſcas, ea legens, quæ de inſcitia ac ruditate vel ipſius ſummi Pontificis ſupponuntur, *Joma*, cap. 1.

II. Fuerunt, qui vocarentur כהנים הדיוטות *Sacerdotes Idiotæ*, vel privati; qui, quamvis & docti eſſent, & publico munere ad altare fungerentur, *Privati* tamen dicebantur, eò quòd inferioris ordinis eſſent Sacerdotes, & non dignioris.

III. Dignior gradus Sacerdotum fuit quadruplex, præter gradum ſummi Pontificis, atque τοῦ Sagan ejus vicarii. Nam, 1. erant *Capita Ephemeriarum*, ראש משמר numero viginti quatuor. II. *Capita familiarum* in unaquaque Ephemeria, ראש בית אב. De utriſque vide *Hieroſ. Taanith*, fol. 68. 1. III. ממונים שהיו במקדש *Præfecti variis officiis in Templo*, de quibus vide *Shekalim*, cap. 5. IV. Si qui Sacerdotes, vel Levitæ quidem [quamvis non ex his ordinibus] cooptati fuerunt in ſummum Synhedrium. Ἀρχιερεῖς ergò hìc alibique, ubi de Synhedrio agitur, ii fuerunt, qui in ſupremum illum Senatum conſcripti fuerunt, de ſtirpe Sacerdotali aut Leviticâ.

Γραμματεῖς τοῦ λαοῦ.

סופר, Γραμματεὺς generaliùs quemlibet doctum

CAP. II. VERS. 4.

doctum denotat, & opponitur τῷ בור *rudi*, vel agreſti, *Babyl. Beracoth, fol.* 45. 2. *Duo, qui ſimul comedunt, gratias agere tenentur ſingulatim* כששניהם סופרים *Cùm ambo ſunt Scribæ:* אבל אחד סופר ואחד בור סופר מברך ובור יוצא: *At verò ſi unus ſit Scriba, & alter rudis*, vel agreſtis, *gratias agat Scriba, atque indè ſatisfit officio rudis*, vel indocti. Sic סופרי כותיים *Scribæ Samaritanorum*, *Babyl. Sotah*, *fol.* 33. 2. id eſt, *Docti inter Samaritanos:* nam inter eos non erant traditionarii.

Singularius סופרים eos denotat, qui docti quidem eſſent, atque educationis Scholaſticæ, tractando calamo, atque ſcriptioni præcipuè ſeſe addixerunt: quales erant, Notarii publici in Synhedriis, Regiſtrarii in Synagogis, Amanuenſes tranſcribendis, legi, Phylacteriis, ſententiolis poſtibus affigendis, contractuum libellis, aut divortii, &c. operam navantes. Atque hoc ſenſu ספרא & תנא aliquando opponuntur, quamvis non eſſet תנא qui ſenſu antè dicto non eſſet ספרא. In *Babyl. Avodah Zarah, fol.* 9. 1. &c. diſcutitur, [quod lectu non indignum] quota nam diſcrepantia computi toleretur inter תנא *Expoſitorem* è cathedra vel pulpitis, & ספרא *Scriptorem* contractuum aut libellorum repudii, vel Regiſtrarium, &c. in enumerandis annis Templi, Imperii Græcorum, &c. De qua re hoc inter alia concluſum eſt, ספרא בצירא תנא תוספאה Quòd *Scriba compendioſè computet, Doctor copioſiùs.* Lecti loci non pigebit; uti nec lecti Tractatûs iſtius, qui מסכת סופרים vocatur, qui Scribis iſtiusmodi, de qualibus jam ſermo, dictat, de exſcribendis lege, Phylacteriis, &c.

At præ omnibus aliis, Traditionum Patres *Scribæ* audiunt, (qui quidem erant Seniores Synhedrii) quod ſatis liquet in his atque hujuſmodi locutionibus: דברי סופרים חביבים מדברי תורה *Verba Scribarum ſunt amabiliora quam verba legis:* id eſt, *Traditiones præſtant legi ſcriptæ:* זה מדברי סופרים *Hoc eſt è dictis Scribarum*, id eſt, *Hoc eſt ex decretis traditionalibus.*

Hi ergò, quos *Scribas Populi* vocat *Matthæus*, Seniores iſti è Synhedrio fuerunt, qui non è Sacerdotali, aut Leviticâ ſtirpe creti eſſent; ſed ex aliis orti Tribubus: Seniores Synhedrii Sacerdotali ſanguine orti, fuerunt *Scribæ Cleri*; reliqui fuerunt *Scribæ Populi*.

Conjecturâ ergò non improbabili, in conventu hoc ab *Herode* convocatos inter alios, hos præſentes hariolari poſſumus. I. *Hillelem præſidem.* II. *Shammæum vice-præfectum.* III. *Filios Betiræ*, *Judam & Joſhuam.* IV. *Bavam ben Buta.* V. *Jonathanem filium Uzzielis*, Chaldæum Paraphraſten. VI. *Simeonem filium Hillelis.*

CAP. II. VERS. 6, 9, 14.

VERS. 6. Ὀυδαμῶς ἐλαχίϛη εἶ.

Nequaquam pugnant hæc verba cum verbis Prophetæ, unde proferuntur, *Mich.* 5. צעיר להיות באלפי יהודה. Quæ ego ſic reddo, Tu verò Bethlehem Ephrata, *parvum eſt ut ſis* (vel numereris) *inter chiliadas Judæ:* nam ſublimiori dignitate tu es coronanda, *ex te enim prodibit dominator*, &c. Et in hunc ferè ſenſum, ni ego fallor, apertè reddit Chaldæus Paraphraſtes, quem in hoc Concilio præſentem ſuſpicamur, כזעיר הויתא לאתמנאה *Intra pauxillum es ut præficiaris.* Vide eundem ſenſum vocis זעיר in Targ. *Pſalm.* 73:2. *Hoſ.* 1. 4. &c.

VERS. 9. Ἀϛὴρ, ὃν εἶδον ἐν τῇ ἀνατολῇ, προῆγεν αὐτούς.

Fulſerat ſtella, ipſiſſimâ, ut veriſimile eſt, nocte nativitatis, atque exinde ad hoc uſque temporis diſparuerat. Eâ duce non opus erat Magis *Hieroſolymas* tendentibus, urbem ſatis notam: aſt indè *Bethlehemum* pergentibus, idque, ut videtur, noctu, dux eſt viæ.

VERS. 14. Ἀνεχώρησεν εἰς Ἄιγυπτον.

Judæis præter modum repleta jam erat *Ægyptus*, idque partim ob migrantes illuc ſub *Jochanane filio Kareæ*, Hierem. 43. partim ob confluentes illuc, nuperiùs, ad Templum *Oniæ*, de quo *Joſeph. Ant. lib.* 13. *cap.* 6. & Talmud utrumque in *Menachoth*, *cap.* 13. & *Succah*, *cap.* 5. *Hieroſ. Joma*, fol. 43. 4. *Cùm diceret Simeon Juſtus, Ego hoc anno ſum moriturus. Dixerunt ei, Quemnam ergò vice tuâ ſufficiemus? Reſpondit* הרי נחוניון בני: *Ecce filius meus Onias eſt coram vobis. Conſtituerunt ergò Oniam ſummum Pontificem. Invidit autem ei frater ejus Simeon. Fugit ergò Onias, primùm in montem regium, ac deinde in Ægyptum, condiditque illic altare, illud recitans Prophetæ, In die illo erit altare Domino in medio Ægypti.*

Idem, Succah, fol. 55. 1, 2. *Qui non vidit Eccleſiam cathedralem Alexandriæ, non vidit unquam gloriam Iſraëlis. Baſilicæ inſtar erat, duplicatæ porticus. Erant aliquando illic qui numerum exeuntium ex Ægypto duplò excederent; Erantque ſeptuaginta cathedræ aureæ gemmatæque, pro numero ſeptuaginta ſeniorum. Suggeſtum etiam ligneum in medio collocatum, in quo ſtetit Epiſcopus Synagogæ. Cùmque lex legeretur, ſigno poſt unamquamque benedictionem à privato dato per ventilationem ſudarii, reſponderunt omnes Amen. At confuſè & mixtim non ſederunt; ſed unuſquiſque*

Digitized by Google

CAP. II. VERS. 14, 16.

quiſque artifex, cum profeſſoribus ejuſdem artificii. Ità ut ſi adveniret peregrinus, cum ejuſdem opificii mechanicis ſe poſſet commiſcere, &c. *Hos perdidit Trajanus impius*, &c.

Eadem ferè repetit Gemara Babylonica, *Succah*, fol. 51. 2. hæc ultima ſic proferens: *Confusè non ſederunt, ſed unà Artifices, unà Argentarii, unà Ærarii, unà Textores*, &c. *Ità ut ſi ingrederetur peregrinus pauper, ſuos coartifices poſſet cognoſcere; atque ad eos ſe conferre, atque indè alimoniam ſuam, familiæque recipere.*

Sic paupertati *Joſephi* & *Mariæ*, dum in *Ægypto* [*Alexandriæ*, ut probabile] peregrinarentur, eſt conſultum, divenditis partim in viaticum atque alimoniam Magorum donis, ac partim à ſuis in *Ægypto* ſuppeditato victu, cùm fuit opus.

Profectionis hujus Salvatoris in *Ægyptum* ſunt veſtigia quædam apud Talmudicos, at venenatâ malitiâ atque blaſphemiâ ità corrupta, [prout omnia] ut veritatem ideò ſolùm confeſſi videantur, quò habeant unde ei liberiùs convitientur. Sic enim illi, *Babyl. Sanhedr.* fol. 107. 2. *Cùm Jannai rex occideret Rabbinos, abierunt R. Joshua ben Perachiæ, & Jeſus ad Alexandriam in Ægypto. Miſit eò Simeon ben Shetah, ſic dicens, A me Hieruſalem civitate ſanctâ tibi, ò Alexandria in Ægypto, ſorori meæ ſalutem. Maritus meus apud te habitat, dum ego intereà ſedeo ſola. Surrexit ergò, & advenit.* Et paulò poſt, *Produxit quadringentas tubas, &* (Jeſum) *Anathematizavit.* Et paulò antè, *Eliſæus duabus manibus avertit Gehazi, & R. Joſua F. Perachiæ ambabus manibus repulit Jeſum.*

Itemque in *Schabb.* fol. 104. 2. *Nonne Ben Satda præſtigias attulit ex Ægypto in inciſura, quæ in carne ejus?* Sub nomine *Ben Satda*, Jeſum noſtrum convitiis fodiunt, quanquàm Gloſſator in locum ex authoritate R. Tam, illud neget. Sic enim ille, Dicit R. Tam, *Non fuit hic Jeſus Nazarenus, quia hìc ajunt Ben Satda fuiſſe diebus Paphi filii Judæ, qui fuit diebus R. Akibæ; Jeſus verò fuit diebus R. Joſuæ F. Perachiæ*, &c.

VERS. 16. Ἀπὸ διετοῦς καὶ κατωτέρω, &c.

Excurrerat jam biennium, aut circiter, ex quo fulſerat ſtella, naſcereturque Chriſtus. Moræ *Joſephi Mariæque* in *Bethlehemo* ratio hæc fuit, quòd natum illìc *Meſſiam* ſecundùm Prophetiam non niſi illìc educandum crederent, nec aliò eum transferre ſunt auſi, ante conceſſam ipſis per Angelum cœlitùs veniam.

De modo ortûs *Meſſiæ* cæcutiit plurimùm gens Judaïca, atque *unde ille, nemo novit, Joan.* 7: 27. hoc eſt, quo ortu: הוא אין מי חייא דמכביא הוא *An è vivis, an è mortuis prodiret*, ambigebatur, *Hieroſ. Berach.* fol. 5. 1. Aſt omnibus tamen abſque controverſia in confeſſo erat, è *Bethlehemo* ſpecimen ſui primò eum exhibiturum, quod aſſerunt Sacerdotes & Scribæ populi, *verſ.* 5. Hinc Chriſtum in bimatu jam agentem habes *Bethlehemi*, quò ſe iterùm cum eo contulerant *Joſephus* & *Maria*; cùm jam eum, quadraginta dies natum, in Templo ſecundùm legem ſtitiſſent, *Luc.* 2: 22. Atque hoc loci, & non alibi, educandum eum curâſſent, uſque dum ipſe hinc prodiens, ſe palàm *Meſſiam* demonſtraret, ſi permiſſu cœleſti aliò non fuiſſent amandati.

CAP. II VERS. 23.

VERS. 23. Ὅτι Ναζωραῖος κληθήσεται.

Quæ de נצר adducuntur ex *Eſaj.* 11: 1. & quæ de *Samſone* Nazaræo, nobiliſſimo Chriſti typo, pondus ſuum habent non ſpernendum. Addimus; Poſſe *Matthæum* intelligi, loquentem de humili & vili Salvatoris externâ conditione. Quòdque, per vocem Ναζωραῖος, *ſeparationem* ejus innuit, atque *alienationem* ab aliis hominibus, hominis veluti deſpicabilis, atque ſocietate hominum indigni. I. Obſervetur, Euangeliſtam non unum aliquem è Prophetis citare, ſed omnes, τὸ ῥηθὲν διὰ τῶν Προφητῶν: jam verò, omnes Prophetæ ferè vilem Chriſti & abjectam conditionem prædicant, nullus ortum ejus è *Nazareth.* II. *David* in perſona ejus ſic ait, מוזר הייתי לאחי: *Alienus fui fratribus meis*, *Pſalm.* 69: 9. III. Si vocem Ναζωραῖος deducas, quod faciunt non pauci, à נזיר *Nazaræo*, denotat iſta vox non tantùm *ſeparationem* Deo dicatam, qualis erat Nazaræorum; ſed ſeparationem etiam hominis, quaſi indigni ab hominibus, *Gen.* 49: 26. Hâc ergò Paraphraſi ſenſum Euangeliſtæ digeramus. Seceſſurus erat *Joſephus* cum Chriſto, ad *Bethlehemum* civitatem *Davidis*, aut ad *Hieroſolymas* civitatem regalem, ni terror *Archelaï* prohibuiſſet. Indice ergò Angelo, in *Galilæam* amandatur, regionem contemptiſſimam; inque urbem *Nazaretham*, locum viliſſimum: unde ex ipſo iſthoc loco, locique nomine, ad apicem illud obſerves adimpletum, quod à Prophetis toties prædicatur, *Meſſiam* fore *Nazor*, *alienum* vel *ſeparatum* ab hominibus, ac ſi vilem nimiùm, & ſocietate eorum non dignum.

Digitized by Google

CAP. III.

VERS. 1. Ἰωάννης ὁ Βαπλιςὴς κηρύσσων ἐν τῇ ἐρήμῳ τῆς Ἰουδαίας.

NAtum *Hebrone Joannem* non incommodè conjecteris, ex collatione *Luc.* 1:39. cum *Joſ.* 21:11. Natumque circa feſtum Paſchatis, ante nativitatem ſcilicet Salvatoris ſpatio ſemeſtri, *Luc.* 1: 36. Sic quatuor celebres anni Tekuphas nobilitârunt conceptio & nativitas Baptiſtæ & Salvatoris; concepto ſcilicet illo ad ſolſtitium æſtivum, hoc ad hyemale; nato illo ad æquinoctium vernum, hoc ad autumnale.

In eremis egit Joannes uſque dum ſe palàm faceret Iſraëli, Luc. 1: 80. id eſt (interprete ſcholâ Pontificiâ) vitam egit Eremiticam.

At I. pudeat te, ô Papicola, ſic ignorare ſenſum vocis Ἐρήμοις, quæ idem vulgari dialecto omninò ſonat, ac ſi dictum eſſet, Vitam ruri egit, non in urbe; agreſtiorem educationem ruri ſubiit, non Academicam, aut Aulicam Hieroſolymis.

Menachoth, cap. 7. *hal.* 1. תודה היתה ה׳ סאין ירושלמיות שהן שש מדבריות: *Oblatio pro gratiarum actione conſtitit è quinque ſeis Hieroſolymitanis, quæ valebant ſex ſeas eremi*, id eſt, ſex ſeas ruſticas.

Babyl. Erubh. fol. 83. 1. *Seah Hieroſolymitana excedit ſeam eremi ſextâ parte.*

Rambam in Demai, cap. 1. אילנות מדבריות *Arbores eremi ſunt iſtæ quæ ſunt communis juris, & non unius domini*, id eſt, Arbores in ſaltibus, aut paſcuis communibus.

Sic 2 Cor. 11: 26. Κινδύνοις ἐν πόλει, κινδύνοις ἐν ἐρημίᾳ, id eſt, *Periculis in urbe, & periculis ruri.*

II. Eremi terræ Canaanitidos non erant oppidis aut urbibus vacuæ, nec illicò erat ille *Eremita* vocandus, qui coleret eremum. *Montanum Judææ*, Joannis natale ſolum, vocatur à Talmudicis, הר המלך, *Montanum regale*, & à Pſalte, מדבר הרים, *Montanum eremoſum*, Pſalm. 75:6. & tamen *in montano regali erat myrias urbium.* Hieroſ. Taanith, fol. 69. 1.

III. In eremo plurimum adoleſcentiæ ſuæ tranſegit *David*, 1 *Sam.* 17: 28. at quiſnam tamen eum dixerit *Eremitam*? Pari ſenſu in eremis agentem concipio Joannem, non otio aut contemplationi ſolùm vacantem, ſed operi alicui, aut ſtudiis incumbentem: nam, cùm adoleſcentiam Salvatoris arte fabrili occupatam lego, Præcurſorem ejus adoleſcentiam ſuam nullâ arte occupâſſe, vix credo.

Annum ætatis ſuæ inchoans jam trigeſimum, cùm pro more Sacerdotum ad Synhedrium ſummum acceſſiſſe debuerat, examen eorum ſubiturus, atque ab iis ſacris initiandus, *facto ad eum verbo Domini*, Luc. 3: 2. ſicut olim ad Prophetas, ad aliud miniſterium ille divertitur.

VERS. 2. Μετανοεῖτε.

Aptiſſima Euangelio doctrina, & convenientiſſima tempori, & vox, ſeu Phraſiologia, convenientiſſima doctrinæ.

I. Gens fermentata errore Phariſæorum, de Juſtificatione ex operibus legis, neceſſariò erat indè avocanda ad doctrinam contrariam de pœnitentiâ: nulla aliter receptio Euangelii eſſet expectanda.

II. Utcunque pœnitentiam malè definierint Scholæ Phariſaïcæ, quod obſervamus illico, pœnitentiam tamen ipſam ad receptionem *Meſſiæ* neceſſariam aſſeruerunt. De hac re diſputatur apud Gemariſtas Babylonicos, *Sanhedr. fol.* 98, &c. quos citat etiam Kimchius in *Eſaj.* 59: 16. & quæſtionem determinat. *Ex verbis Rabbinorum noſtrorum* (inquit) *patet, iis de hac re ortum ſcrupulum, num ſcilicet redimendus ſit Iſraël pœnitens, an ſine pœnitentia? Atque indè ortus, quòd videantur textus quidam Scripturæ ſibi ipſis contrariari: quales ſunt iſti; Vidit quòd non eſſet aliquis, & miratus eſt, quòd non eſſet qui intercederet; brachium ergò ſuum attulit ſalutem.* Itemque, *Non veſtri causâ hoc facio, ô domus Iſraëlis.* Et rurſus, *Recordabor pro iis priſtinum fœdus*, &c. *Atque hi è contrà qui faciunt pro pœnitentia. Reverteris tu ad Dominum Deum tuum, atque voci ejus auſcultabis.* Itemque, *Atque indè quæres Dominum Deum tuum, invenieſque, ſi quæras toto corde*, &c.

Aſt hæc reconciliari poſſunt hoc modo. Multos ſcilicet ex Iſraële pœnitentiam acturos, cùm ſigna viderint redemptionis. Atque hinc eſt, quod dicitur, Et vidit quòd non eſſet aliquis, eò quod pœnitentiam non agent, uſque dum initium redemptionis videant.

Hieroſ. Taanith, fol. 64. 1. *Si reſipuerit Iſraël vel uno die, illico adveniet redemptor.*

Aptiſſimè ergò à Baptiſta, ac poſt eum à Salvatore, *Matth.* 4: 17. arguitur, ab appropinquatione regni cœlorum, ad pœnitentiam, cùm ſic introducendum regnum cœlorum, vel manifeſtationem Meſſiæ, ipſi agnoverint, quibus hoc prædicatur. Utcunque enim poſterioris ſeculi fuerint Gemariſtæ, qui de hoc diſputant, ſententiam tamen patrum ſuorum ut plurimùm eloquuntur.

III. Vox Μετάνοια, prout optimè ſenſum veræ pœnitentiæ exprimit, ità apud Judæos neceſſe

CAP. III. VERS. 2. neceſſe fuit ut ſic ea exprimeretur, apud quos pœnitentia, ut plurimùm, in orali tantùm confeſſione conſiſtere exiſtimaretur.

Maimon. in *Teshubhah*, cap. 1. *Præcepta legis, ſive præceptiva, ſive prohibitiva, quicunque tranſgreſſus fuerit, ſive errans, ſive præſumens, cùm pœnitentiam agit, ac à peccato ſuo revertitur, confeſſionem edere tenetur. Quicunque oblationem pro peccato attulerit, vel ex ignorantia commiſſo, vel ex præſumptione, expiatum per oblationem non habet peccatum, uſque dum oralem edat confeſſionem. Et quicunque reus eſt mortis, aut flagellationis à Synhedrio, non tollitur ejus peccatum, per mortem ejus, aut per flagellationem, ſi modò pœnitens non edat confeſſionem. Ideoque, quia hircus emiſſarius eſt expiatio pro toto Iſraële, ſummus Sacerdos ſuper eum confeſſionem edit pro toto Iſraële.*

Obſervatione dignum eſt, quòd, cùm Joannes accedentes ad Baptiſma ſuum, urgeat ad pœnitentiam, refertur, baptizatos eos, *Confitentes peccata*: quod ſignum pœnitentiæ apud Judæos ſummè requiſitum, atque apud tunc introductos in profeſſionem Euangelii neceſſarium: ut per hoc apertè profiterentur, ſe doctrinæ de Juſtificatione per opera legis abrenunciare. CAP. III. VERS. 2.

Obſervatione etiam dignum eſt, Joannem non dixiſſe, *Reſipiſcite, & credite Euangelio*, quod Salvator, *Matth.* 4:17. [& tamen Joannes prædicavit Euangelium, *Marc.* 1:1, 2. *Joan.* 1:7.] nam muneris ejus præcipuè fuit, Chriſtum manifeſtare, qui, cùm adventaret, magnus futurus erat prædicator Euangelii.

Aptiſſimè ergò pœnitentiam urget Baptiſta apud expectantes *Meſſiam*, atque aptiſſimo vocabulo uſus eſt textus Euangelicus ad exprimendum veram & vivam pœnitentiam.

Ἤγγικε γὰρ ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν.

I. *Regnum cælorum* apud *Matthæum*, eſt *Regnum Dei*, ut plurimùm apud reliquos Euangeliſtas. Confer hæc loca:

Matth. 4:17. *Appropinquavit regnum cælorum.*	Marc. 1:15. *Appropinquavit regnum Dei.*
Matth. 5:3. *Pauperum ſpiritu eſt regnum cælorum.*	Luc. 6:20. *Beati vos pauperes, nam veſtrum eſt regnum Dei.*
Matth. 11:11. *Minimus in regno cælorum.*	Luc. 7:28. *Minimus in regno Dei.*
Matth. 13:11. *Myſteria regni cælorum.*	Luc. 8:10. *Myſteria regni Dei.*
Matth. 19:14. *Parvulorum eſt regnum cælorum.*	Marc. 10:14. *Parvulorum eſt regnum Dei.*

Alibique frequentiſſimè.

Judaïcâ enim Dialecto שמים uſitatiſſimè ſumitur pro *Deo*, *Dan.* 4:25. *Matth.* 21:25. *Luc.* 15:21. *Joan.* 3:27. Atque in his atque hujuſmodi locutionibus paſſim apud Talmudicos. מיתה ביד שמים *Mors per manum cæli.* נתחלל שם שמים *Profanatur nomen cæli.* פולחנא · דשמיא *Cultus cæli.* בסייעתא דשמיא *Adjutorio cæli*, &c. *Nam Deum nomine cæli vocitârunt, eò quòd in cælis ejus habitatio. Elias Levita in Tiſhbi.*

In *Babyl. Taanith*, fol. 18, 1. refertur hiſtoria de Judæis ſub perſecutione ejulantibus אי שמים *O cæli!* id eſt, ut reddit gloſſa ארה, ה׳ *Ah Jehovah!*

II. Deſumitur hæc Phraſiologia, *Regnum cælorum*, à Daniele, Cap. 7:13, 14. ubi poſt deſcriptas quatuor Monarchias terrenas & tyrannicas, Babylonicam, Medo-Perſicam, Græcam, Syro-Græcam, eaſque tandem exciſas, deſcribitur introductio & natura regni Chriſti, univerſalis per totum orbem, atque æterni, per omnia ſæcula. *Sub quo Imperium, Dominatio, & autoritas regnorum ſub omni cælo datur populo Sanctorum excellentiſſimi*, vers. 27. id eſt, Cùm antea imperium fuerat penès reges Ethnicos, ſub regno Chriſti futuri ſunt reges Chriſtiani: quò etiam ſpectat illud Apoſtoli, 1 *Cor.* 6:2. *Nonne noſtis quòd Sancti judicabunt mundum?*

Miror ego certè adimpletionem viſionis ac Prophetiæ iſtius apud *Danielem*, in longam ac ſerotinam, neſcio quam expectationem adhuc protrahi, non antè perficiendam, quàm corruerit *Roma* ac *Antichriſtus*: cùm commentarium ſole clariorem exhibeant paginæ Euangelicæ, *regnum* iſtud *cælorum* initium ſumpſiſſe illicò à prædicatione Euangelii. Cùm, & Baptiſta, & Chriſtus, *appropinquationem regni cælorum* ab ipſo primo ſuo præconio prædicârint, certè adimpletionem iſtorum apud *Danielem* non tunc orſam opinari, ego opinor eſſe, vel ex libitu, vel ex ignorantia cæcutire.

III. Denotat *Regnum cælorum* I. Exhibitionem & manifeſtationem Meſſiæ, *Matth.* 12:28. *Si verò ego digito Dei ejicio Dæmonia, ſupervenit vobis regnum cælorum*, id eſt, Hinc eſt manifeſtatio Meſſiæ. Vide *Joan.* 3. *v.* 3. & 12:13, &c. II. Reſurrectionem Chriſti, devictis morte, orco, Satanâ: unde clariſſima manifeſtatio, illum Regem eſſe iſtum æternum, &c. Vide *Matth.* 26:29. & *Rom.* 1:4. III. Vindictam ejus in gentem Judaïcam,

Digitized by Google

CAP. III. VERS. 2. Judaïcam, hoſtes ejus acerrimos: hæc eſt alia, eaque nobiliſſima ejus manifeſtatio. Vide *Matth.* 16: 28. & 19: 28. IV. Dominium ejus per ſceptrum Euangelicum inter Gentes, *Matth.* 21: 43. Hoc loco, qui ſub manibus, exhibitionem atque revelationem Meſſiæ indigitat.

IV. Apud ſcriptores Judaïcos frequentiſſimè occurrit Phraſiologia, מלכות שמים *Regnum cælorum.* Loca nonnulla adducemus, ſenſum excerpat Lector.

Beracoth, cap. 2. hal. 2. *Dicit R. Joſhua ben Korcha, In recitandis Phylacteriis, quare recitatur* שמע [Deut. 6: 4, &c.] *ante* והיה אם שמע *periocham iſtam*, Deut. 11: 13, &c? *Nempe, ut primùm recipiat homo in ſeipſum Regnum cælorum, & deinde jugum præcepti.* Sic habet Mishnah Hieroſolymitana: Babylonica autem, *Ut primùm recipat homo in ſe jugum regni cælorum, & deinde jugum præcepti.*

Gemara Babyl. ibid. fol. 13. 2. *Dixit Rabh* τῷ *Rabbi Chaijæ:* לא חזינא ליה לרבי דמקבל עליה מלכות שמים *Non vidimus unquam Rabbi* (Judam) *ſuſcipientem in ſe Regnum cælorum. Reſpondit Bar Pahti, Eo tempore, quo manus ſuas faciei applicuit, ſuſcepit in ſe jugum regni cælorum.* Ubi ſic Gloſſa; *Non vidimus, quòd ſuſciperet in ſe regnum cælorum; nam, uſque dum adeſſet tempus recitandi Phylacteria, erudiit diſcipulos ſuos; & cùm jam adventaret illud tempus, non vidi eum interpoſuiſſe aliquod ſpatium.*

Ibid. fol. 15. 1. *Ventrem quis exoneret, manus lavet, Phylacteria apponat, ea recitet, & precetur.* זו היא מלכות שמים שלמה *Et hoc eſt regnum cælorum completum.*

Ibid: col. 2. in Gloſſa. אם תפרש שדי ותבדיל תיבות של מלכות שמים *Si explicaveris Shaddai, & diviſeris literas regni cælorum, frigifacies tibi umbram mortis.* Hoc eſt, Si in recitatione periochæ iſtius Phylactericæ, *Deut.* 6: 4. *Audi Iſraël, Dominus Deus noſter eſt Deus unus*, &c. literas diſtinctè & deliberatè protuleris, ità ut nomina Dei ritè pronuntiaveris, frigifacies, &c. Nam dixerat eadem Gloſſa, ibid. fol. 14. 2. קריאה שמע שהוא קבלת מלכות שמים *Recitatio iſtius periochæ, Audi Iſraël, &c. eſt ſuſceptio in te regni cælorum.* והיה אם שמוע שהוא קבלת על מצוה *Recitatio autem iſtius periochæ, Eritque, ſi auſcultaveris, &c.* Deut. 11: 13. *eſt ſuſceptio in te jugi Præcepti.*

In eodem, cap. 2. Tract. Berac. hal. 5. *Recitavit Rabban Gamaliel Phylactericas ſuas Orationes ipſiſſimâ nocte nuptiarum ſuarum: Cùmque ei dicerent Diſcipuli ejus, Nonne docuiſti nos, ô Magiſter noſter, quòd ſponſus liberatur à recitatione Phylacteriorum primâ nocte; reſpondit ille, Ego vobis non auſcultabo, nec à me reponam regnum cælorum, ne quidem in horulam.*

CAP. III. VERS. 4.

Zohar in *Levit. fol.* 53. *Quidnam eſt jugum regni cælorum? Pari modo ac bovem ſub jugo mittunt, ut inſerviat, ſique jugum non toleret, fit inutilis; ità & hominem oportet jugum in ſe primùm ſuſcipere, ac cum eo in omnibus inſervire: quod ſi abjiciat, fit inutilis, ſicut dicitur, Servite Domino in timore: Quid ſibi vult, In timore? Idem quod ſcribitur, Timor Domini eſt initium ſapientiæ. Et hoc eſt regnum cælorum.*

Hieroſ. Kiddushin, fol. 59. 4. *Quæſiverunt diſcipuli Jochananis ben Zaccai. Quare ſervus per aurem terebrandus potiùs, quàm per aliquam aliam partem corporis? Reſpondit ille, Cùm aure audiret hæc à monte Sinai, Non erit tibi Dominus alius coram facie mea, rupit ille à ſe jugum regni cælorum, & ſuſcepit in ſe jugum carnis & ſanguinis.*

Si per *Regnum Cælorum* in his atque aliis iſtiuſmodi ſententiis, quas accumulare nimium eſſet, internum Dei amorem ac timorem volunt, quod quidem videtur, euſque cum ſenſu noſtro Euangelico conſentiunt, qui regnum Chriſti internum, ac ſpirituale præſertim, aſſerit: atque ad hunc ſenſum gentis, de Regno cœlorum, ſi aptentur verba Salvatoris, nihil durum ſonant, aut inconcinnum, *Ecce regnum Dei eſt in vobis*, Luc. 17: 21. quaſi dicat, Num vos Regnum cœlorum cum inſigni aliquâ obſervatione, aut μετὰ πολλῆς φαντασίας, adventurum arbitramini? Ipſiſſimæ Scholæ veſtræ docent, Regnum cœlorum eſſe intra hominem.

Utcunque verò Phraſiologiam hanc vulgatiſſimè hùc applicuerint, eam etiam pro exhibitione & revelatione Meſſiæ adhibuerunt pari modo ac hiſtoria Euangelica. Hinc hæc atque hujuſmodi apud ſcriptores ſacros; *Phariſæi interrogârunt Jeſum, quandonam regnum Dei venturum?* Luc. 17: 20. *Exiſtimârunt, quòd confeſtim regnum Dei manifeſtaretur*, Luc. 19: 11. *Joſephus Arimathæanus expectabat regnum Dei*, Luc. 23: 51, &c.

Atque hæc apud Chaldæum Paraphraſten, *Dicite civitatibus Judæ, Regnum Dei veſtri revelatur*, Eſaj. 40: 9. *Videbunt regnum Meſſiæ ſui*, Eſaj. 53: 11.

Excitat ergò præconio ſuo Baptiſta auditorum animos, ut adventui Meſſiæ illicò manifeſtando obviam eant eâ, quâ par eſt, pœnitentiâ & præparatione.

VERS. 4. Ἡ δὲ τροφὴ αὐτοῦ ἦν ἀκρίδες.

Hieroſ. Nedarim, fol. 40. 2. הנודר כן הבשר יהא אסור בבשר דגים וחגבים *Qui voto ſe obligat de carne, interdicatur carni piſcium & locuſtarum.* Vide, de locuſtis eſui idoneis, *Babyl. Cholin, fol.* 65. 1.

VERS.

CAP. III. VERS. 5, 6.

VERS. 5. Ἡ περίχωρος τοῦ Ἰορδάνου.

Vocabulo περίχωρος utitur Gemara Hieroſolymitana, in *Shevìith*, *fol.* 38. 4. מבית חורון ועד הים מדינה אחת פרא כורין: *A Beth Horon uſque ad mare eſt Regio una* περίχωρος.

Idem forſan eſt περίχωρος, & Talmudicis & Euangeliſtæ, quod *Ora*, & *Regio per oram*, Plinio. *Regio*, inquit, *per oram Samariæ*; lib. 5. cap. 13. id eſt, Ora maritima, regioque remotiùs juxta iſtam oram procurrens, quod & dici poteſt de περιχώρῳ τοῦ Ἰορδάνου. Strabo de Planitie Jordani adjacente hæc habet, *Eſt locus C. ſtadiorum totus irriguus, atque habitationibus plenus.*

VERS. 6. Καὶ ἐβαπτίζοντο.

§. *De Baptiſmo pauca.*

Unde tantus hominum confluxus, ac tam prompta Baptiſmi receptio? non inutilis, nec injuſta eſt quæſtio.

Ratio. I. Quia tunc expectabatur manifeſtatio *Meſſiæ*; elapſis jam hebdomadibus *Danielis* ad ultimum uſque quadriennium.

Conſulamus aliquantùm ejus textum.

Dan. 9: 24. *Septuaginta Septimanæ* [annorum ſcilicet] *decernuntur quoad populum tuum*, &c. id eſt, anni quadringenti nonaginta, à primo *Cyri* ad mortem Chriſti. Diſſecantur hi anni in triplicem annorum ſummam, eam verò admodum inæqualem.

1. In Septem Hebdomadas, vel annos 49. à dato diplomate *Cyri* de reedificanda Hieroſolyma ad finitam reedificationem à *Nehemia*.

2. In Sexaginta duas hebdomadas, vel annos 434. A finitâ ſcilicet urbis ædificatione ad initium ultimæ Hebdomadis è ſeptuaginta. Quâ temporis intercapedine, tempora imperii Perſici [quæ poſt *Nehemiam* reliqua, ſi qua erant modò] & Græci, & Syro-Græci, omnia elapſa ſunt, atque ea, in quibus Romani Judæis dominabantur.

3. Ultimam hebdomadam, vel ultimum ſeptennium, in duas partes æquales partitur textus ſacer, *verſ.* 27. quem ego ſic reddo, *Et roborabit*, vel confirmabit, *fœdus cum multis in hebdomada iſta una: & medietas iſtius hebdomadæ ceſſare faciet ſacrificium atque oblationem*, vel, *in medietate iſtius hebdomadæ ille ceſſare faciet*, &c. Non in medio iſtius hebdomadæ, ſed in poſteriori medietate, hoc eſt annis, è ſeptem, tribus & dimidio poſterioribus.

Enumeratis antè primò hebdomadibus ſeptem, & deinde ſexaginta duabus, *verſ.* 25. ità ut jam reliqua ſit una tantùm è ſeptuaginta, eam quod attinet, ab ejus medio exordietur *Meſſias* miniſterium ſuum: quo per tres annos & dimidium [iſtius hebdomadæ partem dimidiatam poſteriorem] peracto, ceſſare ille faciet Sacrificium atque oblationem, &c.

Tempora ab Angelo *Gabriele* tam præciſè definita, nec ignorare potuit gens, nec non obſervare. Cùm ergò omnibus in ſummo voto ac deſiderio eſſet adventus *Meſſiæ*, cùmque ejus manifeſtationis tempus tam claré ab Angelo decerneretur, ut nihil clariùs; cùmque poſterior medietas ultimi, & ſummè obſervandi, ſeptennii jam adeſſet quàm proximè, non mirum eſt, ſi *regnum cœlorum* jam adeſſe à venerando præcone audiens populus, præter modum in ejus occurſum excitaretur ac conflueret. Nam, quod obſervavimus antè, *Exiſtimârunt quòd confeſtim regnum Dei manifeſtaretur*, Luc. 19: 11.

Ratio II. Inſtitutio Baptiſmi, pro Sacramento Euangelico, fuit primùm in manu Baptiſtæ, qui, *facto ad eum verbo Domini*, Luc. 3: 2. eâdem prodiit roboratus autoritate, quâ ſummi olim Prophetæ. At primus tamen uſus Baptiſmi non tunc temporis exhibitus fuit: nam quamplurimis annorum retrò Centuriis, & notus, & frequentiſſimo apud Judæos uſu receptus fuerat Baptiſmus, in ipſiſſimum eundem, quo nunc apud Chriſtianos obtinet, finem, nempe ut per eum admitterentur Proſelyti in Eccleſiam: atque hinc dictus eſt טבילת גרות, *Baptiſmus ad Proſelytiſmum*: & diſtinctus à טבילת נדה. Vide *Babyl. Jevamoth*, fol. 45. 2. in gloſſa.

I. Primum ejus uſum in hunc finem ego Patriarchæ Jacobo aſcriberem, *Sichemitidas* fœmellas, alioſque, qui jam apud eum verſati ſunt, Ethnicos, in familiam, eccleſiamque ſuam, cooptanti. *Dixit Jacobus familiæ ſuæ, omnibuſque qui cum eo erant, Amovete à vobis Deos alienos, & mundamini, & mutate veſtimenta veſtra*, &c. Gen. 35: 2. Quid ſibi velit vox iſta והטהרו *Et mundamini*, optimè interpretatur *Aben Ezra* שרחיצו הגוף, nempe *Lotionem corporis*, vel Baptiſmum, quod & ſuadet ipſa ratio.

II. Totam gentem Iſraëliticam per Baptiſmum inter alia in fœdus introductam fuiſſe, aſſerit uno quaſi ore tota gens Iſraëlitica.

Per tria [inquit *Maimonides*, magnus juris Judaïci interpres] *in fœdus miſſus eſt Iſraël, per Circumciſionem, Baptiſmum, & Sacrificium. Circumciſio fuit in Ægypto, ſicut dicitur, Nullus non circumciſus comedet de Paſchate. Baptiſmus fuit in deſerto ante datam legem, ſicut dicitur, Sanctificabis eos hodie & cras, & lavent veſtimenta ſua*: Iſſure Biah, cap. 13.

III. Infinitum iſtum Proſelytorum numerum in diebus Davidis & Solomonis aſſerunt

etiam

Digitized by Google

CAP. III. VERS. 6.

etiam admiſſum fuiſſe per Baptiſmum. *Non receperunt Synhedria Proſelytos in diebus Davidis ac Solomonis; Non Davidis, nè ex formidine regni Iſraëlitici ad Proſelytiſmum ſe reciperent; Non Solomonis, ne ob gloriam regni. Et tamen, quamplurimi Proſelyti facti ſunt in diebus Davidis & Solomonis coram viris privatis, & ſolicitum de hac re fuit Synhedrium magnum. Non enim eos ex eccleſia repellere voluerunt, eò quòd erant baptizati*, &c. Maimon. ibid.

IV. *Quandocunque quis Ethnicus ad fœdus Iſraëliticum ſe vult recipere ac ſociari, & ſub alis divinæ majeſtatis ſe reponere, jugumque legis in ſe ſuſcipere, Circumciſio, Baptiſmus, atque Oblatio voluntaria requiruntur: ſi verò fœmina ſit, Baptiſmus atque Oblatio.* Idem, ibid.

Tritum eſt illud Axioma אין גר עד שימול ויטבול *Non eſt quis Proſelytus, uſque dum circumcidatur & baptizetur.* Diſputatur à Gemara Babylonica, *Jevamoth, fol.* 46. 2. *Proſelytus qui circumciditur, & non baptizatur, quid de eo? R. Eliezer dicit, Ecce ille eſt Proſelytus: nam ſic reperimus de patribus noſtris, quòd circumciſi fuerunt, at non baptizati. Baptizatur, at non circumciditur, quid de eo? R. Joſhua dicit, Ecce ille eſt Proſelytus: nam ſic reperimus de ancillis, quæ baptizatæ ſunt, ſed non circumciſæ. At Sapientes dicunt, Baptizatur, & non circumciditur? aut, Circumciditur, & non baptizatur? Non eſt Proſelytus, uſque dum circumcidatur, & baptizetur.*

At fœminis eò uſque ſatis erat Baptiſmus, ut hoc obtineret, אטבלה להיא נכרית לשם אנתתא יכילנא לאכשורי: *Baptizat fœminam Ethnicam in nomine fœminæ, nos poſſumus illud pro ritè facto aſſerere. Jevam.* fol. 45. 2. ubi ſic Gloſſa: *Baptizari in nomine fœminæ, fuit baptizari* טבילת נדה, *ablutione pollutæ, & non Baptiſmo ad proſelytiſmum. Atqui ità baptizatam poſſumus tamen pro completa proſelytiſſa aſſerere, etiam ſi baptizata non eſſet Baptiſmo ad proſelytiſmum, quia Baptiſmus iſte ablutionis pro immunditia, ei cedit pro proſelytiſmo, ideò quòd Ethnica non baptizetur*, vel abluatur, *pro immunditia.*

V. Parvulos etiam baptizârunt [plerumque cum parentibus].

Babyl. Erubh. fol. 11. 1. גר קטן מטבילין אותו על דעת בד״ *Proſelytum parvulum baptizant ſecundùm ſententiam Synhedrii*: id eſt, ut reddit Gloſſa, *Si ſit orbatus patre, atque eum adducat mater, ut Proſelytus fiat, baptizant eum [quia non eſt quis Proſelytus factus abſque Circumciſione & Baptiſmo] ſecundùm ſententiam*, aut ritum, *Synhedrii, nempe, ut adſit Baptiſmo Triumviratus, qui ei jam eſt inſtar patris.*

Et *Gemara* paulò poſt, גר שנתגיירו בניו ובנתיו עמו דניחא להו במאי בעביד אבוהון: *Si cum Proſelyto Proſelyti facti etiam ſunt filii ſui filiæque, iis cedit in bonum quod à patre eorum factum eſt.* א״ רב יוסף הגדילו יכולים למחות *Dicit R. Joſeph, Cùm adoleſcunt, poſſunt retrahere*: ubi Gloſſa, *Hoc intelligendum de parvulis, qui Proſelyti facti ſunt ſimul cum patre eorum.*

CAP. III. VERS. 6.

Jevam. fol. 78. 1. *Ethnica ſi proſelytiſſa facta ſit, cùm jam eſt gravida, filius non opus habet Baptiſmo:* דסלקא ליה טבילה דאימיה *Nam ei pro Baptiſmo cedit Baptiſmus matris.* Aliter, ille foret baptizandus.

Maimon. in *Avadim*, cap. 8. ישראל שתקף בגוי קטן *Si Iſraëlita prehendat parvulum Gentilem* או מצא תינק גוי *Aut inveniat infantem Gentilem; eumque baptizet in nomine Proſelyti, ecce, ille eſt Proſelytus.*

Præterire etiam non poſſumus illud quod memoriâ quidem dignum, in *Hieroſ. Jevamoth*, fol. 8. 4. *Servus alicujus circumcidendus eſt, etiam invitus; at filius alicujus non circumcidendus invitus. R. Jochanan quæſivit: Ecce, filius parvulus, num eum circumcidis per vim? Etiam, etſi ſit ſicut filius Urcanis. R. Hezekiah dicit, Ecce invenit infantem ejectum, ac baptizat eum in nomine ſervi, circumcide & tu eum in nomine ſervi: in nomine liberi, circumcide & tu eum in nomine liberi.*

Hæc ideò copioſiùs allegavimus, ut non ſolùm de re propoſita ſatisfiat, cur ſcilicet ad Baptiſmum *Joannis*, tam univerſo concurſu, confluxerit populus, [quia res Judæis aliena non erat Baptiſmus] ſed ut alia nonnulla hinc obſerventur, quæ quibuſdam Scripturæ locis facem præbent nonnullam, & nodoſis nonnullis de Baptiſmo quæſtionibus aliquem cuneum.

I. Appendicem vides Baptiſmum Circumciſioni Proſelytorum inſeparabiliter affixam. Erat quidem aliquantula temporis diſtantia, *Nam non niſi poſt ſanatum Circumciſionis dolorem baptizabantur, eò quòd aquæ vulneri eſſent noxiæ, Jevam.* fol. 45. 2. at nunquam certè non ſecutus eſt Baptiſmus. Circumciſionem certè inſtitutionis planè divinæ agnoſcimus; aſt, à quo inſtitutus fuit inſeparabilis ei Baptiſmus, ambigitur. Et tamen, quod notatu dignum, Servator, rejectâ Circumciſione, appendicem retinuit, & cùm univerſi Gentiles jam in veram religionem eſſent introducendi, proſelyticum hoc introductorium [detur verbo venia] in Sacramentum introductionis in Euangelium promovit.

Idem ferè obſervare licet de Euchariſtia. Agnus in Paſchate divinæ erat inſtitutionis, & ſic quidem panis. Aſt unde vinum? At rejecto tamen agno, in pane & vino inſtituit Chriſtus Sacramentum.

II. Ob-

Digitized by Google

CAP. III. VERS. 6. II. Obſervato ex his, quæ dicta ſunt, quàm notiſſimus, ac frequentiſſimus apud Judæos fuerit uſus Baptiſmi, facillima patet ratio cur Synhedrium à *Joanne* per nuntios ſuos non quæſiverit de ratione Baptiſmi, ſed de autoritate baptizantis: non quid ſibi vellet Baptiſmus, ſed unde licentia illi ità baptizandi, *Joan.* 1:25.

III. Hinc etiam patet ratio, cur apud Novum Teſtamentum, accuratiori regulâ, non præſcribatur quinam baptizandi. Oggerunt Anabaptiſtæ, *Non præcipitur ut baptizentur infantes, ergò non ſunt baptizandi.* Quibus ego, *Non prohibetur ut baptizentur infantes, ergo ſunt baptizandi.* Et ratio in aperto. Nam cùm Pædobaptiſmus in Eccleſia Judaïca, in admiſſione Proſelytorum, ità fuit notus, uſitatus, & frequens, ut nihil ferè notius, uſitatius, & frequentius, 1. Non opus erat ut aliquo præcepto roboraretur, cùm Baptiſmus jam in Sacramentum evaderet Euangelicum. Nam Chriſtus Baptiſmum in manus ſuas, atque in uſum Euangelicum, ſuſcepit qualem invenit, hoc ſolùm addito, quòd ad digniorem finem atque ad largiorem uſum promoveret. Novit ſatis gens univerſa parvulos ſolitos baptizari: illud præcepto opus non habuit, quod communi uſu ſemper invaluerat. Si prodiret jam edictum regale in hæc verba, *Recipiat ſe unuſquiſque die Dominico ad publicum conventum in Eccleſia;* inſaniet ille certè quicunque olim hinc argueret, non celebrandas eſſe Die Dominico in publicis conventibus preces, conciones, pſalmodias, eò quòd nulla in edicto de iis mentio: Nam cavit edictum de celebratione Diei Dominicæ in publicis conventibus in genere, de particularibus autem divini cultûs ſpeciebus ibidem celebrandis, non opus erat ut eſſet mentio, cùm iſtæ ante datum edictum, & cùm daretur, ſemper & ubique notæ eſſent, & in uſu aſſiduo. Ipſiſſimo iſthoc modo res ſe habuit cum Baptiſmo; Chriſtus cum inſtituit in Sacramentum Euangelicum, quo in profeſſionem Euangelii omnes admitterentur, ut olim in Proſelytiſmum, ad religionem Judaïcam. Particularia eò ſpectantia, modus ſcilicet baptizandi, ætas baptizanda, ſexus baptizandus, &c. regulâ & definitione opus non habuerunt, eò quòd hæc vel lippis & tonſoribus ſatis nota erant ex communi uſu. II. E contrà ergò planâ & apertâ prohibitione opus erat, ut infantes & parvuli non baptizarentur, ſi eos baptizandos nollet Servator. Nam, cùm per omnia ſæcula præcedentia uſitatiſſimum eſſet, ut baptizarentur parvuli, ſi aboleri iſtam conſuetudinem vellet Chriſtus, apertè prohibuiſſet: ſilentium ergò ejus, & Scripturæ, hac in re, Pædobaptiſmum firmat, & propagat in omnia ſæcula.

IV. Ex dictis anteà ſatis liquet, quo ſenſu illud intelligendum in Novo Teſtamento, quod aliquoties occurrit, quòd pater-familias ſcilicet baptizatus fuerit cum tota familia, *Act.* 16: 15, 33, &c. Nec valet, quod cavillantur Antipædobaptiſtæ, probari non poſſe in iſtis familiis fuiſſe infantes; nam non tam aptè quæritur, an in iſtis familiis fuerint infantes, quàm verè & meritò concluditur, Si eſſent, omnes baptizandos. Nec credo ego, Populum hunc, ad Baptiſmum Joannis confluentem, tam moris & conſuetudinis gentis oblitum, ut non parvulos ſecum etiam baptizandos adduxerint. CAP. III. VERS. 6.

Nonnulla jam dicenda ſunt de modo & forma, quibus uſus eſt *Joannes.*

Modum ſequutus videtur in quibuſdam, quo baptizati ſunt Proſelyti, in quibuſdam non. De eo hæc, Canones Talmudici.

I. אין מטבילין גר בלילה *Non baptizant Proſelytum noctu, Jevamoth*, fol 46. 2. *Nec quidem lavabantur immundi niſi interdiu.* Vide *Megillah*, fol. 20. 1. Addit Maimonides, *Non baptizabant Proſelytum Sabbato, nec die feſto, nec noctu.* In *Iſſure Biah*, cap. 13.

II. גר צריך שלושה: *Proſelytus opus habet triumviratu, Jevam.* ubi antè. Id eſt, requiritur ut adſint baptiſmo Proſelyti tres viri diſcipuli ſapientum, qui rem ritè præſtandam caveant, & Catechumenum paucis inſtruant, & de re quidem ipſa judicent. Nam res non levis exiſtimabatur admiſſio Proſelyti, קשים גרים לישראל כספחת: *Noxii ſunt Proſelyti Iſraëli, ſicut ſcabies:* pro Axiomate fuit, *Jevam.* fol 47. 2. Ii enim, aut priſtinorum morum ſuorum tenaces, aut legis Iſraëliticæ imperiti, exemplo ſuo alios corrupeunt; aut cum Iſraëlitis mixti, in cauſa fuerunt, ut divina gloria minùs in eos requieſceret; eò quòd ea non requieſcit, niſi ſuper familias nobilioris ſtemmatis: has rationes reddunt gloſſatores. Cùm ergò tanti eſſet admiſſio Proſelytorum, non niſi per conceſſum judicialem triumviralem erant admittendi.

III. במקוה הכשר לטבילת נדה שם מטבילין את הגרים, *In tali aquarum congregatione, quæ idonea erat abluendæ menſtruoſæ, baptizant Proſelytum. Maimon. Iſſure Biah*, ubi ſuprà.

De tali aquarum congregatione hæc Juridici. *Homo gonorrhæus non mundatur niſi in fonte: At fœmina profluvio laborans, ut & omnes alii immundi, abluebantur in collectione aquarum: In qua tantùm aquæ adſit oportet, quantùm totum corpus hominis abluere poſſet merſione unâ. Hanc proportionem æſtimârunt ſapientes noſtri, ad cubitum quadratum, profunditatis tricubitalis; continetque hæc menſura quadraginta Seas aquarum. Maimon.* in *Mikvaoth*, cap. 1, & 4. *Talm.* in *Mikvaoth*, cap. 2, & 3.

Cùm

Digitized by Google

CAP. III. VERS. 6. Cùm dicitur *Gonorrhæum fonte*, aut fluento, *abluendum*; *menſtruoſam autem cæteroſque immundos in collectione aquarum*, non vetat quo minùs menſtruoſa cæterique immundi fluentis abluerentur, ſi modò eorum daretur copia; ſed permittit, ſi non daretur copia, ut collectione aquarum abluerentur, quod Gonorrhæo non licitum. Idem etiam de Baptiſmo Proſelyti intelligendum, qui abluere ſeipſum in fluentis permiſſus eſt, permiſſus etiam in collectione aquarum, ſi non adeſſent fluenta.

IV. Circumcidendum Proſelytum primò interrogârunt de ſinceritate converſionis ſuæ ad Judaïſmum: Numnam non ſeſe ad proſelytiſmum offerret, ob adipiſcendas divitias, ob timorem, ob amorem erga aliquam Iſraëliticam, &c. Cumque ex amore legis eum accedentem viderent, de variis articulis legis eum edocuerunt, de Deo uno, de malo Idololatriæ, de præmio obedientiæ, de mundo futuro, de privilegiis Iſraëlis, &c. quæ omnia, ſi ſe amplecti profiteatur, illicò circumciditur.

Convaleſcentem à vulnere Circumciſionis adducunt ad Baptiſmum; collocatumque in aqua rurſus edocent de gravioribus quibuſdam, quibuſdamque levioribus mandatis legis: טבל ועלה הרי הוא כישראל לכל דברין quibus auditis, *immergit ſe, & aſcendit; & ecce, fit ille ſicut Iſraëlita quoad omnia. Fæminam fæminæ ſiſtunt in aquis, collo tenus: duoque diſcipuli ſapientum, ab extra ſtantes, edocent eam de quibuſdam levioribus præceptis legis, quibuſdamque gravioribus, dum ea interea ſtat in aquis*, ואחר כך טובלת בפניהם, *& tum immergit ea ſeipſam: atque illi, averſâ facie, exeunt, dum ea aſcendit ex aqua. Jevam.* & *Maimon.* ubi ſuprà.

In baptizatione Proſelyti hoc non prætereundum eſt ergò, quin obſervetur, quòd ſcilicet מטבילין אותו alii eum baptizarent, והוא טובל, & ille ſeipſum baptizaret, vel in aquas intingeret, vel immergeret. Qualis autem ea immerſio fuerit, ex iis intelligas quæ dicit *Maimonides* in *Mikvaoth*, loco antè citato. כל טובל, *Omnis baptizatus* [vel intinctus, ſive à pollutione ablueretur, ſive ad proſelytiſmum baptizaretur] *neceſſe habuit ut totum corpus ſuum intingeret, jam nudatum, merſione unâ: Atque ubicunque in lege memoratur ablutio carnis aut veſtium, nihil aliud vult, quàm ablutionem totius corporis. Nam ſi quis ſe totum abluat, excepto ipſiſſimo apice minimi digiti, ille adhuc in immunditia ſua: Sique ſit quiſpiam capilloſus admodum, omnem crinem capitis abluat neceſſe eſt; nam & is pro corpore etiam cenſebatur. Quòd ſi veſtiti in aquas ingrederentur, valuit tamen eorum ablutio, eò quòd aqua veſtes penetraret, ac veſtes eam non impedirent.*

Ac jam, ut Baptiſmum *Joannis* cum iſto Proſelytico, noſtrumque cum utroque aliquantulùm conferamus, hæc animadvertenda. CAP. III. VERS. 6.

I. Si ablutionem pollutorum, à lege præſcriptam, cum Baptiſmo Proſelytorum conferas, immunditiam & illa arguit & hic, utcunque aliqualiter diſparem, illa legalem, hic ethnicam, utramque polluentem. At non ſolùm in ablutionem pollutionis iſtius Gentilitiæ baptizatus eſt Proſelytus, nec ſolùm ut in religionem Judæorum transferretur, ſed ut, accuratiſſimo quàm fieri potuit tranſlationis ritu, ità in Iſraëlitam commigraret, ut cum Iſraëlitica fœmina conjugatus, ſemen ingenuum legitimumque traduceret, prolemque immaculatam. Hinc ſervi in famulitium admiſſi baptizabantur, ac ſervi etiam manumittendi: non tam quòd immunditiâ Ethnicâ polluerentur, ſed ut iſto ritu כישראל לכל דבר, *Iſraëlitæ quoad omnia facti*, connubiis Iſraëliticis forent magis idonei, ac filii eorum æſtimati pro Iſraëlitis. Atque hinc Proſelytorum filii per progenies ſubſequentes circumcidebantur quidem, at non baptizabantur. Circumcidebantur, ut legis obligationem in ſe reciperent; at Baptiſmo opus non habuerunt, eò quòd jam eſſent Iſraëlitæ. Ex his palàm eſt, aliquid diverſitatis, quoad finem, fuiſſe inter ablutiones immundorum Moſaïcas, & Baptiſmum Proſelytorum; aliquidque inter Baptiſmum Proſelytorum & Baptiſmum *Joannis*: non quòd in aliquo fine parallelo non concurrerent, ſed quòd huic vel illi ſuperaddebantur alii fines, aut aliqui detrahebantur.

II. Baptiſmus Proſelytorum fuit traductio Gentilium in religionem Judaïcam; Baptiſmus *Joannis* traductio Judæorum in religionem aliam. Atque hinc eò magis eſt mirandum, quòd ad eum tam promptè populus confluxerit, cùm Baptiſmum tam diverſum à noto illo proſelytico introduceret. Cujus ratio hinc ſumenda, quòd, ad adventum *Meſſiæ*, immutandam planè rerum faciem meritò opinati ſunt, idque ex oraculis Prophetarum, qui uno ore tempora *Meſſiæ* pro mundo novo deſcripſerunt. Hinc illud receptum אלף שנים שעתיד הק"בה לחרש עולמו *Renovaturum tunc temporis Deum mundum per millennium.* Vide *Aruch*, in voce צדק, & poſteà in cap. 24. 3.

Atque illud quod עולם הבא, *Mundum futurum* uſitatiſſimo Idiotiſmo pro temporibus *Meſſiæ* adhibuerint, quod fuſiùs obſervamus alibi.

III. Proſelytorum Baptiſmus fuit obligatio ad præſtandam legem, *Joannis* ad pœnitentiam. Nam quamvis alios fines admiſerit Baptiſmus proſelyticus, aliosque Circumciſio;

CAP. III. VERS. 6. ſio; hunc tamen utrique conjunxerat traditionalis, ac erronea tunc temporis doctrina, ut in utroque ſtipularetur Proſelytus, ac ſe obligaret ad præſtandam legem; quò reſpicit illud Apoſtoli, *Gal.* 5:3.

At Baptiſmus *Joannis* fuit *Baptiſmus pœnitentiæ*, Marc. 1:4. quo ſuſcepto, abnegationem propriæ ac legalis juſtitiæ profeſſi ſunt ii, qui ſunt baptizati, atque è contrà agnoverunt ſe ad pœnitentiam ac fidem in venturum *Meſſiam* obligari. Quantùm diſtabat doctrina Phariſaïca de Juſtificatione a doctrina Euangelica, tantum obligatio ſuſcepta in Baptiſmo Proſelytorum ab obligatione ſuſceptâ in Baptiſmo *Joannis*; quæ obligatio etiam apud Chriſtianos obtinet uſque ad finem mundi.

IV. Baptiſmum *Joannis* per immerſionem corporis fuiſſe [quo modo ſe habuit & ablutio pollutorum, & Baptiſmus Proſelytorum] patere videtur ex iis, quæ de eo referuntur, quòd ſcilicet *baptizaret in Jordane*, quòd *in Ænone, eò quòd illic aquæ multæ*, & quòd Chriſtus baptizatus *aſcendit ex aqua.* Cui parallelum videtur illud *Act.* 8:38. *Philippus atque Eunuchus deſcenderunt in aquam*, &c. Et queruntur quidam non ſervatum in Chriſtiana Eccleſia hunc ritum, ac ſi veritati Baptiſmi aliquid derogaret, aut innovatio eſſet id dicendum, cùm aſperſio aquæ adhibetur vice immerſionis. Non eſt hîc locus de his diſputandi; hæc duo tantùm reſponſionis loco regeramus.

I. Differre notionem ablutionis in Baptiſmo *Joannis* à noſtra: eò quòd non ullos ille baptizaret, qui non ab una religione, eâque irreligioſa, in aliam, eamque veram, traducerentur; at huic non eſt locus apud nos natos Chriſtianos. Variatâ ergò conditione, non ſolùm licitè, ſed & meritò variatur ritus. Pollutionem quidem ac immunditiam arguit Baptiſmus noſter, & doctrinaliter hoc demonſtrat, nobis pollutis opus eſſe ablutione: at hoc de naturali & peccaminoſa noſtra macula intelligendum, per ſanguinem Chriſti ac gratiam Dei abluendâ, quâ etiam quidem laborabant baptizati à *Joanne.* Ad hanc ablutionem Sacramentali ſigno denotandam ſatis eſt aſperſio aquæ, æquè ac in aquam immerſio, cùm reverà ablutionem ac purificationem hæc arguat, æquè ac iſta. At verò baptizati à *Joanne* maculâ aliâ decolorati fuerunt, eâque externâ, & modo quodam viſibili, hoc eſt, pollutâ religione, Judaïſmo nempe, aut Ethniciſmo; à qua ſi pro more gentis, profundiore ac ſeveriore ablutione tranſirent, nec eam ſubierunt abſque ratione, nec cum ratione poteſt ea nobis imponi, quibus diſpar conditio.

II. Cùm immerſio ritus fuerit apud gentem Judaicam ſolùm uſitatus, eique proprius, durius aliquantùm foret, ſi ſub eo omnes gentes ſubjugarentur; præſertim verò, cùm nec de eſſentia Baptiſmi neceſſariò ſit reputanda, ſitque inſuper tantæ aſperitatis & periculi, ut in his vix cederet circumciſioni. Legimus nonnullos, Judaïſmo ad extremum fermentatos, optâſſe tamen ut tolleretur immerſio in purificatione, eò quòd eam comitata fuerit tanta aſperitas. *In diebus R. Joſhuæ ben Levi conati ſunt quidam extirpare hanc immerſionem, fœminarum Galilæarum gratiâ, eo quòd illæ præ frigore ſterileſcerent. Dixit iis R. Joſhua ben Levi, Num vos illud tollere ſtudetis, quod obſepit Iſraëls à tranſgreſſione? Hieroſ. Beracoth*, fol. 6.3. Durum certè eſt jugum hoc cervici gentium omnium imponere, quod ipſis Judæis, ritibus iſtiuſmodi ſeverioribus nimiùm deditis, nimis aſperum viſum eſt, & non ferendum. Et ſi quæratur ab iis, qui immerſionem iſtam tollere ambierunt, Numnam vos nullam omninò purificationem per aquam vultis? Probabile certè eſt eos aſperſionem aquæ admiſſuros, quæ & minùs aſpera, & non minùs rei ipſi congrua.

III. In re majori, ſecula ſubſequentia meritò & ex præſcripto divino Baptiſmum adminiſtrârunt, diſcrepantem à Baptiſmo *Joannis*: minùs ergò fuit in minori diſcrepare. Applicatio aquæ neceſſariò fuit de eſſentia Baptiſmi: aſt applicatio hoc vel illo modo circumſtantiam ſonat. Additio etiam verbi fuit de eſſentia Sacramenti: aſt immutationem verbi in hanc vel illam formam, num & hanc circumſtantiam etiam dixeris? Et tamen ità immutatam formam Baptiſmi legimus, ut triplicem eam fuiſſe in Novi Teſtamenti hiſtoria obſerves.

Formam Baptiſmi *Joannis* quod attinet; [quam rem ſecundò advertendam propoſuimus] baptizâſſe eum *in nomen Meſſiæ jam venturi*, minimè eſt dubitandum, colligique poteſt ex ipſius verbis, atque ex ejus hiſtoria. Non nôrat ille adhuc *Jeſum Nazarenum* eſſe *Meſſiam*, quod & ipſe fatetur, *Joann.* 1:31. appropinquare tamen *Meſſiam* ſatis ille novit; in illius ergò nomen accedentes ad ſe baptizavit, doctrinâ Euangelicâ eos imbuens, de fide in *Meſſia*, & pœnitentiâ, ut paratiores eſſent ad *Meſſiam* recipiendum, cùm ille ſeipſum manifeſtaret. Perpende *Mal.* 3:1. *Luc.* 1:17. *Joann.* 1:7, 31, &c.

Apoſtoli, Judæos baptizantes, eos baptizârunt *in nomine Jeſu*, [eò quòd *Jeſus Nazarenus* jam revelatus eſſet pro *Meſſia*] idque cùm jam anteà à Chriſto præceptum eſſet, *Baptizate omnes Gentes in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti.* Ità intelligas oportet illud, quod dicitur *Joann.* 3:23. & 4:2. de diſcipulis Chriſti baptizantibus, nempe, quòd

CAP. III. VERS. 7. quòd illi *in nomen Jeſu* baptizarent, ut indè dignoſceretur *Jeſum Nazarenum Meſſiam* eſſe, in cujus illicò venturi nomine baptizâſſet *Joannes*. Apertum eſt illud *Petri*, *Act.* 2: 38. *Baptizamini unuſquiſque veſtrûm in nomine Jeſu Chriſti:* atque illud, *Act.* 8: 16. *Baptizabantur in nomine Jeſu.*

Gentes autem baptizârunt Apoſtoli, ſecundùm præſcriptum Domini, *In nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti*, Matth. 28: 19. Nam cùm inter Judæos ſummè controverſum eſſet de vero *Meſſia*, atque à gente iſta perfida acriter atque indefeſsè negaretur, *Jeſum Nazarenum* eum eſſe, [quâ virulentiâ laborant etiam uſque in hodiernum] non ſine cauſa, imò non ſine neceſſitate, baptizatum eſt *in nomine Jeſu*, ut ſigillo iſto roboraretur iſta veritas Euangelio ſummè cardinalis, eamque profiterentur baptizati, *Jeſum Nazarenum eſſe verum Meſſiam.* Inter Gentiles verò non controverſum eſt de vero *Meſſia*, ſed de vero Deo; inter eos ergò neceſſe fuit ut ſignaretur Baptiſmus in nomine veri Dei, *Patris, Filii, & Spiritûs Sancti.*

Acceſſiſſe ergò opinamur ad Baptiſmum *Joannis* viros, fœminas, & parvulos, pro more Gentis in receptione Proſelytorum: eos in Jordane ſtantes à *Joanne* audiiſſe, baptizari eos in nomen *Meſſiæ* illicò venturi, ac in profeſſionem doctrinæ Euangelicæ de fide & pœnitentiâ: eos ſeipſos in fluvium immerſiſſe, ac ſic exiiſſe. Quodque de illis dicitur, illos ab eo baptizatos fuiſſe, *confitentes peccata*, intelligendum ſecundùm tenorem prædicationis Baptiſtæ, non quòd viritim, vel auriculari aliquâ confeſſione *Joanni* factâ, vel particularibus aliquibus peccatis apertè patefactis, hoc egerint; ſed cùm doctrina *Joannis* ad pœnitentiam eos hortaretur, & ad fidem in *Meſſiam*, illi, abdicatâ atque abnegatâ doctrinâ ac opinione de juſtificatione per opera ſua, quâ olim fermentati fuerant, ſe peccatores agnoſcunt & confitentur.

Ἐν τῷ Ἰορδάνῃ.

Non potuit *Joannes* in ulla parte *Jordanis* baptizare, modò intra limites *Judææ*, [quod aſſerunt Euangeliſtæ] quæ non exaruerat, tranſitumque præbuerat Iſraëlitis ex *Ægypto* profectis, jamque terram intrantibus promiſſam.

VERS. 7. Ἰδὼν δὲ πολλοὺς τῶν Φαρισαίων καὶ Σαδδουκαίων.

§. *De Phariſæis pauca & Sadducæis.*

Hiſtoriam *Phariſæorum* ac *Sadducæorum* aggredi poſt tot viros doctiſſimos, qui eorum originem, mores, ac inſtituta tradiderunt, delirio eſſet proximum: nos perpauca, eaque minùs forſan obvia, breviter attingemus. CAP. III. VERS. 7.

I. *Phariſæos* non à voce פרש, quæ *exponere* ſignificat, deductos [quod volunt nonnulli] ſatis hoc arguit, quòd eſſent fœminæ *Phariſææ*, æquè ac viri.

Sotah, cap. 3. halac. 4. *R. Joſhua dicit, Religioſus ſtultus, Improbus aſtutus, Fœmina Phariſæa, ac illiſio Phariſæorum* in lapides, *perdunt mundum.*

Digna animadverſione ſunt ea, quæ dicuntur à Gemariſtis Babylonicis in iſtam clauſulam, אשה פרושה, *Fœmina Phariſæa.* ת"ר בתולה צליינית ואלמנה שובבי"ת וקטן שלא כלו לו חדשיו הרי אלו כבלי עולם: *Docent Rabbini. Virgo procax, vidua circumvaga, & puer cujus menſes non ſunt completi, hi mundum corrumpunt. Dicit autem R. Jochanan, Diſcimus fugam peccati à virgine, & receptionem mercedis à vidua. Fugam peccati à virgine; nam audiit R. Jochanan virginem quandam in faciem pronam ſic precantem, Domine æterne, creâſti Paradiſum, creâſti & Gehennam, creâſti juſtos & creâſti impios, ſit beneplacitum tuum, ut ego hominibus non ſim ſcandalo: Receptionem mercedis à vidua; nam erat vidua quædam, quæ, cùm undique eſſent Synagogæ propiores, ſe ad ſcholam R. Jochananis ſemper contulit oratura. Cui R. Jochanan, Nonne, o filia mea, præſtò tibi ſunt Synagogæ circumquaque? At illa,* ולא שכר פסיעות יש לי, *At nonne præmium futurum eſt pro paſſibus?* vel pro itinere huc meo? *Nam dicit* [traditio] *hæ perdunt mundum, ut Joanna filia Retibi.*

בתולה צליינית: à Gloſſa una redditur בעלת תפילות, id eſt, virgo precibus deditâ, aut virgo multarum precum. Ab alia redditur, בתולתא צמיינית, *Virgo jejuniis dedita:* מצייכה אובדת בתוליה *præ jejunio virginitatem ſuam perdens.*

Viduam circumvagam eam vocant, *quæ ſemper hinc illinc circumit, vicinas viſitatura,* [verba ſunt Gloſſæ] *Atque hæ corrumpunt mundum, eò quòd non aliæ ſunt quàm mœchæ & præſtigiatrices, & tamen præ ſe ferunt ſanctitatem.*

Joanna filia Retibi [teſte etiam Gloſsâ] *fuit vidua quædam præſtigiatrix, quæ cùm appropinquaret tempus puerperii cujusvis, magicis artibus uterum puerperæ obſeraret, ut parere nequiret. Cùmque diu multùmque cruciatibus laboráſſet puerpera, diceret illa, Ibo ego, & pro te ſupplicabo; forſitan audientur preces meæ. Profecta præſtigias diſſolveret, atque illicò naſceretur infans. Die quodam cùm quidam mercede conductus in ejus domo operam navaret, ea ad domum puerperæ profectâ, audiit ille præſtigias tinnientes in vaſculo, cujus operculo per*

eum

CAP. III. VERS. 7. *eum amoto, prodeunt illicò præſtigiæ, ac confeſtim natus eſt infans. Atque hinc cognitum eſt, eam eſſe præſtigiatricem.*

Hæc ideò citavimus, non ſolùm ut fœminas fuiſſe Phariſæas demonſtretur, [ac proinde nomenclationem non ab *interpretando*, aut *exponendo* eſſe deſumptam] ſed ut ſimul obſervetur, qualeſnam fœminæ ut plurimùm Phariſaïſmum amplecterentur, viduæ ſcilicet & virgines, ſub velo ſanctitatis ac devotionis omnimodam nequitiam occultantes ac practicantes. Ac tantum hiſtoriæ Phariſaïcæ habes, dum vocis notationem indagamus.

II. *Phariſæos* ergò à verbo פרש dictos, *ſeparationem* ſignificante, & communiùs aſſeritur, & veriùs, & res ipſa, æquè ac vox, loquitur. Ità ut notiori nobis vocabulo Phariſæos *Separatiſtas* ritè vocitaveris: at quo ſenſu, ſcrutinio opus habet rimatiori.

Expendendæ hîc populi Judaïci diſcriminationes in varias claſſes: ac primùm à fœminis ordiemur.

I. Ut fœminis immunitatem à ritibus quamplurimis, in quibus poſita eſt pars magna religionis Judaïcæ, indulſerint dicam? An præſcripſerint canones eorum, infiniti eſſet operis ſingulatim perquirere. Quàm innumeris vicibus apud pandectum Talmudicum occurrit illud, נשים ועבדין וקטנים פטורין, *Fœminæ, ſervi & parvuli ad hæc non tenentur?* Beracoth, cap. 3. halac. 3. *Fœminæ, ſervi & parvuli non tenentur ad recitanda Phylacteria, nec ad geſtanda*, Hieroſ. Kiddushin, fol. 61. 3. פפחן של נשים רשות, *Paſchata fœminarum ſunt ex arbitrio.* Et, nè ubique obviis immoremur, unum pro multis ſit illud in *Babyl. Sotah*, fol. 21. 2. in Gloſſa, *Matrona quædam quæſivit à R. Eleazaro, Quare, peccante Aarone in confectione vituli aurei, plectitur populus triplici genere mortis? Reſpondit ille, Nè docta ſit mulier, niſi quoad colum. Dixit ei Hircanus filius ejus, Eò quòd ei non reſpondetur verbo uno è lege, detrahet ea à nobis trecentos coros decimales annuatim. Cui ille, In ignem eant illi potiùs, quàm tradantur verba legis fœminis.*

Ex his patet fœminas Phariſaïſmum amplexantes, ex arbitrio & voto id feciſſe, non ex præſcripto: quod quidem etiam fecerunt viri Phariſæi.

II. A fœminis ad mares tranſeamus; ac primùm ad infimos hominum gradus in diſtinctione ad religionem ſpectante, ad eos ſcilicet, quos vulgò vocârunt בור, *Rudes*, & עם הארץ, *Populum terræ*, vel, Plebeios. De iis ſic Gemara in *Sotah* nuper citatâ, fol. 22. 1. *Legit quis Scripturas, & recitat Miſhnam, & tamen non famulatur diſcipulis ſapientum, quid de eo? R. Eliezar dicit*, וזה עם הארץ, *hic eſt è populo terræ. R. Samuel bar Nachmani dicit*, הרי זה בור, *Ecce, hic eſt rudis. R. Jannai dicit, Ecce, hic eſt Cuthæus R. Achabar Jacob dicit, Ecce, hic eſt Magus.* Et paulò pòſt, *Quiſnam eſt* עם הארץ, *populus terræ? R. Meir dicit, Ille, qui Phylacteria non recitat manè & veſperè cum orationibus. At ſapientes dicunt, Ille, quicunque non reponit Phylacteria. Ben Azzai dicit, Ille, cui non eſt fimbria in veſte ſua. R. Jochanan ben Joſeph dicit, Ille qui non erudit filios ſuos in doctrina legis. Alii dicunt, Ille, qui etiamſi legat Scripturas, & repetat Traditiones, tamen non famulatur diſcipulis ſapientum, hic eſt*, ע'ה, *populus terræ*, vel plebeius. *Legit Scripturas, & non repetit Traditiones? Ecce, hic eſt* בור, *Rudis.* Gloſſa in locum, *Populus terræ is eſt, de quo eſt ſuſpicio de decimis & munditia*, id eſt, nè ritè decimet, & ritè curet de mundationibus. Et בור, *eſt* גרוע מע"ה, *vilior vel inferior populo terræ.* Confer iſtud *Joan.* 7. *verſ.* 49. *Populus qui non novit legem, eſt maledictus.*

Vulgaribus hiſce hominibus opponebantur תלמידי חכמים & חבירים, *Homines collegæ*, vel conſociati, & *Diſcipuli ſapientum.* Sub titulo, תלמידי חכמים, omnes docti & ſtudioſi comprehenduntur: ſub titulo חברים, *Religioſi*, tam docti, quàm indocti. Fuerunt è doctis nonnulli, quos vulgò חברייא vel חברייהון דרבנן *Collegas Rabbinorum* vocàrunt, qui adhuc candidati erant, & non ad publicum docendi vel judicandi munus promoti. Exemplo uno res illuſtretur, ex *Hieroſ. Sanhedr.* fol. 18. 3. חבירים מהו לוכנס לקידוש החדש. *Num* חבירים, *Collegæ ingrediuntur ad ſtatuendum Neomeniam? R. Hoshaia dixit, Cùm ego* חבר, *Collega eſſem, induxit me R. Samuel ben R. Iſaac ad ſtatuendum Neomeniam, ego autem ignoravi num è numero eſſem, necne.* Et paulò pòſt, *An Collegæ* [vel *ſocii*] *ingrediuntur ad Emboliſandum annum? Hoc diſcamus ex exemplo Rabban Gamalielis, qui dixit, Conveniant ad me ſeptem Seniores in conclave. Ingreſſi autem ſunt octo. Quis huc ingreſſus eſt, inquit ille, abſque venia? Ego, reſpondit Samuel parvus.*

Hoc ſenſu vox חבר, nihil differt à תלמיד חכם, eò quòd utraque ſtudioſum ſignificet, & doctrinâ imbutum. At vox חבר, latiorem ſenſum habet; omnes illos ſcilicet denotans, qui accuratiori prætextu religioni ſeſe dediderunt, ac vitam normamque devotiorem quàm vulgus ſunt profeſſi, ſive docti eſſent, ſive indocti, ſive è Secta Phariſaïca, ſive Sadducæâ, ſive aliâ. Hinc mentio חבר כותי, *Religioſi Samaritani*, *Babyl. Berac.* fol. 44. 2. & נחתום חבר, *Piſtoris religioſi*, *Joma*, fol. 8. 2. Et deducta videtur Phraſiologia à *Pſalm.* 119: 63, CAP. III. VERS. 7.

Digitized by Google

חבר אני לכל־אשר יראוך, *Socius ego omnium qui te timent.* קבלו עליהן דברי חברות *Suſcipiunt in ſe habitum Religionis.* Vide *Babyl. Avodah Zarah*, fol. 7. 1. in Gloſſa. Animadverſione etiam digna eſt diſtinctio iſta in *Hieroſ. Bava Bathra*, fol. 17. 1. τῶν חברייא רברבייא & חברייא זעירייא, *Religioſorum majorum & minorum.*

Appropriari tamen aliquando videtur Phariſæis, quippe qui præ omnibus aliis religionem ſplendidè palliatam induerunt, quod vel ſatis patet ex hiſtoria Euangelica. Sic forſan intelligendum eſt illud, *Niddah*, fol. 6. 2. חבריא מדכן בגלילא *Religioſi Galilæi purificant*; hoc eſt, ut explicat Gloſſa, *Mundant vinum ſuum & oleum in libationem, ſi fortè in diebus ipſorum ædificetur templum:* quæ tamen citans *Aruch*, ſic explicat, חברים אוכלין חוליהן בטהרה, *Religioſi comedunt communem victum ſuum in munditia.* Quâ ipſâ re Phariſæos definit Gloſſa in *Chagigah*, fol. 18. 2. לפרושין לאוכלי חוליהן בטהרה, *Phariſæis, id eſt, iis qui comedunt communem victum ſuum in munditia.* Ecce, ut vox פרושין & חברים convertantur, atque ut hoc proprium eſſet, quo definiretur Phariſæus, *quòd comederet communem victum ſuum in munditia*, id eſt, quòd manus lavaret, cùm comederet.

III. Phariſäiſmum non ſimul & ſemel natum arbitrandum eſt, ſed diutinæ admodum conceptionis; & formæ non ſtatæ, cùm pareretur. Idem dici de hoc ferè poteſt, quod de Traditionibus: plurimorum annorum fœtus, & hæ, & iſte. Primam Traditionum conceptionem ad tempora *Ezræ* referunt traditionarii, *Hieroſ. Megill.* fol. 75. 1. *Babyl. Bava Kama*, fol. 82. 1. At quot elapſæ annorum centuriæ, ante maturum totius iſtius monſtri partum? Semina pariter prima Phariſäiſmi jacta ſunt longè ante partum, partuſque jam editus diu multùmque adoleſcens, antequàm perveniret ad maturitatem, ſi modò definiri poſſet quæ ejus maturitas.

Obſervamus illicò, jacta Sadduceiſmi fundamenta diebus *Ezræ*, ante natos Sadducæos: ejuſdem diebus & jacta ſuſpicor Phariſäiſmi fundamenta, diu etiam ante natos Phariſæos. Nam cùm *Phariſæi* titulo iſto inſigniti eſſent, eò quòd à reliquis hominibus, tanquam profanioribus, ſe ſepararent, cùmque in diebus *Ezræ* & *Nehemiæ* ſumma cura, eaque ſancta, fuerit ſemen Iſraëliticum ab incolis terræ Ethnicis, Samaritis ſcilicet, Ashdodæis, Moabitis, &c. ſegregandi, arripuerunt non multò poſt anſam homines nonnulli, nimiùm ſibi arrogantes, ſe etiam ab hominibus ſeminis Iſraëlitici ſeparandi, quaſi nimiùm profanis, ac communioni ſuæ heu! quantùm incongruis. Quod ipſum in hodiernis Separatiſtis experimur. Cùm enim præceperit Scriptura Chriſtianis, nè communicent *cum infidelibus*, *cum iis qui ſunt ab extrà*, &c. id eſt, cum Ethnicis; prætextum hinc arripiunt nonnulli, ſe à cœtibus Chriſtianorum ſeparandi: quo jure, quo fundamento, ipſi viderint.

Tempus, quo primùm nomen *Phariſæi* natum, non inveſtigabimus: hoc præſtitum à doctioribus, ideòque tantùm obſervâſſe ſat ſiet. Poſt receptum ſemel hunc religionis prætextum, *quòd pium eſſet ſeparare ſe a vulgo*, crevit in dies ſuperſtitio, quæ Sectæ huic ac ſeparationi fulcro foret, ac patrocinio. Nam, cùm religionem tam ſuperciliosam induiſſent, ut vulgò dicerent, *Procul apage, ego te ſanctior*, [quod etiam à Propheta cum execratione prædictum, *Eſajæ* 65: 5.] &, ut in hoc ſummam ſanctimoniam ponerent, à vulgo, tanquam profano, ſe retrahere; neceſſarium certè fuit ſub norma & regula auſteriori ſe ſubdere, & circumſcribere, ut nomen famamque religioſorum retinerent in rebus aliis, præter ſuperbam ac nimiùm ſibi arrogantem iſtam ſeparationem. Hinc ortæ atque auctæ ſeculatim ſolicitudines de Decimationibus, & Lotionibus; hinc frequentiæ Jejuniorum atque Orationum, curæ de Phylacteriis, fimbriis, rebuſque aliis innumeris: ità ut [quod Separatiſtis fatale] in ſectas tandem friaretur hæc Secta, ac Phariſæus Phariſæo idem ferè foret, quod Phariſæo *populus terræ*.

Septem ſectas Phariſæorum numerat *Talmud* utrumque; *Hieroſ.* in *Berachoth*, fol. 13. 2. & *Sotah*, fol 20. 3. & *Babyl. Sotah*, fol. 22. 2. itemque *Aruch*, in פרוש: quas non pigebit penicillo eorum deſcripſiſſe, ut, quò inſaniæ deventum fuerit ab hac Secta, videat Lector, æquè ac quò hypocriſews.

שבעה פרושין הן, *Septem ſunt Phariſæi.*

I. פרוש שכמי, *Phariſæus Sichemita*: Babyl. :זה עשה מעשה שכם, *Hic facit ut Sichem:* Gloſſa, *Qui circumciſus eſt, ſed non in honorem Dei.* Hieroſ. טעין מצוותיה על כתפיה, *Portat præcepta ſua ſuper humeros ſuos*: id eſt, ut explicat *Aruch*, *Ligna ad conficiendum tabernaculum*, in feſto Tabernaculorum, *aut aliquid iſtiuſmodi.*

II. פרוש ניקפי, *Phariſæus percuſſus*, vel *illidens.* Babyl. המנקיף את רגליו *Qui illidit pedes ſuos.* Gloſſa, *Qui incedit in humilitate, calce pedis hujus pollici iſtius contiguo: nec pedes à terra extulit, ità ut illiderentur pollices ad ſaxa.* Aruch, *Qui longè ſe retraxit, ne homines in viis premeret, & pedes ſuos alliſit ad ſaxa.* Hieroſ. אקיף לי ואנא עבד מצוה, *Percute me*, [aut *circumda me*] *& tamen ego præſtabo mandatum.*

III. פרוש

Digitized by Google

CAP. III. VERS. 7.

III. פרוש קיזאי, *Phariſæus ſanguinem eliciens.* Babyl. *Sanguinem elicit ad parietes.* Gloſſa, *Se talem præſtitit, ac ſi obturatis eſſet oculis, ne aſpiceret fœminam; atque hinc in parietes caput illiſit, emiſitque ſanguinem.* Aruch, *Se ad parietes ità compreſſit, ne tranſeuntes premeret, ut ex illiſione ſanguinem eliceret.* Hieroſ. *Præſtat unum præceptum, ac unum officium, ac ſanguinem elicit ad unumquodque.*

IV. פרוש מדוכיא, *Phariſæus mortarii.* Aruch, *Incedens in tunica fluente, mortarii inſtar erat, cujus os ſcilicet deorſum verſum eſt. Sic ille, fluente veſte, ſuprà erat arctior, latior infrà.* Hieroſolymitano eſt, פרוש מנכייה, *Qui dicit, Quodcunque meum eſt ego ſubtraho, ac præſto mandatum.*

V. פרוש מה חובתי ואעשנה, *Phariſæus qui dicit, Noſcam quid ſit officium meum, & præſtabo.* Hieroſ. *Præſtiti officium, ut præſtetur mandatum ſecundùm illud.* Aruch, *Quaſi diceret, Non eſt qui oſtendat mihi in quo ſim transgreſſus.*

VI. פרוש יראה, *Phariſæus timoris*: ſicut *Jobus.*

VII. פרוש אהבה, *Phariſæus amoris*: ſicut *Abrahamus.* Hieroſ. אין לך חביב מכולן אלא פרוש אהבה כאברהם: *Inter hos omnes non eſt aliquis amari dignus, præter Phariſæum amoris.*

An in ullas harum Sectarum luxatus fuerit Phariſaïſmus in diebus *Baptiſtæ*, non diſputamus. Detur optimos, modeſtiſſimos, ex iſta claſſe ad Baptiſmum ejus acceſſiſſe: optimi Phariſæorum, certè peſſimi hominum: atque eò mirandum magis eſt, hos Baptiſmum ejus ità amplexos, cùm normæ Phariſaïcæ ſummè eſſet contrarium, inter vulgus verſari, cujus tantus concurſus ad *Joannem*; & ſummè contrarium doctrinæ Phariſaïcæ, aliquam juſtitiam vel ſomniare præter eam, quæ ex operibus legis, cui contradixit doctrina *Joannis* ex diametro.

Sadducæorum originem, ut plurimùm referunt docti, tam Judæi, quàm Chriſtiani, ad *Zadok* quendam, Diſcipulum *Antigoni Sochæi*: qui *Antigonus* cathedram in Synhedrio ſummam occupavit poſt mortem *Simeonis Juſti.* De eo ſic Tractatus *Avoth*, cap. 1. *Antigonus è Socho traditiones accepit à Simeone Juſto. Ille dixit, Nè ſitis ſicut ſervi, qui domino famulantur præmii ergo; ſed ſitis ſicut ſervi, qui domino famulantur non præmii ergò; ſed dominetur vobis timor Dei.*

Huic ſapienti [inquit *Rambam* in locum] *erant duo Diſcipuli, Zadok & Baïthus, qui cùm hoc à magiſtro audirent, inter ſe, cùm exiiſſent, dixerunt, Magiſter noſter in expoſitione ſua nos docet, non eſſe, vel præmium, vel pœnam, nec ullam omnino* [in futurum] *expectationem: (Nam quid ſibi vellet ille, non intellexerunt.) Mutuò ergo ſeipſos confirmârunt, ac receſſerunt à norma, ac legem deſeruerunt: atque utrique adhæſit aliqua turba. Eos ergò ſapientes vocârunt Sadducæos & Baïthuſæos.* Et paulò pòſt, *In his autem regionibus, nempe in Ægypto, vocant eos Karaitas,* (קראים) *at nomina eorum apud ſapientes ſunt, Sadducæi & Baithuſæi.* Vide etiam *Avoth R. Nathan*, cap. 5.

CAP. III VERS. 7

Hìc tamen ſcrupulum objicit illud quod dicitur, *Babyl. Beracoth*, fol. 54. *Ad coronidem omnium orationum in Templo dixerunt*, עד עולם, *In ſeculum. Cùm verò irrumperent Hæretici, dicerentque, Non eſſe ſeculum niſi unum, inſtitutum eſt, ut diceretur,* מן העולם ועד העולם, *A ſeculo in ſeculum.* In hæc verba ſic Gloſſa, *In Templo primo non dixerunt niſi Benedictus Dominus Deus Iſraëlis in ſeculum: Cum verò irrumperent hæretici, qui dicerent, Non eſſe ſeculum præter hoc, inſtituit Ezra, & conſeſſus ejus, ut diceretur,* מן העלם ועד העולם, *A ſeculo in ſeculum: ad innuendum, duplicem eſſe mundum,* (hunc, & futurum) *ad extirpandum è corde opinionem negantium reſurrectionem mortuorum.*

Adverte, lector, *fuiſſe qui reſurrectionem mortuorum negarent in diebus Ezræ*, cùm jam non natus eſſet *Zadok* pater Sadducæorum: nam poſt *Ezram* ejuſque Synagogam magnam, [quæ per multos annos, *Ezrâ* jam mortuo, duravit], ſedit *Simeon Juſtus*, ſacerdotio ſummo fungens, per annos quadraginta: cumque in cathedra Synhedriali excepit *Antigonus Sochæus* magiſter *Zadoki.* Ità ut quamvis meritò malè audiant *Sadducæi*, ob negatam reſurrectionem, iſtaque fuerit eorum præcipua hæreſis, fuit tamen iſta hæreſis, cùm non adhuc eſſent hæretici, qui denominarentur *Sadducæi.* Cui forſan ſuffragantur illa [quæ talem Hæreſim ſatis ſapiunt] *Malach.* 3. *verſ.* 14. *Dixiſtis, fruſtrà eſſe quòd inſerviamus Deo*, &c.

Sadducæos ergò hæreticos à *Zadok* denominatos non eſt inficiandum; at Sadducæorum hæreſim de Reſurrectione antiquiorem nomine iſto fuiſſe, non ſine ratione opineris: nec primùm ortum eſſe execrandum iſtud dogma ex malè intellectis verbis *Antigoni* per *Zadokum* & *Baïthuſum*, ſed originis eſſe vetuſtioris, etiam cùm adhuc in vivis eſſent Prophetæ *Zacharias*, *Malachias*, atque ipſe *Ezra*, [ſi is *Malachias* non fuit, quod opinantur Judæi.] Ego itaque ortam potiùs hæreſin iſtam arbitror ex malè intellectis verbis *Ezekielis*, Cap. 37. quæ ſecundùm literam intelligentes quidam, & ſimul nullam reſurrectionem videntes, nullam exinde futuram ſomniârunt. Crevitque hoc dogma, atque in Sectam ſuperbiit, cùm tandem è cathodra per

CAP. III. VERS. 7.

חבר אני לכל־אשר יראוך, *Socius ego omnium qui te timent.* קבלו עליהן דברי חברות *Suſcipiunt in ſe habitum Religionis.* Vide *Babyl. Avodah Zarah*, fol. 7. 1. in Gloſſa. Animadverſione etiam digna eſt diſtinctio iſta in *Hieroſ. Bava Bathra*, fol. 17. 1. τῶν חברייא רברבייא & חברייא זעירייא, *Religioſorum majorum & minorum.*

Appropriari tamen aliquando videtur Phariſæis, quippe qui præ omnibus aliis religionem ſplendidè palliatam induerunt, quod vel ſatis patet ex hiſtoria Euangelica. Sic forſan intelligendum eſt illud, *Niddah*, fol. 6. 2. חבריא מדכן בגלילא *Religioſi Galilæi purificant*; hoc eſt, ut explicat Gloſſa, *Mundant vinum ſuum & oleum in libationem, ſi fortè in diebus ipſorum ædificetur templum:* quæ tamen citans *Aruch*, ſic explicat, חברים אוכלין חוליהן בטהרה, *Religioſi comedunt communem victum ſuum in munditia.* Quâ ipſâ re Phariſæos definit Gloſſa in *Chagigah*, fol. 18. 2. לפרושין לאוכלי חוליהן בטהרה, *Phariſæis, id eſt, iis qui comedunt communem victum ſuum in munditia.* Ecce, ut vox חברים & פרושין convertantur, atque ut hoc proprium eſſet, quo definiretur Phariſæus, *quòd comederet communem victum ſuum in munditia*, id eſt, quòd manus lavaret, cùm comederet.

III. Phariſäiſmum non ſimul & ſemel natum arbitrandum eſt, ſed diutinæ admodum conceptionis; & formæ non ſtatæ, cùm pareretur. Idem dici de hoc ferè poteſt, quod de Traditionibus: plurimorum annorum fœtus, & hæ, & iſte. Primam Traditionum conceptionem ad tempora *Ezræ* referunt traditionarii, *Hieroſ. Megill.* fol. 75. 1. *Babyl. Bava Kama*, fol. 82. 1. At quot elapſæ annorum centuriæ, ante maturum totius iſtius monſtri partum? Semina pariter prima Phariſäiſmi jacta ſunt longè ante partum, partuſque jam editus diu multùmque adoleſcens, antequàm perveniret ad maturitatem, ſi modò definiri poſſet quæ ejus maturitas.

Obſervamus illicò, jacta Sadduceiſmi fundamenta diebus *Ezræ*, ante natos Sadducæos: ejuſdem diebus & jacta ſuſpicor Phariſäiſmi fundamenta, diu etiam ante natos Phariſæos. Nam cùm *Phariſæi* titulo iſto inſigniti eſſent, eò quòd à reliquis hominibus, tanquam profanioribus, ſe ſepararent, cùmque in diebus *Ezræ* & *Nehemiæ* ſumma cura, eaque ſancta, fuerit ſemen Iſraëliticum ab incolis terræ Ethnicis, Samaritis ſcilicet, Ashdodæis, Moabitis, &c. ſegregandi, arripuerunt non multò poſt anſam homines nonnulli, nimiùm ſibi arrogantes, ſe etiam ab hominibus ſeminis Iſraëlitici ſeparandi, quaſi nimiùm profanis, ac communioni ſuæ heu! quantùm incongruis. Quod ipſum in hodiernis Separatiſtis experimur. Cùm enim præceperit Scriptura Chriſtianis, nè communicent *cum infidelibus, cum iis qui ſunt ab extrà*, &c. id eſt, cum Ethnicis; prætextum hinc arripiunt nonnulli, ſe à cœtibus Chriſtianorum ſeparandi: quo jure, quo fundamento, ipſi viderint.

Tempus, quo primùm nomen *Phariſæi* natum, non inveſtigabimus: hoc præſtitum à doctioribus, ideòque tantùm obſervâſſe ſat ſiet. Poſt receptum ſemel hunc religionis prætextum, *quòd pium eſſet ſeparare ſe a vulgo*, crevit in dies ſuperſtitio, quæ Sectæ huic ac ſeparationi fulcro foret, ac patrocinio. Nam, cùm religionem tam ſuperciliosam induiſſent, ut vulgò dicerent, *Procul apage, ego te ſanctior*, [quod etiam à Propheta cum execratione prædictum, *Eſajæ* 65: 5.] &, ut in hoc ſummam ſanctimoniam ponerent, à vulgo, tanquam profano, ſe retrahere; neceſſarium certè fuit ſub norma & regula auſteriori ſe ſubdere, & circumſcribere, ut nomen famamque religioſorum retinerent in rebus aliis, præter ſuperbam ac nimiùm ſibi arrogantem iſtam ſeparationem. Hinc ortæ atque auctæ ſeculatim ſolicitudines de Decimationibus, & Lotionibus; hinc frequentiæ Jejuniorum atque Orationum, curæ de Phylacteriis, fimbriis, rebuſque aliis innumeris: ità ut [quod Separatiſtis fatale] in ſectas tandem friaretur hæc Secta, ac Phariſæus Phariſæo idem ferè foret, quod Phariſæo *populus terræ*.

Septem ſectas Phariſæorum numerat *Talmud* utrumque; *Hieroſ.* in *Berachoth*, fol. 13. 2. & *Sotah*, fol 20. 3. & *Babyl. Sotah*, fol. 22. 2. itemque *Aruch*, in פרוש: quas non pigebit penicillo eorum deſcripſiſſe, ut, quò inſaniæ deventum fuerit ab hac Secta, videat Lector, æquè ac quò hypocriſeως.

שבעה פרושין הן, *Septem ſunt Phariſæi.*

I. פרוש שכמי, *Phariſæus Sichemita*: Babyl. :זה עשה מעשה שכם, *Hic facit ut Sichem*: Gloſſa, *Qui circumciſus eſt, ſed non in honorem Dei.* Hieroſ. טעין מצוותיה על כתפיה, *Portat præcepta ſua ſuper humeros ſuos*: id eſt, ut explicat *Aruch*, *Ligna ad conficiendum tabernaculum*, in feſto Tabernaculorum, *aut aliquid iſtiuſmodi.*

II. פרוש ניקפי, *Phariſæus percuſſus*, vel *illidens.* Babyl. המנקיף את רגליו *Qui illidit pedes ſuos.* Gloſſa, *Qui incedit in humilitate, calce pedis hujus pollici iſtius contiguo: nec pedes à terra extulit, ità ut illiderentur pollices ad ſaxa.* Aruch, *Qui longè ſe retraxit, ne homines in viis premeret, & pedes ſuos alliſit ad ſaxa.* Hieroſ. אקיף לי ואנא עבד מצוה, *Percute me*, [aut *circumda me*] *& tamen ego præſtabo mandatum.*

III. פרוש

III. פרוש קזאי, *Phariſæus ſanguinem eliciens.* Babyl. *Sanguinem elicit ad parietes.* Gloſſa, *Se talem præſtitit, ac ſi obturatis eſſet oculis, ne aſpiceret fœminam; atque hinc in parietes caput illiſit, emiſitque ſanguinem.* Aruch, *Se ad parietes ità compreſſit, ne tranſeuntes premeret, ut ex illiſione ſanguinem eliceret.* Hieroſ. *Præſtat unum præceptum, ac unum officium, ac ſanguinem elicit ad unumquodque.*

IV. פרוש מדוכיא, *Phariſæus mortarii.* Aruch, *Incedens in tunica fluente, mortarii inſtar erat, cujus os ſcilicet deorſum verſum eſt. Sic ille, fluente veſte, ſuprà erat arctior, latior infrà.* Hieroſolymitano eſt, פרוש מנכיה, *Qui dicit, Quodcunque meum eſt ego ſubtraho, ac præſto mandatum.*

V. פרוש מה חובתי ואעשנה, *Phariſæus qui dicit, Noſcam quid ſit officium meum, & præſtabo.* Hieroſ. *Præſtiti officium, ut præſtetur mandatum ſecundùm illud.* Aruch, *Quaſi diceret, Non eſt qui oſtendat mihi in quo ſim tranſgreſſus.*

VI. פרוש יראה, *Phariſæus timoris*: ſicut *Jobus.*

VII. פרוש אהבה, *Phariſæus amoris*: ſicut *Abrahamus.* Hieroſ. אין לך חביב מכולן אלא פרוש אהבה כאברהם: *Inter hos omnes non eſt aliquis amari dignus, præter Phariſæum amoris.*

An in ullas harum Sectarum luxatus fuerit Phariſaïſmus in diebus *Baptiſtæ*, non diſputamus. Detur optimos, modeſtiſſimos, ex iſta claſſe ad Baptiſmum ejus acceſſiſſe: optimi Phariſæorum, certè peſſimi hominum: atque eò mirandum magis eſt, hos Baptiſmum ejus ità amplexos, cùm normæ Phariſaïcæ ſummè eſſet contrarium, inter vulgus verſari, cujus tantus concurſus ad *Joannem*; & ſummè contrarium doctrinæ Phariſaïcæ, aliquam juſtitiam vel ſomniare præter eam, quæ ex operibus legis, cui contradixit doctrina *Joannis* ex diametro.

Sadducæorum originem, ut plurimùm referunt docti, tam Judæi, quàm Chriſtiani, ad *Zadok* quendam, Diſcipulum *Antigoni Sochæi*: qui *Antigonus* cathedram in Synhedrio ſummam occupavit poſt mortem *Simeonis Juſti.* De eo ſic Tractatus *Avoth*, cap. 1. *Antigonus è Socho traditiones accepit à Simeone Juſto. Ille dixit, Nè ſitis ſicut ſervi, qui domino famulantur præmii ergò; ſed ſitis ſicut ſervi, qui domino famulantur non præmii ergò; ſed dominetur vobis timor Dei.*

Huic ſapienti [inquit *Rambam* in locum] *erant duo Diſcipuli, Zadok & Baïthus, qui cùm hoc à magiſtro audirent, inter ſe, cùm exiiſſent, dixerunt, Magiſter noſter in expoſitione ſua nos docet, non eſſe, vel præmium, vel pœnam, nec ullam omnino* [in futurum] *expectationem: (Nam quid ſibi vellet ille, non intellexerunt.) Mutuò ergò ſeipſos confirmârunt, ac receſſerunt à norma, ac legem deſeruerunt: atque utrique adhæſit aliqua turba. Eos ergò ſapientes vocârunt Sadducæos & Baïthuſæos.* Et paulò pòſt, *In his autem regionibus, nempe in Ægypto, vocant eos Karaitas,* (קראים) *at nomina eorum apud ſapientes ſunt, Sadducæi & Baithuſæi.* Vide etiam *Avoth R. Nathan*, cap. 5.

Hìc tamen ſcrupulum objicit illud quod dicitur, *Babyl. Beracoth*, fol. 54. *Ad coronidem omnium orationum in Templo dixerunt*, עד עולם, *In ſeculum. Cùm verò irrumperent Hæretici, dicerentque, Non eſſe ſeculum niſi unum, inſtitutum eſt, ut diceretur,* מן העולם ועד העולם, *A ſeculo in ſeculum.* In hæc verba ſic Gloſſa, *In Templo primo non dixerunt niſi Benedictus Dominus Deus Iſraëlis in ſeculum: Cùm verò irrumperent hæretici, qui dicerent, Non eſſe ſeculum præter hoc, inſtituit Ezra, & conſeſſus ejus, ut diceretur,* מן העולם ועד העולם, *A ſeculo in ſeculum: ad innuendum, duplicem eſſe mundum,* (hunc, & futurum) *ad extirpandum è corde opinionem negantium reſurrectionem mortuorum.*

Adverte, lector, *fuiſſe qui reſurrectionem mortuorum negarent in diebus Ezræ*, cùm jam non natus eſſet *Zadok* pater Sadducæorum: nam poſt *Ezram* ejuſque Synagogam magnam, [quæ per multos annos, *Ezrâ* jam mortuo, duravit], ſedit *Simeon Juſtus*, ſacerdotio ſummo fungens, per annos quadraginta: eumque in cathedra Synhedriali excepit *Antigonus Sochæus* magiſter *Zadoki.* Ità ut quamvis meritò malè audiant *Sadducæi*, ob negatam reſurrectionem, iſtaque fuerit eorum præcipua hæreſis, fuit tamen iſta hæreſis, cùm non adhuc eſſent hæretici, qui denominarentur *Sadducæi.* Cui forſan ſuffragantur illa [quæ talem Hæreſim ſatis ſapiunt] *Malach.* 3. *verſ.* 14. *Dixiſtis, fruſtrà eſſe quòd inſerviamus Deo*, &c.

Sadducæos ergò hæreticos à *Zadok* denominatos non eſt inficiandum; at Sadducæorum hæreſim de Reſurrectione antiquiorem nomine iſto fuiſſe, non ſine ratione opineris: nec primùm ortum eſſe execrandum iſtud dogma ex malè intellectis verbis *Antigoni* per *Zadokum* & *Baïthuſum*, ſed originis eſſe vetuſtioris, etiam cùm adhuc in vivis eſſent Prophetæ *Zacharias*, *Malachias*, atque ipſe *Ezra*, [ſi is *Malachias* non fuit, quod opinantur Judæi.] Ego itaque ortam potiùs hæreſin iſtam arbitror ex malè intellectis verbis *Ezekielis*, Cap. 37. quæ ſecundùm literam intelligentes quidam, & ſimul nullam reſurrectionem videntes, nullam exinde futuram ſomniârunt. Crevitque hoc dogma, atque in Sectam ſuperbiit, cùm tandem è cathedra per *Anti-*

Digitized by Google

CAP. III. VERS. 7. *Antigonum*, Synhedrii præſidem, de eo ità determinatum fuiſſe, fucato prætextu pariter atque audaci, aſſererent diſcipuli ejus *Zadok* & *Baithus*.

Ortum Sadducæorum non multùm poſt obitum *Simeonis Juſti* cùm repeto, non incommodè ſubit illud, quod à Talmudicis memoratur de mutata in pejus rerum facie ab ejus obitu. *Hieroſ. Joma*, fol. 43. 3. *Omnibus diebus Simeonis Juſti, vix pervenerat caper emiſſarius ad medium præcipitii montis*, [unde dejiceretur] *cum jam in fruſtula comminueretur: at, mortuo Simeone Juſto, aufugit* [vivus] *in deſertum, & comeſtus eſt à Saracenis. Dum viveret Simeon Juſtus, ſors Dei* [in die Expiationis] *prodiit ſemper ad manum dextram: mortuo Simeone Juſto, prodiit quandoque ad dextram, quandoque ad ſiniſtram. Omnibus diebus vitæ Simeonis Juſti, lingula coccinea ſemper dealbuit: mortuo Simeone Juſto, aliquando dealbuit, aliquando rubuit. Omnibus diebus vitæ Simeonis Juſti, lucerna Occidentalis ſemper arſit: eo mortuo aliquando arſit, aliquando extincta eſt. Omnibus diebus vitæ Simeonis Juſti, ignis in altari viguit & valuit; & poſt impoſita manè duo ligni ſegmenta, aliud quid non impoſuerunt per totum diem: aſt, eo mortuo, elanguit ejus vigor adeò, ut per totum diem ſupplere cogerentur. Omnibus diebus vitæ Simeonis Juſti, emiſſa eſt benedictio in duos panes, & panes propoſitionis ità, ut unicuique Sacerdoti cederet portio, ad minimum ad quantitatem olivæ, forentque qui ad ſatietatem comederent, forentque quibus poſt comeſtionem ad ſatietatem aliquid eſſet reliquum: at mortuo Simeone Juſto, retracta eſt iſta benedictio, ceſſitque tantillum unicuique, ut modeſti manus retraherent, guloſi extenderent.*

Γεννήματα ἐχιδνῶν.

I. Ὄφεις. Cap. 23: 33. Non tam *Semen Abrahæ*, quod jactatis, quàm *ſemen ſerpentis*. Ὁ Ἀντίχριστος, ὁ Ἀντικείμενος, 2 *Theſſ.* 2: 4. Gens & ſoboles ex diametro oppoſita, atque inimica ſemini illi mulieris, & calcaneum ejus contritura.

II. Hinc, non abſque fundamento, concluditur, rejectam fuiſſe iſtam gentem, & in reprobum ſenſum traditam, etiam, ante adventum Chriſti: erant non ſolùm Γενεὰ, *generatio*, ſed Γεννήματα, *ſoboles viperarum*, ſerpentes è ſerpentibus orti: nec mirum, ſi illi à Deo rejecti, cùm jam Deum, verbumque Dei, rejecerant dudum per ſuas traditiones: vide illud *Matth.* 13: 13, 14, 15. & 1 *Pet.* 2: 10. *Non erat is populus.*

Erat quidem inter eos reſiduum quoddam, per Chriſtum colligendum: quoque collecto, tradita eſt gens reliqua in perditionem ſempiternam. Hoc λεῖμμα eſt illud Apoſtoli *Rom.* 11: 5. jam tum exiſtens, cùm ille iſta ſcriberet, tunc colligendum, ante everſam gentem. CAP. III. VERS. 9, 10, 11.

Φυγεῖν ἀπὸ τῆς μελλούσης ὀργῆς.

Reſpiciunt hæc verba noviſſima verba Vet. Teſtamenti, *Ne percutiam terram Anathemate*, Mal. 4. denotantque excidium gentis miſerrimum, jamque ferè impendens.

Suſceptio Baptiſmi *Joannis* ſignavit, ſepſitque à ruina iſta illicò ventura. Huc pertinet illud *Petri*, Epiſt. 1. cap 3. verſ. 20, 21. Eo modo, quo liberatus eſt *Noachus* cum ſuis per aquas à diluvio; *Ità ſervat & nos, iſtius typi antitypos, jam Baptiſmus*, à diluvio divinæ indignationis in gentem Judaïcam brevi undaturo. Cogita hic, num non parvulos ſuos ſecum ad Baptiſmum ducerent accedentes ad Baptiſmum; cùm, apertis *Baptiſtæ* verbis, baptizati *iram venturam fugere* dicantur? id eſt, *iram Dei*, non ità ab hinc diu gentem iſtam miſerrimâ ſtrage perdituram.

VERS. 9. Μὴ δόξητε λέγειν.

Phraſiologia Hieroſolymitana in iſto Talmude ubivis obvia. סבר מימר

VERS. 10. Ἡ ἀξίνη πρὸς τὴν ῥίζαν.

Deſumi hæc videntur ab *Eſajæ* Cap. 10. vers. 33, 34. A Romanis futurum erat gentis excidium, qui jam diu eam ſub jugo preſſerant: ſecuris iſta, ad arboris radicem jam poſita, eam certè exſcindet, ſi modò, ex ultima hac cultura per Euangelium, fructus non ferat. In *Hieroſ. Beracoth*, fol. 5. 1. applicantur iſta verba *Eſajæ* ad urbis excidium, atque inde arguitur *Meſſiam* non ità multò ab iſtius excidii tempore naſcendum, quòd illicò, poſt iſtius ruinæ minas, ſequatur, *Orietur germen è ſtirpe Jeſſe*, Eſaj. 11: 1.

VERS. 11. Οὐ οὐκ εἰμὶ ἱκανὸς τὰ ὑποδήματα βαστάσαι.

Apud *Lucam* eſt, Λῦσαι τὸν ἱμάντα τῶν ὑποδημάτων, quod eodem redit: utrumque idem ſonat ac ſi dixiſſet, *Cujus ego non dignus ſum ut ſim ſervus.*

Maimon. in מכירה, cap. 2. *Servus Cananæus eſt ſicut fundus, quoad emptionem: emitur enim nummo, aut ſcripto* או בחזקה, *aut famulitio aliquo præſtito, arrhabonis aut pignoris inſtar. Et quænam eſt talis oppigneratio, in emptionem ſervorum? ut ſolvat nempe ei* (ementi ſcilicet) *calceum ſuum, aut liget calceum, aut neceſſaria ei ad balneum portet*, &c. Adducit hæc *Maimonides* ex *Babyl. Kiddushin*, fol. 22. 2. ubi hæc habentur, *Quomodo emitur ſervus*

Digitized by Google

CAP. III. VERS. 15, 16. *ſervus* בחוקה*? Solvit ementi calceum, portat poſt eum quæ ei neceſſaria ad balnea, deveſtit eum, lavat, ungit, fricat, reveſtit, induit calceos, ac à terra levat*, &c. Vide & *Toſaphta* ad *Kiddushin*, cap. 1.

Hoc obiter notandum quod innuit Gloſſa, Omnes ſervos, è quacunque gente Ethnica, à Judæis coemptos, *ſervos Cananæos* dici, eò quòd de *Canaane* dicitur, *Canaan ſervus ſervorum.*

Vers. 15. Οὕτω πρέπον ἐστὶν ἡμῖν πληρῶσαι πᾶσαν δικαιοσύνην.

Id eſt, *Ut compleamus omne quod juſtum eſt*. In baptizatione autem Chriſti hæc duo præcipuè juſta. I. Ut magnus hic Sacerdos, ad munus ſuum miniſteriale initiatus, typo reſponderet admiſſionis Sacerdotum Leviticalium, qui lotione ac unctione initiati ſunt, illè Baptiſmo atque Spiritu Sancto. II. Cùm, ex inſtitutione Chriſti, introeuntes in Euangelii profeſſionem, per Baptiſmum erant introducendi; juſtum, imò neceſſe erat, ut Chriſtus in eandem profeſſionem, imò & prædicationem, ingreſſurus, per Baptiſmum admitteretur.

Vers. 16. Καὶ βαπτισθεὶς ὁ Ἰησοῦς.

I. Chriſtum in terris triginta duos annos & dimidium egiſſe [quot regnavit *David Hieroſolymis*: confer 2 *Sam*. 5:5.] ex hoc aſtruitur. 1. Quòd baptizatus eſſet, cùm vigeſimum nonum annum jam compleverat, & triceſimum jam recens inchoârat. Id ſonant verba *Lucæ*, ὡσεὶ ἐτῶν τριάκοντα ἀρχόμενος ὤν; quæ utcunque à Chriſtianis nonnullis ad hiulcam neſcio quam latitudinem applicentur, in ſcholis tamen Judaïcis, atque apud iſtam gentem, non alium certè ſenſum admitterent, quàm quem proferimus, quippe quòd illic hoc axioma obtineret: יום אחד בשנה חשוב שנה, *Dies primus anni reputatur pro iſto anno*, Rosh hashanah, *fol*. 2. 2. Et *Lucas* certè loquitur cum vulgo: nam ſupponatur Euangeliſtam hæc verba in ſchola aliqua Judaïca protuliſſe, *N. Baptizatus fuit* ἀρχόμενος ὤν ὡσεὶ τριάκοντα ἐτῶν: quomodo ab iis intelligi poſſet de triceſimo completo? [multò minus de triceſimo primo aut ſecundo, quò torquent nonnulli] cùm vocabula ἀρχόμενος ὡσεὶ, tam ſymphonè cum dicto axiomate congruerent, ut vix quicquam clariùs. II. Quòd à Baptiſmo ad crucem egerit annos tres & dimidium. Innuitur hoc ab Angelo *Gabriele*, Dan. 9:27. *In medietate ſeptimanæ* [id eſt, in tribus annis & dimidio] *ceſſare faciet ſacrificium atque oblationem*; ac confirmatur a computo apud Euangeliſtas, præſertim verò apud *Joannem*, qui quatuor Paſchata clarè memorat [*Cap*. 2:13. & 5:1. & 6:4. & 13:1.] poſt quadraginta dies jejunii, exactumque non parùm temporis in *Galilæa*.

II. Baptizatum ergò Chriſtum arbitramur circa feſtum Tabernaculorum menſe *Tiſri*, quo tempore etiam natum arbitramur; *Joannemque* natum circa feſtum Paſchatis, atque ad id temporis baptizare orſum. Cùm enim per annos triginta duos & dimidium vixerit Salvator, obieritque ad feſtum Paſchatis, neceſſe eſt ut ad menſem *Tiſri*, ac circa tempus Scenopegiæ, reducas ejus natalitia: cùmque per ſpatium ſemeſtre ſenior illo natu foret *Joannes Baptiſta*, circa feſtum Paſchatis eum natum neceſſe eſt ut arbitremur. Sed de his aliquid antè.

CAP. III. VERS. 17. Vers. 17. Καὶ ἰδοὺ, φωνὴ ἐκ τῶν οὐρανῶν.

Trino teſtimonio, per vocem è cœlo, decoratus eſt Chriſtus, pro triplici ejus officio. Vide quæ dicimus ad *Cap*. 17:2.

Vocem cœlitùs demiſſam non invenis inter datam legem & baptizatum Chriſtum. Quæ de *Bath Kol* referunt Judæi; ignoſcant illi mihi, ſi ego partim pro fabulis habeam Judaïcis, partim pro præſtigiis Diabolicis. *Pro traditione habent, poſt mortem Prophetarum ultimorum, Haggæi, Zachariæ, Malachiæ*, נסתלקה רוח הקדש מישראל *diſceſſiſſe Spiritum Sanctum ab Iſraele*, [quod quidem veriſſimum] ואעפ״כ היו משתמשין בבת קול, *verumtamen eos exinde uſos Bath Kol*, Babyl. Sanhedr. *fol*. 11. 1. *Bath Kol hoc fuit*; כשקול יוצא מן השמים יוצא מתוכו קול אחר:, *Cùm egrederetur vox* (vel *tonitru*) *è cælo, vox alia ex ea prodiit*. Piske Toſaph. *in* Sanhedr. *cap*. 1. *art*. 29.

Aſt eccur, quæſo, ſubtracta erat Prophetia, ſi continuanda oracula cœleſtia? Cur ſubtractum etiam *Urim* & *Thummim*? aut potius non redditum poſt captivitatem Babylonicam? Nam, *quinque*, inquiunt, *defuerunt Templo ſecundo, quæ adfuerunt primo: Ignis ſcilicet cæleſtis, Arca, Urim & Thummim, Oleum unctionis, & Spiritus Sanctus*, Hieroſ. Taanith, *fol*. 65. 1. Mirum certè, ſi Deus ordinaria ſua oracula à populo abripiens, aut nobiliore eum donaret, aut æquè nobili; idque cùm jam in omnimodam impietatem, ſuperſtitionem, hæreſim, gens degeneràſſet, atque eſſet prolapſa. Cum morerentur ultimi Prophetæ, *Haggæus*, reliquique, irrepſit hæreſis Sadducæa de reſurrectione, & Phariſaïca omnem Scripturam vanis traditionibus enervans, atque irritam faciens: Et credamne ego, Deum populo, tam dirâ Apoſtaſiâ laboranti, ità indulgentem, ut è cœlo cum iis familiariter colloqui dignaretur,

atque

Digitized by Google

CAP. III. VERS. 17. atque iis oracula tam ſublimia exhibere, tamque frequentia, ut non paria Prophetis? Si eloqui liceat quod ſentio, hiſtorias iſtas innumeras de *Bath Kol*, quæ ubique occurſant, ego ſub his duobus capitibus reduxerim, nempe, quòd plurimæ ſint meræ fabulæ, ad hoc inventæ, ut hinc dignitas hujus vel illius Rabbini, aut hiſtoriæ illuſtretur; reliquæ, meræ deluſiones magicæ & Diabolicæ.

Cùm hæc & hujuſmodi lego, *Bath Kol in Jerichunte, Hilleli teſtimonium perhibuiſſe, quòd dignus fuit, in quem habitaret Spiritus Sanctus: Bath Kol in Jabneh idem teſtimonium perhibuiſſe Samueli parvo*, Babyl. Sanhedr. ubi ſuprà. *Bath Kol iterum in Jabneh determinâſſe controverſias inter ſcholas Shammæanam atque Hillelianam pro Hillelianis*, Hieroſ. Berac. *fol.* 3. 2. aliaque id genus innumera: non poſſum ego non, vel fabulas hîc ſuſpicari, aut magicâ arte formatas haſce voces in honorem Rabbinorum.

Memorabile eſt quod refertur in *Hieroſ. Schabb.* fol. 8. 3. א״ר אלעזר הולכין אחר שמיעת בת קול: *Dicit R. Eliezer, Sequuntur auditum Bath Kol.* Et paulò pòſt, *R. Jochanan, & R. Simeon ben Lachish deſiderârunt videre faciem Samuelis* (Doctoris Babylonici.) *Sequamur, inquiunt, auditum Bath Kol. Juxta Scholam ergò itinerantes audierunt vocem pueri iſtud legentis* (in 1 *Sam.* 25: 1.) ושמואל מת, *Et Samuel mortuus eſt. Hoc obſervârunt, & ſic evenit:* nam mortuus eſt *Samuel Babylonicus.*

R. Jonah, & R. Joſah profecti ſunt viſitatum R. Acha ægrotantem, Sequamur, inquiunt, auditum Bath Kol. Audierunt vocem fœminæ cujuſdam, vicinæ ſuæ dicentis, Extinguitur lucerna. Cui illa, Nè extinguitor, neu extinguatur lucerna Iſraëlis.

Ecce tibi, lector, (cum novo genere *Bath Kol*) populum decipi contentiſſimum. Confer hæc cum Virgilianis ſortibus, de quibus frequenter Romani hiſtorici. His duobus ergò tantum obſervatis, nè ulteriùs de hac re tædio ſimus. 1. Præter modum artibus Magicis, ſub Templo ſecundo deditam gentem. II. Præterque modum, omnimodæ deluſionis credulitati deditam: & tutò ſuſpiceris voces iſtas, quas cœleſtes exiſtimârunt, atque inſignierunt nomine *Bath Kol*, vel à Diabolo in aëre formatas, ut deciperet populum; vel à Magis diabolicâ arte, ut res ſuas promoverent. Hinc meritò Apoſtolus *Petrus*, *ſermonem Propheticum firmiorem voce è cælo*, dicit, 2 *Pet.* 1: 19.

Ipſiſſimum idem, quod de *Bath Kol* judico, ſentio etiam de frequentibus apparitionibus *Eliæ*, quibus ubique ſcatent paginæ Talmudicæ, quòd ſcilicet in plurimis laborant hiſtoriæ falſitate; in reliquis viſa ſunt ſpectra Diabolica. Vide notas ad Capitis decimi ſeptimi verſum decimum.

CAP. IV.

CAP. IV. VERS. 1. Ἀνήχθη εἰς τὴν ἔρημον ὑπὸ τοῦ πνεύματος, πειραϑῆναι, &c.

INdictum olim in *Edene* bellum inter ſerpentem, ſemenque ſerpentis, & ſemen mulieris, *Gen.* 3. *verſ.* 15. jam locum obtinet; cùm ſemen illud mulieris promiſſum in arenam jam prodit (ad publicum miniſterii ſui munus, Baptiſmo initiatus, ac Spiritu Sancto unctus,) cùm antiquo ſerpente illo dimicaturus, ac caput ejus tandem contriturus. Et, cùm ſemper infandæ impudentiæ fuerit Diabolus, obduratiorem nunc aſſumit ſibi audaciam, etiam cum eo, quem ſatis novit Filium Dei, belligerandi, eò quòd ex antiqua illa belli hujus indictione bene nôrit, ſe calcaneum ejus contriturum.

Scena aut arena certaminis prima, *Deſertum Judææ*, quod innuit *Lucas*, cùm dicit, *Jeſum rediiſſe à Jordane*, ac *ductum à ſpiritu in eremum*; ab eadem ſcilicet *Jordanis* ora, aut regione, in qua fuerat baptizatus.

Tempus tentationum à medio menſis *Tiſri* ad exactos dies quadraginta, hoc eſt, ab initio *Octobris* noſtri ad medium *Novembrim*, aut circiter: ità ut cum frigoribus certatum ei ſit, æquè ac cum inedia, ac Satanâ.

Modus tentationum duplex. Primò, inviſibiliter, prout tentare Diabolus ſolet peccatores; atque hoc per dies quadraginta: omni induſtriâ nitente tentatore, ut, ſi fieri poſſet, ſuggeſtiones ejus animo Chriſti injiceret, quod facit mortalibus. Quod cùm præſtare nequiret, quia in eo nihil invenit, in quo pedem figeret talis tentatio, *Joann.* 14: 30. aliam aggreſſus eſt viam, viſibili nempe formâ ei apparendo, ac cum eo congrediendo, eâque formâ Angeli lucis. Conferantur Euangeliſtæ; *Marcus* dicit, *tentatum eum per dies quadraginta*; ſic etiam *Lucas*: At *Matthæus*, *acceſſiſſe ad eum tentatorem poſt dies quadraginta*, hoc eſt, ſpecie viſibili.

Materia tentationum par admodum tentationibus *Evæ*.

Lapſa eſt ea, præ *concupiſcentia carnis*, *concupiſcentia oculorum*, & *faſtu vitæ*; quæ capita peccatorum omnium, 1 *Joan.* 2: 16.

Concupiſcentiâ oculorum; nam *vidit fructum, quòd eſſet aſpectui jucundus.*

Concupiſcentiâ carnis; cupivit, *eò quòd deſiderabilis eſui.*

Superbiâ vitæ; non contenta ſtatu perfectionis, quo creata, altiorem ambivit, atque acce-

CAP. IV. VERS. 5. accepit è fructu & comedit, ut evaderet indè ſapientior.

Iiſdem machinis aggreſſus eſt idem tentator Salvatorem.

I. Prout decepta *Eva* ex errore perſonæ, bonum Angelum cum ea collocutum arbitrata, cùm eſſet malus: ſic bonum Angelum hìc pariter induit Diabolus, luce veſtitum & fictâ gloriâ.

II. Irretire Chriſtum nititur, Concupiſcentiâ carnis, *Dic, ut lapides hi fiant panes*: Concupiſcentiâ oculorum, *Hæc omnia tibi dabo, & gloriam eorum*: Faſtu vitæ, *Præcipita te deorſum*, ac vola in æthere, ſublevatus ab Angelis.

Vers. 5. Ἐπὶ τὸ πτερύγιον τοῦ ἱεροῦ.

An ſupra ipſum Templum ſtiterit eum, an ſupra aliquod ædificium intra ambitum ſacrum, fruſtrà eſt quærere, quia non eſt invenire. Si ſuper ipſum Templum, ego in ſummitatem τοῦ אולם reflecterem; ſi ſuper aliquod aliud ædificium, ego in Στοὰν βασιλικὴν. Soliti ſunt Sacerdotes in ſummitatem Templi aliquando aſcendere, gradibus in hunc finem diſpoſitis, ac deſcriptis in codice Talmudico *Middoth*, cap. 4. halac. 5. atque huc aſcendiſſe dicuntur, *cùm primo Templo flammæ admoverentur, & claves camerarum Templi, ſursùm, cœlum versùs jeciſſe cum his verbis, O Domine noſter æterne, quoniam nos digni non ſumus, qui claves has retineamus, tibi traditæ ſunt. Et prodiit è cœlo quaſi forma manûs, atque eas ab illis recepit: illi autem deſultârunt, & ceciderunt in ignem.* Babyl. Taanith, *fol.* 29. 1.

Præ omnibus aliis Templi partibus τὸ אולם etiam totum πρόναον, non immeritò τὸ πτερύγιον τοῦ ἱεροῦ vocari poteſt, eò quòd alarum inſtar latitudinem ſuam utrinque extenderet, longè ultrà latitudinem Templi: quod obſervamus alibi.

Si ergò Diabolus Chriſtum in ipſo præcipitio hujus partis Templi collocârit, ἐπὶ τὸ πτερύγιον τοῦ ἱεροῦ ſtatuiſſe eum meritò dici poſſit, & quòd hæc pars πτερυγίου inſtar fuerit ipſi Templo, & quòd iſtud præcipitium fuerit πτερύγιον hujus partis.

Si autem eum ἐπὶ Στοὰν βασιλικὴν collocatum ſupponas, aſpice eam à *Joſepho* ſic depictam, *Antiquit.* lib. 15. cap. 14. *Ab Auſtrali* [atrii gentium] *parte erat* Στοὰ βασιλικὴ, *inter magnificentiſſima ſub ſole memoranda: ſuper enim immenſam vallis profunditatem, non pertingendam ab oculis ſuprà ſtantis, Porticum erexit Herodes vaſtæ altitudinis; à cujus culmine ſi quis deſpiceret deorsùm*, σκοτοδινιᾶν, οὐκ ἐξικνουμένης τῆς ὄψεως εἰς ἀμέτρητον τὸν βυθὸν, *vertiginaretur, non pertingentibus oculis ad immenſam profunditatem.*

CAP. IV. VERS. 8, 13, 15. Vers. 8. Δείκνυσιν αὐτῷ πάσας τὰς βασιλείας τοῦ κόσμου, &c.

Id eſt, *Romam* cum imperio ſuo & pompa. Nam I. iſtud imperium vocatur πᾶσα οἰκουμένη, [quo vocabulo in hac hiſtoria utitur *Lucas*] à Scriptoribus ſacris & profanis. II. Sordebant omnes civitates jam præ *Roma*, nec quicquam gloriæ reportabat ulla pars terræ extra iſtud imperium. III. *Roma ſedes Satanæ*, Apoc. 13:2. atque ipſe beſtiæ iſtius urbis, & eam conceſſit & tyrannidem. IV. Iſtud ergò, quo Salvatorem ineſcari in hoc objecto aggreditur, hoc eſſe videtur, nempe, ſe ei donaturum promittit pompam & poteſtatem *Cæſaream*, & in manum ejus traditurum ſummum mundi imperium, id eſt, *Romanum*. Hoc poſteà adeptus eſt *Anti-Chriſtus*.

Vers. 13. Καὶ καταλιπὼν τὴν Ναζαρὲθ, ἐλθὼν κατῴκησεν εἰς Καπερναούμ.

Cur *Nazaretham* deſeruerit, poſt tranſactos illic viginti ſex aut ſeptem annos, ratio patet, *Luc.* 4: 28, &c. Illuc rediiſſe eum non legimus; & ſic tuâ ſtultitiâ & perverſitate peris, ô infelix *Nazareth*! Num hæreditas ulla patri ejus *Joſepho* fuerit *Capernaümi*, quam ipſe ut hæres occupavit; an potiùs in domo aliqua conductitia illic habitaverit, non diſputamus. Vocatur certè hæc *ejus civitas*, *Matth.* 9: 1. &c. atque hìc, ut civis, didrachma ſolvit, *Matth.* 17: 24. Ubi notatu dignum eſt, quod dicitur *Bava bathra*, cap. 1. halac. 6. כמה יהא בעיר ויהא כאנשי העיר יב׳ חרש, *Quamdiu habitans in aliqua civitate, fit tandem ſicut unus è civibus? Per duodecim menſes.* Idem recitatur *Babyl. Sanhedr.* fol. 112. 1. Gemara Hieroſolymitana ſic explicat, *Si commoretur in urbe triginta dies, fit ſicut unus è civibus, quoad ciſtam eleemoſynariam: ſi ſex menſes, quoad veſtitum: ſi duodecim menſes, quoad tributa & vectigalia:* addit Babylonica, *ſi novem menſes, quoad ſepulturam.* Hoc eſt, ſi commoretur quis in civitate aliqua per triginta dies, exigunt ab eo eleemoſynam pro pauperibus: ſi ſex menſes, tenetur cum cæteris civibus ad veſtiendum pauperes: ſi novem menſes, ad mortuos pauperes ſepeliendum: ſi per duodecim menſès, ad omnia alia tributa cum civibus ſubeunda. Vide Gloſſam.

Vers. 15. Γῆ Ζαβουλὼν, καὶ γῆ Νεφθαλείμ.

Neceſſe eſt ut perpendantur verba *Eſajæ*, unde hæc deſumuntur. Egerat ille, Capite octavo ad finem, de anguſtiis & miſeriis, tranſgreſſores Legis & teſtimonii circumvallantibus.

 lantibus.

CAP. IV. VERS. 15,18.

lantibus. *Ad legem & teſtimonium*, &c. verſu 20. .ועבר בה נקשה ורעב *At ſi in eam* [id eſt, תורה & תעודה] *tranſgrediatur, duriter ei cedet, atque ille eſuriet*, &c. verſu 21. *Atque in terram reſpiciet, & ecce, Anguſtia, & tenebræ, caligo angoris, & propelletur ad tenebras*, verſu 22. Et tum ſequitur, Cap. 9:1. ,כי לא מועף לאשר מוצק לה *Nam non erit caligo ſimilis ei, quâ miſerè ei fuit, quo tempore prior* [afflictor] *leviter attigit terram Zebulun, & terram Nephthali, & poſterior graviter*, &c. *Populus iſte qui ſedit in tenebris vidit lucem magnam*, &c.

Illud, quod Propheta hîc vult, hoc eſt. I. Contemptores *Emanuëlis*, ac ſui teſtimonii, hoc eſt Euangelii, majorem longè calamitatem ſubituros, quàm ſubierant loca iſta, vel ſub primo victore, *Benhadado*, 1 *Reg.* 15:20. vel ſub poſteriore, Rege *Aſſyriæ*, 2 *Reg.* 15:29. Nam loca iſta lucem tandem viderunt ſibi reſtitutam, cùm Euangelium illic jam prædicaret *Meſſias*: at contemptores Euangelii in tenebras pelluntur æternas. II. Prædicit auroram libertatis, ac lucis Euangelicæ, illic orituram, ubi primæ captivitatis ortæ fuerant tenebræ, ac calamitates. Hæc citans *Matthæus*, ut adimpletam oſtenderet Prophetiam, de oritura illic iſta luce, ea omittit, quæ de priſtina calamitate agunt, primam ſcilicet verſiculi clauſulam, atque ea ſolùm, idque quàm aptiſſimè, adducit, quæ ad rem ſuam faciunt, quæque eò directè collimant ex intentione Prophetæ. Ejuſmodi decurtationem adhibet Propheta *Hoſeas*, Cap. 1:11. & 2:1. Cùm miſeros prædicat *Iſraëlem* & *Judam*, *Lo-Ammi* eos vocat, & *Lo-ruchamah*; cùm feliciores, *Ammi*, & *Ruchamah*.

Πέραν τοῦ Ἰορδάνου.

Non *Secus Jordanem*, ſed *Trans Jordanem*. Nam afflictor poſterior, Rex *Aſſyriæ*, regionem etiam iſtam in exilium & vincula abduxerat, 1 *Paralip.* 5:26. Eſt hîc Ellipſis conjunctionis, *Et*.

VERS. 18. Βάλλοντας ἀμφίβληστρον εἰς τὴν θάλασσαν.

מחכין בימה של טבריה Talmudicè, in *Bava Kama*, ubi ante. Somniatur illic à patribus Traditionum, *Joſuam* filium *Nun*, decem jura Iſraëlitis dediſſe, de communitate in rebus quibuſdam licitâ & permittendâ. .ת״ר י׳ תנאין התנה יהשוע *Tradunt Rabbini noſtri, Joſhuam decem conditiones inſtituiſſe*: :שיהו מרעין בחורשין, *ut indifferenter pecudes paſcant in locis ſaltuoſis*: ומלקטין עצים בשדותיהם, *Et ut indifferenter quis colligat ligna ex agro proximi*, &c. Inter alia, ומחכין בימה של טבריה, *Et ut indifferenter quivis retia pandat ad piſcationem in mari Tiberiadis*. At tamen ſub hac cautione, שלא יפרוס קלע ויעמיד את הספינה, *Nè maceriem aliquam ſtruat, quæ remora ſit navibus.* Gloſſa, *Moris eſt piſcatoribus ſudes figere in aqua, & ſepes ſtruere è cannis aut calamis, in quibus capiantur piſces: at hoc non permittitur, quia eſt impedimento ratibus.* Utcunque ergò mare *Tiberiadis* pertineret ad Tribum *Nephtaliticam*, permiſſum tamen fuit cuivis Iſraëlitæ in eo piſcari, modò ſub dicta conditione.

CAP. IV. VERS. 19,21, 23.

VERS. 19. Ἁλιεῖς ἀνθρώπων.

Conſona aliquantùm eſt hæc Phraſiologia cum iſta *Maimonidæ* in *Talm. Torah*, cap. 1. :שלא ישכח דבר מדברי רייני תורה

VERS. 21. Ἰάκωβον τὸν τοῦ Ζεβεδαίου.

Occurrit Rabbinus quidam ipſiſſimi hujus nominis, in *Hieroſ. Maaſar Sheni*, fol. 55.2. .ר׳ יעקב בר זבדי *R. Jacob filius Zabdi.*

VERS. 23. Διδάσκων ἐν ταῖς συναγωγαῖς αὐτῶν.

Cùm frequentiſſima ubique occurrat mentio apud paginas Euangelicas de Synagogis, neceſſumque ſit mores atque inſtituta Synagogarum clariùs aliquantùm cognoſcere, ut plurima, quæ eò referuntur in Novo Teſtamento, lucidiùs intelligas: hiſtoriam earum ἐν ἐπιτομῇ, quantum fieri poterit, hîc expediamus, ubi primùm occurrit mentio Synagogarum.

§. *De Synagogis.*

I. Non formata eſt alicubi Synagoga, niſi ubi eſſent decem literati, ex profeſſo ſtudioſi Legis. 1. Obſervetur illud Talmudicum *Megillah*, cap. 1. halac. 3. איזה עיר גדולה, *Quænam eſt civitas magna?* כל שיש בה י׳ בטלנין, *Ea, in qua erant decem homines otii.* פחות מכאן הרי זה כפר, *Si hoc numero minùs, ecce, eſt villa.* II. Illud *Maimonidæ Tephillah*, cap. 11. *Ubicunque ſunt decem ex Iſraële, ibi neceſſe eſt ut ædificaretur domus, ad quam ſe recipiant ad orationes tempore precum: & domus hæc vocatur Synagoga.* Non quòd quilibet decem ex *Iſraële* conſtituerent Synagogam; ſed, ubicunque ſunt decem literati & ſtudioſi Legis, vocabantur hi בטלנין, *viri otii*, qui non pro deſidibus atque otioſis ſunt habendi, בטלנין ממלאכתן ועוסקין בצרכי ציבור, ſed *quibus* [utpote qui rebus mundanis non perplexi fuerunt] *vacavit res Synagogæ tantùm curare, atque incumbere ſtudio Legis.*

Ratio

Digitized by Google

CAP. IV. VERS. 23.

Ratio numeri denarii, macilenta quidem ſatis ac inanis, redditur in *Sanhedr.* cap, 4. halac. 6. Eaque hæc eſt, עדה היא עשרה, *Congregatio conſtat è decem*, quod indè probant, quòd dicatur, עד מתי לעדה הרעה הזאת, *Uſque quò congregationi huic malæ*, &c. [Numer. 14:27.] *Joſuam deme ac Calebum, & reſtant tantùm decem*, nempe, ex exploratoribus terræ.

II. Ex his Decemviris, I. Tres Magiſtratum geſſerunt, & vocabantur, בד׳ של שלשה, *Conſeſſus triumviralis:* quorum erat, de litibus inter membra Synagogæ emergentibus determinare, & res alias curare Synagogæ. Judicabant hi de rebus pecuniariis, furtis, damnis, reſtitutionibus, de virgine rapta, de homine virginem alliciente, de admiſſione Proſelytorum, Χειροθεσίᾳ, variiſque aliis, de quibus vide *Sanhedr.* cap. priùs allegato, halac. 1, 2. Hi meritò & propriè vocabantur Ἀρχισυνάγωγοι, quippe quibus incubuit ſumma rerum cura & ſumma poteſtas. II. Præter hos erat *publicus Synagogæ miniſter*, qui oravit publicè, & curavit de lectione Legis, & conciones aliquando habuit, ſi non eſſet alius, qui hoc munere fungeretur. Hic vocabatur, שליח ציבור, *Angelus Eccleſiæ*, &, חזן הכנסת, *Epiſcopus congregationis.* Rationem nominis reddit *Aruch*; *Chazan* (inquit ille) *eſt*, שליח צבור, *Angelus Eccleſiæ*, (vel *publicus miniſter*) *& Targum reddit vocem* רואה, *per vocem* חוזה שהוא צריך לראות היאך יקרא והיאך קורא בני אדם מקראות בתורה:, *Nam ei incubuit ſupervidere quomodo Lector legit, & quoſnam ille evocaret ad legendum in Lege. Publicus Synagogæ miniſter* non ipſe Legem publicè legit; ſed unoquoque Sabbato ſeptem è Synagoga evocavit, (aliis diebus pauciores) quos ille idoneos judicabat ad legendum. Legenti ipſe aſtitit, ſummâ curâ obſervans, nè quid falsò aut incongruè legeretur, revocanſque, corrigenſque ſi quid lapſum, hinc ejus denominatio, חזן, id eſt, Ἐπίσκοπος, vel *Supervisor.* Leniori certè ſuſurro determinatum eſſet de ſignificatione vocis *Epiſcopi*, atque *Angeli Eccleſiæ*, ſi ad proprios fontes fuiſſet recurſum, & non inaniter diſputatum de ſignificatione vocum, neſcio unde deſumptâ. Abrogatâ Templi Liturgiâ & cultu, utpote ceremoniali, cultum atque publicam Dei adorationem in Synagogis, quæ quidem moralis erat, Deus in Eccleſiam tranſplantavit Chriſtianam, publicum ſcilicet miniſterium, orationes publicas, lectionem verbi divini, ac prædicationem, &c. Hinc ipſiſſima nomina miniſtrorum Euangelii, *Angelus Eccleſiæ*, atque *Epiſcopus*, quæ miniſtrorum in Synagogis. III. Tres etiam erant Diaconi, vel eleemoſynarii, quibus cura pauperum, atque hi vocabantur *Parnaſin*, vel *Paſtores.* Atque hi ſeptem fortè reputandi ſunt, שבעה טובי העיר, *Septem boni viri civitatis*, de quibus frequens memoria apud Talmudicos.

De his *Parnaſin* hæc tantùm adducemus.

Duo erant qui eleemoſynam exigebant ab oppidanis, atque hi vocabantur, שני גבאי צדקה, *Duo exactores eleemoſynæ:* ועוד אחד כדי שיהיו ג״ לחלק צדקה, *quibus etiam addebatur tertius ad ejus diſtributionem.* Maimon. *in* Sanhedr. *cap.* 1.

Hieroſ. Peah, fol. 21. 1. *R. Chelbo nomine R. Ba bar Zabda dicit, Non conſtituunt pauciores quàm tres Parnaſin. Nam ego video judicia pecuniaria tranſigi à tribus; multò ergò magis hæc, quæ vitam ſpectant. R. Joſi nomine R. Jochananis dicit, Non conſtituunt duos fratres Parnaſin. Ivit R. Joſi Chepharam, volens illic collocare ſuper eos Parnaſin, at illi non receperunt. Abiit, hæc coram illis locutus, Ben Bebas præpoſitus fuit tantùm filato,* (linteo lampadum) *& dignus tamen habitus eſt, qui cum claris iſtius ſeculi viris connumeretur,* (vide *Shekalim*, cap. 5.) *vos, qui vitis hominum præpoſiti eſtis, quantò magis? R. Chaggai, cùm Parnaſin conſtitueret, arguebat iis ex Lege, omnis dominatio, quæ datur, datur à Lege. Per me reges regnant. R. Chajia bar Ba* מקים ארכונין, *Præfecit* Ἄρχοντας, id eſt, *conſtituit Parnaſin. R. Lazar fuit Parnas.* Fax hinc forſan præfertur verbis iſtis Apoſtoli, 1 *Tim.* 3:13. *Qui bene Diaconatum geſſerunt, gradum ſibi bonum acquiſiverunt:* id eſt, fideles exiſtentes in curâ ſua & proſpectione in pauperes, quoad vitam eorum corporalem, candidati bene eſſe poſſunt ad curam animarum. Nam cùm *Parnaſin* iſti, uti & totus Decemviratus, literati fuerint & ſtudioſi, à cura corporum ad animarum meritò poterant promoveri. Ejuſdem doctæ & ſtudioſæ claſſis reputandi etiam ſunt Diaconi Apoſtolici. Et jam à Synagogis ad Eccleſias Chriſtianas, in hiſtoria N. Teſtamenti oculos aliquantùm convertamus. Cùm Romani Judaïcas Synagogas legibus ſuis ac proprio regimine uti permiſerint, eccur, quæſo, Apoſtolicis Eccleſiis non eadem tolerantia? Nihil adhuc diſcriminis ſtatuerat cenſura Romana inter Synagogas Judæorum Judaïzantes, & Synagogas vel Eccleſias Judæorum Chriſtianas: nec, illas legibus ſuis vivere permittens, has prohibebat. Non vereor ergò ego aſſerere Eccleſias iſtius primævi ſeculi ſibi ipſis defuiſſe, ſi non eandem regiminis libertatem aſſumerent ſibi, quâ per Romanos uti licuit Synagogis Judaïcis. Nec ſine hoc fundamento dictum illud arbitror ab Apoſtolo, 1 *Cor.* 6:2, 3, &c. Hâc ergo regiminis proprii poteſtate permiſſâ, ſi modò quod licuit frui vellent, quantâ facilitate intelligi poſſunt verba Apoſtoli, quæ tam doctos torſerunt, dicam? an ab iis torta ſunt,

CAP. IV. VERS. 23.

1 *Tim.* 5 : 17. Οἱ καλῶς προεστῶτες πρεσβύτεροι, &c. IV. Octavum ex hoc decemviratu תורגמן reputare poſſumus, id eſt, *Interpretem* in Synagoga, qui linguarum peritus, atque legenti in lege adſtans, verſiculatim ea vernaculè reddidit, quæ lecta ſunt è fonte Hebræo. Interpretis hujus officium, officiique ejus regulas copiosè legas, in *Megillah*, cap. 4. *Maimon.* in *Tephillah*, cap. 12, &c. *Maſſecheth Sopherim*, cap. 10, &c. alibique. Deductum ejus uſum arbitrantur uſque à temporibus *Ezræ*, meritòque. *Hieroſ. Megillah*, fol. 74. 4. "ויקראו בספר תור' זה המקרא וגו', *Et legerunt in libro Legis: Is fuit textus.* מפורש זה תרגום, *Explanatè: Illud fuit Targum.* ושום שכל אילו טעמים, *Et apposuerunt intellectum: Iſti ſunt accentus.* ויבינו במקרא זה המסורת, *Et intellexerunt textum: Iſta fuit Maſoreth.* Vide *Nehem.* Cap. 8 : 8. vide etiam *Buxtorf. Tiberiad.* cap. 8. V. Nonum & decimum è triumviratu quem nominemus, non eſt in promptu: *Scholarcham Theologicum, ejuſque interpretem*, eos eſſe ſupponamus, de quibus alibi copioſior erit anſa diſquirendi. Tantum de capite Synagogæ, literato iſto decemviratu, qui & corpus etiam erat Synagogæ repreſentativum.

III. Dies, quibus in Synagoga conventum eſt, fuerunt Sabbatum, & dies ſecundus, quintuſque uniuſcujuſque ſeptimanæ. De Sabbato nulla quæſtio. Inſtitutionem dierum ſecundi & quinti referunt ad *Ezram*: *Ezra*, inquiunt, *decrevit decreta decem. Inſtituit publicam Legis lectionem diebus hebdomadis ſecundo & quinto, itemque Sabbato ad Minchah. Inſtituit ille ablutionem Gonorrhæis. Inſtituit ille ſeſſionem Judicum in civitatibus diebus hebdomadis ſecundo & quinto*, &c. *Hieroſ. Megillah*, fol. 75. 1. *Babyl. Bava kama*, fol. 82. 1.

Hinc forſan elucet quo ſenſu intelligendum ſit illud, *Act.* 13: 42. Παρεκάλουν τὰ ἔθνη εἰς τὸ μεταξὺ σάββατον λαληθῆναι αὐτοῖς τὰ ῥήματα ταῦτα, id eſt, Diebus intercurrentis hebdomadæ, quibus conventum eſt in Synagoga.

IV. Ædificabantur antiquitùs Synagogæ in agris. *Babyl. Beracoth*, fol. 2. 1. *Ad recitationem Phylacteriorum veſpertinam adjungendæ ſunt duæ oratiunculæ præcedaneæ, & duæ ſubſequentes.* Ubi ſic Gloſſa, *Orationem iſtam* (יראו עינינו) *inſtituerunt Rabbini, ut collegas ſuos retinerent in Synagoga. Atque hoc certè Synagogas eorum tunc temporis reſpexit, eò quòd in agris ſitæ erant ubi poſſent periclitari.* Sic etiam *Rabbenu Aſher* in eundem Tractatum, fol. 69. 3. *Ab antiquo, Synagogæ eorum erant in agris: metuebant igitur illic commorari uſque ad finitas preces veſpertinas. Inſtitutum eſt igitur, ut verſiculos quoſdam recitarent, in quibus compacta erat ſummula omnium octodecim orationum: poſt quos recitanda erat oratio iſta*, יראו עינינו.

CAP. IV. VERS. 23.

At reduxerunt tempora ſubſequentia Synagogas ſuas ut plurimum in urbes: cautumque eſt Canonibus acutis, ut in altiſſimo urbis loco ædificaretur Synagoga, & nè eâ altius aliqua domus culminaret.

V. Pari cautela proviſum eſt, ut unuſquiſque, temporibus orationum ſtatis, frequentaret Synagogam. *Maimon.* in *Tephillah*, cap. 8. *Orationes Congregationis non reſpuit Deus, etiamſi mixti illic adſint peccatores. Neceſſe eſt ergò, ut homo Congregationi ſe aſſociet, & nè ſolus oret, cum datur opportunitas orandi cum Congregatione. Accedat ergo unuſquiſque manè & veſpere, ad Synagogam. Et, ſi cui ſit Synagoga in urbe ſua, ille autem in ea non orat cum Congregatione, vocatur ille*, שכן רע, *vicinus malus.* Et cap. 6. *Prohibetur Synagogam præterire, tempore orationum, niſi quid oneris in dorſo portet: aut niſi ſint plures in eadem urbe Synagogæ, nam tum cenſeri poteſt, ad aliam eum proficiſci: aut niſi ſint duo oſtia in Synagogam; nam, præterito uno, per aliud eum introiturum eſſe, cenſeri poteſt. Si verò capite geſtet Phylacteria, tum præterire ei eſt permiſſum, eo quod illa teſtentur non immemorem eum eſſe Legis.* Deſumpta ſunt hæc ex *Babyl. Beracoth*, fol. 8. 1. ubi & hæc adduntur. *Dicit ſanctus benedictus, quicunque incumbit ſtudio Legis, & retributioni miſericordiæ, & quicunque orat cum Synagoga, reputo ego de eo, ac ſi me filioſque meos redimeret à nationibus mundi. Et quicunque non orat cum Synagoga, vocatur vicinus malus, ſicut dicitur, Sic dicit Dominus de omnibus vicinis meis malis*, &c. Jerem. 12: 14.

VI. Cùm conventum eſt in Synagoga die Sabbati, (nam, hoc obſervato, non opus eſt ut de aliis diebus quid loquamur) inceptis ſacris, ſeptem, quos ſibi viſum eſt evocare, evocat Miniſter Eccleſiæ, lecturos ordine ſuo Legem. Sacerdotem primò, deinde Levitam, ſi modò adeſſent, & poſt hos quinque Iſraëlitas. Hinc eſt, ô tyro in Hebraïcis, quòd in editionibus nonnullis Bibliorum Hebræorum, vides ad marginem Pentateuchi aſcribi, 1. כהן. 2. לוי. 3. שלישי. 4. רביעי. 5. חמישי. 6. ששי. 7. שביעי, denotato per hæc verba lectorum ordine, & portione ab unoquoque lectâ indè emenſuratâ. Sic evocatum ab Angelo Eccleſiæ *Nazarethanæ* arbitror Chriſtum, *Luc.* 4. *verſ.* 16. legentemque pro more, ut membrum iſtius Synagogæ.

Non opus eſt ut memoremus fuſas publicè pro toto cœtu ab *Angelo Eccleſiæ* preces, cœtùmque unicuique orationi reſpondentem, *Amen*: & nimium eſſet preces iſtas ſingulatim enumeratas recitare. Sat notum eſt omnibus,

præcipua

CAP. IV. VERS. 23. præcipua in Synagoga opera fuiſſe preces, & lectionem Legis ac Prophetarum; utraſque ſub cura *Angeli Synagogæ.*

At nonne ab eo, aut ab aliquo alio, habitæ ſunt etiam conciones in Synagoga?

I. Videtur fuiſſe Catechizatio puerorum in Synagoga. Perpende quid ſibi velit illud, *Babyl. Berac.* fol. 17. 1. נשים במאי זכיין, *Quodnam privilegium fœminarum?* באקרויי בנייהו לבי כנישתא, *Hoc, quod legant filii earum in Synagoga.* באתנויי גבריהו בי רבנן, *quòd recitent mariti earum in ſchola Doctorum:* ubi ſic Gloſſa, *Pueri ſcholares ſoliti ſunt erudiri* (vel *diſcere*) *coram Magiſtro ſuo in Synagoga.*

II. *Targumiſta*, vel *interpres*, qui legenti in Lege aſtans, ex Hebræo fonte in vernaculam reddidit quod lectum, licentiâ aliquando uſus eſt exſpatiandi in Paraphraſim: exempla hujus rei occurrunt *Hieroſ. Biccurim*, fol. 65. 4. *Sanhedr.* fol. 20. 3. *Babyl. Beracoth*, fol. 28. 1. alibique: atque etiam in ipſo Chaldæo Paraphraſte.

III. Obſervetur illud Gloſſatoris in *Babyl. Schabb.* fol. 30. 2. היו באים לשמוע הדרשה נשים ועמי הארץ, *Convenire ſolitæ ſunt fœminæ, & vulgus, ut audirent expoſitionem*, vel *concionem.* At de quonam loco meliùs hoc intelligendum quàm de Synagoga? illo præſertim perpenſo, quod immediatè ſequitur, והיו צריכין דרשנין למשוך את לבבם, *Atque illis opus fuit expoſitoribus*, (vel *concionatoribus*) *qui corda eorum afficerent*: quod non admodum diſſimile eſt ei, quod dicitur *Actor.* 13:15. Εἰ ἐστὶ λόγος ἐν ὑμῖν παρακλήσεως πρὸς τὸν λαόν,

IV. Finitis in Synagoga ſacris, itur pranſum: & poſt prandium ad בית מדרש, Scholam, vel Eccleſiam, vel prælectionem Theologicam; utere quo libet nomine. Vocatur etiam non rarò apud Talmudicos, ציבור & כנסת, *Synagoga.* Forſan hoc ſenſu intelligenda eſt, כנישתא עילייתא, *Synagoga ſuperior*, de qua mentio *Hieroſ. Schabb.* fol. 3. 1. ſi modò pro Synhedrio non ſit ſumenda.

Hoc loco Doctor aliquis prælegit auditoribus aliquid traditionale, atque expoſuit. בית המדרש ששם שונין משנה וגמרא, *In Beth Midrash docuerunt Traditiones, atque earum expoſitionem.* Gloſſa in *Babyl. Berac.* fol. 17. 1.

Tria ſunt, de ritibus hoc loco uſitatis, obſervanda.

I. Ille, qui prælegit auditoribus, non clarâ voce effatus eſt, ſed leni ſuſurro in aure cujuſdam muſſitavit, atque ille ſonorè toti populo enuntiavit. Ità ut hic Doctor interpretem ſuum hoc ſenſu habuerit, æquè ac lector Legis ſuum in Synagoga. *Babyl. Joma*, fol. 20. 2. *Ivit Rabb ad locum R. Shillæ*, ולא הוה אמורא למיקם עליה, *& non affuit interpres, qui adſtaret R. Shillæ: Rabb ergò ei aſtitit*: ubi Gloſſa, לא הוה אמורא, id eſt, מתורגמן, *Non adfuit interpres, qui coram Doctore prælegente ſtetit*: והחכם לוחש לו לשון עברית, *Et Doctor inſuſurravit ei in aure Hebraicè, atque ille populo reddidit vernaculè.* Huc ſpectat illud Salvatoris, *Matth.* 10: 27. *Quod in aure auditis, prædicate ſuper tecta.* Vide ibid. CAP. IV. VERS. 23.

II. Uſitatum eſt hoc loco, atque in his exercitiis, proponere quæſtiones. In memorabili iſta hiſtoria de amotione *Rabban Gamalielis Jafnenſis* à præfectura ſua, quæ occurrit *Hieroſ. Beracoth*, fol. 7. 4. & *Taanith*, fol. 67. 4. & *Babyl. Beracoth*, fol. 27. 2. cùm conventum eſſet in *Beth Midrash*, עמד השואל ושאל, *Proſtat quærens, & quærit, Oratio Veſpertina numnam ex officio, an ex arbitrio?* Et paucis interjectis lineis occurrit mentio Interpretis, *Obmurmuravit totus cœtus, & dixit τῷ Hotſpith Interpreti, Tace, & tacuit*, &c.

III. Dum concionaretur interpres ab ore Doctoris, ſedit populus in terra. *Babyl. Sanhedr.* fol. 7. 2. *Ne incedat Judex ſuper capita populi ſancti*: Gloſſa, *Dum concionaretur interpres, ſedit* ציבור, *Synagoga* (vel *totus cœtus*) *in terra: & quicunque per medium eorum incederet, ut locum ſuum capeſſeret, viſus eſt ac ſi ſupra capita eorum incederet.*

Vocabulum Συναγωγὴ hoc ſenſu adhibitum aliquando in Novo Teſtamento tutò certè opineris, Chriſtumque in his Scholis Theologicis aliquando concionatum, æquè ac in Synagogis.

At quonam jure Chriſtus ab Archiſynagogis permiſſus concionari, filius fabri, atque educationis non literariæ? Num cuivis, illiterato, aut mechanico, indultum in Synagogis concionari; ſi modò illud auderet? Nequaquam: nam illic docere non permiſſum, niſi doctis. At duo præcipuè fuerunt, quæ Chriſto aditum ad concionandum in unaquaque Synagoga aperuerunt, fama ſcilicet ejus miraculorum; & quòd ſe præberet ducem ſectæ religioſæ. Utcunque enim Scribis & Phariſæis deriſui atque odio habebatur religio Chriſti ac diſcipulorum; inter religioſos tamen eos numerabant, eodem ſenſu quo Sadducæos, hoc eſt, diſtinctos à עם הארץ, à plebeis aut ſecularibus, quibus religio parùm curæ. Cùm ergò Chriſtus, inter religioſos habitus, adeò famâ miraculorum ac doctrinæ radiis ubique inclareſceret; nil mirum, ſi apud populum ardorem audiendi excitaret, atque apud Synagogarchas concionandi locum obtineret.

CAP. V. VERS. 3, 4, 5, &c.

CAP. V.

VERS. 3, 4, 5, &c. Μακάριοι, Μακάριοι, &c.

PRæcipitur *Deut.* 27. ut, ad ingreſſum populi in terram promiſſam, benedictiones & maledictiones denuntientur à montibus *Gerizim* & *Ebal*: enumeratis ſingulatim maledictionibus, at benedictionibus non ità. Quod non ſine myſterio fieri videtur, cùm maledictionem ſecum attulerit Lex; at, benedictionem qui allaturus, Chriſtus à longinquo adhuc fuerit venturus. Adeſt jam benedictiones proferens, idque in monte. Scriptores autem Judaïci rem iſtam ſic enarrant.

Sex Tribus aſcenderunt in verticem montis Gerizim, & ſex in verticem montis Ebal. Sacerdotes autem & Levitæ ſteterunt infrà cum Arca Fœderis; Sacerdotes Arcam cinxerunt; Levitæ cinxerunt Sacerdotes; & totus populus Iſraëliticus ſtetit hinc atque illinc: ſicut dicitur, Omnis Iſraël & Seniores, &c. [Joſh. 8: 33.] *Verſis ad montem Gerizim faciebus, à benedictione ſunt orſi*, Benedictus eſt vir, qui non fecerit Idolum, aut fuſile, &c. *Et hi & illi reſponderunt, Amen. Converſis ad montem Ebal faciebus, maledictionem pronuntiârunt*, Maledictus ſit vir, quicunque fecerit Idolum, aut fuſile: *& hi & illi reſponderunt, Amen.* Sic de cæteris. Et tandem, *Verſis ad Gerizim faciebus, à benedictione ſunt orſi*, Benedictus eſt vir, qui permanſerit in omnibus verbis Legis: *& utrinque reſponſum eſt, Amen. Obverſis ad Ebal faciebus, maledictionem pronuntiant*, Maledictus ſit quicunque non permanſerit in omnibus verbis Legis: *& utrinque reſponſum eſt, Amen*, &c. Talm. *in* Sotah, *cap.* 7. Toſapht. *in* Sotah, *cap.* 8.

Pari modo & hîc Chriſtus à benedictionibus orſus, *Beati*, *Beati*, maledictiones etiam intonat, *Væ*, *Væ*, &c. *Luc.* 6:24, 25, 26.

Quod de numero Beatitudinum octonario hîc commentantur multi, curioſitatis habet nimiùm, emolumenti parùm. Parallelum habet apud Judæos: ſic enim illi, *Traditur à Schola R. Eſaiæ ben Korchæ, Viginti beatitudines pronuntiari in libro Pſalmorum, pariterque vigeſies Væ in libro Eſaiæ. Ego verò dico, inquit Rabbi, viginti duas benedictiones eſſe ſecundùm numerum literarum viginti duarum.* Midr. Tillin *in* Pſalm. 1. & R. Sol. *in* Eſaj. 5.

Abrahamus benedictus eſt benedictionibus ſeptem. Baal Turin *in* Gen. 12.

Hi ſex benedicti ſunt, unuſquiſque benedictionibus ſex, David, Daniel cum tribus ſociis, & rex Meſſias. Targ. *in* Ruth. 3.

CAP. V. VERS. 8, 9, 17, 18.

VERS. 8. Μακάριοι οἱ καθαροὶ τῇ καρδίᾳ.

Audi, Phariſæe, cujus omnis laus in munditia externa. Quàm ſtolida eſt hæc gloriatio Judæi! *Veni & vide, inquit R. Simeon ben Eleazar, quouſque ſe extendit puritas Iſraëlitica: cùm non ſolum ſtatutum ſit, ut non comedat mundus cum immunda; ſed* [nè immundus cum immundo] *nè Phariſæus ſeminifluus cum ſeminifluo plebeio.* Babyl. Schabb. *fol.* 13. 1.

VERS. 9. Μακάριοι οἱ εἰρηνοποιοί.

הבאת שלום בין [אדם לחבירו], *Pacificatio inter vicinos* inter ea numeratur, quæ fructum bonum edunt in hac vita, atque uſum fructum in vita futura. *Peah*, cap. 1. halac. 1.

VERS. 17. Μὴ νομίσητε, ὅτι ἦλθον καταλῦσαι τὸν νόμον, &c.

I. De *Meſſia* fuit gentis opinio, eum quidem Legem novam editurum, at nullo modo in præjudicium aut nocumentum *Moſis* & Prophetarum: at verò *Moſaica* ad ſummum uſque apicem promoturum, & quæ prædicta ſunt a Prophetis impleturum, idque ſecundùm literam, ad ſummam uſque pompam.

II. Anſam ergò in Chriſtum cavillandi arripuerunt Scribæ & Phariſæi, ac promptè objecerunt illum verum *Meſſiam* non eſſe, quòd dogmata ſolveret traditionalia, quæ illi pro *Moſe* & Prophetis populo obtruſêre.

III. Iſti præjudicio occurrit ille hinc porrò pluribus argumentis. I. Se Legem non ſolvere, cùm Traditiones ſolveret; nam ideò veniſſe, ut Legem adimpleret. II. Aſſerere ſe, *Jota unum è Lege non periturum.* III. Introducere ipſum Legis obſervationem, Phariſaïcâ longè puriorem ac præſtantiorem: quod & uſque ad finem capitis confirmat, Legem explanans ad ſenſum ſuum genuinum ac ſpiritualem.

VERS. 18. Ἀμὴν γὰρ λέγω ὑμῖν.

I. Iſtiuſmodi aſſeveratio fuit genti uſitata, ſyllabis licèt aliquantùm immutatis. *Babyl. Beracoth*, fol. 55. 1. *Matrona quædam dixit* τῷ *R. Judah bar Allai, Facies tua ſimilis eſt porcorum altori, aut fœneratori. Cui ille*, הימנותא לדידי תרויהו אסירן *In veritate utrumque eſt mihi prohibitum.* Gloſſa, הימנותא, *Eſt Phraſiologia juramenti.*

II. At divino ſummè jure hâc utitur Salvator. I. Quia ipſe eſt *Amen*, *Teſtis fidelis*, *Apoc.* 3: 14. 2 *Cor.* 1: 20. Vide etiam *Eſaj.* 65:16.

CAP. V. VERS. 18. 65: 16. & *Kimchium*, ibidem. II. Quia ipſe Euangelium edidit, ſupremam veritatem *Joan.* 18: 37, &c. III. Divina ſua oracula hâc aſſeveratione meritò opponit inſolenti traditionalium Doctorum dementiæ, qui non rarò blaſphema & frivola ſua ſub hoc ſigillo publicârunt. באמת אמרו, *In veritate dicunt*: atque, *ubicunque hoc dicitur*, inquiunt, *eſt* הלכ למשה מסיני, *Traditio Moſis à Sinai.*

Ἰῶτα ἓν.

In eundem ferè ſenſum Gemariſtæ Hieroſolymitani, *Sanbedr.* fol. 20. 3. *Liber Deuteronomii veniens proſtravit ſe coram Deo, Dixitque, O Domine Univerſi, In me ſcripſiſti Legem tuam: jam vero teſtamentum vacillans in aliqua parte, vacillat in toto. Ecce, Solomon conatur è me extirpare Jod,* (in hoc ſcilicet textu לא ירבה נשים, Deut. 17: 7.) *Reſpondit Deus ſanctus benedictus, Solomon & mille ei ſimiles peribunt; aſt vocula de te non peribit. Dixit R. Honna nomine R. Achæ, Litera Jod, quam abſtulit Deus à nomine Sarai matris noſtræ, ex dimidia ejus parte data eſt Saræ, & ex parte dimidia Abrahamo. Traditio R. Hoshaiæ, Litera Jod veniens proſtravit ſe coram Deo, dixitque, O Domine æterne, Eradicâſti me è nomine ſanctæ iſtius fœminæ. Reſpondit Deus benedictus, Huc uſque fuiſti in nomine fœminæ, idque in fine,* (*videlicet* in Sarai) *hinc porrò eris in nomine viri, idque in initio. Hinc eſt quod ſcribitur, Et vocavit Moſes nomen Hoshææ Jehoshuam.* Babylonici etiam hanc tranſlationem τοῦ *Jod* è nomine *Sarai*, ad nomen *Joshuæ* ſic referunt. *Sanhedr.* fol. 107. 1. *Litera Jod, inquit Deus, quam excepi è nomine Sarai, ſtetit, & ad me clamavit quàmplurimos annos, uſquedum oriretur Joshua, cujus nomini eam addidi.*

Sempiternæ durationis literulæ hujus minutiſſimæ *Jod* exemplum habes in *Deut.* 32: 18. ubi in voce תשי, ſcribitur vel ſeipsâ minor, & tamen in hunc uſque diem & in perpetuum ſtat immortalis in ſtatu illo ſuo tam tenui.

In *Babyl. Taanith*, fol. 21. 2. memoratur urbecula quædam nomine דרוקרת, quæ ob parvitatem vocabatur *Jod* in Gloſſa. Et fol. 22. 2. Rabbinus quidam, nomine *Rabb Jod.* De litera *Jod* vide *Midr. Tillin* in *Pſalm.* 114.

Μία κεραία.

Apiculos, aut minutias literarum, videtur denotare, à quibus diſcrimen ſtatuitur inter literas cognatæ formæ. His exemplis res illuſtretur. *Hieroſ. Schabb.* fol. 10. 4. היה דלת ועשאו ריש ריש ועשאו דלת חייב, *Si fuerit Daleth, atque ille in Resh formaverit* (Sabbato) *aut Resh formaverit in Daleth, reus eſt.* *Tanchum*, fol. 1. 1. *Scribitur*, לא תהללו את שם קדשי, *Non profanabitis nomen meum Sanctum. Quicunque Cheth* ח *in* ה *commutaverit, deſtruit mundum.* (Nam hunc ſenſum tunc elicit, לא תהללו, Non laudabitis nomen meum Sanctum) *Scribitur* כל הנשמה תהלל יה, *Omnis ſpiritus laudet Deum. Quicunque* ה *in* ח *commutat, deſtruit mundum. Scribitur*, יכחשו ביהוה, *Mentiti ſunt in Jehovam. Quicunque* ב *in* כ *commutaverit, deſtruit mundum. Scribitur*, אין קדוש כיהוה. *Quicunque* כ *in* ב *commutat, deſtruit mundum. Scribitur*, יהוה אלהינו יהוה אחד, *Qui* ד *in* ר *commutat, deſtruit mundum.* CAP. V. VERS. 18.

Per Ἰῶτα verò & Κεραίαν, non nudas ſolùm literulas aut apiculos intellexiſſe Salvatorem ex verſ. 19. ſatis patet, ubi reddit, unum de *mandatis his minimis*: quo ſenſu eſt etiam illud apud *Gemaram Hieroſ.* de *Solomone* extirpante *Jod*; id eſt, præceptum illud, לא ירבה נשים evacuante. Et tamen hinc ſatis patet, etiam Salvatorem eòuſque incorruptam immortalitatem ac puritatem textûs ſacri aſſerere, ut non peritura ſit ulla ſenſûs ſacri particula, à capite Legis ad calcem.

Hæc verba *Salvatoris* perpendenti occurrit illorum ſententia, qui immutatum opinantur totum Legis Alphabetum, vel potiùs primævum ejus characterа periiſſe, *Samariticum* ſcilicet, in quo datam & ſcriptam primitùs Legem arbitrantur: atque ejus vice ſubliſſe eum, quo nos nunc Biblia legimus, *Hebræum.* Nos in quæſtione non exſpatiabimur; at liceat, bona cum Lectoris venia, Talmudica quædam adducere & trutinare, unde deſumpta primùm Chriſtianis, nî ego fallar, videtur hæc ſententia.

De hac re agit *Talm. Hieroſ.* in *Megillah*, fol. 71. 2, 3. his verbis: *Dicit R. Jochanan de Beth Gubrin, Quatuor ſunt linguæ nobiles, quibus utitur mundus: Vernaculâ ad cantum, Romanâ ad bellum, Syriacâ ad luctum, Hebræâ ad elocutionem: & ſunt qui dicunt, Aſſyriacâ ad ſcripturam. Aſſyriaca ſcripturam* (id eſt, literas, vel characteres) *habet, ſed linguam non habet. Hebræa linguam habet, ſed ſcripturam non habet. Elegerunt ſibi linguam Hebræam charactere Aſſyriaco. Quare autem vocatur*, אשורי? שהוא מאושר בכתבו, *Ideò quòd eſt benedicta* (vel *directa*) *in ſcriptione ſua. R. Levi dicit, Ideò quòd aſcendit in manus eorum ex Aſſyria.*

Traditio R. Joſi dicit, Idoneus fuit Ezra, per cujus manum Lex dari potuiſſet, nî præveniſſet ætas Moſis. Quamvis autem per manum ejus Lex non daretur, ſcriptura tamen (id eſt, literarum formæ) *& lingua per ejus manum datæ ſunt.* Et ſcriptura epiſtolæ ſcripta erat Syriacè, & reddita Syriacè, (*Ezræ* 4: 7.) Et non potuerunt legere ſcripturam (*Dan.* 5. *verſ.* 8.) *Ex quo oſtenditur ſcripturam*, id eſt, characterum vel literarum formam, *eo ipſo die datam fuiſſe. R. Nathan dicit, Lex data eſt in confractione*

Digitized by Google

confractione [id eſt, literis rudioribus, disjunctioribus] *Et res eſt, ut R. Joſi.* *Rabbi* [Judah haccadosh] *dicit, Legem datam eſſe Aſſyriacè, cùmque peccarent, verſam eſſe in confractionem. Cùmque in diebus Ezræ digni eſſent, verſam eſſe illis iterum in Aſſyriacam.* Oſtendo hodie me redditurum tibi משנה, duplicatum, vel, quaſi dicat, ſecundatum, *Zachar.* 9: 12 Et conſcribet ſibi ipſi Mishneh [duplicatum] hujus Legis in libro, [*Deut.* 17: 18.] *Scripturâ ſcilicet, quæ erat immutanda. R. Simeon ben Eleazar dicit, nomine R. Eliazar ben Parta, iſque nomine R. Lazar Hammodaæi, Lex data eſt ſcripturâ Aſſyriacâ. Unde probatur? Ex iſtis verbis,* ווי העמודים. (*Exod.* 27: 10.) שיהו ווים של תורה דומים לעמודים, *ut litera Vau in Lege ſit ſimilis columnæ.* Sic Hieroſolymitani.

De eadem re agitur in *Babyl. Sanhedr.* fol. 21. 2. & 22. 1. & iiſdem fere verbis, his etiam ſuperadditis: *Data eſt Lex Iſraëli ſcripturâ Hebræâ, & linguâ ſanctâ. Dataque eſt iis iterum in diebus Ezræ ſcripturâ Aſſyriacâ, & linguâ Syrâ. Elegerunt ſibi Iſraëlitæ ſcripturam Aſſyriacam & linguam ſanctam.* והניחו להדיוטות כתב עברית ולשון ארמית, *Scripturamque Hebræam & linguam Syriacam reliquerunt Idiotis.* מאן הדיוטות, *Quinam autem ſunt iſti Idiotæ? Rabb Chaſda dicit* כותאי, *Samaritani. Et quænam eſt ſcriptura Hebræa? Rabb Chaſda dicit,* כתב ליבונאה, (Gloſſa) *Literæ majuſculæ, quales ſunt iſtæ, quæ amuletis inſcribuntur, vel poſtibus.*

Ut mentem Rabbinorum hîc capiamus aliquantùm, obſervetur.

I. Per *linguam vernaculam* (ſeparatim nominatis *Hebræâ, Syrâ, Romanâ*) non aliam certè intelligi poſſe quàm *Græcam*, nos oſtendimus ad Capitis primi verſum viceſimum tertium.

II. Eam, quam Gemariſtæ כתב עברי vocant, quamque nos voce notiſſimâ, *Scriptionem Hebræam* interpretati ſumus, non ideò עברי appellari, quòd hæc Iſraëlitarum propria eſſet, aut antiqua ſcriptura, ſed (ut aptiſſimè Gloſſa) כתב עברי של בני עבר הנהר, quòd *ſcriptura*, vel *character*, *fuerit in uſu Trans-Euphratenſibus.* Eodem ſenſu, quo *Abrahamum* עברי appellatum aliqui volunt, id eſt, *Trans-amnanum.*

In unam linguam, *Syriacam* veterem, coaluerunt multæ gentes, Chaldæi, Meſopotamiani, Aſſyrii, Syri. Ex his fuerunt quidam filii *Semi*, quidam *Chami.* Quamvis omnibus eadem lingua; non mirum, ſi non omnibus eædem literæ. *Aſſyrii* atque *Iſraëlitæ* ad *Semum* originem ſuam referunt; his ſcriptura *Aſſyriaca*: filiis *Chami*, *Trans-Euphratenſibus*, alia; ea forſan quæ nobis jam dicitur *Samaritica*, quâ uſi ſunt etiam fortaſſis filii *Chami*, *Cananæi.*

III. Datam à *Moſe* Legem literis *Aſſyriacis*, nonnullorum (ut vides) eſt Talmudicorum ſententia, atque ea quidem longè ſanior. Nam conſcriptam Legem divinam characteribus ſemini maledicto *Chami* propriis autumari, nec dignitati Legis quidem eſt congruum, nec ipſi certè rationi. Immutatos Legis characteres fatentur ii quidem, qui maternam ſcripturam aſſerunt fuiſſe *Aſſyriacam*; at hoc, ob peccatum populi & per negligentiam. Cùm enim ſub Templo ſecundo in mores *Canaaniticos* degenerarent *Iſraëlitæ*, literis *Canaaniticis* fortè ſunt uſi, quæ & eædem cum *Trans-Euphratenſibus.* Hæc eorum verba rem extra aleam ponunt; *Scripturâ Aſſyriacâ data eſt Lex Iſraëli in diebus Moſis; cùm autem peccarent ſub Templo primo, Legemque contemnerent, verſa iis eſt in confractionem.*

Itaque, ſecundùm horum ſententiam, ſcriptura *Aſſyriaca* fuit originalis Legis, duravitque, obtinuitque uſque ad degenerem ætatem ſub Templo primo. Tunc temporis immutatam eam opinantur in *Trans-Euphratenſem*, vel *Samariticam*; vel, ſi vis, *Cananæam*, ſi hæ modò non una eademque: at reſtitutam ab *Ezra* tandem in primævam *Aſſyriacam.*

Miror ego certè viros doctos tantum huic traditioni attribuiſſe, (nam unde aliàs opinionem ſuam hauſerint, non intelligo) ut primitivam Legis ſcripturam *Samariticam* fuiſſe arbitrentur: cùm quod de characterum immutatione aſſerunt Gemariſtæ, tam fragili ac labanti nitatur fundamento, ut probabiliùs longè ſit nullam omninò fuiſſe immutationem, (ſed Legem *Aſſyriacè* primitùs à *Moſe* ſcriptam, ac *Aſſyriacè* etiam ab *Ezra*) eò quòd firmioribus argumentis aſtrui ac ſtabiliri non poſſit immutatio.

De *Keri* & *Cetib* ſubire poterat quæſtio ſecunda: & textum Legis ad Ἰῶτα ἓν ϗ μίαν κεραίαν ſartum tectum non fuiſſe conſervatum, oriri ſimul poterat ſuſpicio, cùm tam numeroſè occurrant variæ lectiones. Nos de hac re hæc paucula tantùm reponemus ad penſum revocati.

I. In *Hieroſ. Taanith*, fol. 68. 1. hæc traduntur; ג"ספרים מצאו בעזרה, *Tres libros invenerunt in atrio:* ספר מעוני, *Librum* מעוני. *Librum* זעטוטי, & *Librum* היא. באחד מצאו כתוב מעון אלהי קדם, *In uno invenerunt ſcriptum,* מעון אלהי קדם, *At in duobus ſcriptum,* מעונה אלהי קדם, (*Deut.* 33. *verſ.* 27.) קיימו שנים וביטלו אחד, *Approbârunt* (vel *ſanxerunt*) *iſtos duos, at iſtum unum rejecerunt. In uno invenerunt ſcriptum,* וישלח ארת זעטוטי בני ישראל, *At in duobus ſcriptum*

CAP. V. VERS. 21. *ſcriptum*, וישלח את־נערי בני ישראל, Exod. 24:5. *Duos iſtos ſanxerunt ; aſt iſtum unum rejecerunt. In uno invenerunt ſcriptum*, תשע הי״א, *At in duobus ſcriptum*, אחת עשרה היא, *Duos iſtos ſanxerunt , aſt iſtum unum rejecerunt.*

Suſpicor ego valde, hos tres libros in atrio repoſitos, triplici cœtui *Judæorum* reſpondiſſe, in *Judæa* ſcilicet, *Babylonia*, & *Ægypto*, unde exemplaria hæc ſingulatim deſumpta. Nam utcunque per totum ferè terrarum orbem diſſeminata eſſet iſta natio, innumeris tamen numeris, ac cumulis, in tribus his regionibus copioſiùs crevit, quàm alibi uſpiam: in *Judæa*, ob reduces è *Babylonia*; in *Babylonia*, ob non redeuntes; atque in *Ægypto*, ob Templum *Oniæ*. Duo exemplaria conſentientia opinor è *Judæa* fuiſſe ac *Babylonia*, diſſentiens ex *Ægypto*: atque hoc poſtremum ex hoc ſuſpicor, quòd vox, זעטוטי, Septuaginta Interpretes oleat, quibus *Judæi Ægyptii* ex ipſo jure loci favere magis judicari poſſunt, quàm alibi ulli. Nam à Scriptoribus *Judaïcis* aſſeritur, זעטוטי, unam fuiſſe ex immutationibus iſtis, quas in textum ſacrum invexerunt Septuaginta. *Maſſecheth Sopherim*, cap. 1. art. 8.

II. Compactum ergò *Keri* & *Cetib*, maximè probabile eſt, ex collatione duorum exemplarium ſummæ autoritatis; *Judaici* ſcilicet, & *Babylonici*: quæ cùm tot locis in apicibus quibuſdam ſcriptionis inter ſe diſcreparent, at, quod ad ſenſum, parùm aut omninò nihil; ſaniſſimo conſilio eſt cautum, ut utraque reſervaretur, ita ut utrique codici ſua reſervaretur etiam dignitas, & textui ſacro ſua puritas & plenitudo, dum *ἰῶτα ἓν ἢ μία κεραία* non periret.

VERS. 21. *Ἠκούσατε.*

Audiviſtis. Id eſt, Traditione accepiſtis. *Sanhedrin*, cap. 11. halac. 2. אם שמעו אמרו להם, *Si audiverunt*, id eſt, Traditione didicerunt, *dicunt iis.*

מפי השמועה למדו, *Auditione didicerunt*; id eſt, Traditione: frequentiſſimè apud *Maimoniden.*

Ὅτι ἐῤῥέθη τοῖς ἀρχαίοις.

Id eſt, *Vetus eſt Traditio.* Nam particulæ Legis, quæ hîc citantur à *Salvatore*, non adducuntur ut nuda verba *Moſis*, ſed ut veſtita gloſſematibus Scribarum; quod præ aliis planiſſimè patet *verſ.* 43. ſatiſque etiam in hac allegatione prima, ubi verba iſta, *Et quicunque occiderit, reus erit judicio*, fucum præ ſe ferunt traditionalem, talemque, prout in ſequentibus obſervabimus, qui Legem ipſam omninò decolorat atque irritam facit. Si quæratur, cur Antiquos memoret *Chriſtus*? Reſponderi poſſet, venerandam apud populum fuiſſe Patrum Traditionum vetuſtiorum memoriam. Reverendum nomen τῶν חסידים ראשונים, & חכמים ראשונים: elegiſſe ergò *Chriſtum* dogmata & gloſſemata iſtorum confutare, ut inanitatem Traditionum clariùs argueret, cùm clariſſimos redargueret. Sed planus eſt ſenſus quem adduximus, atque abſque nodo, quaſi dicat, *Vetus eſt Traditio*, quæ per multa ſecula obtinuit.

CAP. V. VERS. 22.

VERS. 22. *Ἐγὼ δὲ λέγω ὑμῖν.*

Ego verò dico vobis] ואני אומר: Confitantis eſt, vel quæſtionem determinantis, frequentiſſimè apud Scriptores Hebræos.

Huc meritò adducas *Eſajæ* illud *Cap.* 2. *verſ.* 3. *Docebit nos, &c.* ubi ſic *Kimchius*, המורה הוא מלך המשיח, *Doctor hic eſt rex Meſſias.*

Et illud *Zachariæ*, *Cap.* 11. *verſ.* 8. ubi magnus hic Paſtor tres malos Paſtores malè perdit, *Phariſæum* ſcilicet, & *Sadducæum*, & *Eſſenum.*

Ὅτι πᾶς ὁ ὀργιζόμενος τῷ ἀδελφῷ αὐτοῦ εἰκῇ, &c.

Agamus primùm de verbis, dein de ſententiis.

Fratri ſuo. Inter *Fratrem* & *Proximum* ſic diſtinguunt Scholæ Judaïcæ; ut *Frater* Iſraëlitam genere & ſanguine ſignificet; *Proximus* Iſraëlitam religione & cultu, hoc eſt, Proſelytum. Autor *Aruch*, in voce בן ברית, *Filii fœderis*, *hi Iſraël. Et cùm dicit Scriptura, Si cornu ferierit bos cujuſpiam bovem proximi, excludit omnes Ethnicos, eò quòd dicit, Proximi.* Maimonides *in* רוצח, *cap.* 2. *Idem eſt occidere Iſraëlitam & ſervum Cananæum: pro utroque mulctabitur morte. At Iſraëlita, qui occiderit* גר תושב, *Advenam inquilinum, morte non mulctabitur, ideò quòd dictum eſt, Quicunque ſuperbè inſurrexerit* in proximum *ad occidendum eum*; Exod. 21:14. *Et ſupervacaneum eſt dicere, non morte mulctabitur pro occidendo Ethnico.* Ubi hoc notandum, quòd Ethnici atque advenæ inquilini, qui non cooptati eſſent in perfectum & completum Proſelytiſmum, nec titulo *Proximi*, nec privilegiis ditarentur.

Sub Euangelio autem, ubi nulla Gentium aut Tribuum diſtinctio, eâdem latitudine adhibetur *Frater*, quâ apud Judæos, & *Frater* & *Proximus*; id eſt, pro omnibus Euangelium profitentibus, & contradiſtinguitur Ethnicis: 1 Cor. 5:11. *Si quis, qui nominatur Frater:* & Matth. 18:15. *Si in te peccaverit frater*, &c. verſ. 17. *Si non audierit Eccleſiam, ſit Ethnicus.*

Digitized by Google

CAP. V. VERS. 22.

Proximus autem ad omnes extenditur, etiam à religione noſtra alienos, *Luc.* 10. *verſ.* 29, 30, &c.

Reus erit. חייב, aut מחייב infinities apud Talmudicos.

R. Sol. in *Eſajæ* cap. 24. verſ. 22. *Colligentur, ſicut colliguntur captivi in carcerem*, מחייבי גהנם לגהנם, Ἔνοχοι γεέννῃ εἰς γέενναν: quod convenit cum ultima clauſula hujus verſiculi.

Τῷ συνεδρίῳ, *Synhedrio*: Id eſt, Judicio, vel Tribunali Magiſtratûs: nam Κρίσει in clauſula præcedenti ad *Judicium Dei* referendum eſſe, patebit in ſequentibus.

Ῥακά, *Raka*. Vox contemnentis ſummo contemptu: apud Scriptores Hebræos uſitatiſſima & tritiſſima in ore gentis.

Tanchum, fol. 5. col. 2. *Redit quidam ad pœnitentiam: Dixit ei uxor*, ריקה, *Raka, ſi ſtatutum eſt tibi pœnitentiam agere, ipſum, quo te accingis, cingulum non erit tuum.*

Idem, fol. 18. col. 4. *Dixit Ethnicus Iſraëlitæ, Paratum tibi apud me eſt eſculentum appoſitiſſimum. Qualenam illud? inquit alter. Cui ille, Caro ſuilla. Raka, (inquit Judæus) de beſtiis etiam mundis apud vos non comedendum, &c.*

Midras Tillin in *Pſalm.* 137. *Nupta eſt Regis filia ſordido cuidam nebuloni: imperat ille ut ea ſibi adſtet ut ſervula, & ſit à poculis. Cui illa, Raka, ego ſum filia Regis.*

Idem, fol. 38. col. 4. *Quidam è diſcipulis R. Jochananis pro ludibrio habuit doctrinam Magiſtri: at rediens tandem ad frugi, Doce tu, (inquit) ô Magiſter: nam dignus es qui doceas; id enim quod docuiſti expertus ſum, & vidi. Cui ille*, ריקה; *Raka, non crediſſes, niſi vidiſſes, &c.*

Babyl. Beracoth, fol. 32. 2. *Religioſum quendam in via orantem ſalutavit Dux quidam, at ille non reſalutavit. Expectans ille uſque dum orationem tandem finiſſet, dicit ei*, ריקא, *Raka, ſcriptum eſt in Lege veſtrâ, &c.*

Εἰς τὴν Γέενναν τοῦ πυρός. *Judæi* Orcum, ſive locum damnatorum, uſitatiſſimè per vocem גהנום, *Gehinnom* effantur, quod infinitis exemplis demonſtrari poſſet: à valle *Hinnom* deſumptâ Phraſiologiâ, loco ob fœdam Idololatriam, infantium *Molecho* toſtorum ululatus, elatas ſordes, & perpetuum ignem, infami, atque ad inferorum horrorem repræſentandum quàm aptiſſimo.

Babyl. Erubhin, fol. 19. 1. *Tria ſunt oſtia Gehennæ; unum in eremo, ſicut ſcriptum eſt*, Deſcenderunt illi, atque omnes ſui, vivi in inferos, *Numer.* 16: 33. *Alterum in mari, ſicut ſcriptum eſt*, E ventre inferorum clamavi, audiviſti vocem meam, *Jon.* 11: 2. *Tertium apud Hieroſolymas, ſicut ſcriptum eſt*, Sic dicit Dominus, cujus ignis eſt in Sione, & clibanus ejus Hieroſolymis, *Eſaj.* 31: 9. *Traditio Scholæ R. Iſmaëlis, Cujus ignis in Sione, hoc eſt, Oſtium Gehennæ.*

Chaldæus Paraphraſtes in *Eſaj.* 33: 14. גהנם יקידות עלם, *Gehenna, ignis æternus*, &c. Γέεννα πυρὸς αἰωνίε.

Accedimus jam ad ſententias, & ſenſum verſiculi.

Triplici pravitati adjudicatur triplex pœna. Iraſcenti חנם, vel abſque cauſa, Judicium. Dicenti *Raka*, Judicium etiam, idque per Synhedrium. Dicenti Μωρὲ, Judicium *Gehennæ*.

Quod de triplici apud Judæos Synhedrio hîc adducitur, non arridet, eò quod (ſilentio præteritis aliis rationibus) Synhedrii mentio ſolùm fiat in particula media.

Quî diſtinguendum ſit *Judicium* in clauſula prima à *Judicio Synhedrii* in ſecunda, facillimè elucebit ex hoc Talmudicorum in legem, *De non occidendo* gloſſemate & commentario, *Sanhedr.* cap. 9 halac. 1. *Homicida hic eſt. Quicunque percuſſerit proximum ſuum lapide vel ferro, vel protruſerit eum in aquam aut ignem, unde non poſſit aſcendere, ità ut moriatur, reus eſt: ſi verò protruſerit in aquam aut ignem, unde poſſit aſcendere, ſi moriatur, impunis eſt. Impellit in eum vel canem, vel ſerpentem, impunis eſt*, &c. Vide etiam Gemaram Babylonicam, ibidem. *Maimon.* in רוצח, cap. 2. *Quicunque proximum occiderit manu ſuâ, gladio ſcilicet percutiens, aut lapide, ità ut interimat; aut ſtrangulaverit, aut combuſſerit, ità ut moriatur, quocunque modo in propria perſona interficiens, ecce, talis morte eſt mulctandus à Synhedrio: at ille, qui mercede conducit alium, ut occidat proximum; aut qui ſervos ſuos mittit, & illi occidunt; aut qui violenter in leonem protrudit eum, vel in aliam aliquam beſtiam, & beſtia illum interficit; aut qui ſeipſum interimit:* כל אחד מאילו שופך דמים, *Unuſquiſque horum eſt effuſor ſanguinis, & iniquitas homicidii eſt in manu ejus, & damnas eſt mortis* לשמים, *per manum Dei, at non morte plectendus à Synhedrio.*

Eccum duplicem homicidam! eccum duplex Judicium! Applicentur jam verba *Salvatoris* ad Gloſſam hanc Veterum in legem de homicidio.

Audiſtis, inquit, quod dictum eſt à Veteribus, Quicunque occiderit, quocunque modo occiderit, ſive per mercede conductum, ſive per ſervos, ſive per beſtiam immiſſam, reus eſt *Judicio Dei*; licèt non *Judicio Synhedrii*; & quicunque occiderit proximum per ſe, & non mediante alio, hic reus *Judicio Synhedrii*: at ego dico vobis, quòd quicunque iraſcitur fratri ſuo temerè, hic reus erit *Judicio Dei*; & qui dixerit fratri ſuo *Raka*, hic reus *Synhedrio*.

Hæc *Salvatoris* verba rectiùs porrò intelligemus,

mus, collatis inſuper quibuſdam Phraſiologiis & doctrinis apud Scholas Judaïcas uſitatiſſimis: quales ſunt iſtæ.

Hieroſol. Bava Kama, fol. 5. 2. פטור מדיני אדם וחייב בדיני שמים, *Abſolutus à Judicio hominum, at reus Judicio cæli*, id eſt, Dei.

מיתה ב״ד ומיתה בידי שמים, *Mors per Synhedrium, & mors per manum cæli.*

Atque, ut verbo omnia, כרת *Exciſio* vindictam ſonat per manum Dei. Falluntur plurimùm qui כרת & כריתות *Exciſionem*, de qua frequentiſſima memoria in Sacris Paginis, de exciſione intelligunt à cœtu publico per cenſuram Eccleſiaſticam: cùm nihil aliud ſibi velit, quàm exciſionem per vindictam divinam. Nihil Canoniſtis Hebræorum uſitatius tritiuſve, quàm transgreſſiones quàm plurimas ad exciſionem adjudicare, in tritiſſima iſta Phraſiologia חייב על זדונו כרת, vel, אם מזיד חיב כרת, *Si hoc fecerit ex præſumptione, reus eſt exciſionis; ſi verò ex ignorantia, tenetur ad ſacrificium pro peccato.* Cùm ad exciſionem adjudicant rem & reum, tradunt & relinquunt judicio Dei, conjunctâ tamen aliquando cenſurâ & pœnâ à Synhedrio, aliquando non: quod infinitis exemplis illuſtrari poſſet, ſed veremur nobis à prolixitate: hæc duo tantùm in utramque partem ſint ſatis. I. De mera traditione ad judicium Dei, abſque ulla pœna à Synhedrio inflicta, loquuntur illa, quæ nuper citata, *Abſolutus eſt à judicio hominum, at reus judicio cæli.* II. De judicio Dei & Synhedrii conjunctis, hæc ibidem, *Si tenetur ad reſtitutionem reus factus à Synhedrio, non ignoſcit ei cælum* (vel *Deus*) *uſque dum ſolverit.* At pœnam à Synhedrio indictam paſſus, abſolvitur ab exciſione. *Babyl. Megill.* fol. 7. 2. *Omnes exciſionis rei, cùm vapulaverint, abſolvuntur ab exciſione ſua: ſicut dicitur, Et vilis ſit frater tuus in conſpectu tuo. Cùm vapulaverit, ecce, eſt frater tuus.*

Ἔνοχος εἰς γέενναν τοῦ πυρός. *Damnas*, vel *reus*, *etiam uſque ad Gehennam ignis.* Dixerat κρίσει & συνεδρίῳ, at jam dicit εἰς γέενναν: idque altiore emphaſi; quaſi dicat, Quicunque dixerit fratri, Μωρὲ, reus erit Judicio, etiam uſque ad Judicium Gehennæ.

At quidnam, quæſo, gravius in vocabulo Μωρὲ, quàm in vocabulo Ῥακά? Interpres eſto rex *Salomon*, qui ubique per *ſtultum* intelligit *improbum* & *reprobum*, ſtultitiâ ſpirituali ſapientiæ oppoſitâ. *Raca moroſitatem* quidem denotat, & *morum & vitæ levitatem*; at Μωρὲ de ſtatu ſpirituali & æterno acerbè judicat, & ad perditionem certam decernit. Pro lexico nobis ſunto Scribarum & Phariſæorum de vulgo judicia & cenſuræ. Semet ipſos חכמים, *ſapientes* nominari non ſolùm paſſi ſunt, ſed & quaſi ex merito & condigno ſibi arrogârunt: at quid illi de vulgo? *Turba hæc, quæ non novit Legem, execrabilis eſt*, Joann. 7:49.

Loquendi formulam, huic ſub manibus non admodum diſparem, habes in *Babyl. Kiddushin*, fol. 28. 1. *Cherubb.* fol. 50. 1. alibique. הקורא לחבירו עבד יהא בנידוי, *Qui proximum ſuum vocat ſervum, ſit in excommunicatione*, Gloſſa, Excommunicant illum ideò, quod vilifecit Iſraëlitam; eum ergò pariter vilifaciunt. כמזר סופג את הארבעים, *Si eum vocat ſpurium, quadraginta plagis plectitor.* רשע יורד עמו לחייו, *Si impium, deſcendat cum eo in vitam ſuam:* Gloſſa, *In miſeriam & penuriam.*

In hunc ergò modum variis peccatis variam pœnam, juſtiſſimâ paritate, atque æquiſſimâ compenſatione, adaptat *Salvator*.

Injuſtæ iræ, *juſtam Dei iram & Judicium.*

Publico ludibrio, *publicum examen.*

Ignem Gehennæ, cenſuræ ad ignem Gehennæ adjudicanti.

VERS. 23. Ὅτι ὁ ἀδελφός σου ἔχει τι κατὰ σοῦ, &c.

Emphaſis præcipuè eſt in particula τι. Nam quod Judæi ad damna pecuniaria ſolùm reſtrinxerunt, *Chriſtus* ad omnia in fratrem offendicula extendit.

Bava Kama, cap. 9. hal. 12. *Qui oblationem offert, non reſtituto quod injuſtè rapuerat, non quod officii eſt, facit.*

Et rurſus, hal. 5. *Qui ſurripit quicquam à proximo, etiam vel Quadrantem, & falſo jurat, tenetur ad reſtituendum, etiam uſque ad Mediam proſequens injuria affectum.* Vide etiam *Baal Turim* in *Levit.* 6.

Maimon. in *Gezelah*, cap. 8. אין מקריבין את האשם עד שיחזיר הגזלן את הקרן: *Non offertur oblatio pro reatu, niſi priùs reſtituatur ablatum, vel poſſeſſori, vel Sacerdoti.*

Itidemque, cap. 7. *Qui falſo jurat, vel de Prutâ*, [minuto] *vel quod Prutam valet, poſſeſſorem inquirere tenetur, etiam uſque ad Inſulas in mari remotas, & reſtituere.*

Nota ut hic cautum ſit de damnis ſolùm pecuniariis & nudâ reſtitutione, quæ ſine animo charitativo fieri potuit, aut corde fraterno. At *Chriſtus* charitatem urget, animi reconciliationem, & purum reünitionis cum fratre offenſo deſiderium, idque non ſolùm de rebus pecuniariis, ſed de quavis aut qualicunque cauſa, quâ ſe gravatum quæratur proximus.

CAP. V. VERS. 24.

VERS. 24. Ἄφες ἐκεῖ τὸ δῶρόν σου ἔμπροσθεν τοῦ θυσιαστηρίου.

Res hæc, in muneribus ad Altare oblatis in tali cauſa, omninò inſolita erat. Legimus quidem libamen dilatum poſt oblatum ſacrificium: *Nam dicunt ſapientes, quòd non reatu tenetur quis de libamine morâ aliquâ prorogato, quia ſacrificium ſuum offerre licet hodie, at libationem viginti ab hinc diebus. Toſaphta* ad *Corbanoth*, cap. 5. Legimus quoque oblationem ſacrificii etiam ad Altare præſentati, in aliquibus caſibus, non ſolùm moram aliquam patientem, ſed & ſacrificium ipſum repudiatum. Si ſcilicet in eo inſtanti detegeretur in beſtia mactanda, vel labes, vel aliquod aliud, quo fieret illa non legitimum ſacrificium; vel ſi in offerente pateſieret aliqua immunditia, aut alia cauſa, quâ inpræſentiarum non idoneus ille redderetur dono offerendo. De quibus rebus, oblationem ſacrificii ad Altare jam præſentati remorantibus, pluribus agunt Juriſperiti Hebræorum. Inter quas non occurrit omninò hæc, de qua hic *Salvator:* ità ut novum quid ille præcipere videatur, ac non novum ſolùm, ſed, ut videtur, impoſſibile. Nam frater offenſus abeſſe forſan poterat in ultimis terræ Iſraëliticæ partibus, ita ut non niſi poſt multos admodum dies ille conveniendus, & venia ab eo petenda: ac quid intereà temporis de beſtia ad Altare relictâ? Mirum certè, *Salvatorem*, de cultu ad Altare agentem, iſtiuſmodi officium præſcribere, quod & inuſitatum, [in tali ſcilicet cauſa] & quod impoſſibili proximum. At reſpondetur, I. Moris atque legis apud *Judæos* fuit, ut ſacrificia hominum particularium non illicò, cùm jam debita eſſent, ad Altare adducerentur, ſed ut ad proximè ſequens feſtum, quodcunque illud foret, ſeu Paſcha, ſeu Pentecoſte, ſeu Scenopegia, reſervarentur, tunc offerenda: *Babyl. Sanhedr.* fol. 11. 1. *Puerperæ, feminifluæ, & ſeminiflui, columbas ſuas reſervârunt, uſque dum aſcenderent ad feſtum. Hieroſ. Roſh haſhanah*, fol. 56. 2. *Oblationes, quæ ſacratæ ſunt ante feſtum, offerentur ad feſtum: nam dictum eſt, Hæc facietis in ſolemnitatibus veſtris*, &c. Aderant autem ad feſta omnes Iſraëlitæ, & non longè remotus ab Altari tunc fuit quivis frater, in quem quis peccaverat: ad quod tempus, & gentis morem, alluſiſſe *Chriſtum* par eſt credere. II. Tacitè caſtigat curioſitatem adhibitam in mora ſacrificii allati circa minora, cùm hoc, quod majus, extra oculos eſſet. Docetque fruſtrà coli Deum abſque vera charitate in fratrem. Idem etiam ferè fatentur Gemariſtæ, *Babyl. Joma*, fol. 87. 1.

CAP. V. VERS. 25, 26.

VERS. 25. Ἕως ὅτου εἶ ἐν τῇ ὁδῷ μετ' αὐτοῦ.

Hoc eſt, *Dum abis cum eo ad magiſtratum*, ἐπ' ἄρχοντα, *Luc.* 12: 58. ubi clarè diſtinguitur inter ἄρχοντα & κριτὴν; ità ut per ἄρχοντα Judices in infimis Synhedriis intelligas, per κριτὴν Judices in ſummo. Ad litigationes pecuniarias hic alludi, patet ſatis ex verbis ſequentibus, verſu viceſimo ſexto, *Nequaquam exibis è carcere, uſque dum reddideris ultimum Quadrantem.* De talibus autem judicare, conſeſſus erat triumviralis. *Sanhedr.* cap. 1. hal. 1.

Hunc ſenſum ergò habent verba verſiculi. Damni alicujus, vel pecuniæ debitæ accuſat te proximus? Jamque in via ad conſeſſum triumviralem, litem exagitaturi, pergitis? Compone cum adverſario, nè te ad ſuperius aliquod tribunal cogat, ubi majus tibi futurum periculum. *Nam, ſi dicat mutuò dans debitori, Eamus, ut de cauſa noſtra judicetur à Synhedrio ſummo, debitorem cogunt illuc cum eo aſcendere. Pari modo, ſi incuſet quis alterum de aliqua re ſibi ab eo ablatâ, vel de damno aliquo illato, vetitque qui accuſat, ut à ſuperiori Synhedrio de ipſorum lite dijudicetur, debitorem cum illo illuc aſcendere cogunt. Atque ità fit in rebus aliis omnibus iſtiuſmodi. Maimon.* in *Sanhedr.* cap. 6.

Anteà reconciliationem ambiendam arguerat *Chriſtus* à pietate, arguit jam à prudentia, atque honeſtâ hominis de ſeipſo curâ.

Καὶ ὁ κριτής σε παραδῷ τῷ ὑπηρέτῃ.

לשוטר: vel לסרדיוט: vel למנגרנא. *Maimon. Sanhedr.* cap. 1. שופטים ושוטרים תתן לך בכל שעריך, Deuter. 16: 18. שוטרים, *ſunt virgiferi & flagelliferi* [lictores] *qui ſtant coram Judicibus. Proficiſcuntur hi per vicos, & plateas, & diverſoria, de ponderibus & menſuris curantes; verberantque pravè agentes. Aſt omne ipſorum opus eſt ex præſcripto Judicum. Quemcunque malè agentem vident, ad Judices adducunt*, &c.

Babyl. Schabb. fol. 32. 1. אדם יוצא לשוק יהי דומה בעיניו כמי שנמסר לסרדיוט *Quicunque in plateam egreditur, de ſe reputet, ac ſi jam traderetur lictori:* Hoc eſt, ut Gloſſa, *Obvii ſunt illic lites & litigioſi, Gentiles atque Iſraëlitæ; ità ut de ſe reputet ac ſi lictori traderetur, eum coram Judicibus ducturo.* Gloſſa in *Babyl. Joma*, fol. 15. 1. מנגרנא, *eſt lictor Synhedrii, qui flagellat.*

VERS. 26. Κοδράντην.

Hieroſolymitanè, קורדינטס. *Babylonicè*, קונטריק. Sic enim illi, *Hieroſ. Kiddushin*, fol. 58. 4.

שני

CAP. V. VERS. 26.

שני איסרין פונדיון, *Duo Aſſarii conſtituunt Pondion.*

שני מסומסין איסר, *Duo Semiſſes Aſſarium.*

שני קרדינטס מסמס, *Duo Quadrantes Semiſſem.*

ב" פרוטות קרדינטס, *Duæ Prutæ Quadrantem.*

Babyl. Kiddushin, cap. 1. atque *Alpheſius*, ibid. fol. 625. 2.

פונדיונן שני איסרין, *Pondion valet duos Aſſarios.*

איסר שני מסומסין, *Aſſarius duos Semiſſes.*

מסמס שתי קונטריקן, *Semiſſis duos Quadrantes.*

קונטריק שני פרוטות, *Kontrik*, vel *quadrans*, *duas Prutas.*

Quod hic dicitur ab *Hieroſ.* שתי פרוטות, קרד נטס, ipſiſſimum idem eſt, quod dicitur, *Marc.* 12:42. Λεπτὰ δύο, ὅ ἐστι κοδράντης: *Prutah* fuit minutiſſimum inter numiſmata. Sic *Maimon. Gezelah*, cap. 7. אין פחות משוה פרוטה כבון, *Quod Prutam non valet, inter opes non eſt reputandum.* Hinc innumera iſta ad *Prutam* ſpectantia in Pandectis Talmudicis. *Qui minùs Prutâ furatur, non tenetur ad ſolvendum quintuplum.* Idem, ibid. *Non coëmitur terra pretio Prutâ minori*, in arrhabonem ſcilicet datâ. Idem in *Mecherah*, cap. 1, &c.

Horum numiſmatum valorem habes apud eundem *Maimonidem* in Tractatu *Shekalim*, cap. 1. *Selaa*, inquit ille, *valet quatuor Denarios. Denarius ſex Meas. Meah autem in diebus Moſis, Magiſtri noſtri, vocabatur Gerah: continet duo Pondionin. Pondion duos Aſſarios. Et Prutah eſt pars octonaria Aſſarii. Pondus Meæ, quæ & Gerah dicitur, eſt ſedecim granorum hordeaceorum. Pondus Aſſarii quatuor granorum hordeaceorum. Et pondus Prutæ dimidii grani hordeacei.*

Lucas habet ἔσχατον λεπτὸν, Cap. 12:59. id eſt, *ultimam Prutam*, quæ א" משמנה באיסר ראטלקי, *Octava pars erat Aſſarii Italici. Kiddush.* cap. 1. hal. 1. Κοδράντης ergò ſic dictus eſt, non quòd quarta pars eſſet Denarii, ſed quarta pars Aſſarii, qui quàm minima pars fuerit Denarii, obſervare licet ex his quæ dicuntur ab utraque *Gemara*, locis antè citatis.

שש מעה כסף דינר, *Sex Meæ argenteæ conſtituunt Denarium.*

מעה שני פונדיונין, *Meah valet duo Pondionin.*

פונדיון שני איסרין *Pondion valet duos Aſſarios.*

Hoc obiter notetur. מעה, *Meah*, quæ, teſte anteà *Maimonide*, *Gerah* olim vocabatur, apud Talmudicos etiam vulgò vocari זוז, *Zuz*: nam ſicut hic dicitur, שש מעה כסף דינר, *Sex Meæ argenteæ conſtituunt Denarium*; apud *Rambam* in *Peah*, capite ultimo, halac. 7. dicitur, דינר ו' זוזים, *Denarius continet ſex Zuzim. Prutah*, prout erat inter *Judæos* minimum numiſma, ſic videtur fuiſſe numiſma merè *Judaicum*, non *Romanum*: nam quamvis *Judæi Romanis* ſubditi *Romano* nummo ſunt uſi, atque inde, quod arguit *Salvator*, ſubjectionem ſuam *Romanis* ſunt confeſſi; ſuo tamen nummo uti etiam ſunt permiſſi, quod patet per communem apud eos Siclorum uſum atque Hemiſiclorum: Κοδράντην, *Quadrantem*, ergò minimum numiſmatis *Romani* meritò opineris, & Λεπτὸν, *Prutam*, *Judaici.* Utrumque dum memorat *Salvator*, non ſuæ loquelæ eſt inconſtans, ſed magis loquitur ad captum omnium.

CAP. V. VERS. 27, 28, 30

VERS. 27. Ἠκούσατε, ὅτι ἐῤῥέθη τοῖς ἀρχαίοις, Οὐ μοιχεύσεις.

Præceptum, vel textum *Moſaicum* non citat, ut nudè à *Moſe* traditum, ſed ut tali Gloſſa à veteribus deformatum, quæ ferè vim omnem præcepti evacuaret: nam de actu adulterino tantùm interpretati ſunt, eoque cum fœmina maritata. Sic enumeratio ſexcentorum & tredecim præceptorum Legis, ad illud *Exod.* 20:14. *Non mœchaberis*, hæc habet, *Hoc eſt præceptum Legis triceſimum quintum, Nè ſcilicet quis coëat cum uxore aliena.*

VERS. 28. Πᾶς ὁ βλέπων γυναῖκα πρὸς τὸ ἐπιθυμῆσαι, &c.

Hieroſ. Challah, fol. 58. 3. *Calcaneum mulieris aſpiciens eſt, ac ſi uterum aſpiceret: Uterum autem aſpiciens eſt, ac ſi cum ea coïret.* Et tamen, וז דרכי של ר"ג להסתכל בנשים, *In more fuit Rabban Gamalieli fœminas intueri.* Idem *Beracoth*, fol. 12. 3.

Babyl. Beracoth, fol. 24. 1. *Intuens vel in minimum digitum fœminæ eſt, ac ſi intueretur in locum pudendum.* Et tamen *ſoliti ſunt Rabb Gidal, & R. Jochanan, ad locum immerſionis ſedere, ubi lavarentur fœminæ; cùmque à quibuſdam monerentur de periculo laſciviæ, reſpondit R. Jochanan, Ego ſum ex ſemine Joſephi, in quem dominari non potuit malus affectus.* Ibid. fol. 20. 1.

VERS. 30. Εἰ ἡ δεξιά σου χεὶρ σκανδαλίζει σε, ἔκκοψον αὐτήν.

Vide hîc *Babyl. Niddah*, fol. 13. per totum. Inter alia, *Dicit R. Tarphon, Quicunque manum ad membrum virile admovet, abſcindatur manus ejus ad umbilicum uſque.* Et paulò pòſt, *Præſtat ut findatur venter ejus, quàm ut ipſe deſcendat in puteum corruptionis.* Agitur de admotione manûs ad membrum virile,

Digitized by Google

 rile, ut per ejus contrectationem dignoſcatur, num gonorrhæâ laboret, necne; & tamen tantillum contrectationis ad excisionem manûs adjudicant. Lege locum, ſi vacat.

VERS. 31. Ὅς ἂν ἀπολύσῃ τὴν γυναῖκα, δότω αὐτῇ ἀποστάσιον.

Notandum eſt, ut tranſeat *Salvator* in hæc verba, adhibitâ ſcilicet particulâ δέ. Ἐῤῥέθη δέ. Emphaſin hanc habet hæc particula hoc in loco, ut tacitam objectionem inſuſurret, cui reſpondetur verſiculo ſequenti. Dixerat Chriſtus, *Quicunque aſpicit mulierem, ut eam concupiſcat, jam mœchatus eſt.* At dixerunt Jurisperiti Judaïci, *Si videat quis mulierem, quam in deliciis habeat præ uxore, uxorem dimittat, atque eam ducat.*

Inter capita doctrinæ *Talmudicæ*, non occurrit ullum, de quo copioſiùs & ad punctillum magis agitur, quàm de Divortiis; ubi tamen non tam de juſta cauſa præcipua ſollicitudo, quàm de modo & forma. Codicem *Gittin* evolventi, [ut & totum quidem *Seder Naſhim*] talis apparebit Magiſtrorum de hac re ſedulitas, ut non ſine complacentia quadam huic articulo præ omnibus aliis inhæſiſſe videantur.

Conceſſit iſti genti quidem Deus legem de Repudiis, *Deut.* 24:1. *ob duritiem cordis eorum* tantùm permiſſis, *Matth.* 19:8. de qua tamen permiſſione gloriantur illi, ac ſi indulta è mero privilegio. Legem lethalem de Adulterio morte mulctando cùm ſanxiſſet Deus, *Deut.* 22. in terrorem populi, atque in peccati iſtius deteſtationem; providens etiam miſericors idem Deus, quàm duriter, arreptâ ab hac lege anſâ, cedere poſſit fœminis ob virorum aſperitatem, in alias fœminas fortè anhelantium & nauſeantium uxores ſuas, lege iſtam leniente contra uxoricidia iſtiusmodi mitiùs cavit, permiſſo in eadem cauſâ, de qua data fuerat lex illa lethalis, adulterii ſcilicet, uxoris repudio. Ità ut lex iſta repudiatoria, in ejus exhibitione, corda eorum innueret dura, in ejus adhibitione, oſtenduntur carnalia. Et tamen audi eos de iſta lege ſic gloriantes. *Dicit Dominus Iſraëlis* כי שנא שלח, Mal. 2:16. *Per totum capitulum, inquit R. Chananiah nomine R. Phinehas, vocatur Dominus exercituum; at hic Iſraëlis, ut innoteſceret Deum nomen ſuum repudiis non ſubſcripſiſſe, niſi ſolùm inter Iſraëlitas. Quaſi dicat, Iſraëlitis conceſſi uxorum dimiſſiones, non conceſſi Gentilibus. Dicit R. Chaiiah Rabbah, Nationibus mundi non conceduntur Repudia. Hieroſ.* in *Kiddushin*, fol. 58. 3.

Legem hanc *Moſaïcam* interpretati ſunt ex illis quidam (prout jure quidem interpretari eos oportuit) de cauſa ſolùm adulterii. *Dixit Schola Shammæana: Non dimittenda eſt uxor, niſi ob turpitudinem* (hoc eſt, adulterium) *ſolum, quia dicitur,* כי מצא בה ערות: *Quia invenit in ea turpem nuditatem,* (id eſt, adulterium) *Gittin*, cap. 9. halac. ult.

Rabb Papa dixit, Si non inveniat in ea adulterium, quid tum? Reſpondit Rabba, Cùm revelaverit Deus miſericors de vitiante virginem, quòd non licet ei dimittere eam per totam vitam, Deut. 22: 29. *illinc de re propoſita edoceris, quòd ſi non invenerit in uxore turpitudinem, non licet dimittere. Gemara* ibidem.

Pari honeſtate commentati ſunt quidam in verba iſta è Propheta citata, כי שנא שלח: *R. Jochanan dicit, Dimiſſio uxoris eſt odioſa:* ibidem. Quod etiam conceſſerunt alii de uxore quidem prima, ſed non de ſuperinductis; hoc enim apud ipſos probatur pro Canone, *Primam uxorem ſuam ne quis dimittat, niſi ob adulterium. Maimon.* in *Gerushin*, cap. 10. *Rabbi Eliezer dicit, De dimiſſione uxoris primæ, vel ipſum Altare fundit lacrimas. Gittin*, ubi ſuprà. Quam Gloſſam ex eo arripiunt, quod dicitur, *Nè quis perfidè agat in uxorem juventutis ſuæ*, Mal. 2:15.

Unâ eâdemque licentiâ, Polygamiâ uſi ſunt Judæi & uxorum dimiſſione: mutuò hiſce & invicem ſibi fomitem exhibentibus, & laſciviâ utriſque.

Multas ſimul uxores habere licet, dicunt illi, *etiam quotquot velis: at decreverunt Sapientes noſtri, nè ultra quatuor uxores quis habeat. Maimon.* in אישות, cap. 10. & 14. At hoc reſtrinxerunt, non tam ex principiis aliquibus caſtitatis, quàm nè pluribus uxoribus quis oneratus, impos ſit ad victum, veſtitùm, & debitam benevolentiam eis exhibendum; nam ſic de fræno hoc Polygamiæ commentantur.

Quibus de cauſis uxores repudiarent, non eſt quod quæramus; nam de quavis cauſa ex proprio arbitrio hoc perpetrârunt.

I. *Uxorem non bene moratam, & quæ non modeſta ſit, ut decet filiam Iſraëliticam, præceptum eſt ut dimittas.* Sic illi apud *Maimonidem* & *Gittin*, ubi ſuprà. Ubi & hoc adjicitur apud *Gemariſtas*; *Dicit R. Meir, Prout ſunt hominibus placita ſua, de cibo ſuo & potu, ità ſunt etiam de uxoribus ſuis. Repertam hic in poculo muſcam eximit, & tamen non vult bibere: iſto modo ſe habuit Papus ben Judæ, qui, quotiescunque exiret, uxorem ſeratis oſtiis incluſit. Repertam alter in poculo muſcam eximit, & poculum ebibit: quod facit ille, qui uxorem cum vicinis & affinibus liberè colloquentem videt, & tamen permittit. Eſtque qui, ſi in caniſtro muſcam inveniat, ipſam edit: & hoc hominis mali eſt, qui uxorem egredientem videt, capite non velato, & nudatâ cervice,*

lavan-

Digitized by Google

CAP. V. VERS. 31. *lavantemque videt in balneis, ubi lavare ſolent viri, & tamen de hac re non curat; cùm ex Lege teneatur eam dimittere.*

II. *Si quis uxorem odio habeat, dimittat. Maimonides*, ubi antè: uxorem tantum primò ductam excipiens. Pariterque *R. Judah* illud Prophetæ, כי שנא שלח, ſic interpretatur, *Si odio habeat, dimittat:* quem ſenſum verſiones nonnullæ periculosè ſatis ſunt ſecutæ. *R. Sol.* ſenſum loci iſtius ſic effert; *Uxorem dimittere præcipitur, ſi in oculis mariti gratiam non aſſequatur.*

III. *Schola Hilleliana dicit, Si eſculenta mariti nimiâ ſalſedine, aut nimiâ toſtione malè conficiat uxor, eſt dimittenda. Gittin*, ubi ſuprà, & *R. Solom.* & *R. Niſſin* ibi.

IV. Imò, *Si ictu aliquo divino muta reddatur, aut fatua, &c.*

V. Sed, nè omnia proferamus, de quibus uxorem dimittendam pronuntiant, [inter quæ & quædam proferunt præ erubeſcentia non memoranda] ſatis ſit illud *R. Akibæ* vice omnium adduxiſſe. *Dixit R. Akibah, Si quis mulierem videat uxore formoſiorem, uxorem dimittere licet, quia dictum eſt, Si gratiam non aſſequatur in oculis ejus. Mishnah* ult. in *Gittin*, cap. 9.

'Αποςάσιον.

Et Βιβλίον 'Αποςασίυ, *Matth.* 19:7. & apud *Septuag. Deuter.* 24:1. De quo ſic *Beza*, *Libellus hic videri poſſit, non uxoris dimiſſæ, ſed mariti ab uxore ſecedentis reſpectu,* 'Αποςάσιον *vocari.* Duriuſculè, & doctrinæ *Judæorum* Canonicæ ex diametro contrariè: Sic enim illi, *In libello ſcribendum eſt, Ecce, tu dimitteris; ecce, tu pelleris, &c. Si autem ſcribat, Ego non ſum vir tuus, vel, Ego non ſponſus tuus, &c. non eſt juſtus libellus: nam dictum eſt, Ille eam dimittet, non, Ille dimittet ſeipſum. Maimon.* in *Gerushin*, cap. 1.

Libellus hic à *Judæis* vocatur, ספר כריתות, & ספר תירוכין, & גט, & אגרת שבוקין, & פטורין, &c.

I. Uxor dimitti non potuit, niſi dato libello repudii: *Vocatur ergò*, inquit *Baal Turim*, ספר כריתות, *Libellus abſciſſionis, eò quòd nihil aliud ſit, quod eam à marito exſcindat. Quamvis enim triplici modo uxor acquireretur*, (de quo vide *Talm.* in *Kiddushin*, cap. 1. halac. 1.) *non erat tamen quo dimitteretur, præter libellum repudii. Baal Turim*, in *Deuter.* 24.

II. *Non dimittebatur uxor, niſi libenter volente marito; reluctante enim non erat repudium: at, velit, nolit uxor, repudianda, ſi vellet maritus. Maimon.* in *Gerushin*, cap. 1.

III. *Libellus repudii duodecim lineis conſcriptus eſt, nec pluribus, nec paucioribus. Rashba* in *Tikkun Get*, ad finem *Gittin*, in *Alpheſio.*

Rationem hujus numeri reddit *R. Mordechæus* in cap. 1. in Tractatum *Gittin*, hiſce verbis, *Libellum repudii ſcribens, duodecim lineis compingat, ſecundùm valorem numericum literarum in voce* גט. *At Rabh Saadias interpretatur, Libellum repudii ſcribendum eodem linearum numero, quo ſeparantur libri Legis: Quatuor enim lineæ intercedunt inter librum Geneſeos & librum Exodi: quatuor inter librum Exodi & librum Levitici: quatuor inter librum Levitici & librum Numerorum. At quatuor inter librum Numerorum & Deuteronomii non reputantur, eò quòd liber iſte eſt tantùm repetitio Legis,* &c.

IV. Exemplar libelli repudiatorii habes apud *Alpheſium* in *Gittin*, fol. 600. hâc formâ.

ספר כריתות

בכך בשבת בכך וכך לירח פלוני בשנת
כך וכך לבריאת עולם כמניינא דרגילנא
למימני ביה במדינת פלוני איך אני
פלוני בר פלוני וכל שום דאית ליה
דמתא פלוני צביתי ברעות נפשי בדלא
אניסנא ופטרית ושבקית ותריכית יתיכי
ליכי אנת פלונית בת פלוני וכל שום
דאית ליכי דמתא פלונית דהוית
אינתתי מן קדמא דנא וכדו תרוכית
יתיכי ליכי אנת פלונית בת פלוני וכל
שום דאית ליכי דמתא פלוני דיתהויין
רשאה ושלטאה בנפשיכי למהך להתנסבא
לכל גבר דיתצבייין ואינש לא ימחא
בידיכי מן יומא דנן ולעלם והרי את
מותרת לכל אדם ודן די יהוי ליכי מינאי
ספר תירוכין וגט פיטורין ואגרת שבוקין
כדת משה וישראל:

ראובן בן יעקב עד:
אליעזר בן גלעד עד:

Libellus Repudii.

Die hebdomadis N. Menſis N. anni à condito mundo N. computo quo numerare conſuevimus in Provincia N. Ego N. filius N. & quocunque nomine vocitor, de civitate N. cum ſummo animi conſenſu, atque abſque ulla coactione urgente, Repudiavi, dimiſi, atque expuli te, te, inquam, N. filiam N. quocunque nomine vocitaris, de civitate N. quæ antehàc uxor mea fuiſti. At nunc te dimiſi, te inquam, N. filiam N. quocunque nomine vocitaris, de civitate N. Ità ut libera & de jure tuo ſis, nuptum iri cuicunque placuerit, & nemo te reprimat, ab hodierno die uſque in perpetuum. Libera es ergò cuivis homini: Atque hic eſto tibi à me libellus repudii, literæ divortii, & ſchedula expul-

CAP. V. VERS. 32, 33. *expulſionis, ſecundùm legem Moſis atque Iſraëlis.*

Reuben filius Jacobi teſtis.
Eliezer filius Gilead teſtis.

Vide formulam etiam hanc in paucis mutatam in *Maimon.* in *Geruſhin*, fol. 273. 2.

V. Libellus hic, ſigillo mariti roboratus & ſubſcriptione teſtium, in manus uxoris, aut ab ipſo marito, aut ab aliquo in hoc munus ab eo deputato, erat tradendus: aut aliquem deputare poterat uxor, qui vice ſuâ eum reciperet.

VI. Tradendus uxori non erat, niſi duobus præſentibus, qui libellum perlegerent, & antè quàm in manus uxoris daretur, & poſt: cùmque daretur, maritus, ſi præſens, ſic fatur, *Ecce, hic eſt tibi libellus repudii.*

VII. Uxori dimiſſæ licuit, ſi viſum eſſet, libellum hunc ad Synhedrium adducere, ubi inter Archiva, ſi urgeret illa, conſcribebatur in rei memoriam. Licuitque pariter dimiſſæ, cuicunque vellet, nubere; ſi non in libello obicem, clauſulâ aliquâ id prohibente, poſuiſſet maritus.

VERS. 32. Ὃς ἂν ἀπολύσῃ τὴν γυναῖκα αὐτοῦ, &c.

I. Permiſſionem *Moſaïcam* de repudiis non abrogat *Salvator*, ſed tolerat; intra limites tamen *Moſaïcos* ſolùm compactam, hoc eſt, in cauſa adulterii: damnatâ iſtâ apud Canones *Judaicos* licentiâ, quæ ob quamlibet cauſam permiſit.

II. In cauſa adulterii non præceptum eſt repudium, ſed permiſſum. Coacti ſunt *Iſraëlitæ* etiam verberibus aliquando uxores dimittere, ut patet apud *Maimon.* in *Geruſhin*, cap. 2. At *Salvator*, etiam in cauſa adulterii, coactionem non imponit dimiſſionis, ſed licentiam indulget.

III. *Qui extra cauſam fornicationis uxorem dimittit, facit eam mœchari*; hoc eſt, ſi mœchetur: vel, etſi actu non mœchetur, reus tamen ille de omnibus dimiſſæ libidinoſis æſtuationibus; nam libidinoſe concupiſcens *mœchari* dicitur, verſu viceſimo octavo.

VERS. 33. Ἐῤῥέθη τοῖς ἀρχαίοις, Οὐκ ἐπιορκήσεις, &c.

Perjurium prohibet Lex, *Levit.* 19: 12, &c. ad quod totum de jurando peccatum reduxerunt Patres Traditionum, de juramento temerario parùm curantes. Dupliciter in hoc capite de juramentis peccârunt:

I. Quòd nihil de jurejurando ſoliciti eſſent, modò quod juraretur non eſſet falſum. Quid, qualiter, quoties, quàm temerariè jurares, parùm curant, modò quod juras ſit verum.

In Tractatu Talmudico *Shevuoth*, שבועות, pariterque apud *Maimonidem*, Juramenta in quatuor has claſſes diſtribuuntur. CAP. V. VERS. 33.

Primò, שבועת ביטוי, *Juramentum promiſſorium*: cùm juraret quis, ſe hoc vel illud facturum, vel non facturum, &c. Atque hoc unum erat è juramentis שבועות שתים שהן ארבע, bipartitis, quæ & quadripartita etiam erant: hoc eſt, negativum vel affirmativum; & rurſus, negativum aut affirmativum de præterito, vel negativum aut affirmativum de futuro: nempe, cùm quis juraret ſe hoc vel illud feciſſe, vel non feciſſe; vel ſe hoc vel illud facturum, vel non facturum: *Quicunque ergò aliquo quatuor horum modo jurat, & ità res ſe non habet, prout jurat, (Exempli gratiâ, Se non jeciſſe lapidem in mare, cùm jecerit: ſe jeciſſe, cùm non jecerit: ſe non comeſturum, & tamen comedit; ſe comeſturum, & tamen non comedit:) ecce, hoc eſt falſum juramentum*, vel *perjurium. Maimon.* in *Shevuoth*, cap. 1.

Quicunque jurat ſe non comeſturum, & tamen quædam comedit, quæ quidem non ſunt eſui ſatis idonea, hic reus non eſt. Talmud in *Shevuoth*, cap. 3.

Secundò, שבועת שוא, *Juramentum vanum*, vel *temerarium*: hoc etiam quadripartitum, ſed non eodem modo, quo prius. I. Cùm quis id juramento aſſereret, quod notiſſimæ veritati eſſet contrarium: veluti, *Si juraret virum eſſe fœminam, columnam lapideam eſſe columnam auream*, &c. vel, cùm quis juraret id eſſe vel fuiſſe, quod omninò impoſſibile: veluti, *Se vidiſſe Camelum in aëre volitantem.* II. Cùm quis jurejurando id aſſereret, de quo non erat quòd quis dubitaret: Exempli gratiâ, *Cœlum eſſe cœlum, lapidem eſſe lapidem*, &c. III. Cùm id ſe facturum juraret, quod omninò ipſi impoſſibile: *Se nempe per triduum & trinoctium non dormiturum; per plenam ſeptimanam ſe nihil guſtaturum*, &c. IV. Cùm ab eo abſtinere juraret, quod præceptum eſt, *Se nempe non geſtaturum Phylacteria*, &c. Ipſiſſima hæc exempla adducuntur in locis allegatis.

Tertiò, שבועת פקדון, *Juramentum de depoſito*: cùm nempe quis de depoſito apud ſe juraret, vel ſurreptum, vel fractum, vel perditum eſſe, & non à ſe deglutitum, &c.

Quartò, שבועת עדות, *Juramentum teſtimoniale* coram Judice, aut Magiſtratu.

In tribus ex his juramenti generibus, de veritate rei juratæ ſolummodò cautum eſt, non de vanitate jurandi.

Cautionem quidem aliquam adhibere videbantur circa juramentum vanum & temerarium. I. Flagellandum ſcilicet eum, qui ſic

Digitized by Google

CAP. V. VERS. 33. ſic jurat, & execrabilem fieri: quod innuit *Maimonides*, capite Tractatus allegati duodecimo; cui & ſuffragantur Gemariſtæ Hieroſolymitani, *Shevuoth*, fol. 34. 4. *Qui jurat, duo eſſe duo, vapulet ob vanum juramentum.* II. Terrorem etiam addiderunt, ex feralibus exemplis: quale eſt illud ipſiſſimo iſthoc loco. בר"ד בוליות היו בדרום, *Viginti quatuor cætus fuerunt in Auſtro, atque omnes vaſtati ſunt ob juramentum vanum.* Atque in Tractatu eodem, *fol.* 37. 1. Mulier ſepeliit filium ob juramentum, &c. In tam arctum tamen circulum vana juramenta concluſerunt, ut centies millies vanè jurari poſſet, & tamen intra limites cautionis de vano juramento non includi.

II. Jurare per Creaturas pro more & conſuetudine habuerunt.

Si quis jurat per cælum, per terram, per ſolem, &c. ſit licèt animus jurantis ſub his verbis per illum jurare, qui hæc creavit, hoc tamen non eſt juramentum. Aut, ſi quis jurat per aliquem ex Prophetis, aut per aliquem librum è libris Scripturæ, ſit licèt ſenſus jurantis per illum jurare, qui iſtum Prophetam miſit, aut qui iſtum librum dedit, nihilominùs hoc non eſt juramentum. *Maimon.* ubi ſuprà, cap. 12.

Si quis alium adjurat per cælum aut terram, reus non eſt: Talmud, ubi ſupra, cap. 4.

Jurârunt per cœlum. *Babyl. Beracoth*, fol. 55. השמים כן הוא, *Per cælum ità res eſt.*

Jurârunt per Templum. *Cherithuth*, cap. 1. halac. 7. *Cùm venderentur aliquando turtures & columbarum pulli Hieroſolymis denario aureo, dixit Rabban Simeon ben Gamalielis,* המעון הזה, *Per habitationem hanc* [id eſt, Per Templum hoc] *hâc nocte non quieſcam, niſi væneant denario argenteo.*

Ketubboth, cap. 3. & *Toſapht.* ibid. *Dixit R. Zechariah ben Ketſab,* המעון הזה, *Per Templum hoc, non receſſit manus mulieris è manu mea.* Babyl. Kiddushin, fol. 71. 1. *Dixit R. Jochanan,* היכלא, *Per Templum eſt in manu noſtra*, &c.

Juchaſin, fol. 56. col. 1. *Bava ben Buta juravit, Per Templum, in fine Tractatûs Cherithuth, & Rabban Simeon ben Gamaliel in initio,* הזה מנהג בישראל, *Et ſic mos fuit in Iſraële.* Nota hoc, *ſic fuit mos.*

Jurârunt per urbem *Hieroſolymam.* *Toſapht.* ad *Nedarim*, cap. 1. *Dicit R. Judah, Qui dicit Per Hieroſolymam, nihil dicit, niſi intento animo voverit Hieroſolymam verſus:* Ubi etiam poſt duas lineas interjectas, adduntur hæ jurandi vel vovendi formulæ: ירושלם לירושלם בירושלם: היכל: להיכל בהיכל, *Hieroſolyma, Pro Hieroſolyma, Per Hieroſolymam. Templum, Pro Templo, Per Templum. Altare, Pro Altari; Per Altare. Agnus, Pro agno, Per agnum. Paſtophoria, Pro Paſtophoriis, Per Paſtophoria. Lignum, Pro ligno, Per lignum. Sacrificia ignita, Pro ignitis, Per ignita. Patinæ, Pro patinis, Per patinas: hæc omnia, quod ego hoc faxo tibi.* CAP. V. VERS. 34, 36, 37, 38.

Jurârunt per capita ſua. *Sanhedr.* cap. 3. halac. 2. *Tenetur quis proximo jurare, & dicit ille,* דור לי בחיי ראשך, *Vove* [vel, *Jura*] *mihi per vitam capitis tui*, &c.

VERS. 34. Μὴ ὀμόσαι ὅλως.

In Tractatu *Demai*, cap. 2. halac. 3. præſcribuntur regulæ quædam religioſo: Inter alias, שלא יהא פרוץ בנדרים ובשחוק, *Nè nimius ſit in jurando & ridendo:* ubi Gloſſa *R. Solom.* פרוץ בנדרים, *Hoc vult, Nè multus ſit in juramentis, etiamſi de iis, quæ vera ſunt, juret: nam in multùm jurando impoſſibile eſt non profanare.* Arctiori vinculo ſuos meritò ligat *Salvator*, voluntario aut arbitrario juramento locum permittens omninò nullum. Incedit in medio ſenſus horum verborum, inter *Judæum*, qui aliquem locum arbitrario juramento indulſit, atque *Anabaptiſtam*, qui neceſſario nullum.

VERS. 36. Οὐ δύνασαι μίαν τρίχα λευκὴν ἢ μέλαιναν ποιῆσαι.

Hoc eſt, Non potes vel canos inducere, vel amovere.

VERS. 37. Ἔστω ὁ λόγος ὑμῶν, Ναὶ, ναί· Οὒ, οὔ.

הן הן. לא לא.

Maimon. in *Peah*, cap. 5. כשאן ומתנן של תלמידי חכמים באמת ובאמונה אמר על לא לא ועל הן הן, *Datio & acceptio* (id eſt, tranſactio) *inter diſcipulos Sapientum ſit in veritate & fide, dicendo Eſt, Eſt, Non, Non,* vel verbatim, *de Etiam Etiam, de Non Non.*

Gittin, cap. 7. halac. 1. *Si lunatico dicitur, Num libellum repudii conſcribemus uxori tuæ? ille autem capite annuat, ter experiuntur: & ſi ille reſpondeat,* על לאו לאו ועל הן הן, *ad Non Non, atque ad Etiam Etiam, conſcribant illi, ac dent uxori.*

VERS. 38. Ἠκούσατε ὅτι ἐῤῥέθη, Ὀφθαλμὸν ἀντὶ ὀφθαλμοῦ, &c.

Hanc legem etiam citat, ut Gloſſa Scribarum amictam, & in Scholis *Judaicis* jam receptam. Illi autem non in juſtam talionem legem

CAP. V. legem reſolverunt, ſed in pecuniariam com-
VERS. penſationem.
39. *Bava Kama*, cap. 8, & *Maimon.* in חובל ומזיק, cap. 1. *Detruncat quis manum aut pedem proximi? Hoc æſtimant ſecundùm exemplum venundati ſervi, computantes quanto pretio vaniret, cùm non mancus, quantoque minori, cùm jam mancus. Quantumque pretii diminutum, tantum detruncato ſolvendum, ſicut dicitur, Oculus pro oculo, &c. Traditione accepimus hoc intelligendum eſſe de ſatisfactione pecuniaria: quod autem dicitur in Lege*, Si labem impegerit proximo, eadem impingetur & ipſi, *Levit* 24:19. *non vult ut ille demancetur, prout alium demancavit; ſed, cùm dignus ſit demancatione, dignum eſt ut damnum perſolvat demancato.* Plurimâ charitate videbantur ſibi ſeveram iſtam legem emolliiſſe, cùm tamen interea parùm de viva charitate eſt cautum, & de offenſæ condonatione, apertâ adhuc ab iis relictâ ad exactionem ac vindictam januâ, quod patebit in ſequentibus.

VERS. 39. Ὅςις σε ῥαπίσει ἐπὶ τὴν δεξιὰν σου σιαγόνα.

Ut doctrina *Chriſti* hic clariùs eluceat, ex oppoſito ponatur doctrina *Judaica*; cui ille ſuam opponit.

Bava Kama, cap. 8. halac. 6. *Impingit quis colaphum proximo in aurem, det ei Solidum. R. Judah nomine R. Joſi Galilæi dicit, Det ei minam.*

סטרו נותן לו מאתים זוז, *Impingit ei colaphum in maxillam, det ei ducentos Zuzæos: ſi alterâ manu, det ei quadringentos.* (Confer verſum 39. *Si quis te percuſſerit in dextram maxillam tuam, præbe ei & alteram*).

צרם באזנו וגו׳, *Vellicat aurem ejus; aut evellit crinem, aut conſpuit, ita ut in eum concidat ſputum; aut tollit ab eo tunicam*; (nota hoc & confer verſum 40. *Qui vult tunicam tuam tollere*, &c.) *aut denudat caput mulieris in publico: det quadringentos Zuzæos.*

Rationem mulctæ tam ſeveræ petunt præcipuè à pudefactione ſic læſi, ac rei ipſius opprobrio, atque inſuper à dignitate Iſraelitæ: quod fuſe patefit à Gemariſtis in verba citata, atque à *Maimonide* in חובל ומזיק, capitibus 1, 2, 3, &c.

הכל לפי כבודו *Statuuntur atque infliguntur iſtæ mulctæ*, inquiunt, *ſecundùm dignitatem perſonæ læſæ. At dixit R. Akibah, Etiam pauperrimi Iſraëlitæ reputandi ſunt, acſi generoſi eſſent, exuti facultatibus ſuis; quia ſunt filii Abrahami, Iſaaci, & Jacobi.*

Hinc facilis patet aditus ad rationem doctrinæ *Chriſti*. I. Legem talionis citat, ut ex iſtius Antitheſi clarior eluceat charitas, & condonatio *Chriſtiana*. II. Hæc ſpecialia memorat, quæ indigniſſima videbantur, & non to- CAP. V.
leranda à generoſitate *Judaica*; ut humilita- VERS.
tem Euangelicam prædicet magis & patienti- 40,41.
am, atque abnegationem ſui. At cur data Lex talionis, ſi in hoc tandem liquetur? Eâdem ratione, quâ lex lethifera de adulterio: in terrorem ſcilicet, ac in demonſtrationem peccati. Utraque ex charitate emollienda; hæc condonatione, illa libello repudii; aut, ſi ſic marito viſum, condonatione quoque.

VERS. 40. Καὶ τῷ θέλοντί σοι κριθῆναι, καὶ τὸν χιτῶνά σου λαβεῖν, &c.

Χιτῶνα, טלית, ſic in verbis Talmudicis allegatis, העביר טליתו, *Tollit tunicam.* De ea ſic *Aruch*, טלית הוא רדיד, *Talith eſt pallium. Et quare vocatur*, טלית? שהוא למעלה מכל בגדים, *quia eſt ſupra omnes veſtes*, id eſt, quia eſt veſtis extima.

In veſte hac exteriori intextæ ſunt fimbriæ iſtæ memorativæ Legis, de quibus mentio, *Num.* 15:38. Hinc illud *Babyl. Schabb.* fol. 23. 2. הזהיר בציצית זוכה לטלית נאה, *Qui curat de peniculamentis, meretur bonam tunicam.* Indè auctum eſt opprobrium ſimul cum injuria, cùm tolleretur illud, de quo non parum jactantiæ, imò & in quo non parùm religionis, *Matth.* 23:5. Χιτὼν καὶ ἱμάτιον, טלית וחלוק, *Babyl. Bava Mezia*, fol. 78. 2. *Si det quis pauperi denarium ad coëmendum* חלוק, Ἱμάτιον, *nè coëmat* טלית, χιτῶνα. *Nedarim*, fol. 33. 1. משאיל לו חלוק וטלית, *Accommodat ei* Ἱμάτιον καὶ χιτῶνα.

VERS. 41. Καὶ ὅςις σε ἀγγαρεύσει μίλιον ἕν, &c.

Injuriâ corporali affecto quinque hæ ſolvendæ erant mulctæ pro ratione & qualitate injuriæ, בנזק בצער בריפוי בבושת בשבת, *Mulcta pro demancatione*, ſi modò ille demancatus: *mulcta pro dolore*, tolerato è plaga, aut vulnere inflicto: *mulcta pro* vulneris aut plagæ *ſanatione: mulcta pro illato opprobrio: & mulcta pro ceſſatione*; cùm ſcilicet vulneratus, aut plagâ afflictus, decumbens, rebus ſuis adeſſe non potuit. *Bava Kama*, ubi ſuprà.

Ad primam reſpicere videntur prima verba *Salvatoris*, Μὴ ἀντιςῆναι τῷ πονηρῷ. Nè ſic in injurioſum obſiſtas vel inſurgas, ut Legem talionis in eum exigas: ad ſecundam & quartam verba ſequentia, ὅςις σε ῥαπίσει, ad eaſdem & iſta, θέλοντι χιτῶνά σου λαβεῖν: ad ultimam hæc, quæ ſub manibus, & ad ſecundam certè, *ſi proponitur genus ſervitutis intolerabile*, quod ait clariſſimus *Beza*.

Vox חלוורת, Talmudicis uſitatiſſima,
quâ

CAP. V. VERS. 41. quâ denotant proficiſcentem aliquatenùs honoris ergô comitari, ad ſenſum verbi ἀγγαρεύειν non pertingit, ſed mollis nimis eſt & humilis. Pro officio habitum eſt, Mortuum ad ſepulchrum, & Rabbinum diſcedentem aliquatenùs comitari. Hinc hiſtoria iſta *Hieroſ. Schabb.* 8. 3. *Germani ſervus R. Judæ Naſi, volens R. Illum diſcedentem* προπέμψαι, מילוויה, *obvium habuit canem rabidum*, &c. Veſtigia hujus officii inter *Chriſtianos*, *Tit* 3:13. 3. *Joann. verſ.* 6. indicia officii, amoris & reverentiæ: at quod à Magiſtris *Judæorum* exigebatur ex arrogantia, & ſuperciliosa autoritate, præſtandum Rabbino, quà Rabbino.

At ἀγγαρεύειν duriùs ſonat, & non tam officii impulſum, quàm violentiæ coactionem fatur: retinentque Talmudici ipſiſſimam iſtam vocem אנגריא, exemplisque non paucis quid ſibi velit demonſtrant. *Babyl. Joma*, fol. 35.2. *Fertur de R. Eliazar ben Harſum, quod legavit ei pater ejus mille urbes in arida, & mille naves in mari: at ille tamen, unoquoque die portans ſecum utrem farinæ in humero ſuo, profectus eſt ab urbe in urbem, & à regione in regionem, ut diſceret Legem. Quodam die occurrunt ei ejus ſervi*, ועשו בו אנגריא, *atque eum angariant. Dicit iis, obſecro vos me dimittere, ut abeam, & diſcam Legem. Dicunt ei, Per vitam R. Eliazari ben Harſum, non te dimittemus*, &c. Gloſs. אנגריאה עבוד' שר העיר. *Angaria eſt ſervitus Politarchæ, & fuit hîc inſervire ſibi*, (nam ipſe fuit Dominus urbis.) *At illi eum non nôrunt, ſed arbitrati ſunt unum eum fuiſſe ex iſtis ſuis urbibus: nam Famulitium domini incumbit iis.*

Idem, *Nedarim*, fol. 32.1. *Dicit R. Eliezer, Quare punitus eſt Abrahamus pater noſter, & afflicti ſunt filii ejus in Ægypto ducentis & decem annis?* מפני שעשה אנגריא בתלמידי חכמים, *Quia angariavit diſcipulos Sapientum; ſicut dicitur*, וירק את חניכיו, Armavit Catechumenos ſuos, *Gen.* 14:14.

Idem ferè etiam dicitur de Rege *Aſa*, *Sotab*, fol. 10.1. *Quærit Rabba, Quare punitus eſt Aſa* [podagrâ]? שעשה אנגריא בתלמידי חכמים, *Quia angariavit diſcipulos Sapientum: ſicut dicitur*, Et Rex Aſa convocavit omnem Judam, nemine excepto, &c. 1 *Reg.* 15:22.

Mentio etiam occurrit de angariando jumento, *Bava Mezia*, cap. 6. hal. 3. או שנעשית אנגריא אומר לו הרי שלך לפניך, *Aſino conducto ad iter montanum, conducens autem carpit iter in convalli, ſit licèt utrumque æqualis ſpatii, decem miliarium; ſi moriatur aſinus, conducens eſt reus*, &c. *At verò, ſi angariatus fuerit aſinus, dicit conducens poſſeſſori; Ecce, tuum tibi babe*, &c. Gloſſa או שנעשית אנגריא, *Si angariatus fuerit, id eſt, ſi eum arripiunt ad opus aliquod Regis*, &c.

CAP. V. VERS. 43, 46. Vides ergò quò tendat exhortatio *Salvatoris*. I. Ad patientiam ſub aperta injuria, & cui nullus prætextus, verſu triceſimo nono. II. Sub injuria, cui prætenditur jus aliquod, atque æquitas in foro, verſu quadrageſimo. III. Sub injuria, coactione, aut violentia, cui patrocinatur autoritas Regalis, aut Superiorum.

VERS. 43. Μισήσεις τὸν ἐχθρόν σου.

Adduci hic poſſent venenati iſti Canones, quibus in æternum odium inſtruuntur in Gentiles, inque ipſos Iſraëlitas, qui non, quoad ſingula, in iiſdem traditionibus ac ritibus ſecum incedunt. Exemplum hoc unum ſatis ſit pro plurimis, quæ præſtò ſunt ubique. *Hæretici Iſraëlitici, id eſt, qui idola colunt ex Iſraële, aut qui tranſgrediuntur ut irritent; itemque Epicurei, id eſt, Iſraëlitæ, qui negant Legem & Prophetas, ex præcepto ſunt occidendi, ſi poteſt quis eos occidere, idque palàm; ſi autem non apertè, clàm & aſtutè machineris eis mortem.* Et paulò poſt, (ô extremam in Gentiles Judæorum charitatem) *Gentilibus verò, quibus nobiſcum non eſt bellum, itemque paſtoribus pecorum minutiorum, aliiſque iſtiuſmodi, non mortem quidem ità machinantur; at probibitum tamen eſt eos à morte liberare, ſi de morte periclitantur. Exempli gratiâ, videt Judæus quemquam eorum lapſum in mare, nullo modo eum inde tollat: nam ſcriptum eſt*, Non inſurges in ſanguinem proximi tui: *at hic non eſt proximus.* Maimon. *in* רוצח *cap.* 4 Et porrò, cap. 13. *Iſraëlita, qui ſolus videt alium Iſraëlitam tranſgredientem, eumque admonet, non reſipiſcentem tenetur odio habere.*

VERS. 46. Οὐχὶ καὶ οἱ τελῶναι τὸ αὐτὸ ποιοῦσι.

Quàm odioſi genti *Judaicæ* fuerint Publicani, ex iſta præſertim gente orti, quàmque bipedum nequiſſimos eos reputârint, multifariàm patet apud Euangeliſtas: atque ipſiſſimus idem eſt eorum character apud Scriptores ſuos.

Maimon. in גזלה, cap. 5. *Hominum, de quibus præſumitur eos fures eſſe, præſumiturque omnes eorum opes per rapinam congeſtas eſſe, opuſque totum ſuum eſſe opus rapacium, veluti Publicanorum & latronum, opibus uti non licet, nec eſt eorum nummus cum tuo commiſcendus, eò quòd præſumitur ex rapina acquiſitus.*

Babyl. Sanbedr. fol. 25.2. Inter eos, qui nec ad judicandum idonei fuerunt, nec ad teſtimonium in judicio perhibendum, numerantur הגבאין והמוכסן, *Exactores, & Publicani.*

Nedarim, cap.3. halac.4. Conjunguntur Publicani cum ſicariis & latronibus, נודרין להרגין ולחרמין ולמוכסין, *Jurant ſicariis, latronibus, & Publicanis*, (bona invadentibus) *Hæc eſt oblatio*, &c. *Noſcitur ex ſocio.*

Inuſta iis, nec immeritò, fuit talis ignominia, partim ob eorum rapinam, partim quòd oneri genti impoſito ipſi onus addiderunt.

Maimon. ubi ſuprà. *Quandonam ſunt Publicani reputandi pro furibus? Quando ſcilicet eſt Gentilis, vel quando ex ſeipſo illud muneris uſurpat; vel quando à Rege deputatus, non definitam ſummam exigit, ſed pro arbitrio.* Ideò pro rara avi reputandus eſt Pater *R. Zeiræ*, qui, cùm Publicanus foret per annos tredecim, onera tributorum non gravavit, ſed emollivit. *Babyl. Sanhedr.* fol. 25. 2. *Gaon* apud *Aruch* in מכס. *Cùm Rex tributum definiret à Judæis exigendum, ab unoquoque ſecundùm facultates ſuas; hi Publicani, ad rem proportionandam deputati, προσωπολῆπται facti ſunt, hos onerantes, illis indulgentes; & ſic facti ſunt deprædatores.*

Quò gravius fuit populo *Judaïco*, liberam gentem ſe jactanti, jugum Ethnicum, eò odioſius hoc hominum genus, *Judaico* ſanguine ortum, & tamen jugum eorum longè gravius reddens per has rapinas.

CAP. VI.

VERS. 1. Προσέχετε τὴν ἐλεημοσύνην ὑμῶν μὴ ποιεῖν, &c.

QUæritur, an *Matthæus* Ἐλεημοσύνην ſcripſerit, an Δικαιοσύνην.

Reſp. I. *Salvatorem* certè צדקה dixiſſe [aut Syriacè זדקתא] nullus dubito; at non potuiſſe à vulgo niſi de Eleemoſyna intelligi, æquè nihil dubitandum. Nam tametſi vox צדקה, ſecundùm Veteris Teſtamenti Idioma, nihil aliud ſignificat quam *Juſtitiam*; nunc tamen, cùm hæc loqueretur *Salvator*, nihil æquè ſignificavit ac *Eleemoſynam*.

II. Eâdem voce זדקתא, etiam uſus eſt *Chriſtus* in verſiculis tribus proximè ſequentibus, & *Matthæus* voce uſus Ἐλεημοσύνη: at quonam, quæſo, jure ille verſu primo Δικαιοσύνην diceret, ſequentibusque Ἐλεημοσύνην: cùm *Chriſtus* utrobique voce uſus fuerit unâ eâdemque? *Matthæo* non licuit Græcè mutare, ubi *Salvator* Syriacè non mutaverat.

Dicendum ergo Dominum *Jeſum* vocem צדקה, vel זדקתא adhibuiſſe, per quatuor hos primos verſiculos; at loquentem cum vulgo, de Eleemoſyna intellectum fuiſſe à vulgo.

Eleemoſynam autem nomine צדקה, *Juſtitiæ* inſignierunt, eò quòd plurimùm ad juſtificationem conferre Eleemoſynam docerent Patres Traditionum, & crederet vulgus. Audi Cathedram hac in re *Judaicam*.

Babyl. Bava Bathra, fol. 10. 1. & *Midr. Tillin*, in *Pſalm.* 17:15. *Ob Quadrantem unum pauperi datum in Eleemoſynam, particeps fit homo beatificæ viſionis.* Ubi verba hæc, אני בצדק אחזה פניך, ſic reddit, *Ego faciem tuam aſpiciam propter Eleemoſynam.*

Babyl. Roſh haſhanah, fol. 4. 1. Dicit quidam, *Nummus hic cedit in Eleemoſynam, ea propter, ut vivant filii mei, atque ut ipſe acquiram mundum futurum.*

Idem *Beracoth*, fol. 55. 1. *Menſa hominis per Eleemoſynam nunc expiat, ſicut olim Altare per Sacrificia.*

Hieroſ. Peah, fol. 15. 2. *Si Eleemoſynas præſtiteris è crumena tua, cuſtodiet te Deus ab omni damno & nocumento.*

Ibid. *Rex Monobazes, largâ manu pauperibus ſua erogans, hæc audiit à cognatis ac amicis, Majores tui & proprias opes auxerunt, & à patribus legatas; tu verò & tuas atteris & Majorum. Quibus ille, Opes ſuas repoſuerunt patres mei in terris: ego meas in cælo; ſicut ſcriptum eſt, Florebit veritas è terra, Juſtitia autem proſpiciet è cælo. Theſauros reconiderunt patres mei, fructum non ferentes: ego verò ferentes fructum; ſicut dicitur, Juſtis bene erit, nam ipſi fructus comedent operum ſuorum. Theſaurizârunt patres mei, ubi poteſtas eſſet manibus: ego vero ubi non eſt; ſicut dicitur, Juſtitia & judicium eſt habitatio throni ejus. Congeſſerunt patres mei pro aliis: ego pro meipſo; ſicut dicitur, Atque hoc tibi erit in Juſtitiam. Corraſerunt illi in hunc mundum: ego in futurum; ſicut dicitur, Juſtitia liberabit à morte.* Recitantur & hæc in *Babyl. Bava Bathra*, fol 11. 1.

Apertè obſervas, quo ſenſu *Juſtitiam* intelligat, Eleemoſynæ ſcilicet: iſtoque ſenſu, non tam à propria incude efformato, quàm univerſæ gentis, quamque a Doctoribus ſuis Phariſæis Catechumenus imbiberat.

Eccum Eleemoſynæ ex ipſo opere operato [aſſerente Cathedrâ Phariſaïcâ] virtutem juſtificatricem ac ſalvatricem. Et hinc eòuſque apud deceptum populum increbuit hujus efficaciæ opinio, ut non alio nomine (intra vocem unam definito) Eleemoſynam indigitarent, quàm צדקה, *Juſtitiæ*. Ad doctrinæ hujus irriſionem fortè referuntur verba iſta *Servatoris*, Luc. 11:41. *Imò ea, quæ penès vos ſunt, date in Eleemoſynam, & ecce, omnia erunt munda vobis:* meritò quidem ad præſtandas Eleemoſynas hortantis; at

tamen

CAP. VI. VERS. 2. tamen ſimul avaritiam Phariſæorum vellicantis, vanamque eorum de munditie ex lotione manuum opinionem ex ſua ipſorum de Eleemoſynæ efficacia confutantis. Ac ſi dixiſſet, Aſſeritis vos Eleemoſynam juſtificare ac ſalvare, atque ideò eam nomine *Juſtitiæ* inſignitis; quare ergò puritatem ex lotione manuum, ac non potiùs ex præſtatione Eleemoſynæ ambitis? Encomia Eleemoſynæ ſublimia nimis vide in *Babyl. Bava Bathra*, fol. 8, 9, 10, 11. *Babyl. Chagig.* fol. 5. 1. *R. Jannai vidit quendam, nummum pauperi dantem palàm; cui dixit, Præſtat non dediſſe, quàm ſic dediſſe.*

Εἰ δὲ μή γε μισθὸν οὐκ ἔχετε.

De mercede ideò loqui videtur potiùs, quòd mercedem ob præſtitas Eleemoſynas abſque dubio expectarent, idque, ut diximus, ob opus operatum.

Hieroſ. Peah, fol. 21. 1. *R. Lazar fuit Eleemoſynarius Synagogæ. Ingreſſus aliquando domum ſuam dixit, Quid novi? Reſponderunt, Venerunt huc quidam, & comederunt ac biberunt, & pro te preces fuderunt. Tunc, inquit ille, non eſt merces bona. Aliâ vice domum ſuam ingreſſus, dixit, Quid novi? Reſponſum eſt, Venerunt alii nonnulli, & comederunt, & biberunt, & tibi ſunt convitiati. Jam ergo, inquit, erit merces bona.*

VERS. 2. Μὴ σαλπίσῃς ἔμπροσθέν σου, ὥσπερ οἱ ὑποκριταὶ ποιοῦσιν ἐν ταῖς συναγωγαῖς, καὶ ἐν ταῖς ῥύμαις.

An hæc ſalpizatio ſecundùm literam ſit intelligenda, an ſenſu mutuatitio, juſtus eſt ſcrupulus. Non inveni, quæſiverim licet multùm ſerióque, vel minimum tubæ veſtigium in præſtandis Eleemoſynis; à doctioribus libentiſſimè hoc diſcerem.

Eleemoſynam Judæorum ordinariam tripartiaris.

I. לתמחוי, Eleemoſynam dederunt ſportulæ, vel caniſtro publico: תמחוי (definiente autore *Aruch*, idque è *Bava Bathra*, loco noviſſimè citato) fuit vas *quoddam, in quo colligebantur panis & eſculenta,* לעניי עולם, *pro pauperibus mundi. Caniſtrum eleemoſynarium* non immeritò voces, vocat ille קערה, *Scutellam.* Per עניי עולם, *Pauperes mundi*, intelligendi ſunt mendici quivis oſtiatim petentes, etiam vel Ethnici. Indè *Hieroſ.* ubi ſuprà, תמחוי לכל אדם, *Scutella eleemoſynaria fuit pro quolibet homine.* Et, ut porrò *Aruch*, נגבית בכל יום בג׳ ונתחלקת בג׳, *Exigebatur hæc Eleemoſyna quotidie per tres viros, & diſtribuebatur per tres.* Exigebatur ab oppidanis per collectores intra fores ſuas, quod patet per cautionem iſtam *Bava Bathra*, fol. 8. 2. גבאי צדקה אין רשאין לפרוש זה מזה אבל פורש זה לשער וזה לחנות, *Non licet collectoribus eleemoſynæ ab invicem ſe ſeparare, niſi quod hic ſecedere poſſet ad portam, ille ad tabernam.* Hoc eſt, ut explicat Gloſſa, Non licuit iis diviſim & ſeparatim exigere hanc Eleemoſynam, nè oriretur ſuſpicio, in proprium uſum & beneficium ſe quod datum erat clàm contuliſſe: hoc ſolùm licuit; cùm ad portam accederent, potuit unus ad portam ſe conferre, alter ad tabernam ei vicinam, ut ab habitantibus utrobique peterent; hoc tamen proviſo, ut ambo ſimul eſſent intra mutuum conſpectum. Ità ut ad fores ſingulas receptam hanc Eleemoſynam à collectoribus pateat: nec adſit hìc ulla omninò tubæ probabilitas, cùm infimi gradus eſſet hæc Eleemoſyna, advenis ſcilicet vagabundis, iiſque frequentiſſimè Ethnicis eroganda.

II. לקופה: Eleemoſynas contulerunt etiam in *arcam pauperum* publicam, diſtribuendas pauperibus ſolùm iſtius urbis. תמחוי לעניי העולם, *Scutella eleemoſynaria eſt pro pauperibus mundi.* קופה לעניי אותה העיר, *At ciſta eleemoſynaria pauperibus ſolùm iſtius urbis.* Colligebatur hæc ab oppidanis per duos *Parnaſin*, de quibus anteà; quibus etiam tertius addebatur, ad ejus diſtributionem. Rationem numeri, notatu non indignam, reddunt Gemariſtæ Babylonici his verbis, *Traditio Rabbinorum: Ciſta eleemoſynaria exigitur per duos, & diſtribuitur per tres. Exigitur per duos,* שאין עושים שררות על הציבור פחות משנים, *Nam non præficiunt* προστασίαν *in Synagoga minorem, quàm duorum,* ומתחלקת בג׳ כדיני ממונות, *Et diſtribuitur per tres, ſicut judicia pecuniaria tranſiguntur per tres.*

Colligebatur hæc Eleemoſyna in Synagoga, Sabbato [confer 1. *Cor.* 16:2.] & diſtribuebatur pauperibus, veſpere Sabbati; hinc illud, קופה מערב שבת לערב שבת, *Ciſta Eleemoſynaria à veſpere Sabbati ad veſperum Sabbati, Scutella Eleemoſynaria unoquoque die.* An ergò caneretur tubâ in Synagoga, cùm præſtarentur Eleemoſynæ, iterum in obſcuro latet, cùm non apertè hoc memorant *Canoniſtæ Judaici*, dum copioſiſſimè agunt de his Eleemoſynis. Habuit quidem unaquæque Synagoga ſuam tubam. Nam I. Tubâ canebatur in unaquaque urbe, in qua erat conſeſſus judiciarius, ad introitum novi anni: at hoc non niſi poſt excidium Templi: vide *Roſh Haſhanah*, cap. 4. halac. 1. II. Canebatur tubâ, cùm quis feriretur excommunicatione. Hinc inter utenſilia Judicis numeratur tuba, *Babyl. Sanhedr.* fol. 7. 2. כלי דדיינין, nam inſtrumenta Judicum, ut liquet illic, fuerunt מקל רצועה שופרא וסנדלא, *virga, flagellum, tuba & ſandalium,*

CAP. VI. VERS. 2.

lium. שופרא לשמתא ונידוי, *Tuba*, inquit Gloſſa, *ad excommunicationem, atque Anathematizationem: & Sandalium ad diſcalceationem leviri.* Atque ibidem fol. 107.2. mentio eſt de *Jeſu* excommunicato, productis ad iſtam rem quadringentis tubis. III. Canebatur tubâ ſexies ad introitum uniuſcujuſque Sabbati: ut indè dato ſigno ceſſaretur ab operibus ſervilibus. De hac re agitur *Babyl. Schabb.* fol. 35.2. Sic aderat quidem in omni Synagoga tuba; at num adhibita, dum præſtarentur Eleemoſynæ, adhuc quæro. Subit illud in *Hieroſ. Demai*, fol. 23.2. גבאי' צדקה ביט" לא יהו מכריזין כדרך שמכריזין בחול, *Exactores Eleemoſynæ non proclamant die feſto, ſicut proclamant die communi; ſed exigunt clanculùm, & reponunt in ſinu.* Sed num hæc proclamatio palàm faceret quid ab unoquoque eſſet datum, an admoneret de non dando, niſi quod ritè dari poſſet; judicent doctiores ex loci inſpectione.

III. Eleemoſynam etiam dederunt ex agro, eamque præcipuè quadruplicem. 1. Angulum agri non demeſſum. 2. Manipulos in agro relictos, vel ex oblivione, vel voluntariè. 3. Reliquias vindemiationis, de quibus vide *Levit.* 19: 9, 10. *Deut.* 24: 19. Et 4. מעשר עני, Decimas pauperum, de quibus fuſè à *Talmudicis* in Tractatibus *Peah*, *Demai*, & *Maaſaroth*. Ad has colligendas convocati ſunt pauperes ג" אבעיות ביום בשחר ובחצות ובמנחה, *Tribus manifeſtationibus in die, manè ſcilicet, & meridie, & ad Minchah.* Peah, cap. 4. halac. 5. Hoc eſt, Ter in die ſe palàm in agro exhibuit dominus agri; eo fine, ut tunc accederent pauperes collectum: Manè, nutricum gratiâ; eò quòd dormientibus intereà temporis earum infantulis, liberiùs eis liceret in hanc rem exire: Meridie, puerulorum gratiâ, qui etiam tunc temporis parati ſunt ad collectionem: Ad Minchah, ſenum gratiâ. Sic Gemariſtæ *Hieroſ.* & Gloſſatores in *Babyl.*

Hæ erant ordinariæ populi *Judaïci* Eleemoſynæ: in quibus præſtandis cùm de tuba nihil ſoni apud Scriptores ſuos adhuc compertum habeam; ego, aut *Salvatorem* hîc Metaphoricè loquutum autumo, aut, ſi tuba adhibita, adhibitam ad Eleemoſynas peculiares atque extraordinarias.

Summè approbârunt *Judæi* Eleemoſynas ſecretò præſtitas; hinc לשכת חשאי, *Gazophylacium ſilentum* nobilis memoriæ in Templo, quò *Eleemoſynas ſuas contulerunt religioſiſſimi quidam ſilenter & clanculùm, unde nutriebantur pueri pauperes virorum bonorum.* Aruch in חש. Atque hinc adagium illud, גדול העושה צדקה בסתר יוהר ממשה רבינו, Ὁ ποιῶν ἐλεημοσύνην ἐν κρυπτῷ, *major eſt ipſo Moſe, Magiſtro noſtro. Babyl. Bava Bathra*, fol. 9.2. Et tamen tali pruritu laborabant ad publicandas Eleemoſynas ſuas, nè non conſpicerentur ab hominibus, ut eas non ſine tuba, aut, quæ tubæ inſtar erat, faſtuoſâ earum patefactione, præſtarent; quò magis digito monſtrarentur ipſi, & de iis diceretur, Hi ſunt.

CAP. VI. VERS. 3, 5.

VERS. 3. Μὴ γνώτω ἡ ἀριστερά σου τί ποιεῖ ἡ δεξιά σου.

Loqui videtur ad morem in rebus quibuſdam aliis uſitatum. In actionibus enim nonnullis, quæ religionem ſpectârunt, non admiſerunt concurſum ſiniſtræ cum dextra. *Poculum vini, ad ſanctificandum ingreſſum Sabbati adhibitum, dextrâ manu ſumendum erat, auxilio ſiniſtræ non admiſſo. Maimon.* in *Schabb.* cap. 29, &c. *Nè quis ſanguinem ſacrificii recipiat in vaſculum, adducat ad Altare, vel ſpargat manu ſiniſtrâ. Babyl. Joma*, fol. 49.1. ibidemque, fol. 77.2. refertur de *Shammæo*, quòd noluit ſe cibare niſi manu unâ.

VERS. 5. Φιλοῦσιν ἐν ταῖς συναγωγαῖς, καὶ ἐν ταῖς γωνίαις τῶν πλατειῶν ἑστῶτες προσεύχεσθαι.

I. *Orabant ſtantes.*] *Luc.* 18: 11, 13. *Marc.* 11: 25.

Babyl. Beracoth, fol. 26. 2. *Scriptum eſt, Et ſurrexit Abraham multo mane ad locum, ubi ſteterat coram Domino.* ואין עמידה אלא תפלה, *At Stare nihil aliud fuit, quàm Orare: ſicut dicitur*, ויעמד פנחס ויפלל, Et ſtetit Phinehas & judicavit.

Hieroſ. fol. 20.1. *Ingreditur quis in Synagogam*, ומצאן עומדין בתפלה, *invenitque illos ſtantes in oratione.*

Maimon. in *Deah*, cap. 5. *Diſcipulus Sapientum deorſum ſpectet*, כשהוא עומד בתפלה, *cùm ſtat orans.* Et nè plura, idem *Maimonides* in *Tephillah*, cap. 5. in oratione hæc requiri aſſerit, nempe ut *ſtet* orans, ut faciem *Hieroſolymas* verſùs convertat, ut caput operiat, atque ut oculos figat deorſùm.

II. *Amabant orare in Synagogis.*] *Tanchum*, fol. 35.1. *Pergit ad Synagogam ad orandum.*

Hieroſ. Beracoth, fol. 2.1. *Quare recitant Phylacteria in Synagoga, cùm ad hoc non teneantur? Dicit R. Joſi, Non ea recitant in Synagoga, eo fine, ut ſic præſtetur totum officium de Phylacteriis, ſed ut perſtetur in oratione. Nam repetenda erat hæc recitatio, cùm deventum eſſet domum. Piske* in *Berac.* cap. 1. artic. 6.

Rabbenu

Digitized by Google

CAP. VI. VERS. 5.

Rabbenu Aſher in *Beracoth*, fol. 69. 3. *Cùm quis veſpere ab agro ſe domum confert, nè dicat, Ibo in domum meam, ſed primò ſe conferat ad Synagogam: &, ſi habilis ſit ad lectionem, legat quid; ſi ad recitandas traditiones, recitet; & deinde recitet Phylacteria, & precetur.*

At, nè nimii ſimus, vel ex hac ipſa opinione, ad Synagogas oraturi ſe conferre ſunt ſoliti, quòd perſuaſum iis eſſet, preces Synagogæ certè eſſe auditas.

III. *Orabant in plateis.*] *Maimon.* in *Tephillah*, cap. 11. *Orabant in plateis in feſtis & publicis jejuniis.*

Taanith, cap 2, halac. 1, & 2. *Quiſnam ritus jejuniorum? At eam produxerunt in plateas urbis, cineremque ſparſerunt in Arcam, & in caput præfecti Synhedrii & vice-præfecti, atque impoſuit unuſquiſque cineres in caput ſuum. Aliquis è ſenioribus ſic hortatur, Non dicitur, ô fratres, de Ninivitis, quòd videret Deus ſaccum eorum, aut jejunia eorum, ſed quòd videret opera eorum,* &c. *Stant orantes, ac ſeniorem aliquem idoneum ſtatuunt coram Arca, atque orat ille coram iis viginti & quatuor orationes.* Vide etiam *Maimonidem* in *Taanith*, cap. 3.

At num omnes in Synagoga orationes damnat *Salvator*? Abſit. Nam & ipſe in & cum Synagoga oravit: nec publicas illas in plateis preces, à toto cœtu in ſummis iſtis ſolennitatibus fuſas, nudè reprehendit; ſed preces utrobique & in Synagogis, & in plateis, privatè fuſas, at tamen publicè etiam, & in conſpectu omnium, ut indè nomen & famam aliquam aucuparetur orans à videntibus.

I. Dum preces publicæ in Synagoga funderentur, uſitatum etiam fuit vanam gloriam venantibus, preces privatas & à Synagoga diſcretas muſſitare, quò intentiùs in precantem oculi omnium converterentur.

Hieroſ. in *Beracoth*, fol. 8. 3. *Non oravit quis orationes matutinas? Ingreſſus Synagogam, reperit illos orantes orationem addititiam? Si pro certo habeat ſe incepturum ac deſiturum, ità ut poſt Angelum Eccleſiæ reſpondeat Amen, Oret.*

II. Orabant etiam ſingulatim in plateis. *Hieroſ.* ubi antè, *Dixit R. Jochanan, Vidi ego R. Jannai ſtantem atque orantem in plateis Tſipporis, & progredientem ad quatuor cubitos, atque orantem orationem additiam.*

Duæ res præcipuè hypocriſin eorum hîc arguunt. I. Quòd de recitandis Phylacteriis precibusque adjunctis adeò cautum eſt [intra juſtum tempus id fieri] ut ubicunque quis eſſet poſitus, cùm adveniret præfinitum tempus, ad orationes ſe recipiat protinùs; *architectus vel in culmine arboris, inſidens aſino illicò deſcendat, & recitet*, &c. Hæc ipſiſſima ſunt Canoniſtarum Exempla, quæ cum pluribus vide in *Beracoth*, cap. 1, 2, 3, 4. Anſam ergò hinc nacti ſunt flatuoſi iſti hypocritæ ſe oſtentandi: adveniente enim orationum Phylactericarum horâ, curæ atque induſtriæ iis fuit, ut in plateis deprehenderentur: quò magis, tempore Canonico eos ad preces illic cogente, ab omnibus conſpicerentur, & zelum ac religionem eorum miraretur vulgus, applauderetque. Cui hypocritico ſaltui, & hunc etiam non rarò adjiciebant, ut longiſſimâ pauſatione uterentur, & ante inceptas orationes, & poſt finitas; ità ut per tres horas continuas uſitatiſſime conſpicerentur in habitu poſiti & ſtatu precatorio. Vide *Babyl. Beracoth*, fol. 30. 2. & 32. 2. Ità ut non ſine ratione inſaniverint Canoniſtæ, cùm ab ortu auroræ ad horam diei uſque tertiam, ſpatium indulſerint precibus Phylactericis, quoniam vix intra minus ſpatium eas abſolverint trihorarii iſti precatores, per horam totam pauſantes ante preces inceptas, tantùm temporis poſt finitas. II. Ad ejaculationes, preces, & benedictiones ſeſe addixerunt, ex occurſu cujuslibet ferè rei, vel in plateis, vel in via obviàm euntis. *Cum viderit quis locum, in quo editum eſt aliquod miraculum pro Iſraële; locum, à quo eradicata eſt Idololatria; aut locum, in quo jam aderat idolum: oratiunculâ eſt utendum. Cùm viderit quis Æthiopem, nanum, curvum, mancum*, &c. *benedicendum. Arborem videns pulchram, aut faciem formoſam, benedicat, Benedictus ſit ille, qui creavit creaturæ formoſitatem*, &c. *Beracoth*, cap. 9.

CAP. VI. VERS. 7.

VERS. 7. Μὴ βαττολογήσητε, ὥσπερ οἱ Ἐθνικοί.

Vide Battologiam *Ethnicorum* ſupplicantium civilem, apud *Lampridium* in *Commodo. Parricida trahatur. Rogamus, Auguſte, parricida trahatur. Hoc rogamus, parricida trahatur. Exaudi Cæſar, Delatores ad leonem. Exaudi Cæſar, Delatores ad leonem. Exaudi Cæſar*, &c, Vide & eundem in *Severo*.

Gallican. in *Avidio Caſſio. Antonine pie, Dii te ſervent. Antonine clemens, Dii te ſervent. Antonine clemens, Dii te ſervent.*

Vide & *Capitolinum* in *Maximinis*.

Battologiam in orationibus ſapiunt illa, 1. *Reg.* 18:26. *Baalitæ nomen Baal invocârunt, à mane ad meridiem, dicentes, Audi nos, ô Baal.*

Eodem ferè modo, quo *Ethnici* βαττολογίας miſcuerunt in precibus ſuis, *Judæi* in

ſuis

Digitized by Google

CAP. VI. VERS. 5. ſuis Συνωνυμίαις: non eadem quidem repetentes, ut illi, iiſdem verbis, at idem proferentes variatis Phraſibus; quòd ſatis patet Liturgias eorum, tam vetuſtiores, quàm recentiores perlegenti. Et certè æquè peccari potuit in Synonymia, ac in Battologia, ſi modò in utraque eadem adeſſet vafrities ac hypocriſis, in multiplicatis tantùm verbis, at abſente corde. Atque in hac re quidem peccavit *Judæus* parùm minùs, quam *Ethnicus*; nam hoc apud eos axioma, כל הכרכה נ הכלה נענה, *Omnis multiplicans orationem auditur, Hieroſ. Taanith*, fol. 67.3. Non tam damnat ergò *Chriſtus* nudam earundem petitionum reïterationem, ſive in iiſdem terminis, ſive in Synonymis, [nam & ipſe ter eadem protulit, cùm oraret in horto] quàm vafram opinionem, quaſi aliquid virtutis, aut zeli, aut pietatis eſſet in iſtiuſmodi battologiis; citiùſque audiri, & apud Deum valere tales repetitiones. *Ethnicos* feriens, ferit & *Judæos*, qui & eâdem veſaniâ laborabant; aſt *Ethnicorum* ſolùm mentio, partim quòd *Ethnicam* cœcitatem hoc ſaperet potiùs, quàm veræ religionis profeſſionem, quam jactârunt *Judæi*; partim præſertimque, nè preces publicas *Judæorum* ſine cauſa damnaret, in quibus non ex Synonymia peccatum eſt omninò, ſi ex pio & ſincero corde adhiberetur iſta Synonymia.

VERS. 9. Οὕτως οὖν προσεύχεσθε ὑμεῖς, ΠΑΤΕΡ ἡμῶν, &c.

Quædam, quæ difficiliora circa divinam hanc orationis formulam videntur, in molliorem forſan cognitionem liqueſcent, ſi obſerventur nonnulla, apud Eccleſiam gentemque *Judaicam* uſitatiſſima, ad quæ non reſpicere non potuerunt Apoſtoli, cùm ſummam hìc cum iis conformitatem perſpicuè recognoſcerent. Nam quòd conſuetum *Salvatori*, cum Eccleſia genteque in religioſis, civilibuſque, modò licitis, ut plurimùm conformem ſe præbere, id in hac orationis formula compingenda clariſſimè etiam elucet.

Hæc ergò obſerventur.

I. Statas *Judæorum* orationes, quotidieque recitandas jam tum, cùm *Chriſtus* hanc ſuis præſcriberet, fuiſſe numero octodecim, aut maſsâ certè æquipollente. De numero hoc precum ſuarum copioſè agunt Gemariſtæ utrique, *Hieroſ. Taanith*, fol. 65.3. *Babyl. Beracoth*, fol. 28.2. quos vide.

An ad præciſum numerum octodenarium, ordine quo poſteà, redactæ fuerint, dum ageret *Chriſtus* in terris, ſcrupuli nonnihil oritur è quibuſdam, quæ dicuntur à *Babylonicis* loco allegato; at certè tanti numeri cumulo & maſſæ quàm parùm, aut certè nihil prorſus defuiſſe, planè argui poſſet pluribus, CAP. VI. VERS. 9.
ſi eſſet opus. תנו רבנן שמעון הפקולי הסדיר יח׳ ברכות לפני רג״ וגו׳, *Tradunt Rabbini*, inquiunt, *Simeonem Pekolæum in ordinem redegiſſe octodecim orationes ſeriatim, coram Rabban Gamaliele, in Jafne. Dixit Rabban Gamaliel Sapientibus, Num quis eſt, qui novit orationem inſtituere in Sadducæos: proſtitit Samuel parvus, atque inſtituit*, &c. Rabban iſte *Gamaliel*, de quo hìc agitur, fuit *Pauli* Magiſter: nam tametſi *Rabban Gamaliel* [qui *Jafnenſis* vulgò vocatus eſt] fuerit nepos *Gamalielis* Præceptoris *Pauli*, atque hæc res memoretur acta in *Jafne*; *Pauli* tamen Magiſter in *Jafne* etiam egit, atque hunc eum eſſe, de quo eſt hiſtoria quæ ſub manibus, ſatis ex hoc patet, quòd res ei ſit cum *Samuele parvo*, qui certè obiit ante excidium urbis.

Sub *Gamaliele* ergò ſeniore primùm in iſtum ordinem redactæ ſunt preces quotidianæ, quo receptæ ſunt à ſeculis ſequentibus. Quod, utcunque poſt mortem *Salvatoris* factum, quoad reductionem in ordinem; totidem tamen numero in uſu erant quotidiano tunc temporis, cùm ille verſaretur in terris. Non damnavit autem ille preces iſtas omninò, nec nihili fecit; imò è contra, ſe publicæ Liturgiæ in Synagogis atque in Templo aſſociavit: cùmque hanc formulam ſuis tradit, alias formulas non extinguit.

II. Cùm omnibus in promptu non eſſet numeroſas iſtas preces memoriter recitare, in ſummulam compendioſam redactæ ſunt, in qua omnium iſtarum medulla compacta eſſet, & memoriæ ità conſultum, ut brevis iſtarum precum Epitome iis adeſſet, quibus prolixiorem orationem recitare, eique vacare, vel memoriæ tenuitas negavit, vel negotiorum quandoque non evitanda neceſſitas. Hanc ſummulam vocârunt, מעין. *Dicit Rabban Gamaliel, Unoquoque die oret unuſquiſque octodecim orationes. R. Joſhua dicit*, יתפלל מעין יח״, *Oret ſummulam iſtarum octodecim. At R. Akiba dicit*, אם שגורה תפלתו בפיו מתפלל יח״ ואם לאו מעין יח״, *Si expedita ſit oratio in ore ejus, oret octodecim; ſin minùs, oret ſummulam iſtarum octodecim. Babyl. Beracoth*, ubi ſuprà. Ut *Salvator* orationum omnium ſummam in hac formula compegerit, *Chriſtianis* omnibus eſt notum: atque in confeſſo ea eſt hujuſce formulæ perfectio, ut omnium petendorum ſit Epitome, prout agendorum omnium Epitome eſt Decalogus.

III. Doctoribus *Judæorum* uſitatiſſimum fuit. 1. Oratiuncularum formulas ſibi ipſis ſtruere, diſcipuliſque ſuis tradere, [quod de *Joanne* etiam aſſeritur, *Luc.* 11:1.] quarum exempla

Digitized by Google

CAP. VI. VERS. 9. exempla aliqua comperies, eaque non pauca, in *Gemara Babylonica*, in Tractatu *Beracoth*, alibique. Non, quòd per iſtas formulas orationes gentis, ſtatas & conſuetas, abdicarent, aut profligarent; ſed quòd ſuas illis ſuperadderent, ac rebus propriis ac peculiaribus adaptarent. II. Precibus ſtatis, aliisve à ſeipſis formatis, precatiunculam aliquam ſuperaddere uſitatiſſimum fuit, quam meritò voces *concluſivam*. Exempla harum hæc habe, ex *Babyl. Berac.* fol. 16. 2. ר' א' בתר דמסיים צלותיה אמר הכי, *R. Eliezar, cùm orationes ſuas finiiſſet, ſic dicere eſt ſolitus. Sit beneplacitum tuum, Domine, ut habitet in ſorte noſtra amor & fraternitas*, &c. *R. Jochanan, cùm finiiſſet orationes ſuas, ſic dicere eſt ſolitus, Sit beneplacitum tuum Domine, ut obſerves contumeliam noſtram, & reſpicias miſerias noſtras*, &c. Plura illic occurrunt. Pari modo, 1. *Salvator*, dum formulam hanc ſuis tradit, non preces Eccleſiæ ſtatas enervat; nec, nè privatis utantur, ſuis interdicit: ſed hanc tradit, omnium orationum ſummulam exactiſſimam, orationibus noſtris ſuperaddendam, perfectiſſimam imperfectiſſimis. 2. Apoſtoli, moribus gentis ſatis ſueti, non aliter potuerunt de hac formula judicare. In interpretandis phraſibus, & hiſtoriis quamplurimis Novi Teſtamenti, non tam valet, quid nos de iis ſentiamus, ex notionibus noſtris neſcio quo fundamento fictis; quàm quo ſenſu hæc intelligerentur ab auditoribus & ſpectatoribus, ſecundùm morem gentis uſitatum, & vulgarem Dialectum. Quærunt quidam, quâ autoritate nos orationem Dominicam noſtris ſubjungimus, aut ſuperaddimus? finguntque ſuper incudem propriam argumenta in contrarium. At quæro ego, Num poſſibile fuit, ut Apoſtoli & Diſcipuli, qui vel ab incunabulis nôrant & viderant formulas iſtiusmodi inſtitutas in communem uſum, ac precibus ſtatis aliiſve ſuperadditas, aliter de hac formula à Domino traditâ judicarent, quæ tantam cum iis, cumque ritu & conſuetudine gentis receptiſſimâ, tulit conformitatem?

IV. Pro juſto Canone, eoque quidem non illaudabili, habuit iſta Eccleſia לעולם לישתף איניש נפשיה בהדי ציבורא, *Orantem oportere ſemper, cùm orat, ſe cum Eccleſia conſociare. Babyl. Berac.* fol. 30. 1. Quod non ſtrictè intelligendum eſt ſolùm de præſentia ſua in Synagoga, [illud alibi, aliàsque multoties præcipitur] ſed ut ubicunque terrarum politus, etiam cùm ſummè ſolus, preces ſuas effundat numero plurali: ſic enim explicat Gloſſa, אל יתפלל ה.ק' בלשון יחיד אלא בלשון רבים, *Nè oret quis orationem brevem* [id eſt, aliam à precibus ſtatis] *numero ſingulari, ſed plurali.* Quo numero & nos orare in hac formula docuit *Salvator*, idque meritiſſimè, cùm nos, in quacunque ſolitudine aut diſtantia poſitos, noſmetipſos tamen conjunctos cum Eccleſia recognoſcere oporteat, ejuſque felicitatem pariter ac noſtram apprecari. CAP. VI. VERS. 9.

ΠΑ'ΤΕΡ ἡμῶν, ὁ ἐν τοῖς ὐρανοῖς.

I. Notiſſimum hoc apud *Judæos* Dei Epitheton, atque uſitatiſſimum.

Maimon. in *Tephilloth.* אבינו שבשמים, *Pater noſter, qui es in cælis, ſic nobiſcum agas, ſicut promiſiſti per Prophetas.*

Sotah, cap. 9. hal. 15. Ter hoc recitatur, *Quemnam habemus, cui innitamur?* על אבינו שבשמים, *Super Patrem noſtrum, qui eſt in cælis.*

Joma, cap. 8. hal. 9. *Benedicti vos, ô Iſraëlitæ, quis vos purificat? Pater veſter, qui eſt in cælis.*

Hieroſol. Maaſeroth, fol. 50. 3. *Patri veſtro, qui eſt in cælis, non dediſtis, ſed mihi Sacerdoti.*

II. At quonam tandem ſenſu *Patrem ſuum in cælis* Deum vocârunt *Judæi*, cùm doctrinam & myſterium adoptionis penitùs ignorârunt, præter eam quòd Deus eos adoptaſſet ſibi in populum peculiarem? *Reſp.* Ob ipſiſſimam iſtam cauſam, à Deo ipſo docti ſunt, eum ità vocare, *Exod.* 4: 22. *Deut.* 32: 6, &c. Nec erat inter eos, cui non modò hoc non licuit, ſed etiam cui non incubuit. Dum Ethnicus Idolo ſuo diceret, *Tu es Pater meus, Jeremi.* 2: 27. Iſraëlita dicere tenetur, *Pater noſter, qui es in cælis, Eſaj.* 63. & 64: 8.

III. Notiſſimam genti Phraſiologiam adhibens *Chriſtus*, nonne ſenſu genti noto etiam adhibet? Reſpondeant illi, qui *Orationem Dominicam* à nullis fundendam ac pronuntiandam volunt, niſi à reverà fidelibus, & qui veram adoptionem ſunt ſortiti. Quonam tandem ſenſu intellectus eſt *Salvator*, hæc loquens, ab auditoribus? Edocti fuerant illi ab incunabulis, Deum vocare *Patrem in cælis*: *Chriſtum* nec Phraſiologiam immutantem audiunt, nec quicquam à latitudine ſenſus noti ac uſitati decurtantem. Dicant itaque mihi, Nonne *Petrus*, *Joannes*, reliquique Apoſtoli univerſis *Chriſtianis* æquè licere exiſtimabant Deo dicere, *Pater noſter, qui es in cælis*, ac licuit univerſis *Judæis*? Illi Deum *Patrem* vocârunt, quòd eos in profeſſionem ſui vocaſſet, quòd eos curaret ac inſtrueret, &c. Et quidnam, quæſo, impedit, quò minùs univerſi *Chriſtiani*, eadem privilegia adepti, eâdem compellatione Deum honorent? Non eſt in verbis *Chriſti*, quod prohibeat; & eſt in ipſa Phraſiologia, quod permittat.

Digitized by Google

CAP. VI. VERS. 10, 11, 13.

Ἁγιασθήτω τὸ ὄνομά σου.

VERS. 10. Ἐλθέτω ἡ βασιλεία σου.

In Scholis *Judaïcis* hoc obtinuit pro Axiomate: כל ברכה שאין בה מלכות אינה ברכה, *Iſta oratio, in qua non eſt memoria regni Dei, non eſt oratio. Babyl. Berac.* fol. 40. 2. ubi hæc etiam adduntur. *Dicit Abai, Huic par cenſendum eſt illud* τοῦ *Rabh: quod traditur* לא עברתי ממצותיך ולא שכחתי, *Non tranſgreſſus ſum præcepta tua, nec ſum oblitus.* [Verba ſunt primitias offerentis, *Deuter.* 26: 13.] *Non tranſgreſſus ſum, id eſt, non agendo gratias: Et non oblitus ſum, id eſt, non oblitus ſum memorare nomen tuum. At à R. Jochanane ſic traditur, Et non oblitus ſum memorare nomen tuum, & regnum tuum.*

Γενηθήτω τὸ θέλημά σου, ὡς ἐν οὐρανῷ, &c.

Quænam eſt oratio brevis? R. Eliezer dicit, עשה רצונך בשמים, *Voluntatem tuam fac in cœlis, & dato quietem ſpiritûs timentibus te infrà,* vel *in terris. Babyl. Berac.* fol. 29. 2.

VERS. 11. Τὸν ἄρτον ἡμῶν τὸν ἐπιούσιον, &c.

Id eſt, *Panem craſtinum* provide, & da nobis hodie, ne ſoliciti ſimus de craſtino, ut verſu triceſimo quarto. Ἐπιούσιος ab ἐπιών, ἐπιοῦσα, &c. non ἐπιούσιος ab ἐπὶ οὐσία.

Babyl. Berac. ubi ſuprà. *Neceſſitates populi tui Iſraëlis ſunt multæ, & cognitio eorum tenuis,* [*ità ut non norint neceſſitates ſuas patefacere*] *ſit beneplacitum tuum, ut des unicuique* כדי פרנסתו, *quod ſufficit in alimentum,* &c.

VERS. 13. Ῥῦσαι ἡμᾶς ἀπὸ τοῦ πονηροῦ.

Rabbi [Judah] *precari ſic fuit ſolitus, Sit beneplacitum tuum, ut liberes nos ab impudentibus & impudentia, ab homine malo, & ab occurſu malo, ab affectu malo, à ſocio malo, à vicino malo, à Satana deſtructore, à judicio duro, & ab adverſario duro,* &c. *Berac.* fol. 16. 2.

Ὅτι σοῦ ἐστιν ἡ βασιλεία, &c.

I. In Liturgia Publica in Templo, commemoratio regni Dei fuit pro *Antiphono*, quo vice *Amen* reſpondebatur à populo, orationibus finitis Sacerdotum. Nam תני לא היו עונין אמן בבית המקדש, *Traditio eſt, non reſponſum fuiſſe Amen in domo Sanctuarii. Quid ergò dixerunt?* ברוך שם כבוד מלכותו לעולם ועד, *Benedictum ſit nomen gloriæ regni ejus, in ſempiternum. Hieroſ. Berac.* fol. 13. 3. Hinc in Tractatu *Joma* [ubi habetur Rubrica diei Expiationis] poſt recitatas varias oratiunculas, quas eo die fudit ſummus Pontifex; additur, *Et reſpondit populus, Benedictum ſit nomen gloriæ regni ejus in ſempiternum.* Vide *Babyl. Joma*, fol. 39. 1. & 41. 2. præſertim verò fol. 66. 1. ubi memoratâ precatiunculâ ſummi Sacerdotis, in qua ab eo ſic eſt concluſum, *Coram Jehovah mundemini*, hæc adduntur, *Sacerdotes autem, populuſque in atrio ſtantes, cùm audirent* שם המפורש, *nomen Jehovah ſyllabis ſuis prolatum, adorantes, pronique in faciem proſtrati, dixerunt,* בשכמלו, *Benedictum ſit nomen gloriæ regni ejus in ſecula ſeculorum.* Vide *Babyl. Taanith*, fol. 16. 2. ubi hujus doxologiæ redditur ratio in Gloſſa.

II. Hanc etiam tacitè & leni ſuſurro protulerunt inter recitanda Phylacteria. Dicitur in *Babyl. Peſachin*, fol. 56. 1. de hominibus *Jerichuntis*, quòd כורכין את שמע, *complicarent* שמע. Diſputatur quid ſibi hoc velit; *Et R. Juda dicit, quòd pauſam aliquantulam haberent, poſt recitatam hanc pericopen, Audi Iſraël, Dominus Deus noſter, Jehovah unus: at non dixerunt, Benedictum ſit nomen gloriæ regni ejus in ſecula ſeculorum. At quâ ratione nos ita dicimus? Myſterium explicat R. Simeon ben Levi, qui dicit, Vocavit pater noſter Jacobus filios ſuos, & dixit, Congregamini, & declarabo vobis. In animo ejus fuit, revelare iis finem dierum, & receſſit ab eo Spiritus Sanctus; dixit ergò, Fortè in lecto meo eſt profanum quid,* [*quod* μὴ γένοιτο.] *ſicut Abrahamo, è quo prodiit Iſmaël, & Iſaaco, è quo prodiit Eſavus. Dixerunt ei filii ejus, Audi Iſraël, Jehovah Deus noſter eſt Jehovah unus: ſicut in corde tuo, non eſt niſi unus; ità in cordibus noſtris, non eſt niſi unus. Eo tempore incepit Jacobus pater noſter, & dixit,* בשכמלו, *Benedictum ſit nomen gloriæ regni ejus in ſecula ſeculorum. Dixerunt Rabbini, Quid faciemus? Nos hanc doxologiam dicemus? Eam non dixit Moſes magiſter noſter. Eam non dicemus? Eam dixit Jacobus pater noſter. Inſtitutum eſt igitur, ut eam dicerent tacitè,* &c.

Vides ut maximè publicus fuerit doxologiæ hujus uſus, & maximè privatus. Antiphonon omnium clarâ voce in Templo pronuntiabatur; ejaculatio ſingulorum, in orationibus Phylactericis, voce ſubmiſſiſſimâ: videſque quantam conſonantiam habeat cum Coronide *Orationis Dominicæ, Quia tuum eſt regnum,* &c.

III. Prout *Amen* non omninò publicis precibus in Templo reſponderunt, ità rarò etiam ſubjunxerunt precibus privatis. In Synagoga quidem à populo reſponſum eſt *Amen* ad preces fuſas à Miniſtro; itemque domi, patrifamiliâs benedicenti aut oranti: at rariùs, aut nunquam quidem, privatim quis orans, hoc ſuis precibus ſubjunxit.

Et

Digitized by Google

CAP. VI. VERS. 13. Et jam, ut hæc quæ dicta ſunt ad rem quæ ſub manibus applicentur, adverte ſequentia.

I. Bis à *Servatore* traditam fuiſſe hanc orationem: primò in ſermone hoc in monte, cùm non eſſet rogatus: & poſteà, cùm rogatus, ferè poſt ſeſquiannum, *Luc.* 11.

II. In *Matthæo* adjectam eſſe Coronidem, *quia tuum eſt regnum*, &c. apud *Lucam* non ità. Apud *Matthæum*, adjectam eſſe inſuper vocem *Amen*: apud *Lucam* autem deeſſe.

Inferimus ergò ſuper totam materiam.

I. *Chriſtum*; in exhibenda hac orationis formula, ritum & morem fuiſſe ſequutum gentis uſitatiſſimum.

II. Diſcipulos etiam, formulam hanc traditam excipientes, non potuiſſe eam non ſecundùm morem & ſenſum gentis, in iſtiuſmodi caſibus uſitatum, recipere: cùm nullam omninò, à generali iſta regula, & conſuetudine, exceptionem ille introduxerit.

III. Vix potuiſſe illum clarioribus ſignis ac indiciis univerſalem ac conſtantem hujus orationis uſum indigitare, quàm quibus eſt uſus. Nam,

I. Abſque aliqua exceptione, aut diſtinctione omnibus præcipit, *Ad hunc modum orate*; &, *Cùm oratis, dicite, Pater noſter*, &c.

II. Prout, ſecundùm gentis uſitatiſſimum morem, orationum formulæ à magiſtris diſcipulis ſuis traditæ ab omnibus iis erant indifferenter, atque abſque diſtinctione perſonarum, uſitatæ, atque uſitandæ; ità & ille de hac ſua nec quicquam ſuggerit, vel præter morem vulgarem, vel contra.

III. Characteres ſecum portat ipſa formula & publici uſus; & privati, & conſtantis. Quæri certè meritò poſſet, quare, cùm *Chriſtus* hanc orationem tam diſertis verbis tradiderat in ſermone in monte, hoc inſuper addito præcepto, *Ad hunc modum orate*; oretur iterum, ut doceat eos orare? Quid? numnam illi iſtius orationis illic exhibitæ obliti? Numnam eam pro formula orationis exhibitam, ac uſitandam, ignorârunt? At hoc potiùs videtur in cauſa fuiſſe, cur ſecundò formulam orationis flagitarent, nempe quòd primam iſtam pro *publica* orationis formula reputarent, cùm & ex adjectione Coronidis Antiphono publico in Templo adeò ſimilis, præſertim verò ex adjectione *Amen* non niſi in cœtibus uſitati, hoc facilè argueretur: oratur ergò iterum, ut privatim eos orare doceat; & ille eandem repetit formulam, omiſſis verò Coronide & *Amen*, quæ publicum uſum ſapuerunt. Habes ergò in Coronide ſignum publici uſus, ex conſonantia ejus ad Antiphonum in Templo; & privati, ex conſonantia ejus ad ejaculationem in precibus Phylactericis. Signum publici uſus, in adjectione *Amen*; Signum privati, in ejus abſentia; Signum utriuſque, in conformitate totius ad conſuetudinem gentis. Docuit *Chriſtus* ſuos orare, ſicut *Joannes* docuerat ſuos, *Luc.* 11:1. docuit *Joannes* ſuos, ſicut magiſtri inter *Judæos* ſuos; formulam exhibendo ab omnibus ſuis, aſſiduè, verbatim; & in terminis adhibendam.

CAP. VI. VERS. 16, 17.

VERS. 16. Ἀφανίζουσι τὰ πρόσωπα αὐτῶν.

Liverunt ſcilicet facies ſuas cineribus, ſicut ille olim alia de cauſa, 1 *Reg.* 20:38. *Taanith*, cap. 2. *In publicis jejuniis accipit unuſquiſque cineres, ac imponit capiti ſuo.*

Juchaſin, fol. 59. *De R. Joſhua ben Ananiæ dicunt, Quod omnibus diebus vitæ ſuæ* הושחרו פניו מפני תעניות, *Nigra fuit facies ejus præ jejuniis. Babyl. Sotah*, fol. 12. 1. *Quare vocatur nomen ejus Aſhur?* 1. *Paralip.* 4:5. שהושחרו פניו, *Quia nigra fuit facies ejus præ jejuniis.*

Interſeratur hîc illud *Senecæ*, epiſt. 5. *Hoc contra naturam eſt, faciles odiſſe munditias; & ſqualorem appetere.*

VERS. 17. Σὺ δὲ νηστεύων, ἄλειψαί σου τὴν κεφαλὴν, &c.

Nam jejunantes; nec ſe unxerunt, nec laverunt.

Joma, cap. 8. halac. 1. *Die Expiationis prohibitum eſt edere, bibere, lavare, ungere ſe, induere ſandalia, & coïre cum uxore. At Rex & ſponſa lavent facies ſuas, atque obſtetrix induat ſandalia.* Vide hîc *Gemaram Babylonicam*, fol. 77. 2. Vide etiam de jejuniis aliis ac privatorum hominum, *Babyl. Taanith*, fol. 12. 2. & 13. 2.

Corpora & Capita ungere ſoliti ſunt, triplici ratione,

I. לתענוג, *In decorem delicatiorem. Hieroſ.* in *Maaſar Sheni*, fol. 53. 2. & *Schabb.* fol. 12. 1. *Unctio Sabbato permittitur, ſive ſit in decorem, ſive non in decorem. Die Expiationis, utraque prohibetur. Nono menſis Ab, ac in jejuniis publicis, unctio in decorem prohibetur, non in decorem permittitur.*

II. סיכה שלא לתענוג, Unxerunt ſe non rarò, non in luxum, decorem, aut delicias, ſed in morbi alicujus medelam, aut corporis ſanitatem.

חושש את ראשו או שעלו בו חטטין סך שמן, *Qui capite dolet, aut cui oritur ſcabies, ungat ſe oleo. Hieroſ.* ubi antè.

Babyl. Joma, fol. 77. 2. *Traditio Rabbinorum, Prohibitum eſt* [in jejuniis] *lavare partem corporis, æquè ac totum corpus: ſi verò ſit luto aut ſtercore fœdatus, lavet pro more, & nè ſit ſolicitus. Prohibitum etiam eſt ungere partem corporis, æque ac totum corpus: at verò*

rò ſi ægrotet, aut ſi capite exoriatur ſcabiës, ungat pro more, &c.

Hinc, cùm dicuntur Apoſtoli *oleo unxiſſe ægrotos, ac ſanâſſe*, *Marc.* 6:13. ordinariâ medicinâ uſi, extraordinario ac non errante effectu ſunt potiti.

Hinc illud *Jacobi*, Cap. 5:14. *Ægrotus advocet Presbyteros Eccleſiæ, & precentur pro eo, ungentes eum oleo, in nomine Domini*, id eſt, Ordinariæ iſti medicinæ, unctioni ſcilicet in ſanitatem, adjungantur preces Miniſtrorum Eccleſiæ.

III. Uſi ſunt unctione capitis aliquando ſuperſtitioſâ, ac nihil à magica diſtante. זה שהוא לוחש נותן שמן ﬞלגבי ראשו ולוחש, *Ille qui muſſitat, det oleum ſuper caput, & muſſitet.* *Hieroſ.* in *Maaſar Sheni*, ubi ſuprà, & in *Schabb.* fol. 14. 3. Muſſitatio hæc intelligenda eſt, de modo incantationis ſupra vulnus, aut locum aliquem corporis dolore affectum, לוחש על המכה, de qua mentio etiam *Sanhedr.* cap. 10. halac. 1. Memoratur etiam loco in *Schabb.* allegato, col. 4. quòd muſſitatione hâc incantativâ uſi fuerint quidam, in nomine *Jeſu*. *Ægrotante quodam, acceſſit quidam, atque ei immuſſitavit in nomine Jeſu Pandiræ, & ſanatus eſt.* Et paulò poſt, *R. Eliezer ben Damah morſus eſt à ſerpente. Acceſſit Jacobus Capharſamæus, ſanaturus eum, in nomine Jeſu: at R. Iſmael eum non permiſit*, &c. Vide *Actor.* 19:13.

Si verba *Jacobi* priùs allegata cum execrabili hoc more conferantur, in hunc ſenſum bene ſonare poſſunt, Uſitatum eſt *Judæis* incredulis, unctionem ægrotorum adhibere cum magica atque incantativa muſſitatione conjunctam. At quàm infinitis gradibus præſtat unctioni ægrotorum adjungere preces pias Presbyterorum Eccleſiæ!

VERS. 22. Ἐὰν ὁ ὀφθαλμός σου ἁπλοῦς ᾖ.

VERS. 23. Ἐὰν ὁ ὀφθαλμός σου πονηρὸς ᾖ.

Peculiariter hîc agi de animo avaro, aut non avaro, colligi poteſt, I. Ex contextu utrinque: nam verſibus 20 & 21, agitur de theſauris, aut terrenis, aut cœleſtibus; & verſu 24. de ſerviendo, aut Deo, aut Mammonæ.

II. Ex uſitatiſſima gentis Phraſiologia. Nam *oculus bonus Judæis* idem eſt, ac *animus benignus*; atque *oculus malus* idem ac *animus avarus*. *Trumoth*, cap. 4. halac. 3. *Hæc eſt menſura Trumæ* [vel *oblationis Sacerdotibus conceſſæ*.] עין יפה א׳ מארבעים, *Oculus bonus concedit unam ex quadraginta*: id eſt, partem quadrageſimam. *Schola Shammæana dicit, unam ex triginta. Oculus medius, unam ex quinquaginta.* והרעה א׳ מששים, *Et oculus malus, unam ex ſexaginta.* *Hieroſ. Bava Bathra*, fol. 14. 4. הנותן מתנה להיות נותן בעין יפה, *Qui dat donum, det oculo bono, & qui quicquam dedicat, dedicet oculo bono.* Vide *Matth.* 20:15. Hinc avaritia vocatur ἐπιθυμία τῶν ὀφθαλμῶν, 1. *Joann.* 2:16. Oſtendit ergò hîc *Salvator*, quantis tenebris animum obnubilet atque obfuſcet avaritia, ac ſollicitudo nimia de mundanis.

VERS. 26. Πετεινὰ τοῦ οὐρανοῦ οὐ σπείρουσιν, &c.

Kiddushin, cap. ult. halac. ult. *Vidiſtíne unquam bruta aut volatilia, quibus eſſet aliqua opificina? Et tamen illi nutriuntur abſque anxietate*, &c. Vide etiam *Midr. Tillin*, fol. 15. 1.

VERS. 30. Ὀλιγόπιστοι.

קטני אמנה: *Talmudicis* frequentiſſimè. *Babyl. Berac.* fol. 24. 2. המשמיע קולו בתפלתו הרי זה מקטני אמנה, *Qui voce ſonorâ precatur, numerandus eſt inter* ὀλιγοπίστους. Idem *Erachin*, fol. 15. 1. *Iſraëlitæ in eremo fuerunt* מקטני אמנה, ὀλιγόπιστοι. *R. Aubath* in præfatione ad *Menorath hammaor*. *R. Eliezer dicit, Quicunque vel offulam habet in caniſtro ſuo, & dicit, Quid eſt quod cras comedam? Ecce, ille eſt reputandus inter* קטני אמנה, ὀλιγοπίστους.

VERS. 34. Ἀρκετὸν τῇ ἡμέρᾳ ἡ κακία αὐτῆς.

דיה לצרה בשעתה, *Babyl. Berac.* fol. 9. 2.

CAP. VII.

VERS. 2. Ἐν ᾧ μέτρῳ μετρεῖτε, &c.

VUlgatiſſimum hoc apud *Judæos* Adagium. במדה שאדם מודד מודדין לו: *Babyl. Sanhedr.* fol. 100. 1. prope finem. Vide *Tanchum*, fol. 56. 4. Vide etiam *Sotah*, cap. 1. halac. 7, 8, 9. ubi variis exemplis illuſtratur.

VERS. 4. Ἔκβαλω τὸ κάρφος ἀπὸ τοῦ ὀφθαλμοῦ σου, &c.

Et hoc etiam notum inter eos Adagium. *Babyl. Bava Bathra*, fol. 15. 2. *Scriptum eſt, In diebus cùm judicarent Judices, id eſt, In generatione quæ judicavit judices ſuos*, אומר לו

CAP. VII. VERS. 9, 12, 13, 14.

טול קיסם מבין עיניך, *Cùm diceret quis* [Judex] *alicui*, *Ejice feſtucam ex oculo tuo.* אומר לו טול קורה מבין עיניך, *Reſpondit ille*, *Ejice & tu trabem ex oculo tuo*, &c.

Idem *Erachin*, fol. 16. 2. *Dixit R. Tarphon*, *Miror ego*, *an ſit in hoc ſeculo*, *qui recipere vult correptionem* : *Quin*, *ſi dicat quis alteri*, *Ejice feſtucam ex oculo tuo*; *reſponſurus ille eſt*, *Ejice trabem ex oculo tuo*; Ubi ſic Gloſſa, קיסם, *Feſtucam*, *id eſt*, *parvum peccatum*, *quod in manu tua eſt*, *ejice: poteſt ille reſpondere*, *Aſt ejice tu magnum peccatum quod in tua.* Ità ut non poſſent corripere; *quia omnes erant peccatores.* Vide etiam *Aruch* in voce קסם.

VERS. 9. Μὴ λίθον ἐπιδώσει αὐτῷ;

Subit hîc illud apud *Senecam*, *de beneficiis*, lib 2. cap. 7. *Verrucoſus beneficium ab homine duro aſperè datum*, *panem lapidoſum vocabat*, &c.

VERS. 12. Πάντα ὅσα ἂν θέλητε ἵνα ποιῶσιν ὑμῖν οἱ ἄνθρωποι, &c.

Babyl. Schabb. fol. 31. 1. *Gentilis quidam adiit Shammæum*, *dixitque*, *Proſelytum me fac*, *ut diſcam totam Legem*, *uno ſtans pede: retudit eum Shammæus baculo qui in manu ſua. Adiit Hillelem*, *& ille eum Proſelytum fecit*, *dixitque*, דעלך סני לחברך לא תעביד, *Quod tibi ipſi odioſum eſt*, *proximo nè feceris*; *nam hæc eſt tota Lex.*

VERS. 13. Εὐρύχωρος ἡ ὁδός.

In his verbis de ſpatioſa & arcta via, alludi videtur a *Salvatore* ad regulas apud Juridicos *Judæorum*, de viis publicis & privatis. Apud quos *via privata erat cubitorum quatuor latitudine*; *publica*, *cubitorum ſedecim.* Vide Gloſſam in *Peah*, cap. 2. hal. 1

VERS. 14. Πύλη.

Sub hac Phraſiologia exprimuntur plurima in religione, apud Scripturam Sacram. *Gen.* 28: 17. *Pſalm.* 118: 19, 20. *Matth.* 16: 18. &c. atque etiam apud Scriptores *Judaïcos. Porta pænitentiæ* memoratur à *Chaldæo Paraphraſta* in *Jerem.* 33: 6. *& porta precum*, *& porta lachrymarum.* *Babyl. Beracoth*, fol. 32. 2. *Ex quo exciſum eſt Templum*, *occluſæ ſunt januæ orationis*, *at non occluſæ januæ lachrymarum.* Στενὴ πύλη Græcè reddere videtur vocem פשפש, *Talmudicis* uſitatiſſimam. *Tamid*, cap. 1. halac 3. פתח את הפשפש, *Clavi aperit oſtiolum*, *atque è Beth mokad* (loco fori) *ingreditur in atrium.* פשפש, inquit *Aruch*, *eſt porta parva in medio portæ magnæ.*

CAP. VII. VERS. 15, 16, 29. CAP. VIII. VERS. 2.

VERS. 15. Ἐν ἐνδύμασι προβάτων.

Non tam in veſtibus laneis; quàm in ipſis ovium velleribus; ità ut extrinſecùs viderentur oves: at *intùs lupi rapaces.* De rapacitate luporum inter *Judæos* præter alia hæc duo ſume exempla.

Taanith, cap. 3. hal. 7. *Jejunium indixerunt Seniores in civitatibus ſuis ob hoc*, *quòd lupi duos puerulos devoràſſent ultra Jordanem.*

Hieroſ. Jom tobh, fol. 60. 1. *Laceratæ à lupis ſunt plures quàm trecentæ oves filiorum Judæ ben Shamoei.*

VERS. 16. Ἀπὸ τῶν καρπῶν αὐτῶν ἐπιγνώσεσθε αὐτούς.

Non diſſimile eſt adagium; *Babyl. Beracoth*, fol. 48. 1. בוצין בוצין מקטפיה ידיע, *Cucurbita*, *Cucurbita*, *ex germine cognoſcitur.*

VERS. 29. Ὡς ἐξουσίαν ἔχων, καὶ οὐχ ὡς οἱ γραμματεῖς.

Meritò dictum eſt, commate præcedente, *quòd percelleretur turba ſuper Chriſti doctrinà*: nam præter divinam ejus veritatem, profunditatem, & vim convictricem, non audierant anteà quemquam eâ αὐθεντίᾳ, quâ ille, diſſertantem. Fidem doctrinæ ſuæ mutuati ſunt Scribæ à Traditionibus, ac earum Patribus: nec abſque תנו רבנן, aut חכמים אומרים, aut aliquo iſtiusmodi oraculo traditionali, autoritatem habuit Scribæ alicujus concio, aut pretium. *Hieroſ. Peſachin*, fol. 33. 1. Verè, & prout traditio erat, de re quadam docuit *Hillel* magnus, *At*, *quamvis per totum diem de re iſta diſſertaret*, לא קבלו כמנו, *doctrinam ejus non receperunt*, *donec tandem diceret*, *Sic audivi à Shemaia*, *atque Abtalione.*

CAP. VIII.

VERS. 2. Δύνασαί με καθαρίσαι.

DOctrinam de peccato optimè pingit doctrina apud Legem de lepra.

I. Nullam creaturam æque impuram, quoad contactum, docet ac hominem. Imò, meritò quæri poteſt, an aliqua creatura, dum viveret, contactui impura eſſet, præter hominem? Sæpè iteratur illud apud *Talmudicos*, *Eum*, *qui*

CAP. VIII. VERS. 2, 3.

manibus vermem tenet, non poſſe omnes aquas Jordanis abluere ab immunditia, [id eſt, dum vermis adhuc eſt in manu; vel, abjecto verme, non uſque dum excurrat tempus purificationi iſtiuſmodi præſtitutum.] At num de vivo, an mortuo verme intelligendum ſit, non immeritò ambigitur, cùm Lex de hac re agens, de morticinis eorum ſolùm loquatur. Vide *Levit.* 11: *verſ.* 31. *Quicunque ea mortua tetigerit*, &c. & verſu 32. *In quodcunque inciderint ea mortua*, &c. Aſt, ſive de vivo loquatur, ſive de mortuo, ex ejus contactu ſecuta eſt immunditia in iſtum diem tantùm, nam *immundus erit* [inquit Lex] *uſque ad veſperam*: at, tacto cadavere humano, ſecuta eſt immunditia hebdomadalis. Vide *Num.* 19.

II. Inter omnes immunditias hominum ſumma fuit lepra, quippe quod aliæ immundum ſepararent, aut immundum redderent, in diem, aut hebdomadam, aut menſem; at lepra forſan in perpetuum.

III. Purificato leproſo, non ſanata eſt lepra: ſed evaporato jam veneno morbi, & periculo contagionis præterlapſo, redditus eſt leproſus cœtui publico. *Gehazi* ſervus *Elizæi* ſempiternæ lepræ eſt adjudicatus, & tamen mundatus verſatur cum Rege, 2 *Reg.* 8: 5. Mundatus, non ſanatus. Sic ſub juſtificatione & ſanctificatione remanent tamen ſemina & ſordes peccati.

IV. Is, qui leprâ plenus erat, mundus pronuntiatus eſt; is, qui aliter, non; *Levit.* 13: 12. *Si lepra totum corpus à capite ad pedem invaſerit, mundum eum pronuntiabis*, &c. Lex certè miranda. Non mundus ille ante totum corpus leprâ infectum & coopertum: Nec tu mundaberis, ô peccator, abſque pari conditione. Aut te agnoſce totum leproſum, aut non mundaberis.

VERS. 3. *Ἥψατο αὐτοῦ ὁ Ἰησοῦς.*

Mirum certè fuit, quòd, cùm ſerpentis contagionis eſſet lepra, Sacerdos de ea dijudicans contagione non læderetur. Præteriri ſine obſervatione non poteſt, *Aaronem*, eodem reatu cum *Miriame* ligatum, non eandem pœnam tuliſſe; leprâ enim tacta ea fuit, non ille, *Num.* 12. Itemque *Uzziam* nullo alio modo de intruſione ſua in Sacerdotium fuiſſe confutatum, quàm plagâ leproſâ. Magnificare in illo voluit Deus Sacerdotium, de lepra judicaturum; & hunc non Sacerdotem oſtendere ex lepræ tactû. Negari vix poteſt quidem, Sacerdotes aliquando iſtâ plagâ tangi potuiſſe: at certè non irrepſit in eos contagio, dum officium ſuum præſtarent de ea judicando. Nobilis eſt hæc doctrina de ſummo noſtro Sacerdote lepræ noſtræ Judice & Medico, ipſo ab ea omninò intactili. Quantum ille miraculum illud Sacerdotii Levitici excedit! Illi, ex contactu leproſi, contagione non tacti; ipſe, ex contactu, læſo medetur.

CAP. VIII. VERS. 4.

VERS. 4. *Ὕπαγε, σεαυτὸν δεῖξον τῷ ἱερεῖ*, &c.

I. Non ipſi Sacerdoti patefactum voluit *Servator* modum, quo is ſanatus, extraordinarium; ut ordinarium ille perſolveret mundationis ſuæ debitum. Et perpenſionem certè non tenuem meretur, quòd eum remittat ad Sacerdotem. Utcunque jam degener nimis Sacerdotium eſſet, & ab inſtitutione ſua & ab officio; privilegia tamen ejus reſervari ei vult, dum reſervari vult Sacerdotium. Corruptio inſtitutionem divinam fœdat quidem, ſed non extinguit.

II. Iſta, quæ in mundatione leproſi peragenda tunc temporis erant, ſecundùm Rubricam hæc erant. *Afferat tria pecora; ſacrificium ſcilicet pro peccato*, חטאת, *& ſacrificium pro transgreſſione*, אשם, *& holocauſtum. Pauper autem attulit ſacrificium pro peccato è volucribus, & holocauſtum è volucribus. Aſtat juxta ſacrificium pro transgreſſione, atque ambas ei manus imponit, atque mactat: duoque Sacerdotes ſanguinem excipiunt, unus in vaſculo, alter in manu. Ille, qui ſanguinem excepit in manu, ad leproſum accedit in conclavi leproſorum*, (erat hoc in angulo atrii mulierum occaſum æſtivum ſpectante:) *eum ſiſtit in porta Nicanoris*, (portâ Orientali atrii *Iſraëlis*) *caput ejus extendit intra atrium, & ſanguinem dat ſuper infimum auris ejus; manum etiam intra atrium extendit, & ſanguinem dat ille ſuper ejus pollicem; pedemque, & ſanguinem dat ille etiam ſuper iſtius pollicem, &c. Et alter ibidem loci iiſdem membris addit oleum*, &c. Rationem, cur, exſerto collo, caput & aures ſic protruſerit in atrium, diſcas à Gloſſatore. *Porta Nicanoris*, inquit ille, *fuit inter atrium mulierum, & atrium Iſraëlis: jam verò in atrium Iſraëlis non licuit cuiquam ingredi, pro quo non perfecta eſſet expiatio; atque è contrà non licuit extra iſtud atrium proferre ſanguinem ſacrificii pro transgreſſione.* Hinc inventum illud, ut ſtaret leproſus mundandus extra atrium, & tamen aures & pollices, quibus applicandus eſſet ſanguis, eſſent intra atrium. Plura omittimus, ſatis eſt hæc protuliſſe; unde obſervetur ad quænam peragenda remiſerit *Salvator* hunc ſanatum.

Præſtita eſt ſanatio in *Galilea*, & indè amandatur ille *Hieroſolymas*. Præſcribuntur ei ſilentium & ſacrificium: *Ὅρα μηδενὶ εἴπῃς*, &c. *καὶ προσένεγκε τὸ δῶρον*, &c. Eccur hæc omnia? I. Experimentum facit *Chriſtus* obedien-

CAP. VIII. VERS. 6, 11, 16.

dientiæ ſanati, & gratitudinis, ſumptus ſacrificii imponendo & laborem itineris. II. Reſtituendum eum vult communioni Eccleſiaſticæ (à qua ſeparaverat eum lepra ſua) more ſolito, atque inſtituto. Cavet ſibi à ſcandalo, atque ſanato à ſchiſmate: atque utcunque eum in *Chriſto* credidiſſe ſatis arguunt & verba & geſtus, eum tamen nullo modo vult retrahere *Chriſtus* à communione Eccleſiæ, ſed reſtituere. Hinc ejus injunctio, *Vide nè ulli dicas, ſed offer donum in teſtimonium illis:* id eſt, Nè jacta extraordinarium ſanationis tuæ modum, non ob eum te liberatum puta à vinculo Legis, in caſu leproſi, nec te intrudas in communionem Eccleſiæ, ante præſtitos ritè admiſſionis ritus; ſed, utcunque nihil tibi rei fuerit cum Sacerdote in purificatione & mundatione tua, adi Sacerdotem nihilò minùs, atque quod debitum eſt munus offer, in teſtimonium iis te reſtitutum iterùm in communionem. Eodem ſpectat hæc *Servatoris* cautio, quò ea, *Matth.* 17: 27. *Nè offendiculo ſimus eis*, &c.

VERS. 6. Βέβληται.

מוטל. Sic מת מוטל, *Mortuus projectus*, ut efferatur. Vis & dominium morbi ſic exprimitur. Infirmus adeò jacet, ut ab aliis ſolùm moveatur, ipſe ſe movere nequeat; ſed eſt quaſi tantùm non elatus. Sic verſu decimo quarto de ſocru *Petri*, ἦν βεβλημένη καὶ πυρέσσουσα.

VERS. 12. Ἐκβληθήσονται εἰς τὸ σκότος τὸ ἐξώτερον.

Audi, *Judæe*, de ſempiterna tua cæcitate & perditione triſtiſſimum, at certè juſtiſſimum, judicium. Quodcunque enim ſignificat Τὸ σκότος τὸ ἐξώτερον, ſive tenebras Ethnicorum, [nam *Judæis* Ethnici erant οἱ ἔξω,] ſive tenebras iſtas ulteriores, *Eſaj.* 9: 1. ſive utraſque: *Judæos* illuc abdicandos clarè innuit *Salvator*, revocandos non innuit uſquam, ſi modò per υἱοὺς βασιλείας illi ſint intelligendi; quod quis negat?

VERS. 16. Ὀψίας δὲ γενομένης.

Addit *Marcus*, Ὅτε ἔδυ ὁ ἥλιος. *Cùm Sol jam occidiſſet*; exiiſſetque jam Sabbatum.

I. Concluſum eſt à *Judæis* Sabbatum cœnâ vel convivio. In quo candelam adhibuerunt, (qualem & ad ingreſſum Sabbati) & vinum, & aromata; & formulam benedictionis ſuper poculum vini, & dein ſuper candelam, & deinde ſuper aromata. *Exit Sabbatum, cùm ille jam in medio eſt convivii ſui? Finem imponit comeſtioni, manus lavat, & ſuper poculum vini gratias agit pro victu, & poſtea ſuper poculum illud formulâ orationis utitur in ſeparationem Sabbati à die communi. Si ſit ille jam bibens, cùm exit Sabbatum, ceſſet à bibendo, & formulam ſeparationis recitat, & dein redit ad potum ſuum. Maimon. Schabb.* cap. 29.

CAP. VIII. VERS. 16.

II. Proprii limites Sabbati erant à Sole occidente ad Solem occidentem. Hoc à *Marco* ſatis innuitur, cùm dicit, quod, ὅτε ἔδυ ὁ ἥλιος, attulerunt ægrotos ſanandos; quod, dum laberetur & adeſſet Sabbatum, duxerunt illicitum.

Cavent Canones *Talmudici* de operibus quibuſdam, nè inchoentur die Sabbatum antecedente; ſi perfici & finiri non poſſunt מבעוד יום, *Dum adhuc eſt dies:* id eſt, (ut ipſi explicant) עם השמש, Dum adhuc non occidit Sol. *Schabb.* cap. 1. המדליק צריך להדליק מבעוד יום קודם שקיעת החמה, *Qui accendit lucernam* (Sabbaticam) *accendat, dum adhuc dies eſt, ante occaſum Solis. Maimon.* in *Schabb.* cap. 5, &c. *Veſpere Sabbati permittitur operæ incumbere, uſque dum Sol occidat. Hieroſ. Scheviith*, fol. 33. 1. Ingreſſus Sabbati ad occaſum Solis, ità & exitus.

III. Poſt occaſum Solis, ſpatium aliquod vocatum eſt בין חשמשות, de quo hæc diſputantur, *Hieroſ. Beracoth*, fol 2.2. *Quid eſt* בין השמשות? *Dicit R. Tanchuma, Eſt inſtar guttæ ſanguinis datæ in ipſam aciem gladii, quæ ſe partitur utrinque. Quid eſt* בין השמשות? *Eſt ab eo tempore, quo occidit Sol, uſque dum ambulet quis ad dimidium miliaris. R. Joſi dicit,* בין השמשות, *Eſt ſicut ictus oculi*, &c. בין השמשות, propriè ſignificat, *Inter Soles*: deductaque indè videtur Phraſiologia, quòd duo dicantur eſſe שקיעות, *occaſus Solis*; de quibus Gloſſator in *Maimon.* in *Schabb.* cap. 5. ubi ſic etiam ipſe *Maimonides*: *Ab eo tempore, quo occidit Sol, uſq; dum appareant tres ſtellæ medianæ, vocatur* בין שמשות, *Inter Soles: & dubium eſt, num tempus illud ſit de die, an de nocte. Utcunque de eo ubiq; judicant* להחמיר, *ad gravandum officium. Intra illud tempus ergò non accendunt lucernam Sabbaticam: & quicunque ſervile aliquod opus fecerit veſperâ Sabbati, aut exitu Sabbati, tenetur ad ſacrificium pro peccato.* Ità etiam *Hieroſolymitani* loco noviſſimè citato. *Apparet ſtella una? Certè adhuc dies eſt. Duæ? Dubitatur an dies ſit. Tres? Nox eſt abſque dubio.* Et, lineâ interjectâ; *Veſperâ Sabbati, ſi quis opus facit poſt viſam ſtellam unam, abſolvitur: ſi poſt duas, tenetur ad ſacrificium pro tranſgreſſione dubia: ſi poſt tres, tenetur ad ſacrificium pro peccato. Itemque in exitu Sabbati, ſi opus aliquod facit poſt viſam ſtellam unam, tenetur ad ſacrificium pro peccato: ſi*

poſt

Digitized by Google

CAP. VIII. VERS. 17, 28.

poſt duas, ad ſacrificium pro tranſgreſſione dubia: ſi poſt tres, abſolvitur.

Hinc videas quoto tempore ſanandos ad *Chriſtum* hîc apportarent, in exitu Sabbati, ſi modò horæ gentis Canonicæ iis fuerint curæ, quod non dubitandum.

VERS. 17. Ἀυτὸς τὰς ἀσθενείας ἡμῶν ἔλαβε.

Babyl. Sanhedr. fol. 98. 2. Adducuntur varia nomina *Meſſiæ*. Inter alia חיורתא דבי רבי שמו, *Rabbini dicunt, Nomen ejus eſt, Leproſus è domo Rabbi: ſicut dicitur, Certè infirmitates noſtras ille tulit*, &c. Et paulò poſt, *Rabb dicit, Si Meſſias ſit è vivis, Rabbenu Haccadoſh ille eſt.* Gloſſa, *Si Meſſias ſit ex iis, qui jam vivunt, certè Rabbi noſter Sanctus ille eſt, quippe qui portet infirmitates*, &c. *Rabbi Juda*, quem *Sanctum* vocârunt, plurimas ſubiit ægritudines, (de quo & quibus hiſtoriam habes in *Hieroſ. Kilaim*, fol. 32, 1. *Tredecim annos laboravit Rabbi dolore dentium*, &c.) ob quas erant, quibus eum pro *Meſſia* habere complaceret, eò quòd ſecundum Prophetas *Meſſias* futurus erat *vir ærumnarum*: & tamen pompâ incedentem eum exſpectant.

Incongrua aliquantò videri poſſit hæc allegatio *Matthæi*, & à ſenſu Prophetæ aliena: nam loquitur *Eſajas* de *Meſſia*, in ſe portante hominum infirmitates; at *Matthæus* de eo eas ſanante in aliis: *Eſajas* de morbis animæ, (vide 1. *Pet.* 2: 24.) *Matthæus* de morbis corporis. At in hoc ſenſu optimè convenit utrique, quòd *Chriſtus* cum infirmitatibus & ærumnis noſtris negotium habuit, & ipſe potuit negotium iſtud tranſigere: ejus erat eas portare & ferre, atque in eo erat potentia & vis eas portandi & ferendi. Hoc ergò ſenſu intelligendus *Matthæus*; Sanavit dæmoniacos, omneſque morboſos verbo ſuo, ut impleretur iſtud *Eſajæ*, Iſte eſt, qui ærumnas atque ægritudines noſtras ferre & portare poteſt: & ſic an ad morbos animæ applices, an corporis, æquâ facilitate exſurgit ſenſus planus. Ulteriùs quidem porrigitur ſenſus *Eſajæ*; nempe quòd *Meſſias* erit ipſe vir ærumnarum, &c. at non excluſo eo, quem memoravimus, quem cauſæ ſuæ optimè quadrantem retinet *Matthæus* quàm aptiſſimè.

VERS. 28. Εἰς τὴν χώραν τῶν Γεργεσηνῶν.

Marco & *Lucæ* eſt τῶν Γαδαρηνῶν, utrumque appoſitiſſimè: nam erat urbs *Gadara*, unde regioni nomen; erat etiam urbs vel oppidum *Gergaſa*, intra iſtam regionem; quæ, an ab antiqua ſtirpe *Canaanitica Gergaſæorum* nomen tulerit, an à voce גרגשתא, quæ argillam, vel lutum, ſignificat, doctioribus diſcutiendum relinquimus. Iſtiusmodi nomenclaturæ *Lutetia* poni poteſt pro exemplo.

CAP. VIII. VERS. 28, 30.

VERS. 28. Δύο δαιμονιζόμενοι ἐκ τῶν μνημείων ἐξερχόμενοι, &c.

In *Hieroſ. Trumoth*, fol. 40. 2. *Hæc ſunt ſigna* τοῦ שוטה. *Exit nocte, & pernoctat inter ſepulchra, & veſtes ſuas lacerat, & quodcunque ei datur peſſundat. Dicit Rabbi Houna, At num ille ſolùm, in quibus hæc omnia? Ego dico quòd non. Qui exit nocte*, קניטרוכוס, *Chondriacus eſt. Qui pernoctat inter ſepulchreta*, מקטיר לשדים, *ſuffitum facit dæmonibus. Qui veſtes ſuas lacerat*, כוליקוס, *Melancholicus. Et qui peſſundat quodcunque ei datur*, קורדייקוס, *Cardiacus.* Et paulò poſt, פעמים שוטה פעמים חלים, *Aliquando furit, aliquando eſt ſanus: dum furit habendus eſt pro furente ad omnia ſua: dum ſanus eſt, habendus eſt pro compote ſui ad omnia.* Vide quæ dicimus ad Capitis decimi ſeptimi verſum decimum quintum.

VERS. 30. Ἀγέλη χοίρων πολλῶν βοσκομένη.

Num *Judæi* hi *Gadareni*, an *Ethnici*?

I. Res infamiæ erat *Judæo*, porcos alere.

Hieroſ. Shekalim, fol. 47. 3. *R. Jonah erat rubentis admodùm faciei, quam videns mulier quædam ſic dixit*, סבא סבא, *Signior, Signior, aut tu es* οἰνοπώτης, *aut fænerator, aut altor porcorum.*

II. Canone prohibitum eſt.

Maimon in *Nizke Mammon.* cap. 5. *Prohibuerunt Sapientes ullibi nutrire porcos, & canem niſi catenâ ligatum.* Porcos, duplici ratione; 1. Ob nocumenta & detrimenta alienis agris à porcis illata. Generaliter *prohibita eſt nutritio pecorum minutiorum in terra Iſraëlitica*, [inter quæ non immeritò porcos numeres vel primo loco] *Bava Kama*, cap. 7. hal. 7. ratioque redditur à Gemariſtis, *Nè ſcilicet irrumpant in agros alienos.* 11. Singulariùs prohibetur nutritio porcorum, ob eorum immunditiam. אסור לעשות סחורה בכל דברים טמאים, *Nam prohibetur vel mercaturam facere rei cujusvis immundæ:* Gloſſa in *Kama*, ubi ſupra.

III. Imò, ſub maledictione prohibitum eſt.

Maimon. ubi antè. *Dicunt Sapientes, Maledictus ſit, qui alit canes & porcos, eò quòd ex iis ſunt nocumenta multa.*

Babyl. Kama, fol. 82. 2. *Nè alant porcos alicubi. Tradunt Rabbini, Cùm bellaret inter ſe familia Aſmonæa, Hyrcanus erat intra Hieroſolymas obſeſſus, atque Ariſtobulus erat extrà. Obſeſſi indies in arcula fune demiſſâ nummos demiſerunt,*

Digitized by Google

CAP. IX. VERS. *miſerunt*, *atque ii*, *qui extrà erant*, *ſacrificia quotidiana indè coëmerunt*, *quæ ſurſum ab iis intùs ſunt retracta. Erat inter obſidentes quidam*, *doctrinâ Græcâ inſtructus*, *qui dixit*, *Quamdiu illi Liturgiam Templi ſic præſtant*, *in manus veſtras non tradentur. Poſtero ergò die iſti nummos demiſerunt*, *atque hi porcum iis remiſerunt. Cùm à porco jam ſurſum tracto perventum eſſet ad medium muri*, *ungulas muro infixit*, *& quaſſata eſt terra Iſraëlitica*, &c. *Eo tempore dixerunt*, *Maledictus ſit*, *qui alit porcos*, *& maledictus ſit*, *qui filium ſuum docet ſapientiam Græcorum.* Recitatur hæc hiſtoria in *Menachoth*, fol. 64. 2.

Mireris ergò non ſine cauſa illud, quod memoratur in *Babyl. Taanith*, fol. 21. 2. *Dixerunt aliquando Rabh Juda*, *Peſtis eſt inter porcos. Ille ergò indixit jejunium.* Quid? *Judæum* de peſte porcorum eſſe ſolicitum? Sed ſubditur ratio, *Nam putavit Rabh Judah plagam*, *in unam pecorum ſpeciem inflictam*, *invaſuram etiam omnes.*

Non incongruè ergò opineris, porcos hoſce non *Judæorum* fuiſſe, ſed *Ethnicorum* inter *Judæos Gadarenos* habitantium: nam iſtiuſmodi commixtio uſitatiſſima erat in civitatibus ac regionibus terræ *Iſraëliticæ*. Quod de *Suſitha* vel *Hippo* oppido, à *Gadara* parùm remoto, obſervamus alibi.

Aut, ſides *Judæorum* fuiſſe, horum mores tuæ opinioni fidem facient, quippe quibus crumena & lucrum ſolet eſſe ſuprema lex. Cùm tanti eſſet apud *Romanos* alioſque *Ethnicos* caro aprugna & ſuilla, non eſt cur tam arctis vinculis à Canonibus ſuis conſtrictum credas *Judæum*, ut eos commodo ſuo poſthaberet, cùm ſperaretur lucrum.

C A P. IX.

Vers. 9. Ἐιδεν ἄνθρωπον καθήμενον ἐπὶ τὸ τελώνιον Ματθαῖον λεγόμενον.

MEmorantur à *Talmudicis* quinque Diſcipuli *Chriſti*, inter quos videtur nominari *Matthæus. Babyl. Sanhedr.* fol. 43. 1. *Tradunt Rabbini*, *Quinque fuerunt Diſcipuli Jeſu.* מתאי נקאי נצר ובוני ותודה, *Mathai*, *Nakai*, *Nezer*, & *Boni*, & *Thodah.* Hos ad occiſionem adductos referunt. Vide locum. Fortè quinque tantùm ab iis nominantur, quòd quinque è Diſcipulis præcipuè rem habuerunt cum *Judæis* in *Judæa*: *Matthæus* ſcilicet, qui Euangelium illic conſcripſit, *Petrus*, *Jacobus*, *Joannes*, & *Judas.*

Videtur *Matthæus* in telonio *Capernaümi* ſediſſe juxta mare, ad colligendum tributum, aut penſum aliquod à transfretantibus. Conſule *Marcum*, Cap. 11: 13, 14. CAP. IX. VERS. 14.

Schabb. cap. 8. halac. 2. *Qui producit* (Sabbato) *papyrum*, *in qua ſcribitur notula Publicani*, *& qui producit notulam Publicani*, *reus eſt.* Gloſſa, *Cùm quis tributum ſolvit domino fluvii*, *aut ab eo remittitur ei tributum*; *notulâ*, vel ſymbolo quodam, *Publicano certum facit ſe tributum remiſiſſe*: *conſuetumque eſt in ea duas literas ſcribere noſtris majores.* Vide etiam *Gemaram* ibidem.

Vers. 14. Ἡμεῖς ϗ οἱ Φαρισαῖοι νηστεύομεν πολλά.

De jejuniis *Phariſaïcis* referuntur monſtra potiùs quàm hiſtoriæ.

I: Omnibus notum eſt ex *Luc.* 18: 12. ſolitos eos jejunare bis unaquâque ſeptimanâ. Originem iſtius conſuetudinis petas ex hac traditione. *Babyl. Bava Kama*, fol. 82. 1. *Ezra decrevit decreta decem. Inſtituit publicam Legis lectionem diebus Hebdomadis ſecundo & quinto*: *iterùmque Sabbato ad Mintha. Inſtituit ſeſſionem Judicum in civitatibus*, *diebus Hebdomadis ſecundo & quinto*, &c. De hac re etiam agitur, *Hieroſ.* in *Megillah*, fol. 75. 1. *Rationem*, *quare de die ſecundo & quinto decretum eſt*, *ſi quæras*, *reſpondendum eſt ex eo* (inquit Gloſſa) *quod dicitur in Midras de Moſe*; *quòd ſcilicet aſcendit in montem ad tabulas ſecundas recipiendas die Hebdomadis quinto*, *deſcenditque pacato jam Deo*, *die Hebdomadis ſecundo. Cùm ergò tempus gratiæ eſſet aſcenſio iſta*, *ac deſcenſio*, *de diebus ſecundo & quinto ſic ſtatuerunt. Ideòque etiam die ſecundo & quinto jejunare ſunt ſoliti.*

II. Indixerunt ſibi ipſis non raró jejunia eo fine, ut felicia adipiſcerentur inſomnia; vel ut inſomnii alicujus aſſequerentur interpretationem; vel ut malum inſomnii omen averterent. Hinc Phraſiologia iſta uſitatiſſima, תענית חלום, *Jejunium pro inſomnio*: & vulgare iſtud Adagium, יפה תענית לחלום כאש לנעורת, *Par eſt jejunium ad inſomnium*, *ac ignis ad ſtupam.* Permiſſum eſt hac de cauſa jejunare Sabbato, quod aliàs prohibitum. Vide *Babyl. Schabb.* fol. 11. 1. ubi etiam occurrit hiſtoria de *R. Joſhua bar Rabh Idai*, qui Sabbato lautè acceptus à *R. Iſhai* comedere noluit, eò quòd eſſet בתענית חלום, *ſub jejunio pro inſomnio.*

III. Jejunârunt ſæpè eo fine, ut deſideria ſua aſſequerentur. *Hieroſ Kilaim*, fol. 32. 2. *R. Joſi jejunavit octoginta jejunia*, *& R. Simeon ben Lachish trecenta*, *eo fine ut viderent R. Chaijah Rubbah.* Sæpè etiam, ut mala intentata propellerent: de qualibus jejuniis fusè agit Tractatus *Taanith*. Exemplum unum ſat eſto pro multis: idque eſt *R. Zadoki*, qui per quadraginta annos, à tempore ſcili-

CAP. IX. VERS. 15, 18.

cet, quo ſponte ſuâ apertæ ſunt portæ Templi, (quod indicium venturi excidii) adeò ſe jejuniis maceravit, ut חלשא vulgò vocaretur, id eſt *Infirmus*; cùmque, jam exciſâ urbe, fruſtrà jejunâſſe ſe videret, Medicis *Titi* uſus eſt ad reſtaurandam ſanitatem, quæ præ nimia inedia deperierat.

VERS. 15. Οἱ υἱοὶ τοῦ νυμφῶνος.

בני חופה, Eorum hilaritatem tempore nuptiarum non opus eſt referre; referam illud tantùm quod ſatis eſt, quod dicitur à Gloſſatore in *Babyl. Beracoth*, fol 31. 1. נהגו לשבר זכוכית בנישואין, *Soliti ſunt frangere vaſa vitrea in nuptiis.* Eâ ſcilicet ratione, ut modum & frænum hac actione inderent hilaritati, nè luxuriarentur nimis. Hiſtoriam unam & alteram producit illic Gemara. *Mar filius Rabbena fecit convivia nuptialia filio ſuo; atque invitavit Rabbinos: cùmque videret quòd profuſiùs exhilararentur,* אייתי כסא דמוקרא, *adduxit poculum vitreum valens quadringentos Zuzæos, atque illud coram iis confregit, unde contriſtabantur.* Similis hiſtoria etiam refertur de *Rabh Isbai*: redditurque actionis hujus ratio, שאסור לאדם שימלא שחוק פיו בעה"ז, *quia prohibetur homini, os ſuum riſu implere in hoc mundo.* Tantùm aberant à jejunando filii thalami.

חופה, vel dies thalami, *filiis thalami*, hoc eſt amicis & familiaribus, fuerunt ſeptem; hinc frequens memoria *ſeptem dierum convivii nuptialis*: at verò ſponſæ dies thalami fuerunt triginta. In *Joma*, cap. 1. halac. 1. prohibetur edere, bibere, ſe lavare aut ungere in die Expiationis: והמלך וכלה ירחצו פניהם, *At Regi & ſponſæ permiſſum eſt lavare facies ſuas. Nam ſponſa venuſtanda eſt*, inquit Gloſſa in locum, *ut amabilis ſit marito,* וכל"ל יום לחופתה היא קרויה כלה *Atque omnibus triginta diebus thalami ſui vocatur ea Sponſa.*

Meditatione dignum eſt, Diſcipulos, præſente *Chriſto*, nullam omninò perſecutionem paſſos, abſente omnimodam.

VERS. 18. Ἰδοὺ, ἄρχων.

In *Joma*, cap. 7. halac. 1. diſtinguitur inter ראש הכנסת, & חזן הכנסת. Nam, dum ibi agitur de ſummo Pontifice, legente portionem quandam Legis die Expiationis diei congruentem, ſic dicitur, חזן הכנסת נוטל ספר תורה ונתנו לראש הכנסת, *Epiſcopus Synagogæ accipit librum Legis, & dat* Ἀρχισυναγώγῳ. Ubi ſic Gloſſa, בירת הכנסת, *Synagoga erat in monte Templi, propinqua atrio,* (quod dignum notatu) חזן הכנסת שמש, *Chazan Synagogæ eſt miniſter: atque Archiſynagogus ille eſt, cujus juſſu decernuntur res Synagogæ, nempe quis leget Prophetam, quis recitabit Phylacteria, quis tranſibit coram Area.*

CAP. IX. VERS. 20, 23.

Hujus ordinis & muneris fuit *Jairus*, in Synagoga *Capernaumi*: ità ut vox ἄρχων minus obſcuritatis admittat, etiamſi non adſit vel εἷς, vel τὶς, in hunc ſenſum intellecta. Hæc eo loquente, *Ecce, præfectus Synagogæ iſtius*, &c.

VERS. 20. Αἱμοῤῥοοῦσα.

זבה, Commentarius hic poteſt eſſe Tractatus *Talmudicus* זבין.

Acta ſunt hæc in plateis *Capernaümi*; nam illic habitavit *Matthæus*, ibidemque *Jairus*: inque tranſitu ab illius ad hujus domum occurrit hæc Hæmorrhoïſſa. Perpende ſeriò hiſtoriam, ut facilè dijudices, quid ſentiendum de hiſtoria iſta, de ſtatuis hujus mulieris & Chriſti *Paneade* erectis, vel *Cæſareæ Philippi*; de quibus *Euſebius*, *Eccleſ. hiſt.* lib 7. cap. 14.

VERS. 23. Ἰδὼν τοὺς αὐλητάς.

Dion Caſſius, lib. 56. de funere *Auguſti*. Ὁ δὲ δὴ Τιβέριος, καὶ ὁ Δροῦσος, ὁ υἱὸς αὐτοῦ, φαιὰν τὸν ἀγοραῖον τρόπον πεποιημένην εἶχον. Καὶ τοῦ μὲν λιβανωτοῦ καὶ αὐτοὶ ἔθυσαν· τῷ δὲ αὐλητῇ οὐκ ἐχρήσαντο.

Chetubboth, cap. 4. halac. 6. אפילו עני שבישרא' לא יפחות לה משני חלילים ומקוננת, *Etiam pauperrimus inter Iſraëlitas* [uxore mortuâ] *præbebit ei non minùs, quam duas tibias, & unam lamentatricem,*

Bava Mezia, cap. 6. halac. 1. חלילים לכלה או למת, *Qui conducit mercede Aſinarium, aut aurigam, ut afferat tibias, aut pro ſponſa, aut pro mortuo*: id eſt, aut ad nuptias, aut ad funus.

Maimon. in אישות cap. 14. *Mortuam uxorem tenetur maritus ſepelire, & lamenta & luctus ei facere, ſecundùm morem omnium regionum. Atque etiam pauperrimus inter Iſraëlitas præbebit ei non minùs, quàm duas tibias, & lamentatricem: ſi autem dives ſit, fiant omnia ſecundum ejus dignitatem.*

Schabb. cap. 13. hal. 4 *Si Idololatra tibias afferat Sabbato,* [ad domum ubi aliquis eſt mortuus] *ad tibias iſtas non lugebit Iſraelita.*

Convenerat hæc turba ſubitò: vicini officii ergô, tibicines forſan lucri ergô; utrique hâc re, ut conjectari licet, eò officioſiores, quò dignioris gradûs eſſent parentes defunctæ. Obiit ea, cùm jam *Chriſtus* cum *Jairo* ad domum pergeret, *Marc.* 5: 35. & tamen, ecce, quàm ſolenniter conventum eſt, & concurſum in ejus luctu. Duo erant, quæ in iſtiuſmodi caſibus occaſionem turbæ præbuerunt ad

Digitized by Google

CAP. IX. VERS. 23. ad domum luctûs ſeſe congregandi. I. Quidam, ut probabile admodum eſt, ſe illuc receperunt, ut ederent & biberent: nam adhibitæ ſunt tunc temporis quædam epulæ. *Hieroſ. Beracoth*, fol. 6. 1. *Traditio. Decem pocula ebibunt in domo luctûs: ante cibum duo, quinque dum comedunt, & à cibo tria.* Et paulò poſt, *Cùm moreretur Rabban Simeon ben Gamaliel, tria inſuper addiderunt: at, cùm videret Synhedrium, quòd hinc inebriarentur, contra hoc decreverunt.* II. Alii, ut munus ſuum charitatis & vicinitatis præſtarent: nam ſummi officii eſſe arbitrabantur, mortuos plangere, ſepulchralia eis parare, curare funus, feretro ſubire, aliaque in iſtam ſolennitatem requiſita omni ſedulitate conferre. Hinc גמילות חסדים, *Retributionem* (vel exhibitionem) *miſericordiarum* ad hoc munus, peculiari ſenſu præ omnibus aliis charitatis demonſtrationibus, appropriârunt. *Hieroſ. Sanhedr.* fol. 23. 3. מית חד מנון ולא אתגמל חסד, *Mortuus eſt quidam è diſcipulis Sapientum, & non exhibita eſt ei miſericordia*: id eſt, non curatum eſt de ejus funere. *At mortuus eſt quidam Publicanus*, ובטלת כל מדינתא מיגמלינה חסד, *Et ab operibus ſuis ceſſavit tota urbs, ut exhiberent ei miſericordiam.*

Luctus pro mortuis diſtinguitur à ſcholis *Judaicis* in אנינות & אבלות. אנינות, erat in diem funeris tantùm, vel uſque dum efferretur funus; & exinde cœpit אבלות, in dies triginta. De his hæc pauca: מי שמתו מוטל לפניו ואין עליו לקוברו אינו נוהג אנינות, *Is, qui habet mortuum ſuum ante ſe projectum, atque eum penès non eſt ſepelire eum, non adhibet* אנינות. *Exempli gratiâ: Si moriatur quis in carcere, & ſepulturam ejus non permittet Magiſtratus*, vel loci Præfectus, *non tenetur cognatione ei propinquus ad luctum iſtum, qui vocatur* אנינות, &c. Hæc habes in *Babyl. Berac.* fol. 18. 1. ratioque redditur paulò antè, Quia nempe ille, qui habet mortuum ſuum ante ſe projectum, vel cui incumbit ejus ſepultura, prohibetur carnem edere, vinum bibere, cum aliis edere, in eadem domo edere, [ſub qua prohibitione tu jam es, ô *Jaïre*,] & liber erat à recitatione Phylacteriorum, & ab oratione, & ab omnibus iſtiusmodi præceptis Legis. מיד חל עליו אבלות משיצא מפתח ביתו, *Aſt cùm effertur funus ex oſtio domûs, tunc illicò incipit luctus* אבלות. Liber ille exinde à præcedentibus prohibitionibus, alias jam incurrit. Indè I. כפיית המטה, *Inclinatio lectorum*, de quâ plurima *Talmudici. A quonam tempore*, inquiunt, *inclinantur lecti? Ex quo mortuus effertur ex porta atrii domûs; aut, ut R. Joſua, Ex quo obturatur* גולל, *lapis ſepulchralis.* (Sic enim vulgò redditur, at Gloſſa alicubi, *tegumentum*, aut *aſſer ſupremus, feretri.*) Quid ſibi voluerit hæc lectorum inclinatio, obſerves ex iis, quæ dicuntur *Hieroſ. Berac.* fol. 6. 1. *Unde lectorum inclinatio? R. Criſpa, Nomine R. Jochananus dicit, Ex hoc, quod dicitur* וישבו אתו לארץ, Et conſiderunt cum illo ad terram, *Job.* 11 : 13. Super terram *non dicitur, ſed* לארץ, ad terram: *rem denotat propè à terra. Hinc eſt quòd incubuerunt lectulis inclinatis.* II. אבל כל ל׳ יום אסור לעשות מלאכה, *Lugens per omnes triginta dies prohibetur opus ſuum facere, ſic & filii ejus, & filiæ, & ſervi, & famulæ, & jumenta*, &c. *Maſſecheth Semachoth*, cap. 5.

Hæc eum ſpectârunt, cujus erat mortuus. Partes ſuas etiam egerunt amici & vicini, & in planctu, & in cura funeris, officioſâ ſedulitate rei iſti incumbentes, ex officio & amicitia. כל הרואה מת ואינו מלוהו, *Quicunque mortuum videt*, inquiunt illi, *atque eum ad funus non accommodat*, (vel *comitatur*) *reus eſt de hoc, quod dicitur*, Deridens pauperem convitiatur ejus Creatori, &c. *Jam verò*, inquiunt, *non eſt æquè qui pauper, ac mortuus*, &c. *Babyl. Berac.* ubi ſuprà.

CAP. IX. VERS. 24, 33.

VERS. 24. Οὐκ ἀπέθανε τὸ κοράσιον, ἀλλὰ καθεύδει.

Vulgatiſſimum apud eos erat mortem cujusvis voce דמך exprimere, quæ propriè *dormire* ſignificat. כד דמך *Cùm dormiret* N. id eſt, cùm moreretur, occurrit apud *Talmudicos* ſexcenties: & tota hæc turba jam diceret, דמכת ברת יאיר, *Dormit filia Jaïri*, id eſt, mortua eſt. Perpenſione ergò dignum eſt, quânam loquendi formulâ *Chriſtus* hic uſus. *Syrus* habet לא מיתת אלא דמכא.

VERS. 33. Οὐδέποτε ἐφάνη οὕτως ἐν τῷ Ἰσραήλ.

Non ad peculiare illud miraculum tunc editum tantùm referri hæc videntur; ſed ad omnia. Perpende quot uno iſto die, imò tempore pomeridiano. Prandet *Chriſtus Capernaümi* apud *Matthæum*; pranſum avocat impetratio *Jairi*; cum eo proficiſcenti occurrit *Hæmorrhoüſa* in plateis, & ſanatur. Accedens ad domum *Jaïri* ſuſcitat mortuam ejus filiam; redeunti ad domum ſuam (nam ei habitatio *Capernaümi*) occurrunt duo cœci in plateis, *Meſſiam* clamant, eum domum ſequuntur, & ſanantur. Ipſis egredientibus domo, ingreditur mutus dæmoniacus, & ſanatur. Meritiſſimè ergò à turba non acclamari non potuit, *Nunquam apparuit tale quippiam in Iſraële.*

Digitized by Google

CAP. X. VERS. I.

VERS. 34. Ἐν τῷ ἄρχοντι τῶν δαιμονίων, &c.

Vide quæ notantur ad Cap. 12:24.

CAP. X.

VERS. I. Καὶ προσκαλεσάμενος τοὺς δώδεκα μαθητάς.

DE numero duodenario, Tribubus *Iſraëliticis* ſymphono, vide *Luc.* 22:30. *Apoc.* 21:12, 14. Vocati ſunt hi duodecim *Apoſtoli*, שלוחי, vel שליחי, quo titulo inſigniti ſunt *Moſes* & *Aaron* a Chaldæo Paraphr. *Hierem.* 11:1. Non nudè *Nuntium* ſonat, ſed *nuntium vices mittentis gerentem*. Nam שלוחו של אדם כמותו. *Apoſtolus cujuſvis eſt ſicut ipſe, à quo deputatur. Babyl. Beracoth*, fol. 34. 2: Vide verſum hujus Capitis quadrageſimum. Si Tractatum *Maimonidis* hîc perlegeris, cui titulus שלוחין ושותפין, oleum forſan & operam non omninò perdes.

In hos fines electi ſunt hi duodecim, referentibus Euangeliſtis. I. Ut cum ipſo eſſent operum ejus oculati teſtes, & doctrinæ ſtudioſi. Nam non illicò a primo ſuo Diſcipulatu, imò nec illicò ab electione ſua ad prædicandum ſe contulerunt; ſed diu ad pedes Magiſtri aſſidentes, doctrinam iſtam ab ore ejus imbiberunt, quam erant prædicaturi. II. Ut Prophetæ ejus forent, & ad prædicandum, & ad miracula edenda. Indè fit, ut iis jam reſtituatur donum miraculorum, quod diu evanuerat.

Septem Paſtores atque octo Primates, Mich. 5:5. apud *Kimchium* ſunt Diſcipuli *Meſſiæ*.

Ἐξουσίαν πνευμάτων ἀκαθάρτων.

Id eſt, *in malos ſpiritus*, qui idcircò רוחות טמאות, *ſpiritus immundi* dicuntur, ut clariore Antitheſi opponerentur רוח הקדש, *Spiritui Sancto*, ſpiritui puritatis. Singulariùs רוח הטמאה, *Zach.* 13:12. Et Πνεύματα ἀκάθαρτα, *Apoc.* 16:13, 14. ſunt ſpiritus Diabolici in Pſeudo-prophetis decipientes Pythones.

Singulariori porrò nomenclaturâ, de hac re Talmudici, *Babyl. Sanhedr.* fol. 65. 2. *Non erit apud te* חורש אל המתים, *Necromantes.* Deuter. 18:11. דורש אל המתים, *Necromantes ille eſt, qui inediâ ſe macerat, atque it & pernoctat inter ſepulchreta, eo fine, ut habitet ſuper eum* רוח טמאה, *ſpiritus immundus. Cùm verſiculum iſtum legeret R. Akibah, flevit. Num jejunanti, inquit, eo fine ut ei ſuper veniat ſpiritus immundus, ſupervenit ſpiritus immundus? Multò magis jejunanti eo fine, ut ſuperveniat ſpiritus ſanctus, ſuperveniret ſpiritus ſanctus. Aſt ego quid faciam; cùm peccata noſtra id nobis effecerint quod dicitur, Peccata veſtra ſeparant inter vos & Deum veſtrum?* Ibi ſic Gloſſa, שתשרה רוח טמאה עליו, *Ut habitet ſuper eum ſpiritus immundus: id eſt, ut dæmon ſepulchreti eum amet, atque adjuvet in incantationibus ſuis.*

CAP. X. VERS. 2, 3.

Cùm innumerum Dæmoniacorum numerum, quem memorant Euangeliſtæ, mecum revolvo, cui parem non exhibet aliqua hiſtoria, Vetuſque Teſtamentum vix unum exemplum profert & alterum: duo hæc præcipuè non poſſum non pro hujus rei cauſa ſuſpicari. I. Quòd populus *Judaicus*, ad ſummum impietatis apicem jam pertingens, ad ſummum etiam maledictionum iſtarum apicem jam pertigerit, quæ recitantur *Levit.* 26. & *Deut.* 28. II. Quòd gens, præter modum artibus magicis dedita, etiam dæmona ambierit, invitaveritque ut inhabitaret.

VERS. 2. Σίμων.

סימון, Nomen *Talmudicis* uſitatiſſimum pro שמעון, quo nomine etiam noſter appellatur, *Act.* 15 14.

Obſerventur hæc, ex *Hieroſ. Schabb.* fol. 11. 2. ר' א' בעא מר' סימון, *Rabbi Eliezer quæſivit de re quadam à R. Simone; at ille non ei reſpondit. Quæſivit à R. Joſhua ben Levi, atque ille reſpondit. Indignatus eſt R. Eliezer, quod* ר' שמעון, *R. Simeon non reſponderet.*

Πέτρος.

Tribus, interioris ſuæ familiaritatis, Diſcipulis *Chriſtus* immutavit nomina; *Simoni*, *Jacobo*, *& Joanni*. *Simon* ab eo vocatus eſt *Petrus*, vel *Petroſus*: id eſt, referens ad Petram, eò quòd Eccleſiæ in Petra ædificandæ non ſolùm plurimum opis contulerit, ſed & opis primum, cùm, clavibus ſibi commiſſis, oſtium fidei *Cornelio* aperiens, Euangelium primus ad Gentes intromiſit: de qua re poſteà.

Ἀνδρέας.

Nomen hoc etiam *Talmudicis* non alienum. אנדריי בר חיננא, *Andreas Bar-Chinna. Hieroſ. Megill.* cap. 4.

VERS. 3. Βαρθολομαῖος.

Computa ordinem, quo vocati ſunt Diſcipuli *Joann.* 1. cum ordine quo ut plurimùm recenſentur, & *Bartholomæum* in eundem locum cum *Nathaniele* coincidentem comperies; ità

Digitized by Google

CAP. X. VERS. 3, 4.

ità ut eundem cum eo eſſe opineris: *Nathanielem* nomine proprio dictum, & *Bartholomæum* paterno. בר' הלמי, id eſt, *Filium Talmai.* Nam *Græci* Interpretes *Talmai* reddunt Θολμαὶ, 2 *Sam.* 13:37. Atque occurrit Θολομαῖος apud *Joſephum*, *Antiqu.* lib. 20. cap. 1.

Ἀλφαίου.

Apud *Talmudicos* etiam occurrit nomen חלפי, flexile in duplicem pronuntiationem, nempe ut vel *Alphai* ſonet, vel *Cleophi.* Hinc *Alphæus* iſte, quatuor Apoſtolorum pater, vocatur etiam *Cleopas*, *Luc.* 24. quod & ex hoc ſatis liquet, quòd ea, quæ vocatur *Maria mater Jacobi minoris & Joſis*, *Marc.* 15:40. à *Joanne* vocetur *Maria uxor Cleopæ*, *Joann.* 19:25.

Λεββαῖος ὁ ἐπικληθεὶς Θαδδαῖος.

תדאי, Nomen quoque notum *Talmudicis*, ר"יוסי בן תדאי, *R. Joſi filius Thaddæi*, *Maſſech. Derech arets*, cap. 1. אלעזר בן תדאי, *Eliezer ben Thaddæi*, *Hieroſ. Kilaim*, fol. 27. 2. & *Schabb.* fol. 5. 4. vide *Juchaſin*, fol. 105. 2. Deflexio eſt nominis *Judæ*, ut rectiùs hic diſtingueretur ab *Iſcariota*. *Lebbæum* eum dictum ego arbitror ab oppido *Lebba*, *Galileæ* maritimo: de quo Plinius, *Promontorium Carmelum, & in monte oppidum eodem nomine, quondam Ecbatana dictum. Juxta Getta Lebba*, &c. lib. 5. cap. 19.

VERS. 4. Σίμων ὁ Κανανίτης.

Lucæ Ζηλωτής. Vide quinam vocentur Ζηλωταὶ apud *Joſephum*: è quorum Secta ſi hunc *Simonem* fuiſſe dixeris ante converſionem ſuam, ei fortè nihil magis injurius fueris, quàm *Matthæo* fratri ejus fueris, cùm eum dixeris *Publicanum.*

Ἰσκαριώτης.

Quæri poteſt, an vivo ei inditum fuerit hoc nomen, an non niſi poſt mortem? Si vivo, non incongruè à סקורטיא deduxeris, quod & אסקורטיא, ſcribitur, *Babyl. Nedarim*, fol. 55. 2. ubi dum de homine agitur, vovente ſe hâc vel illâ non uſurum veſte, hæc docentur; *Qui voto ſe obligat de non utendis veſtibus, uti ſacco ei licet, cortinâ, cilicio*, &c. *aſt uti non licet* פונדא ופסקיא ואסקורטיא וגו". De quibus ſic Gloſſa, *Hæc ſunt indumenta, quædam coriacea, quædam de genere veſtium.* Quærit Gemara, *Quid eſt* אסקורטיא? *Reſpondit Bar bar Channah*, כיתנא דציא, *Indumentum Coriarii.* Gloſſa, *Cinctorium coriaceum indutum à Coriariis ſupra veſtes ſuas.* Ità ut *Judas Iſcariotes* idem fortè ſignificet quod *Judas cum cinctorio*, Anglicè, **Judas with the Apron.** Jam verò in iſtiuſmodi cinctoriis conſutas habuerunt crumenas, in quibus nummos ſuos circumgeſtare ſolebant, prout videre eſt in *Aruch*, in vocibus אפונדה & תרמיל, quod & obſervabimus illicò. Atque hinc fortè titulum iſtum ſortitus eſt *Judas* portitor gloſſocomi, ut vocaretur *Judas cum cinctorio.* Aut quid ſi artem Coriarii exerceret, antequam cooptatus eſſet in Diſcipulatum? *Simonem* certè quendam legimus Coriarium, *Act.* 9:43. Atque hunc *Judam* filium *Simonis*, *Joann.* 13:4. Quòd ſi non niſi poſt mortem tituli hujus ſtigma inuſtum ei fuit, ab אסכרא ego deductum reor; quæ vox quid ſibi velit eſſentur *Gemarici*, *Babyl. Beracoth*, fol. 8. 1. *Nongenta & tria genera mortis creata ſunt in mundo, ſicut dicitur*, ולכות ת צאות, *Et exitus mortis*, Pſalm. 68:20. *Vox* תוצאות, *Arithmeticè eò numeri aſſurgit. Aſperrima mors inter omnia genera eſt* אסכרא: *facillima eſt* נשיקה Ubi Gloſſa, אסכרא אסכראנ נולכנט בלועז, *Iſcara vernaculè eſt, Strangulament.* A doctis redditur plerunque *Angina. Gemara* aſperitatem ejus illuſtrat hoc ſimili, אסכרא דמיא כהיזרא בגבבא דעמרא דלאחורי נשרא: *Eſt ſimilis ramis ſpinarum in vellere lanæ, quos ſi quis violenter à tergo vibret, impoſſibile eſt lanam ab iis non convelli. Schabb.* fol. 33. 1. in Gloſſa ſic definitur, אסכרא המתחיל במעים וגומר בגרון, *Iſcara incipit in viſceribus, & deſinit in gutture.* Vide *Gemaram* ibi.

Cùm ergò *Judas* miſerrimâ ſtrangulatione periret, quippe quòd à Diabolo ſtrangularetur, [quod obſervamus ſuo loco] non mirum, ſi nomini ejus inureretur hæc mortis infamia, ut vulgò diceretur *Judas Iſcariotes*, aut *Judas ille, qui periit* מאסכרא, *à ſtrangulatione.*

Ὁ καὶ παραδοὺς αὐτόν.

Obſervetur illud *Maimonidæ in* חובל ומזיק, cap. 8. *Prohibitum eſt, Iſraëlitam in manus Ethnicorum prodere, vel quoad perſonam ſuam, vel quoad bona ſua*, &c. *Et quicunque Iſraëlitam ità prodiderit, partem nullam habiturus eſt in mundo futuro.* Cum ſententia gentis locutus eſt *Petrus*, cùm dixit de *Juda*, *Abiit in locum ſuum*, Act. 1:25. Idem & *Baal Turim* de *Bileamo*; *Abiit Bileamus in locum ſuum*, Num. 24:25. *hoc eſt*, inquit ille, וירד לגיהנם, *Deſcendit in Gehennam.*

CAP. X. VERS. 5.

VERS. 5. Εἰς πόλιν Σαμαρειτῶν μὴ εἰσέλθητε.

Privilegia ſua *Judæis* ſervata vult *Salvator*, uſque dum ipſi ea perverſitate ſuâ ac peccatis alienarent perderentque. Nec gentibus, nec *Samaritanis* prædicationem Euangelii indulget, ante oblatam eam genti *Judaicæ*. Se filios *Jacobi* Patriarchæ jactârunt *Samaritani*, *Joann.* 4:12. quod quidem non erat prorſus à veritate alienum; legem etiam *Moſaicam* ſunt amplexi, & *Meſſiam* indè edocti exſpectârunt æquè, ac *Judæi*: eos tamen pro ovibus *Chriſtus* nihilò magis agnoſcit, quam ipſos *Ethnicos*.

I. E ſemine *Jacobi* quàm plurimi eorum quidem ſunt orti, profugæ ſcilicet facti, atque Apoſtatæ à gente *Judaïca* ac fide: atque odiis in eos ardentes pluſquàm *Ethnici*, ac pluſquam in *Ethnicos*. Quod & inter alia in ipſiſſima eorum lingua forſan poſſit animadverti. Perlege enim verſionem *Pentateuchi Samariticam*, atque hoc, ni halluciner, obſervabis, *Samaritas*, cùm non poſſent ob locorum vicinitatem, & cognationem gentium, non uti linguâ *Judæorum*, eâ tamen deflexione atque immutatione Dialecti uſos, ac ſi eadem cum eis loqui aſpernarentur, atque eandem linguam facerent non eandem.

II. Legem pari modo *Moſaïcam* ſunt amplexi, ſed tam variatâ, ut plurimùm, vocabulorum ſcriptione, ut hoc ſibi planè propoſuiſſe videantur, ſe quidem, Legem *Moſaicam* retinentes, eâ quâ fieri potuit differentiâ à textu *Judæorum Moſaïco* habituros, modò ſenſum aliqualiter retinerent. *Dixit R. Eliezer ben R. Simeonis, Dixi ego Scribis Samaritarum, Falſificâſtis vos Legem veſtram, abſque ullo prorſus vobis indè accreſcente commodo. Nam in lege veſtra ſcripſiſtis,* אצל אלוני מורה שכם. *Juxta querceta Moreh, quæ eſt Sichem*, &c. [vox שכם additur] *Hieroſ. Sotah*, fol. 21. 3. & *Babyl. Sotah*, fol. 33. 2. Videatur textus *Samariticus* ad *Deut.* 11:30.

III. Utcunque religioni *Moſaicæ* ſtudere ſe præ ſe tulerunt, revera parùm aut nihil aberant ab Idololatris, cùm neſcirent quid adorarent: quod iis objicit *Salvator*, *Joann.* 4:22. ac à vera religione *Moſaica*, non ſolùm Apoſtatæ receſſiſſent, ſed ei ſummo odio adverſarentur. Hinc eos pro *Ethnicis* habuit gens *Judaica*, aut pro populo ipſis *Ethnicis* magis execrando. Idololatriæ ipſorum ſic convitiatur *Rabbinus* quidam in *Hieroſ. Avodah Zarah*, fol. 44. 4. *Rabbi Iſmaël ben R. Joſi adiit Neapolin*, [id eſt, *Sichem*] *acceſſerunt ad eum Samaritæ: quibus ſic ille, Video ego quòd vos non adoratis hunc montem, ſed Idola quæ ſub eo: nam ſcribitur, Abſcondit Jacobus Deos alienos ſub luco, qui juxta Sichem.*

CAP. X. VERS. 9, 10.

Diſputatur in Tractatu *Shekalim Hieroſolymitano*, fol. 46. 2. num *Cuthæus* reputandus eſſet pro *Ethnico*? Quod aſſeritur à *Rabbi*, negatur à *Simeone*; ſed concluditur quidem ſatis pro affirmativo.

IV. Secundâ Apoſtaſiâ laborabat *Samaritarum* Metropolis, eò adducta dolo & præſtigiis *Simonis Magi*, poſt receptum Euangelium ab ore ipſius *Salvatoris*. Confer *Actorum* Capitis octavi verſum nonum cum *Joannis* Capitis quarti verſu quadrageſimo primo.

Ex his omnibus & meritò ob rem ipſam, & ut *Judæorum* privilegia ſarta tecta ſervarentur, & nè iſti genti aliàs eſſet offendiculo, paralleli *Ethnicis* ſtatuuntur *Samaritani*, atque æquè diſtantes ab Euangelii participatione.

VERS. 9. Εἰς τὰς ζώνας ὑμῶν, &c.

Hæc, quæ à *Salvatore* Diſcipulis interdicuntur uſitatiſſima erant itinerantium viatica, quibus etiam addebant religioſiores librum Legis.

Jevamoth, cap. 16. halac. ult. *Profecti ſunt Levitæ quidam Zoarem civitatem palmarum: cùmque ex iis unus in viâ ægrotaret, adduxerunt eum ad diverſorium. Redeuntes ab hoſpitiſſa quæſiverunt de collega: Mortuus eſt, inquit ea, eumque ſepelivi.* Et paulò poſt, הוציאה להם מקלו ותרמילו וספר תורה שהיה בידו, *Ad eos protulit baculum ejus, atque ejus peram, librumque Legis, qui fuerat in ejus manu.* Sic *Miſhnah Babylonica*: at *Hieroſolymitana calceos* etiam addit: & pro eo, quod in *Miſhnah* eſt תרמילו, in *Gemara* eſt אפונדתו.

Memoriâ etiam dignum eſt illud in *Beracoth*, cap. 9. halac. 5. לא יכנס להר הבית לא במקלו ולא במנעלו ולא בפונדתו ולא באבק שעל רגליו, *Nè ingrediatur quis montem Templi cum baculo ſuo, nec cum calceis ſuis, nec cum crumena ſua, nec pulvere in pedibus ſuis.* Quæ à *Gemara* ſic redduntur: *Nè ingrediatur quis in montem Templi, nec cum baculo in manu, nec cum calceis in pedibus, nec cum nummo ligato in linteo ſuo, nec cum crumena à tergo pendente.* ובפונדתו מופשלת לאחריו, *Babyl. Berac.* fol. 62. 2. ubi ſic Gloſſa, פונדתו אזור חלול שנותנין בו מעות פונדא, *Eſt cingulum cavum* [vel *zona concava*] *in quo repoſuerunt nummos ſuos.* Vide *Aruch* in אפונדה, & פונדה.

VERS. 10. Μὴ πήραν εἰς ὁδόν.

Syriaca Verſio, ולא תרמלא. Vox תרמיל & תורמל, *Talmudicis* frequentiſſima.

Rambam in *Kelim*, cap. 16 halac. 4. תורמל

CAP. X. VERS. 10. הורמל, *eſt pera coriacea, quam à collo ſuo appendunt paſtores, in qua victualia ſua reponunt.*

R. Solom. ibidem idem ferè dicit, niſi quòd paſtoribus non appropriat. Idem ferè etiam *Aruch.*

Babyl. Schabb. fol. 31. 1. Introducitur Proſelytus ſic dicens, *Si Iſraëlita ſacris appropinquans, morietur, quantò magis advena,* שבא במקלו ובתרמילו, *qui venit cum baculo ſuo, & pera ſua.*

Μηδὲ δύο χιτῶνας.

Simplex tunica pauperiorem ſtatum indicavit, duplex affluentiorem. Hinc conſilium illud *Baptiſtæ*, Luc. 3:11. Ὁ ἔχων δύο χιτῶνας, μεταδότω τῷ μὴ ἔχοντι. Diſputatur à *Babyloniis*, *Taanith*, fol. 29. 2. & *Moed Katon*, fol. 18. 1. quouſque liceat veſtes lavare בחולו של ומעד, in diebus profeſtis Hebdomadæ feſtivæ; & concluditur, *ei licere,* שאין לו אלא חלוק אחד, *cui una tantùm fuit tunica, eam lavare.*

Μηδὲ ὑποδήματα.

Calceos hìc intelligi, non *Sandalia*, patet ex *Marco*, Capitis ſexti verſu nono, atque inter hæc diſcrimen ſtatui, ſatis patet ex ipſiſſimis hiſce locis. Cujus contrarium non ſine admiratione lego apud *Bezam* in locum. *Sed tum ex hoc loco*, inquit ille, *tum etiam ex Actorum Capitis duodecimi verſu octavo, apparet Euangeliſtas inter* ὑποδήματα & σανδάλια, *nullum poſuiſſe diſcrimen, ut rectè obſervavit Eraſmus.*

Audiantur de hac re Scholæ *Judaicæ*.

Jevamoth, cap. 12. halac. 1. *Extractio calcei* [leviri, *Deuter.* 25:9.] *recta eſt. Sandalii, ſi adſit ei calx, recta eſt; ſin minùs, non recta.*

Hieroſ. ibi, fol. 12. 1. *Dicit R. Joſi, Profectus ſum Niſibin, vidique illic ſeniorem quendam, dixique ei, Num bene noſti R. Judam ben Betiræ? Ille autem, Nummularius ego ſum in civitate mea, atque adfuit ille ad menſam meam quàm ſæpiſſimè. Dixi ego, Num unquam eum diſcalceantem vidiſti, in quonam ille diſcalceat, Calceo, an Sandalio? Reſpondit ille, Numnam, ô Rabbi, ſunt Sandalia hìc apud nos? Unde ergò, inquam ego, dixit R. Meir,* אין חולצין במנעל, *non diſcalceant calceo. Rabbi Ba, Rabb Judah dicunt nomine Rabb, Si adveniret, Elias, diceretque, Extrahunt calceum leviri, auſcultent ei: ſi diceret, Extrahunt Sandalium, nè auſcultent ei. Et tamen ut plurimùm uſitatum eſt extrahere Sandalium: & conſuetudo valet contra traditionem.* Vide plura ibi, & *Babyl. Jevam.* fol. 102. 1.

Uſus delicatioris fuerunt calcei, durioris atque utilioris ſandalia. כנעל של עור רך, CAP. X VERS. 11, 13.
Calceus erat è corio molliori, כנדל של עור קשה, *Sandalium è duriori*, &c. Gloſſa in *Jevam. Babyl.* fol. 101. 1. Erant etiam ſandalia, quorum ſolea, vel pars inferior, è ligno erat, ſuperior è corio, atque hæ clavis compaginatæ. Vide *Babyl. Schabb.* fol. 60. 1. in Gloſſa. Erant etiam ſandalia quædam è juncis confecta, aut è cortice palmarum, &c. *Joma*, fol. 78. 2. Diſcrimen etiam aliud inter calceos & ſandalia notabili hiſtoriâ illuſtratur in Tractatu *Schabb.* loco jam citato. *Tempore quodam perſecutionis, cùm abſconderentur quidam in ſpelunca, dixerunt inter ſe; Qui ingredi vult, ingrediatur, nam circumſpiciet ille ante ingreſſum, nè conſpiciant eum inimici: at nè quis exeat; nam propè erunt forſan inimici, quos ille non videt jam exiens, & ſic omnes detegentur. Induit fortè quidam ex iis ſandalia ſua, inverſo modo: nam utrinque aperta fuerunt ſandalia, ita ut pedem ingerere poſſet, vel à parte antè, vel à parte poſt: illo autem ſua inversè induente, veſtigia egredientis viſa ſunt, ac ſi ingredientis; ſic detecta eſt latebra inimicis*, &c.

Interdicta ergò ſunt Diſcipulis à *Chriſto*, Nummus in zona, & viaticum in pera, I. Ut illi, non ſoliciti de mundanis, curæ *Chriſti* ſe totos commendarent. II. Ex Euangelio vivere eos oportuit, quod innuit ultimâ verſiculi hujus clauſulâ, *Dignus mercede ſuâ eſt operarius.* Quod ergò antè dixerat, *Gratis accepiſtis, gratis date*, prohibuit nè Euangelium lucri ergô prædicarent: non prohibuit victum, veſtitum, aliaque neceſſaria, ob prædicationem Euangelii recipere.

Interdicuntur duæ tunicæ & calcei, nè ſuperbiam mundanumve faſtum, aut morem delicatiorem omninò ſaperent; ſed ut potiùs habitum geſtumque circumferrent quam humillimum.

VERS. 11. Τίς ἐν αὐτῇ ἄξιός.

Talmudicè, מי זכה.

VERS. 14. Ἐκτινάξατε τὸν κονιορτὸν τῶν ποδῶν.

Pulverem terræ *Ethnicæ* ex contactu inquinare docuerunt Scholæ Scribarum.

Toſapht. ad *Kelim*, cap. 1. *Pulvis Syriæ inquinat æquè, ac pulvis aliarum regionum Ethnicarum.*

Babyl. Sanhedrin, fol. 12. 1. *Traditionalis quidam ait, Non afferunt olera è terra Ethnica in terram Iſraëliticam; at Rabbini noſtri permiſerunt.* מאי בינייהו, *Quidnam inter hos diſcrepantiæ? R. Jeremiah dicit* חוששין לגושהן איכא בינייהו, *Cura de pulvere eorum*

Digitized by Google

CAP. X. VERS. 17, 23.

eorum eſt inter eos. Gloſſa, *Cavent, nè cum oleribus apportetur aliquid de pulvere terræ Ethnicæ, qui inquinat in tentorio, & inquinat puritatem terræ Iſraëliticæ.*

Idem, *Schabb.* fol. 15. 2. *Ob ſex dubia comburunt Trumam: ob dubium agri in quo olim ſepulchrum; ob dubium pulveris allati è terra Ethnica;* &c. ubi Gloſſa, *Quia de omni pulvere terræ Ethnicæ dubitari poteſt, an non fuerit de ſepulchro mortui.*

Gloſſa in *Sanhedr.* fol. 5. 2. *Rabbi vidit Sacerdotem quendam ſtantem in parte quadam civitatis Aconis, quæ erat extra limites terræ Iſraëliticæ; dixit ei, Nonne iſta eſt terra Ethnica, de qua determinârunt, quod immunda æquè eſt ac ſepulchretum?* Vide *Piſke Toſaph.* in *Sanhedr.* cap. 1. artic. 30.

Ritus iſte ergò, excutiendi pulverem à pedibus, Diſcipulis præſcriptus hoc ſonat; Ubicunque vos non exceperit urbs *Iſraëlitica*; cùm diſcedetis, excutiendo pulverem à pedibus veſtris, demonſtrate vos urbem iſtam, utcunque *Iſraëliticam*, pro *Ethnica*, profana, impura, reputare atque abominari.

VERS. 17. Ἐν ταῖς συναγωγαῖς αὐτῶν μαστιγώσουσιν ὑμᾶς.

Beza hìc, ut ſæpiſſimè, cùm locum enodare non poteſt, in ſuſpicionem ducit: nam ſic ille. *Cùm neque Synagogas alibi inveniam de judicii domibus dici, ut loquuntur Hebræi; neque in Synagogis fuiſſe ſumptas civiles pœnas, mihi ſuſpectus eſt hic locus.* At ſine cauſa prorſus: nam

I. In unaquaque Synagoga erat triumviratus civilis: tres magiſtratus, qui judicârunt de rebus litigioſis intra Synagogam iſtam emergentibus; quod notavimus anteà.

II. מכות בשלשה, *Flagellatio erat per Conſeſſum iſtum triumviralem, Sanhedr.* cap. 1. hal. 2.

Sic quinaria iſta flagellatio *Pauli*, 2. *Cor.* 11:24. fuit in Synagoga, id eſt, בבד״ של שלשה, per conceſſum iſtum trium magiſtratuum, qualis erat in unaquaque Synagoga.

Obſcurius aliquantum eſt quod dicitur, Προσέχετε δὲ ἀπὸ τῶν ἀνθρώπων, *Cavete verò vobis ab hominibus.* A quibuſnam aliis caverent? At videtur fortè vox ἄνθρωποι eo ſenſu occurrere, quo אנשי in his locutionum formulis, אנשי כנסת הגדולה, & אנשי בית דין, &c. ſed non contendimus.

VERS. 23. Οὐ μὴ τελέσητε τὰς πόλεις τοῦ Ἰσραήλ, &c.

Non anteà civitates *Iſraëlis* evangelizantes peragraveritis, quàm reveletur filius hominis

CAP. X. VERS. 25, 27, 34.

per reſurrectionem ſuam, *Rom.* 1:4. Confer huc *Act.* 3:19, 20. *Reſipiſcite igitur, & convertite vos, ut deleantur peccata veſtra,* ὅπως ἂν ἔλθωσι, *ut adveniant tempora refrigerii,* (nam vos refrigerium & conſolationem exſpectatis ſub *Meſſia*) *Et mittat priùs prædicatum vobis Jeſum Chriſtum*, & verſu 26. *Vobis primùm Deus, ſuſcitans filium ſuum, miſit eum benedicentem vobis*, &c. A reſurrectione *Chriſti* epocha *Meſſiæ.*

VERS. 25. Βεελζεβούλ.

Vide Capitis duodecimi verſum viceſimum quartum.

VERS. 27. Ὃ εἰς τὸ οὖς ἀκούετε.

Obſervavimus antè, alludi hìc ad morem Scholarum, ubi doctor è Cathedra inſuſurravit in aurem interpretis, atque ille voce ſonorâ toti Scholæ reddidit quod in aure dictum.

Babyl. Sanhedr. fol. 7 2. *Dixerunt Judæ bar Nachmani,* מתורגמניה דריש לקיש *Interpreti Resh Lachish,* קום עליה באמורא, *Aſta ei pro expoſitore.* Gloſſa, *Ad enuntiandum expoſitionem Synagogæ,* מה שילחוש לך, *quum tibi inſuſurraverit.* Non poſſumus hìc non illud repetere, quod adduximus antè, quòd החכם לוחש לו לשון עברית, *Doctor inſuſurravit ei in aure Hebraicè.* Et veſtigia aliqua hujus conſuetudinis non poſſumus non ſuſpicari fuiſſe morem iſtum in Eccleſia *Corinthiaca*, quem reprimit Apoſtolus, loquendi in Synagoga in lingua ignota.

Legimus in *Babyl. Joma*, fol. 82. 2. de inſuſurratione in aurem facta alio ſenſu, fœminæ ſcilicet cuidam gravidæ, quæ odoratam carnem graviter expetiit. *Dixit ergò Rabbi,* זילו לחושו לה, *Ite, inſuſurrate ei, quòd eſt dies Expiationis,* לחושו לה ואילחישא, *Inſuſurrârunt ei, atque inſuſurrata eſt:* id eſt, Sedata, & quievit.

Κηρύξατε ἐπὶ τῶν δωμάτων.

Alluditur fortè ad morem iſtum, de quo *Babyl. Schabb.* fol. 35. 2. Sexies tubâ cecinit Miniſter Synagogæ, veſperâ Sabbati, in tecto domus excelſæ valde, ut indè omnibus innoteſceret de introitu Sabbati. Cantus primus, ut ceſſarent ab operibus ſuis in agris: ſecundus, ut ceſſarent à ſuis in urbe: tertius, ut accenderent lucernam Sabbaticam, &c.

VERS. 34. Μὴ νομίσητε, ὅτι ἦλθον βαλεῖν εἰρήνην, &c.

Quamvis hæc verè intelligi poſſunt de diſ-

ſidiis

Digitized by Google

CAP. IX. VERS. 34. ſidiis inter fideles atque infideles propter Euangelium, quod notant Interpretes omnes; propriè tamen, & primariò, quaſi digito monſtrant horrendas illas ſtrages, & bella civilia *Judæorum* inter ſe, qualia nec ulla unquam vidit ætas, nec audiit hiſtoria.

Babyl. Sanhedr. fol. 99. 1. *R. Eliezar dicit, Dies Meſſiæ ſunt quadraginta anni, ſicut dicitur, Quadraginta annis vexatus ego per hanc generationem.* Et fol. 97. 1. *R. Juda dicit, In generatione iſta cùm filius Davidis advenerit, Scholæ erunt meretrices, Galilæa vaſtabitur, Gablan excidetur, & incolæ terræ* [Gloſſa, *Synhedrium*] *circumvagabuntur ab urbe in urbem, & miſericordiam non aſſequentur, ſapientia Scribarum fætida erit, & qui peccare timent ſpernentur, eruntque facies generationis iſtius, ſicut facies canum, & deficiet veritas,* &c. Percurre hiſtoriam quadraginta iſtorum annorum à morte *Chriſti* ad excisas *Hieroſolymas,* (ut vulgò computantur) & ſtupens obſerves gentem in excidium ſui conjuratam, & mutuis cædibus & rapinis gaudentem, ſupra omne exemplum, atque uſque ad miraculum. Immiſſa certè cœlitùs hæc phreneſis. Et primò, meritò inſaniunt, qui ſapientiam Dei ſub pedibus ſuis, quoad potuerunt, conculcârunt. Et ſecundò, minori vindictâ non potuit expiari ſanguis Prophetarum & *Chriſti,* pacem Euangelizantium. Dicas mihi, ô *Judæe,* unde iſte gentis tuæ in mutuam cædem furor, atque iſta maniæ monſtra, ultra omne exemplar? Num gratis inſanit gens in ruinam ſui? Divinam agnoſce vindictam in amentia ſupra humanam.

Diſſidia, lites & pugnas gentis enumeranti occurrit, poſt diſſenſionem inter *Phariſæos* & *Sadducæos,* non minor inter *Shammæanos* atque *Hillelianos;* quæ eò uſque crevit, ut ad cædem & ſanguinem ſit perventum.

Hieroſ. in *Schabb.* fol. 3. 3. *Ad cameram Chananiæ ben Ezekiæ ben Garon acceſſerunt Shammæani atque Hilleliani, ut eum viſitarent: dirus fuit iſte dies, inſtar diei, quo factus eſt vitulus aureus. Shammæani aſtiterunt ab infrà, & quoſdam ex Hillelianis trucidârunt. Traditio eſt, ſex ex illis aſcendiſſe, reliquoſque illic aſtitiſſe cum gladiis & haſtis.*

In commune tranſiit Adagium, *Controverſias inter Diſcipulos Hillelis & Diſcipulos Shammæi dirimere non poſſe vel ipſiſſimum Eliam Thisbiten.* Determinatum de iis, ſomniant per vocem cœleſtem; at minimè certè diremptæ diſſenſiones atque acrimoniæ.

Hieroſ. Beracoth, fol. 3. 2. *Priuſquam prodiret Bath Kol,* (in *Jabneh*) *ex æquo amplecti licuit, vel decreta Scholæ Hillelianæ, vel decreta Scholæ Shammæanæ. Prodiit tandem Bath Kol, & ſic locuta, Et horum & illorum verba ſunt verba Dei viventis, at certa rei determinatio eſt ſecundùm decreta Scholæ Hillelis. Et exinde quicunque tranſgreſſus fuerit decreta Scholæ Hillelianæ, reus eſt mortis.* CAP. XI. VERS. 3.

Sic deciſa eſt controverſia, at non ſic extincta odia, & virulentiæ. Obſervo apud *Gemariſtas Hieroſolymitanos* vocem שמותי adhibitam pro *Shammæano.* (vide *Trumoth,* fol. 43. 3. *Succah,* 53. 1. *Jom tobh,* fol. 60. 3, &c.) quam ego ferè ſuſpicor ex affinitate vocis שמתא, quæ *Anathema* ſignificat, ab *Hillelianis* efformatam in odium, ignominiam, & ludibrium *Shammæanorum.* Cùmque ſemel iterumque periclitantem a latronibus lego *R. Tarphonem,* eò quod in quibuſdam ſequeretur ritum & morem Scholæ *Shammæanæ,* non ſuſpicari non poſſum, inſidias invicem his illis aſſiduè ſtructas, & molimina hoſtilia, mutuæ injuriæ perpetuò invigilantia.

Babyl. Beracoth, cap. 1. halac. 3. *Dicit R. Tarphon, In via itinerans declinavi, ut recitarem Phylacteria ſecundùm ritum Scholæ Shammæanæ, & periclitatus ſum à latronibus. Dixerunt ei, meritòque, eò quòd tranſgreſſus es verba Scholæ Hillelianæ.* Deeſt hoc à *Miſnah Hieroſolymitana.*

Hieroſ. Sheviith, fol. 35. 2. *R. Tarphon deſcendit comeſtum ficus de ſuo, ſecundùm Scholam Shammæanam: viderunt eum adverſarii, atque in eum calcitrârunt: cùm ſe periclitatum videret, Per vitam veſtram, inquit, nuntiate in domo Tarphonis, ut parata ſint ei indumenta ſepulchralia.*

Sic, quaſi cœlitùs phreneſi tacti, inſaniunt in ſe invicem Doctores gentis, & ab ipſis horum Scholis & cathedris fluunt non tam doctrinæ, quàm animoſitates, jurgia, cædes, & carnificinæ.

His addantur horrendæ iſtæ latronum, ſicariorum, zelotarum furores, rapinæ, cædes, ſtrages, crudelitateſque ſupra omne exemplum inter mortales, ſtupendæ: & ſi hæc iram ac vindictam divinam non ſapiant, quid unquam ſapuit?

C A P. XI.

VERS. 3. Σὺ εἶ ὁ ἐρχόμενος, ἢ ἕτερον προσδοκῶμεν;

RAtio legationis *Joannis* ad *Chriſtum* aliquantò eſt obſcurior.

Primò, Non ex ignoratione *Chriſti* fuiſſe, eſt extra omnem controverſiam, cùm cœlitùs de illius perſona fuerat edoctus, cùm ille baptizaretur, cùmque iterumque iterumque clariſſimè ei atteſtatus fuiſſet, *Hic eſt agnus Dei,* &c.

CAP. XI. VERS. 3. Secundò, Nec legatio iſta certè, ut de perſona *Chriſti* ſatisfieret Diſcipulis *Joannis*: nam indigniſſimi quidem erant Diſcipuli tali Magiſtro, ſi ei de illo docenti non crederent abſque ulteriori argumento.

Tertiò, Videtur ergò *Joannes* hac in re propriam incarcerationem reſpexiſſe, eòque reflexiſſe quæſtionem ejus, *Tune ille, qui venturus?* &c. Audierat miracula omnimoda ab eo edita, illuminatos cæcos, ſuſcitatos mortuos, ejecta Dæmonia, &c. Et quare ergò inter omnia non liberatus *Joannes* è carcere? Hæſit, ut videtur, viro bono hic ſcrupulus, quare omnes à *Chriſto* beneficium ac ſolatium obtinent, me excepto? Eâ fortè laborabat lippitudine, quâ cum tota gente Diſcipuli *Chriſti*, de ejus regno, victoriis & triumphis terrenis: à quibus, heu quantum! hoc abfuit, quòd catenis vinctus jaceret præcurſor ejus, ac præcipuus miniſter. Si tu ille, de quo triumphante tanta prædicant Prophetæ; quare ego tam diu in carcere? Tune ille es, an alius exſpectandus, à quo iſta exſpectanda?

Duplici *Joannis* quæſtioni duplicem reddit *Chriſtus* ſolutionem.

Primò, Me eum eſſe, qui venturus, teſtentur hæc quæ perago: *Cæci viſum recipiunt, claudi ambulant*, &c.

Secundò, Quòd ad cauſam attinet præſentem *Joannis*, qui aliquem exſpectat venturum, eum à vinculis populumque à jugo hominum ſoluturum, Acquieſcat, inquit ille, in divina mea diſpenſatione, &, *Beatus eſt quiſque in me non fuerit offenſus*, utcunque ei omnia ex animo non fuerint, quæ in commodum præſens & corporale exſpectavit.

Et videntur verba *Salvatoris* verſu undecimo, correptionem tacitam erroris hujus in *Joanne* aliquam exhibere: *Minor verò in regno cœlorum major eſt eo.* Vocem μικρότερος bene reddit Vulgata Verſio *Minor*, non *Minimus*: quaſi dicat, Dum egrederemini ad *Joannem* in deſertum, nec nugas exſpectâſtis, nec pompam terrenam, (nec arundinem vento agitatam, nec hominem ſplendidè veſtitum) ſed ſeriò & ſolidè exſpectâſtis Prophetam: optimèque, nam ille Prophetarum, imò mortalium, maximus; quoad officium, ex hoc præ omnibus aliis nobilitatus, quòd Præcurſor ſit *Meſſiæ*. Sunt tamen qui eò quidem, quoad officium, ſunt longè minores in Regno cœlorum, aut Republica *Chriſti*, qui tamen eo majores ſunt, quoad cognitionem ſtatûs ac conditionis hujus regni. Comparatio certè hic non fit, vel quoad officium, vel quoad dignitatem, vel quoad ſanctitatem, vel quoad æternam ſalutem: nam quiſnam, quæſo, *Baptiſtam* in his omnibus, vel in horum ullis, anteceſſit? Sed quoad cognitionis claritatem & perſpicuitatem in dijudicanda natura & qualitate Regni cœlorum. Perpendantur auſteritas vitæ *Joannis*, atque indicta Diſcipulis ſuis creberrima jejunia, quæque de utriſque dicat *Salvator*, & faciliùs credes, *Joannem* temporalem etiam redemptionem (ſecundùm univerſalem gentis conceptum) à *Meſſia* exſpectâſſe, non adeò translucidè de natura regni, & redemptione *Chriſti* dijudicantem. Faciliùſque adhuc hæc credes, cùm Diſcipulos ipſos *Chriſti*, diu cum eo verſatos, eodem modo cœcutiiſſe hac ipſa in re obſervaveris.

CAP. XI. VERS. 11, 14, 21.

VERS. 12. Ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν βιάζεται.

Et hæc etiam faciunt in Encomia *Joannis*. Nobiliſſimum illum fuiſſe Prophetam, ac miſſionis atque autoritatis non vulgaris, fidem hæc faciunt; quòd ab ejus prædicatione & initium ſumpſerit regnum cœlorum, ac confertim ac catervatim adeò ſit eò protruſum ab infinitis cœtibus, ac ſi violenter arreptum regnum illud occuparent. Divinus populi æſtus, catervis tam innumeris, ac fervore tam inundante eò ſe conferentis, divinam ſatis arguit, & docentis, & doctrinæ dignitatem.

VERS. 14. Εἰ θέλετε δέξασθαι, αὐτός ἐστιν Ἠλίας.

אין תקבלו, Suſpicionem aliquam verba innuunt, eos hanc doctrinam non recepturos, quod & teſtatur pertinax gentis iſtius exſpectatio, *Eliæ* perſonaliter venturi, in hunc uſque diem. Quo fundamento nonnulli *Chriſtiani* idem ſentiant, ipſi videant. Vide notata ad Capitis decimi ſeptimi verſum decimum.

VERS. 21. Ἐν Τύρῳ καὶ Σιδῶνι.

Civitates *Judæorum* confert cum civitatibus *Canaaniticis*, ſtirpis maledictæ. At hæ tamen civitates, execrandi ſeminis ac nominis, ſi virtutum inter vos editarum fuiſſent participes, non eò amentiæ atque perverſitatis, quò vos, obduruiſſent, ſed ab *Ethniciſmo* ſuo, & *Canaanitiſmo*, reſipuiſſent in agnitionem Euangelii; aut ad pœnitentiam talem ſe recepiſſent, quæ vindictam averteret. Sic pœnitentia *Ninivitarum*, utcunque ſalutaris non eſſet, conſervativa tamen erat, & civitatem ab impendente ira & flagello liberavit. Horrendiſſima hic innuitur *Judæorum* pervicacia, ultra improborum improbiſſimos, ultra maledictorum malediſtiſſimos.

VERS.

CAP.XI. VERS. 11,29.

Vers. 22. Ἡμέρᾳ κρίσεως.

ביום דינא רבא, & ביום דינא. Formula loquendi *Judæis* uſitatiſſima.

CAP. XII. VERS. 1.

Vers. 29. Τὸν ζυγόν μου.

Sic עול תורה, *Jugum Legis*. עול מצוה, *Jugum præcepti*. עול מלכות שמים, *Jugum Regni cœlorum*. Confer jugum grave *Solomonis* & *Roboami*.

CAP. XII.

Vers. 1. Ἐν ἐκείνῳ τῷ καιρῷ ἐπορεύθη ὁ Ἰησοῦς τοῖς Σάββασι διὰ τῶν σπορίμων.

Determinatur tempus à *Luca* his verbis, Ἐν σαββάτῳ δευτεροπρώτῳ, id eſt, *Sabbato à ſecunda-primo.*

I. Lege divinâ cautum eſt, ut offerretur manipulus primitialis ſecundâ die Hebdomadæ Paſchalis. *Levit.* 23:10, 11. ממחרת השבת יניפנו הכהן, *Craſtinâ Sabbati ventilabit* [vel *agitabit*] *eum Sacerdos.* Non craſtinâ Sabbati Hebdomadis ordinarii, ſed craſtinâ poſt diem primum Hebdomadæ *Paſchalis*, qui dies fuit *Sabbaticus. Exod.* 12:16. *Levit.* 23:7. Hinc LXX. Ἐπαύριον τῆς πρώτης. *Chald.* מבתר יומא טבא, *Poſt diem feſtum. R. R. Solom.* & *Menachemus*, ממחרת יום טוב הראשון של פסח, *Craſtinâ à primo die feſti Paſchatis:* de quo fuerat mentio verſiculis antecedentibus.

II. Jam verò à die iſto *Paſchalis* ſolennitatis ſecundo, quo offerebatur manipulus, enumerabantur ſeptem ſeptimanæ ad *Pentecoſten.* Nam mutuò atque invicem ſe reſpexerunt dies manipuli & dies *Pentecoſtes.* Die enim hâc *Paſchatis* ſecundâ, oblatio manipuli ſupplicatoria erat & precatoria, benedictionem impetrans frugibus novis, veniamque eas comedendi, & falcem in ſegetes immittendi: Oblatio autem panum primitialium die *Pentecoſtes*, *Levit.* 23:15, 16, 17. gratiarum actionem ſpectabat, ob feliciter peractam, & congeſtam meſſem hordeaceam. Hâc ergo relatione concatenatæ erant duæ hæ ſolennitates, ut utraque meſſem reſpiceret; illa ineuntem, hæc finitam; hæc ab illa dependeret, & poſt ſeptem ab ea Hebdomadas numeraretur. Computatio ergò temporis intercedentis non potuit non memoriam diei iſtius ſecundi Hebdomadæ *Paſchalis* ſecum ferre, atque hinc vocatur Pentecoſte *Feſtum Hebdomadum*, *Deut.* 16:10. Nec potuit aliter temporis interlabentis verus calculus retineri quoad Sabbata, quàm ſic numerando, *Hoc eſt* Σάββατον δευτερο-πρῶτον, *Sabbatum à ſecunda die Paſchatis primum. Hoc eſt*, δευτερο-δεύτερον, *A ſecunda iſta die ſecundum:* & ſic de cæteris. In *Hieroſ. Demai*, fol. 24. 1. vox שבת פרוטגמייא, *Sabbatum* πρωτογαμίας, eſt compoſitionis non admodùm diſſimilis.

CAP. XII. VERS. 1.

Cùm per dies, & non per ſeptimanas, numerarent, inceptus eſt calculus à die manipuli. *Juchaſin*, 36. 1. *Mortuus eſt magnus diſcipulorum quorundam numerus inter Paſcha & Pentecoſten, ob non exhibitum inter ſe mutuum officium. Eſt ubi dicatur, obiiſſe illos diebus quindecim ante Pentecoſten, hoc eſt triginta tribus à manipulo.*

Ad finem *Midras Samuelis* qui apud me eſt, ſic concluditur, *Finitum eſt hoc opus die triceſimo tertio à manipulo.*

III. Addito ergò à *Luca* hoc vocabulo, δευτεροπρώτῳ, oſtenditur, 1. Fuiſſe hoc Sabbatum primum à ſecunda die *Paſchatis*: proindeque, ſecundùm hiſtoriæ Euangelicæ ſeriem, vel iſtud ipſum *Sabbatum*, quo ſanatus eſt Paralyticus ad natatoriam *Betheſdæ*, *Joann.* 5. vel *Sabbatum* ab iſto proximum. 11. Ariſtas haſce à Diſcipulis convulſas fuiſſe hordeaceas: heu quantum ab iſtis dapibus diſtantes, quibus Sabbato luxuriari pro conſuetudine non ſolùm habitum eſt à *Judæis*, ſed & pro religione! Audi culinarem & patinariam eorum Gloſſam in illud Prophetæ *Eſajæ*, cap. 58:13. *Vocabis Sabbatum oblectamentum. Prohibitum eſt*, inquiunt, *jejunare Sabbato: At verò è contrà tenentur homines cibo & potu ſe oblectare. Nam lautiùs convivandum eſt Sabbato quàm diebus aliis: ſummèque ille eſt laudandus, qui dapes in iſtum diem parat maximè opiparas: Ter Sabbato eſt comedendum, & de hoc monendi ſunt omnes. Et vel ipſi pauperes, qui ex Eleemoſynis victitant, ter comedant Sabbato. Qui enim ter Sabbato convivatur, liberabitur à calamitatibus Meſſiæ, à judicio Gehennæ, & à bello Gog & Magog. Maimonid. Schabb.* cap. 30. *Kimchi* in *Eſaj.* 58. *Quibus venter Deus*, Philipp. 3:19.

IV. At num maturæ ſegetes ad feſtum *Paſchatis?*

Reſpond. I. Satio hordei fuit illicò poſt medium menſis *Marheſhvan*, id eſt, circa ineuntem *Novembrim* noſtrum. *Babyl. Berac.* fol. 18. 2. *Audivit ſemen, ad pluviam primam ſatum, grandine perditum: ivit ille, & ſeminavit ad pluviam ſecundam:* &c. *cùmque omnium aliorum ſementum grandine periret, illius ſementum non periit.* In quæ ſic Gloſſa. *Pluvia prima erat decimo ſeptimo die menſis Marheſhvan: ſecunda, die ejuſdem menſis viceſimo tertio: & tertia erat in initio menſis Chiſleu. Cùm ergò deſcenderet grando, illud quod ad pluviam primam ſatum eſt, aliquantò*

CAP. XII. VERS. 2.

jam obdruerat, atque ità à grandine eſt fractum; at ſatum ad pluviam ſecundam ob mollitiem ejus non frangebatur, &c. Satum ergò ineunte jam hyeme hordeum, ac aëris clementia per hyemem creſcens, adventante jam *Paſchate*, ad maturitatem pervenerat: ità ut ab iſto tempore [oblato tunc manipulo] initium ſumeret meſſis hordeacea.

II. Quod ſi, cùm juſtum adventaret tempus *Paſchatis*, hordea non maturuerant, addito ad annum iſtum menſe embolimæo, exſpectatum eſt uſque dum matureſcerent. *Ob tria enim intercalabant annum, ob æquinoctium, ob fruges recentes, atque ob fructus arborum. Nam computant Seniores Synhedrii obſervantque, ſi futurum eſt æquinoctium vernum, decimo ſexto die menſis Niſan, aut ulteriùs, tunc annum iſtum intercalant, Niſanque iſtum faciunt Adar ſecundum; ità ut occurrere poſſit Paſcha ad tempus frugum recentium: vel ſi obſervant quòd non adſint fruges recentes, quodque non germinaverint arbores, germinare ſolitæ, tum annum intercalant*, &c. *Maimon.* in *Kiddush Hodesh.* cap. 4.

Hujus rei exemplum habes, *Hieroſ. Maaſar Sheni*, fol. 56. 3. & *Sanhedr.* fol. 18. 4. & *Babyl. Sanhedr.* fol. 11. 2. *Rabban Gamaliel cum Senioribus Synhedrii magni, fratribus noſtris in Judæa & Galilæa, &c. Salutem. Innoteſcat vobis, quòd cùm agni ſint teneri nimis & columbæ implumes, & non adſint fruges recentes, viſum eſt nobis huic anno addere dies triginta*, &c.

Οἱ δὲ μαθηταὶ αὐτοῦ ἐπείνασαν.

Jejunos eos adhuc tenuerat gentis conſuetudo, quemvis non paſſa, ſi non ægrotum, quicquam guſtare Sabbato, ante peractas in Synagoga preces matutinas: jamque indè itum eſt ad prandium. Ac diebus etiam profeſtis, idque tempore pomeridiano, Canonibus cautum eſt, *Nè quis ab opera ſua domum veſpere rediens, vel edat, vel bibat, vel dormiat, ante fuſas ab eo in Synagoga preces. Piske Toſaph.* in *Berac.* cap. 1. art. 4. & *R. Asher* ibid.

De viis per ſata publicis aut privatis legat, cui vacat, *Peah* cap. 2.

VERS. 2. Ποιοῦσιν ὃ οὐκ ἔξεστι ποιεῖν ἐν Σαββάτῳ.

De re ipſa non litigant, quia licita, *Deuter.* 23:25. ſed de re patrata *Sabbato.* De qua ſic Patres Traditionum, קוצר גרוגרת חייב ותולש תולדות קוצר, *Metens Sabbato vel tantillum, reus eſt. Et vellere ſpicas eſt ſpecies meſſionis. Et quicunque aliquid decerpit à germinatione ſua, reus eſt ſub nomine metentis*, *Maimon. Schabb.* cap. 8. At quonam reatu tenebatur? Dixerat hoc antè, ad initium capitis ſeptimi, his verbis: *Opera, per quæ reus fit homo lapidationis, atque exciſionis, ſi ex præſumptione ea faciat; ſacrificii autem pro peccato, ſi ex ignorantia*, מהן אבות ומהן תולדות, *ſunt vel primitiva, vel derivativa.* Ex primitivis, vel generibus, enumerantur triginta novem, *Talm. Schabb.* cap. 7. Arare, ſerere, metere, manipulos colligare, triturare, cribrare, commolere, pinſere, &c. tondere oves, lanam tingere, &c. תולדות. Derivativa, vel ſpecies iſtorum generum, ſunt ea, quæ ejuſdem cum iis ſunt claſſis & ſimilitudinis. Exempli gratiâ, Foſſio eſt ejuſdem generis cum aratione; olerum in fruſtula diſſectio ejuſdem claſſis cum commolitione; & ſpicarum avulſio ejuſdem rationis cum meſſione. Cauſam ergò Diſcipulorum eò ardentiùs agit *Salvator*, quia jam de capite agebatur: ad lapidationem namque eos ob rem patratam adjudicabant Canones Scribarum, ſi modò ex præſumptione id fieri probaretur. Hinc itaque defenſionem ſuam orditur, hoc ex neceſſitate à Diſcipulis, ſtimulante fame, fieri, non ex legum contemptu.

VERS. 3. Δαβὶδ, καὶ οἱ μετ' αὐτοῦ.

Comparativè enim intelligenda ſunt verba *Achimelechi, Quare tu ſolus, & nemo tecum?* id eſt, comparatè, ad nobilem illam catervam, quibus ſtipatus incedere conſueviſti, & quæ Ἀρχιστράτηγον decet *Iſraëlis. Nobam* acceſſit *David* non fugientis more, ſed oraculum ſciscitaturi de eventu belli, ad quod ex mandato Regis proficiſci præ ſe ferebat. Ad bellum ergò, aut ſtratagema aliquod accelerandum, properare ſe ſimulans, ſimulat etiam ſe exercitum ad locum aliquem amandâſſe, ſe autem ipſum eò diverſum, ut Deum adoraret, & de exitu rei ſcitaretur: pauculos tantùm è fideliſſimis miniſtros ſecum adduxiſſe, quibus eſurientibus pauculos panes impetrat.

Ὅτε ἐπείνασεν.

Audi hîc *Kimchium* Veterum de hac hiſtoria ſententiam ſic proferentem: *Dicunt Rabbini noſtri, b.m. quòd panes propoſitionis dedit ei, &c. Interpretatio etiam clauſulæ* ואף כי היום יקדש בכלי, *hæc eſt. Parùm eſt dicere, licere nobis panes hos à coram Domino amotos comedere, cùm famelici ſimus & eſurientes; nam & hunc ipſum panem, qui jam apponitur, qui etiam in vaſe ſanctificatur, (nam menſa ſanctificat) etiam hunc comedere liceret, cùm tibi non adſit panis alius, quem des nobis, noſque famelici ſimus & eſuriamus.* Et paulò poſt,

Non

Digitized by Google

CAP. XII. VERS. 5, 8.

Non eſt quod curæ de vita obſtet, præter Idololatriam, Adulterium, & Homicidium.

Quadrant hæc optimè cum vi argumenti *Salvatoris*; at verò cum genuino clauſulæ iſtius ſenſu, ut videtur, non bene quadrant. Ego aliter bona cum venia reddiderim, hoc tantùm priùs præfatus; Non improbabilis eſt conjecturæ, *Davidem Nobam* acceſſiſſe vel ipſo Sabbato, vel Sabbato jam tantùm elapſo. *Non enim edendi erant panes propoſitionis, niſi in diem unum, & noctem unam, Sabbato ſcilicet & exitu Sabbati. Acceſſit ergò illuc David, in exitu Sabbati. R. Eſajas* in 1 *Sam.* 21. Et jam ego *Davidis* verba ſic reddo. *Cohibitæ ſunt à nobis mulieres nudius tertiùs*, (ità ut nulla apud nos ſit immunditia ex contactu menſtruoſæ) *& ſancta fuerunt vaſa adoleſcentum etiam in via communi:* (id eſt, dum more & itinere communi proficiſceremur) *multò ergò magis ſanctè illis eſt, quoad vaſa, hoc die* (Sabbato). Atque in hunc ſenſum fortè redit illud, דאג נעצר לפני יהוה, *Erat autem illic quidam ex ſervis Sauli die illo detentus coram Domino.* Adduxerat eum reverentia Sabbati adoraturum, & adhuc eum illic detinuit.

VERS. 5. Οἱ ἱερεῖς ἐν τῷ ἱερῷ, τὸ Σάββατον βεβηλοῦσι, καὶ ἀναίτιοί εἰσι.

עבודה שהיא לשם קדושים אין עבודה, *Opus ſervile quod fit in ſacris non eſt ſervile*, *Hieroſ. Schabb.* fol. 17. 1.

Eadem opera, quæ in Templo præſtita ſunt diebus aliis, præſtita ſunt etiam Sabbato. Et אין שבות במקדש כלל, *Non eſt Sabbatiſmus in Templo omninò*, *Maimon.* in *Peſach.* cap. 1.

VERS. 8. Κύριος γάρ ἐστι καὶ τοῦ Σαββάτου ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου.

I. Ipſiſſimum hoc argumentum cavillationibus eorum opponit, coram Synhedrio, *Joann.* 5. Cùm in jus vocatur de ſanando Paralytico, hoc ipſo Sabbato, vel Sabbato proximè antecedente: dominium ſuum in Sabbatum ex hoc ipſo oſtendit, quòd eâdem autoritate, poteſtate, & honore veſtitus & decoratus ſit ille *Filius*, quoad Novi Teſtamenti adminiſtrationem, quâ *Pater*, quoad Veteris.

II. Duplici ſub lege *Adamo primo* incubuit cultus Sabbati, pro duplici ejus conditione. 1. Ante lapſum ſub lege naturali in corde ſcriptâ, ſub qua Sabbatum coluiſſet, ſi permanſiſſet innocuus. Atque ad hoc, non indignum eſt obſervatione, quòd quamvis non advenerit dies ſeptimus ante ejus lapſum, memoretur tamen inſtitutio Sabbati ante hiſtoriam lapſus. 11. Poſt lapſum, ſub lege poſitiva. Nàm, cùm peccâſſet ille die ſexto, adveniretque ſeptimus, non jam ſub nuda lege naturali ad eum celebrandum tenebatur; ſed pro mutata *Adami* conditione, mutatâ etiam non parùm conditione Sabbati, ſuperinducebatur ei de celebrando Sabbato lex nova & poſitiva. Non injucundum erit pauca è Magiſtris *Judæorum* de primo iſto Sabbato adduxiſſe.

Circumciſio, inquit R. Judah, & Sabbatum fuerunt ante Legem. Midr. Tillin, fol. 15. 3. Quantum autem retrò ante Legem? Audi *Baal Turim* in *Exod.* 1. *Redempti ſunt*, inquit, *Iſraëlitæ ex Ægypto ob obſervatam illic circumciſionem, & Sabbatum.* Imò & ulteriùs retrò, *Hæreditas Jacobi promittitur ſanctificantibus Sabbatum, quia ipſe ſanctificavit Sabbatum. R. Solom.* in *Eſaj.* 58:14. Imò & adhuc ulteriùs retrò, uſque ad initium mundi. *Canticum in mundo primum fuit, cùm Adamo remitteretur peccatum: cùmque ingrederetur Sabbatum, os ſuum aperuit, atque edidit Pſalmum Sabbati. Targ.* in *Cant.* 1. Sic etiam *Targum* in titulum *Pſalmi* 92. *Pſalmus, aut Canticum, quod compoſuit Adamus de Sabbato.* In quem *Pſalmum* ſic inter alia *Midras Tillin*, *Quidnam creavit Deus die primo? Cælum & Terram. Quid ſecundo? Firmamentum, &c. Quid ſeptimo? Sabbatum: cùmque Sabbatum non in opera ſervilia crearat Deus, in quæ reliquos creaverat dies Hebdomadis, ideò de eo non dicitur, ità ut de diebus aliis, Et fuit veſper & fuit mane diei ſeptimi.* Et paulò poſt, *Creatus fuit Adamus veſpere Sabbati: ingreditur Sabbatum, cùm ille jam peccâſſet, atque advocatum ejus egit apud Deum*, &c.

Babyl. Sanhedr. fol. 38. 1. *Adamus creatus eſt veſpere Sabbati, ut illicò ſubiret præceptum*, &c.

III. Cùm ergò poſt lapſum inſtitutum ità fuit Sabbatum, legeque & conditione, quæ Chriſtum jam promiſſum, hominiſque lapſum reſpexit, non potuit Sabbatum non ſub poteſtate & dominio filii hominis, id eſt, ſeminis promiſſi ſubjici, ab eo ordinandum & diſponendum, prout ipſi viſum ac proviſum fuerit, in honorem ſuum, atque hominis emolumentum.

CAP. XII. VERS. 10

VERS. 10. Εἰ ἔξεστι τοῖς Σάββασι θεραπεύειν;

Non tam quærentium eſt, quàm negantium. Hæ enim fuerunt eorum in iſta cauſa determinationes. *Sani medicinam nè adhibento Sabbato. Lumbis æger nè oleo & aceto locum affectum ungat: aſt oleo licet, modo non roſaceo, &c. Dolens dentibus acetum nè abſorbeat, iterum exſputurus: aſt abſorbere licet, modò deglu-*

Digitized by Google

deglutiat. Gutture dolens oleo ne gargarizet: aſt oleum deglutire licet, unde ſi ſanetur, bene eſt. Ne maſtichen quis maſticet, aut dentes aromatibus confricet in medelam; ſi verò hoc faciat in ſuaveolentiam oris, permittitur. Vinum oculo dolenti non indunt. Fomentationes, aut olea, loco affecto non applicant, &c. *Maimon.* in *Schabb.* cap. 21. Quæ omnia, utcunque ſanationi à *Chriſto* peractæ [verbo tantùm] extra metas fuerint, anſam tamen iis cavillandi præbuerunt, qui quidem in iſtiusmodi altercationem jurati fuerunt, hujus inſuper Canonis additâ anſâ, *Hoc certè obtinet, quòd quodcunque poſſibile factu fuit vèſpere Sabbati, non pellit Sabbatum. Talm. Schabb.* cap. 19. In quem ſenſum ille, *Luc.* 13. *verſ.* 14.

Videat Lector, ſi vacat, quoſnam morbos periculoſos judicent, quibuſque adhibenda medicina Sabbato, in *Hieroſ. Avodah Zarah*, fol. 40. 4.

VERS. 11. *Ἐὰν ἐμπέσῃ πρόβατον τοῖς Σάββασιν εἰς βόθυνον*, &c.

Pro Canone fuit, חום על ניכסהן של ישראל, *Tenerè admodùm curandum eſſe de bonis Iſraëlitæ. Hieroſ. Jom tobh*, fol. 62. 1. Hinc,

Si beſtia incidat in foveam, aut in ſtagnum aquarum, alimenta ei in iſthoc loco miniſtret [poſſeſſor] *ſi poſſit: ſin minùs, pannos & ſtramenta afferat, & beſtiam ſuffulciat; unde, ſi poſſit aſcendere, aſcendat*, &c. *Maimon.* in *Schabb.* cap. 25.

Si beſtia atque ejus fœtus incidant in foveam die feſto, R. Lazar dicit, Priorem elevet, eo fine ut occidat, & occidat: alteri autem pabulum miniſtret, in iſto loco nè moriatur. R Joſhua dicit, Elevet priorem, eo fine ut occidat, quamvis non occidat: elevet etiam alteram, quamvis in animo non ſit eam occidere. Hieroſ. ubi ſuprà.

VERS. 16. *Ἵνα μὴ φανερὸν αὐτὸν ποιήσωσι.*

At hoc, non omninò quòd laborantes ſanare refugeret, nec ſolùm quòd plauſum populi fugeret, ſed quòd ſeipſum occultatum vellet ab iis, qui eum nollent cognoſcere. Eodem refert hæc prohibitio, quò & ejus parabolica prædicatio, *Matth.* 13: 13. *Per parabolas loquor iis, quia videntes non vident.* Noluit ab illis ſciri, qui noluerunt eum ſcire.

VERS. 20. *Κάλαμον συντετριμμένον οὐ κατεάξει.*

Applicanda ſunt hæc verba, ut ex præcedentibus patet, ad ſilentem *Salvatoris* rerum ſuarum tranſactionem, abſque applauſus venatione, jactantiæ ſtrepitu, aut bombis famæ. Non tantum ſtrepitus edet, quantum fit ex fractione arundinis jam contritæ & ſemifractæ, aut ex ſibilo lini fumigantis tantùm, injectâ aquâ. Quàm longè diſtat *Meſſias* ſic deſcriptus à *Meſſia* expectationis *Judaicæ*! Et tamen *Eſajam*, è quo deſumuntur hæc verba, de *Meſſia* loqui ſatis patet, & fatentur *Judæi*.

Ἕως ἂν ἐκβάλῃ εἰς νῖκος τὴν κρίσιν.

Hebr. & LXX apud *Eſajam*, *Proferet judicium ad veritatem.*

Verba utrobique hæc volunt. *Chriſtum* in mundo ſonitum aut ſtrepitum pompæ, plauſûs, aut faſtûs, non editurum ullum; ſed in humilitate, ſilentio, paupertate & patientia, res ſuas acturum, & dum ipſe eſſet in terris, & per Apoſtolos poſt ejus aſcenſionem, contemptu, paupertate & perſecutione laborantes: tandem verò, *prolaturum eum Judicium ad victoriam*, hoc eſt, Judicem, vindicem, victorem proruptururum ac ſe exhibiturum in gentem iſtam *Judæorum* nequiſſimam, à qua talia paſſi ſunt & ipſe & ſui. Ac tunc etiam *Judicium protulit ad veritatem*, & ſe verum *Meſſiam*, filiumque Dei, coram oculis omnium aſſeruit, veritatemque Euangelii confirmavit, cauſam ſuam ab inimicis ſuis ulciſcendo, modo tam conſpicuo, & tremendo. Atque hinc eſt, quòd prolatio, atque executio iſta Judicii in iſtam gentem in Novo Teſtamento ſemper ferè vocetur *Adventus ejus in gloria.* Cùm nempe tam diu delituiſſet *Chriſtus*, atque ejus regnum, ſub velo humilitatis, & ſub perſecutionis nube: prorupit tandem ultor, & gentem iſtam perſecutricem excidit, victoremque ſe exhibuit præ oculis omnium, & *Judæorum* & *Gentium.* Obſervetur in textu ſub manibus, ut poſt mentionem iſtius Judicii & victoriæ (in *Judæos*) illicò ſequatur, *Et in nomine ejus Gentiles ſperabunt.*

VERS. 24. *Ἐν τῷ Βεελζεβοὺλ ἄρχοντι τῶν δαιμονίων.*

Ad ſenſum horrendæ hujus blaſphemiæ eruendum hæc obſervatione digna:

I. Apud *Judæos* pro religione ferè habitum fuiſſe, Idolis atque Idololatriæ convitiari, atque indere nomina probroſa.

Hieroſ. Avodah Zarah, fol. 43. 3. *R. Akibah dicit, Polluit Idololatria ſicut polluit fœmina menſtruoſa: ſicut dicitur*, Abjicies (idolum) ſicut quid menſtruatum, dicesque ei, Apage. *Eſaj.* 30: 22. *R. Lazar dicit, Dices ei, Apage: Illud quod vocant Faciem Dei*, (Vide *Strabonem*, lib. 16. pag. apud me 874.)

vocent

CAP. XII. VERS. 24.

vocent Faciem Canis. Illud quod vocant עין כוס, *Fontem calicis, vocent* עין קוץ, *Fontem Tædii*, vel *tribularum. Illud quod vocant* גדייה *Fortunam, vocent* גלייא, *Fœtorem, &c. Illud oppidum, quod aliquando dictum eſt Bethel, dictum poſtea eſt Bethaven.* Vide etiam *Schabb*. fol. 11.4. ubi hæc eadem habentur.

Babyl. Sanhedr. fol. 93.2. כל ליצנותא אסירא חוץ מליצנותא דעו״, *Omnis irriſio prohibetur, præter irriſionem Idololatriæ.* Repetitur hoc etiam in *Megillah*, fol. 25.2. Ubi hoc additur, *Licet Judæo dicere Cuthæo,* שקליה לעו״ ואנחיה בשין״ תיו״, *Accipe Idolum tuum, & repone ſub clunibus.*

II. Inter nomina probroſa Idolis indita, generale & commune fuit זבול, *Stercus*, vel *Stercorarium*.

Hieroſol. Beracoth, fol. 12.2. אפילו אותם שפשטו ידיהם בזבול יש להם בטחון, *Etiam illis, qui manus ſuas extenderunt in Stercorario* [id eſt, in Idoleo, vel Idololatria] *eſt ſpes. Illos adducere* [in Eccleſiam] *quia manus ſuas expanderunt* בזבול, *in Stercorario, non potes: atqui eos rejicere non potes, quia egerunt pænitentiam.* Et paulò poſt, ראה אותם מזבלין לעו״ וגו׳, *Qui videt eos ſtercorantes* (id eſt, ſacrificantes) *Idolo, dicat, Sacrificans Diis alienis ſit Anathema.*

Vocem hanc ergò in *Matthæo* in *Beelzebub* forment ii, quibus eſt audacia; ego *Phariſæos* vocem *Beelzebul* enuntiâſſe, *Matthæum*que ità ſcripſiſſe, ità non dubito, ut vacillare ſenſum, ſi aliter ſcribatur, etiam non dubitem.

III. Occurrunt apud *Talmudicos* nomina plurima malorum ſpirituum, aut Dæmoniorum, quæ hìc memorare eſſet inanius. Inter omnia Dæmonia Dæmona iſtum peſſimum, turpiſſimum, ac cæterorum quaſi principem duxerunt, qui dominatus eſt in Idolis, & per quem edita ſunt oracula & miracula apud Ethnicos atque Idololatras. Idque hac ratione ſunt opinati, quòd præ rebus omnibus aliis ſummè nefariam ac abominandam duxerunt Idololatriam, ac malorum principem ac Coryphæum. Hunc Dæmona *Baal Zebul*, בעל זבול, non tam proprio nomine, quàm generali & communi appellârunt, id eſt, *Dominum Idololatriæ*, [rei peſſimæ Dæmonium peſſimum] eumque *Principem Dæmoniorum* indigitârunt, quòd princeps nequitiæ ſit Idololatria.

Occurrit hiſtoria *Hieroſ. Peah*, *fol.* 21.2. ubi memoratur רבהון דרוחיא, an in hoc ſenſu videat & judicet Lector. Item apud *Aruch* ex *Rabboth*, שידא אשמדון רבהון דרוחתא, *Dæmon Aſmodæus princeps ſpirituum.*

IV. *Talmudici*, à patribus his ſuis edocti, *Jeſum Nazarenum*, Dominum noſtrum, horrendâ blaſphemiâ Magum prædicant, cultus alieni ac nefarii inductorem, & per potentiam Diaboli miracula edentem, ut cultui iſti fidem ac honorem conciliaret.

CAP. XII. VERS. 25.

Babyl. Schabb. 104.2. *Ben* סטדא, *Satdæ exportavit magias ex Ægypto per cæſuras, quas fecerat in carne ſua.* Per בן סטרא, *Jeſum Nazarenum* intelligunt, ut diximus antè; quem eo nomine dedecorant, ut uno vocabulo & halitu ei, & matri ejus ſimul, convitientur. Nam סטדא, *Satda* aut *Stada*, idem ſonat, quod *uxor adultera*, quod paucis lineis interjectis demonſtrat *Gemara*, סטת דא מבעלה, *Declinavit ea à marito. Jeſum* cum *Joſua ben Perachiæ* in *Ægyptum* commigraſſe, iram & gladium fugiente *Jannæi* regis, comminiſcuntur in *Sanhedr*. fol. 107.2. [quod memoravimus ad Caput ſecundum] atque illinc magicas præſtigias ſecum reportâſſe, at ſub inciſa cute, nè à magis *Ægyptiis* deprehenderetur, qui omnes è terra iſta egredientes accurato ſcrutamine explorarunt, nè quis artem eorum magicam in terram tranſportaret alienam. Atque ibi hæc horrenda addunt, ישו כשף והסית והדיח את ישראל, *Jeſus magicam exercuit, & decepit, atque ad Idololatriam adegit Iſraëlem*: quod & antè recitatur in eodem Tractatu, fol. 43.1. *Veſpere Paſchatis*, inquiunt, *ſuſpenderunt Jeſum, & mortem ejus præceſſit præco per quadraginta dies ſic dicens, Egreditur ille lapidandus, eò quòd præſtigiis uſus eſt, & decepit, atque ad Idololatriam adegit Iſraëlem.* Latrant catuli iſti, ſicut à canibus his edocti fuerunt.

Huc ergò recidit *Phariſæorum* hæc blaſphemia, ac ſi dicerent, Ejicit iſte quidem Dæmonia; aſt hoc, adjuvante Diabolo idolis prædominante, atque inhabitante, Diabolorum omnium peſſimo, quem ſibi propitium atque auxiliatorem habet, eò quòd populum à cultu Dei vero ad cultum alienum impellere ambit.

VERS. 25. Εἰδὼς δὲ ὁ Ἰησοῦς τὰς ἐνθυμήσεις αὐτῶν.

En tibi, ô *Phariſæe*, ſignum veri *Meſſiæ*, etiam quod optas! Subolet ei improbus.

Babyl. Sanhedr. fol. 93.2. *Scriptum eſt de Meſſia, Requieſcet ſuper eum ſpiritus Domini,* והריחו ביראת ה״, *& odorare eum faciet in timore Domini. Dixit Rabba, Odorabit & judicabit; ſicut dicitur, Non per conſpectum oculorum judicabit,* &c. *Ben Cozba regnavit annos duos & dimidium, dixitque Rabbinis, Ego ſum Meſſias: Dixerunt ei, De Meſſia ſcribitur, quòd odorabit, & judicabit;* [Gloſſa, *Subolebit ei de homine, & judicabit, & cognoſcet num reus ſit*] *videamus nos, num odorare tu poſſis, & judicare.* כיון דהזייה דלא כדיח

מריח ודאין קטילוה, *Cùmque viderent non poſſe eum odorare, ac judicare, interfecerunt eum.*

Vers. 27. Ὁ. υἱοὶ ὑμῶν ἐν τίνι ἐκβάλλουσι;

Per *Filios veſtros* videtur *Chriſtus* intelligere Diſcipulos aliquos *Phariſæorum*, hoc eſt, nonnullos è *Judæis*, qui exorciſmis uſi videbantur Dæmonia ejicere; quales illi *Actor.* 19:13. & tamen à ſuis non audierunt, *Vos ejicitis Dæmonia per Beelzebul.* Obſervatione dignum eſt, quòd *Chriſtus* illicò dicit, *Si verò ego per ſpiritum Dei ejicio Dæmonia, tum pervenit in vos regnum Dei.* Quid enim hoc aliud ſonat, quàm *Chriſtum* primum fuiſſe, qui ejiceret Dæmonia? [quod ſignum iis indubitatum adveniſſe jam regnum cœlorum.] Illud autem, quod ab iis præſtitum per exorciſmos, non tam ejectio Dæmonum erat, quàm deluſio populi, cùm *Satan Satanam* non ejiceret, ſed ex compacto cum ſeipſo & turba ſua ejici videbatur, ut magis deluderet.

Senſus ergò verborum *Chriſti* huc redit: Quòd Diſcipuli veſtri Dæmonia ejiciunt, vos *Beelzebuli* non attribuitis, imò nec magiæ; ſed opus ab iis præſtitum applauditis: illi ergò poſſunt hac in re judices veſtri eſſe, vos ex virulentia atque animi veneno hæc de actionibus meis pronuntiare.

In *Babyl. Joma*, fol. 57. 1. in Gloſſa occurrit mentio de Dæmone ejecto per *Judæum Ramæ.*

Vers. 32. Οὐκ ἀφεθήσεται αὐτῷ, οὔτε ἐν τούτῳ τῷ αἰῶνι, οὔτε ἐν τῷ μέλλοντι.

Illi, qui hinc elicere conantur remiſſionem peccatorum nonnullorum poſt mortem, parùm intellexiſſe videntur, quonam reſpexerit *Chriſtus*, cùm hæc diceret. Perpende vulgarem & notiſſimam hanc Scholarum *Judaïcarum* doctrinam, & judica.

Hieroſ. Sanhedr. fol. 37. 3. & *Babyl. Joma*, fol. 86. 1. *Qui præceptum affirmativum tranſgreditur, ſi confeſtim eum pœniteat, non movetur uſque dum ignoſcat ei Dominus: & de iſtiuſmodi dicitur, Convertimini, ò filii averſi, atque ego averſionibus veſtris medebor. Qui præceptum negativum tranſgreditur, & pœnitentiam agit, pœnitentia ejus ſuſpendit judicium, & dies Expiationis expiat; ſicut dicitur, Hodie expiabitur vobis de omnibus immundtiis veſtris. Qui tranſgreditur uſque ad exciſionem,* [per plagam Dei] *aut ad mortem per Synhedrium, atque pœnitentiam agit, pœnitentia & dies Expiationis ſuſpendunt judicium, & plagæ inflictæ detergunt peccatum; ſicut dicitur, Et viſitabo virgâ tranſgreſſionem eorum, atque eorum iniquitatem plagis. Aſt à quo profanatur* (vel *blaſphematur*) *nomen Dei, ei non valet pœnitentia ad ſuſpendendum judicium, nec dies Expiationis ad expiandum, nec plagæ* (vel *caſtigationes inflictæ*) *ad abſtergendum, ſed omnes ſuſpendunt judicium, & mors abſtergit.* Sic *Gemara Babylonica*; at *Hieroſolymitana* ſic, *Pœnitentia & dies Expiationis expiant quoad tertiam partem: & caſtigationes quoad tertiam: & mors abſtergit; ſicut dicitur, Et non expiabitur vobis de hac iniquitate, uſque dum moriamini.* הא למדנו שמיתה ממרקת, *Ecce, diſcimus quòd mors abſtergit.* Nota hoc: cui contrariatur *Chriſtus*, de blaſphemia in Spiritum Sanctum, *Non remittetur*, inquit, *in hoc ſeculo, neque in futuro*; id eſt, neque ante mortem, neque, quod vos ſomniatis, per mortem.

Ἐν τῷ αἰῶνι μέλλοντι.

I. In communem uſum receptæ ſunt quædam Phraſiologiæ, quibus ex vulgari ſermone contrairetur hæreſi *Sadducæorum*, immortalitatem negantium. Ejus farinæ fuerunt עולם הבא, Αἰὼν ὁ μέλλων. גן עדן, Παράδεισος. גהנם, Γέεννα, &c.

Babyl. Beracoth, fol. 54. 1. (quod obſervavimus antè) *Ad finem omnium orationum in Templo dixerunt* עד עולם, In ſeculum: *cùm verò irrumperent Hæretici, dicerentque, Non eſſe ſeculum niſi unum, ſtatutum eſt, ut diceretur* מן העולם ועד העולם, *A ſeculo in ſeculum.*

Diſtinctionem hanc עולם הזה, τοῦ νῦν αἰῶνος, & עולם הבא, τοῦ αἰῶνος μέλλοντος, invenias in unaquaque ferè pagina *Rabbinica.*

Targum in *Ruth*, Cap. 2:15. *Retribuat tibi Dominus retributionem bonam pro opere hoc tuo bono* בעלמא הדין, *in hoc mundo, & ſit præmium tuum perfectum* בעלמא דאתי, *In mundo futuro.*

Baal Turim & *Tanch.* in *Gen.* 1:1. *Ideò incipit* (hiſtoria Creationis, & Biblica) *à* ב (in בראשית) *quòd duo mundi crearentur, hic mundus, & mundus futurus.*

II. עולם הבא, duo præcipuè innuit, (de quibus vide *Rambam* in *Sanhedr.* cap. *chelek.*) 1. *Tempora Meſſiæ. Beracoth*, cap. 1. halac. ult. *Memor eſto dies, quo exiiſti ex Ægypto, omnibus diebus vitæ tuæ. Dicunt Sapientes*, Diebus vitæ tuæ *innuitur Hic mundus*; Omnibus diebus vitæ tuæ *ſuperinducuntur Dies Meſſiæ.* Hoc ſenſu Apoſtolus loqui videtur, *Hebr.* 2:5. & 6:5. II. Statum poſt mortem. *Tanchum*, fol. 52. עת״ב לאחר שיצא האדם מע״ה, *Mundus futurus eſt, cùm jam exiit homo ex hoc mundo.*

Digitized by Google

CAP. XII. VERS. 39, 40.

VERS. 39. Γενεὰ πονηρὰ καὶ μοιχαλὶς σημεῖον ἐπιζητεῖ, &c.

I. Faſſæ ſunt etiam ipſorum Scholæ, non exſpectanda eſſe ſigna & miracula, niſi à generatione idonea.

Hieroſ. Sotah, fol. 24. 2. *Congregatis aliquando Senioribus Jerichunte, prodiit Bath Kol, & dixit, Eſt inter vos quidam, qui idoneus eſt, in quem habitet Spiritus Sanctus,* אלא שאין הדור כדיי, *niſi quòd generatio* (hæc) *non eſt idonea. Oculos fixerunt in Hillelem ſenem. Rurſus congregatis Senioribus in ὑπερῴῳ in Jabneh, prodiit Bath Kol, dixitque, Eſt inter vos quidam, qui idoneus eſt, in quem habitet Spiritus Sanctus,* אלא שאין הדור כדיי, *niſi quòd generatio non eſt idonea. Oculos conjecerunt in Samuelem parvum.*

II. Generatio iſta, à qua & in qua crucifixus eſt *Dominus vitæ*, de nequitia ſua infanda meritò malè audit, præ omnibus aliis ab initio mundi in iſtum uſque diem. Unde illud Prophetæ, *Generationem ejus quis effabitur? Eſaj.* 53. id eſt, eò impietatis ac nequitiæ proceſſura eſt ejus generatio, [id eſt, ea, in qua ille victurus] ut omnem ſermonem atque hiſtoriam ſit exceſſura.

Obſervavimus antè, vel ipſos *Talmudicos* fatentes generationem iſtam, in qua venturus *Meſſias*, nequitiis omnimodis ſtupendiſque, ſupra omnia alia ſecula, horreſcentem.

III. *Adultera* vocari potuit iſta gens & generatio, etiam ſecundùm literam; nam quidnam aliud, quæſo, fuit, quàm perpetuum adulterium nefanda eorum Polygamia, atque, pro ſtolido aut improbo cujuſvis arbitrio, vulgaris uxorum dimiſſio non minùs nefanda?

Εἰ μὴ τὸ σημεῖον Ἰωνᾶ τοῦ Προφήτου.

Hîc alibique, dum ſignum *Jonæ* præbet iis, non nudè de miraculo ei præſtito loquitur, in filio hominis æquiparando; ſed tacito etiam ſtimulo eos pungit: hoc edocens, convertendas ab eo gentes, poſt ſuum è viſceribus terræ reditum, prout converſa erat *Nineveh* Ethnica, poſt reſtitutum *Jonam* è ventre ceti. Quâ doctrinâ vix quicquam gentem iſtam acriùs momordit.

VERS. 40. Ἔσται ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ἐν τῇ καρδίᾳ τῆς γῆς τρεῖς ἡμέρας καὶ τρεῖς νύκτας.

I. Memorabilem illam, orante *Joſuâ*, Solis immoti ſtationem *Judaici* Scriptores ad horas triginta ſex extendunt. Sic enim *Kimchius* in iſtum locum, *Secundùm accuratiorem interpretationem, ſteterunt Sol & Luna per horas triginta ſex: nam, cùm eſſet pugna iſta veſpere Sabbati, metuit Joſua, ne violarent Iſraëlitæ Sabbatum. Extendit igitur manus ſuas, ut ſtaret Sol die ſexto ſecundum menſuram diei Sabbati, & Luna ſecundum menſuram noctis Sabbati, & exitûs Sabbati, quæ aſſurgunt ad horas triginta ſex.*

II. Si horas numeres ab exſpiratione *Salvatoris* in cruce ad ejus reſurrectionem excurrentes, iſtius numeri paritatem ferè reperies; quod tamen ſpatium ab eo vocatur *Tres dies & tres noctes*, cùm duæ tantùm noctes interceſſerint, & dies completus tantùm unus. Nec conſenſu tamen caret hæc loquens & Scholarum, & computationis *Judæorum*. Perpende bene illud, quod diſputatur in *Schabb.* cap. 9, halac. 3. de immunditia fœminæ in triduum, ob concubitum ſeminis: ubi diſcutiuntur multa à *Gemariſtis* de computatione hujus tridui. Inter alia hæc occurrunt, *R. Iſmaël dicit*, פעמים שהן ד״ עונות, *Aliquando continet quatuor* עונות, *aliquando quinque, aliquando ſex. Babyl.* fol. 86. 1. *At quantum eſt ſpatium τῆς* עונה? *Dicit R. Jochanan, Vel dies, vel nox. Babyl. Avod. Zar.* fol. 75. 1. Sic etiam *Hieroſ. Schabb.* fol. 12. 1. *R. Akiba ſtatuit diem pro* עונה, *& noctem pro* עונה. *At traditio eſt, R. Eliazarum ben Azariæ dixiſſe,* יום ולילה עונה ומקצת עונה ככולה. *Dies & Nox conſtituunt* עונה, *& pars* עונה *eſt ſicut totum.* Et paulò antè: ר׳ ישמעאל עבר מקצת עונה ככולה, *R. Iſmaël computavit partem τῆς* עונה *pro toto.* Non promptum eſt vocem עונה aptâ Latinitate donare: nam quibuſdam idem ſonuit quod medietas diei naturalis, quibuſdam idem quod νυχθήμερον, totus dies naturalis. Secundùm primum ſenſum obſervare licet ex verbis *R. Iſmaëlis*, nonnunquam quatuor עונות, vel medietates diei naturalis, haberi poſſe pro triduo: eaſque itâ etiam numeratas, ut pars una & altera iſtarum medietatum computari poſſet pro tota. Poſteriorem ſenſum confer cum verbis *Salvatoris* ſub manibus. *Dies & nox*, inquit Traditio, *conſtituunt* עונה, *& pars* עונה *eſt ſicut totum. Chriſtus* ergò verè dici poteſt fuiſſe in ſepulchro per tres עונות, vel per τρεῖς νυχθήμερον, (cùm tamen defuerit maxima pars diei primi, atque nox omninò, ac longè maxima pars etiam diei tertii) idque ſuffragante Scholarum conſenſu, & dialecto gentis. Nam *quantulacunque pars τῆς* עונה *concludit totum*: itâ ut ſecundùm hoc Idioma particula iſta minutula diei tertii, quo *Chriſtus* reſurrexit, pro toto die & nocte cum ſequente ſit computanda.

Digitized by Google

CAP. XII. VERS. 45.

VERS. 45. Οὕτως ἔσαι καὶ τῇ γενεᾷ ταύτῃ τῇ πονηρᾷ.

Horrendam in gente & generatione iſta Apoſtaſiam hæc prædicunt.

I. Omnia in præcedenti parabola ità aptare, ut quadrent inter ſe, eſt difficilius, 1. De ſpiritibus immundis à *Chriſto* ex hominibus expulſis eam vix intelligas, cùm, per totam hiſtoriam Euangelicam, ne vel gry quidem ſit probabilitatis, ejectum ab eo aliquod Dæmonium in eum rediiſſe, à quo fuerat ejectum. 2. Alludi ergò videtur à *Salvatore* ad expulſionem Dæmonum per exorciſmos, quam artem prout optimè calluerunt *Judæi*, ità in ea tractanda figmentis concinnis opus fuit & colluſionibus. 3. Credibile enim vix eſt reipſâ Diabolum in locis aridis minùs requiem invenire, quam in locis irriguis: at credibile eſt artifices iſtos Diabolicos iſtiuſmodi figmenta inveniſſe in artis ſuæ honorem & famam. Nam, 4. ridiculum eſſet opinari, potuiſſe eos per exorciſmos ſuos Dæmonium ex homine ejicere, in quem immiſſum fuerat à Deo. Poterant quidem, ex compacto Diaboli cum Diabolo, lucida intervalla aliqua obſeſſo inducere, ità ut inhabitans Dæmon in tempus aliquod miteſceret, nec hominem turbaret: at redierunt tandem æſtus dæmoniaci, & ad priſtinos furores eſt reverſum. Hìc ergò figmentis aptè compoſitis opus erat, ut famæ artis exorciſticæ conſuleretur: Dæmona in loca arida & eremoſa amandatum requiem illic invenire non poſſe ullam: non poſſe non velle hinc illinc ſemper circumvagari ſolitarium ac irrequietum; rediiſſe ergò in priſtinam ſuam manſionem, quam aptam ſibi ac paratam jam olim fuerat expertus, &c. Hæc ergò dicta à *Servatore* videntur magis ſecundùm captum, aut deceptionem potiùs vulgi, quàm ſecundùm rei ipſius realitatem & veritatem, à re vulgo credita & recepta parabolam ſumente, ut notiùs & familiariùs rem exprimeret ſibi propoſitam.

II. Utcunque autem ſe res habuerit, veranè iſta fuerint reipſâ, an ità tantùm credita & concepta, aptiſſima apertiſſimâque comparatione demonſtratur, ejectum primò è gente *Judaïca* Diabolum per Euangelium, interque Gentes ſedem & requiem ſibi quærentem, ac non invenientem, exagitante eum undique Euangelio, in gentem *Judaicam* rediiſſe, ſedem fixiſſe, multoque magis eam poſſediſſe quàm anteà. Patet hujus rei veritas in horrenda iſta Apoſtaſia infinitæ multitudinis *Judæorum*, qui Euangelium amplexi ab eo nequiſſimè ſunt relapſi, de qua in infinitis ferè locis loquitur Novum Teſtamentum.

CAP. XIII. VERS. 2, 3.

CAP. XIII.

VERS. 2. Ὥστε αὐτὸν καθῆσθαι, καὶ πᾶς ὁ ὄχλος εἱστήκει.

SIc mos gentis, ut Magiſtri ſedentes prælegerent, Diſcipulis ſtantibus. Qui mos honorarius, ad mortem *Gamalielis ſenioris* continuatus, tunc eòuſque periit, ut ſederent etiam Diſcipuli, ſedente Magiſtro. Hinc illud *Sotah*, cap. 9. halac. 15. *Ex quo obiit Rabban Gamaliel ſenex, periit honor Legis, & mortua eſt puritas, & Phariſaïſmus:* ubi Gloſſa ex *Megillah*, *Ante ejus mortem fuit ſanitas in mundo, & non didicerunt Legem niſi ſtantes; aſt, eo defuncto, deſcendit ægritudo in mundum, & coacti ſunt diſcere Legem ſedendo.*

VERS. 3. Ἐν παραβολαῖς.

I. Oratoriæ *Judaïcæ* nullum Schema familiarius, quam Paraboliſmus: qui forſan inter *Ethnicos* indè irrepens in fabulas evaſit. Dicitur loco *Talmudico* jam citato, משמת רמ״ ביטלו משלים כשלים, *Ex quo obiit R. Meir, ceſſârunt parabolizantes*: non, quòd exinde deperiret à gente color iſte Rhetoricus, ſed quòd ille præ omnibus in his floſculis antecelleret, prout illic Gloſſa ex *Sanhedr.* תלתא שמעתא ותלתא אגדתא ותלתא כתלי, *Tertia pars* [orationum, vel concionum ejus] *erat Traditio, tertia pars Allegoria, & tertia pars Paraboliſmus.* Scatent ubique his Schematibus paginæ *Judaïcæ*, naturali quodam genio in hujuſmodi Rhetoricam inclinante gente. Parabolicam non immeritò dixeris eorum religionem, ceremoniarum involucris complicatam: & par illi in ſermonibus ſuis Oratoria. At mirum certè, eos parabolis ità deditos & gaudentes, in iiſque enucleandis tam dexteros, in cortice ceremoniarum hæſiſſe, & parabolicum ac ſpiritualem earum ſenſum non expiſcatos fuiſſe, nec potuiſſe expiſcari.

II. Eodem loquendi genere utitur *Salvator*, [cum vulgo ſemper ac ubique loquens] eodemque frequentiſſimè exordio, quo & illi in Parabolis ſuis. למה הדבר דומה, Τίνι ὡμοιώθη, &c. At in eo ſic loquente, & divinam agnoſcas juſtitiam, qui caliginosè loquitur lucem ſpernentibus, ac divinam pariter ejus ſapientiam, qui videntibus, & tamen non videntibus, ſic loquitur, ut corticem videant, nucleum non videant.

Digitized by Google

CAP. XIII. VERS. 4, 5, 7, 8.

VERS. 4. Ἃ μὲν ἔπεσε παρὰ τὴν ὁδὸν, &c.

De agricultura *Judæorum*, atque eorum ſatione, varia occurrunt in Tractatibus *Peah*, *Demai*, *Kilaim*, *Sheviith*: nos ea tantùm attingemus, quæ in memoriam promptè revocant verba textûs qui ſub manibus.

Viæ & ſemitæ erant per agros ſatos, tam communes, quàm privatiores: vide Cap. 12:1. Hinc in Tractatu *Peah*, cap. 2. ubi diſcutiunt, quænam ſint, quæ agrum partiuntur, ità ut duplicem angulum pauperibus debeat, ſic determinatur, *Hæc partiuntur, Fluvius, aquæ-ductus, via privata, via communis, ſemita communis & ſemita privata*, &c. Vide locum & Gloſſam.

VERS. 5. Ἄλλα δὲ ἔπεσεν ἐπὶ τὰ πετρώδη.

In *Hieroſ. Kilaim*, fol. 27. 1. agitur de legibus quibuſdam τοῦ *Kilaim*, [vel *ſeminum Heterogeneorum*] atque anni ſeptimi: ubi inter alia hæc occurunt. *R. Simeon ben Lachish dicit eum* [a legibus iſtis] *eſſe ſolutum, qui ſeminat juxta mare*, ע״ג פטרה ע״ג סלעים ע״ג טרשים *ſupra petras, ſcopulos, & ſaxoſa.* Dicuntur hæc pro ratione & natura terræ *Iſraëliticæ*, quæ ſaxoſa admodùm, & tamen iſta loca non omninò culturæ inidonea.

VERS. 7. Ἄλλα δὲ ἔπεσεν ἐπὶ τὰς ἀκάνθας.

Subit hìc diſtinctio שדה לבן, *Agri albi*, id eſt, qui totus ſeritur, & שדה אילן, *Agri arborei*, id eſt, in quo naſcuntur hìc illìc arbores aut fruticeta: de quibus vide *Sheviith*, cap. 2. Sic memoria apud *Talmudicos* frequentiſſima מלבנות, *Areolarum* in agris & vineis, *Peah*, cap. 2. ערוגות, quod idem ſonat, *Kilaim*, cap. 3. & קרחת בשדה, *Calvitiei in agro:* id eſt, cùm relinquuntur loca quædam non ſata, & quædam interjacentia ſeruntur: *Kilaim*, cap. 4.

VERS. 8. Ἐδίδου καρπὸν, ὃ μὲν ἑκατὸν, &c.

Dicuntur hæc pro ratione fertilitatis terræ *Iſraëliticæ*, de qua quamplurima *Talmudici*, eaque ſatis hyperbolica, quam tamen in miſeram ſterilitatem olim immutatam fatentur, aſt ad cauſam ejus veram cœcutientes.

In *Hieroſ. Peah*, fol. 20. 1, 2. de hac re agitur, & variæ adducuntur hiſtoriæ, quas vide; nos has duas tantùm memorabimus.

Dixit R. Jochanan, Fructus viliſſimus, quem comedimus in juventute noſtra, præſtitit optimo; quem nunc comedimus in ſenectute: nam in diebus ejus immutatus fuit mundus.

CAP. XIII. VERS. 13, 25, 32.

R. Chaija bar Ba dixit, סאה ארבלית, *Modius Arbelitanus exhibuit olim modium ſimilæ, modium farinæ, modium furfuris, & modium furfuris craſſioris, & adhuc modium furfuris craſſioris, & modium etiam furfuris craſſiſſimi: at nunc vix unus modius ex uno modio conſtat.*

VERS. 13. Βλέποντες οὐ βλέπουσι, &c.

Obſerves hìc traditum hunc populum in mentem reprobam & ſpiritum ſoporis, jam diu ante mortem *Chriſti*. Quo obſervato, facilior exſurgit ſenſus Apoſtoli, *Rom.* 11. ubi ipſiſſima hæc verba repetuntur. Ritè ſi illic ſtatuas de populi rejectione, clariùs Apoſtolum intelliges de eorum vocatione illic tractata. In cœcitatem, ſtupiditatem, & duritiem cordis, jam olim illos rejecerant *Phariſaiſmus* & deliria Traditionum, idque per aliquot ſæcula ante natum *Chriſtum:* aſt, adventante Euangelio, ſpicilegia inter eos habuit ſua Dominus, fueruntque qui crederent, & quibus participatio promiſſionum conceſſa eſt; de illis Apoſtolus in iſto Capite: vide verſum quintum, Ἐν τῷ νῦν καιρῷ λεῖμμα κατ' ἐκλογὴν, &c. quod obſervavimus antè ad Capitis tertii verſum ſeptimum.

VERS. 25. Ζιζάνια.

Talmudicè זונין. *Kilaim*, cap. 1. hal. 1. החטים והזונין אינן כלאים זה בזה, *Triticum* & זונין *non ſunt ſemina Heterogenea.* Ubi Gloſſa, זונין *eſt ſpecies quædam tritici, quæ in terra mutatur, & quoad formam, & quoad naturam.* A Lexicographis optimis *Latinè* redditur *Zizania.*

Ità ut ager iſte, in hac parabola, ſereretur à Domino tritico bono, ab inimico tritico ignobili & degenere; at totus tritico, hoc vel illo. Hæc non tam nudè homines bonos & malos volunt, quàm bonos & malos *Chriſtianos*; utroſque ab aliis hominibus diſtinctos, [ab *Ethnicis* ſcilicet] prout diſtinguitur triticum ab aliis ſeminibus: at diſtinctos etiam inter ſe, prout diſtinguitur inter nobile triticum & ſordidum. Sic Cap. 25. omnes decem iſtæ fœminæ, ſponſum exſpectantes, ſunt virgines; at diſtinctæ in ſapientes & fatuas.

VERS. 32. Ὃ μικρότερον μέν ἐστι πάντων τῶν σπερμάτων, &c.

Hinc in Adagium vulgare abiit, כזרע חרדל, *Pro quantitate grani ſinapis*, & כטיפת חרדל, *Pro quantitate guttulæ ſinapis*, fre-

CAP. XIII. VERS. 33, 52.

frequentiſſimè apud *Rabbinos*, rem vel quantitatem minutiſſimam innuentes.

Μεῖζον τῶν λαχάνων ἐςί.

Hieroſ. Peah, fol. 20.2. *Caulis erat ſinapis in Sichin, è quo enati ſunt rami tres: è quibus unus decerptus cooperuit tentoriolum figuli, produxitque tres cabos ſinapis. R. Simeon ben Chalaphta dixit, Caulis ſinapis erat mihi in agro meo, in quam ego ſcandere ſolitus ſum, ità ut ſcandere ſolent in ficum.*

VERS. 33. Ἐις ἀλεύρε σάλα τρία.

Id eſt, *in Epham farinæ*. Exod. 16:36. *Jam verò Omer eſt decima pars Ephæ.* Chald. חד מן עסרא בתלת סאין, *Decima pars trium ſatorum.* LXX. Δέκατον τῶν τριῶν μέτρων. Et *Ruth.* 2:17. *Fuit quaſi Ephah hordei.* Targ. כתלת סאין סעורין, *Quaſi tria ſata hordei.*

Seah continet duplum Hin, ſex Cabos, viginti quatuor Login, centum quadraginta quatuor Ova. Alpheſ. in *Peſach.* cap. 5. *Kimchi* in *Miclol.*

VERS. 52. Ἐκβάλλει ἐκ τοῦ θησαυροῦ αὐτοῦ καινὰ καὶ παλαιά.

Dicuntur hæc ſecundùm Dialectum Scholarum, ubi non infrequenter exagitatum eſt, quonam vino, quibusnam frugibus aut fructibus utendum in ſacris, & ritibus quibuſdam, recentibus, an veterioribus, anni ſcilicet præſentis, an præteritorum, [חדש או ישן] Jam verò homo frugi, & rebus ſuis bene providens, & his & illis inſtructus erat, ad utrumlibet paratus, quod requireretur. Sic Scribam Euangelicum decet in promptu omnia habere, quæ proferat, pro rei, loci, ac auditorum conditione, & natura. Intelligitisne hæc omnia, inquit *Chriſtus*, & quæ dixi, & quare hæc dixi? Sic Scribam Euangelicum oportet proferre, &c.

CAP. XIV.

CAP. XIV. VERS. 4, 6.

VERS. 2. Οὗτός ἐςιν Ἰωάννης, &c.

NOnne *Herodes* fuit fidei *Sadducææ*? Quod enim à *Matthæo* profertur, *Cavete vobis à fermento Phariſæorum & Sadducæorum*, Cap. 16:6. à *Marco* redditur, *Cavete vobis à fermento Phariſæorum, atque à fermento Herodis*, Cap. 8:15. id eſt, à doctrina eorum.

Si ergò *Herodes* doctrinam *Sadducæorum* amplexus eſt, videntur ejus verba, *Hic eſt Joannes Baptiſta, ipſe ſuſcitatus eſt à mortuis*, extorta fuiſſe è conſcientia, horroris & reatûs aculeo ſtimulatâ, ac ſi verſaretur ſub ejus oculis imago & umbra *Baptiſtæ*, recens ab eo trucidati; ità ut horreat animus, & *Sadduceiſmi* ſui oblitus, reſurrectionem mortui, nolens volens, gemens tremens, agnoſcat.

Vel, detur eum reſurrectionem mortuorum cum *Phariſæis* agnoviſſe; inſolitum certè tamen erat iis, qui eam faſſi ſunt, reſurrectionem jam recens mortui ſomniare: exſpectabant reſurrectionem mortuorum, olim futuram; at hoc, quod dicit, credit, & ſuſpicatur *Herodes*, plurimùm declinat ab iſto dogmate, videturque quidem à conſcientiâ de cœlo tactâ proceſſiſſe.

VERS. 4. Οὐκ ἔξεςί σοι ἔχειν αὐτήν.

Cherithuth, cap. 1. hal. 1. *Triginta ſex exciſiones ſunt in Lege*, id eſt, peccatores qui exciſionem merentur. Inter cæteros, הבא על אשת אחיו, *Ille, qui coït cum uxore fratris ſui.* In vivis jam erat *Philippus*, vixitque ad annum *Tiberii* vigeſimum. *Joſeph. Antiq.* lib. 18. cap. 6.

VERS. 6. Γενεσίων δὲ ἀγομένων τοῦ Ἡρώδου.

Partem cultûs Idololatrici ducunt Scholæ *Judaicæ* celebrata natalitia: adulantiùs forſan de tuis pronuntiaturæ, ô *Tetrarcha*, quia tua.

Avodah Zarah, cap. 1. hal. 3. Hæc ſunt tempora Idololatrarum. קלנדא, *Calendæ*, סטרנורא, *Saturnalia*; קרטסים, Κρατήσεις, id eſt, cùm imperium primùm capeſſerent; וגנוסיא של מלכים, & Γενέσια *regni*; ויום הלידה, *& dies nativitatis.* Dum Γενέσια diſtinguunt à *die nativitatis*, initiationem regni ejus intelligunt: de qua diſtinctione multa diſputant *Gemariſtæ.*

Ὠρχήσατο ἡ θυγάτηρ, &c.

Non tam ex levitate, quàm ex more gentis; in demonſtrationem ſcilicet lætitiæ, atque ob celebritatem diei. Soliti ſunt *Judæi* in gaudiis exuberantioribus publicis, atque etiam in ſolennitatibus quibuſdam ſacris, hilaritatem ſuam ſaltatione & tripudiis exprimere. Omiſſis, quæ in Pagina Sacra occurrunt, exemplis, refertur à Patribus Traditionum, præcipuam partem feſtivitatis in feſto Scenopegiæ fuiſſe iſtiuſmodi ſaltationes; viris primariis, grandævis, & maximè religioſis in atrio mulierum tripudiantibus, idque quò vehementiùs, cò laudabiliùs. *Sotah*, cap. 5. Non ergò *Herodem* tam captavit geſtus, aut motus puellæ ſaltantis, quam animus ac affectus: quòd ſcilicet ea honorem iſtum erga diem

Digitized by Google

CAP. XIV. VERS. 7, 10.

diem ejus natalem, amoremque ac venerationem erga ipſum ita demonſtraret, lætitiamque de ejus vita & ſalute: a qua talia quidem minimè meruerat *Herodes*, cùm patrem puellæ *Philippum* conjuge ſuâ orbâſſet, matremque illegitimo thoro, inceſtuque continuo, pollueret.

VERS. 7. Μεθ᾽ ὅρκȣ ὡμολόγησεν αὐτῇ, &c.

Vocatur hoc juramenti genus à *Talmudicis*, שבועת בטוי: de quo vide *Maimon.* in שבועות, cap. 1. & Tractatum *Talmudicum* ejuſdem tituli. Si forma juramenti fuerit, per *Caput ſuum*, (quod uſitatiſſimum, *Sanhedr.* cap. 3. hal. 2.) aptiſſimè, prout iniquiſſimè, reſpondit petitio puellæ ſponſioni Regis; quaſi dicat, Voviſti per *caput tuum*, te mihi daturum quicquid petiero, Da mihi *caput Joannis Baptiſtæ.*

VERS. 10. Ἀπεκεφάλισε τὸν Ἰωάννlω.

Refert *Joſephus*, *Joannem* ab *Herode* incarceratum fuiſſe *Machærunte*, Ὑποψίᾳ τῇ Ἡρώδȣ δέσμιΘ- εἰς τὸν Μαχαιροῦντα πεμφθεὶς, *Antiq.* lib 18. cap. 7. Erat autem *Machærus* extremus *Peræa* limes, versùs Auſtrum. Idem, *de bell.* lib. 3. cap. 4. Eratque *Peræa* intra ditionem *Herodis*. Idem, *de bell.* lib. 2. cap. 9. Jam verò ſi vinctus illic jaceret *Joannes*, cùm de capite ejus decerneretur, longiſſimo itinere opus fuit carnifici, & quod vix intra biduum confici poſſet à *Tiberiade*, ubi regia tyranni, ad crudele illud mandatum exſequendum. Ità ut non niſi poſt dies aliquot, à celebratis natalitiis, puellæ præſentaretur horrendum iſtud ferculum, caput venerandum Prophetæ.

Tempus decollationis ejus elicimus ex verbis iſtis *Joannis Euangeliſtæ*, cap. 6: 4. *Aderat jam autem Paſcha*, hâc ratiocinatione. Abſque controverſia concludi poteſt, Diſcipulos, quamprimùm de morte Magiſtri audientes, eumque ſepelientes, ad *Chriſtum* ſe contuliſſe, cædem Magiſtri narrantes, eique cautionem iſto exemplo præbentes ut ſibi conſuleret de ſalute ſua. Is, re auditâ, tranſit in deſertum *Bethſaidæ*, atque illic quinque hominum millia paſcit miraculoſè, cùm adeſſet jam *Paſcha*, ut refert *Joannes* hiſtoriam iſtam recognoſcens cum reliquis Euangeliſtis. Decapitationem ergò *Baptiſtæ* arbitramur fuiſſe paulò ante *Paſcha*, cùm carcerem jam paſſus fuerat per ſeſquiannum, prout per ſeſquiannum liberè prædicâſſet ante incarcerationem.

VERS. 13. Ἀνεχώρησεν ἐκεῖθεν ἐν πλοίῳ εἰς ἔρημον τόπον, &c. CAP. XIV. VERS. 13, 17.

A *Capernaumo* ſcilicet in deſertum *Bethſaidæ*, Luc. 9: 10. quod a *Joanne* redditur, Ἀπῆλθεν πέραν τῆς θαλάσσης; *Joann.* 6: 1. quod propriè intelligendum eſt, a *Galilæa* ſcilicet, in *Peræam*. Tabulæ Chorographicæ *Bethſaidam* diſpoſuerunt in *Galilæa*, in eodem litt re, quo & *Capernaumum*: ſic & Commentatores ſinum maris tantùm interjacentem ſibi fingunt inter duas iſtas urbes: quod & nos aliquando ſumus cum iis opinati. At docti ſumus tandem à *Joſepho*, *Bethſaidam* fuiſſe ἐν τῇ ἄνω Γαυλανιτικῇ, *In inferiori Gaulanitide* [quod obſervamus alibi] ab ora maris *Genneſaritici* Orientali, in *Peræa*.

Ἠκολούθησαν αὐτῷ πεζῇ.

Hinc arguitur ab Interpretibus, *Capernaumum* & *Bethſaidam* non in diverſis maris littoribus fuiſſe, ſed in eodem: nam quomodo aliter, inquiunt, potuit turba eum pedibus ſequi? Optimè, inquam ego, tranſito *Jordane* prope *Tiberiada*, cujus ſitum demonſtravimus alibi ad effluxum *Jordanis* è mari *Galilææ*. Secuti ſunt eum pedibus ἀπὸ τῶν πόλεων, inquit Euangeliſta noſter. Civitates autem, alicujus nominis, *Capernaumo* viciniſſimæ erant, hinc *Tarichæa*, illinc *Tiberias*. Detur, turbam ex his urbibus iter poſt *Chriſtum* carpſiſſe: via, per quam itinere pedeſtri perrectum eſt, erat ad pontem *Jordanis* in *Chammath*: diſtabat locus iſte à *Tiberiade* milliari, aut minùs; à *Capernaumo* milliaribus tribus, aut circiter. Tranſito *Jordane* perrectum eſt per agrum *Magdalenſem*, & poſt eum per *Hipponenſem*: diſtabat autem *Magdala* à *Jordane* milliari uno, *Hippo* duobus: & poſt *Hippon* erat *Bethſaida*, ad littus maris Orientale; & poſt *Bethſaidam* ſinus maris aliquantum ſe in terram protrudens, atque exinde *deſertum Bethſaidæ*. Cùm igitur indè reverſum foret, Diſcipulis in navim coactis imperat, ut *Bethſaidam* pergant, dum ipſe turbam dimiſerit, quo eos tandem ipſe ſecuturus eſſet pedes, atque indè cum iis navigaturus *Capernaumum*.

VERS. 17. Δύο ἰχθύας.

Quales, non decernimus. Allatos eos huc fuiſſe à puerulo, ut venderentur, unà cum quinque panibus, colligere eſt ex *Joann.* Cap. 6: 9. *Talmudici* plurima de כליח, piſcibus ſalſis diſcutiunt: vocem reddo de *piſcibus ſalſis* fide *Aruchi*: citans ille traditionem hanc è *Beracoth*, cap. 6. הביאו לפניו מליח *Apponunt ei ſalſum primò, & cum eo buccellam?*

Digitized by Google

CAP. XIV. VERS. 20, 22, 23, 25.

lam? benedicit ille ſuper ſalſum, & omittit [benedictionem] *in buccellam, quia buccella eſt ei tanquam appendix.* מליח, *ſalſum*, inquit, *intelligendum eſt de piſcibus, ſicut Traditio docet, quòd qui vovet* abſtinentiam *à ſalſis, non reſtringitur niſi à piſcibus ſalſis.* An hi piſces ſalſi fuerint, ridiculum foret determinationem aggredi: at ſi modò forent, collatione dignus eſt modus benedictionis, quo uſus eſt *Chriſtus*, cum eo quem præcipit Traditio allegata.

VERS. 20. Καὶ ἔφαγον πάντες, καὶ ἐχορτάσθησαν.

Sic definitur à *Talmudicis* סעודה, *Comeſtio*, vel refectio à cibo; cùm ſcilicet editur ad ſatietatem. In *Babyl. Beracoth*, fol. 44. 1. *Rabb dicit:* כל סעודה שאין בה מלח אינה סעודה, *Omnis comeſtio, ad quam non adeſt ſal, non eſt comeſtio. Aruch* hæc citans pro מלח, *ſal* legit מליח, *ſalſum*, additque, *Non eſt comeſtio, quia non ſaturantur.*

VERS. 22. Καὶ εὐθέως ἠνάγκασε τοὺς μαθητὰς, &c.

Ratio coactionis redditur à *Joanne*, Cap. 6:15. quia ſcilicet populus, viſo miraculo, ambiit eum Regem facere: fortè nè Diſcipuli etiam in idem conſpirarent, temporale & terrenum *Meſſiæ* regnum nimium adhuc ſomniantes.

VERS. 23. Ὀψίας δὲ γενομένης.

Sic verſu decimo quinto; aſt alio ſenſu. Illud enim ſerum diei denotat: hoc ſerum noctis. Sic *Talmudicis* ערב non ſolùm partem diei declinantem ſignificat, ſed & noctem. *Berac*. cap. 1. hal. 1. *A quonam tempore recitant Phylacteria* בערבית, *veſpere? A tempore, quo ingrediuntur Sacerdotes comeſtum Trumam ſuam, uſque ad finem vigiliæ primæ, ut dicit R Eliezar; aſt, ut dicunt Sapientes, Ad mediam noctem: imò, ut dicit Rabban Gamaliel, uſque ad ortum columnæ auroræ.* Ubi Gloſſa, בערבית בלילה, *veſpere, id eſt, Nocte.*

VERS. 25. Τετάρτῃ δὲ φυλακῇ τῆς νυκτὸς.

Id eſt, poſt Gallicinium. *Judæi* tres tantùm vigilias noctis agnoſcunt, nam hoc apud eos tritum, אשמורת שליש הא של לילה, *Vigilia eſt tertia pars noctis.* Sic Gloſſa in locum modò citatum: vide etiam Commentatores *Hebræos* in *Judic.* 7:19. Non, quòd non noctem in quatuor partes diviſerint, ſed quòd quartam partem, aut vigiliam, non tam pro nocturna, quàm pro matutina æſtimârint; ſic *Marc.* 13:35. ſpatium illud poſt Gallicinium, πρωῒ eſt: vide etiam *Exod.* 14:24. Erant ergò reverà quatuor noctis vigiliæ, at tres tantùm profundæ noctis. Cùm ergò dicatur *Gedeonem Midjanitas* invaſiſſe *vigiliâ noctis mediâ*, Jud. 7:19. intelligendum eſt de vigilia iſta, quæ erat quidem totius noctis ſecunda, at profundæ noctis media; à finita ſcilicet vigilia prima ad mediam noctem.

CAP. XV.

CAP. XV. VERS. 2.

VERS. 2. Παραβαίνουσι τὴν παράδοσιν τῶν πρεσβυτέρων;

QUanto pretio Traditiones ſuas æſtimârint etiam præ Verbo Divino, ſatis patet ex hoc ipſo loco, verſu ſexto. Ex infinitis exemplis, quæ in ipſorum ſcriptis occurrunt, nos unum tantùm locum proferemus.

Hieroſ. Beracoth, fol. 3. 2. חביבים דברי סופרים מדברי תורה, *Amabilia ſunt verba Scribarum præ verbis Legis: nam verba Legis ſunt gravia & levia; at verba Scribarum ſunt omnia levia.*

Qui dixerit, Non eſſe Phylacteria, transgrediens verba Legis, reus non eſt; at qui dixerit, Quinque eſſe Totaphoth, addens ad verba Scribarum, hic reus eſt.

חמורים דברי זקנים מדברי נביאים: *Graviora ſunt verba* Πρεσβυτέρων, *quàm verba Prophetarum.*

Propheta & Πρεσβύτερος *cui aſſimilantur? Regi mittenti duos è familiaribus ſuis in provinciam. De uno ſic ſcribit, Niſi hic vobis oſtendat ſigillum meum, nè ei credite: de altero ſic, Quamvis hic ſigillum meum non oſtendat, ei tamen credite. Sic de Propheta ſcribitur, Oſtendet tibi ſignum aut miraculum: at de Senioribus ſic, Secundùm Legem, quam te docebunt*, &c. Sed blaſphemiarum ſatis.

Οὐ γὰρ νίπτονται τὰς χεῖρας αὐτῶν, &c.

In *Babyl. Beracoth*, fol. 46. 2. refertur, vilipenſionem lotionis manuum ex iis rebus eſſe, pro quibus Synhedrium excommunicat: excommunicatumque ideò ab eo fuiſſe *R. Eleazarum ben Hazar*, שפקפק בנטילת ידים, *quod vilifaceret lotionem manuum:* cùmque mortuus eſſet, jubente Synhedrio, lapidem magnum impoſitum fuiſſe ejus feretro. *Unde diſcas, inquiunt, Synhedrium lapidare loculum feretralem uniuſcujuſque ex-*

com-

CAP. XV. VERS. 2.

communicati, qui moritur in excommunicatione ſua.

Juſti voluminis eſt, & non commentarioli, aut calami currentis, myſterium hoc *Phariſaiſmi* de lotione manuum patefacere, atque in apicibus omnibus ſuis enucleare. Hæc pauca ex infinitis decerpamus.

I. נטילת ידים וטבילהן מדברי סופרים, *Lotio manuum, atque earum immerſio, inſtituta eſt ex verbis Scribarum, Maimon.* in *Mikvaoth*, cap. 11. aſt à quibus, & quando, ambigitur. Aſcribunt nonnulli ritûs hujus inſtitutionem *Hilleli* & *Shammæo*, alii ad ſecula reducunt altiora. *Hieroſ. Schabb.* fol. 3. 4. *Hillel & Shammai decreverunt de munditia manuum. R. Joſi ben Rabbi Bon nomine R. Levi dicit, Anteà exhibita erat iſta Traditio; ſed ipſorum exciderat memoriâ: proſtant hi ſecundi, & ſtatuunt ſecundùm mentem priorum.*

II. *Maimon.* in טומאת אוכלין, cap. 16. *Quamvis permiſſum ſit edere edulia immunda, & bibere poculenta immunda; religioſi tamen antiqui comederunt communem victum ſuum in munditia, & caverunt ſibi ab immunditia omnibus diebus ſuis, atque illi vocabantur Phariſæi. Atque res hæc eſt ſummæ ſanctitatis, & via ſummæ religionis, ut ſe ſcilicet homo ſegreget & ſeparet à vulgo, utque eos nec tangat, nec cum iis comedat, nec bibat, nam ſeparatio talis inducit in puritatem corporis ab operibus malis*, &c. Hinc definitio *Phariſæi*, quam adduximus anteà, פרושין אוכלין חולין בטהרה, *Phariſæi comedunt victum ſuum communem in munditia*: & ſcala cœli *Phariſaica*. *Hieroſ.* ubi antè. *Quicunque ſedem ſuam habet in terra Iſraëlitica, & cibum ſuum communem manducat in munditia, & linguâ loquitur ſanctâ, & manè & veſpere recitat Phylacteria; confidat ille ſe vitam adepturum mundi futuri.*

III. Obſervanda eſt hìc diſtinctio inter מאכלות אסורות, *Edulia prohibita*, & אוכלין טמאין, *Edulia immunda*: de utriſque *Maimonides* ſcripſit proprium Tractatum. *Edulia prohibita*, qualia erant adeps, ſanguis, animalia eſui illicita, *Levit.* 11. nullo modo erant manducanda; aſt *edulia immunda* in ſeipſis eſui licita quidem erant; aſt immunditiam aliquam aliunde contraxerant; edere licuit & non licuit; aut, ut quod res eſt loquamur, per legem Dei licuit, ſed per Canones *Phariſaiſmi* non licuit.

IV. Obſervanda etiam eſt diſtinctio intèr טמא, *Immundum*, & פסול, *profanum*, vel *pollutum*. Declaret eam *Rambam* in præfatione ſua ad *Toharoth*. פסול ענינו שלא יטמא זולתו, *Profanum*, vel *pollutum*, *illud denotat, quòd aliud præter ſe non polluit. Nam res quævis, in quam invaſit immunditia, ità ut ea ipſa ſit immunda, aliud autem non reddat immundum, vocatur* פסול. *Atque hinc dicitur de quovis comedente edulia immunda, aut bibente poculenta immunda*, נפסלה גויתו, *quòd corpus ejus polluitur, aſt aliud non polluit.* Nota illud, *Corpus comedentis polluitur à cibis immundis.* Cui & illud addas quod ſequitur in eodem *Maimonide*, loco anteà allegato. *Separatio à vulgo*, &c. *inducit in puritatem corporis ab operibus malis: puritas corporis inducit in ſanctitatem animæ ab affectibus malis: ſanctitas animæ inducit in ſimilitudinem Dei; ſicut dicitur, Et ſanctificabimini, & ſancti eritis, quia ego Jehovah, ſanctificans vos, ſum ſanctus.* Hinc clariùs percipias vim confutationis à *Chriſto* exhibitæ verſibus 17, 18, 19, 20.

V. Pollui cibum mundum arbitrati ſunt à manibus immundis, polluique manus à cibis immundis. Mireris hanc Traditionem. *Cibi immundi, & potus immundus, non polluunt hominem, ſi ea non tangat: at verò ſi manibus ea tangat, tunc manus fiunt immundæ: ſi manibus ambabus contrectet, ambæ manus polluuntur; ſi manu unâ tantùm ea tangat, una tantùm polluitur. Ramb.* ubi antè.

VI. Incubuit ergò cura *Phariſaiſmo*, ut cibi apponerentur, quantum fieri potuit, ab immunditia immunes & remoti: præſertim verò, cùm de hoc ſemper ſecuri eſſe non poſſent, ut ſecuri eſſent, nè à manibus ſuis cibi redderentur immundi. Hinc earum lotiones, non ſolùm cùm immundas eas eſſe ſcirent, ſed etiam cùm non ſcirent.

Rambam in præfatione ad Tractatum ידים: *Si immundæ ſunt manus quâvis immunditiâ, quæ manus reddit immundas: aut ſi hominem lateat, iſque ignoret quod polluatur, tamen tenetur ad lavandum manus, ad comeſtionem victûs communis*, &c.

VII. Ad rigidiſſimos de hac re Canones addiderunt etiam larvas & terriculamenta.

Babyl. Taanith, fol. 20. 2. מילתא דשיבתא הוה, *Res Shibtæ fuit.* Ubi Gloſſa, *Shibta ex dæmonibus eſt, qui iis nocent, qui non lavant manus ante cibum.* Aruch, *Shibta eſt ſpiritus malus, qui manibus hominum inſidet noctu: & ſi quis cibum ſuum tangat illotis manibus, cibo iſti inſidet iſte ſpiritus, & ab eo eſt periculum.*

Hæc in tranſcurſu: infinitum eſſet omnia de hoc ritu & ſuperſtitione proſequi. De quantitate aquæ ad hanc lotionem ſufficienti, de manuum lotione & merſione, de aqua prima & ſecunda, de modo lotionis, de tempore, de ordine cùm numerus accumbentium excederet quinque, vel non excederet, aliiſque hujuſmodi apicibus, lege, ſi vacat, & ſi per tædium & nauſeam potes, Tractatum *Talmudicum* ידים, *Maimonidem* in מקוואות, *Babyl. Beracoth*, fol. 46. 2. &c. Et intertexitur

Digitized by Google

tur quidem hic articulus per totum volumen טהרות.

Finiatur hæc diſſertatio hoc Canone, *Hieroſ. Challah*, fol. 58. 3. *Ad placentam, & ad manûs lotionem, ambulet homo uſque ad quatuor milliaria.*

VERS. 5. Δῶρον, ὃ ἐὰν ἐξ ἐμοῦ ὠφεληθῇς, &c.

I. Præter legem à *Chriſto* allegatam, *Honora patrem & matrem*, &c. hoc etiam pro jure agnoverunt, בן מאכיל אביו ומשקה מלביש ומכסה מוציא ומכניס ומרחץ פניו ידיו ורגליו, *Filius tenetur ad cibandum patrem, ad potandum, veſtiendum, tegendum, inducendum & educendum, & ad lavandum ejus faciem, manus, & pedes. Toſaphta* in *Kiddushin*, cap. 1. Imò altius illud eſt, quod aſſeritur, *Hieroſ. Kiddushin*, fol. 61.2,3. *Tenetur filius patrem nutrire, imò pro eo mendicare.* Non mirum eſt ergò, ſi non in Pandecto *Judaico* inveniantur verbatim hæc, quæ dicuntur à *Salvatore*: nam non tam ideò ab eo allegantur, ut oſtendatur, directam eorum fuiſſe machinationem, ut reverentiam ac amorem omnem erga parentes abdicarent, quàm ut demonſtretur, quàm impiæ fuerint eorum Traditiones, ac in quàm nefandas conſequentias ſæpe prolaberentur. Directè parentum alimoniam non negârunt, imò præſcripſerunt, præceperunt, hortati ſunt; at conſequenter per hanc Traditionem omnia iſta fruſtranea fecerunt. Vilipendendum quidem patrem præ Rabbino Legem eos docente, palàm docent: *Maimon.* in *Gezelah*, cap. 12. at negligendos parentes nequaquam aſſerunt aperte; aſt apertiſſimè per conſequentiam ex ſtolida atque impia hac Traditione deductam.

II. In clauſulam hanc (Δῶρον, vel ut *Marcus*, Κορβᾶν) ὃ ἐὰν ἐξ ἐμοῦ ὠφεληθῇς) promptè commenteris, perlectis Tractatibus *Talmudicis Nedarim* & *Nazir*, ubi agitur de votis aut juramentis; votumque aut jurandi formulam fatur Phraſiologia, quæ ſub manibus.

1. Vota in duas claſſes fuerunt diſtincta, נדרי הקדש, & נדרי איסור, *vota conſecrationis*, & *vota obligationis*, vel *probibitionis*. נדר הקדש, *Votum conſecrationis* fuit, cùm aliquid devoveretur in uſus ſacros, altaris ſcilicet, aut Templi: veluti cùm quis voto hoc vel illud dicaret in ſacrificium, vel ad coëmendum lignum, ſalem, vinum, &c. pro altari: vel לבדק הבית, in reparationem Templi, &c. נדר איסור, *Votum obligationis*, vel *probibitionis*, fuit, cùm ſe quis voto obſtringeret ab hoc vel illo, quod in ſe erat licitum, veluti, ſe hoc vel illud non comeſturum, non induturum, non facturum, &c.

2. Hoc iis pro noto Axiomate, כל כינויי נדרים כנדרים, *Omnia Epitheta votorum ſunt ſicut ipſa vota. Nedarim*, cap. 1. halac. 1. Formulas quaſdam breves adhibuerunt, quibus votum ſignificârunt, quæque vim voti ſecum reportârunt, ac ſi periphraſi largiori res enuntiaretur. Exempli gratiâ, האומר לחבירו קונם קונח קונס הרי אלו כינויין לקרבן, *Si quis proximo ſuo diceret Konem, Konah, Kones, Ecce, hæc ſunt epitheta rei devotæ in uſus ſacros.* Ibid. halac. 3.

Vocem קונם ſic explicat *Rambam* in *Babyl. Beracoth*, fol. 51. 1. בהקדש יהא עלי, *Sit ſuper me ſicut res ſacrata.* Sic etiam, *R. Niſſim* in *Nedarim*, cap. 1. קונם קונח הרי לשון הקדש הוא, *Konem, Koneh, ſunt vocabula ſacrationis.*

Adduximus antea, ad Capitis quinti verſum trigeſimum tertium, formulas quaſdam juramentorum, quæ aſſertivæ tantùm erant: hæ ſub manibus ſunt etiam votivæ. Loco jam ex *Beracoth* adducto, dicit quidam, קונם היין שאני טועם שהיין קשה לבני מעים, *Konem ſit vinum, quod ego guſtavero, nam vinum durum eſt viſceribus*: id eſt, Sit vinum, quod ego guſto, ſicut vinum ſacratum: ac ſi dixiſſet, Voveo me non guſtaturum vinum. *Quibus reſponſum eſt ab aliis, Nonne vinum vetus prodeſt viſceribus? Tunc ille tacuit.*

III. At præ omnibus votorum iſtiuſmodi formulis planiſſima eſt vox קרבן, Κορβᾶν, quæ apertè rem ſacratam atque uſui ſacro dicatam effatur. Obſervabitque Tractatuum iſtorum Lector, de quibus mentionem fecimus, frequentiſſimè occurrere has formulas: קרבן שאני נהנה לך, & קונם שאני נהנה לך, quæ ipſiſſimum idem ſonant, niſi ego plurimùm fallar, cum verbis ſub manibus, Κορβᾶν, vel Δῶρον, ὃ ἐὰν ἐξ ἐμοῦ ὠφεληθῇς.

Quæ verba ut clariùs intelligantur, atque ut eruatur planus plenuſque loci ſenſus; hæc animadvertenda.

I. Vocem Δῶρον reddendam potiùs *Donum ſit*, quàm *Donum eſt*: Nam קרבן & קונם, ut notavimus, non היה כהקדש, *ſicut ſacratum eſt* denotarunt, ſed יהא כהקדש, *ſicut ſacratum ſit.* Atque is, de quo anteà mentionem habuimus, qui dixit קונם היין שאני טועם: non hoc ſibi voluit, *ſicut ſacratum eſt vinum quod ego guſtabo*; ſed *ſicut ſacratum ſit vinum quodcunque ego guſtavero*: id eſt, quod ad me attinet, ſit omne vinum ſacratum, & non guſtandum.

II. Hæc loquendi formula, קרבן שאני נהנה לך. Δῶρον, ὃ ἐὰν ἐξ ἐμοῦ ὠφεληθῇς, nec eum arguit, qui ſic locutus eſt, ſua in uſus ſacros dicâſſe, nec eum (ſecundùm doctri-

Digitized by Google

CAP. XV. VERS. 11, 20.

doctrinam Scribarum) ad ea ſacranda obligavit, ſed ab iſta re ſolùm obligando cohibuit, cui negandæ tali formulâ eſt uſus, id eſt, ab eum ſuis facultatibus juvando, cui ſic dixit: Aliis prodeſſe ex opibus ſuis potuit, iſti non potuit.

III. Inducuntur verba, quaſi prolata cum indignatione: ac ſi, cùm a filio alimoniam poſceret egenus pater, reſponderet ille iracundus & cum contemptu, *Sicut res ſacrata ſit, quodcunque meum tibi prodeſſe poſſit.* Res autem ſacratæ non erant in uſus communes erogandæ.

IV. *Chriſtus*, non ſolùm legem citat, *Honora patrem & matrem*; ſed & hoc quoque addit, Ὁ κακολογῶν πατέρα, ἢ μητέρα. Jam verò, nulla erat hic omninò κακολογία, ſi filius verè & modeſtè, & ut res fuit, enuntiavit, nempe ſacrata antea fuiſſe ſua omnia.

V. Quamvis ergò dicta fuerint hæc à filio irreverenter, indignabundè, atque inhumanè erga patrem, ea tamen erat doctrinæ Traditionalis hac in cauſa ſtoliditas ſimul atque impietas, quæ obligatum adeò per hæc ſua verba pronuntiaret filium, ut patri indigenti nequaquam licuerit ſuccurrere. Ad dicanda ſua in ſacros uſus per hæc verba nullatenus tenebatur, ad non juvandum patrem tenebatur inviolabiliter. O egregiam doctrinam & charitatem!

VI. Verba commatis ergò ſic reddi poſſunt, abſque ulla interjecta additione, quam apponunt interpretes plerique. *Quicunque dixerit patri aut matri, Donum* (ſacratum) *ſit, quocunque poſſis a me juvari: tunc nequaquam honoret patrem ſuum aut matrem ſuam.*

VERS. 11. Κοινοῖ τὸν ἄνθρωπον.

Sic reddi videtur vox פוסל, idiotiſmo, ut ita dicam, *Phariſaïco:* quia illi homines pollutos pro hominibus communibus aut vulgaribus æſtimârunt: è contrà, vir religioſus apud eos eſt יחיד, *vir ſingularis*. In *Act.* 10:14. κοινὸν ἢ ἀκάθαρτον idem ſonare videntur, quod פסול או טמא, *Talmudicis.*

VERS. 20. Ἀνίπτοις χερσί.

Non dicit *impuris* manibus, ſed *illotis:* quia, ut diximus antè, ad lavandum tenebantur, quamvis conſcii non forent manus fuiſſe immundas. *Marco* eſt κοιναῖς χερσί, *Marc.* 7:2. quæ quidem *Talmudicis* videntur vocari *impuræ* manus, ob meram abſentiam lotionis. Judica ex illo, quod dicitur in *Challah*, cap. 2. hal. 2. *Ex maſſa, quam depſunt ſucco fructuum, debetur placenta,* ונאכלת בידים מסואבות, *& comeditur manibus immundis.*

Pars II.

CAP. XV. VERS. 22, 26.

VERS. 22. Γυνὴ Χαναναία.

Marco Ἑλληνὶς Συροφοίνισσα τῷ γένει, Cap. 7:26.

I. Χαναναία.] Obſervatione dignum eſt, ſacram paginam ז' אומות *ſeptem iſtas gentes*, quæ perdendæ erant ab *Iſraelitis*, numerantem *Perizzæos* nominare, qui non omninò recitantur inter filios *Canaanis*, Gen. 10. & *Canaanæos* ſpeciatim, cùm omnes ſeptem eſſent quidem *Canaanææ*. vide *Deuter.* 7:1. *Joſ.* 9:1. & 11:3. *Judic.* 3:5, &c.

Ratio poſterioris [quo cum nobis res eſt] indè petenda eſt, quòd *Canaan* ipſe peculiarem partem terræ iſtius (Septentrionalem ſcilicet) habitaverit cum primogenitis ſuis *Sidone* & *Heth*. Atque indè ſpeciali iſti progeniei nomen *Canaanæorum* inditum fuit, ab aliis omnibus filiis ſuis diſtinctum; regioque iſta peculiari nomine *Canaan* vocata, diſtinctivè à reliqua terra *Canaanitide*. Hinc *Jabin rex Hazor* vocatur *rex Canaan*, Judic. 4:2. & reges (ni ego fallar) *Tyri* & *Sydonis* vocantur *Reges Hittæorum*, *I Regum* 10:22.

II. Ἑλληνὶς Συροφοίνισσα.] Quamvis diutiſſimè ſuccubuerat jam *Judæa*, & totus ferè mundus, ſub jugo *Romanorum*, non adhuc tamen evanuerat memoria regni *Syro-Græci*, nomenque gentis. Et notatu dignum eſt illud, quod dicitur in *Babyl. Avodah Zarah*, fol. 10. 1. בגולה אין מונין אלא למלכי יונים, *In captivitate non computant annos niſi a regno Græcorum.* Dixerunt antè, fol. 8. 2. *Romanos, per centum & octoginta annos, Judæis imperâſſe, ante exciſum Templum*; & tamen tempora, ad iſtud excidium, non ſupputant per annos *Romanorum*, ſed per annos *Græcorum*. Penſitent hoc bene ipſi *Judæi*, iique cum illis *Chriſtiani*, qui *Romanam* pro quarta Monarchia habent apud *Danielem*.

Mulier ergò iſta, de qua hîc agitur, ut omnia in compendium compingamus, fuit *Syro-Græca* gente, *Phœniſſa* habitatione, atque indè *Canaanæa* nomenclaturâ.

VERS. 26. Τοῖς κυναρίοις.

Hoc titulo, ex virulentia & contemptu, *Judæi* Gentiles dedecorârunt, quibus nihil priùs, quàm omnes præter ſeipſos odio, ludibrio, maledictioni habere. *Midr. Till.* fol. 6. 3. אומות עולם נמשלו ככלבים, *Nationes mundi* [id eſt, *Ethnici*] *aſſimilantur canibus.*

Ex communi gentis loquela potiùs, quàm ex ſenſu ſuo, Phraſiologiâ hâc utitur *Salvator*, cui *Gentiles* non tam exoſi, & cui in more fuit loqui cum vulgo.

Tt Reci-

Digitized by Google

CAP. XV. VERS. 36.

Recidit tandem in propria capita ſaxum hoc nominis ignominioſi, in *Ethnicos* jactum, idque dirigente manu & juſtitiâ divinâ. Nam, quamvis illi ex ſuperbia & contemptu opprobrium illud *Gentilibus* impegerint, ſummo tamen eorum demerito in ipſos realliſum eſt à Spiritu Sancto. Vide *Pſalm.* 59:6. *Philipp.* 3:2. *Apoc.* 22:15, &c.

VERS. 36. Εὐχαριστήσας ἔκλασε.

Vide hîc *Beracoth*, cap. 7. ubi agitur de modo gratiarum actionis, cùm plures conveſcuntur. שלשה שאכלו חייבי לזמן, *Tres qui conveſcuntur debent junctim gratias agere*; hoc eſt, unus pro reliquis gratias egit [ut Gloſſa] *numero plurali, dicendo Benedicamus*. Sic cùm decem eſſent, aut centum, aut mille, aut plures, unus pro omnibus gratias egit, atque illi poſt eum reſponderunt *Amen*, aut verba quædam, quæ ipſe recitaverat. Vide halac. 3.

CAP. XVI.

VERS. 3. Διακρίνειν τὰ σημεῖα τῶν καιρῶν οὐ δύνασθε;

CUrioſi admodùm erant *Judæi* in obſervandis tempeſtatibus cœli, & temperamento aëris.

Babyl. Joma, fol 21.2. *In exitu diei ultimi feſti Tabernaculorum omnes obſervârunt aſcenſum fumi. Si fumus inclinaret Septentrionem versùs, pauperes gaviſi ſunt, at ditiores dolore ſunt affecti; quia pluviæ anni ſequentis multæ futuræ erant, fructuſque corrumpendi: ſi Auſtrum versùs inclinaret, pauperes contriſtati ſunt, & ditiores lætati; nam tum pluviæ anni futuræ erant rariores, & fructus immarcidi: ſi Orientem versùs, omnes gaviſi ſunt: ſi Occaſum versùs, omnes ſunt contriſtati.* Gloſſa, *Hoc obſervârunt die ultimo feſti Tabernaculorum, quia die præcedente conſignatum eſt decretum judicii eorum de pluviis iſtius anni, ſicut traditur, In feſto Tabernaculorum judicatum eſt de iis, quoad pluvias.*

Hieroſ. Taanith, fol. 65.2. *R. Acha dixit, Si fuiſſet Sapiens quis in Zippore, cùm deſcenderet pluvia prima, ex ipſo pulveris odore prædicere poterat humiditatem anni*, &c.

At cœcutierunt ad ſigna temporum, id eſt, ad ſigna iſta inſignia, quæ plano quaſi digito & viſibili ſatis indicio demonſtrant, adeſſe jam tempora iſta, prædictionis atque exſpectationis, dies *Meſſiæ*. Ac ſi dixiſſet, Nonne dijudicare poteſtis, inquit, adveniſſe jam tempora *Meſſiæ* ex ſignis iſtis, quæ planè hoc enuntiant? Nonne obſervatis expirantes jam Hebdomadas *Danielis*? Nonne vos ſub jugo, de quo excutiendo, nec ſpes omninò, nec exſpectatio? Nonne dilapſam in omnimodam nequitiam gentem? Nonne edita à me miracula, qualia nec antea viſa nec audita? Nonne confluentem, ad miraculum uſque, infinitam multitudinem ad profeſſionem Euangelii: atque excitatos omnium animos in præſentem exſpectationem *Meſſiæ*? Stupenda cœcitas, voluntaria pariter ac cœlitùs immiſſa: peccatum ſimul & pœna. Omnia, quæ *Meſſiam* demonſtrare ac judicare poſſunt, vident; at nolunt videre.

CAP. XVI. VERS. 6, 13.

VERS. 6. Προσέχετε ἀπὸ τῆς ζύμης τῶν Φαρισαίων, &c.

Duo videntur fuiſſe præſertim, quæ Diſcipulos in erroneam horum verborum interpretationem adegerint, ità ut de fermento propriè dicto intellexerint.

I. Quòd rariùs *Fermentum* de doctrina adhibitum audiiſſent. Frequens certè ejus apud eos fuit uſus Metaphoricus, ſenſu malo, de affectibus ſcilicet malis, & cordis pravitate; at rarior, ſi ullus omninò, de prava doctrina.

Babyl. Berat. fol. 17.1. Sic quidam orat: *Domine ſeculorum, Revelatum, & notum coram facie tua eſt, nos voluntatem tuam facere velle; aſt illud quod impedit tu ſubde.* שאור שבעיסה ושעבוד מלכיות, *Fermentum ſcilicet, quod eſt in maſſa, & tyrannidem regnorum*, [Ethnicorum.] Ubi Gloſſa, *Fermentum quod in maſſa ſunt pravi affectus, qui in cordibus noſtris nos fermentant.*

Idem, *Roſh haſhanah*, fol. 3.2. כורש החמיץ, *Cyrus fermentatus eſt*, id eſt, deterioratus, vel in pejus evaſit. Adhibetur aliquando in meliorem ſenſum, *Dicunt Rabbini, Beatus eſt ille judex, qui fermentat judicium ſuum. Kimch.* in *Eſaj.* 1:17. at hoc non de doctrina intelligendum, ſed de deliberatione in judicio.

II. Quòd curioſè admodùm caveretur à Canonibus *Phariſaicis*, quo fermento utendum, quo non; ſparſim occurrunt diſputationes, an utendum fermento *Ethnico*? an *Cuthæo*? &c. Vide *Hieroſ. Schabb.* fol. 3.3. &c. quâ cautelâ & *Chriſtum* ipſos de fermento *Phariſæorum* inſtruxiſſe arbitrati ſunt Diſcipuli; at tacitam ſimul correptionem ſunt ſuſpicati, de non adductis panibus.

VERS. 13. Τίνα με λέγουσιν οἱ ἄνθρωποι εἶναι, τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου;

I. Phraſiologia iſta, vel titulus, *Filius hominis*, quo ſeipſum frequentiſſimè inſignit *Chriſtus*, nec humanitatem ejus ſolùm denotat,

CAP. XVI. VERS. 13, 14.

tat, nec humilitatem, [nam vide illud *Joann.* 5:27. Autoritatem ei dedit judicium exſequendi, *quia eſt Filius hominis*,] ſed *ſemen Adamo promiſſum* enuntiat, *Adamum ſecundum:* duplicisque apud *Judæos* ignorantiæ atque erroris confutationem tacitam ſecum portavit. I. Non nôrunt quid de origine *Meſſiæ* ſtatuerent, & qualiter ille oriundus, an è vivis futurus, ut notavimus antè, ignoto originis modo, an è mortuis. Nodum hunc ſolvit hæc Phraſis, palamque docet, eum, ſemen homini primo promiſſum, è mulieris ſemine oriundum naſcendumque. II. Victorias *Meſſiæ* terreſtres, & ſubjugandas ab eo gentes ſomniabant: at mentes eorum reducit hic titulus *Filius hominis* ad primam promiſſionem, ubi victoria ſeminis promiſſi eſt contritio capitis ſerpentis, non ſubjugatio gentium triumpho aliquo bellico, & terreno.

II. Incertæ & vagæ ergò cùm fuerint *Judæorum* opiniones de perſona *Meſſiæ*, qualisnam ſcilicet is futurus; quærit *Chriſtus*, non tam an *Meſſiam* illum agnoſcerent, quam *Meſſiam* agnoſcentes, qualemnam eum conciperent. Agnoverunt eum *Meſſiam* Apoſtoli, aliique quos congregaverat Diſcipuli, qui quamplurimi: imò hoc confeſſi fuerant iſti cœci Capitis noni verſu viceſimo ſeptimo. Supervacua ergò fuiſſet iſta quæſtio quoad iſtos, *Num me putant eſſe Meſſiam?* at neceſſaria iſta, *Quidnam concipiunt de me Meſſia?* Et huc reſpicit reſponſum *Petri*, *Tu es Chriſtus, filius Dei viventis:* quaſi dicat, Sat novimus jam pridem te eſſe *Meſſiam*; at quod ad quæſtionem tuam, *Qualiſnam tu*, dico ego te eſſe *Filium Dei viventis*. Vide quæ notamus ad Capitis viceſimi ſeptimi verſum quinquageſimum quartum.

Vox ergo *τίνα* non tam de perſona hîc quærit, quam de qualitate perſonæ: quo ſenſu & vox מי in verbis iſtis, 1 *Sam.* 17:55. בן מי זה, Non, *Filius cujus*, ſed *Filius qualis viri*, hic juvenis?

VERS. 14. Ἕτεροι δὲ Ἱερεμίαν.

Rationem cur *Jeremiam* ſolùm ex omnibus Prophetis nominent, reddimus ad Capitis viceſimi ſeptimi verſum nonum. Obſervas ad memoriam mortuorum hîc recurſum, è quibus oriturum *Meſſiam*, potius quam è vivis, inter alia forſan hæc ratio ſuaſit, quòd minime tunc dierum exſpectari poſſet ea pietas in aliquo vivente, qualis eluxerat in iſtis mortuis. [Quidam è *Gemariſtis Babylonicis Danielem*, è mortuis reſuſcitatum, *Meſſiam* futurum ſuſpicatur.] Suaſitque hoc forſan ulterius, quòd *Regnum Meſſiæ* à reſurrectione exorſurum exiſtimarent: quod opinantibus propinquum erat, ipſum *Meſſiam* nobiliorem aliquem è Sanctis mortuis fuiſſe opinari, ipſumque reſurgentem reliquos ſecum adducturum.

CAP. XVI. VERS. 17, 18.

VERS. 17. Σὰρξ καὶ αἷμα.

Infinitâ frequentiâ hanc formulam loquendi adhibent Scriptores *Judaici*, eâque homines Deo opponunt.

Babyl. Beracoth, fol. 28. 2. *Si me adducturi eſſent* לפני מלך בשר ודם, *Coram Rege carnis & ſanguinis*, &c. *At me adducturi ſunt coram Rege Regum.*

Tanchum, fol. 12. 4. *Rex carnis & ſanguinis format imaginem ſuam in tabula*, &c. *Sanctus Benedictus ſuam*, &c. Occurrit Phraſiologia hæc quinquies in una iſta columna.

Idem, fol. 18. 3. לא כמדרת ה'קבה מדרה בשר ודם, *Deus Sanctus Benedictus non agit, prout agit caro & ſanguis*, &c. *Caro & ſanguis unâ re vulnerant, aliâ ſanant: at Sanctus Benedictus unâ eademque re vulnerat, & ſanat. Joſephus venditus propter inſomnia, & promotus eſt propter inſomnia*, &c.

VERS. 18. Σὺ εἶ Πέτρος, &c.

I. Nihil vel in ratione, vel gentis Dialecto, prohibet, quò minùs *Salvatorem* ipſiſſimâ hâc *Græcâ* dictione uſum arbitremur; cùm iſtiusmodi *Græcizationes* tunc temporis apud Gentem iſtam non fuerint inſolitæ. At eſto (quod magis abſque controverſia aſſeritur) *Syriacâ* eum voce uſum fuiſſe; nego tamen ipſiſſimâ eâdem כיפא hîc uſum, quâ illico: aſt eam vel, more *Græco*, *Cephas* enuntiâſſe; vel, *Syriacâ* formatione, in adjectivo ſenſu protuliſſe כפאי. Nam quînam, quæſo, à Diſcipulis, vel à *Petro* ipſo intelligi potuit, ſi utrobique dictionem eandem retinuiſſet אנת כיפא *Tu Petra*, ועל כיפא *Et ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam?* Promptè reſpondetur à Pontificiis, *Petrum eſſe Petram.* At dicant tandem cur eâdem voce non uſus *Matthæus Græcè*, ſi eâdem uſus *Salvator Syriacè*. Si ædificandam Eccleſiam ſuper *Petrum* innuiſſet, planius & vulgari idiomati cognatius fuiſſet dixiſſe, Tu es *Petrus*, & ſuper *te* ædificabo Eccleſiam.

II. Verba de Petra, ſuper quam Eccleſia ædificanda, planè deſumuntur ab *Eſajæ* Cap. 28:16. quæ, interprete Novo Teſtamento locis quamplurimis, *Chriſtum* ſonant apertiſſimè. Cùm ergò *Petrus* primus omnium Diſcipulorum, jam ab ipſo prædicationis Euangelicæ initio, clariſſimè de perſona *Chriſti* pronuntiâſſet, myſteriumque incarnationis fuiſſet elocutus, Deitatemque *Chriſti* confeſſus, meritò ad iſta verba *Eſajæ* revocantur

CAP. XVI. VERS. 19.

cantur mentes Diſcipulorum, ut agnoſcere diſcant, quiſnam ille lapis poſitus in *Sione* pro fundamento in æternum non concutiendo; & unde iſtius fundamenti inconcuſſio, indè nempe, quòd ille non creatura, ſed ipſe Deus, filius Dei.

III. Cognomen ergò indè ſortitus eſt *Petrus*, non ut Petram illam eum eſſe indè argueretur; ſed quòd ei non minimum negotii eſſet in ædificatione iſta Eccleſiæ ſuper Petram, ſive iſtius è *Judæis* congregatæ, cujus ille præcipuus Miniſter; ſive iſtius *Gentilitiæ* (de qua præcipue hîc ſermo) ad quam introitum ille primus fecit Euangelio.

VERS. 19. *Καὶ δώσω σοι τὰς κλεῖς τῆς βασιλείας τῶν ὀυρανῶν.*

Id eſt, *Tu primus aperies oſtium fidei Gentibus.* Dixerat ædificaturam ſe Eccleſiam in æternum duraturam, in quam portæ inferorum nunquam prævalituræ, quæ prævaluerant in *Judaicam*; Tibique, inquit, ô *Petre*, dabo claves regni cœlorum, ut oſtium aperias introductioni Euangelii ad iſtam Eccleſiam. Quod à *Petro* præſtitum eſt in memorabili iſta hiſtoria de *Cornelio*, *Actor.* 10. Atque ad hæc verba *Chriſti* reſpexiſſe verba iſta *Petri* minimè dubito, *Actor.* 15:7. *Ἀφ' ἡμερῶν ἀρχαίων ὁ Θεὸς ἐν ἡμῖν ἐξελέξατο, διὰ τοῦ στόματός μου ἀκοῦσαι τὰ ἔθνη τὸν λόγον τοῦ Ἐυαγγελίου, καὶ πιστεῦσαι.*

Καὶ ὃ ἐὰν δήσῃς ἐπὶ τῆς γῆς, &c.
Καὶ ὃ ἐὰν λύσῃς ἐπὶ τῆς γῆς, &c.

I. Claves *Petro* ſoli commiſſas credimus; at poteſtatem ligandi & ſolvendi reliquis etiam Apoſtolis, Cap. 18: 18.

II. *Chriſtum* cum vulgo hîc loqui neceſſe eſt ut arbitremur, aut non intelligi poſſe abſque particulari commentario, qui nullibi adeſt.

III. Jam verò *ligare & ſolvere*, Phraſiologia in Scholis *Judaicis* uſitatiſſima, de rebus enuntiabatur, non de perſonis; quod & hîc etiam obſervandum in articulis ὃ & ὅσα, Cap. 18.

Myriada exemplorum adducere liceret ex ipſorum ſcriptis: nos duplicem *Decada* tantùm in medium proferemus: primam, unde frequens uſus hujuſmodi locutionis eluceat; ſecundam, unde ſenſus.

1. *Hieroſ. Jom Tobh*, fol. 60. 1. *R. Jochanan dixit*, (*Tiberienſibus*) *Quare hunc Seniorem ad me adduxiſtis?* דאנא שריהוא אסר ואסר והוא שרי, *Quodcunque ego ſolvo, ille ligat; quodcunque ego ligo, ille ſolvit.*

2. Idem ibid. fol. 60. 1. לא תאסיר ולא תשרי. *Nec liges, nec ſolvas.*

3. Idem ibid. fol. 63. 1. *Nachum frater R. Ille quæſivit à R. Jochanane de re quadam. Cui ille*, לא תאסר ולא תשרי. *Nec liges, nec ſolvas.*

4. *Babyl. Megillah*, fol. 26. 2. חד אסר וחד שרי. *Hic ligat, at ille ſolvit.*

5. *Hieroſ. Orlah*, fol. 61. 2. *R. Chaija dixit*, כל מה שאסרתי לך ממקום אחת הותרתי לך כאן. *Quodcunque ligavi tibi alibi, ſolvo tibi hîc.*

6. Idem *Schabb.* fol. 16. 4. & *Babyl. Avodah Zarah*, fol. 7. 1. שאל לחכם ואסר. *Quæſivit à Sapiente uno, & ille ligavit*: לא ישאל לחכם אחר שמא יתיר, *nè quærat à Sapiente alio, nè fortè ſolvat.*

7. *Demai*, cap. 6. halac. 11. & *Maimon.* in *Gezelah*, cap. 4. שה פה שאסר הוא הפה שהתיר, *Os quod ligat eſt os quod ſolvit.*

8. *Toſaphta* in *Jevamoth*, cap. 1. אף על פי שאלו אוסרין ואלו מתירין, *Quamvis è Shammæanis ac Hillelianis, hi ligarent, & illi ſolverent, non prohibiti tamen ſunt, quo minus purificationes facerent hi ſecundùm illos.*

9. Idem ibid. cap. 4. חכם שדן את הדין טמא וטיהר אסר והתיר, *Sapiens, qui judicat judicium, polluit & mundat*, [id eſt, pollutum declarat, aut mundum] *ſolvit & ligat*. Idem etiam apud *Maimon.* in *Mamrim*, cap. 1.

10. *Babyl. Berac.* fol. 23. 1. רבינא שרי רב אדא אסר, Num licet ingredi latrinam cum Phylacteriis ad mingendum tantùm? *Rabbena ſolvit, Rabh Ada ligat. Hieroſ. Horajoth*, fol. 48. 3. בעל אגדה שאינו לא אוסר ולא מתיר, *Doctor myſticus, qui nec ligat, nec ſolvit.*

Decas altera Phraſiologiam exhibebit rebus applicatam.

1. *Peſachin*, cap. 4. hal. 5. *In Judæa opera* [ſervilia] *fecerunt veſpere Paſchatis* (id eſt, die *Paſcha* præcedente) *uſque ad meridiem; at in Galilæa non. At quod ad noctem* בש״ אוסרין ובה״ מתירין עד הנץ החמה, *Schola Shammæana ligat; Schola Hilleliana ſolvit, uſque ad ortum Solis.*

2. Ibid. cap. 6. hal. 2. *Dies feſtus hoc docere poteſt*, שהתירו בו משום מלאכה, *In quo ſolverunt ex notione operis* (ſervilis) mactationem ſcilicet, & coctionem, &c. ut notat Gloſſa. ואסרו בו משום שבות, *At in quo ligarunt ex notione Sabbatiſmi*: id eſt, ut eadem Gloſſa, importationem cibi alicujus ab extra limites Sabbaticos.

3. *Hieroſ. Schabb.* fol. 4. 1. *Literas non mittunt per manus Ethnici, veſpere Sabbati, imò nec quinto die ſeptimanæ*: בש״ אוסרין אפילו ברביעי ובה״ מתירין, *Imò Schola Shammæana illud ligat, etiam quarto die Hebdomadæ: At Schola Hilleliana ſolvit.*

4. Idem

CAP. XVI. VERS. 19.

4. Idem ibid. *Navigationem non inchoant in mari magno, veſpere Sabbati, imò nec quinto die hebdomadæ.* בש" אוסרין אפילו ברביעי ובה" מתירין, *Imò Schola Shammæana illud ligat, etiam quarto die Hebdomadæ: at Schola Hilleliana ſolvit.*

5. Idem ibid. fol. 6. 1. *Lavantibus in thermis Sabbato,* אסרו להן רחיצה והתירו להן זיעה, *ligant lotionem, ſolvunt ſudationem.*

6. Idem ibid. fol. 7. 4. *Speculum inſpicere mulieribus Sabbato non licet, ſi modò parieti offigatur,* רבו מתיר וחכמים אוסרין, *ſed Rabbi ſolvit, at Sapientes ligarunt.*

7. Idem ibid. fol. 16. 2. *De motione vaſorum vacuorum* (Sabbato) *de quibus implendis nulla intentio,* בש" אוסרין ובה" מתירין, *Schola Shammæana ligat, Schola Hilleliana ſolvit.*

8. Idem *Jom Tobh*, fol. 61. 1. *De colligendis lignis die feſto, per agrum hinc indè ſparſis,* בש" אוסרין ובה" מתירין, *Schola Shammæana ligat, Schola Hilleliana ſolvit.*

9. *Babyl. Sanhedr.* fol. 100. 1. מעולם לא שרו לן עורבא ולא אסרו לן יונה, *Nunquam ſolverunt nobis corvum, nec ligarunt nobis columbam.*

10. *Trumah*, cap. 5. hal. 4. *Seah Trumæ immundæ incidit in centum Seas. Trumæ mundæ?* בש" אוסרים ובה" מתירין, *Schola Shammæana ligat, Schola Hilleliana ſolvit.* Infinita ſunt hujusmodi exempla.

Addatur & Decas tertia [nè quid non ſit in hac re dictum] partes Phraſiologiæ ſeparatim & diſtinctè exemplificans.

1. *Maimon. Mamrim*, cap. 2. דברים שלא אסרו אותן כדי לעשות סייג, *Res quas non ligarunt, ut facerent ſepem Legi.*

2. Idem in *Hamets & Matſah*, cap. 1. ספרים אסרוהו, *Scribæ fermentum ligarunt.*

3. Idem ibid. cap. 5. לא קנסו ואסרו אלא בחמץ עצמו, *Non mulctarunt & ligarunt niſi de fermento ipſo.*

4. Idem ibid. cap. 9. אסרו חכמים לאכל חמץ, *Ligarunt Sapientes comeſtionem fermenti, ab initio horæ ſextæ* (diei *Paſchatis*).

5. *Hieroſ. Avod. Zarah*, fol. 39. 2. *Dicit R. Abhu, Quæſivit à me R. Gamaliel ben Rabbi, Quid ſi eatur in forum?* ואסרתי לו, *Et ego illud ei ligavi.*

1. *Maimon. Mamrim*, cap. 2. בד" שהתיר שני דברים אל ימהר להתיר דבר שלישי, *Synhedrium, quod ſolvit duas res, nè feſtinet ſolvere tertiam.*

2. *Tanchum*, fol. 1. 3. *Dicit R. Jochanan,* מדוחק התירו שאלת שלום בשבת, *Neceſſariò ſolverunt ſalutationem Sabbato.*

3. Idem fol. 74. 3. חכמים מתירין הכל השמנים, *Sapientes ſolvunt omnia olea, vel omnia pinguia.*

4. *Schabb.* cap. 1. halac. 5. *Schola Shammæana dicit, Non macerant atramentum, colores, & vicias;* (veſpere Sabbati) *niſi ut macerentur ante diem finitum.* ובית הלל מתירין, *At Schola Hilleliana ſolvit.* Plura iſtiusmodi illic occurrunt.

5. *Hieroſ. Schabb.* fol. 3. 1. ר' מאיר התיר לטרוף, *R. Meir ſolvit mixtionem vini & olei, ad ungendum ægrotum Sabbato.*

His addi poſſet, ſi eſſet opus, frequens dicam, an infinitus? uſus Phraſium אסור ומותר, quæ centies millies occurrunt. Sed ſat ſuperque ex his allegatis videt Lector & frequentiam, & communem hujus Phraſiologiæ uſum, atque etiam ſenſum. Quòd ſcilicet, 1. Adhibeatur in doctrina & judiciis, de rebus licitis, aut non licitis in Lege: quodque 2. *Ligare* ſit idem ac *prohibere*, aut *prohibitum declarare*; & *ſolvere* idem ac *permittere*, aut *declarare licitum*. *Chriſtum*, communi Phraſiologiâ utentem, communi & vulgari ſenſu ab auditoribus intellectum, ridiculum dicam, an amentiæ eſſet, non opinari? Huc ergò recidunt hæc ejus verba.

Cùm jam adeſſet tempus, quo Lex *Moſaica*, ſecundùm aliquam ejus partem enervanda eſſet, & in deſuetudinem evaſura; ſecundùm aliam, in perpetuum continuanda & duratura: *Petro* hìc, reliquiſque Apoſtolis (Capite 18. verſu 18.) poteſtatem concedit, ut enervarent aut confirmarent quæ ſibi viſa forent, & prout ſibi viſum foret, Spiritu Sancto edoctis ad hoc, & manuductis: quaſi dicat, In Lege *Moſaica* quodcunque vos ligaveritis, id eſt, prohibueritis, prohibitum erit, ſanciente autoritate divina; & quodcunque ſolveritis, id eſt, permiſeritis, vel permiſſum & licitum docueritis, erit licitum & permiſſum.

Hinc ligarunt, id eſt, prohibuerunt, circumciſionem credentibus; comeſtionem Idolothytorum, ſuffocatorum & ſanguinis, pro tempore, *Gentilibus*; & quod ligarunt in terra, ſancitum eſt in cœlo. Solverunt, id eſt, permiſerunt, purificationem *Paulo*, quatuorque aliis fratribus, in fugam ſcandali, *Act.* 21: 24. Et, ut verbo omnia, his *Chriſti* verbis iis commiſſum eſt, dirigente Spiritu Sancto, ut de religione decernerent, quoad uſum, aut rejectionem rituum & judiciorum *Moſaicorum*, idque vel in tempus, vel in perpetuum.

Applicentur verba Paraphraſticè ad rem præſentem cum *Petro* tranſactam. Ædificaturus ſum, inquit *Chriſtus*, Eccleſiam *Gentilitiam*, tibique, ô *Petre*, do claves regni cœlorum, ut tu primus oſtium fidei iis aperias: ſi autem quæras, quânam normâ regulanda ſit iſta Eccleſia, cùm norma *Moſaica* iſti videri poſſit admodùm aliena; tu ità à Spiritu

CAP. XVII. VERS. 2.

ritu Sancto duceris; ut quodcunque legis *Moſaicæ* illis prohibueris erit prohibitum, quodcunque conceſſeris erit conceſſum, idque ſub ſanctione in cœlo.

Hinc in illo inſtante, cùm clavibus ſuis uſurus eſſet, id eſt, cùm jam aperiturus januam Euangelii *Gentilibus*, *Act.* 10. edocetur cœlitùs ſolutam jam eſſe conſociationem *Judæi* cum *Gentili*, quæ anteà fuerat ligata, & ſolutam jam etiam eſſe, quæ anteà fuerat ligata, comeſtionem animalis cujusvis, eſui convenientis: atque is pariter hæc duo ſolvit.

Verba iſta *Salvatoris*, Joann. 20: 23. *Quorum peccata remiſeritis remittuntur iis*, ut plurimùm in eundem ſenſum cum his ſub manibus coguntur; cùm longè alium ſecum ferant. Agitur hìc de doctrina ſolùm, non de perſonis; illìc de perſonis, non de doctrina: hìc de rebus licitis, aut non licitis in religione, determinandis ab Apoſtolis; illìc de perſonis obſtinatis, aut non obſtinatis, per eos puniendis, aut non puniendis.

Quoad doctrinam, dupliciter inſtructi ſunt Apoſtoli. I. Ad pedes Magiſtri tam diu ſedentes doctrinam imbiberant Euangelicam. II. Spiritu Sancto dirigente, de doctrina & praxi erant deciſuri legali: de utroque completè docti, atque habiles facti, deſcendente in eos Spiritu Sancto. Quoad perſonas ſuas, peculiari privilegio erant donati, ità ut, dirigente eodem Spiritu, ſi quorum vellent retinere peccata & punire, poteſtas in eorum manu fuit tradendi *Satanæ*, morbis, plagis, imò ipſa morte mulctandi: quod fecit *Petrus Ananiæ* & *Sapphiræ*; *Paulus Elymæ*, *Hymenæo* & *Phyleto*, &c.

CAP. XVII.

VERS. 2. Καὶ μετεμορφώθη.

CUm baptizaretur *Chriſtus*, Sacerdotium ſuum Euangelicum jam initurus, voce cœleſti obſignatur pro *ſummo Pontifice*, atque ungitur Spiritu Sancto, prout ſoliti ſunt *ſummi Pontifices* oleo ſancto.

In transfiguratione ſua obſignatur pro *ſummo Propheta*: nam adverte, I. Ut confluant ad eum duo maximi è Prophetis, *Moſes* & *Elias*. II. Ut addatur ad verba iſta, *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi complacui*, (quæ etiam ad Baptiſmum ejus è cœlo ſunt audita) clauſula iſta, *Hunc audite*; quàm confer cum verbis *Moſis* de Propheta, à Deo ſuſcitando, *Deut.* 18: 19. *Quicunque non auſcultaverit verbis meis, quæ ego in os ejus indam*, &c. III. Ut vox cœleſtis prodierit è nube eos obumbrante, cùm ad Baptiſmum ejus non apparuerit talis nubes. Hìc obſervatione dignum eſt, quod notant *Judæi* nonnulli, & ratio dictat, Diſceſſiſſe ſcilicet nubem gloriæ (*Iſraëlis* ductricem) ad mortem *Moſis*: nam, dum ille viveret, nubes iſta dux fuit populi in eremo; aſt, eo mortuo, Arca fœderis eum duxit. Prout ergò nubes iſta diſceſſit ad mortem *Moſis*, magni iſtius Prophetæ; ita nubes iſtiusmodi jam adeſt ad obſignationem Prophetæ maximi. IV. Eo ſplendore fulget *Chriſtus* hìc, imò majori quam *Moſes* & *Elias* jam glorificati; atque hoc & in honorem perſonæ ſuæ, & in honorem doctrinæ: quæ utræque infinitis paraſangis utraſque iſtorum anteierunt. Cùm faciem *Chriſti* transfigurati cum *Moſe* & *Elia* colloquentis tantâ coruſcantiâ fulgentem recognoſcis, agnoſce ſplendorem Euangelii præ nebuloſa obſcuritate Legis, & Prophetarum.

CAP. XVII. VERS. 4. 5.

VERS. 4. Ποιήσωμεν ὧδε τρεῖς σκηνάς, &c.

Transfiguratio *Chriſti* erat noctu: confer *Luc.* 9: 37. Oranti illi mutatur forma faciei & veſtium; atque accedunt *Moſes* & *Elias*, ac de ejus morte colloquuntur, (incertum quam diu) dum adhuc ſomno premerentur tres Diſcipuli præſentes. Expergefactis, oh, quale ſpectaculum! Expavefacti obſervant & contemplantur. Agnoſcunt Prophetas: quos jam diſcedentes retentos voluit *Petrus*, & ſcenam tam nobilem non diſſipandam, hoc proponens, *Faciamus tria tabernacula*, &c. Unde Prophetas dignoſceret, fruſtrà quæritur; quia nullibi invenitur: cognitos eos diſcedere illinc noluit, ſuavitate iſtiusmodi ſodalitii raptus, utcunque terrore gloriæ attonitus; atque hinc ejus verba, quæ loquens à *Luca* dicitur *non noſſe quid dixit*, à *Marco*, *non noſſe quid diceret*: quæ de applicatione verborum ejus malè locata intelligenda ſunt potiùs, quàm de ſenſu verborum. Novit ſatis ſe hæc verba dixiſſe, novitque bene qua ratione ea dixit, at *non novit tamen quid dixit*; id eſt, erravit longè hæc dicens, dum permanſuros atque habitaturos illìc unà *Chriſtum*, *Moſem*, ac *Eliam* terrenis tabernaculis crederet.

VERS. 5. Ἔτι αὐτοῦ λαλοῦντος, ἰδού, νεφέλη, &c.

Moſe & *Eliâ* terga dantibus, & è ſcena jam tum exeuntibus, verba ſua loquitur *Petrus*; atque, ipſo iſta loquente, cùm jam Prophetæ evanuiſſent, *Ecce*, *nubes*, &c. Mortem *Chriſto* ſuam prædicaſſent illi, (quale eſt præconium Legis & Prophetarum *Chriſtum* paſſurum, *Luc.* 24: 44.) Deitatem

ejus

Digitized by Google

ejus Diſcipulis prædicat, atque eum pro vero *Meſſia* obſignat vox cœleſtis. Vide 2 *Pet.* 1:16, 17.

VERS. 10. Τί οὖν οἱ Γραμματεῖς λέγουσιν, ὅτι Ἡλίαν δεῖ ἐλθεῖν πρῶτον;

I. De exſpectato adventu *Eliæ* infinitum eſſet omnia afferre quæ liceret ex ſcriptis *Judaicis:* nos pauca hæc, quaſi ἐν παρόδῳ, quæ ſatis vanam iſtam exſpectationem eloquuntur, ac fines etiam adventûs exſpectati.

1. Audiatur primus *David Kimchius* in verba iſta *Malachiæ*, *Ecce*, *ego mitto vobis Eliam Prophetam*! *Reſtituet*, inquit, *Deus animam Eliæ*, *quæ aſcendit olim in cælum*, *in corpus creatum inſtar corporis ejus prioris: nam corpus ejus primum ad terram rediit*, *cùm ille aſcenderet in cælum*, *unumquodque elementum in elementum ſuum. Cùm autem eum vivificaverit Deus in corpore*, *mittet eum ad Iſraëlem ante diem Judicii*, *qui eſt dies Domini magnus & terribilis: atque ille patres natosque admonebit ſimul*, *ut ad Deum convertantur*, *& qui convertentur liberabuntur à die Judicii*, &c. Adverte quò ſpectet oculus Diſcipulorum in quæſtione, quæ ſub manibus. Juſſerat *Chriſtus*, verſu præcedenti, *Nemini dixeritis viſionem*, [transfigurationis] *donec Filius hominis à mortuis reſurgat.* Jam verò, quamvis illi quid ſibi per reſurrectionem à mortuis vellet non intelligerent, [quod innuit *Marcus*] rotunde tamen hæc retorquent, *Quare ergo dicunt Scribæ*, *Eliam priùs venturum?* Id eſt, Priùs quam ſit reſurrectio, & dies judicii: nam reſurrecturum *Chriſtum* omninò adhuc ignorârunt. Reſurrectionem futuram ad adventum *Meſſiæ* cum tota gente crediderunt.

2. Audiatur ſecundus *Aben Ezra. Comperimus*, inquit, *Eliam vixiſſe in diebus Abaziæ filii Achabi: comperimus etiam Joramum*, *filium Achabi*, *& Jehoſaphatum quæſiviſſe ab Eliſæo Propheta*; *atque illic ſcriptum eſt*, Hic eſt Eliſha filius Shaphat אשר יצק, qui fudit aquas ſuper manus Eliæ. *Atque hoc indicium eſt Eliam priùs aſcendiſſe in turbine ad cælum: quia non dicitur* יוצק, qui fundit aquas, *ſed* qui fudit. *Porrò*, *non diſceſſit Eliſha ab Elia ex eo tempore*, *quo primùm ei famulatus eſt*, *uſque dum Elias aſcenderet. Et tamen comperimus quod poſt mortem Jehoshaphati*, *in diebus Abaziæ filii ejus*, *ſcriptum ſit*, Et venit epiſtola ad eum ab Elia Propheta. *Et hoc probat*, *quòd is tunc eam ſcripſit & miſit: nam*, *ſi ſcripta fuiſſet ante ejus aſcenſum*, *diceretur*, *Et inventa eſt*, *vel*, *allata eſt epiſtola ad eum*, *quam poſt ſe reliquerat Elias. Atque abſque controverſia eſt*, *eum viſum fuiſſe in diebus Sapientum ſanctorum noſtrorum. Acceleret Deus ex miſericordia ſua Prophetiam ſuam*, *atque terminos ejus adventûs.* Sic ille in *Malach.* 4.

3. *Eliam* Sabbatizantem in monte *Carmelo* ſupponunt *Talmudici* in *Hieroſ. Peſachin*, fol. 30. 2. *Nè comburatur*, inquit quidam, *Trumah*, *de qua dubitetur*, *an munda ſit*, *an immunda*; *nè Elias Sabbatizans in monte Carmelo adveniat*, *& teſtetur de ea Sabbato*, *quòd ſit munda.*

4. His atque hujusmodi ineptiis ſcatent paginæ *Talmudicæ. Perditum quid ſi quis reperit*, *publico præconio illud manifeſtare tenetur: ſi vero non advenerint poſſeſſores illud requirentes*, *apud ſe reponat*, *uſque dum advenerit Elias. Maimon.* in *Gezelah*, cap. 13. Et, *Si quis reperit codicillum contractuum inter ſuos*, *ignoratque quid ſibi velit*, *reponatur apud ſe*, *uſque dum advenerit Elias. Bava Mezia*, cap. 1. halac. ult. &c.

5. Nè prolixitate laboremus, ſat ſiet pauca adduxiſſe ex *Babyl. Erubbin*, fol. 43. 2. ubi ſuper hoc thema, *Si dicat quiſpiam*, *Ecce*, *ego ſum Naziræus*, *eo die*, *quo venit Filius Davidis*, *permittitur bibere vinum Sabbatis & diebus feſtis*, diſputatur quonam die Hebdomadæ venturus *Meſſias*, & quonam *Elias*: ubi inter alia hæc occurrunt, לא אתא אליהו מאתמול, *Elias non venit heri:* id eſt, eodem die, quo venit, prodibit in publicum; & non latebit veniens heri in hodiernum. Gloſſa ſic, *Si dicis*, *Fortè veniet veſpere Sabbati*, *atque Evangelizabit* (יבשר) *Sabbato: reſpondere licet textum iſtum*, *Ecce*, *ego mitto vobis Eliam Prophetam*, *antequam veniat dies Domini*; *arguere*, *illum prædicaturum eſſe eo ipſo die quo advenerit.*

מובטח לחן לישראל וגו׳, *Certi ſunt Iſraëlitæ*, *Eliam nec veſperiis Sabbatorum venturum*, *nec veſperiis dierum feſtorum*, מפני טורח, *propter laborem.* Itemque לא אתי אליהו בשבת, *Elias non venit Sabbato.* [Sic dicunt *Hilleliani* in *Hieroſ. Peſachin*, fol. 30. 2. *Nos certi ſumus Eliam non venturum Sabbato*, *nec die feſto.*] Rationem reddunt Gloſſatores. *Non in veſperiis Sabbatorum*, *aut dierum feſtorum*, *propter laborem*; id eſt, propter præparationem in Sabbatum; nè ſcilicet neceſſaria Sabbato non peracta relinquant, ut obviam ei eant: *Nec Sabbatis*, *propter laborem* in conviviis; nè ſcilicet omittant convivationes & comeſtiones iſtas Sabbato habitas tam neceſſarias, dum *Eliæ* in occurſum progrediantur.

Ex Gloſſatoribus in paginam citatam hæc tria obſervata pro coronide ſunto.

1. לפני ביא״ת בן דוד יבא אליהו לבשר *Ante adventum Filii Davidis adveniet Elias*, *ad Euangelizandum de eo.*

2. לא אתי משיח בחד בשבת, *Non venit*

CAP. XVII. VERS. 11.

venit Meſſias primo Sabbati, quia Elias non veniet Sabbato. Unde videtur exſpectatum Eliam pridiè ante apparentem Meſſiam.

3. הלא משיח בן יוסף יש לו לבא תחילה. Nonne Meſſias ben Joſeph eſt priùs venturus?

II. Innumeræ occurrunt hiſtoriæ apud *Talmudicos* de apparitionibus *Eliæ*: ſecundùm quod dictum antè ab *Aben Ezra*, *Abſque controverſia eſt, viſum fuiſſe Eliam in diebus Sapientum noſtrorum ſanctorum.* Exemplis non opus eſt, cùm non tam ambigi poſſit, quisnam horum Sapientum *Eliam* viderit, quàm quis non viderit. Hiſtorias iſtas omnes ego certè pro fabulis habere non poſſum, ſed in quamplurimis earum præſtigias & ſpectra non poſſum non ſuſpicari, quod & anteà diximus etiam de *Bath Kol*. Nam callidè ſic eluſum eſt à Diabolo genti huic decipi volenti, atque obliterata eſt vel capacitas obſervandi adventum *Meſſiæ* jam præteriiſſe, cùm hinc illinc, hoc illo ſeculo, appareret prodromus ejus *Elias*, ac ſi indè denotaret eum adhuc adventurum.

VERS. 11. Καὶ ἀποκαταστήσει πάντα.

Plurima fingunt *Judæi*, quæ reſtauraturus *Elias*. יטהר הממזרים, *Purificabit nothos, eosque reſtituet congregationi. Babyl. Kiddushin*, fol. 71. 1. *Kimch.* in *Zach.* 9. *Iſraëli reddet urnam Mannæ, phialam ſacri olei, phialam aquæ, & ſunt qui dicunt virgam Aaronis. Tanchum* in *Exod.* 1, &c. quæ, heu! quàm longè abſunt ab iis, quæ dicuntur de officio *Eliæ*.

Ἀποκαταστήσει) *Reſtituet*, vel *componet*, non in priſtinum ſtatum, ſed in meliorem. Erant χρόνοι ἀποκαταστάσεως πάντων à Deo determinati, *Act.* 3:21. quibus omnia componenda erant in ſtatum Euangelicum, & *Meſſiâ* dignum: Fundanda Eccleſia, & diſſeminanda doctrina Euangelii, unienda corda *Judæorum* patrum filiis *Gentilibus*, & corda filiorum *Gentilium* patribus *Judæis*; quod opus, à *Baptiſta* inceptum, à *Chriſto* atque Apoſtolis eſt perfectum: quo termino, reſtitutionis omnium horum, exſpirante, exſpiravit etiam Reſpublica *Judæorum*, & deſiêrunt dona revelationis ac miraculorum, ad hanc rem conceſſorum, ac neceſſariorum. Utcunque ergò *Chriſtum* crucifixiſtis, inquit *Petrus*, loco *Actorum* citato; Deus tamen vobis adhuc mittet *Jeſum Chriſtum*, in prædicatione Euangelii, ad hæc complenda. Illum quidem, quoad perſonam, cœli excipiunt, excipientque, uſque dum hæc omnia perficiantur; ne ergò perſonalem ejus præſentiam cum errante gente ſemper in terris exſpectate: at ille per nos miniſtros omnia hæc componet, & conſtituet, uſque dum advenerint termini huic reſtitutioni perficiendæ determinati & præfixi.

CAP. XVII. VERS. 15.

VERS. 15. Σεληνιάζεται.

Luc. 9:39. Πνεῦμα λαμβάνει αὐτόν. *Marc.* 9:17. ἔχει πνεῦμα ἄλαλον.

I. Recordabitur hic *Talmudicorum* peritus quæ dicuntur de חרש ושוטה, de quibus tam multiplex memoria in eorum ſcriptis.

Trumah, cap. 1. hal. 1. *Quinque ſunt, qui non Trumizent; quod ſi faciant, Trumah eorum non eſt Trumah;* חרש ושוטה, *Surdo-mutus, Lunaticus*, &c. *Cholin*, cap. 1. hal. 1. *Quivis ad mactandam beſtiam eſt idoneus, exceptis* חרש ושוטה קטן, *Surdo-muto, lunatico & parvulo*, & quamplurima hujusmodi, &c. חרש reddidi *Surdomutum* (detur verbo venia) ſecundùm ſenſum Magiſtrorum, qui loco primùm citato vocem ſic interpretantur; חרש *de quo loquuntur Sapientes, ille eſt, qui nec audit, nec loquitur.* Vide ibi *Gemaram Hieroſ.* ubi inter alia hoc notatu non indignum occurrit, *Omnes ſcilicet filios R. Jochanani ben Gudgodæ fuiſſe* חרשין, *ſurdo-mutos.*

II. *Judæis* uſitatiſſimum erat morbos quosdam graviores, eos præſertim, quibus vel diſtortum eſt corpus, vel mens turbata & agitata phreneſi, malis ſpiritibus attribuere.

Maimon. in *Gerushin*, cap. 2. מי שהיה רוח רעה מבעתת אותו ואמר כשהתחיל בו החולי, *Si quis vexatus ſpiritu malo dixerit, cùm illum primo invaſerit iſte morbus, Conſcribite libellum repudii uxori meæ*, &c.

Gittin, cap. 7. hal. 1. מי שאחזו קורדייקוס, *Si quis, quem vexat Kordicus, dicat, Conſcribite libellum repudii uxori meæ*, &c. *Kordicus*, inquiunt Gloſſatores, *eſt Dæmon, qui dominatur in nimium vini novi bibentibus.* מאי קורדייקוס, *Quid eſt Kordicus? Samuel dicit,* תנכתיה חמרא חדתא דמצרתא, *Cùm quemquam momorderit vinum novum è torculari: Gemar. Babyl.* quam vide. *Rambam* in locum hæc ait, קורדייקוס, *eſt morbus generatus à repletione vaſorum cerebri, à quo confunditur intellectus: eſtque morbus è genere morborum comitialium.* Ecce tibi eundem Dæmona & morbum! cui & exorciſmos aptant *Gemariſtæ* & diætam: vide *Babyl. Gittin*, fol. 67. 2.

Aruch in voce שיבתא. *Shibta eſt ſpiritus malus, qui prehendens cervices infantum, nervos earum exſiccat & contrahit.*

Babyl. Beracoth, fol. 51. 2. *Qui pocula duplicata ebibit,* ניזק ע"י שדים, *plectitur per Diabolum.*

Ex hac vulgari gentis opinione (Dæmonas ſcilicet iſtiusmodi morborum eſſe autores) ab uno Euangeliſta introducitur pater hujus pueri

de

Digitized by Google

CAP. XVII. VERS. 7, 20, 21, 24.

de eo dicens, Σεληνιάζεται, ab alio ἔχει πνεῦμα. Surdus & mutus fuerat ab ipſa nativitate, accreverat iſti infortunio Phreneſis aut Lycanthropia, [quod morbi genus Dæmonio attribuere non erat genti inſolitum] atque hic reipsâ aderat Dæmonium.

Vers. 17. Ὦ γενεὰ ἄπιστος καὶ διεστραμμένη, &c.

In *Scribas* præcipuè collimatur acies horum verborum [vide *Marc.* 9: 14.] & tamen intacti omninò non evaſerunt Diſcipuli. Abſente *Chriſto* & tribus Diſcipulorum antesignanis, affertur hic puer ad reliquos ſanandus: illi eum ſanare non poſſunt, partim quòd reverà inerat ei Diabolus, partim quòd ab ipſa nativitate adhæſerat ei hoc malum. Hinc inſultant Scribæ, atque ipſos, Magiſtrumque ipſorum, dicteriis proſcindunt; Gens incredula & perverſa, quæ nec miraculis editis evincitur, & non editis convitiatur: vacillavit fides Diſcipulorum, *verſ.* 20. ex perſpicua rei difficultate, quæ inſuperabilis viſa eſt, cùm tot in unum coaluerant mala, ſurditas, obmuteſcentia, phreneſis, atque obſeſſio Dæmonii, atque hæc omnia à pueri incunabulis.

Vers. 20. Πίστιν ὡς κόκκον σινάπεως, &c.

כטיפת חרדל vel כורע חרדל. Vide Capitis decimi tertii verſum viceſimum tertium.

Ἐρεῖτε τῷ ὄρει τούτῳ, &c.

Vide quæ notamus ad Capitis viceſimi primi verſum viceſimum primum.

Vers. 21. Τοῦτο τὸ γένος οὐκ ἐκπορεύεται, εἰ μὴ ἐν προσευχῇ καὶ νηστείᾳ.

Non multùm abſimile eſt, quod dicitur *Babyl. Taanith*, fol. 22. 2. כפני רוח רעה על כולן יחיד רשאי לסגף את עצמו, *Ob ſpiritum malum licet viro ſingulari*, (vel *religioſo*) *ſeipſum* (jejuniis) *affligere.*

Vers. 24. Οἱ τὰ δίδραχμα λαμβάνοντες.

De *Hemiſiclo* annuatim penſo in ærarium Templi hoc eſſe intelligendum duo ſuadent. I. Ipſum vocabulum, quo cenſus hîc vocatur, Δίδραχμα. De hoc ſic *Joſephus*, *de bell.* lib. 7. cap. 27. Φόρον δὲ τοῖς ὅπου δήποτ' οὖσιν Ἰουδαίοις ἐπέβαλε δύο δραχμὰς, ἕκαστον κελεύσας ἀνὰ πᾶν ἔτος εἰς τὸ Καπετώλιον φέρειν, ὥσπερ πρότερον εἰς τὸν ἐν Ἱεροσολύμοις νεὼν συνετέλουν. Et de eodem ſic *Dion Caſſius*, lib. 66. Καὶ ἀπ' ἐκείνου δίδραχμον ἐτάχθη, τοὺς τὰ πάτρια αὐτῶν ἔθη περιστέλλοντας τῷ Καπετωλίῳ Διῒ κατ' ἔτος ἀποφέρειν. Septuaginta quidem interpretes in *Exod.* 30: 13. Ἥμισυ τοῦ διδράχμου reddunt, aſt inſuper hoc addentes, ὅ ἐστιν κατὰ τὸ δίδραχμον τὸ ἅγιον. Eſto; totus *Siclus* fuit Δίδραχμον ἅγιον· *Hemiſiclus* tunc eſto Δίδραχμον δημόσιον. Utcunque res ſe habet, Penſans *Hemiſiclum* vulgari dialecto dicebatur Penſans *Shekalim*. Et quod hîc dicitur à *Matthæo* Δίδραχμα λαμβάνοντες, *Talmudici* dicunt תובעין שקלים, vel גובין. *Targumiſtæ* locum iſtum in *Exod.* 30. reddunt פלגות סלעא: cujus rationem vide, ſi libet, in *Maimon. Shekalim*, cap. 1. *Siclus*, inquit ille, *de quo ſermo in Lege*, *pendebat* 320 *grana hordei: aſt ponderi ejus addiderunt aliquando Sapientes, feceruntque ut idem valeret quod nummus* סלע *ſub Templo ſecundo, id eſt,* 384 *grana hordei mediana.* Vide locum, & Gloſſam. II. Reſponſio *Chriſti* ſatis arguit de hoc cenſu agi, cùm ſe dicit eſſe filium iſtius Regis, in cujus uſum penſio iſta exigebatur: nam *indè coëmebantur ſacrificia juge, atque addititia, atque libamina eorum, Manipulus, duo panes*, (*Levit.* 23: 17.) *panes propoſitionis, omnia ſacrificia congregationis, vacca rufa, caper emiſſarius, & lingula coccinea quæ inter ejus cornua*, &c. *Shekalim*, cap. 4. halac. 1, 2.

At occurrit hîc, non facilis admodùm reſponſu, hæc objectio. Tempus ſolutionis Didrachmorum erat circa feſtum *Paſchatis*; *Shekalim*, cap. 1. hal. 3. at longè jam elapſum erat id temporis, appropinquavitque feſtum Tabernaculorum. Reſponderi poſſet, 1. *Matthæum*, qui hanc hiſtoriam recitat, ſeriem & ordinem temporis non obſervâſſe, quod ei non inſolitum: quippe qui inter omnes Euangeliſtas maximè hiſtoriarum tempora diſlocet. At concedatur, ordinem hiſtoriæ apud eum rectum hîc eſſe & proprium; Reſpondetur, II. Aut *Chriſtum* ad *Paſcha* proximè elapſum vix affuiſſe, aut ſi afforet, ob impendens illi periculum ab inſidiis *Judæorum*, non potuiſſe ſolutionem hanc præſtare, eo modo quo oportuit. Animadverte ea, quæ dicit *Joannes* de *Paſchate* proximè elapſo, Cap. 6: 4. *Propè erat Paſcha feſtum Judæorum*; & Cap. 7: 1. *Poſt iſta Jeſus ambulavit in Galilæa, noluit enim ampliùs ambulare in Judæa, quia ſtudebant Judæi eum interficere.* III. Non inuſitatum erat ſolutionem Didrachmorum hujus anni in annum ſequentem prorogare, illud urgente aliquâ neceſſitate. Hinc, cùm ſeſſum eſſet ad cenſum hunc colligendum & recipiendum, collocatas ante ſe habuerunt collectores duas ciſtas, in unam quarum penſum anni præſentis repoſuerunt, in alteram præteriti. Vide *Shekalim*, cap. 2. & *Maim.* ibid.

CAP. XVIII. VERS. 1.

Objectio. At quare collectores *Capernaumi* nunc temporis ſolutionem exigunt, cùm, ex more, non niſi decimâ quintâ menſis *Adar* inceptum eſt eam efflagitare? *Reſp.* 1. Certum eſt in unaquaque civitate fuiſſe menſarios [שולחנין] qui eam exigerent, collectamque apportarent ad *Hieroſolymas*. Hinc illud, Tractatu citato, *Decimâ quintâ menſis Adar ſedent menſarii in urbibus* [ad exigendum *Hemiſiclum*] *& viceſimâ quintâ ſedent in Templo.* 2. Incerta *Chriſti* mora *Capernaumi* non injuſtam collectoribus hiſce cauſam dedit debitum hoc exigendi, quandocunque illum præſentem illic haberent; hoc præſertim tempore, cùm jam inſtaret feſtum Scenopegiæ, iique *Hieroſolymas* profecturi rationem forſan collectionis ſuæ erant reddituri.

Si verò cuiquam libet hoc de tributo *Romanis* penſando intelligere; nos non contendimus. Tum videntur verba tributum exigentium, *Magiſter veſter non ſolvit Didrachma?* hoc fere ſonare, Num Magiſter veſter eſt de Secta *Judæ G*[illegible]*laei*?

CAP. XVIII.

VERS. 1. Τίς ἄρα μείζων ἐστὶν ἐν τῇ βασιλείᾳ τῶν οὐρανῶν.

SIne obſervatione præteriri non poteſt, ambitioſam Diſcipulorum diſputationem de Primatu ut plurimùm ſequi mentionem factam de morte *Chriſti*, atque ejus reſurrectione. Vide hanc hiſtoriam in *Marc.* 9:31, 32, 33. *Luc.* 9:44, 45, 46. *Dixit Diſcipulis ſuis, Reponite vos in aures veſtras ſermones iſtos: futurum enim eſt, ut Filius hominis tradatur in manus hominum. Ipſi verò ignorabant dictum illud*, &c. *Incidit autem diſceptatio inter eos, quis eſſet eorum maximus.* Item *Matth.* 20: 18, 19, 20. *Dixit eis, Ecce, aſcendimus Hieroſolymam, & Filius hominis tradetur principibus Sacerdotum*, &c. *Tunc venit ad eum mater filiorum Zebedæi, cum filiis ſuis, dicens, Dic ut ſedeant iſti duo filii mei, unus ad dextram*, &c. Et *Luc.* 22:22, 23, 24. *Filius quidem hominis, prout definitum eſt, abit*, &c. *Orta autem eſt inter eos contentio, quis eorum videretur eſſe major.*

Somnium de regno *Meſſiæ* terreno adeò animis inſedit [nam hanc doctrinam cum primo lacte imbiberant] ut iterum iterumque repetita mentio de viliſſima morte ipſius *Meſſiæ* nullatenùs illud indè abegerit. Hæret imis infixa medullis imago pompæ terreſtris, nec verbis ullis *Chriſti* adhuc extirpari poteſt, imò nec viſâ morte *Chriſti*, cùm pariter viſa eſſet ejus reſurrectio: nam tum etiam quærunt, *An hoc ipſo tempore reſtitues regnum Iſraëli?* Act. 1:6.

CAP. XVIII. VERS. 6, 10, 12.

Utcunque, poſt prædictam ſæpe iis à *Chriſto* mortem ſuam ac reſurrectionem, ſemper ſequatur apud Euangeliſtas, quod *non intellexerint quod dictum eſt*; formata tamen animis eorum à doctoribus ſuis opinio, reſurrectionem præceſſuram regnum *Meſſiæ*, interpretationem iis talem hac de re ſubminiſtravit, ut nè gry quidem ſententiæ de regno terreno futuro amitterent.

Vide plura ad Cap. 24: 3.

VERS. 6. Συμφέρει αὐτῷ, ἵνα κρεμασθῇ μύλος ὀνικὸς, &c.

Συμφέρει αὐτῷ] נוח לו.

Μύλος ὀνικὸς dici videtur in diſtinctionem molarum iſtarum minutiſſimarum, quibus commolere ſueti ſunt aromata, vel vulneri circumciſionis applicanda, vel deliciis Sabbaticis addenda. Hinc Gloſſa *R. Sol.* in illud *Jerem.* 25:10. *Sonum molarum & lucem candelæ: Sonus molarum*, inquit, *quibus commolebant & contundebant aromata ad medelam circumciſionis.*

Quòd *Chriſtus* hîc de genere mortis, forſan nullibi, certe nunquam apud *Judæos* uſitato, loquitur: aut in aggravationem rei id facit, aut in alluſionem ad ſubmerſionem in mari mortuo: in quo mergi quis nòn potuit abſque pondere aliquo ei appenſo; & in quo quid ſubmergere communi Phraſiologiâ notabat, abjectioni, odio, atque execrationi devovere, quod obſervavimus alibi.

VERS. 10. Ἄγγελοι αὐτῶν ἐν οὐρανοῖς διὰ παντὸς βλέπουσι; &c.

Optimè hoc exponas, adducto quod dicitur *Hebr.* 1:14. *Angeli ſunt adminiſtratorii ſpiritus, in miniſterium miſſi propter eos, qui hæredes futuri ſunt ſalutis:* quaſi dicat, Videte, nè contemnatis unum ex his puſillis, qui in Eccleſiam Euangelicam recepti ſunt cum credentibus parentibus: nam dico vobis, quòd eo more, quo miniſtrant Angeli credentibus adultioribus, miniſtrant & iſtis.

VERS. 12. Ἐὰν πλανηθῇ ἓν, ἀφεὶς ἐννενηκονταεννέα, &c.

Forma loquendi uſitatiſſima.

Peah, cap. 4. halac. 2. *In diſtribuendo uvas quaſdam & dactylos pauperibus, etiamſi dicant nonaginta novem, Sparge; & unus tantùm, Divide: huic auſcultant, quia loquitur ſecundùm Traditionem.*

Hieroſ. Schabb. fol. 14. 3. *Si moriantur nonaginta novem ab oculo malo*, [id eſt, à faſci-

Digitized by Google

CAP. XVIII. VERS. 15,16,17.

natione] *unus autem manu cœli:* id eſt, ictu Dei, &c.

Si moriantur nonaginta novem præ frigore; unus autem à manu Dei, &c.

VERS. 15. Ἔλεγξον αὐτὸν μεταξὺ σοῦ καὶ αὐτοῦ μόνου.

Ratio præcepti fundatur in charitativa iſta lege, *Levit.* 19:17. *Non odio habebis fratrem tuum in corde tuo: ſed corripiendo corripies eum; & non feres in eo peccatum.*

Hîc non incongruè *Talmudici. Babyl. Erachin*, fol. 16. 2. *Tradunt Rabbini, Non odio habebis fratrem tuum in corde tuo. Fortè eum non tundit, non vellicat, non ei maledicit: Textus dicit*, In corde tuo; *loquens de odio in corde. Unde autem aſtruitur, quòd videns fratrem ſuum turpe aliquid perpetrantem, tenetur illum corripere? Quia dicitur* הוכיח תוכיח, Corripiendo corripies. *Corripit* ולא קיבל, *at ille non audit: unde aſtruitur, eum ad ſecundam correptionem teneri? Textus dicit*, Corripiendo corripies. Et paulò pòſt, *Uſque quò corripiendum? Rabh dicit uſque ad ictus*: id eſt, uſquedum correptus corripientem percutiat. *Samuel dicit, uſque dum iraſcatur.* Vide etiam *Maimon.* in *Peah*, cap. 6.

VERS. 16. Παράλαβε μετὰ σοῦ ἔτι ἕνα ἢ δύο, &c.

Idem exigunt Juridici *Hebraici* à peccante in fratrem.

Hieroſ. Joma, fol. 45. 3. & *Babyl. Joma*, 87. 1.

Samuel dicit. Quicunque peccat in fratrem ſuum, neceſſe habet ut ei dicat, In te peccavi. Si audiat, bene. Si non; adducat alios, & placet eum coram iis. Si forſan moriatur, placet eum ad ſepulchrum ſuum, & dicat, In te peccavi, &c.

Aſt altiori charitate exigit hîc *Salvator*, ab eo ſcilicet, in quem peccatur.

Pari modo *admonuit Synhedrion magnum civitatem ad Idola prolapſam, per duos diſcipulos Sapientum. Si reſipuerunt, bene: ſi minùs, bellatum in eam eſt à toto Iſraële. Maimon.* in *Avodah Zarah*, cap. 4.

Pari etiam modo *maritus Zelotypiâ motus, coram duobus teſtibus, uxori indixit, Nè colloquaris cum N.* &c.

VERS. 17. Εἰπὲ τῇ Ἐκκλησίᾳ.

Illud, quod ei, in quem peccatum eſt, incubuit, hoc erat, ut animam ſuam liberaret fratrem corripiendo, & non ferendo in eo peccatum. Hoc erat, quod opus habuit teſtibus: nam quidnam aliud poterant illi teſtari? Non teſtari potuerunt peccâſſe fratrem in corripientem; nam hoc illi omninò forſan ignorârunt: ſed hoc teſtari poterant, Eum, in quem peccatum eſt, debitâ correptione uſum, nihilque omiſiſſe, quod à Lege in iſta cauſa eſt præceptum, quò fratrem admoneret, ac, ſi fieri poſſet, in viam reduceret. Addiderunt & teſtes amicam admonitionem ſuam: quibus ſi à peccante non eſt auſcultatum, *Dicatur Eccleſiæ.*

CAP. XVIII. VERS. 17.

Longam iſtam altercationem hîc non inimus de ſenſu vocis *Eccleſiæ* hoc in loco. Utcunque eam ſumas, non tam hîc certè agitur de cenſura perſonæ peccantis, quàm de vindicatione corripientis, ut omnibus innoteſceret, ſe munere ſuo functum, ac animam ſuam liberâſſe.

Uſitatiſſimum erat apud *Judæos*, obſtinatos in hac vel illa perverſitate, poſt indultam admonitionem, publico præconio in Synagoga notare, ac infamiam eis inurere.

Babyl. Sanhedr. fol. 26. 2. כולן צריכין הכרזה בבית דין, *Omnes hi opus habent publico præconio in Conſeſſu.* Agitur illic de quibuſdam paſtoribus, exactoribus, & publicanis, & declaratur quàm ſint incapaces perhibendi in aliqua re judiciaria teſtimonii, at non ante publicum in eos exhibitum præconium in Conſeſſu.

Maimon. in אישות, cap. 12. *Si quis renuit liberos ſuos alere, reprehendunt eum, pudefaciunt eum, urgent eum: ſi adhuc renuit, publicè in eum proclamant in Synagoga, dicentes, N. crudelis eſt, & non vult alere liberos ſuos: vel ipſis volucribus immundis crudelior, nam illæ pullos ſuos alunt*, &c.

Id. ibid. cap. 14. *Uxor vexatrix, quæ dicit, Ego marito angorem creabo, quia mihi hoc vel illo modo fecit, aut quia mihi maledixit, aut quia mihi jurgia civit*, &c. *hæc audit per nuntios à Conſeſſu, Innoteſcat tibi, quòd ſi in perverſitate tua perſtes, ſit licèt dos tua centum minarum, tu totam eam perdidiſti.* ואחר כך מכריזין עליה בבתי כנסיות ובבתי מדרשות, *Et deinceps publicum præconium in eam edunt in Synagogis, & in Medrashoth unoquoque die per quatuor Sabbata.*

Ἔστω σοι ὥσπερ ὁ Ἐθνικὸς καὶ ὁ τελώνης.

Ἔστω σοι dicit, non ἔστω τῇ Ἐκκλησίᾳ, quia agitur de peculiari & privato ſcandalo in hominem ſingularem; qui poſt adhibitam trinam hanc admonitionem, eamque incaſſum, ſolutus eſt à lege fraternæ obligationis, atque ille, qui non reſipiſcit admonitus, ei non tam pro fratre habendus, quàm pro *Ethnico*, &c.

I. *Chriſtus* non ſecundùm plenam latitudinem legis iſtius, *Lev.* 19:17. hîc præſcribit de omni peccante, ſed de peculiariter

CAP. XVIII. VERS. 18

riter peccante in fratrem, ac peculiariter docet, quid agendum ſit iſti fratri.

II. Quamvis ei, in quem eſt peccatum, juſta eſſet cauſa cur ſolveretur ab obligatione fraterni officii erga eum, qui de illata injuria nec ſatisfacere voluit, nec admoneri, reliquis tamen in Eccleſia non eadem cauſa.

III. Planè hoc ſibi volunt verba, Si poſt trinam ac juſtam hanc correptionem perſtet adhuc, qui in te peccavit, intractabilis, & nec tibi de injuria ſatisfacere, nec admonitus vult reſipiſcere; liberâſti tu animam tuam, ac fraternis erga eum officiis es ſolutus, æquè ac ſolutos officiis ſe reputant *Judæi* erga *Ethnicos* & Publicanos. Non diſſonum admodùm eſt illud *Maimon.* in *Gerushin*, cap. 3. *Judæus Apoſtatizans, aut Sabbatum violans ex præſumptione, eſt omninò ſicut Ethnicus.*

I. *Ethnicos* non reputârunt pro fratribus aut proximis. *Aruch* in בן ברית, *Si cornu percuſſerit bos cujusvis bovem proximi. Proximi, non Ethnici: cùm dicit Proximi, excludit Ethnicos:* quod adduximus antè.

II. Publicanos nullo modo reputârunt intra ſocietatem religioſam. *Hieroſ. Demai*, fol. 23. 1. חבר שנעשה גבאי דוחין אותו מחבורתו, *Religioſus, qui evadit Publicanus, pellendus eſt è ſocietate religioſa.*

III. Hinc nec cum *Ethnicis*, nec cum Publicanis comedebant: de qua re ſæpiuſcule litigant cum *Salvatore*. Hinc illud Apoſtoli, 1. *Cor.* 5. *Cum tali non comedite*, idem eſt, quod hîc, *Eſto tibi, ſicut Ethnicus*, &c.

Maimon. in רוצח, cap. 12. *Prohibitum eſt Judæo ſolum eſſe cum Ethnico, itinerari cum Ethnico*, &c.

IV. Officia etiam fraterna negârunt *Ethnicis* & Publicanis.

Maimon. Gezelah, cap. 11. *Prohibitum eſt reducere deperditum quid Ethnici. Nedarim* cap. 3. halac. 4. *Publicanus jurare licet, illud oblationem eſſe, quod non eſt: te è famulitio Regis eſſe, cùm non ſis*, &c. id eſt, Publicanos licet fallere, idque juramento.

VERS. 18. Ὅσα ἐὰν δήσητε ἐπὶ τῆς γῆς, &c.

Pendent hæc verba à præcedentibus. Egerat de ſolutione ab officio fraterno in cauſa quadam particulari agit: jam de autoritate & poteſtate Apoſtolorum *quidlibet* ſolvendi vel ligandi, quodcunque illis viſum fuerit à Spiritu Sancto in omnibus manuductis; (ſenſum Phraſiologiæ elucidavimus ad Caput decimum ſextum) eâdemque autoritate, quâ illic *Petrum*, quoad hoc omnes Apoſtolos hîc donat, ejuſdem Spiritus, eorundem donorum, futuros participes.

Ædificata eſt hæc poteſtas in fundamentum illud nobile pariter atque ἀνταρχέτυπον, *Joann.* 16:13. *Spiritus veritatis ducet vos in omnem veritatem.* Latet Emphaſis in iſtis vocabulis *in omnem veritatem.* Nego ego quemquam unquam uſquam in *omnem* veritatem vel ductum, vel ducendum, ab ipſa aſcenſione *Chriſti* uſque in finem mundi, præter Apoſtolos. Ductus eſt certè quilibet ſanctus in omnem veritatem ſibi ad ſalutem neceſſariam: at Apoſtoli ducti fuêre in omnem veritatem & ſibi ipſis neceſſariam, & toti Eccleſiæ; quippe quòd ii normam fidei & morum tradituri eſſent toti Eccleſiæ, in omnia uſque ſecula. Hinc, quodcunque illi in lege firmaturi, firmandum erat; quodcunque evacuaturi, evacuandum; cùm donati, quoad omnia, eſſent Spiritu infallibilitatis, in omnem veritatem eos manuducente.

CAP. XVIII. VERS. 19, 20, 21

VERS. 19. Ὅτι ἐὰν δύο ὑμῶν συμφωνήσωσιν ἐπὶ τῆς γῆς, &c.

Et hæc arctè cohærent cum antecedentibus: illîc dictum eſt de determinatione Apoſtolica, in omnibus quoad homines; hîc de eorum gratia & potentia impetrandi apud Deum.

I. Δύο ὑμῶν.] Hinc *Petrus* & *Joannes* junctim agunt apud *Judæos*, Act. 2. & 3, &c. & junctim apud *Samaritas*, Act. 8:14. & *Paulus Barnabasque* apud *Gentes*, Act. 13:2. Dirupto hoc vinculo à *Barnaba*, duplicatur quaſi Spiritus in *Paulum*.

II. Συμφωνήσωσι.] Id eſt, ad aliquid à Deo impetrandum, quod etiam patet ex verbis ſequentibus, οὗ ἐὰν αἰτήσωνται. Puta de impertiendo Spiritu per impoſitionem manuum, de exhibendo hoc vel illo miraculo, &c.

VERS. 20. Οὗ γάρ εἰσι δύο ἢ τρεῖς συνηγμένοι εἰς τὸ ἐμὸν ὄνομα, ἐκεῖ εἰμι ἐν μέσῳ αὐτῶν.

Simile dicunt Rabbini de duobus aut tribus conſidentibus in Judicio, quòd שכינה ſit in medio eorum.

VERS. 21. Ἀφήσω αὐτῷ; ἕως ἑπτάκις;

Reſpicit hæc quæſtio *Petri* verba *Salvatoris* verſu decimo quinto. Quouſque fratri ignoſcam, antequam ad extrema à me procedatur? Num ſepties? Largam charitatem ſe his verbis emenſuraſſe opinatus eſt, eò quòd ferè duplicatam iſti, quæ à Scholis præſcripta eſt. *Prohibetur*, inquiunt, *injuriâ affectus, ut ſit difficilis ad ignoſcendum; nam iſte non eſt mos ſeminis Iſraëlis. At verò cùm eum implorat injuriâ afficiens ſemel, iterùmque, pateatque eum facti pœnitere, remittat ei: & quicunque eſt ad remiſſionem promptiſſimus, is laudatiſſimus.* *Maimon.*

Digitized by Google

CAP. XIX. VERS. 1, 3, 8.

Maimon. in הוכל cap. 5. Benè: at latet anguis; nam *homini*, inquiunt, *in alterum peccanti ſemel remittunt; ſecundò, remittunt; tertiò, remittunt; quartò, non remittunt,* &c. *Babyl. Joma*, fol. 86. 2.

C A P. XIX.

Vers. 1. Ἦλθεν εἰς τὰ ὅρια τῆς Ἰουδαίας, πέραν τοῦ Ἰορδάνου.

SI nudè diceretur Ὅρια τῆς Ἰουδαίας πέραν τοῦ Ἰορδάνου, per *Fines Judææ* intelligere poſſes *Fines Judæorum ultra Jordanem.* Nec caret conſtructio iſtiusmodi parallelo ſuo apud *Joſephum*: nam *Hircanus*, inquit ille, *munitionem ſtruxit, cui Tyri nomen*, Μεταξὺ τῆς τε Ἀραβίας καὶ τῆς Ἰουδαίας πέραν τοῦ Ἰορδάνου, οὐ πόῤῥω τῆς Ἐσσεβωνίτιδος. *Antiq.* lib. 12. cap. 5. At vide hîc *Marcum*, Cap. 10: 1. eandem hiſtoriam cum Euangeliſta hoc noſtro referentem: Ἔρχεται, inquit ille, εἰς τὰ ὅρια τῆς Ἰουδαίας διὰ τοῦ πέραν Ἰορδάνου, venit in fines *Judææ*, itinere habito à *Galilæa* per *Trans-Jordanicam.*

Vers. 3. Εἰ ἔξεστιν ἀνθρώπῳ ἀπολῦσαι τὴν γυναῖκα αὐτοῦ κατὰ πᾶσαν αἰτίαν;

De cauſis, ridiculis dicam, an nefariis? ob quas uxores dimiſerunt, diximus ad Capitis quinti verſum triceſimum primum. Unum tantùm hîc addemus exemplum. *Babyl. Joma*, fol. 18. 2. רב כי מקלע לדרשיש מכריז מאן הויא ליומא, *Cùm Rabb iret ad Darſiſam,* (*quò*, ut inquit Gloſſa, *frequenter ivit*) *publico præconio edixit, Quænam erit mihi in diem? Rabb Nachman, cùm iret ad Sacnezib, publico præconio edixit, Quænam erit mihi in diem?* Gloſſa, *Anne eſt aliqua mulier, quæ mihi uxor erit, dum in hoc loco commoror?*

Quæſtio, à *Phariſæis* hîc propoſita, diſputata eſt in Scholis, & de ea in partes eſt itum, quod notavimus antè: nam Schola *Shammæana* non permiſit repudia, niſi in cauſa adulterii; *Hilleliana* aliter. Vide *Hieroſ. Sotah*, fol. 16. 2.

Vers. 8. Ὅτι Μωσῆς πρὸς τὴν σκληροκαρδίαν ὑμῶν ἐπέτρεψεν, &c.

Interpretes vulgò hoc intelligunt de inhumanitate virorum erga uxores; idque non malè: at verò prima facie σκληροκαρδία, ut plurimùm in Scriptura, obdurationem in Deum potiùs denotat, quàm in homines; exempla occurrunt ubique. Nec caret aptitudine ſuâ hic ſenſus hoc in loco: non ut alterum excludat; ſed ut cum eo hîc conjungatur.

CAP. XIX. VERS. 8.

I. Ut Deus populum iſtum rebellem ob σκληροκαρδίαν ſuam tradiderit ſpirituali fornicationi, hoc eſt, Idololatriæ, ſatis patet ex hiſtoria ſacra, & ſpeciatim ex verbis iſtis Proto-martyris *Stephani*, Act. 7: 42. Ἔστρεψε δὲ ὁ Θεὸς, καὶ παρέδωκεν αὐτοὺς λατρεύειν τῇ στρατιᾷ τοῦ οὐρανοῦ, &c. Nec minùs traditus videtur fornicationi carnali, ſi & horrendas adulteriorum ejus memorias obſerves in Sacra Pagina, & non minùs horrendas repudiorum & polygamiarum permiſſiones in paginis *Talmudicis*: ità ut ſenſum admodùm idoneum ſecum portet particula Πρὸς, ſi, pro ſignificatione ſua uſitatiſſima, *Ad* interpreteris, *Moſes ad duritiam cordum veſtrorum* hoc addidit, ut *permiſerit repudia*: in ſe pœnale quid, utcunque vos pro privilegio habeatis.

II. At clariùs atque aptiùs interpreteris de inhumanitate maritorum in conjuges; at hoc etiam ſub reſtrictione intelligendum eſt: nam *Moſes* repudia non permiſit, eò quòd ſimpliciter, aut generaliter immites atque inhumani eſſent erga uxores; (nam tum quare repudia ad cauſam adulterii reſtringeret?) ſed quòd ex eorum immanſuetudine ac crudelitate erga uxores, à lege iſta, quæ adulterium morte mulctavit, anſam arriperent quærerentque uxores omni ſœvitia proſequendi, opprimendi, trucidandi.

Leges divinas, in cauſa adulterii fuſiùs aliquantùm perſcrutemur.

I. Lata eſt lex in ſuſpicione adulterii, ut examen ſubiret uxor per aquas amaras, *Numer.* 5. At certè rectè meritòque diſputatur à Scholis *Judaicis*, num ex officio teneretur maritus ad proſequendam uxorem hac in cauſa ad extrema, an liceret ei connivere, atque remittere, ſi modò vellet. Et ſunt qui dicunt, חובה, quòd ex officio erat; & ſunt qui רשות, quòd pro arbitrio. Vide *Hieroſ. Sotah*, ubi priùs.

II. In adulterio detecto lata eſt lex lethalis, *Deuter.* 22: 21, 22, 23. *Si inventus fuerit vir concumbens cum fœmina maritata, utrique morientur,* &c. Non, quòd hæc lex non obtineret, niſi cùm in ipſo actu deprehenderentur: ſed vox ימצא, *Inventus fuerit*, opponitur ſuſpicioni, atque idem vult ac ſi diceretur, *Cùm inventum fuerit concubuiſſe virum*, &c.

III. In cauſa etiam adulterii detecti data eſt lex de repudiis, *Deuter.* 24. Nam in iſta cauſa tantùm, eâque detectâ, locum obtinere divortia planè patet ex Gloſſa *Salvatoris*, atque etiam ex conceſſione quorundam è Rabbinis: nam inquiunt loco noviſſimè citato, *Invenit quis in uxore ſua turpe quid? Dimittere eam non poteſt*, שלא מצא בה ערוה, *quia non invenit in ea turpem nuditatem*, id eſt, adulterium.

Digitized by Google

Jam verò quomodo inter ſe conſiſtunt lex lethalis & repudiatoria? Reſpondetur, Non ità inter ſe conſiſtere, ut utraque vim ſuam retineat: ſed prior fuit per poſteriorem ex parte enervata; ex parte non. Novit divina ſapientia inhumanos maritos ad omnimodam ſævitiam erga uxores lege iſtâ lethiferâ abuſuros: nam quam promptum erat marito impio atque inhumano, retia uxori, quæ ei tædio eſt, nectere etiam inſonti, ut ſub lethali iſta lege eam opprimeret? Et ſi ſub reatu deprehenderetur, quàm crudeliter & inſolenter de ea miſera triumpharet, & in conjugii dedecus, & religionis ſcandalum? Cavit ergo prudentiſſimus, atque etiam miſericors, legiſlator, ut pœnâ ſuâ non careret rea, & periculo careret inſons, & crudelitatem ſuam non ſaturaret maritus nequàm atque inconjugalis. Non arridet mihi illud, quod à non nemine dicitur, *Repudio non locum fuiſſe, ubi capitali ſupplicio dirimebatur matrimonium:* nam repudio locus erat eo fine, ut locus non eſſet capitali ſupplicio. Lex quidem iſta lethifera adulterum tenuit irretitum, & de eo pœnam capitis exegit, & ſic in terrorem ſatis à lege eſt cautum: at fœminæ, vaſi fragiliori, leniùs eſt conſultum, nè de ea inhumaniter triumpharet crudelitas mariti. In ſuſpicione ergò adulterii, & re non detectâ, licuit marito, ſi vellet, aquis amaris uxorem experiri; vel licuit, ſi vellet, connivere. In cauſa adulterii detecti, licuit marito uxorem dimittere; ſed vix licuit morte mulctare, eò quòd ipſiſſimo eo fine data eſt lex repudiatoria, ut fœminæ conſuleretur à duritia cordis mariti.

Pro coronide ſit hæc hiſtoria. *Babyl. Berac.* fol. 19. 1. *Shemaiah & Abtalion adegerunt Carchemith ancillam libertinam, ut potet aquas amaras.* Maritus hujus fœminæ non potuit lege *Moſaicâ* eam dimittere, quia rea deprehenſa non eſt de adulterio detecto. Potuiſſet eam dimittere lege Traditionali, quæ repudia permiſit extra cauſam adulterii; potuiſſet, ſi vellet, eam non adduxiſſe ad examen per aquas amaras: ſed duritiam cordis erga uxorem arguit, aut ardentem Zelotypiam, quòd adduxerit. Non memini me ullibi apud Pandectum *Judaicum* legiſſe exemplum aliquod uxoris morte mulctatæ ob adulterium. Memoria eſt filiæ cujusdam Sacerdotis, mœchantis in domo patris, vivicomburio perditæ, in *Hieroſ. Sanhedr.* fol. 24. 2. at hæc non erat maritata.

VERS. 12. Ἐυνοῦχοι ἐκ κοιλίας μητρός. Ἐυνοῦχοι οἵτινες ἐυνουχίσθησαν ὑπὸ τῶν ἀνθρώπων.

סרים חמה, & סרים אדם, apud *Talmudicos.*

VERS. 13. Τότε προσηνέχθησαν αὐτῷ παιδία.

Non ad morbi alicujus ſanationem; nam, ſi hic fuiſſet finis propoſitus, quare eos Diſcipuli præ omnibus aliis repellerent, aut ullos de eorum acceſſu objurgarent? Nec filiolos eos fuiſſe *Judæorum* infidelium credere poſſumus, cùm vix probabile ſit illos, doctrinam & perſonam *Chriſti* deſpectui habentes, benedictionem ejus ambire velle. Adduxerunt ergò aliqui è credentibus infantes ſuos, ut peculiari recognitione *Chriſtus* eos in diſcipulatum ſuum cooptaret, ac pro ſuis ſuâ conſignaret benedictione. Nimietatem officioſæ religionis forſan autumârunt hoc eſſe Diſcipuli, aut Magiſtro ſuo nimium moleſtiæ ciere, atque hinc eorum reluctatio: at rem fovet *Chriſtus*, refovetque doctrinam iſtam, quam Capite decimo octavo exhibuerat, infantes ſcilicet credentium æquè Diſcipulos eſſe, atque regni cœlorum participes, ac parentes.

VERS. 18. Ὀυ φονεύσεις, &c.

Obſervatióne dignum eſt, iterumque iterumque in Novo Teſtamento, factâ mentione totius Legis, in ſecunda tabula tantùm exemplificari: prout hoc in loco, ità etiam *Rom.* 13:8,9. *Jacob.* 2:8,11,&c. Charitas erga proximum eſt religionis apex, & ſignum indubitatiſſimum amoris erga Deum.

VERS. 21. Πώλησόν σου τὰ ὑπάρχοντα, καὶ δὸς πτωχοῖς.

Cùm *Chriſtus* vendere omnia & dare pauperibus *perfectionem* vocat, ſecundùm Idioma gentis loquitur, quibus hoc ità viſum. Divitemque hunc, de exacta ſua Legis præſtatione jactantem, experitur, an, ad vitam æternam aſpirare præ ſe ferens, ad perfectionem iſtam aſpirare velit, quam laudârunt ſui. Non, quòd vel hinc *Chriſtianos* voluntariæ paupertati devoveat, nec quòd iſtum in perfectione *Phariſaica* ultimatè quieſcere hortetur; ſed animum ejus ad abnegationem mundanorum elevans, ad eam, ex ipſa doctrina *Phariſaica*, quam ipſe profeſſus eſt, provocat.

In Tractatu *Peah*, cap. 1. hal. 1. hæc habentur. *Iſtis rebus non eſt ſtata menſura, Angulo agri* (pauperibus relinquendo) *Primitiis, Apparitioni in Templo* [ſecundùm Legem, *Exod.* 23:15, 17. ubi non ſtatuitur qualis aut quanta oblatio adducenda] *Exhibitioni miſericordiæ, & Studio Legis.* Caſuiſtæ, apicem iſtum de *exhibitione miſericordiæ* diſcutientes, ſic de ea determinant. *Exhibitioni quidem miſericordiæ non præſcribitur ſtata menſura,* quoad

Digitized by Google

CAP. XIX. VERS. 4, 28.

quoad auxilium pauperibus præſtandum corpore tuo [hoc eſt, labore tuo corporali] *at quoad nummos eſt ſtata menſura, nempe divitiarum tuarum pars quinta: nec tenetur quis ex opibus ſuis dare pauperibus ultra partem quintam*; לבד אם עשה כן במדרת הסידות, *niſi hoc fecerit ex extraordinaria devotione*. Vide *Rambam* in locum, & *Gemaram Hieroſolymitanam*: ubi etiam adducitur exemplum *R. Iſhbab* omnia ſua diſtribuentis pauperibus.

VERS. 24. κάμηλον διὰ τρυπήματ☉ ῥαφίδ☉ διελθεῖν, &c.

Phraſiologia in Scholis uſitata, rem inuſitatiſſimam difficillimamque innuens. *Babyl. Berac.* fol. 55. 2. ubi agitur de inſomniis atque eorum interpretatione, hæc ſubjiciuntur: לא מחוו ליה לאיניש לא דקלא דדהבא ולא פילא דעייל בקופא דמחטא, *Non oſtendunt homini Palmam ex auro, nec elephantem incedentem per foramen acûs*. Gloſſa, *Rem quam non ſolitus eſt videre, nec de qua unquam cogitavit.*

Idem, *Bava Mezia*, fol. 38. 2. *R. Sheſheth* τῷ *R. Amram*, ſecum diſputanti, atque incongruum quid aſſerenti, ſic reſpondit, דילמא מפומבדיתא את דמעיילין פילא בקופא דמחטא, *Fortè tu è Pombedithanis es, qui introducere poſſunt elephantem per foramen acûs:* id eſt, interprete *Aruch*, *Qui dicunt impoſſibilia.*

VERS. 28. Ὑμεῖς ἀκολουθήσαντές μοι ἐν τῇ παλιγγενεσίᾳ.

Renovandum mundum in adventu *Meſſiæ*, & prædicatione Euangelii, aſſerunt Scripturæ, & credunt *Judæi*, at ſenſu craſſiori; quod obſervamus ad Caput viceſimum quartum. *Salvator* ergò per vocem Παλιγγενεσίαν, ad rectam rei apprehenſionem animos Diſcipulorum revocat, Renovationem illam innuens, de qua Scriptura loquitur, non corporis, aut ſubſtantiæ terrarum orbis, eſſe, ſed in renovatione morum, doctrinæ, atque œconomiæ ei conducentis, conſiſtere; homines renovandos, regenerandos, non fabricam mundi. Hoc ipſum *Nicodemum* docet, de natura regni cœlorum agens, *Joann.* 3.

Ὅταν καθίσῃ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ἐπὶ θρόνου δόξης αὐτοῦ, καθίσεσθε καὶ ὑμεῖς.

Deducuntur hæc è *Danielis*, Cap. 7. verſibus 9, 10. כרסון רמיו, Quæ miror ab interpretibus *Ab. Ezra*, *R. Saadia*, aliiſque, tam *Judæis*, quàm *Chriſtianis*, verti, *Throni dejecti ſunt*: rectiùs *R. Sol. Vulgat.* aliique, *Throni poſiti ſunt*: ubi *Lyranus*, *Dicit THRONI in plurali; quia non ſolus Chriſtus judicabit, ſed Apoſtoli & viri perfecti ei aſſiſtent in Judicio, ſuper thronos ſedendo.* Eòdem & verba ſub manibus flectunt interpretes plerique: Sanctos ſcilicet die Judicii *Chriſto* aſſeſſuros, ac judicium ejus approbaturos, atque applauſuros. At, 1. Præterquam quòd ſcena Judicii extremi in Scriptura depicta ſemper tam ſanctos quàm impios repræſentet ſtantes coram tribunali *Chriſti*, *Matth.* 25: 32. 2. *Cor.* 5: 10. &c. mentionem hìc habes tantùm *duodecim thronorum*: Et, 2. mentionem etiam ſolùm de *duodecim* Tribubus *Iſraëlis* judicandis. Senſum ergò loci ex his perpenſis optimè eruas.

I. Thronos iſtos in *Daniele* erectos non de ultimo *Chriſti* Judicio intelligendos, ſed de judicio ſuo in ingreſſu ejus in imperium ſuum Euangelicum; cùm rerum omnium erectus eſſet à Patre ſummus Moderator, rex, Judex, *Pſalm.* 2: 6. *Matth.* 28: 18. *Joann.* 5: 27. Nam adverte ſcopum & ſeriem Prophetæ, Poſt dirutas ſcilicet quatuor Monarchias, *Babyloni-cam*, *Medo-Perſicam*, *Græcam*, *Syro-Græcam*, quæ tyrannide ſuâ orbem Eccleſiamque infeſtâſſent, oriturum regnum *Chriſti*, &c.

In hunc ſenſum *Danielem* interpretantur verba illa, *Regnum cœlorum appropinquavit*, ſcena iſta judiciaria ſtata in *Apoc.* 4, & 5. & throni iſti *Apoc.* 20: 1, &c.

II. Thronus gloriæ, de quo verba ſub manibus, intelligendus eſt de Judicio à *Chriſto* ferendo in populum *Judaicum*, perfidum, rebellem, nequiſſimum. Occurrit frequentiſſimè mentio de adventu *Chriſti* in gloria hoc ſenſu, quod copioſiùs diſſerimus ad Caput viceſimum quartum.

III. Aſſeſſionem Apoſtolorum non de perſonali intelligendam ſatis arguitur, quòd *Judas* unus jam fuerit è numero, ſed de doctrinali: ac ſi dixiſſet, Cùm judicium ego tulero de gente hac iniquiſſima, tunc eos judicabit ac condemnabit doctrina veſtra, quam meo nomine prædicâſtis. Vide *Rom.* 2: 16.

Hinc liquet, Euangelium omnibus duodecim Tribubus *Iſraëlis* prædicatum ante exciſas *Hieroſolymas*.

CAP. XX.

VERS. 1. Ἐξῆλθεν ἅμα πρωῒ μισθώσασθαι ἐργάτας. — CAP. XX. VERS. 1.

IStiuſmodi parabolam, ſed non ſine delirio applicatam, habes in *Hieroſ. Beracoth*, fol. 5. 3. Phraſium ergò eam adducemus. *Cuinam fuit R. Bon bar Chaija ſimilis?* למלך ששכר פועלים, *Regi, qui conduxit operarios multos; inter quos fuit unus conductus, qui opus ſuum præſtitit extraordinariè. Quid fecit Rex? Secum*

CAP. XX. VERS. 1, 8.

cum eum tulit, atque cum eo ambulavit hinc illinc. לעיתותי ערב, Ὀψίας γενομένης, *venerunt operarii iſti,* ליטול שכרן, ἵνα λήψωνται τὸν μισθὸν αὐτῶν, *deditque ille iſti mercedem completam cum iis,* והיו הפועלים כתרעמין, καὶ ἐγόγγυζον οἱ ἐργάται λέγοντες, אנו יגענו כל היום, *Nos graviter laboravimus per totum diem, hic autem non niſi per duas horas, & data eſt ei merces æqualis noſtræ. Dicit iis Rex, Laboravit ille plus duabus horis, quàm vos toto die. Sic plus Legi incubuit R. Bon annis viginti octo, quam alius annis centum.*

Ἅμα πρωΐ.

Gloſſa in *Babyl. Bava Mezia*, fol. 83. 2. *Tempus operandi eſt ab exortu Solis uſque ad prodeuntes ſtellas, & non à primùm lucente aurora: & hoc probatur ex capite* אמר להם הממונה, *Dicit iis præfectus* [*Joma*, cap. 3. & *Tamid*, cap. 3.] *ubi dicunt, Lucet totus Oriens, & egrediuntur homines ad conducendum operarios: unde arguitur, eos ad opus ſuum non egreſſos ante ortum Solis. Probatur etiam ex Tractatu Peſachim, ubi dicitur, quòd prohibitum eſt die Paſchatis opus aliquod ſervile facere ab exortu Solis; hoc innuens, illud fuiſſe tempus, quo opera ſua ordirentur operarii*, &c.

Μισθώσασθαι ἐργάτας.

Lege hîc, ſi placet, caput ſeptimum τοῦ *Bava Mezia*, cujus initium שוכר את הפועלים, & *Maimon.* שכירות cap. 9, & 11.

VERS. 2. Συμφωνήσας ἐκ δηναρίου τὴν ἡμέραν.

Denario argenteo, quem aureus exceſſit vigeſies & quater; nam דינר זהב הוא כ"ה דנרי כסף, *Denarius aureus valet viginti quinque argenteos.* Gloſſa in *Cherithuth*, cap. 2.

Diſtinguunt Canones *Hebræorum* de conducendis operariis, prout ratio poſtulat, inter שכיר יום, *Conductus in diem*, & שכיר שעות, *Conductus in horas quaſdam.* Quod & in hac parabola obſervandum: nam manè conducuntur in totum diem, atque denario; at poſteà in horas, iiſque proportionata pars denarii pro ratione temporis, quo operarentur.

VERS. 8. Κάλεσον τοὺς ἐργάτας, &c.

Nam *è præceptis legis affirmativis eſt, ut detur merces operario conductitio tempore ſuo; ſicut dicitur*, In die ſuo dabis ei mercedem ſuam: *ſique detineatur poſt tempus ſuum, peccatur in præceptum negativum; ſicut dicitur*, Non occidet ſol ſuper eum, &c. *Maimon.* שכירות cap. 11.

CAP. XX. VERS. 13, 22.

VERS. 13. Οὐχὶ δηναρίου συνεφώνησάς μοι;

In conducendis operariis valuit plurimùm mos loci. Hinc Axioma, לחזי היכי נהיגי בעיר, *Obſerva morem urbis. Babyl. Bava Mezia*, fol. 83. 2. de hac ipſa re loquens. Itemque exemplum *Hieroſ. Mezia*, fol. 11. 2. *Tiberienſes, qui Bethmeonem aſcenderunt ut conducerentur in operarios, conducti ſunt ſecundùm morem Bethmeonis*, &c. Obiter obſervemus etiam illud, quod à *Babylonicis* dicitur, loco noviſſimè citato, ונחזי מהיכא קא אתו בנקוטאי, id eſt, ut reddit Gloſſa, *Obſervandum an veniant ex locis variis; ſunt enim loca, ubi citiùs ad opus pergitur, & ſunt, ubi ſeriùs.*

Hinc duo in parabola ſub manibus poſſunt elucidari. I. Cur tam diverſis horis conduci dicuntur: ideò ſcilicet, quòd illuc ex variis locis confluxiſſe ſupponantur. II. Cur cum conductis horis tertiâ, ſextâ, undecimâ, non pactus ſit ſtatâ mercede, prout cum conductis citò manè; ſed dicat tantùm, *Quodcunque juſtum fuerit dabo vobis:* quia nempe pro more loci agi ſupponitur. At verò, cùm merces iis reddenda eſt, ex gratia domini vineæ æqualiter agitur cum conductis in horas & conductis in totum diem; cùmque hi obmurmurent, reſponſum recipiunt à proprio pacto, Συνεφώνησάς μοι. Nota hic Canonem. *Maimon.* ubi ſupra, cap. 9. *Dicit Paterfamilias ſervo, Ito, conduc mihi operarios quatuor denariis, atque abit ille, & conducit eos tribus; quamvis labor eorum mereatur quatuor denarios, non reddentur tamen iis niſi tres,* שקיבלו על עצמן ויש להם תרעומת על שליח, *eò quòd ex compacto hoc in ſe ſuſceperunt, & querela* [γογγυσμὸς verſu 11.] *iis eſt adverſus ſervum.*

VERS. 22. Τὸ βάπτισμα, ὃ ἐγὼ βαπτίζομαι.

De *poculo* Phraſiologia, hanc præcedens, è variis Scripturæ locis deſumitur, ubi triſtia & acerba ex amaro poculo hauſtis comparantur. Crederes כוס פורענות, *Poculum vindictarum*, de quo mentio *Babyl. Beracoth*, fol. 51. 2. idem ſonare; ſed longè aliud denotat. Nè grave ſit locum allegâſſe, ſit hoc licèt aliquantum extra metas. *Nè fabulentur, inquiunt, ſuper poculum benedictionis, & nè benedicant ſuper poculum ultionum.* מאי כוס פורענות, *Quidnam eſt poculum ultionum? Dicit R. Nachman bar Iſaac, Poculum ſecundum.* Clariùs *Rabbenu Aſher* & *Piske*, הרא"ש *Si ebibit duo pocula, nè benedicat ſuper tertium.* Gloſſa, *Qui ebibit pocula duplicata, plecti-*

Digitized by Google

CAP. XXI. VERS. 2, 5.

plectitur à dæmonibus. Sed ad rem præ manibus.

Tam acerba res erat Baptiſmus *Judæorum*, immerſio ſcilicet totius corporis in aquas etiam gelu & nivibus horrentes, ut non immeritò indè, partim ob ſubmerſionem, partim ob frigus, deſumeretur ſignificatio aſperrimæ mortis. Referunt *Hieroſolymitani*, *In diebus Joſuæ ben Levi aggreſſos quoſdam ablutiones mulierum* (טבילה, Baptiſmos) *è medio tollere, eò quòd fœminæ Galilææ præ frigiditate aquarum ſterileſcerent*, *Berac.* 6. 3. quod notavimus antè ad Capitis tertii verſum ſextum.

CAP. XXI.

VERS. 2. Ὄνον καὶ πῶλον.

TAlmudicis, חמור וגידור קטון. *Hieroſ. Bava Mezia*, fol. 11. 1. In iſto Tractatu, *Mezia*, agitur de aſino conductitio, & quibus conditionibus teneatur conducens, cap. 6. halac. 3. Inter alia hæc illìc habet *Gemara Babylonica*: כל מעביר על דעת של בעל בית נקרא גזלן, *Quicunque tranſgreditur in mentem poſſeſſoris, vocatur Raptor*. fol. 78. 1 Exempli gratiâ, Si aſinum conducat ad iter in planitie, atque ipſe divertat ſe ad iter montanum, &c.

Hinc miraculum ſapit, non rapinam, quòd abſque pactis, aut conditionibus, abducatur hæc aſina; & poſſeſſori, & aſtantibus, nudis his verbis ſatisfiat, *Dominus opus habet*.

VERS. 5. Πραῢς, καὶ ἐπιβεβηκὼς ἐπὶ ὄνον.

Duplicem adimpletionem coronat hic triumphus *Chriſti*; I. Prophetiæ hujus *Zachariæ*. II. Aſſumptionis Agni *Paſchalis*; nam ipſiſſimus hic dies is erat, quo, ex mandato Legis, aſſumendus ille erat, *Exod.* 12: 3.

Talmudicis vix conſtat, quomodo inter ſe conſtent verba *Danielis* de *Meſſia*, quòd *venit cum nubibus cœli*, Dan. 7: 13. & hæc *Zachariæ*, quòd *venit inſidens aſino.* Vide *Babyl. Sanhedr.* fol. 98 1. *Si boni ſunt Iſraëlitæ*, inquiunt, *tunc veniet in nubibus cœli*; *ſi verò non boni, tunc equitans aſino.* Longè falleris, ô *Judæe*: nam *in nubibus cœli* venit judex, vindex, ultor, quia vos mali, quia vos peſſimi; at inſidens aſino, non quia vos boni, ſed quia ille bonus.

אמר ליה שבור מלכא לשמואל, *Sapores Rex dixit Samueli*, *Dicitis vos Meſſiam veſtrum venturum ſuper aſinum*, *ego mittam ei equum nobilem* *Reſpondit ei*, *Non eſt tibi equus centimaculus*, *qualis eſt ejus aſinus.* Ibid. In ſumma *Meſſiæ* humilitate faſtum ſomniant, etiam in ipſius aſino.

CAP. XXI. VERS. 8, 9.

VERS. 8. κλάδους ἐστρώννυον ἐν τῇ ὁδῷ.

Non quòd veſtes & ramos in ipſa ſemita ſub pedibus aſini calcandos ſternerent, (hoc forſan equitantem proſterneret) ſed juxta viam tentoriola & tabernacula ex veſtibus & ramis confinxerunt, ad morem feſti Scenopegiæ. Addit etiam *Joannes*, arreptis in manibus palmarum ramis, לולבין, ei in occurſum prodiiſſe. Commentabitur hic optime codex *Maimonidis* סוכה ולולב, & Tractatus *Talmudicus*, *Succah*.

Nos pauca hæc excerpemus, præſenti hiſtoriæ non incommoda.

Maimon Succah, cap. 5. artic. 17. *Expandit quis veſtem in tabernaculum ſuum propter ſolis ardorem?* &c. *abſurdum eſt*; *at*, *ſi expandit veſtem ob decorem atque ornamentum*, *approbatur.*

Idem, cap. 7. *Rami palmarum*, *de quibus Lex, Levit.* 23: 40. *ſunt virgulta palmarum creſcentia*, *antequam folia eorum hinc illinc dividantur*; *at*, *cum ſunt ſicut bacululi*, *atque hi vocantur* לולב. Atque aliquantò pòſt. *Præceptum nobile eſt*, *ut colligarent* ··ריל·, *& ramuſculos myrti & ſalicum in faſciculum unum, & in manibus geſtarent*, &c.

VERS. 9. Ὡσαννὰ τῷ υἱῷ Δαβίδ.

Quibuſdam hæret, quòd dicatur τῷ υἱῷ, & non ὦ υἱέ: unde ad *Caninium* veluti ad oraculum recurritur, referentem ipſos ramorum faſciculos vocari *Hoſanna*, atque hæc verba, *Hoſanna filio David*, nihil aliud velle quàm *Rami filio David.* Vide *Baronium* ad annum *Chriſti* 34. Non negabimus faſciculos aliquando ſic vocari, quod videtur in iſtis clauſulis, *Babyl. Succah*, fol. 37. 2. לא לדרוץ לא לינוץ איניש, & איניש לולבא בהושענא לולבא בהושענא. Ubi patet virgultum palmæ vocari לולב, ramosque myrti & ſalicum colligatos vocari הושענא: vide Gloſſam. At verò, ſi *Hoſanna filio David* ramos filio *David* velit; quid ſibi volunt verba iſta, *Hoſanna in altiſſimis?* Verba ergò hæc occinentium huc redeunt, ac ſi diceretur, *Jam canimus Hoſanna Meſſiæ.*

In feſto Scenopegiæ cani ſolitum eſt *magnum*, ut vocant, *Hallel*, id eſt, *Pſalmi* 113, 114, 115, 116, 117, 118. Dumque ab uno occinerentur, vel recitarentur verba *Pſalmorum*, à toto cœtu aliquando reſponſum eſt ad quaſdam clauſulas, *Halleluia*: aliquando repetitæ ſunt ipſiſſimæ clauſulæ ab occinente recitatæ: aliquando quaſſati atque agitati ſunt faſciculi. *Quando autem agitati ſunt faſciculi?*

Digitized by Google

CAP. XXI. VERS. 9.

inquit Rubrica *Talmudica* ; *Ad iſtam clauſulam* "הודו לה, *Gratias agite Domino*, *in initio* Pſalmi 118. *& fine.* ובאנא ה׳ הושענא, *atque ad iſtam clauſulam*, *Salva obſecro*, *Domine*, Pſalm. 118:25. *ut dicit Schola Hilleliana: at Shammæana etiam dicit*, *Ad iſtam clauſulam* ה׳ הצליחה נא, *O Domine*, *quæſo*, *bene proſpera. Dixit R. Akibah*, *Vidi ego Rabban Gamalielem*, *ac Rabbi Joshuam*, *cùm omnis cœtus faſciculos ſuos agitaret*, *ſuos non agitantes*, *niſi ad iſtam clauſulam*, *Salva*, *obſecro*, *Domine. Succah*, cap. 3. halac. 9.

Unoquoque die feſti ſoliti ſunt Altare ſemel circumire cum faſciculis in manibus hoc occinentes, אנא ה׳ הושיעה נא ה׳ הצליחה נא, *Salva*, *obſecro*, *nunc Domine; proſpera*, *obſecro*, *Domine: at die feſti ſeptimo ſepties Altare circuiverunt*, &c. *Maimon.* in *Succah*, cap. 6.

Agitatio vel quaſſatio faſciculorum fuit dextrorſum ſiniſtrorſum, *ſurſum deorſum. Babyl. Succah*, fol. 27. 2.

Ratio faſciculorum hæc fuit, *quia ſcriptum eſt*, Tunc occinant arbores ſylvæ, *Pſalm.* 96:12. *Et ſcriptum eſt poſteà*, Gratias agite Domino, quia bonus eſt, *Pſalm.* 106. 1. *Et poſteà*, Salva nos, Domine Deus noſter, &c. *Pſalm.* 106:47. *Eſtque myſtica ratio. In initio anni in judicium prodeunt Iſraël & nationes mundi; cùmque ignorent quinam juſtificandi*, *quinam rei*, *præcepit Deus Sanctus Benedictus Iſraëli*, *ut lætarentur cum faſciculis hiſce*, *ſicut homo exiens è conſpectu judicis juſtificatus lætatur. Ecce ergo quid ſcriptum eſt*, Occinant arbores ſylvæ; *quaſi diceretur*, *Occinant cum arboribus ſylvæ*, *cùm exeunt è conſpectu Domini juſtificati*, &c. *Rabbenu Asher* in *Succah*, fol. 66. 2, 3.

His de more & ritu iſtius Feſti, quoad hos ramos, præmiſſis, ad hiſtoriam noſtram jam redimus.

I. Summam obſervationem meretur, quòd cœtus *Chriſtum*, jam ad *Paſcha* accedentem, excipiat cum ſolennitate Feſti Tabernaculorum. Nam quidnam huic cum tempore *Paſchali*? Rationem rei accuratiùs indaganti occurrunt, Primò, Feſti iſtius præ omnibus aliis hilaritas, de qua non opus eſt ut multa dicamus, cùm ipſiſſimum feſti nomen (nam κατ᾽ ἔμφασιν חג, id eſt, feſtivitas, vocabatur) id ſatis arguat. Secundò, Prophetia iſta *Zachariæ*, Cap. 14:16. quæ utcunque ſecundùm literam non ſit intelligenda, indè tamen ſatis arguitur ſingularis iſtius feſti præ omnibus aliis ſolennitas & lætitia; atque ab iſthac forſan Prophetia arrepta eſt anſa ad præſentem actionem. Cùm enim *Meſſiam* vellent cum omni animi lætitia, triumpho, atque affectu recipere, (nam, cùm *Filium Davidis* eum vocant, pro *Meſſia* eum habuiſſe ſatis claret) non erat, quo ardentiorem zelum, atque de eo jucunditatem, exprimerent, quàm ſolenni iſtius feſti proceſſione. Præ oculis habent *Meſſiam*, ab eo exſpectant grandia; immodico ergò rapiuntur gaudio in ejus adventu.

CAP. XXI. VERS. 12.

II. Cùm autem jam non occineretur ſolenniter, quod ſolitum, *magnum Hallel*, eò quòd ſubitanea eſſet præſens actio, abſorpta quaſi eſt tota cantionis iſtius celebritas in frequenti geminatione & regeminatione τοῦ *Hoſanna:* prout in Templo ſolitum, dum circuirent Altare. Et modò occinunt *Hoſanna filio Davidis*, modò *Hoſanna in altiſſimis*; ac ſi dixiſſent, Jam *Hoſanna* canimus filio *Davidis*, Salva nos, obſecramus, tu qui in altiſſimis, ſalva nos per *Meſſiam*.

VERS. 12. Ἐξέβαλε πάντας τοὺς πωλοῦντας ϗ ἀγοράζοντας ἐν τῷ ἱερῷ.

I. Conſtans & perpetuum erat emporium in Templo, in loco iſto qui vocabatur חנות, *Tabernæ*, in quibus indies vendebantur, vinum, ſal, oleum, aliaque requiſita ad ſacrificia; itemque boves & pecora in ſpatioſa area atrii Gentium.

II. Auxerat emporium appropinquans *Paſcha*, ad quod cùm requiſita eſſent innumera pecora, divendenda illuc adducebantur. Subit hìc hiſtoria de *Bava ben Buta*, *Hieroſ. Jom tobh*, fol. 61. 3. *Veniens quâdam die Bava ben Buta in atrium*, *vacuum pecoribus illud reperit. Deſolentur*, *inquit ille*, *domus eorum*, *qui deſolatam reddiderunt domum Dei noſtri. Accerſivit ter mille oves ex ovibus Kedar*, *& poſt examen*, *an abſque labe eſſent*, *eas induxit in montem domus*, id eſt, in atrium Gentium.

Τὰς τραπέζας τῶν κολλυβιστῶν κατέστρεψε.

Quinam fuerint iſti *collybiſtæ*, optimè diſcas ex *Talmude* & *Maimonide* in Tractatu *Shekalim.*

Maimon. Shekal. cap. 1. *Præceptum affirmativum eſt de Lege*, *ut det unusquiſque ex Iſraële dimidium Sicli annuatim: etiam pauper*, *qui ex Eleemoſyna ſuſtentatur*, *ad hoc tenetur*; *ab aliis nummum emendicans*, *vel veſtem ſuam divendens*, *perſolvat Hemiſiclum*, *ſicut dicitur*, Dives non addet, & pauper non diminuet, *Exod.* 30:15.

Idem, ibid. & *Talm. Shekal.* cap. 1. *Primo die menſis Adar publicum præconium ediderunt de hiſce Siclis*, *ut in promptu habeat unusquiſque Hemiſiclum ſuum*, *& paratus ſit ad perſolvendum. Decimo quinto igitur iſtius menſis*, *ſederunt Trapezitæ* (השולחני) *in unaquaque civitate*, *pacatè nummum hunc exigentes: à dante receperunt*, *non dantem autem non compulerunt.*

Die

CAP. XXI. VERS. 12.

Die menſis iſtius viceſimo quinto, ſederunt in Templo: & jam coegerunt ut darent; & ab eo, qui non daret, pignus extorſerunt, vel ipſam tunicam.

Idem cap. 2. *In urbibus ſederunt collocatis ante ipſos duabus ciſtis, in unam quarum tributum anni præſentis, in alteram præteriti repoſuerunt. In Templo ſederunt collocatis ante ipſos tredecim ciſtis, prima pro Siclis anni præſentis, ſecunda pro præteriti, tertia pro nummo oblato ad coëmendas columbas,* &c. Has ciſtas vocârunt שופרות, *Tubas*, eò quòd tubarum inſtar arcti eſſent oris, at ventris ſpatioſi.

Idem cap. 3. *Opus eſt, ut habeat unusquiſque Hemiſiclum, quem pro ſe perſolvat. Cùm ergò accedit ad Trapezitam, ad Siclum mutandum duobus Hemiſiclis, lucrum ei aliquod reddere tenetur, quod vocatur* קולבון, Κόλλυβος. *Duoque, cùm unum Siclum penſant,* שניהם חייבין בקולבון, *Uterque tenetur ad lucrum, vel reditum iſtum, etiam perſolvendum.*

Et non multò pòſt, כמה הוא שיעור הקולבון. *Quanti valoris eſt iſtud lucrum? Tunc temporis, cùm denarios perſolverent pro Hemiſiclo, Kolbon* (vel, lucroſus redditus nummulario penſus) *fuit dimidium Meæ, hoc eſt, pars duodecima denarii: & nunquam minùs. Non autem erant Kolbonoth ſicut Didrachma, at ea ſeparatim ſepoſuerunt Trapezitæ, uſque dum de iis ſatisfieret ſacrato.*

Vides quinam hi κολλυβισαὶ, & unde nomen. Videſque *Chriſtum* non arcas evertiſſe, in quibus repoſitus nummus ſacratus, ſed menſas, in quibus tranſactio lucri hujus exſecrandi.

Τῶν πωλέντων τὰς περιστεράς.

מובני קינים. Vide Tractatum *Talmudicum* iſtius tituli.

Cherithuth, cap. 1. halac. 7. עמדו קינים בירושלם בדינרי זהב, *Vænibant aliquando columbæ Hieroſolymis denariis aureis: unde dixit Rabban Simeon ben Gamaliel,* המעון הזה, *Per Templum hoc, ego non recubabo hâc nocte, niſi væneant denariis argenteis,* &c. *Ingreſſus Synhedrium ſic ſtatuit, Mulier quinque puerperiorum indubitatorum, aut quinque profluviorum indubitatorum, teneatur tantùm ad oblationem unam: unde vænibant columbæ ipſiſſimo iſto die duobus quadrantibus.*

Puerperis, & profluvio laborantibus, oblatio pro purificatione erant columbæ, &c. *Levit.* 12. & 15. Jam verò, cùm *Hieroſolymas* non itum ſit cum oblationibus ſuis, niſi ad feſta, hinc major pecorum, columbarum, turturum, &c. tunc temporis numerus requiſitus. Vide quæ diximus ad Capitis quinti verſum viceſimum tertium.

CAP. XXI. VERS. 15, 19.

VERS. 15. Παῖδας κράζοντας ἐν τῷ ἱερῷ, καὶ λέγοντας Ὡσαννά.

Pueri, vel à primis annis, edocti ſunt faſciculos tractare, atque agitare, atque agitantes *Hoſanna* canere. *Succah*, cap. 3. hal. ult. קטן היודע לנענע חייב לולב, *Parvulus, quamprimùm agitare faſciculum novit, tenetur ad geſtandum faſciculum.* Ubi ſic *Gemara. Tradunt Rabbini, Quamprimùm parvulus edoceri poteſt agitare faſciculum, tenetur ad geſtandum faſciculum: quamprimùm novit ſe velare, induat fimbrias: quamprimùm novit Phylacteria patris cuſtodire, induat propria: quamprimùm fari poteſt, doceat eum pater Legem, & recitationem Phylacteriorum,* &c.

VERS. 19. Οὐδὲν εὗρεν ἐν αὐτῇ, εἰ μὴ φύλλα μόνον.

Obſcuritatis non parùm præbet hic locus cum *Marco* collatus, qui dicere videtur, ideo non repertas fuiſſe in hac arbore ficus, quòd non adeſſet tempus ficuum, οὐ γὰρ ἦν ὁ καιρὸς σύκων, *Marc.* 11:13. Quare ergò ficus exſpectaret *Salvator*, cùm certiſſimè dignoſcere eſſet, nondum eſſe tempus ficuum? Et quare, iis non repertis, arbori malediceret inſonti, ac pro natura ſua agenti?

I. Situm arboris hujus primò perpendamus. Dicit Euangeliſta noſter, fuiſſe eam ἐπὶ τῆς ὁδοῦ. Subit hìc diſtinctio, *Talmudicis* uſitatiſſima, inter שמור & מופקר, id eſt, inter fructus arborum communis juris, quæ ad dominum aliquem peculiarem non pertinuerunt, ſed in locis ſaltuoſis, aut paſcuis communibus naſcebantur; & fructus arborum in hortis, paradiſis, aut agris, domino alicui particulari propriis, enaſcentium. Quantùm diſcrepantiæ intèr hos fructus poſitum ſit à Canoniſtis quoad decimationem, & quoad comeſtionem, ſparſim occurrit per totam ferè claſſem זרעים. Prioris generis fuiſſe videtur hæc ficus, תאנה מדברית, *Ficus ſylveſtris*, בהפקר naſcens in loco, aut agro, non cuiquam proprio, ſed omnibus communi. Ità ut damnum particulari alicui homini non intulerit *Salvator*, cùm arborem hanc areſaceret; ſed talis ea erat, de qua omninò dici non potuit, *Mea*, aut *Tua*.

II *Non invenit niſi folia*, eò quòd adhuc longè aberat tempus ficuum, *Marc.* 11:13.

1. *Babyl. Peſachin*, fol. 52. 2. *A quo tempore non amputant arbores anno ſeptimo? Schola Shammæana dicit,* כל האילנות משיוציאו, *Omnes arbores ex eo tempore, quo producunt* [folia]. Gloſſa, *Initium foliorum eſt in diebus Niſanis.*

2. *Hieroſ. Sheviith*, fol. 35. 4. *Rabban*

Digitized by Google

CAP. XXI. VERS. 19

Simeon ben Gamaliel dicit, A productione foliorum uſque ad groſſos ſunt quinquaginta dies: à groſſis uſque ad decidentes gemmas quinquaginta dies: atque indè ad ficus maturas quinquaginta dies.

Si ergò prima protruſio foliorum ficuum menſe *Niſanis* fuerit, præceſſeritque ea maturitatem ficuum, per ſpatium quinquemeſtre, ſatis liquet ficus anni ineuntis à *Salvatore* non exſpectatas, nec exſpectari potuiſſe.

Ut rem accuratiùs aliquantùm perveſtigemus, purumque eſſe textum *Marci*, ſecundùm quod vulgò legitur, *Non enim erat tempus ficuum*, aſtruamus:

I. Obſervandum eſt illud, quod dicitur de anni intercalatione. *Propter tria intercalant annum, Propter ſpicam virentem, propter fructus arboris, & propter Tekupham. Babyl. Sanhedr.* fol. 11. 2. Latiùs *Maimonides* in *Kidduſh Hodeſh*, cap. 4. quem vide. Jam verò, ſi quæras quid ſibi velit intercalatio propter fructus arboris, reſpondet Gloſſa, *Si ſe tardatura ſit maturitas fructuum uſque dum præterierit Pentecoſte, intercalant annum; quippe quòd Pentecoſte ſit tempus adductionis primitiarum: ſique tunc temporis non adduceret quis, cùm accederet ad illud feſtum, aliud iter eſſet ei ſuſcipiendum.* Jam verò hoc non de omnibus arboribus eſt intelligendum, ſed de quibuſdam tantùm, quæ fructus protruſerunt circa tempus *Paſchatis*, atque ad maturitatem eos adduxerant ad feſtum *Pentecoſtes*. Sic enim *Maimon.* loco citato, *Si videat Synhedrium, quòd adhuc non adſit ſpica virens, quòdque non germinaverit fructus arborum germinare ſolitus ad feſtum Paſchatis,* [nota illud *germinare ſolitus*] *duabus hiſce cauſis innitentes intercalant annum.* Inter has minimè numerari poteſt ficus: nam cùm, teſte *Salvatore*, Matth. 24: 32. protruſio foliorum ejus index fuerit æſtatis adventantis, vix exſpectes aliquam ficuum maturitatem, imò, teſtibus *Talmudicis*, vix protruſionem foliorum, ante *Paſcha*. Cùm in præcedentibus dicatur, *Pentecoſten* fuiſſe tempus adducendarum primitiarum, non ſic intelligendum, ac ſi omnium arborum primitiæ tunc adducerentur; ſed quòd non liceret ante *Pentecoſten* aliquas adducere: ſic enim aperto Canone eſt cautum, *Non adducendæ ſunt primitiæ ante Pentecoſten. Incolæ montis Zeboim ſuas adduxerunt ante Pentecoſten, ſed eas ab iis non receperunt, eò quòd ſcriptum ſit in Lege,* Et Feſtum meſſis primitias operum tuorum, quæ ſeviſti in agro. *Exod.* 23: 16. *Biccurim*, cap. 1. hal. 3.

II. Varia memorantur genera ficuum à *Talmudicis* præter vulgares illas, quæ nobiliores, quæ in hortis natæ ſunt & Paradiſis. I. הקלין שיתין, De quibus *Demai*, cap. 1. hal. 1. שברמאי שיתין.וגו׳, Id eſt, Inter ea, quæ levioris curæ æſtimabantur, inter res dubias quoad decimationem fuerunt שיתין, quæ, teſte Gloſſatore, fuerunt תאני מדבריות, *Ficus ſylveſtres.* II. Memorantur & ibidem loci בנות שקמה, quæ, ut volunt quidam, fuit ficus ex Platano mixta, תאנה מורכבת בערמון. III. At verò inter omnia iſta ficuum genera memoriâ dignæ erant ficus iſtæ, quæ פרסאות dicebantur, atque iſtæ magis, quæ בנות שוח, quæ, niſi ego fallar, ad rem noſtram faciunt: non quòd aliis eſſent nobiliores, ſed quòd fructificationis inuſitatioris. De his mentio *Sheviith*, cap. 5. *hal.* 1. his verbis, בנות שוח שביעית שלהם שניה שהן עושות לשלוש שנים ר׳ יהודה אומ׳ הפרסאות שביעית שלהן מוצאי שביעי׳ שהן עושות לב״ שנים, Reddemus verba Paraphraſi Gloſſatorum. בנות שוח, *ſunt ficus albæ, ac* פרסאות, *etiam ſunt de genere ficuum: annus ſeptimus* [id eſt, annus remiſſionis] *eſt illis ſecundus* (viz. ſeptennii inſequentis) *his exitus ſeptimi.* בנות שוח, *protrudunt fructus unoquoque anno: at non ad maturitatem perducunt niſi anno tertio. Ità ut in arbore ipſa conſpiciendus eſſet unoquoque anno triplex fructus, anni ſcilicet præſentis, & præteriti, atque anni iſtum præcedentis. Sic* פרסאות *fructum perducunt ad maturitatem duobus annis*, &c.

De בנות שוח, ſic *Gemara Hieroſolymitana. Num fructum ferunt unoquoque anno? an ſemel tantùm in triennio? Unoquoque anno fructum ferunt; at fructus non matureſcit ante annum tertium. Unde autem dignoſcat quis cujus anni ſit fructus? R. Jonah dicit, Per licia appenſa. Traditio Samuelis, Affigit ei appendicula*, &c.

III. Per clementiam aëris ramis hæſerunt quàmplurimarum arborum fructus per totam hyemem, ſi manibus non decerperentur, aut excuterentur à ventis: imò per hyemem maturuerunt. Hinc cautiones iſtæ de decimatione, *Hieroſ. Sheviith*, fol. 35. 4. *Arbor, quæ fructum ſuum protrudit ante initium anni mundi* (id eſt, ante initium menſis Tiſri, quo menſe mundus creatus) *decimanda eſt pro anno præterito: at ſi poſt initium anni mundi, tum decimanda eſt pro anno ineunte. Reſpondit R. Judan bar Philia coram R. Jonah, Ecce, arbor Charob fructum ſuum protrudit ante initium anni mundi, & tamen decimatio ejus eſt pro anno ſequente. R. Jiſſa dicit, Si tertiam partem protrudat ante initium anni mundi, decimatio fit pro anno præterito; at ſi pòſt, tum pro anno inſequente. Reſpondit R. Zeira coram R. Jiſſa, Aliquando palmæ partem fructûs ſui non producunt niſi poſt initium anni mundi, & tamen decimatio earum eſt pro anno præterito. Samuel bar Abba dicit, Si tertiam partem fructûs protrudat*

Digitized by Google

CAP. XXI. VERS. 19. *trudat ante diem decimum quintum menſis Shebat, fit decimatio pro anno præterito; ſi poſt decimum quintum menſis Shebat, fit decimatio pro anno adventante.* Hinc axioma illud in *Roſh haſhanah*, cap. 1. hal. 1. *Dies primus menſis Shebat eſt initium anni pro arboribus, ſecundùm Scholam Shammæanam; at ſecundùm Hillelianam decimus quintus.*

Utcunque ficus ex earum arborum genere non eſſent, quæ fructus ſuos protruderent poſt initium *Tiſri*; nam vidiſti antè è *Talmudicis* protrudere eas ſolitas folia ſua menſe *Niſanis*, & fructus ad maturitatem decoquere diebus exinde ter quinquaginta. De illis tamen objici forſan poſſet illud, quod occurrit in *Gemara Hieroſolymitana*, loco anteà citato. *Colligit quis ficus*, inquiunt, *& non novit quonam tempore fuerint protruſæ*; [atque indè incertus eſt in quemnam annum ſint decimandæ] *R. Jonah dicit, Numeret centum dies retrò, ſique intra iſtum numerum incidat dies decimus quintus menſis Shebat; tunc dignoſcat quando fuerunt protruſæ.* At hoc intelligendum eſt de ficubus inuſitati generis, atque fructificationis inſolitæ: quod & patet ex iis quæ ſequuntur, Nam *dicunt ei, Apud vos Tiberiade ſunt, quæ fructum ferunt anno uno: quibus ille, Ecce, apud vos in Zippore ſunt, qui fructum ferunt biennio.* De ficubus vulgaribus ſat notum erat tempus ordinarium protruſionis groſſorum, & ſat notus annus decimationis: at de ficubus iſtis alieni generis, quæ vix anno toto, aut quæ non niſi biennio aut triennio fructus maturos ediderunt, non mirum eſt ſi dubitaretur in utroque.

IV. Acceſſit ergò ad arborem *Chriſtus*, fructus ex ea quærens, [quamvis non adeſſet tempus ordinarium ficuum] quia probabile admodùm erat fructus in ea reperiri potuiſſe. Præſentis quidem anni ficus nec exſpectavit, nec potuit exſpectare, cùm tam parùm adeſſet καιρὸς σύκων, ut abeſſet ferè per ſpatium quinquemeſtre; in dubioque ſit, an vel folia habuerit adhuc anni præſentis. Erat jam menſis *Niſan*, eratque iſte menſis tempus primum protruſionis foliorum, ità ut, ſi aliquantùm in lucem properepent foliorum germina, adeò tenera, minuta, & vix foliorum adhuc nomine digna erant, [nam dies menſis erat tantùm undecimus] ut ficus, ejuſdem cum iſtis foliis anni exſpectare, non ſolùm fruſtraneum eſſet, ſed ridiculum. Peculiare quid denotare videntur verba iſta ἔχουσαν φύλλα, ac ſi reliquæ ficus iſthoc loci eſſent abſque foliis, aut, ad minimum, folia non haberent, quæ pollicerentur ficus. Rationem reddere videtur *Marcus*, cur ad iſtam arborem accederet potiùs quàm ad aliquam aliam, quòd nempe in ea videret folia, atque indè ſpem ficuum. *Nam, cùm vidiſſet*, inquit, *à longinquo ficum habentem folia, venit viſurus num aliquid inveniret in ea.* A foliis ſpes ficuum: hæc ergò certè non folia erant præſentis veris, nam ea vix, aut nè vix, adhuc in rerum natura; ſed aut hæc folia erant anni præteriti; quæ per totam hyemem ficui adhæſerant; aut erat hæc ficus de eo ficuum genere, quæ ficus, pariterque folia, per biennium aut triennium appendentia habuit, antequàm perduceretur fructus ad maturitatem. Atque hanc egò poſteriorem interpretationem potiùs amplector: quæ & rem ipſam planiùs elucidet, & ſcrupulis è verbis *Marci* orientibus pleniùs ſatisfaciat. Habuiſſe hæc arbor folia videtur, quæ ficus promitteret, atque aliæ non ità; quæ ſi omnes ejuſdem fuiſſent generis, omnes, ut probabile, pariter habuiſſent. At, cùm reliquis vento & hyeme excuſſa eſſent folia anni præteriti, præſentisque, non eſſent producta, hæc ſua retinuit, pro natura & genere ſuo, & æſtate & hyeme. *Marcus* ergò in clauſula iſta, quæ maximè interpretes torquet, Οὐ γὰρ ἦν καιρὸς σύκων, non ſtrictè & ſolùm rationem reddit, cur ficus non invenerit; ſed rationem reddit totius actionis, cur ſcilicet in monte iſto, ficubus abundanti unam tantùm viderit, cui folia talia, eamque conſpectam è longinquo adierit, ab eâque ſola ficus exſpectarer. Ratio, inquit, hæc erat, *Quia non erat tempus ordinarium ficuum*: quòd ſi fuiſſet, à ficubus undique circumſtantibus decerpere potuiſſet; at cùm non eſſet, ab hac ſola erat exſpectatio, quæ de genere פרסאות, aut בנות שוח videbatur, quæ nunquam foliis ac ficubus caruerunt. Nam ut exemplum in בנות שוח ſumamus. Produxit ea ficus hâc æſtate, quæ per totam hyemem ramis hæſerunt; produxit & alias proximâ æſtate, eæque, & priores per iſtam hyemem ramis etiam hæſerunt; tertiâ æſtate tertiam prolem edidit; atque iſta æſtas prolem primam ad maturitatem decoxit: & ſic in perpetuum; ità ut nullum tempus eam fructu plurium annorum vacuam videret: minùs ergo mirum eſt, ſi ea quæ tantam fæcunditatem, ex aſpectu ſuo promiſit, ut duorum ad minimum annorum fructum exſpectaret, adeò autem ſpem fefellit, ut nè unam quidem ficum exhiberet; ſi, inquam, ea à Domino, quem, ut ità dicam, adeò fefellerat, juſtam patiatur vindictam; emblema pœnæ infligendæ *Judæis* ob eorum ſpiritualem ſterilitatem, ac hypocriſin. CAP. XXI. VERS. 19, 21.

VERS. 21. Κἂν τῷ ὄρει τούτῳ εἴπητε, Ἄρθητι, καὶ βλήθητι εἰς τὴν θάλασσαν, γενήσεται.

Hyperbolica eſt hæc locutio, à vulgari Scholarum *Judaicarum* dialecto deſumpta, atque in earum confutationem aliqualiter collimata

CAP. XXI. VERS. 21,33,35,38.

limata. Iſtiuſmodi hyperbolen de ipſiſſimo hoc monte habes in *Zach.* 14:4.

Soliti ſunt *Judæi* Doctores ſuos illuſtriores de profunditate doctrinæ aut virtutum ſplendore hâc Phraſiologiâ magnificare, הוא עוקר הרים, *Ille eſt eradicator*, [aut *tranſplantator*] *montium.*

Babyl. Beracoth, fol. 64. 1. *Rabb Joſeph eſt Sinai, & Rabbah eſt eradicator montium.* Gloſſa, *Vocârunt Rabb Joſeph Sinai, eò quòd eſſet peritiſſimus elucidationum: & Rabbah bar Nachmani Eradicatorem montium vocârunt, eò quòd acutiſſimus eſſet judicio.*

Idem, *Erubhin*, fol. 29. 1. *Dixit Rabba, Ecce, ego ſum ſicut Ben Azzai in plateis Tiberiadis.* Gloſſa, *Sicut Ben Azzai, qui profundè docuit in plateis Tiberiadis, nec erat in diebus ejus* עוקר הרים כמותו, *Eradicator montium par ei.*

Idem, *Sanhedr.* fol. 24. 1. *Vidit Reſh Lachiſh in Schola, ac ſi eradicantem montes, ac hunc illo commolentem.*

Eâdem Phraſiologiâ, quâ illi ineptè atque adulatoriè doctrinam & virtutes ſuorum magnificârunt, *Chriſtus* meritò fidem magnificat, ad omnia potentem, *Marc.* 9:23.

VERS. 33. Ἐφύτευσεν ἀμπελῶνα.

De vineis, earumque culturâ, vide *Kilaim*, cap. 4, & 5, & 6, & 7. Ubi copioſè agitur de vineæ areolis, vitium ordinibus, menſurâ torcularis, de ſepe, de foſſis, de calvitio, & de locis intra ſepem, vitibus vacuis, ſerendis vel non ſerendis, *&c.*

VERS. 35. Ἔδειραν,
Ἀπέκτειναν,
Ἐλιθοβόλησαν.

Alludi videtur ad pœnas & mortes in Synhedrio.

I. Ἔδειραν, quæ propriè *corii detractionem* denotat, non incongruè ab interpretibus redditur, *Ceciderunt:* videturque vox ad flagellationem referri, ubi quadraginta, uno minùs, verbera miſerum miſerè excoriârunt. Quære quid propriè ſibi velit vox סופג in Phraſiologia iſta uſitatiſſima, flagellationem hanc exprimente, סופג את הארבעים.

II. Ἀπέκτειναν, mortem gladio innuit, prout הרג apud Synhedrium, ד׳מיתות נמסרו לב״ד סקילה שריפה הרג וחנק, *Quatuor mortium genera tradita ſunt Synhedrio, Lapidatio, Combuſtio, Occiſio & Strangulatio. Sanhedr.* cap. 7. hal. 1.

VERS. 38. Οὗτός ἐστιν ὁ κληρονόμος, &c.

Confer hunc verſiculum cum *Joann.* 11:48. videturque innui, Primates *Judæorum Chriſtum* pro *Meſſia* inter ſe agnoviſſe; aſt eum amentes trucidâſſe, nè cultum alium populumque alium inducens, cultum ipſorum, ipſoſque, aut perderet, aut ſupprimeret.

CAP. XXI. VERS. 44. CAP. XXII. VERS. 9, 16.

VERS. 44. Καὶ ὁ πεσὼν ἐπὶ τὸν λίθον τοῦτον συνθλασθήσεται, &c.

Alluditur hîc planè ad modum lapidationis, de quo ſic *Sanhedr.* cap. 6. hal. 4. *Locus lapidationis altitudine excepit duplicem hominis ſtaturam: indè è clivo eum in terram præcipitavit unus è teſtibus, in lumbos impactum, ſi indè moriatur, bene: ſin minùs, teſtis alter lapidem ei impingit in cor,* &c. Gemara Babyl. *R. Simeon ben Eleazar dicit, Lapis illîc erat, quantum duo portarent, hunc impegerunt in cor ejus.*

CAP. XXII.

VERS. 9. Πορεύεσθε ἐπὶ τὰς διεξόδους τῶν ὁδῶν, &c.

ID eſt, Inducite huc itinerantes.

Babyl. Beracoth, fol. 43. 1. *Quiſnam eſt ordo accubitûs ad cibum? Ingrediuntur viatores, ſed entque ſuper ſubſellia aut cathedras, uſque dum introïerint omnes invitati.* Gloſſa, *Divitibus in more fuit, viatores pauperes ad convivia invitare.*

VERS. 16. Μετὰ τῶν Ἡρωδιανῶν.

Conjiciuntur multa de *Herodianis*. Ego de iis judico ex hiſtoria iſta, quam adducit autor *Juchaſin*, fol. 19. 1. de *Hillele* loquens & *Shammæo*. *Anteà*, inquit, *fuerant Hillel & Menahemus* (capita Synhedrii:) *at receſſerat Menahemus ad famulitium Herodis Regis, unà cum octoginta viris ſplendidè veſtitis.* Ego hos atque hiſce ſimiles *Herodianos* dici arbitror, qui partim ſeſe in aulam contulerant, partim partibus *Herodis* adhæſerant, patris, filiique. Quantâ lite apud magnam partem *Judaicæ* gentis *Herodes* ſolium aſcenderat firmaveratque, obſervavimus antè. Erant qui ei pervicaciter reſiſterent, erantque qui fortiter ſuffragarentur: his meritò attribuitur titulus *Herodianorum*, quippe qui ſummis viribus regnum iſtius familiæ ſuffulcirent, & firmarent: iique fuerunt, ut videtur, fidei ac doctrinæ *Sadducææ*; videnturque *Herodem* jam πλεονεχτοῦντα iſtâ doctrinâ fermentâſſe: nam, quod notavimus antè, *fermentum Sadducæorum* in *Matthæo*, Cap. 16: 6. *Marco* eſt *Fermentum Herodis*, Cap. 8: 15. Aſtutèque eſt utrinque conſultum, ut ille ipſorum doctrinæ, illi ipſius regno evaderent mutuum ſtabilimentum. Cùm *Manaenem*, vel *Menahemum*,

Digitized by Google

CAP. XXII. VERS. 20, 23.

nabemum lego, *Herodis* Tetrarchæ Σύντροφον, *Act*. 13:1. promptè ſubit nomen & hiſtoria iſta de *Menabemo* in aulam *Herodis* tot viros notæ inſignioris ſecum abducente.

VERS. 20. Τίνος ἡ εἰκὼν αὕτη καὶ ἐπιγραφή;

Pernicioſâ ſubtilitate à *Chriſto* quærunt, num ille ejuſdem ſententiæ fuerit cum *Juda Galilæo*: quam arripuerunt ſceleſtiſſimi iſti omnium turbatores, quos *Zelotarum* nomine ubique inſignit *Joſephus*; obedientiam, ac tributum Principi *Romano* ſtrenuè denegantes, eò quòd Ethnico imperio ſe ſubdere, nefas eſſe & ſibi perſuaſerunt & ſuis. Quantas ſtrages inter populum induxerit dogmatis hujus veſanus furor, teſtantur cum *Joſepho* ipſa rudera *Hieroſolymitana*, vel in hunc ipſum diem. *Cæſarem* elegerunt præ *Chriſto*, & tamen quòd *Cæſarem* nollent, nec *Chriſtum*, dira proſtant monumenta, & vindictæ divinæ, & propriæ amentiæ, in omnia ſecula. Furorem hunc reſpiciunt frequentes iſtæ Apoſtolorum commonitiones, *ut poteſtatibus ſublimioribus unusquiſque ſe ſubdat*, *Rom*. 13:1. 1 *Petr*. 2:13, &c. atque inſanientium iſtorum characteres, *Dominationes contemnunt*, 2. *Petr*. 2:10. *Judæ* verſ. 8. & *ſeſe efferunt contra omne quod dicitur Deus*, 2 *Theſſ*. 2:4.

Inſidiis quæſtionis propoſitæ reſpondet *Chriſtus* ex ipſa Scholarum determinatione, ubi hoc obtinuit, *Ubicunque numiſma Regis alicujus obtinet, illic incolæ Regem iſtum pro Domino agnoſcunt*. *Maimon*. in *Gezelah*, cap. 5. Hinc illud *Hieroſ. Sanhedr*. fol. 20.2. *Dixit Abigail Davidi, Quidnam ego mali feci, vel filii mei, vel pecora mea? Reſpondit ille, Maritus tuus regnum Davidis vilipendit. Tunc ergò, inquit illa, Rex es? Cui ille, Nonne Samuel me unxit in Regem? Cui illa*, עדיין כוניטה דמרן שאול קיים: *Nomiſma Domini noſtri Saulus adhuc obtinet*: id eſt, Nonne *Saulus* pro Rege eſt habendus, cùm nomiſma ejus vulgò adhuc apud omnes recipiatur?

VERS. 23. Σαδδουκαῖοι, οἱ λέγοντες μὴ εἶναι ἀνάστασιν.

Tanchum, fol. 3.1. *Sadducæi negant, dicuntque, Deficit nubes, atque abit; ſic deſcendens in ſepulchrum non redit*: eâdem omninò arguendi normâ, quâ Pædo-baptiſmum negant ii qui negant; quia ſcilicet in Lege non occurrat mentio reſurrectionis apertis verbis. De *Herodianis* ſuſpicati ſumus ſuprà fuiſſe *Sadducæos*, aulicos ſcilicet: aſt hi, quibuſcum jam res eſt, vulgariores erant.

CAP. XXII. VERS. 32.

VERS. 32. Οὐκ ἔστιν ὁ Θεὸς, Θεὸς νεκρῶν.

Lege, ſi vacat, initium capitis *Chelek* in *Babyl. Sanhedr*. ubi obſervabis quibus argumentis & deductionibus לתחיית המתים מן התורה, aſtruitur reſurrectio è Lege à *Talmudicis*, formâ arguendi huic ſub manibus non abſimili. Hoc unum tantùm adducemus: *Dixit R. Eliezer Ben R. Joſi, Hac in re ego falſitatis incuſavi Scribas Samaritanorum, qui dicunt, Reſurrectionem mortuorum non probandam eſſe è Lege: dixi illis, Vos falſificatis Legem veſtram, nec quicquam reportatis in manibus veſtris; nam dicitis, Reſurrectio mortuorum non eſt è Lege, cùm dicat*, Excidendo excidetur anima iſta; iniquitas ejus ſuper eam, *Num*. 15:31. Excidendo excidetur, *nempe in mundo hoc*. Iniquitas ejus ſuper eam: *quando? Nonne in mundo futuro?* Hæc ideo magis præ aliis, quæ illic occurrunt, citavimus, quòd textum *Samariticum* corruptelæ iſthoc in loco inſimulare videntur, cùm quidem optimè & textus & verſio, quod obſervanti patebit, conveniant cum *Hebræo*. Cùm ergò dicat *Rabbinus*, eos Legem ſuam falſificaſſe, (וייפתם תורתכם) non tam puritatem textûs negat, quàm vanitatem interpretationis redarguit; ac ſi dixiſſet, Vos Legem veſtram falsè interpretamini, cùm reſurrectionem mortuorum ex iſtis verbis, quæ eam tam apertè effantur, non eliciatis.

Cum præſenti *Salvatoris* argumento confer primò iſta, quæ dicuntur à *R. Tanchum*, fol. 13.3. *Dicit R. Simeon ben Jochai, Deus Sanctus Benedictus nomen ſuum juſtis non adjungit dum vivunt; ſed tantùm poſt mortem eorum: ſicut dicitur*, Sanctis qui in terra ſunt, *Pſalm*. 16:3. *Quandonam ſunt Sancti? Cùm in terra reponuntur; nam, dum vivunt, nomen ſuum Deus iis non adjungit, eò quòd de iis non certum habeat, malum affectum eos non abducturum: at, cùm mortui ſunt, nomen ſuum iis adjungit. Aſt invenimus Deum nomen ſuum adjunxiſſe Iſaaco, dum viveret: Geneſ*. 28:13. Ego ſum Deus *Abrahami* & Deus *Iſaaci*. *Reſpondent Rabbini, Pulverem ejus reſpexit, ac ſi collectum ſuper Altare. R. Berachiah dixit, Ex quo cæcus factus eſt, fuit ſicut mortuus*. Vide etiam *R. Menahem* in Legem, fol. 62.1.

Confer etiam iſta *Gemaræ Hieroſolymitanæ*, *Berac*. fol. 5.4. *Juſti etiam in morte dicuntur vivi, atque impii etiam in vita dicuntur mortui. Aſt unde probatur, quòd impii etiam in vita dicuntur mortui? Ex eo, quod dicitur*, לא אחפוץ במות המת, Non delectatus ſum morte mortui. *Num ille, qui dicitur* מת, *jam eſt mortuus? Atque unde probatur, quòd juſti etiam ſub morte dicantur vivi? Ex eo,*

quod

CAP. XXIII. VERS. 2. *quod ſcribitur*, Et dixit ei, Hæc eſt terra, de qua juravi *Abrahamo*, *Iſaaco*, & *Jacobo*, לאמר. *Quid ſibi vult vox* לאמר? *Dicit ei, Abi & dic patribus, quodcunque promiſi vobis, præſtiti filiis veſtris.*

Eadem ſententia *Babylonicorum*, *Berac.* fol. 18. 1. *Viventes norunt quòd morientur: Iſti ſunt juſti, qui in morte ſua dicuntur vivi: ſicut dicitur*, Et Benajah filius Johojadæ filii איש חי, viri viventis, &c. Et paulò pòſt, *Mortui nequicquam norunt: Iſti ſunt impii, qui etiam in vita eorum dicuntur mortui: ſicut dicitur*, ואתה חלל רשע נשיא ישראל, Et tu mortue impie princeps Iſraëlis. Vocem חלל, quæ vulgò *Profane* redditur hoc in loco, illi ſenſu etiam admodùm uſitato reddunt, nempe pro *vulnerato*, aut *mortuo*.

Ibid. col. 2. Variæ adducuntur hiſtoriæ, quibus probatur mortuos eòuſque vivere, ut etiam intelligant plurima quæ hîc fiunt: nonnulloſque poſt mortem fuiſſe locutos, &c.

CAP. XXIII.

VERS. 2. Ἐπὶ τῆς Μωσέως καθέδρας, &c.

De Cathedra legislativa hoc intelligendum potiùs, quàm de merè doctrinali: aſſeritque hîc *Chriſtus* autoritatem Magiſtratûs, eique parere in licitis hortatur.

De *cathedris* Synhedrii mentio in *Babyl. Succah*, fol. 51. 2. *Erant Alexandriæ cathedræ aureæ ſeptuaginta una, pro numero Seniorum ſeptuaginta unius, è Synhedrio magno.*

De *autoritate Moſis*, atque ejus vices gerente in Synhedrio, mentio etiam in *Sanhedr.* cap. 1. hal. 6. *Synhedrium magnum conſtitit è Senioribus ſeptuaginta uno. Unde autem aſtruitur hic numerus? Ex eo, quod dicitur*, Collige mihi ſeptuaginta viros è Senioribus Iſraëlis: Moſes autem eis præfuit. *Ecce ſeptuaginta unum!*

Quod à *Galatino* hîc obſervatur, ex ſignificatione *Aoriſti* ἐκάθισαν, leve nimis eſt, & ventoſum. *Sederunt dicit*, inquit ille, *& non Sedent, ut manifeſtè demonſtraret, quòd eorum tunc jam ceſſaverat poteſtas.* lib. 4. cap. 6. Si quid autem curioſius ex Aoriſto eliciendum, in hunc potiùs ſenſum optimè transferas. *Moſis* Cathedram invaſerunt diu *Scribæ* ac *Phariſæi*, hominum nequiſſimi; eis tamen parendum, eò quòd, ità diſpenſante providentiâ divinâ, ſummum illi gerunt Magiſtratum.

De eorum autoritate ſic *Maimon.* in *Mamrim*, cap. 1. *Synhedrium magnum Hieroſolymitanum fuit* עיקר ועמוד (στῦλος καὶ ἑδραίωμα: vide 1. *Tim.* 3: 15.) *fundamentum Legis traditionalis, & columna doctrinæ: unde prodierunt ſtatuta & judicia ad omnem Iſraëlem. Et de iis, hoc ipſum aſſerit Lex, dicens*, Secundùm ſententiam Legis quam ipſi docuerint, &c. *Deuter.* 17: 11. *Quicunque ergò Moſi, Magiſtro noſtro, ejuſque Legi credit, illis inniti tenetur de rebus Legis.*

CAP. XXIII. VERS. 4. 5.

Chriſtus eos non pro oraculis habendos docet, ſed pro Magiſtratibus.

VERS. 4. Φορτία βαρέα.

חומרי linguâ *Talmudicâ*. Hinc איסור חמור, *Prohibitio gravis. Hieroſ. Rosh haſhanah*, fol. 56. 4. הולך אחרי המחמיר, *Sequatur gravia imponentem. Maimon.* in *Mamrim*, cap. 1.

Memorantur res viginti quatuor מחומרי ב״ה מקולי בש״, *E gravibus Scholæ Hillelianæ, & levibus Shammaanæ. Hieroſ. Jom Tobh*, fol. 60. 2. & *Sotah*, fol. 19. 2.

In eodem Tractatu *Sotah*, cap. 3. hal. 4. *R. Joshua dicit, Stultus religioſus*, רשע ערום, *Improbus aſtutus, fœmina Phariſæa, ac illiſio voluntaria Phariſæorum, perdunt mundum.* Diſputatur à *Gemariſtis*, quis ſit רשע ערום, *Improbus aſtutus*: & reſpondetur à quibuſdam, *Is, qui levia ſibi præſcribit, at gravia aliis.*

VERS. 5. Πλατύνουσι δὲ τὰ φυλακτήρια αὐτῶν.

Has quatuor Legis Periochas,

Exod. 13. *verſ.* 3, 4, 5, 6, 7, 8, 9, 10.
Exod 13. *verſ.* 11, 12, 13, 14, 15, 16.
Deuter. 6. *verſ.* 5, 6, 7, 8, 9.
Deuter. 11. *verſ.* 13, 14, 15, 16, 17, 18, 19, 20, 21.

Membranulis duabus inſcriptas (תפלין, *Tephillin* ab iis vocatas) ſumma cum religione ſecum geſtabant aſſiduè, fronti affixas ac brachio ſiniſtro. Fronti, *eo loco* שמוחו של תינוק רופף, *quo cerebri infantis eſt palpitatio. Babyl. Taanith*, fol. 16. 1. in Gloſſa. Hæc frontalis maximè conſpicua erat, & πλατυνθεῖσα: hinc illud, *Nè prætereat quis Synagogam, dum illic oratur.* ——*Si verò capiti affixa habeat Phylacteria, præterire permittitur, eò quòd iſta teſtentur eum ſtudioſum eſſe Legis. Maimon.* in *Tephillah*, cap. 8. atque illud *Babyl. Beracoth*, fol. 18. 1. *Ambulare inter ſepulchreta non licet cum Phylacteriis capiti affixis, ac libro Legis brachio appenſo.*

Dicta ſunt Græcè φυλακτήρια, id eſt, *Obſervatoria*; eò quòd eſſent memorativa Legis: ac *conſervatoria* etiam fortaſſis dicta, eò quòd vim quandam habere exiſtimarentur ad fugandos Dæmonas. *Neceſſe eſt, ut recitentur Phylacteria veſpere domi*, בשביל להבריח את המזיקין, *ad fugandos Dæmonas. Hieroſ.*

Berac.

Digitized by Google

CAP. XXIII. VERS. 5, 7.

Berac. fol. 2. 4. *Piske* in *Berac.* cap. 1. artic. 6. *Rabbenu Aſher*, ibid. cap. 1. col. 1.

De curioſa Phylacteriorum ſcriptione, vide *Maimon.* in *Tephillin*, cap. 1, 2.

De eorum ligamentis literulis quibusdam ſignatis, vide *Toſaphoth* ad *Megillah*, fol. 26. 2.

De eorum recitatione, vide utrumque *Talmud* in *Beracoth*, cap. 1, 2, 3.

Ut tactis Phylacteriis jurârint *Judæi*, vide *Maimon.* in *Shevuoth*, cap. 11. utque introducatur Deus per Phylacteria jurans, *Tanch.* fol. 6. 3.

Non tam nudam eorum geſtationem damnat *Salvator*, quàm faſtuoſam ac hypocriticam. Non improbabile eſt ipſum ea geſtâſſe pro more gentis: nam & à pueritia erudiendi erant filii *Judæorum* in recitatione Phylacteriorum, cùm jam catechizationis eſſent capaces. *Babyl. Berac.* fol. 22. 1. in Gloſſa.

Lata & admodùm conſpicua fecerunt ſibi *Scribæ* & *Phariſæi*, ut proportionatam indè apud populum reportarent devotionis famam atque æſtimationem, cùm hæc ut indicia ſtudii Legis, ac ſigna devotionis, æſtimarentur.

Μεγαλύνουσι τὰ κράσπεδα τῶν ἱματίων αὐτῶν.

Vide *Numer.* 15: 38. *Deuter.* 22: 12.

Babyl. Schabb. fol. 23. 2. *Qui de candela Sabbatica curat, futuri ſunt ejus filii diſcipuli Sapientum; qui de membranulis poſtibus affigendis, domum ſpecioſam adipiſcetur: quique de* ציצית, *fimbriis veſtimento attexendis, adipiſcetur bonam tunicam.*

VERS. 7. Καὶ καλεῖσθαι, Ῥαββὶ, Ῥαββί.

I. De origine hujus tituli ſic *Aruch* in voce אביי.

Secula vetuſtiora, quæ digniora erant, opus non habuerunt titulo vel Rabban, vel Rabbi, vel Rabb, aut ad Sapientes Babylonis inſigniendos, aut Sapientes terræ Iſraeliticæ: nam, ecce, aſcendit Hillel è Babylone, & nomini ejus non additus eſt titulus Rabbinatûs: atque ita erat de iis, qui nobiles erant inter Prophetas, nam dicit: Haggai Propheta [non Rabbi Haggai.] *Ezra non aſcendit è Babylone,* &c. [non Rabbi Ezra] *quos non inſignierunt titulo Rabbinatûs, cùm nomina eorum proferrent. Ac non audivimus, initium hoc habuiſſe niſi in Præfectis* [Synhedrii] *à Rabban Gamaliele ſene, & Rabban Simeone filio ejus, qui periit in excidio Templi ſecundi, ac à Rabban Jochanane ben Zaccai, qui omnes fuerunt Præfecti. Ac titulus etiam Rabbi incepit a promotis* (ad Presbyteratum) *ex illo tempore, Rabbi Zadok & R. Eliezer ben Jacob: effluxitque res à Diſcipulis Rabban Jochanani ben Zaccai, & ultra. Ordoque in ore omnium ſic eſt, Major eſt Rabbi quàm Rabb, & major eſt Rabban quàm Rabbi, & major eſt qui nomine ſuo* (ſimplici) *vocatur quam Rabban.* CAP. XXIII. VERS. 7.

Ante tempora *Hilleliana* in uſu non fuiſſe faſtuoſum hunc titulum *Rabbi* ſatis patet ex eo, quòd Doctores præcedentes nudo ſuo nomine vocarentur, & titulum hunc non nôrunt. *Antigonus Sochæus*, *Shemajah* & *Avtalion*, *Gevihah ben Peſiſa*, *Calba Savua*, *Admon* & *Hanan*, *Hillel* & *Shammai*, aliique quamplurimi, quorum nomina occurrunt in hiſtoria *Judaica*. At tamen reperies vetuſtiores hoſce a Scriptoribus ſuæ gentis officioſè aliquando inſignitos hoc titulo, quem ipſi non nôrunt. In *Babyl. Maccoth*, fol 24. 1. Regem *Jehoſhaphatum* ità doctos vocâſſe fingunt. *Cùm videret ille*, inquiunt, *Diſcipulum Sapientum, ſurrexit è ſolio, atque eum amplexus eſt, atque oſculatus, eumque vocavit* אבי אבי רבי רבי מרי מרי, *ò Pater, Pater, Rabbi, Rabbi, Domine, Domine.* Et in *Sanhedr.* fol. 107. 3. *Joſhua ben Perachiæ* vocatur *Rabbi Joſhua*. רבי אבי מורי hìc redduntur Ῥαββί verſu octavo, Πατὴρ verſu nono, καθηγητὴς verſu decimo.

Tempus præciſum, quo ortus eſt hic titulus, non rimatiùs ſcrutamur; ortus certè non eſt ante orta ſchiſmata inter Scholas *Shammæi* & *Hillelis*, & ex iſto ſchiſmate forſan ortus.

II. In more, & in amore iis fuit, hoc titulo honorario ſalutari, utcunque ſimulatum apud eos hoc axioma, אהוב את המלאכה, ושנא את הרבנות, *Opus ama, at Rabbinatum odio habe. Maimon.* in *Talm. Tor.* cap. 3.

I. Diſcipuli Magiſtros ſuos ſic ſalutare ſunt docti.

Babyl. Berac. fol. 27. 2. *R. Eliezer dicit*, המתפלל אחורי רבו, *Qui orat poſt tergum Magiſtri ſui*, והנותן שלום לרבו והמחזיר שלום לרבו, *Et qui ſalutat Magiſtrum ſuum, aut reſalutat Magiſtrum ſuum, & qui ſeparatiſtam ſe facit à Schola Magiſtri ſui, & qui aliquid docet, quod non audivit à Magiſtro ſuo, is divinam majeſtatem provocat, ut diſcedat ab Iſraële.* Gloſſatores in iſta verba, *Qui ſalutat, aut reſalutat Magiſtrum ſuum*, ſic commentantur: *Qui Magiſtrum ſalutat eâ formâ verborum, quâ alios homines ſalutat, & non dicit ei*, שלום עליך רבי, *Salve Rabbi.* Vide & *Hieroſ. Shevuoth*, fol. 34. 1.

Refertur etiam in eodem Tractatu, fol. 19. 1. Synhedrium vigeſies quater quoſdam excommunicâſſe על כבוד רב, *propter honorem Magiſtri:* id eſt, propter debitum honorem *Rabbinis* non conceſſum.

II. Magiſtri ſe mutuò ſic ſalutârunt.

Hieroſ. Moed Katon, fol. 81. 1. *R. Akibah dixit B. Eleazaro, Rabbi, Rabbi. Babyl. Taanith*, fol. 2. 2. habetur hæc hiſtoria. *R. Eliezar*

Digitized by Google

CAP. XXIII. VERS. 14.

Eliezar b. Simeonis de Magdal-Gedor venit à domo Magiſtri inſidens aſino: perrexit juxta ripam fluvii gaudens valde, hilariſque, ideo quòd plurimum in Lege didiciſſet. Occurrit ei homo quidam deformis admodùm, dixitque; שלום עליך רבי, *Salve, Rabbi: at ille eum non reſalutavit, verùm è contrà ſic dixit, Raka, Quam deformis eſt iſte vir, forſan omnes concives tui æquè deformes ſunt ac tu. Reſpondit ille, Ego hoc non novi, aſt ito tu ad opificem, qui me fecit, eique dic, Quam deforme eſt hoc vaſculum, quod feciſti?* &c. Et paulò pòſt, *Cùm accederet* [iſte deformis] *ad propriam urbem, prodierunt ei in occurſum concives, & dixerunt,* שלים עליך רבי רבי מורי מורי, *Salve, Rabbi, Rabbi, Magiſter, Magiſter. Dicit iis* (R. Eliezer) *Cuinam vos dicitis, Rabbi, Rabbi? Reſpondent, Ei, qui te ſequitur. Quibus ille, Si hic eſt Rabbi, ne multiplicentur tales in Iſraële.*

Vers. 14. κατεσθίετε τὰς οἰκίας τῶν χηρῶν.

Ingenioſi ſatis erant *Scribæ* & *Phariſæi* in proprium commodum. Audi argumentum unum inter plura ab incude avaritiæ eorum, artificio ſane rudi, at lucroſo ſatis, malleatum. *Babyl. Joma*, fol. 72. 2. *Dicit Dominus, Faciant mihi arcam è ligno Shittim.* כבאך לתח״ שבני עירו מצווין לעשות לו מלאכתו. *Hinc determinatur*, inquiunt, *pro Diſcipulo Sapientum, quòd tenentur concives ejus opus ſuum ſervile pro ipſo præſtare.* O magiſtra artis, ingeniique largitrix, crumena! Sic promotus in præfecturam Synhedrii à Synhedrio erat ſuſtentandus, & locupletandus Vide Gloſſam in *Babyl. Taanith*, fol. 21. 1.

Duplici hamo venerationem à populo piſcati ſunt, & ex veneratione lucrum.

I. Ut Doctores Legis; ubi hoc primò & præ omnibus inſtillârunt Diſcipulis & vulgo, venerandum ſupra omnes mortales eſſe Sapientem, vel Magiſtrum. Ecce ordinem ſubſelliorum gentis his judicibus! *Hieroſ. Horajoth*, fol. 84. 2. *Sapiens præferendus Regi: Rex ſummo Pontifici: ſummus Pontifex Prophetæ: Propheta unctio in bellum: unctus in bellum Præfecto Ephemeriæ: Præfectus Ephemeriæ capiti familiæ: caput familiæ Conſiliario: Conſiliarius Theſaurario: Theſaurarius Sacerdoti privato: Sacerdos privatus Levitæ: Levita Iſraëlitæ: Iſraëlita Notho: Nothus Nethinæo: Nethinæus Proſelyto: Proſelytus ſervo manumiſſo. At quando hoc? Nempe, cùm cætera ſunt paria: at verò, ſi Nothus ſit Diſcipulus Sapiens, & Sacerdos ſummus ſit indoctus, Nothus ei præferendus. Sapiens eſt præferendus Regi: nam, ſi moriatur Sapiens, non eſt ei par; at, ſi moriatur Rex, quivis Iſraëlita eſt idoneus regno.*

CAP. XXIII. VERS. 14, 15.

Hæc ultima in mentem revocant illa *Ignatii Martyris*, ſi modò illa *Ignatii*, in Epiſtola decima. Τίμα, φησὶν, υἱὲ, τὸν Θεὸν καὶ Βασιλέα. Ἐγὼ δὲ φημι, Τίμα μὲν Θεὸν, ὡς αἴτιον τῶν ὅλων καὶ Κύριον· Ἐπίσκοπον δὲ ὡς ἀρχιερέα, Θεοῦ εἰκόνα φοροῦντα· κατὰ μὲν τὸ ἄρχειν, Θεοῦ, κατὰ δὲ τὸ ἱερατεύειν, Χριστοῦ· καὶ μετὰ τοῦτον τιμᾷν χρὴ καὶ Βασιλέα.

II. Prætextu infandæ devotionis, præſertim verò ſub ſpecioſo habitu orationum prolixarum, animos devotos ità ad ſe flexerunt, præſertim verò fœminarum, atque inter eas viduarum locupletiorum, ut bona & facultates earum ſubtili attractu extorquerent, aut expiſcarentur. Nec deerant retia fictæ autoritatis, cùm pro libitu è cathedra pronuntiarent de dote atque opibus, viduæ cedentibus, ſibique adrogârunt de iſtis rebus determinare. De qua re, infinitis litibus atque ambagibus perplexâ, vide, ſi vacat, Tractatus *Jevamoth, Chetubboth*, & *Gittin*.

De prolixitate orationum ſatis erat adduxiſſe verba *Gemaræ Babylonicæ* in *Beracoth*, fol. 32. 2. *Religioſi antiquiores ſoliti ſunt per horam morari*, (meditantes ante inceptas preces) *unde hoc? Dicit R. Joſhua ben Levi, Ex eo, quòd dicit Scriptura*, אשרי יושבי ביתך, Beati ſunt, qui ſedent in domo tua. *Dicit etiam R. Joſhua ben Levi, Tenetur etiam orans ad morandum poſt preces ſuas per ſpatium horæ: ſicut dicitur*, Juſti laudabunt nomen tuum, ישבו ישרים את פניך, Sedebunt recti ante faciem tuam. *Neceſſe eſt ergò, ut moretur* (meditans) *per horam unam ante preces & per horam unam poſt preces*, &c. *Religioſi antiquiores morati ſunt per ſpatium horæ ante preces, precati ſunt per ſpatium horæ, & morati ſunt per ſpatium horæ poſt preces. Cùm ergo novem horas unoquoque die precibus immorando inſumerent, quomodo reliquum Legis eſt ab iis præſtitum? & quomodo curatum eſt ab iis de rebus ſuis mundanis? Aſt ideo quòd religioſi eſſent, obſervata eſt Lex eorum, & curatæ ſunt res eorum.* Atque ibidem, fol. 54. 2. *Prolixa oratio vitam protrahit.*

Vers. 15. Ποιῆσαι ἕνα προσήλυτον.

Peſſimè certè apud *Talmudicos* audiunt Proſelyti. *Babyl. Niddah*, fol. 13. 2. *Tradunt Rabbini noſtri*, גרים והמשחקים בתינוקות מעכבין את המשיח, *Proſelyti & Pæderaſtæ impediunt adventum Meſſiæ.* גרים לישראל כספחת, *Proſelyti ſunt ſicut ſcabies Iſraëli.* Gloſſa, *Ideo quòd non eſſent periti mandatorum, quòdque inducerent vindictas, atque inſuper, quòd forte eorum opera imitarentur Iſraëlitæ*, &c.

Et tamen in iis captandis omnimodâ ſedulitate uſi ſunt, lucri ergò, ut crumenas eorum,

ſpecie

Digitized by Google

CAP. XXIII. VERS. 16, 23.

ſpecie religionis allectorum, aliquo modo mulgerent, aut eos in commodum aliquod ſibi, aut emolumentum adhiberent. Eandem ergò avaritiam ſub hypocriſi, quam commate præcedenti in exedendis viduis damnaverat *Salvator*, hîc etiam damnat in aucupandis Proſelytis: quos omnimodo ſudore ad ſe allicere conati ſunt *Scribæ* & *Phariſæi*; non quòd Proſelyti iis curæ, nam eos pro ſcabie & peſte habuerunt; ſed quòd, quò plures ad ſuam religionem allicere potuerunt, eò iis amplior anſa lucrifaciendi, atque ineſcandi crumenas. Eos ergò ſic factos Proſelytos *fecerunt duplo magis filios Gehennæ, quàm ſeipſos*: nam, cùm in rete ſuum eos allexiſſent, prædam nacti non ulteriùs ſoliciti erant quid de iis fieret, modò ab illis aliquid ſibi cederet lucri. Pereant illi in ignorantia, ſuperſtitione, atheiſmo, omnimodâ impietate, nihil hoc *Scribis* & *Phariſæis* curæ, permaneant modò in *Judaiſmo*, ut conſcientiis eorum iſti dominentur, & crumenis.

VERS. 16. Ὃς δ᾽ ἂν ὀμόσῃ ἐν τῷ χρυσῷ τοῦ ναοῦ, ὀφείλει, &c.

In eundem planè ſenſum coëunt hæc verba cum iſtis de *Korban*, Cap. 15:5. Non *aurum Templi* hîc intelligendum eſt, illud quo micabant undique parietes & laquearia; ſed de auro in *Corbonam* oblato eſt ſermo. Vulgare, & quaſi pro nihilo, apud eos erat, jurare המעין הזה, *per Templum*, & המזבח, *per Altare*, quod obſervavimus ad Capitis quinti verſum triceſimum tertium: atque hinc ſeipſos adeò obſtrictos non ſunt opinati; at verò, ſi קרבן, *Korban* jurarent, vinculo indiſſolubili ſe mancipatos arbitrabantur. Exempli gratiâ, Si quis ſic juraret, *Per Templum*, aut *Per Altare*, aurum, pecora, bona mea, tibi non proderunt; licuit tamen juranti, ſi vellet, per hæc ei prodeſſe: at ſi ſic juraret, *Korban Templo aurum meum*, *Korban Altari pecora mea*; hoc nullo modo violandum.

VERS. 23. Ἀποδεκατοῦτε τὸ ἡδύοσμον, &c.

I. *Regula hæc obtinet de decimis. Quodcunque cedit in cibum, quodque cuſtoditur* (id eſt, quod non eſt communis juris) *quodque è terra naſcitur, decimetur. Maaſaroth*, cap. 1. hal. 1.

II. Ex Lege, decimatio erat pecorum, frugum & fructuum: cujus modus & menſura ſecundùm *Scribas* hæc erat. *E frugibus trituratis, & ventilabro purgatis*, 1. *Excipitur quinta pars pro Sacerdote: hæc vocabatur* תרומה גדולה, *oblatio magna*. 2. *Decima pars reſidui Levitæ cedit: vocabatur hæc* מעשר ראשון, *Decima prima*. 3. *Decima pars iterum è reſiduo tollenda & comedenda Hieroſolymis, aut redimenda: vocabatur hæc* מעשר שני, *Decima ſecunda*. 4. *Levita decimam dat è ſuo Sacerdoti, vocatur hæc* מעשר המעשר, *Decima decimæ*. Hæc fusè tractantur in *Peah*, *Demai*, *Maaſeroth*, &c.

CAP. XXIII. VERS. 23, 27.

III. מעשר ירק דרבנן, *Decimatio olerum eſt à Rabbinis Babyl. Joma*, fol. 83. 2. Addita erat hæc decimatio à *Scribis*, & tamen à *Chriſto* approbata, cùm dicit, *Illa non oportet omittere*. Audi hoc, ô Anti-decimarie. Decimatio olerum erat inſtitutionis ſolùm Eccleſiaſticæ, & tamen ſanctionem habuit *Salvatoris* in iſtis verbis, *Illa non oportet omittere*: idque partim ob rei ipſius æquitatem, & conſonantiam ad Legem & rationem, partim, quòd à Synhedrio in cathedra *Moſis* ſedente (ut verſu ſecundo] erat præſcripta.

IV. Τὸ ἡδύοσμον.] Vocatur ea aliquando *Talmudicis* הרנדנה, *Sheviith*, cap. 1. hal. 1. numeraturque inter ea, quæ Legem patiuntur anni ſeptimi. Ubi *Rambam*, *Arucho eſt* מינמא. Vocatur aliquando מינתא, *Oketſim*, cap. 1. hal. 2. Ubi R. Solom. *Arucho vernaculè eſt* מינטא, *Mentha: eſtque ſuavis odoris, eam ergò in Synagogis ſpargunt, boni odoris gratiâ.*

Τὸ ἄνηθον] *Talmudicis* שבת. *Oketſim*, cap. 3. hal. 4. ubi R. Solom. שבת *eſt de genere herbarum, & decimatur, & quoad ſemen, & quoad herbam.* Rambam. *Comeditur crudum poſt cibum, & non coquendum eſt: dum ergò non coquitur, ſubit decimationem.* Gloſſa in *Babyl. Avodah Zarah*, fol. 7. 2. שבת *linguâ Romanâ eſt Anethum, & decimatur, ſive colligatur viride, ſive maturum.*

Τὸ κύμινον] *Talmudicis* כמון. Numeratur inter decimanda, *Demai*, cap. 2. hal 1.

VERS. 27. Παρομοιάζετε τάφοις κεκονιαμένοις.

Diſtinguuntur ſepulchra apud *Judæorum* Magiſtros, in קבר התהום, *Sepulchrum profundum*, de quo ignoratur quod ſit ſepulchrum, Μνημεῖον ἄδηλον, *Luc.* 11:44. & קבר מצוין, *Sepulchrum pictum*, qualia erant omnia, quæ nota erant & conſpicienda. Utriſque *Scribas* & *Phariſæos* comparat *Salvator*; illis, *Lucæ* loco citato; his, loco ſub manibus, ſub diverſa ratione.

De dealbatione ſepulchrorum hæc traduntur.

Shekalim, cap. 1. halac. 1. *Decimo quinto menſis Adar emendant vias, & plateas, & collectiones aquarum, atque ea præſtant, quæ publicum ſpectant*, ומציינין את הקברות, *& pingunt* [vel, *notant*] *ſepulchra*.

Modus deſcribitur in *Maaſar Sheni*, cap. 5. hal. 1. מציינין קברו בסיד ממחה ושופך, *Sepulchra pingunt calce, aquâ maceratâ ac infuſâ.*

Digitized by Google

CAP. XXIII. VERS. 27, 28.

Rationem rei reddunt *Gemariſtæ Hieroſolymitani* utrobique locorum. *Nonne ſepulchra notant*, inquiunt, *ante menſem Adar? Imò, at ſupponitur abſterſos eſſe colores. Quam autem ob cauſam ſic pingunt? Ut par ſit hæc res cauſæ leproſi. Clamat ille, Immundus, immundus: atque hîc pariter, immunditia ore ſuo ad te clamat, & dicit, Nè appropinques. R. Illa, nomine R. Samuelis bar Nachman, illud adducit, Ezech.* 39: 15. Si tranſiens quis per terram os hominis viderit, ſignum ſepulchrale juxta illud eriget. Vide *Hieroſ. Maaſar Sheni*, fol. 55. 3. *Moed katon*, fol. 80. 2, 3. *Sotah*, fol. 23. 3.

Gloſſatores & rationem, & modum, ſic effantur. *A decimo quinto menſis Adar inveſtigârunt, atque ubicunque ſepulchrum invenerunt, cujus abluta ab imbribus eſſet dealbatio, eam reſtaurârunt, ut locus immundus dignoſceretur, atque ut indè declinarent Sacerdotes comeſturi Trumam.* Gloſſa ad *Shekalim*, & rurſus ad *Maaſar Sheni*: *Sepulchra calce notârunt ad formam oſſium, quam aquæ infuſam circa ſepulchrum fuderunt, ut dignoſcerent indè omnes locum iſtum immundum eſſe, ideòque ab eo eſſe declinandum.*

De hac re etiam Gloſſa in *Babyl. Moed katon*, fol. 5. 10. *Notas fecerunt in ſepulchra, calce albâ inſtar oſſium*, &c. Vide locum.

VERS. 28. Οὕτως καὶ ὑμεῖς ἔξωθεν μὲν φαίνεσθε τοῖς ἀνθρώποις δίκαιοι, &c.

In *Babyl*, *Sotah*, fol. 22. 2. Iſtiuſmodi Hypocritæ vocantur צבועין, *Tincti*, vel *Colorati*. *Janai* Rex moriens uxorem monet, ut caveat ſibi מן הצבועין שדומין מפרשין שמעשיהן כמעשה זמרי ומבקשין שכר כפינחס, *ab hominibus pictis, Phariſæos ſimulantibus, quorum opera ſunt ſicut opera Zimri, at tamen exſpectant mercedem Phinchaſi.* Gloſſa, צבועין, *Homines iſti picti ii ſunt, quorum externa forma non reſpondet naturæ eorum, at colorati ſunt, quoad extrà* אין תוכן כברם, *at interius eorum non eſt ſicut exterius: eorumque opera mala ſunt ſicut opera Zimri; at mercedem Phinchaſi requirunt, hominibus dicentes, ut ſe honorent veluti Phinchaſum.*

Axiomatis proprii erant obliti ת״ח שאין תוכו כברו אין ת״ח, *Diſcipulus Sapientum, qui idem non eſt ad intrà, quod eſt ad extrà, non eſt Diſcipulus Sapientum. Babyl. Joma*, fol. 72. 2.

Ἔσωθεν δὲ μεστοί ἐστε ὑποκρίσεως καὶ ἀνομίας.

Hoc ipſum in infamiam propriam teſtantur Magiſtri.

In *Babyl. Joma*, fol. 9. 2. Quærunt, quænam peccata eſſent ſub Templo primo, ob quæ illud erat vaſtatum; & reſpondetur, *Idololatria, Fornicatio, & Effuſio ſanguinis.* Quæritur, quænam ſub ſecundo; & reſpondetur, *Odium abſque cauſa, & ſecreta iniquitas:* & hæc addunt, ראשונים שנתגלה עונן נתגלה קיצם, *Iis, qui ſub Templo primo erant; eò quòd revelata eſt iniquitas eorum, revelatus eſt etiam finis eorum.* אחרונים שלא נתגלה עונם לא נתגלה קיצם, *At iis, qui ſub Templo ſecundo, non revelatus eſt finis eorum; eò quòd non revelata eſſet iniquitas eorum.* Gloſſa: *Illi, qui ſub Templo primo, non occultârunt iniquitatem ſuam; iis ergò revelatus eſt finis eorum, ſicut dicitur;* Poſt ſeptuaginta annos in Babylone ego viſitabo vos: *at eorum, qui ſub Templo ſecundo, non revelata eſt iniquitas:* בני מקדש שני היו רשעים נסתר, *illi ſub Templo ſecundo fuerunt iniqui clanculùm.*

CAP. XXIII. VERS. 29, 33.

VERS. 29. Κοσμεῖτε τὰ μνημεῖα τῶν δικαίων.

Shekalim, cap. 2. hal. 5. בונין לו נפש על קברו. In partes eunt Gloſſatores de verſione vocis נפש. Quidam de ſtructura quadam intelligunt, vel columna: quidam de dealbatione, aut notatione ſepulchri nuper memoratâ. Agit locus de reſiduo didrachmarum ſolutarum pro redemptione animæ: quæriturque ſi ſuperſit quid ex iis debitum, vel reſiduum homini jam mortuo, quid de eo agendum; & determinatur, *Reponatur, uſque dum adveniat Elias: at R. Nathan dicit,* בונין לו נפש על קברו, *Exſtruant ei columnam* [vel, *ſtructuram*] *aliquam in ejus ſepulchrum.* Quod heri ſub ratione ornandi ſepulchra arguunt ea, quæ dicuntur à *Gemara Hieroſolymitana* in locum. אין עושין נפשות לצדיקים דבריהן הן זכרונן, *οὐ κοσμοῦσι μνημεῖα τῶν δικαίων, Nam dicta eorum ſunt memoria eorum.* fol. 47. 1. Unde videntur ſtructuræ iſtæ, vel ornamenta in ſepulchra eorum collata, memoriæ ſacra fuiſſe, vocataque inde נפשות, quòd vitam atque animam memoriæ eorum conſervarent.

Ex his penſatis clariùs elucet ſenſus verborum ſub manibus. Num tam diram maledictionem meruit, ornare ſepulchra Prophetarum & juſtorum? Pietatis nonne hoc fuit potiùs, quàm alicujus reatûs? At ſecundùm doctrinam propriam, ô *Scribæ* & *Phariſæi*, דבריהן הן זכרונן, *Dicta & facta eorum ſat ſis memoriæ:* cur hæc non colitis, ſequimini, imitamini? At, his neglectis & conculcatis, vos ſatis pietatis iis præbuiſſe vobis perſuadetis, ſi ſumptibus aliquibus eorum ſepulchra decoratis, quorum verba quidem contemnitis.

VERS. 33. Ἀπὸ τῆς κρίσεως τῆς Γεέννης.

דינה של גהינום. Vide *Chaldæum* Paraphraſten

Digitized by Google

CAP. XXIII. VERS. 34.35.

phraſten in *Ruth* 2 1:2. *Baal Turim* in *Gen.* 1:1. *Midras Tillin*, fol. 41. 2, 3. &c.

VERS. 34. Σοφὺς καὶ Γραμματεῖς.

סופרים & חכמים: Notent hoc, qui Miniſtros verbi peculiaris functionis eſſe non agnoſcunt. Non nôrunt *Judæi* quemquam חכם, aut ספר cognominatum, qui non eſſet & doctus, & diſtincto ordine & munere à vulgo diſcretus.

VERS. 35. Ἕως τοῦ αἵματος Ζαχαρίου υἱοῦ Βαραχίου.

De *Zacharia*, filio *Jojadæ*, à *Joaſo* Rege occiſo, 2. *Paralip.* 24. ſermonem eſſe, hiſce rationibus aſtruimus.

I. Quia nullus alius *Zacharias* occiſus dicitur, ante prolata à *Chriſto* hæc verba. Quæ de *Zacharia*, *Baptiſtæ* patre, hîc dicuntur, ſomnia ſunt: & quæ de *Zacharia*, uno è duodecim Prophetis, parùm abſunt à ſomniis. Diſertis verbis memoratur occiſio *Zachariæ* noſtri in Templo; & quare, hoc neglecto, alium quæreremus; quem certè nullibi inveniemus apud aliquem certæ fidei autorem?

II. Mortem hujus *Zachariæ*, filii *Jojadæ*, inſigni notâ ac vindictâ memorabilem obſervant *Judæi*: alterius *Zachariæ* martyrium non memorant omninò.

Audiatur utrumque *Talmud*; *Hieroſ.* in *Taanith*, fol. 69. 1, 2. *Babyl.* in *Sanhedr.* fol. 96. 2. *R. Jochanan dixit, Octoginta mille Sacerdotes occiſi ſunt ob ſanguinem Zachariæ. R. Judan interrogavit R. Acham, Ubinam loci interfecerunt Zachariam? An in atrio mulierum? an in atrio Iſraëlis? Reſpondit ille, Nec in atrio Iſraëlis, nec in atrio mulierum; ſed in atrio Sacerdotum. Et ſanguini ejus non factum eſt, quod ſanguini arietis, aut capreoli, fieri conſuetum eſt. De his enim ſcriptum eſt*, Et ſanguinem ejus fundet, & cooperiet pulvere. *At hic ſcriptum eſt*, Sanguis ejus in medio ipſius eſt: in vertice rupis eum non poſuit, in terram non fudit, *Ezech.* 24:7. *Quare hoc autem?* Ut exoriri faciat furorem in ultionem: ſanguinem ejus ego in vertice rupis poſui, ut non cooperiretur, *verſ.* 8. *Septem facinora patrârunt iſto die. Interfecerunt Sacerdotem, Prophetam, & Judicem: ſanguinem inſontis fuderunt: polluerunt atrium. Et fuit iſte dies dies Sabbati, & dies Expiationis. Cùm ergò illuc aſcenderet Nebuzaradan; vidit ſanguinem bullientem. Dixit iis ergò, Quid hoc ſibi vult? Sanguis eſt, inquiunt, vitulorum, agnorum, & arietum, quos obtulimus in Altari. Afferte ergò, inquit, vitulos, agnos, ac arietes, ut experiar, an hic ex eorum ſit ſanguine. Adduxerunt, ac mactârunt, & ſanguis iſte adhuc bulliit; at eorum ſanguis non bulliit. Rem mihi pandite, ait, aut ego carnem veſtram carminabo pectinibus ferreis. Dixerunt ergò ei, Sacerdos, & Propheta, & Judex hic fuit, qui Iſraëli prædixit mala hæc omnia, quæ à te paſſi ſumus, & nos in eum inſurreximus, atque occidimus. Et ego eum, inquit, placabo. Rabbinos adduxit, atque eos ſuper iſtum ſanguinem occidit, & tamen non eſt ſedatus. Adduxit puerulos è Schola, atque eos ſuper eum occidit, & tamen non quievit. Adduxit juvenes Sacerdotes, atque eos ſuper eum occidit, & tamen non quievit. Ità ut occideret ſuper eum nonaginta & quatuor millia, & tamen non quievit. Appropinquavit ipſe, & dixit, O Zacharia, Zacharia! optimos inter tuos perdidiſti,* [id eſt, tui gratiâ occiſi ſunt] *num vis ut omnes perdam? Tunc quievit, & non bullivit ampliùs*, &c.

Veritatem hiſtoriæ narratoribus relinquimus: hoc, quod in cauſam noſtram facit, obſervamus. Improbabile admodùm, imò impoſſibili proximum fuiſſe, audientes verba *Chriſti* [de *Zacharia* occiſo inter Templum & Altare] ullum alium reſpicere potuiſſe, præter hunc ipſum; de quo, deque cujus ſanguine tam celebris ac ſignalis memoria, & de ullo alio *Zacharia* in Templo occiſo, altum ſilentium. Occurrit quidem apud *Joſephum* mentio *Zachariæ* cujusdam, filii *Baruchi*, [quod & idem ſonat cum *Barachia*] occiſi in Templo, non longè ante Templi funus & rogum: quem hic Propheticè à *Salvatore* notatum ſuſpicantur nonnulli: at durius hoc, cùm *Chriſtus* diſertè de præterito loquatur, (ἐφονεύσατε,) cùmque nullâ arte, nullis argumentis aſtrui poſſit, dignum fuiſſe iſtum *Zachariam*, qui in album Prophetarum & Martyrum aſcriberetur.

Duo ſunt, quæ hîc interpretes torquent, quò minùs abſque hæſitatione *Zachariæ* noſtro ſubſcribant. I. Quòd ille longè ante dirutum primum Templum vixerit obieritque, cùm aptius concinniuſque exemplum videretur, ſumptum ſub Templo ſecundo, eoque jam exſpirante. II. Quòd ille planè & notiſſimè fuerit filius *Johojadæ*, hic à *Chriſto* vocetur *Filius Barachiæ*.

Ad quæ nos poſt alios, hâc in cauſâ copioſè diſſerentes, hæc tantùm regerimus.

I. *Chriſtum* planè propoſuiſſe exempla ſumere è Veteri Teſtamento; duoque ſumpſit, quæ, quantò magis alieniora videntur à reatum generationi iſti impingendo, eò nequitiam iſtius magis gravant, reatum impingentes. Nam argueret *Judæus*, Quid *Judæis* cum ſanguine *Abelis*, bis millenis ferè interfecti annis, ante natum, patrem *Judæorum*, *Abrahamum*? Quidque generationi huic cum ſanguine *Zachariæ*, de quo expiatum eſt per

 diras

CAP. XXIII. VERS. 35.

diras plagas & ſtrages quàmplurimis ab hinc ſeculis Imò, inquit *Chriſtus*, eò impietatis, nequitiæ, & reatus proceſſit hæc generatio, ut vel hæc remota reatus exempla eò ſpectent, & ſint reducenda. Cùmque vos nihil ſanguinem *Abelis*, & ſequentium Martyrum veſtrâ intereſſe exiſtimetis,& ſanguinem *Zachariæ* ſignali olim pœnâ expiatum credaris: ego dico vobis, & hujus, & illius, atque omnium juſtorum, in intercapedine temporis interfectorum, ſanguinem ab hac generatione requirendum, 1. Quia vos eum interficitis, qui pluris eſt quàm illi omnes. 2. Quia vos per nequitiam veſtram iram Dei accendiſtis eò uſque, ut veterem Eccleſiam ſuam, Populum ſcilicet olim fœderatum, excidere adigatur. Cùm enim *Chriſtus* dicit, *Ut in vos veniat omnis juſtus ſanguis*, &c. non tam de perſonali ipſorum reatu, quoad iſtum ſanguinem intelligendum eſt, quàm de reatu ob interfectum *Chriſtum*, in cujus occiſione reatus de cæde omnium iſtorum typorum ejus, ac membrorum, aliquatenùs includitur: deque horrendo generationis iſtius excidio eſt intelligendum, quo ſtupendius calamitoſiuſque non viderunt ſecula priora, nec ſubſequentia ſunt viſura, ante ipſum funus mundi. Ac ſi in iſtam generationem confluxiſſet omnis reatus effuſi ſanguinis juſtorum ab origine mundi.

II. Ad ſecundum, quod graviùs urget, quòd ſcilicet vocetur hic *Zacharias* filius *Berachiæ*, cùm fuerit *Jojadæ*, duo hæc obiter ex *Judæorum* ſcriptis obſervemus, priusquàm ad determinationem rei ipſius perveniatur.

I. Vocari ipſiſſimum iſtum *Zachariam*, de quo agimus, à *Chaldæo* Paraphraſta *filium τȢ Iddo*. Sic enim ille in *Thren.* Cap. 3. verſ. 20. *Num congruum eſt, ut filiæ Iſraëlis comedant fructum uteri ſui? &c. Reſpondit norma judicii, & dixit, Num etiam congruum eſt, ut occidant Sacerdotem & Prophetam in Templo Domini; ſicut interfeciſtis Zachariam, filium Iddo, ſummum Sacerdotem & Prophetam fidelem, in domo Sanctuarii, die Expiationis?* &c.

II. In locum *Eſajæ* de *Zacharia*, filio *Jebarechiæ*, Cap. 8: 2. hæc *Judæi. Babyl. Maccoth*, fol. 24. 1, 2. *Scriptum eſt*, Teſtatus ſum ego mihi teſtes fideles, Uriam Sacerdotem, & Zachariam filium Barachiæ [ברכיהו ſcribitur abſque י præfixo] *Eſajæ*, 8: 1. *At quænam eſt ratio, cur Uriah conjungatur cum Zacharia? Uriah enim fuit ſub Templo primo, Zachariah ſub ſecundo: aſt appendit Scriptura Prophetiam Zachariæ ad Prophetiam Uriæ. Ab Uria ſcribitur*, Veſtrì ergò Zion arabitur ut ager. *A Zacharia ſcribitur*, Adhuc ſedebunt ſenes, & grandævæ in plateis Hieroſolymæ. *Cùm adimpleatur Prophetia Uriæ, adimplebitur etiam Prophetia Zachariæ.* Ad eundem etiam ſenſum *Chaldæus* Paraphraſtes in locum: Et teſtatus ſum coram me teſtes fideles. *Maledictiones, quas allaturum me prædixi in Prophetia Uriæ Sacerdotis, ecce, advenerunt: omnes conſolationes pariter, quas prædixi me allaturum in Prophetia Zachariæ filii Jebarechiæ, ego adducam.* Vide etiam ibi *R. R. Jarchium* & *Kimchium*.

Hæc duo ex his duobus obſervamus. I. *Si Iddo* idem genti *Judaicæ* non ſonuit cum *Jojada*, quare eâdem libertate patrem *Zachariæ Barachiam* vocare non licuit *Salvatori*, quâ eum *Iddo* vocare licuit *Chaldæo* Paraphraſtæ? II. Patet *Judæos* verba iſta apud *Eſajam* pro verbis Dei habere *Eſajam* alloquentis, non pro verbis *Eſajæ* rem geſtam hiſtoricè referentis. Quod quidem veriſſimè opinantur, atque rectiſſimè ſecundùm primi vocabuli וְאָעִידָה punctuationem: nam, cùm *Vau* conjunctio punctuetur cum *Scheva*, indicium certum eſt, verbum futuro tempore reddendum, non præterito, quod & bene obſervavit verſio interlinearis ſic reddens, *Et teſtificari faciam mihi teſtes fideles.* Nam, ſi præteritè conſtruendum eſſet, per *Camets* eſſet punctuandum, וָאָעִידָה, *Et teſtificari feci.* Quo benè obſervato, [quod aliquando à nobis non obſervatum fuiſſe fatemur] reſolvitur nodus ſub manibus (ut ego quidem arbitror) apertiſſimè: opinorque *Zachariam*, filium *Jobarechiæ*, apud *Eſajam*, ipſiſſimum eundem eſſe cum *Zacharia* noſtro, filio *Jehojadæ*: ſenſumque *Eſajæ* huc aſſurgere. Agitur illìc, & Capite præcedente, de excidio futuro *Damaſci*, *Samariæ*, ac *Judææ*. Vide Cap. 7: 8, 17, 18, &c. & Cap. 8: 4, 7, 8, &c. In hujus rei certitudinem duplici utitur Deus teſtimonio: primò, Prophetæ *Eſajæ* præcipit, ut in grandi volumine, iterum iterumque, etiam à capite ad calcem, ſcribat reſcribatque, *Le Maher ſhalal hashbaz: id eſt, Ad accelerandum ſpolium acceleravit prædam:* futurumque eſt hoc volumen teſtimonium iis indubitatum, Deum prædictam deprædationem ac excidium certè adducturum, atque acceleraturum. *Atque ego inſuper*, inquit Deus, *duos μάρτυρας fideles mihi excitabo*, qui & verbo & ſanguine ſuo hoc ipſum teſtabuntur, & conſignabunt, *Uriam* ſcilicet *Sacerdotem*, qui olim eſt martyrio ob hoc ipſum coronandus, *Jer.* 26: 20, 23. & *Zechariam*, filium *Barachiæ*, vel *Jehojadæ*, qui nuper eſt coronatus: hic primus Martyr, ſub Templo primo; ille ultimus. Audi *Judæe*, qui *Matthæum* hîc carpis, afferunt tui, per *Uriam Sacerdotem* iſtum *Uriam* intelligi, qui occiſus eſt à *Jehojakimo*; verèque: aſſerimus & nos per *Zechariam* filium *Jebarechiæ Zechariam* filium *Jehojadæ* intelligi, *Matthæum*que, *Chriſtum*que, nihil hîc in nomine *Barachiæ* innovâſſe, ſed de patre Martyris *Zechariæ* idem tantùm pronuntiâſſe,

Digitized by Google

CAP. XXIII. VERS. 37. tiaſſe, quod ante ipſos pronuntiaverat ipſe Deus apud *Eſajam*.

Objectio. At cùm à Veteri Teſtamento exempla ſumat *Salvator*, cur non potiùs dixit, *A ſanguine Abelis uſque ad ſanguinem Uriæ Sacerdotis?* id eſt, ab initio mundi uſque ad finem primi Templi?

Reſp. I. Horrendior erat cædes *Zachariæ*, quò ille ordine dignior, & quò locus, in quo cæſus, ſacratior.

II. Univerſalior erat in illius cæde populi totius conſenſus.

III. Aptior & apertior erat ille typus *Chriſti*.

IV. Memoratur ſolùm de *Abele* & *Zacharia* petitio vindictæ. *Ecce, vox ſanguinis fratris tui clamat ad me*, Gen. 4:10. Et *videat Dominus & requirat*, 2 *Paralip*. 24:22.

V. In hoc ſummè convenit inter mortem *Chriſti* & *Zachariæ*: quòd, quamvis non niſi quadraginta circiter annis poſt cæſum *Chriſtum* perierit urbs & gens *Judæorum*; vulnus tamen lethale ſibi inflixerunt, vulnerando *Chriſtum*. Ità etiam fuit in cauſa *Zachariæ*: ſtetit quidem *Hieroſolyma* populusque per plurimos poſt mortem *Zachariæ* annos, at exinde labens & vergens in ruinam. Conſule rimatiùs hiſtoriam, ac palàm deprehendes, ex illo fluere, ac retrò ſublapſa referri omnia *Judæorum*, cùm *ſanguis ſanguinem attingeret*, Hoſ. 4:2. [ſanguis ſacrificantis ſanguinem ſacrificii], cùmque *populus factus eſſet contentioſus* & rebellis *in Sacerdotem*, Hoſ. 4:4.

VERS. 37. Ἱερουσαλὴμ ἡ ἀποκτείνουσα τοὺς προφήτας.

R. Solom. in *Eſaj*. 1:21. in iſta verba, *At nunc homicidæ. Occiderunt*, inquit, *Uriam*, *occiderunt Zachariam*. Itemque in *Hierem*. 2:30. in iſta verba, *Gladius veſter exedit Prophetas veſtros. Zechariam*, inquit, *occidiſtis atque Eſajam*.

Babyl. Jevamoth, fol. 49. 2. *Simeon ben Azzai dixit, Librum genealogicum reperi Hieroſolymis, in quo ſcriptum erat, Manaſſeh occidit Eſajam*, &c.

CAP. XXIV.

CAP. XXIV. VERS. 1. VERS. 1. Ἐπιδεῖξαι αὐτῷ τὰς οἰκοδομὰς τοῦ ἱεροῦ.

B*Abyl. Bava Bathra*, fol. 4. 1. & *Succah*, fol. 51. 2. *Quicunque non vidit Templum Herodis, nunquam vidit ædificium ſplendidum. Unde illud conſtructum? Dicit Rabba, E marmore albo, & viridi: at ſunt qui dicunt, è marmore albo, viridi, & variegato. Labrum ſubſidere fecit & labrum aſcendere*, [id eſt, ſinuoſâ flexuoſitate ad undarum ſimilitudinem exſurrexerunt parietes] *nam ità calci recipiendæ aptatos linere decreverat: at dixerunt ei Rabbini, Permitte, ut perſiſtat; nam pulchrum conſpectui eſt admodùm; nam eſt inſtar fluctuum maris: & Bava Ben Buta ſic fecit*, &c. Vide illìc hiſtoriam de *Bava ben Buta* & *Herode* conſulentibus de re-ædificatione Templi. CAP. XXIV. VERS. 2, 3.

VERS. 2. Οὐ μὴ ἀφεθῇ ὧδε λίθος ἐπὶ λίθον, &c.

Huic dicto atteſtantur etiam Faſti *Talmudici*. *Taanith*, cap. 4. hal. 6. *Nono menſis Ab aratro foſſa eſt civitas Hieroſolyma*: quod fuſiùs *Maimonides*, *Taanith*, cap. 5. *Nono iſto die menſis Ab, ob vindictas fatali, Turnus Rufus impius, è regionibus Edomæis, aratro Templum fodit, & circumjacentia, ut adimpleretur illud, quod dictum eſt, Sion ut ager arabitur*. Hunc *Turnum Rufum*, frequentiſſimæ apud Scriptores *Judaicos* memoriæ, atque etiam infamiæ, eundem eſſe abſque controverſia eſt cum *Terentio Rufo*, de quo *Joſephus*, *de bell*. lib. 7. cap. 7. Τερέντιος Ῥοῦφος ἄρχων τῆς στρατιᾶς καταλέλειπτο· *Terentius Rufus dux militiæ à Tito relictus eſt*. Huic demandatam fuiſſe urbis & Templi demolitionem, non incongruum eſt ſuſpicari, quod credunt *Judæi*. De ea re ſic iterum *Joſephus*, ubi ſuprà, cap. 1. Κελεύει Καῖσαρ ἤδη τήν τε πόλιν ἅπασαν καὶ τὸν νεὼν κατασκάπτειν. Et paulò pòſt, Οὕτως ἐξωμάλισαν οἱ κατασκάπτοντες, ὡς μηδὲ πώποτε οἰκηθῆναι, πίστιν ἂν ἔτι παρασχεῖν τοῖς προσελθοῦσιν.

VERS. 3. Καὶ τί τὸ σημεῖον τῆς σῆς παρουσίας, καὶ τῆς συντελείας τοῦ αἰῶνος;

Quid ſibi velint Apoſtoli in his verbis, clariùs elicitur ex ſenſu gentis animadverſo de temporibus *Meſſiæ*: hunc paucis excerpamus è *Babyl. Sanhedr*. fol. 92.

Traditio Scholæ Eliæ: Juſti, quos ſuſcitabit Sanctus Benedictus à mortuis, non redibunt iterum ad pulverem ſuum; ſicut dicitur, Quicunque relictus fuerit in Sione, & reſiduus in Hieroſolymis, Sanctus dicetur, omnis conſcriptus ad vitam. *Sicut Sanctus* [Deus] *vivit in æternum, ità & illi vivent in æternum. At verò ſi objicias, Quid facient juſti annis iſtis, quibus Sanctus Benedictus renovaturus eſt mundum ſuum; ſicut dicitur*, Et exaltabitur Deus ſolus iſto die? *Reſpondetur, Deum alas iis donaturum, ſicut aquilarum, & natabunt illi* [vel, *fluitabunt*] *ſuper faciem aquarum*.

Ubi ſic Gloſſa. *Juſti, quos ſuſcitabit Deus à mortuis in diebus Meſſiæ, cùm revixerint, non redibunt iterum in pulverem ſuum, nec in diebus Meſſiæ, nec in ſeculo conſecuturo: ſed caro eorum in ipſis eſt permanſura, uſque dum redeant & vivant* עתיד לבא, *in æternitatem*.

Et

CAP. XXIV. VERS. 2.

Et per iſtos annos, quibus renovaturus eſt Deus mundum (vel, *ſeculum*) *ſuum*, ויהיה עולם זה חרב אלף שנים, *vaſtabitur mundus hic per millennium, ubinam tandem per iſtos annos erunt juſti iſti, cùm ſepeliendi non ſint in terra?* &c.

Hucadducas etiam Phraſiologiam iſtam uſitatiſſimam עולם הבא, *Mundi futuri*, quâ *dies Meſſiæ* denotantur, de qua pauca diximus ad Capitis duodecimi verſum triceſimum ſecundum.

Gloſſa in *Babyl. Berac.* fol. 9. 2. אם זכה לעה"ב לראות גדולתן של ישראל, *Si obtinuerit, ut videat mundum futurum, id eſt, exaltationem Iſraëlis*, in diebus ſcilicet *Meſſiæ*.

Tanchum, fol. 9. 2. *Dicit Sanctus Benedictus Deus Iſraëli, In hoc mundo vos timetis à tranſgreſſionibus: at in mundo futuro, quando non futurus eſt malus affectus, ſolicitt eritis ſolùm de bono vobis repoſito; ſicut dicitur*, Poſthæc convertentur filii Iſraëlis, & quærent Dominum Deum ſuum, & Davidem Regem ſuum, &c. *Hoſ.* 3:5. Quæ clarè tempora *Meſſiæ* reſpiciunt.

Idem fol. 77. 3. *Dicit Sanctus Benedictus Iſraëli, In hoc mundo quoniam nuntii mei* [miſſi ad explorandam terram] *fuerunt caro & ſanguis, de iis decretum eſt, de non intrando terram: at in mundo futuro ego mitto vobis nuntium meum ſubitò, & præparabit viam coram facie mea*, &c. *Mal.* 3:1.

En doctrinam *Judaicam* de adventu Meſſiæ!

I. Futuram tunc temporis reſurrectionem juſtorum: משיח עתיד ליחין ישיני עפר, *Meſſias reſuſcitabit dormientes in pulvere. Midr. Tillin*, fol. 42. 1.

II. Exin conſecuturam mundi hujus deſolationem. עולם זה חרב אלף שנים, *Mundus hic vaſtabitur per millennium.* Non quòd opinati fuerint chaos, vel confuſionem rerum omnium per millennium duraturam, ſed deſiturum hunc mundum, & novum introducendum per iſtud millennium.

III. Poſt quod עתיד לבא, Æternitatem futuram.

Ex his facilè intelligimus, quid ſibi velit hæc quæſtio Diſcipulorum.

1. Præſentem noſcunt, agnoſcuntque *Meſſiam*, & tamen adventûs ejus ſigna requirunt.

2. Non autem ſigna requirunt adventûs ejus, [prout nos de eo credimus] ut judicet vivos omnes & mortuos, in rerum omnium conſummatione. Sed,

3. Quando ille adventurus in evidentia & demonſtratione *Meſſiæ*, mortuos reſuſcitans, & mundum hunc finiens, atque introducens novum, prout in Scholis ſuis fuerunt de adventu ejus edocti.

CAP. XXIV. VERS. 7, 9.

VERS. 7. Ἐγερθήσεται γὰρ ἔθνος ἐπὶ ἔθνος,

Præter ſeditiones *Judæorum* horrendis inter ſe ſtragibus cruentatas, aliaſque intra Imperium *Romanum* ab exteris bellorum tempeſtates, memorabiles in primis ſunt motus iſti inter *Othonem* & *Vitellium*, atque inter *Vitellium* & *Veſpaſianum*, quibus non ſolùm concuſſum eſt totum Imperium, & *totius Orbis mutatione fortuna Imperii tranſiit*, [verba ſunt *Taciti*] ſed & ipſa *Roma*, pugnæ ſcena facta & militum præda, & in cineres redactum ipſum *Capitolium*. Talia tormina paſſum eſt Imperium jam parturiens, ut naſcatur *Veſpaſianus* ad regimen, flagellum ac vindicta Dei in *Judæos*.

VERS. 9. Τότε παραδώσουσιν ὑμᾶς εἰς θλῖψιν.

Huc ſpectant verba *Petri*, 1. *Pet.* 4:17. *Tempus eſt, ut incipiat Judicium à domo Dei*, id eſt, tempus à *Salvatore* prædictum jam adeſt, quo nos perſecutioni tradendi, &c. Hæc perſecutionem iſtam ſævientem innuunt, quam excitârunt *Judæi* in ruinam jam vergentes, ubique ferè, in profeſſores Euangelii. Undiquâque quidem eos huc uſque preſſerant, quoad licuit, convitiis, rapinis, flagellis, verberibus, &c. quod teſtantur loca hæc, atque hujuſmodi, 1 *Theſſ.* 2:14, 15. *Hebr.* 10:33, &c. Aſt erat aliquid, quod obicem poneret, quominus ad ultimam ſævitiam ab iis adhuc eſſet proceſſum, 2 *Theſſ.* 2:6. quod ego de *Claudio*, *Judæis* indignante, eoſque frænante, *Act.* 18:2. intelligendum reor. Quo è medio ſublato, & *Nerone*, poſt primum quinquennium ſuum, omnia ſurſum deorſum ferri permittente, *Judæiſ*que extremum jam exſpirantibus, (extremaque ideo in iis ſpirante *Satanâ*, quòd breve eorum tempus eſſet) in cædem & ſanguinem ab iis eſt proruptum ſupra modum, atque in perſecutionem cruentiſſimam: quam miror ego in numero & fronte decem perſecutionum ab Hiſtoricis Eccleſiaſticis non reponi. Vocatur hæc à *Petro* (qui & ipſe tandem in ea periit) Πύρωσις πρὸς πειρασμὸν, 1 *Pet.* 4:12. à *Chriſto*, Epiſtolas ad Eccleſias ſeptem dictante, θλῖψις ἡμερῶν δέκα, *Apoc.* 2:10. & Ὥρα τοῦ πειρασμοῦ μελλούσα ἔρχεσθαι ἐπὶ τῆς οἰκουμένης ὅλης, *Apoc.* 3:10. & hæc eſt *Paulo Revelatio iniqui illius*, 2. *Theſſ.* 2:8. vivis coloribus, id eſt, cruentis, jam ſe, hoſtem *Chriſti*, *Antichriſtum* palàm declarantis. In iſta perſecutione periit *Jacobus Hieroſolymis*, *Petrus* in *Babylonia*, *Antipas Pergami*, aliique, ut probabile eſt, non paucis aliis in locis. Hinc *Apoc.* 6:11, 12. (ubi ſub ſex

Digitized by Google

CAP. XXIV. VERS. 12, 14, 15.

ſex ſigillis tractatur ſtatus gentis *Judaicæ*) occiduntur qui occidendi ſunt ob teſtimonium Euangelii ſub ſigillo quinto, atque illicò ſub ſexto ſequitur ruina gentis.

VERS. 12. Ψυγήσεται ἡ ἀγάπη τῶν πολλῶν.

Horrendam iſtam Apoſtaſiam hæc innuunt, quæ undique in Eccleſiis *Judaicis*, quæ Euangelium receperant, graſſabatur. Vide 2 *Theſſ*. 2: 3, &c. *Gal*. 3: 1. 2 *Tim*. 1: 15, &c.

VERS. 14. Καὶ κηρυχθήσεται τοῦτο τὸ εὐαγγέλιον τῆς βασιλείας ἐν ὅλῃ τῇ οἰκουμένῃ.

Hieroſolymæ non vaſtandæ erant ante perlatum per totum orbem Euangelium; ſic providente & proſpiciente Deo, ut Catechumeno priùs in doctrina *Chriſti* terrarum orbi inſigne tandem atque irrefragabile teſtimonium de *Chriſto* exhiberetur; cùm iram tam diram, & vindictam tam inauditam audirent omnes, quotquot hiſtoriam *Chriſti* perceperant, in urbem gentemque iſtam effuſam, à qua ille crucifixus.

VERS. 15. Τὸ βδέλυγμα τῆς ἐρημώσεως.

Reſpiciunt hæc verba iſta *Danielis*, Cap. 9: 27. ועל כנף שקוצים משמם, Ego comma iſtud ſic reddiderim, *In medietate iſtius hebdomadæ* (ultimæ ſcilicet è ſeptuaginta) *ceſſare faciet ſacrificium & oblationem, etiam uſque dum ala* (vel, *exercitus*) *abominationum deſolatum fecerit*, &c. vel *Etiam per alam abominationum deſolantem*. כנף eſt *Exercitus*, *Eſajæ* 8: 8. atque iſto ſenſu hæc reddit *Lucas*, Cap. 21: 20. *Cùm videritis ab exercitu circumdari Hieruſalem*, &c.

Ὁ ἀναγινώσκων νοείτω.

Hæc non tam de obſcuritate Prophetiæ iſtius dicta ſunt, quàm de certitudine: quaſi dicat, Qui iſta legit apud *Danielem*, bene advertat, quòd, cum exercitus Principis venturi, exercitus ille abominationum, *Hieroſolymas* obſidione cinxerit, certiſſimum ei impendet excidium; (nam dicit *Daniel*, *Populus Principis venturi urbem vaſtabit, & ſanctum*, &c. verſu 26. *Et exercitus abominationum deſolatum faciet uſque dum conſummatio, & quod determinatur, fundatur ſuper deſolatum*.) Nolite ergò vanâ ſpe voſmet ipſos demulcere, aut de victoria futura, aut de receſſione iſtius exercitûs; ſed vobiſmet ipſis conſulite, & qui in *Judæa* eſt, fugiat in inacceſſa atque impervia montium, non in urbem. Vide ut *Lucas* hunc ſenſum clarè eloquatur, Capitis viceſimi primi verſu viceſimo.

CAP. XXIV. VERS. 20, 22, 24.

VERS. 20. Ἵνα μὴ γένηται ἡ φυγὴ ὑμῶν χειμῶνος.

Clementiam aliquam Dei obſervat *R. Tanchuma* in excidio Templi primi, quòd æſtate occurreret, non hyeme. Sic enim ille, fol. 57. 2. *Clementiam magnam exhibuit Deus Iſraëli, nam decimâ menſis Tebeth oportuerat eos transmigrare, ſicut dicit*, Fili hominis, nota hunc diem; nam ipſiſſimo hoc die, &c. *Quid ergò fecit Dominus Sanctus Benedictus? Si transmigrent jam, inquit, hyeme, morientur omnes: tempus ergò iis elongavit, atque eos abduxit in æſtate.*

VERS. 22. Κολοβωθήσονται αἱ ἡμέραι ἐκεῖναι.

Protraxit Deus tempora propter electos, ante urbis excidium; in excidio, propter eos contraxit. Confer cum verbis ſub manibus 2 *Pet*. 3: 9.

Acerbiſſimè certè electis iſtis erat, urbis incolis, qui cum obſeſſis omnimodam miſeriam ſubierunt, ubi eò uſque à peſte & gladio eſt ſævitum, ut non eſſent qui ſepelirent mortuos; & à fame, ut mater filium comederet, (fortè uxor *Doëg ben Joſeph*, de qua vide talem hiſtoriam, *Babyl. Joma*, fol. 38. 2.) Acerbè etiam ſatis erat electis iſtis, qui in montana confugerant, domo pulſis, ſub dio verſantibus, & ad victum neceſſaria deſiderantibus: his ergò conſulit clemens eorum Deus & pater, tempora aſperitatis abbrevians, & reprobos celeriori ſtrage abſumens, nè electis, protractâ nimium iſtorum plagâ, cum iis etiam eſſet nimis miſerè.

Somniant *Rabbini*, decurtatum à Deo fuiſſe diem iſtum, quo mortuus eſt Rex nequiſſimus *Achaz*, idque decem horis, nè luctu ille cohoneſtaretur. Vide *R. Solom*. in *Eſaj*. 38.

VERS. 24. Δώσουσι σημεῖα μεγάλα καὶ τέρατα.

In æquilibrio ferè poſitum eſt, utrum præ ſuperſtitione in rebus religionis magis inſaniverit gens *Judaica*, an præ ſuperſtitione in artibus curioſis.

I. Non erant inter mortales, qui plus inſomniis ſtuduerint, tribuerintve, quàm gens iſta. Hinc,

1. Indicta ſibiipſis non raró jejunia eo fine, ut felicia adipiſcerentur inſomnia; vel ut inſomnii alicujus aſſequerentur interpretationem; vel ut ejus omen malum averterent: quod obſervavimus ad Capitis noni verſum decimum quartum.

2. Hinc regulæ curioſæ ſatis de tractandis inſom-

Digitized by Google

CAP. XXIV. VERS. 24.

inſomniis: quales hæ, atque hujuſmodi, יצפה אדם לחלום טב עד כ״ב שנה *Obſervet quis inſomnium bonum uſque ad annos viginti duos, exemplo Joſephi: Beracoth*, fol. 14. 1. *Si cubitum eas lætabundus, fruèris inſomniis bonis*, &c. *Schabb.* fol. 30. 2. in Gloſſa.

3. Hinc apertâ profeſſio quàmplurimorum interpretandi inſomnia, atque hæc inter artes nobiliores connumerata. Refert hæc ſenex quidam in *Babyl. Beracoth*, fol. 55. 2. *Viginti quatuor inſomniorum interpretes erant Hieroſolymis: atque ego, cùm vice quadam ſomniarem ſomnium, omnes adii, & quod interpretatus eſt hic, non interpretatus eſt ille; & tamen evenerunt omnia, quæ interpretati ſunt omnes*, &c.

In *Hieroſ. Maaſar Sheni*, fol. 52. 2, 3. habes *R. Joſen ben Chelpatha*, *R. Iſmaëlem ben R. Joſi*, *R. Lazarum*, & *R. Akibam* varia inſomnia interpretantes, plurimosque ad eos recurrentes, ut inſomniorum ſuorum interpretationem adipiſcantur. Imò vides illic Diſcipulos *R. Lazari*, eo abſente, hanc artem practicantes. Vide plurimas illîc de hac re hiſtorias, quas nimium eſſet hîc exſcribere.

II. Vix erant in toto terrarum orbe, quibus amuleta, carmina, inſuſurrationes, exorciſmi, atque omnimodæ incantationes, in uſu magis eſſent & deliciis. Exempla hîc proferre liceret innumera: nos ex meſſe manipulum.

Schabb. cap. 6. hal. 2. ולא בקמיע בזמן שאינו מן המומחה, *Ne prodeat quis Sabbato amuletum geſtans, ſi non præſcriptum à medico probato*, (vel, *ſi non amuletum probatum*. Vide *Gemaram*.) Erant autem hæc amuleta vel radiculæ morbidorum collo appenſæ, vel, quod frequentius, ſchedulæ literis quibuſdam inſcriptæ, (קמיע של כתב vel קמיע של עקרין) à quibus averti morbos & mala credebatur, aut ſanari: quas geſtare aliis diebus ſoliti Sabbato prohibebantur, niſi ſub cautione.

Hieroſ. ibid. fol. 8. 1. *Non recitant carmen ſuper vulnus Sabbato. Iſtud etiam quod recitatur ſupra mandragoram prohibetur* (Sabbato.) *Si dicat quis, Veni, & recita verſiculum hunc ſuper filium meum, aut impone ſuper eum librum* (Legis) *aut Phylacteria, ut dormiat; prohibetur*: Sabbato ſcilicet; aſt aliis diebus uſitatum.

אומרים היו שיר פגעין בירושלם, *Recitare ſoliti ſunt Pſalmum occurſuum*, (id eſt, contra infauſtos occurſus) *Hieroſolymis. R. Judan dicit, Aliquando poſt occurſum talem, aliquando cùm adhuc non occurriſſet. Quiſnam autem eſt Pſalmus occurſuum? Pſalmus tertius*, Domine, ut multiplicati ſunt inimici mei, *etiam totus Pſalmus: & Pſalmus nonageſimus primus*, Qui habitat in ſecreto altiſſimi, *uſque ad verſum nonum*.

CAP. XXIV. VERS. 24.

Ibid. col. 3. Agitur de plurimis rebus, quas geſtare ſolebant pro remediis contra quoſdam dolores; de muſſitationibus quibuſdam ſuper vulnera: & videre illîc eſt, ut, dum cavent ab incantationibus *Amorrhæorum*, ſuas habeant & tolerent.

Babyl. Joma, fol. 84. 1. Formam incantationis habes contra canem rabidum.

Idem, *Avodah Zarah*, fol. 12. 2. Formam incantationis habes contra Dæmona cœcitatis.

Hieroſ. Schabb. fol. 13. 4. & *Avodah Zarah*, fol. 40. 4. Muſſitationes, vel incantationes, etiam in nomine *Jeſu*.

Vide etiam de ejuſmodi muſſitationibus *Babyl. Sanhedr.* fol. 101. 1.

III. Adeò præſtigiis erant docti, faſcinationibus, & veneficiis, ut σημεῖα μεγάλα ederent, dira multa, mira plurima. Omittimus ea, quæ de *Simone Mago*, *Elyma*, filiis *Scevæ*, &c. referunt Sacræ Paginæ, quæque de aliis Magis *Joſephus*; nos *Talmudica* exempla proferemus, pauca è plurimis.

De miris magicis auditurus hæc duo mireris in veſtibulo, atque indè uſitatiſſimam in gente iſtarum artium malarum praxin conjecteris.

I. Quòd *ſeniorem in Synhedrium electum oporteret doctum eſſe artibus Aſtrologorum, Præſtigiatorum, Divinantium, Veneficorum*, &c. *ità ut de iis reos judicare poſſet. Maimon. Sanhedr.* cap. 2.

II. Quòd camera quædam in ipſo Templo à Mago condita fuerit, referunt Magiſtri. Gloſſa in *Middoth*, cap. 5. hal. 3. *Camera Happarvæ condita fuit à Mago quodam, cui nomen Parvah, arte magica.*

Hieroſ. Sanhedr. fol. 18. 3. *Viginti quatuor è Schola Rabbi, annum intercalantes Lyddæ, ab oculo malo omnes perierunt*: id eſt, veneficiis interfecti ſunt.

Ibid. fol. 25. 4. *R. Joshua* Magum Magicâ ſuperat, & ſubmergit in mare.

Babyl. Taanith, fol. 24. varia referuntur miracula à *Rabbinis* edita.

Hieroſ. Sanhedr. fol. 23. 3. *Babyl. Sanhedr.* fol. 44. 2. in Gloſſa refertur hiſtoria de octoginta fœminis veneficis *Aſcalone* uno die ſuſpenſis à *Simeone ben Shetah*: *& fœminæ Iſraëliticæ*, inquit Gloſſa, *plurimùm proruperant ad practicanda veneficia*: quòd adduximus anteà.

De plurimis *Rabbinis* memoratur, quod eſſent כלומדים בנסים, *periti in edendis miraculis*; ſic *Abba Chelchiah*, & *Chanin*, in *Juchaſ.* fol. 20. 1. & *R. Chanina ben Duſa*, id. fol. 56. 2. de quo *R. Chanina* infinitæ ferè occurſant hiſtoriæ, de editis ab eo miraculis, quæ Magicam ſapiunt ſat ſuperque. Vide *Babyl. Berac.* fol. 33, & 34.

Et;

Digitized by Google

CAP. XXIV. VERS. 24,27.

Et, nè nimii in exemplis ſimus, quid, quæſo, dicendum de impetratis à *Rabbinis* jejunantibus ad placitum ferè pluviis? de quibus hiſtoriæ quàmplurimæ in codice *Taanith*. Quid de *Bath kol*, frequentiſſimè *Rabbinis* applaudente è cœlo? de qua re diximus anteà. Quid de morte aut plagis huic & illi à *Rabbinis* prædictis? quæ & ſecundùm quod prædictum eſt evenerunt. Ego artem Magicam in plerisque horum potiùs ſuſpicor, quàm mendacitatem in omnibus.

IV. Proruperunt, atque in publicum prodierunt Pſeudo-Chriſti cum præſtigiis ſuis, eò frequentiores atque impudentiores, quò magis ad ruinam nutaret urbs populusque, eò quòd *Meſſiam* manifeſtandum gens opinaretur ante excidium urbis, iſtique hiſce ſignis ſinguli ſe *Meſſiam* eſſe ſimulabant. Ex verbis *Eſajæ*, Cap. 66:7. *Anteque veniret dolor ejus, peperit maſculum*, à Doctoribus concluſum eſt, *Meſſiam ante urbis excidium manifeſtandum*. Sic *Chaldæus* Paraphraſtes in locum. *Salvabitur ante anguſtias extremas, & Rex ejus revelabitur ante dolores parturientis*. Nota & illud in *Babyl. Joma*, fol. 10. 1. *Non adveniet filius Davidis uſque dum dilataverit ſe Imperium iniquum* (Romanorum) *in totum mundum, novem menſibus; ſicut dicitur*, Eos ergò tradet, uſque dum pariens pepererit, *Mich.* 5:3.

VERS. 27. Ὥσπερ γὰρ ἡ ἀστραπὴ, &c.

Ad commatis hujus ac ſequentium ſenſum clariùs eruendum, ac percipiendum, duo iſta ſunt obſervanda; de quibus monuimus antè.

I. Excidium *Hieroſolymarum* à Sacra Pagina frequentiſſimè exprimi, ac ſi excidium eſſet totius Orbis. Deuter. 32:22. *Accenditur ignis in ira mea, qui ad Orcum uſque infimum ardebit*, [ſermo eſt de ira Dei, gentem iſtam exedente. Vide verſus 20,21.] *terramque cum incremento ſuo devorabit, ac fundamenta montium accendet*. Hierem. 4:23. *Aſpexi terram; &, ecce, inanis ea, & vacua: cœlumque; &, ecce, lux nulla*, &c. Et ſermo illic etiam de perditione iſtius gentis. Eſajæ 65:17. *Ecce, ego creo novos cælos, novamque terram; nam priores non memorabuntur*, &c. Et plura ejusmodi apud Prophetas. In hunc ſenſum *Chriſtus* hoc in loco: *Petrus*, Epiſtolâ ſecundâ, Capite tertio: *Apocalyptes*, Capite ſexto: *Paulus*, 2 *Cor.* 5:17. &c.

II. Vindictam *Chriſti* in gentem iſtam nequiſſimam vocari *Adventum Chriſti in gloria*, & *Adventum in nubibus*, *Dan.* 7. Vocari etiam *Diem Domini*. Vide *Pſalm.* 1. *Mal.* 3:1,2. &c. *Joel.* 2:31. *Matth.* 16:28. *Apoc.* 1:7. &c. Vide quæ diximus ad Cap. 12:20. & 19:28.

CAP. XXIV. VERS. 28,29, 30.

Illud ergò, quod verba ſub manibus ſibi volunt, hoc eſt. Dum *Chriſtum* hinc illinc conſpiciendum mentientur: *Ecce, is in deſerto*, dicet hic; *Ecce, is in conclavibus*, dicet ille: ſubitaneâ, atque omninò inexſpectatâ, fulguris inſtar, aderit ille cum vindicta, & non inventus reperietur; & quem quærunt invenient, ſed non qualem quærunt.

VERS. 28. Ὅπου γὰρ ἐὰν ᾖ τὸ πτῶμα, &c.

Miror quenquam hæc verba de piis ad *Chriſtum* confugientibus intelligere poſſe, cùm de re longe aliâ ſit hìc diſſertatum: cum præcedentibus ſic connectuntur. Subitanea vindicta *Chriſtum* revelabit; nam, cùm urbem gentemque internecioni maturam, cadaveris inſtar projecti, tradiderit Deus; advolabunt illicò milites *Romani*, aquilarum inſtar, cum aquilis ſuis, atque eam dilacerabunt, & exedent. Atque huc etiam quadrat reſponſio *Chriſti*, Luc. 17. ult. cùm poſt eadem dicta, quæ dicuntur in hoc Capite, quæreretur, *Ubinam hæc, Domine*? reſpondit ille, *Ubicunque eſt cadaver*, &c. tacite hoc innuens, *Hieroſolymas*, gentemque impiam, quam per totum Caput depinxiſſet, cadaver illud futurum, quò convolaturæ eſſent aquilæ avidæ & voraces, illud comeſturæ.

VERS. 29. Ὁ ἥλιος σκοτισθήσεται, &c.

Id eſt, Peribit cœlum *Judaicum*, atque obſcurabuntur Sol & Luna gloriæ ejus ac felicitatis, atque in nihilum redigentur: Sol Eccleſiæ religio, Luna Reipublicæ regimen, & ſtellæ utriuſque Judices ac Doctores. Confer *Eſaj.* 13:10. *Ezech.* 32:7,8, &c.

VERS. 30. Καὶ τότε φανήσεται τὸ σημεῖον τοῦ υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου.

Tunc ſpecimen ſui edet filius hominis, quem anteà noluerunt cognoſcere: ſpecimen quidem, non in figura aliqua viſibili, ſed vindictâ & judicio adeò viſibili; ut eum non poſſint non agnoſcere vindicem omnes Tribus terræ. Noſcere eum noluerunt *Judæi*; jam nolentes volentes cognoſcent, ut *Eſaj.* 26:11. Multoties ab eo ſignum quæſiverunt; jam apparebit ſignum, (verum eum eſſe *Meſſiam*, quem illi ſpreverunt, deriſerunt, crucifixerunt) ſignalis ſcilicet ejus vindicta, & furor, qualem non ſenſit gens ulla à jactis uſque terræ fundamentis.

VERS. 31. Καὶ ἀποϛελεῖ τὺς ἀγγέλυς αὐτῦ, &c.

Cùm in cineres redacta fuerit *Hieroſolyma*, & gens iſta impia exciſa & rejecta, tunc emittet Filius hominis Miniſtros ſuos cum tuba Euangelica, & congregabunt illi Electos inter Gentes, à quatuor cardinibus cœli: ità ut cariturus non ſit Deus Eccleſiâ, quamvis rejectus & abdicatus ſit vetus iſte ejus populus; ſed, exciſâ iſtâ *Judaicâ*, convocabitur nova, *Gentilitia*.

VERS. 34. Ὀυ μὴ παρέλθῃ ἡ γενεὰ αὕτη, &c.

Hinc ſatis patet, verſus præcedentes non de extremo judicio intelligendos; ſed, ut diximus, de excidio *Hieroſolymitano*.

Erant ex Diſcipulis, nominatim *Joannes*, qui dira iſta viderent, *Matth.* 16. ult. confer *Joann.* 21:22. Erantque è *Rabbinis* jam in vivis, cùm *Chriſtus* hæc loqueretur, qui eò uſque vixerunt, dum fatalia hæc occurrerent, atque urbs periret: videl. *Rabban Simeon*, qui periit cum urbe, *Rabban Jochanan ben Zaccai*, qui ſupervixit, *R. Zadok*, *R. Iſmaël*, aliique.

VERS. 36. Ὀυδεὶς οἶδεν, ὐδὲ οἱ ἄγγελοι.

Deſumuntur hæc à *Deuter.* 32:34.

VERS. 37. Ὥσπερ δὲ αἱ ἡμέραι τῦ Νῶε, &c.

Sic parallelas ponit *Petrus*, ruinam veteris mundi, & ruinam *Hieroſolymæ*, 1 *Pet.* 3: 19, 20, 21. atque ex tali collatione melius intelligentur ejus verba. Nam vide, ut reſultet ille à mentione de morte *Chriſti* ad tempora ante diluvium verſibus decimo octavo & decimo nono, tempora omnia intercurrentia tranſiliens. Numnam non ſpiritus *Chriſti* prædicavit per omnia tempora ſub Lege? Eccur igitur exemplum ille ſumit tantùm à temporibus ante diluvium? Ut rem ſcilicet cauſæ ſuæ adaptet, paremque oſtendat præſentem *Judæorum* ſtatum temporibus *Noe*, parem ruinam. Sic etiam Epiſtolâ ſecundâ, *Cap.* 3. *verſ.* 6, 7.

Sanhedr. cap. 10. hal. 2. דור המבול אין להם חלק לע׳ הב, *Ætati*, vel *generationi*, *diluvii non eſt portio in mundo futuro*: ſic *Petrus in carcere incluſos* eos dicit; atque hîc *Salvator ſecuritate ſepultos* eos innuit, & ſic à diluvio deprehenſos.

CAP. XXV.

VERS. 1. Δέκα παρθένοις.

NUmero denario gaviſa plurimùm eſt gens *Judaica*, & in ſacris, & in civilibus. אין עדה פחותה מעשרה, *Non conſtitit Synagoga, niſi è decem ad minimum*: quod obſervavimus anteà, cùm ageremus de Synagogis. Hoc etiam apud eos obtinuit אין שורה פחותה מעשרה, *Claſſis*, vel *corona*, *hominum non conſtat*, *niſi è decem ad minimum*. Gloſſa in *Babyl. Berac.* fol. 16. 2. Agitur in textu de cœtu ſolante lugentes: quam rem Gloſſa ſic deſcribit, *Cùm reverſum eſſet a ſepeliendo mortuum* היו עושין שורית סביב האבל, *ſtiterunt ſe ſeriatim circùm lugentes*, *atque eos ſolati ſunt: jam verò ſeries*, vel *corona*, *talis non conſtitit*, *niſi ad minimum è decem*.

Ad numerum hunc receptiſſimum videtur hîc alludi: non, quòd non numerum iſtum virginum in nuptiis celebrioribus excederent frequentiſſimè, ſed quòd rarò de eo imminuerent.

Ἐις ἀπάντησιν τῦ νυμφίυ.

Adeſſe ad nuptias habebatur inter opera miſericordiæ.

Rambam in *Peah*, fol. 1. 1. גמילות חסדים, *Exhibitio miſericordiæ duo ſignificat. I. Ut adjuvet quis Iſraëlitam opibus ſuis, Eleemoſynâ ſcilicet & redemptione captivorum. II. Ut eum adjuvet in perſona*: videl. *ſolando lugentes*, *comitando ad ſepulturam mortuos*, ולבא לחופת חתנים, *& ſe exhibendo præſentem ad thalamos ſponſorum.* Præſentia virginum pompam etiam rei ac feſtivitatem ornavit.

Nuptiæ *Rabbinis* dicuntur נישואין, *Receptiones*, & הכנסת כלה, *Introductio ſponſæ*, in domum ſcilicet mariti. Non erant nuptiæ abſque prævia deſponſatione; at poſt deſponſationem non licuit ſponſo coire cum deſponſata in domo ſoceri ſui, ante deductam eam in propriam domum. Erat introductio iſta conſummatio matrimonii. Supponit hæc parabola ſic petitam ſponſam in domum mariti, paratasque virgines in ejus occurſum, quæ tamen, vel petita è longinquo, vel morâ aliquâ intercurrente detenta, non adducta eſt ante mediam noctem.

Λαβῦσαι τὰς λαμπάδας.

Deſcribitur lampadum forma à *Rambam*, & *R. Solomone* in *Kelim*, cap. 2. hal. 8. quos vide. A *R. Solomone* hæc etiam adducuntur, *Mos eſt in terra Iſmaëlitica*, *ut ſponſam ducant à*

domo

Digitized by Google

CAP. XXV. VERS. 1,5,15.

domo patris ſui in domum ſponſi, ante introductionem in thalamum; ferantque ante eam circiter decem baculos ligneos, in uniuscujusque ſummitate vaſculum inſtar ſcutellæ habentes, in quo eſt ſegmentum panni cum oleo & pice. Ex his accenſis facem ei præferunt. Eadem habet *Aruch* in לפד.

VERS. 2. Πέντε φρόνιμοι. Πέντε μωραί.

Parabolam non admodùm abſimilem adducit *Kimchius* in *Eſaj.* 65:13,14. *Dicit Rabban Jochanan ben Zaccai,* inquit ille, *Res hæc ſimilis eſt Regi, qui invitavit ſervos ſuos, at non præfixit iis tempus ſtatutum.* פקחים שבהם, *Illi ex iis, qui ſapientes erant, ſeſe ornârunt ac ſederunt ad portam palatii:* טפשים שבהם, *Illi ex iis, qui ſtolidi erant, abierunt ad opera ſua. Rex ſubitò requiſivit ſervos ſuos: iſti introierunt ornati, hi ſordeſcentes. Rex gaviſus eſt de ſapientibus, iratus eſt ſtolidis.*

VERS. 5. Ἐνύσταξαν πᾶσαι, καὶ ἐκάθευδον.

נתנמנמו וישנו ונרדמו:, vel נתנמנמו. *Peſachim*, cap. 10. hal. 8. ישנו מקצתן יאכלו כולן לא יאכלו, *Si dormiunt quidam,* (dum cœnam *Paſchalem* celebrant) *comedant; ſi omnes, non comedant. R. Joſi dicit,* נתנמנמו יאכלו, *Dormitant? comedant.* נרדמו לא יאכלו, *Dormiunt? nè comedant.* Quærunt *Gemariſtæ,* היכי דמי מתנמנם, *Unde reputandus eſt ut dormitans? R. Iſhi dicit, Dormit & non dormit, vigilat & non vigilat. Si voces, reſpondet;* לא ידע לאהדורי סברא, *at non novit ad ſenſum reſpondere.* Gloſſa, *Si alloquaris, reſpondebit* הין או לא, *Imò, aut Non; at ſi de re quæras, de qua opus eſt cogitatione; exempli gratiâ, ubinam repoſitum eſt tale vaſculum? non poteſt reſpondere.*

VERS. 15. Καὶ ᾧ μὲν ἔδωκε πέντε τάλαντα, &c.

Similem, & ferè eandem, parabolam habes, *Luc.* 19. at quidem non ipſiſſimam eandem: nam, præterquam quòd illic mentio eſt de minis datis, hîc de talentis, prolata eſt iſta parabola à *Chriſto* aſcendente à *Jerichunte* ad *Hieroſolymam*, ante reſuſcitatum *Lazarum*; hæc ab eo ſedente in monte *Oliveti*, intra triduum ante *Paſcha*. Iſta hâc ratione, *quia erat ille prope Hieroſolymam, & quòd putarent fore, ut regnum Dei illicò appareret,* Luc. 19:11. atque ut oſtenderetur, *Hieroſolymam* non itâ hinc diu ad examen adducendam de omnibus in eam collatis à Deo beneficiis & privilegiis: (vide verſum decimum quartum, & viceſimum ſeptimum:) hæc verò, ut admoneantur omnes ad vigilantiam, & ut omni curâ provideant de reddenda ratione in extremo judicio.

CAP. XXV. VERS. 27.

VERS. 27. Ἔδει σε βαλεῖν τὸ ἀργύριόν μου τοῖς τραπεζίταις, &c.

Talenta ſervis non tradidit dominus eo fine, ut è menſa fœnoraria lucrum & reditum reciperent; ſed ut per mercaturam, & honeſtam negotiationem, quæſtum facerent. Servo ſolùm ignavo reſponſionem hanc rependit, replicationi ſuæ accommodatam, Tu avarum, rapacem, ſordidum me reputas; quare ergò, modo his moribus congruenti, fœnore ſcilicet ac uſurâ, non uſus es, [ſi honeſtâ negotiatione uti nolles] ut aliquod incrementum pecuniæ meæ miniſtrares mihi, potiùs quàm omninò nullum? Fœnorationem his verbis non tam approbat dominus, quàm ſtultitiam & deſidiam ſervi exprobrat.

Τραπεζίτης] שולחני apud *Talmudicos* uſitatiſſimè. *Aruch,* שולחני הוא מכר מטבעות, *Menſarius* (Trapezita) *vendit nummos, & quoniam coram eo ſemper eſt menſa, ſuper quam emit & vendit, vocatur ergò Menſarius.*

Ejuſdem officinæ erat חנוני, *Tabernarius:* de quo etiam mentio apud eoſdem æquè frequens. Fœnorariam negotiationem exercuit ille in fructibus vendendis aut commutandis, ſicut alter in nummis: nam in his duobus præcipuè conſtitit fœnus: de quo vide, ſi lubet, *Bava Mezia*, cap. 5.

CAP. XXVI.

CAP. XXVI. VERS. 3.

VERS. 3. Συνήχθησαν εἰς τὴν αὐλὴν Ἀρχιερέως.

De præſenti Autoritate Synhedrii, ejuſque ſede.

Memorabilia ſunt iſta ominum prodigia, quæ memorantur à *Talmudicis*, quadraginta annis occurrentia ante excidium Templi.

Hieroſ. Joma, fol. 43. 3. *Traditio. Quadraginta annis ante vaſtatum Templum, Lucerna Occidentalis* (media ſcilicet in candelabro ſacro) *extincta eſt. Et lingula coccinea* (cornibus hirci emiſſarii, vel foribus Templi, affixa) *in rubedine ſua permanſit. Et ſors Domini* (pro hirco offerendo die Expiationis) *prodiit à ſiniſtra. Atque oſtia Templi, obſerata veſperi, inventa ſunt aperta manè. Dixit ergò Rabban Jochanan ben Zaccai, O Templum, quare nos perturbas? fatum tuum novimus, te nempe eſſe excidendum: nam dicitur, Aperi, ô Leba-*

Digitized by Google

Lebanon, portas tuas, ut exedat flamma cedros tuas.

Idem, *Sanhedr.* fol. 24. 2. *Traditio. Quadraginta annis ante vaſtatum Templum, ablata ſunt judicia capitalia ab Iſraële.*

Babyl. Avodah Zarah, fol. 8. 2. *Quadraginta annis ante vaſtatum Templum, migravit Synhedrium, & conſedit in Tabernis.*

Cum Traditionibus hiſce ultimis duabus nobis res eſt.

Quod dicitur à *Judæis*, *Joann.* 18:31. Ἡμῖν οὐκ ἔξεστιν ἀποκτεῖναι οὐδένα, idem ſonat cum Traditione ſub manibus, *Ablata ſunt judicia de capite, ab Iſraële.* Quando primùm ablata? *Quadraginta annis ante excidium Templi*, inquiunt *Talmudici*: certè, ante mortem *Chriſti*; id innuunt verba *Judæorum*. Sed quomodò ablata? Recipitur vulgò ferè apud omnes, *Romanos* eò uſque Synhedrium autoritate ſuâ deveſtiiſſe, ut per eos non liceret ei quenquam capite plectere, aut morte mulctare, atque hoc perſuaſum eſt ex verbis iſtis *Judæorum*, Ἡμῖν οὐκ ἔξεστιν ἀποκτεῖναι οὐδένα.

At verò, ſi hoc verum eſt, I. Quid ſibi volunt verba iſta *Salvatoris*, Cap. 10:17. Παραδώσουσιν ὑμᾶς εἰς συνέδρια? II. Unde judicium capitale de *Stephano?* III. Quare tam parùm auſus eſt ſe Synhedrio credere *Paulus*, ut *Cæſarem* appellaret potiùs?

Rem optimè eloquuntur *Talmudici. Quid ſibi vult*, inquiunt, *Traditio iſta de migratione Synhedrii quadraginta annis ante ruinam Templi? Rabb Iſaac bar Abdimi dicit, Hoc vult nempe, Quòd non judicârunt de mulctis.* Et paulò pòſt, *At R. Nachman bar Iſaac dicit, Nè dicas non judicâſſe de mulctis* (vel *damnis*,) *ſed non judicâſſe de capitalibus. Ratioque hæc fuit*, כיון דחזו דנפישי להו רוצחין ולא יכלי למידן, *Eò quòd viderent homicidas adeò creſcere, ut non poſſent eos judicare. Dixerunt ergò, Convenit, ut nos è loco in locum migremus, ut ſic reatum evadamus.* Hoc eſt, Creſcente latronum atque homicidarum eò uſque numero ac audaciâ, ut præ iis langueret autoritas Synhedrii, & nec poſſet, nec auderet eos capite plectere: præſtat, inquiunt, ut nos hinc è *conclavi Gazith* migremus, ubi ex ipſa loci qualitate tenemur, ad hos judicandos, quàm ut hîc ſedentes, ac de iis non judicantes, nos ipſi fiamus rei. Hinc eſt quòd nec in ſummo, nec in inferioribus Synhedriis, capite in quemquam animadverſum eſt. (*Nam non judicârunt de capitalibus in Synhedriis inferioribus in aliqua civitate, niſi dum ſederet Synhedrium magnum in conclavi Gazith*, Gloſſa.) Non extincta eſt autoritas eorum per *Romanos*, ſed à ſuis potiùs conſopita. Oſcitantia Synhedrii perdidit autoritatem Synhedrii. Audi juſtum hac in re ejus opprobrium.

Maccoth, cap. 1. hal. 17. *Synhedrium, à quo vel unus morte mulctatur intra ſeptennium, vocatur Deſtructorium. R. Lazar ben Azariæ dixit, A quo vel unus intra ſeptuaginta annos. R. Tarphon, & R. Akiba dixerunt, Si nos fuiſſemus in Synhedrio*, (cùm judicaret de capitalibus) *non eſſet unquam ab eo quiſquam interfectus. R. Simeon ben Gamaliel dixit, Hi auxerunt numerum homicidarum in Iſraële.* Veriſſimè quidem, ô *Simeon!* Nam hinc enervata eſt poteſtas Synhedrii in capitalibus, quòd illi aut merâ oſcitantiâ, aut ſtolidâ lenitate, aut, quod res maximè fuit, ſtolidiſſimâ *Iſraëlitæ* quâ *Iſraëlitæ* æſtimatione, eò uſque de cæde & ſanguine, aliiſque flagitiis, animadvertere neglexerunt, dum adeò intractabilis evaderet nequitia, ut præ ea tremeret autoritas Synhedrii non auſa interficere interfectores. Hoc ſenſu intelligendum eſt eorum dictum, Ἡμῖν οὐκ ἔξεστιν ἀποκτεῖναι οὐδένα: non abreptâ ab iis per *Romanos* judicandi autoritate, ſed per ſeipſos amiſſâ, & per ſuos ſpretâ.

At non ità amiſſa tamen, quò minùs eam aliquando exererent, cùm illud ſcilicet tutò, & ſine periculo fieri poſſe obſervarent. *Dat veniam corvis*, &c. Sicarios, latrones, ſceleratos vi armatos, non auſi ſunt in judicium vocare, quia ſibi à funeſta iſta hominum ſocietate metuerunt: aſt pauperiores, atque *Chriſtianos*, à quibus nihil iſtiuſmodi periculi, judicare, damnare, torquere, morte mulctare non horruerunt, non refugerunt omninò. Expeditiſſimè ipſum *Salvatorem* condemnâſſent autoritate ſuâ, ac mulctâſſent morte, ſi non à turba ſibi metuiſſent, & ſi de morte ejus non aliter determinâſſet providentia divina.

Liceat obiter & illud addere, quod ſequitur ad locum ſuprà allegatum in *Hieroſ. Sanhedr.* fol. 24. 1. בימי שמעון בן יוחי ניטלו דיני ממונות מישראל, *In diebus Simeonis ben Jochai ablata ſunt judicia de rebus pecuniariis ab Iſraële.* In fol. 18. 1. ejuſdem Tractatûs, dicitur hoc fuiſſe *in diebus Simeonis ben Shetab*, longè ante natum *Chriſtum*. Sed illud errore librariorum.

Jam verò, ſi ex tali cauſa perierunt à Synhedriis *Judaicis*, judicia de rebus pecuniariis, quali perierant judicia de capitalibus, neceſſe eſt ut dicatur, eò creviſſe fraudum, ac deceptionum, ac mutuarum injuriarum in iſto populo frequentiam atque audaciam, ut ſupra omnem animadverſionem evaderent incorrigibiles. Aliam rationem allegant *Gemariſtæ Babylonici*; ſed num non in gentis ſuæ favorem, non eſt hîc locus diſquirendi. Vide *Avodah Zarah*, ubi antè.

Ut ſententiam noſtram, de non ablata per *Romanos* autoritate Synhedrii in capitalibus, ulteriùs adhuc ſtabiliamus, duas hiſtorias adduca-

ducamus, rei, quam aſſerimus, exempla clariſſima. Una occurrit in *Hieroſ. Sanhedr.* fol. 24. 2. *R. Lazar, filius R. Zadok, dixit, Cùm parvulus eſſem, inſidens humeris patris, vidi filiam Sacerdotis, quæ mœchata fuerat, faſciculis è virgultis circumſeptam, & combuſtam.* Judicante eam, abſque omni dubio, ac damnante Synhedrio, idque cùm jam ſub jugo *Romano* quàmplurimos annos gemuiſſet *Judæa*: nam iſte *R. Lazar* vidit excidium urbis.

Alteram habes in eodem Tractatu, fol. 25. 4. ubi agitur de modo expiſcandi teſtimonium in hæreticum & ſeductorem populi. *Statuunt ei,* inquiunt, *in inſidiis duos teſtes in domo interiori, illumque in exteriori collocant, accenſâ juxta eum lucernâ, ut eum videant audiantque. Sic actum eſt cum Ben Sutda in Lydda. Collocârunt ei in inſidiis duos Diſcipulos Sapientum, eumque adduxerunt ad Synhedrium, & lapidârunt.*

Aſſerunt ipſi *Judæi* ore aperto, hoc de eo actum fuiſſe diebus *R. Akibæ*, longè poſt exciſam urbem, & tamen tunc temporis, ut vides, remanſit Synhedrio autoritas judicandi in capitalibus. Per *Romanos* licuit, ſi contra nefarios auderent.

Sed de ejus autoritate hæc hactenus. Agamus jam de præſenti ejus ſede.

Babyl. Roſh haſhanah, fol. 31. 1. *Migravit Synhedrium à conclavi Gazith ad Tabernas: à Tabernis in Hieroſolymam: ab Hieroſolyma ad Jafnen: à Jafne ad Oſham: ab Oſha ad Shepharaamam: à Shepharaama ad Beth Shaaraim: à Beth Shaaraim ad Tſipporin: à Tſippori ad Tiberiada*; &c.

Excuſſum Conſeſſum magnum à ſede ſua, *conclavi Gazith*, conjicimus ſeſquianno, aut circiter, ante mortem *Chriſti*: at num in Tabernis, [loco in atrio Gentium] an in urbe tunc temporis ſederit, cum de capite *Chriſti* ageretur, non clarè patet; cùm non pateat apud quoſvis Autores, quamdiu ſederit vel hìc vel illic. In Templo eos reſidentes arguere videntur ea, quæ dicuntur Cap. 27: 4, 5, 6. In urbe, ea quæ ſub manibus. Forſan utrobique: nam non inſolitum eis erat eò redire pro re nata, unde migraverant, excepto quòd ad *conclave Gazith* redierunt nunquam. Unde Gloſſa in locum noviſſimè citatum, *In Jafne ſederunt in diebus Rabban Jochananis; in Oſha in diebus Rabban Gamalielis: nam redierunt ab Oſha in Jafnen*, &c. Sic amotum ab *Hieroſolymis* in *Jafnen* Synhedrium ante excidium urbis, eò ad feſta rediit, ſeditque ut anteà. Hinc ſiſtitur *Paulus* ante Synhedrium *Hieroſolymis*: cùm *Jafne* tunc temporis propria ejus foret ſedes. Atque hinc captus eſt periitque in obſidione urbis *Rabban Simeon*, Synhedrii Præſes, & tantùm non periit *Rabban Jochanan* ejus Vice-præfectus, ambo ad urbem à *Jafne* cum conſeſſu adacti ob obſervationem *Paſchatis*.

An aula Pontificis ordinarium eſſet Synhodrii receptaculum, an de præſenti tantùm, hic non quærimus. Accuratius digniusque examen eſt de conſeſſu ipſo, & de Præfecto primas tenente in judicando. Præſes Synhedrii nunc temporis erat *Rabban Gamaliel*, [Magiſter *Pauli*] & Vice-præfectus *Rabban Simeon*, ejus filius, aut *Rabban Jochanan ben Zaccai*, (de qua re jam non diſputamus.) Unde ergò ſummo Pontifici & hìc & aliàs primatus, atque in judicando primus calculus? Sic enim in cauſa *Stephani* dux examinis eſt ſummus Pontifex, *Actor.* 7: 1. itemque in cauſa *Pauli*, *Actor.* 23: 2. Vide etiam *Actor.* 9: 1. Num Sacerdotibus proprium Synhedrium & tribunal? Aut in ſummo Synhedrio num iis licitum de capite decernere, abſente Præfecto? De longa quæſtione, eâque ſatis perplexâ, nos hæc pauca.

I. Fatemur quidem Sacerdotibus fuiſſe proprium Conſeſſum & Concilium: negantes tamen duplex fuiſſe Synhedrium, pro rerum Eccleſiaſticarum ac Politicarum diverſitate; quod aſſerunt quidam.

1. Occurrit frequens memoria *Conclavis Conſiliariorum* לשכת בולווטי, juxta atrium, quod & לשכת פרהדרין vocatur: de quo ſic *Babyl. Joma*, fol. 8. *Traditio R. Judæ. Quid? Num fuit Conclave* פרהדרין? *Nonne Conclave* בולווטי, Βουλευτῶν? *Primò vocabatur Conclave* Βουλευτῶν, לשכת בולווטי: *at cùm pecuniâ Pontificatus emeretur, annuatimque mutaretur;* כפרהדרין הללו, *ſicut annuatim mutantur* Πρόεδροι *Regii, ideò exinde vocatum eſt* לשכת פרהדרין, *Conclave* Προέδρων. Audi hìc Gloſſatorem. *Impii fuerunt Pontifices, atque annum totum non adimplerunt: iſque, qui alteri ſucceſſit, ædificium hoc immutavit, atque ornavit, ut ſuo nomine vocaretur*: itemque *Gemaram*; *Stetit Templum primum annis* 410. *ſub eoque erant non niſi octodecim Sacerdotes. Stetit ſecundum annis* 420. *fueruntque ſub eo plures quàm trecenti. Annos deme* 40. *Simeonis Juſti*, 80. *Jochananis*, 10. *Iſmaëlis ben Phabi, atque* 11. *Eliezeri ben Harſum, & non ſupereſt ſingulis plenus annus.*

En Conclave Βουλευτῶν, propriè ſic dictum, quòd illic à Sacerdotibus conventum & conſeſſum eſt, at non judicantibus, ſed conſulentibus: idque de rebus & negotiis ſolùm Templi! Conſultum ac proviſum hic eſt, ut præſtò eſſent omnes atque omnia ad cultum divinum neceſſaria, ut ſarta tecta conſervarentur ædificia Templi atque atriorum, atque ut ritè procedat Liturgia publica: aſt abſente interim ab iis omninò poteſtate judici-

CAP. XXVI. VERS. 3.

ali aut punitivâ, atque autoritate, vel mulctandi, vel flagellandi, vel interficiendi, imò [verba omnia] judicandi; nam examine atque autoritate ſuâ nequiverunt vel candidatum in Sacerdotium cooptare, ſed admiſſus eſt ille autoritate Synhedrii. *Babyl. Joma*, fol. 19.1. *In conclavi Gazith ſedit Synhedrium Iſraëlis, & examen habuit de Sacerdotibus: quicunque inventus eſt non idoneus, nigro veſtitus eſt & nigro velatus, & dimittitur; quicunque idoneus, albo amictus, atque albo velatus, ingreditur & miniſtrat cum fratribus ſuis Sacerdotibus.*

II. Occurrit etiam memoria בית דין של כהנים, *Concilii Sacerdotalis.*

Babyl. Joma, fol. 66.1. In *Gemara* dicitur, שעשו הכהנים גדולים קבע, *Decretum ſtatuerunt* Ἀρχιερεῖς, *& non permiſerunt Iſraëlitam hircum emiſſarium deducere in eremum.* In Gloſſa verò, לא היו בד' של כהנים מניח, *Conſilium Sacerdotum hoc non permiſit.*

Chetubb. cap. 1. hal. 5. בד" של כהנים, *Concilium Sacerdotale exegit pro dote virginis 400 Zuza, nec hoc prohibuerunt Sapientes.*

1. Fuit hoc conſilium illud, de quo antè in *Conclavi* Βουλευτῶν. 2. Illud, quod ab iis decretum erat de abductione hirci emiſſarii, erat merè Liturgiæ Templi, cautio ſcilicet ut ritè peragerctur officium in die Expiationis. 3. Atque illud, quod de dote virginis, nihil aliud erat, quàm quod potuit quivis *Iſraëlita*. Et ſic fatentur *Gemariſtæ*. *Quælibet familia generoſa*, inquiunt, *in Iſraële, ſi facere velit quod Sacerdotes faciunt, faciat.* Appretiârunt Sacerdotes virgines ſuas, communique conſenſu non minùs quàm tantum dotis pro eis efflagitandum ſtatuerunt, quod omnibus *Iſraëlitis* pro virginibus ſuis ſtatuere, ſi vellent, licuit.

III. In *Rosh haſhanah*, cap. 1. halac. 7. adducitur exemplum *Tobiæ Medici, qui novilunium vidit Hieroſolymis, ipſe & filius ejus, & ſervus ejus manumiſſus. Ipſum & filium ſuum Sacerdotes admiſerunt pro teſtibus, ſervum repulerunt. Cùm autem venirent coram* בד", *Conſeſſu, ipſum & ſervum admiſerunt, & repulerunt filium.*

Obſervetur, I. בית דין hîc opponi Sacerdotibus. II. Determinationem de novilunio ad Synhedrium pertinuiſſe, quippe quòd indè penderent ſtata tempora feſtorum: hoc ſatis patet capite allegato. III. Illud, quod egerunt Sacerdotes, fuiſſe examinis tantùm, non decreti.

IV. *Hieroſ. Chetubb.* fol. 28.3. זקני העיר זה בד' של שלשה, *Seniores urbis* [Deuter. 22:18] *ſunt Conſeſſus triumviralis:* השערה זה בד' של כהן גדול, *Ad portam* [verſ. 24.] *conſeſſus eſt ſummi Sacerdotis.*

Res, quæ iſthoc loci diſcutitur, eſt de fœmina maritata, quæ à marito inventa eſt rea læſæ virginitatis, ideòque morte mulctanda, *Deuter.* 22:13, &c. In iſta periocha hæc inter alia habentur verſu 18. *Et Seniores urbis hominem iſtum apprehendent & verberabunt.* Arripiunt inde *Gemariſtæ* occaſionem definiendi quid ibi, alibique, ſibi velit Phraſiologia, *Seniores urbis:* quidque ſibi velit השערה, vox *porta*, cùm ad Conſeſſum refertur. *Illa*, inquiunt, *Conſeſſum triumviralem denotat, hæc Conſeſſum*, vel *Concilium*, *ſummi Sacerdotis:* id eſt, ni ego plurimùm halluciner, quodlibet Synhedrium viginti-triumvirale. Quod & ex loco allegato ſatis claret, & ipſâ ratione. Verba loci citati hæc ſunt. *R. Bon bar Chaija quæſivit coram R. Zeira, Quid ſi producat pater* [virginis] *teſtes ad falſificandum teſtes mariti? Si falſi evadant teſtes patris, flagellandus eſt ille, & centum Selaim ſolvet, in Conſeſſu triumvirali, teſtes autem lapidandi per Conſeſſum viginti-triumviralem*; &c. *Putavit R. Zeira duplicis judicii hoc eſſe: at R. Jeremias nomine R. Abbu, unius tantùm judicii. At Traditio contrariatur* τῷ *R. Abbu: nam* אל זקני העיר, *Ad Seniores urbis*, verſ. 5. זה בד" של שלשה, *Eſt ad Conſeſſum triumviralem.* השערה זה בד" כהן גדול, *Ad portam autem vult Conſeſſum ſummi Sacerdotis.* Planum eſt *Conſeſſum ſummi Sacerdotis* in antitheſi poni ad Conſeſſum triumviralem: proindèque eſſe vel ſummum Synhedrium, vel Synhedrium viginti-triumvirale, vel Synhedrium aliquod Sacerdotale ab his omnibus diſtinctum. At non hoc tertium, quia planè agit locus citatus in *Talmudicis*, & locus citatus à *Talmudicis* in Lege, de tali Synhedrio, penès quod erat judicium de capite. At qui Synhedrium Eccleſiaſticum diſtinctum à Civili inter *Judæos* fuiſſe arbitrantur, vix arbitrantur Synhedrium illud de capite judicâſſe, aut mortem inflixiſſe: multò minùs arbitrandum eſt Synhedrium iſtud ſolùm de capite judicâſſe; quod certè opinandum ex loco citato, ſi בד' של כהן גדול, ſtrictè Synhedrium tale Sacerdotale denotaret. Paraphraſi verba *Talmudica* illuſtremus. *R. Zeira* putavit cauſam iſtam de marito, uxorem de læſa virginitate accuſante, ad judicium duorum Conſeſſuum pertinere, triumviralis ſc. ubi flagellatio & mulcta pecuniaria; & viginti-triumviralis, ubi pœna capitis: at *Rabbi Abbu* ad unius tantùm Conſeſſus judicium referendam arbitratur. At falleris, ô *R. Abbu*, teque refutat ipſiſſima Phraſiologia in iſta cauſa adhibita: nam adhibetur Phraſis *Ad Seniores urbis*, quæ Conſeſſum triumviralem denotat, & Phra-

Digitized by Google

CAP. XXVI. VERS. 3. Phraſis *Ad portam*, quæ viginti-triumviralem: nam Synhedrium ſummum nunquam in porta ſedit. Vocatur autem Synhedrium viginti-triumvirale à *Talmudicis Conſeſſus*, vel *Synhedrium ſummi Sacerdotis*, alludentibus ad verba legiſlatoris, *Deuter.* 17:9. ubi vox *Sacerdotes* Synhedria denotat inferiora, & *Judex* Synhedrium ſummum.

II. In Synhedrio ſummo cathedram quidem primam tenuit Præfectus; [nunc temporis, cùm examen *Chriſtus* ſubiret, ut diximus, *Rabban Gamaliel*] at dignitate ubique anteivit ſummus Sacerdos: nam in Præfecturam Synhedrii electus eſt, non tam is, qui opibus aut dignitate antecelleret, quàm qui doctrinâ ac ſcientiâ Traditionum. Erat ille מקבל, (Phraſiologiâ Autori *Juchaſin* uſitatiſſimâ, Præfectis applicatâ) id eſt, *Cuſtos, pater, & traductor Traditionum*; atque is electus eſt, qui ad hæc erat ſummè idoneus. Memorabilis eſt hiſtoria de acceſſione *Hillelis* ad Præfecturam, ob hoc ſolùm ad ſummam cathedram promoti, quòd dubia quædam de *Paſchate* ſolveret, idque doctus, ipſo referente, à *Shemaja* & *Abtalione*, *Hieroſ. Peſachin*, fol. 33. 1. Hiſtoriam exſcribere non gravabimur. *Excidit aliquando Traditio filiis Betiræ: nam cùm incideret dies decimus quartus* (quo celebrandum *Paſcha*) *Sabbato, ignorârunt num Paſcha pelleret Sabbatum, necne. Dixerunt autem, Adeſt Babylonicus quidam, Hillel nomine; qui miniſtravit Shemajæ & Abtalioni: novit is num Paſcha pellat Sabbatum, necne. Miſerunt ergò, atque eum vocârunt, dixeruntque, Num unquam in diebus tuis audiviſti*, (id eſt, Traditione accepiſti) *cùm dies decimus quartus incidit in Sabbatum, an Paſcha pellat Sabbatum, necne? Reſpondit ille, Eſtne nobis Paſcha tantùm unum Sabbatum pellens annuatim? Annon plurima Paſchata pellunt Sabbatum annuatim? nempe, Sacrificium juge. Hæc probavit argumentis, à pari, à minori ad majus, &c. Aſt ab eo hoc non receperunt, uſque dum diceret, Sic & ſic eveniat mihi, hoc audivi à Shemaja atque Abtalione. Cùm hoc illi audirent, proſtiterunt illicò, atque illum ad Præfecturam promoverunt*, &c.

Incubuit Præfecto præcipuè ſuffragia Seniorum colligere, ac Traditionem determinare, cuſtodire, ac poſteris tranſmittere: atque, his exceptis, vix quicquam intra judicandum obſervares, quod ei proprium, ac non reliquis eſſet commune. Nihil ergò prohibuit, quò minùs Pontifex & Sacerdotes (cùm & is dignitate præcelleret, & iſti numero) acta in Synhedrio præ omnibus aliis promoverent, atque omni nervoſitate proſequerentur; præſertim verò cùm immediatè de ſumma Religionis ageretur, quod & hîc actum eſt, & in exemplis *Pauli* & *Stephani* allegatis. Liceat iis, quibus ex officio incubuit cura ſacrorum, officioſam ſedulitatem in judiciis eò ſpectantibus præ aliis exhibere, ut famæ ſuæ inter homines conſulant & muneris ſui ſaluti. Poterat quidem Synhedrium conſtitui ex *Iſraëlitis* ſolis, excluſis Sacerdotibus & Levitis, ſi modò tales idonei non reperirentur. Sic *Maimon. Sanhedr.* cap. 2. *Præceptum eſt, ut in Synhedrio magno ſint Sacerdotes & Levitæ: ſi verò tales non inveniantur, conſtetque Synhedrium ex Iſraëlitis aliis ſolis, licitum eſt.* At talis inopia Sacerdotum & Levitarum ſupponitur tantùm, non invenitur unquam: erant illi ſemper pars Synhedrii magna, ſi non maxima. *Rabban Jochanan ben Zaccai*, Sacerdos, erat jam vel Synhedrii Vice-præfectus, vel ab eo proximus. Erat ubique tanta Sacerdotum apud populum æſtimatio, & apud Synhedrium, tantaque Pontificis ſummi dignitas & veneratio, ut non mirum, ſi illum eoſque, primos motores, primaſque partes in magno illo Conſeſſu ſemper reperias.

VERS. 6. Ἰησοῦ δὲ γενομένου ἐν Βηθανίᾳ, &c. CAP. XXVI. VERS. 6.

Iſtam cœnam, de qua mentio *Joann.* 13. ego eandem cum hac in *Bethania* aſſerere non vereor; utcunque ea à quàmplurimis pro cœna *Paſchali* habeatur. Rem penitiùs aliquantùm perſcrutemur.

I. Erat hæc cœna *ante Paſcha*; erat pariter iſta *ante Paſcha*: de hac non eſt qui dubitet; nec eſt cur de iſta dubites, ſi hæc perpendas.

1. Dicitur à *Joanne* planis verbis, Πρὸ τῆς ἑορτῆς τοῦ Πάσχα, verſu primo. Πάσχα quidem, non raro, ipſum Agnum denotat; aliquando ipſiſſimum tempus comeſtionis Agni; aliquando ſacrificia diei inſequentis, ut *Joann.* 18:28. at Ἑορτὴ τοῦ Πάσχα nunquam non totam feſtivitatem ſeptiduanam *Paſchalem* denotat, & Dialecto Sacrarum Paginarum, & *Talmudicarum*. Rideret *Judæus* aliter interpretantem.

II. Cùm exeunti *Judæ* diceret *Chriſtus*, *Quod facis fac citò*, putabant quidam eum hoc ſibi voluiſſe, *Eme quibus opus eſt nobis ad Feſtum*, verſu viceſimo nono. Ad quodnam, quæſo, Feſtum? Ad cœnam *Paſchalem*? Ea ſecundùm interpretes, quibus nos hîc contrariamur, jam recens præterierat. Ad reliquamne *Paſchalis* ſolennitatis feſtivitatem? Heu quàm intempeſtivum! Ubinam, quæſo, ea jam coëmenda? Si modò hæc ipſiſſima nox erat, quâ jam modò comederant Agnum. Nox erat, nox feſta diei feſti erat; ubinam, quæſo, tunc temporis iſtiuſmodi nundinæ? Inſolitum certè, atque inauditum, à menſa *Paſchali* aſſurgere ad mercaturam; inſolita mercatura atque inaudita

Digitized by Google

CAP. XXVI. VERS. 6.

nocte feſtâ. Et negligentiæ nonnihil arguere poſſet & parùm frugi, ſi ea, quæ neceſſaria ad Feſtum erant, adhuc non pararentur; ſed ſerâ nocte jam currendum eſſet ad ea coëmenda, incertum ubi, incertum quomodo. Hiſpidum certè eſt admodùm & rationi contrarium hæc ità intelligere, cùm è verſu primo huc appoſito ſenſus planiſſimus eliciatur. Πρὸ τῆς ἑορτῆς τοῦ Πάσχα. *Paſcha* adhuc non advenerat, at propè aderat: putabant ergò Diſcipuli in mandatis *Judæ* Dominum dediſſe, ut pararentur omnia ad *Paſchalem* ſolennitatem neceſſaria, cùm jam adventaret.

III. Obſervetur illud *Lucæ* Cap. 22:3, &c. *Intravit Satanas in Judam, & abiit & locutus eſt cum principibus Sacerdotum*, &c. Et deinde verſu ſeptimo, *Venit autem dies Azymorum.* Hinc quæro: Num methodus *Lucæ* directa eſt, necne? Si non, reddatur ratio diſlocationis: ſi directa, tum planè intraverat Diabolus in *Judam* ante *Paſcha*: intravit autem ad iſtam cœnam in *Joann.* 13. verſ. 27. Erat ergò iſta cœna ante *Paſcha*: nam,

IV. Dicant illi mihi, qui cœnam iſtam *Joann.* 13. pro cœna *Paſchali* reputant, quinam hoc poſſibile, ut *Judas* poſt cœnam *Paſchalem*, (ad quam illum præſentem cum Diſcipulis reliquis fuiſſe ii non inficiantur) pactum ſuum inire potuerit cum Sacerdotibus, & turbam ſicariorum expedire in apprehenſionem Domini, & totum Synhedrium congregare, verſu quinquageſimo ſeptimo. Dicunt Euangeliſtæ, pactum eum iniiſſe cum principibus Sacerdotum, *Matth.* 26:14. καὶ τοῖς στρατηγοῖς, *Luc.* 22:4. & cum toto Synhedrio, *Marc.* 14:10, 11. Jam verò, quonam modo poſſibile erat, eum cum his convenire potuiſſe intra tantillulum ſpatii, quantum interceſſit inter exitum *Judæ* à cœna, & proditionem Domini in horto? Num ab his omnibus ſimul eſt cœnatum hâc nocte? Riſum hoc meretur, potiùs quàm fidem. Num ille oſtiatim hos omnes inviſit? Et huic etiam parùm fidei, quippe quòd per tempus vix potuit cum uno aliquo eorum confabulari, multò minùs cum omnibus. Cœnatum eſt hâc nocte unicuique cum ſuis; patri-familiâs cum familia. Ridiculum eſſet opinari, primarios hoſce Sacerdotes ſimul cœnâſſe, dum intereà familiæ eorum abſque capite domi reſiderent. Lege cautum eſt, ut unuſquiſque pater-familiâs cum ſuis foret iſtâ nocte, illos inſtruens, & cum & pro iis ſacra celebrans. Quærendi ergò erant hi domatim à *Juda*, ſi tunc primùm ab eo de re iſta cum iis eſt tractatum: & dictet ratio, an tempus illud minutum hoc permiſerit? Aſſerimus ergò ex autoritate Euangeliſtarum, cœnam iſtam *Joann.* 13. ante *Paſcha* fuiſſe: ad quam, ingreſſo in *Judam Satanâ*, cum ante *Paſcha* cum Sacerdotibus pactum iniiſſe, tempus & locum proditionis deſtinâſſe, omniaque ab iis eſſe parata in tale facinus, cùm *Paſcha* adventaret. Obſervetur ordo & methodus hiſtoriæ apud Euangeliſtas. *Matth.* 26:14, 15, 16, 17. *Marc.* 14:10, 11, 12. *Tunc profectus eſt Judas ad Sacerdotes, & dixit, Quid vultis mihi dare*, &c. *Et ex illo tempore quærebat ille oportunitatem ad eum prodendum. Primo autem die Azymorum acceſſerunt Diſcipuli*, &c. Quandonam acceſſit *Judas* ad Sacerdotes de proditione tranſacturus? Ante primum certè diem Azymorum. Ipſiſſimâ eâdem methodo & *Lucas*, quem citavimus antè. *Exinde oportunitatem quærebat*, inquiunt, *ut eum proderet:* ſi tum primùm ab eo cum Sacerdotibus eſt conventum & compactum, cùm à cœna *Paſchali* aſſurgeret, quod pluribus placet, oportunitatem tunc *invenerat*, non *quæſivit*. Loquendi forma apud Euangeliſtas planiſſimè deliberationis aliquod ſpatium innuit, non ſubitaneam executionem.

V. Perpendantur verba iſta *Joann.* 14:31. Ἐγείρεσθε, ἄγωμεν ἐντεῦθεν, & conferantur cum verbis Cap. 18:1. *Hæc cùm dixiſſet Jeſus, abiit cum Diſcipulis ſuis trans torrentem Cedron.* Nonne hæc duplicem & diverſam diſceſſionem eloquuntur? Nonne ſurrexit *Chriſtus*, & diſceſſit, cùm dixit, *Surgite, abeamus hinc?* Nulli certè fini aut uſui referuntur iſta verba ab Euangeliſta, ſi indè non intelligendum ſit, *Chriſtum* locum illicò mutâſſe: & diverſa certè eſt iſta loci mutatio ab ea, quæ cœnam *Paſchalem* ſecuta eſt, *Joann.* 8:1.

VI. In Capite iſto *Joannis* decimo tertio non eſt vel minima mentio, vel nè gry quidem, cœnæ *Paſchalis*. Eſt plana quidem mentio cœnæ *ante feſtum Paſchatis* habitæ, id eſt, antequam adveniret iſta feſtivitas; at de cœna *Paſchatis* non ſyllaba una. Ingenuè profiteor, me ſatis mirari non poſſe, quonam modo interpretes poſſint caput iſtud ad cœnam *Paſchalem* applicare, cùm non ſolùm in eo non ſit ulla omninò mentio cœnæ *Paſchalis*, ſed & Euangeliſta apertiſſimis verbis, & quibus nihil clarius eſſe poteſt, pronuntiaverit, iſtam cœnam, de qua agit, non fuiſſe in feſto *Paſchatis*, ſed *ante feſtum*.

VII. Si ea, quæ occurrunt *Joann.* 13. de offula data *Judæ*, &c. acta ſunt in cœna *Paſchali*; tum quinam, quæſo, poſſibile fuit, ut errarent Diſcipuli in interpretatione iſtorum verborum, *Quod facis fac citò?* In cœna *Paſchali* dixit, *Is, qui mecum tingit in patina, is eſt;* eratque, ut quibuſdam videtur, manus *Judæ* iſthoc ipſo momento in patina. Quærenti *Judæ*, *Egone?* planiſſimè reſpondet, *Tu dixiſti*: atque inſuper offulam dedit in ſignum, ut ajunt ſententiam iſtam tuentes: tum quânam tandem ratione, aut ignoratione,

Digitized by Google

CAP. XXVI. VERS. 6. tione, poſt tam lucidam rei & perſonæ detectionem, imaginari potuerunt Diſcipuli, dixiſſe *Chriſtum*, *Eme citò neceſſaria, aut da aliquid pauperibus?*

VIII. Et quibuſnam, quæſo, pauperibus? Intempeſtivum certè erat profundâ nocte hîc illîc pauperes quærere, qui undique diffuſi jam erant in variis φρατρίαις, comedentes *Paſcha*. [nam pauperrimus *Iſraëlita* ad id officii tenebatur, æquè ac ditiſſimus.] Iſti qui opinati ſunt, præcepiſſe ei *Chriſtum*, ut aliquid daret pauperibus, de re illicò præſtanda non potuerunt non intelligere. Nam ridiculum fuiſſet concepiſſe, *Chriſtum* tam feſtinanter eum à cœna dimiſiſſe, ut cras aliquid pauperibus daret. At detur rem *Bethaniæ* tranſactam fuiſſe, idque biduò ante *Paſcha*, quod nos aſſerimus, tum nec neceſſe eſt, ut cœnam iſtam tam ſerâ nocte fuiſſe opineris, nec longè quærendos tunc & illic pauperes, cùm tanta hominum turba *Chriſtum* ubique ſequeretur.

II. Cœna hæc *Bethaniæ* habita erat biduò ante *Paſcha*; idem ſtatuimus de cœna iſta *Joann.* 13. & quoad locum, & quoad tempus: idque partim ex deductione hiſtoriæ ad illud tempus, partim ex obſervatione ſequelæ iſtius cœnæ.

Sex diebus ante *Paſcha Chriſtus* cœnat *Bethaniæ*, *Joann.* 12: 1.

Poſtero die [quinquiduò ante *Paſcha*] inſidens aſino venit *Hieroſolymas*, *Joann.* 12: 12, 13. & veſperi redit ad *Bethaniam*, *Matth.* 21: 17. *Marc.* 11: 11.

Die ſequente [quatriduò ante *Paſcha*] adit *Hieroſolymam*, *Marc.* 11: 11, 15. &c. & veſperi eadem viâ redit *Bethaniam*, *Marc.* 11: 19.

Poſtero die [triduò ante *Paſcha*] iterum *Hieroſolymam* pergit, *Marc.* 11: 27. veſperi exit in montem *Oliveti*, *Matth.* 24: 1, 3. *Marc.* 13: 1, 3. *Luc.* 21: 37. Ubinam autem cœnatum eſt hâc nocte? *Bethaniæ*. Nam ſic *Matthæus* & *Marcus*. *Poſt biduum erat Paſcha*, &c. *Cùm autem Jeſus eſſet in Bethania*. Atque hinc porrò nulla de eo aut cœnante, aut *Hieroſolymas* proficiſcente, memoria ante veſperam *Paſchalem*.

Ab iſta cœna *Bethaniæ* inchoat uterque Euangeliſta hiſtoriam de *Juda*, proditionem Domini machinante; *Matth.* 26: 14. *Marc.* 14: 10. aptiſſimèque, nam in iſta cœna in eum introïerat Diabolus, & exinde præceps fertur in iſtud facinus.

Nos ergò hiſtoriam è Scriptoribus ſacris ſic compingimus.

Ante feſtum Paſchatis, *Joann.* 13: 1. idque biduò, *Matth.* 26: 2, 6. *Jeſu*, in *Bethania* cœnanti, mulier caput ungit, & ob factum obmurmurant nonnulli è Diſcipulis. Mulieris advocatum agit *Chriſtus*, & Encomiaſten. Ante remotas menſas ſurgit *Chriſtus*, & pedes Diſcipulorum lavat, accumbensque iterum de proditore monet. *Joanni* clanculùm de eo interroganti ille clanculùm etiam ſignum dat de offula, & offulam dat *Judæ*. Cum ea in eum intrat Diabolus, & jam matureſcit ille in flagitium. *In cor ejus anteà Diabolus immiſiſſet, ut proderet*, verſu 2. & jam in pedes ad facinus erigitur. Exſurgit illico poſt offulam receptam, atque exit. Exeunti dicit *Jeſus*, *Quod facis, fac citò:* quod dictum putarunt nonnulli de coëmendis neceſſariis ad Feſtum, quòd jam biduò aberat. Facile & promptum iis erat opinari, illum, ideo quòd marſupium geſtaret, eique incumberet cura coëmendi neceſſaria, ex ſedulitate ejus (cùm multum negotii jam peragendum eſſet; ut omnia pararentur ad Feſtum) *Hieroſolymam* jam proficiſci, quamvis nox eſſet, ut curaret omnia. Exit ille, *Hieroſolymam* pergit, & die inſequenti cum Sacerdotibus de proditione colloquitur, atque inter eos eſt compactum. Metuerunt illi ſibi, nè à turba in Feſto impedirentur, aut paterentur: ille eos de ea re ſecuros facit, modò in tempus, de quo inter eos eſt conventum, paratos habeat armatos & ſodales. Pernoctat *Jeſus Bethaniæ*, poſterumque diem, noctemque inſequentem illîc impendit: multaque, Diſcipulis jam valedicturus, eos docet, monet & ſolatur. *Judas*, diſpoſito bene proditionis ſuæ ſtratagemate, & nexis retibus, *Bethaniam*, ut probabile eſt, redit, atque à Diſcipulis rem ignorantibus creditur officioſè admodùm munere ſuo functum in parandis neceſſariis ad Feſtum jam appropinquans. Ipſo *Paſchatis* die *Jeſus* cum ſuis à *Bethania* movet: *Surgite*, inquit ille, & *hinc eamus*, *Joann.* 14: 31. & pergunt *Hieroſolymas*.

VERS. 7. Κατέχεεν ἐπὶ τὴν κεφαλὴν αὐτοῦ ἀνακειμένου.

CAP. XXVI. VERS. 7.

Ergo non erat hæc eadem cœna cum ea in *Joann.* 12: 1. nam tunc pedes uncti ſunt, nunc caput. Miror quemvis poſſe has duas hiſtorias confundere.

Uſitatiſſimum erat in epulis, præſertim ſacris, oleum aromatibus conditum; ſolitumque eſt illud capiti alicujus præſentis illinere.

Hieroſ. Berac. fol. 11. 2. *Schola Shammæana dicit*, *Oleum ſuave dextrâ tenet*, *& poculum vini ſiniſtrâ. Recitat primùm benedictionem ſuper oleum*, *& dein ſuper poculum. Schola Hilleliana dicit*, *Oleum dextrâ*, *poculum ſiniſtrâ. Benedicit ſuper oleum ſuave*, *atque illinit capiti miniſtrantis: ſi verò miniſtrans ſit Diſcipulus Sapientum*, *illinit parieti*; *nam indeco-*

indecorum eſt Diſcipulo Sapientum olere aromata. Hic miniſtrans accumbentis caput ungit.

VERS. 8. Εἰς τί ἡ ἀπώλεια αὕτη;

Non abſque cauſa dicitur, quòd eſſet unguentum *gravis pretii*, verſu ſeptimo; itemque *multi pretii*, *Joann.* 12:3. ut oſtenderetur non eſſe è vulgaribus iſtis unguentis in epulis adhibitis, quæ in caput miniſtrantis, aut in parietem illinere illi pro ἀπωλείᾳ non reputârunt: at hoc unguentum longè pretioſius, atque indè cavillatio.

VERS. 9. Καὶ δοθῆναι πτωχοῖς.

Judam præ aliis hîc cavillatum fuiſſe fidem faciunt ea, quæ de eo referuntur in cœna alia, *Joann.* 12:4,5. Conferantur hæc cum verbis iſtis, *Joann.* 13:29. cùm *Jeſus Judæ* diceret, *Quod facis fac citò*, putârunt quidam eum hoc voluiſſe, *Da aliquid pauperibus.* Iſtam nos cum hac eandem aſſerimus fuiſſe cœnam: &, ecce, quàm hæc concinunt! cùm querela orta eſſet de prodiga unguenti profuſione, jam, anteàque *Joann.* 12. iniquumque videretur quibuſdam, illud imprudenter ità in Dominum impendi, quod in pauperes longè meliùs atque æquiùs poſſet conferri: quàm promptè poſſent alii, ex occaſione verborum iſtorum ad *Judam* opinari, *Chriſtum* de aliquid pauperibus dando ei præcepiſſe, ut cura ejus de pauperibus demonſtraretur, quamvis de profuſione unguenti, & de pauperibus ſic eſſet locutus?

VERS. 12. Πρὸς τὸ ἐνταφιάσαι με ἐποίησεν.

Pedes ea unxerat *Joann.* 12. amoris, officii, honoris ergò; at jam eſt, quod iſtis ſuperadditur, nempe officium ſepulturæ: idque non ſolùm in interpretatione *Chriſti*, ſed in intentione mulieris. Credidit ea, eaque prima, *Chriſtum* moriturum, ac ſub iſta notione capiti ejus unguentum infundit, ac ſi corpus jam curans ac ungens ad ſepulturam: ac ſi dixiſſet *Salvator* querulis & cavillantibus, Vos de ea judicatis hoc agente, quaſi eſſet officioſè nimis ſedula, atque in immoderata amicitiæ obſervantiæque profeſſione vafra potiùs quàm prudens; at verò eam gravis & ſeria admodùm urget ratio, ut hoc faciat: novit me moriturum, & jam curat de funere, & quod vos probatis circa mortuum, fecit ea circa moriturum. Hinc celebranda ejus fama per omnia ſecula, ob fidem hanc, & actum fidei.

VERS. 15. Τριάκοντα ἀργύρια.

Pretium ſervi. *Exod.* 21:32.

Maimon. in נזקי ממון, cap. 11. *Pretium ſervi grandioris aut minoris, maris aut fœminæ, eſt* ל" סלעין, *Triginta Selaim argenti puri. Si valeat ſervus centum minas, vel ſi valeat tantùm unum denarium.* סלע, *Selaa* autem, eodem ponderante, pendebat 384. grana hordeacea, *Shekalim*, cap. 1.

VERS. 17. Ποῦ θέλεις ἑτοιμάσωμεν, &c.

Nam alicubi licuit, cùm domi *Hieroſolymitanæ* non conducerentur mercede; quod notavimus alibi: ſed erant pro tempore feſtorum communis juris, *Babyl. Joma*, fol. 12. 1.

VERS. 19. Ἡτοίμασαν τὸ Πάσχα.

Miſſi ad hoc fuerunt *Petrus* & *Joannes*, *Luc.* 22:8. atque illi forſan quæſtionem movent, Ποῦ θέλεις ἑτοιμάσωμεν; innotuit illis ſolùm, *Judam* aliam rem machinatum, cùm exiret, dum alii crederent parata ab eo eſſe omnia.

Hoc *Petro* & *Joanni* incubuit, poſt collationem cum hoſpite, à *Chriſto* per ſignum deſignato, de parando atque aptando cœnaculum.

I. Coëmendus erat agnus, probatus, atque *Paſchati* idoneus.

II. Adducendus ab iis erat agnus in atrium, ubi Altare.

Maimon. in *Korban Peſach.* cap. 1. *Non mactandum erat Paſcha, niſi in atrio, ubi reliqua ſacrificia mactantur: mactandumque die decimo quarto, poſt meridiem, poſt juge ſacrificium, poſt oblatum thymiama*, &c.

Modum introductionis *Paſchatum* in atrium, mactandique, habes in *Peſachim*, cap. 5. hal. 5, 6. his verbis. *Paſcha mactatur in tribus turmis; ſicut dicitur,* ושחטו אותו כל קהל עדת ישראל, *Atque agnum mactabit omnis cœtus congregationis Iſraëlis; cœtus, & congregatio, & Iſraël. Ingreditur cœtus primus, & repletur totum atrium: portas atrii ſerant: tubæ canunt: Sacerdotes ſtant ſeriatim, atque in eorum manibus habent phialas aureas & argenteas: ſeries una argenteas, altera aureas; & non confunduntur: & non erant phialis fimbriæ, nè eas reponerent, & ſic condenſaretur*, aut *congelaretur, ſanguis: Iſraëlita mactat, & ſanguinem recipit Sacerdos, & proximè aſſiſtenti dat, & ille proximo, qui phialam plenam recipiens, vacuam ei dat. Sacerdos, qui Altari proximus ſtat, ſanguinem ſpargit aſperſione unâ juxta fundamentum Altaris:*

Digitized by Google

taris: exit iſta turma, atque ingreditur ſecunda, &c.

Dicant mihi tandem ii, qui *Chriſtum* arbitrantur die uno *Paſcha Judæorum Paſchate* ſuo præveniſſe, quinam hæc in Templo ab eo aut ſuis peragi poſſent, cùm ſummum nefas eſſet apud populum, *Paſcha* non juſto tempore vel mactare, vel comedere.

Agnos in atrium vulgò humeris portârunt: הרכבתו hoc vocatur *Peſachin*, cap. 6. hal. 1. Ubi Gloſſa, *Portatio ejus in humeris hominis, ut eum afferat in atrium, tanquam in locum publicum.*

III. Præſentandus erat in atrio לשם פסח, ſub nomine *agni Paſchalis*, mactandusque למנויו, *Pro cœtu numerato*: vide quæ de hac re diſcutiant *Gemariſtæ* in *Peſachin*, cap. 5. hal. 3. *Si mactant eum pro non comeſturis & pro non numeratis, ſi pro non circumciſis aut immundis, prophanum eſt: ſi pro comeſturis & non comeſturis, pro numeratis & non numeratis, pro circumciſis & non circumciſis, pro mundis & immundis, rectum eſt:* id eſt, Pro numeratis, ut expiatio fiat pro non numeratis: pro circumciſis, ut expiatio fiat pro præputiatis, &c. ſic *Gemariſtæ* & gloſſemata.

IV. Sparſo ſanguine ad pedem Altaris, excoriato agno, exſecto ventre, extracto adipe, atque in ignem Altaris rejecto, refertur cadaver ad hoſpitium ubi cœnandum: caro aſſanda, corium tribuendum hoſpiti.

V. Parabantur & alia. Panis ex præſcripto divino, vinum, edulia quædam uſitata, atque embamma חרוסת: de quibus Commentatores ubique,

VERS. 20. Ἀνέκειτο μετὰ τῶν δώδεκα.

היסב: I. Diſtinguitur à Scholis *Rabbinicis* inter ישיבה *Seſſionem* ad menſam, & הסיבה, *Accubitum* ad menſam.

Berac. cap. 6. hal. 6. היו יושבין לאכול, *Si ſedeant ad comedendum, unusquisque pro ſeipſo gratias agit:* הסיבו, *Si accumbant, unus gratias agit pro omnibus.* Jam verò *accubitus sic*, ut ait Gloſſa in locum, *erat, cùm inclinarent ſe in latus ſiniſtrum in lectulis, atque ederunt & biberunt ſic inclinati.* Atque eadem Gloſſa alibi. *Edere ſoliti ſunt recumbentes in latus ſiniſtrum, pedibus in terra poſitis, unusquisque ſuper lectulum unum. Babyl. Berac.* fol. 46. 2. Itemque *Gemara, Peſachin*, fol. 108. 1. פרקדן לא שמיה הסיבה הסבת ימין לא שמיה הסיבה, *Supinè jacère non vocatur accubitus, atque recumbere in latus dextrum non vocatur accubitus.*

II. Iſtiuſmodi recumbentiam in capiendo cibo *Iſraëlitæ* geſtum maximè idoneum reputârunt, in epulis ſacris requiſitum, in cœna *Paſchali* ſummè neceſſarium & requiſitiſſimum.

Gloſſa alia in *Berac.* cap. 6. ubi antè. *Nos recumbentiam non adhibemus, niſi ad buccellam ſolum, &c. Et certè iis, qui ederunt recumbentes, neceſſaria fuit recumbentia. At ſeſſio jam noſtra eſt nobis inſtar recumbentiæ. Ii ſoliti ſunt recumbere; unusquisque ſuper lectulum proprium, & cibum capere ſuper menſam propriam: at nos omnes unà comedimus ſuper menſam unam.*

Item, *Peſachin*, cap. 10. hal. 1. אפילו עני שבישראל לא יאכל עד שיסב, *Etiam pauperrimus Iſraëlita nè comedat, antequam accumbat.* Agit Canon de cœna *Paſchali*; in quem ſic *Babylonici. Dicitur, quòd azyma opus habent recumbentiâ, herbæ amaræ opus non habent: de vino dicitur nomine Rabb Nachman, Quòd opus habet recumbentiâ; & dicitur, nomine Rabb Nachman, Quòd opus non habet recumbentiâ: & tamen hæc non contrariantur; nam illud dicitur de duobus poculis prioribus, hoc de duobus poculis poſterioribus. Babyl. Peſachin*, fol. 108. 1.

In latus ſiniſtrnm recubuerunt, non in dextrum; *quia dextrâ manu utendum neceſſario fuit in cibo capiendo.* Sic Gloſſa ibi.

III. Iſtum accumbendi morem in uſu & deliciis, imò pro religione quadam habuerunt, eò quòd ſignum & ſignificationem præ ſe ferret libertatis.

Hieroſ. Peſachin, fol. 37. 2. *R. Levi dicit, Mos ſervorum eſt, ut edant ſtantes: at nunc comedant recumbentes, ut dignoſcatur exiiſſe eos è ſervitute in libertatem. R. Simon nomine R. Joſuæ ben Levi, Iſtud inſtar quantitatis olivæ, quod quis Paſchate comedens officium præſtat, comedatur recumbendo.*

Babyl. ubi ſuprà, in Gloſſa. *Azyma comedunt nocte prima recumbentes, quia recordatio eſt redemptionis. Herbæ amaræ non opus habent recumbentiâ, quia memoriam ferunt ſervitutis.*

Quamvis ſit panis afflictionis, comedendus tamen eſt pro more libertatis. Vide plura ibi. *Maimon.* in פירוש משניות, *Tenemur ad accubitum dum comedimus, ut comedamus more Regum & Magnatum.*

IV. *Cùm duo lectuli eſſent*, גדול מיסב בראש, *Digniſſimus accumbit ſupremus, & ſecundus ab eo ſupra eum. Cùm vero eſſent tres lectuli, digniſſimus accubuit in medio, & ſecundus ab eo ſupra eum, & tertius ab eo infra eum. Hieroſ. Taanith*, fol. 68. 1. & *Babyl. Beracoth*, fol. 46. 2. In quæ ſic Gloſſa. *Cùm duo eſſent, dignior primus accubuit in lectulo ſuo, & ſecundus ab eo ſupra eum accubuit, id eſt, in lectulo juxta cervical dignioris poſito. Si tres eſſent, digniſſimus accubuit in medio, & ſecundus ab eo ſupra eum, & tertius infra eum,*

Digitized by Google

eum, id eſt, juxta ſtragulas pedum ejus. Si vult digniſſimus cum ſecundo ab eo colloqui, neceſſe eſt, ut ſe erigat à recubitione ſua, ità ut erectus ſedeat. Nam quamdiu ille deflexus ſedet, non poteſt cum illo colloqui; nam ſecundus ſedit ab occipite primi, & facies primi aliò erat averſa: meliùsque foret [ad colloquium] *ſecundo, ſi infra eum ſederet; nam tum verba ejus audiret, etiam in recubitione inclinati.*

Facem præbent hæc hiſtoriæ iſti, *Joann.* 13:23, 24. ubi *Petrus*, ut videtur, ab occipite *Servatoris* recumbens, loco poſt eum primo, non potuit cum eo colloqui, & de proditore ſciſcitari: ſupra caput ergò *Chriſti Joannem* proſpiciens, nutu eum excitat ut interroget. Is loco à *Chriſto* ſecundo ſedens, obverſâque in illum facie, ſciſcitatur.

VERS. 22. Μήτι ἐγώ εἰμι, Κύριε;

Renovat mentionem proditoris in cœna *Paſchali* partim ipſiſſima occaſio, comeſtio ſcilicet ac communio; ac ſi dixiſſet, Nos unà & amicè jam comedimus, & tamen in numero noſtro eſt, qui me ſit proditurus: partim ut pleniùs de re ipſa Diſcipuli inſtruantur; nam in cœna iſta in *Joann.* 13. *Joanni* ſolùm perſonam clanculùm detexerat, niſi fortè & *Petrus* etiam intellexit, qui tacitam quæſtionem *Joannis* ad *Chriſtum* intellexit, quippe quòd illum ad eam proponendam nutu provocârat. Quærunt Diſcipuli, Egone? partim ex ignoratione rei, partim ex fidenti & ſincerâ in contrarium profeſſione.

VERS. 24. Καλὸν ἦν αὐτῷ, εἰ οὐκ ἐγεννήθη.

נוח לו שלא נברא. Locutio *Talmudicis* uſitatiſſima. *Babyl. Berac.* fol. 17. 1, &c.

VERS. 26. Λαβὼν ὁ Ἰησοῦς τὸν ἄρτον, &c.

Panem in cœna, poculum poſt cœnam. *Poſt cœnam accepit poculum*, inquiunt *Lucas*, Cap. 22:20. & *Paulus*, 1. *Cor.* 11:25. at non ità de pane.

Ut clariùs hiſtoriam hujus cœnæ apud Euangeliſtas percipiamus, liceat Rubricam cœnæ *Paſchalis*, eâ quâ fieri poteſt brevitate, è *Talmudicis* exſcribere; ut cum more gentis uſitato iſta, quæ hîc referuntur, conferantur.

I. Exordium cepit cœna *Paſchalis* à poculo vini.

Peſachin, cap. 10. hal. 2. *Miſcent ei poculum primum. Schola Shammæana dicit, Benedicit primò de die, & deinde de vino: at Schola Hilleliana dicit, Primò de vino benedicit, ac deinde de die.* Sententiam ſuam firmant *Shammæani*, שהיום גורם ליין שיבא, *Quia dies in cauſa eſt cur adſit vinum*: id eſt, ut explicat Gloſſa, שיבא קודם סעודה, *ut adſit ante cibum.*

Maimon. in *Chamets Umatſah*, cap. 8. *Miſcent primò poculum unicuique, & benedicit* [pater-familiâs] *Benedictus ſit, qui creavit fructum vitis, & recitat inſuper ſacrationem diei.* וזמן [id eſt, numero plurali gratias agit pro toto cœtu, dicens *Benedicamus*] *ac poculum ebibit. Et poſtea benedicit de lotione manuum, & lavat.*

Confer hoc poculum cum iſto, *Luc.* 22:17.

II. Apponuntur deinde herbæ amaræ.

Inferunt menſam ſtratam, ſuper quam eſt מרור וירק אחר, *Embamma amarum, atque herbæ aliæ.* Maimon.

הביאו לפניו מטבל בחזרת עד שמגיע לפרפרת הפת, *Peſachin*, ubi antè. Interpretationem exhibeant Gloſſatores.

Babyl. fol. 114. 1. *Non apponunt menſam, niſi poſt ſacrationem diei: & ſuper menſam apponitur lactuca. Poſtquam benedixit ſuper vinum, apponunt herbas, atque edit ille lactucas intinctas; at non in embammate* חרוסת, *nam ea adhuc non adducitur: atque hoc de lactuca ſimpliciter non intelligitur, niſi cùm adſint herbæ aliæ.*

עד שמגיע לפרפרת הפת, hoc ſibi vult, Antequam perveniatur ad iſtas herbas amaras, quas comedit poſt Azyma, quando etiam benedicit pro comeſtione herbarum amararum; *ſicut ſcribitur*, Cum Azymis & herbis amaris comedetis. *Azyma primò, & deinde herbæ amaræ: atque intinctio hæc prima eâ tantùm ratione adhibetur, ut pueri obſervent, & quærant; nam inſolitum eſt hominibus herbas edere ante cibum.*

III. *Apponuntur poſteà Azyma, atque embamma* חרוסת, *atque agnus, & caro etiam Chagigæ diei decimi quarti. Maimonides* nullam notat interpoſitionem inter appoſitas herbas amaras atque appoſita Azyma: at *Miſhnah Talmudica* notat his verbis, הביאו לפניו מצה, *Apponunt coram eo Azyma.* Ubi Gloſſa, *Hoc dicitur, quia menſam amoverant à coram eo, qui officium Paſchatis tranſegit: iſta autem menſæ amotio eo fine erat, ut filius interrogaret patrem; & pater reſpondit ei, Adducant iterum menſam, ut faciamus intinctionem ſecundam, & tunc interroget filius, Quare bis intingimus? Reducunt ergò menſam, atque in ea Azyma, atque herbas amaras*, &c.

IV. Incipit & benedicit, *Benedictus ſit, qui creavit fructum terræ: ac herbas accipit, atque intingit in embammate Charoſheth* חרוסת *& comedit pro quantitate olivæ ille, atque omnes cum eo accumbentes; & nè comedat minus quàm quantitatem olivæ: & tunc amovent menſam*

CAP. XXVI. VERS. 26.

menſam à coram patre-familiâs, *Maimon.* An hæc amotio menſæ eadem ſit cum prænominata, non tanti eſt ut diſcutiamus.

V. מזגו לו כוס שני, *Jam miſcent ei poculum ſecundum: atque jam filius interrogat patrem; vel, ſi filius non nôrit eum interrogare, ipſe eum docet, Quantum differt hæc nox ab aliis omnibus noctibus. Aliis noctibus non intingimus niſi ſemel; hâc nocte bis. Aliis comedimus vel fermentatum, vel Azyma; hâc Azyma ſolùm*, &c. *aliis comedimus vel ſedentes, vel recumbentes; hâc nocte omnes recumbimus*, &c.

VI. *Admovetur iterum menſa, & tum dicit ille, Hoc eſt Paſcha, quod comedimus ideo, quia Deus tranſiit per domos patrum noſtrorum in Ægypto. Tunc elevat manu ſuâ herbas amaras, & dicit, Herbas has amaras nos comedimus ideo, quòd amaras fecerunt Ægyptii vitas patrum noſtrorum in Ægypto. Elevat manu ſuâ Azyma & dicit, Azyma hæc comedimus, quia non erat ſpatium farinæ conſperſæ patrum noſtrorum, ut fermentaretur, antequàm ſeipſum revelaret Deus, eoſque redimeret. Debemus ergo nos laudare, celebrare, honorare, magnificare*, &c. *illum, qui patribus noſtris nobiſque omnia hæc miranda fecit, noſque eduxit è ſervitute in libertatem, è dolore in gaudium, è tenebris in lucem magnam. Dicamus ergò Halleluia.* Laudate Dominum, laudate ſervi Domini, *&c. ad*, Et ſilicem in fontes aquarum, id eſt, ab initio *Pſalmi* 113. ad finem Pſalm. 114. *Et concludit, Benedictus tu, Domine Deus noſter Rex æterne, nos redimens, patreſque redimens ex Ægypto, atque ad noctem hanc nos perducens; ut comedamus Azyma atque herbas amaras: & jam ebibit poculum ſecundum.*

VII. *Deinde manus lavans, & duos panes accipiens, unum frangit & fractum reponit ſuper ſolidum, & benedicit, Benedictus ſit ille, qui producit panem è terra: & complicans panem cum herbis amaris, intingenſque in embamma* חרוסת, *benedicenſque, Benedictus tu, Domine Deus noſter Rex æterne, qui nos ſanctificavit præceptis ſuis, præcepitque ut comederemus, Azyma atque herbas amaras ſimul comedit: ſi verò ſeparatim Azyma atque herbas comedit, ſeparatim gratias agit. Poſteàque gratias pari modo agens ſuper carnem Chagigæ diei decimi quarti, de ea etiam comedit: & pari modo benedicens ſuper carnem agni, de ea comedit.*

VIII. *Indè porrò cœnam protrahit, hoc vel illud edens bibenſve, prout lubet: ultimòque de carne Paſchatis edit, ſaltem pro quantitate olivæ, atque exinde nec quicquam cibi guſtat omninò.* Hæc *Maimonides* loco citato, atque etiam *Talmudici* ſparſim capite ultimo Tractatûs *Peſachin*.

Et jam tempus erat, quo *Chriſtus* panem accipiens Euchariſtiam inſtituit. At num poſt comeſa fruſtula iſta agni valedictoria, ut ità vocare liceat, an eorum vice? Videtur quòd eorum vice, quia dicitur ab Euangeliſta noſtro *Marcoque*, Ἐσθιόντων αὐτῶν, &c. *Dum comederent, Jeſus accepit panem*: jam verò, abſque dubio loquuntur illi ſecundùm notum & vulgarem cœnæ iſtius morem, ut à ſuis intelligerentur. *Judæi* autem omnes ſatis nôrunt, quòd poſt comeſa iſta agni fruſtula dici non poſſet, *Dum comederent*; nam ab iſtis fruſtulis finita eſt comeſtio. Vero ſimilius ergò eſt, *Chriſtum*, cùm jam parati eſſent fruſtula iſta ſumere, morem immutâſſe, ac pro iis fruſtula panis diſtribuiſſe, ac inſtituiſſe Sacramentum. Opinantur nonnulli, in more fuiſſe Azyma ultimò guſtare, & ab iis cœnam claudere, quod & nos aliquando ſumus opinati. Eòque facilius eſt in iſtam opinionem labi, quòd in Rubricis *Paſchalibus* aliquibus tale quid memoretur, meritòque, cùm iſta conſuetudo quidem obtineret poſt exciſum Templum.

CAP. XXVI. VERS. 26, 27.

Εὐλογήσας ἔκλασε.

Primò benedixit, & deinde fregit. Sic uſitatum ſemper, niſi in pane *Paſchali*. Unus è panibus binis primò diviſus eſt in duas partes, aut forſan plures, antequam benediceretur. חולק אחד מהן, *Partitur unum ex illis.* Verba ſunt *Maimonidis*, qui etiam hæc addit. *Quare autem non benedicit ſuper duos panes eo modo, quo aliis diebus feſtis? Quia hic vocatur* לחם עוני, *Panis paupertatis. Pauperibus autem res eſt cum fruſtis, atque hîc pariter ſunt fruſta.*

Babyl. Beracoth, fol. 47. 1. אין בוצע רשאי לבצוע עד שיכלה אמן מפי העונים, *Frangens panem nè frangat ante prolatum Amen ab ore reſpondentium.*

Τοῦτό ἐστι τὸ σῶμά μου.

Applicata hæc ad *Paſcha* recens jam comeſtum clariùs eluceſcunt. *Hoc* jam eſt corpus meum eo ſenſu, quo extitit agnus *Paſchalis* corpus meum huc uſque. Et verſu viceſimo octavo. *Hoc eſt ſanguis meus Novi Teſtamenti eodem ſenſu, quo ſanguis taurorum & hircorum fuit ſanguis meus ſub Veteri.* Exod. 24. Hebr. 9.

VERS. 27. Τὸ ποτήριον.

Aderat panis huic cœnæ ex inſtitutione divina; aſt unde vinum? & quantum? & quale?

I. *Hieroſ. Peſachin*, fol. 37. 2: *Traditio. Neceſſe eſt ut homo exhilaret uxorem ſuam, & filios ad Feſtum. At quomodo exhilarant? Vino.*

Citan-

CAP. XXVI. VERS. 27.

Citantur & eadem *Babyl. Peſach.* fol. 109. 1. *Tradunt Rabbini*, inquiunt, *Tenetur homo ad exhilarandum filios & domeſticos ſuos in feſto; ſicut dicitur*, Et lætaberis tu in Feſto tuo, *Deuter.* 16: 14. *Quomodo autem exhilarant? Vino. R. Judah dicit, Exhilaratio hominum fit re iis congruâ: fœminarum, re congrua illis. Hominum, re illis congrua, nempe vino: fœminarum, illis congruâ. Quanam? Rabb Joſeph dicit, In Babylone, veſtibus tinctis; In terra Iſraëlitica, veſtibus lineis*, &c.

II. Quatuor pocula vini erant ebibenda ab unoquoque.

הכל חייבין בד׳׳ כוסות, *Omnes tenentur ad quatuor pocula, viri, fœminæ, & pueri. R. Judah dicit, At quid pueris cum vino? At illis diſtribuunt triticum & nuces*, &c.

Rationem numeri reddunt *Hieroſolymitani*, loco ante citato, fuſiſſimè. Quidam pro numero quatuor verborum adhibitorum in hiſtoria redemptionis *Iſraëlis* ex *Ægypto*. והוצאתי והצלתי וגאלתי ולקחתי: quidam pro numero recitationis vocis כום in *Geneſ.* 40: 11, 13. quidam pro numero quatuor Monarchiarum: quidam pro numero quatuor poculorum vindictæ, quibus Deus potaturus eſt gentes. *Jerem.* 25: 15. & 51: 7. *Pſalm.* 11: 6. & 75: 9. Et pro numero quatuor poculorum, quibus potaturus eſt Deus *Iſraëlem*. *Pſalm.* 23: 5. & 16: 5. & 116: 13. כוס ישועות אשא תרוין, *Poculum ſalutum duarum.*

III. De menſura horum poculorum ſic determinatur. ארבעה כוסות שאמרו ישנן רביעית יין באיטלקי. *Rabbi Chaija dicit, Quatuor pocula continent quartanam vini Italicam. Hieroſ. Schabb.* fol. 11. 1.

Et curioſiùs ibidem: *Quanta menſura poculi?* אצבעיים על אצבעיי׳ על רום אצבע ומחצה ושליש אצבע, *Quadratura duorum digitorum profunditatis digiti, & dimidii, & tertiæ partis digiti.* Adducuntur hæc in *Babyl. Peſach.* loco antè citato, at cum hac differentia, quòd pro שליש אצבע eſt חומש אצבע, *quintæ partis digiti.*

IV. מצוה לצאת ביין אדום. *Præceptum eſt, ut vino rubido præſtet hoc officium. Hieroſ.* ubi antè. Sic *Babyl.* צריך שיהא בו טעם ומראה, *Neceſſe eſt, ut ſit in eo ſapor & aſpectus vini:* Gloſſa, שיהא אדום, *Ut ſit rubidus.*

V. שתאן חי יצא: *Si vinum biberit purum*, & non aquâ mixtum, *præſtitit officium*; at vulgò aquam immiſcuerunt: hinc in Rubrica feſtorum, cùm mentio fit de vino, ſemper adhibent vocem מוגו, *Miſcent* ei poculum. De iſta commixtione diſputat utrumque *Talmud* capite de *Paſchate* citato: quæ vide.

Babyl. Beracoth, fol. 50. 2. *Tradunt Rabbini. Super vinum, cui non immiſcetur aqua, non benedicunt*, Benedictus ſit, qui creavit fructum vitis; *ſed* Benedictus ſit, qui creavit fructum arboris. Gloſſa, יינם חזק מאד, *Vinum eorum ſtrenuum erat admodum, & potationi non idoneum abſque immixta aqua*, &c. *Gemariſtæ* paulò pòſt. *Suffragantur Sapientes R. Eleazaro, Non benedicendum eſſe ſuper poculum benedictionis, donec immiſceatur ei aqua.* Immiſtio aquæ unicuique poculo contulit ad ſalubritatem, atque ad fugam ebrietatis. Obſervavimus alibi hiſtoriam de *Rabban Gamaliele*, qui turbationem animi aliquam paſſus & faſſus eſt, atque ineptitudinem ad opus ſerium ob epotam vini quartanam *Italicam*. His de vino *Paſchali* præmiſſis, jam ad poculum hoc *Salvatoris* obſervandum redeamus.

CAP. XXVI. VERS. 27.

Poſt ea, quæ anteà memorantur, in cœna *Paſchali* tranſigi ſolita, hæc adduntur porrò à *Maimonide*. *Deinde lavat manus ſuas*, ומברך ברכת המזון, *& benedicit benedictionem cibi* [id eſt, gratias agit poſt cibum] *ſuper poculum vini tertium, atque ebibit.* Poculum illud vulgò vocabatur כוס הברכה, *Poculum benedictionis;* אכסא דברכתא, dialecto *Talmudica*. כוס של ברכה ברכת המזון, *Poculum benedictionis eſt, cùm benedicitur poſt cibum:* ait Gloſſa in *Babyl. Berac.* fol. 51. 1. Ubi etiam in textu memorantur plurima de hoc poculo. *Decem res dicuntur de poculo benedictionis* הדחה ושטיפה, *Lotio & proluitio:* [id eſt, ut lavetur intùs & extrà; nè ſcilicet in eo maneat quid vini poculorum præcedentium.] חי, *Vinum purum* infundatur in poculum, & fiat commiſtio aquæ in poculo: ומלא, *Plenum ſit:* עיטור, *Coronatio*, hoc eſt, ut *Gemara, per Diſcipulos*; dum ille hoc agit circùm ſint Diſcipuli inſtar coronæ. עיטוף, *Obvelatio*, id eſt, *ut Rabb Papa, Velat ſe & conſidet; ut R. Iſſai, Sudarium expandit in caput ſuum.* נוטלו בשתי ידיו, *Poculum accipit manu utraque, at dat in manum dextram, elevat à menſa, oculos in illud figit*, &c. *ſunt qui dicunt, domo impertit ſuis.*

Quoſnam ex his ritus adhibuerit *Salvator* non quærimus; poculum certè invenimus idem fuiſſe cum *poculo benedictionis:* cùm ſcilicet pro more, poſt guſtatum fruſtulum Agni valedictorium, finis jam eſſet cœnæ, & ſuper poculum tertium gratiæ agendæ eſſent poſt cibum, accipit ille illud poculum, & poſt actas, ut probabile eſt, & pro more & pro officio, gratias pro cibo, inſtituit ille iſtud in poculum Euchariſticum. Τὸ ποτήριον τῆς εὐλογίας ὃ εὐλογῦμεν, 1 *Cor.* 10: 16.

Hinc eſt quòd *Lucas* & *Paulus* dicant eum poculum accepiſſe *poſt cœnam*, id eſt, poculum illud, quod clauſit cœnam.

Prætereundum non eſt, quòd ille poculum Eucha-

Digitized by Google

CAP. XXVI. VERS. 27.

Euchariſticum inſtituens dicat, *Hoc eſt ſanguis meus Novi Teſtamenti*, ut *Matthæus* & *Marcus*: Imò, ut *Lucas* & *Paulus*, *Hoc poculum eſt Novum Teſtamentum in ſanguine meo.* Non ſigillum tantùm Fœderis, ſed & ſanctio *Novi* Fœderis: terminus Oeconomiæ *Moſaicæ*, & ſanctio *Novæ*. *Veteris* Fœderis ſanctio erat per ſanguinem taurorum & hircorum, *Exod.* 24. *Hebr.* 9. quia fundendus adhuc erat ſanguis: *Novi*, per poculum vini, quia ſub Novo Teſtamento nulla ulteriùs ſanguinis effuſio. Prout hic dicitur de poculo, *Hoc poculum eſt Novum Teſtamentum in ſanguine meo*: ſic dici potuit de cratere ſanguinis, *Exod.* 24. *Iſte crater erat Vetus Teſtamentum in ſanguine Chriſti.* Perlectis illìc omnibus Fœderis iſtius articulis, ſanguine populum omnem conſperſit *Moſes*, dixitque, *Hic eſt ſanguis Fœderis, quod pepegit Dominus vobiſcum*; & ſic ſancitum eſt Fœdus, vel Teſtamentum, illud Vetus: prædicatis pariter à *Chriſto* omnibus Novi Fœderis articulis, poculum vini ſumit ille, ac potandum exhibet, & dicit, *Hoc eſt Novum Teſtamentum in ſanguine meo*, & ſic ſancitum eſt Fœdus Novum.

Erat & calix quartus, de quo autor noſter porrò, *Deinde miſcet poculum quartum, & ſuper illud perficit Hallel: additque inſuper Benedictionem cantici*, ברכת השיר, *quod eſt*, Laudent te, Domine, omnia opera tua, &c. *& dicit*, Benedictus ſit, qui creavit fructum vitis, *& poſteà non quicquam guſtat iſtâ nocte*, &c. *Perficit Hallel*: id eſt, Incipit indè, ubi deſitum eſt antè, videl. ab initio *Pſalmi* centeſimi decimi quinti, & pergit ad finem *Pſalmi* centeſimi decimi octavi.

An *Chriſtus* calicem hunc adhibuerit, non diſputamus: Canticum certè adhibuit, quod notat Euangeliſta, cùm dicit Ὑμνήσαντες, verſu triceſimo. Ipſiſſima vox הימנון occurrit in *Midras Till* fol. 4. 2. & 42. 1.

Et jam cœnam hanc *Paſchalem* retroſpicienti liceat mihi ab iis quærere, qui cœnam iſtam in *Joann.* 13. eandem cum hac eſſe arbitrantur; Quamnam hujus temporis partem deſignant lotioni pedum Diſcipulorum? quamque dimiſſioni *Judæ*? quamque confabulationi ejus cum Sacerdotibus, atque ſicariorum in facinus accinctioni?

I. Mirum certè videtur, *Chriſtum* lotionem pedum Diſcipulorum ad cœnam *Paſchalem* rejeciſſe: Cùm, 1. Iſtiuſmodi actio, non ſolùm iſti cœnæ eſſet omninò inſolens, atque inaudita; ſed & nullo modò neceſſaria, aut congrua: nam, 2. quantò convenientiùs præſtari ea potuit in cœna communi ante *Paſcha*, quod nos opinamur, cùm nulla eſſet à tempore coarctatio; quàm in cœna *Paſchali*, cùm multa incumberent, quæ expeditionem efflagitarent?

II. Officium *Paſchalis* cœnæ iſtiuſmodi interruptionem non toleravit; nec licuit aliis à ſtata regula ſic declinare; ut rem tam alienam introducerent: & quare *Chriſtus* ſic declinaret, cùm in aliis ſecundùm morem gentis ſe geſſit; cùmque centies daretur liberior occaſio iſtam actionem præſtandi, quàm tempore ſic premente & coarctante?

III. Conſedit ad cœnam *Judas* cum reliquis, atque aderat, cùm comederent, *Matth.* 26:20,21. *Marc.* 14:18. &, heu! quàm inſolitum erat cuivis eo modo ante cœnam iſtam peractam diſcedere: ſatis ambiguum eſt apud Canones *Judaicos*; an licuerit, & in quantum licuerit alicui, qui ſe huic vel illi φρατρίᾳ aſſociaverat, ab ea in aliam recedere, atque hìc partem unam cœnæ capere, illìc aliam: at dè diſceſſione perſonæ ad negotium aliquod aliud peragendum, nè ſomnium quidem, cùm talem rem fieri poſſe nec volunt, nec poſſunt imaginari. Vides quàm leve videatur Diſcipulis diſceſſio *Judæ* ad coëmenda neceſſaria, prout ipſi interpretabantur, quia diſceſſit à cœna communi; at, ſi ſic eum dimiſſum ac abactum vidiſſent à cœna *Paſchali*, monſtrum viſum fuiſſet & ſtupendum. Quid? a cœna *Paſchali* jam inchoatâ ad mercaturam? A cœna *Bethaniæ* communi ad mercaturam, ad coëmenda ante *Paſcha* neceſſaria ad *Paſcha*, nihil novi hoc aut inſoliti: at à cœna *Paſchali*, ante eam peractam, ad forum aut nundinas diſcedere, inſolentius & ſtupendius erat, quàm ut tam leviter & ſine ſcrupulo ab iis digereretur.

Nos ergò non omninò dubitamus, *Judam* ad *Paſcha* affuiſſe, atque ad Euchariſtiam affuiſſe: quod planiſſimis verbis teſtatur *Lucas*, Cap. 22:20,21. parum dubitamus ad Hymnum affuiſſe, nec diſceſſiſſe ante peracta omnia in cœna: at, cùm aſſurgerent omnes à menſa, & jam pararetur ad iter in montem *Oliveti* [pernoctatum in *Bethania*, ut opinati ſunt Diſcipuli] ſubduxit ſe proditor nequiſſimus, atque ad cohortes iſtas ſe recepit, quas ei paraverant Sacerdotes, tempore & loco, biduò antè, ex compacto deſignatis. Videor mihi verba & conjurationem carnificis audire: "Craſtino, inquit ille, erit *Paſcha*, "& novi Magiſtrum meum ad *Paſcha* adfuturum: novique eum non pernoctaturum "*Hieroſolymis*; ſed ad *Bethaniam*, utcunque "ſerâ nocte, rediturum, ubi ſolitus eſt pernoctare. Parate vos mihi ergò homines "armatos, ut in promptu ſint loco deſignato, illicò poſt cœnam *Paſchalem*; egoque clanculùm ad eos me proripiam, cùm "jam Magiſter meus ad iter ſe parat, illique, "me duce, eum excipient in hortis extra urbem, ubi ob ſolitudinem loci, ſilentiumque noctis, ſecurum ſatis nobis erit à turba.

CAP. XXVI. VERS. 34.

"Et peragite vos *Paſchata* veſtra expeditè, ut "in Concilium à cœna congregemini, exa-"men ac judicium de eo habituri, cùm eum "ad vos nos adduxerimus; favente etiam vo-"bis hac in re, ac à turba protegente, ſilen-"tio noctis. Sic parantur omnia in locum & tempus præſtitutum, ſurripiensque ſe latro à cœtu Diſcipulorum, cùm jam egrederentur verſus *Olivetum*, atque ad armatos ſuos accelerans, ſine mora, paratos abducit, invaditque Magiſtrum jam in horto.

VERS. 34. Πρὶν ἀλέκτορα φωνῆσαι, τρὶς ἀπαρνήσῃ με.

Idem ferè dixerat, *Joann.* 13: 38. *Non cantabit gallus, donec ter me abnegaveris.* Ergò, inquiunt quidam, erat iſta cœna eadem cum hac *Paſchali.* Veriſſimè quidem, ſi ἀλέκτωρ ὀ φωνήσει reddi deberet, *Gallus non ſemel vocem edet*, vel, *Gallus nullus vocem edet:* at non ità, ſed ad hunc ſenſum aſſurgit, *Intra tempus gallicinii* tèr me abnegabis: nam *Petrus* eum ſemel tantùm abnegavit ante primum cantum galli, ac ter ante ſecundum, *Marc.* 14: 68, 72. Hinc ergò facilè advertas, quo ſenſu verba iſta intelligenda ſunt, ad *Petrum* prolata, biduò ante *Paſcha*, *Joann.* 13: 38. *Non cantabit gallus*, &c. Non, quòd nullus ab iſto tempore galli cantus futurus eſſet ante *Petri* abnegationem; ſed, ac ſi dixiſſet *Salvator*, "Adeo-"ne, ô *Petre*, tu fidens tui? Amen, dico "tibi, erit, idque brevi, cùm me ter abnegabis intra tempus gallicinii. Ἐν ἀλεκτοροφωνίᾳ, *Marc.* 13: 35.

In cœna *Paſchali* dicitur, *Hâc nocte*, antequam cantaverit gallus, &c. *Matth.* 26: 34. *Marc.* 14: 30. *Luc.* 22: 34. At nihil tale auditur in cœna iſta, *Joann.* 13.

De gallicinio ſic Magiſtri. *Babyl. Joma*, fol. 21. 1. *Dicit R. Shilla, Quicunque iter aggreditur ante galli cantum, ſanguis ſuus ſit in caput ſuum. R. Joſia dicit, Si ante cantum ſecundum: at ſunt qui dicunt, Si ante tertium. At de quali gallo hæc dicuntur?* בתרנגול בינוני, *De gallo mediano:* hoc eſt, ut explicat Gloſſa, *De gallo, qui cantum ſuum nec nimis accelerat, nec nimis differt. Mishnah*, in quam hoc Gloſſema, hæc habet: *Unoquoque die cineres ab Altari removent circa galli cantum: at die Expiationis à media nocte*, &c.

Mireris gallum gallinaceum inveniri *Hieroſolymis*, cùm Canone prohibitum ſit gallos illîc alere. *Bava Kama*, cap. 7. halac. ult. אין מגדלין תרנגולין בירושלם מפני קדושים, *Non alunt gallos Hieroſolymis propter ſacra, nec Sacerdotes eos alunt per totam terram Iſraëliticam.* Rationem reddit Gloſſa, *Etiam Iſraëlitis prohibitum eſt gallos alere Hieroſolymis propter ſacra; nam Iſraëlitæ comederunt illic carnem ſacrificiorum pacificorum, atque Euchariſticorum: jam verò mos eſt gallis gallinaceis vertere ſtercoraria, atque indè forſan educere poſſent carnem reptilium, unde pollui poſſent ſacra iſta comedenda.*

CAP. XXVI VERS. 36, 49, 60.

Quonam modo & prætextu cum Canone ſit diſpenſatum, non diſputamus: aderant certè galli gallinacei *Hieroſolymis* æquè ac alibi. Et memorabilis eſt hiſtoria de gallo, ex ſententia Synhedrii lapidato ob interfectum ab eo puerulum. *Hieroſ. Erubhin*, fol. 26. 1.

VERS. 36. Γεθσημανῆ.

Locus torcularium oleaceorum, ad baſin *Oliveti.*

Joanni eſt *hortus ultra Kidronem*, Cap. 18: 1.

Bava Kama, ubi ſuprà. *Non faciunt in Jeruſalem hortos aut paradiſos*, משום סירחא, *propter fœtorem.* Gloſſa, *Propter fœtorem ab herbis malis, quæ projicerentur: mosque eſt hortos ſtercorare, atque indè fœtor.* Hinc nulli horti in urbe [hortis roſarum quibuſdam exceptis, qui fuerant à diebus Prophetarum. *Avoth R. Nathan*, fol. 9. 1.] at omnes extrà, præſertim verò ad pedem *Oliveti.*

VERS. 49. Κατεφίλησεν αὐτόν.

Magiſtro Diſcipulum oſculari non erat inuſitatum; Diſcipulo Magiſtrum rarius: an ergò *Judas* hoc fecerit ex prætextu officii, an ex aperto contemptu & deriſione, quæratur.

VERS. 60. Πολλῶν ψευδομαρτύρων προσελθόντων.

Quære, an hi עדים זוממים dicendi ſint, de quibus *Talmudici* plurima, præſertim in Tractatu *Maccoth*, cap. 1. זוממים vulgò redduntur *falſi teſtes*, meritòque: & tamen eos, tanquam neceſſarios, numerat *Maimonides* in urbe iſta, ubi ſtatuitur Synhedrium viginti-triumvirale. *Quare*, inquit, *non ſtatuitur Synhedrium tale, niſi in civitate ubi ſunt homines 120? Nempe ut ſint 23 è Synhedrio, treſque claſſes hominum 69: & 10. viri rebus Synagogæ intenti: 2 Scribæ, 2 Epiſcopi, 2 Judicandi, 2 Teſtes.* שני זוממין ושני זוממי זוממין, &c. Rei ratio obſcurior, hominum charactera hiſce exemplis ſume. *Dicunt teſtes, Nos teſtamur quòd N. occidit N. Dicunt iis, Quomodo hoc teſtamini, cùm occiſus, aut occiſor fuerit nobiſcum in loco quodam iſto die. Iſti adhuc non ſunt* זוממים: at,

CAP. XXVI. VERS. 60, 65.

at ſi dicant, Quomodo hoc teſtamini, cùm vos fueritis nobiſcum iſto die, &c. *Maccoth*, cap. 1. hal. 6. In quam *Mishnam* ſic *Maimon. Teſtes teſtantur, Reuben occidit Simeonem: & poſteà veniunt Kohath & Hushim*, והזימו, *& improbant eorum teſtimonium; veniuntque poſteà teſtes alii, teſtanturque idem cum prioribus; quòd nempe Reuben occidit Simeonem: & Kohath & Hushim eorum teſtimonium etiam improbant; ſecundi, tertii, quarti etiam ſi mille advenirent, atque idem teſtarentur: ſi duo iſti ſic improbent, omnes morientur ex teſtimonio duorum iſtorum*, &c.

Erat etiam par teſtimonium in rebus aliis: ſic in *halacah* prima capitis citati: כיצד העדים נעשים זוממין, *Quomodo teſtes fiunt* זוממים? *Teſtamur nos de N. quòd eſt filius fœminæ repudiatæ, &c. Non dicunt, Fiat hic filius repudiatæ pro eo, ſed vapulat quadraginta verberibus.* Obſcura ſatis verba; at hæc ſibi volunt. Cùm falſus teſtis ex Lege eadem paſſurus eſſet, quæ falſo ſuo teſtimonio in alium machinatus fuerat; hîc quæritur, in quibuſnam caſibus teſtis adeò reputandus eſſet falſus, ut talionem iſtam ſubiret: & reſpondetur, Non in omnibus; & adducitur hæc cauſa, Si teſtis quivis falſo teſtimonio aliquem legitimatione ſuâ privare vellet, conſequenterque privilegiis legitimationem comitantibus, dicens eum filium eſſe uxoris repudiatæ, quamvis hic reverà eſſet עד זומם, teſtis falſus, tamen talio ei rependenda non erat, atque ille non ſtatuendus filius etiam repudiatæ; ſed flagellandus erat. Sed in rebus capitalibus obtinuit, ut qui falſo teſtimonio necem alteri machinatus eſſet, ipſe necem pateretur.

Vers. 65. Τότε ὁ Ἀρχιερεὺς διέῤῥηξε τὰ ἱμάτια αὐτοῦ.

Maimon. in *Avodah Zarah*, cap. 2. *Cùm eloquuntur teſtes, qualem blaſphemiam audierunt, tenetur unuſquiſque blaſphemiam audiens veſtimenta ſcindere.* Vide plura ibi.

Sanhedr. cap. 7. halac. 10. *Judicantes blaſphemantem interrogant primùm teſtem, & dicunt ei, Loquere planè quid audiviſti: cùmque ille effatur, Judices pedibus ſtantes ſcindunt veſtimenta ſua, & non reſuunt*, &c. Vide ibi *Gemaram Babylonicam* copioſè diſcutientem, quare in pedes exſurgant, quare ſcindant veſtimenta, & quare non liceat ea reſuere.

CAP. XXVII.

CAP. XXVII. VERS. 1.

Vers. 1. Πρωΐας ἢ γενομένης, &c.

Premamus aliquantùm veſtigia hujus Synhedrii.

I. Noctem terunt judicando de capite, quod proprii Canonis cautione eſt omninò prohibitum, דיני נפשות דנין ביום וגומרין ביום, *Judicia capitalia transigunt interdiu, & finiunt interdiu*, *Sanhedr.* cap. 4. halac. 1. Pecuniaria quidem, die incepta, nocte potuerunt determinari, quod ibidem aſſeritur; at capitalia non niſi die tractanda: at verò judicium hoc de capite *Chriſti* opus eſt noctis & tenebrarum; nocte inchoatum, & per totam ferè noctem agitatum.

II. Erat hæc nox veſpera diei feſti, primi ſcilicet hebdomadis *Paſchalis*, quo tempore prohibitum etiam erat judicia exercere.

Moed Katon, cap. 5. halac. 2. *Non judicant die feſto.* In quas partes hîc eatur à Juridicis, non moleſti erimus recitando: ſcrupuli ſatis injicitur ex ipſo hoc Canone, quem eximant iſti, qui præ odio ac virulentia erga *Chriſtum* proprios Canones videntur nihili facere, & pedibus conculcare.

III. Πρωΐας γενομένης, aderat tempus recitandorum Phylacteriorum, à prima ſcilicet aurora ad horam tertiam. *Berac.* cap. 1. halac. 2. At ubi hodie apud hos iſta religio? Num Phylacteria veſtra recitâſtis hoc manè, ô Patres Synhedrii, ante conventionem in Conſeſſu? Vobis alia res curanda, [ut *Jeſum* ſcilicet malè perdatis,] aut curam precum è vobis expulit, aut certè charitatem è precibus.

IV. Illucet jam יט׳ ראשון של הפסח, *Dies primus feſtus Paſchatis*, quo ſe ſiſtere in Templo ſunt ſoliti, ac munera ſua offerre, *Exod.* 23: 15. At quando & quomodo hoc ab iis præſtitum hodie? Cavent ab introitu in Prætorium, ut non contaminarentur, ſed ut manducarent *Chagigam*; Vide *Joann.* 18: 28. & *Chagigah*, cap. 1. At vix comperias, quodnam tempus ab iis huic rei hodie impenſum: nec quidem per Canonem quendam licuit illis quicquam iſto die comedere, *Nam, cùm Synhedrium quemquam morti adjudicavit, nè quicquam deguſtent illi iſto die*, *Babyl. Sanhedr.* fol. 63. 1.

Συμβούλιον ἔλαβον, ὥστε θανατῶσαι αὐτόν.

Perpendatur illud in *Sanhedr.* loco antè citato, cap. 4. דיני ממונות דנין ביום וגומרין בלילה, *De rebus pecuniariis judicant*

CAP. XXVII. VERS. 1, 5.

cant interdiu, & determinare poſſunt noctè. De capitalibus judicant interdiu, & finiunt interdiu. Judicia de pecuniariis abſolvunt eodem die, ſive ſint mulctativa, ſive abſolutiva. Judicia de capitalibus finiunt eodem die, ſi ſint ad abſolutionem; ſi verò ſint ad damnationem, finiuntur die ſequente. Rationem diverſitatis hujus reddunt *Gemariſtæ*, quos vide. Poſterioris ſic exprimunt, אשרי הדיין שמחמץ ארת דינו, *Beatus eſt Judex, qui fermentat judicium ſuum:* id eſt, ut Gloſſa, *Qui judicium ſuum moratur, & pernoctare facit, ut ventilet veritatem.*

Differentia inter דנין & גומרין, major eſt, quàm fortè ſuſpicatur Lector primo aſpectu. Sub voce דנין totum judicii proceſſum innuunt, examen actoris & rei & teſtium, receptionem ſuffragiorum Synhedrii, atque eorum conſcriptionem per Scribas: גומרין nihil aliud deſignat, quàm proceſſum ad ſententiam definitivam. Differentiam clariùs intelligas ex Gloſſemate ad *Babyl. Sanhedr.* fol. 35. 1. In textu hoc decernitur, אין דנין לא בערב שבת ולא בערב יום טוב, *Nè judicent veſperiis Sabbati, nec veſperiis diei feſti:* quod & repetitur in *Hieroſ. Chetubb.* fol. 24. 4. & *Moed Katon*, fol. 63. 1. Ratio prohibitionis hæc eſt; Nè ſcilicet judicia inchoata veſperiis Sabbati, vel diei Feſti, finiantur vel concludantur die Sabbati, aut Feſto: *quod quidem obtinet*, inquit Gloſſa, *in judiciis pecuniariis, caveturque nè ſit ſcriptio:* [nam vel ſcribere literulam Sabbato prohibetur:] *at verò in judiciis capitalibus non obtinet eâ ratione; nam ſcripta erant ſuffragia abſolventium, aut damnantium, die præcedente.*

Vides in hiſtoria Euangelica, I. Judicium de capite *Chriſti* non abſolutum unâ eâdemque ſeſſione. II. Abſolutum die feſto.

VERS. 5. Ἀπήγξατο.

Strangulatus eſt: à Diabolo ſcilicet, qui eum jam per triduum inhabitaverat. Movent verba *Petri*, *Actor.* 1: 18. quò minùs de ſtrangulatione ſui hoc intelligam. Πρηνὴς γενόμενος ἐλάκησε μέσος. Plurimum laborant interpretes, ut hæc ſuſpendio ſui bene aptent, quæ quidem non quadrabunt. Novi quidem vocem Ἀπήγξατο vulgò ad ſuſpendium ſui applicari, at non excludit ſtrangulationem alio modo. Et non poſſum ego, quod liceat bona cum antiquitatis venia, non hiſtoriam hoc modo intelligere. Cùm jam, poſt projectos in Templo proditionis ſuæ nummos, recederet ad ſuos reverſurus, raptum eum in ſublime Diabolus, qui in ipſo habitabat, ſtrangulavit ac præcipitem dedit, ità ut ad terram alliſus rumperetur medius, atque effunderentur ilia, & tam horrendo exitu egrederetur Diabolus. Conſonant hæc certè optimè, cum verbis *Petri* allatis, atque etiam cum iis, quæ ſequuntur, *Innotuit hoc omnibus habitantibus Hieroſolymis.* Conſonant etiam optimè cum nebulonis nequiſſimi demerito, & cum titulo *Iſcariote.* Facinus, quod perpetrârat, fuit ſupra omne exemplum, fuit & hoc genus mortis ſupra omne exemplum. Exempla plurima habuit ſuſpendium ſui, & *Hieroſolymitanos* non tam ad ejus obſervationem excitaret, quàm hæc ſuffocatio & præcipitatio, quam nos ſupponimus, horrenda ſupra modum, rara ſupra exemplum. Vide ſis quæ diximus de voce *Iſcariota* ad Caput decimum.

CAP. XXVII. VERS.

VERS. 9. Τὸ ῥηθὲν διὰ Ἱερεμίου τοῦ Προφήτου.

Ut torſerit interpretes hic locus, unus pro multis loquatur clariſſimus *Beza*. *Hic nodus vetuſtiſſimos quoſque interpretes torſit: quia videl. teſtimonium ex Zacharia ſumptum eſt, non ex Jeremia; ut planè videatur eſſe ἁμάρτημα μνημονικὸν: ſicut cenſet* Auguſtinus *libro* de Conſenſu Euangeliſtarum *tertio, capite ſeptimo; itemque* Euſebius Ἀποδείξεως *libro viceſimo. Quodſi quis hunc errorem malit, vel librariis tribuere, vel (quod potiùs arbitror) alicujuſ imperitiæ, qui Jeremiæ nomen aſcripſerit, cùm Euangeliſta, ut alibi ſæpè, ità etiam hoc loco tantùm ſcripſiſſet* διὰ τοῦ Προφήτου; *neceſſe tamen eſt ut fateamur, jam olim hunc errorem in ſacros codices irrepſiſſe, quod expreſsè dicit Hieronymus*, &c.

Aſt ego (quod pace tantorum virorum dictum velim) vel literulam quidem unam aut notham eſſe, aut inſcio Euangeliſtâ irrepſiſſe non ſolùm nego, ſed à *Matthæo* ſic, uti legimus, ſcriptum *Jeremiam*, à ſuis promptiſſimè intellectum receptumque fuiſſe, ſtrenuè aſſero; exſcripto hoc è *Talmudicæ* vetuſtatis monumento, penès lectorem eſto judicium.

Babyl. Bava Bathra, fol. 14. 2. *Traditio Rabbinorum. Hic eſt ordo Prophetarum. Liber Joſuæ, Judicum, Samuelis, Regum, Jeremiæ, Ezechielis, Eſajæ, & duodecim.* Et paulò pòſt. *Cùm autem tempore præceſſerit Eſajas Jeremiam, atque Ezechielem, præponendus ritè eſſet Eſajas:* כיון דמלכים סופיה חורבנא. *Cùm verò liber Regum terminaret in excidio* וירמיה כוליה חורבנא, *Jeremiasque totus agat de excidio, cùmque initium Ezechielis ſit de excidio, finiaturque in conſolatione, cùmque totus Eſajas ſit de conſolatione;* סמכינן חורבנא לחורבנא ונחמתא לנחמתא, *Conjunxerunt excidium cum excidio, & conſolationem cum conſolatione:* id eſt, libros qui egerunt de excidio conjunxerunt, & li-

Digitized by Google

CAP. XXVII. VERS. 16, 19, 26.

& libros conjunxerunt qui egerunt de conſolatione.

Traditionem hanc citatam habes à *Dav. Kimchio* in præfatione ad *Jeremiam*. Unde patet apertè, *Jeremiam* in volumine Prophetarum olim primum locum obtinuiſſe: atque hinc ejus memoria præ omnibus aliis Prophetis, *Matth.* 16:14. quia ille primus inceſſit in volumine Prophetarum, nominatur ille primus. Cùm ergo textum *Zachariæ* ſub nomine *Jeremiæ* proferat *Matthæus*, verba è volumine Prophetarum citat tantùm, ſub iſtius nomine, qui primum locum tenuit in volumine Prophetarum. Cujus farinæ eſt etiam illud *Salvatoris*, *Luc.* 24:44. *Complenda ſunt omnia quæ de me ſcribuntur in Lege, Prophetis & Pſalmis. In Pſalmis*, id eſt, in libro Hagiographorum, in quo primum locum obtinuit liber *Pſalmorum*.

VERS. 16. Βαραββᾶν.

בר אבא, Nomen apud *Talmudicos* uſitatiſſimum. *R. Samuel Barabba* & *R. Nathan Barabba. Hieroſ. Moed Katon*, fol. 82. 1. *Abba bar Abba.* אבא בר אבא, *Babyl. Berac.* fol. 18. 2. *Hieroſolymitanè* frequentiſſimè profertur בר בא, *Bar Ba. Simeon Bar Ba. Taanith*, fol. 66. 1. *R. Chaijah bar Ba. Chagigah*, fol. 76. 6. &c. Hoc in mentem illud revocat, quod refert *Joſephus* actum in obſidione urbis. Σκοποὶ ἐπὶ τῶν πύργων καθεζόμενοι προεμήνυον, ὁπόταν σχασθείη τὸ ὄργανον, καὶ ἡ πέτρα φέροιτο τῇ πατρίῳ γλώσσῃ βοῶντες, ὁ υἱὸς ἔρχεται. *De bell.* lib. 5. cap. 18. Cùm torquerentur ſaxa immania à *Romanorum* baliſtis in urbem, inſidentes quidam in turribus, ſigno præmonuerunt civibus ut caverent, hoc clamantes vulgari Dialecto, *Filius venit*, id eſt, בר בא. Filius quidem hominis tunc venit in gloria juſtitiæ & vindictæ ſuæ, quod ſæpè prædixerat, gentem iſtam nequiſſimam perditiſſimamque perditurus.

VERS. 19. Μηδέν σοι καὶ τῷ δικαίῳ ἐκείνῳ.

לא ליהוי לך עסק דברים בהדי צדיק.

Babyl. Taanith, fol. 25. 2. *Cùm aggrederetur Rex Sapores Rabbam affligere, miſit ad eum mater ejus dicens*, לא ליהוי לך עסק דברים בהדי יהודאי, *Nihil tibi ſit cum iſto Judæo*, &c.

VERS. 26. Τὸν δὲ Ἰησοῦν φραγελλώσας παρέδωκεν ἵνα σταυρωθῇ.

Sic mos *Romanorum* cum crucifigendis. *Joſephus de bell.* lib. 2. cap. 25. Οὓς μάστιξι προαικισάμενος ἀνεσταύρωσεν. Et paulò pòſt. Μαστιγῶσαι πρὸ τοῦ βήματος καὶ σταυρῷ προσηλῶσαι

CAP. XXVII. VERS. 29, 31.

VERS. 29. Κάλαμον ἐπὶ τὴν δεξιὰν.

Vide quæ fingantur apud *Tanchum*, fol. 59. 4. de Angelo viſo in ſpecie *Solomonis*: וקנה בידו, *In cujus manu arundo*, והכין אותו בקנה, *Et quem calamo percuſſerunt.*

VERS. 31. Ἀπήγαγον αὐτὸν εἰς τὸ σταυρῶσαι.

Traduntur hæc in *Sanhedrim*, cap. 6. halac. 2. de reo lapidationis: *ſi non inveniatur pro eo defenſio, educunt eum ad lapidandum, & præivit præco ſic clamans, Prodit N. filius N. ad lapidationem, quia talia commiſit: teſtes in eum ſunt N. & N. quicunque pro eo defenſionem proferre poteſt, prodeat & proferat.*

In quæ ſic *Gemara Babylonica*. *Traditio eſt veſperâ Paſchatis ſuſpenſum fuiſſe Jeſum, præiiſſeque præconem per quadraginta dies ſic dicentem, Prodit iſte lapidandus, eo quòd præſtigias egit, & perſuaſit & ſeduxit Iſraëlem; quicunque novit pro eo defenſionem, prodeat & proferat: at non invenerunt pro eo defenſionem, ſuſpenderunt ergò eum veſpera Paſchatis. Dicit Ula, Contrarius ille videtur defenſioni, cùm eſſet ſeductor, dicatque Deus*, Non parces ei, nec de eo celabis, *Deuter.* 13.

Lapidandum eduxerunt è civitate, *Actor.* 7:58. ità etiam crucifigendum.

Gloſſa in *Babyl. Sanhedr.* fol. 42. 2. *Locus lapidationis erat extra tria caſtra; nam Hieroſolymis erant tria caſtra*, (Dei ſcilicet, Levitarum, & populi; prout in caſtrametatione in eremo.) *Atque etiam in unaquaque civitate, ubi Synhedrium* (viginti-triumvirale) *locus lapidationis erat extra urbem. Omnes enim civitates, muris cinctæ, paritatem habent ad caſtra Iſraëlis.*

Eò quòd à tribunali *Ethnico* judicatus, *Jeſus* morte Synhedrio *Judaico* inuſitatâ plectitur; nempe crucifixione. In variis circumſtantiæ atque actiones mortem ejus comitantes diſcrepabant à more *Judæorum* circa plectendos capite.

I. אין דנין שנים ביום אחד: *Non judicant duos eodem die. Sanhedr.* cap. 6. hal. 4. Aſt hìc præter *Chriſtum* duos latrones.

II. Suſpendendum non ad ſuſpendium adegerunt, uſque dum propè adeſſet occaſus Solis. Ibid. in *Gemara*. משהין אותו עד סמוך לשקיעת החמה וגומרין את דינו וממיתין אותו, *Morantur, uſque dum propè adſit occaſus Solis, & tunc judicium ejus perficiunt, eumque interficiunt.* Redditurque ratio à Gloſſatore; *Non perficiunt judicium ejus, neque eum ſuſpendunt manè, nè pigreſcerent circa ejus ſepulturam, inciderentque*

in

CAP. XXVII. VERS. 33, 34.

in oblivionem; & penderet ille poſt occaſum Solis. *Sed propè ad occaſum Solis, ità ut citò eum ſepeliant.* At *Chriſtus* de capite judicatus ante meridiem, & meridie ad crucem adactus: nam

III. מסיתין אותו ואחר כך תולין אותו. *Damnatum primò morte mulctârunt; & dein in arbore ſuſpenderunt: at mos regni* [Romani] *primùm ſuſpendere, & indè morte mulctare*, ibid.

IV. Eductos ad ſupplicium capitis non apertè luxerunt; at *Jeſum* apertè, *Luc.* 23:27,28. Ratio hujus diſcrepantiæ non petenda à genere mortis, ſed à perſonis.

לא היו מתאבלין אבל אוננין שאין אנינות אלא בלב, *Non planxerunt eductum ad ſupplicium, ſed interiùs luxerunt in corde.* Ibid. Rationem miraberis, quam ſic reddit Gloſſema. *Non apertè de eo planxerunt eâ ratione, ut ejus vilificatio* [cùm nemo eum apertè plangeret] *accreſceret in ejus expiationem: at corde luxerunt eum; nam hoc non in honorem ei ceſſit, ità ut indè nihil impedimenti eſſet ejus expiationi.*

Meliùs edocti iſti, qui *Chriſtum* planxerunt, & de re & de perſona.

Vers. 33. Γολγοθᾶ.

Perperàm ſcriptum hoc eſſe aſſerit *Beza* pro Γολγολθᾶ, ſcriptum tamen ità in omnibus codicibus. At perperàm cavillatur vir bonus, cùm eliſio iſtiusmodi quarundam literarum in vocibus plurimis *Syriacæ* linguæ non fuerit aliena. Ipſiſſimam hanc vocem ità prolatam habes abſque λ ſecundo ab interprete *Samaritico*, *Numerorum* Capite primo.

Vers. 34. Ἔδωκαν αὐτῷ πιεῖν ὄξος μετὰ χολῆς μεμιγμένον.

Babyl. Sanhedr. fol. 43. 1. *Prodeunti ad ſupplicium capitis potum dederunt, granum thuris in poculo vini, ut turbaretur intellectus ejus*: id eſt, ut mente excederet. *Sicut dicitur*, Date ſiceram perituro, & vinum iis qui amaro ſunt animo, *&c. Traditioque eſt, Fœminas generoſas Hieroſolymitanas hoc è ſpontaneo ſumptu ſuo exhibuiſſe*, &c.

At quod ſcrupulum parit, *Matthæo* eſt Ὄξος μετὰ χολῆς, *Marco* Ἐσμυρνισμένον οἶνον. Si vinum; unde vocatur ὄξος? Si vinum myrrhâ mixtum; unde χολή?

Reſp. Videntur verba *Marci* pro more gentis intelligenda, *Matthæi* pro re reverà præſtitâ. *Marcum* ſic intelligo, Dederunt ei pro more gentis poculum illud, ad ſupplicium ductis dari ſolitum; aſt (quod *Matthæus*) non eâ, quâ ſolitum, mixturâ, vino ſcilicet, & thure, aut myrrhâ; ſed in majus ludibrium, atque ex acriore virulentia, aceto & felle. Ità ut conditum hoc poculum arbitremur, non tam à fœminis honeſtioribus, morientis miſerentibus, quàm ex induſtria à *Scribis*, reliquisque *Chriſti* perſecutoribus, omnimodam ei contumeliam & vexationem machinantibus. In hac amphora ſpongiam, ut videtur, poſteà tinxerunt: vide verſum quadrageſimum octavum.

CAP. XXVII. VERS. 35, 38.

Vers. 35. Διεμερίσαντο τὰ ἱμάτιά μου.

De lapidando ſic refertur *Sanhedr.* cap. 6. hal. 3. *Cum jam quatuor cubitis à loco lapidationis abeſſet, denudant eum veſtibus, virumque tegunt à parte priori,* (id eſt, pudenda) *fœminamque & à priori & à poſteriori: hæc ſunt verba R. Judæ; At Sapientes dicunt, Vir lapidatur nudus: at fœmina non nuda.* Ità etiam, ut ſatis videtur, nudatum crucifixerunt.

Vers. 38. Δύο λῃσταί.

Vide apud *Joſephum*, quinam tunc temporis vocarentur λῃσταί: quantumque ſudoris atque operæ inſumptum à Procuratoribus *Judææ*, ut dirum hoc hominum genus cohiberent, extinguerentque.

De bell. lib. 2. cap. 6. Ἐζεκίας ἀρχιλῃστὴς χειρωθεὶς ὑφ' Ἡρώδου.

Ibid. Σίμων τις περαιτῶν μεθ' ὧν ἤθροισε λῃστῶν τὰ ἐν Ἱεριχοῖ κατεπίμπρησι βασίλεια, &c.

Ibid. cap. 22. Φῆλιξ ἀρχιλῃστὴν Ἐλεάζαρον, ἔτεσιν εἴκοσι τὴν χώραν λῃσάμενον, καὶ πολλοὺς τοὺς σὺν αὐτῷ ζωγρήσας ἀνέπεμψεν εἰς Ῥώμην.

Ibid. cap. 23. Ἕτερον εἶδος λῃστῶν ἐν Ἱεροσολύμοις ὑπεφύετο, οἱ καλούμενοι Σικάριοι, μεθ' ἡμέραν καὶ ἐν μέσῃ τῇ πόλει φονεύοντες ἀνθρώπους, &c.

In *Babyl. Bava Mezia*, fol. 83. 2. datur regula, & præſcribitur ars detegendi prædones atque prehendendi. *Adi tabernas horâ quartâ*, [Gloſſa, Iſta erat hora comeſtionis, adieruntque omnes tabernas, ut comederent] *ſique hominem illìc videris bibentem vinum, tenentemque manu poculum, & dormientem*, &c. *fur iſte eſt; eum prehendito*, &c.

Inter monſtra turbarum *Judaicarum*, excidionem urbis præcedentium, primam ferè animadverſionem meritò ſibi vindicat multitudo τῶν λῃστῶν, atque horrendæ ſtrages ab iis perpetratæ. Quas, poſt juſtam in gentem iſtam nefandiſſimam Dei vindictam, variis originibus meritò aſcribas.

I. Nil mirum eſt, ſi undique & undique juventute vagabundâ, diſſolutâ, facinoroſâ, ultra modum ſcateret iſta natio, cùm per Polygamiam populi, atque uxorum pro arbitrio repudia, & gentis laſciviam infandè protervam & ad ſcortationes prorumpentem, non naſci aſſiduè non potuerunt ſpurii, atque partus ad mendicitatem ſolum nati, aut rapinam; quippe quibus nec victus, nec ingenua educatio.

II. Stolida atque impia Synhedrii lenitas non potuit non enutrire omnimodam ſceleſtorum

CAP. XXVII. VERS. 39. 46, 47. 49.

rum progeniem, cùm vix, aut nè vix, quemquam, quamvis ſceleſtiſſimum, capite plecterent; eò quòd eſſet *Iſraëlita*, quem noli tangere.

III. Zelotarum repugnantia in jugum *Romanum* ſtudioſa, in hoc tantum fuit, ut *Romanos* peſſumdarent, atque iſti jugo ſe dedentes *Judæos* malè tractarent.

IV. Licentiam iſtiusmodi rapinis non rarò conceſſerunt Procuratores *Judææ*, ut propriis fuſtibus contundere poſſent populum exoſum, atque in tumultus aſſiduè concitatum; atque aliquid indè ſibi de præda rapta prædarentur. Sic de *Floro Joſephus*, *de bell.* lib. 2. cap. 24. Δήμους ἀθρόους ἐλυμαίνετο, καὶ μόνον οὐκ ἐκήρυξεν ἀνὰ τὴν χώραν πᾶσιν ἐξεῖναι ληϛεύειν, ἐφ᾽ ᾧ μέρος αὐτὸς λήψεται τῶν λαφύρων.

Sic è propriis viſceribus prodiit gladius in propria ſtrictus viſcera.

VERS. 39. κινοῦντες τὰς κεφαλάς

קלות ראש *Rabbinis* irreverentiam denotat & levitatem.

VERS. 46. Ἠλὶ, Ἠλὶ, λαμὰ σαβαχθανί.

I. Soluta in *Chriſtum* ſcilicet tunc temporis fuit omnis vis turbaque Orci, effrænata atque abſque catena: Ἐξουσίαν τοῦ σκότους ipſe vocat, *Luc.* 22:53. Deus, qui olim prædixerat ſerpentem contriturum calcaneum ſeminis promiſſi, (adeſt autem jam nunc id temporis) catenas Diaboli laxaverat, (quas manu ſuâ, quoad homines, retinere ſolet providentia divina) ità ut liberè, atque abſque reſtrictione, in *Chriſtum* inſiliat tota vis, totaque virulentia inferorum; collectumque in unum, & convocatum totum odium Diaboli in omnes electos Dei, uno ictu atque inſultu in *Chriſtum* vibretur abſque modo & menſura.

II. Tormina ergò iſtiusmodi perſentiſcens beatiſſimus *Salvator*, quæcunque in eum accumulare poterant vel ipſe Tartarus, vel Tartari machinæ, homines in nequitiam & crudelitatem conjuratiſſimi, ſub acerbitate præſentis providentiæ ingemiſcit, *Deus mi, Deus mi, Quare me tradidiſti, ac dereliquiſti iſtiusmodi inſultibus, amaritudinibus, ac manibus?*

Eſtheram ejaculatione pari utentem introducunt *Talmudici* in *Babyl. Megillah*, fol. 15. 2. quod & citatur in Gloſſemate ad *Joma*, fol. 29. 1. *Stetit Eſthera in atrio Palatii interiori. Dicit R. Levi, Cùm ad Idoleum jam appropinquaret, receſſit ab ea divina gloria: dixit ergò illa, Eli, Eli, lamma Azabbtani.*

VERS. 47. Ἡλίαν φωνεῖ οὗτος.

VERS. 49. Ἴδωμεν, εἰ ἔρχεται Ἡλίας σώσων αὐτόν.

Chriſtum Syriacâ dialecto hîc uſum ſatis arguit vox Σαβαχθανί; at vox, *Eli, Eli*, parum *Syriſſat*: hinc error ac prava interpretatio aſtantium. *Syrè* dixiſſet מרי מרי, *Mari, Mari*: aſt *Eli Syris* inuſitatior; hinc deceptio auditorum, qui de apparitionibus *Eliæ* plùs nimio è fabulis edocti, & vocis ambiguitate decepti, *Chriſtum* ſtultitiâ gentis & errore laboràſſe autumabant, auxiliumque *Eliæ* imploràſſe, quod deluſo populo non alienum erat exſpectare.

CAP. XXVII. VERS. 51.

VERS. 51. Τὸ καταπέτασμα τοῦ ναοῦ ἐσχίσθη εἰς δύο, &c.

Audiantur de hoc Catapetaſmate Patres Traditionum.

Middoth, cap. 4. hal. 7. *Murus Pronai erat quinque cubitorum*, Πρόναον *ipſum undecim. Murus Templi ſex, & fanum quadraginta* אמה טרקסין, *Unius cubiti* Τάραξις, *atque adytum viginti.*

Quid ſibi velit Τάραξις, elucidet *Maimonides* in *Beth habbechirah*, cap. 4. *In Templo primò paries erat unum cubitum craſſus, ſeparans inter Sanctum & Sanctum Sanctorum. Cùm verò Templum ſecundum exſtruerent, dubitatum ab iis eſt, num parietis iſtius craſſitudo æſtimanda eſſet de menſura Sancti, an de menſura Sancti Sanctorum. Confecerunt ergò Sanctum Sanctorum viginti cubitorum completorum, Sanctumque quadraginta cubitorum completorum, cubitumque vacuum inter Sanctum & Sanctum Sanctorum reliquerunt, parietemque illic in Templo ſecundo non exſtruxerunt: at duo aulæa confecerunt, unum contiguum Sancto Sanctorum, atque alterum Sancto; inter quæ erat cubitus vacuus, pro craſſitudine parietis, qui fuerat in Templo primo, in quo non erat niſi Catapetaſma unum.*

Joma, cap. 5. halac. 1. *Progreditur* (Pontifex maximus die Expiationis) *in fano, uſque dum appelleret ad duo aulæa ſeparantia inter Sanctum & Sanctum Sanctorum, inter quæ erat cubitus. R. Joſi dicit, Non erat ibi niſi aulæum unum; ſicut dicitur, Et ſeparabit vobis aulæum inter Sanctum & Sanctum Sanctorum.* In quæ verba ſic *Gemara Babylonica*, fol. 51. 2. *Rectè dicit R. Joſi Rabbinis, Rabbinique tibi: de tabernaculo ſcilicet ille; atque illi de Templo ſecundo; in quo cùm non eſſet paries intergerinus, qualis erat in primo, hæſitatum eſt de ejus ſanctitate, an ſcilicet ad interiorem Templi partem referendus eſſet, an ad exteriorem: atque ideo confecerunt duo aulæa.*

Cùm ergò hac in re turbarentur mentes eorum, neſciæ utrùm ad fanum, an ad adytum appenderent aulæum; atque utrùm ad hoc, an ad illud pertineret locus iſte inter utrumque vacuus, cubitum unum craſſus: locum ipſum Græcâ voce Τάραξιν vocàrunt [ut planè autor *Aruch*] duoque aulæa appenderunt, nè in hanc vel illam partem peccarent.

Mira

CAP. XXVII. VERS. 52, 54.

Miraberis itaque *Matthæum* καταπετάσματα plurali non dixiſſe, aut forſan opinaberis, unum tantùm ex his duobus aulæis ſciſſionem paſſum, non utrumque: at ſatis fuit Euangeliſtis *Matthæo* & *Marco*, qui mirum hoc memorant, hoc indigitâſſe, fiſſum & ruptum fuiſſe intergerinum iſtud repagulum, à quo obſeptum eſt Sanctum Sanctorum, & à conſpectu, & ab aditu. Hoc eſt, quod illi volunt, non ſoliciti de particularibus explicandis, ſed contenti rem ipſam declarâſſe. Aderat fortè in Templo, iſthoc ipſo momento cùm prodigium hoc occurreret, Sacerdos iſte, qui ſuffitum iſtâ veſperâ faceret; cùmque ille egreſſus populo attonitus nuntiaret, Ἐσχίσθη τὸ καταπέτασμα τοῦ ναοῦ, facilè intelligeretur de aditu rupto in Sanctum Sanctorum, ſtupendâ & prodigioſa aulæorum ſciſſione. Confer *Hebr.* 10:19,20.

Cùm in adytum ingrederetur ſummus Pontifex die Expiationis, à parte aulæi exterioris Auſtrali introiit, atque Septentrionali interioris; [*Joma* ubi antè.] Jam verò finditur utrumque in ipſo medio, idque à ſummo ad imum.

VERS. 52. *Καὶ πολλὰ σώματα τῶν κεκοιμημένων ἁγίων ἠγέρθη.*

Sciſſionem aulæorum vix terræ-motui adſcribas, ſed peculiari alteri miraculo: cùm terræ-motui magis congruat dura rumpere quàm mollia, petras potiùs quàm cortinas. Petræ ab eo ſciſſæ ſunt eo loci, ubi effoſſa fuerant ſepulchra, ità ut apertæ jam fuerint januæ reſurrectionis, ſolutaque vincula ſepulturæ, & quaſi parata ad reſurrectionem cadavera, cùm *Chriſtus*, primitiæ è mortuis, reſurrexerit.

Inchoandum à reſurrectione mortuorum regnum *Meſſiæ* ſomniârunt *Judæi*, (quod notavimus anteà:) inaniter quidem, quod ad ſenſum ſuum; at, quod ad rem ipſam, non abſque aliqua veritate: nam & à reſurrectione *Chriſti* exſurgit epocha inſignis regni cœlorum, ut diximus antè; (quod & ipſe verbis iſtis innuit, *Matth.* 26:29.) & cum reſurgente eo reſurrexerunt etiam alii non pauci.

Quid illî de reſurrectione in diebus *Meſſiæ* futura ſenſerint, præter ea, quæ antè protulimus, uno hoc exemplo vide & ride.

Hieroſ. Chetubboth, fol. 35. 1. *Juſſit R. Jeremia, Cùm me ſepelietis, induite pedibus meis calceos, & baculum date in manum meam, meque in latus unum reponite, ut cùm advenerit Meſſias ſim expeditus.*

VERS. 54. Ἀληθῶς Θεοῦ υἱὸς ἦν οὗτος.

Id eſt, *Verè Meſſias hic erat.*

Utcunque *Judæi* Filium Dei negant eo ſenſu, quo nos agnoſcimus, id eſt, ſecundam perſonam in Sacroſancta Trinitate; *Meſſiam* tamen pro Filio Dei agnoverunt [non naturâ quidem, ſed adoptione & deputatione: vide *Matth.* 26:63.] ex locis iſtis, 1 *Paralip.* 17:13. *Pſalm.* 2:12. & 89:26,27. atque iſtiuſmodi. Didicerat hoc à gente, verſans inter eam, hic Centurio, viſiſque miraculis, quæ mortem *Chriſti* ſunt comitata, *Meſſiam* eum agnoſcit, de quo talia ac tanta audierat à *Judæis*. Apud *Lucam* verba ejus hæc proferuntur, Cap. 23:47. Ὄντως ὁ ἄνθρωπος οὗτος δίκαιος ἦν, quæ non eadem eſſe cum his, quæ ſub manibus, arbitramur; ſed & hæc ab eo prolata, & illa, *Verè hic homo juſtus erat*; *Verè hic erat Meſſias, Filius Dei*: ejuſmodi ſunt verba iſta *Nathanaëlis*, *Joann.* 1:49. *Tu es Filius Dei, Tu es Rex ille Iſraëlis.* *Petrus*, cùm *Chriſtum Filium Dei viventis* pronuntiat, *Matth.* 16:16. ſublimiori ſenſu hoc profert, quàm agnoverunt, aut noverunt *Judæi*; ut diximus ibi.

CAP. XXVII. VERS. 56.

VERS. 56. Μαρία ἡ Μαγδαληνή.

Magdalenam eandem fuiſſe cum *Maria* ſorore *Lazari*, pluribus aſtruit *Baronius* (*Annal.* ad annum *Chriſti* 32. pag. 147, 148, &c.) quem vide. Satis ex hoc ipſo loco confirmatur: nam, *ſi Maria Magdalena* eadem non fuerit cum *Maria* ſorore *Lazari*, tum aut non affuit *Maria* ſoror *Lazari* ad crucem *Chriſti*, atque ad ejus ſepulturam, aut ſilentio præteritur ab Euangeliſtis; quod utrumque incredibile. Unde *Magdalena* ea dicta fuerit, non adeo clarè liquet: an à *Magdala*, oppido ad lacum *Geneſariticum*, an à voce מגדלא, quæ plicaturam, aut cincinnationem crinium denotat, meretricibus uſitatiſſimam.

Videamus ea, quæ apud *Talmudicos* occurrunt de מרים מגדלא, quam dicunt matrem fuiſſe *Ben Satdæ*.

Babyl. Sanhedr. fol. 67. 1. *Lapidârunt filium Satdæ in Lydda, & ſuſpenderunt eum in veſpera Paſchatis. Hic autem filius Satdæ, fuit filius Pandiræ. Dixit quidem Rabh Chaſda, Maritus* [matris ejus] *fuit Satda, maritus Pandira, maritus Papus filius Judæ: ſed tamen dico matrem ejus fuiſſe Satdam*, מרים מגדלא נשיא, *Mariam videlicet, plicatricem capillorum mulierum: ſicut dicunt in Pombeditha*, סטת דא מבעלה, *Declinavit iſta à marito ſuo.*

Recitantur hæc etiam in *Schabbath*, fol. 104. 2.

Chagigah, fol. 4. 2. *Rabh Bibai, cùm eſſet quondam apud eum Angelus mortis, dixit ad legatum ſuum, Abi*, איתי לי מרים מגדלא שיער נשיא, *Adduc mihi Mariam plicatricem* [capillorum] *mulierum. Abiit, & adduxit* מרים מגדלא דרדקי, *Mariam, plicatricem* [capillorum] *juvenum*, &c.

Gloſſa.

Digitized by Google

C AP. XXVII. VERS. 56, 58.

Gloſſa. *Angelus mortis recitavit quid fecerat anteà: nam hiſtoria hæc de Maria, plicatrice capillorum mulierum, fuerat ſub Templo ſecundo; nam illa fuit mater τȣ N. ſicut dicitur in Schabbath.* Vide Gloſſam ibi ad locum antè citatum.

Gittin, fol. 90. 1. *Eſt qui muſcam in poculo ſuo reperit, atque eximit, & non vult bibere. Eo modo fecit Papus ben Judæ, qui oſtium in uxorem ſuam ſeravit, atque exiit.*

Ubi ſic Gloſſatores. *Papus ben Judæ fuit maritus* מירם מגדלא נשייא, *Mariæ, plicatricis capillorum mulierum; cùmque ille è domo exiret in plateam, oſtium in uxorem ſeravit, nè ea cum quoquam colloqueretur; quod quidem ab eo fieri non oportuit: atque hinc inter eos orta eſt diſcordia; atque ipſa in adulteria prorupit.* Vide *Alpheſium* in *Gittin*, fol. 605.

בן סטדא, Ego *Ben Satda* pronuntio, non ignarus eum à viris doctiſſimis *Ben Stada* vocari. Rationem prolationis noſtræ ex hoc petimus, quòd vocatum eum comperiamus בן סוטדה, *Ben Sutdah* ab *Hieroſolymitanis*, *Sanhedr.* fol. 25. 4. cum quo magis concinit vox *Satda*, quàm *Stada*. Pari conſonantiâ iidem idem oppidum & מגדלא, *Magdalam* vocant & מוגדלא, *Mugdalam*, quod obſervamus alibi.

Prout illi ſub nomine *Ben Satdæ* contumeliam ac opprobrium illidunt in *D. Jeſum*, ità grandis eſt ſuſpicio, eòs ſub nomine מרים מגדלא, opprobrium etiam recognoſcere *Mariæ Magdalenæ*. Titulus iſte, quo *Mariam* ſuam inſignierunt, cum hoc noſtro ità conſonat, ut meritò ambigas, an ea *Magdalena* dicta fuerit ab oppido *Magdala*, an à voce iſta *Talmudicorum* מגדלא. Doctis decernendum relinquimus.

VERS. 56. Ἰωσῆ.

יוסי, Nomen inter *Talmudicos* uſitatiſſimum. *Hieroſ. Jevamoth*, fol. 2. 2. *Quinque vocati ſunt* בי ר' יוסי, *Iſmaël, Lazar, Menahem, Chelpatha, Abdimus.*

Ibid. fol. 4. 3. *R. Joſe ben R. Chaninah*, &c. Vide *Juchaſin*, fol. 61, & 62.

Meritò quæras, quare *Maria* iſta vocetur mater *Jacobi* & *Joſe*, ac non etiam *Judæ*, ac *Simonis*, ut *Marc.* 6: 3.

VERS. 58. Ἠτήσατο τὸ σῶμα τȣ̃ Ἰησȣ̃.

Suſpenſo non permiſſa eſt pernoctatio in ligno, *Deuter.* 21: 23. imò nec pernoctatio abſque ſepultura. *Sanhedr.* cap. 6. halac. 5. כל המלין את מתו עובר בלא תעשׂ: *Quicunque mortuum pernoctare facit inſepultum, violat præceptum prohibitivum. Atqui humatio interfecti à Synhedrio non fuit in ſepulchris patrum ejus; ſed duo ſepulchreta erant parata à Synhedrio, unum occiſis gladio & ſtrangulatis, alterum lapidatis* (qui etiam ſuſpendebantur) *& combuſtis.* Illìc ſepeliendus ex more *Jeſus*, ni *Joſephus* piè audax à *Pilato* imploràſſet, ut honeſtiùs humaretur: quod vix præ ejus odio permiſiſſent Patres Synhedrii, ſi rogati: & tamen ab iis non negabatur honor funerationis eorum, qui ab iis ſunt interfecti; ſi modò vilis ſepultura in dedecus cederet ipſorum familiæ. Ipſi mortuo in melius cedere arbitrabantur, ſi viliùs tractaretur poſt mortem, ſi non deplangeretur, ſi non humaretur, &c. nam ex hac vilificatione aliquid expiationis ei accreſcere ſomniabant, ut vidimus antè. Et tamen, nè hinc vileſceret ejus familia, eâ rogante, conceſſus eſt honor funebris. Vide *Babyl. Sanhedr.* fol. 46. 2. & 47. 1.

CAP. XXVIII. VERS. 1.

C A P. XXVIII.

VERS. 1. Ὀψὲ δὲ τῶν Σαββάτων.

Hieroſolymitanis בפוקי שובא, vulgò במוצאי שבת, *Avodah Zarah*, fol. 44. 4. חדא ערובת שובא, *Veſperâ quâdam Sabbati* (Sabbatum ſcilicet inchoante) *non inventum eſt aliquod vinum intra totam Samariam:* בפוקי שובא, *In exitu autem Sabbati inventum eſt affatim, ex eo quòd attulerant Aramæi, receperantque Cuthæi.* Ὀψὲ totam noctem denotat.

Εἰς μίαν Σαββάτων.

Sic dies hebdomadis numerant *Judæi*.

{ אחד / בחד / תרי } בשבא — *Babyl. Maccoth*, fol. 5. 1. *Adveniunt duo teſtes, dicuntque*, בחד בשבא, *Primâ Sabbati furatus eſt iſte*, &c. ובתרי בשבא, *& ſecundâ Sabbati conſummatum eſt judicium ejus.*

שלישי בשבת. *Virgo ducitur in uxorem die hebdomadis quarto; nam curatur de convivio* שני אחד בשבת, *Die primo hebdomadis.* שלישי בשבת, *Die ſecundo hebdomadis.* בשבת, *Et die tertio hebdomadis. Babyl. Chetubb.* fol. 2. 1.

ברביעי בשבת, *Quartâ Sabbati eum ſegregarunt, qui combuſturus erat vaccam rufam.* Gloſſa in *Parah*, cap. 2.

בחמישי בשבת. *Hieroſ. Megill.* fol. 75. 1. *Inſtituit Ezra, ut Legem publicè legerent diebus Sabbati ſecundo & quinto*, &c. *Inſtituit ille ſeſſionem Judicum in civitatibus diebus ſecundo & quinto.*

Inſtituit etiam Ezra, ut veſtes lavarent בה" בשבת, *quinto Sabbati. Babyl. Bava Kama*, fol. 82. 1.

Sextum diem vulgò vocârunt עבר השבת, *veſperias Sabbati.*

Digitized by Google

CAP. XXVIII. VERS. 1.

Ibid. *Ut veſtes lavarent quinto Sabbati, & cepe comederent veſperiis Sabbati.*

Id. fol. 37. 2. חמישי בשבת וערב שבת ושבת. *Quinto Sabbati*, vel *hebdomadis, & veſperiis Sabbati & Sabbato.*

Diem hebdomadis primum, qui jam in Sabbatum vel Dominicum tranſiit, *Talmudici* vocant יום נוצרי, *Diem Chriſtianorum*, vel *Chriſtianum.*

Babyl. Avodah Zarah, fol. 6. 1. & 7. 2. יום נוצרי לעולם אסור, *Die Chriſtianorum ſemper prohibitum eſt* [*Judæo* cum *Chriſtiano* negotiari]. Ubi ſic Gloſſa. נוצרי, *Nazareus*, vel *Chriſtianus, is eſt, qui errorem ſequitur iſtius viri, qui iis præcepit*, לעשות להם יום איד בא" בשבת, *ut ſibi ſacrum facerent primum diem hebdomadis: &, ſecundùm verba Iſmaëlis, ſemper prohibitum eſt cum iis negotiari tribus diebus ante iſtum diem, & tribus eum ſequentibus; id eſt, nè quidem per totam ſeptimanam.*

Præterire hic non poſſumus verba Gloſſatorum in *Babyl. Rosh hashanah*, fol. 22. 2. *Cupiunt Baithuſæi, ut ſit primus dies Paſchatis Sabbato, ità ut præſentatio manipuli ſit primâ hebdomadis, & feſtum Pentecoſtes primâ hebdomadis.*

Meritò in hunc diem, diem ſcilicet reſurrectionis ſuæ, Sabbatum tranſtulit beatiſſimus *Salvator*, diem quam fecerat Dominus, *Pſalm.* 118:24. cùm jam lapis ab Architectis repudiatus evaſerat in caput Anguli. Nam,

I. Cùm *Chriſtus* conditurus eſſet novum mundum, vel *novam Creationem*, *Eſaj.* 65:17. neceſſe erat, ut institueret novum Sabbatum. Incongruum erat veteris Creationis Sabbatum novæ Creationi.

II. Exordium præcipuè ſumpſit regnum *Chriſti* à reſurrectione *Chriſti*: cùm jam mortem atque inferos deviciſſet. (Fatentur ipſi *Judæi* regnum *Meſſiæ* inchoandum à reſurrectione mortuorum, & renovatione mundi.) Summè ergò conſonum fuit, ut dies iſte, a quo exordium ſumpſit *Chriſti* regnum, in Sabbatum tranſiret, potius quàm vetus Sabbatum, monumentum Creationis.

III. Non inſtitutum eſt vetus illud Sabbatum, niſi poſt datam promiſſionem *Chriſti*, *Geneſ.* 3:15. requieſque Dei die illo ſeptimo præcipuè fuit, in perfecta jam nova Creatione in *Chriſto*, iſta etiam Sabbatica requies erat *Adami*. Perfecto ergò illo, quod tum promiſſum, contuſo ſcilicet capite ſerpentis per *Chriſtum* jam reſurgentem, *Hebr.* 2:14. completoque illo, quod in veteri iſto Sabbato erat figuratum, & commemoratum de perfecta nova Creatione, jure non potuit Sabbatiſmus non transferri in diem iſtum, quo hæc ſunt peracta.

IV. Neceſſe erat, ut daretur Sabbatum *Chriſtianis*, diſtinctum à Sabbato *Judæorum*, ut indè diſtingueretur *Chriſtianus* à *Judæo*. Nam ſicut ſummâ curâ ſub Lege cautum eſt, ut per ritus quoſdam diſtingueretur *Judæus* ab *Ethnico*, ſic ſub Euangelio non diſſimili curâ cautum eſt, partim per rituum iſtorum fugam, partim per morum & rerum diverſarum introductionem, ut diſtinguatur *Chriſtianus* à *Judæo*. Non majori curâ proviſum eſt ſub Lege, ut per Circumciſionem dignoſcatur & ſeparetur ab *Ethnico Judæus*, quàm ſub Euangelio, nè per Circumciſionem *judaizet Chriſtianus*. Quod & meritò proviſum de Sabbato. Cùm enim per Sabbatizationem ſuam, inter alia diſcriminantia, diverſicolores eſſent *Judæi* ab aliis omnibus *Gentibus*, neceſſe erat ut per aliud Sabbatum introductum [cùm ex neceſſitate continuandum eſſet Sabbatum] diverſicolores fierent *Chriſtiani* à *Judæis*.

CAP. XXVIII. VERS. 9.

VERS. 9. Χαίρετε.

Vulgari *Judæorum* Dialecto. איישר, *Hieroſ. Taanith*, fol. 64. 2. *Viderunt Rabbini ſanctum quendam è Caphar Immi, & dixerunt* אישר, Χαῖρε. Vide etiam ibidem *Sheviith*, fol. 35. 2. & 36. 1. מהו שואלין בשלומן של ישראל יישר, *Quomodo ſalutant Iſraëlitam?* יישר. Idem *Gittin*, fol. 47. 3.

Ἐκράτησαν αὐτοῦ τοὺς πόδας.

Videtur hoc fieri in exoſculationem pedum. Sic, 2 *Reg.* 4:27. Nam hoc non inſolitum. *R. Jannai & R. Jonathane conſidentibus, acceſſit homo quidam, atque exoſculatus eſt pedes R. Jonathanis. Hieroſ. Kiddushin*, fol. 61. 3.

Confer hìc Euangeliſtas, comperieſque hoc jam actum à *Maria Magdalena* ſolùm, quæ olim exoſculata fuerat pedes *Chriſti*, quæque bis ad ſepulchrum ſe contulerat, utcunque *Matthæus* de una tantùm profectione mentionem habet. Hiſtoria breviter ſic compingenda. Luceſcente primùm aurorâ, ſurrexit *Chriſtus*, facto tunc terræ-motu magno. A ſuis tunc temporis prodierunt *Magdalena*, reliquæque fœminæ profecturæ ad ſepulchrum. Dum congregarentur illæ, pararenturque omnia, atque iter eæ haberent ad monumentum, jam ortus eſt Sol. Accedentes ab Angelis docentur de reſurrectione ejus, & remittuntur ad Diſcipulos. Nuntiatâ re illis, accurrunt ad tumulum *Petrus* & *Joannes*, poſt quos profecta etiam *Magdalena*. Viſis reſurrectionis ſignis, redeunt illi; aſt ea manet. Reverſuræ adeſt *Chriſtus*, ab ea reputatus pro hortulano. Notum ea veneratur, atque pedes ejus amplexa oſculatur. Et hæc eſt hiſtoria ſub manibus; quam *Matthæus* plurali numero profatur, breviter & compendioſè agens pro more ſuo.

VERS.

Digitized by Google

CAP. XXVIII. VERS. 19.

VERS. 19. Πορευθέντες οὖν μαθητεύσατε πάντα τὰ ἔθνη, βαπτίζοντες αὐτοὺς, &c.

I. Solvuntur jam clauſtra, quibus cohibiti erant Apoſtoli à prædicatione Euangelii ad Gentiles, *Matth.* 10: 5. Nam,

Primò, Privilegia ſua jam amiſerant *Judæi*, nec in populum peculiarem erant à modò reputandi, imò *Lo-ammi* jam facti. Peccatis *Ethnicos* excelſerant: Creatorem, viſibiliter ſeſe oculis ipſorum humanâ carne præſentantem, ſpreverant, conculcaverant, crucifixerant; cùm *Ethnici* de Creatore, quem non viderant, nec videre potuerunt, malè tantùm conceperant, & ſic in cultum creaturæ proruperant. Secundò, Solverat jam *Chriſtus* ſanguine ſuo pretium etiam pro *Ethnicis*. Tertiò, *Satanam* captivos illos detinentem vicerat. Quartò, Parietem intergerinum diſſolverat. Quintò, Juſtitiamque exhibuerat infinitam.

II. Μαθητεύσατε. Id eſt, *Diſcipulos facite.* Introducite per Baptiſmum, ut doceantur. Errant longè, qui ex his verbis Pædo-baptiſmum deprimunt, & neceſſariò docendos eos, qui baptizandi ſunt, aſſerunt antequàm baptizentur. 1. Vide quid hîc textus. Μαθητεύσατε, & dein διδάσκοντες, verſu viceſimo. 2. Inter *Judæos*, itemque inter nos, omnesque gentes, Diſcipuli facti ſunt ii, non qui jam ſunt docti, ſed ideo Diſcipuli facti, ut doceantur. *Babyl. Schabb.* fol. 31. 1. Accedit quidam *Ethnicus* ad *Hillelem magnum*, dicitque גיירייני עמ' שתלמדני, *Proſelytum me fac, ut me doceas.* Proſelytizandus eſt primò, (detur verbo venia) & deinde docendus. Sic Μαθητεύσατε primùm per Baptiſmum, & deinde Διδάσκετε αὐτοὺς τηρεῖν πάντα, &c.

III. Βαπτίζοντες. Varii ſunt fines Baptiſmi. 1. Pro natura Sacramenti inviſibilia viſibiliter docet, id eſt, ablutionem à ſordibus noſtris per ſanguinem *Chriſti*, & mundationem gratiæ, *Ezech.* 36:25. 2. Pro natura Sacramenti eſt ſigillum veritatis divinæ. Sic vocatur Circumciſio, *Rom.* 4: 11. *Et ſignum accepit Circumciſionis, ſigillum juſtitiæ fidei*, &c. Sic *Judæi*, filios ſuos circumcidentes, Circumciſionem ipſiſſimo iſthoc titulo inſignierunt. Verba adhibita, dum circumcideretur infans, habes in *Hieroſ. Beracoth*, fol. 13. 1. Inter alia ſic dicit ille, cùm incubuit actionem benedicere. *Benedictus ſit, qui ſanctificavit dilectum ab utero, & ſignum poſuit in carne ſua*, וצאצאיו חתם באות ברית קדש, *& filios ſuos ſigillavit ſigno fœderis ſancti*, &c. At quonam ſenſu dicenda ſunt Sacramenta ſigilla? Non, quòd obſignent recipienti juſtitiam ſuam; ſed quòd conſignent veritatem divinam fœderis & promiſſionum: ſic ab Apoſtolo dicitur *Circumciſio ſigillum juſtitiæ fidei*, id eſt, ſigillum hujus veritatis & doctrinæ eſſe *juſtificationem per fidem*, quam juſtitiam habuit *Abrahamus*, non adhuc circumciſus. Atque iſte eſt modus, quo Sacramenta confirmant fidem, nempe quia doctrinaliter exhibent inviſibilia fœderis, & doctrinam & veritatem fœderis ex divino inſtituto, ſigillorum inſtar, obſignant. 3. Pro natura Sacramenti recipientes obligat ad articulos fœderis: nam prout fœdus ipſum eſt mutuæ obligationis inter Deum & homines; paris obligationis ſunt Sacramenta, ſigilla fœderis. 4. Pro natura ſua eſt introductorium in viſibilem Eccleſiam. Eſtque, 5. ſignum diſtinctivum inter *Chriſtianum* & non *Chriſtianum*, inter ſcilicet eos, qui *Chriſtum* agnoſcunt & profitentur, atque inter *Judæos*, *Turcas*, & *Paganos*, qui non agnoſcunt. Μαθητεύσατε πάντα τὰ ἔθνη, βαπτίζοντες: cùm ſunt ſub Baptiſmo, non ſunt ulteriùs ſub *Ethniciſmo*, & diſcrimen ponit hoc Sacramentum inter eos, qui ſub Diſcipulatu *Chriſti* ſunt, atque eos, qui non. 6. Privilegia etiam ſua ſecum portat Baptiſmus, dum ad participationem Sacrorum in Eccleſia viam aperit, intraque Eccleſiam Baptizatum reponit, erga quam ſingularior Dei providentia, quàm erga eos, qui extra Eccleſiam.

Et jam ex prædictis arguamus paucis pro Pædo-baptiſmo. Omiſſo argumento iſto, quod vulgò ex verbis ſub manibus compingitur, Infantes ſcilicet, inter omnes gentes baptizatas eſſe connumerandos ut partes familiæ, hæc pauca obſerventur.

1. Baptiſmus, ut Sacramentum, eſt ſigillum fœderis. Et quare, quæſo, non imprimatur hoc ſigillum in infantes? Sigillum veritatis divinæ impreſſum aliquando fuit, idque ex inſtituto divino, in res inanimatas. Iris in nube eſt ſigillum fœderis: Lex in altari inſculpta, *Joſh.* 8. fuit ſigillum fœderis: Sanguis ſparſus in duodecim columnas erectas in repræſentationem duodecim Tribuum fuit ſigillum & vinculum fœderis, *Exod.* 24. Et jam dicas mihi, Quare non capaces pari modo talis ſigillationis ſint infantes? Erant olim Circumciſionis, & non deeſt infantibus noſtris æqualis capacitas. Non amittit finem hunc ſuum Sacramentum ob indiſpoſitionem recipientis: baptizati ſunt *Petrus*, *Paulus*, Apoſtoli: obſignavit eorum Baptiſmus ex natura ſua veritatem Dei in promiſſis de ablutione peccatorum, &c. Atque illi ex doctrinali hac Sacramenti facultate confirmationem fidei receperunt. Et baptizati etiam ſunt *Judas*, *Simon Magus*, hypocritæ, impii: nonne etiam, ex natura ſua, obſignavit eorum Baptiſmus hanc doctrinam & veritatem, *Eſſe ablutionem peccatorum?* Rem ipſam iis quidem non ſigillavit, nec ſignum omninò ipſis fuit de ablutione ſua; at doctrinam iſtam Baptiſmus in ſe ſigillat. Dices veriſſimum eſſe hoc axioma,

CAP. XXVIII. VERS. 19.

ma, *Abrahamus accepit ſignum circumciſionis, ſigillum juſtitiæ fidei.* Nonne hoc æquè etiam verum? *Eſavus*, *Achabus*, *Achazus*, accepit ſignum circumciſionis, ſigillum juſtitiæ fidei? Nonne eadem omnibus circumciſio? Nonne cuicunque tandem adminiſtrata circumciſio veritatem hanc obſignavit, & ſigillavit, eſſe *juſtitiam fidei?*

Vim ſigillatricem *in ſe* habet Sacramentum, & non pendentem *à diſpoſitione recipientis*.

II. Baptiſmus, ut Sacramentum, eſt obligatio. Jam verò obligationis capaces ſunt infantes. Obligantur aliquando à parentibus hæredes, etiam adhuc non nati: vide etiam *Deuter.* 29:11,15. Nam ex æquitate rei illud, ad quod obligatur quis, obtinet jus obligationis, non ex captu obligati. Imponitur omnibus lex ſub hac pœna, *Maledictus omnis, qui non permanſerit in omnibus*, &c. Malè hinc arguitur habilitas hominis ad præſtationem Legis; aſt optimè arguitur æquitas rei: tenemur ad omnia ex officio noſtro, quæcunque Lex præcipit, præſtare non poſſumus nè minimum quidem apiculum.

III. Capax privilegii eſt infantulus æquè ac ſenex [& Baptiſmus eſt privilegialis]. Coronatus in Regem aliquando fuit infantulus in incunabulis. In libertatem cooptari poteſt infantulus, qui natus eſt ſervus Optimè in hac cauſa *Gemariſtæ. Babyl. Chetubboth*, fol. 11. 1. *Dicit Rabh Honna, Proſelytum parvulum baptizant ex præſcripto Conſeſſus.* מאי קם ל, *Unde hoc aſtruitur?* זכות הוא לו, *Ex hoc, quod Baptiſmus ei cedat in privilegium.* זכין לאד שלא בפניו *Et privilegio donant etiam abſentem:* vel privilegio donare poſſunt etiam ignorantem. Dicas mihi tandem, quare capax introductionis in viſibilem Eccleſiam, & ſigni diſtinguentis inter *Chriſtianum* & *Ethnicum*, non ſit infantulus æquè ac ſenex?

IV. Addere licet, infantulum eſſe partem parentis: hinc *Geneſ.* 17:14. infans excidendus, ſi non circumciſus, cùm reverà culpa eſſet parentum; quia ſic puniuntur parentes in parte ſui, per exciſionem filii: atque hinc illud *Exod.* 20:5. *Viſitans peccata patrum in filios*, quia filii ſunt pars patrum, &c. Exoritur hinc etiam genuina Pædo-baptiſmi ratio: baptizandi ſunt infantes parentum baptizatorum, quia ſunt pars eorum, & ut patres toti baptizentur. Hinc meritò baptizatio olim totius familiæ cum patre-familias.

Εἰς τὸ ὄνομα τοῦ Πατρὸς, &c.

I. Imperat *Chriſtus*, ut proficiſcantur baptizatum gentes: at quantùm temporis elapſum eſt ante tale iter. Cùmque jam adeſſet tempus, quo inchoandum hoc opus, non illud aggreditur *Petrus* abſque prævia admonitione cœlitùs ei exhibitâ. Atque hoc indè ortum, quòd ex præſcripto *Chriſti*, *Judæa*, *Samaria*, & *Galilæa*, primùm eſſent euangelizandæ.

CAP. XXVIII. VERS. 19.

II. Imperat ut baptizent *in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti:* aſt illi inter *Judæos* in *nomine Jeſu* baptizârunt ſolùm, quod obſervavimus antè ex *Actor.* 2:38. & 8:16. & 19:5. ideo ut *Jeſum* pro vero *Meſſia*, quod à *Judæis* ſummè fuit controverſum, hoc modo aſſererent baptizantes, atque faterentur baptizati.

Ejuſdem claſſis eſt benedictio iſta Apoſtolica, *Gratia & pax à Deo Patre, & Domino noſtro Jeſu Chriſto.* Ubinam tandem Spiritus Sanctus? Non excluditur, utcunque non nominetur. Faciliùs inter *Judæos* conſenſum eſt de Spiritu *Meſſiæ*, quem illi plurimùm celebrant, quàm de perſona *Meſſiæ*. *Jeſum Nazarenum* præ omnibus aliis abnegant abjurantque. Apoſtolorum ergò erat eò ardentiùs *Jeſum* aſſerere, quò illi acriùs ei adverſarentur. Quo aſſerto, ſine mora & titubatione introducitur agnitio Spiritûs *Chriſti*. *Moſes*, *Exod.* 6:13. omnes Tribus *Iſraëlis* præ ſe ferens numerare, ad *Leviticam* ſolùm pergit, atque in ea moratur, quâcum res ſua, & hiſtoria de præſenti. Pari modo Apoſtoli pro re nata baptizant in nomine *Jeſu*, benedicunt in nomine Patris & *Jeſu*, ut indè doctrinam de *Jeſu* firmiùs ſtabiliant, cui tanta & tam aſpera contradictio; quâ doctrinâ ſtabilitâ, de Spiritu Sancto facillimè eſt concluſum.

III. Inter *Judæos* controverſum eſt de vero *Meſſia*, inter *Gentes* de vero Deo: congruum itaque erat, ut inter *Judæos* baptizaretur in nomine *Jeſu*, quò aſſeratur ille pro vero *Meſſia:* inter *Gentes*, *in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti*, quò ità inſtruantur illæ de vero Deo. Audi hæc, ô *Ariane* & *Sociniane*.

IV. Baptizabant *Judæi* Proſelytos *in nomen Patris*, id eſt, in profeſſionem Dei, quem nomine Patris inſignierunt: Apoſtoli *Judæos in nomen Jeſu*, Filii; Gentes *in nomen Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti.*

V. Revelaverat ſe Pater in Veteri Fœdere; Filius in Novo in carne humana, miraculis, doctrinâ, reſurrectione, aſcenſione; Spiritus Sanctus in donis & miraculis ſuis: ad ſummam ità maturitatem accreverat doctrina de Sacro-ſancta Trinitate, ad aſſequendam cujus agnitionem incubuit omnibus verum Deum, Trin-Unum profitentibus, ut in iſtius nomen baptizarentur.

HORÆ

Digitized by Google

HORÆ HEBRAICÆ
ET
TALMUDICÆ,
IMPENSÆ IN
EUANGELIUM
SANCTI
MARCI.

Præmittitur
DECAS Chorographica,
Loca nonnulla terræ Iſraëliticæ perluſtrans; Et præſertim quorum mentio apud
S. MARCUM.

Digitized by Google

D E O S A C R U M,

Et REGI extruendum eſt ALTARE

Hîc ante veſtibulum, atque offerenda χαριστήρια,
Ob otia hæc literaria; Muſas ſervatas,
Et me meoſque ruina imminenti ereptos,
JEHOVÆ Liberatori, & ſoſpitanti CÆSARI.
Quæ Cæſaris Cæſari, quæ Dei Deo.

ADes viator; atque adſta ſacrificanti unà, & rem meam enarratam audiens, votis tuis mea adjuva, ſacra promove, atque eadem Numina mecum venerare.

Miſericordiam Dei cano, & clementiam Regis, per quas ſervatus ego, ut naufragium non facerem, cùm jam equidem naufragium feciſſem, & nè ædibus pellerer, cùm jam quidem forem pulſus.

Rectoria hæc *Mundoniæ magnæ*, quâ jam à viginti ferè annis retrò, ego fruor, ad Regiam Donationem Conceſſionemque ſpectat, *pleno*, quod ajunt, *jure.* Iſto jure, diſpoſiti hîc antehac à duobus Regibus, fuerunt duo Rectores, eximii nominis, meritorum non vulgarium, & quibus pares pepererunt ſua tempora, non multos. A Sereniſſimo Rege *Jacobo* celeberrimus *Georgius Downhamus*, S.T.D. qui hinc promotus, & tranſlatus eſt ad Epiſcopatum *Durienſem* in *Hibernia:* Atque ei recedenti, à ſereniſſimo Rege *Carolo* ſucceſſor datus, vir egregius *Samuel Wardus*, S.T.D. Collegii *Sidneio-Suſſexienſis*, in Alma Academia *Cantabrigienſi* Præfectus, idemque in eadem Academia Dominæ *Margaretæ* Profeſſor graviſſimus doctiſſimuſque. Huic fatis concedenti ſucceſſi hîc ego, tantis viris, eheu! quam longè diſpar, & infœlix æquè, quòd non eodem jure huc admiſſus, ſed eâ quæ tunc occupaverat omnia, graſſantibus bellis, poteſtate. Non latuit fragilitas fundationis hujus meæ infirmæ, quin quòd, cùm ad jura ſua, felici numine, nutuque, rediret Regia Majeſtas, quâ nunc lætamur, citò deprehenderetur & ſupplicanti cuidam, conceſſa eſt hæc Rectoria, Regali donatione.

Sic naufragamur ego & fortuna mea, & de rebus meis adeò eſt conclamatum, ut nihil aliud mihi jam reſtet, quàm ut ex ædibus & ſedibus hiſce quietis emigrem; in quibus per tot annos ſumma cum complacentia, & dulciſſimo otio literario Muſis litaveram. Aſt erat & aliud, quod acriùs punxit, nempè quod videre mihi viderer, Regiam Majeſtatem mihi indignantem, frontemque iſtam ſuaviſſimâ ſerenitate aliis affulgentem, mihi obnubilatam, corrugatam, triſtem: & bis perire certè eſt, perire irato Rege.

Quid hîc agendum ita coarctato? Sperare non datur, cùm contra me fatale Chirographum ſit jam obſignatum: Deſperare, eſt proprio infortunio ſubſcribere, eſt Regię clementiæ derogare, eſt certæ ruinæ ſuccumbere ſub incerta ſuſpicione. Forſan non indignatur Rex clementiſſimus omninò, nam aquilę non indignantur muſcis. Forſan nec ſerum nimis eſt, nec inane prorſus, remedium vulneri meo quęrere, non adhuc immedicabili; nam non proceſſerat adhuc fatale decretum ultra revocationem. Forſan cauſa mea, Regi optimo, vel eſt prorſus ignota, vel injuſtâ aliquâ querelâ decolorata, & ſolatio eſt, quòd apud *Regem* res mea ſit agenda, non apud vulgarem.

Ad aras igitur Clementiæ ejus, humiliter confugio, ſummiſſâ ſupplicatione orans obteſtanſque, cauſam meam recognoſcat, edictum exitiale reſcindat, & ſtationem meam hoc in loco continuare, & ſtabilire dignetur. Accipe nunc Regis tui ſpecimen,

O *An-*

Digitized by Google

O *Anglia*, & exemplo vel hoc uno diſce, quali Principe glorieris. Excepit ſupplicationem Pater Patriæ ſemper *Auguſtus*, fronte ſerenâ, votis arriſit, Donationem ſuam mihi indulſit, eam ſigillo magno ſanxit, & [quod aureis & immortalibus literis ſcriptum velim] curâ ſedulâ & quaſi paternâ, ſollicitè providit, nè ulteriùs quoquam modo in meum periculum & ruinam procederetur.

O quam te memorem Principum optime, *Auguſtiſſime Carole*, O quam te memorem! Quibuſnam vel elogiis, vel eloquiis, tantam Clementiam, Commiſerationem, Bonitatem, vel celebrem, vel enunciem! Leves ſunt iſtæ obligationes quæ loquuntur, hæ meę ſtupent, ſilent, & admiratione abſorbentur. Vulgarium eſt, beneficia exhibere æqualia verbis; *CAROLI* eſt, obligare ſupra omnem elocutionem.

Addam & aliud, viator, quod & addidit eadem clementia bonitaſque. Cùm enim eandem quam ruri paſſus fueram fortunam, metuerem etiam in Academia, confugeremque iterum ad eaſdem aras, exaudiit Regia benignitas, annuit ſupplicanti, vota rata dimiſit, & ſtationem meam iſthîc etiam firmavit & ſtabilivit.

Verbo omnia, quæ quidem excedunt omnia verba. Quamvis obſcurus ego & nullius nominis, indignus prorſus & nullius meriti, ignotus penitùs Regiæ Majeſtati, & onuſtus forſan neſcio quibus querelis: [nam querela non caruit, quòd hiſce in ſedibus eâ authoritate diſpoſitus fuerim, quâ diſpoſitus fui.] Bis tamen intra binas ſeptimanas, ex gratia Regali Conceſſionem ejus obtinui, manu ſuâ & magno ſigillo *Angliæ* ſancitam. Atque ità hîc eradicatum, me replantavit, alibi eradicandum ſervavit, periculo eripuit, metu liberavit: ità ut jam, æquè ac anteceſſores mei illi digniſſimi, habeam, quo glorier, *Patrono Rege.*

Aſt abſit à me, longè abſit à me indigniſſimo, gloriari: Laudi ſolum tuę cedunt hæc omnia, cedantque ſemper, *Auguſte Clementiſſime.* Glorietur potiùs *Anglia* tali Principe, glorietur Princeps tali clementiâ. Triumpha *Cæſar*, triumpha, magnanimitate iſtâ tuâ jure meritòque. *Carolus* es, atque omnes, miſerendo, liberando, donando, condonando vincis, devincis omnes.

Devinctionem ego iſtam agniturus, omni cum humilitate & gratiarum actione ſemper, & tu parve libelle, voſque leves ſchedulæ, ubicunque volitaveritis, hoc ubique, omnibuſque meo nomine enuntiate. Ut quamvis nihil aliud apud vos ſit dignum quod legatur, hæc tamen profeſſio ſincera mea legatur audiaturque, quòd poſt miſericordiam Divinam, Regali debeo, quòd otio fruor hoc dulci literario, quod ſedibus hiſce quietis, quod re familiari, quod meipſo.

Sic Tibi, O Patriæ Pater, retribuat Pater miſericordiarum, ſeptuplum & ſeptuagies ſeptuplum in ſinum tuum, & ſentias indies beneficium ſuavitatemque benefaciendi, remuneratione cœli. Sic palmam ferat ſemper clementia tua, & fructum ferat ſemper, favorem æternum Clementiæ Divinæ. Sic coronetur *Anglia* quàm diutiſſimè ſuo Rege, & Rex coronetur in ſempiternum, Dei amore, protectione, benedictione, gratiâ, gloriâ.

Vovi Calend. Januar. 1661.

REVE-

Reverendo in Chriſto Patri

D^no. GILBERTO,

Providentiâ Divinâ EPISCOPO

LONDINENSI.

IN manus Sacerdotis tradendum ex lege erat ſacrificium, atque ab eo offerendum: cùmque dignatæ ſint tuæ, Venerande Præſul, Εὐκτικὰ *mea Regiæ Majeſtati offerre, ſupplico jam humiliter, ut dignentur etiam offerre* χαριστήρια.

Primitias fero replantationis meæ, quam mihi indulſit Regalis gratia, intercedente Dignatione tuâ, cùm jam forem eradicatus: nam per gratiam iſtam, ſedibus hiſce redditus, & quieti, & muſis meis, nihil jam ampliùs magiſve in votis habeo, quam ut ſentiat Princeps excellentiſſimus, à ſe non eſſe ingrato benefactum, utcunque indigno, utcunque ignoto: & Dignitas tua, ab ea non pro immemori eſſe interceſſum, utcunque pro immerenti.

Nunquam dilabetur mihi, vir Ampliſſime, quantâ cum comitate & candore exceperit me Dignitas & Dignatio tua in meis anguſtiis, ignotum penitùs à facie, & nunquam anteà viſum: quanto cum ardore cauſa meæ fuerit patrocinata apud Regiam Majeſtatem, apud Honoratiſsimum Angliæ Cancellarium, apud Reverendum Diœceſanum: qualiter pro me conſuluerit, literas ſcripſerit, obicem poſuerit, nè procederet ruina mea ultra reſtaurationem. Quæ omnia dum recognoſco, quod facio ſemper, dumque cum recognitione iſta ſubit hinc obligatio mea, illinc mea tenuitas, hinc quàm ego tanto favore indignus, illinc quàm retributioni omninò impar; quid mihi aliud eſt reliquum, niſi ut ad eandem Humanitatem iterùm confugiam, humiliter implorans, ut quæ me ignotum tam comiter excepit, & tam indignum, excipiat etiam jam tantâ obligatione notum, devinctum, & quas poſſum, maximas gratias agentem? Eas Amplitudini tuæ referendas commiſi hiſce chartulis, indoctis quidem atque impolitis, at quæ ſinceritatem ſecum ferunt, quamvis non eruditionem; gratitudinem, quamvis non elocutionem. Atque hoc ego illis munus demandavi eò magis, quòd eas longè latèque divagaturas puto, & forſan ad poſteros etiam victuras; atque omnibus enuntiatum ab iis cupio, quantum Amplitudini & ſummæ tuæ Humanitati debeat, quantis obligationibus ab ea aſtrictus teneatur, quàmque animo grato atque intimo affectu omnia hæc profiteatur, ac ſit agniturus in perpetuum,

Venerande Antiſtes,

Amplitudinis tuæ

Cliens devinctiſſimus,

JOHANNES LIGHTFOOTE.

DECAS

Digitized by Google

DECAS CHOROGRAPHICA,

Loca quædam terræ Iſraëliticæ perluſtrans;

Ea præſertim quorum mentio apud

S. MARCUM.

CUm mentionem habeat Euangeliſta hic noſter, quem tractandum ſuſcepimus, locorum quorundam in *Canaanitide*, quorum ſitus eſt obſcurior, & à vulgari notitia remotior aliquantùm, penſo meo non adeſſe viderer, ſi iſta inſalutata præterirem, & non aliquâ illuſtratione, quantùm in me eſt, elucidarem: quod hîc in ipſo limine facere, duxi congruentiſſimum, partim ne interſertione harum diſſertationum, filum commentationis, qualis qualis ea eſt, nimis abrumperetur, partimque ut idem hîc facerem, quod feci ante animadverſiones meas ad S. *Matthæum*.

Loca quæ hîc tractantur, hæc ſunt.

I. *Idumæa*, Marc. 3:8.
II. Ἔρημος. 1:4.
III. Γαζοφυλάκιον. 12:41.
IV. Ἡ κώμη ἡ κατέναντι. 11:2.
V. *Dalmanutha*. 8:10.
VI. Ὅρια Τύρου καὶ Σιδῶνος. 7:24.
VII. *Regio Decapolitana*. 7:31.

Atque ut compleatur *Decas*, adduntur

VIII. *Emenſurationes quædam.*
IX. *Loca nonnulla ſparſim notata.*
X. *De aliquibus terræ incolis.*

Quòd in loca alia exſpatiatus fuerim, præter ea apud *Euangeliſtam*, lectoris gratiâ id feci; cui non ingratum futurum ſpero, talia audire, quæ vel ſecum utilitatem aliquam ferunt, vel jucunditatem, vel ſaltem quæ non vulgò audiuntur.

CAP. I.

I. Idumæa. II. *De Peluſio pauca.* III. *Caſiotis*, כס־יה, Exod. 17:16. IV. *Rhinocorura. Arabs notatus.* V. *Avæorum regio, pars novæ Idumææ.* VI. *Tota Simeonitis, intra Idumæam.* VII. *Tota regio Auſtralis Judææ, intra Idumæam.* VIII. *De Palæſtina ſalutari.*

§. I. *Idumæa.* Marc. 3:8.

ERat cùm diſtinctæ non ſolùm forent *terra Iſraëlitica* & *Idumæa*, ſed muro quaſi ferreo disjunctæ armorum & hoſtilitatis: at irrepſit, neſcio quonam modo, *Idumæa* tandem in *Judæam*, etiam vix relicto nomine ſuo domi, ſed abſorpto eo in *Arabia*.

Vera erant quæ *Plinius* dicit, *Nat. Hiſt.* lib. 5. cap. 12. iſto tempore quo ea diceret, *Arabia finitur à Peluſio* LXV. *M. paſſ. Mox incipit Idumæa, & Palæſtina ab emerſu Sirbonis lacûs.* At falleris, O *Secunde*, dicerent ſæcula vetuſtiora; nam *Idumæa* finitur à *Peluſio*, LXV. M. paſ. Mox incipit *Palæſtina* ab emerſu *Sirbonis*.

Straboni debemus, quod rationem tranſmigrationis & gentis, & nominis novimus. Nam ſic ille *Geogr.* lib. 16.

Τῆς Ἰουδαίας τὰ μὲν ἑσπέρια ἄκρα, τὰ πρὸς τῷ Κασίῳ, κατέχουσιν Ἰδουμαῖοί τε καὶ λίμνη. Ναβαταῖοι δ' εἰσὶν οἱ Ἰδουμαῖοι· Κατὰ στάσιν δ' ἐκπεσόντες ἐκεῖθεν, προσεχώρησαν τοῖς Ἰουδαίοις, καὶ τῶν νομίμων τῶν αὐτῶν ἐκείνοις ἐκοινώνησαν.

Judææ extrema Occidentalia, Caſio proxima, Idumæi occupant & lacus [*Sirbonis.*] *Idumæi quidem Nabatæi ſunt: Per ſeditionem autem inde ejecti, Judæis ſe adjunxerunt, & leges eorum amplexi ſunt.*

Omnibus notum eſt, quænam fuerit terra *Edom* vel *Idumæa* apud paginas ſacras Veteris Teſta-

Teſtamenti: at non eadem paginis Novi. Et ſi nomen ſuum retinuerit vetus illa, [quod vix fecit, quin abſorptum foret ſub nomine *Arabiæ*] diſtinctivè tunc nuncupata eſt Ἰδυμαία μεγάλη· *Joſeph. de bello*, lib. 4. cap. 30. *Idumæa minor*, vel *nova*, eſt ea quam quærimus, & de qua Sanctus *Marcus*, pars ſcilicet non parva *Judææ*; ſic nuncupata, vel à vicinitate ad *Idumæam* propriè ſic dictam, vel potiùs ob *Idumæos* eò tranſmigrantes, & eam occupantes, & proſelytos factos legi & moribus Judæorum. Talis erat *Herodes Aſcalonita*. Cùm ergò dicitur ab Euangeliſta, *Quod Jeſum ſequuta eſt multitudo magna, à Galilæa, & à Judæa & Hieroſolymis, & ab Idumæa*; vel de Judæis loquitur, iſtam partem *Judææ* incolentibus, quæ tunc temporis *Idumæa* audiit, vel ſaltem de *Idumæis* qui eam habitârunt, tralati jam in religionem Judæorum. De regione, jam ſub iſto nomine comprehenſâ, dicemus illicò, prementes anteà veſtigia *Plinii* paululùm, à loco quo ille progreſſionem ſuam orditur, nempe à *Peluſio*.

§. II. *De Peluſio pauca.*

Apud *Ezech.* 30:15,16. סִין, *Sin* Interpreti vulgari eſt *Peluſium*: quem ibi ſequitur *Latinus* Interpres *Chaldæi Paraphraſtæ*. Nec immeritò. Nam סין & טין Chaldæis eſt *lutum*. Vide Targ. in Eſaj. 57:21. Et *Pithom* & *Raamſes*, Exod. 1:11. Targumiſtis *Hieroſ.* & *Jonath.* ſunt טנים ופילוסין, *Tanis & Peluſium*. Inde *oſtia Nili Taniticum* & *Peluſiacum* apud *Ptolemæum* & Tabulas. Jam verò regionem, aut locum iſtum, quem Syri & Chaldæi vocârunt סין, id eſt *lutoſum*, Græci *Peluſium* vocârunt, à Πηλὸς, *lutum*. Et *Tanis* à טין derivari quis non videt?

Et hic in gratiam tyronum animadvertere liceat, *Peluſium* apud Talmudicos vocari קפוטקיא, quam quis non illicò interpretaretur *Cappadociam*?

Chetubb. fol. 110.2. & 120.2. נשא אשה בקפוטקיא וגירשה בקפוטקיא נותן לה ממעות קפוטקיא, Nonne quiſpiam ſic redderet? *Si uxorem ducat in Cappadocia, eamque dimittat in Cappadocia, det ei nummum Cappadociæ.* Aſt audi *Rambamum* in locum. קפוטקיא, inquit ille, *eſt Caphtor, vocaturque ab Arabibus* טמיאטי, *Damiata*: quam eandem eſſe cum *Peluſio* omnes nôrunt.

Hinc *Targ. Hieroſ.* & *Jonath.* & Interpres *Syrus* in *Geneſ.* 10:14. pro כפתורים, legunt קפודקאי; aſt Arabs, *Damiatenos*. Et LXX. in *Deuter.* 2:23. pro *Caphtorim exeuntes è Caphtor*, habent Οἱ Καππάδοκες ἐξελθόντες ἐκ Καππαδοκίας.

Targ. in Hierem. 47:4. pro שארית אי כפתור, habet שאר נגוות קפוטקאי, ubi Kimchius. *R. Saadias interpretatur Caphtor* דמיטא, *Damiata.*

Babyl. Bava Bathra, fol. 58.2. כתיב אפיתחא דקפוטקיא אנפק אנבג אנטל, *Inſcribebantur portæ Peluſii hæc verba: Anpak*, &c. Quæ nomina erant quarundam menſurarum, ut innoteſceret omnibus ſecundùm iſtam menſuram emendum ac vendendum eſſe.

§. III. *Caſiotis.*

Pergimus jam à *Peluſio* ad montem *Caſium*. Sic Plinius. *A Peluſio Chabriæ caſtra, Caſius mons. Delubrum Jovis Caſii, Tumulus magni Pompeji*, &c. *De Chabria* vid. *Diodor. Sicul.* pag. mihi 347. *Strabo* ubi antè. *Tabbi Aſiæ* cap. 5.

Diſtabat *Caſius à Peluſio* circiter CCC. ſtad. [*Antonino* XL. M. paſſ.] *Sirboniſque* à *Caſio* XXXVIII. M. paſſ. ſic exurgunt Plinii LXV. M. paſſ. à *Peluſio ad finitam Arabiam.*

Caſius Ptolomæo ſcribitur Κάσσιον & Κασσιῶτις, *Sigma* duplicato, ſic etiam *Dioni Caſſio*, lib 42. qui hanc addit hiſtoriam.

Pompejus ad montem Caſſium interiit, ea ipſâ die quâ quondam de Mithridate & Pyratis triumphaverat: Καὶ εἰς πάντας τοὺς πολίτας τοὺς Κασσίους ἐκ τοῦ χρησμοῦ τινὸς ὑποπτεύσας, &c. *Quumque omnes cives de gente Caſſia, ex oraculo quodam ſuſpectos habuiſſet, à nemine Caſſio inſidiis petitus eſt, ſed ad montem ejuſdem nominis, & cæſus eſt, & tumulatus.*

Torquent Interpretes verba iſta *Moſis*, *Exod.* 17:16. יד על־כס יה: à LXX. reddita Ἐν χειρὶ κρυφαίᾳ πολεμεῖ κύριος, ab aliis omnibus ferè verſionibus in hunc ſenſum, *Manus ſuper ſolium Domini.* Sic Samarit. Syr. Arab. Vulg. & Rabbini, i.e. *Deus juravit.*

Quid ſi כס־יה ſit *Caſiotis*? Nam erat regio iſta, regio *Edomæorum*, ſpeciatim verò *Amalechitarum*, de quibus agit *Moſes* in iſta hiſtoria. Audacter nimis, nolumus à communi omnium ſuffragio recedere, ac modeſtè humiliterque hanc conjecturam proponimus: quæ ſi obtineat, abſque omni ſcrupulo & nodo ſic ibi reddi poſſunt verba in hunc ſenſum, *Manus Domini eſt contra Caſſiotim*, [regionem Amalechitarum, nam] *Bellum eſt Domino cum Amalecho à ſæculo in ſæculum.*

§. IV. *Rhinocorura Arabs notatus.*

Pervenimus jam ad fluvium *Sichor*: *Fluvium Ægypti* dictum, non quòd intra ditiones *Ægyptiacas* foret, ſed quòd *Judæis* foret limes verſùs *Ægyptum*. Ibi olim *Rhinocorura*, unde LXX. in *Eſaj.* 27:12. עד נחל מצרים, *uſque ad fluvium Ægypti*, reddunt Ἕως Ῥινοκορούρων. Eos imitatum arbitror Interpretem *Arabem*, & primitùs ſcripſiſſe כורור, *Corura*; aſt irrepſiſſe tandem pun-

Digitized by Google

punctulum in literam ultimam, atque ita eam ab *r* in *n* mutatam, ita ut jam legamus כורון, Interpret. Lat. *Coronis*.

§ V. *Avæorum regio, pars novæ Idumææ.*

TRanſito fluvio, intramus in *Idumæam novam*, regionem olim *Avæorum*. *Hazerim* Paginæ Sacræ, *Deuter*. 11:24. Interpretibus Orientalibus *Raphiam*. Plin. *Rhinocorura & intus Raphia Shur* etiam aliquando Paginæ Sacræ, atque pro ea, illis *Chagra*. Unde *montis Angaris* nomen, de quo Plin. *Gaza & intus Anthedon Mons Angaris.* Nam dum Syri *Chaggara* pronunciarent, Græci duplex *Gamma* per *n g* efferrent & dicerent *Angara*.

Shur etiam ab Orientalibus aliquando redditur חלוצה, *Chaluzzah:* ut *Targ. Hieroſ.* in *Geneſ*. 16:7. & *Jonath* in *Exod*. 15:22. Arabs *Gerarim* ita reddit, *Geneſ*. 20:1. & Jonath. *Bared*, *Geneſ*. 16:14. *Bared* quidem, quæ *grandinem* ſignificat, *Græcè* reddis χάλαζα: atque an Targumiſtæ Græco vocabulo utantur, cùm reddunt *Chaluzzah*, judicet lector.

Shur, Interpreti *Syro* aliquando eſt שור, *Sud:* ut *Exod*. 15:22. puncto notificativo in litera ultima malè diſpoſito, in *Geneſ*. 16:7. *Shur*, & 14. *Bared* ab eo redduntur *Gedar* pro *Gerar* eodem errore. *Bared* Arabi, ibi eſt *Jared* duobus punctulis ſub litera prima, pro uno tantùm ſubjectis.

Finiebatur *Avæorum* regio, quocunque eam nomine nuncupaveris, ad *Gazam:* protensâ illuc longitudine, à *fluvio Ægypti* 44. M. paſſ. At non ibi terminabatur *Idumæa* quam quærimus, verùm exporrigebatur ea ulteriùs in *Judæam*, totam latitudinem terræ, à Mari Mediterraneo ad *Sodomiticum*, pro protenſione ſua ſub iſto nomine abſorbens.

§. VI. *Tota Simeonitis intra Idumæam.*

ABſorpſit primò totam *Simeonitin*, cujus magna quidem pars concluſa erat intra regionem *Avæorum*, at non parva etiam protenſa ulteriùs in *Judæam*. Memorantur urbes ejus *quatuordecim*, *Joſ*. 19. ſi ſingulatim numeres; & computantur tantùm tredecim, *verſ*. 6. ubi LXX. numerum æquum expediunt, dum שרוחן non pro urbe accipiunt, ſed reddunt οἱ ἀγροὶ αὐτῶν, ac ſi legiſſent שדיהן: ſed videtur potiùs *Sheba* concludi in unam cum *Beersheba*, & ſic æquatur numerus.

§. VII. *Tota regio Auſtralis Judææ intra Idumæam.*

ABſorpſit etiam totam regionem *Judææ* Auſtralem, quæ generaliùs duobus nominibus inſigniebatur דרומא עילאה ותתאה, *ſuperioris & inferioris*. Specialiùs vel diffuſiùs, ut nonnullis *Judæorum* placet, ſeptem: 1. דרום 2. נגב 3. תימן. 4. ים 5. ימין 6. חדר 7. סינינים vel סינים. Et aliquando כרבל הרים. *Hieroſ. Sanhedr*. fol. 18. 4. *Bereſh. Rabba*. §. 52.

Ita ut, cum Pagina Sacra Auſtrum *Judææ* diſterminet ab *Idumæa*, *Numer*. 34. & *Joſ*. 15. rupta jam ſit linea iſta terminationis, & totus Auſter *Judææ* audiat etiam *Idumæa*. Atqui hîc obiter, non poſſum non Interpretem Arabem notare, qui *Edom* in *Joſ*. 15:1. reddit אל רום, *Romam*. Quo jure, ipſe videat, & *Judæi*, qui Romanos vulgò vocant *Edomæos*.

Quantùm ſe intra *Judæam* intruſerit *Idumæa* hæc nova, non eſt definiendum, cùm quidem limites nullos admiſerit, niſi ubi non potuerit, vel vis, vel fraus iſtius gentis ſeipſam ulteriùs protrudere. Si *Joſephum* adeas, hîc illîc de ea loquentem, credas eam ad *Hebronem* ferè exporrectam. Inde forſan conatus iſti quorundam, *Montanum Judææ eximendi à decimatione. Hieroſ. Demai*, fol. 24. 4. Cujus conaminis aliam rationem vix concipere poſſumus, quàm quòd regio iſta jam nimis Ethniciſſarit, & non exigerentur decimæ ab Ethnicis. Nam erant hi Idumæi tantùm non Ethnici; in ritus quidem Judaicos tranſierant, at nec amici Judæorum, nec religionis.

§ VIII. *De Palæſtina tertia, aut ſalutari.*

DUm *Idumæam* hanc novam cogito, ſubit ſuſpicio, an *Palæſtina tertia*, quæ & *ſalutaris* dicitur in Notitia Imperii Orientalis, non intelligi poſſit de ipſiſſima hâc parte *Palæſtinæ*. Et dum illud cogito, ſubit iterum ambiguitas de partitione *Palæſtinæ* in dichotomiam apud *Codicem Juſtinian. & Theodoſ.* & in trichotomiam apud *Notitiam*.

In Edicto Theodoſii & Valentiniani, *Cod. lib*. 1. *tit. de Judæis & cœlic*. § 17. hæc habentur. *Judæorum Primates, qui in utriuſque Palæſtinæ Synhedriis dominantur, vel in aliis Provinciis degunt, periculo ſuo anniverſarium Canonem de Synagogis omnibus, Palatinis compellentibus, exigant ad eam formam, quam Patriarchæ quondam, coronarii auri nomine poſtulabant*, &c.

Mentio *utriuſque Palæſtinæ*, tripartitionem videtur planè excludere, aut ſaltem concludere, Synhedria in tertia parte non fuiſſe: nam tertiam partem abſque omni ſcrupulo exhibet *Notitia Imperii*, apud quam diſponuntur

Sub diſpoſitione viri ſpectabilis Comitis Orientis Provinciæ infrà ſcriptæ

Palæſtina.
Phœnice.
Syria.
Cyprus.
Palæſtina ſecunda.

Palæſtina ſalutaris.

Phænice Libani, &c.

Et Juſtinianus, *Novell.* 103. *Cùm una priùs tota Palæſtina eſſet, ea deinde in tres diviſa partes.*

Primæ caput aſſignat idem Imperator *Cæſaream*. Guillj. Tyrius, *Hieroſolymam*. *De bello ſacro*, lib. 13. cap. 2. Et de ſecunda & tertia non convenit ei & Pancirolo. Nam Metropolis ſecundæ Tyrio eſt *Cæſarea*, & tertiæ *Scythopolis*. Pancirolo ſecundæ *Samaria*, & tertiæ *Hieroſolyma*.

Primam, fide *Juſtiniani*, meritò opineris iſtam fuiſſe, cujus caput *Cæſarea*: ſecundam, ipſa quidem ratio ſuadebit fuiſſe *Hieroſolymitanam*: & ubi tertiam quæras, ego profectò neſcio, ſi non in hâc noſtra *Idumæa*. Diſſimulandum certè non eſt, quòd apud Notitiam Imperii, in ſchemate Præſidiorum Romanorum picturis effigiato, pingitur *Jordanes* inter ea interfluens, quinque hinc diſpoſitis atque octo illinc: ità ut videri poſſit tertiam partem fuiſſe *Trans-Jordanicam*. At verò, an ea partim ſub duce *Syriæ* non ſit ordinanda, aut *Arabiæ*, non hîc diſputabitur; at ſunt quædam quæ tali ſententiæ videntur arridere; partim apud ipſam *Notitiam*, præſertim verò apud authores allegatos.

Si ergò dabitur conjecturæ noſtræ locus de *Idumæa* hâc *nova*, eſt quod reſpondeatur de Synhedriis *utriuſque Palæſtinæ*, non negatâ interim Trichotomiâ. Perpendendum quidem eſt, Synhedria fuiſſe ſub temporibus *Theodoſii & Valentiniani*: erantque olim in *Palæſtina*, cujus caput *Cæſarea*, & in *Palæſtina*, cujus caput *Hieroſolyma*; at non in *Idumæa* iſta de qua loquimur, cujus caput, an ſtatuas *Gazam*, an *Aſcalona*, an *Eleutheropolim*, de qua tam frequenter Hieronymus, & forſitan Beresh. Rabba in ſect. 42. non decernimus.

Mentio quidem occurrit apud Talmudicos de וזקני דרום, & דרומאי, *Rabbinis Auſtralibus*: at non ità dictis, ideò quòd in ultimis partibus *Judææ* Auſtralibus habitarent; nam de *Jafnenſibus* & *Lyddanis* eſt titulus; ſed quòd Judæa ab Auſtro foret Galilææ. Nam *Tiberienſes* illos iſto titulo inſigniunt.

At quænamcunque tandem fuerit *Palæſtina* iſta *tertia*, non minor inſuper emergit ſcrupulus, quare ea vocata *Salutaris*.

Pancirolus vult, à ſalubribus aquis: eaſque *Emmaunte* in Judæa fluere, didicit ille à *Sozomeno*, lib. 5. cap. 21. Fontem ſcilicet ubi Chriſtus lavit pedes Diſcipulorum, *unde aqua*, ut verbis ejus utar, *facta eſt diverſarum medicamen paſſionum.*

At præterquàm quòd fabulam ſatis ſapit iſta hiſtoria, decepit primum ejus authorem, me judice, vox *Emmaüs*, quæ quidem aliquando pro *Ammaüs* ſcribitur, *Thermas* denotante, & vocem *Chammath* in Græcanicam pronunciationem traducente: at vix compererat author hiſtoriæ, quicunque is primus fuit, oppidum Judææ *Emmaüs* apud Judæos ſcriptum חמת, ſed עמאוס, vel אמאוס, longiſſimè à ſignificatione *Thermarum*.

His adde etiam, quòd apud eandem Notitiam eſt mentio *Galatiæ Salutaris*, & diſtinctio *Macedoniæ* & *Macedoniæ Salutaris*, *Phrygiæ Pacatianæ* & *Phrygiæ Salutaris*, *Syriæ Euphratenſis* & *Syriæ Salutaris*. In quibus omnibus locis aquas ſalubres invenire erit difficilius: & exempla quæ de aliquibus earum profert author allegatus, adeò ſquallent incredibilitate, ut ea pudeat poſt illum referre.

Dictas haſce regiones ego mavelim à Cohortibus & Alis Militiæ Romanæ *ſalutaribus*; nam memoratur ab eadem Notitia, *Ala ſaluris*; ut *Ala ſecunda ſalutis* ſub Duce Phœnices, & *Cohors prima ſalutaria* ſub Duce Palæſtinæ: vel fortè Præſidia Romanorum munitiſſima robuſtiſſimaque, & quæ maximè ad ſalutem & pacem totius regionis conduxerunt, erant hic ſita. Et in *Idumæa* hâc noſtra, quam *Palæſtinam Salutarem* vel *Tertiam* ſupponimus, diſpoſiti erant, idque è laterculo majori,

Equites Dalmatæ Illyriciani Beroſaba, vel in *Beersheba*.

Equites Scutarii Illyriciani Chermulæ, vel in *Carmelo*, ubi habitavit *Nabal*.

Equites Promoti Indigenæ Zodecathæ: quam ſuſpicor eſſe *Speluncam Zedechiæ*, de qua Talmudici.

Equites Sagittarii Indigenæ Zoaræ. Sed hæc in medio relinquantur.

Et jam ut illuc redeatur, unde excitata eſt tota hæc diſſertatio, cùm dicitur à S. *Marco*, *Quòd Jeſum ſecuta eſt multitudo magna à Galilæa & Judæa, & Hieroſolymis, & ab Idumæa, & à trans Jordanem*, notam ille & vulgarem tunc temporis terræ Iſraëliticæ partitionem retinet, licèt non iiſdem terminis. Partitio erat in *Judæam* יהודה, & *Galilæam* גליל, & *Trans-Jordanicam* עבר הירדן. *Galilæam* & *Trans-Jordanicam* habet ille in terminis. Et pro *Judæa* in genere, nominat ille partes, *Hieroſolymas*, & *Judæam* ut diſtinctam ab *Idumæa*, & *Idumæam* ut partem meridionalem *Judææ*.

CAP.

CAP. II.

Eremus. *Marc.* 1:4, 12.

I. Ἔρημος *variæ ſignificationis.* II. מדבר יהודה, *Eremus Judæ.* III. *Schema Aſphaltitis, & Eremi Judæ, vel Idumææ adjacentis.* IV. Ἔρημος Ἰουδαίας, *ubi Joannes Baptiſta.* V. Μέλι ἄγριον, *Marc.* 1:6. VI. Περίχωρος τοῦ Ἰορδάνου, *Matth.* 3:5.

IN Eremo nos ſiſtit vox Ἔρημος, adeò variæ ea & dubiæ ſignificationis.

I. Aliquando *agros* vel *rus* tantùm denotat in Antitheſi ad urbem: quod obſervavimus ad *Matth.* 3:1. ubi ſi cui diſpliceat quòd *Seam Eremi* reddidi *Seam ruſticam*, cùm reddi poſſet, & forſan deberet, Seam quâ uſi ſunt Iſraëlitæ cùm caſtrametarentur in Eremo, pro iſto aliud, ſi vult, habeat exemplum.

Schabb. fol. 45. 2. & *Bezah*, fol. 40. 1. אין משקין ושוחטין את המדבריות, *Non potant & mactant pecora Eremi.* [Gloſſ. uſitatum erat pecora potare ante mactationem, ut faciliùs excoriarentur.] אבל משקין את הביתות, *At potant pecora domeſtica. Et hæc ſunt* מדבריות, *Pecora Eremi, iſta quæ exeunt paſtum tempore Paſchatis, et domum redeunt ad pluviam primam*, i. e. menſe Marcheshvan. *Rabba dicit, hæc ſunt pecora Eremi,* כל שרועות אפרב, *nempe omnia quæ paſcuntur in pratis, & ad domos non accedunt.* Gloſſ. מדבריות הבדייתות, *Pecora Eremi ea ſunt quæ foras ſunt in agris.*

II. Vox מדבר, Ἔρημος, regionem campanam denotat, ubi non diſtinguitur ſepibus ager hujus ab àgro illius.

Bava Kama, fol. 79. 2. *Non alunt pecora minutiora in terra Iſraëlitica, at in Syria alunt,* ובמדברות שבאי', *& in Eremis terræ Iſraëliticæ.*

Gloſſ. *Non alunt pecora talia in terra Iſraëlitica, nè depaſcantur agros: agri autem in terra Iſraëlitica ſunt abſque dubio alicujus Iſraëlitæ.* At verò in deſertis paverunt, id eſt, ubi non diſtinguebatur ager ab agro, ſed totum erat communis juris. Hinc intelligas quid denotetur per *deſertum Ziph, Maon, Tekoæ,* &c. nempe regio vel rus, urbibus adjacens, ubi etiam erant ſparſæ domus, præſertim verò, vel *le champagne*, ubi non diſtinctio ſepium, vel montanum, & quod incultius.

III. Non neceſſe eſt loqui de deſertis omninò incultis, & non habitatis, qualia ſunt deſerta *Arabiæ, Lybiæ,* &c.

§. II. מדבר יהודה.

CAchinno forſan excipietur, ſi diſtinguam *Eremum Judæ* ab *Eremo Judææ.* Et riſum quidem merebatur olim talis diſtinctio: at cùm abſorpſiſſet, ut oſtendimus, nomen *Idumææ*, magnam partem *Judææ*, tum non ſolùm tolerandum erat, ſed etiam neceſſarium, ut diſtingueretur inter *Eremum Judæ*, de qua *Joſ.* 15:61. & *titulus Pſalmi* 63. & *Eremum Judææ* ubi baptizavit *Johannes.*

Pſalmi iſtius titulus in fonte Hebræo, ſic ſe habet. מזמור לדויד בהיותו במדבר יהודה, *Pſalmus Davidis cùm eſſet in Deſerto Judæ.* At Græci interpretes reddunt, Ψαλμὸς τῷ Δαβὶδ ἐν τῷ εἶναι αὐτὸν ἐν τῇ ἐρήμῳ τῆς Ἰδουμαίας. Et Vulg. *Pſalmus David cùm eſſet in Deſerto Idumææ.* Non bonos quidem interpretes agentes, at non malos tamen Paraphraſtas. Sic *Hierem.* 9:26. על יהודה ועל אדום, Ἐπὶ Ἰδουμαίαν καὶ ἐπὶ Ἐδώμ.

Si quæras, ubinam fuerit *David* cùm Pſalmum iſtum compingeret: reſpondetur à I *Sam.* 24:1. In eremo *Engaddana.* Sique locum peculiarem ulteriùs inveſtiges, erat illic, ubi poſteà conditum eſt *Maſada caſtellum.* Nam parùm dubito, locum iſtum, prout eum deſcribit *Joſephus*, *de bell.* lib. 7. cap. 31. eundem fuiſſe cum צורי היעלים, *rupibus hircorum ſilveſtrium.*

Provoco hìc Tabulas earumque authores, apud quos *Engedi* & *Maſada* [& *ſpelunca Lothi*] ſtatuuntur non adeò longè ab extrema ora *Aſphaltitis* Septentrionali. Dicant an eò uſque protenſa fuerit *Idumæa.* Si non, corrigant interpretes quos nominavimus. Et quamvis ità, demonſtrent illi quâ authoritate loca iſta ibi ſtatuunt, & me amicè corrigant longè alibi collocantem.

Digitized by Google

§. III. *Schema Aſphaltitis & Eremi Judæ, vel Idumææ adjacentis.*



Extra limites quidem noſtros jam ſumus; at ut ſperamus non extra limites veritatis: verbo ergò uno & altero, ſitus quem locis his attribuimus, ſic confirmatur.

I. In *Geneſ.* 10: 19. ex parallelo ſtatuuntur *Gaza & Sodoma.*

II. *Laſha* eſt *Callirrhoë.* Sic *Jonath.* עד לשע reddit עד קלרהי, *uſque ad Callirrhoën.* Sic & *Bereshith Rabba*, & *Hieroſolymitani*, *ſect.* 37. *Megill.* fol. 71. 2.

Situm ejus habes apud *Plinium*, *Natur. Hiſt.* lib. 5. cap. 17. ab eadem ora qua *Machærus. Proſpicit Aſphaltiten*, inquit ille, *ab Oriente Arabia Nomadum, à Meridie Machærus—. Eodem latere eſt calidus fons medicæ. ſalubritatis Callirrhoë.*

Et jam obſervetur è *Geneſeos* loco allegato, eodem modo quo diſponuntur *Sidon* & *Gaza*, limites ab iſta parte Occidentali, ita & ſtatui *Sodomam & Laſham* ab Orientali, illam à Meridie, hanc ab Aquilone, reliquaſque urbes hoc ordine ſtetiſſe. A *Laſha* verſùs Meridiem *Zeboim*, poſt eam *Admam*, poſt eam *Gomorrham*, & poſt eam in ultima ora Auſtrali, *Sodomam.*

III. Longitudine extenditur *Aſphaltitis*, inquit *Joſephus*, *de bello*, lib. 4. cap. 27. Μέχρι Ζοάρων τῆς Ἀρραβίας. Et *Deuter.* 34: 3. *Moſes* à monte Nebo, *Zoarem* proſpexit ab extremitate terræ ab iſta parte, ſicut extremitates ejus proſpexerat ab aliis.

IV. Engedi eſt *Hazezon Tamar*. Targ. Onkel. in *Geneſ.* 14:7. Vide 2 *Paralip.* 20:2. & *Tamar* erat ultimus limes Auſtralis, *Ezech.* 47: 19. עין גדי תמריירה. *Beresh. Rabb.* lect. 26.

V. *Judææ terminus*, ait Solinus, cap. 38. *erat Maſada Caſtellum; & ipſum haud procul Aſphaltite.* Conf. *Plin.* lib. 5. cap. 17.

Dicit quidem *Joſephus*, *de bello*, lib. 4 cap. 24. hoc Caſtellum fuiſſe οὐ πόῤῥω Ἱεροσολύμων, quod diſpoſitioni iſti, quam ei aſſignamus, videtur adverſari.

At præterquàm quòd litigare liceret de iſta lectione, Hiſtoricis cùm ſit uſitatiſſimum, vocibus οὐ πόῤῥω & ἐγγὺς uti ſenſu latiſſimo & laxiſſimo, vix quicquam ſuper illud ſuperſtruxeris: Sic Solino, ubi antè, *Callirrhoë eſt fons Hieroſolymis proximus*, cùm tamen heu quantum diſtaret! Et Straboni, *Geograph.* lib. 8. *Lechæum* eſt, Λιμὴν τῆς Ἰταλίας ἐγγὺς, cùm tamen diſtaret pluribus milliarium centuriis.

Maſada, Hebraicè eſt מצדה, quæ *Munitionem*

nitionem denotat, idque meritò, cùm Caſtellum illud foret munitum ad miraculum ferè uſque. Deſumitur nomen à 1 *Sam*. 23:14. & 24. ubi LXX. Syrus & Arabs videntur legiſſe מצרה per ר *Reſh*, non ד *Daleth*. Nam illi in loco priori legunt, Ἐν τοῖς στενοῖς: & in poſteriori, Ἐν Μασσερὲμ [alii Μασσερὲθ] ἐν τοῖς στενοῖς. Syr. & Arabs, *Maſroth*; ac ſi legiſſent in fonte במצרות במצרות. Sic *Joſephus*, *Antiq*. lib.6. cap.14. Αὐτὸς [Δαβίδης] μετὰ τῶν σὺν αὐτῷ εἰς τὴν Μασθήρων ἀνέβη στένην.

§. IV. *Eremus* Ἰουδαίας, *ubi Joannes Baptiſta*.

HUc uſque provecti ſumus in *Eremum Judæ* vel *Idumææ*, idque lubentiùs, quòd in ea deſcribenda, deſcripſi etiam aliquam partem *novæ Idumææ*, de qua agebatur Capite antecedente. Jam quærimus Ἔρημον Ἰουδαίας, de qua Euangelia, in hiſtoria Baptiſtæ.

I. Et primùm, ſine obſervatione prætererire illud non poſſumus; quòd *non ſine Prophetica prædictione* ſolùm comparuerit ille primùm, prædicans in Eremo, *Eſaj*. 40: 3. ſed *non ſine myſterio* etiam. Nam cùm mundus Ethnicus frequentiſſimè apud Prophetas vocetur *Eremus*, promittatque Deus ſe magnifica facturum iſti *Eremo*, ſtagna aquarum illìc producturum, fertilitatem omnimodam illuc introducturum, atque horridum deſertum immutaturum in amœnitatem Paradiſi, [quæ omnia ſenſu ſpirituali erant præſtanda per Euangelium] optimè quadrabat hiſce promiſſionibus, ut Euangelium initium ſuum ſumeret in eremo, etiam ſecundùm literam.

II. Natum Baptiſtam ego quidem arbitror *Hebrone*, civitate *Aaronitica*, in montano *Judææ*, Joſ. 21:11. Luc. 1:5,39. ipſum utroque parente *Aaronitam*. Oſtenditur alibi peregrinantibus domus ejus incunabulorum; de qua quære, an *Beth Zacharia*, cujus mentio apud Joſephum, *Antiq*. lib.12. cap.14. & librum primum Maccabaικῶν, Cap.6:33. iſti traditioni non præbuerit fundamentum. Diſtabat ea à *Bethſura*, ut colligere eſt ex eodem *Joſepho*, 70. tantùm ſtadiis aut circitèr: [per quam vocem LXX. reddunt *Bethel* Auſtralem in 1 *Sam*. 30:27.] & an conveniat ſitus, quærat cui talia placent.

Oſtenditur & cellula ejus ulteriùs in eremo, ut dicitur *Judææ*, rupe excisâ, unà cum cubili, & fonte juxta fluente; quæ credulis relinquimus: eremus certè ubi prædicans baptizavit, longè aliàs eſt inveſtiganda.

III. Dicit *Lucas*, quòd *factum eſt verbum Domini ad Joannem in eremo*, καὶ ἦλθεν εἰς πᾶσαν περίχωρον τοῦ Ἰορδάνου. Migravit ille ab eremo in eremum. In eremo, in montano *Judææ* juventutem tranſegerat, ut vir privatus; non ut eremita, ſed in opificio aliquo aut ſtudio verſatus, nec quidquam auſteritatis ſuæ ſibi aſſumens, præter *Naziræatum* ante annum ætatis triceſimum. Tunc invaſit eum Spiritus Prophetiæ, & *factum eſt ad eum verbum Domini*, de functione & munere ejus eum edocens, de victu & veſtimentis inſtruens, & ad locum ubi inchoandum ejus miniſterium dirigens.

Erat iſte locus regio *Hierichuntina*, vel illa quæ inter urbem iſtam & *Jordanem* erat interjecta, & ſic hinc & illinc eodem ſpatio, nec non cis *Hierichunta*, versùs *Hieroſolymas*. Regio, & titulo quem tribuunt Euangeliſtæ, conſonantiſſima, & miniſterio Joannis commodiſſima. Nam

I. Eremoſa ſatis ſuperque erat, ſecundùm quod dicitur, *Venit Johannes prædicans in eremo*.

Spatium, inquit Joſephus, *de bello*, lib. 4. cap. 27. *à Jerichunte ad Hieroſolymas, deſertum eſt & petroſum. Ad Jordanem verò & Aſphaltiten planius quidem, at æquè deſertum eſt & ſterile*.

Et *SalignIaeus*, Tom. 9. cap. 5. *Iter ab Hieruſalem difficillimum eſt, lapidoſum ac aſperrimum, cui ſimile me vidiſſe non memini. Hiericho diſtat à Jordane, decem fere milliaribus*, &c.

II. Diſtinctivè potuit hæc regio dici *Eremus Judææ*, quia aliæ regiones *Judææ* denominationes alias ſuas habuerunt. Ut *Montanum Regale. Planities Auſtri. Planities Lyddæ. Convallis ab Engedi. Betharonis* περίχωρος, &c. *Hieroſ. Sheviith*, fol. 38. 4.

III. Eremoſa adeò, licèt foret regio iſta, multitudine hominum tamen abundavit maximè. Nam præterquàm quòd frequentes hìc illic ſparſæ eſſent in ea villæ. 1. Ipſa *Hiericho* erat urbs *Hieroſolymæ* dignitate proxima. *Hieroſ. Taanith*, fol. 67. 4. 2. Erant ſemper in ea 12000 viri ex *Ephemeriis* ſacerdotalibus. 3. Terebatur aſſiduè via iſta à turba numeroſiſſima, partim inter civitates iſtas itinerantium, partim ex aliis tractibus *Judææ*, itemque ex *Ephraïmitide* in *Peræam* tendentium, & è contrà. 4. Miniſterium ſuum inchoavit *Joannes* circa tempus Paſchatis, cùm turba illac conflueret longè numeroſior.

IV. Commodiſſima erat hæc regio, victui & eſcæ ejus, quoad mel agreſte, de quo pauca.

§. V. Μέλι ἄγριον, *Marc*. 1:6.

CUm toties iteretur in Sacra Pagina, Deum dediſſe populo Iſraëlitico *terram fluentem lacte & melle*; hinc I. concluderes, totam terram ſic fluxiſſe, & II. hinc expectares infinita apum alvearia. At audi quid de his Talmudici.

Hie-

Hieroſ. Biccurim, fol. 64.2. *Dicit* R. Jonah, *Terra fluens lacte & melle, eſt terra cujus aliqua pars fluit lacte & melle.* Et partem iſtam ajunt eſſe in *Galilæa*; nam ſic ajunt, *Per ſedecim milliaria undiquaque à Zippore eſt terra fluens lacte & melle*: de qua re & regione dicturi ſumus alibi.

Biccurim, cap. 1. hal. 15. *R. Joſe Galilæus dicit, Non afferunt primitias è regione quæ trans Jordanem, quia ea non eſt terra fluens lacte & melle.* Et oportuit primitias offerentem, dicere, *Deus dedit nobis hanc terram fluentem lacte & melle, & jam attuli primitias terræ, quam tu, O Domine, dediſti mihi.* Deuter. 26:9, 10.

Quomodo autem fluxit melle, ea pars quæ fluxit?

Diſce à *Rambamo* in locum, ורצה מאמרו ודבש דבש של תמרים, *Cùm dicit, & melle*, inquit ille, *intelligit mel palmarum. Nam palmæ quæ ſunt in planitie & in convallibus, abundant melle admodùm.*

Erat & mel diſtillans à ficubus.

Chetubb. fol. 111.2. *Dicit R. Jacob ben* דוסתאי, *Doſithei, Profectus ſum tempore quodam à Lydda ad Ono ante diluculum, ad talos uſque in melle ficuum.*

Hoc eſt Μέλι ἄγριον, de quo ut victu Baptiſtæ Euangeliſtæ: & quàm commoda huic rei regio *Hierichuntina foret, quæ regio Palmarum audiit, cuivis oculo eſt conſpicuum. Diodorus Siculus*, lib. 19. de gente quadam Arabum hæc ait. Φύεται αὐτοῖς τὸ πέπερι ἀπὸ τῶν δένδρων, καὶ μέλι πολὺ τὸ καλούμενον ἄγριον, ᾧ χρῶνται ποτῷ μεθ' ὕδατος. An & æquè commoda venationi locuſtarum, non dicimus: certè in hac re etiam regioni nulli ceſſit, ſi vel ſterilitas vel fertilitas iſtis gignendis conveniret; nam erat *Hiericho* & regiuncula adjacens ut hortus amœnitatis, in medio deſerti. Commodiſſima certè fuit grandi iſti operi à Baptiſta præſtando, baptizationi in *Jordane*.

§. VI. Περίχωρος τοῦ Ἰορδάνου. *Matth.* 3:5.

Hîc non inutile eſt illud *Borchardi*, cap. 7.26. *Scias quod ab ortu Jordanis ſub Libano, uſque ad ſolitudinem Pharan, ferè per centum milliaria, ipſe Jordanes in utroque littore, campos habet latos & amœnos, qui retro circumdantur altiſſimis montibus.* Cujus rei veritatem, ſi oculi ejus non experti fuiſſent, diſcere potuiſſet à *Joſepho*, qui hæc ait: *de bello*, lib. 4. cap. 27.

Imminet Hierichunti montanum, protenſum, Aquilonem versùs, uſque ad terram Scythopolitarum, & versùs Auſtrum, ad regionem Sodomiticam atque ultimos fines Aſphaltitis: ſalebroſum autem eſt & non habitabile propter ſterilitatem. Ex adverſo procurrit Montanum juxta Jordanem, incipiens à Juliade & regione Aquilonari, & protenſum versùs Auſtrum uſque ad Gomorrha, in quæ terminat Petram Arabiæ. Medium inter duo hæc montana vocatur Μέγα πεδίον, *Magna planities, ab oppido Ginnabri, extenſa uſque ad Aſphaltiten. Longitudine* Mcc. *ſtad. latitudine* Cxx. Καὶ μέσον τέμνεται ὑπὸ τοῦ Ἰορδάνου: *atque in medio interſcinditur per Jordanem.* Planities Jordanis ante everſionem Sodomæ, *&c. Geneſ.* 19. eſt περίχωρος in LXX.

Docent iſta quæ ſit περίχωρος Ἰορδάνου: & adjecta vox πᾶσα ab Euangeliſta, ſuadere poteſt & ulteriorem etiam ripam comprehendi poſſe, præſertim verò, ſi perpendatur quàm nihil ferè diſtantiæ fluvius interpoſuerit. Adeò modicum ſpatium excepit, ut referant Gemariſtæ, *Incendium in hac ripa accenſum ad alteram transvolâſſe*: & ſupponunt aquam ab hac ripa, ad illam poſſe ſpargi in cautione iſta; *Ne accipiat quiſquam aquas purificationis & cineres purificationis, & tranſvehat trans Jordanem: nec ſtet in hac ripa, & ſpargat in aliam. Hieroſ. Buva Kama*, fol. 5.3. *Babyl Jevamoth*, fol. 116.2.

Utcunque: non eâ latitudine fuit fluvius, quin quòd duo ex adverſis ripis ſtantes, potuerint ſe invicem intueri, aliquid ab hac ad illam trajicere, imò & confabulari: & tum cogita, an non & ulterioris ripæ incolæ etiam ad Baptiſtam confluxerint, tam propè eum exiſtentes, & quaſi intra conſpectum.

Diſcutiunt Magiſtri, an *Jordanes* ſit æſtimandus *ut limes* terræ Iſraëliticæ, an *ut ipſa terra*: & occaſio iſtius diſputationis, oritur ex quæſtione alia, nempe iſta; Grex hominis unius ſeparatur & dividitur in duas partes, & paſcuntur iſtæ duæ partes in locis diſtantibus: quæritur, an decimatio habenda ſit ut de grege uno, an duobus? Hinc dilabitur diſcuſſio ad *Jordanem*: una pars gregis eſt cis *Jordanem*, altera trans. Si *Jordanes* ſit æſtimandus pro limite terræ, tum una pars eſt intra terram, altera extra. Si vero ipſe, pro ipſa etiam terra, ſit æſtimandus, tum res ſe habet aliter. Inter alia in hac diſputatione.

Becoroth, fol. 55.1. *Dicit Rabbah Bar bar Channah, dicit R. Jochanan*, אין ירדן אלא מבירת ירחו ולמטה, *Non eſt Jordanes, niſi intus ab Hierichunte & infrà.* Urinatore longè me peritiori opus eſt, ut arcanum hoc petat è fundo. *Jordanes non eſt Jordanes ſupra Jerichuntem*, paradoxum eſt quod ipſos Gloſſatores torquet, me ergo multò magis. Unus ſecundùm meram literam rem intelligit; nam *qui vovet*, inquit, *ſe non bibiturum è Jordane, bibere poteſt ſupra Jerichunta.* Alius de *Jordane* ut limitante, imò ut nominato limite infra *Jerichunta* ſolùm, *Joſ.* 18:20. Rei non immoramur. At ſi limitatio talis *Jordanem* occuparet, ut non eſſet *Jordanes*

Digitized by Google

ſuper *Jerichunta*, eâdem limitatione intelligenda etiam eſt ἡ περίχωρος Ἰορδάνου, ut non ſit niſi infra. Vide LXX. in *Geneſ.* 13:10,12.

Magiſtri hanc rem ventilantes, ex uno ſcrupulo alterum etiam cient, nam hæc inquiunt: *Jordanes effluit è ſpelunca Paneadis, pergit per mare Sibbechæum, per mare Tiberiadis, per mare Sodomæ.* והולך ונופל לים הגדול, *Et pergit & labitur in mare magnum:* ואין ירדן אלא מבירת ירחו ולמטה, *At non eſt Jordanes, niſi intus à Jerichunte & infra.* Demonſtret aliquis mihi ubi fluat *Jordanes* è mari Sodomitico in mare Mediterraneum. Fluvius *Shibor*, *nigrorem* nomine ſuo ferens, pro eo cenſeri poſſet, ſi quis alius; at nec de eo hoc liquet.

Dum turbas vides ad *Joannem* congregatas, & lætanter in *Jordane* baptizatas, abſque metu, abſque periculo; heu! quantum *Jordanes* mutatus ab illo, in hiſtoria iſta *Saligniaci!*

Salign. tom. 9. cap. 6. *Jordanes*, inquit ille, *quo loco Chriſtus baptizatus fuit, ruinoſo ædificio eſt inſignis. Hic ergò flumen ſanctum omnes peregrini ingreſſi, & corpora lavimus & animas; illa à ſordibus, has à peccatis, res ſummi gaudii atque ſalutis, niſi triſtis caſus gaudia noſtra turbâſſet: nam Medicus quidam Gallus, noſtræ ſocietatis, vir probus, cùm flumen paulò longiùs ingrederetur, captus Crocodilo, [Draconem dicas an beſtiam, incertum] abſorptus fuit, non ſine communi fratrum noſtrorum triſtitia.*

Eremus etiam, ubi tentatio Salvatoris Quadrageſimalis, ab eadem *Jordanis* ripa erat, quâ Baptizatio *Joannis*, atteſtante Sancto *Luca*, quòd *Jeſus* jam baptizatus, ὑπέστρεψεν ἀπὸ τοῦ Ἰορδάνου, *reverſus eſt à Jordane*, ab eodem ſcilicet tractu quo illuc perrexerat.

CAP. III.

γαζοφυλάκιον. *Marc.* 12:41.

I. Corbonæ variæ. II. שופרות, *Ciſtulæ Corbanicæ.* III. *Corbona* לשכה. IV. *Ubinam* γαζοφυλάκιον. V. גד יון *in Templo.* VI. *Hieroſolyma, Herodoto eſt Cadytis.* VII. *Plateæ Hieroſolymitanæ.* VIII. *Platea ducens à Templo verſùs Olivetum.*

ILlud quod dicunt Talmudici de rebus aliis nonnullis, *Shevuoth*, cap. 1. halac. 1. *Zebachin*, fol. 54. 2. שתים שהן ארבע, quòd *duæ fuerunt, quæ quidem evaſerunt quatuor*, locum etiam habere poteſt quoad *Corbonas*, vel theſauros ſacros. Duæ fuerunt quoad finem, at quatuor quidem quoad expeditionem in iſtum finem.

§. I. *Shekalim*, cap. 5. hal. 6. Erat *Corbona* לבדק הבית, *ad reſtaurationem* & refectionem ipſius ædificii Templi; & *Corbona* לעבודת המקדש, ad parandum ea quæ neceſſaria erant ad cultum divinum, in Templo. Utraque etiam duplex.

Duplicitatem prioris habes in hac Traditione.

שתי לשכות היו במקדש, *Duo Conclavia erant in Templo:* לשכת חשאים, *Conclave ſilentum*, vel clandeſtinorum, *ubi viri pii obtulerunt clanculùm, unde enutrirentur filii piorum parentum etiam clanculùm.* Id eſt, Eleemoſynas ſecretò contulerunt in pium hunc uſum, ut non innoteſceret quis contulerit. Sunt qui hos חשאים, arbitrantur eoſdem fuiſſe cum *Eſſæis*; de qua re hîc non diſputabitur, nec hunc theſaurum charitativum inter *Corbonas*, de quibus agitur, numeramus, quippe quòd nihil conferret ad res Templi. Sed pergit Traditio.

ולשכת הכלים:, *Et erat Conclave vaſorum, ubi quicunque vas aliquod obtulit, illud projecit. Et poſt triginta dies Theſaurarii Conclave aperuerunt, & quodcunque vas in eo repertum eſt, quod commodum foret ad reſtaurationem ædificii, repoſitum eſt in iſtum uſum: & quodcunque non commodum, vendebatur, & pretium ejus ceſſit* ללשכת בדק הבית, *Conclavi pro reparatione ædificii.*

Advertis ut fuerit *Corbona vaſorum*, vel inſtrumentorum ferreorum, æneorum, argenteorum, &c. & *Corbona nummorum:* utraque in eundem finem, nempe in refectionem ædificii & ſtructuræ Templi & atriorum, ſi quo modo collaberentur, aut malè ſe haberent injuriâ temporis, tempeſtatum aut pluviarum.

Addit *Maimonides in Shekalim*, cap. 4. פרוכת של היכל, *Vela Templi etiam proveniunt è Conclavi pro reſtauratione ædificii; at vela oſtiorum ex Corbona* לשכה, *de qua poſteà.*

§. II. שופרות, *Ciſtulæ Corbanicæ.*

DUplex etiam erat *Corbona*, unde ſuppetiit ſumptus pro rebus ad cultum divinum neceſſariis. Prima erat שופרות, vel *ciſtulæ* quædam, de quibus ſic Magiſtri.

Shekalim, cap. 6. halac. 5. *Joma*, fol. 55. 2. יג שופרות היו במקדש:, *Tredecim arculæ erant in Templo, quibus inſcriptum erat* תקלין חדתין, *Sicli novi*, i. e. anni præſentis: תקלין עתיקין, *Sicli veteres*, vel anni præteriti: קינין, *Turtures*, &c.

Fuſiùs planiuſque *Maimonides*, ubi antè, cap. 2.

In Templo fuerunt tredecim arculæ formatæ inſtar tubarum, id eſt, anguſtiores ſuperiùs, inferiùs dilatatæ.

Prima erat pro Siclis anni præſentis.

Digitized by Google

Secunda erat pro Siclis anni præteriti.

Tertia, ei cui incubuit oblationem adducere duorum turturum aut columbarum, unam pro Holocauſto, alteram pro ſacrificio pro peccato, pretium ejus projecit in hanc ciſtam.

Quarta, ei qui aliàs oblationem debebat ex avibus, pretium ejus projecit in hanc ciſtam.

Quinta, ei qui nummum voluntariè obtulit ad coëmenda ligna pro altari.

Sexta, ei qui nummum obtulit ad coëmendum thus.

Septima, ei qui aurum obtulit pro propitiatorio.

Octava, pro quod ſupererat de ſacrificio pro peccato. Cùm ſcilicet nummum dicaverit quis pro ſacrificio pro peccato, coëmeritque inde ſacrificium, & ſuperſit aliquid, illud projiciat in hanc ciſtam.

Nona, pro quod ſupererat de ſacrificio pro transgreſſione.

Decima, pro quod ſupererat de columbis pro profluvioſis & puerperis.

Undecima, pro quod ſupererat de oblationibus Nazirai.

Duodecima, pro quod ſupererat de ſacrificio leproſi.

Decima tertia, ei qui nummos offert pro Holocauſto è jumentis.

Atque unicuique ciſtæ inſcriptum erat illud cui deſtinatus erat nummus qui in ea reconditus.

In unam harum arcularum minuta ſua duo projecit vidua laudata à Salvatore: ubinam autem iſtæ fuerint ſitæ, quæremus illicò.

§. III. *Corbona*, לשכה.

ERat & conclave, in quo in tres ciſtas evacuabatur quidquid nummi colligebatur in his de quibus diximus, quod Talmudicis vocatur emphaticè & κατ' ἐξοχὴν לשכה, vel τὸ *Conclave.*

Joma, fol. 64. 1. *Tres ciſtæ erant, unaquæque continens tres Seas in quibus evacuant Corbonam, & iis inſcriptum erat* א ב ג. *Et quare, inquit* R. Joſe, *inſcriptum erat Aleph, Beth, Gimel? Nempe ut dignoſceretur quænam inter eas primùm repleretur, ut ea primùm evacuaretur.* R. Iſhmael, *Shekalim*, cap. 3. *dicit, inſcriptio erat Græcè, Alpha, Beta, Gamma.*

Ciſtæ iſtæ de quibus hic agitur, eæ erant, in quas evacuatum eſt è tribus majoribus, quæ ſemper immotæ ſteterunt in conclavi: cujus evacuationis modum accipe à verbis gloſſematis in locum allegatum.

Ciſtæ iſtæ in quibus repoſitus erat nummus, continebant Seas viginti ſeptem, [unaquæque novem] *& copertæ erant linteo. Ingreſſus eſt ille qui evacuaturus erat cum ciſtulis tribus continentibus novem Seas. Replevit primò ciſtulam iſtam cui inſcribebatur* א, *è primâ inter tres ciſtas magnas; & deinde cooperuit eam linteo ſuo. Deinde diſcooperuit ciſtam ſecundam inter magnas, atque ex ea replevit ciſtulam ſecundam cui inſcriptum erat* ב; *& rurſus cooperuit eam. Deinde diſcooperuit ciſtam tertiam è magnis, & ciſtulam replevit cui inſcriptum erat* ג: *ſed alteram non iterum cooperuit,* &c.

De modo porrò & tempore hujus evacuationis hæc Magiſtri.

Shekalim, cap. 3. *Ter in anno*, תורמין את הלשכה *curant de conclavi*, [nam liceat mihi hoc loco ita reddere] id eſt, ut *Gloſſ.* [E tredecim ciſtulis tranſtulerunt quicquid in illis fuerat collectum in tres magnas iſtas quæ in hoc conclavi, ac pariter eas evacuârunt in minores iſtas de quibus anteà] בפרוס הפסח, *A ſpatio ſemeſtri ante Paſcha, ante Pentecoſten, & ante Scenopegiam:* vel *in initio menſis Niſan, & menſis Tiſri, & quindecim diebus ante Pentecoſten.*

Et hîc non poſſumus non verba Gloſſatoris in locum Talmudicum, de quo jam agitur, exſcribere, quippe quòd locum apud Euangeliſtas non parùm illuſtrant.

Publicârunt, inquit ille, *& notum fecerunt, quòd oporteret eos adducere oblationem Domini,* [Hemiſiclum] *illos qui propiùs erant,* [Hieroſolymam] *ad Paſcha, & illos qui remotiùs, ad Pentecoſten, & qui remotiſſimi, ad Scenopegiam.* הלין דקריבי בפרוס פסח והלין דרחיקין בפרס עצרת והלין דרחיקין מנהון בפרוס החג.

Hæc facem præbent hiſtoriæ apud Sanctum *Matthæum*, Cap. 17. de collectoribus *Didrachmæ* vel Hemiſicli, eam exigentibus à Chriſto *Capernaümi*, cùm jam longè prætererierat feſtum Paſchatis: ſed pergimus.

Is qui in conclave ingreſſus eſt, ut ciſtas evacuaret, non ingreſſus eſt cum veſte complicata, nec cum calceis, nec cum ſandaliis, nec cum Phylacteriis, nec cum amuletis, &c. Ratioque erat, ut abeſſet & amoveretur opportunitas ac ſuſpicio ſuppilandi, atque aliquid nummorum ſub his abſcondendi.

Ceſſit nummus indè petitus ad coëmendum ſacrificium juge, & libamina, ſalem, lignum, thus, panes propoſitionis, veſtes Sacerdotum, & verbo uno, quicquid neceſſe erat ad cultum & miniſterium Templi.

Imò *Rabh Aſai*, *Chetubb.* fol. 105. 1. *dicit,* גוזרי גזירות בירושלם, *Judices de rebus raptis qui erant Hieroſolymæ, ſtipendium ſuum nonaginta & novem Manas acceperunt* מתרומת הלשכה, *ex reditu conclavis.*

§. IV. *Ubinam* Γαζοφυλάκιον

RES perquiſivimus, loca jam inveſtigemus.

I. Arculas iſtas tredecim quæ שופרות, vel *Tubæ* dictæ ſunt, in *Atrio mulierum* ſtatuimus abſque

abſque omni hæſitatione : idque fide *Joſephi*, *de bello*, lib. 5. cap. 14. Αἱ δὲ στοαὶ, inquit ille, de atrio iſto loquens, μεταξὺ τῶν πυλῶν, ἀπὸ τοῦ τείχους ἔνδον ἐστραμμέναι πρὸ τῶν γαζοφυλακίων, σφόδρα μὲν καλοῖς καὶ μεγάλοις ἀνείχοντο κίοσιν. *Porticus procurrentes inter portas, à muro interiùs protenſæ ante Gazophylacia, pulchris & grandibus ſuſtentabantur columnis.* His addamus verba Euangeliſtæ, *Joann.* 8: 20. Ταῦτα τὰ ῥήματα ἐλάλησεν ὁ Ἰησοῦς ἐν τῷ γαζοφυλακίῳ. Si dictum foret κατέναντι τοῦ γαζοφυλακίου tantùm, quod ait *Marcus*; de Conclavium aliquo, de quibus diximus, potuiſſet intelligi : quem ſenſum ſequi videtur Interpres Arabs, qui reddit, quod *ſederet Jeſus* ענר באב, *ad oſtium* Gazophylacii. At cùm dicatur, quòd verba iſta locutus eſt Ἐν τῷ γαζοφυλακίῳ, omnimodò Conclavia iſta excluduntur, in quæ Chriſtum ingredi permiſſum fuiſſe, ridiculum foret opinari.

At nota γαζοφυλακίων apud *Joſephum* numero plurali, eumque de atrio mulierum loqui, & minimè dubitaveris eum ſub voce γαζοφυλακίων, reſpexiſſe has arculas: Atque æquè non dubitaveris, *Marcum* eòdem reſpexiſſe, cùm obſervaveris de fœmina apud eum eſſe ſermonem, ut & eam, aliosque nummum injeciſſe εἰς τὸ γαζοφυλάκιον, quod, ut ex his patet quæ ex Talmudicis protulimus, in alias *Corbonas* nec ſolitum, nec permiſſum.

Vocatur quidem hoc atrium vulgò apud Scriptores Judaicos עזרת הנשים, *Atrium mulierum*. non quòd mulieres ſolæ illud ingrederentur, ſed quòd mulieribus non liceret ulteriùs progredi : eodem ſenſu quo Atrium exterius vocatur *Atrium Gentium*, non quòd Ethnici ſoli illud intrarent, ſed quòd iis non liceret porrò pergere. Dictum erat & iſtud vulgatiſſimè הר הבית, *Mons Templi* : ita & hoc de quo agimus, γαζοφυλάκιον.

Cùm itaque dicatur à S. *Marco*, quòd *Jeſus ſedit* κατέναντι τοῦ γαζοφυλακίου, huc redit, quòd ſedit ſub porticu ante quam poſitæ erant illæ arculæ. Et cùm dicit *Joannes*, *Hæc locutus eſt Jeſus* Ἐν τῷ γαζοφυλακίῳ idem eſt ac ſi dixiſſet, Hæc locutus eſt *in Atrio mulierum*: Imò in iſto loco ubi erant iſtæ arculæ, ut diſtingueretur locus iſte ab aliis quæ erant in illo Atrio. Nam in unoquoque iſtius Atrii angulo erat & atriolum, unumquodque nomine proprio nuncupatum, ut patet ex *Middoth*, cap. 7. halac. 5. *Joma*. fol. 16. 1.

II. Situm reliquarum *Corbonarum* de quibus mentionem fecimus inveſtigare, non illud eſt quod jam agitur : nam quod propoſitum eſt ut penſum noſtrum, expedivimus: At hoc, lectoris gratiâ, non monere non poſſumus; A latere Atrii Iſraëlis Aquilonari fuiſſe portam, quæ vocabatur *Porta Corban*: imò collatis verbis Magiſtrorum, videntur fuiſſe duæ portæ eodem nomine, quarum unam ſi aſſignes לשכה ,ה״י, *Corbonæ* iſti, in quam evacuabatur nummus ex tredecim arculis, & alteram לשבת ברק הבית ,ה״י, *Corbonæ* iſti quæ erat in refectionem aut reſtaurationem ipſius ædificii, forſan non aberraveris. *Middoth*, ubi ſuprà, halac. 6. Certè probabiliorem aliquem locum apud Scriptores iſtos non inveneris.

§. V. גד יון *In Templo.*

IN Codice Talmudico *Zavim*, cap. 1. halac. 5. hæc occurrunt, obſcura ſatis: ראה אחד מרובה כשלש שהיא כמין גד יון לשילוח, *Videt unam multiplicatam* [vel continuatam] *inſtar trium, quæ ſunt ſicut à Gad Javan ad Siloam.*

Res de qua agitur, eſt de detectione fluxionis alicujus profluvioſæ. Exempli gratiâ. Detegit quis in ſe talem diſtillationem profluvioſam, jam unam, mox aliam, illico tertiam; diſputatur quanta aut quantilla temporis intercapedo ſit aſſignanda, ut habeatur pro profluvioſitate una aut duplicata, & conſequenter ad quantam aut quantillam oblationem teneatur pro ejus purificatione. Eò ſpectat traditio quam adduximus: nempe, ſi una vice talem fluxionem videat, quæ adeò continuatur, ut trium detectionum ſpatium excipiat, tantum ſcilicet quanto quis ambulare poteſt *à Gad Javan ad Siloamum*, הרי זה זב גמור, *Ecce homo talis eſt completè profluvioſus.*

Docent nos Gloſſatores & Aruch quid fuerit גד יון, *Gad Javan*. Audi ipſos. גד יון, *eſt Phraſiologia deducta à verbis iſtis* הערכים לגד שלחן. [*Eſaj.* 65:11. ubi LXX. Ἑτοιμάζοντες τῷ δαιμονίῳ τράπεζαν. Vulg. *Qui ponitis fortunæ menſam.* Interlin. *Jovi menſam*]. *Et eſt locus ubi Reges Græci erexerunt Idolum : Sicut dicitur in codice Avodah Zarah, In angulo ortum æſtivum ſpectante, Aſmonæi abdiderunt lapides altaris, quod profanaverant Græci, Idolis ſuis.*

An Interpretes autem hi noſtri *Gad Javan* ſupponunt eſſe conclave iſtud ubi latuerunt iſti lapides, ab *Aſmonæis* illìc repoſiti cùm altare reſtaurarent, de quo loco vide, ſi lubet, *Midd.* cap. 1. hal. 6. aut locum ipſum, ubi ſtetit Idolum, quære. At quantum inde ſpatii, quâque viâ inde proceſſum ad *Siloamum*, O utinam definiiſſent. Hoc tantùm de re iſta dicunt, כדי ב׳ טבילות וכשני סיפונין, quod *erat tantum ſpatii, quantum quis ambularet, dum quiſpiam ſe bis in balneo lavaret, & bis ſe abſtergeret.*

In Templo jam exiſtentes non poſſumus non nomen ejus obſervare apud Magiſtros uſitatum

tum בירה, hoc eſt, ut Aruch, *Palatium*. *Ibid.* hal. 8. *Si caſus nocturnus* [vel gonorrhæa] *cuiquam Levitarum obtingeret, egreſſus* והולך לו במסבה ההולכת תחת הבירה *deſcendebat in Crytoporticum quæ ſub Sanctuario deducebatur, ad balneum*, &c. Hæc referuntur de Templo ſecundo. Aſt alibi, cum diſputatur, an homines ſub Templo primo, an ſecundo meliores eſſent, determinat *Rabbah*, *Joma*, fol. 9. *Hoc docere poteſt* בירה שחורה לראשונים ולא חורה לאחרונים, *Birah, quæ adfuit prioribus, aſt non adfuit poſterioribus*. Si per בירה intelligendum eſt ipſum Templum, affuit illud & prioribus & poſterioribus. Si aliqua pars Templi, particularis, affuit ea etiam, ut liquet ex allegatis, poſterioribus. At videtur ex filo diſſertationis, loco citato, quòd per בירה, *Rabbah* non intelligit ipſum Templum, ſed gloriam Templi, & dotes iſtas divinas, *Ignem cæleſtem*, *Arcam*, *Urim*, &c. quæ primo adfuerunt, abfuerunt autem à ſecundo. Nam illicò dilabuntur in ſermonem deceſſatione Prophetiæ ſub Templo ſecundo, & ſuccedente, ejus vice *Bath Kol*. Vox בירה eſt in ore *Davidis*, 1 *Paralip.* 29: 19. לבנית הבירה אשר הכינותי.

§. VI. *Hieroſolyma Herodoto eſt Cadytis.*

SAlutemus & *Hieroſolymam*, idque nomine ſuo glorioſiſſimo *Urbis Sanctæ*. Eodem eam indigitat *Herodotus*, ſi non plurimùm fallamur, ſub nomine *Cadytis*.

Ἀπὸ Φοινίκης, inquit ille, *in Thalia*, cap. 5. μέχρι οὔρων τῆς Καδύτιος πόλιος, ἥ ἐστὶ Συρίων τῶν Παλαιστινῶν καλεομένων.

A Phœnice uſque ad montes Cadytis, quæ eſt urbs eorum Syrorum qui Palæſtini vocantur.

Hieroſolymam ſub hoc nomine ab eo indigitari hæc ſuadent.

I. Vocabatur ea vulgò קדושה, *Sancta*. Moneta Judaica ubicunque diſperſa, hunc titulum urbis enuntiavit. Jam verò cùm Syrorum Dialecto uſitatiſſimum foret ש in ת commutare, quàm facilè erat apud eos, atque apud exteras gentes eos imitantes, *Cadysha*, in *Cadyta* & *Cadytis* tranſire, ut חדשה, *Nova*, in חדתא.

II. Comparat ille *Cadytin* magnæ urbi *Sardis*. Nam Ἀπὸ δὲ Καδύτιος, pergit ille, ἐούσης πόλιος, (ὡς ἐμοὶ δοκέει) Σαρδίων οὐ πολλῷ ἐλάσσονος, *Ab urbe Cadyti, non multò quàm Sardis minori, ut ego arbitror.* Jam verò nulla omninò urbs intra *Palæſtinam* digna erat quæ cum *Sardis* conferretur, nobiliſſima olim Metropoli, præter *Hieroſolymam*.

III. Hæc ille etiam de *Necho* Rege Ægypti, *in Euterpe*, cap. 159. Καὶ Σύροισι πεζῇ ὁ Νεκῶς συμβαλὼν ἐν Μαγδόλῳ ἐνίκησε. Μετὰ δὲ τὴν μάχην Κάδυτιν πόλιν τῆς Συρίας ἐοῦσαν μεγάλην εἷλε. *Necus autem terreſtri acie congreſſus cum Syris in Magdalo, victoriâ potitus eſt: Et poſteà Cadytin magnam Syriæ urbem cepit.*

Quæ ſi conferantur cum hiſtoria ſacra de *Pharaone Necho Joſiam* prælio debellante in valle *Megiddo*, & de throno Judaico diſponente, 2 *Reg.* 23: 33, 34. rem ſtatuunt extra omnem controverſiam.

Pergit *Herodotus*. Ἀπὸ ταύτης [Καδύτιος] τὰ ἐμπόρια τὰ ἐπὶ θαλάσσης μέχρι Ἰηνύσου πόλιός ἐστι τῆς Ἀραβίας. Ἀπὸ δὲ Ἰηνύσου αὖτις Συρίων μέχρι Σερβωνίδος λίμνης. *A Cadyti emporia maritima uſque ad Jenyſum urbem, ſunt Arabiæ; à Jenyſo porrò ad Serbonidem lacum ſunt Syrorum.* Obſcura ſatis, præſertim verò quænam fuerit urbs *Jenyſus*. Memorant quidem Talmudici, *Hieroſ. Demai*, fol. 22. 4. עינוש inter oppida quæ dicunt eſſe בתחום, Ἐν ὁρίοις, ſed non convenit ſitus: at rem non exagitabimus hoc loco.

§. VII. *Plateæ Hieroſolymitanæ.*

Plateæ Hieroſolymitanæ verrebantur indies.
שוקי ירושלם עשוין להתכבר בכל יום.

INde *Nummi qui reperti ſunt in Hieroſolyma coram mercantibus pecora, ſemper ſunt decimæ. In monte Templi reperti, ſunt* חולין, *profani* vel communes. *In Hieroſolyma cæteris diebus anni ſunt communes; at tempore feſtorum, omnes ſunt decimæ. At dicit R. Shemaja, Quanam hoc ratione? Cùm plateæ Hieroſolymitanæ verrantur quotidie. Peſachin*, fol. 7. 1. & *Mezia*, fol. 26. 1.

Gloſſ. *Semper ſunt decimæ, & tempore feſtorum, & tempore non feſtorum. At in monte Templi nummi reperti, erant communes, etiam tempore feſtorum. Nam ſupponitur eos ab iis excidiſſe* [vel perditos fuiſſe] *in monte Templi, atque inde ſunt communes. At quare in Hieroſolyma tempore feſtorum erant decimæ? Et quare non dicitur, quòd ab iis illìc exciderant ante feſtum, ſicut dicimus de monte Templi? Quia plateæ Hieroſolymitanæ verrebantur indies, & ſi illìc perditi fuiſſent nummi ante feſtum, ii qui plateas verrebant, inveniſſent anteà. At monti Templi non opus fuit ut verreretur quotidie, nam lutum & pulvis illìc non hæſit, quia mons erat declivus: atque inſuper non licuit cuiquam illuc ingredi cum calceis ſuis, aut pulvere in pedibus ſuis.*

Omittere non poſſum quæ dicit prætereà.

Plurimùm carnis quæ comedebatur Hieroſolymis [tempore feſtorum] *erat è Decimis* [ſecundis] *Nam vix morabatur quiſpiam illìc donec omnes decimas ſuas comediſſet, at nummos decimarum dedit vel pauperibus, vel amicis ſuis in urbe. Et plerumque nummis decimarum coëmerunt ſibi ſacrificia euchariſtica.*

§. VIII.

Digitized by Google

§. VIII. *Platea ducens à Templo verſùs Olivetum.*

PEſachin, fol. 26. 1. *Rabban Jochanan ben Zaccai*, היה יושב בצלו של היכל, *Sedit ſub umbra Templi, & docuit populum per totum diem.*

Gloſſ. *Cùm Templum fuerit altitudinis centum cubitorum, umbram projecit in longinquum valde, in plateam iſtam quæ erat coram* הר הבית, *Monte Domûs. Atque ideo quòd platea iſta ſpatioſa foret, & magnam hominum multitudinem poſſet continere, Jochanan illic docuit ob calorem. Nam nulla Synagoga potuit continere auditores.*

Platea iſta quæ erat *coram monte Templi*, ſecundum uſitatam loquendi formam, iſta erat per quam pergebatur ad Templum, ad portam Orientalem, de qua platea & populo illic ab *Hezekiah* congregato, prout *Jochanan* auditores ſuos illic congregavit, mentio habetur in 2 *Paralip.* 29:4. Exiit hæc platea in vallem Kidronis per *portam Aquarum*. Et hâc exiit Sacerdos vaccam rufam combuſturus in *Oliveto*. Et hâc introiit magnus Pontifex noſter cum Palmis & *Hoſanna*. Vocatur hæc *Platea Templi*, Ezr. 10:9.

CAP. IV.

Ἡ κώμη ἡ κατέναντι. Marc. 11:1.

I. *Iter Sabbaticum.* II. *Tabernæ in monte Oliveto.* III. פרחץ בית היני. IV. *Migdal Eder propè Hieroſolymam.* V. *LXX. Interpretes notati.* VI. *Pompa offerentium primitias.*

ὍΤε ἐγγίζουσιν εἰς Ἱερουσαλὴμ, εἰς Βηθφαγὴ καὶ Βηθανίαν. Sic etiam *Lucas*; cùm per ordinem hiſtoriæ dicendum potiùs arbitreris, Εἰς Βηθανίαν καὶ Βηθφαγή. Nam in itineratione ſua acceſſit Chriſtus ad *Bethaniam*, atque ibi pernoctavit, *Joann.* 12. & ab oppido iſto perrexerat, jam per ſpatium ferè milliaris, antequam pertingeret ad *Bethphagen*. Et tamen ab iis dicitur iſto ordine, *Ad Bethphagen & Bethaniam*, ut demonſtraretur hiſtoriam intelligendam eſſe, de loco ubi ſe mutuò contingunt *Bethania* & *Bethphage*: *Matthæus* ergo *Bethphagen* nominat ſolam.

Demonſtravimus alibi fuſiùs ex Talmudicis hæc duo, non parum in hujus rei elucidationem facientia.

I. Tractum vel partem unam montis *Oliveti* dictam fuiſſe *Bethaniam*, non ab oppido iſtius nominis, ubi habitavit *Lazarus*, ſed oppidum à tractu iſto ita dictum fuiſſe, tractumque à *dactylis* aut *palmis* illic naſcentibus, בית היני.

II. Nullum fuiſſe omninò oppidum nomine *Bethphage*, ſed tractum alium *Oliveti* ita dictum fuiſſe, ob *groſſos* illic naſcentes בית פגי, vicumque aut plateam extimam *Hieroſolymorum* proximè ei adjacentem, eodem nomine fuiſſe nuncupatam.

Obſervavimus etiam locum iſtum in monte *Oliveti*, ubi ſe mutuò contingerent hi duo tractus *Bethania* & *Bethphage*, diſtitiſſe ab urbe, *itinere Sabbatico*, aut circiter: quod ut ad rem præſentem, quam tractamus, illuſtrandam applicetur, pauca dicantur de tali itinere.

Quouſque extenſi fuerint limites Sabbatici itineris, neminem latet. Et hoc etiam non lateat, emenſuratum fuiſſe iſtud ſpatium undiquaque extra urbes, ut certi ſtatuerentur termini, nec erraretur, & ſigno aliquo evidenti, notatum terminum, nè dubii hæſitarent in re, in quâ ſitum erat apud eos tantùm religionis.

Hæ regulæ Magiſtrorum, de emenſuratione bis mille cubitorum ab unoquoque urbis latere.

Maimon. in Schabb. cap. 28. *Civitatem quæ longa eſt vel quadrata, cùm ei ſint quatuor anguli juſti, ſinunt eſſe ut eſt, & menſurant ei bis mille cubitos ab unoquoque latere.*

Si ſit rotunda, formant ei quadraturam, & menſurant à lateribus iſtius quadraturæ.

Si ſit triangularis, formant ei quadraturam, & metiuntur à lateribus quadraturæ, &c.

Et poſteà. *Non menſurant niſi funiculo quinquaginta cubitorum, eoque de lino.*

Et de ſignis limitum innuitur per Canonem iſtum.

Bezab, fol. 36. 2. *Non equitant ſuper beſtiam* (Sabbato & die feſto.) *Nè ſcilicet exeant ultra limites.* Ubi Gloſſ. *Quia non pedibus ambulat*, אינו רואה את סימני תחומין, *Non videt ſigna limitum.*

Dicitur à S. *Marco*, quòd Diſcipuli duo à Chriſto miſſi, Εὗρον τὸν πῶλον δεδεμένον ἐπὶ τοῦ ἀμφόδου. Liceat conjectari, fuiſſe eo loci, ubi ſtatum erat ſignum itineris Sabbatici ab urbe, ubi ſe mutuò contingerent via Sabbatica ab urbe, & via communis indè in rus.

§. II. *Tabernæ in monte Oliveti.*

TAbernæ *filiorum Chanan*, חניות בני חנן, *vaſtatæ fuerunt, triennio ante excidium Templi. Hieroſ. Berach.* fol. 16. 1.

Babyl. Mezia, fol. 88. 1. *Et quare vaſtatæ ſunt Tabernæ* (חניות של בית הינו) *Beth Heno triennio ante excidium Hieroſolymæ? Quia facta ſua ſtabiliverunt ſuper verba Legis*, &c.

 Gloſſ.

Gloſſ. *Illud quod prohibitum fuit per verba Sapientum, illi permiſſum invenerunt per verba Legis.*

Eadem eſt hiſtoria utrobique: Priori loco nominantur Tabernarii; poſteriori, Tabernarum locus. Tabernarii erant בני חנן, Filii *Chanan*, vel *Jochanan*, [nam Hieroſolymitanæ linguæ, *Chanan* & *Jochanan* ſunt idem.] Locus erat בית היני, *Beth Heno*, quam ego non vereor aſſerere eandem eſſe cum *Bethania*. Ratio audaciæ, duplex eſt. I. Quia Talmudici *Bethaniam* vocant בית חיני, *Beth Hene*, ad quam quàm prope accedit *Beth Heno?* II. Quia aperta apud eos eſt mentio *Tabernarum in monte Oliveto.*

Hieroſ. Taanith, fol. 69.2. *Duæ cedri*, inquiunt, *erant in monte Oliveto: ſub una earum erant quatuor tabernæ, ubi vendebantur omnia ad purificationes neceſſaria. Ex altera earum produxerunt quadraginta Seas columbarum unoquoque menſe, unde ſuppetebat fœminis purificandis.* Quatuor tabernæ ſub una, & quot ſub altera, unde tot columbæ? Aut aliam aliquam ergo villam oſtende inter oppidum *Bethaniam* & primam fimbriam τῆς Βηθφαγῆς, aut permitte credere hanc eam fuiſſe ad quam miſſi ſunt duo Diſcipuli, & quæ, tunc cùm mitterentur, erat κώμη ἡ κατέναντι ὑμῶν: aut villam ſcilicet ex variis iſtis tabernis ſolis conſtantem; aut villam cujus pars erant iſtæ tabernæ.

§. III. מרחץ בית היני, *Lavatorium Bethanienſe.*

IGnoſce vocabulo ex neceſſitate ficto, ne ſi *Balneum* vel *Lavacrum* dixiſſem, ſenſum rei, ea nimium coarctarent. Erat locus iſte de quo agimus, ſtagnum aliquod, aut collectio aquarum, ubi lavari eſt ſolitum, & convenit optimè cum iis quæ antè dicta ſunt de purificationibus. Hic ſe lavare poterant immundi aut immundæ, atque illicò coëmptis in tabernis propinquis, quæ ad purificationem erant neceſſaria, ad *Hieroſolymas* ſe conferre, & purificari in Templo.

De hoc loco lotionis, qualiſcunque fuerit, loquuntur *Gemariſtæ* in hiſtoriola iſta; *Babyl. Cholin*, fol. 53. 1. דרס שועל רחל במרחץ בית היני, *Dilaceravit vulpes ovem ad Lavatorium τῆς Beth Hene, & adducta eſt cauſa coram Sapientibus, & illi dixerunt* אין דרוסה, *Non eſt dilaceratio. Beth Hene* non dubitamus eſſe *Bethaniam*. Et cauſa hæc eſt inde adducta coram Sapientibus *Hieroſolymæ*, ut ii edocerent an de cadavere iſtius ovis liceret veſci, cùm prohibita foret comeſtio beſtiæ dilaceratæ. Diſtinctionem eorum inter נריפה & דריסה, vide ſi lubet loco citato, ubi fuſè eam diſcutiunt.

Loquuntur peregrinantes, de ciſterna prope *Bethaniam oppidum, juxta quam oſtenditur in campo locus ubi Domino Bethaniam venienti occurrit Martha:* verba ſunt *Borchardi* Monachi. An res ipſa, cum hac de qua loquimur, conveniat, in incerto eſt relinquendum.

§. IV. *Migdal Eder*. מגדל עדר

OCcaſione horum locorum à Talmudicis nobis patefactorum, non poſſum non alium ex iisdem etiam obſervare, ab alio urbis latere, non longiùs ab urbe diſtantem, quàm iſte de quo egimus, ſi modò diſtabat tam longè. Eſt ille *Migdal Eder*, vel *Turris gregis*, alia ab iſta, de qua mentio, *Geneſ.* 35:21.

Hieroſolymitani de hac noſtra ſic in Kidd. fol. 63.1. בהמה שנמצאת מירושלם ועד מגדל עדר יכל רוח, *Jumenta quæ reperiuntur ab Hieroſolymis uſque ad Migdal Eder, ab unoquoque latere*, &c.

Babyl. Kidd. fol. 55. 1. *Babylonici*, pleniùs, *Jumenta quæ reperiuntur ab Hieroſolymis uſque ad Migdal Eder, atque eodem ſpatio ab unoquoque latere, maſcula, ſunt holocauſta, fœminea, ſunt ſacrificia pacifica.*

Agitur eò loci & diſputatur à Magiſtris, an liceat fœminam deſponſare, oppignoratâ in rei fidem re ſacratâ. Et de jumentis repertis inter *Hieroſolymam*, & *Migdal Eder*, atque eodem ſpatio undiquaque circa *Hieroſolymam*, concludunt, reputanda ea pro ſacratis. *Quippe quod*, ut Gloſſ. *ſupponi potuit, ea ex Hieroſolymis fuiſſe evagata, plurima enim jumenta inde exeuntia erant ſacrificanda.*

Non diſſimilem traditionem habent, ut diximus antè, de nummis repertis intra *Hieroſolymam. Bava Mezia*, fol. 26. 1. *Nummi qui reperti ſunt in Hieroſolyma coram mercantibus pecora, ſemper ſunt decimæ*, &c.

At ad rem noſtram. E verbis allegatis elicimus, fuiſſe turrim vel locum nomine *Migdal Eder*, modico admodùm ſpatio à *Jeroſolyma*, eumque ſitum à latere urbis Meridionali. Modico, inquam, ſpatio ab *Hieroſolyma:* nam gravamen fuiſſet incolis urbem circùm habitantibus non ferendum, ſi errabundi quâvis occaſione boves eorum, aut pecora, atque in vagatione ſua deprehenſa, illico tranſirent in ſacrata, nec ampliùs eſſent de proprio jure poſſeſſoris. At videtur hæc turris adeò vicina urbi ſita, ut nullum intra illud ſpatium foret oppidum, undiquaque. Dicimus etiam turrim iſtam fuiſſe ab ora urbis Meridionali: idque fide dicam, an errore LXX. Interpretum?

§. V.

Digitized by Google

§. V. LXX. *Interpretes notati.*

Ænigma hîc tibi ſolvam, Lector, apud LXX. in *Geneſ.* 35.

APud *Moſen* ſic ſe habet hiſtoria *Jacobi* iſto in loco. Profecti ſunt à *Bethele*, cùmque jam foret ſpatium exiguum ad *Ephratham*, peperit *Rachel*, &c. Et poſteà: *& profectus eſt Iſraël, & tetendit tabernaculum ſuum trans turrim Eder.*

Ordinem hiſtoriæ invertunt LXX. & caſtrametationem Jacobi *trans Migdal Eder* ſtatuunt ante acceſſionem ejus ad locum ubi mortua eſt *Rachel.* Ità enim illi. Ἀπάρας δὲ Ἰακὼβ ἐκ Βαιθὴλ, ἔπηξε τὴν σκηνὴν αὐτοῦ ἐπέκεινα τοῦ πύργου Γαδέρ. Ἐγένετο δὲ ἡνίκα ἤγγισεν εἰς Χαβραθὰ τοῦ ἐλθεῖν εἰς τὴν Ἐφραθὰ, ἔτεκε Ῥαχὴλ, &c.

Subolet mihi, ni fallat conjectura, ordinem hiſtoriæ eos invertiſſe, intentis oculis in iſtam *Migdal Eder*, quæ viciniſſima *Hieroſolymis.* Nam proficiſcenti *Jacobo* à *Bethele*, ad locum ſepulturæ *Rachelis*, prætereunda primùm erat arx iſta, priuſquam ad locum illum perveniretur; cùmque *Jacobus* in itinere ſuo tenderet ad Auſtrum, ab ea urbis ora fuiſſe turrim iſtam eſt veriſimillimum.

Erat quidem *Migdal Eder* prope *Bethlehemum*, erat & hæc prope Hieroſolymam, & erant forſan plures ejus denominationis in terra *Iſraëlitica*. Nam ut vox ipſa *Turrim Gregis* denotat, ſic videntur turres iſtæ exſtructæ fuiſſe, in cuſtodias gregum, ut ſcilicet illic in promptu eſſent paſtores, etiam nocte, atque in promptu paſtoribus eſſent tela, queis greges tutarentur non à feris ſolùm, ſed à latronibus. Et in hunc ſenſum ſumendam eſſe arbitramur Phraſiologiam iſtam מגדל נוצרים, *Turris cuſtodientium* in locutione iſta ממגדל נוצרים עד עיר מבצר, *A Turre cuſtodientium ad civitatem munitam,* 2 *Reg.* 17:9. & 18:8.

Hinc Targumiſta *Jonathan*, ut *Migdal Eder Bethlehemiticam* ab aliis omnibus diſtinguat, verba *Moſis* ſic παραφράζει. *Et profectus eſt Iſraël, & tabernaculum ſuum tetendit trans Migdal Eder, locum unde revelandus eſt Meſſias in fine dierum.* Quæ optimè conveniunt cum hiſtoria *Luc.* 2:8. De eadem an loquatur *Michæas*, Cap. 4: 8. quære.

§. VI. *Pompa offerentium primitias.*

EGimus de locis propinquiſſimis urbi, excitatâ nobis earum mentione à triumpho Chriſti aſino inſidentis, & acclamantis populi: excitant & hæc memoriam pompæ illius, quæ primitiarum adductionem comitata eſt, à locis etiam urbi vicinis. Eam habe verbis Magiſtrorum.

Biccurim, cap. 3. *Qualinam modo adduxerunt primitias ſuas? Omnes urbes* שבמעמד *quæ erant unius ſtationis* [i.e. ex quibus prodiit una ἐφημερία Sacerdotum] *collectæ ſunt in urbem ſtationariam, & pernoctarunt in plateis. Manè is qui primus inter eos fuit, dixit, Exurgite, aſcendamus ad Zionem, ad domum Domini Dei noſtri.*

Bos anteceſſit ante ipſos, cornibus deauratis, & coronâ in capite oleaginâ. [Gloſſ. Bos iſte erat in ſacrificium pacificum] *Cecinit & tibia ante eos uſque dum appropinquarent Hieroſolymæ. Cùm appropinquatum foret Hieroſolymæ, coronârunt primitias ſuas* [i.e. ſpecioſas quantum fieri potuit, conſpectui expoſuerunt.] *Et prodierunt in occurſum iis Primates & ſummi Officiarii, & Theſaurarii Templi, idque in honorem accedentium:* וכל בעלי אומניות, *Atque omnes opifices in Hieroſolyma exurrexerunt iis* [in officinis ſuis] *atque eos ſalutârunt hoc modo, O fratres noſtri incolæ urbis N. grati adveniſtis.*

Tibia coram iis cecinit uſque dum perventum foret in montem Templi. Cum perventum foret in montem Templi, אפי׳ אגריפס המלך, *Etiam ipſe Rex Agrippa caniſtrum ſuſcepit in humerum ſuum, & progreſſus eſt dum perveniret ad Atrium. Cùm perveniret ad Atrium, Levitæ occinuerunt, Exaltabo te, Domine, quia exaltâſti me, & non lætificâſti inimicos meos de me.* Pſalm. 30:1. *Dum adhuc caniſtrum eſt in humero ejus, recitat Periochen iſtam,* (Deuter. 26:3.) *Profiteor hodie Domino Deo meo*, &c. R. *Judah, dicit. Cùm hæc verba recitat, Aramæus periturus erat pater meus*, &c. verſ. 5. *demittit caniſtrum ab humero, & labiis tenet, dum Sacerdos illud huc illuc agitat: Recitatâ totâ periochâ* ad verſ. 10. *caniſtrum diſponit juxta altare, & adorat & exit.*

CAP. V.

Dalmanutha. Marc. 8:10.

I. *Schema Maris Geneſaritici & locorum adjacentium.* II. בית דאלמנותא, *Zalmon. Inde Dalmanutha.*

MAtth. 15:39. Ἦλθεν εἰς τὰ ὅρια Μαγδαλά.

Marc. 8: 10. Ἦλθεν εἰς τὰ μέρη Δαλμανουθά.


Una eademque eſt hiſtoria, atque una eademque iſta regio: at nomina *Magdala* & *Dalmanutha* non ita confundenda, ac ſi urbs *Magdala* vocaretur etiam *Dalmanutha*; ſed ſupponenda eſt *Dalmanutha*, fuiſſe locum aliquem

Digitized by Google

quem particularem intra limites *Magdalenſes*. Obſervo Interpretem Arabem editum in Bibliis Polyglottis *Londinenſibus*, pro *Dalmanutha* apud *Marcum*, legere *Magdalam*, prout eſt apud *Matthæum*: ſenſu non falſo, ſed interpretatione non vera. Aſt Arabs editionis *Erpenianæ*, legit *Dalmanutham*. *Annotat Eraſmus*, inquit *Beza* in locum, *quendam Græcum Codicem habuiſſe Magdala. Auguſtinus autem ſcribit, pleroſque Codices habuiſſe Mageda. Sed in noſtro vetuſtiſſimo, & alio præterea Codice, pro* εἰς τὰ μέρη Δαλμανουθὰ, *ſcribitur* εἰς τὰ ὄρια Μαδεγαδά.

Si nomen & ſitus *Magdalæ* apud Talmudicos, Interpretibus hiſce fuiſſent nota, vix puto, in tot incertitudines impegiſſent. De ea fusè & planè egimus alio volumine, ex iſtis authoribus. Ex iiſdem, ni hallucinemur, aliquid etiam erui poteſt, quod lucem præbeat textui *Marci* de *Dalmanutha*. Quam rem priuſquàm aggrediamur, non ingratum forſan lectori fuerit, ſi mare Geneſariticum, locaque ei adjacentia, ſecundum ſitum eorum, quem ex Scriptoribus Hebræis colligimus, delineatione aliqua, rudi licèt, deſcribamus.

§. I. *Schema Maris Geneſaritici, & locorum adjacentium.*



Collatâ hâc Tabellâ meâ cum aliis, cùm eam tam grandi differentia in diverſum ire videris, expectabis ut ſitum locorum probè probem & illuſtrem, aut tulero ignominiam. Id feci, ni fallat ſententia, jam pridem in Capitibus quibuſdam in Centuria Chorographica. Summam totalem paucis lineis hic expediam.

I. *Chammath ſic dicta eſt propter Thermas Tiberiadis, à qua tantillum diſtabat, ut quoad iter Sabbaticum Tiberienſes & Chammathenſes conſtituerent civitatem unam.* *Megill.* fol. 6. 1. *Hieroſ. Erubbin*, fol. 23. 4. *Hieroſ. Kiddush.* fol. 64. 3. *Hieroſ. Shev.* fol. 36. 3.

Vocatur חמתא גדר, *Chammath Gadaræ*, non ſolùm ut diſtinguatur ab חמרת דפחל, *Chammath Pellæ*, id eſt *Callirrhoë*, ſed quòd pars etiam ejus condita foret in Ripa *Gadarena*, ut & pars altera in ripa *Nepthalitica*, vel *Tiberienſi*, interjacente ponte: quod oſtendetur illicò.

Tiberias ſtetit contigua mari, *nam ab uno latere mare erat ei pro muro.* *Megill.* ubi ſuprà.

Geneſaritis erat locus vicinus Tiberiadi, ubi horti & paradiſi. Verba ſunt *Aruch*.

Capernaumum collocamus intra regionem *Geneſaritin*, fide Euangeliſtarum, *Matth.* 14: 34. & *Marc.* 6: 53. collatorum cum *Joann.* 6: 22, 24.

Joſeph.

Digitized by Google

Joſephus, in vita ſua. *Tarichæa* diſtabat *Tiberiade* 30. ſtad. *Bethmaus* 4. ſtad.

Magdala erat ultra *Jordanem*, nam vocatur מגדל גדר, *Magdala Gadaræ*. Et illud quod à Talmudicis dicitur, *Hieroſ. in Erubb.* ubi antè. *Licuit Gadarenſibus, permittente R. Juda Naſi, deſcendere in Chammatham Sabbato, atque eam perambulare uſque ad vicum extimum, uſque ad pontem:* ab ipſis ibidem exprimitur & explicatur, *Quòd Magdalenſes, permittente R. Juda Naſi, aſcenderunt in Chammatham*, &c. E qua una traditione elicias, I. *Magdalam* fuiſſe in ripa *Gadarena*. II. Non diſtitiſſe à *Chammatha* ultra iter Sabbaticum. III. Ab iſta ſcilicet parte *Chammathæ* quæ condita erat ab eadem ripa *Gadarena*, per quam porrectum eſt ad pontem ſupra *Jordanem*, qui eam junxit parti alteri in ripa Galilææ.

Joſephus, in vita ſua. *Diſtabat Hippo Tiberiadi* 30. ſtad. Qua cum menſura confer hæc quæ dicuntur de *Suſitha*, quam eandem eſſe cum *Hippo*, & vocum notatio, & alia evincunt.

Bereshith Rabb. ſect. 31. *R. Juda* dicit. *Monoceros non intravit in Arcam Noachi, ſed catuli ejus intraverunt. R. Nehemiah* dicit, *Nec ipſe, nec catuli ejus intraverunt, verùm Noachus eum alligavit ad Arcam*, והירה מתלים תלמיות, *atque is ſulcavit ſulcos in undis* כמין טבריה לסוסתא, *per quantum ſpatii eſt à Tiberiade ad Suſitham.*

Et rursùs, *ibid.* ſect. 32. *Arca Noachi natavit ſuper aquas ſicut ſuper duo tigna* כמין טבריה לסוסיתא, *per quantum ſpatii eſt à Tiberiade ad Suſitham.*

Diſtabat *Gadara* Tiberiade, ſexaginta ſtadiis *Joſephus*, ubi antè.

Idem, de bello, lib. 2. cap. 13. *Bethſaida* erat in τῇ κάτω Γαυλανιτικῇ, trans Jordanem in *Batanæa*: oſtenditur ea peregrinantibus ad littus *Geneſaritici* maris in Galilæa; atque inde hauſtus error tabularum. Audi *Biddulphum* noſtratem, qui loca iſta inviſit circa annum 1600, Anglicè quidem loquentem, at quem Latio ſic donamus.

Martii 24. *equitavimus juxta mare Galilææ, quod* Joann. 6. *binomium eſt, mare ſcilicet Galilææ & Tiberiadis: Galilææ, quia eſt in Galilæa; & Tiberiadis, quia juxta illud condita erat urbs Tiberias: itemque Bethſaida urbs alia antiqua. Ambarum vidimus aliquas mœnium ruinas. Dicitur autem in iſto capite* Joann. 6: 1. *quòd Jeſus transfretavit mare Galilææ. Atque alibi, quòd abiit trans lacum. Et* Luc. 9: 10. *dicitur quòd diſceſſit in locum deſertum vicinum urbi Bethſaidæ. Quem textum Joannis, ego intuendo meliùs intelligere didici, quàm unquam potui legendo. Nam cùm Tiberias & Bethſaida forent ambæ ab eodem littore maris, abieritque Chriſtus à Tiberiade, ad, vel propè Bethſaidam; inde ego colligo, quòd Salvator noſter Chriſtus, non transfretârit longitudinem aut latitudinem maris, ſed quòd ſinum aliquem tranſierit, quantum diſtat Tiberias à Bethſaida. Quod & inde aſtruitur, quòd alibi dicitur, quòd turba magna eum illuc ſequuta eſt pedibus: quòd facere non poterant, ſi is totum mare transfretâſſet ad aliud littus inter Gergaſenos, quod eſt extra terram ſanctam.* Hæc ille.

At cave, vir digniſſime, nè duces tui, qui loca iſta ſub illis nominibus oſtendunt, tibi imponant. Si ducem *Joſephum* ſequi velis, docebit ille, *Antiquit.* lib. 18. cap. 3. *Philippum oppidum Bethſaidam reſtaurâſſe, eamque de nomine Juliæ, filiæ Cæſaris, vocâſſe Juliada*; iſtamque *Juliada* fuiſſe ἐν τῇ κάτω Γαυλανιτικῇ. *Idem*, ubi antè. Nec valet argumentum, *Aliter non potuerunt eum pedibus ſequi.* Nam à *Capernaumo* & *Tiberiade* erat via tritiſſima & frequentatiſſima, per pontem *Chammathæ* in regionem *Gadarenam*, atque ita ad *Bethſaidam*.

Idem, in vita, pag. 631. *Cana* diſtabat longè à *Tiberiade*: totam noctem inſumſit *Joſephus* ab illa ad hanc itinerans cum exercitu. Sita erat ex adverſo *Juliadi Betharampthæ*, ut ex eodem colligi poteſt, *ibid.* pag. 653. *Julias* autem iſta ſita erat ad ipſum influxum *Jordanis* in mare *Geneſariticum*.

Hæc fuſiùs pandi & illuſtrari poterant; ſed veremur à prolixitate, idque magis, quia copiosè de his actum eſt alibi. Satis hæc erunt æquo lectori, cujus judicio ea ſubjicimus: & jam pergimus ad *Dalmanutham*.

§. II. בית ראלמנות, *Zalmon. Inde Dalmanutha.*

SI de nomine *Dalmanutha* luſitare aliquantum liceat, audi Traditionem Talmudicam.

Bava Bathra, fol. 98. 2. *Qui vendit fundum vicino ſuo, aut qui accipit locum à vicino ſuo,* לעשות לו בית חתנות לבנו ובית אלמנות לבתו, *ut faciat ſibi domum ſponſationis filio ſuo, aut domum viduitatis filiæ ſuæ, ædificet eam quatuor cubitis hàc, & ſex illàc.*

Gloſſ. בית אלמנות לבתו, *Domum viduitatis filiæ ſuæ, cujus maritus mortuus eſt, atque ea jam redit ad domum patris ſui.*

Animus traditionis hic eſt. Cùm filius cujuſvis uxorem duxerat, cum ſocero ſuo cohabitare non eſt ſolitus, ſed uſitatiùs erat, ut pater ejus domunculam ei ædificaret domui ſuæ vicinam. Sic etiam cùm mortuus eſſet maritus, rediretque filia jam vidua ad patrem, in more etiam fuit, ut pater domunculam ei ſtrueret, in qua, ea ſola quidem habitaret, at patri viciniſſima.

Digitized by Google

Jam ergò, à domo aliquâ ejus generis notabiliori, viduæ alicui celebri conſtructâ, aut à pluribus iſtiuſmodi confertim illic ſtantibus dici potuit locus forſan דאלמנותא, *Locus viduitatis; & ſi non aliqua probabilior notatio nominis occurreret, huc poſſet reſpici non immeritò.*

Aſt aliunde deductum nomen arbitramur, nempe à voce צלמון, *Zalmon*, צ *Tſade* in ד *Daleth* immutato, quod Syris & Arabibus non eſt alienum.

De *Zalmon* occurrit mentio, *Judic*. 9:48. monte ſcilicet aut tractu aliquo in monte, prope *Sychemum*: verùm longiſſimè aberat iſte locus ab eo de quo jam agimus. At memoratur à *Talmudicis* locus *Zalmon*, qui optimè congruit cum *Dalmanutha*.

Jevamoth, fol. 122. 1. *Hiſtoria eſt*, inquiunt, *de homine quodam in* Zalmon, *qui dixit. Ego* N. Filius N. *morſus ſum à ſerpente, & ecce morior. Abierunt & non invenerunt eum: abierunt ergò, & duxerunt uxorem ejus.* Gloſſ. *Audierunt vocem clamantis, & dicentis, Ecce ego morior; at non invenerunt talem hominem in* Zalmon.

Et rurſùs, *Kilaim*, cap. 4. hal. 9. *Bava Bathr*. fol. 82. 2. *Hiſtoria eſt in* Zalmon *de homine quodam, qui plantavit vineam ſuam ſedecim & ſedecim cubitos, & portam duorum ordinum vitium, vertit jam ab hoc latere, & anno inſequenti ab alio, & aravit utrobique. Et adducta eſt cauſa coram Sapientibus, atque illi approbârunt.*

Nemo ſuſpicabitur hanc *Zalmon* eandem eſſe cum ea prope *Sichemum*, cùm dictum ſit quòd *adduxerunt cauſam coram Sapientibus*: nam quid *Samaritæ* cum Sapientibus *Judæorum*? Quin potiùs credas fuiſſe locum aliquem vicinum *Tiberiadi* [ubi Academia Sapientum] notum ſatis, & vulgaris famæ, & in Traditionibus citatis memoratum, ut ità notum. Sic memorantur à *Talmudicis* varia loca circa *Tiberiade*, ut notiſſima, quæ tamen extra paginas *Talmudicas* vix uſpiam inveneris. Talia ſunt *Chammath*, *Magdala*, *Beth Meon*, *Paltathah*, *Caphar Chittaia*, *&c.* de quibus diximus alio in loco. Erant & מגדל, *Mizgab*, Sedes *Simeonis* ben *Lachish*, & אילמים דטבריא, locus prope *Tiberiada* auræ inſalubris, & בומיטה דטבריא, *Spelunca Tiberienſis*, & בר סליני, *Bar Selene*, aliaque quæ nuſpiam, niſi apud hos authores, occurrunt memorata, at apud eos notiſſimi nominis. Vide *Beresh. Rabb*. §. 34. *Ibid*. §. 31. *Hieroſ. Herajoth*, fol. 48. 1. Ex iſthoc numero arbitramur fuiſſe hanc *Zalmon*, locum adeò *Tiberiadi* vicinum, adeoque notum, ut ſat foret iis nominâſſe tantùm. Jam verò, dum *Hebraizans* quiſquam pronuntiaret *Zalmon* & *Zalmanutha*, *Syriſſans* proferret *Dalmon* & *Dalmanutha*.

CAP. VI.

Ὅρια Τύρου καὶ Σιδῶνος. Marc. 7:24.

I. *Tabulæ nimis officioſæ.* II. גבול, Ὅρια. III. *Interpretes Græci notati.* IV. *Phœnicia Mediterranea.* V. *De Fluvio Sabbatico.*

Vides in Tabulis nonnullis, pingi fœminam *Syrophœniſſam* Salvatori ſupplicantem, pro filia ſua dæmoniaca, ad portas ferè *Sidonis*. At quo jure, vereor nè ſolidè ſatis non dixerint authores.

In una *Adrichomii*, pingitur fœmina tantùm, nullâ additâ inſcriptione. At in Belgica *Doëti*, cum hac, *Hier badt de Cananeiſche Vrou voor haer dochter*, Matth. 15. In *Geilkirchiana*, his aſcriptis verbis, *Porta Sidonis, ante quam mulier Canaanæa filiæ ſuæ dæmoniacæ à Domino ſalutem obtinuit*, Matth. 15.

Ante januam Sidonis, inquit *Borchardus*, Monachus, cap. 2. §. 8. *ad ortum conſtructa exiſtit Capella, in loco ubi Chananæa, pro filia dæmoniaca precata eſt Salvatorem: de qua ſic legimus*, Matth. 15. *quod egreſſa à finibus* Tyri *&* Sidonis *venit ad Jeſum.*

Duo ſunt quæ planè cum ſitu, & ſententia iſta pugnant.

I. Quòd non ſit credibile, Chriſtum unquam limites terræ Iſraëliticæ exceſsiſſe. Nam cùm de ſe dixerit, *Ego miſſus ſum ad oves perditas Iſraëlis tantùm*; & Diſcipulis, *Nè eatis in viam Gentium; & ſi hæc opera miraculoſa facta fuiſſent in* Tyro *&* Sidone: nunquam perſuaſeris, eum unquam ad ipſas portas *Sidonis* perrexiſſe.

II. Dicitur à *S. Marco*, quòd poſt ſanatam iſtam puellam, Chriſtus pervenit *à finibus* Tyro-Sidonis *ad mare* Galilææ, *per medios fines* Decapoleos. Quid? à porta *Sidonis* ad mare *Galilææ* per mediam *Decapolin*? Aptiùs diceretur, *per mediam Galilæam*: & hinc, ut videtur, moti, ſtatuerunt nonnulli *Decapolin* intra *Galilæam*, nullo jure. Nos eam comperiemus alio in loco, Capite proximè ſequenti, locoque tali, ut non facilè concipias, quonam modo potuerit Chriſtus ad mare *Galilææ* per eam tendere, à porta *Sidonis*.

§. II. גבול. Ὅριον.

Ut de Ὁρίοις Τύρου καὶ Σιδῶνος, in hac hiſtoria determinetur, hoc primùm Lectori proponimus.

Dicitur in 1 *Reg*. 9:11, 12. quòd Solomon *dedit Regi* Tyriorum *Chiramo viginti civitates*

Digitized by Google

tates in Galilæa, quas cùm vidiſſet ille, & non placerent, *vocavit terram* כבול, Chabul, *in hunc uſque diem.* LXX reddunt, Ἐκάλεσεν αὐτὰς Ὅριον, *Vocavit eas* Terminum. Jam dicat mihi, quæſo, aliquis linguarum peritus quidnam cognationis inter כבול, & Ὅριον, unde moti *Septuaginta*, ut ità redderent.

Talmudici varia de voce כבול: at ſenſus & ſignificatio vocis Ὅριον, longiſſimè abeſt ab eorum mente.

Hieroſolymitani ſic, *Hieroſ. Schabb.* fol. 7. כבול ארץ שאינה עושה פירות, Chabul *terram ſignificat quæ non fert fructus.*

Babylonici ſic, *Babyl. Schabb.* fol. 54. 1. *Quid ſibi vult terra* Chabul? Rabh Houna *dicit*, *Quia incolæ ejus* מכובלין בכסף ובזהב, *erant involuti argento & auro. Dicit ei* Abba, *An ita? Ecce ſcriptum eſt, quòd non placuerunt ei urbes. An diſplicerent ei quòd involuti forent argento & auro? Dicit ei, imò, nam quia opulenti & delicati erant, non erant idonei ad opera Regis.* Rabb. Nachman *bar* Iſaac *dicit*, חומטין היתה, *Terra ſalſa & fiſſuris hians erat. Quare vocatur* Chabul? דמשתגרא בה כרעא עד כבלא, *Quia mergitur in ea crus uſque ad periſcelides.*

Joſephus, Ἔκτοτε προσηγορεύθησαν χαβαλῶν γῆ· Μεθερμηνευόμενον γὰρ τὸ χαβαλῶν, κατὰ Φοινίκων γλῶτταν, οὐκ ἀρέσκον σημαίνει.

Hæc illi, ſenſum vocis, quantum poſſunt, inveſtigantes; at de ſenſu Ὅριον, nè ſomnium quidem apud eos.

Præterire non poſſum, quin animadvertatur Gloſſatorem ad locum, apud *Babylonicos* citatum, hæc dicere. בעשרים ושתים עיר שנתן שלמה להירם משתעי קרא *Textus allegatus loquitur de viginti duabus civitatibus, quas dedit* Solomon Chiramo. Numerat ille *viginti duas*, cùm in fonte Hebræo atque in omnibus verſionibus, memorentur tantùm *viginti civitates.* An lapſus ſit memoriâ, an hoc dicat ex inſtituto, quis definierit?

Minùs prætereunda ſunt verba iſta Spiritus Sancti 2. *Paralip.* 8:2. והערים אשר נתן חורם לשלמה בנה שלמה אותם. Grammatica interpretatio eſt facillima, *Atque urbes quas dedit* Chiramus Solomoni, *condidit* Solomon; at interpretatio hiſtorica non adeò facilis. Nam quæritur, an iſtas urbes dederit *Chiramus* de proprio, an iſtas reddiderit, quas dederat ei *Solomon*, non bene placentes. Et ſunt verſiones nonnullæ, quæ vocem נתן non reddunt *dedit*, ſed *reddidit*, in hunc ſenſum, urbes quas Chiramus Solomoni *reddiderat*, Solomon condidit; ac ſi *Hiramus* viginti iſtas urbes, in terra *Chabul*, ideò quòd diſplicerent, retinere noluiſſet, ſed *Solomoni* reddiderit cum aliqua indignatione.

Rectiùs *Kimchius* in locum. *Optimè exponitur*, inquit, *quòd dedit Hiramus civitates Solomoni in terra ſua, & locavit ille illic Iſraëlitas ut ſe roboraret. Et dedit pariter ille civitates Hiramo in Galilæa, & hoc, ut fœdus inter eos roboraret. In libro Regum memoratur, quid dederit Solomon Hiramo: & in hoc* [Paralip.] *quid Hiramus Solomoni.* Veriſſimè certè. Nam *Hiramum* urbes aliquas in ditione ſua dediſſe *Solomoni*, ex illo patet ultra omnem controverſiam, quòd *Solomon* dicitur condidiſſe *Tadmor* in eremo: 1 *Reg.* 9:18. Quiſnam autem iſte locus *Tadmor?* Docebit *Joſephus*, *Antiquit.* lib. 8. cap. 2. Θαδαμόρην, inquit ille, Ἕλληνες προσαγορεύουσι Παλμυρὰν. Et Interpr. Vulg. *Ædificavit Palmiram.* Nequaquam ergo cenſeas, *Hiramum* urbes ſibi à *Solomone* datas rejeciſſe, utcunque non placerent, ſed pro ſuis retinuiſſe, quod & fecit *Solomon* cum iis, quas dedit ei *Hiramus.* At unde locum iſtum כבול Interpretes Græci redderent Ὅριον, cùm nulla omnino inter ſignificationes vocabulorum ſit affinitas?

§. III. *Interpretes Græci notati.*

Soliti ſunt Interpretes Græci, nomina locorum reddere, non raro, non eo nomine quo vocantur in textu Hebræo, ſed quo nuncupabantur temporibus poſterioribus ſub Templo ſecundo: quod & à Chaldæis Targumiſtis eſt etiam factum non raro. Hujus farinæ ſunt Καππαδόκες pro *Caphtorim*, Ῥινοκόρουρα pro *Fluvio Ægypti*, de quibus diximus antè; & inter plurima quæ proferri poſſent exempla, locum unum ex Talmudicis cum iis conferamus.

Hieroſolymitani, urbes quaſdam, quarum mentio in *Joſ.* 19. & vetuſtis & præſentibus nominibus appellantes, ſic ajunt ad verſ. 15.

Hieroſ. Megill. fol. 70. 1. קטרת קטונית, *Kattath eſt Katonith.* LXX reddunt Κατανὰθ.

נהלל מהלול, *Nahalal eſt Mahalol.*

שמרון סימונייה, *Shimron eſt Simonia.* LXX. reddunt Συμοὼν.

יראלה חירייה, *Irala eſt Chiriah.* LXX. reddunt Ἱεριχώ.

Plurima occurrent obſervanti. Atque ex hac ipſiſſima re ſubolebit forſan tibi, verſionem iſtam non redolere vetuſtatem temporum *Ptolemæi Philadelphi.*

Idem quod facere ſoliti ſunt illi aliàs, factum & hîc ab iis arbitramur, eoſque rejecto priſtino nomine, quo vocabatur regio iſta *Galilææ* ſæculis vetuſtioribus, nempe *Chabul*, nomen & titulum, quo jam vulgò audiit, ei indidiſſe, Ὅριον, *Terminum.*

תחום ipſiſſimum idem denotare ſuſpicio mihi eſt, in traditione iſta apud *Hieroſolymitanos*,

tanos, *Hieroſol. Demai*, fol. 22. 4. אילו עיירות אסורות בתחום, *Iſtæ urbes prohibentur ἐν τῷ Ὀρίῳ*, *Tſur*, *Shezeth*, *&* *Bezeth*, &c. אילו עיירות שהן מותרות בתחום, *Et iſtæ urbes permittuntur ἐν τῷ Ὀρίῳ*, *Nebi*, *Tſur*, *Tſijar*, &c. Permiſſio & prohibitio de qua agitur, quantùm conjecturâ è ſcopo loci elicere licet, eſt quoad decimationem: & determinatur, à quibus iſtarum urbium exigendæ & accipiendæ eſſent decimæ, & à quibus non. Ab Iſraëliticis exigendæ, ab Ethnicis non: quæ res optimè convenit cum terra *Chabul*, ubi mixtæ & quaſi intertextæ videntur fuiſſe urbes hujus & illius juris.

§. IV. *Phœnicia Mediterranea.*

ERat *Phœnicia Mediterranea*, æquè ac erat *Phœnicia Maritima*. Maritimam nôrunt omnes. De Mediterranea ſic *Ptolomæus*.

Φοινίκης μεσόγειοι πόλεις Ἄρκα, Παλαιόβιβλος, Γάβαλα, Καισάρεια Πανίας. *Phœniciæ civitates Mediterraneæ ſunt Arca*, *Palæobiblus*, *Gabala*, *Cæſarea Paniæ. Tab. Aſiæ*, pag. 139.

An *Phœnicia Mediterranea* & *Syrophœnicia* ſint convertendæ, hæſito dubitans. Mallem equidem *Phœniciam* tripartiri in *Maritimam*, *Mediterraneam & Syrophœniciam*, quàm nudè bipartiri i[illegible]niciam *& Syrophœniciam*. Ratioque eſt, [illegible]ia quæro an tota *Phœnicia Mediterranea* dici potuerit *Syrophœniſſa*: & quæro inſuper, an tota *Syrophœnicia* reputanda fuerit intra fines *Tyro-Sidonios*. *Nicetas* certè *Choniates*, civitates *Syrophœniſſas* uſque ad *Antiochiam* memorat. Nam ille in hiſtoria *Joannis Comneni* hæc habet.

Ἔγνω προσβαλεῖν ταῖς περὶ τὴν Ἀντιόχου ἱδρυμέναις καὶ Ἀγαρηνῶν κατεχομέναις Συροφοινίσσαις πόλεσι. *Antiochiæ finitimas Syrophœniſſas urbes*, *quæ ab Agarenis tenebantur*, *aggredi ſtatuit. Nicet. Chon.* pag. 30. Jam verò, an urbes iſtas ad *Antiochiam* uſque, intra ditionem *Tyro-Sidoniam* numerabis? At certè nihil prohibet, quò minùs iſtas, quæ à Ptolemæo *Phœniciæ Mediterraneæ* habentur, ita æſtimes, niſi hæreat ſcrupulus ſolùm de *Cæſarea Paniæ*, quæ *Cæſarea Philippi*: eaque, ut videbimus, erat de *Decapolitanis*, & abſque ullo abſurdo ſtatui poteſt intra iſtam ditionem *Tyri & Sidonis*, quod & *Leſhem* olim, quæ urbs eadem. *Judic.* 18:28.

Addatur Talmudicorum clauſula una, & tunc ea quæ dicta ſunt, in epitomen compingantur. Illi limites terræ ſub templo ſecundo definientes, cùm ad oras Aquilonares perveniunt, pro limite ſtatuunt תרנגולא עילאה דלמעלה מן קיסרין, *Tarnegolam ſuperiorem quæ eſt ſupra Cæſaream. Hieroſ. Sheviith*, fol. 36. 3. Adverte *Cæſaream* eſſe urbem *Phœniciæ Mediterraneæ*, ſecundum Ptolemæum; & tamen *Tarnegolam*, quæ magis vergit in Aquilonem, eſſe intra terram *Iſraëliticam* ſecundùm Hebræos.

Ita ut hoc ſenſu, Chriſtus potuerit eſſe intra Ὅρια Τύρου καὶ Σιδῶνος, & tamen eſſe intra limites terræ Iſraëliticæ. Arbitrandum ergo, idque non ſine ratione, eum, cùm ſanaret puellam Dæmoniacam, fuiſſe I. In regione iſta in extremis Galilææ oris, quæ olim *Chabul*, τοῖς LXX. Ὅριον, Talmudicis תחום audiit, quæ olim data fuit à *Solomone* Regi Tyriorum, & ex iſta conceſſione in ſæcula ſubſequentia juris & ditionis *Tyro-Sidoniæ* erat, utcunque intra terminos iſtos quibus ab initio circumſcribebatur terra Iſraëlitica, imò quibus ſub Templo ſecundo. II. Fuiſſe eum arbitramur non longè à fontibus aut fluento *Jordanis*, quo trajecto, non potuit ad mare *Galilææ* pervenire, niſi per regionem *Decapolitanam*.

§. V. *De Fluvio Sabbatico.*

NOn longè, cùm de Syrophœnicia loquimur, indè abſumus, ubi vel erat, vel eſſe fingebatur *Fluvius Sabbaticus*: & ignoſces ſpero, lector, ſi extra metas jam noſtras aliquantum exſpatiemur, viſuri Fluvium Sabbatizantem, nam quis à via ſua non declinaret, ut rem videat tam ſtupendam?

Et tamen, ſi Plinio credimus, extra cancellos non ſumus, nam ſtatuit ille hunc fluvium intra Judæam. *In Judæa*, inquit, *rivus Sabbatis omnibus ſiccatur. Natur. Hiſt.* lib. 31. cap. 2. Joſephus aliter, *de bello*, lib. 7. cap. 13. *Titus*, inquit, [Antiochiam tendens] *vidit in itinere fluvium cognitione digniſſimum. [illegible] fluit medius inter Arcæas & Raphanæas [illegible]rippæ regni civitates. Habet autem peculiarem naturam. Nam cùm ſit*, *quando fluit*, *multus*, *nec ſegniter labens*, *tamen totus à fontibus per ſex dies deficiens*, *ſiccum exhibet locum. Deinde*, *quaſi nullâ mutatione factâ*, *ſeptimo die ſimilis exoritur. Atque hunc ordinem eum ſemper ſervare pro certo compertum eſt. Unde etiam Sabbaticus appellatus eſt*, *à ſacro ſeptimo die Judæorum.*

Utri credis, lector? *Plinio*, Rivus iſte eſt in *Judæa*; *Joſepho*, non. *Plinius* Sabbatis ſiccari ait; *Joſephus* fluere. Conſentiunt cum *Plinio* Talmudici, & non convenit *Joſepho* cum ſuis.

In Tractatu *Sanhedrin* Babylonico, fol. 65. 2. introducitur *Turnus Rufus* hoc quærens à *R. Abibah*: מי יימר דהאידנא שבתא, *Quis probaverit quod hic dies eſt Sabbatum?* [Gloſſ. Nam fortè dies aliquis è reliquis eſt Sabbatum.] *Reſpondit R. Abibah*: נהר סבטיון יוכיח, *Fluvius Sabbaticus hoc probabit*, בעל אוב יוכיח, *Pythonicus hoc probabit*, וקברו של

של אביו יוכיח, *Et ſepulchrum patris hoc probabit.*

Gloſſ. *Fluvius Sabbaticus probabit. Iſte eſt fluvius ſaxoſus, qui omnibus diebus ſeptimanæ fluit & labitur, at Sabbato intermittit & quieſcit. Pythonicus probabit. Nam Pytho non aſcendit Sabbato. Et ſepulchrum patris Turni Rufi omnibus diebus anni emiſit fumum, quia judicatus fuit & traditus igni: at tranſgreſſores in Gebenna quieſcunt Sabbato.* Sepulchrum ergo ejus non emiſit fumum Sabbato.

Nonne ſubolet tibi, lector, unde & quare excogitatum eſt hoc commentum? Nempe cùm jam ortus eſſet ſplendor Sabbati Chriſtiani, creſceretque indies, ad monſtra hæc vel magiæ, vel fabularum eſt recurſum, quibus obſcuraretur Sabbati noſtri gloria, & illuſtraretur Judaïci. Veritatem hiſtoriæ in ſuſpicionem inducunt, variæ & quidem contrariæ Hiſtoricorum relationes.

CAP. VII.

Regio Decapolitana quanam. Marc. 7:31.

I. *Ea à nonnullis malè diſpoſita.* II. *Scythopolis, olim* בית שאן, *una ex urbibus Decapolitanis.* III. *Item Gadara & Hippo.* IV. *Et Pella.* V. *Caphar Tſemach. Beth Gubrin. Caphar Carnaim.* VI. *Cæſarea Philippi.* VII. *Urbs* ערבו.

§. I. *Regio Decapolitana à nonnullis non benè diſpoſita.*

OCcurrit frequens mentio *Decapoleos* apud Euangeliſtas, ut & apud exteros authores: at nuſpiam majori cum ſenſûs difficultate, quàm apud verba iſta *S. Marci, Cap.* 7. ubi de Chriſto ſic dicitur: Καὶ πάλιν ἐξελθὼν ἐκ τῶν ὁρίων Τύρου καὶ Σιδῶνος, ἦλθε πρὸς τὴν θάλασσαν τῆς Γαλιλαίας, ἀνὰ μέσον τῶν ὁρίων Δεκαπόλεως. Difficultas in hoc latet, quòd ſuppoſito, quòd, per fines *Tyro-Sidonios*, intelligendus eſt locus prope portas *Sidonis*, de quo anteà, vix concipi poteſt quomodo Chriſtus per mediam *Decapolin* perrexerit ad mare *Galilææ*, niſi ſuppoſito etiam quòd *Decapolis* fuerit intra *Galilæam*.

Hinc ducti certè videntur *Borchardus* cap. 6. §. 6. aliique eum ſequuti, ut hæc oppida *Galilææ* pro *Decapolitanis* numerent, *Tiberiada, Sephet, Kedesh-Nephtali, Hazor, Capernaum, Cæſaream Philippi, Jetopatam, Bethſaidam, Chorazin, Schythopolin.* Vide *SalignIacum*, tom. 9. cap. 1. Quorum fide Baronius, ad annum Chriſti 31. *Erat*, inquit, *in eadem Galilæa, poſita provincia Decapolios, dicta quòd in ea decem eſſent civitates, inter quas una ennumerabatur Capharnaum.*

Fidenter quidem ſatis, at ſine fundamento, longè aliter *Plinius, Nat. Hiſt.* lib. 5. cap. 18. *Jungitur*, inquit, *ei latere Syriæ Decapolitana regio, à numero oppidorum, in quâ non omnes eadem obſervant. Plurimi tamen Damaſcum & Opoton riguas amne, Chryſorrhoa, fertilem Philadelphiam, Raphanam, omnia in Arabiam recedentia, Scythopolin, anteà Nyſam, à Libero patre, ſepulta ibi nutrice, Scythis deductis: Gaddaram Hieromiace præfluente, & jam dictum Hippon Dion, Pellam aquis divitem, Galaſam, Canatham. Intercurſant cinguntque has urbes Tetrarchiæ, regnorum inſtar ſingulæ, & in regna contribuuntur, Trachonitis, Panias, in qua Cæſarea cum ſupradicto fonte, Abila, Arca, Ampeloeſſa.*

Quibuſnam credendum? *Borchardus* & ſui, totam *Decapolin* intra *Galilæam* ſtatuunt, totâ longitudine *Galilææ* extenſam atque *Jordani* adjacentem & littori maris *Geneſaritici. Plinius* & ſui, totam in *Trans-Jordanica*, exceptâ ſolùm *Scythopoli.*

In *Scythopoli* utræque partes conveniunt, & ego in hac cum utriſque. Aſt in aliis vix ego in ullis cum *Borchardo*, nec in omnibus cum *Plinio.* Apud illos incongruum eſt, nobiliſſimas urbes *Galilææ* numerare pro *Decapolitanis*, cùm & apud ſacros & profanos authores, planè diſtinguatur *Galilæa* à *Decapoli.* Apud hunc, impar congreſſus videtur *Damaſco* & *Philadelphiæ*, Μητροπόλεων olim *Syriæ* & *Ammonitidis*, cum urbeculis *Gadara* & *Hippo.*

Cum *Plinio* & ſuis, in quibusdam urbibus *Decapolios* enumerandis conſentit etiam *Joſephus.* Nam ille *Juſtum Tiberienſem* truci proſequens oratione, hæc ait.

Σὺ δὲ καὶ πάντες Τιβεριεῖς οὐ μόνον ἀνειλήφατε τὰ ὅπλα, ἀλλὰ καὶ τὰς ἐν τῇ Συρίᾳ Δεκαπόλεις ἐπολεμεῖτε. *Joſeph. in vita ſua*, pag. mihi 650.

Tu quoque, atque omnes Tiberienſes, non ſolùm arma ſuſcepiſtis, ſed & urbes Decapolitanas in Syria oppugnâſtis. Nota illud, urbes Decapolitanas ἐν Συρίᾳ, nequaquam in *Galilæa.*

Σὺ γοῦν τὰς κώμας αὐτῶν ἐνέπρησας. *Tu urbes earum in flammas immiſiſti.*

Et non multò pòſt. *Poſtquàm Veſpaſianus Ptolemaida perveniſſet,* οἱ πρῶτοι τῶν τῆς Συρίας δέκα πόλεων. *Viri primarii Decapoleos Syriæ Juſtum Tiberienſem acriter incuſarunt,* ὅτι τὰς κώμας αὐτῶν ἐνέπρησεν, *quòd oppida eorum incenderat. Ibid.* pag. 654.

Quænam autem oppida iſta *Decapolitana* fuerint, innuit ille alibi his verbis. *Tunc ſuadens Juſtus concivibus ſuis ut arma caperent, & nolentes cogens, cumque omnibus his egreſſus,* Ἐμπίμπρησι τάς τε Γαδαρηνῶν καὶ Ἱππηνῶν κώμας,

κώμας, in ignem mittit villas Gadarenorum, atque Hippenorum. Ibid. pag. 6. 8.

Vides ut cum *Plinio*, Joſephus *Decapolitanam* regionem lateri *Syriæ* adjungat, atque ut cum eo *Gadaram* & *Hippon* numeret pro *Decapolitanis:* & tamen in omnibus, ut diximus, non placet *Plinius.* Illud verò quod apud eum ridiculum maximè & abſurdum videri poſſet, nempe quòd *Scythopolin* quæ cis Jordanem, cum reliquis urbibus numeret, quæ omnes trans, hoc placet maximè. Nam ab iſthac ipſa urbe, innoteſcit nobis qualeſnam fuerint reliquæ urbes, & quare tam ſingulari nomine & notâ clareſcerent. Conditione *Scythopolios* primùm obſervatâ, facilius erit judicare de reliquis.

§. II. *Scythopolis, olim* בֵּיתשׁאן *Bethshan, una ex urbibus Decapolitanis.*

TAlmudici frequentiſſimè exemplum ſingulare proponunt urbis *Bethsheanis*, quæ & dicta *Scythopolis*, vide LXX. in *Judic.* 1:27. eamque ſemper ſtatuunt diverſa conditione à cæteris urbibus terræ Iſraëliticæ.

Hieroſ. Demai. fol. 22. 3. *Rabbi*, inquiunt, *ſolvit Bethsheanem, Rabbi ſolvit Cæſaream, Rabbi ſolvit Beth Gubrin, Rabbi ſolvit Caphar Tſemach à Demai*, id eſt, à decimatione rerum dubiarum. *Jarchius* hæc citans, iſta inſuper addit, *R. Solom. in Demai*, cap. 1. halac. 3. *Nam omnia iſta loca erant paria Bethsheani, quam ſubjugârunt Iſraëlitæ aſcendentes ex Ægypto; at non ſubjugârunt aſcendentes è Babylone.*

Cholin, fol. 6. 2. *R. Meir*, inquiunt, *comedit folia olerum* [non decimatorum] *in Bethsheane, & exinde Rabbi ſolvit totam Bethsheanem à decimatione.* In quam hiſtoriam, ſic *Jarchius* iterum. *R. Meir comedit folia in Bethsheane non decimata, quia decimatio non adhibetur extra terram Iſraëliticam.* Nota, quæſo, hoc bene, *Bethsheanem*, quæ planè fuit intra terram Iſraëliticam, haberi tamen pro urbe quæ extra terram Iſraëliticam, vel pro urbe Ethnica: ratioque redditur, quia quamvis fuerit intra terram, ceſſeritque Iſraëlitis in ſubjugatione ejus prima, non ceſſit tamen iis in ſubjugatione ſecunda, ſed ſemper habitabatur ab Ethnicis. Ipſiſſimum idem judicamus meritò de reliquis urbibus *Decapoleos*, quòd quidem forent intra limites terræ Iſraëliticæ, at quas uſurpârant, & jam tum poſſederunt Syri vel Ethnici. Enumeratis quibuſdam earum, res patebit clariùs.

At ſi quæras obiter, quinam incolæ *Bethsheanis* fuerint, cùm aſcenderent Judæi è *Babylone*, quique a Judæis noluerunt, nequiverunt ſubjugari, obſcurioris eſt inveſtigationis. *Scythas* autumares è vocis etymo, & verbis *Plinii*, *Scythopolin, anteà Nyſam, deductis Scythis.* At ſi *Herodotum* adeas, *in Clio*, cap. 105, 106. de imperio *Scytharum* in *Aſia*, & ſpeciatim in *Palæſtina*, differentem, comperies extinctum fuiſſe imperium iſtud, cùm vix natus foret *Cyri* avus: ut magis mirum videatur adeò viguiſſe nomen *Scythopoleos*, cùm Judæi ſub *Cyro* ad propriam terram remearent. Sed de hac re plus moleſtiæ vel lectori, vel nobis ipſis non ciebimus.

§. III. *Gadara & Hippo urbes Decapolitanæ.*

SIc *Plinius* & *Joſephus* verbis ex iis modò allegatis: Sic & non obſcurè Euangeliſtæ de *Gadara*. Nam Marcus, *Cæpit prædicare in Decapoli*; Lucas, *Abiit prædicans per totam urbem Gadaram.*

Et *Gadaram* fuiſſe Ethnici juris, præter quod colligi poteſt ex verbis iſtis *Joſephi*, aſtruere licet etiam ex eo quòd porci illic tanto numero alerentur, *Matth.* 8. quorum nutritio *Judæis* prohibita per Canones Talmudicos, æque ac comeſtio per legem *Moſaïcam.* Hinc in animadverſionibus in *Marc.* 5. non veremur Dæmoniacum iſtum *Gadarenum*, Ethnicum pronuntiare, idque, ſi non fallat conjectura, bono nixi fundamento.

Hippon pariter fuiſſe Ethnici juris, arguere ſatis poſſunt teſtimonia *Judæorum* de urbe *Suſitha:* quæ ut ejuſdem eſt ſignificationis cum voce *Hippo*, ſic omni abſque dubio eſt idem locus. Sic illi de ejus Ethniciſmo.

Hieroſ. Sheviith, fol. 36. 1. *Terra Tobh, ad quam fugit Jephta, eſt Suſitha. Et quare vocatur nomen ejus Tobh?* [bona] *Quia immunis eſt a decimis.* Atque unde immunis à decimis? Quia Ethnicæ poſſeſſionis. Nam non erat decimatio extra terram, id eſt, è loco aliquo qui erat Ethnicorum.

Atque iterum. *Si prodeant ambo teſtes è civitate cujus major pars conſtat è Gentilibus, ut Suſitha. Idem, Rosh Hashanah*, fol. 54. 4.

§. IV. *Pella urbs Decapolitana.*

PEllam etiam inter urbes *Decapolitanas* numerat *Plinius*: Sic & *Epiphanius, de menſur. & ponder.* cap. 15. eamque ejuſdem fuiſſe conditionis, ſub qua poſitas arbitramur reliquas urbes Decapolitanas, habitatam nempe ab Ethnicis, planum faciunt verba *Joſephi, Antiquit.* lib. 13. cap. 23. *Moabiticas has urbes recuperarunt Judæi ab hoſtibus: Heshbonem, Medebam, Lembam, Oronas, Telithona, Zara, Cilicium, Aulona, Pellam.* Ταύτην δὲ κατέσκαψαν, &c. *Pellam autem exciderunt, ideo quòd non tolerarent incolæ ejus in patrios mores transformari.* Ecce tibi cives *Pellæ* ſtrenuè Ethnicos, adeò ut martyrium quoddam, ſi ita dicere liceat, paſſa ſit urbs eorum ob retentum Ethniciſmum. Cùmque reſtauraretur ſub *Pompejo*, reddita eſt iiſdem civibus,

Digitized by Google

bus, teſtante eodem *Joſepho*, *ibid.* lib. 14. cap. 8.

At cave, Lector, ne verba ejus tibi imponant de ejus ſitu, qui ſic de *Pera*, *de bello*, lib. 3. cap. 4. Μῆκος μὲν αὐτῆς ἀπὸ Μαχαιροῦντος εἰς Πέλλαν —— Καὶ Πέλλη μὲν τὰ πρὸς ἄρκτον ὁρίζεται. *Longitudo Peræa eſt à Machærunte ad Pellam, & fines Septentrionales terminantur ad Pellam:* id eſt, *Peræa* ut diſtinctæ à *Trachonitide* & *Batanæa*. Nam erat *Pella* ultima ora Aquilonaris *Peræa*, & erat ora Meridionalis *Trachonitidis*. Hinc *Joſephus* eam connumerat & coordinat cum *Hippo*, *Dio*, *Scythopoli*. Loco antè citato, *Antiquit.* lib. 14.

Urbes plures *Decapoleos* trans *Jordanem* numerare non eſt opus: hæc quæ dicta ſunt, ſatis faciunt in ſententiam noſtram, & de ſitu locorum, & de natura. Hæc tantùm addamus, dum jam verſamur trans *Jordanem*, & circa *Pellam*.

Ammon & Moab, inquiunt Gemariſtæ, *Jevamoth*, fol. 16. 1. *decimant decimam pauperum anno ſeptimo*, &c. Ubi Gloſſ. *Ammon & Moab ſunt Iſraëlitæ, qui habitarunt in terra Ammon & Moab, quam cepit Moſes à Sichone: & ſancta erat terra iſta ſecundùm ſanctitatem terræ Iſraëliticæ. At verò ſub Templo ſecundo, ſanctitas ejus ceſſavit. Serunt ergò eam anno ſeptimo, & ſtatuunt inde decimam primam & decimam pauperum anno ſeptimo, ob ſuſtentationem pauperum: quibus non eſt angulus agri relictus, nec ſpicilegium iſto anno. Illuc ergò ſe recipiunt pauperes, atque illic habent angulum relictum, & ſpicilegium, & decimam pauperum.*

Hæc adducimus, hiſtoriæ iſtius ergò, quæ refert Chriſtianos ab obſidione & clade *Hieroſolymæ* fugiſſe *Pellam*. Et eccur ad *Pellam*? Certè ſi verum illud ſit quod obtinet apud *Judæos*, excidium Hieroſolymitanum fuiſſe בשביעית, *Anno ſeptimo*, [qui erat annus relaxationis] cùm citra *Jordanem* nec aratrum foret, nec ſatum, trans *Jordanem* verò foret meſſis & Decimatio pro pauperibus, &c. probabiliorem hinc petas rationem iſtius hiſtoriæ, quam reddunt ipſi Hiſtorici. Pauperes ſcilicet iſtos Chriſtianos illuc ſe recepiſſe victûs & alimoniæ ergò, cùm iſto anno ceſsâſſet agricultura in *Judæa* & *Galilæa*. Sed hiſtoriam miramur, potiùs quàm in hâc ratione acquieſcimus.

§. V. *Caphar Tſemach. Beth Gubrin. Caphar Carnaim.*

OMnes *Decapoleos* urbes, ejuſdem conditionis cum *Bethsbeane*, recenſere nec audemus, nec quidem poſſumus. Has tres tamen ſub eadem claſſe cum ea, ſtatuunt ordinantque *Hieroſolymitani* verbis iſtis quæ allegata antè à, exceptâ *Caphar Carnaim*, de qua poſtea.

I. כפר צמח, *Caphar Tſemach*. Aliquid obſervetur de ejus nomine ex R. *Solomone*.

1. *Hieroſolymitanis* eſt כפר צמח: At R. *Solomon* eos citans legit כפר עמס, *Caphar Amas:* quod mireris. At hoc non adeò alienum ab idiomate *Chaldaico* & *Syro*, cui uſitatiſſimum eſt צ in ע immutare; ita ut *Rabbinus* in prolatione hujus vocis עמס, in prima litera Syriſſet, & Græciſſet in ultima, vocabulum terminans in ס pro ח.

2. De ſitu loci nihil audemus fidenter pronuntiare: hoc tantùm de eo diximus anteà, quòd ab *Hieroſolymitanis* numeratur inter עיירות אסורות בתחום, *Urbes prohibitas in limite:* forſan ἐν Ὀρείῳ de quo anteà; ſed nihil ſtatuimus.

II. בית גברין, *Beth Gubrin*. Latet etiam ſitus hujus loci. Erat *Gabara* quædam ſupra *Cæſaream Philippi*, Rabbinis תרנגולא עילאה: ſed non audemus voces & loca confundere. Celebratur ob *R. Jochananem, de Beth Gubrin, qui dixit, Sunt quatuor linguæ nobiles, &c. Hieroſ. Megill.* fol. 71. 2.

III. *Idem, Demai*, fol. 22. 3. כפר קרנים כבית שאן, *Caphar Carnaim*, *inquiunt Hieroſolymitani, eſt ejuſdem conditionis cum Bethsheane*, id eſt, juris Ethnici.

An hæ fuerint urbes ex Decapolitanis, jam judicet Lector. Fuerint, nec ne, quod non decernimus, nec ſolliciti quidem de iſta re ſumus: hoc quod maximè urgemus, per loca quæ anteà nominantur, ut puto patet, urbes *Decapolitanas*, fuiſſe quidem intra limites terræ Iſraëliticæ, at habitatas à Gentilibus. Habitabant quidem cum iis Judæi, at numero pauciores, dominio inferiores, & poſſeſſione & privilegiis non adeò immunes. Rationemque ſi quæris, quare in tali inferioritate vellent cohabitare cum Ethnicis, hanc accipe.

Babyl. Chetubb. fol. 110. 2. *Tradunt Rabbini. Semper habitet quis in terra Iſraëlitica, ſit licet in civitate, cujus pars maxima ſunt Ethnici. Et nè habitet extra terram, imò non in urbe, cujus pars maxima ſunt Iſraëlitæ; nam qui habitat in terra Iſraëlitica, Deum habet. At qui extra terram, eſt ac ſi Deum non haberet: ſicut dicitur, ad dandum vobis terram Canaanis, ut ſit vobis Deus*, &c.

Vis plures?

Ibid. fol. 111. 1. *Quicunque habitat intra terram Iſraëliticam, abſolvitur ab iniquitate. Et quicunque ſepelitur intra terram Iſraëliticam, eſt ac ſepeliretur ſub altari.*

Unum habe pro omnibus. Gloſſ. *in Babyl. Sanhedr.* fol. 5. 1. *Viri Iſraëlitici ſunt admodùm ſapientes, nam ipſum clima ſapientificat.* O ſapientiſſimos Rabbinos!

§. VI.

§. VI. *Cæſarea Philippi.*

EST & urbs iſta apud Talmudicos ejuſdem claſſis cum *Betsbeane* : atque ut eam inter *Decapolitanas* numeremus, animat præterea *Ptolemæus*, qui eam numerat inter urbes *Phœniciæ Mediterraneæ* ; & *Joſephus*, qui Syros ejus incolas fuiſſe innuit in vita ſua. Corrigimus hîc, quod alibi excidit, Interpretem ſcilicet Arabem, dum *Cæſaream* reddit pro *Hazor*, Joſu. 11:1. poſſe de *Cæſarea Stratonis* intelligi, cùm potiùs videatur hanc *Cæſaream* reſpicere.

Et jam ex omnibus quæ dicta ſunt, cogita tecum, Lector, quid ſtatuendum ſit de verbis iſtis *S. Marci* : *Jeſus pervenit à finibus Tyro-Sidoniis ad mare Galilææ, per medios fines Decapoleos.* Cogita, inquam, & judica, an per *fines Tyro-Sidonios* intelligi poſſit locus aliquis ad ipſas portas *Sidonis* : an non potiùs locus aliquis non remotus admodùm à *Cæſarea Philippi*. Et judica iterum, an *Decapolis* ſtatuenda ſit intra *Galilæam*, an non potiùs [cum *Plinio* & *Joſepho*] magna pars ejus ſaltem, in *Trans-Jordanica*, & ſi qua in *Galilæa*, in extrema ejus ora Aquilonari, exceptâ ſolùm *Scythopoli*, vel *Bethsbeane*.

§. VII. Urbs ערבו.

EX mentione *Bethsbeanis* non poſſumus non ſubjungere mentionem urbis ערבו, ex verbis *R. Judæ*.

Beresh. Rabb. ſect. 33. R. Judah dicit עורבים, *attulerunt panem & carnem manè & veſperè ad Eliam* : עיר היא בתחום בירת שאן ושמ״ה ערבו, *Urbs iſta erat in limitibus Bethsbeanis, & vocabatur Orbo.*

Scrupulum cient Judæi quidam, an corvi panem & carnem contulerint *Eliæ*, an homines qui vocantur עורבים. Sic *Kimchius* in locum : *Sunt qui per* עירבים *intelligunt mercatores, ſecundùm illud quod dictum eſt,* עורבי מערבך, Ezech. 27:27. Hinc rationem odorari potes, cur Arabs reddiderit *Orabimos*. In quem ſenſum & *Rabbinus* noſter *Judah*, qui non corvos, ſed incolas urbis *Orbo* Eliæ miniſtrâſſe arbitratur. At valet hîc objectio Kimchii. *Juſſit Eliam Deus*, inquit ille, *ut ſeipſum abſconderet, neu quis eum cognoſceret illic exiſtere. Et videmus etiam quòd Achabus eum perquiſivit undique*, &c.

At omiſsâ nugacitate ſomnii, rem chorographicam nos indagamus : & ſi quid veri ſit in verbis *R. Judah*, quòd fuerit urbs quædam nomine עורבו, *Orbo*, propè *Bethsbeanem*, vel ſitum torrentis *Cherith* invenimus, vel ſaltem ubi ille eum fluxiſſe eſt opinatus.

Latuiſſet æternùm in tenebris torrens iſte, ni juxta eum latuiſſet *Elias* : at locus ejus & adhuc latet. Sunt Tabulæ quæ eum ultra *Jordanem* ſtatuunt, & ſunt quæ cis ; aliæ hîc, aliæ illîc incertò & vagabundè. Præſertim verò *Joſephum* miror, qui dicit quòd Ἀνεχώρησεν εἰς τὰ πρὸς νότον μέρη, ποιήμενος παρὰ χειμάῤῥῳ τινὶ τὴν διατριβήν. *Antiquit.* lib. 8. cap. 7. Cùm Deus planis verbis dicat, ופנית לך קדמה, Et convertes te, vel *tendes verſus Orientem* : nam jam tum erat in *Samaria*.

Addit Deus, *Abſconde te ad torrentem Cherith*, אשר על פני הירדן, *qui eſt coram Jordane*. Sic, inquies, erat unuſquiſque torrens qui fluxit in *Jordanem* : At ſenſus verborum, *qui eſt coram Jordane*, hic eſt, qui ut pergis ad *Jordanem*, eſt citra *Jordanem*, in eum fluens. Ita ut quamvis de creaturis *Eliam* paſcentibus hallucinetur Rabbinus, de loco torrentis forſan non hallucinetur adeò.

De Ὁρίοις Τύρου καὶ Σιδῶνος, & de *Regione Decapolitana* diſſerendi occaſionem præbuit, hiſtoria fœminæ *Syrophœniſſæ* Chriſto ſupplicantis pro filia ſua dæmoniaca, & receſſionis Chriſti inde per *Decapolin* ad *mare Galilææ*. Et jam expeditâ locorum perluſtratione, de ipſa fœmina verbum unum. Dicitur à *Marco* Ἕλληνις Συροφοίνισσα, quod abſque omni ſcrupulo eſt : at cùm dicitur à *Matthæo* Χαναναία, eſt obſcurius. Si ea, quæ ad locum iſtum diximus in Animadverſionibus noſtris *in Matthæum*, cuiquam non placent, hæc addantur, I. Quòd *Canaan* & *Phœnicia* τοῖς LXX. aliquando convertuntur. *Joſu.* 4: 1, 12, *&c.* II. Si dixerim quod Ἕλληνις & Χαναναία etiam convertuntur, riſum forſan crearet, at non apud Judæos, qui omnes ſervos & famulas qui non ſunt Hebræi ſanguinis, vocant *Canaanæos*. Trita eſt diſtinctio inter עבר עברי, *ſervum Hebræum*, & עבד כנעני, *Servum Canaanæum* ; atque ita in ſexu fœmineo. Jam verò *ſervus Canaanæus*, inquiunt, eſt ſervus ex quâvis gente, præter Hebræam. Conjice hanc fœminam fuiſſe talem, & nihil obſcuri eſt in ejus agnominatione : quòd nempe fuerit fœmina ſervilis, origine Ethnica, atque inde, vulgò apud Judæos nota titulo שפחה כנענית, *Ancillæ Canaanææ*.

CAP.

Digitized by Google

CAP. VIII.

Emenſurationes quædam.

I. *Menſuræ Judæorum.* II. *Eorum emenſuratio terræ per dietas.* III. *Et emenſuratio latitudinis terræ intra Jordanem.* IV. *Ptolemæus conſultus & emendatus.* V. *Plinius corrigendus.* VI. *Longitudo terræ ex Antonino.* VII. *Latitudo viarum.* VIII. *Diſtantia ſepulchrorum ab urbibus.*

§. I. *Menſuræ Judæorum.*

OBtinuit apud Judæos, *Gloſſ. in Bava Mezia*, fol. 28. 1. *Terram Iſraëliticam fuiſſe quadraturæ quadringentarum Parſarum.* Et delectantur, neſcio qui & quare, hoc numero & menſurâ.

Megill. fol. 3. 1. *Jonathan ben Uzziel interpretatus eſt ab ore Haggæi, Zachariæ & Malachiæ*, ונזדעזעה א״י ד׳ מאות פרסה על ד׳ מאות פרסה, *Et commota eſt terra Iſraëlitica quadringentis Parſis undiquaque.*

Bava Kama, fol. 82. 2. *Cùm porcus ſurſum traheretur ſuper muros Hieroſolymæ, atque ungues infigeret, quaſſata eſt terra Iſraëlitica per quadringentas Parſas undiquaque.*

Parſa, פרסה, continuit intra ſe quatuor milliaria.

Decem Parſæ, inquit Gloſſa *in Peſachin*, fol. 93. 2. *ſunt quadraginta milliaria:* quod & fusè probari poſſet aliunde, ſi foret opus. Ita ut *quadringentæ Parſæ* [vel Paraſangæ] fuerint mille & ſexcenta milliaria. Quam menſuram cur terræ *Iſraëliticæ* aſcripſerint ab unoquoque latere quadraturæ ſuæ, an ab emenſurationibus *Ezechielis*, an aliunde, hîc non quærimus. At hoc non obſervare non poſſumus, eundem numerum memorari, & forſan eandem menſuram intelligi, *Apocal.* 14:20. *Exivit ſanguis è lacu uſque ad frænos equorum per ſtadia mille ſexcenta.* Ubi Arabs, אמיאל אלף וסתמאירת, *Per ſpacium milliariorum mille ſexcentorum.*

Menſurant Talmudici, aliquando per *milliaria*, aliquando per *Parſas*, aliquando per *dietas*. Unamquamque harum comperies apud eos frequentiſſimè.

De milliari Talmudico, hanc accipe ipſorum commonefactionem.

Bava Mezia, fol. 33. 1. אחד משבע ומחצה במיל וזה הוא ריס, *Conſtitiſſe* nempe *illud* [non octo, ut Græcum & Romanum, ſed] *ſeptem ſtadiis & dimidio.* Nam qua alia voce vertenda ſit ריס, nec quidem novi, nec aliâ arbitror eſſe vertendam.

Et hanc etiam de *dieta*.

Peſachin, fol. 93. 2. *Dicit R. Jochanan.* כמה מהלך אדם ביום, *Quantum eſt iter hominis die uno?* י׳ פרסאות *Decem Parſarum. A prodeunte primùm aurorâ ad ortum ſolis, quinque milliaria: ab occaſu ſolis, donec appareant ſtellæ, quinque milliaria.* פשו לה תלתין חמיסר מצפרא לפלגא יומא, *Reſtant triginta; quindecim à mane ad meridiem:* וחמיסר מפלגא דיומא לאורתא, *Quindecim à meridie ad veſperam.*

En tibi iter diarium, uno ſenſu quadraginta milliarium, id eſt, quantum uno die confici poteſt; & alio ſenſu triginta, id eſt, quantum uſitatiſſimè confici ſolet: ubi & ab iis etiam es monendus, computari hæc כיום בינוני, *ſecundum diem æquinoctialem.*

Comminiſcuntur *Saulum* uno die ſexaginta milliaria peragrâſſe, ut & *Iſraëlitas* à *Jordane* ad montem *Gerizim:* at vulgatiſſimè de dieta dijudicant, ſecundum quod eſt dictum, nempe ſub ea comprehendi triginta milliaria. *Midr. Till.* fol. 7. 4. *Gloſſ. in Sanhedr.* fol. 44. 1.

Et huc adducantur iſta *Peſachin*, ubi ſupra. אי זו היא דרך רחוקה, *Quænam eſt via longinqua?* מן המודיעים ולחוץ וכמדתה לכל רוח, *A Modim* [ſepulchris *Maccabæorum*] *& porrò, & ſecundùm hanc menſuram ab unoquoque latere. Dicit ultrà. A Modim ad Hieroſolymam erant quindecim milliaria.*

Diſputatur ſuper illud, *Num.* 9:10. ubi præcipitur ut unuſquiſque celebret Paſcha menſe primo, niſi ſit immundus, או בדרך רחוקה, *aut in via longinqua*, & concluditur, per *viam longinquam* intelligendam eſſe diſtantiam quindecim milliarium ad minimum, quæ erat dimidium dietæ vulgaris.

§. II. *Judæorum emenſuratio terræ per dietas.*

QUærunt Magiſtri, *Bava Mezia*, fol. 28. 1. *Quamdiu tenetur quiſquam ad manifeſtandum publico præconio, de aliqua re reperta? R. Judah dicit, Tribus feſtis & ſeptem diebus poſt feſtum ultimum. Nempe ut triduo quis domum redeat quæſitum an aliquid perdiderit, triduo redeat* [Hieroſolymam] *& ſuperſit adhuc dies unus publico præconio.* [Gloſſ. Ut ipſe præconium edat, Ego tale quid perdidi, & hæ ſunt ejus notæ.] *At objiciunt, Tertio die menſis Marheſhvan orant pro pluviis. Rabban Gamaliel dicit, ſeptimo iſtius menſis, qui eſt dies decimus quintus à feſto Scenopegiæ: nempe ut poſtremus inter Iſraëlitas* [qui aſcenderant ad feſtum] *accedat ad Euphratem, & non prehendant eum pluviæ.*

Præſumitur ex hac Traditione, ultimum limitem terræ *Iſraëliticæ* fuiſſe intra iter triduanum

num ab *Hieroſolyma*, nec pravè; atque ſub eadem conditione reputantur ultimi termini *trans Jordanicæ*, nempe quòd diſtantiam iſtam non exceſſerint: at quantum ad eam non acceſſerint in dubio relinquitur. Rem iſtam hìc loci decernere non eſt inſtituti noſtri: illud quod proſequimur eſt, ut latitudinem terræ intra *Jordanem* emetiamur.

§. III. *Talmudicorum emenſurati o latitudinis terræ intra Jordanem.*

CElebris apud eos erat Traditio, & gentis conſuetudo, de qua mentionem aliquam habuimus alibi, כרם רבעי היה עולה לירש' מהלך יום אחר לכל צד, *Ut Vinea quadriennis aſcenderet Hieroſolymam itinere diario ab unoquoque latere. Maaſar Sheni*, cap. 5. halac. 2.

Senſus Traditionis hic eſt. Decimæ ſecundæ aut ipſæ comedendæ erant *Hieroſolymis*, aut venundatis iis domi, afferebatur nummus *Hieroſolymas*, unde coëmpta ſunt quædam, quæ ibi comedebantur. Jam verò cautum eſt hoc canone, ut decimæ vinearum quæ erant intra dietam ab urbe, non venundarentur, ſed ipſæ apportarentur *Hieroſolymas*, atque ibi comederentur.

At אי זו היא תחומה, *Quinam ſunt limites, inquiunt, itineris iſtius diarii?*

אילת מן הדרום :, *Elath ab Auſtro.*

עקרבת מן הצפון :, *Acrabatti ab Aquilone.*

לוד מן המערב :, *Lydda ab Occidente.*

ירדן מן המזרח :, *Jordanes ab Oriente.*

Sic *Miſhnah* utraque. At *Gemara Babylonica, Bezah*, fol. 5. 1. *Roſh Hashanah*, fol. 31. 2. legit, אילת מן הצפון ועקרבת מן הדרום, *Elath ab Aquilone, Acrabatti ab Auſtro.* Quâ ratione & quo ſenſu hæc conveniunt, enodare nituntur Commentatores obſcurè ſatis: ſed non tanti eſt ut immoremur.

Elath in mentem revocat quædam, quæ dicuntur à *Notitia Imperii* Orientalis. Ubi, *ſub diſpoſitione viri ſpectabilis Ducis Palæſtinæ*, ſubſtituitur inter alios, *Præfectus Legionis Decimæ Fretenſis Ailæ.* Ubi Pancirolus. *Ailam in littore maris rubri poſitam fuiſſe* D. *Hieron. in* Cap. 47. Ezech. *ita ſcribit. Lingua maris rubri, in cujus littore Aila poſita eſt, ubi nunc moratur Legio & præſidium Romanum. Idem de loc. Hebr. Aila, inquit, in extremis finibus Palæſtinæ, juncta Meridianæ ſolitudini, & mari rubro, unde ex Ægypto in Indiam, atque inde in Ægyptum navigatur. Sed & ibi legio Romana cognomento Decima.*

Non audemus tanto oraculo contrariari; aliter ad *Elath* hanc noſtram recurrerent cogitationes meæ, idque hac præſertim ratione, quòd duriuſculum videatur, præſidium ad mare rubrum ſubſtituere *ſub Duce Palæſtinæ*, cùm tantùm diſtaret illud à *Palæſtina*, foretque Dux *Arabiæ* [in qua *Elath* ad mare rubrum] æquè ac *Palæſtinæ*.

Vides Patres Traditionum emenſurantes à *Lydda* per *Hieroſolymam* ad *Jordanem* duplici diario: ſed & hìc iterum in incerto nos relinquunt de latitudine terræ; quippe quòd *Lydda* non foret ad extremam terræ oram ab iſto latere. Ni fortè dixeris, quòd quodcunque ſpatii interceſſit inter *Lyddam* & mare, erat מדינת הים, æſtimatum ut terra Ethnica, cùm *Caphar Lodim*, quæ in interſtitio iſto erat ſita, nec longè à *Lydda*, meliorem notam non ſubierit, *Gittin*, cap. 1. halac. 1. Certiores ergo calculos & radium fideliorem, ſi fieri poſſit, acquiramus.

§. IV. *Ptolemæus conſultus & emendatus.*

LAtitudinem hujus terræ ubique eandem eſſe, ridiculum foret vel ſomniare: cùm maria utrinque terminantia, hinc *Mediterraneum*, illinc *Sodomiticum, Geneſariticum, Samochoniticum*, atque inter iſta labens *Jordanes* non poſſint non flexuoſa ſinuoſitate ſua ſpatium reddere admodùm inæquale.

Probatum hoc habe è *Ptolomæo* in littore Mediterranei, *Tab. Aſiæ*, cap. 6.

Sic ille.

Καισάρεια Στράτωνος,	ξς´ δ´
Ἰόππη,	ξε γ´
Ἰαμνειτῶν λιμὴν,	ξε
Γαζαιῶν λιμὴν,	ξε ς´
Γάζα,	ξε γ´ ιβ

Sic Latina ejus verſio.

Cæſarea Stratonis,	66. 15.
Joppa,	65. 40.
Jamnetorum portus,	65.
Gazæorum portus,	64. 45.
Gaza,	65. 26.

Et plura ejuſdem variationis.

De ultimis, *Gazæorum* ſcilicet *portu*, & *Gaza* ipſa, eſt cur meritò hæſites. Ipſi *Ptolemæo*, ut vides, *Gazæorum portus* eſt in ξε ς´. 65. 45. Interpres autem Latinus habet 64. 45. Nec quidem ſine ratione, cùm ipſa *Gaza* ſit tantum in 65. 26.

At quidem è converſo probabilius eſt *Gazæorum portum* ſtatuendum eſſe in 65. 26. & *Gazam* ipſam in 65. 45. ubi per *portum* minimè intelligendus eſt iſte locus quo applican-

Digitized by Google

cantes naves ſeſe exonerârunt, ſed totus ſinus intra promontoria, in mare ſe protrudentia, comprehenſus. Cujus protruſionis ultimum apicem concipias in grad. 65. 26. Ab urbe 19. minutis.

Si *Ptolemæum* ergò cum hac emendatione ſequi velis in emenſuratione latitudinis terræ inter *Gazam* & *Aſphaltiten*, rem ſic accipe.

Eſto *Gaza* in grad. 65. 45. Et illi etiam Ἀσφαλτίτιδος τὸ μέσον ἐπέχει μοίρας ξϛ' ν'. Latin. verſ. *Aſphaltitis medium continet gradus* 66. 50. A *Gaza* ergò ad medium *Maris mortui*, erit totus gradus ἱς & 5. minuta, quibus reſpondent LXV. M. paſſ. & v. minut. Unde ſi medietatem Aſphaltitis detraxeris, ſupererunt lv. M. paſſ. aut circiter, ab ejus littore ad *Gazam*.

§. V. *Plinius corrigendus.*

HIc etiam non poſſum non vel emendare lectionem *Plinii*, vel ſaltem emendandam oſtendere, apud quem jam ſic legimus.

Natur. Hiſt. lib. 6. cap. 28. *Deinde Nabatæi oppidum incolunt Petram nomine, in convalle, paulo minus* 2. M. *paſſ. amplitudinis, circundatum montibus inacceſſis, amne interfluente. Abeſt à Gaza oppido littoris noſtri* D. C. M. *A ſinu Perſico* CXXII. M. *Huc convenit utrumque bivium, eorum qui Syriæ Palmyram petiêre, & eorum qui ab Gaza venerunt.* Verba iſta, *Abeſt à Gaza*, &c. ea ſunt quibuſcum nobis res eſt.

Quid? D. C. M. Sexcenta milliaria à *Gaza* ad *Petram* Metropolin Moabitarum? Miror doctiſs. *Heidmannum*, *Palæſt.* cap. 7. §. 6. hæc tam molliter abſorpſiſſe, atque abſque ulla nauſeatione.

At liceat mihi conjectari, *Plinium* in Autographo ſuo ſic ſcripſiſſe, *Abeſt à Gaza oppido littoris noſtri* CX. M. Aſt incuriâ librariorum, literam numericam X diſſectam fuiſſe in dichotomiam hoc modo ɔc, ſiniſtramque ejus medietatem coaluiſſe tandem cum C præcedente in hunc modum cɔ & ſic in D evaſiſſe. Dextramque pro C, vel numero centenario reputatam manſiſſe.

Utcunque in conjectura hac noſtra hallucinari poſſumus, at certè de ſpatio numeroque milliarium non hallucinamur adeò. Nam datis xxxviii, aut circiter, milliaribus, inter *Petram* & *Aſphaltitin*, & conceſſis xx. aut circiter, milliaribus latitudini iſtius maris, [ut aliqualiter medium incedamus inter *Plinium* & *Joſephum* de ejus latitudine] tum ſuperſunt è CX. M. quæ nos ſupponimus ſcripſiſſe *Plinium*, LII. aut circiter, ab iſto mari ad *Gazam*. Quod non longè quidem à ſcopo aberrat. At toto quidem cœlo aberratur, dum aſſignantur DC M. paſſ. à *Gaza* ad *Petram*. Supputationi certè noſtræ favebis, & conjecturæ de injuria *Plinio* à librariis illatâ, cùm obſervaveris primum littus *Gazæ*, *Ptolemæo* eſſe, ut diximus, in grad. 65. 26. & *Petram* eſſe tantùm in grad. 66. 45.

Demus igitur LII. aut LIII. aut circiter milliaria latitudini terræ à littore *Mediterranei maris* ad *Aſphaltiten*; plura neceſſe eſt ut tribuas, inter littus *Mediterranei*, & *Jordanem*; quippe quòd, quò latior *Aſphaltitis*, eò ipſa terra minùs lata: & ſic etiam de mari *Geneſaritico* & *Samochonitico* eſt dicendum. Nec ab iis dilatatis ſolùm coarctata eſt *Galilæa*, ſed & ditionibus *Tyro-Sidoniis* intercurrentibus inter eam & mare.

Ità ut fruſtrà foret latitudinem terræ ubique exactam inveſtigare: & ridiculum foret, unâ aliquâ menſurâ aut extenſione metiri.

Bene eſt, ſi hîc illîc commodâ aliquâ conjecturâ vel rem propè attingas, vel non multùm aberres. Certior videtur determinatio de terræ longitudine, dum per oppida emenſuratur & urbes, à *Sidone* ad fluvium *Ægypti*: at hîc nec omnibus idem ſpatium, & alibi etiam emenſuratio longè incertior.

§. VI. *Longitudo terræ ex Antonino.*

Sic *Itinerarium Antonini.*

A Sidone Tyrum,	M. P. xxiv.	Phœnicia.
Ptolemaidam,	M. P. xxxii.	
Sicamina,	M. P. xxiv.	
Cæſarea,	M. P. xx.	
Betaro [a],	M. P. xviii.	[a] Palæſtina.
Dioſpoli,	M. P. xxii.	
Liamnia,	M. P. xii.	
Aſcalona,	M. P. xx.	
Gaza,	M. P. xvi.	
Rapa,	M. P. xxii.	
Rhinocolura,	M. P. xxii.	
	CCXXXII.	

Emenſuravimus alibi hoc ſpatium funiculis *Plinii* & *Strabonis*, tredecim milliaribus hoc numero minùs: ubi ſi quid erroris in computum irrepſerit, crimen ferat *Guilj. Tyrius*, qui limites *Phœniciæ* quatuor aut quinque milliaribus tantùm protendit à *Tyro* versùs Auſtrum.

At quid dicendum de Itinerario alio, quod an *Antonini* ſit, definire non audeo, ubi ſic habetur.

A Cæſarea Betaron, M. P. xxxi.

Dioſpolin, M. P. xxxviii. Supputatione priorem excedente xxix milliaribus.

Eſt & ibidem, quod quomodo cum *Joſepho* reconciliemus, non eſt in promptu: nam dicitur

A Neapoli Æliam, M. P. xxx.
Eleutheropolim, M. P. xx.
Aſcalonem, M. P. xxiv.

Ubi ab *Ælia* vel *Hieroſolyma* ad *Aſcalonem* excurrunt tantùm xliv. M.P. Cùm de *Aſcalone* dicat *Joſephus, de bello*, lib. 3. cap. 2. quòd erat τῶν Ἱεροσολύμων εἴκοσι πρὸς τοῖς πεντακοσίοις ἀπέχουσα σταδίους· *diſtans Hieroſolymis* dxx. *ſtad.* vel lxv. M. P. Chaſma quidem aliquantum ab hoc repletur, quòd *Aſcalon nova* propior erat ab *Hieroſolyma* quàm vetus, ſedecim milliaribus, referente *Benjamino*.

An *Betaron* eadem fuerit cum ביתר, ubi horrenda iſta ſtrages ſub Ben *Cozba*, non hìc diſputabitur: *Liamniam* pravè ſcriptam pro *Jamnia* minimè dubitandum. Et jam ſequamur *Antoninum* ad *Peluſium*.

Rhinoculura,
Oſtracena, M. P. xxiv.
Caſſio, M. P. xxvi.
Pentaſcino, M. P. xx.
Peluſio, M. P. xx.

Quæ quomodo conveniant cum *Plinio* qui lxv. M. P. tantùm numerat à *Peluſio* ad *finitam Arabiam*, videl. ad *Sirbonem*, cui confinis *Rhinocolura*, ego non dixerim. Hoc aliàs dixerim, quòd mirum eſt Tabulas aliquas, *Sirbonem* ſtatuiſſe inter *Caſium* & *Peluſium*, cùm contrarium & hìc, & apud *Plinium* & *Strabonem* pateat apertiſſimè. Errorem hauſerunt forſan à *Ptol.* vel ſaltem ejus Interprete, cui *Caſſium* eſt in latitud. grad. 31. 15. Eruptio autem *Sirbonidis* in 31. 10.

§. VII. *Latitudo viarum.*

TRadunt *Rabbini*, *Bav. Bathra*, fol. 99. 2. *Via privata* [דרך היחיד] *eſt quatuor cubitorum. Via ab urbe in urbem eſt octo cubitorum. Via publica* [דרך הרבים] *eſt ſedecim cubitorum. Via ad civitates refugii eſt triginta duorum cubitorum. Via regis non habet menſuram: nam rex poteſt ſepes perfringere, ut ſternat ſibi viam. Et via ad ſepulchrum non habet menſuram*, משום יקרא דשכבי, *ob honorem mortui*. Confer *Matth.* 7. 13, 14.

Inter *viam ab urbe ad urbem*, & דרך הרבים, *viam publicam*, hoc erat diſcriminis: quòd *via publica* ea erat, per quam omnes urbes tranſierunt; *via ab urbe ad urbem*, ea erat, per quam tranſiit hæc urbs ad iſtam, atque iſta ad hanc; ſed non urbs aliqua alia iſtâc tranſiit.

Via *iſta ab urbe in urbem, erat octo cubitorum*, inquit Gloſſ. *Ut ſi fortè duæ quadrigæ occurrerent, daretur ſpatium tranſeundi.*

Via ad ſepulchrum menſuram non habuit, nè comitantes feretrum, ob anguſtiam viæ, ſegregarentur.

Addunt, המעמד דייני צפורי אמרו בית ד' קבין, *Statio, ut dicunt Judices Zipporienſes, eſt quantum recipit quatuor cabos.*

Per Stationem intelligunt locum, ubi à ſepulchro redeuntes, circumſtant lugentem, ut eum ſolentur.

Beracoth, fol. 16. 2. עברים ושפחות אין עומדין עליהם: *Pro ſervis & ancillis non ſtant, nec pro iis dicunt benedictionem lugentium.* Gloſſ. *Cùm redirent à ſepulchro*, היו עושים שורות, *ſteterunt ſeriatim circa lugentem, ſolantes eum. Et ſeries iſta conſtitit non è paucioribus quàm decem.*

Gloſſ. *in Chetubb.* fol. 8. 2. *Sedere eum fecerunt, atque ipſi ſteterunt circùm.*

בית ד' קבין, *Fundus recipiens quatuor cabos ſeminis*, inquit Gloſſa, *eſt triginta tres cubitos & duos palmos latus, & quinquaginta longus.*

§. VIII. *Diſtantia ſepulchrorum ab urbibus.*

SEpulchreta *non erant prope urbes*, לא היו בתי קברות סמוכין לעיר: verba ſunt Gloſſatoris in *Kiddushin*, fol. 80. 2. idque ſuper hanc traditionem. *Per omnes triginta dies effertur in ſinu matris, & ſepelitur à fœmina una, & duobus maribus; at non à viro uno, & duabus fœminis.* Senſus hic eſt. Infans moriens ante triceſimum ætatis diem, feretro opus non habet, ſed in ſinu matris effertur ad ſepulturam, comitantibus duobus viris; at non effertur à duabus fœminis comitante uno tantùm viro. Ratioque hæc redditur: Quia cùm longiùs ab urbe diſtarent cœmiteria, fieri poterat ut ab uno viro allicerentur duæ fœminæ ad ſcortationem, cùm jam diſtarent à conſpectu hominum: at non tam promptè conſpirarent duo viri ad conſtuprandam unam fœminam.

Proferunt exempla. *Fœmina quædam*, inquiunt, *infantem vivum extulit, ac ſi mortuum, ut mœcharetur cum eo qui eam comitatus eſt ad ſepulchretum.* Et *decem viri fœminam vivam extulerunt, ac ſi mortuam, ut eam conſtuprarent.* Oblitus tui certè es, O *Judæe*, dum modò dicis, Duos viros vix conſpiraturos in ſtuprationem ejuſdem fœminæ; modò, Decem conſpiràſſe.

Cœmiteria diſtabant à civitatibus Leviticis bis mille cubitis, ab omnibus aliis civitatibus multo ſpatio, ſi non eodem: Quantùm cum iis hac in re conveniret aut non conveniret *Hieroſolyma*, aliàs obſervandum.

CAP.

CAP. IX.

Loca quædam ſparſim notata.

I. *Præſidia Romana.* II. *Zin* צין, *Cadeſh* רקם. III. אונו *Ono.*

DE locis quibuſdam hinc inde ſparſim notatis dicturi, ordiamur à Præſidiis Romanis, quæ erant ſparſa per totam terram: idque facimus eò lubentiùs, quòd *Notitia Imperii*, unde ea exſcribenda, non adeò vulgariter in manibus omnium teratur.

NOTITIA.

Sub Diſpoſitione viri ſpectabilis Ducis Palæſtinæ.

Equites Dalmatæ Illyriciani Beroſabæ.
Equites Promoti Illyriciani Menoide.
Equites Scutarii Illyriciani Chermulæ.
Equites Mauri Illyriciani Æliæ.
Equites Thamudeni Illyriciani Bitſanæ.
Equites Promoti Indigenæ Sabaiæ.
Equites Promoti Indigenæ Zodocathæ.
Equites Sagittarii Indigenæ Havanæ.
Equites Sagittarii Indigenæ Zoaræ.
Equites primi Fælices Sagittarii Indigenæ Palæſtinæ Saburæ, ſive Veterocariæ.
Equites Sagittarii Indigenæ Mohaile.
Præfectus Legionis Decimæ Fretenſis Ailæ.
Et quæ de minore laterculo emittuntur.
Ala prima miliaria Sebaſtena Aſuadæ.
Ala Antana Dromedariorum Admathæ.
Ala Conſtantiniana Tolohæ.
Ala Secunda Fælix Valentiniana apud Præſidium.
Ala Prima miliaria haſtæ.
Ala Idiota conſtitutæ.
Cohors Duodecima Valeria Afro.
Cohors Decima Carthaginenſis Carthæ.
Cohors Prima Centenaria Tarbæ.
Cohors Quarta Phrygum Præſidio.
Cohors Secunda Gratiana Jehybo.
Cohors Prima equitata Calamonæ.
Cohors Secunda Galatarum Arieldelæ.
Cohors Prima Flavia Moleahæ.
Cohors Secunda Cretenſis juxta Jordanem fluvium.
Cohors Prima Salutaria inter Æliam & Hierichunta.
Officium autem habet ita.
Principem de Schola Agentium in rebus.
Numerarios & Adjutores eorum.
Commentarienſem.
Adjutorem.
A libellis, ſive Subſcribendarium.
Exceptores & cæteros Officiales.

Hæc NOTITIA.

§. II. *Zin* צין, *Cadeſh* רקם.

NOminantur hæc loca in linea terram à Meridie terminante, *Num.* 34. & *Joſ.* 15.

Docent nos *Judæi* nuncupatum fuiſſe *Deſertum Zin* à monte iſtius nominis, montemque ſic vocatum à *Palmetis:* nobilemque eum fuiſſe *ferrifodinis.* Nam verba iſta *Numer.* 34: 4. ועבר צנה à *Targ. Hieroſ.* redduntur, ועבר טור פרולא, *Et tranſit limes per montem ferri. A Jonath.* ועבר לציני טור פרצלא, *Et tranſit ad palmas montis ferri.*

ציני Talmudicis ſunt *Palmæ minores.*

Bava Bathra, fol. 69. 2. *Rabb Judah dicit, Qui vendit vicino fundum, neceſſe habet ut ſcribat, Poſſide tibi* דקלין ותאלין והוצין וצינין. Interpres pro nobis eſto *Aruch.*

דקלין *Sunt palmæ celſiores.*
תאלין *Sunt reliquæ arbores majores.*
הוצין *Sunt reliquæ arbores minores.*
ציני *Sunt palmæ minores.*

Et Talmudici rurſus, *Succah*, cap. 3. halac. 1.

ציני הר ברזל כשרים, *Palmæ montis ferri ſunt idoneæ*, ad conficiendum faſciculum manu geſtandum in feſto Scenopegiæ. Ubi Gloſſ. ציני *Sunt palmæ minores.*

Videtur ergò montanum aliquod hoc fuiſſe, ipſis terræ Iſraëliticæ limitibus viciniſſimum, palmis humilioribus atque ferrifodinis celebre, à palmis dictum צין, & à nomine iſto regionem adjacentem, quæ eremoſa, denominans.

Cadeſh, Interpretibus Orientalibus רקם, erat terræ limes, ipſa tamen fere ac ſi extra terram. Hinc iſta, *Gittin*, cap. 1. halac. 1. & *Jevam.* fol. 16. 1. *Qui libellum reportat à loco Ethnico*, &c. *Imò qui à Rekam.* Et *omnes maculæ quæ veniunt à Rekam, ſunt mundæ.* Gloſſ. *Maculæ aliquæ in veſtibus* [profluvioſæ ſcilicet] *quæ venerunt à Rekam, mundæ erant, quia non determinârunt de maculis alienigenarum.*

Gloſſ. alia. *In Rekam fuerunt Iſraëlitæ, & tamen maculæ venientes à Rekam ſunt mundæ, quia Iſraëlitarum ſunt, atque Iſraëlitæ abſcondunt maculas ſuas*, &c.

Cades, referente *Breidenbachio*, Arabibus dicitur *Cavvatha:* nam ſic ille: *Tandem in regionem quandam venimus, quæ linguâ Arabicâ Cavvatha appellatur, ſed Latinâ*

Digitized by Google

tinâ Cades. Quæ dum legimus, ſubeunt ea quæ diſſerit vir admirandæ eruditionis, Cl. *Eduardus Pocokius*, S. T. D. de voce *Kavva*, in doctiſſ. ſuis *Notis Miſcellan.* pag. 48, 49, &c. quòd ſignificet *vociferationem*, *clamorem*, &c. cui an vox נועה & ניעה, quâ *Rekam* etiam denominatur, quæ *mugitum* denotat, ullo modo reſpondere poſſit, magni iſtius linguarum oraculi eſt judicare potiùs, quàm tenuitatis noſtræ.

§. III. אונו *Ono.*

DIſtabat *Ono tribus milliaribus à Lydda. Dixit* R. Jacob ben דוסתאי, *Doſithei. A Lydda ad Ono ſunt tria milliaria, egoque tempore quodam, ante diluculum illuc profectus ſum, ad talos uſque in melle ficuum.* R. Simai *&* R. Zadok *profecti ſunt intercalatum annum in Lydda, & Sabbatizârunt in Ono. Juchaſ.* fol. 39. 2. *Babyl. Chetubb.* fol. 3. 2. *Cholin*, fol. 56. 2. *Hieroſ. Megill.* fol. 70. 1.

Muris cinctam hanc urbem opinantur Talmudici, jam inde à diebus *Joſuæ*; at flammis abſumptam in bello *Gibeitico:* quia dicitur, *Omnes etiam civitates ad quas pervenerunt, miſerunt in ignem, Judic.* 20: 48. Reædificatam verò ab *Elpaal Benjamita*, 1 *Paralip.* 8: 12. Dicit *R. Lazar* ben *R. Joſah. Exciſa erat in diebus concubinæ in Gibeah*; at *proſtitit Elpaal, atque eam reſtauravit.*

Conjungitur cum *Lod* & *Ono*, etiam גיא החרשים, vel *vallis fabrorum*, *Nehem.* 11: 35. quam quidam è *Judæis*, urbem ſingularem putant; eamque mœnibus cinctam à diebus *Joſuæ*. *At dicit* R. Chananiah *nomine* R. Phineas, לוד ואונו הן גיא החרשים, *Lod & Ono, ipſæ ſunt vallis fabrorum.*

Iſte *R. Chananiah erat* איש אונו, *civis urbis Ono*, celebris inter Rabbinos, *unus è quinque doctis qui judicarunt coram Sapientibus. Hi fuerunt, Ben Azzai, Ben Zuma, Chanan, & Chananiah, & Ben Nanas. Juchaſ.* ubi antè.

Cur Tabulæ *Lod* & *Ono* diſpoſuerint prope *Jordanem*, non longè à *Jerichunte*, non alia occurrit mihi ratio, quàm quòd apud *Joſephum* reperiatur oppidum *Adida*, non longè inde diſſitum, connumereturque *Hadid* cum *Lod* & *Ono* in *Ezr.* 2: 33. compinguntur que *Lod* & *Hadid* in vocem unam Λοδαδὶ, *Ezr.* 2: 33. & Λοδαδὶδ, *Nehem.* 7: 37. à LXX. Interpretibus. At plura erant loca nomine *Adida* nuncupata, ita ut vacillet ratio iſta, ſi iſta fuerit ratio. Nam erat Ἀδιδὰ ἐν τῇ Σεφηλᾳ, *Adida in valle.* 1 *Macc.* 12: 38. Et Ἀδιδα πόλις ἐπ' ὄρυς κειμένη, *Urbs Adida in monte*, ὑφ' ἧς ὑπέκειτο τὰ τῆς Ἰουδαίας πεδία, *Joſeph. Antiquit.* lib. 13. cap. 13. Et *Adida in Galilæa, coram planitie magna*, ſi ea non eadem fuerit cum Ἀδιδὰ ἐν τῇ Σεφηλᾳ. 1 *Maccab.* 13: 13.

De *Lydda*, quam prope jam ſumus, cùm de *Ono* agimus, illud animadvertatur in gratiam tyronum, quod monet Gloſſ. in *Taanith*, *Lyddam vocari etiam* לודקיא *Lodiceam:* & frequens quidem occurrit mentio de הרוגי בלוד, *martyribus in Lydda*, quod & profertur aliquando הרותי בלודקיא, ut in iſta hiſtoria, *Taanith*, fol. 18. 2. inter loca alia, כשנקש טוריינוס להרגו את לולונוס ופפוס אחיו בלודקיא, *Cùm conaretur Tyrannus* [vel Trajanus] *interficere Lolienum* [forſan *Julianum*] *& Papum fratrem ejus, in Lodicea*, &c. [Gloſſ. לודקין היא לוד] *Dixit iis, ſi vos de populo Ananiæ, Michaelis, & Azariæ eſtis, veniat Deus veſter, & vos liberet è manu mea.*

Celebratur admodùm fratrum horum martyrium, quod ſubierunt propter filiam Regis, quæ reperta eſt interfecta, & dixerunt hoſtes *Judæorum*, quòd *Judæi* eam interfecerant, & hi fratres, ut *Iſraëlem* liberarent, dixerunt, Nos eam interfecimus, eos ergò ſolos Rex interfecit. Sic Gloſſ.

Mentio eſt de סנדל לדיקי, in Tractatu *Kelim*, cap. 26. halac. 1. quod an eundem locum ſpectet, & reddendum ſit *Sandalium Lyddenſe*, non patet. Cum eo memoratur etiam סנדל עמקי, *Sandalium Emkæum:* à כפר עמקי, *Caphar Imki* dictum, cujus loci memoria eſt in Tractatu *Taanith*, ubi dicitur, *Civitas è qua ſunt quingenti pedites, ut Caphar Imki, &c.* Sic locum citant & nomen urbis proferunt *Aruch* & *R. Solomon*, כפר עמקי; at in textu Talmudico eſt כפר עמיקי, *Taanith*, fol. 21. 1. De qua re non litigabimus.

CAP. X.

De variis terræ incolis.

I. *Ea, terra Hebræorum, antequàm Canaanæorum.* II. *Unde Canaan pars tantùm Canaanis. Judic.* 4: 1. III. *Perizzæi quinam.* IV. *Kenæi.* V. *Rephaim.*

§. I. *Terra Hebræorum ea, antequàm Canaanæorum.*

DIcitur *Abrahamus* עברי, *Hebræus*, tum ſolùm, cùm bello inter eum decernendum foret, & *Elamitas*. Ratioque cognominationis eſt ab ipſa re petenda quæ tum tranſigebatur.

I. Jus

Digitized by Google

I. Jus hæreditarium terræ ſanctæ, quæ diſpoſitione divina erat terra *Semi*, meritò vendicabat *Elam Semi* primogenitus, nec erat quiſquam de *Semi* filiis, ad quem judicio humano, æquiùs juſtiùſque devolveretur. Aſt aliò eam deſignaverat judicium conſiliumque divinum, ceſſuram ſcilicet, familiæ *Arphaxadicæ* atque *Hebericæ*, è qua familia *Abrahamus*. Illum ergò contra exercitum *Elamiticum* roborat Deus, & victoriâ ſtupendâ hæredem declarat: quod & facit pariter ipſe *Semus*, illi benedicens, quamvis filios ſuos *Elamitas*, primogenito ſuo *Elamo* natos, prælio ſtraviſſet. Agnovit ſcilicet vir ſanctiſſimus, vates idem maximus, nobiliſſimuſque, conſilium Dei, cui ob cædem ſuorum tam minimè adverſatur, ut è contra victori benedicat, nobiliſſimoſque terræ ſuæ fructus, panem & vinum, ei exhibeat, non ſolùm in ſui militumque ſuorum refectionem, ſed & forſan, potiùs in ſignum reſignationis, & collationis juris hæreditarii in eum, quem tam ſignali notâ hæredem demonſtraverat Deus. Meritiſſimè ergò exinde *Abrahamus* vocatur *Hebræus*, ut digito quaſi monſtraretur, devolvere velle Deum hæreditatem iſtius terræ à familia *Elami* ad familiam *Heberi*, à primogenito ad poſtmodùm genitum, quod etiam poſteà factum eſt cum *Reubeno*, & *Joſepho*.

II. Præteriri abſque obſervatione nec debet, nec quidem poteſt, regionem *Pentepolitanam*, adjacenteſque, ſubditas & tributarias fuiſſe *Chedorlaomero, Regi Elam*. Quid? Regi *Perſarum* ſubdi partem aliquam *Canaanitidis*, cùm inter eam & *Perſiam* tot interjacerent reges & regiones? Scrupulus quidem & nodus non inanis, nec, quantùm novi, aliter ſolvendus, quàm quòd *Elamus* primogenitus *Semi*, ſive *Melchizedechi*, hæres jure primogenituræ ſuæ fuerit iſtius terræ, quam jure & diplomate divino poſſedit pater ejus *Semus*, filiique *Elami* & nepotes uſque ad *Chedorlaomerum*. Nam cùm dicitur quòd urbes & regiones iſtæ *duodecim annis* inſervierant *Chedorlaomero*, tempora regni ejus numerari videntur, potiùs quàm anni regiminis *Elamitici*. Non quòd iſtæ gentes duodecim tantùm annis ſubditæ fuerant ſceptro *Elamitarum*, ſed quòd duodecimus tantùm fuerit iſte annus *Chedorlaomeri*. At jam transfert Deus hæreditatem ad familiam *Heberi*, *Hebræam* anteà dictam, at jam ſingulariùs & honorificentiùs, cùm ex omnibus *Semi* familiis iſta modò emineret. עבר *Hebræos* denotat, prout אשור *Aſſyrios* in verbis iſtis *Bileami*, *Numer.* 24:24. וענו אשור וענו עבר.

Somnium eſt nonneminis inter *Rabbinos*. *Quòd cùm diſtribueretur univerſa terra inter ſeptuaginta nationes, à confuſione linguarum, nulli ceſſit Canaanitis: ſeſe ergò illuc receperunt Canaanæi, & non ſolùm vacuam repertam, ſed & nulli ſorte collatam, pro ſua uſurpârunt. Shem tobh*, *in* Pſalm. 48.

At quid tum dicendum de *Melchizedecho*, quem omnes jam agnoſcunt pro *Semo?* Num probabiliùs, illum intruſiſſe inter *Canaanæos* jam terram habitantes, an eos in illum intruſiſſe? Nonne ei & ſuis hæreditaria potiùs erat iſta terra, quàm per injuriam & intruſionem uſurpata? Et nonne ille, dirigente Spiritu Dei, eò ſe contulit potiùs, quàm aut vagans incertè, aut ambitionis agitatus œſtro, aut uſurpationis? vix credo ego, vel *Canaanæos* ante confuſionem linguarum illuc conceſſiſſe, vel *Semum* ad id temporis illinc abfuiſſe. Atdiu illum multùmque *Canaanitida* [ut poſteà vocabatur] habitâſſe, ante ingreſſum in eam *Canaanæorum*, idque privilegio divinæ conceſſionis, quæ huc eum poſteroſque ſuos deſtinaverat: *Canaanæoſque* poſteà huc irrepſiſſe, & familiæ *Semi*, cujus primogenitus *Elam*, ſubditos primùm fuiſſe, at tandem excuſſiſſe jugum.

Cùm ergò omnes primævæ iſtæ nationes à confuſione linguarum nomina ſua illico ſortitæ fuerint, à ſtirpis ſuæ patribus, ut *Aſſyrii* ab *Aſſur*, *Elamitæ* ab *Elam*, &c. idem etiam ſentiendum eſt de gente *Hebræa*, eam ſcilicet ab iſto tempore *Hebræam* etiam dictam ab *Hebero*. Eamque, *terram Hebræorum* dictam fuiſſe, antequàm diceretur *terra Canaanæorum*. Nam nec opinari poſſum anonymum fuiſſe genus *Hebræorum* per trecentos fere annos poſt confuſionem linguarum, uſque dum tranſitus *Abrahami* è Chaldæa nomen ei inveniret, quod volunt nonnulli. Nec conſonum mihi videtur, *Abrahamum* ideò *Hebræum* dictum, quòd è *Chaldæa* pergens in *Canaanitida* tranſierit *Euphratem*, cùm & eâdem ratione & *Canaan* ipſe, atque omnium ferè gentium patres Occidentalium, *Hebræi* etiam dicerentur, nam & ipſi tranſierunt *Euphratem* emigrantes è *Chaldæa*. Cùmque *Joſephus Patriarcha*, ipſe vocetur à Domina ſua, *ſervus Hebræus*, Geneſ. 39:17. & à ſervis *Pharaonis*, Cap. 41:12. atque ipſe de ſe dicat, quòd abreptus fuerit *è terra Hebræorum*, Geneſ. 40:15. vix probabile eſt, totam terram iſtam aliis regionibus ſub iſto nomine notam fuiſſe, ob familiam unam illic jam habitantem, advenam, peregrinam, ab incolis periclitantem: quin potiùs iſto nomine inſignitam à ſæculis antiquis, etiam antequam diceretur *Terra Canaanæorum:* Nec ſi litem moveremus contra ſententiam iſtam, quæ

quæ linguam *Canaanæorum* atque *Hebræorum*, unam eandemque eſſe aſſerit, quicquam nos moveret iſtud argumentum, quòd oppida & urbes *Canaanæorum* nomina, quæ etiam *Hebræa* ſunt, geſtârint; nam loca iſta nomina ſua *Hebræa* recipere potuerunt à *Semo*, *Hebero*, & ſuis, antequam forent loca *Canaanæorum*.

Vixit *Heberus*, cùm confunderentur linguæ & ſpargerentur gentes, & cùm nemo, *Hebræos* fuiſſe filios *Heberi*, negaverit; [imò quis negaverit terram iſtam fuiſſe terram *Heberi?*] quânam ratione, & illi & illa nomen ſuum ab eo non reportarent, eodem modo, quo aliæ gentes à patre ſuo, à confuſione linguarum?

§. II. *Unde Canaan, pars tantùm Canaanis.* Judic. 4: 2.

CAnaan cum ſuis à *Babylone* vagans, poſt confuſas linguas, tranſito *Euphrate* per *Syriam*, perrexit versùs *Palæſtinam*, atque in Aquilonarem ejus partem, recta eum deduxit via primùm. Et quod de *Abrahamo* illuc itinerante dicunt Judæi, de iſto etiam, quoad hoc, poteſt dici.

Beresh. Rabba, ſect. 39. *Dixit Deus Abrahamo*, inquiunt illi, לך לך, *vocibus duplicatis, ob duplex iter, unum ab Aram Naharaim, aliud ab Aram Nachor. Dum verſaretur Abrahamus in Aram Naharaim, & Aram Nachor, vidit homines edentes, bibentes & ludentes. Dixit ergò, Nè ſit portio mea in terra iſta. At poſtquam venit* לסולמה של צור, *Ad Scalam Tyriorum, vidit homines operam dantes paſtinationi, vindemiationi, atque agriculturæ: & tum dixit, Sit portio mea in hac terra.*

Nota, ut *Abrahamus* in *Canaanitida* adveniens, introducatur primùm in partem ejus Borealem, nam ibi *Scala Tyriorum*. *Canaan* pariter cum filiis ſuis, à *Babylone* pergens, eâdem tendit, & partes primùm Septentrionales occupat & extra *Canaanitida* & ipſius *Canaanitidis*.

Obſerventur primò ſedes horum filiorum ejus quatuor extra *Canaanitida*.

I. *Arvadi*, ארודי, Quæ vox verſionibus ferè omnibus legitur ut *Aradi*: & ejus ſedes facilè dignoſcuntur in *Arado* & *Antarado*.

Jonath. pro ארודי legit לוטסאי *Lutaſæos*: qui, ubinam gentium? Quum quæro apud *Aruch*, quid ſibi velit vox לוטם, ille hæc citat è *Bereshith Rabba*: *Mulier quædam è familia* טברינום, *Tiberini nupta eſt* ללוטם אחד: Cùmque adeò *Bereshith Rabbam*, ſcriptum ibi reperio.

Nupta eſt ללסטים אחד, *latroni cuidam.*

Si ſcriptum apud *Jonathanem* foret לטוסאי vice, לוטסאי ſuſpicarer oculum ejus fuiſſe intentum in *Latavin* locum *Phœniciæ*; de quo mentio in *Notitia Imperii*, ubi Præſidia Romana ſub *Duce Phœnices* ſunt *Otthara*, *Enbara*, *Saltacha*, *Latavis*, &c.

II. צמרי, *Zemari* Targumiſtis *Hieroſ.* & *Jonath.* eſt חמצי, *Chamatſi.* Sic & Arabi & Gemariſtis *Hieroſolymitanis*, nec non & *Bereshith Rabbæ*: quæ eos dictos צמרי vel arbitratur, vel ludit ש, ו נין בצמר, *quòd operam navarent in lanificio. Chamats* autem & *Apamia*, *Hieroſolymitanis* convertuntur, ימא דאפמיא יכא דחמץ, *Mare Apamiæ*, inquiunt illi, *eſt mare Chamats. Hieroſ. Megilla*, fol. 71. 2. *Beresh. Rabba*, ſect. 37. *Hieroſ. Chetubb.* fol. 35. 2. Jam verò *Apamiam* iſtam, oſtendimus alibi, eandem fuiſſe cum *Sepham*, orâ extremâ terræ Iſraeliticæ versùs Septentrionem, & ortum æſtivum.

III. ערקי *Arki.* ערקי ארקם דליבנן, *Archæus eſt Arcas Libani. Beresh. Rabba*, *ubi antè. Paneas, in qua Cæſarea cum ſupradicto fonte, Abila Arca*, &c. *Plin. Natur. Hiſt.* lib. 5. cap. 19.

Borchard. cap. 2. fol. 15. *In terminos* [lege *Inter*] *Libani & Antilibani offendimus caſtrum Arachas, & Arachæo filio Canaan, exacto diluvio conſtructum.*

חכתי, *Hamathi.* Targ. *Hieroſ. Antiochia*: & non multùm ab iſto ſenſu *Bereshith Rabbah*, quamvis verbis diverſiſſimis. סיני. ארתוסיה, *Sinæus*, inquit, & *Arethuſia*. חמתי. פיפניה, *Chamathi eſt Epiphania.*

Plin. Natur. hiſt. lib. 5. cap. 23. *Reliqua Syria habet, exceptis quæ cum Euphrate dicentur, Arethuſios, Beræenſes, Epiphanenſes.*

Vides *Syriam Antiochenam* & *Syrophœniciam* occupatam à *Canaaneis*, & tamen adhuc perventum non eſt in *Canaanitida*.

Pergamus ergò porrò cum *Canaane*, & filiis ejus reliquis. *Canaanæorum fines*, inquit Sacra Pagina, *erant à Sidone ad Gerarem, etiam uſque ad Gazam*, Geneſ. 10: 19. Erant ab *Antiochia*, inquies, & extrema *Phœnicia*, & ingenti parte *Syriæ*. Verè quidem, ut vidimus, plantatæ erant iſtæ regiones à filiis *Canaanis*; at eos non *Canaanæos* dicit Scriptura, ſed ubi deſinunt iſtorum oræ versùs Auſtrum, inde incipiunt *Canaanæi*. Tractus ergò, vel regio ab iis prima, peculiari cognominatione vocatur *Canaan*, ut diſtincta à reliqua *Canaanitide*, *Judic.* 4: 2. ubi *Jabin Rex Hazor* vocatur *Rex Canaan*, [id eſt Aquilonaris oræ *Canaanitidis.*] Atque inter ſeptem gentes anathemati atque excifioni à Deo ipſo devotas, numerantur ſemper *Canaanæi*, cùm omnes quidem forent *Canaanææ*, idque ratione, ut videtur, duplici: partim quòd regio iſta diſtinctivè ſic nuncuparetur, ut alia, & peculiaris alicu-

aliciujus diverſitatis à regionibus iſtis habitatis à filiis *Canaanis*, de quibus diximus: partim quòd *Canaan* ipſe pater, ut probabile eſt, ſedes ibi ſuas fixerit, & inde & regio iſta *Canaan* ſit dicta, & tota porrò terra *Canaanitis*.

§. III. *Perizzæi quinam.*

Filios *Canaanis* numera in *Geneſ.* 10. & ubinam tandem *Perrizzæi?* Et tamen, quod mireris, nunquam non connumerantur iſti in atro iſto Catalogo, ſeptem gentium excidendarum.

Novi, ſupponi à quibuſdam dictos eos *Perizzæos*, quaſi dicas *Paganos*, eò quòd in villis & pagis degerent non munitis: quod quidem à notatione vocis non eſt admodùm alienum. At ſuperfluum certè eſt, quum omnes familiæ *Canaaniticæ* enumerantur, quæ totam terram occupârunt, addere *Paganos* inſuper, qui ſatis includebantur inter iſtam enumerationem.

At quod apud *Iſraëlitas* factum novimus, apud *Canaanæos* etiam factum jure ſupponimus: nempe, quòd quædam familiæ *Canaaniticæ* ſtirpis, denominatæ fuerint, non ab ipſiſſimo immediato filio *Canaanis*, à quo originem deduxerunt, ſed à famoſo ac memorabili aliquo homine iſtius ſtirpis. Nec nudâ conjecturâ hoc dicimus tantùm, ſed exemplis plurimis inter *Iſraëlitas*, & quidem inter alias gentes, & hoc, in gente ipſa iſta de qua loquimur.

Geneſ. 36. *Zibeon* erat filius *Seir*, verſ. 20. vocabaturque tota gens & terra, *gens & terra filiorum Seir.* Jam verò *Seirum* iſtum fuiſſe originis *Canaanææ*, ſatis ex hoc patet, quòd filius ejus *Zibeon* vocetur *Hivæus*, verſ. 2. Eodem ergò modo quo *Seiritæ*, qui ſanguine erant *Canaanæo*, denominati ſunt à *Seiro* nobili *Canaanæo*, ità denominatos non dubito *Perizzæos* à *Perez*, aliquo magni nominis homine, in ſtirpe aliqua *Canaanæa*.

§. IV. *Kenæi.*

Ejuſdem claſſis erant *Kenæi*, *Kenizzæi*, *Cadmonæi*, origine quidem *Canaanæi*, at ità denominati, à *Caino* aliquo, & *Kenazo*, & *Cadmono*, famoſi nominis hominibus in iſtis familiis. Si modò *Cadmonæi* ita dicti non fuerint ab antiquitate, vel potiùs ab habitatione eorum versùs Orientem: quam notationem ſubeunt *Saraceni* à *Saracon*, *Oriens*.

Non convenit inter Magiſtros Traditionum, quid de hiſce gentibus ſtatuendum. Apud *Hieroſolymitanos* hæc habes.

Hieroſ. Kiddushin, fol. 61. 4. *Patres veſtri poſſiderunt ſeptem gentes, at vos poſſeſſuri eſtis terram decem gentium. Tres poſtremæ ſunt iſtæ, Kenæi, Kenizæi, Cadmonæi. R. Juda dicit. Hi ſunt Salmæi, Sabæi, Nabathæi.* R. Simeon *dicit Aſia*, אסטטירה, *& Damaſcus. R. Lazar ben Jacob dicit. Aſia & Cartagena & Turkia. R. dicit Edom & Moab, & primitiæ filiorum Ammon.*

Apud Babylonicos iſta.

Baba Bathra, fol. 56. 1. *Dicit Samuel. Omnis iſta terra quam Deus oſtendit Moſi, tenetur ad decimas. Ad excludendum quid? Ad excludendum Kenæos, Kenizzæos, Cadmonæos. Traditio, R. Meir* dicit. *Hi ſunt Naphtuchæi, Arabes & Salmæi. R. Judah* dicit, *Mons Seir, Ammon & Moab. R. Simeon* dicit ערדיסקים, *Aſia & Hiſpania.*

Beresh. Rabba, fol. 28. 2. *Hæ gentes non traditæ ſunt Iſraëli in hoc ſæculo, at tradentur in diebus Meſſiæ.*

Maimon. in רוצה, cap. 8. *In diebus Meſſiæ, adjicient tres alias civitates refugii. Aſt unde? De civitatibus Kenæorum, Kenizzæorum & Cadmonæorum: de quibus promiſſionem exhibuit Deus patri noſtro Abrahamo, verùm illæ non ſunt adhuc ſubjugatæ.*

Lucem de gentibus hiſce mutuari licet à verbis iſtis *Moſis*, Geneſ. 10: 18. *Poſtea familiæ Canaanæorum ſunt diſperſæ.* Replerunt primò *Phœniciam*, & Septentrionalem regionem *Canaanitidis*; gradatim, totam *Canaanitida* intra *Jordanem.* Deinde ſe dilatârunt in terram quæ poſtea *Edomæorum* erat, & dictæ ſunt ibi *Horitæ* à monte *Hor*, & *Filii Seir* à *Seiro* iſtarum familiarum patre, ipſo *Canaanæo.* Ab Oriente in regiones iſtas quæ poſtea *Moabitarum*, *Ammonitarum*, *Midianitarum*; & dicti ſunt iſti *Kenæi*, *Kenizzæi*, *Cadmonæi*, à *Caino* quodam, *Kenazo* quodam, & fortè *Cadmono*, patribus ſuarum familiarum, ſi modò *Cadmonæi* dicti non fuerint ex cauſis antè dictis.

Mentio *Caini* cujuſdam, in mentem vocat oppidum vel urbem *Cain*, quam in Tabulis vides ſitam non longè à *Carmelo.* In ea *Doëti*, Belgicâ picturâ, decoratam dicam, an deformem? hominis unius, alium ſagittâ impetentis cum hac inſcriptione, *Cain wert geſchoten van Lamech*, Geneſ. 4.

Egregium verò monumentum! Obſcurus certè eſt iſte locus, *Geneſ.* 4. & variis Interpretum ſententiis factus obſcurior, & te peſſimam ex omnibus eligere, ô *Doëte*! Si verba *Lamechi* ſunt è textu enucleanda, [quod ſi non è contextu feceris, unde enucleabis?] hæc ſecum portant ſenſum planum & innodem. Introduxerat ille bigamiam; vaſtaverat ea etiam univerſum mundum, *Geneſ.* 6. Ob ſcelus tam nefarium, & exemplo ſuo homines infinitos

nitos perdens, percutit & pungit eum juſtitia & vindicta divina, horrore & aculeo conſcientiæ, ita ut gemens & ejulans coram bigamis ſuis *Adah & Zillah*, queratur & fateatur ſe homicidam eſſe *Caino* longè cruentiorem. Is enim unum *Abelem* tantum occiderat, ille autem juvenes ſeneſque exemplo ſuo ſcelerato infinitos.

§. V. רפאים, *Rephaim*.

INterpres *Samaritanus* hos ſemper reddit *Aſæos*. In *Geneſ.* 15: 20. ſcriptos cum *Cheth*. At in *Deuter.* 2: 20. cum *Aleph*. Si illi, ut ab eo, ſic ab aliis omnibus Syriacè & Chaldaicè loquentibus, vocarentur *Aſæi*, non novi unde vox *Aſia* aptiùs deducatur, quàm à memoria ſtirpis hujus Giganteæ in medio ferè *Aſiæ* degentis, & præ omnibus Aſiaticis, monſtroſæ & ſtupendæ: Τιτάνας eos vocant LXX. 2 *Sam.* 5: 18, 22. Vox à *Samarita* adhibita, *Medicos* denotat, & ſic à me ipſo redditur in Bibliis Polyglottis, *Londini* nuper editis, *Deuter.* 2. partim ut verbum verbo redderetur, præcipuè verò ut obſervaretur quonam ſono, & quali pronuntiatione ille legerit vocem רפאים. Sic eam LXX. reddunt Ἰατροὶ, *Eſaj.* 26: 14. &c.

INDEX

Digitized by Google

INDEX

Capitum quæ in Chorographia MARCO præmiſſa continentur.

CAP. I. I. *Idumæa.* II. *De Peluſio pauca.* III. *Caſiotis*, כס יה, *Exod.* 17: 16. IV. *Rhinocorura. Arabs notatus.* V. *Avæorum regio, pars novæ Idumææ.* VI. *Tota Simeonitis intra Idumæam.* VII. *Tota regio Auſtralis Judææ intra Idumæam.* VIII. *De Palæſtina ſalutari.* Pag. 397 col. 2

§. I. *Idumæa, Marc.* 3: 8. ibid.

§. II. *De Peluſio pauca.* 398 col. 1

§. III. *Caſiotis.* ibid. col. 2

§. IV. *Rhinocorura. Arabs notatus.* ibid.

§. V. *Avæorum regio, pars novæ Idumææ.* 399 col. 1

§. VI. *Tota Simeonitis intra Idumæam.* ibid.

§. VII. *Tota regio Auſtralis Judææ intra Idumæam.* ibid.

§. VIII. *De Palæſtina tertia, aut ſalutari.* ibid. col. 2

CAP. II. Eremus. *Marc.* 1:4, 12. I. Ἔρημος *variæ ſignificationis.* II. מדבר יהודה, *Eremus Judæ.* III. *Schema Aſphaltitis & Eremi Judæ vel Idumææ adjacentis.* IV. Ἔρημος Ἰουδαίας, *ubi Joannes Baptiſta.* V. Μέλι ἄγριον, *Marc.* 1: 6. VI. Περίχωρος τοῦ Ἰορδάνου, *Matth.* 3: 5. 401 col. 1

§. II. מדבר יהודה. ibid. col. 2

§. III. *Schema Aſphaltitis & Eremi Judæ vel Idumææ adjacentis.* 402

§. IV. *Eremus* Ἰουδαίας, *ubi Joannes Baptiſta.* 403 col. 1

§. V. Μέλι ἄγριον, *Marc.* 1:6. ibid. col. 2

§ VI. Περίχωρος τοῦ Ἰορδάνου, *Matth.* 3: 5. 404 col. 1

CAP. III. Γαζοφυλάκιον, *Marc.* 12:41. I. *Corbonæ variæ.* II. שופרות, *Ciſtulæ Corbanicæ.* III. *Corbona* לשכה. IV. *Ubinam* Γαζοφυλάκιον. V. גר יון *in Templo.* VI. *Hieroſolyma Herodoto eſt Cadytis.* VII. *Plateæ Hieroſolymitanæ.* VIII. *Platea ducens à Templo verſus Olivetum.* 405 col. 1

§. II. שופרות, *Ciſtulæ Corbanicæ.* ibid. col. 2

§. III. *Corbona* לשכה. 406 col. 1

§. IV. *Ubinam* Γαζοφυλάκιον. ibid. col. 2

§. V. גר יון *in Templo.* 407 col. 2

§ VI. *Hieroſolyma Herodoto eſt Cadytis.* 408 col. 1

§. VII. *Plateæ Hieroſolymitanæ. Plateæ Hieroſolymitanæ verrebantur indies:* שוקי ירושלם עשוין להתכבר בכל יום. ibid. col. 2

§. VIII. *Platea ducens à Templo verſus Olivetum.* 409. col. 1

CAP. IV. Ἡ κώμη ἡ κατέναντι, *Marc.* 11: 1. I. *Iter Sabbaticum.* II. *Tabernæ in monte Oliveto.* III. מרחץ בית היני. IV. *Migdal Eder propè Hieroſolymam.* V. LXX. *Interpretes notati.* VI. *Pompa offerentium primitias.* ibid.

§. II. *Tabernæ in monte Oliveto.* ibid. col. 2

§. III. מרחץ בית היני, *Lavatorium Bethanienſe.* 410 col. 1

§. IV. *Migdal Eder*, מגדל עדר. ibid. col. 2

§. V. LXX. *Interpretes notati.* 411 col. 1

§. VI. *Pompa offerentium primitias.* ibid.

CAP. V. *Dalmanutha. Marc.* 8: 10. I. *Schema Maris Geneſaritici & locorum adjacentium.* II. בית דאלמנותא, *Zalmon. Inde Dalmanutha.* ibid. col. 2

§. I. *Schema Maris Geneſaritici & locorum adjacentium.* 412

§. II. בית דאלמנותא, *Zalmon. Inde Dalmanutha.* 413 col. 2

CAP. VI. Ὅρια Τύρου καὶ Σιδῶνος, *Marc.* 7:24. I. *Tabulæ nimis officioſæ.* II. כבול, Ὅριον. III. *Interpretes Græci notati.* IV. *Phœnicia Mediterranea.* V. *De Fluvio Sabbatico.* 414 col. 2

§. II. כבול, Ὅριον. ibid.

§. III. *Interpretes Græci notati.* 415 col. 2

§. IV. *Phœnicia Mediterranea.* 416 col. 1

§. V. *De Fluvio Sabbatico.* ibid. col. 2

CAP. VII. *Regio Decapolitana quænam, Marc.* 7: 31. I. *Ea à nonnullis malè diſpoſita.* II. *Scythopolis, olim* בית שאן, *una ex urbibus Decapolitanis.* III. *Item Gadara & Hippo.* IV. *Et Pella.* V. *Caphar Tſemach. Beth Gubrin. Caphar Carnaim.* VI. *Cæſarea Philippi.* VII. *Urbs* ערבו. 417 col. 1

§. I. *Regio Decapolitana à nonnullis non benè diſpoſita.* ibid.

Digitized by Google

§. II. *Scythopolis, olim* בּיתשׁאן *Bethſan, una ex urbibus decapolitanis.* 418 col. 1

§. III. *Gadara & Hippo urbes Decapolitanæ.* ibid. col. 1

§. IV. *Pella urbs Decapolitana.* ibid.

§. V. *Caphar Tſemach. Beth Gubrin. Caphar Carnaim.* 419 col. 1

§. VI. *Cæſarea Philippi.* 420 col. 1

§. VII. *Urbs* ערבו. ibid.

CAP. VIII. *Emenſurationes quædam.* I. *Menſuræ Judæorum.* II. *Eorum emenſuratio terræ per dietas.* III. *Et emenſuratio latitudinis terræ intra Jordanem.* IV. *Ptolemæus conſultus & emendatus.* V. *Plinius corrigendus.* VI. *Longitudo terræ ex Antonino.* VII. *Latitudo viarum.* VIII. *Diſtantia ſepulchrorum ab urbibus.*

§. I. *Menſuræ Judæorum.* 421 col. 1

§. II. *Judæorum emenſuratio terræ per dietas.* ibid. col. 2

§. III. *Talmudicorum emenſuratio latitudinis terræ intra Jordanem.* 422 col. 1

§. IV. *Ptolemæus conſultus & emendatus.* ibid. col. 2

§. V. *Plinius corrigendus.* 423 col. 1

§. VI. *Longitudo terræ ex Antonino.* ibid. col. 2

§. VII. *Latitudo viarum.* 424 col. 1

§. VIII. *Diſtantia ſepulchrorum ab urbibus.* ibid. col. 2

CAP. IX. *Loca quædam ſparſim notata.* I. *Præſidia Romana.* II. *Zin,* צין, *Cadesh* רקם. III. אונו, *Ono.* 425 col. 1

§. II. *Zin,* צין. *Cadesh,* רקם. ibid. col. 2

§. III. אונו, *Ono.* 426 col 1

CAP. X. *De variis terræ incolis.* I. *Ea, terra Hebræorum, antequam Cananæorum.* II. *Unde Canaan pars tantùm Canaanis,* Judic. 4: 2. III. *Perizzæi quinam.* IV. *Kenæi.* V. *Rephaim.*

§. I. *Terra Hebræorum ea, antequam Canaanæorum.* ibid. col. 2

§. II. *Unde Canaan pars tantùm Canaanis* Judic. 4: 2. 428 col. 1

§. III. *Perizzæi quinam.* 429 col. 1

§. IV. *Kenæi.* ibid.

§. V. רפאים, *Rephaim.* 430 col. 1

HORÆ

Digitized by Google

HORÆ HEBRAICÆ
ET
TALMUDICÆ
IN
EUANGELIUM
SANCTI
MARCI.

Digitized by Google

HORÆ HEBRAICÆ ET TALMUDICÆ IN EUANGELIUM *SANCTI* MARCI.

CAPUT I.

Vers. 1. Ἀρχὴ τοῦ Εὐαγγελίου.

CAP. I. VERS. 1. PRædicatio & Baptiſmus *Joannis*, ipſa porta erant, oſtiumque ſtatûs atque Oeconomiæ Euangelicæ. Nam I. per novum Sacramentum admiſſionis in Eccleſiam, oſtium aperuit novæ Eccleſiæ. II. *Meſſiam* adventantem digito demonſtrans, initium indicavit עולם הבא, *mundi futuri.* III. Eo modo, quo per Baptiſmum admiſerunt Judæi Gentiles, proſelytos factos, in Eccleſiam Judaicam; admittit ille & Judæos & Gentiles in Eccleſiam Euangelicam. IV. Pro doctrina Juſtificationis per opera, quâ omnem religionem conſpurcaverant Scholæ Scribarum, novam ille inducit [non novam tamen] & verè ſalvificam, *Fidei & Pœnitentiæ.*

Vers. 2. Ὡς γέγραπται ἐν τοῖς προφήταις.

AMbigitur hîc de germana lectione: An ſcilicet ἐν τοῖς προφήταις ea ſit, an ἐν Ἠσαΐᾳ τῷ προφήτῃ. Pro priori hæc arguunt.

I. Cùm duo loca citantur è duobus Prophetis, congruentiùs longè dicitur, *ſicut ſcribitur in Prophetis*, quàm, *ſicut ſcribitur in Eſaja*; præſertim verò, cum locus primùm allegatus, non ſit in *Eſaja*, ſed in Propheta alio. CAP. I. VERS. 2.

II. Uſitatiſſimum erat apud Judæos, [quorum conſuetudini hac in re conformâſſe ſe Apoſtolos, in concionibus ſuis, eſt maximè probabile] plura teſtimonia, è pluribus Prophetis audire citata, ſub hac forma loquendi ככתוב בנביאים, *Sicut ſcribitur in Prophetis.* Si unum tantùm citaretur, ſi duo, ſi plura, vulgatiſſimus erat hic mos citandi, *ſicut ſcribitur in Prophetis.* At ſine omni exemplo eſt, duobus teſtimoniis è duobus Prophetis ſumptis, poſteriorem tantùm nominare, quod hîc fit, ſi legendum foret, *ſicut ſcribitur in Eſaja Propheta.*

III. Satis liquet, ex ipſo ſcopo Euangeliſtæ, ſe ſibi propoſuiſſe, duo iſta loca citare, & ex *Malachia*, & ex *Eſaja.* Nam planiſſimè duas res agit. I. Prædicationem *Baptiſtæ* memorat, cui illuſtrandæ eundem textum producit, quem & *Matthæus* & *Lucas*, ex *Eſaja.* II. Prædicationem iſtam *Initium Euangelii* fuiſſe dicit; quod ut probet, *Malachiam* aptiſſimè citat, de nuntio mittendo, & viâ Domini parandâ.

At quid reſpondendum vetuſtati, & tot tantiſque viris legentibus, *Sicut ſcribitur in Eſaja Propheta? De hujus Scripturæ veritate dubitari miror*, inquit doctiſſimus *Grotius*, *cùm præter codicum authoritatem, & Irenæum ità citantem, manifeſta ſit veterum Interpretum, Syri, Latini, Arabis conſenſio.* Verè qui-

quidem: nec negari poteſt, plurimos è veteribus ſic legiſſe; at legerunt veteres etiam, *Sicut ſcribitur in Prophetis.* Arabs unus habet, *In Eſaja Propheta*; at Arabs alius habet, *In Prophetis. Irenæus* ſemel legit, *In Eſaja*; at bis legit, *In Prophetis*, lib. 3. cap. 11. & 18. Atque *Ita ſcriptum reperimus*, inquit *Clariſſ. Beza*, [qui tamen alteram lectionem ſequitur] *in omnibus noſtris codicibus vetuſtis, exceptis duobus, & illo meo vetuſtiſſimo, in quibus legimus*, Ἐν Ἡσαΐᾳ τῷ προφήτῃ.

De cauſâ quidem immutandæ lectionis, eſt totus nodus quæſtionis. Cur, *Sicut ſcribitur in Eſaja Propheta*, mutaretur in *Sicut ſcribitur in Prophetis?* Cauſa apparet, inquit vir doctiſſimus, quia nempe teſtimonium duplex ſumitur è duobus Prophetis. *At alterius mutandæ cauſa*, inquit, *nulla eſſe potuit.* Nam ſi *Marcus* in Autographo ſuo ſcripſerit, *Sicut ſcribitur in Prophetis*, quonam tandem modo irrepere potuit hæc lectio, *Sicut ſcribitur in Eſaja*, cùm citentur planè duo Prophetæ?

Dabiſne veniam, lector, innocuæ & modeſtæ conjecturæ?

Suſpicari mihi promptum eſt, in codicibus Judæo-Chriſtianorum, lectum fuiſſe, *In Eſaja Propheta*, at in Gentili-Chriſtianorum, *In Prophetis*: ortamque immutationem apud *Judæos*, ex hoc quòd S. *Marcus* in diverſum ire videretur Canoni & conſuetudini *Judæorum* receptiſſimis.

Megill. fol. 24. 1. *Qui Prophetas legit in Synagogis* אין מדלגין מנביא ינביא, *nè tranſiliat à Propheta uno ad alium. At in Prophetis duodecim, licet tranſilire: hoc ſolùm proviſo, quòd non tranſiliat retrorſum, id eſt, non à poſteriori ad priorem.*

Vides autem ut hîc tranſiliat *Marcus* (à quo procul abſit, ut tam ineptis canonibus ſubjiciatur) à Propheta unius claſſis, nempe à Propheta qui inter duodecim, ad Prophetam claſſis alterius; videſque ut tranſiliat retrorſum à *Malachia* ad *Eſajam.* Hoc forſan non adeo placuit Chriſtiano-*Judæis* adhuc nimiùm Judaizantibus, nec ſuaviter tolerarent, ut legeretur hæc allegatio in Eccleſiis ſuis, tam diſcrepanter à communi more. Hinc, *In Eſaja Propheta*, inſertum pro *In Prophetis.* Idque eò audaciùs, quòd iſta quæ à *Malachia* citantur, non exactè congrua ſint vel fonti Hebræo, vel verſioni Græcæ: eaque quæ ex *Eſaja* citantur, citentur etiam à *Matthæo* & *Luca*: & ſenſus eorum quæ citantur è *Malachia*, elici etiam poſſit è loco allegato ex *Eſaja.*

VERS. 6. Ἐνδεδυμένος τρίχας καμήλου.

Talmudicis צמר גמלים.

Menachoth, fol. 39. 2. *Veſtis non eſt ei præter laneam*, לרבות צמר גמלים וצמר ארנבים, *Ad addendum lanam* (vel pilos) *camelorum & lanam leporinam.*

Orach. Chaim, lib. 2. 309. צמר רחלים וצמר גמלים שעירבו, *Lana ovium & lana camelorum quam commiſcent*, &c.

Et paulò pòſt. ואפיל עשה בגר מצמר גמלים, *Si conficiat veſtem è pilis camelorum, & contexat in ea, vel unum filum lini; prohibetur* ut Heterogenea.

Eſt qui opinatur, veſtimenta iſta *Adami* de quibus dicitur, quòd *Deus fecit iis* כתנות עור, fuiſſe è pilis camelorum.

Bereſh. Rabba, §. 20. כתורת רם מצאו כתיב כתנות אור.

In lege R. Meir invenerunt ſcriptum, כתנות אור, *veſtes lucis. R. Iſaac dicit, quòd fuerunt ſicut veſtimenta iſta linea tenuia, quæ proveniunt à Bethſhane. R. Samuel Bar Nachman dicit, Erant* מצמר גמלים, *de lana* (vel pilis) *camelorum, & lana leporum.*

Præterire non poſſumus, abſque obſervatione, quod dicitur, *Quod in lege R. Meir invenerunt ſcriptum* כתנות אור, pro כתנות עור, Cui par eſt illud *ibid.* §. 9. *In lege R. Meir invenerunt ſcriptum pro* והנה טוב מאד, *Et ecce bonum erat valde*, והנה טוב מות, *Et ecce bona res eſt mors.* Ubi per *legem R Meir*, intelligi videtur volumen aliquod Legis, in cujus margine vel Chartulis quibuſdam interſertis, criticas ſuas nugas, & ineptas in Legem argutias ſcripſerat iſte *Rabbinus*, vel Commentarium talem nugacem ejus aliquem in Legem.

Ἐσθίων ἀκρίδας.

Venabantur locuſtas in eſcam, ii quibus non nobilior victus. Earum ſpecies (mundarum ſcilicet) *Gemariſtæ* fingunt eſſe octingentas. *Hieroſ. Taanith*, fol. 69. 2. Acutus certè foret ille Lexicographus, qui ſingulatim haſce ſpecies ſuis nominibus deſcriberet.

Babyl. Schabb. fol. 106. 2. *Tradunt Rabbini*: הצר הגבים והגזין וגו, *Qui venatur locuſtas, bruchos, crabrones, & muſcas Sabbato, reus eſt.*

Gloſſ. הגזין *Sunt de genere locuſtarum mundarum, & comeduntur.* Et Gemara paulò pòſt. *Qui venatur locuſtas, tempore roris*, (Sabbato) *reus non eſt*: Gloſſ. *Locuſtæ tempore roris cæcutiunt, ita ut ſi tunc temporis eas veneris, gradum ſiſtant.*

Pergit Gemara. *Eliezer ben Mabbai dicit. Si eant gregatim, reus non eſt.* Gloſſ. *Si turmatim confluant, & quaſi paratæ ut capiantur, reus non eſt qui eas venatur etiam tempore caloris.*

Digitized by Google

CAP. I. VERS. 13, 24, 38.

VERS. 13. Καὶ ἦν μετὰ τῶν θηρίων.

Erat inter feras, at ab iis intactus: ſic *Adamus* primus ante lapſum.

Καὶ ἄγγελοι διηκόνουν αὐτῷ.

Quadraginta diebus tentabatur à *Satana* inviſibiliter, & miniſtrabant ei Angeli viſibiliter. Induit tandem *Satanas* quoque Angelum lucis, & famulari ei, etiam ut reliqui, præ ſe ferens, tentationis hamum abdit artificioſius.

VERS. 24. Ἦλθες ἀπολέσαι ἡμᾶς;

Ἡμᾶς: Quoſnam? Dæmonas: an Galilæos iſtos in Synagoga? Vide quid dicant Magiſtri in *Maſſecheth derech arets Zuta*, Cap. 6.

In iſta generatione, in qua veniet Filius Davidis, inquit Rabban Gamaliel, Galilæa devaſtabitur, & Galilæi vagabuntur de civitate in civitatem, & miſericordiam non conſequentur. Si talis fama apud gentem obtineret, aptiſſimam indè occaſionem nactus eſt Diabolus in hoc dæmoniaco, terrendi *Galilæos* à receptione Chriſti, quippe quòd nihil iis ab ejus adventu expectandum præter devaſtationem.

VERS. 38. Κωμοπόλεις.

Quid hoc ſibi velit, optimè dignoſcetur ex inveſtigatione diſtinctionis inter כרכים & כפרים & עיירות apud Hebræos, quibus reſpondent πόλεις, & κῶμαι, & κωμοπόλεις apud Euangeliſtas.

I. כרכים reddo per πόλεις. At per quamnam vocem, inquies, reddes עיירות? Per κωμοπόλεις.

Babyl. Chetubb. fol. 110. *Vir non poteſt uxorem cogere ut eum ſequatur habitatum* לא מעיר לכרך ולא מכרך לעיר. Idoneam Latinitatem pete ex his quæ ſequuntur. בשלמא מכרך לעיר, *Planum eſt cur eam cogere non poteſt è civitate in oppidum*, רבכרך שכיחי כל מילי, *quoniam in civitate reperienda*, vel habenda, *ſunt quælibet*: אלא בעיר, *Aſt in oppido non habenda ſunt quælibet*. Gloſſ. כרך גדול מעיר, *Kerach eſt major quàm Ir*, (Civitas quàm oppidum) *eſtque locus platearum quò conveniunt omnes circumhabitantes ad forum, ibique habenda ſunt quælibet*. Sic & eadem Gloſſ. in *Joma*, fol. 12. כרך *eſt locus platearum quò conveniunt homines è locis pluribus*, &c.

Pergunt Gemariſtæ. *Dicit R. Joſi bar Chanina. Unde eſt quòd habitatio in* כרכין, *Kerachin* (civitatibus) *eſt incommodior? Nam dicitur, Et benedixerunt omni populo qui ſeſe ſponte obtulit habitatum Hieroſolymis, Neh.* 11. Nota obiter, *Hieroſolymam* fuiſſe כרך. Gloſſ. *Habitatio in Kerachin eſt pejor, quia omnes illìc habitant, & domus ſunt compreſſæ & contiguæ, ita ut non ſit ibi aura libera. At verò* בעיר (in oppido) *ſunt horti, & paradiſi juxta domos, & aura ſalubrior.*

CAP. I. VERS. 38. CAP. II. VERS. 4.

כרכים ergò erant 1. Civitates mœnibus cinctæ. Hinc diſtinctio iſta, כרכין המוקפין חומה מימות יהושע, quòd erant quædam *Kerachin* quæ cinctæ mœnibus erant, jam indè à diebus *Joſuæ*, & quædam quæ cinctæ poſtea. 2. Civitates emporicæ vel nundinales, & majores & nobiliores.

II. כפרים ergò erant villæ, vel pagi, in quibus non erat Synagoga. Hinc illud, פסקי הראש, in *Megill.* cap. 1. כרך שאין בו י' בטלנין נדון ככפר, *Kerak*, (Civitas) *in qua non ſunt decem viri qui conſtituant Synagogam, reputanda eſt pro villa. Et Megill.* cap. 1. ubi tenentur quidem villæ ad legendum librum *Eſtheræ* in feſto *Purim*; ומקדימים ליום הכניסה, at indultum iis eſt ut hoc facerent die Synagogico: id eſt, cùm non apud ſe haberent Synagogam, ſed ad vicinum aliquod oppidum, ubi erat Synagoga, ſeſe conferre oportebat, permiſſum eſt ut eò ſe reciperent die conveniendi in Synagoga, hebdomatim ſtatuto, & non laborem itineris alio die ſuſciperent, utcunque per Legem iſti lectioni deſtinato.

III. עיר, quæ vox vulgò *urbs* vel *civitas* redditur, generaliter & urbes munitas denotavit, & oppida etiam non munita ubi erant Synagogæ, & villas ubi non erant. Hinc diſtinctio illa, עיר גדולה, *Urbs magna ea erat, ubi erat Synagoga*: עיר קטנה, *Urbs parva, ubi non erat.*

Per κωμοπόλεις ergò hîc intelligenda oppida, ubi erant Synagogæ, quæ tamen non erant vel munita vel mercatoria: apud nos Anglos *Church-towns.*

CAP. II.

VERS. 4. Ἀπεστέγασαν τὴν στέγην, &c.

Subit hîc Phraſiologia iſta דרך גגין.

Babyl. Moed Katon, fol. 25. 1. *Cùm mortuus eſſet Rabb Houna, feretrum ejus per oſtium efferri non potuit*, ob nimiam oſtii anguſtiam, סבור לשלשולי דרך גגין, *Viſum eſt ergò iis per tectum* (ſive viâ tecti) *illud extrahere & demittere. At dixit iis Rabb Chaſda, Ecce ab ipſo didicimus, quòd in honorem ſapientis cedit, efferri per oſtium.*

Bava Mezia, fol. 88. 1. *ſcribitur*, Et comedent intra portas tuas, *Deuter.* 26:12. *hoc eſt,*

CAP. II. VERS. 4, 7. *cùm introitus in domum eſt per portam*, לאפוקי דרך גגות, *Ad excipiendum viam per tectum.*

Ibid. fol. 117. 1. דרך פתחים משתמש אי דרך גגין משתמש. *Num in domum intrat, viâ utens per portam? an viâ utens per tectum?*

Agit locus de domo, in cujus parte inferiori habitat poſſeſſor, ſuperior autem (ὑπερῷον) elocatur alteri. Quæritur ergò, quânam viâ intrandum eſt illi qui cœnaculum habitat, an per oſtium, & loca inferiora ubi habitat poſſeſſor? an ſcandendum eſt ad tectum דרך גגין, per viam ad tectum: id eſt, ut Gloſſa, *Ut aſcendat extra domum per ſcalam appoſitam, ob ingreſſum in ὑπερῷον, & ſic ingrediatur in ὑπερῷον.*

Admotis ſcalis, aut forſan ibi antea fixis, primò hunc paralyticum ſurſum trahunt Ἐπὶ δῶμα, ſuper tectum, *Luc.* 5:19. Deinde, cùm oſtium quidem in omni tecto foret, per quod à partibus domûs inferioribus aſcenſum eſt in tectum, hoc autem anguſtum nimis eſſet grabato & ægroto demittendo, illi ſpatium illud dilatant, evulſis tegulis circumpoſitis.

Benè: perfoſſo tecto, demittitur paralyticus εἰς τὸ ὑπερῷον. Illìc ſedit Chriſtus, & Phariſæi, & legum Doctores cum eo ſimul, & non in partibus domûs inferioribus.

Nam uſitatum iis erat, cùm de lege aut religione diſceptarent, in cœnaculum aſcendere.

Shabb. cap. 1. hal. 7. *Hæ ſunt traditiones quas docuerunt* בעליית, *in cœnaculo Hananiæ, ben Hezekiæ, ben Garon.*

Hieroſ. Sanhedr. fol. 24. 3. *Aſcenderunt Seniores* לעליית, *In cœnaculum in Hierichunte. Aſcenderunt etiam in cœnaculum in Jabneh.*

Juchaſ. fol. 23 2. *Rab. Jochanan & Diſcipuli ejus aſcenderunt εἰς ὑπερῷον, & legerunt, & expoſuerunt.* Confer *Marc.* 14: 15. *Act.* 1:13. & 20: 8.

VERS. 7. Τίς δύναται ἀφιέναι ἁμαρτίας.

Sanhedr. fol. 38. 2. *Dixit hæreticus quidam τῷ Rabh Idith. Scriptum eſt*, Et Moſi dixit, Aſcende ad Jehovam, *Exod.* 24: 1. Aſcende ad me, *dicendum eſſet potiùs. Reſpondet ille, Hic eſt Mitatron, cujus nomen eſt ſicut nomen Domini ſui, ſicut ſcriptum eſt*, Nomen meum eſt in eo, *Exod.* 23: 21. *Si ſic, tum, inquit alter, colendus eſt ille. Cui Idith, Scriptum eſt* אל תמר בו אל המירני בו, propriè, *Nè exacerbes*; vel irrites eum: at illi pravè & perversè legunt, *Nè mutes pro eo, nè me commutes pro eo. Si ſic ſit ſenſus, inquit alter, quid hoc ſibi vult?* Ille non remittet peccata veſtra. *Reſpondit ille, Verè quidem* דאפילו כפרוונקא

CAP. II. נמי לא קבלניה, *nam eum nè pro nuntio*
VERS. *quidem recepimus.* Gloſſ. Ille non remittet
9, 12, 16, peccata veſtra, *id eſt, Non poteſt remittere*
26. *peccata veſtra, & quid tum ab eo emolumenti? Nam penes eum non erat poteſtas remittendi peccata noſtra; nos ergò eum repudiavimus*, &c. Repudiâſtis quidem eum in quo erat Nomen *Jehovæ*: at eheu, quàm malo veſtro!

VERS. 9. Τί ἐστιν εὐκοπώτερον εἰπεῖν, &c.

Qui obſervaverit uſum vocabulorum ניחא & קשיא in Scholis Judaicis, [aderantque jam cum Chriſto Scholaſtici] non incongruè opinari poteſt, Εὐκοπώτερον parem eſſe voci ניחא; quæ rem, aut ſenſum planum, innodem, & abſque ſcrupulo denotat, contrarium קשיא. Ac ſi dixiſſet Salvator, Nonne planior ſenſus fuiſſet, & ad rem præſentem accommodatior, dixiſſe, *Surge, & tolle grabatum*, quàm dicere, *Remittuntur tibi peccata?* Ego autem ita dico, *ut ſciatis Filium hominis habere*, &c. Non de facilitate prolationis verborum loquitur, ſed de facilitate ſenſûs. Et ego verba ſic redderem, *Num facilius eſt dicere paralytico, Remiſſa ſunt tibi peccata, quàm dicere*, &c? *An dicere*, ut vulgò redditur, ſenſum quidem habet non improbandum; at, *quam dicere*, habet ἐμφατικώτερον. Num facilior ſenſus, quoad rem præſentem, eſt dicere, *Remittuntur tibi peccata*, quàm dicere, *Surge*, &c?

VERS. 12. Ἐξῆλθεν ἐναντίον πάντων.

Optimè quidem redditur *coram omnibus*: & verè quidem reddi poſſit etiam, *contra omnes*, pro alia ſignificatione vocis Ἐναντίον. Id eſt, cùm adeò conferta eſſet turba, ut nulla per eam egrediendi via foret, ille non modò ſanus factus, ſed & ſtrenuus, & robuſtus per turbam prementem preſſit, & viam viriliter cum grabato ſuccollato fodit.

VERS. 16. Καὶ ἁμαρτωλῶν.

Qualeſnam illi? *Sanhedr.* fol. 25. 2. *Aleatores, fœneratores, prædones, publicani, paſtores pecorum minutiorum, vendentes fructum anni ſeptimi, pugnis avium lucrum facientes*, &c.

VERS. 26. Ἐπὶ Ἀβιάθαρ τοῦ Ἀρχιερέως.

Notum ſatis eſt, quid hic dicatur in patrocinium puritatis textûs: *Achimelechum* patrem ſcilicet vocari *Abjatharum*, ac *Abjatharum* filium vocari etiam *Achimelechum*. At arbitror ego, etiam aliquid ulteriùs propoſitum fuiſſe à Salvatore in his verbis. Nam vulgare erat

CAP. III. VERS. 4. 17.

erat Judæis, ſub *Abjatharo*, intelligere *Urim & Thummim*. Nec immeritò, cùm pateat, & ſub patre filioque, utroque iſtius nominis, frequentiorem eſſe mentionem diſquiſitionis per *Urim & Thummim*, quàm uſquam unquam aliàs, & poſt *Abjatharum* filium vix ſit mentio omnino. Congruentiſſimè ergo addit Chriſtus ἐπὶ Ἀβιάθαρ Ἀρχιερέως, cum receptiſſima apud gentem ſententia loquens: ac ſi dixiſſet, *David* comedit panes propoſitionis ei exhibitos à Pontifice, cui aderat oraculum per *Urim & Thummim*, & qui egit directione divina.

Babyl. Sanhedr. fol. 16. 2. *Abitophel, hoc eſt conſiliarius, Benajah filius Jehojadæ, hoc eſt Synedrium.* אביתר אילו אורים ותמים, *Abjathar, hoc eſt, Urim & Thummim.*

C A P. III.

Vers. 4. Οἱ δὲ ἐσιώπων.

IN mentem hoc revocat paremgeſtum *Synedrii*, in judicando ſervo *Jannæi* Regis, homicidâ, cùm præſens in Synedrio foret ipſe *Jannæus*, *Sanhedr.* fol. 19. 2. Reum illum fuiſſe ſatis compertum eſt; at præ timore ſententiam ſuam proferre non ſunt auſi, cùm eam exigeret *Simeon ben Shetah* Synedrii Præſes; נפנה לימינו כבשו פניהם בקרקע, *A dextra reſpexit, atque illi oculos fixerunt in terram. A ſiniſtrâ, atque illi oculos fixerunt in terram*, &c.

Vers. 17. Βοανεργές.

Vide quænam hic *Beza*. Quibus hæc regerit *Doctiſſ. Hugo Broughtonus* noſter, in his ſtudiis exercitatiſſimus. *Judæi in hunc uſque diem Ceva per oa enuntiant, ut Noabbyim pro Nebbyim. Sic Boanerges. Cùm Theod. Beza Benerges ſcriptum velit, ipſi Judæi Euangelium noſtrum defendent.*

Duriùs certè & audaciùs eſt, ſcripturam S. *Marci* ob hanc pronuntiationem, ut corruptam incuſare, cùm Judæis pronuntiatio quarundam literarum, vocalium, vocum, adeò varia eſſet, & indifferens, ut alias in *Galilæa* pronuntiarent, alias in *Samaritide*, alias in *Judæa*. *Et memini* (inquit clariſſ. *Lud. de Dieu, in præfat. ad Apocal. Syriac.*) *me à clariſſimo viro D. Erpenio audire, ſe ex ore doctiſſimi cujuſdam Maronitæ habere, nullis præceptis Grammaticis, ac vix viva voce, doceri poſſe, quem ſonum Scheva habeat apud Syros.*

I. Caſtellum illud noti nominis, quod *Joſepho, Plinio, Solino*, aliiſque vocatur *Maſada* (Hebr. מצדה) Straboni eſt *Moaſada*, ſono voci huic noſtræ admodùm ſymphono. *Geograph.* lib. 16. Πέτρας τινὰς ἐπικεκαυμένας δείκνυσι τραχείας περὶ Μοασάδα. Ubi eum de *Maſada* loqui, eſt extra omnem controverſiam.

CAP. III. VERS. 17

II. De voce *Erges* etiam controvertitur: quonam modo ad *tonitru* applicetur eſt obſcuriùs. At judicium tuum, ô candide Lector, quid ſit רינשא in hac hiſtoria.

Megillah, fol. 29. 1. *Pater Samuelis ſedit in Synagoga Shaph, & Jathib, in Nebardea:* אתיא שכינה, *Venit divina gloria:* שמע קול רינשא ולא נפק, *Audivit ille vocem* רינשא, *at non exiit, venerunt Angeli & fuit exterritus.*

De voce רינשא ſilent Gloſſatores. Nec fidenter quidem reddimus *tonitru*; nec benè novimus tamen, qua verſione eam aptiùs donaremus: ſi modò non ἦχος ὥσπερ φερομένης πνοῆς βιαίας denotet, ut Act. 2:2. ſed penes Lectorem eſto judicium.

III. Æquè obſcura eſt ratio nominis duobus hiſce Diſcipulis inditi, ac notatio vocis. Hoc tantùm in hac re habemus certi, quòd nuſquam comperire eſt, eos appellatos hoc nomine alibi. Chriſtus *Simonem* vocavit *Petrum*, ac pariter alii eum vocârunt *Petrum*, atque ipſe ſeipſum. At nuſquam reperies *Jacobum* vocatum *Benerges*, aut *Joannem* ita vocatum, vel à ſeipſis, vel ab aliis. Cætera conjecturæ ſunt concredenda.

IV. Notum ſatis eſt, quid ſibi vellet apud *Judæos* Phraſiologia בת קול, *Bath Kol, Filia tonitrui.* Alio vocabulo utens Salvator, aliud, ut videtur, reſpexit nominis *etymon*. At quodnam illud, quæritur. *Simonem* vocavit *Petrum*, reſpectu habito ad operam ab eo navandam in ædificanda Eccleſia Gentilitia ſuper *Petram*: nam is januam primus aperuit introductioni Euangelii inter Gentiles. An *Jacobus* & *Johannes* nuncupati fuerint *Filii tonitrui*, reſpectu habito ad ſtrenuam eorum ſermocinationem contra *Judæos*, nec audemus dicere, nec poſſumus negare. *Jacobus* hoc fecit, ut videtur, in capitis ſui diſpendium, *Act.* 12.

At quid ſi alluſum hîc ſit ad duos Regiſtrarios, aut Scribas Synedrii? quorum unus à dextra ſedit, alter à ſiniſtra; ille ſuffragia abſolventium ſcripſit, hic damnantium. *Sanhedr.* fol. 35. 1. & *Maimon. in Sanhedr.* cap. 1. Aut ad ipſum Præfectum & Vice-Præfectum? quorum ſententia definitiva, collectis totius Synedrii ſuffragiis, erat inſtar tonitrui & fulminis damnatis, atque omnibus videbatur inſtar oraculorum è *Sinai* exhibitorum è fulgure & tonitru.

V. At quicquid illud erat in animo Salvatoris, quod eum movit, ut hanc agnominationem iis imprimeret, cùm hi duo fratres, præ omnibus aliis Diſcipulis, ignem cœlitùs demiſ-

Digitized by Google

CAP. III. VERS. 21. demiſſum voluerunt in oppidum illud *Samaritieum*, quod *Chriſtum* hoſpitio excipere noluit, *Luc.* 9:54. ſecundùm ſenſum hujus cognominationis actitâſſe videntur. Cùmque mater eorum ſedem huic à dextra, illi à ſiniſtra *Chriſti* imploraret, fiduciam de tali re impetranda, ex hoc, ut probabile eſt, traxit, quòd *Chriſtus* eos nomine tam honorifico, præ aliis Diſcipulis inſigniiſſet. Cùmque *Joannes* ipſe, ſeipſum vocet *Presbyterum* κατ' ἐμφασιν, ſatiſque notus iis fuerit ad quos ſcripſit, ſub nudo hoc titulo ὁ πρεσβύτερ☉, non poſſum ego non ſuſpicari, diſtinctivum iſtum characterа hinc ortum. Erant quidem omnes Apoſtoli etiam *Presbyteri*, quod & de ſcipſo ait *Petrus*, 1 *Pet.* 5:1. At quæro ego, an aliquis è duodecim, præter hunc noſtrum, [mortuo jam fratre *Jacobo*] notus eſſe potuit abſentibus ſub hoc titulo ὁ πρεσβύτερ☉, nomine proprio, non adjecto, ut in duabus poſterioribus ſuis Epiſtolis.

VERS. 21. Ὅτι ἐξέςη.

Talmudicis נתרפה דעתו & שף דעתיה.

Maimon. Gerush. cap. 2. *Si quis mutus fiat*, ונכונה דעתו, *& tamen ſanæ eſt mentis, dicantque ei, Num conſcribemus libellum repudii uxori tuæ? Iſque capite annuat, ter experiuntur, &c. Et neceſſe eſt ut accuratiùs de eo experimentum habeant*, שמא נטרפה דעתו, *nè fortè mente exceſſerit.* Hoc intelligendum eſt de muto, ita facto ex ictu aliquo paralytico aut apoplectico; qui aliquando quidem intellectum ſauciat.

Moed Katon, fol. 26. 2. *Tradunt Rabbini, Si ægrotet quis, atque interim moriatur aliquis de ſuis, non notum ei faciunt quòd mortuus eſt*, שמא תטרף דעתו, *nè turbetur intellectus ejus.*

Bava Mezia, fol. 84. 1. *Quidam mortuum* R. Simeonem *ben Lachish ſic deflevit. Ubi tu, O bar Lachish? Ubi tu, O bar Lachish?* והוה קא צוח עד דשף דעתיה, *Et ſic exclamavit uſque dum periret intellectus ejus:* nam ſic reddit Gloſſa.

Quàm aptè Phraſiologias haſce exprimat vox ἐξέςη, promptè ab eo obſervatur, qui utramque linguam callet. Et *Judæus* hæc legens apud *Marcum*, illico recurreret ad ſenſum Phraſium iſtarum apud gentem ſuam: quæ non ſemper inſaniam, aut alienationem à ſeipſo, proprio ſenſu, ſignificant, ſed aliquando frequentiſſimèque turbationem aliquam intellectûs, pro præſenti, ex vehementi nimiùm aliquâ paſſione. Sic dicunt amici Chriſti, נטרפה דעתו, ſui eſt oblitus, & ſalutis ſuæ adeò vehemens ille & fervidus in munere ſuo fungendo & concionando, ut ultra ſe tranſportetur, & turbetur intellectus ejus, ut nec de neceſſario cibo curet, nec de ſomno. Apologiâ quidem opus habent iſti amici ejus, quòd non ſaniùs, & ſanctiùs, & ſapientiùs de eo conciperent; at certe vix credibile eſt, eos in planam & abſolutam amentiam, & puram mentis alienationem, cum incidiſſe, fuiſſe arbitratos. Nam verſatus ille fuerat inter turbas antea ſemper & ubique; & tamen hoc de eo non dicunt ſui; at jam ad propriam domum *Capernaum* ille receſſerat, ubi quies ei & receſſus jure poſſent exſpectari; aſt irruunt & illic in eum turbæ, ut etiam domi ſuæ non poſſit menſâ aut lecto ſuo frui. Amici & conſanguinei ergo ejus *Nazeræthani* [inter quos mater, *verſ.* 31.] hoc audientes, unanimiter ad eum accurrunt, ut eum à turba abſtrahant, nam dixerunt inter ſe ἐξέςη, tranſportatur ultra ſe nimiùm & ſui eſt oblitus.

CAP. IV.

VERS. 1. Ἤρξατο διδάσκειν. CAP. IV. VERS. 1, 4.

INcepit *docere*: i. e. *docuit*. Uſitatiſſimâ Scriptoribus hiſce ſacris Phraſiologiâ, quippe quòd uſitatiſſimâ genti.

Hieroſ. Sanhedr. fol. 18. 3. שרי רב כהנא מאריך בצלותיה, *Incepit Rab Canah prolixus eſſe in oratione ſua:* i.e. prolixus fuit.

Ibid. fol. 23. 3. שרי ההוא תלמידא בכי, *Incepit ſcholaris iſte flere*: i.e. flevit.

Beresh. Rabba, ſect. 33. שרי געי, *Incepit bos mugire:* i.e. mugiit.

Ibid. ſect. 64. *Cùm ad Rabbinos perlatæ forent literæ tyranni*, שרון בכיין, *Inceperunt flere:* i.e. flèrunt.

Aliam etiam vocem adhibet Euangeliſta hic noſter, idque vicibus fere innumeris. Adhibent & alii, verùm non adeò frequenter, vocem ſcilicet Εὐθὺς & Εὐθέως, quæ voci מיד reſpondet, Talmudicis tritiſſimæ. Apud hunc noſtrum occurrit ſepties aut octies in ipſo Capite primo, alibique frequentiſſimè: idque non rarò, pro more Idiomatis magis, quàm ex neceſſitate rei ſignificatæ.

VERS. 4. Ὁ μὲν ἔπεσε.

Bava Mezia, fol. 105. כדי נפילה, *Secundùm quod cadit.* Gloſſ. *Secundùm menſuram quam ſeminat.* Et loquuntur ibi Gemariſtæ de מפולת יד, *Semine cadente è manu*: i.e. quod è manu jactatur ſerentis: & de מפולת שוורים, *Semine cadente à bobus:* i.e. quod ſerentibus bobus *ſpargitur & ſeminatur. Nam ut* Gloſſ. *Eſt ubi manu ſerunt, & eſt ubi ſemen indunt plauſtro foraminibus frequenti: &*

P. IV. RS. 11. *boves agunt ſuper terram aratro verſam, & ſemen foraminibus percolatur.*

VERS. 5. Διὰ τὸ μὴ ἔχειν βάθος γῆς.

Nam erat petroſum, cujus gleba & craſſa ſatis & admodùm fertilis: at hæc quam ſupponit parabola, craſſitudine iſta caruit.

Setah, fol. 34. 2. *& Chetubb.* 112. 1. *Non eſt fertilior tibi terra inter omnes terras, quàm terra* Ægypti; *nec fertilior regio in* Ægypto, *quàm* Zoan. *Et tamen* Hebron *ſeptuplo ei ſupereminet, quæ erat petroſa.* Nota illud: erat petroſa, & tamen adeò fertilis.

VERS. 7. Ἐπὶ τὰς ἀκάνθας.

Supponit parabola שדה שנתקוצה, *Agrum exacanthatum.* Vide *Sheviith*, cap. 4. hal. 2.

VERS. 11. Ἐκείνοις δὲ τοῖς ἔξω.

Οἱ ἔξω, *Judæis* erant Ethnici, deſumptâ inde Phraſiologiâ, quòd omnes terras & regiones præter ſuam vocarunt חוצה לארץ, *Extra terram.* Viſne accuratum iſtius diſterminationis exemplum?

Bava Bathra, fol 27. 2. *Arboris, cujus pars dimidia naſcitur intra terram* Iſraëliticam, *& dimidia pars extra terram, fructus qui decimandi ſunt, & fructus communes confunduntur: verba ſunt Rabba. At Rabban* Simeon *ben* Gamaliel *dicit, Iſta pars quæ naſcitur intra locum, qui tenetur ad decimationem,* [i. e. intra terram Iſraëliticam] *eſt decimanda; iſta quæ in loco à decimatione immuni,* (i. e. extra terram) *eſt immunis.* Gloſſ. *Nam ſi radices arboris ſunt extra terram, eſt immunis, etiamſi arbor ipſa per ſedecim cubitos ſeſe extendat intra terram.*

Hinc ספרים חיצונים, Libri οἱ ἔξω, vel extranei, ſunt libri Ethnici: ספרים החיצונים של חכמת יונית, *Libri extranei ſapientiæ Græcæ.* Aruch in voce מרום.

Hæc vulgatiſſima Phraſeos ſignificatio. Et dira certè præſagit, cùm beatiſſimus Salvator gentem *Judaicam*, ipſiſſimâ eâdem agnominatione ſtigmatizat, quâ ſoliti ſunt illi nuncupare Ethnicos.

Occurrit & vox חיצונים apud Talmudicos, cùm ipſos *Judæos* etiam ſignificat, hoc eſt nonnullos de gente *Judaica.*

Megilla, fol. 24. 2. Opponuntur hinc קראים, *Karaitæ*, qui Traditiones reſpuerunt, illinc חיצונים, οἱ ἔξω, τοῖς חכמים, *Sapientibus.*

Qui dat Phylacteria ſua, inquiunt, *in fronte ſua, aut in palma ſua*, הרי זו ׳ רך הקראים, *Ecce morem ſequitur Karaitarum. Et qui unum ex iis auro obducit, datque ſuper veſtem quæ eſt ad manum* הרי זו דרך החיצונים, *Ecce is morem ſequitur* τῶν ἔξω. Ubi Gloſſ. חיצונים, *Sunt homines qui proprium arbitrium ſequuntur, & non ſententiam Sapientum.* Supponuntur geſtare Phylacteria, atque eſſe *Judæi*: at cùm pro libitu ſuo agunt, ſpretis regulis Sapientum, reputantur ut οἱ ἔξω, vel Ethnici. Sic tota gens *Judaica*, cenſore Chriſto, quæ ſpernit ſapientiam Euangelicam. CAP. IV. VERS. 11.

Ἐν παραβολαῖς πάντα γίνεται.

Quàm longè fallitur gens *Judaica* de temporibus *Meſſiæ.* Præcurſorem ejus *Eliam* arbitrantur difficilia omnia enucleaturum, ſcrupulos ſoluturum, atque omnia plana redditurum; ita ut cùm poſt eum advenerit *Meſſias*, nihil obſcuri vel tenebricoſi futurum in Lege & Religione. Hinc hæc & hujuſmodi.

Bava Mezia, cap. 1. hal. ult. *Invenit quis apud ſe Schedulam contractuum, & non novit quid ſibi velit* יהא מונח עד שיבא אליהו, *Reponatur uſque dum advenerit* Elias.

Et plura in eodem Tractatu, de rebus repertis, cùm non innoteſcit cuinam ſint reddendæ, *Reponantur uſque dum advenerit* Elias.

Menachoth, fol. 45. 1. פרשה זו עתיד אליהו לדרשה, *Periochen iſtam* Ezech. 45. 18, 19. Ubi עולה, *Holocauſtum*, vocatur חטאת, *ſacrificium pro peccato, explicaturus eſt* Elias. Infinita occurrunt iſtiuſmodi.

Aſt eheu! falleris, *ô Judæe.* Clara quidem facta ſunt omnia ad ſalutem æternam facientia, Euangelizantibus cùm advenirent *Elia & Meſſia, Baptiſta & Chriſto*; at tibi obſcura, & ex voluntaria tua cœcitate, qui oculos animumque obturâſti contra ſalvificam doctrinam Euangelii, & ex juſto *Meſſiæ* judicio, qui jure in nebulis atque involucris concionatus eſt iis, qui ſolem & ſerenam lucem videre noluerunt.

Ut torſerint Interpretes verba iſta, *Num lucerna ſubter modium, &c.* & *Nihil eſt abſconditum, &c.* videas etiam abſque lucerna. Senſus facillimus colligitur ex contextu. Cùm Chriſtus parabolis loquitur, *lucerna ponitur ſubter modium*: at non *ad hoc venit*, inquit, *lucerna* ut ſic occultetur, nec quidem æquum foret eam ita abſcondere, niſi quòd hoc voluerit juſtitia divina, ut iſti qui nolunt lucem videre, luce non potiantur. At *nihil abſconditum eſt*, quod non per claritudinem doctrinæ Euangelicæ fiet manifeſtum, modò adſint oculi qui lucem non reſpuunt, & voluntariè cœcutiunt. Vos ergo cavete ut audiatis, ne pares iſtis ſitis, & metiatur vobis juſtitia divina eâdem menſurâ quâ menſa eſt illis, nempe eos nunquam audituros, quia nolunt audire.

Digitized by Google

CAP. V.

VERS. 1. Εἰς τὴν χώραν τῶν Γαδαρηνῶν.

SIc etiam *Lucas* : at *Matthæus* Εἰς τὴν χώραν Γεργεσηνῶν. Et quod ſine obſervatione præteriri non debet, *Marcus* & *Lucas*, qui *regionem Gadarenorum* eam vocant, de uno tantùm dæmoniaco mentionem habent : at *Matthæus*, qui regionem *Gergeſenorum* eam vocat, de duobus. Novimus quæ hìc dicantur à Commentatoribus in reconciliationem Euangeliſtarum. Nos ex ipſiſſima diſtinctione vocum, quâ utuntur Euangeliſtæ, reconciliationem petimus hiſce concluſionibus.

I. Dicimus regionem *Gergeſenorum* latioris fuiſſe ſpatii & ſignificationis, quàm fuit regio *Gadarenorum*, regionemque *Gadarenorum* intra eam fuiſſe concluſam. Nam dictane ea fuerit, à veteri iſta *Canaanæorum* familia *Gergaſæitica*, an à natura ſoli lutoſâ & argillaceâ, quæ גרגשתא *Judæis* dicebatur, quod magis credimus; latioris erat extenſionis quàm *Gadarena:* [quæ unicam tantùm urbem denotavit, & regiunculam ei adjacentem minutiorem, & *Gadarenæ* poſſeſſionis] Hæc autem & *Gadarenam*, & *Hippenam*, & *Magdalenſem*, ſi non alias etiam intra ſe comprehendit.

II. Dicimus *Gadaram* fuiſſe urbem Ethnicorum: (Hinc minus mirum, ſi inter eos tot porci) quod & probamus alibi, cùm agimus de regione *Decapolitana*.

III. Dicimus duos quidem fuiſſe dæmoniacos, ſecundum *Matthæum*, unum *Gadarenum*, alterum aliunde quàm è regione *Gadarena* adventantem, nempe à loco aliquo in regione *Gergeſena*.

IV. Credimus *Gadarenum* iſtum fuiſſe Ethnicum, *Marcumque* & *Lucam*, ex inſtituto de eo tantùm mentionem habuiſſe, ut hiſtoriam indè exhiberent celebriorem. Intelligeret quiſpiam Chorographiæ terræ Iſraëliticæ peritus, regionem *Gadarenam* fuiſſe poſſeſſionis Ethnicæ : eum ergò inſigniunt iſto nomine, ut ſtatim perciperetur, cum dæmoniaco Ethnico Chriſtum jam rem habere; quòd rarius, & exceptâ filiâ *Syrophœniſſæ*, ſine exemplo. *Matthæus* magnitudinem miraculi deſcribere voluit; duos ergò memorat miſerrimè obſeſſos : at *Marcus* & *Lucas* unum tantùm ſeligunt, eumque memorabiliorem, ex hoc ipſo, quòd eſſet *Gadarenus*, & ex conſequenti, *Ethnicus*. Hæc perpenſa, non pacem tantùm firmant inter Euangeliſtas, ſed & hiſtoriam reddunt longè clariorem. Nam,

I. Notandum eſt, quòd adjurat *Chriſtum* Diabolus iſte, nè eum torqueat, *verſ.* 7. quod non alibi ab eo factum : ac ſi ille extra Juriſdictionem Chriſti exiſteret, non inter populum ejus, Judæos verſans, ſed inter Ethnicos.

II. Nec alibi quempiam de nomine ſuo interrogat *Chriſtus*, præter hunc ſolum, quippe qui foret ſingularioris exempli & hiſtoriæ.

III. Ethnica cognominatio Λεγεὼν, Ethnicum eum arguit de quo hiſtoria.

IV. Multùm precabantur Diaboli, nè eos extra regionem emitteret; nam inter Ethnicos exiſtentes, inter ſuos ſe eſſe arbitrabantur.

Duos ergò iſtos apud *Matthæum*, *Gadarenum* unum & Ethnicum, *Gergaſenum* alium aliunde & *Judæum*, non ſine myſterio conjunctim ſanavit Salvator, ut ſolatium foret in *Chriſto*, & *Judæis*, & *Gentilibus* contra poteſtatem & tyrannidem *Satanæ*. Ex iſtis duobus notabiliorem memorant *Marcus* & *Lucas*.

VERS. 9. Λεγεὼν ὄνομά μοι.

I. Numeroſum cœtum effatur hæc cognominatio, interprete Diabolo hoc in loco: *Legio*, inquit, *mihi nomen eſt*, *nam multi ſumus*.

Et apud *Judæos*, cùm quis magnum cujuſvis rei numerum eloqui vellet, non inuſitatum erat, *Legionem* nominare.

Bereſh. Rabba, ſect. 20. *R. Eliezer ben Simeon dicit*, נוח לו לאדם לגדל לגיון אחד של זיתים בגליל, *Facilius eſt homini legionem olivarum enutrire in Galilæa*, *quàm puerulum unum educare in terra Iſraëlis*.

II. Talmudicis, *Legio*, cœtum immundum effatur, ſaltem omnes Legiones reputârunt pro immundis.

Cholin, fol. 123. 1. *Tradunt Rabbini*, לגיון העובר, *Legio tranſiens à loco in locum*, *ſi in domum aliquam introeat*, *domus indè fit immunda.* שאין לך כל לגיון ולגיון שאין לו כמה קרקפלין, *Non enim eſt ulla Legio*, *quæ non habeat aliqua Carcaphalia. Et nè de hoc mireris*, *cùm Carcaphalion R. Iſmaëlis affigeretur capitibus Regum.* קרקפל, inquit Gloſſa, *eſt cutis capitis à mortuo detracta*, *quâ utuntur in incantationibus.* Græcum eſt, ait *Aruch*, Καρκεφαλή.

III. Quid de legionibus Romani, erue è verbis *Cæſaris* ad *Hiſpanos*. *Comment. de bell. civil.* lib. 6. *An me deleto non animadvertebatis*, *decem Legiones habere populum Romanum*, *quæ non ſolum vobis obſiſtere*, *ſed etiam cœlum diruere poſſent ?*

Quantæ tum vires plus quam duodecim Legionum Angelorum!

VERS.

Digitized by Google

CAP. V. VERS. 14, 15, 23, 26.

VERS. 14. Ἀνήγγειλαν εἰς τοὺς ἀγρούς.

Nuntiaverunt in agris. Quibuſnam tandem? Num operantibus, vel itinerantibus in agris? Sic *Cap.* 6:36. Ἀπελθόντες εἰς τοὺς κύκλῳ ἀγροὺς, ἀγοράσωσιν ἑαυτοῖς ἄρτους. *A quibuſnam, quæſo, coëmant in agris?* & verſ. 56. Καὶ ὅπου ἂν εἰσεπορεύετο εἰς κώμας, ἢ ἀγροὺς, ἐν ταῖς ἀγοραῖς ἐτίθεν τοὺς ἀσθενοῦντας. Quænam tandem Ἀγοραὶ in agris?

Babyl. Beracoth, fol. 37.2. *Dicit Rabba. Cibus iſte farinaceus* דחקלאי דמפישי ביה, *incolentium agros, in quo multum farinæ miſcent, ſuper eo gratias agunt.* חקלאי, inquit Gloſſ. ſunt בני כפר, *Incolæ villarum.* Et *Aruch*, חקלייתא, inquit, *ſunt homines privati qui degunt in agris*, id eſt, ſparſis hic illic ædibus, & non in locum unum congregatis, quod fit in oppidis & urbibus.

VERS. 15. Σωφρονοῦντα.

נכונה דעתו.

VERS. 23. Τὸ θυγάτριόν μου.

Ἦν γὰρ ἐτῶν δώδεκα, *verſ.* 42.

Maimon. in אישות, cap. 2. *Filia à die nativitatis ſuæ uſque dum compleat duodecim annos*, קטנה נקראת או תינוקת, *vocatur parvula aut puellula.* מבת יב שנה ויום אחד, *At cùm explevit duodecim annos & diem unum*, נקראת נערה, *vocatur adoleſcentula.*

VERS. 26. Καὶ πολλὰ παθοῦσα ὑπὸ πολλῶν ἰατρῶν.

Nec mirum: nam vide quàm varia & multiplicia medicinarum genera præſcribantur fœminæ profluvio laboranti. *Babyl. Shabb.* fol. 110.

Dicit R. Jochanan. לייתי מתקל זוזא קומא אלכסנדריא, *Adduc* [vel recipe] *gummi Alexandrini pondus zuzæi.*

ומתקל זוזא גביא גילא, *Et aluminis pondus zuzæi.*

ומתקל זוזא כורכמא רישקא, *Et croci hortenſis, pondus zuzæi.* ול שחקינהו בהדי הדדי לזבה תלתא בחמרא, *Conterantur hæc unà, & in vino dentur fœminæ hæmorῥοούσῃ*, &c.

Quòd ſi hæc non proſint.

לייתי תלתא קפיזי שמכי פרסאי, *Recipe ceparum Perſicarum ter tria log, vino coquantur, atque indè eam potes, dicaſque,* קום מזובך, *Surge à profluvio tuo.*

Quòd ſi hoc non valeat.

לותבה אפרש דרכים, *Siſte eam in aliquo bivio, manuque teneat poculum vini: à tergoque ejus, veniat aliquis, eamque terreat, dicens* קום מזובך, *Surge à profluvio tuo.*

Si autem hoc non obtineat.

CAP. V. VERS. 26, 29, 41.

לייתי בונא דכמונא, *Recipe manipulum cymini.*

ובונא דכורכמא, *Et manipulum croci.*

ובונא דשבלילתא, *Et manipulum fœni Græci.*

Hæc elixata vino, potanda ei dato, & dic, Surge à profluvio tuo.

Si verò hoc non proſit, adducuntur Doſes aliæ atque aliæ, numero decem aut plures, quas vide, ſi lubet, loco citato. Inter eas hanc omittere non poſſum,

ליכרי ז׳ בירי, *Fodiant ſeptem foveas.*

וליקלי בהו שבישתא ילדה דערלה, *In quibus comburant ſarmenta quædam vitium non circumciſarum*, i. e. non adhuc quadriennium.

ולנקטה כסא דחמרא בידיה, *Accipiatque in manu ſua poculum vini.*

לוקמה מהא ולותבה אהא, *Eam autem amoveant ab hac fovea, atque inſidere faciant ſuper illam.*

ולוקמה מהא ולותבה אהא, *Atque ab illa amoveant atque inſidere faciant ſuper aliam.*

ואכל חדא וחדא לימא לה קום מזובך, *Atque in unaquaque amotione dicendum eſt ei, Surge à profluvio tuo*, &c.

VERS. 29. Ἐξηράνθη ἡ πηγὴ τοῦ αἵματος αὐτῆς.

De ſanguinis ſive profluvii fonte, Hebræis מקור, vide *Niddah*, cap. 2. hal. 4. *Maimon. in Iſſure biah*, cap. 5. & 6. Ubi etiam agitur de זבה גדולה, *profluvioſa majore.* & זבה קטנה, *profluvioſa minore.* Priorem titulum meritò huic fœminæ tribuas, quæ duodecim annis fluxione laboraverat.

VERS. 41. Ταλιθὰ κοῦμι.

Bava Batha, fol. 91.2. *Dicit R. Jochanan*, כמיילן טליא וטלייתא, *Recordamur cùm luderent pueri & puellæ, ſedecim aut ſeptendecim annorum in plateis, & non offenderent.*

Gloſſa, טליא וטליתא, *Tali & Talitha eſt puer & puella.*

Τὸ κοράσιον, [σοὶ λέγω] ἔγειρε.

Talitha kumi ſignificat tantùm, Τὸ κοράσιον ἔγειρε. Unde ergò infertur clauſula σοὶ λέγω; I. Recognoſcas hic, & forſan non inutiliter, illud quod antè allegatum eſt, pro conſuetudine ſcilicet inter *Judæos* fuiſſe, ut cùm medicinam profluvioſæ applicarent, dicerent, *Surge à profluvio tuo*: quod & in aliis morbis adhibitum etiam fuiſſe eſt veriſimile. II. *Chri-*

ſtus

Digitized by Google

CAP. V. VERS. 43. CAP. VI. VERS. 3, 8.

ſtus nihil aliud dixit quàm quod idem ſonuit, *Puella, ſurge:* aſt in pronuntiatione ac prolatione iſtorum verborum, ea emicuit authoritas, atque imperans vigor, ut minus non ſonarent, quàm ſi dixiſſet, *Puella, dico tibi, vel impero ut ſurgas.* Dixerunt illi, *Surge à morbo tuo*, id eſt, *Opto ut ſurgas:* at dicit Chriſtus, *Puella, ſurge*, id eſt, *Jubeo ut ſurgas.*

VERS. 43. Εἶπε δοθῆναι αὐτῇ φαγεῖν.

Non ut viventi ſolùm, & adhuc valetudinariæ, ſed ut ſaniſſimæ valetudinis, & eſurienti.

Hieroſ. Berac. fol. 9. 4. *Ægrotavit filius Rabban Gamalielis.*

Miſit ergò is duos Diſcipulos Sapientum ad R. Chaninam ben Duſa in urbem ſuam. Dicit ille iis. Exſpectate me, uſque dum aſcendam in cœnaculum. Aſcendit in cœnaculum. Deſcenditque iterum, & dixit: Certus ego ſum quòd filius Rabban Gamalielis ſolutus eſt à morbo ſuo. Eâdem horâ requiſivit ille cibum.

CAP. VI.

VERS. 3. οὐχ οὗτός ἐστιν ὁ τέκτων.

INter alia à patre præſtanda filio, hoc unum erat, ut eum educaret in aliqua arte aut opificio.

Toſapht. in Kiddushin, cap. 1. *Patri incumbit circumcidere filium, redimere eum, docere eum Legem, & docere eum aliquod opificium.* R. Judah dicit:

Quicunque filium ſuum non docet aliquod opificium, eſt ac ſi doceret eum latrocinium.

Kiddushin, cap. 4. hal. 11. *R. Meir dicit, Det operam homo ſemper ut doceat filium ſuum* אומנות נקייה, *Artem honeſtam*, &c. *Joſephus*, Chriſtum opificio ſuo tectonico, inſtruit educatque.

VERS. 8. Μὴ πήραν.

De perâ aliquid diximus ad *Matth.* 10:10. Addamus hanc hiſtoriam:

Bava Bathra, fol. 133. 2. *Tradunt Rabbini. Hiſtoria eſt de homine quodam, cujus filii ſe benè non geſſerunt. Proſtitit ille, atque opes ſuas aſſignavit Jonathani ben Uzziel. Quid fecit Jonathan ben Uzziel? Tertiam partem vendidit, tertiam dicavit Sacris, & tertiam reddidit filiis defuncti. Venit ad eum Shammæus* במקלו ותרמילו, *cum baculo ſuo & pera ſua.* Gloſſ. venit ut contenderet cum *Jonathane*, quia teſtamentum defuncti violaverat.

En tibi ipſum Synedrii Vice-Præfectum geſtantem peram, in qua victualia pro viatico reponit.

CAP. VI. VERS. 13, 27, 37.

VERS. 13. Ἤλειφον ἐλαίῳ πολλοὺς ἀῤῥώστους.

Fuit igitur oleum, inquit Clar. *Beza*, *ſymbolum mirificæ iſtius virtutis, non medicamentum quo morbos curarent.* At dicunt *Judæi*, idque verè, unctionem talem fuiſſe medicinalem, quamvis quidem non ſemper obtineret. At unctio hæc Apoſtolorum nunquam non obtinuit.

Hieroſ. Berac. fol. 3. 1. *Dicit R. Simeon ben Eliezer, Permiſit R. Meir vinum atque oleum miſcere, atque ægrotos ungere Sabbato. At cùm ipſe aliquando ægrotaret, noſque idem ei facere vellemus, non permiſit.* Recitatur hæc hiſtoria, *Shabb.* fol. 14. 3. ubi pro *R. Simeon ben Eliezer*, eſt *R. Samuel ben Eliezer:* forſan in manuſcripto exemplari ſcriptum erat abbreviatè רש, atque inde nominis ambiguitas.

Detur, unctionem talem fuiſſe medicinalem, quòd nequaquam poteſt negari, & tum nihil obſcuri eſt in verbis *Jacobi*, Cap. 5:14. Advocentur Presbyteri Eccleſiæ, & vel ab iis, vel iis præſentibus, ungatur ægrotus, ut conjungantur cum ordinaria illa medicina, eorum preces.

VERS. 27. Σπεκουλάτωρα.

Sic *Targ. Jonath.* in *Geneſ.* 39:1. רב ספוקלטוריא. Vid. *Aruch* in ספקלטור.

VERS. 37. Διακοσίων δηναρίων.

I. דינר & זוז, *Denarius* & *Zuz* Rabbinis valent idem.

Aruch in זוז. *Quarta pars Sicli argenti in Targum eſt* וזוא חד דכספא, *Zuz Unus argenti. Siclus namque Legis erat* סלע, *Selaa. Et ſic in Targum* שקל *eſt* סלעא, *& valet quatuor denarios.*

Jam verò Denarius & Zuz idem ſunt.

Gloſſ. in Bathra, fol. 166. 1. *Denarios vocant linguâ Gemariſticâ Zuzim.*

II. Jam verò *ducenti Zuzæi*, vel *Denarii*, erant ſumma admodùm celebris, & frequentiſſimæ mentionis.

Chetubb. cap. 1. hal. 2. *Si quis grandævior coëat cum minorenni, aut quis minorennis cum grandæviori, aut ſauciatâ, Dos earum eſt* מאתים, *ducentorum Zuzæorum.*

Bava Kama, cap. 8. hal. 6. *Si quis impingat alteri colaphum in maxillam*, נותן לו מאתי זוז, *Det ei ducentos Zuzæos.*

Chetubb. fol. 17. 1. *Fœmina jam vidua facta,*

Digitized by Google

CAP. VI. VERS. 40.

cta, aut divortio dimiſſa, quæ virgo nupta erat, habeat pro dote ducentos Zuzæos.

CAP. VII. VERS. 3, 4.

Hinc forſan idem numerus in ore Diſcipulorum, *ducentorum Denariorum*, quippe quòd ſumma fuerit celebratiſſima, & frequentiſſimæ memoriæ in ore omnium.

VERS. 40. Πρασιαὶ πρασιαί.

שורות שורות.

Celebratur *Academia Jafnenſis* frequentiſſimè, ſub nomine כרם ביבנה, *vineæ in Jafne*. Rationem reddit *R. Solom. in Jevamoth*, cap. 8. שהיו יושבין שורות שורות, *Quoniam ſeriatim ſeriatim conſederunt illìc Scholares*, ככרם הנטוע שורות שורות, *inſtar vineæ quæ plantatur* πρασιαὶ πρασιαί.

C A P. VII.

VERS. 3. Ἐὰν μὴ πυγμῇ νίψωνται.

CUm manus lavarent, laverunt pugnum עד הפרק, *uſque ad juncturam lacerti.*

Jadaim, cap. 2. hal. 3. ידים מטמאות ומיטהרות עד הפרק, *Manus polluuntur & mundificantur uſque ad juncturam lacerti.*

Cholin, fol. 106. *Tradunt Rabbini, Lotio manuum* לחולין עד הפרק, *quoad res communes* [vel cibum communem] *erat uſque ad juncturam lacerti. Et mundificatio manuum & pedum in Templo erat uſque ad juncturam.* פרק, inquit *Aruch, eſt ubi diſtinguitur brachium à manu.* Sic etiam ubi diſtinguitur pes à crure.

Gloſſ. *in Jadaim*, ubi antè. *Aquæ ſecundæ mundificant quicquid manuum laverant aquæ primæ: at verò ſi aquæ primæ exceſſerant ultrà juncturam lacerti, aquæ ſecundæ non mundificant* לפי שאין מטהרין אלא עד הפרק, *quoniam non mundificant ultrà juncturam. Si ergo redeant aquæ quæ juncturam exceſſerant, in manus iterum, immundæ ſunt.*

VERS. 4. Καὶ ἀπὸ ἀγορᾶς, ἐὰν μὴ βαπτίζωνται.

Adhibuerunt Judæi נטילת ידים, *Lotionem manuum* & טבילת ידים, *Merſionem manuum*. Et videtur vocabulum νίψωνται, apud Euangeliſtam noſtrum priori reſpondere, & βαπτίζωνται poſteriori.

I. Immerſionem totius corporis non hîc intelligendam eſſe, argui ex hoc ſatis poteſt, quòd talis immerſio non adhibebatur, niſi cùm contraheretur pollutio à cauſis immunditiei principalioribus.

CAP. VII. VERS. 4.

R. Solom. in *Kelim*, cap. 1. *Homo & vaſa non contrahunt immunditiem*, אלא מאב הטומאה, *niſi à patre immunditiei: quales ſunt, immunditia à reptili, à concubitu ſeminis, à polluto per mortuum, à leproſo, ab aqua purificationis, à coeunte cum menſtruoſa, à fluxu ſeminiflui, à ſputo ejus, ab urina ejus, à ſanguine menſtruoſæ, à profluvioſo*, &c. Ab his ita pollutus eſt homo ut eſſet טבול יום, & opus haberet immerſione totius corporis. At ob immunditias inferiores, ſatis erat mundificare manus.

II. Multò minùs intelligendum eſt de rebus emptis, ac ſi eæ è foro allatæ, eſſent abluendæ; [quo ſenſu reddunt Interpretes nonnulli, *Et quod è foro emunt, niſi illud lavent, non comedunt*] cùm forent quædam quæ aquam non paterentur, quædam quæ empta, non illico comedebantur, & planè diſtinguant Canones traditionales, inter iſta quæ ab ipſo foro licita erant, & quæ non.

III. Intelligenda ergò videtur Phraſiologia de *immerſione manuum tantùm*, & vox πυγμῇ hîc etiam ſubaudienda, ex communi. Domi manentes non comedunt ἐὰν μὴ πυγμῇ νίψωνται, *niſi pugnum laverint*. At redeuntes à foro non comedunt, ἐὰν μὴ πυγμῇ βαπτίζωνται, *niſi pugnum in aquam immerſerint*: ignorantes & incerti, ad quamnam immunditiem appropinquaverant in foro.

Maimon. in Mikvaoth, cap. 11. *Lotio manuum, atque immerſio manuum erat à Scribis. Manus quæ opus habuerunt* טבילה, *merſione, non tinxerunt niſi loco idoneo, ubi ſcilicet congregabantur* 40 *Seæ aquarum. Nam in loco ubi tinxit quis vaſcula, tingere licuit manus. At verò manus quæ opus habent* נטילה, *lotione tantùm, ſi eas tingant in congregatione aquarum, mundæ ſunt, ſive tinxerint in aquis hauſtis, ſive in vaſculis, ſive in pavimento. Non mundificant manus* [quoad lotionem] *donec effundantur aquæ ſuper manus è vaſculo; nam non lavant manus niſi è vaſculo.*

Ξεστῶν.

Ambiguum eſt an vox hæc à ξέστης deducenda ſit, an à ξεστά. De *Sextariis* accipere, voci quidem eſt admodùm concinens, & non admodùm diſonans rei. Ita etiam ſi deduxeris à ξεστὰ, quâ raſilia, tornatalia, lignea ſcilicet denotantur. Et forſan utenſilia iſta quæ à *Rabbinis* vocantur פשוטים, *Plana*, opponunturque τοῖς מקבלים aliquid intra ſe recipientibus, hac voce exprimuntur. Iſtius claſſis erant cultri, menſæ, ſedilia, *&c.* de quibus, pollutionis capacibus, vide *Maimon. in Kelim*, cap. 4. atque ipſum Tractatum Talmudicum *Kelim*, cap. 22. Ubi enumerantur, I. שלחן, *Menſa* ipſa, ad quam comeditur. II. הדלופקי *Tabellula* vel menſula lignea ubi reponebantur

Digitized by Google

CAP. VII. VERS. 11, 19. CAP. VIII. VERS. 12.

vinum & fructus, illico ad menſam adducenda. III. ספסל, *Sedile*. IV. שרפרף, *Scabellum* pedum ſub ſedili.

Χαλκίων.

כלי מתכות.

Κλινῶν.

Lecti immunditiam contraxerunt, vel iſtam quam טומאת מדרס, vocârunt, vel iſtam quam טומאת מגע מדרס, Latinitate idonea vix hæc donaveris, abſque paraphraſi. מטה טמאה מדרס, Erat lectus in quem, vel ſederat, vel ſteterat, vel ſe reclinaverat, vel innixus fuerat, vel pependerat profluvioſus, aut profluvioſa, aut menſtruoſa, aut puerpera, aut leproſus. מטה טמאה מגע מדרס, Erat lectus quem tetigerat aliquid quod hi tetigerant.

Vox ergò Βαπτισμὸς ad hæc omnia applicata, propriè & ſtrictè non accipienda eſt de tinctione aut immerſione, ſed quoad nonnulla de lotione tantùm, & quoad nonnulla de aſperſione tantùm.

VERS. 11. Κορβᾶν (ὅ ἐστι, Δῶρον.)

Vox Δῶρον nota & uſitata Talmudicis.

Zevachin, fol. 7. 2. אמר רבא עולה דורון היא, *Dicit Rabba, Holocauſtum eſt* Δῶρον. Ubi Gloſſ. *Holocauſtum non offertur ad expiandum pro facto aliquo: ſed poſtquam pœnitentia expiavit factum, venit Holocauſtum* להקביל פנים, *ut cum favore homo recipiatur: ſicut cùm quis peccavit contra regem*, וריצהו ע׳ פרקלטין, *& placavit eum per* Παράκλητον, *& venit ut imploret ejus favorem, affert* דורון, Δῶρον.

Peſachin, fol. 118. 2. מצרים שתביא דורון למשיח, *Ægyptus afferet* Δῶρον τῷ *Meſſiæ*.

VERS. 19. Ἀφεδρῶνα.

בית הכסא.

CAP. VIII.

VERS. 12. Τί ἡ γενεὰ αὕτη σημεῖον ἐπιζητεῖ;

PRo commentario audi hiſtoriam.

Bava Mezia, fol. 59. 2. *Eo die reſpondit R. Eliezer omnibus quæſtionibus in toto mundo; at non auſcultârunt ei. Dixit ergò iis, Si ſit traditio ſecundùm quod ego dico, teſtetur hæc ſiliqua. Eradicata eſt ſiliqua, & loco ſuo amota centum cubitis: ſunt qui dicunt quadringentis. Dicunt ei, Probatio non petenda eſt à ſiliqua. Dicit rurſus iis, Si ſit traditio ſecundùm me, teſtentur rivi aquarum; verſi ſunt rivi aquarum retrorſum. Dicunt ei, Non petenda eſt probatio à rivis aquarum. Dixit iterum iis, Si ſit traditio ſecundùm me, teſtentur parietes Scholæ. Inclinaverunt ſe parietes, ut ruituri. Objurgavit eos R.* Joſua *dicens, Si controverſia ſit inter Diſcipulos Sapientum circa traditionem, quid id ad vos? Non corruerunt ergò, ob honorem R.* Joſuæ. *Erecti tamen iterum non ſunt ob honorem R.* Eleazaris. *Dixit iis porrò, Si traditio ſit ſecundum me, teſtentur cœli. Prodiit Bath Kol, & dixit, Quid vobis lis cum R.* Eleazare *ſecundùm quem traditio eſt ſemper? Exurrexit R.* Jonah *in pedes ſuos, & dixit, In cœlo non illa.* Deuter. 30: 12. *Quid ſibi volunt verba iſta, In cœlo non illa? R.* Jeremiah *dixit, cùm data ſit Lex à monte* Sinai, *nos non curamus Bath Kol.*

CAP. VIII. VERS. 1

Ridebimus fabulam? An aliquid veri ſuſpicabimur in hiſtoria?

Mihi quidem, cùm mecum cogito, quàm dedita & perita fuerit gens iſta artis magicæ, quod non ſolùm à Talmudicis, ſed & à Sacris Paginis affluenter aſſeritur, in promptu eſt fidem aliquam attribuere hiſtoriæ huic, aliiſque ejuſdem farinæ pluribus: rem ſcilicet reverâ actitatam fuiſſe arte atque ope diabolicâ, ab anteſignanis iſtis & ducibus errorum, ut honorem ſuum, traditionemque eò magis ſtabilirent.

Ex hiſtoria ergò, verane ea fuerit, an ficta, hæc duo obſervamus.

I. Quàm tenaces fuerint *Judæi* Traditionum ſuarum, atque in iis immobiles etiam contra evidentiam miraculorum. Grandis inter eos nominis fuit iſte *Eliezer*, at *Shammæanus*. Hinc שמותי vocatur ſemel iterumque, ut *Hieroſ. Trumah*, fol. 43. 3 *Jom Tobh*, fol. 60. 3 *&c.* Quum ergò doceret aliquid contra Traditionem *Scholæ Hillelianæ*, ederet licèt miracula, [ut referunt ipſi] non creditur ab iis, imò deridetur. Idem erat mos eorum, eademque mens contra miracula *Chriſti*. Atque eò tendi poſſunt hæc verba Salvatoris abſque ulla torſione, *Quare hæc generatio quærit ſignum?* Generatio quæ non ſolùm indigniſſima eſt editione miraculorum, ſed & quæ juratur ad retentionem Traditionum & doctrinarum ſuarum, edantur licèt ex adverſo miracula infinita.

II. Vides ut ultimum miraculorum præſtigiatoris hujus teſtimonium petatur è cœlo. Nam prodit *Bath Kol*, &c. quod teſtimonium tamen non recipiunt *Hilleliani*; non juſtè quidem, cùm ipſi talem vocem ſibi ipſis de cœlo fingant, ut oraculum pro *Scholæ Hillelianæ* authoritate definitivum & non contradicendum: de quo Talmudici frequentiſſimè, & jactantiſſimè.

Eodem modo requirunt illi ſignum de cœlo à Salvatore; non contenti infinitis iſtis quæ ediderat miris, ſanatione morborum, expulſione dæmonum, multiplicatione panum,

Digitized by Google

CAP. IX. VERS. 1, 2.

num, &c. Volunt etiam aliquid cœleſte: vel ad exemplum *Moſis*, manna inde petentis; aut *Eliæ*, ignem; aut *Joſuæ*, ſolem ſiſtentis; aut *Eſajæ*, retrotrahentis.

C A P. IX.

Vers. 1. Τὴν βασιλείαν τȣ̃ Θεȣ̃ ἐληλυθυῖαν ἐν δυνάμει.

Matthæo eſt *τὸν υἱὸν τȣ̃ ἀνθρώπȣ ἐρχόμενον ἐν τῇ βασιλείᾳ αὐτȣ̃*. Sub his formulis loquendi, exprimitur adventus Chriſti in vindicta & poteſtate ſua, ut perdat gentem incredulam nequiſſimamque *Judæorum*.

Hinc dies iſtius Judicii & vindictæ.

I. Vocatur *Dies Domini Magnus & Tremendus*, *Actor.* 2:20. 2 *Theſſ.* 2:2, 3.

II. Deſcribitur ut conſummatio Mundi, *Hierem.* 4:27. *Matth.* 24:29. *&c.*

III. In Phraſiologia, *In ultimis temporibus*, *Eſaj.* 2:2. *Actor.* 2:17. 1 *Tim.* 4:1. 2 *Pet.* 3:3. Id eſt, in ultimis temporibus iſtius urbis & œconomiæ.

IV. Exinde, Initium Novi Mundi, *Eſaj.* 65:17. 2 *Pet.* 3:13.

V. Deſcribitur vindicta Chriſti illa in iſtam gentem; ut

Adventus ejus, *Joann.* 21:22. *Hebr.* 10:37.

Adventus ejus in nubibus, *Apocal.* 1:7. In gloria cum Angelis, *Matth.* 24:30. *&c.*

VI. Deſcribitur ut Inthronizatio Chriſti, & 12 Apoſtolorum judicantium 12 Tribus Iſraëlis, *Matth.* 19:28. *Luc.* 22:30.

Inde hic ſenſus præſentis loci. Dixerat Salvator commate ultimo Capitis præcedentis, *Quemcunque puduerit mei, ac verborum meorum in generatione iſta adultera, & peccatrice; Filium etiam hominis pudebit ejus, cùm venerit in gloria Patris ſui cum ſanctis ſuis Angelis*, ad pœnas ſumendas de gente iſta adultera & peccatrice. Et meritò ſubinfert Adventum ejus iſtum in gloria, futurum intra vitam quorundam illìc aſtantium.

Vers. 2. Εἰς ὄρος ὑψηλόν.

Veniam jam tuam, ô lector. Ridebitur ſcio, ſi dubitem an *Chriſtus* transfiguratus fuerit in monte *Tabor*, quis enim unquam de hac re dubitavit? At liceat mihi, ante rei fidem à me habitam, ſcrupulos de ea meos palàm facere: & poſitâ ante oculos ſuos Tabulâ aliquâ *Galilææ* geographicâ, lector forſitan cùm me audierit, leniùs de hæſitatione mea judicabit.

I. Advertat, *Chriſtum* in hiſtoria proximè antecedente fuiſſe *in finibus Cæſareæ Philippi*, *Matth.* 16:13. *Marc.* 8:27. *Luc.* 9:18. nec quod ex Euangeliſtis elici poteſt, locum

CAP. IX. VERS. 2, 38.

mutâſſe ante hanc hiſtoriam: Quis negaverit verba iſta, *Sunt qui hic aſtant, qui non guſtabunt mortem, &c.* prolata fuiſſe in oris iſtis *Cæſareæ Philippi*? Atque illico ſecuta eſt hiſtoria transfigurationis.

II. Interceſſerunt quidem ſex dies, in quibus, inquies, proficiſci potuit *Chriſtus* à *Cæſarea Philippi* ad *Taborem*. Potuit quidem. Sed I. Nullum loco-mutationem innuunt Euangeliſtæ, hoc tantùm dicentes, quod tres ex Diſcipulis ſuis duxit in montem. II. Mirum videtur, Salvatorem tam longo itinere ſe fatigare velle, ut *Taborem* ſibi eligeret ubi transfiguretur, cùm minimè, quod legimus, unquam antea in iſto monte, fuerat verſatus, forentque montes alibi, ubi verſaretur frequenter. II. Preme veſtigia hiſtoriæ, & peregrinantis Chriſti, à transfiguratione porrò. Cùm deſcenderet è monte, ſanavit puerum dæmoniacum: & cùm in domum ſe reciperet, dixerunt, *Quarè nos non potuimus dæmonium ejicere?* &c. *Atque diſceſſerunt inde, & tranſierunt per* Galilæam, *& venit ad Capernaum, Marc.* 9:30, 33.

III. Et jam Tabulam Chorographicam intuere, lector, & quàm incongrua videbitur hæc peregrinatiò? 1. A *Cæſarea Philippi* ad montem *Tabor* per totam fere longitudinem *Galilææ*. 2. Deinde à monte *Tabor* retrogrado curſu ad *Capernaumum*, magna parte *Galilææ* [præſertim ut Tabulæ *Capernaumum* locant] iterum retro-menſurata. Cùm *Capernaum* in via foret à *Cæſarea Philippi* ad *Taborem*, foretque mons illìc, *Chriſto* notiſſimus ac frequentiſſimus.

IV. Adeò ut conſonantiùs longè videatur hiſtoriæ Euangelicæ, Chriſtum transfiguratum fuiſſe in monte aliquo prope *Cæſaream Philippi*, iſto forſan, qui, teſte *Joſepho*, altiſſimus ipſiſſimis fontibus *Jordanis* imminebat, atque ad pedem cujus ſita erat *Cæſarea*.

In iſto loco olim *Dan* dicto, erecta fuit prima Idololatria, & jam ibidem loci exhibetur æternus Filius Dei, & in confeſſione *Petri*, & in demonſtratione *Meſſiæ* ineffabiliter clara & illuſtri.

Vers. 38. Εἴδομέν τινα ἐν τῷ ὀνόματί σȣ ἐκβάλλοντα δαιμόνια.

I. Abſque dubio verè præſtitit, quicunque is fuit, hoc opus. Ejecit dæmonia verè & realiter, idque virtute divina; aliter ea non dixiſſet Chriſtus quæ dixit, *Nè prohibete eum: Nemo eſt qui edit miraculum nomine meo, qui poteſt de me malè loqui*, &c.

II. Unde autem potuit quiſquam non ſequens *Chriſtum*, ejicere dæmonia? Aut unde quiſquam ejiciens dæmonia, non ſequi *Chriſtum*?

Digitized by Google

CAP. IX. VERS. 38, 43, 49.

Reſp. Opinamur I. Non ejeciſſe hunc dæmonia nomine *Jeſu*, ſed nomine *Chriſti* aut *Meſſiæ:* atque non ex contemptu fuiſſe quòd non ſequeretur *Jeſum*, ſed ex ignorantia; quippe quòd non adhuc noſſet *Jeſum* eſſe *Meſſiam.* II. Conjectamur ergò, illum, Diſcipulum aliquem fuiſſe *Joannis* olim, qui Baptiſmum ejus receperat in nomine *Meſſiæ* illico venturi, [quod fecerunt omnes Diſcipuli *Johannis*] at non ſcivit adhuc *Jeſum Nazarenum* eſſe *Meſſiam:* quod & ignoverat ipſe *Joannes* uſque dum cœlitùs ei foret revelatum. III. Probabile eſt ergò conceſſiſſe Deum dona miraculorum aliquibus non ita pridem à *Joanne* baptizatis, ut ea edere poſſent in nomine *Meſſiæ*, idque ut ſterneretur via planior recipiendo *Meſſiæ*, cùm ille ſeipſum tandem ſub nomine *Jeſu Nazareni* manifeſtaret.

Vide *verſ.* 41. In nomine meo, ὅτι Χριστοῦ ἐστε, & Cap. 13: 6. *Multi venient in nomine meo*, non in nomine *Jeſu*, ſed in nomine *Meſſiæ:* nam nomen *Meſſiæ* ſibi aſſumſerunt Pſeudo-prophetæ iſti, ut nomen *Jeſu* annihilarent. Non multùm ab hoc ſenſu eſt illud *Joann.* 16: 24. *Huc uſque nihil petiiſtis nomine meo.* Orationes ſuas fuderant Apoſtoli, & fuderunt Sancti omnes in nomine *Meſſiæ*; at nihil adhuc petiiſtis in nomine meo *Jeſu*, &c.

Vers. 43. Ἔκκοψον αὐτὴν, &c.

Babyl. Shabb. fol. 108. 2. *Dicit R. Mona nomine R. Judæ, Guttula aquæ frigidæ manè,* [applicata oculo] *ac lotio manuum ac pedum vesperi* מכל קילורין שבעולם, *bona eſt oculis præ omni collyrio quod in toto mundo. Ipſe etiam dixit,* יד לעין תקצץ, *Manus oculo applicat*, [manè ante lotionem] *exſcindatur. Manus nari exſcindatur: Manus auri exſcindatur*, &c.

Vers. 49. Πᾶς γὰρ πυρὶ ἁλισθήσεται.

Caſtigatum probè, meritòque habes magnum *Scaligerum* à *Joann. Cloppenburgio, in Spicileg. Scholæ ſacrific. problem.* 3. quòd lectionem hîc immutarit in πᾶσα πυρία ἁλισθήσεται. Eum vide.

Πᾶς, non de omni homine eſt intelligendum, ſed de unoquoque eorum, *quorum vermis non moritur*, &c.

Petendus loci ſenſus è verbis iſtis, & verborum iſtorum ſenſus, ex *Eſaj.* 66: 24. In quem locum ſic *Judæi*.

Sanhedr. fol. 100. 2. Prodibunt & videbunt cadavera hominum in me rebellantium, quòd vermis eorum non morietur, &c. *Nonne hominis digitus, ſi in ignem immittatur in hoc mundo, extemplo comburitur? At dat Deus poteſtatem* [vel exiſtentiam] *improbis ut recipiant tormenta.*

CAP. IX. VERS. 49.

Kimch. in locum: *Videbunt cadavera eorum plena vermibus, ignemque in iis ardentem:* & vermes tamen non moriuntur.

Verba ergò Salvatoris huc tendunt. *Vermis eorum non moritur, nec ignis extinguitur*, nam unuſquiſque eorum ipſo igne ſalietur, ita ut inconſumptibilis fiat, & in æternum duret torquendus, prout ſal tuetur à corruptione.

Lectionem vulgarem ineptiſſimam vocat vir doctiſſimus, cujus antea mentio. Nam quid inquit, Ἁλίζειν πυρί; Retorqueam ego, Et quid πυρίζειν ἁλί; Et tamen ſenſus iſte occurrit apud Talmudicos frequentiſſimè. Nam apud eos הקדיח eſt *comburere*, [quod propriè quidem ſignificat] & eſt frequentiſſimè *nimia ſalſedine aliquid corrumpere*, ita ut non poſſit comedi: *Igniri ſale.* Sic hoc in loco, *Salliri igne*, ut non poſſit corrumpi aut conſumi.

Καὶ πᾶσα θυσία ἁλὶ ἁλισθήσεται.

Agitur hîc de ſallitione quæ fiebat ad altare: vide *Levit.* 2: 13.

Menachoth, fol. 21. 2. *In aſcenſu altaris ſalliebant partes victimæ. Et in vertice altaris ſalliunt pugillum farinæ, thuris, thymiamatis, & mincham Sacerdotum, & mincham Sacerdotis uncti, & mincham libaminum, & ſacrificium volucrum.* Imò, fol. 20. 2. עצים קרבן מנחה הן וטעונן מלח, *Ligna ipſa ſunt Corban Minchæ, & ſunt ſallienda.*

At in clauſula priori non alludebatur ad ignem altaris, ſed ad ignem in valle *Hinnomis*, ubi abſumebantur cadavera, oſſa, reliquaque ſordida. Cadavera ſcatent vermibus, & vice ſalis qui munit contra vermes, projicientur illi in ignem & ſallientur flammis, & tamen vermes non morientur. At is qui vera Deo victima, condietur ſale gratiæ ad incorruptionem gloriæ.

Loquitur Salvator hoc in loco, cum *Eſaja*, Cap. 66: 20. Ἄξουσι τοὺς ἀδελφοὺς ὑμῶν ἐκ πάντων τῶν ἐθνῶν δῶρον Κυρίῳ---ὡς ἀνενέγκαισαν οἱ υἱοὶ Ἰσραὴλ τὰς θυσίας αὐτῶν ἐμοὶ μετὰ ψαλμῶν εἰς τὸν οἶκον Κυρίου. Et *verſ.* 24. καὶ ἐξελεύσονται, καὶ ὄψονται τὰ κῶλα τῶν ἀνθρώπων τῶν παραβεβηκότων ἐν ἐμοί· ὁ γὰρ σκώληξ αὐτῶν οὐ τελευτήσει, καὶ τὸ πῦρ αὐτῶν οὐ σβεσθήσεται, &c.

Πᾶσα θυσία, inquit Salvator, de Sanctis conditis gratiâ, ſic Propheta, Ἄξουσιν ἀδελφοὺς ὑμῶν δῶρον Κυρίῳ, ὡς οἱ υἱοὶ Ἰσραὴλ τὰς θυσίας.

Ἁλισθήσονται πυρὶ inquit Salvator, de improbis: eodem ſenſu *Eſajas*, Erunt in igne inex-

CAP. X. VERS. 1. inextinguibili, & tamen vermis eorum non morietur.

Ignis *eorum*, & vermis *eorum*: Quorum? De antecedente, apud verba Servatoris eſt obſcuriùs, adeòque quidem, ut eum non niſi ad verba *Eſajæ*, verba ſua retuliſſe, ſit ſine omni obſcuritate: Quinam autem illi apud *Eſajam*, patet ſatis.

C A P. X.

Vers. 1. Ἔρχεται εἰς τὰ ὅρια τῆς Ἰουδαίας, διὰ τοῦ πέραν τοῦ Ἰορδάνου.

OCulo perſpicaci hìc eſt opus, ad dijudicandum de vero tempore, methodoque hujus hiſtoriæ, peregrinationiſque Chriſti: quo ſi utaris, comperies dimidium anni, aut circiter interceſſiſſe, inter prolationem verborum immediatè præcedentium, & hoc iter Salvatoris; utcunque ab Euangeliſta noſtro, pariterque à *Matthæo* videatur innui, quòd cùm verba iſta finiiſſet, illico ad iter iſtud ſe accingeret: cùm reverâ profectus ſit antè, *Hieroſolymam*, per medium *Samariæ* ad feſtum *Scenopegiæ*, *Luc* 9: 51, &c. *Joann.* 7. Iterumque à *Galilæa*, eò reverſus, per urbes & vicos, *Hieroſolymam*, *Luc.* 13: 22. ad feſtum *Encæniorum*, *Joann.* 10: 22. Et deinde *trans Jordanem* quidem, *Joann.* 10: 40. ſed viâ arreptâ primùm in *Galilæam*, atque indè trans *Jordanem* ſecundùm hiſtoriam iſtam quæ ſub manibus. Lectori ſtudioſo, atque in hanc rem operam ſuam ſeriò impendenti, non opus eſt ulteriori probatione, teſtabuntur hoc ſatis proprii oculi. Sic calamos ſacrorum horum Amanuenſium direxit Sapientia, Spiritusque Dei, ut hi quædam omitterent ab illis ſupplenda, illi iſta ſupplerent quæ iſti omiſerant; & ſic non niſi ex omnibus conjunctis collatiſque, plena contexeretur hiſtoria & completa.

Utinam hoc ſatis animadvertiſſet venerandus *Beza*, qui πέραν Ἰορδάνου reddit, non *trans*, ſed *ſecus Jordanem*, vulgatumque Interpretem atque *Eraſmum* caſtigat, qui *trans Jordanem* reddunt, propriè veriſſimèque. *Quaſi per Peræam*, inquit ille, *vel trans Jordaninam Chriſtus, trajecto Jordane vel lacu Tiberiadis, in Judæam venerit ex Galilæa, quod verum non eſt.* At cave nè hallucineris, venerande Senex. Nam trajecit *Jordanem* à *Capernaumo*, ut probabile maximè, per pontem ſuper *Jordanem* ſtructum inter *Chammatham* quæ vicina *Tiberiadi*, & *Gadarenam* regionem: contulit ſe ad *Bethabaram*, atque aliquantum temporis eſt illic commoratus, *Joann.* 10: 40. indè per *Peræam* perrexit ad ripam *Jerichunti* oppoſitam. Illic commorantem adit nuntius à *Maria* miſſus, de morte *Lazari*, *Joann.* 11. Atque indè poſt biduum tranſit *Jordanem* in *Judæam*.

Vers. 17. Γονυπετήσας αὐτόν.

CAP. X. VERS. 17, 21.

Sic *Cap.* 1: 40. Παρακαλῶν αὐτὸν, καὶ γονυπετῶν αὐτόν. Variè hoc redditur, *Procidit ad pedes, genu flexo, genu petens, ad genua procidens*, &c. Quæ quidem non incongrua. Aſt ſuſpicor ego aliquid amplius includi. Nam I. in more fuit ſic adorantibus, genua aut crura prehendere, 2 *Reg.* 4: 27. *Matth.* 28: 9. II. Genua aut pedes exoſculari. Vide quæ diximus ad *Matth.* 28: 9.

Babyl. Chetubb. fol. 63. 1. Cùm *Rabbi Akiba* duodecim annis abfuiſſet ab uxore, redeunti tandem prodiit ea in occurſum: *cumque ad eum accederet, procidens in faciem* קא מנשקה ליה לכרעיה, *exoſculata eſt ejus genua.* Et paulò pòſt, Cùmque is in oppidum intrâſſet, ſocer ejus ignorans quiſnam eſſet, at grandem aliquem Rabbinum eſſe ſuſpicans, illum adit, ac procidens in faciem, נשקיה ליה לכרעיה, *exoſculatus eſt ejus genua.*

Idem, Bav. Bathr. De *Jobo* loquens. בא שטן ונשקיה לכרעיה, *Venit Satan, atque is exoſculatus eſt ejus genua: At in omni hoc non peccavit Jobus labiis ſuis*, &c.

Sanhedr. fol. 27. 2. Cùm diſſeruiſſet quidam Rabbinus de rebus variis, קם בר חמא ונשקיה אכרעיה, *Exurrexit Barchama, atque exoſculatus eſt ejus genua*, vel crura.

Vers. 21. Ἠγάπησεν αὐτόν.

Id eſt, externo aliquo geſtu palàm fecit, ſibi complacuiſſe hunc hominem, & in quæſtione ſua, & in reſponſione: cùm & ſeriò quæreret de adipiſcenda ſalute æterna, & ſeriò profiteretur ſe omni curâ & circumſpectione mandatis Dei ſeſe addixiſſe.

Conferamus morem Magiſtrorum apud Judæos.

Hieroſ. Chagigah, fol. 77. 1. *Eliezer ben Erech* veniam impetravit à *Rabban Jochanane ben Zaccai*, ut de nonnullis coram eo diſſertaret. Diſſertavit de curru *Ezechielis* [מעשה מרכבה, cap. 1. vel de Theologia myſtica.] *Cùm finiiſſet, exurrexit Rabban Jochanan*, ונשקיה בראשיה, *Et caput ejus oſculatus eſt.*

Idem, Horajoth, fol. 48. 3. *R. Abba Bar Cahna audivit R. Levi profundè diſſertantem. Cùm finiiſſet, exurrexit R. Abba, atque caput ejus eſt oſculatus.*

Idem, Nedarim, fol. 36. 4 Hiſtoria eſt de *Naziræo* quodam juvene, *Simeoni Juſto*, reſponſione quadam ſua, admodùm complacenti.

Digitized by Google

CAP. X. VERS. 21, 46.

centi. Unde inquit *Simeon*, *Inclinavi in eum capite meo*, *dixique*, *ô fili*, *multiplicentur tales*, *qualis tu*, *in Iſraële*. Reperitur hæc hiſtoria in *Nazir*, fol. 51. 3. Ubi pro הרכנתיו הבקתיו בראשי, *Inclinavi in eum capite meo*, ונשקתיו על ראשו, *Amplexus ſum eum*, *atque caput ejus exoſculatus*.

Babyl. Megill. fol. 14. 1. *Miriam ante nativitatem Moſis prophetaverat*, *Mater mea pariet filium*, *qui liberabit Iſraëlem. Cùm foret natus*, *repleta eſt tota domus luce. Proſtitit pater ejus*, ונשקה על ראשה, *atque eam exoſculatus eſt ſuper caput*, *& dixit*, *adimpleta eſt Prophetia tua. At cùm eum abjicerent in fluvium*, טפחה על ראשה, *Eam contudit ſuper caput*.

Quid ſi ipſiſſimo hoc geſtu uſus fuerit Salvator erga hunc juvenem? Aptiuſque, cùm coram eo flexis genibus provolveretur. Aliquo ſaltem geſtu uſus eſt, quo & ipſi juveni, & aſtantibus planum fuit, juvenem & interrogatione ſua, & reſponſione, non parùm placuiſſe.

Sic אהבתי, *Pſalm.* 116: 1. apud LXX. Ἠγάπησα, bene reddas, *Complacet mihi*. Sic *Joſephus* de militibus *Davidis*, 1 *Sam.* 30. Quadringenti iſti qui ad prælium ierant, ſpolia ducentis qui defatigati elanguerant, impertire noluerunt, Ἀγαπήσειν γὰρ σεσωμένας γυναῖκας ἀπολαμβάνοντας ἔλεγον;

Pari aliquo ſenſu dicitur *Joannes*, Diſcipulus ὃν ἠγάπα ὁ Ἰησοῦς, non quòd magis eum diligeret *Jeſus* quàm reliquos, amore ſuo æterno, infinito, ſalvifico; ſed quòd eum magis externo aliquo favore, ac amica familiaritate interiori foveret. Et quare? Quia *Joannes* ſe curam matris *Chriſti* poſt mortem ejus habiturum ſpopondiſſet. Nam verba iſta Salvatoris in cruce ad *Joannem*, *Ecce mater tua*; & ad matrem, *Ecce filius tuus*; & quòd exinde reciperet eam *Joannes* ad ſua, claram probabilitatem ſecum ferunt, non tum primùm *Joannem* de re tali audiiſſe, ſed jam pridem ita fuiſſe pollicitum.

Ἠγάπησά σε, in *Eſaj.* 60: 10. redditur רחמתיך, *Miſertus ſum tui*: quod etiam optimè hîc poteſt convenire. *Jeſus miſertus eſt ejus*.

VERS. 46. Υἱὸς Τιμαίου Βαρτιμαῖος.

Tautologiâ Solœcizantem ſuſpicantur quidam Euangeliſtam: nam nec neceſſe erat, ut arbitrantur, ut vocem Syriacam ſic Græcè redderet: nec alibi in nominibus propriis, ejuſdem generis, eſt factum. Nam non dicitur ab ullo Euangeliſta *Bartholomæus*, *filius Tholomæi. Bar Abbas*, *filius Abbæ. Bar Jeſus*, *filius Jeſu: nec in ſimilibus*.

Verè quidem. At

CAP. XI. VERS. 11, 13.

I. Cùm denominatio ſit à nomine communi & non proprio, tum non adeò inconſonum eſt, vocem interpretari; quod & fit ſemel iterumque, *Marc* 3: 17. Βοανεργὲς, ὅ ἐστιν, υἱοὶ βροντῆς. Actor. 4: 36. Βαρνάβας, ὅ ἐστιν, υἱὸς παρακλήσεως. Jam verò,

II. *Bar Timai* aliter reddi potuiſſet, quàm *Filius Timæi*: nempè vel בר תימה, *Filius admirationis*, vel quòd propiùs בר תימי, *Filius utilitatis*. Targ. in *Eſth.* 3: 8. ולמלכא לית ליה טימי מנהון. Meritò ergò Euangeliſta, ut oſtenderet hunc *Bartimæum*, non ab hac, aut illa, aut alia tali etymologia fuiſſe nuncupatum, ſed à nomine paterno, nomen ejus ita interpretatur, Βαρτιμαῖος, υἱὸς Τιμαίου.

III. Erat forſan *Timæus* nominis notioris apud iſtud ſæculum, vel famâ bonâ, vel malâ: ita ut *Judæis* tunc ibi verſantibus nihil abſurdi foret dicere, Hic *Bartimæus* cœcus, filius eſt *Timæi* adeò famoſi. Sic nobis ignotum eſt quinam fuerint *Alexander & Rufus*, Cap. 15: 21. at erant illi abſque dubio notiſſimæ famæ vel inter Diſcipulos, vel inter Judæos.

IV. Quid ſi תימיא idem ſit cum סמיא Cœcus, ex uſu ת pro ס apud Chaldæos, ut *Bartimæus filius Timæi*, ſonare potuerit, *Filius cæcus cæci patris*?

CAP. XI.

VERS. 11. Καὶ περιβλεψάμενος πάντα.

Confer *Marcum* cum reliquis de tempore ejectionis mercatorum è Templo, & apparebit vocem περιβλεψάμενος non nudum intuitum aut inſpectionem denotare, ſed inſpectionem cum reprehenſione & correctione. אודרה Judæis.

VERS. 13. οὐ γὰρ ἦν καιρὸς σύκων.

Vide quæ diximus ad *Matth.* 21: 19. Summa hæc eſt.

I. Adeò abfuit tempus ficuum, ut vix jam adeſſet tempus foliorum.

II. Ficus reliquæ in monte, erant de genere ficuum communi: & in iis non adhuc viſenda erant folia. Aſt ea quam foliis veſtitam vidit Chriſtus, atque ideò eam adiit, erat ficûs generis extraordinarii.

III. Nam erat ficus quædam בנות שוח dicta, quæ nunquam foliis caruit, & nunquam ficubus. Nam unoquoque anno fructum tulit, at fructus iſte ad maturitatem non erat decoctus ante annum tertium: talem opinamur fuiſſe hanc ficum.

VERS.

Digitized by Google

CAP. XI. VERS. 16.

VERS. 16. Καὶ ὐκ ἤφιεν ἵνα τὶς διενέγκῃ σκεῦος διὰ τῦ ἱερῦ.

CAP. XII. VERS. 1.

Babyl. Jevamoth, fol. 6. 2. *Quænam eſt reverentia Templi? Nè quis eat in montem domûs* [vel atrium Gentium] *cum baculo ſuo, & calceis ſuis, crumena ſua, & pulvere in pedibus ſuis:* ולא יעשנו קפנדריא ורקיק, *Non per illud faciat viam ſuam tranſitivam, nec faciat locum ſputationis.*

Idem etiam ſtatuitur de Synagoga: imò de Synagoga jam devaſtata, multò magis de florente.

Megill. fol. 28. 1. לא עושין קפנדריא, *Synagogam jam devaſtatam nè faciant viam tranſitionis.* Et fol. 27. 2. *Interrogârunt R. Eliazarum ben Shammua Diſcipuli ejus, Unde adeo dies tuos produxiſti? Reſpondit ille, Nanquam feci Synagogam viam tranſitionis.*

Prohibetur ergò à Magiſtris, nè in viæ compendium, atrium Templi fiat tranſitus. Et nonne hoc ſatis erat fræni, quo reprimerentur omnes à portando vaſa per Templum? At erat contiguum atrio, *Caſtellum Antoniæ*, erantque in atrio Gentium, *Tabernæ*, ubi venundabantur plurima, & huc portari vaſa profana, vix eſt negandum. Et vaſa hæc portari διὰ τῦ ἱερῦ dici potuerunt, quamvis portantes, totum Templum non permearent.

C A P. XII.

VERS. 1. Ἀμπελῶνα ἐφύτευσεν ἄνθρωπος, &c.

COgnoverunt *Sacerdotes & Phariſæi*, inquit *Matthæus, de ſe hæc dici*, Matth. 21: 45. Nec mirum: nam gloriabantur *Judæi*, ſe eſſe vineam Domini: & injuriam iſti vineæ à quovis illatam promptè obſervant; at quam longè abeſt, ut obſervent, quàm infrugiferi illi, & ingrati Dominò vineæ.

Tanchum, fol. 54. 3. *Res comparari poteſt Regi cui erat vinea, atque iſti erant tres qui inimicabantur. Quidnam illi fecerunt? Unus excidit racemos, ſecundus botros defalcavit, & tertius extirpavit vites. Rex iſte, eſt Rex Regum, Dominus benedictus. Vinea Domini, eſt Domus Iſraëlis. Tres inimici ſunt Pharaoh, Nebuchadnezzer & Haman*, &c.

Ἀμπελῶνα.

Kilaim, cap. 4. hal. 5. *Si plantat ſeriem unam quinque vitium, Schola Shammæana dicit, quod eſt vinea: Hilleliana autem dicit, Non eſt vinea, uſque dum ſint ibi duo ordines vitium.*

Περιέθηκε φραγμόν.

Ibid. hal. 3. *Qualiſnam eſt ſepes? Sit alta decem palmos:* his minùs, non eſt ſepes.

Ὤρυξεν ὑπολήνιον.

Ibid. חריץ שהוא עמוק י ורחב ד, *Lacus ſit profundus decem palmos, & latus quatuor.*

Ὠκοδόμησε πύργον.

Ibid. cap. 5. hal. 3. שומרה שבכרם גבוהה י ורחבה ד, *Cuſtodia quæ in vinea, ſit decem alta, & quatuor lata.* Cubiti ſunt intelligendi. Nam *Rambam*, שוכרה, inquit, *eſt locus altus ubi ſtat vinitor, ut circumſpiciat vineam.*

Ἐξέδοτο αὐτὸν γεωργοῖς.

Maimon. in שכירות cap. 2. המוסר כרמו לשובר, Ὁ ἐκδοὺς ἀμπελῶνα αὐτῦ, &c. *Qui vineam ſuam elocat cuſtodi*, בין באריסות בין בשמיה חנם, *Sivè ut* γεωργῷ, *ſive ut cuſtodituro gratis, ineatque cum eo pactum, ut eam fodiat, amputet, paſtinet ſumptu ſuo; is autem negligat, atque ita non faciat, reus eſt, ac ſi propria manu vineam vaſtaret.*

CAP. XII. VERS. 2.

VERS. 2. Ἀπέστειλε πρὸς τὺς γεωργὺς τῷ καιρῷ.

Id eſt, anno quarto à prima ejus plantatione. Cùm jam foret כרם רבעי, *vinea quadriennis*, ſaltem ante iſtum annum nullus fructuum uſus.

Maaſar Sheni, cap. 5. hal. 1. כרם רבעי מציינין אותו בקוזות אדמה, *Vineam quadriennem pingunt*, vel notant, *glebâ*, aut bolo, *aliquâ terræ*, coloratæ, של ערלה בחרסית, *& præputiatam argillâ. Et ſepulchra calce.*

Gloſſ. *Vineæ quadrienni appingunt notas aliquas è gleba terræ, ut noſcant homines, quòd eſt vinea quadriennis, & de ea non comedant, quoniam ea ſacrata eſt, ut dicit Dominus*, Levit. 19: 24. *& oportet poſſeſſores ejus fructum ejus comedere Hieroſolymis, ut decimam ſecundam. Et vineam præputiatam* [i. e. quæ adhuc non foret quadriennis: vide *Levit.* 19: 23.] *notant argillâ*, הוא טיט השרוף, id eſt, *in igne decoctâ; nam prohibitio de præputiata, major eſt quàm prohibitio de quadrienni: nam quadriennis eſt eſui idonea, at præputiata non eſt adhibenda in ullum uſum. Eam ergò glebâ non notârunt, nè fortè diluetur & periret nota, & homines eam non videntes de ea comederent*, &c.

VERS. 4

CAP. XII. VERS. 4, 10, 16.

VERS. 4. Λιθοβολήσαντες ἐκεφαλαίωσαν.

I. Non video, cur opus ſit vocem ἐκεφαλαίωσαν à germano & genuino ſuo ſenſu torquere. Κεφαλαιῦν, *in ſummam quandam ſubducere & colligere* ſignificat, ut docent Lexica: & eccur non eodem ſenſu hoc in loco? Jecerunt in ſervum lapides, & deridentes computârunt cum eo ſummam. Sic forſan, vel tale quid inquientes, Requiris tu fructum & reditum? En tibi hunc fructum, [jacto lapide;] en tibi alium fructum, [jacto alio lapide;] & ſic multoties: & ſic eum dimiſerunt ἠτιμωμένον, deriſum & opprobrio onuſtum.

II. At eſto, vocem transferendam prout vulgò redditur, *in capite eum vulneraverunt:* tum ita diſtinguitur hic modus λιθοβολίας, ab iſta, qua confecti ſunt illi qui lapidati ſunt à Synedrio. Vocatur iſta λιθοβολία, nam erat jactus lapidis quidem, at unius tantùm, ejuſque grandiſſimi, idque in cor damnati, cùm jam jaceret ſupinus: at hæc, lapidum plurimorum è manibus per aëra jactatorum, hîc, illîc, ubique ferientium. Lapidato à *Synedrio* illæſum erat caput, & abſque vulnere; at hîc λιθοβολήσαντες ἐκεφαλαίωσαν.

VERS. 10. Λίθον ὃν ἀπεδοκίμασαν.

Targ. in Pſalm. 118. ſic. טליא שביקו ארדיכליא, *Puerum reſpuerunt, ædificatores:* [vel pro אבן legit הבן, vel reddit ſecundùm idioma Arabum, *Filium:* ſic & *R. Solom.*] Et *verſ.* 27. כפיתו טליא לנכסת חגא, *Ligate puerum ad ſacrificium Solennitatis catenis, donec ſacrificaveritis eum, & effuderitis ſanguinem ejus in cornua altaris. Dixit* Samuël *Propheta.*

VERS. 16. Τίνος ἡ εἰκών; Καίσαρος.

I. Erat hic *Denarius Cæſareanus.* דינרא קיסראנה: Nam *Zuz*, apud Judæos erat etiam Denarius, ut oſtendimus alibi; at vix credimus fuiſſe ejuſdem formæ & inſcriptionis.

Babyl. Avodah Zarah, fol. 6. 2. ההוא מינאה דשדר ליה דינרא קיסראנה, *Ethnicus quidam miſit R. Judæ principi Denarium Cæſareanum, idque die quodam feſto Ethnicorum. Sedit Resh Lachish coram eo. Dixit R. Juda, Quid faciam? Si recepero, conſentiam* [feſtivitati eorum.] *Si non recepero, orietur mihi inimicitia. Reſpondit Resh Lachish, Accipe Denarium, atque ipſo aſpiciente, abjice in puteum, &c.*

II. Erat Denarius argenteus, non aureus. *Bava Bathra*, fol. 166. 1. דינרין סתם משם של כסף, *Denarii abſolutè poſiti, intelligendi ſunt Denarii argentei.* Ubi Gloſſ. *Denarii abſolutè poſiti ſunt argentei, donec explicetur quòd ſunt aurei.*

CAP. XII. VERS. 16.

Jam verò, Denarius aureus valuit viginti quinque Denarios argenteos.

Cherituth, cap. 1. hal. 7. *Cùm vænirent turtures & pulli columbarum Hieroſolymis aliquando, Denario aureo, dixit* Rabban Simeon *ben* Gamaliel, *Per Templum hoc, ego hâc nocte non quieſcam, niſi væneant Denario argenteo.* Ubi Gloſſ. *Denarius aureus valet viginti quinque Denarios argenteos.*

III. Erat צורי, non פשוט, *Romanus*, non *Hieroſolymitanus*: nam hanc diſtinctionem adhibent aliquando.

Chetubb. fol. 67. 1. זוזי פשיטי, teſte gloſſemate, ſunt זוזי מדינה, *Zuzæi Hieroſolymitani.*

At frequentiùs מטבע צורי & מטבע של מדינה.

מטבץ צורי, bene reddas *nummum Tyrium.* Aſt audi *Aruch*, ubi egiſſet de nummo צורי, tandem ſubinfert: *Dicit R.* Eliezer, *Ubicunque in Scriptura,* (צור) *plenè ſcribitur, Scriptura loquitur de urbe Tyro: ubi verò defectivè* (צר) *de Roma loquitur.*

Eſto moneta *Tyria* aut *Romana*, hoc obtinuit apud Magiſtros.

Bava Kama, fol. 36. 2. in Gloſſ. *Ubicunque aliquid dicitur, de nummo argenteo* של מדינה, *Hieroſolymitano, eſt octona pars Tyrii.*

Hinc ego ænigma illud ſolverem, quo hæſitat Gloſſator ipſe, ſi detur conjecturæ locus in re Judaica, poſt hæſitantem Judæum.

In *Bava Kama* jam citatâ, fol. 97. 2. ſermo eſt de מעות כוזביות ירושלמיות, *Nummis Cozbenſibus Hieroſolymitanis.* Ænigma certè. Cudit quidem *Ben Cozba* nummos, cùm inſurgeret in *Romanos*, ut refertur *Hieroſ. Maaſar Sheni*, fol. 52. 4. Aſt unde hi dicti *Hieroſolymitani*, cùm in diebus *Ben Cozbæ* ruderibus propriis ſepulta jaceret *Hieroſolyma?* Me Oedipo, ita dicti ſunt, quòd ejuſdem ponderis & valoris forent cum moneta *Hieroſolymitâna*, non cum *Tyria.*

Moneta Hieroſolymitana, inquiunt, eſt *octona pars Tyriæ.* Hîc iterum in ænigmate me implicant verba aliqua Magiſtrorum.

Aruch in זז, *Denarius & Zuz ſunt idem*, & Gloſſ. in *Bava Bathr.* fol. 166. 1. *Denarios vocant, linguâ Gemariſticâ, Zuzim*, quod obſervavimus ad Cap. 6. *verſ.* 37. Zuz erat moneta *Hieroſolymitana:* quomodo ergò idem ſonat cum Denario, qui moneta *Tyria*; cùm octona ejus pars tantùm foret?

Et ſcrupulum inſuper hæc addunt quæ dicuntur à *Rambamo* in *Peah*, cap. 8. hal. 7. הדינר ו זוזים. *Denarius* continet *ſex Zuzim.*

Si

Digitized by Google

CAP. XII. VERS. 38, 41. Si dixiſſet, *octo Zuzim*, fuiſſet abſque ſcrupulo. At quid jam dicendum?

Priori nodo hunc aptes cuneum, quòd *Zuz* apud Judæos vocaretur etiam *Denarius*, Judaicus quidem, at diſpar Romano: ut Scoti *Solidum* habent ſuum, at multùm diſparem à noſtro *Anglicano*. At nodo ſecundo cuneum quærat cui vacat.

IV. Inſignitus erat hic nummus effigie *Cæſaris*; at de numino *Hieroſolymitano* ſic Judæi, quibus crede cùm lubet.

Bava Kama, fol. 97. 2. *Qualiſnam eſt moneta Hieroſolymitana?* דוד ושלמה בצד אחד, *David & Solomon cuſi erant ab uno latere, atque à reverſo* וירושלם עיר הקודש, *Hieruſalem Civitas Sancta*. At quærit Gloſſator, an licuerit effigiem *Davidis* & *Solomonis* monetæ incudere, quod vix credit. Concludit ergò quòd nomina eorum tantùm fuerint inſcripta, non effigies.

Bereshith Rabba, fol. 24. 2. *Abrahami nummo cuſi erant ex uno latere, ſenex & anus; ex altero, juvenis & puella. Joſuæ, ex uno latere, bos; ex alio, monoceros. Davidis, ex uno latere, baculus & pera; ex altero, turris. Mardochæi, ex uno latere, ſaccus & cineres; ex altero, corona.*

Penes authores eſto fides.

VERS. 28. Ποία ἐςὶ πρώτη πασῶν ἐντολή;

Occurrit non raro apud Rabbinos diſtinctio inter תורה & מצוה, *Legem* & *præceptum*: Per poſterius intelligunt ſpecialem aliquem vel grandiorem (ipſis judicibus) ritum, qualis erat Circumciſio, Recitatio Phylacteriorum, Sabbatizatio, *&c.* Videtur quæſtio hæc à Scriba propoſita, eadem reſpicere; nempe an præcepta iſta grandia (prout æſtimabantur) atque alia iſtiuſmodi ceremonalia, qualia erant Sacrificia, Purificationes, Ἑορτισμὸς, fuerint maxima præcepta Legis, necne; & ſi ſic, quodnam inter ea primum?

Videtur ipſe quidem ex reſponſione, in negativum inclinâſſe, & Legem moralem prætuliſſe. Unde Chriſtus dicit eum non multùm abeſſe à regno cœlorum: dumque ei reſponſum aptat ex ipſiſſima iſthâc periocha, quæ prima erat in recitatione Phylacteriorum שמע ישראל, oculos animumque Recitantium ad ſenſum medullamque rei recitatæ dirigit, & nè quieſcant in opere operato recitandi.

VERS. 41. Ὄχλ☉ βάλλει χαλκὸν.

היו מטילין שם המעות, Gloſſ. *in Shekalim*, fol. 8. 4.

Ibid. *Pro arbitrio ſuo potuit quiſquam in arculas projicere quantillum voluit: nempe in ciſtam quæ pro auro, tantillum auri quantum pendebat granum hordei: & in ciſtam pro thure, quantum pendebat granum hordei, thuris. At verò ſi diceret* הרי עלי, *Ecce ego voveo lignum, non offeret minus quàm duo ſegmenta, longitudinis cubitalis, & craſſitiei proportionatæ. Ecce voveo thus: non offerat minùs quàm pugillum thuris:* id eſt, non minus nummi, quàm qui tantum coëmat.

CAP. XII. VERS. 42.

VERS. 42. Λεπτὰ δύο, ὅ ἐςι κοδράντης.

Hieroſ. Kiddushin, fol. 58. 4. ב' פרוטות קרדיונטס, *Duæ prutæ ſunt quadrans.*

Bava Mezia, fol. 44. 2. *Prutah eſt octona pars Aſſarii Italici. Aſſarius eſt viceſima quarta pars Denarii argentei.*

Reddimus antè Ὄχλ☉ βάλλει χαλκὸν per היו מטילין מעות, Putes reddendum potiùs היו מטילין נחושת, at perpende illud in

Maaſar Sheni, cap. 2. hal. 8, 9. & *Adajoth*, cap. 1. 9, 10. המפורט סלע של מעשר שני, *Qui commutat Selaam decimæ ſecundæ*, *Schola Shammæana dicit*, מעות כל סלע, *Commutet totam Selaam in* מעות, [reddes forſan in *nummos* vel in *Meas*: at propriè reddendum eſt *in æs*, ut liquet ex ſequentibus.] *Schola Hilleliana dicit*, שקל כסף ושקל מעות, *In ſiclum argenti & ſiclum æris.* Sic etiam Gloſſatores. Et *Aruch* inſuper de voce פורט, *Qui commutat Selaam, & pro eo recipit* מעות של נחושת שהן פרוטות, *nummos æreos, prutas ſcilicet.*

Non licuit cuiquam per Canonem, de quo nuper mentio, in Templum, imò nè quidem in Atrium gentium, intrare cum crumena ſua, multò ergò minùs in Atrium mulierum, & tamen vix intravit quiſpiam qui non nummum ſecum comportaret aliquem, offerendum *Corbonæ*, an in manu, an in ſinu, an alibi, non definimus: ſic hæc paupercula, quæ duobus minutis æternam ſibi famam coëmit, rem appreciante ſupra omnia offerentium dona ipſo Salvatore.

CAP. XIII.

CAP. XIII. VERS. 3.

VERS. 3. Εἰς τὸ ὄρ☉ τῶν ἐλαιῶν κατέναντι τοῦ ἱεροῦ.

Middoth, cap. 1. hal. 3. *Porta Orientalis Atrii gentium, pictam in ſe habuit Shuſhan Metropolin. Et per hanc portam exiit Summus Sacerdos ad comburendum vaccam rufam.*

Et cap. 2. hal. 4. *Omnes muri iſtius Atrii erant alti, excepto muro Orientali: quia Sacerdos vaccam comburens, ſtabat in vertice montis Oliveti,*

CAP. XIII. VERS. 7, 9.

Oliveti, *atque collimabat*, *ac intuebatur in portam Templi*, *eo tempore quo ſparſit ſanguinem*.

Parah, cap. 3. hal 9. *Sacerdos ſtetit facie in Occidentem verſâ*, *vaccam mactat dextrâ*, *& ſanguinem recipit ſiniſtrâ*, *at ſpargit dextrâ*, *idque ſepties*, *directè verſùs Sanctum Sanctorum*.

Verum quidem eſt, à quovis tractu *Oliveti* bene proſpici potuiſſe Templum: at vox κατέναντι, ſi non ad ipſiſſimum hunc locum dirigit, at ad aliquem certè in eadem linea; & non poteſt non actionem iſtam Summi Pontificis in mentem revocare.

Vers. 7. Μὴ θροεῖσθε.

Cogita hîc quàm gentem terruerint Traditiones Scribarum famâ belli *Gog* & *Magog*, immediatè adventum *Meſſiæ* præceſſuri.

Bereſh. Rabb. ſect. 41. *R. Eliezer ben Abina dicit*, *Cùm videris regna ſe invicem turbantia*, צפה לרגלי של משיח, *Tunc expectes veſtigia Meſſiæ. Atque hoc verum eſſe ex hoc cognoſce*, *quòd ſic fuit in diebus Abrahami*; *nam turbârunt ſe mutuò regna*, *& tum venit redemptio Abrahamo*.

Babyl. Sanhedr. fol. 95. 2. *Sic venerunt contra Abrahamum*, *& ſic venturi ſunt cum Gog & Magog*.

Ibid. fol. 97. 1. *Tradunt Rabbini. Hebdomadæ iſtius* [annorum] *quâ venturus eſt Filius Davidis*, *Anno* Primo, *adimplebitur illud*, *Pluam ſuper unam civitatem*, *at ſuper aliam non pluam*, [Amos 4.] Secundo, *Sagittæ famis emittentur.* Tertio, *Fames gravis erit*, *& morientur viri*, *& fœminæ*, *& puerúli*, *viri ſancti*, *& viri bonorum operum*: *& oblivio Legis erit apud diſcentes eam.* Quarto, *Saturitas*, *& non ſaturitas.* Quinto, *Saturitas magna*: *nam edent*, *& bibent*, *& lætabuntur*, *& redibit Lex ad Scholares ſuos.* Sexto, *Voces.* [Gloſſ. Divulgabitur fama Filium *Davidis* adventare: vel, Clangent tubâ.] Septimo, *Bella. Et in exitu iſtius* Septimi, *veniet Filius Davidis.*

Vers. 9. Ἀρχαὶ ὠδίνων ταῦτα.

Eſaj. 66: 7, 8. Πρὶν τὴν ὠδίνουσαν τεκεῖν, πρὶν ἐλθεῖν τὸν πόνον τῶν ὠδίνων, ἐξέφυγε καὶ ἔτεκεν ἄρσεν. Τίς ἤκουσε τοιοῦτο; &c.

Ἐι ὤδινε γῆ ἐν ἡμέρᾳ μιᾷ, ἢ καὶ ἐτέχθη ἔθνος εἰς ἅπαξ, ὅτι ὤδινε καὶ ἔτεκε Σιὼν τὰ παιδία αὐτῆς.

Duo hìc Propheta, I. naſcendum Chriſtum ante excidium Hieroſolymorum. Hoc ipſum ex hac Prophetia colligunt fatenturque ipſi Judæi.

CAP. XIII. VERS. 9

Hieron. à ſancta fide, lib. 1. contra Judæos, cap. 2. *Habetur in Geneſi magno antiquiſſimo. Dixit R.* Samuel *bar* Nachaman, *Unde probabis*, *quòd in die quâ fuit deſtructio Templi*, *natus fuit Meſſias? Reſpondit*, *Ab hoc quod habetur Eſajæ ultimo*: Antequam parturiret, peperit; antequam veniret partus ejus, peperit maſculum. *In eadem hora qua facta eſt Templi deſtructio*, *clamabat Iſraël*, *tanquam parturiens. Et* Jonathas *in Chaldaica tranſlatione dixit. Antequam veniret ejus anguſtia*, *ſalva facta eſt*; *& antequam venirent ei dolores partûs*, *Meſſias revelatus eſt.* [Chald. יתגלי מלכה.]

Item habetur in eodem libro, *Dixit R.* Samuel *ben* Nachaman. *Accidit quòd ibat Elias per viam die in qua deſtructio Templi facta eſt*, *& audivit quandam vocem exclamantem & dicentem*, *Templum ſanctum diruitur. Quod quum audiret*, *imaginabatur qualiter poſſet deſtruere mundum. Profectus autem*, *invenit homines arantes atque ſerentes*; *quibus ait*, *Deus iratus eſt mundo*, *& vult domum ſuam deſtruere*, *& filios ſuos ad Gentes captivare*: *vos autem pro victu laboratis temporali? Et alia vox audita eſt dicens*, *Sine illos facere*, *quia natus eſt Salvator Iſraëlis. Et Elias ait*, *Ubi eſt? Et vox*, *In Bethlehem Judæ*, &c. Hæc ille, & hæc illi.

II. Prout non immeritò colligitur, naſcendum eſſe Chriſtum ante excidium urbis, ex iſta clauſula, *Antequam parturiret*, *peperit*, *antequam veniret partus ejus*, [πόνος τῶν ὠδίνων] *peperit maſculum*: ſic & ex iſta, εἰ ἐτέχθη ἔθνος εἰς ἅπαξ, ὅτι ὤδινε καὶ ἔτεκε Σιὼν τὰ παιδία αὐτῆς, æquè colligitur, colligendas & vocandas eſſe gentes ad fidem ante iſtud excidium, quod apertiſſimè docet Salvator, *verſ.* 10. *Apud omnes gentes oportet primùm prædicari Euangelium.* Nam ut gentes credituræ vocentur *filii Sionis*, & *filii Eccleſiæ Iſraëliticæ* ubique apud Prophetas, non opus eſt ut demonſtretur, nam notum eſt omnibus.

Hoc ſenſu intelligenda eſt vox ὠδίνων hoc in loco; convenitque non ſolùm cum ſenſu Prophetæ allegato, ſed & cum Phraſiologia & ſententia apud gentem receptiſſima de חבלי משיח, *Doloribus Meſſiæ*, id eſt, de calamitatibus quas expectârunt futuras ad adventum *Meſſiæ*.

Sanhedr. fol. 98. 2. אמר עולא יתי ולא איחמיניה, *Dicit* Ulla, *Adveniet Meſſias*, *at non videbo eum. Sic etiam dicit* Rabba, *Adveniet Meſſias*, *at non videbo eum*, id eſt, Non videndus erit. *Dicit* Abai τῷ Rabbæ, *Quare?* משום חבלו של משיח, *Propter dolores Meſſiæ. Traditio eſt. Interrogârunt* R. Eliazarum *Diſcipuli ejus*, *Quid faciat homo*, *ut liberetur à doloribus Meſſiæ? Verſetur in lege*, *& in operibus miſericordiæ.*

Gloſſ.

Digitized by Google

CAP. XIII. VERS. 32.

Gloſſ. חבלו, *Id eſt, terrores & dolores qui erunt in diebus ejus.*

Shabb. fol. 118. 1. *Qui ter convivatur Sabbato, liberabitur à tribus miſeriis,* מחבלו של משיח, *A doloribus Meſſiæ, à judicio Gehennæ, & à bello Gog & Magog.*

Gloſſ. [*A doloribus Meſſiæ*] *Nam ſæculo iſto quo veniet Filius Davidis, erit* קטגוריא, *Accuſatio Diſcipulorum Sapientûm,* חבלו לשון חבלי יולדת, *vox* חבלו *denotat dolores, quales parturientis.*

VERS. 32. Περὶ δὲ τῆς ἡμέρας ἐκείνης καὶ τῆς ὥρας, οὐδεὶς οἶδεν.

De die & hora, quibuſnam? De die excidii *Hieroſolymitani* eſſe ſermonem, adeò patet, & per quæſtionem Diſcipulorum, & totum filum diſſertationis Chriſti, ut mirum ſit, quemvis poſſe verba hæc intelligere de die & hora extremi judicii.

Duo à Salvatore quæruntur, *verſ.* 4. I. *Quando hæc fient*, ut non relinquatur lapis ſuper lapidem. Et II. *Quodnam ſignum hujus conſummationis.* Ad poſterius reſpondet per totum hucuſque Caput. Ad prius, verbis præſentibus.

Dixerat quidem commate præcedente, *Cælum & terra tranſibunt*, &c. non in quæſtionis propoſitæ ſolutionem, nam nihil omnino de diſſolutione cœli & terræ eſt quæſitum, ſed in veritatis rei quam retulerat confirmationem. Ac ſi dixiſſet, quæritis vos cùm futura ſit talis Templi everſio, quando ea futura, & quænam ejus ſigna. Reſpondeo ego, hæc & iſta & illa ſigna præceſſura, verbaque hæc mea de re ipſa eventura, & de ſignis præcurrentibus, firmiora ſunt ipſis cœlo & terrâ. At quod de definito tempore quæritis, quærendum non eſt, nam *de iſta die ac hora novit nemo.*

Non poſſumus non hîc meminiſſe, etiam inter ſpectatores excidii Templi diſſentiri de die excidii, ut tam parùm notæ fuerint dies iſta ac hora ante eventum, ut etiam poſt eventum in partes itum ſit de die inter eos qui flammas viderunt. Conflagrationem Templi vidit *Joſephus* oculatus teſtis, eamque aſcribit ille diei menſis *Ab* vel *Loi*, *decimæ*: nam ſic ille, *de bello*, lib. 6. cap. 26. *Periit Templum decima die menſis Loi* [vel Auguſti] *die Templo fatali, quippe quâ olim à Rege Babylonico flammis abſumptum eſt.* Eandem conflagrationem vidit *Rabban Jochanan ben Zaccai*, iſque unà cum tota gente Judaica, *nonæ* menſis iſtius aſcribit, non *decimæ*, ita tamen ut dicat, *Si ego in iſto ſæculo non vixiſſem, non adjudicâſſem niſi ad diem decimum.* Nam ut Gloſſ. in *Maimon.* in *Taanith*, cap. 5. *Veſper erat cùm flammas admoverent; conflagravitque Templum uſque ad occaſum ſolis diei decimæ. Apud Talmud. ergò Hieroſolymitanum Rabbi & R. Joshua ben Levi jejunârunt diebus nonâ & decimâ.* Vide & *Babyl. Taanith*, fol. 29. 1.

οὐδὲ οἱ ἄγγελοι.

Babyl. Sanhedr. fol. 99. 1. *Quia dies vindictæ eſt in corde meo, atque annus redemptorum meorum advenit*, Eſaj. 63:4. *Quid ſibi vult, Dies vindictæ eſt in corde meo?* *Dicit* R. Jochanan, *Cordi meo revelavi illum, membris meis non revelavi.* R. Simeon ben Lachish *dicit, Cordi meo revelavi illum,* למלאכי השרת לא גליתי, *at Angelis miniſtrantibus non revelavi.* Et *Jalkut* in locum iſtum, לבא לפומא לא גלי פומא למאן גלי, *Cor meum ori non revelat; cuinam os revelaret?*

οὐδὲ ὁ υἱός.

Οὐδὲ ἄγγελοι, οὐδὲ υἱὸς, id eſt, *Neque Angeli, neque Meſſias.* Iſto namque ſenſu ſumenda eſt vox υἱὸς hoc in loco, alibique ſæpiſſimè: ut in periocha iſta *Joann.* 5: 19. *Filius*, id eſt, Meſſias, *ex ſe nihil poteſt facere, niſi quod Patrem facientem videt*, *verſ.* 20. *Pater amat Meſſiam*, &c. *verſ.* 26. *Meſſiæ dedit vitam habere in ſeipſo*, &c. Vocemque *Filium* hoc ſenſu eſſe reddendam, patet ex commate 27. *Authoritatem ei dedit etiam judicium exercendi, quia eſt Filius hominis*: nota illud, *Quia eſt Filius hominis.*

I. Aliud eſt, *Filium Dei* intelligere nudè & abſtractè pro ſecunda perſona in Sacroſancta Trinitate, aliud pro *Meſſia*, aut ſecunda iſta perſona incarnata. Dicere ſecundam perſonam in Trinitate aliquid non ſcire, blaſphemum eſt; at non ita eſt, ita dicere de *Meſſia*, qui tamen etiam fuit idem cum ſecunda perſona in Trinitate.

Nam quamvis ſecunda perſona, ſecundùm meram Deitatem abſtractè conſiderata, coæqualis fuerit Patri, co-omnipotens, co-omniſciens, co-æterna, &c. *Meſſias* tamen [qui Θεάνθρωπος] conſideratus ut *Meſſias*, erat Patris ſervus & nuntius, & mandata & authoritatem recepit à Patre. Et nè *gry* profuturæ ſunt locutiones iſtiuſmodi *Ariano*, *Filius ex ſe nihil poteſt*, &c. ſi hoc ſenſu, quod neceſſariò faciendum eſt, accipias: *Meſſias nihil ex ſe poteſt*, nam eſt ſervus & deputatus.

II. Diſtinguendum eſt inter excellentias & perfectiones Chriſti, quæ fluxerunt ab ipſa hypoſtatica duarum naturarum unione, & iſtas quæ fluxerunt à donatione & unctione Spiritûs Sancti. Ab hypoſtatica unione naturarum fluxerunt infinita Dignitas perſonæ, Impeccabilitas, infinita

CAP. XIII. VERS. 32.

nita αὐτάρκεια ad præſtandam Legem, & ſatisfaciendum juſtitiæ divinæ. Ab unctione Spiritûs fluxerunt, Poteſtas miraculorum, futurorum Præcognitio, atque myſteriorum Euangelicorum omnimoda Scientia. Illæ idoneum eum reddiderunt & perfectum Redemptorem, hæ idoneum & perfectum Miniſtrum Euangelii.

Jam ergo Præſcientia futurorum, de qua re hîc agitur, inter ea numeranda eſt, quæ ab unctione Spiritûs Sancti fluxerunt, atque ab immediata revelatione, non ab hypoſtatica naturarum unione. Ita ut ea quæ revelanda à Chriſto forent Eccleſiæ, à revelatione Spiritûs peteret, non ab iſta unione. Nec quicquam à dignitate Perſonæ ſuæ eſt derogatum aut detractum, quòd dicat ſe non nôſſe diem iſtam & horam excidii *Hieroſolymitani*: imò officio & deputationi ſuæ congruit admodùm, qui dictamina Patris ſecutus & obſecutus eſt in omnibus, Patris ſervus, nuntius & miniſter. *Filius non novit*, i. e. ei non revelatum eſt à Patre, ut revelet Eccleſiæ. *Apocal.* 1: 1. Apocalypſis Jeſu Chriſti *quam dedit ei Deus*.

Omittimus quærere de Scientia & Cognitione Chriſti, à morte jam reſuſcitati, an, & quantùm excederet Cognitionem ejus dum adhuc verſaretur in terris. Abſque dubio eſt, eum jam à mortuis reſuſcitatum, promeritum fuiſſe omnimodam Revelationem, *vide Apocal.* 5: 9. eumque in terris ante mortem verſantem, actitâſſe vigore Spiritûs Sancti, & ſanctitatis iſtius ineffabilis quæ fluxit ab unione Humanæ naturæ cum Divina, naturâ interim Divinâ infinitam ſuam activitatem Omnipotentiæ ſuſpendente: ita ut Chriſtus miracula operaretur & futura præſciret eodem modo quo & Prophetæ, nempè per Spiritum Sanctum, [at menſura largiori] & diabolum vinceret non tam per Omnipotentiam Divinæ naturæ, quàm per infinitam Sanctitatem ſuæ Perſonæ, & Obedientiæ: ita ut ſi vel eum reſpicias ut miniſtrum Dei & ſervum, vel conſtitutionem, ut ita dicam, & conditionem Perſonæ ejus reſpicias, nihil incongruitatis ſecum portant hæc ejus verba, *De die & hora iſta non novit, etiam Filius*; imò ſubſtitutionem ejus ut ſervi, & conſtitutionem Perſonæ ejus ut Θεανθρώπȣ, optimè eloquuntur.

Ratio cur celatum adeò voluit divina Sapientia diem tempuſque excidii *Hieroſolymitani*, ſibi optimè eſt nota; & hominibus, cùm tempus fuerit inſcrutabile, ratio certè non valde facilis ſcrutatu. Conjectari poſſumus, tempus occultatum fuiſſe, partim nè terrerentur ejus ſono pii, ut 2 *Theſſ.* 2: 2. partim ut retibus ſecuritatis ſuæ caperentur impii, & qui nollent non eſſe ſecuri, ut *Matth.* 24: 38. At ſecreta ſua ſunto Deo.

CAP. XIV. VERS. 3.

C A P. XIV.

Vers. 3. Νάρδȣ πιςικῆς.

QUid ſi reddam, *Nardini balanini?*

Plin. lib. 13. cap. 1. *Nardinum conſtat omphacio, balanino, junco, nardo, amomo, myrrha, balſamo*, &c.

Idem, lib. 12. cap. 21. *Myrobalanum, Troglodytis & Thebaidi & Arabiæ quæ Judæam ab Ægypto diſterminat commune eſt, naſcens unguentum, ut ipſo nomine apparet, quo item indicatur & glandem eſſe arboris.*

Βάλανος, ut omnibus eſt notum, apud Græcos eſt *glans*, ſic & eſt פיסתקא, *piſtaca* apud Talmudicos.

Babyl. Gittin, fol. 69. 1. Præſcribuntur varia medicamenta variis morbis: inter alia לברסם ליתי כי פיסתקא דנישדור, *Pleuritidis* (vel ut alii volunt, morbo cuidam capitis) *recipe ad quantitatem glandis de Ammoniaco.* Gloſſ. פיסתקא *eſt glans Cedri*. Aruch, פיסתקא *eſt granum fructûs qui vocatur* גלנרא, *glans.*

Vox Νάρδȣ Hebraizat, à voce נרד, forſan & vox πιςικὴ Syriſſat, à voce פיסתקא: Ita ut unguentum vocari poſſit, *Unguentum balaninum*, in cujus confectione primas obtinuere *Nardus* & פיסתקא, *Glans* ſive *Mirobolanum.*

Κατέχεεν αὐτȣ̃ κατὰ τῆς κεφαλῆς.

Linguâ Talmudicâ דרדונה משחא ארישיה.

Babyl. Chetubb. fol. 17. 2. *Quænam ſunt teſtimonia quòd fœmina nupta eſt virgo? Si prodierit nuptum* בהינומא, *Peplo ſuper oculos demiſſo, capite tamen non velato. Sparſio nucum eſt etiam teſtimonium. Hæc in Judæa. At quænam in Babylone? Dicit* Rabh, דמשחא ארישא דרבנן, *Si unguentum fuerit ſuper caput Rabbinorum*, (Gloſſ. fœminæ unguentum dederunt in capita Scholarium (תלמידין), & unxerunt) *Dicit* Rabh. *Papa τȣ̃* Abai, משחא דחפיפותא קאמר מר, *Num doctor iſte loquitur de unguento aromatico uſitato in thalamis?* (Gloſſ. Num Rabbini tales ſunt, ut iſtiuſmodi unguentis ungantur?) *Reſpondit ille* יתמא, *O Orphane* (i. e. inſcie conſuetudinum) לא עבדא לך אמך דרדוני משחא ארישא דרבנן, *Nonne mater tua effudit pro te* (in nuptiis tuis) *unguentum ſuper capita Rabbinorum? Ita, quidam è Rabbinis acquiſivit uxorem pro filio ſuo in domo* Rabbæ bar Ulla; *& dixerunt ei*, Rabbah bar Ulla *etiam acquiſivit uxorem in domo cujuſdam Rabbini pro filio ſuo*, ודרדיג ארישא דרבנן, *Et effudit unguentum ſuper capita Rabbinorum.*

E Traditione adducta quæri poſſet, an uſitatum

Digitized by Google

CAP. XIV. VERS. 5.

tatum foret in *Judæa*, capita Rabbinorum unguentis humectare in nuptiis virginum, ità ut erat in *Babylone?* Aut annon adeò uſitatum aliàs capita eorum ungere, ut talis unctio ad nuptias, res non ita memorabilis foret, ac erat in *Babylonia?* Utrobique certè, utcunque capita unxerint quoad ſanitatem, incongruum eſt habitum, Rabbinos unguenta aromatica olere. *Indecorum eſt*, inquiunt Hieroſolymitani, *Diſcipulo Sapientùm olere aromata. Hieroſ. Berac.* fol. 11. 2. Et *Babylonicorum* ſententiam habes hoc ipſo in loco, cùm inter eos quæritur, idque quaſi cum diſplicentia quadam, an *Rabbini* tales ſint, ut ungantur unguentis aromaticis, ita ut unguntur delicatiores? Ex hac ipſa recepta ubique inter eos ſententia, aptiùs intelligas, cur Diſcipuli alii, æquè ac *Judas* profuſionem unguenti indignè tulerint: ille ex nequiſſima avaritia, illi autem, partim ut nolentes rei tam pretioſæ perditionem, & partim ut non approbantes morem tam delicatum adhiberi circa Magiſtrum ſuum, à quo abhorruerunt ipſi Magiſtri Judæorum. Et Salvator ipſe invidiam facti amovens, ad funus ſuum unctionem hanc applicat, & in ſua, & in fœminæ ipſius intentione, nè ex delicata aliqua mollitie facta videretur.

VERS. 5. Ἐπάνω τριακοσίων δηναρίων.

I. Nota vulgò (ut videtur apud *Plinium*) erant pretia πολυτίμων iſtiuſmodi unguentorum. Nam ſic ille,

Lib. 12. cap. 12. *Pretium coſti in libras* 16. *Pretium ſpicæ* (Nardi) *in libras* 90. *Folia diviſêre annonam. Ab amplitudine, Hadroſphærum vocatur, majoribus foliis* Xxxx. (i. e. Denariis triginta.) *Quod minori folio eſt, Meſoſphærum vocatur, emitur* Xlx. (Denariis ſexaginta.) *Laudatiſſimum Microſphærum, è minimis folium, pretiumque ejus* X lxxv. (Denariis ſeptuaginta quinque.)

Et cap. 20. *His addidere Mangones, quam Daphnoïden vocant, Iſocinnamon cognominatam, pretiumque ejus faciunt* CCC (Τριακοσίους Δηναρίους.) Vide plura ibid.

II. Non facile eſt Summam hanc trecentorum Denariorum, ad proprium valorem reducere, partim quòd duplex foret Denarius, argenteus & aureus; partim quòd duplex nummi valor & æſtimatio, *Hieroſolymitani* & *Tyrii*, ut obſervavimus anteà. Sunto hi argentei, (quod credimus) qui minoris longè valoris quàm aurei; & ſunto *Hieroſolymitani*, (quod etiam credimus) qui viliores quàm *Tyrii*, effantur tamen planè grandem opulentiam *Magdalenæ*, quæ unguentum tanti pretii profudit, cùm & anteà tale quid profuderat.

Quod in mentem revocat ea quæ dicuntur à Magiſtris de *Arcula aromatum* קופה הבשמים, quam tenebatur maritus uxori præbere pro proportione dotis.

CAP. XIV. VERS. 7, 12.

Babyl. Chetubb. fol. 66. 2. *At hoc non dicitur, inquit* Rabh Ii hai, *niſi de* Hieroſolymitanis. *Extat exemplum filiæ* נקדימון, Nicodemi ben Gorion, *cui allocârunt Sapientes quadringentos aureos pro Arca aromatum in unumquemque diem. Dixit ea illis, ſic utinam allocetis filiabus veſtris: & reſponderunt illi poſt eam, Amen.* Gloſſa: *A marito dandi erant decem Zuzæi uxori pro unaquaque Manah quam ea ſecum attulit, ad coëmenda aromata, quibus uteretur ad ſe lavandum*, &c.

En locupletiſſimam Hieroſolymitanam filiam *Nicodemi*, in cujus nuptiarum contractu & ſchedula, ſcriptum erat *Millies mille Denarii aurei è domo patris ſui, præter eos qui è domo ſoceri ſui:* quam tamen adeò depauperatam habes in eadem hiſtoria, ut hordea pro victu legeret è ſtercoribus pecorum.

VERS. 7. Πάντοτε γὰρ τοὺς πτωχοὺς ἔχετε μεθ' ἑαυτῶν.

Babyl. Shabb. fol. 63. 1. *Dicit* Samuël: *Non eſt diſcrimen inter hunc mundum & dies Meſſiæ*, אלא שעבוד מלכיות, *Niſi quoad afflictionem regnorum Ethnicorum; ſicut dicitur, Non deerit pauper è medio terræ*, Deuter. 15:11. Nota fatentem Judæum, pauperes futuros etiam in diebus *Meſſiæ:* quæ quàm conveniant cum recepta eorum ſententia de regno *Meſſiæ* pompoſo, ipſe videat. *R. Solom.* & *Ab. Ezra, Si obediveris verbis Domini, non erit in te pauper; at non obedies, ergo nunquam deerit pauper.* Hâc ratione rei receptâ, fatearis etiam, *ô Samuel*, inobedientes futuros in diebus *Meſſiæ:* quod quidem, cùm adveniret verus *Meſſias*, nimiùm nimiùmque probatum eſt verum in gente tua.

VERS. 12. Καὶ τῇ πρώτῃ ἡμέρᾳ τῶν ἀζύμων.

Sic *Matthæus*, Cap. 26:17. & *Lucas*, Cap. 22:7.

Et jam dicant mihi illi qui opinantur, Chriſtum Paſcha ſuum quidem celebrâſſe decimo quarto, at Judæos non ante decimum quintum; quippe quòd rejectum fuerit hoc anno eorum Paſcha in diem decimum quintum ob inſequens Sabbatum: dicant, inquam, an Euangeliſtæ loquantur ſecundum diem à *Moſe* præſcriptum, an ſecundùm diem præſcriptum à Magiſtris Traditionum, atque uſitatum à gente? Si ſecundùm *Moſen*, tum decimus quintus erat πρώτη Ἀζύμων, *Exod.* 12:15, 18. Si verò ſecundùm morem gentis, tum dies decimus quartus. Et annon Euangeliſtæ ſecundum hunc morem loquantur, paucis inveſtigemus.

Digitized by Google

CAP. XIV. VERS. 12.

Tralatum quidem aliquando eſt totum feſtum Septiduanum in alium menſem, idque non tantùm ex lege iſta *Numer.* 9. ſed & ex cauſis aliis, de quibus *Hieroſ. in Maaſar Sheni*, fol. 56. 3. & *Maimon. in Kiddush. Hodesh.* cap. 4. at cùm occurreret tempus feſto deſtinatum, nunquam non mactatus eſt agnus die decimo quarto.

I. Ordiamur ab hiſtoria, ubi occaſio occurrit, iſti non admodùm diſſimilis, ob quam trajectum fuiſſe Paſcha hoc anno opinantur illi de quibus diximus, nempe ob inſequens Sabbatum. Hiſtoria hæc eſt.

Hieroſ. Peſachin, fol. 33. 1. *A morte Shemajæ & Abtalionis, primas ſedes obtinuerunt filii Betiræ. De tribus dubiis ſciſcitatum aſcendit Hillel è Babylone. Cùm jam eſſet Hieroſolymis, incideretque dies decimus quartus menſis primi in Sabbatum,* [nota illud] *non claruit filiis Betiræ, an Paſcha pelleret Sabbatum, necnè: quod cùm Hillel multis determinâſſet, addidiſſetque inſuper ſe hoc didiciſſe à Shemaja & Abtalione, abdicârunt illi ſeipſos authoritate ſua, atque Hillelem præfecerunt. Cùm jam in præfecturam eum cooptâſſent, deriſit ille eos dicens, Quid vobis opus eſt hoc Babylonico? Nonne inſerviiſtis duobus Primatibus mundi, Shemajæ & Abtalioni, qui inter vos ſederunt?* Hæc quæ dicta ſunt, in rem noſtram ſatisfaciunt; at lectoris veniâ totam hiſtoriam addamus. *Dum ille eos ità rideret, fugit eum memoria Traditionis. Nam dixerunt ei, Quid agendum eſt cum populo, ſi non attulerint cultros ſuos? Reſpondit ille, Traditionem hanc audivi, ſed ſum oblitus. At ſinite illos, nam quamvis non ſint Prophetæ, ſunt tamen filii Prophetarum. Extemplò unuſquiſque, cujus Paſcha fuit agnus, cultrum infixit velleri ejus; & cujus Paſcha hædus, cultrum appendit cornibus ejus.*

Judicet jam æquus lector, inter rationem quæ redditur trajectionis Paſchatis hoc anno in diem decimum quintum, nempe propter Sabbatum inſequens, nè toto biduo ab opere ſervili abſtinere cogerentur; & rationem ob quam meritò trajici poterat iſto anno de quo hiſtoria. Incidit dies decimus quartus in Sabbatum, oritur ſcrupulus, an cedat Sabbatum Paſchati? an Paſcha Sabbato? Non poſſunt ipſi Primates Synedrii, & oracula Traditionum, rem ſolvere. Tranſigitur articulus grandis Religionis, & quid hic agendum? O filii *Betiræ*, trajicite Paſcha in diem craſtinum, & ſolvitur nodus. Certè ſi hoc vel uſitatum fuiſſet, vel licitum, caviſſent illi nè in hoc anguſtiæ laberetur res Religionis, & eorum authoritas & fama. At illud non tolerandum.

II. Adjungamus Traditionem quam meritò mireris.

Peſachin, cap. 7. hal. 4. *Quinque res, ſi veniunt in immunditia, non comeduntur in immunditia, manipulus, & duo panes, & panes propoſitionis, ſacrificia Pacifica congregationis, & birci Neomeniorum.* הפסח שבא בטומאה נאכל בטומאה, *At Paſcha quod venit in immunditia, comeditur in immunditia; quia non venit originaliter, niſi ut comedatur.*

CAP. XIV. VERS. 12.

In quam Traditionem ſic *Maimonides. Dicit Dominus, Et fuerunt quidam qui immundi erant ex cadavere hominis,* Numer. 9: 6. *& determinat de iis, nempe ut rejiciantur à Paſchate primi menſis ad Paſcha ſecundi. Et Traditio eſt, quòd hoc ità fuit determinatum, ideo quòd pauci forent. At verò ſi tota congregatio fuerit immunda, aut ſi maxima pars ejus fuerit immunda, offerunt tamen Paſcha, quamvis ſint immundi. Ideo dicunt, Homines particulares rejiciuntur ad Paſcha ſecundum; at tota congregatio non rejicitur ad Paſcha ſecundum. Pariterque omnes oblationes congregationis, offerunt eas in immunditia, ſi plurimi ſint immundi, quod & diſcimus à Paſchate. Nam dicit Dominus de Paſchate,* במועדו, *quòd offerendum eſt in tempore ſuo ſtatuto,* (nota illud) *& dicit etiam de oblationibus congregationis. Hoc facietis Domino, temporibus veſtris ſtatutis, atque omnibus illis præſcribit tempus ſtatutum. Omne igitur cui ſtatuitur tempus, offertur etiam in immunditia; ſi modò plurimi è congregatione, aut plurimi è Sacerdotibus ſint immundi.*

Hieroſ. Sotah, fol. 16. 3. *Comperimus quòd congregatio facit Paſcha ſuum in immunditia, eo tempore quo plurimi eorum ſunt immundi. Et ſi de immunditia nota, ſic diſpenſatum eſt, multò magis de immunditia dubia.*

At quidnam opus tali diſpenſatione? Nonne trajicere Paſcha potuiſtis, ô Patres Synedrii, in diem unum, aut biduum, ut purificetur populus? Nequaquam: nam offerendum eſt Paſcha במועדו, *tempore ſuo ſtatuto*, die decimo quarto, abſque ulla diſpenſatione. Nam,

III. Sic de iſto die Canones iſtius Eccleſiæ.

Peſachin, cap. 1. hal. 1. אור ליד׳׳ בודקין את החמץ לאור הנר, *Luce diei decimæ quartæ inveſtigant fermentum per lucem candelæ.* Gloſſ. *Nocte cui dies inſequens eſt dies decimus quartus*: atque adi omnes Commentatores, & docebunt illi, hoc factum eſſe exeunte jam die decimo tertio.

Maimon. in חמץ ומצה, cap. 2. *E verbis Scribarum. Inveſtigant atque amovent fermentum initio noctis diei decimi quarti, idque per lucem candelæ: nam noctu omnes ſunt intra ædes ſuas, & candela eſt aptiſſima tali inveſtigationi. Ergò non ſtatuunt exercitia in fine diei decimi tertii; nec incipiat Sapiens Phylacteria ſua recitare iſto tempore, nè inde ob ejus prolixitatem*

Digitized by Google

CAP. XIV. VERS. 12.

tatem impediatur ab inveſtigando fermento tempore ſuo.

Idem, ibid. cap. 1. *Prohibitum eſt comedere fermentum die decimo quarto à meridie, & porro,* viz. *ab initio horæ ſeptimæ.---- Prohibuerunt etiam Sapientes noſtri, comeſtionem ejus ab initio horæ ſextæ--- Etiam horâ quintâ non comedunt fermentum, ne fortè nubilus ſit dies, & ſic erretur de tempore.--- Ecce diſcis, quòd licitum eſt fermentum comedere die decimo quarto, ad finem uſque horæ quartæ; at quintâ non utendum.*

Idem, in *Corban Peſach*, cap. 1. *Non mactandum erat Paſcha niſi in Atrio, ubi mactabantur reliqua ſacrificia: mactandumque die decimo quarto poſt meridiem, poſt juge ſacrificium.*

Et jam dicas, lector, quemnam diem dicant Euangeliſtæ πρώτην Ἀζύμων: & an probabile omnino fuerit, unquam trajectum fuiſſe Paſcha in diem decimum quintum? Multò minùs probabile eſt, Chriſtum hoc anno Paſchate ſuo, Paſchata Judæorum præveniſſe die uno. Nam

Non mactandum erat Paſcha niſi in Atrio, ubi mactabantur reliqua ſacrificia, ut audivimus nuperrimè à *Maimonide*: & vide Rubricam introductionis agnorum in Atrium, & mactationis, *Peſachin*, cap. 5. hal. 5, 6. & tum dicas ſeriò, an credibile ſiet, Sacerdotes in Templo, velle contra decretum Synedrii eo anno ſtatutum, (ut fert ſententia cui contradicimus) agnum Chriſti unum, ſolum, ſingularem mactare, cùm ex decreto iſto mactari non deberet ante diem craſtinum? Cùm diceret Chriſtus Diſcipulis, *Nôſtis quòd poſt biduum eſt Paſcha*, cùmque juberet, *Ite & parate nobis Paſcha*; mirum eſt eos non retorſiſſe, Verè quidem, Domine, deberet eſſe poſt biduum; at rejectum eſt hoc anno in diem ulteriorem, ut jam ſit poſt triduum: impoſſibile eſt igitur ut hodie paremus, nam non permittent Sacerdotes mactationem ante craſtinum.

Satis, ut opinamur, in hac re diximus. At de die Paſchali loquenti liceat pauca addere, quamvis non ad rem de qua egimus, quæ forſan non indigna erunt perpenſione.

Peſachin, cap. 8. *Lugens lavat ſe, & comedit Paſcha ſuum veſpere. Proſelytus qui proſelytizatur veſperiis Paſchatis, Schola Shammæana dicit, Baptizetur, & comedat Paſcha ſuum veſpere: Hilleliana dicit, Qui ſeparat ſe à præputio,* (i. e. ab Ethnicis & Ethniciſmo) *eſt ac ſi ſepararet ſe à ſepulchro.* Gloſſ. *Et opus habet purificatione ſeptiduanâ.*

Hieroſ. Peſachin, fol. 36. 1. אסרטיוטות הוו בירוש, *Milites erant Hieroſolymis, qui ſe baptizârunt & comederunt Paſchata ſua veſpere.* Notandum certè, Proſelytos, eodem die proſelytos factos, & comedentes Paſcha, idque, ut videtur, abſque Circumciſione, ſed baptiſmo ſolo admiſſos.

CAP. XIV. VERS. 26.

Cura Scholæ Hillelianæ hac in cauſa, non tam Proſelytum, die Paſchatis proſelytum factum & baptizatum, repulit à comedendo Paſchate, quàm cavit de futuro, nè ſcilicet ille annis ſequentibus ſe obtruderet ad comedendum Paſcha in immunditia. Nam dum in Ethniciſmo erat, immunditiam non contraxit à ſepulchro contacto; at jam proſelytus factus, contraxit, &c. Hæc Gloſſa.

Ἑτοιμάσωμεν ἵνα φάγῃς τὸ Πάσχα.

Nam & per famulos parata ſunt Paſchata Dominis ſuis.

Peſachin, cap. 8. hal. 2. *Si dicat quis famulo ſuo, Ito, & macta mihi Paſcha; iſque hædum mactet, de eo comedat: ſi agnum mactet, comedat de eo; ſi & hædum & agnum, comedat de priori*, &c.

VERS. 26. Καὶ ὑμνήσαντες.

Peſachin, cap. 9. hal. 3. *Quidnam diſcriminis inter Paſcha primum, & ſecundum?* (i. e. primi menſis, & ſecundi. *Num.* 9) *In primo obligatur quiſquis ſub iſta lege: Fermentum non videbitur apud vos, nec invenietur. In ſecundo, fermentum & Azymum poſſunt eſſe cum homine in domo ſua. In primo, tenetur ad hymnum cùm comedit Paſcha. In ſecundo, non tenetur ad hymnum cùm comedit. In utroque tenetur ad hymnum dum facit*, vel mactat. *Utrumque comedendum eſt aſſatum, & cum Azymis, & herbis amaris, & utrumque pellit Sabbatum.*

Quærunt Gemariſtæ, *Unde hoc, quòd tenentur ad hymnum dum comedunt Paſcha? Dicit R.* Jochanan *nomine* R. Simeonis *ben* Joſedek. *Dicit Scriptura, Canticum vobis erit, ſicut in nocte cùm celebratur feſtum.* Eſaj. 30:29. *Nox, quæ ſanctificatur in feſtum, tenetur ad hymnum; nox, quæ non ſanctificatur in feſtum, non tenetur ad hymnum.*

Gloſſ. *Sicut ſoletis cantare nocte cùm celebratur feſtum: at non eſt tibi nox quâ obligantur ad canticum, præter noctem cùm comeditur Paſcha.*

II. Hymnus iſte *Rabbinis* vocatur *Hallel*, eratque ab initio *Pſalm.* 113. ad finem *Pſalm.* 118. quem interſecuerunt, partemque ejus recitarunt in ipſo medio convivii, & partem rejecerunt ad finem.

De extenſione prioris portionis diſceptatum eſt inter Scholas *Shammæanam* & *Hillelianam*. *Shammæana* dicit uſque ad finem *Pſalm.* 113. *Hilleliana* dicit, ad finem uſque *Pſalm.* 114. Sed his non immorabimur. Hymnus quem jam occinuit Chriſtus cum ſuis à cibo, erat pars poſterior. In qua, ut obſervant Magiſtri Traditionum, memorantur hæc quinque.

Exitus

Digitized by Google

CAP. XIV. VERS. 36.

Exitus ex Ægypto, *Sciſſio maris rubri*, *Traditio Legis*, *Reſurrectio mortuorum*, *& Dolores Meſſiæ*. *Exitus ex* Ægypto, *ſicut ſcribitur*, *Cùm exiret* Iſraël *ex* Ægypto. *Sciſſio maris rubri*, *ſicut ſcribitur*, *Mare vidit & fugit*. *Traditio Legis*, *ſicut ſcribitur*, *Montes ſaltaverunt ſicut arietes*. *Reſurrectio mortuorum*, *ſicut ſcribitur*, *Ambulabo coram Deo in terra viventium*. *Et dolores Meſſiæ*, *ſicut ſcribitur*, *Non nobis*, *Domine*, *non nobis*. *Peſachin*, fol. 118. 1.

Ἐξῆλθον εἰς τὸ ὄρος τῶν ἐλαιῶν.

Tenebantur Canonibus Traditionalibus ad pernoctationem intra *Hieroſolymam*.

Peſachin, fol. 95. 2. *Paſchate primo tenetur quiſpiam ad pernoctationem* [טעון לינה] *Paſchate etiam ſecundo*, *tenetur ad pernoctationem*.

Gloſſ. *Paſchatizans tenetur ad pernoctandum in Hieroſolyma nocte primâ*. At diſputatur, an nocte eâdem, quâ comeſus agnus; an nocte, primum diem feſtum ſequente. Vide locum: & permitte Leonem de Tribu *Judæ*, telis iſtis aranearum non conſtringi.

VERS. 36. Ἀββᾶ ὁ Πατήρ.

Ita ut neceſſe eſt, ut diſtinguas inter Idiomata Hebræum & Chaldaicum in vocibus אבי & אבא, ſic diſtinguas licet, ferè dixeram neceſſe eſt, de earum ſenſu. Nam vox אבי patrem quidem naturalem denotat, at ſimul patrem etiam civilem, Seniorem, Dominum, Doctorem, Magiſtratum: verùm vox אבא patrem ſolùm naturalem, quocum & comprehendimus adoptantem, imò denotat *Pater meus*.

Babyl. Sanhedr. fol. 37. 1. שלא יאמר אדם לחבירו אבא גדול מאביך.

Nè dicat quiſquam vicino ſuo, אבא *Pater meus nobilior eſt patre tuo*.

Aruch in אבא, *Interrogavit R. Chaija* τὸν *Rabh filium fratris ſui*, *cùm veniret in terram Iſraëliticam*, אבא קיים, *Num pater meus vivit? Et reſpondet ille*, אמא קיימת, *Num & mater tua vivit?* q. d. Nôſti matrem tuam eſſe defunctam, ita & ſcias patrem tuum eſſe defunctum.

Batbra, fol. 10. 2. *Solomon dixit*, *Obſervate* מה פירש אבא, *Quid dicat pater meus?* Sic apud *Targum*. infinities.

Et obſervare licet apud Paginas Sacras, ubicunque fit mentio de patre naturali, *Targumiſtas* adhibere vocem אבא: at cùm de patre civili, vocem aliam.

I. De patre Naturali,

Geneſ. 22:7. ויאמר אבי *Targ.* ואמר אבא.

Geneſ. 27:34. ברכני גם אני אבי. *Targ.* ברכני אף אנא אבא.

CAP. XIV. VERS. 36, 51.

Gen. 48:18. לא כן אבי. *Targ.* לא כדין אבא.

Judic. 11:38. אבי פתחת פיך. *Targ.* אבא פתחת פומך.

Eſaj. 8:4. ידע עולימא למקרי אבא ואמא, Vide & *Targ.* in *Joſ.* 2:13. & in *Judic.* 14:16. alibique frequentiſſimè.

II. De patre civili.

Geneſ. 4:20, 21. הוא היה אבי. *Targ.* הוא הוה רבהון.

1 *Sam.* 10:12. ומי אביהם. *Targ.* ומן רבהון.

2 *Reg.* 2:12. אבי אבי. *Targ.* רבי רבי.

2 *Reg.* 5:13. ויאמרו אבי. *Targ.* ואמרו מרי.

2 *Reg.* 6:21. אכה אבי. *Targ.* אקטול רבי.

Hinc patet ratio verborum Apoſtoli, *Rom.* 8:15. Ἐλάβετε πνεῦμα υἱοθεσίας ἐν ᾧ κράζομεν Ἀββᾶ ὁ Πατήρ: & *Galat.* 4:6. *Quoniam filii eſtis*, &c. Aliud erat Deum vocare אבי, *Patrem*, id eſt, Dominum, Regem, Doctorem, Gubernatorem, &c. & aliud, eum vocare אבא, *Patrem meum*. Doctrina adoptionis, proprio ſenſu, erat Scholis *Judaicis* omnino ignota; [populum ſolùm *Iſraëliticum* à Deo præ omnibus aliis gentibus adoptatum jactantibus] & tamen dixerunt Deum אבי, *Patrem*, & אבינו, *Patrem noſtrum*, id eſt, Deum, Dominum, Regem noſtrum, &c. At *cùm filii ſitis*, ait Apoſtolus, clamatis אבא, *O pater meus*, ſenſu proprio & verè paterno.

Sic Chriſtus hoc in loco, utcunque ſub agone infando, & circumſeptus undique angoribus, & providentiâ admodum nubilâ & tenebricosâ; tamen Deum agnoſcit, invocat, invenit אבא, Patrem ſuum, ſenſu ſuaviſſimo.

Κράζομεν Ἀββᾶ ὁ Πατήρ. Num Sancti Deum invocantes, & vocantes Ἀββᾶ, addiderunt etiam ὁ Πατήρ; an Chriſtus etiam eâdem additione uſus eſt vocis Græcæ, aut repetitione vocis Ἀββᾶ, aut אבי? Videtur potiùs ὁ Πατὴρ hîc addi à *Marco*, itemque ibi à *Paulo* in explicationem vocis אבא, Ἀββᾶ: quod & eo probabilius eſt, quòd efferatur ὁ Πατήρ, & non ὦ Πάτερ.

VERS. 51. Περιβεβλημένος σινδόνα ἐπὶ γυμνοῦ.

Benè redditur à Vulg. *Amictus ſindone*: nam eò reſpiciunt verba: non quòd circumjectum circa ſe laxè tantùm, & fortuitò haberet linteum aliquod; ſed quòd veſtimentum quo ſemper inceſſit amictus, fuerit è ſindone, id eſt, de lino.

Audiamus Talmudicos paucis.

Menachoth, fol. 40. 1. *Tradunt Rabbini*, סדין בציצית, *Sindon cum peniculamentis quid? Schola* Shammæana *abſolvit*: Hilleliana *obligat*, *& Sapientes determinant ſecundùm*

Scholam

Digitized by Google

CAP. XIV. VERS. 51.

Scholam Hillelianam. *Dicit* R. Eliezer *ben* R. Zadok, *Quicunque hyacinthum geſtat Hieroſolymis, eſt de iis qui homines faciunt mirari.* Per hyacinthinum [תכלת] intelligunt fimbrias memorativas Legis, *Numer.* 15. Et per כרין, vel *Sindonem*, intelligitur טלית, *Pallium* vel veſtis iſta, quæ ut amiciendo corpori inſerviit, ſic & dupliciter inſerviit Religioni. Nam I. huic veſtimento affixa ſunt peniculamenta [ציצית] vel fimbriæ de quibus mentio *Numer.* 15: 38. II. Hoc veſtimento capita cooperuerunt vulgò cùm orarent. Hinc illud apud *Gemariſtas* loco citato, טלית שמתכסה בו קטן ראשו ורובו, *Talith, vel pallium quo caput ſuum & magnam ſui partem tegit puer, ſi eo indutus prodeat quis grandævior immodeſtiùs, tenetur ad peniculamenta.* Et *Piske Toſaphoth in Menachoth*, numer. 150. *Sacerdotes qui velant ſe cùm aſcendunt in ſuggeſtum,* בטלית שאינו להם, *pallio quod ſuum non eſt*, &c.

Jam verò uſitatum eſt pallium hoc geſtare, æſtate præſertim, & *Hieroſolymis* præſertim è *Sindone* confectum vel è lino. Et quæſtio inter Scholas *Shammæanam* & *Hillelianam* hinc oritur, quòd cùm fimbriæ forent laneæ, & pallium lineum, quomodo evitaretur ſuſpicio heterogeneorum?

שרא ר' זירא לסריניה, *Solvit* R. Zeira *Sindonem ſuam.* Gloſſ. *Solvit peniculamenta ſua à Sindone ſua*, [id eſt, à *Talith* quæ erat è Sindone] *quia ea linea erat*, &c.

Ibid. fol. 41. 1. *Angelus invenit* Rabh Ketina דמיכסי סרינא, *Amictum Sindone*; *& dixit ei*, O Ketina, Ketina, סרינא בקייטא, *Sindonem in æſtate*, וסרבלא בסיתוא, *Et chlamydem hyeme.*

Vides emphaticum eſſe quod dicitur ab Euangeliſta ἐπὶ γυμνοῦ, nam uſitatiſſimum erat amiciri Sindone, pro veſte exteriori. Quid ergò de hoc juvene dicendum? Suſpicor primò, quòd non fuerit ille Diſcipulus *Jeſu*, ſed quòd jam ſequeretur, ut curioſus ſpectator, viſurus quidnam hoc turbæ tandem generaret. Et ſuſpicioni tali certè ſuffragantur illi qui eum è lecto excitatum opinantur, turbamque feſtinanter ſecutum indufio tantùm tectum, non indutis veſtibus. Arbitror ſecundò, S. *Marcum* in Phraſiologia Περιβεβλημένος σινδόνα, loqui ſecundùm notam & vulgarem dialectum gentis מיכסי סרינא, vel כתכסה סרין, nam nullo modo mihi perſuaſeris, illum idiomate uti velle, genti ignotiori aut alieno: atque ipſiſſimâ eâdem Phraſi Græcè utentem, cum iſta Judaica, non ipſiſſimum eundem ſenſum velle proponere. Jam verò, ipſis edocentibus, clarè vides quidnam apud eos vellet מיכסי סרינא, *veſtiri Sindone*, nempe *Talith* vel pallium habere confectum è Sindone: veſtem iſtam cui appenſa peniculamenta. Arbitror denique, hunc juvenem, ex religione, vel ſuperſtitione potiùs, plùs quàm vulgari, Sindonem ſuam; eamque ſolam nudo corpori induiſſe, neglectâ veſte interiori [vulgò חלוק] & quidem neglecto corpore. Nam erant apud Judæos qui corpora ſic macerarent, cruciarentque fame & frigore, etiam ſupra ſeveram regulam aliarum Sectarum.

CAP. XIV. VERS. 51, 56.

Joſephus, in vita ſua. *Sedecim annos ego natus, ſtatui experimentum facere inſtituti trium inter nos Sectarum*, Phariſæorum, Sadducæorum, *&* Eſſenorum. *Judicavi enim me optimè optimam ex iis eligere poſſe, ſi omnes ediſcerem. Affligens igitur meipſum & multum crucians, omnes ſum expertus.* Καὶ μηδὲ τὴν ἐντεῦθεν ἐμπειρίαν ἱκανὴν ἐμαυτῷ νομίσας εἶναι, &c. *At has expertum eſſe, non ſatis eſſe apud me judicans, audienſque* Banum *quendam in eremo degentem, veſte uti* ἀπὸ δένδρων *è foliis, aut corticibus arborum confectâ, ciboque non niſi ſponte ſua naſcenti, atque aquâ frigidâ ſæpius interdiu noctuque ſeipſum lavantem, imitator illius factus ſum, & tribus annis apud eum manſi.*

Et in loco iſto quem modò adduximus apud Talmudicos; ad ipſam iſtam hiſtoriam de *Rabh Ketina*; Sindonem hyeme geſtante pro *Talith* ſua, hæc habentur. *Religioſi antiquiores cùm texuiſſent tres alas* [τῆς טלית] *adjunxerunt* תכלת, *Hyacinthinum*, unde confectæ fimbriæ periculamentariæ. *Aſt aliter* חסידים דמחמרי לנפשיהו, *Religioſi qui ſibi impoſuerunt graviora.* Atque immediatè ſequitur hiſtoria de Angelo & *Ketina* qui ita fecit. Erant qui aggravarent ſibi onera & juga Religionis ſupra communem normam, & hoc intelligendum eſſe per מחמרי לנפשיהו; & conſuetudo quorundam inter Judæos ſuadet; & vox ipſa loquitur, eodem ſenſu alibi adhibita apud Gemariſtas.

Talem arbitramur fuiſſe hunc juvenem, [qualis & *Joſephus* erat, juvenis, de quo antè] qui dum alii duplici indumento חלוק & טלית ſe munirent contra frigora, ſimplici veſtimento indueretur, eoque è Sindone vel lino, & ſub prætextu Religionis aliquantùm auſterioris; & vulgarem conſuetudinem negligeret, & curam ſui.

Res, ſenſu quo proponimus, ſumpta, furibundam inſaniam nequiſſimæ hujus turbæ demonſtrat eò magis, quòd homini non pepercerint, eique juveni, notas evidentiſſimas Religionis ſeverioris referenti.

VERS. 56. Ἴσαι αἱ μαρτυρίαι οὐκ ἦσαν.

Teſtimonia in his caſibus tripartiuntur Canones traditionales.

I. Erat עדות בטלה, *Teſtimonium inane:* quo audito, nihil ampliùs eſt ab iſto teſte quæſitum,

CAP. XIV. VERS. 56. ſitum, nihil ampliùs cum eo actum, ſed amotus ille, ut nihil ad rem loquens.

CAP. XV. VERS. 1. II. Erat עדות קיימת, *Teſtimonium ſtans*, [nam ſic liceat hîc vertere] quòd quanquam non rem abſque dubio probaret, non rejectum tamen eſt à judicibus, ſed admiſſum ad examen per הזמה: admiſſis ſcilicet aliis qui improbationem ejus tentarent, ſi modò fieri poſſet.

III. Erat teſtimonium כשדבריהם מכוונים (erat & hoc etiam עדות קיימת) cùm verba teſtium duorum congruerent & eſſent ad idem. Μαρτυρία ἴση. De his vide *Sanhedr*. cap. 5. halac. 3, 4. ubi etiam agitur de accurato ſcrutinio & examine teſtium per בדיקות & הזמה & חקירות, quo diſquiſitionis ventilabro, ſi teſtes contra *Chriſtum* blaterantes latranteſque examinarent, oh innocentiam beatiſſimi *Jeſu* infandam & infinitam, quàm criminatione nullâ aſpergere potuit ipſa invidia & inſania, in cædem ejus conjuratiſſima!

Dicitur *verſ*. 55. Ἐζήτουν κατὰ τοῦ Ἰησοῦ μαρτυρίαν. Hoc nec æquum eſt, ô Patres Synedrii, nec regulæ veſtræ congruum. *Sanhedr*. cap. 4. דיני נפשות פותחין לזכות ואין פותחין לחובה, *In judiciis de capite, incipiatur à tranſactione circa impunem dimittendum eum, qui judicio ſiſtitur, & non incipiatur ab iis, quæ ad condemnandum eum faciunt.*

An Synedrium jam Canonem iſtum ſequeretur in ſcrutamine de cauſa Chriſti, ipſi videant: ex toto quidem eorum proceſſu, ſatis patet quò tenderet eorum diſquiſitio. Et detur, eos colorem aliquem juſtitiæ & miſericordiæ prætexuiſſe, permiſiſſeque ut prodiret quivis qui vellet ללמד עליו זכות, aliquid in ejus patrocinium atteſtari, ubinam talis jam reperiendus? cùm omnes ſui ei terga dediſſent, præcaviſſentque Patres Synedrii ut fulmine excommunicationis feriretur quicunque eum pro Chriſto agnoſceret, *Joann*. 9:22.

CAP. XV.

VERS. 1. Ἐπὶ τὸ πρωῒ συμβούλιον ποιήσαντες, καὶ ὅλον τὸ Συνέδριον.

MAimon. *Sanhedr*. cap. 3. *Quoto tempore ſedent judices in judicio? Synedrium minus & Conſeſſus triumviralis ſedent à finitis precibus matutinis, uſque ad finem horæ ſextæ. At Synedrium magnum, ſedet à ſacrificio jugi matutino, ad ſacrificium juge pomeridianum. Atque Sabbatis & diebus feſtis* (qualis erat hic dies de quo jam agitur) *ſedit in Beth Midraſch* (vel Sacello) *in Atrio gentium.*

Synedrium ſeptuaginta unius ſeniorum, non neceſſe habet ut ſedeant omnes in loco ſuo qui eſt in Templo. Cùm verò neceſſe eſt ut congregentur omnes, congregentur omnes (ὅλον τὸ Συνέδριον.)

Aſt aliis temporibus, qui propria habet negotia, propriis negotiis vacet, & tum redeat. Hoc proviſo, quòd non deficiat quid de numero viginti trium conſidentium continuò per totum tempus ſeſſionis: συμβούλιον. *Si cui neceſſariò ſit exeundum, circumſpiciat an collegæ ſui ſint viginti tres: ſi ſint, exeat; ſin minùs, expectet uſque dum introeat alter.*

CAP. XV. VERS. 6,7,21. VERS. 6. Κατὰ δὲ τὴν ἑορτὴν ἀπέλυεν, &c.

Syr. בכל עאדא: Sic & Arabs, פי כל עיד, *unoquoque feſto*. Beza, *ſingulis feſtis*. Quod nequaquam placet. Nam planè dicitur à *Pilato* ipſo, ut *unum vobis dimittam in Paſcha*, Joann. 18:39. & relaxatio vincti non adeò convenit reliquis feſtis, ac Paſchati: quippe quòd Paſcha memoriam ſecum portaret relaxationis populi ex *Ægypto*, alia autem feſta aliò reſpicerent. Κατὰ τὴν ἑορτὴν ego paraphraſticè redderem, Secundùm naturam aut qualitatem feſti, quod erat monumentum relaxationis.

Voces עאדא & עיד à Syro & Arabe hîc alibique adhibitæ pro *feſto*, præſertim verò עיד, in mentem revocat diſputationem iſtam Gemariſtarum in vocem ſecundam in Tractatu *Avodah Zarah*, nempe an אידיהן ſcribenda ſit, an עידהן, quâ denotatur dies feſtus Ethnicorum.

VERS. 7. Βαραββᾶς.

Memoremus & cum eo latronem apud Talmudicos celeberrimum בן דינאי, *Ben Dinai*, cui & nomen *Eliazar*, de quo hoc illi, obſervatione chronologicâ dignum.

Sotah, fol. 47. 1. *Ex quo multiplicati ſunt homicidæ, ceſſavit decapitatio vaccæ, nempe ex quo venit Eliazar ben Dinai, qui vocabatur etiam Techinnah ben Perisbah: at rurſus vocarunt eum* בן הרצחן, *Filium homicidam*. De eo mentio *Chetubb*. fol. 27. 1. ubi ſcribitur בן דונאי, *Ben Donai*. Et *Kelim*, fol. 12. 2. Vide & בן נצר, Regem latronum, in *Chetubb*. fol. 51. 2.

VERS. 21. Ἐρχόμενον ἀπ' ἀγροῦ.

Betſah, fol. 31. 1. מביאים עצים מן השדה, *Important ligna ex agro* (die feſto) *vel collecta in unum, vel* מן הקרפף, *à loco aliquo circumſepto, vel ſparſa.*

Gloſſ. *Important ligna die feſto ex agro, qui eſt intra limites Sabbaticos, ſi collecta in unum forent veſperiis diei feſti*, &c. קרפף *eſt locus cuſtoditus & circumſeptus undique.*

Rambam: Rabbi Joſe dicit: *Si ſit in* קרפף *oſtium, quamvis diſtet ab urbe ferè bis mille cubitis, qui ſunt limites ſabbatici, licet inde importare ligna.*

Concipiatur *Simonem Cyrenæum*, ex agro redire ſic onuſtum ligno, & præbuiſſe eum occaſio-

Digitized by Google

CAP. XV. VERS. 25.

caſionem militibus aut lictoribus etiam concipias; cur crucem ei imponerent, nempe quòd ſtrenuum portitorem eum viderent, & pro uno onere, hoc aliud imponerent ei ferendum.

VERS. 25. Ἦν δὲ ὥρα τρίτη, καὶ ἐσταύρωσαν αὐτὸν.

At *Joannes* Cap. 19:14. Ἦν δὲ παρασκευὴ τοῦ Πάσχα, ὥρα δὲ ὡσεὶ ἕκτη, cùm ſcilicet *Pilatus* eum traderet crucifigendum.

A priori clauſula Ἦν δὲ παρασκευὴ τοῦ Πάσχα, enata eſt ſententia iſta de qua aliquid diximus antè, de trajectione comeſtionis agni hoc anno ad diem decimum quintum: nam opinantur per παρασκευὴν τοῦ Πάσχα, intelligendam Præparationem agni, aut ad agni comeſtionem. Cui interpretationi ſuffragari opinantur illud quod dicitur ab eodem *Joanne*, Cap. 18:28. *Noluerunt in Prætorium introire, nè polluerentur; ſed ut comederent Paſcha.* Atque hinc fidenter concluditur ab iis, quòd utcunque Chriſtus agnum ſuum comederit die præcedenti, Judæi tamen ſuos comeſturi erant hoc ipſo die.

Agemus primò de die, prout hîc occurrit ſub nomine παρασκευῆς τοῦ Πάσχα, & dein de hora.

I. Tenebatur unuſquiſque Iſraëlita, intra ſeptiduum iſtud ſolenne, poſt comeſum agnum ad hæc duo. I. Ad comparendum coram Domino in Atrio, idque cum ſacrificio. II. Ad ſolennem lætitiam & feſtivitatem, idque etiam cum ſacrificiis. Res prior vocatur à Judæis ראייה, poſterior חגיגה.

Chagigah, cap. I. hal. I. הכל חייבין בראייה, *Omnes tenentur ad comparendum, exceptis ſurdo-mutis, fatuis, puerulis*, &c.

Et paulò pòſt. *Schola Shammæana* dicit, *Comparitio ſit cum duobus argenteis* (ראייה בשתי כסף) *& Chagigah ſit cum Meah argenti*, (וחגיגה מעה כסף) *Hilleliana dicit, Comparitio ſit cum Meah argenti, & Chagigah cum duobus argenteis.*

Gloſſ. *Omnes tenentur ad Comparitionem ex iſto præcepto*, Omnes mares tui comparebunt, *&c.* Exod. 23:17. *& neceſſe eſt ut compareant in Atrio in feſto. Comparens, cùm ſe ſiſtit in Atrio, afferat holocauſtum, quod nequaquam ſit minoris pretii quàm duorum argenteorum, id eſt duarum Mearum argenti. Tenentur etiam ad ſacrificia pacifica Chagigæ, ex iſta lege*, וחגתם אותו חג לה׳, Et celebrabitis ipſum feſtum Domino, *Exod.* 12:14.

Rambam, in loc. *Dicit Dominus: Nè compareant coram me vacui*, Deuter. 16:16. Id eſt, *Afferat* קרבן עולה, *Oblationem holocauſti in manu ſua, cùm aſcendit ad feſtum. Et iſta holocauſta vocantur* עולות ראייה, *Holocauſta Comparitionis, atque etiam* ראייה, *Comparitio, abſente voce, Holocauſtum.*

Et Chagigah. Inde quòd dicit Dominus: וחגתם אותו חג לה׳, *hoc ſibi vult*, שיביא קרבן שלמים, *ut adducat oblationem pacificorum, & hæc pacifica vocantur Chagigah.* CAP. XV. VERS. 25.

II. Ex hiſce duabus, Comparitione ſcilicet & *Chagigah*, major erat *Chagigah*, & celebrior.

Nam I. Tenebantur quidam ad *Chagigam*, qui non tenebantur ad Comparitionem.

Chagigah, fol. 2. 2. *Is qui ſurdus quidem non eſt, at tamen mutus eſt, non tenetur ad Comparitionem, at tenetur tamen* לשמחה, *ad lætandum.* Verum quidem eſt, diſtingui à Gemariſtis in aliquibus inter חגיגה, *Chagigam*, & שמחה, *Lætitiam*, fol. 9. 2. At Gloſſator unus in locum allegatum, כי קאמר דמחייב בשמחה הוא דין חגיגה, *Illud quod dicit de Lætitia, obtinet etiam de Chagigah.* Et alter. *Tenetur* לשמחה, *ad Lætitiam, nempe ut lætetur in feſto; ut ſcriptum eſt*, Et lætaberis in feſto tuo. *Et dicunt alibi, quòd lætitia iſta eſt ex ſacrificiis pacificis, comedendo ſcilicet carnem.*

II. Non tam ſtrictè obligabatur *Comparitio* ad diem primum feſti, ac *Chagigah* obligabatur.

Chagig. fol. 7. 2. עולות נדרים ונדבות במועד באות ביט אינן באות, *Holocauſta ex voto, & ſpontanea offeruntur in diebus feſti nefaſtis, non offeruntur die feſto*, ועולת וראייה באה אפילו ביט, *at holocauſta Comparitionis poſſunt offerri etiam die feſto, & cum offeruntur, offerantur nonniſi* מן החולין *ex pecoribus communibus:* ושלמי שמחה, *Ac pacifica Lætitiæ etiam ex decimis* חגיגת יום טוב הראשון של פסח, *Chagigah diei primi feſtivi, Paſchatis. Schola Shammæana dicit, Sit de* (Cholin) *communibus: Hilleliana, de decimis. Quid eſt quod docet de Chagigah diei primi feſtivi, Paſchatis? Dicit Rabb Ishai.* חגיגת ט״ו אין, *Chagigah diei decimi quinti, ita:* חגיגת י״ד לא, *Chagigah diei decimi quarti, non.*

Gloſſ. *Holocauſta Comparitionis non offerebantur die primo feſti, quanquam erant ex officio feſti, quia pro iis compenſari potuit die inſequenti.*

Chagigah diei primi feſti erat abſque dubio ex debito, vel officio, *quamvis eſſet ei ſatis carnis aliàs.* Nam ut paulò antè, *Offerebant pacifica die iſto feſto.* לפי שיש בהם צורך למאכל הדיות, *ideo quòd opus iis haberent ad victum privatum:* Et adforet licèt victûs ſatis, offerenda tamen erat *Chagigah* ut debita diei.

Chagigah diei decimi quarti hæc erat בשהיתה חבורה פסח מרובה, *Cùm* Φρατρία *aliqua numeroſa erat, agno Paſchali adjungebant etiam Chagigam, ut Paſcha comederetur uſque ad ſaturitatem. Jam verò Chagigah diei iſtius primi feſti, non erat niſi è pecoribus communibus: Chagigah verò diei decimi quarti, potuit eſſe etiam de decimis.*

CAP. XV. VERS. 25.

Majus erat offerre de pecoribus communibus, [vel *Cholin*] quàm de decimis aut primogeniis; nam iſta jure debebantur Domino: at offerre *Cholin*, ulterioris erat devotionis & ſpontaneitatis.

Illud ergò quod dicit *Joannes*, *Quòd Judæi noluerunt introire in Prætorium, nè polluerentur, ſed ut comederent Paſcha*, de *Chagigah* iſta, diei decimi quinti, eſt intelligendum, non de agno Paſchali: nam & hæc etiam *Paſcha* vocatur, *Deuter.* 16:2. *Immolabis Paſcha Domino Deo tuo, ex ovibus & bobus. Ex ovibus*, hoc quidem ex præcepto, *Exod.* 12:3. at quid cum bobus? *E bobus*, inquit *R. Solom. pro Chagigah.* Et *Ab. Ezra*, *Ex ovibus ſecundùm officium Paſchatis, è bobus pro ſacrificiis pacificis:* & adducit illud 2 *Paralip.* 30:24. & 35:8. Targ. Jonath. *Mactabitis Paſcha coram Domino Deo veſtro inter veſperas, & oves & boves craſtino die, in ipſo die iſto, in gaudium feſti.*

Occurrit in Gloſſatore uno ad *Chagig.* fol. 17.2. mentio τῦ פסח קטון, *Paſchatis minoris*; per quod ſi non intelligat *Paſcha* menſis ſecundi, quod uſitatiſſimè ab iis vocatur פסח שני, *Paſcha ſecundum*, vel ſecundi, edoce me quid per illud velit. Utcunque res hæc ſe habeat, clarè apud *Moſen*, boves, vel ſacrificia poſt comeſum agnum oblata, vocantur etiam *Paſcha*, æquè ac ipſe agnus.

Nec mirum, cùm agnus fuerit vel minima pars feſtivitatis, ſupereſſentque poſt eum comeſum ſeptem dies feſti: foretque agnus res memoriam afflictionis potiùs refricans, quàm lætitiam & feſtivationem denotans. Nam panis Azymus ipſiſſimâ iſtâ notione inſignitur à Sacra Pagina, ſic & herbæ amaræ, agni appendices. At quantùm ſolennitatis feſti attribuatur *Chagigæ* reliquiſque poſtea ſacrificiis, nimiùm foret memorare, cùm ubique occurrat.

Audi authorem *Aruch* de *Chagigah* Pentecoſtes. Vox חג *tripudiationem denotat & plauſum præ gaudio. Lingua Syriaca*, חיגא. *Et ſic in Scriptura*, יחוגו וינועו כשיכור [Pſalm. 107:27. Verſio interlin. *In orbem iverunt, & moverunt ſe ſicut ebrius.*] *Atque ab hac radice eſt quòd edunt & bibunt, & tripudiant*, vel feriantur. *Et ſacrificium Chagigæ ad quod adducendum tenebantur die feſto, illud eſt de quo Scriptura:* ועשית חג שבועות, *Et facies ſolennitatem hebdomadarum Domino Deo tuo, ſpontaneam oblationem manûs tuæ*, &c. *Deuter.* 16:10.

Et jam dicas mihi, unde denominationem ſuam recepit iſtud feſtum, ut diceretur חג *Feſtum* hebdomadarum? Non ab oblatis panibus primitiarum, ſed à *Chagiga*, & feſtivatione ex *Chagiga*. Idem etiam dicendum de *feſto* Paſchatis. Ita ut nihil auribus Judæorum alienum diceret *Joannes*, cùm dixerit, *Non introierunt in Prætorium, nè polluerentur, ſed ut comederent Paſcha*; in *Chagigam* digitum intendens, & non in agnum pridie quidem comeſtum.

In eundem ſenſum ſonare poſſet vox *Paſcha* in verbis etiam ejus iſtis, Ἦν δὲ παρασκευὴ τοῦ Πάσχα, ὥρα δὲ ὡσεὶ ἕκτη. Erat præparatio ad *Chagigam*, & non ad agnum. At ſuſpicor ego aliquid ulteriùs poſſe intelligi, nempe eo die parari & cibum & animos ad feſtivitatem totius feſti. Ita ut vox *Paſcha* τὴν ἑορτὴν denotet, non hanc aut illam particularem appendicem ad ἑορτήν. Holocauſta quæ offerebantur in *Comparitione* כולה לגבוה, *tota ceſſerunt Deo*, ut verè dicunt Magiſtri, & is qui obtulit, nè particulam quidem minimam ex iis ſecum reportavit: at ſacrificia *Chagigæ* fuerintve boves, an oves, ceſſerunt plurimâ ex parte offerentibus, atque inde ſolennes & feſtivas convivationes inſtituerunt illi cum ſuis, dum morarentur Hieroſolymis. Ita ut horum oblatio die primo feſti, foret Παρασκευὴ τοῦ Πάσχα, & Παρασκευὴ Πεντηκοστῆς, & Παρασκευὴ τῆς Σκηνοπηγίας. Dies ſcilicet & modus præparandi victum in feſtivitatem feſti inſequentem. Eodem ſenſu erat παρασκευὴ Sabbati, præparatio victûs rerumque neceſſariarum ad Sabbatum, de qua dicturi ſumus ad *verſ.* 42.

Hiſce ita expeditis, accedamus jam ad ipſam horam.

Paraſceve Paſchatis erat, inquit Joannes, *hora verò quaſi ſexta*, cùm Pilatus Chriſtum traderet crucifigendum: *Erat autem hora tertia*, inquit Marcus, *& crucifixerunt eum.*

Diſputatur à Gemariſtis in *Babyl. Peſachin*, fol. 11.2. quouſque conſonare & congruere poſſunt teſtimonia duorum hominum, quorum alter dicit, Ego hoc vidi factum, horâ iſtâ; alter, Ego horâ aliâ: *Unus dicit, horâ ſecundâ; alter dicit, tertiâ*, עדותן קיימת, *teſtimonium eorum conſiſtit. Unus dicit, horâ tertiâ; alter, quintâ*, עדותן בטילה, *Teſtimonium eorum eſt inane. Ut dicit* R. Meir: *at dicit* R. Judah, *Teſtimonium eorum conſiſtit. Si verò unus dicat, horâ quintâ; alter, horâ ſeptimâ, teſtimonium eorum eſt inane, quia hora quintâ ſol eſt in parte cæli Orientali, ſeptimâ in Occidentali.* Copioſè de hac re diſputant loco allegato, & de teſtimoniis verbis diſſentientibus, re tamen ipſâ, quòd utrumque verum eſſe poſſit, concludunt, quòd falli poſſunt teſtantes in computatione horarum: quod de Euangeliſtis concludere impium foret & blaſphemum. At falli librarios in tranſcriptione, ſupponit non nemo, & corrigendam vult computationem *Joannis*, in ἦν δὲ ὥρα ὡσεὶ τρίτη, audacter nimis, & quidem ſine ratione; nam fieri ea quæ ipſam crucifixionem Salvatoris anteceſſerunt, בתלת שעי קמייתא, [ut Talmudicorum verbis utar, in *Sanhedr.* fol. 105.2.] *in tribus primis diei horis*, nec credibile

CAP. XV. VERS. 25.

CAP. XV. VERS. 25, 34. 42.

bile eſt, nec quidem poſſibile. Aliundè ergò petenda eſt Euangeliſtarum concordia.

I. Repetamus illud è Maimonide: *Synedrium magnum ſedit à ſacrificio jugi matutino, uſque ad juge ſacrificium pomeridianum.* Jam verò, cùm juge ſacrificium matutinum foret ad horam tertiam, non ante iſtam horam conſedit Synedrium. Caveas ergò qui verba *Joannis* ἦν δὲ ὥρα ὡσεὶ ἕκτη, mutata velles in ἦν δὲ ὥρα ὡσεὶ τρίτη, nè ſolœciſmo grandi labores: nam non potuit *Pilatus* Chriſtum tradere crucifigendum circiter horam tertiam, cùm non conſederit Synedrium ante horam tertiam, Chriſtusque adhuc non fuerit traditus *Pilato*.

At obſcurant hæc, inquies, verba *Marci* multò magis: nam ſi non conventum eſt à Synedrio Chriſtum tradituro ante horam tertiam, nullo modo dixeris quòd crucifixerunt eum horâ tertiâ.

Duo hîc proponimus in enodationem rei.

Primum ſumatur à die ipſa, & ab hora ipſa. Erat dies iſte Παρασκευὴ τοῦ Πάσχα, ſummæ ſolennitatis, & cùm oportuiſſet Sacerdotes & reliquos Patres Synedrii, ad horam tertiam in Templo affuiſſe, & *Chagigas* ſuas obtuliſſe præparatorias ad totam feſtivitatem ſeptiduanam: at illi aliud hoc agunt: obſervare licet, quòd non dicat, ὥρα ἦν τρίτη ὅτε: ſed, καὶ ἐσταύρωσαν. Non, hora erat tertia, cùm crucifigerent eum; ſed hora erat tertia, & crucifixerunt eum. Id eſt, cùm jam foret, prætereratque hora tertia, tamen non omiſerunt crucifixionem ejus proſequi, cùm quidem aliàs ex more feſti, & Religionis obligatione, occupatos eos eſſe oportuit. Hac interpretatione ego quidem contentus reſiderem, potiùs quàm Textum Sacrum incuſarem ut depravatum, vel emendatione mea depravarem magis. At

Secundò, occurrit ſenſus etiam alius non contemnendus, ſi quid valet judicium noſtrum, quem petimus à more apud Synedrium uſitato, aſt à quo jam deflexerunt.

Sanhedr. fol. 46. 2. Agitur de reo ad ſuſpendium damnato, quocum actum eſt hoc proceſſu: משהין אותו עד סמוך לשקיעת החמה, *Morantur uſque dum appropinquet occaſus ſolis*, וגומרין את דינו וממיתין אותו, *Et tum finiunt judicium ejus, & morte mulctant.* Nota illud, non finiunt judicium ejus uſque dum propè adſit occaſus ſolis.

Rationem ſi quæras, generalior proferri poteſt, quæ reſpexit omnes ad mortem damnatos, & ſpecialior quæ ſuſpendendum.

I. Erat quæ vocatur à Talmudicis עינוי הדין, *Afflictio judicii*, quâ Phraſiologiâ non intelligunt judicium non juſtum, ſed cùm damnatus poſt finitum judicium, non ſtatim occideretur.

Sanhedr. fol. 35. 1. לגמורית לדיניה בשבתא וליקטליה בחד בשבא. *Si finias judicium ejus Sabbato,* [nota illud] *& occidas eum primâ hebdomadæ,* נמצא אתה מענה את דינו, *Tu affligis ejus judicium.*

Gloſſ. *Quamdiu non finitum eſt judicium ejus, non eſt afflictio judicii, quia unaquâque horâ expectat ut abſolvatur. At cùm finitum eſt judicium, expectat mortem, &c.* Parùm igitur moræ interpoſuerunt inter finitum judicium & occiſionem.

II. Quoad ſuſpendendos, משהין אותו את נמר דינו, *Tardarunt finitionem judicii ejus, & non ſuſpenderunt eum manè, nè pigreſcerent circa ejus ſepulturam, inciderentque in oblivionem* (& peccarent contra Legem.) *Deuter.* 21: 23. *Sed prope ad occaſum, ut citò eum ſepelirent.* Sic Gloſſa. Non occiderunt eum citiùs; propter hanc rationem; non finierunt judicium ejus citiùs, propter rationem prædictam.

Et jam reſumamus verba *Marci.* Ἦν δὲ ὥρα τρίτη, καὶ ἐσταύρωσαν αὐτόν.

Non ſolitum eſt Synedrium, judicium ſuſpendendi finire, uſque dum jam parati eſſent, è Concilio & Conſeſſu exurgere & diſcedere poſt *Mincham*, inclinante jam die ad occaſum: at *Jeſu* judicium finierunt hi, atque ad crucem accelerârunt, cùm primùm in Conſeſſu convenerunt, ad horam tertiam, ad tempus ſacrificii jugis, quod maximè inſolitum & à more alienum.

VERS. 34. Ἐλωῒ, Ἐλωῒ.

Apud *Matthæum* eſt אלי אלי, ipſiſſimis ſyllabis, *Pſalm.* 22: 1. *Marcus* ſecundùm præſentem dialectum (Chaldaicam ſcilicet) pronunciatione utitur vocis אלהא, aut ſaltem ſecundùm pronunciationem vocis אלהים; Ἠλωὶ, *Judic.* 5: 5. in LXX.

VERS. 42. Παρασκευὴ, ὅ ἐστι προσάββατον.

Quæras, an quælibet dies Sabbatum antecedens vocaretur *Paraſceve?* Hebræis certè vulgariter eſt ערב השבת, *veſpera* vel *veſperia Sabbati.* At detur; unde tandem vocata eſt *Paraſceve?* An quòd pararent ſe Sabbato? Quin potiùs, quòd pararent edulia comedenda Sabbato, idque ex Lege, *Die ſexto parabunt, &c. Quicquid pinſetis, pinſite hodie; & quicquid coquetis, coquite hodie, &c. Exod.* 16: 6, 24.

Hinc illis vox uſitatiſſima hoc ſenſu הכנת, i. e. *Præparatio.*

Maimon. in Jom Tobh, cap. 1. חול מכין לשבת וחול מכין לי״ט, *Dies non feſtus parat pro Sabbato, & dies non feſtus parat pro die feſto. At dies feſtus non parat pro Sabbato, nec Sabbatum parat pro die feſto.*

Gloſſ. Ib. in cap. 6. *At rationes iſtæ non valent* לאסור הכנה, *ad prohibendam præparationem,*

CAP. XV. VERS. 42.

tionem, dum adhuc multum diei ſupereſt: הכנה παρασκευήν.

At dices, *Si dies feſtus non parat pro Sabbato,* quod ait *Maimonides*, nequaquam quadrabit talis interpretatio verbis quæ jam tractamus, ut dicatur παρασκευὴ, ob parata eo die edulia in Sabbatum. Reſpondeant ipſi Magiſtri.

Babyl. Jom Tobh, fol. 15. 2. יום טוב שחל להיות ערב שבת, *Die feſto qui incidit in veſperam Sabbati, nè coquat in initio, edulia à die feſto pro Sabbato, at coquat pro die feſto, & ſi qui ſuperſit, reſervetur in Sabbatum. Verùm* עושה תבשיל, [ad literam, *faciat coctile*, at ſenſus eſt] *paret edulium à veſpera diei feſti, atque eo nitatur pro Sabbato. Schola Shammæana dicit* שני תבשילין, *duplex edulium: Hilleliana dicit, unum edulium.*

Planiùs *Maimon. Jom Tobh*, cap. 6. *Die feſto qui coincidit cum veſperiis Sabbati, non pinſunt nec coquunt die feſto quod comedant Sabbato. Et probibitio hæc eſt à verbis Scribarum: Nè ſcilicet quis coqueret die feſto pro non feſto. Nam hæc eſt argumentatio à majori ad minùs: Si non coquat pro Sabbato, multò minùs pro die profano: ſi verò paret edulium veſperâ diei feſti, quo nitatur* [שסומך עליו] *tum ſi pinſat aut coquat die feſto pro Sabbato, permittitur: atque illud quo nititur vocatur* עירוב תבשילין, *Commixtio edulii. Et quare vocatur* עירוב, *Commixtio?* (Συναναμιξις] *Nempe prout commixtio iſta quam faciunt, de atriis aut veſtibulis, veſperâ Sabbati, eſt in recognitionem, nè ſcilicet opinentur, quòd licitum eſt aliquid tranſportare à loco in locum Sabbato; ſic hoc edulium eſt in recognitionem & recordationem, nè ſcilicet opinentur & autument, quòd licitum eſt aliquid pinſere die feſto, quod non comedatur iſto die; idcirco edulium hoc vocatur* עירובי הבשילין, *Commixtio eduliorum.*

De עירובי הצירות, *Commixtione atriorum* dicimus ad 1 *Cor.* 10:16. Summa rei hæc eſt, Habitârunt plures familiæ juxta unum commune atrium. Jam ergò, cùm non liceret quicquam Sabbato exportare מרשות לרשות, à loco qui erat unius juris, vel conditionis, in locum qui alterius, ideoque non licuerit cuivis ex iſtis familiis aliquid efferre è domo ſua in atrium oſtio ſuo adjacens, & è contra; communionem & commixtionem juris inierunt omnes, idque per comeſtionem unà, cibi ab omnibus ſimul collati, & tunc fuit licitum. Sic in cauſa hac de qua jam agitur. Cùm non liceret per canones Scribarum, quidquam edulii parare die feſto pro Sabbato, craſtino inſequenti, cùmque ex neceſſitate parandum aliquid eſſet pro Sabbato, rigorem canonis ſic emollierunt, ut primò pararetur, die feſto aliquid edulii, quod foret עירוב, commixtio quaſi juris, & hoc jam parato nixi, quidvis parare poſſent in Sabbatum craſtinum.

CAP. XV. VERS. 43.

De עירובי תבשילין, occurrit mentio apud *Talmudicos* vicibus infinitis, & hæc quæ de iis dicta ſunt, non lucis parùm, & clauſulæ quam jam tractamus, præbent, aliiſque ubi occurrit vox Παρασκευὴ, planioraque iſta faciunt quæ diximus de Παρασκευὴ τοῦ Πάσχα, quod ſcilicet non denotet vel præparationem agni paſchalis, nec præparationem populi ad comedendum agnum, ſed præparationem eduliorum comedendorum hebdomadâ Paſchali. Nec hìc loci, ſi ad Sabbatum applicetur, aliud denotat quàm præparationem eduliorum in Sabbatum jam appropinquans. Ita ut dies iſte quo crucifixus eſt Chriſtus, duplex foret Παρασκευὴ, ſenſu duplici allato. Totus nempe dies, præſertim vero ab hora tertia, erat Παρασκευὴ τοῦ Πάσχα, vel totius inſequentis hebdomadæ, & veſpera diei erat Παρασκευὴ Sabbati craſtinò inſequentis.

De Sabbato iſto dicit *Joannes*, quod præterire non poſſumus, quòd μεγάλη ἦν ἡ ἡμέρα ἐκείνου τοῦ Σαββάτου, Cap. 19:31. nam erat dies Comparitionis populi in Templo, erat dies oblationis maniipuli: & quæro ego, an ante iſtum diem *Chagigas* ſuas obtuliſſent perſecutores Chriſti?

VERS. 43. Εὐσχήμων βουλευτής.

Vulg. *Nobilis Decurio.* Eraſm. *Honeſtus Senator.* Beza, *Honoratus Senator.* Pro Lexico hìc poteſt eſſe pagina Talmudica.

Babyl. Joma, fol. 8. 2. *Num fuit conclave* פרהידרין, Προέδρων; *Nonne conclave* בולווטי, Βουλευτῶν? *Primò vocabatur* לשכת בולווטי, *Conclave* Βουλευτῶν, *At cùm Pontificatus emeretur pecuniâ, annuatimque mutaretur* כפרהידרין הללו, *ſicut annuatim mutantur* Πρόεδροι *Regis, exinde vocabatur* לשכת פרהידרין, *Conclave* Προέδρων.

Gloſſ. בולווטי לשון שרים, Βουλευταὶ *denotat Principes.* Verè quidem, atque hinc בולווטיא ופגניא contradiſtinguuntur, *Nobiles & viles. Hieroſ. Shabb.* fol. 13. 3. At quare non intelligas Principes iſtos ac nobiles proprio ſenſu vocis Βουλευταὶ, id eſt Conſiliarios? Nam quis non videt vocem eſſe Græcam? Et ſic *Aruch*, לשון יון הוא, *vox Græca eſt.*

Quod oculos noſtros intentiùs figit in verba gloſſematis ad Gemaram loco allegato. *Ab initio, in diebus* Simeonis Juſti, *qui diu admodùm vixit, vocârunt illud* לשכת בולווטי, *Conclave* Βουλευτῶν. Quid? Adeone vigere linguam Græcam *Hieroſolymis* temporibus *Simeonis Juſti*, ut vocaretur Conclave in Templo, nomine Græco? Si *Simeon* iſte, ille fuerit, qui occurrit *Alexandro Magno*, quod opinantur *Talmudici, Joma*, fol. 69. 1. tum patet aliqua ratio; ſin minùs, quæras. Utcunque erat illud, Conclave Summi Pontificis, ut patet

per

Digitized by Google

CAP. XVI. VERS. 1, 2.

ſæpius apud *Talmudicos*: non quòd illic ſemper habitaret, nec quòd ſemel in anno ſe illuc contulerit, ſed quòd locus ille fuerit, ubi ſedens ille cum Concilio Sacerdotali, de Liturgia publica rebuſque Templi conſuleret. Hinc occurrit apud *Hieroſolymitanos* mentio τῦ שמעון בולוטא, *Simeonis* Βυλευτῦ, vel *Conſiliarii*. Atque hoc ſenſu ſumendum eſt illud, niſi hallucinemur, quod apud *Babylonicos* occurrit ſemel iterumque de בני כהנים הגדולים *Filiis Summi Pontificis*, de rebus variis determinantibus. Et בירת דין של כהנים, *Chetubb.* cap. 1.

Hinc meritò opinamur, *Joſephum Arimathæanum* vocari Βυλευτὴν, ideo quòd Sacerdos foret, èque Conſeſſu iſto Sacerdotali. לשכת בולווטי פירוש הכתי עצרה, *Conclave* Βυλευτῶν *vocabatur*, inquit *Aruch*, *id eſt Conſiliariorum*.

CAP. XVI.

VERS. 1. Ἵνα ἐλθῦσαι ἀλείψωσιν αὐτόν.

Hieroſ. Shabbath, fol. 12. 1. *Quidnam eſt illud quod quoad viventem permittitur*, [Sabbato] *quoad mortuum verò non? Eſt unctio.*

VERS. 2. Καὶ λίαν πρωῒ, &c.

Diſtinctio diluculi apud Rabbinos hæc erat.

I. איילתא רשחרא, *Cerva Auroræ*. Prima lucis apparitio.

Hieroſ. Berac. fol. 2. 3. R. Chaija Rabba, & R. Simeon *ben* Chalaphta *itinerantes ſimul, manè quodam in valle Arbelis viderunt Cervam Auroræ, quòd lux ejus diffunderet æthera. Dixit* R. Chaija, *Talis futura eſt Redemptio Iſraëlis. Primò gradatim & minutim procedit; at quò magis procedet, eò magis augebitur.*

Tunc temporis erat cùm Chriſtus reſurgeret, primâ ſcilicet aurorâ, ut colligi poteſt ex verbis *Matthæi*: & huc reſpicere videtur titulus *Pſalmi* vigeſimi ſecundi, על אילת השחר. Vide & *Apocal.* 22:16. Et jam tum prodiiſſe fœminas opineris ex ædibus ſuis, versùs ſepulchrum.

II. משיכיר בין תכלת ללבן, *Cùm diſtinguere quis poteſt inter colorem hyacinthinum & album.*

Berac. cap. 1. hal. 2. *A quo tempore recitant Phylactericas orationes manè? Ab eo tempore quo diſtinguere quis poteſt inter colorem hyacinthinum & album. R. Eliezer* dicit, *Inter colorem hyacinthinum & praſinum.* Ante hoc tempus erat *obſcurum adhuc cœptæ lucis*, ut Tacit. *hiſt. lib.* 4. *cap.* 11.

III. משאור המזרח, *Cùm luceſcit Oriens.*

IV. בנץ החמה *Oriente Sole.*

Hieroſ. ubi antè. *A prodeunte Cerva Auroræ, uſque dum luceſcat Oriens, & à quo luceſſit Oriens, uſque dum oriatur Sol*, &c.

CAP. XVI. VERS. 13.

Ad hos quatuor temporis articulos, non inconcinnè adoptaveris Phraſiologias quatuor Euangeliſtarum: ad primum Τῇ ἐπιφωσκύσῃ *Matthæi*. Ad ſecundum Πρωῒ σκοτίας ἔτι ὔσης *Joannis*. Ad tertium Ὄρθρυ βαθέως *Lucæ*. Ad quartum Λίαν πρωῒ, & tamen Ἀνατείλαντος τῦ ἡλίυ, *Marci*.

Nam bis ad ſepulchrum à fœminis eſt itum, ut docet *Joannes*, per quem Euangeliſtæ reliqui ſunt explicandi: quâ re animadversâ, facillima eorum eſt reconciliatio.

VERS. 13. ὐδὲ ἐκείνοις ἐπίςευσαν.

Agi commatibus immediatè præcedentibus de duobus *Emmaunta* proficiſcentibus, eſt extra omnem controverſiam: & tum quomodo hæc conſiſtunt cum narratione iſta apud *Lucam*? qui dicit, quòd *duo iſti Hieroſolymam redeuntes, invenerint undecim congregatos, & eos qui cum ipſis erant, qui dicebant, Reſurrexit verè Dominus, & apparuit Simoni*, Luc. 24: 33, 34. Vox λέγοντας, planè verba iſta facit eſſe τῶν ἕνδεκα, & eorum qui cum ipſis erant congregati: quod lectis verſionibus vix ſuſpiceris. Nam voce iſtâ à *Syro* redditâ כד אמרין, *ab Arab.* והם יקולן, à Vulg. *Dicentes*, ab Ital. *Dicendo*, à Gallic. *Diſans*, ab Angl. *Saying*. Quiſnam quæſo alio ſenſu eam reciperet, quàm quòd duo iſti qui ab *Emmaunte* redierunt, dicerent, *Verè reſurrexit Dominus*, &c. At in fonte Græco, cùm ſit caſûs accuſativi, planè referenda eſt ad undecim Diſcipulos, & eos qui cum illis erant unà. Ac ſi illi de apparitione facta *Petro* inter ſe colloquerentur vel antè, vel jam in ipſo acceſſu duorum iſtorum ab *Emmaunte*. Et tamen dicit Euangeliſta hic noſter, quòd cùm duo iſti rem totam enuntiâſſent, illi nec ipſis crediderunt. Ita ut ſecundùm *Lucam* crediderint Chriſtum reſurrexiſſe, & apparuiſſe *Simoni*, ante relatam eorum hiſtoriam; at ſecundùm *Marcum*, non, etiam iſtâ relatâ.

Reconciliatio ergò Euangeliſtarum eſt hinc petenda, quòd verba iſta ab undecim prolata Ὅτι ἠγέρθη ὁ Κύριος ὄντως, &c. non abſolutam exhibeant reſurrectionis Chriſti confeſſionem, ſed conjecturalem ſubitanei & inexpectati reditûs *Petri* rationem.

Perrecturum credo *Petrum* cum *Cleopha* in *Galilæam*, idque excitatum verbis Chriſti à fœminis ei nuntiatis, *Dicite Diſcipulis & Petro, Præcedo ego in Galilæam.* Cogita tecum, quàm pendulus hæreret *Petrus*, atque intra ſe fluctuans, poſt triplicatam ejus abnegationem, quamque anhelet ut Dominum, ſi reſurrexerit, videat iterum, atque ei ſe humilem ſupplicemque ad pedes provolvat. Cùm ergò hæc audiret à fœminis (audieratque quidem à Chriſto

Digitized by Google

CAP. XVI. VERS. 15.

ſto ipſo, dum adhuc foret in vivis, quòd reſurgens, eos ille præcederet in *Galilæam*) cùmque reliqui minimè adhuc famâ de reſurrectione ejus forent moti, nec adhuc è loco iſto ſe moverent, experietur ille iter in *Galilæam* & cum eo *Alpheus*. Quod cum reliquis bene notum foret, eùm autem jam tam citò, tamque inexpectatò redeuntem viderent, certè, inquiunt, reſurrexit Dominus, & apparuit *Petro*, is aliter non tam ſubitò rediiſſet. Et tamen cùm rem totam, is *Cleopaſque* pandunt, nè illis quidem adhuc credunt.

VERS. 15. Πάσῃ τῇ κτίσει.

לכל הבריות. Phraſiologia Judæis tritiſſima, per quam

I. Omnes homines denotantur.

Babyl. Chetubb. fol. 17. 1. *Dicunt Sapientes: Sit ſemper animus hominis* מעורשת עם הבריות, *commixtus* vel complacens *creaturis*. Gloſſ. *ut faciat cum unoquoque homine ad complacentiam. Midr. Till.* in *Pſalm.* 135. משרה רוח קדש על הבריות, *Habitare facit Spiritum Sanctum ſuper creaturas*, i.e. ſuper homines.

Maimon. in Sanhedr. cap. 2. *In unoquoque Judice in Conſeſſu triumvirali requiritur prudentia, clementia, religio, odium pecuniæ, amor veritatis*, ואהבת הבריות, *atque amor creaturarum*, i.e. φιλανθρωπία.

II. Præcipuè verò intelliguntur Gentiles.

Babyl. Chagig. fol. 12. 2. *R. Joſe* dicit, אוי להם לבריות, *Væ creaturis quæ vident, & non nôrunt quid vident: quæ ſtant, & non nòrunt ſuper quid ſtant, nempe ſuper quidnam ſtet terra*, &c. Ethnicos intelligit præcipuè, qui non edocti fuerant de rerum creatione.

Beresh. Rabba, ſect. 13. שיחתן של בריות *Sermo omnium creaturarum*, i.e. Ethnicorum, *eſt ſolùm de rebus terrenis*, וכל תפלתן של בריות, *Atque omnes orationes creaturarum ſunt pro rebus terrenis; Domine, fertilis ſit terra, proſperetur terra. At omnes orationes Iſraëlitarum ſunt ſolùm pro loco ſancto; Domine, ædificetur Templum*, &c.

Adverte ut בריות, *Creaturæ*, opponantur *Iſraëlitis*.

Et hunc ſenſum Phraſiologiæ Πάσῃ κτίσει, hoc in loco probant ſatis verba *Matthæi* parallela *Cap.* 28. ubi quod apud *Marcum* eſt, Κηρύξατε πάσῃ τῇ κτίσει, apud eum eſt, Μαθητεύσατε πάντα τὰ ἔθνη, ut & ea *Pauli*, *Coloſſ.* 1:23. Ἐυαγγελίου τοῦ κηρυχθέντος ἐν πάσῃ τῇ κτίσει.

CAP. XVI. VERS. 19, 20, 21, 22, 23.

Eodem ſenſu eandem Phraſin intelligas neceſſe eſt, *Rom.* 8:22. ubi ſi totam iſtam periocham accipias de Gentilibus anhelantibus ad libertatem filiorum Dei Euangelicam, facillimum reddis ſenſum, & ad mentem Apoſtoli, & ad ſignificationem vocis κτίσις accommodatiſſimam. Cùm qui aliter reddunt, in ſenſum neſcio quem impingunt, aſperum & nodoſum. Liceat, ſit licèt extra oleas, totam iſtam Periochen ſic παραφράζειν.

VERS. 19. Ἡ γὰρ ἀποκαραδοκία τῆς κτίσεως, &c. *Nam intenta expectatio Creaturæ*, vel Mundi Ethnici, *revelationem filiorum Dei præſtolatur*. Promiſerat enim Deus, & ſæpiſſimè per Prophetas pronunciaverat, innumeros ſe filios inter Gentiles ſibi congregaturum atque adoptaturum: revelationem itaque, ac productionem iſtorum filiorum, avidè jam expectat totus *Mundus Gentilitius*.

VERS. 20. Τῇ γὰρ ματαιότητι ἡ κτίσις ὑπετάγη, &c. *Nam vanitati* (mentis ſuæ) *ſubjectus eſt totus Mundus Ethnicus* (Ut *Rom.* 1:21. Ἐματαιώθησαν ἐν τοῖς διαλογισμοῖς αὐτῶν. Et *Epheſ.* 4:17. Ἔθνη περιπατεῖ ἐν ματαιότητι τοῦ νοὸς αὐτῶν) *non volens, ſed propter eum qui ſubjecit eum.*

VERS. 21. *Sub ſpe, quia & Creatura* (vel Mundus iſte Ethnicus) *liberabitur à ſervitute corruptionis* (peccaminoſæ quæ eſt in mundo per concupiſcentiam, 2 *Petr.* 1:4.) *in libertatem filiorum Dei* Euangelicam. A ſervitute Satanæ, Idolorum & libidinum, in libertatem quâ fruuntur filii Dei per Euangelium.

VERS. 22. Ὄιδαμεν γὰρ, ὅτι πᾶσα ἡ κτίσις, &c. *Scimus enim quòd tota Creatura* (vel Mundus Ethnicus) unà ſuſpirat, & parturit, & quaſi convexo pondere nutat ad hoc uſque tempus, ut enaſcatur & proveniat.

VERS. 23. Ὀυ μόνον δὲ, ἀλλὰ καὶ αὐτοὶ, &c. Neque Gentes ſolùm, ſed & nos Judæi, (utcunque è gente, Ethnicis invidâ) quibus primitias Spiritûs largitus eſt Deus, apud nos eorum causâ ſuſpiramus, adoptionem, id eſt, redemptionem corporis noſtri myſtici expectantes, cujus maximam partem conſtituent *Gentiles*.

HORÆ

Digitized by Google

HORÆ HEBRAICÆ
ET
TALMUDICÆ
IMPENSÆ IN
EUANGELIUM
SANCTI
LUCÆ.
Præmittuntur CHOROGRAPHICA pauca de locis apud hunc Euangeliſtam nominatis.

Digitized by Google

Reverendiſſimo in Chriſto Patri ac Domino,

D^{no} GILBERTO,

Providentiâ Divinâ Archiepiſcopo

CANTUARIENSI,

Totius Angliæ Primati, &c.

Reverendiſſime Antiſtes,

FINITO jam tandem opuſculo hoc meo quali quali, in quatuor Euangelia, recognoſcere & commemorare me jubent pietas, gratitudo & officium, infinitam erga me Dei miſericordiam, quæ me huc perduxit, vitam continuavit, & vivacitatem corporis, animi atque oculorum conſervavit ad hanc & in hac ſenectute: quibus & grande hoc beneficium addidit eadem miſericordia divina, quòd commiſerationem, favorem & patrocinium Paternitatis veſtræ mihi indulſerit. Edulcoravit hoc, non parùm cætera, atque otium hoc literarium, ſtudiorum tranquillitatem, & rei familiaris ſtabilimentum, ſuaviſſimum vitæ meæ condimentum, miſcuit & propinavit. Abſque hoc caruiſſet animus ſtudendi; ſtudendi oportunitate defuiſſent Muſis meis otium, & ſeceſſus, & ſedes quieta; atque exaruerant in prima ſui protruſione [ſi modò aliquid jam ſunt] lucubrationum mearum hæc germina, niſi rore favoris tui ea rigaſſet cœleſtis favor.

Oblitus forſan es, Pater Reverendiſſime, [nam beneficia tua marmore non ſcribis] qualia pro me in anguſtiis meis præſtiteris humanitate, & benevolentiâ & ſedulitate mihi benefaciendi, planè admirandis; quæ nunquam mihi excidere aut dilabi poſſunt, niſi & mei ipſius obliviſcar, & memor non ſim ipſe mei. Tantæ humanitati explicandæ, cùm nulla elocutio ſit adæquata, liceat rem totam hoc compendio compingere, Perituram familiam ſervavit miſericordia Dei per commiſerationem tuam.

Quid reddam Domino pro omnibus beneficiis ſuis, & quid tibi pro tanto? At mene rependere, aut retribuere vel Deo, vel tibi? Reddat ipſe tibi miſericordiarum pater, cùm ego non poſſim, & ex addita ſua miſericordia donet, ut ei poſſim. O ſi donet ille, ut ei reddam meipſum; & donet ille tibi, & largiatur ſemper ſeipſum! Ille Paternitatem veſtram quàm diutiſſimè conſervet, protegat, dirigat, & in æternum beet. Quod ex animo, aſſiduèque vovet & precatur,

Reverendiſſime Præſul,

Clementiæ veſtræ

cliens humillimus, devotiſſimuſque,

JOANNES LIGHTFOOTE.

CHORO-

Digitized by Google

CHOROGRAPHICA PAUCA.

CAP. I.

De locis Luc. III. *memoratis.*

I. *Hiſtorica quædam de Dominiis Herodis, & Tetrarchiis filiorum.* II. *An Peræa vocetur etiam Galilæa.* III. *Quædam de Transjordanina generaliùs.* IV. *Trachonitis.* V. *Auranitis.* VI. *Ituræa.* VII. *Abilene.* VIII. *2 Samuel.* 20:18. *notatur.*

SECTIO I.

Hiſtorica quædam de Dominiis Herodis, & Tetrarchiis filiorum.

ANtequam ad particularem regionum iſtarum inveſtigationem accedamus, quarum mentio *Luc.* 3:1. non incongruum erit, pauca prælibare hiſtoricè & generaliùs.

Joſeph. Antiquit. lib. 15. cap. 13. *Cæſar Auguſtus filios Herodis, Alexandrum & Ariſtobulum, Romam adventantes accepit omni cum humanitate*, καὶ δίδωσιν Ἡρώδῃ τὴν βασιλείαν ὅτῳ βούλεται βεβαιοῦν τῶν ἐξ αὐτοῦ γεγονότων. *Et concedit Herodi, cui vellet filiorum ſuorum, regnum firmare.* Καὶ χώραν ἔτι τὸν τε Τραχῶνα, καὶ Βατανέαν, καὶ Ἀβρανῖτιν, *Deditque ei inſuper regionem Trachonitin, & Batanæam, & Abranitin.* Omittitur mentio *Peræa* [peculiariùs ſic dictæ] cùm tamen ea foret ſub jure *Herodis*, unde aliàs ab eo conditum *Herodium*, ubi & ipſe eſt ſepultus, etiam in extremis *Peræa* limitibus versùs Auſtrum.

De *Peræa* etiam ſilet *Lucas*, cùm loquitur de Tetrarchia *Herodis Antipæ*, cùm tamen dicat Joſephus *de bello*, lib. 2. cap. 9. Ἐγένετο ὑπὸ τούτῳ [Ἀντίπᾳ] ἥ τε Περαία καὶ Γαλιλαία, *ſub Antipa erat Peræa & Galilæa.*

Cur de *Peræa* ſileat *Joſephus*, cùm loquitur de regno patris, & *Lucas*, cùm de Tetrarchia filii, cum planum ſit eam fuiſſe ſub Dominio & patris & filii; res eſt obſcura, & non ſine animadverſione prætereunda.

Hæc etiam idem Joſephus de Tetrarchia *Philippi*,

De excid. lib. 2. cap. 9. Βαταναία τε καὶ Τράχων, Αὐρανίτις τε καὶ μέρη τινὰ τοῦ Ζήνωνος οἴκου τὰ περὶ Ἰαμνίαν, πρόσοδον ἔχοντα ταλάντων ἑκατὸν ὑπὸ Φιλίππῳ τέτακτο. *Batanæa, & Trachonitis, & Auranitis, & partes quædam domûs Zenonis circa Jamniam, reddentes reditum centum talentorum, erant ſub Philippo.* Et

Antiquit. lib. 18. cap. 6. Τότε δὴ καὶ Φίλιππος τελευτᾷ τὸν βίον, εἰκοστῷ μὲν ἐνιαυτῷ τῆς Τιβερίου ἀρχῆς. *Tunc moritur Philippus viceſimo anno imperantis Tiberii, cùm ipſe annis triginta ſeptem præfuiſſet* τῆς Τραχωνίτιδος, καὶ Γαυλανίτιδος, καὶ τῶν Βαταναίων ἔθνους πρὸς αὐτοῖς. *Trachonitidi, Gaulanitidi, atque inſuper genti Batanæorum.* Omittitur hîc ab eo, ut vides, *Auranitis*, & inſeritur *Gaulanitis*, ut & apud *Lucam* mentio nulla vel *Batanææ*, vel *Gaulanitidis*, vel *Auranitidis*, ſed earum vice *Ituræa.* Eſt in his *Joſephi* verbis, nodus Chronologicus non facilis ſolutionis: ſed talia non ſunt hujus operis.

An Ζήνωνος οἶκος, *Domus Zenonis*, relationem aliquam habeat ad *Zenodorum* latronem, non facilè dictu. De eo loquitur *Joſephus*, loco antè citato, & dicit quòd *Auguſtus* eò potiùs *Batanæam, Trachonitin & Auranitin* regno *Herodis* magni adjecit, ut ſupprimeret ille furta & latrocinia *Zenedori* cujuſdam & *Trachonitarum.* Cujus *Zenodori* mentionem etiam habet *Strabo*, lib. 16. ſic inquiens: *Nunc minùs fiunt latrocinia*, καταλυθέντων νυνὶ τῶν περὶ Ζηνόδωρον τῶν λῃστῶν, *ſublatis latronibus Zenodorianis.*

At ſi vernaculâ linguâ nomen ſic ſcribatur, בית צינון, *Beth Zenun*, ſignificare poteſt locum aut *regionem frigoris*: & denotare regionem aliquam contiguam nivibus *Libani*, vel partem aliquam טור תלגא, *Montis nivis:* quod ego magis credo.

SECTIO II.

An Peræa vocetur etiam Galilæa.

QUamvis tota Transjordanina meritò dici potuerit Περαία, ob hoc ipſum, quod fuerit trans fluvium; diſtinguitur tamen vulgò de regionibus, atque illa vocatur ſpeciatim *Peræa*, quæ erat olim regnum *Sichonis*, poſteà

poſtea habitatio *Reubenitarum*, & aliquorum *Gaditarum*.

Unde illud *Ptolemæi*, quod Ἀπ' ἀνατολῶν τοῦ ποτ' Ἰορδάνου, memorentur ab eo tantùm hæ civitates.

Κόσμος, *Coſmus.*
Λιβίας, *Livias.*
Καλλιῤῥοή, *Callirrhoë*, olim *Lasba.*
Γάζωρος, *Gazorus.*
Ἐπίκαιρος, *Epicærus.*

Loca alia quæ erant trans *Jordanem*, nominat ſub aliis diſtributionibus, ut quædam ſub *Cœloſyria*, quædam ſub *Batanæa*.

Res de qua jam quærimus, eſt an *Transjordanina* unquam uſquam vocata fuerit *Galilæa?* Quæſtione hinc ſuſcitatâ, quòd Euangeliſta noſter totam Tetrarchiam *Herodis* cenſeat ſub nomine *Galilææ*, cum magna pars ejus foret *Peræa*.

In affirmativum nos propendimus hiſce rationibus: & primùm, quòd pars ſuperior Transjordanicæ appelletur *Galilæa*, ſupponimus

I. Ex Matth. 4:15. Ὁδὸν θαλάσσης πέραν τοῦ Ἰορδάνου, Γαλιλαία τῶν ἐθνῶν, *Via maris trans Jordanem*, *Galilæa Gentium*. Nonne loca iſta trans mare *Genneſariticum*, vocantur hîc *Galilæa Gentium*, diſtinctive à *Galilæa* propriè ſic dictâ, cis *Jordanem?*

II. *Judas*, dux ſeditionum contra cenſum Romanum, *Gamalieli* eſt Ἰούδας ὁ Γαλιλαῖος, *Judas Galilæus*, Actor. 5:37. qui tamen *Joſepho* eſt Γαυλονίτης ἀνὴρ ἐκ πόλεως ὄνομα Γαμάλα, *Homo Gaulonita*, *ex civitate Gamala*. Antiquit. lib. 18. cap. 1. Cùm ſat notum ſit *Gaulonam & Gamalam* fuiſſe trans *Jordanem*.

III. Supponimus etiam *Peræam* ſpecialiùs ſic dictam, nuncupatam etiam fuiſſe *Galilæam* hiſce argumentis.

I. Sub Dominio *Herodis magni* erat tota *Canaanitis*, & citra *Jordanem*, & ultra. Jam quadripartitâ totâ iſtâ regione in quatuor Tetrarchias, ut prima ſit *Judæa*, ſecunda *Samaria*, quæ utraque jam erat ſub regimine *Pilati*, tertia *Ituræa* & *Trachonitis*, ſub *Philippo*, quarta erit *Galilæa* cis *Jordanem*, & *Peræa* trans. Cùm ergò *Lucas* duas has ultimas Tetrarchias dividens, *Galilæam* tantùm nominet pro Herodiana, planum eſt quòd *Peræam* etiam concludat ſub nomine *Galilææ*, & loquatur ut in re nota & recepta.

II. In *Luc.* 17:11. dicitur quòd *Jeſus Hieroſolymam tendens*, *tranſiit per medium Samariæ & Galilææ*. Aptius dictum videretur, *Per medium Galilææ & Samariæ*. Nam cùm ab *Hieroſolymis* ad ſua rediret, tranſiit primò per *Samariam*, & ſic in *Galilæam*. Cùm verò à ſuis *Hieroſolymam* tenderet, tranſiit primò per *Galilæam*, & tum per *Samariam*. Jam verò in iſto itinere certum eſt, tranſiiſſe eum in *Peræam*, tranſitâ priùs *Samaritide*. Unde probabile admodum fit, *Peræam* ibi dici ab Euangeliſta *Galilæam*, eo modo quo eam etiam concluſerat ſub nomine *Galilææ*, Cap. 3:1.

III. In cœna iſta funeſta, in qua ferculum ultimum erat caput decollati Baptiſtæ, illi qui convivati ſunt cum *Herode* dicuntur fuiſſe *Magnates Galilææ*, *Marc.* 6:21. Cùm autem cœna iſta fuerit in *Herodio* in extremis *Peræa* limitibus versùs Auſtrum, nonne Magnates illi *Galilææ* erant Magnates *Peræa?*

IV. Mentio eſt de גלילות הירדן, *Geliloth Jordanis*, *Joſu.* 22:11. cùm ſermo eſt de *Peræa:* unde regio iſta etiam bene dici potuit *Galilæa*.

SECTIO III.

Quædam de Transjordanina generaliùs.

De Tetrarchiis *Herodis* & *Philippi*, hoc, ut opinor, determinare licet abſque præjudicio, quòd nihil ſub eorum regimine erat, quod non erat intra limites terræ Iſraëliticæ propriè ſic dictæ. [Quæ objici poſſunt de *Ituræa* trutinabimus ſuo loco.] Regiones ergo earum ſpeculantibus, res maximè erit in Transjordanina, nam cis *Jordanem* erat tantùm *Galilæa*, de qua non opus eſt ſcrutamine, quia de ea nulla difficultas.

Transjordaninam à remotiſſima vetuſtate, niſi fallar, diviſam habes in hiſtoria iſta, Geneſ. 14:5. *Chedorlaomer & qui cum eo reges*, *percuſſerunt Rephaim in Aſhteroth karnaim*, *Zuzim in Ham*, *Emim in Shaveh kiriathaim*, *Horim in monte Seir*.

Hæc duo hinc concipias. I. Quòd *Baſanitis* habitata eſt à *Rephaim*, *Peræa* [altera pars Transjord.] à *Zuzim*, *Moabitis* ab *Emim*. II. Quòd *Aſhteroth karnaim*, *Ham*, *Shaveh kiriathaim* non erant ſingulæ totius regionis nomen, ſed locorum tantùm peculiarium in regionibus: forſan ubi pugnatum eſt, & debellatus populus regionis.

De *Aſhteroth karnaim*, quòd foret intra *Baſanitidem* parùm ſcrupuli, cùm latior regio vocetur *Aſhteroth*, & *karnaim* additur tantùm ad diſtinguendum & limitandum: vide Deuter. 1:4. *Og rex Baſan habitavit in Aſhteroth*, *in Edrei*.

De loco ipſo ſic Magiſtri in *Succah*, fol. 2. 1. עד כ׳ אמה יושב אדם בצל סוכה, *Ad viginti cubitos homo ſedet in umbra tabernaculi ſui*, (viz. in feſto Scenopegiæ) *ultra viginti cubitos non ſedet in umbra tabernaculi*, *ſed in umbra laterum ejus*. (id eſt, ſi tectum vel operimentum tabernaculi ſit ultra viginti cubitos altum) *Abai dicit ei*, *jam ergò ſi*

quis

Digitized by Google

quis faciat tabernaculum in Ashteroth karnaim, nonne ita etiam eſt tabernaculum? Ubi Gloſſ. *Ashteroth karnaim erant duo montes magni, valle interjacente, & propter altitudinem montium, ſol nunquam oriebatur valli.*

Quare Samarita pro *Ashteroth karnaim*, habeat עפינית קרניה, *Aphinith karnaiah*, cùm ipſam vocem *Ashteroth* alibi retineat, non facile ſolvitur, niſi relationem aliquam habeat ad עפין, *Rames*, ob locum ramis atque umbris denſum: ſed ea eſt in lingua Samaritana gutturalium confuſio, ut vix quicquam certi hîc ſtatueris.

Quod *Zuzim* habitarent *Peræam* ut diſtinctam à *Baſanitide*, ex ipſo aciei victricis progreſſu liquet; nam cùm planum ſit quòd *Rephaim* habitarunt in *Baſanite*, atque *Emim* in *Moabite*, Deuter. 2: 10, 11. planum etiam ſatis eſt, quòd *Zuzim* quos exercitus devicit poſt *Rephaim*, atque ante *Emim*, in regione intermedia inter eos habitarunt, quæ erat *Peræa*.

Atque hinc corrigendi ſunt illi, qui hîc lectionem corrigendam volunt, & legendum pro הזוים בהם, *Zuzim in Ham*, זוים נהם, *Zuzim cum iis*, ut Gr. & Vulg. &c. ac ſi *Zuzim* fuiſſent inter *Rephaim*, cum diſtincti fuerint & natione & habitatione. Samarita certè בהם ſumit pro loco, cùm reddit בלישה, *in Lisbah*.

Cùm terram ingrederentur Iſraëlitæ ex *Ægypto* exeuntes, diviſa fuit tota Transjordanica in hanc dichotomiam, *Regnum Sichonis*, & *Regnum Og*. *Sichonis* erat *Peræa* ſtrictè ſic jam dicta, *Og* erat totum reliquum ſub nomine *Baſan*. At poſt reditum Iſraëlitarum è Babylone, ita ſubdiviſa eſt *Baſan*, ut *Batanæa* vel *Baſan* fuerit pars ejus tantùm, & reliqua exceperint *Trachonitis* & *Auranitis*, imò, ſi vis, & *Gaulonitis*; nam diſtinctionem talem habes apud *Joſeph*. de excid. lib. 3. cap. 4. Has igitur omnes propriis finibus & limitibus circumſcribere, quæro an humanum jam non excedat ingenium? Certus ſum quod meum.

Illud ergo quod in hac re acturi ſumus, hoc tantùm eſt, ut pauca de locis ita ſeparatis, quantum conjecturâ aſſequi licet, candido lectoris judicio candidè ſummittamus. Atque ordiamur primò à *Trachonite*.

SECTIO IV.
Trachonitis.

ARGOB, *Deuter*. 3:14. Targumiſtis eſt טרכונא & טרטנא *Trachona*, & ſic *Jonath*. 1 Reg. 4:13. Samaritano eſt ריגובאה, *Rigobaab*, cui germana videtur רגב, *Regab* apud Talmudicos.

Menachoth, fol. 85. 2. *Tekoah primas obtinet propter oleum. Abba Saul dicit*, שניה לה, רגב בעבר הירדן, *Secunda poſt eam, eſt Ragab trans Jordanem.*

Nomen deductum vult *Gulj. Tyrius à draconibus*: nam ſic ille

De bell. ſacr. lib. 16. cap. 9. *Videtur autem nobis* [Trachonitis] *à draconibus dicta. Dracones enim dicuntur occulti & ſubterranei meatus, quibus iſta regio abundat. Nam penè univerſus illius regionis populus in ſpeluncis & cavernis habitat, & in draconibus habet domicilia.*

Alia dici poſſent de notatione vocis: ſed ſitum regionis quærimus, non Etymologiam nominis. Et primùm quod de ſitu quærendum, eſt an regio longitudine extenſa fuerit ab Auſtro ad Septentrionem, an ab Occidente in Orientem. Ratio diſquiſitionis eſt partim propter *Auranitim*, de qua dicturi ſumus in ſequentibus, & partim propter verba iſta *Joſephi*.

Antiquit. lib. 17. cap. 2. Ὡρίζετο δ' αὐτὴ [Βαταναία] τῇ Τραχωνίτιδι, *Terminabatur Batanæa Trachonitide*. Quomodo autem illud? An quòd *Batanæa* interjaceret inter *Peræam* & *Trachonitin*, ab Occidente extenſa in Orientem? An quod *Batanæa* interjaceret inter *Trachonitin*, & *Galilæam* propriè ſic dictam, extenſa longitudine ab Auſtro in Aquilonem? Poſterius ſupponimus; & *Trachonitin* diſponimus in ultimis Transjordaninæ regionibus versùs Orientem. Utrumque his rationibus conjunctis.

I. Quòd Gemariſtæ Peripheriam terræ deſcribentes, ab Aquilone, nominent תרנגולא עילאה דלמעלה מן קיסרין וטרכונא דמתחם לבוצרה, *Tarnegolam* [vel *Gabaram*] *ſuperiorem quæ eſt ſupra Cæſaream* [Philippi] *& Trachonam quæ extenditur ad Boſram.* Hieroſ. Sheviith, fol. 36. 3. ubi extenſio *Trachonæ* non eſt ad *Boſram* aliquam in limite iſto Aquilonari, ſed ad *Boſram* vel *Boſorram* quandam in limitibus *Peræa*: [de qua *Joſeph*. *Antiquit*. lib. 12. cap. 12.] & ſic procurſum regionis innuit, à Septentrione in Auſtrum.

II. *Ptolem*. cap. 15. prope finem. Βαταναίας χώρας, ἧς ἀπ' ἀνατολῶν ἡ Σακκαία, καὶ ταύτης ὑπὸ τὸ Ἀλσάδαμον ὄρος, οἱ Τραχωνῖται Ἄραβες. *Batanææ provinciæ, à cujus Orientali parte eſt Saccæa, & hujus ſub Alſadamum montem, ſunt Trachonitæ Arabes.* En *Trachonitas* ab Orientali parte *Batanææ*.

III. *Joſeph*. de excid. lib. 3. c. 4. ἥ τε Γαμαλιτικὴ καὶ Γαυλανῖτις, Βαταναία τε καὶ Τραχωνῖτις. At nonne & ipſa *Gamalitica* & *Gaulanitis* erant intra *Batanæam*? Veriſſimè. At per hanc diſtinctionem partitur & diſtinguit inter *Batanæam* qua erat *Galilææ* vicinior, & quâ remotior. Regionem ejus, iſti viciniorem ab urbibus celebribus *Gamala* & *Gelan*, denominat *Gamaliticam* & *Gaulonitin*; at remotiorem,

nomine ſuo proprio *Batanæam*, & poſt eam ulteriùs *Trachonitin*.

Erat cùm tota iſta regio, quæ modò in has diſtinguebatur, uno & generali nomine *Baſan* audiret: quæ vox ut in *Bathan* vel *Batanæam* tranſierit, ut & Targumiſtis & Samaritæ in *Bathnin* & *Mathnin*, linguæ Syræ aliqualiter peritus facilè agnoſcet.

SECTIO V.

Auranitis.

AURANITIN denominationem ſuam ab *Hauran* deduxiſſe, vix quiſpiam dubitaverit, præſertim ſi obſervet, אשר אל גבול חורן, *Ezech.* 47: 16. reddi à Græc. Αἵ εἰσιν ἐπάνω τῶν ὁρίων Αὐρανίτιδος.

Nominatur חורן, *Hauran* inter montes illos, è quorum vertice, per flammas elevatas, factum eſt indicium novi anni.

Roſh haſhanah, cap. 2. hal. 2. *Undenam extulerunt flammas?*

מדר המשחה לסרטבא, *A monte Oliveto ad Sartabam:* ומסרטבא לגרופינא, *Atque à Sartaba ad Gryphenam:* ומגרופינא לחורן, *Atque à Gryphena ad Hauran:* ומחורן לבית בלתין, *Atque ab Hauran ad Beth Baltin: atque à Beth Baltin non receſſit ille qui flammas extulit, ſed huc illuc, ſurſum deorſum agitavit, donec videret totam captivitatem flammis coruſcantem.*

Quærit Gemara, *Quidnam eſt Beth Baltin? Rabh dicit, eſt Biram. Quidnam eſt captivitas? Rabh Joſeph dicit, eſt Pombeditha.* Ubi Gloſſ. *Senſus hic eſt, Quòd Biram erat de terra Iſraëlitica.* Itane? *Beth Baltin* idem cum *Biram*, & *Biram* intra terram Iſraëlis? Cùm tamen in Gemara Hieroſ. *Rabh Honna dicit, cùm huc venimus, aſcendimus in verticem Beth Baltin, & vidimus palmas in Babylonia.* Res ſi vera, perpendenda Geographis, *proſpici poſſe Babyloniam è terra Iſraëlitica.* Eorum autem ſenſu veriſſima, qui per *Babyloniam* intelligunt vulgò omnes iſtas regiones, in quas deportata eſt captivitas Babylonica, non *Chaldæam* ſolùm, ſed & *Meſopotamiam* & *Aſſyriam*. Limitantes ergò terram Iſraëliticam fluvio *Euphrate*, quod & facit Scriptura, contiguam eam faciunt *Meſopotamiæ*, interlabente tantùm iſto fluvio: & *Beth Baltin* ſtatuunt non longè à citeriori ripa iſtius fluvii.

Fatentur Gemariſtæ, elevatas fuiſſe flammas in montibus aliquibus inter hos quos nominant intervenientibus; at nominantur hi tantùm ut celebriores. Jam verò *Hauran* quem nominant, probabile eſt fuiſſe montem, unde denominata illa de qua agimus *Auranitis*: & ſuſpicari licet, fuiſſe aliquam partem *Antilibani Hauran* dictam, vel à voce Syra חוור, *Havar*, quæ *album* denotat, vel ab Hebr. חור, *Hor*, quæ ſpeluncam: & convenire poteſt monti utraque ſignificatio, nivibus *albo*, & ſubterraneis meatibus *cavo*.

Utcunque, patet ex loco *Ezechielis* allegato, *Hauran* fuiſſe in extremis terræ oris versùs Septentrionem, atque inde dicta, atque ibi ſita *Auranitis*: quamvis eam neſcio qua authoritate diſponat *Guilj. Tyrius* ſecus mare *Geneſariticum*, lib. 22. 26. *ſubitò enim tranſcurſâ Auranitide regione, quæ ſecus mare Tyberiadis eſt*, &c.

Fluvium *Orontem* [natum inter *Libanum* & *Antilibanum* juxta *Heliopolin*, ut *Plin.* lib. 5. cap. 22.] nomen ſuum ab *Hauran* deduxiſſe, vox ipſa videtur fari. Quamvis nonnulli ab *Euſtath. in Dionyſ.* Περιηγ. citati nomen latinum eſſe cenſeant. Ἄλλοι δὲ φασιν, inquit ille, ὅτι Καῖσαρ Τιβέριος ἐκ Δράκοντος αὐτὸν Ὀρόντην μετωνόμασεν, ὃ σημαίνει Ἀνατολικόν. Ac ſi *Orontes* idem eſſet quod *Orientalis*. At quid illud ἐκ Δράκοντος ſibi velit, obſcurius. *Orontes* olim *Typhon* dicebatur, Strabo, lib. 16.

SECTIO VI.

Ituræa.

PArcas ulteriori ſcrutamini licet in inveſtigando ubinam *Ituræa*, ſi Barradium audies, qui fidenter ſatis, at fide tantùm ſuâ, quantum novi, aſſerit quòd *Regio erat in ſorte Tribus Nephthalim, ad Libani montis radices.* Niſi fortè *Borchardum* ſecutus, qui ſic fide etiam *Jacobi de Vitriaco. Scias regionem Decapolin quàm variè in Scripturis denominari. Dicitur enim aliquando Ithuræa, aliquando Trachonitis, nunc Planities Libani, nunc terra Moab, nunc Gabul, nunc Galilæa gentium, nunc Galilæa ſuperior. Eſt tamen ſemper eadem regio.* Confuſè ſatis.

Ituræorum gentem aliquam collocat Plinius in *Cyrriſtica* Syriæ,

Lib. 5. 23. *Et inde Cyrriſtica, Irneates, Gindarenos, Gabenos, Tetrarchias duas, quæ Granii Comatitæ vocantur, Emiſenos, Hylatas Ituræorum gentem, & qui ex iis Bætarreni vocantur, Mariamitanos*, &c.

Strabo, lib. 16. *Poſt Macram eſt Marſyas, habens montana quædam, in quibus eſt Chalcis tanquam Marſyæ arx. Ejus initium eſt Laodicea, quæ eſt ad Libanum.* Τὰ μὲν οὖν ὀρεινὰ ἔχουσι πάντα Ἰτουραῖοί τε καὶ Ἄραβες, κακοῦργοι πάντες. *Montanam totam regionem Ituræi & Arabes habent, malefici omnes.*

Eupolemus apud *Euſeb.* Præpar. Euang. lib. 9. cap. 30. Στρατεῦσαι δ' αὐτὸν (Δαβίδ) καὶ ἐπὶ Ἰδουμαίους, καὶ Ἀμμωνίτας, καὶ Μωαβίτας, καὶ Ἰτουραίους, καὶ Ναβαταίους, καὶ Ναβδαίους. *David pugnavit cum Edomitis, & Ammonitis, & Moabitis, & Ituræis, & Nabathæis,*

Digitized by Google

thæis, *&* *Nabdæis.* Dixerat antè, quòd *ille debellaverat Syros habitantes ad Euphraten & Commagenem*, καὶ τοὺς ἐν Γαλαδηνῇ Ἀσσυρίους καὶ Φοίνικας, *Aſſyrioſque & Phœnicas qui erant in Galadene.*

Guilj. Tyrius de bello ſacro, lib. 9. cap. 15. *Secùs mare Galilææ, viam carpentes, Phœnicem Lybanicam ingreſſi, Paneadem quæ eſt Cæſarea Philippi, à dextris prætereuntes, Ituræam ingredientes*, &c.

Et lib. 21. cap. 11. *D. Rex pertranſiens Agrum Sydonenſem, & montana quædam quæ ſunt media inter noſtros & hoſtium terminos conſcendens, perrexit ad locum bonis temporalibus commodum fere omnibus, glebâ uberem, fontibus irriguum, cui nomen Meſſabara. Inde in vallem quæ dicitur Bacar deſcendens, terram reperit, ut legitur, lacte & melle manantem. Hanc regionem exiſtimant quidam dictam fuiſſe olim Ituræam--- Antiquitùs autem, viz. tempore Regum Iſraël, erat ſaltus Libani nuncupata.*

Ubinam tandem jam *Ituræa?* Num *Philippus* partem aliquam Tetrarchiæ ſuæ habuit in *Cyrriſtica* aut *Chalcide* Syriæ? Et tamen ibi erant, ſi Plinio & Straboni credes, *Ituræi.* Suſpicor aliquid latère in etymologia vocabuli, de qua quidem æquè hæſites ac de ſitu regionis.

Si *Bacar*, ut deſcribitur à Tyrio, fuerit *Ituræa*, ab עיתור, *Hittur* bene deduci poſſet, quæ ſignificat *opulentiam*, vel ab עיטור, quæ ſignificat *coronationem*; idque potiſſimùm cùm regio coronatur ubertate. Notio Talmudicis ſatis nota.

Vel ſi credere poſſem, *Ituræam* & *Decapolin* idem eſſe, ſupponerem vocabulum עשר, *Decem*, admittere mutationem ש in ת more Syriaco: ſed nec illud credo, & hoc non comperi in iſta voce unquam fieri, quin potiùs in ס tranſire.

At nonne nomen deductum ab חיתורי, *Hitture*, *ſuffoſſiones*, propter ſubterraneos meatus aut ſpeluncas? Ita ut *Ituræi* idem ſonaret, quod *Troglodytæ*, *inhabitantes cavernas.* Atque ita diſtincti ſunt *Troglodıtæ* qui erant ab Aquilonaribus terræ Iſraëliticæ finibus, à *Troglodytis* qui ab Auſtralibus, *Horæis* ſcilicet in *Idumæa.* Et regiones iſtas de quibus agimus, ſpeluncis celeberrimas fuiſſe, affatim teſtatum habes à *Strabone*, *Joſepho*, *Tyrio*, aliiſque: ſpeluncis frequentibus, atque aliquibus ſtupendis.

Strab. lib. 16. Ὑπέρκειται δ' αὐτῆς [Δαμασκοῦ] δύο λεγόμενοι Τράχωνες, *Sunt ultra Damaſcum duo montes qui appellantur Trachones. Poſteà, Arabiam & Ituræam versùs, ſunt montes aſperi, & altis ſpeluncis inſignes, quarum una quatuor millia hominum recipere poſſit.*

Stupendior *ſpelunca Zedechiæ*, ubicunque ea tandem, quæ erat ſpatii octodecim milliarium, ſi vera ſint quæ de ea referuntur. *Bemidbar Rabb.* fol. 211. 2.

Spelunca erat trans Jordanem 16. M. P. à *Tyberiade*, quæ habuit inferius, medium & ſupremum cænaculum, vel tres manſiones. *Guilj. Tyr.* lib. 22. 15. quæ manſiones erant etiam munitiones, nam continuerunt turbam militarem.

Non ſine ratione igitur licet conjectare, *Ituræam* de qua nos agimus, ſic dictam fuiſſe ab חיתורי, ſuffoſſionibus talibus, aut ſpeluncis: & *Plinium*, & *Strabonem*, cùm de *Gente Ituræorum*, *in Cyrriſtica* & *Chalcide* loquuntur, non regionem *Ituræam* ibi diſponere, ſed innuere fuiſſe ibi Troglodytas qui habitarent in ſpeluncis.

Ituræa ergò Euangeliſtæ noſtri, erat in regione Transjordanina, *Batanæa* ſcilicet & *Auranitis*, vel *Auranitis ſola*, ut patet ex *Joſepho* cum hoc noſtro collato. Nam dicit *Lucas*, *Philippum* fuiſſe *Tetrarcham Ituræa & Trachonitidis*: Joſephus autem, eum fuiſſe *Tetrarcham Trachonitidis*, *Batanææ & Auranitidis.* Aut ergò *Auranitis & Batanæa* Joſephi, ſunt *Ituræa* Lucæ: aut *Batanæa* Joſephi confunditur cum *Trachonite* Lucæ, & ſola Auranitis eſt *Ituræa.* Nam obſervandum eſt illud

Joſeph. Antiquit. lib. 20. cap. 5. Δωρεῖται τὸν Ἀγρίππαν τῇ Φιλίππου Τετραρχίᾳ, καὶ Βαταναίᾳ, προσθεὶς αὐτῷ Τραχωνῖτιν σὺν Ἀβέλλᾳ. *Donat* [Cæſar] *Agrippam Tetrarchiâ Philippi & Batanæâ, addens ei inſuper Trachonitin, cum Abella.* Ubi notandum, quòd ſit mentio Tetrarchiæ *Philippi*, diſtinctæ à *Batanæa* & *Trachonite.* Quænam autem illa? *Auranitis* certè Joſepho, & forſan ea *Iturea* Lucæ.

SECTIO VII.

Abilene.

JOſephus in verbis jam citatis de *Abella* loquens, hæc addit: Λυσανίου δ' αὕτη ἐγεγόνει Τετραρχία. *Fuerat ea Tetrarchia Lyſaniæ.*

Sic & *Ptolem.* Ἄβιλα ἐπικληθεῖσα Λυσανίου, *Abila cognomine Lyſaniæ*; eamque numerat inter civitates *Cœleſyriæ*, *ſub his gradibus.*

Heliopolis. 68. 40. 33. 40.

Abila. 68. 45. 33. 20.

De *Abila* in iſta regione loquitur *Plinius*,

Nat. Hiſt. lib. 5. cap. 18. *Paneas, in qua Cæſarea, cum ſupradicto fonte* (nempe cap. 15.) *Abila, Arca, Ampeloeſſa, Gabo.*

Non immeritò diſtinguitur per relationem ad *Lyſaniam*, nam erant hinc illinc *Abilæ*, vel *Abellæ* aliæ. In talem enim pronuntiationem Græcam tranſiit vox Hebræa אבל, *Abel*, cujus nominis loca plura.

Abel Shittim, ubi caſtrametati ſunt Iſraëlitæ immediatè ante tranſitum *Jordanem*, Joſepho

ſepho eſt Ἀβίλα, *Abila*, *diſtans à Jordane* 60. *ſtadiis*. Antiquit. lib. 5. cap. 1. quam etiam nominat cum *Juliade*, καὶ τῶν Περαιῶν. *De excid*. lib. 2. 22. Eſt *Abel Mebolah*, *Abel beth Maachah*, &c.

Prope ad ſonum accedit אבלס קליקאי, *Abelas Ciliciorum*. *Targ. Jonath*. in *Numer*. 34:8.

Ipſiſſima vox אבילין, *Abilene* occurrit in *Vajicra Rabba*, fol. 184. 1. ותפול שבא ותקחם, *Irruerunt in eos Sabæi, & rapuerunt eos*, Job. 1:15. *R. Abin bar Cahna dicit*, יצאו מכפר קריינוס, *Prodierunt ex Caphar karinus*, והלכו את כל האבילין, *Et profecti ſunt per totam Abilenen, & venerunt ad* מגדל צבעיא, *Migdal Zabaaia, atque ibi mortui ſunt*.

SECTIO VIII.

2 *Samuel*. 20:18. *diſcutitur*.

INter omnes, vel civitates, vel regiones, quæ inſigniuntur nomine *Abel*, celebratiſſima eſt iſta 2 *Samuel*. 20. ob hiſtoriam *Shebæ* ſtolidi, & fœminæ prudentis. Cujus fœminæ hæc verba non parùm torſerunt Interpretes, דבר ידברו בראשנה לאמור שאול ישאלו באבל וכן התמו.

Græca Verſio magis torquet, Λόγον ἐλάλησαν ἐν πρώτοις, λέγοντες, Ἠρωτημένος ἠρωτήθη ἐν τῇ Ἀβὲλ καὶ ἐν Δὰν, εἰ ἐξέλιπον ἃ ἔθεντο οἱ πιστοὶ τοῦ Ἰσραήλ. Ἐρωτῶντες ἐπερωτήσουσιν ἐν Ἀβὲλ, καὶ οὕτως εἰ ἐξέλιπον. Latin. Interpr. *Verbum locuti ſunt in primis, dicentes, Interrogando interrogatus eſt in Abel & in Dan, ſi defecerunt, quæ poſuerunt fideles Iſraël. Interrogantes interrogabunt in Abel, & ita ſi defecerunt*.

Si quis ex his verbis ſenſum vel plauſibilem vel probabilem eruere poteſt, gratum fecerit ſi docuerit alios, præſertim verò cur addatur *Dan*. Connumerantur quidem *Dan* & *Abel beth Maachah*, ut non admodùm diſtantes, 1 *Reg*. 15:20. Et ſi earum vicinitatem ex verbis diſcas, quid aliud ex iis expiſcandum ſit, ego quidem non video.

Concordant tamen in hac lectione, editio *Romana* & *Alexandrina*, quæ palmam ferre exiſtimantur inter omnes Editiones Verſionis Græcæ. Et dicant jam illi qui correcta volunt Biblia Hebræa per Græca, an hîc volunt corrigenda? Patiantur interim, ut ego Hebræis, ut jam ſunt, fruar.

Planiſſimum ſenſum reddunt Hebræa, ſi prima vocabula בראשנה דבר ידברו, ritè applicentur, nempe ad *Sheba* & ſuos loquentes. *Cùm Sheba & ſui huc appellerent, ſic certè primùm dixerunt, quòd inquirerent ab Abel de pace ejus, vel à cujus partibus ſtaret*; וכן התמו, *Et ſic rem integram fecerunt*, vel prætexuerunt integritatem. Nam illud quod *Joabo* præcipuè ſatisfactum eſſe oportuit, hoc erat, Civitatem iſtam non conjuratam fuiſſe cum perduellionibus: quòd directè fit, ſi hunc ſenſum admiſeris. Certum enim eum facit prudentiſſima fœmina, quod *Abeliani* nequaquam vel *Shebæanos* in urbem invitaverint, vel ut in rebellione cum iis conſentientes, in urbem admiſerint, ſed quòd fuerint blandis & fallacibus miſerè decepti eorum verbis, qui placidè prætexuerunt ſe de pace & ſtatu urbis quæſituros tantùm. Atque ut dignoſcas hæc vera eſſe quæ dico, projicietur illico tibi caput *Shebæ* à muro.

CAP. II.

SAREPTA.

I. *Zarephath*, *Obad*. verſ. 20. *ubi*.
II. *Sepharad*, *ubi*.

SECTIO I.

Zarephath, *Obad*. *verſ*. 20. *ubi*.

SAREPTA in hiſtoria *Eliæ*, 1 *Reg*. 17. ſcribitur Hebraicè צרפת, iiſdemque literis, *Obad*. verſ. 20. Unde quæri poteſt, an ſit utrobique unus idemque locus. Et de identitate quiſnam dubitaret, niſi quòd Judæi per צרפת vulgò intelligant *Franciam*, & per ספרד, *Sepharad*, quæ apud Prophetam occurrit eodem commate, *Hiſpaniam*. Verba Prophetæ variè redduntur; ſed in tota iſta varietate nihil obſtat, quominus *Zarephath*, de *Zarephath Sidonia* poſſit intelligi. Nam ſive ſermo ſit de captivitate detentâ in *Zarephath*, ſive de captivitate terram poſſeſſurâ ad *Zarephath*, [nam iſtâ præſertim varietate verba explicantur] utrovis ſenſu bene poteſt *Sarepta Sidonia* eſſe ſcena rei. Quoad prius enim, ſi conferatur illud de *Tyro* ſorore *Sidonis*, Am. 1:9. & conferatur potentia & dominium *Sidoniorum*, non improbabile erit, captivos Iſraëlitas fuiſſe in *Sarepta Sidonia*. Et quoad poſterius, cùm ſermo ſit in commate præcedente, de poſſeſſione montis *Eſavi*, agrorum *Ephraim*, *Samariæ*, & *Gilead*, & tum fiat mentio de poſſeſſione terræ *Canaanæorum* uſque ad *Zarephath*, quis *Zarephath* quæſiverit in *Francia*, & non in loco aliquo vicino, prout loca reliqua nominata erant vicina. Quibus addas, cùm hîc fiat mentio de poſſeſſione terræ *Canaanæorum uſque ad Zarephath*, docebunt Interpretes Græci, quinam *Canaanæi*, cùm diſtinguuntur à reliquis gentibus terræ *Canaaniticæ*, *Phœnices* nempe, Judic. 3:3. Et per *reges Hittæorum*, 1 Reg. 10:29. & 2 Reg. 7:4. intellexerim ego pariter Βασιλεῖς τῆς Φοινίκης.

SECTIO

SECTIO II.
Sepharad, ubi.

ITalus Interpres pro *Sepharad*, retinet *Zarphath*. Sic enim ille. *Et i transferiti de queſto eſercito de figlioli de Iſraël, che ſono de Chenahanei, in fino à Zarphath, & i transferiti di Jeruſalem, che ſono in Zarphath*, &c. An cautè nimis, an nimis incautè, ipſe videat.

Græca habent Ἐφραθὰ quibuſcum concordat Interpres Arabs: at Syrus cum Targumiſta, *Hiſpania*. Vulg. *Boſphorus* confusè, & præpoſitione ב factâ radicali. Et tamen hæc Nobilius. *Narrat S. Hieron. cum vocabulo Hebraico Sepharad, quod ipſe Boſphorum verterit, cæteros Interpretes concordaſſe.* Si hoc velit, quòd omnes concordarint in agnitione vocabuli *Sepharad*, nil novi refert. At quis concordavit cum vocabulo ejus *Boſphorus?*

Sepharad quidem non eſt locus adeò obvius ac *Zarephath*, nec de ea quid dici poteſt niſi per conjecturam. Et ſi conjecturæ ſit locus noſtræ, quæſiverim ego *Sepharad* in *Idumæa*, potiùs quam in *Hiſpania*; idque quia vaticinatur *Obadias* contra Idumæos propriè ſic dictos: cùmque dicat Iſraelitas captivos in *Sarepta Phœniciæ* poſſeſſuros terram Canaanæorum, probabile eſt per captivos in *Zarephath*, intelligi ab eo, captivos in *Idumæa* poſſeſſuros civitates Auſtri; *Zarphathani* vel *Sareptani* erant ab Aquilone, *Sepharadani* ſint a Meridie inter Ἐρέμβους Homeri Odyſſ. δ. Οὓς εἰκὸς λέγειν τοὺς Τρωγλοδύτας Ἄραβας, *Quos Troglodytas Arabas rectè dixeris*, inquit Strabo, lib. 1.

Horæos ſcil. in monte *Seir*: nam *Eremb* ab *Horim* fuiſſe deformatam ego ſuſpicor.

Cùm Judæi per *Edom* vulgò intelligant *Regnum Romanum*, & quidem gentes Chriſtianas in Occidente, facilè eſt perſpicere, quare hæc loca *Zarephath* & *Sepharad* tam remotè diſponant à Palæſtina: nam *Obadia* prophetante contra *Edomæos* propriè ſic dictos, mutant illi ſcenam & perſonas ſecundùm vulgarem ipſorum conſtructionem vocis *Edom*.

SECTIO III.
Sareptæ ſitus.

PLin. lib. 5. cap. 19. *Inde* [à Tyro] *Ide, ac Sarepta, & Ornithon oppida, & Sidon artifex vitri, Thebarumque Bæotiarum parens.*

Borchard. *A Tyro ad tres leucas admodùm breves Eleutherus fluvius mari recipitur. Ab Eleuthero intervallo duarum leucarum eſt Sarepta. A Sarepta ad duas leucas extat Sidon.— Sarepta hoc tempore vix 8 domibus conſtat: cujus tamen ruinæ & defectiones, glorioſam extitiſſe declarant.*

Zarephath dictum volunt quaſi *conflatorium*, ab coquendis & conflandis metallis, præſertim vitro.

Strabo, lib. 16. *Inter Acon & Tyrum eſt littus arenæ tumulis obſitum*, φέρων τὴν ὑαλίτιν ἄμμον, *quod fert arenam vitrariam. Eam dicunt hoc in loco non fundi: cùm verò Sidonem perlata ſit, fuſioni parére*, &c.

CAP. III.

NAIN, *Luc.* 7: 11.

I. *De Naim juxta Thabor, oſtenſa peregrinantibus.* II. *De Naim Joſephi & Rabbinorum.* III. *Verſio Græca* τῆς עין גנים, *notata.*

SECTIO I.
De Naim juxta Thabor, oſtenſa peregrinantibus.

EXemplari Alexandrino עיין, *Ijon* eſt Ναὶν, 1 *Reg.* 15:20. Romano eſt Ἀὶν. Sic *Hazer Enan*, *Numer.* 34:9. Romano eſt Ἀρσεναίν, Alexandrino Ἀσερνάιν. Neutra convenit cum Ναὶν noſtra. Nam Salvatorem in iſta hiſtoria, *Luc.* 7. fuiſſe in *Hazar Enan*, ultimo terræ limite versùs *Syriam*, riſu dignum eſt vel concipere. Nec quidem in *Ijon*, cùm ex ipſo ordine locorum quo diſponuntur in textu allegato, videatur *Ijon* fuiſſe vel ultra *Dan*, vel ſaltem in extremis terræ ex ea parte limitibus.

De *Nain* noſtra ſic Borchardus. *A Nazareth duabus leucis, à monte Tabor plus unâ leucâ, contra Auſtrum eſt mons Hermon minor, in cujus latere Aquilonari eſt urbs Nain, ante cujus ingreſſum Jeſus viduæ filium à morte revocavit, ut legimus, Luc.* 7. Sic etiam *Breidenbachius*. Sic & Tabulæ nonnullæ quoad ſitum *Hermonis* juxta *Tabor*, & quoad ſitum urbis *Nain* juxta *Hermonem*.

Placet quidem quòd *Naim* diſponant in *Iſſacharite*, ſi modò fallacia non ſit iis circa montem *Thabor*. Nam cùm reverâ *Thabor* fuerit ultimus terminus *Iſſacharitidis* versùs Aquilonem, Joſu. 19:22. *Joſeph. Antiquit.* lib. 5. cap. 1. neceſſe eſt ut quicquid fuerit inde contra Auſtrum leucâ unâ aut binis, reputetur intra iſtam Tribum. Aſt vereor primùm, nè *Thabor* iis, & qui jam oſtenditur peregrinantibus, vix ſit verus *Thabor*: & parùm dubito, *Hermonem* iſtum de quo illi, ex errore creatum fuiſſe & malè concepto ſenſu *Pſalm.* 81:12. Quare dubitem de *Thabore*, ratio

tio eſt, quia *Thabor* iſte qui oſtenditur peregrinantibus, deſcribente *Biddulpho* noſtrate qui eum aſcendit, & referente etiam mihi amico quodam meo qui etiam aſcendit, parùm convenit cum deſcriptione *Joſephi*, veri *Thaboris*. Nam ſic noſtras: *Acclivis aliquantum eſt mons, ac non altus admodùm, nec ſpacioſus admodùm, ſed mons ſpecioſus, rotundus*, &c. Aſt *Joſephus*, de excid. lib. 4. cap. 6. Ἰταβύριον ὄρος τὸ μὲν ὕψος ἐπὶ τριάκοντα σταδίους ἀνίσχει, μόλις προσβατὸν κατὰ τὰ προσαρκτιον κλίμα, πεδίον δ' ἐστὶν ἡ κορυφὴ σταδίων ἓξ καὶ εἴκοσι. *Mons Thabor altitudine eſt triginta ſtadiorum, difficilis aſcenſûs à climate Aquilonari, ſummitas ejus eſt planities viginti ſex ſtadiorum.*

Interpres *Perſicus* pro Naïs habet נאבלם, *Nabelis*, i. e. *Neapolis*, quæ & *Sychem*, qua ratione incertum: & vix creditum eſt, quantum novi, à quoquam anteà, quòd defunctus iſte viduæ filius quem Salvator reſuſcitavit, fuerit *Samaritanus*. Erat quidem tantùm non Samaritanus iis quàm proximus, at longiſſimè à *Sychar*.

SECTIO II.
De Naim Joſephi & Rabbinorum.

DE נעים, *Naim* quadam, loquuntur *Darshanim* in

Bereshith Rabba, ſect. 98. *Iſſachar eſt aſinus oſſium*, Geneſ. 49: 14. *Loquitur de ejus terra. Nam ſicut aſinus eſt declivis hinc & declivis illinc, & altus in medio: ſic in Iſſacharite eſt convallis hinc & convallis illinc, & montanum iſthinc, cubans inter duos terminos. Hi ſunt duæ convalles,* בקעת פסלן, *Vallis Piſlan, & vallis Jezreël. Et vidit requiem quòd bona,* זו תנעם *Hæc eſt Tinaam, & terram, quòd pulchra,* זו נעים, *Hæc eſt Naim.*

Vides hic obiter ſpecimen aliquod allegoricarum, & longè petitarum expoſitionum, quibus luxuriantur & gloriantur egregii hi Commentatores. Sed ob hoc quidem gratias iis hîc agimus, quòd nos doceant, quòd erat *Nain* quædam in *Iſſacharite*, ab amœnitate ſitûs ſic dicta, [ut & תנעם, *Tinaam* eandem geſtat cum ea etymologiam] quam non ſine ratione opineris eſſe hanc noſtram, atque eandem eſſe *Nain* Joſephi,

Antiquit. lib. 20. cap. 5. *Uſitatum erat Galilæis ad ſanctam urbem ad feſta tendentibus, itinerari per regionem Samaritanorum.* Καὶ τότε κάθοδον αὐτοῖς κώμης τῆς Ναῒς λεγομένης. *Et tunc via illis per villam dictam Nain.* [Obſcuriora quidem ſunt Græca, ſed quæ nos non morentur] *Quidam verò de Samaritanis, atque incolis magnæ planitiei, conſerentes pugnam, multos ex iis interemerunt.*

Ipſiſſimam eandem hiſtoriam repetere eum credas, quamvis circumſtantiis nonnullis diverſam, in

De excid. lib. 2. cap. 21. *Rurſum erat pugna inter Galilæos & Samaritas.* Κατὰ γὰρ τὴν Γημὰν καλουμένην κώμην, ἥτις ἐν τῷ μεγάλῳ πεδίῳ κεῖται τῆς Σαμαρείτιδος. *Nam juxta villam vocatam Gema, quæ ſita eſt in magna planitie Samaritidis, multis Judæis ad feſtum aſcendentibus, occiditur Galilæus quidam.*

An una eademque ſit hiſtoria, non ſolliciti quærimus, nec an *Gema* ſit eadem villa cum *Nain:* ſed hoc videtur quidem ex eo colligi poſſe, quod *Nain* erat in extremis limitibus *Iſſacharitidis*, contiguis *Samaritidi*, & *Gema* in extremis limitibus Samaritidis versùs *Iſſacharitin*. Et cùm deſcenderant *Galilæi* ab oppido *Nain* Iſſacharitico in magnam planitiem Samariticam, illico in via habent *Gemam*, atque ibi occurrunt hoſtes: ſi modò *Nain* & *Gema* non forent unum idemque oppidum.

SECTIO III.
Engannim.

FErt animus meus opinari, *Naim* eandem fuiſſe cum *Engannim*, de qua mentio *Joſu.* 19: 21. & Cap. 21: 29. Nam I. utraque erat intra *Iſſacharitin*, *Engannim*, teſte Scriptura, & *Naim*, teſtantibus Magiſtris, quibus in re tali, non video cur non credamus. II. Utraque vox amœnitatem eloquitur. *Naim* in ipſo etymo: *Engannim*, fontem & hortos. III. *Engannim*, Joſu. 21: 29. in 1 *Paralip.* 6: 73. eſt ענם, *Anem*, quas literas ſi invertas, quod fit in סרח & חרם, fiet נעם, *Naem*. IV. Addere liceret, quòd *Engannim*, ſi fides ductoribus, qui loca oſtendunt peregrinantibus, fuerit directè in via tendente à *Galilæa* Hieroſolymas, ſicut erat, ut patet, *Naim* noſtra. De ea ſic *Biddulphus* noſtras. *Villa vulgò vocata Jenine, aſt olim Engannim, locus hortis, paradiſis & aquis admodùm amœnus.*

Quare Græcus Interpres reddat עין גנים, *Engannim*, Πηγὴ γραμμάτων, *Fons literarum*, Joſu. 21: 29. doctiores inveſtigent. Celebrantur quidem *Iſſacharitæ* ob peritiam ſuam in calculandis temporibus, 1 *Paralip.* 12: 32. Ubi Targumiſta: *Periti in calculandis initiis annorum & Calendis menſium, in intercalandis menſibus & annis*, סופיסטין במולדא דסיהרא, *Sophiſtæ* [periti] *de noviluniis*--- איצרולוגין במוליא וסכביא, *Aſtrologi circa planetas & ſtellas*, &c.

Si Levitas inter *Iſſacharitas* habitantes, ſub nomine *Iſſacharitarum* conſcripſeris, potuit *Engannim* [quæ erat civitas Levitica] eſſe Academia talis literaturæ & Matheſeωs; ſed utrumque incertum: atque æque obſcurum illud, quod idem Græc. Interpr. pro *Re-*

meth

meth, & *Engannim*, & *Enhaddah*, & *Beth-pazes*. *Joſu.* 19:21. habeat Ῥεμμαὶς, καὶ Ἰεωὺν, καὶ Τομμαὶν, καὶ Αἰμηρὲκ, καὶ Βηρσαφοσαφής.

CAP. IV.

EMMAUS, *Luc.* 24.

I. *Varia de nomine atque ipſo loco.* II. *Ejus ſitus.* III. *Aliqua ejus hiſtoria. Item de Timnath: & de monte Gilead, Judic.* 7:3.

SECTIO I.

Varia de nomine atque ipſo loco.

De *Emmaunte* aliquid diximus in *Centur. Chorograph.* cap. 45. Addamus nonnulla.

I. Diſtabat *Hieroſolymis*, teſtante Euangeliſta noſtro, ut & *Joſepho, de excid.* lib. 7. cap. 27. *Sexaginta ſtadiis:* computo ſtadiorum vulgarium, VII. M. paſſ.; Judaicorum VIII. M. paſſ. Quonam igitur exemplari *Joſephi* uſus eſt Cl. *Beza*, qui ſic in locum? Ἑξήκοντα, *Sic apud Syrum Interpretem, & in omnibus codicibus legitur. Itaque aut hîc peccatum eſt in numero, aut apud Joſephum libro de bello Judaico* 7. cap. 27. *non rectè ſcribitur ſtadia triginta.* Joſephus noſter planè habet, χωρίον ὃ καλεῖται μὲν Ἀμμαοῦς, ἀπέχει δὲ τῶν Ἱεροσολύμων ςαδίους ἑξήκοντα.

II. Interpretes *Syr. Arab.* & *Perſ.* nomen apud Euangeliſtam ſcribunt cum ע ab initio. *Syrus* & *Perſa* עמאוס, ſic & *Syrus* in 1 Maccab. 3:40. *Arabs* autem עמואס, Talmudici אמאוס cum א inchoante. In Talm. Babyl. quidem in *Erachim*, fol. 10. 1. ſcribitur עימאוס: aſt in *Miſnajoth* ſeorſim impreſſis, eſt ibi אמאוס, ſic eſt in *Succah*, fol. 51. 5.

III. Joſephus vulgò reddit חמת, *Chammath Tiberiadis* (locum ſic dictum à *Thermis*) per Ἀμμαοῦς. Verùm an *Emmaus* noſtra idem ſubeat etymon, quæras.

Erant ibi quidem aquæ celebres, ſed vix calidas ſuppoſueris, ex ſcriptura vocis apud Talmudicos.

Midras Coheleth, fol. 101. 2. *Quinque Diſcipuli erant Rabban Jochanani ben Zaccai, qui dum ille viveret, ſederunt coram eo. At cùm ille obiret, receſſerunt ad Jafnen. R. Eliezer autem ben Erech receſſit ad uxorem ſuam* לאמאוס, *ad Emmaunta*, מים יפים ונוה יפה, *locum amœnarum aquarum, atque amœnæ habitationis.* Eſt in hac hiſtoriola aliquid diſquiſitione non indignum, quoad hiſtoriam Judæorum Scholaſticam, nempe ubi reſideret *Rabban Jochanan*, ſi non in *Jabneh*: quem locum ei attribuunt ſui vulgariter. Sed de rebus iſtiuſmodi non eſt hîc diſputandi locus.

Guilj. Tyrius, lib. 7. cap. 24. *Pervenerunt Nicopolim. Eſt autem Nicopolis civitas Paleſtinæ. Hanc, dum vicus adhuc eſſet, ſacer Euangeliorum liber appellavit Emmaus.—— Ubi noctem illam in aquarum abundantia, & rerum copia victui neceſſariarum egerunt tranquillam.*

Profert ille ibidem verba quædam *Sozomeni in Sexto Tripartitæ Hiſtoriæ*, quæ libro ejus quinto, cap. 20. habentur, quibus aquæ *Emmauntinæ*, non ſolùm ob earum abundantiam & amœnitatem, ab eo celebrantur, ſed & ob miraculoſam ſalubritatem: nam ſic ille. *Eſt urbs Paleſtinæ, quæ jam Nicopolis dicitur, cujus quidem ut pagi [ſic enim jam tum fuit] divinus Euangeliorum liber mentionem facit*, καὶ Ἐμμαῦ προσαγορεύει, *eamque Emmam appellat. At Romani captâ Hieroſolymâ, & partâ contra Judæos victoriâ, eam Nicopolin nuncupabant, nomine ex eventu belli impoſito. Ante hanc urbem, propter trivium (in quo Chriſtus poſt reſurrectionem à mortuis cum Cleopha incidens, ſimulabat ſe ad alterum pagum properè contendere) eſt fons quidam ſalutaris, in quo non homines modò qui ægrotant, loti curantur, verùm etiam alia animalia quæ variis morbis laborant. Nam ferunt Chriſtum unà cum Diſcipulis quodam tempore è via ad fontem illum divertiſſe, inque eo lavaſſe pedes, & aquam ex eo tempore vim morbis medendi habuiſſe.*

Fidem rei referenti relinquimus: hoc tantùm ex intimatione verborum ejus obſervantes, quòd non mirum erat, ſi tempore Euangeliſtarum *Emmaus* foret vicus tantùm; cùm non ita pridem exuſta fuerit à *Varo*. Joſeph. Antiquit. lib. 17. cap. 12. & de Excid. lib. 2. cap. 7. Nec mirum, ſi priſtinum nomen ejus tranſierit in nomen alienum, *Emmaus* in *Nicopolim*, cùm tranſierit ipſe locus in Coloniam Romanam. Idem, de Excid. lib. 7. cap. 27.

SECTIO II.

Situs ejus.

Si gradibus in cœlo ſtatum vis hujus loci ſitum, ſic habes apud *Ptolomæum*.

Emmaus 65.45. 31.45.

Si vicinitate Regionum aut locorum adjacentium, ſic Hieroſolymitani,

Sheviith, fol. 38. 4. מבית חורון ועד אמאוס הר, *A Beth-horone, ad Emmaunta eſt montanum:* מאמאוס ועד לוד שפלה, *Ab Emmaunte ad Lyddam planities, è Lydda ad mare convallis.*

Si copioſiùs ex Ptolomæo, ſic ille.

Jamnia 65.40.32.0.
Lydda 66.0.32.0.
Antipatris 66.20.32.0.

Emmaus 65.45.31.45.
Hieroſolyma 66.0.31.40.

Quamvis computus ſpatii inter Hieroſolymam & *Emmaunta* non congruat hic exactè cum *Joſepho* & Euangeliſta noſtro, ad quem cardinem cœli tamen ſpectarit *Emmaus*, hinc diſcas, ex locis ſimul nominatis. Quibus addas & illud

Joſeph. Antiquit. lib. 12. cap. 11. & 1 Maccab. 4. *Judas Maccabæus* ſecus *Emmaunta* confligit cum *Gorgia*, & fugiunt *Gorgiani*, & proſequuntur *Maccabæani* μέχρι Γαδάρων καὶ τῶν πεδίων τῆς Ἰδουμαίας, καὶ Ἀζώτου, καὶ Ἰαμνείας. *Ad Gadaron* (Gezer) *& ad planitiem Idumææ, & Azotum, & Jamniam.*

Hæc ideo notamus, ut appareat *Emmaunta* fuiſſe *Galilæam* verſùs, quamvis vergeret ab *Hieroſolymis* etiam verſùs Occidentem. Nam cùm pro latitudine *Galilææ* ab Occidente in Orientem extenſæ, neceſſe erat ut variæ eſſent ab *Hieroſolymis* in hanc vel illam ejus partem viæ, hæc per *Emmaunta* erat una, per *Bethoronem* alia, per *Antipatrida* tertia, ſi illa non coincideret etiam cum *Emmauntina*: nam coincidiſſe ſuadere poſſent verba *Guilj. Tyrii*, qui caſtrametationes & itinera exercitûs cruce ſignati deſcribens, ſic ait

Lib. 2. cap. 22. *Relictis à dextra locis maritimis Antipatrida & Joppe, Eleutheriam pertranſeuntes, Liddam, quæ eſt Dioſpolis, pervenerunt.* Et

Cap. 24. *Unde aſſumptis itineris ducibus, viris prudentibus & locorum peritis, pervenerunt Nicopolin*; quæ eadem cum *Emmaunte*.

Non ſine ratione igitur ſupponimus, duos Diſcipulos ad *Emmaunta* tetendiſſe, non ut ultimum itineris ſui terminum, ſed quòd illac eſſet via in *Galilæam*.

SECTIO III.

Aliqua ejus hiſtoria. Item de Timnath, & de monte Gilead, Judic. 7:3.

In quanam Tribu fuerit *Emmaus*, difficilius foret judicare, propter ſitum *Bethoronis*, quæ erat in Tribu *Ephraimitica*, Joſu. 16. niſi quòd Talmudici ſatis doceant non fuiſſe de *Samaritide*.

Erachin, fol. 10. 1. & *Succah*, fol. 51. 1. *Servi Sacerdotum erant, ait R. Meir. At R. Joſe dicit, Erant de familia Beth Pegarim & Beth Zipporia in Emmaunte, matrimonio elocantes filias ſuas Sacerdotibus.*

Sermo eſt de fidicinibus in Templo, & diſputatur quinam illi, an Levitæ, an Iſraëlitæ, ſpeciatim *Emmauntini*, de duabus iſtis familiis, quæ ob puritatem idoneæ erant ut conjugarentur cum ſanguine ſacerdotali: quæ extra omnem controverſiam rem ponunt, *Emmaunta* non fuiſſe in Tribu *Ephraimitica*; nam abſurdiſſimum opinari Samaritiſſas connubia cum Sacerdotibus contrahere, & Samaritas eſſe de fidicinibus in Templo. In Tribu *Benjamitica* ergò diſponenda eſt *Emmaus*, quæ quid olim dicta fuerit non datur conjectare.

De hoc loco opinamur mentionem eſſe in

Siphra, fol. 9. 4. *Dixit R. Akibah. Interrogavi Rabban Gamalielem & R. Joſuam* באטולס של אמאום, *in macello Emmauntis, cùm irent ad accipiendum beſtiam in convivium pro filio*, &c. *Rabban Gamaliel* & *R. Joſua* erant *Jaſnenſes*: unde computato ſitu *Jaſnes*, audaciùs arbitreris eos in *Emmaunte* noſtra jam fuiſſe. Eadem habes *Maccoth*, fol. 14. 1.

Erat illa de civitatibus majoribus: nam ſic de ea *Joſephus*.

Antiquit. lib. 14. cap. 18. Καὶ τέσσαρες πόλεις ἐξανδραποδίζεται Κάσσιος, ὧν ἦσαν αἱ δυνατώταται Γόφνα τε καὶ Ἐμμαοῦς, πρὸς ταύταις ἡ Λύδδα καὶ Θαμνά. *Caſſius autem ſervituti mancipavit quatuor civitates, quarum potentiſſimæ erant Gophna & Emmaus, & præter eas Lydda & Thamna.*

Notitia Imper. Orient.] Sub diſpoſitione Ducis Palæſtinæ, inter alias, erat *Ala Antana Dromedariorum Admathæ*, ubi notat Pancirol. *Admatham* ab Hieron. in locis Hebræis vocari *Ammatam*: quæ ob conſonantiam nominum, noſtra videri poſſit, niſi quòd probabilius eſt, quòd tunc temporis *Nicopolis* potiùs vocaretur.

Cùm obſervamus ut *Chammath*, חמת, vel *Thermæ Tiberiadis*, vulgò reddatur Græcè Ἀμμαοῦς, cùmque obſervamus etiam *Emmaunta* noſtram, aquis celebribus quoque nobilem, non recognoſcere non poſſumus *Aquas Nephtoæ*, vel *Fontem Etam*, unde deductæ per tubos ſunt aquæ ad Templum: qui quidem erat ab *Hieroſolymis* ab eodem cardine cœli, quo & *Emmaus* noſtra. Et formari poteſt Ἐμμαοῦς noſtra ab אמת, *Ammath*, *Canali aquarum*, æquè ac altera Ἀμμαοῦς, ab חמת, *Chammath*, Thermis. Sed judicet lector.

In memoriam hujus loci nè omittamus hanc hiſtoriam.

Sigebert. Chron. ad tempora Theodoſ. & Valentin. *Hoc tempore in caſtello Judææ Emmaus, natus eſt puer perfectus. Ab umbilico & ſurſum diviſus, ita ut haberet duo pectora & duo capita: & unusquiſque proprios ſenſus: & unus edebat, & non alter: unus dormiebat, & alter vigilabat: nonnunquam inſimul dormiebant, inſimul ludebant ad alterutrum: & flebat uterque: & percutiebant ſe invicem. Porrò vixerunt annis ferme duobus, & unus quidem eſt mortuus, alter verò ſuper vixit diebus quatuor.*

Si biceps hic puer foret filius Judæi alicujus,

Digitized by Google

tum neceſſe erat ut ſolveretur iſta quæſtio quæ proponitur, *Menachoth*, fol. 37. 1. מי שיש לו שני ראשים, *Si quis habeat duo capita*, באיזה כהן מניח תפילין, *in utro eorum liganda ſunt frontalia ejus Phylacteria*? Non vulgaris certè ſcrupulus. Habe etiam ex Gloſſatore non vulgarem hiſtoriam. *Aſmodæus produxit ab infra pavimentum, hominem quendam bicipitem coram Solomone. Atque ille duxit uxorem, & genuit filios ſibi ſimiles, bicipites, & ſimiles etiam uxori ſuæ, cum uno capite. Et cùm ventum eſſet ad dividendum hæreditatem paternam, ille qui habuit duo capita poſtulavit duas portiones. Et allata eſt lis dijudicanda coram Solomone.*

De *Thamna* aut *Timnath*, de qua mentionem habuimus apud *Joſephum*, diſputatur in *Sotah*, fol. 17. 1. Ubi *Rabh aſſerit, eſſe duas Timnathas, unam Judææ, alteram Samſonis.* Nemo non novit tertiam, *Timnatham Joſuæ viz. Timnatham Serah* in montano *Ephraimitico*, ubi ille ſepultus, *Joſu.* 24: 30. Permitte hîc Rabbinos nugari de inverſis nominibus סרח & הרס, & fingere ſimulachrum ſolis affixum fuiſſe ſepulchro *Joſuæ*, in memoriam miraculoſæ retardationis ſolis: pro more ſuo agunt. Et certè non multùm diſpar eſt illud, quod à Græcis additur Interpr. Ἐκεῖ ἔθηκαν μετ᾽ αὐτοῦ εἰς τὸ μνῆμα, &c. *Ibi poſuerunt cum eo in monumento in quo ſepelierunt eum ibi, cultros petrinos quibus circumcidit filios Iſraël in Galgalis, cùm eduxit eos ex Ægypto, ſicut conſtituit iis Dominus.* Num hæc olim in textu Hebræo, & exciderunt? Aut an non ſapiunt potiùs gloſſema Samariticum, aut Traditionem Judaicam?

Tolerabiliùs aliquanto recedunt à textu Hebræo in eadem hiſtoria, cùm מצפון להר געש, *Ab Aquilone montis Gaash*, reddunt Ἀπὸ Βοῤῥᾶ τοῦ ὄρους τοῦ Γαλαάδ, *Ab Aquilone montis Galaad*: ubi, quantum judico, non malos agunt Paraphraſtas, quamvis non ad literam Interpretes. Memineris obſcuri iſtius, quod non parùm torſit Interpretes, in *Judic.* 7: 3. Clama nunc, ô *Gedeon*, in auribus populi, quicunque formidoloſus eſt & timidus, ישב ויצפר מהר גלעד, *Revertatur & abeat mane à monte Gilead.* Scena hujus rei erat in, vel prope vallem *Jezreel*, diſtans à monte *Gilead* Transjordanino, viginti aut triginta milliaribus: & quomodo hiſce *Gideonitis* jam recedendum eſt à monte *Gilead*? Novi quid afferatur in hujus medelam, quod nempe ſic intelligatur; Quicunque ſunt de monte *Gilead*, revertantur. Targumiſta in hunc ſenſum, Quicunque eſt timidus revertatur, ויתבחר מטורא דגלעד, *& eligatur de monte Gilead*, i. e. eligantur *Gileaditæ*. Sed utrum in animo ejus fuerit, eligantur *Gileaditæ* qui maneant; quia non ſunt timidi, vel qui revertantur, quia ſunt timidi, non tanti eſt ut inquiramus.

At nonne per montem *Gilead* hoc in loco intelligitur mons *Gaash*? Certè non diſcordat ſitus, & forſan non diſcordat nomen.

Unde mone *Gilead* trans Jordanem nomen ſuum duxerit, nemini eſt ignotum; ab aggere ſcilicet, & cumulo lapidum, erecto a *Jacobo* in teſtimonium fœderis inter ipſum & *Labanem*, Geneſ. 31.

Legimus & de non abſimili, erecto à *Joſua* prope *Shechemum*, in teſtimonium fœderis inter populum & Deum, *Joſu.* 24: 26. Jam ergò, quis ſuppoſuerit *Joſuam* ſepultum longè à civitate *Sichem*? Nam cùm locus iſte ſingulariùs legatus & deſignatus à *Jacobo* fuerit filio ſuo *Joſepho*, quiſnam jam inter *Joſephianos* iſtam regionem hæreditabit juſtiùs quàm *Joſua*? Sepultus ille ab Aquilone montis *Gaash* in agro proprio. Nonne mons iſte etiam dici *Gilead* potuit, ob columnam teſtimonii ibi erectam prope à *Sichemo*? unde pes montis & mons ipſe exurgens, (ſi verſùs Aquilonem, quod arbitramur, tum) deſinere bene potuit non procul ab iſto loco, ubi acta res *Gideonis*. Nam cùm campus iſtius prælii foret in *Manaſſitide* contiguus monti *Ephraimitico*, moneatque *Gedeon*, ut diſcedant quotquot erant timidi à monte *Gilead*, vix meliorem ſenſum de monte *Gilead* excogitaveris, quàm quòd pars iſta montani Ephraimitici ſic dicta fuerit, à columna teſtimoniali ab Auſtrali ejus parte ſitâ, cùm vulgare nomen ejus foret *Mons Gaash*.

Digitized by Google

INDEX

Capitum & Sectionum, quæ in Chorographia LUCÆ præmiſſa continentur.

CAPUT I. *De locis* Luc. 3. *memoratis.* I. *Hiſtorica quædam de Dominiis Herodis, & Tetrarchiis filiorum.* II. *An Peræa vocetur etiam Galilæa.* III. *Quædam de Tranſjordanina generaliùs.* IV. *Trachonitis.* V. *Auranitis.* VI. *Ituræa.* VII. *Abilene.* VIII. *2 Samuel.* 20: 18. *notatur.*

SECTIO I. *Hiſtorica quædam de Dominiis Herodis, & Tetrarchiis filiorum.* Pag. 471 col. 1

SECT. II. *An Peræa vocetur etiam Galilæa.* ibid. col. 2

SECT. III. *Quædam de Tranſjordanina generaliùs.* 472 col. 2

SECT. IV. *Trachonitis.* 473 col. 1

SECT. V. *Auranitis.* 474 col. 1

SECT. VI. *Ituræa.* ibid. col. 2

SECT. VII. *Abilene.* 475 col. 2

SECT. VIII. *2 Samuel.* 20:18. *diſcutitur.* 476 col. 1

CAPUT II. SAREPTA. I. *Zarephat, Obad. verſ.* 20. ubi. II. *Sepharad*, ubi.

SECT. I. *Zarephat, Obad. verſ.* 20. ubi. ibid. col. 2.

SECT. II. *Sepharad, ubi.* 477 col. 1

SECT. III. *Sareptæ ſitus.* ibid.

CAPUT III. NAIN, *Luc.* 7: 2. I. *De Naim juxta Thabor, oſtenſa peregrinantibus.* II. *De Naim Joſephi & Rabbinorum.* III. *Verſio Græca τῆς* עין גנים, *notata.*

SECT. I. *De Naim juxta Thabor, oſtenſa peregrinantibus.* ibid. col. 2

SECT. II. *De Naim Joſephi & Rabbinorum.* 478 col. 1

SECT. III. *Engannim.* ibid. col. 2

CAPUT IV. EMMAUS, *Luc.* 24. I. *Varia de nomine atque ipſo loco.* II. *Ejus ſitus.* III. *Aliqua ejus hiſtoria. Item de Timnath: & de monte Gilead, Judic.* 7:3.

SECT. I. *Varia de nomine atque ipſo loco.* 479 col. 1

SECT. II. *Situs ejus.* ibid. col. 2

SECT. III. *Aliqua ejus hiſtoria. Item de Timnath: & de monte Gilead, Judic.* 7: 3.

HORÆ

Digitized by Google

HORÆ HEBRAICÆ
ET
TALMUDICÆ
IMPENSÆ IN
EUANGELIUM
SANCTI
LUCÆ.

Digitized by Google

HORÆ HEBRAICÆ ET TALMUDICÆ IMPENSÆ IN EUANGELIUM SANCTI LUCÆ.

CAPUT I.

CAP. I. VERS. I.

Vers. I. Ἐπειδήπερ πολλοὶ ἐπεχείρησαν, &c.

QUum multi elapſi fuerint annni poſt Aſcenſionem Salvatoris, antequam mandata literis forent quatuor Sacroſancta Euangelia, Apoſtolis, Septuaginta Diſcipulis, aliiſque verbi miniſtris, ubique interim Euangelizantibus, non mirum ſi avidi piique quàm plurimi auditores, ex eorum concionibus & narrationibus, in pugillares quod audierant, quantum poſſent, referrent, & memoriæ propriæ conſulentes, & utilitati aliorum. Nec mirum ſi inter hos non pauci commentarios aut hiſtorias ex collectaneis ſuis compingerent, ederentque. Quod quamvis ab iis præſtitum animo non malo, & calamo bono ac fideli, longè tamen aberat ut iſtiusmodi ſcripta evaderent ſempiterna norma fidei, atque indubitatus Canon.

Cùm penes hos Scriptores non eſſet vel ea ſeligere, quæ pro divino Canone ſelecta voluit ſapientia divina, vel eo ſtylo res enuntiare, quo enuntiatas voluit Spiritus Sanctus, quem nec facti ducem habuerunt, nec calami moderatorem.

Tali ergò trutinâ eorum ſcripta librat Euangeliſta hic noſter, ut ab eo nec improbentur ut falſa & hæretica, nec approbentur ut divina & Canonica. Non priùs, cùm dicit eos ſcripſiſſe καθὼς παρέδοσαν, ipſiſſima eadem quæ tradiderant cœleſtes iſti concionatores. Non poſterius, cùm opponat quod ipſe eſſet παρηκολουθηκὼς ἄνωθεν. De quo ſuo loco.

CAP. I. VERS. 1, 2.

Ἀνατάξασθαι διήγησιν.

In parem ſenſum ſonat hæc Phraſiologia cum iſta genti Judaicæ uſitatiſſima, סדר הגדה: niſi quod iſta peculiariùs applicetur ab iis ad commemorationem Paſchalem. At latiùs extenditur לסדר אגדה, Succoth, fol. 53. 1. דהוה קבסדר אגדתא, reddas licet, *Qui fuit* ἀνατάσσων διήγησιν.

Περὶ τῶν πεπληροφορημένων, &c.

Recognoſcas quid ſenſerint dixerintque Judæi infideles, de actionibus, & miraculis, & doctrina Chriſti, & congruentius erit reddere, *Rerum earum quarum nobis plena eſt fides*, cum Eraſmo, Beza, vernacula noſtra, aliiſque, quàm cum Vulg. *Quæ in nobis completæ ſunt rerum.* Dixerunt illi, Deceptor eſt, ſeducit populum, magicè agit mira quæ agit; *At nobis plena eſt fides earum rerum quas egit & docuit*, &c.

Vers. 2. Οἱ ἀπ' ἀρχῆς αὐτόπται καὶ ὑπηρέται, &c.

Si ἀπ' ἀρχῆς reſpiciat tempus quo Chriſtus ipſe Euangelizavit in terris, quod quis dubitaverit, tum minimè diſtinguendum inter αὐτόπτας & ὑπηρέτας, nam quiſnam ab iſto tempore factus eſt miniſter verbi, qui non oculis

CAP. I. VERS. 3.5.

oculis viderit Chriſtum. Et tum facilè eſt obſervare quinam hi Ἀυτόπ]αι καὶ ὑπηρέται, Duodecim ſcilicet Apoſtoli, Septuaginta Diſcipuli, aliique qui cum iis complêrunt numerum centum & viginti, *Actor.* 1:15.

Cum *Mnaſon* dicitur eſſe Ἀρχαῖος μαθητὴς, *Actor.* 21:16. intelligendum videtur quod fuerit Diſcipulus ἀπ' ἀρχῆς, id eſt, ab ipſo tempore quo Chriſtus ipſe Euangelizavit. Verba iſta Ἀφ' ἡμερῶν ἀρχαίων, *Actor.* 15:7. ſic intelligenda eſſe etiam res ipſa loquitur.

VERS. 3. Παρηκολουθηκότι ἄνωθεν πᾶσιν.

Non malè quidem redditur *Aſſecuto omnia à principio*. At nonnè meliùs, ſi *Aſſecuto omnia cœlitus* vel *è ſupernis*, prout Ἄνωθεν ſignificat οὐρανόθεν, ut *Joann.* 3:3, 31. & 19:11. & *Jacob.* 1:17. & 3:17, &c. Nam

I. Hæc verſio alteram etiam includit: qui enim *omnia* aſſecutus eſt cœlitus vel divino afflatu, aſſecutus eſt omnia à principio.

II. Obſervetur diſtinctio iſta Joſephi, *contra Apion.* lib. 1.

Δεῖ τὸν ἄλλοις παράδοσιν πράξεων ἀληθινῶν ὑπισχνούμενον αὐτὸν ἐπίστασθαι ταύτας πρότερον ἀκριβῶς, ἢ παρηκολουθηκότα τοῖς γεγονόσιν, ἢ παρὰ τῶν εἰδότων πυνθανόμενον.

Oportet illum qui aliis ſpondet narrationem rerum veram, ut ipſe priùs eas cognoſcat clarè, aut acta diligenter aſſecutus, aut ſciſcitans ab iis qui norunt.

Opponit, ut vides, τὸν παρηκολουθηκότα τῷ πυνθανομένῳ. Jam verò ſi Lucas hæc ſcripſit doctus ab aliis, ſicut ſcripſerunt illi de quibus agit commatibus antecedentibus; tum erat inter Πυνθανομένους, non Παρηκολουθηκότας. Nec quid majus ſpondet, quam & illi ſpondere poterant, de quibus loquitur, Πολλοὶ ἐπεχείρησαν, &c.

Κράτιστε Θεόφιλε.

Conjecturâ unâ eſt Antiochenus, aliâ Romanus, nullâ certum quis & cujas. Erat *Theophilus* quidam inter Judæos, ipſiſſimis iſtis temporibus, ut probabile, quibus *Lucas* ſcripſit: at minimè opinamur eum fuiſſe hunc noſtrum. De eo *Joſephus*,

Antiquit. lib. 20. cap. 8. *Rex Agrippa Jeſum filium Gamalielis ſummo Pontificatu movens*, ἔδωκεν αὐτὴν Ματθίᾳ τῷ Θεοφίλου, *illum dedit Matthiæ filio Theophili*, καθ' ὃν ὁ πρὸς Ῥωμαίους πόλεμος Ἰουδαίοις ἔλαβε τὴν ἀρχὴν, *ſub cujus tempore bellum Judæorum contra Romanos cepit initium.*

VERS. 5. Ἐξ ἐφημερίας Ἀβιά.

Parùm, aut leviter verſati videntur in Paginis Sacris, & non omnino in Judaicis, quorum animum invadere potuit opinio, *Zachariam* fuiſſe Summum Pontificem, cùm dicatur fuiſſe de octava Ephemeria, & miniſterium ſuum hac vice obtinuiſſe per ſortilegium.

De inſtitutione Ephemeriarum ſub Templo primo, non opus eſt ut dicatur quidquam, cùm iſtius rei hiſtoria ſit in omnium manibus, 1 *Paralip.* 24. At ſub Templo ſecundo, erat aliquid diverſitatis, non quoad ordinem quidem Ephemeriarum, ſed quoad earum capita & familias. De qua re fusè Talmudici, nec quidem inaniter, qui vice meâ hîc commententur.

I. *Hieroſ. Taanith*, fol. 68. 1 *Quatuor* [משמרות] *Ephemeriæ Sacerdotum aſcenderunt è Babylone, Jedaiah, Harim, Pashur & Immer*, Ezr. 2:36, &c. *Obligarunt eos Prophetæ, qui tunc temporis inter ipſos verſabantur, nè vel ipſe Jehojaribus, ſi aſcenderet è captivitate,* Ἐφημερίαν *ſe præcedentem expelleret, ſed ut is ſit potiùs iſti appendix. Proſtant iſti Prophetæ, ſortesque viginti quatuor in urnam conjiciunt. Accedit Jedaiah, extrabitque quinque, atque ipſe erat ſextus. Accedit Harim, extrabitque quinque, atque ipſe erat ſextus. Accedit Pashur extrabitque quinque, atque ipſe erat ſextus. Accedit Immer, extrabitque quinque, atque ipſe erat ſextus. Pactum eſt inter eos Jehojaribum, ſi aſcenderet è captivitate, non excluſurum* Ἐφημερίαν *præcedentem, ſed ei pro appendice fore. Proſtant capita Ephemeriarum, & ſe partiuntur in domos Patrum*, &c. Eadem habentur in *Babyl. Erachin*, fol. 12. 2.

Hæc ſi vera, (& certè vafra non ſunt, collato loco *Ezræ* allegato) Ἐφημερία τοῦ Ἀβιὰ hîc, & *Nehem.* 12:17. non tam de ſtirpe *Abiæ* cenſenda eſt, quàm quòd ea nomen *Abiæ* retineret. Nam quamvis viginti quatuor claſſes ex quatuor nominatis tantùm forent compactæ, ordinem tamen priſtinum & priſca nomina retinuerunt. Si igitur *Jehojaribus*, i. e. ejus Ephemeria, aſcenderet è *Babylone*, quod factum non eſt, cautum eſt, nè ordinem ſic ſtatum turbaret, in locum primum intrudendo. Sed retento nomine *Jehojaribi* in prima claſſe, quæ conſtitit jam ex *Jedaianis*, ejus Ephemeria diſtribueretur in iſtas claſſes.

II. *Babyl. Taanith*, fol. 27. 1. *Tradunt Rabbini. Viginti quatuor Ephemeriæ Sacerdotum erant in terra Iſraëlis, & duodecim Ephemeriæ in Jerichunte. Quid? Duodecim in Jerichunte? Sic augeretur numerus nimium. At duodecim ex iis erant in Jerichunte, ut cùm adeſſet tempus, quo aſcendendum erat Ephemeria Hieroſolymam, dimidia Ephemeria aſcendit ex terra Iſraëlis, & dimidia Ephemeria ex Jerichunte, ut ſuppeteret per eos aqua & victus fratribus ſuis, qui jam Hieroſolymis.*

Gloſſ. Cùm jam adeſſet tempus Ephemeriæ, ut

Digitized by Google

CAP. I. VERS. 5.

ut aſcenderet *Hieroſolymam*, ſeipſam diviſit iſta Ephemeria, ut dimidia ejus pars iret *Hieroſolymam*, & dimidia altera pars *Jerichuntem*, ut ſuppeditaret aquam & victum fratribus, &c.

III. De circulatione harum viciſſitudinum, aliquid expiſcari licet ex

Gloſſ. in Midras Coheleth, fol. 82. 4. *Midras* ipſa hæc habet verba.

Traditio R. Chaijæ. Scriptum eſt, שבע שבתות תמימות תהיינה, *Septem ſeptimanæ perfectæ erunt*, i.e. Inter Paſcha & Pentecoſten, *Levit.* 23:15. *Quando autem ſunt ita?* בזמן שאין ישוע ושכניה בינהם, *Quando Joſua & Shecaniah non intercurrunt.*

Ubi Gloſſ. ex autore alio. *Cùm incidunt Calendæ menſis Niſan Sabbato, incidit & Paſcha Sabbato; & tum incipiant numerare ab exitu Sabbati, eruntque ſeptimanæ completæ ſecundùm dies creationis. Exemplum ſumit à Joſua & Shecaniah. Nam viginti quatuor Ephemeriæ erant, quæ vices alternarunt unoquoque Sabbato, inter quas Joſua erat nona & Shecaniah decima. Septimanâ menſis Niſan primâ Jehojarib, erat Ephemeria prima: ſeptimanâ ſecundâ Jedaiah.* שבת של פסח כל המשמרות שוות, *Septimanâ Paſchali omnes Ephemeriæ miniſtrarunt ſimul. Sex ſeptimanis ad Sabbatum illud quod præceſſit Pentecoſten, miniſtrarunt ſex Ephemeriæ Harim, Seorim, Makhijah, Mijamin, Hakkos, Abiah. Sabbato cui ſuccedit Pentecoſte, ingreditur Joſua, at non miniſtrat niſi poſt Pentecoſten. Ecce Joſua & Shecaniah non ſunt inter Paſcha & Pentecoſten: ſi enim Joſua foret inter Paſcha & Pentecoſten, non eſſent ſeptimanæ completæ ſicut dies creationis.*

Plura addit, quæ, fateor, excedunt captum meum, quale eſt illud quod immediatè ſequitur, *Non ſunt completæ ſicut dies creationis*, כי יש לבנות מג' עד ג' או מה' עד ה', *Quia numerare licet à tribus ad tres, aut à quinque ad quinque, & ingredientur Joſua & Shecaniah ante Pentecoſten. Nam ecce Sabbato ante Niſan eſto Jehojarib.* ויהיו ז שבועות עד הפסח, *Et ſint ſeptem ſeptimanæ ad Paſcha*, &c. quæ aut ſphalma typographicum ſapiunt, aut mihi ænigma.

Utcunque, ex tota ſerie diſſertationis liquet, initium duplicis circuitionis Ephemeriarum fuiſſe cum duplici initio anni, *Niſan* & *Tiſri*, ut & omnes Ephemerias ſimul miniſtraſſe in feſtis. De Paſchate quidem eſt hîc tantùm mentio: at verò authoritate non caret, idem factum fuiſſe in Pentecoſte & Scenopegia. Ordiatur ergò *Jehojaribus* Ephemeriâ primâ in initio *Niſan*, excurrunt omnes exactè finitâ medietate anni, [obſervato, omnes in Paſchate & Pentecoſte miniſtraſſe ſimul] nam ſic expletæ ſunt hebdomadæ XXVI. Incipiat iterum *Jehojaribus* cum initio *Tiſri*, & miniſtrantibus omnibus ſimul in feſto Scenopegiæ, deſinunt, hebdomadâ unâ tantùm vacante, ante initium *Niſan*. Quod chaſma ut ſuppletum fuerit, itemque menſis intercalaris cùm occurreret, nimium foret hoc loci examinare.

IV. Ex ordine ſuo tralata, ac in locum poſteriorem rejecta eſt Ephemeria *Bilgæ*, ſi vera ſunt quæ traduntur *Hieroſ. Succah*, fol. 55. 4.

Omnes, inquiunt, *qui montem Templi ingreſſi ſunt, intrarunt à dextrâ, atque exierunt à ſiniſtrâ. Bilgah autem ſemper ad Auſtrum tetendit propter Mariam filiam Bilgæ, quæ apoſtatizavit. Abiit illa enim, & nupſit militi cuidam de regno Græcorum. Venit percuſſitque culmen altaris, & dixit*, לוקוס לוקוס, *O lupe, lupe, tu devoras bona Iſraëlis, & tamen tempore anguſtiarum iis non auxiliaris. Sunt autem qui dicunt, hoc ideo ſtatutum fuiſſe, quòd non aſcenderet Ephemeria Bilgæ ad miniſterium, cùm adventarent ejus vices. Ingreſſus ergò Iſhab, vices ejus ſubiit. Bilgah igitur ſemper fuit inter exeuntes, ac Isbab inter ingredientes: iſtamque Ephemeriam dimoverunt ordine ſuo.*

V. *Taanith*, cap. 4. hal. 2. על כל משמר ומשמר היה מעמד בירושל', *Pro unaquaque Ephemeria, erat cætus ſtationarius Hieroſolymis Sacerdotum, Levitarum & Iſraëlitarum. Cùm adventaret tempus quo Ephemeriæ aſcendendum erat, Sacerdotes & Levitæ aſcenderunt Hieroſolymas: Iſraëlitæ verò, qui erant de iſta Ephemeria, congregarunt ſe in civitates ſuas, & legerunt hiſtoriam creationis, Geneſ. 1. Atque homines ſtationis jejunarunt quatuor diebus in iſta hebdomada, à ſecundo ſcil. ad quintum.*

Gloſſ. Pro unaquaque Ephemeria erat cætus ſtationarius מעמד *Hieroſolymis*, ſtatus & ſitus in urbe, qui aſtaret ſacrificiis fratrum. Et præter hos, qui erant ſtati *Hieroſolymis*, erat cætus ſtationarius in unaquaque urbe: nam totus Iſraël diviſus eſt in 24. ſtationatus ſecundùm 24. Ephemerias. Erat ſtationatus *Hieroſolymis* Sacerdotum, Levitarum & Iſraëlitarum. Sacerdotes Ephemeriæ aſcenderunt *Hieroſolymas* ad miniſterium, Levitæ ad Pſalmodiam, & de omnibus ſtationatibus erant quidam ſtati *Hieroſolymis*, qui aſtarent ſacrificiis fratrum. Et reliqui congregarunt ſe in civitates ſuas, & preces fuderunt pro ſacrificiis fratrum ſuorum ut acceptarentur, & jejunarunt, & protulerunt Librum Legis in die jejunii, &c. Sic Gloſſa.

Ratio inſtitutionis horum ſtationariorum redditur in Miſna allegata, viz. כי והיאך קרבנו של אדם קרב יהוא אינו עומד על גביו., *Nam quomodo offerri potuit oblatio cujuſvis, ſi ipſe præſens non aſtaret?* Jam verò, cùm

CAP. I. VERS. 5, 6.

cùm ſacrificium juge, aliaque nonnulla offerrentur pro toto *Iſraële*, atque impoſſibile eſſet ut totus *Iſraël* adeſſet, inſtituti ſunt hi ſtationarii, qui vice totius *Iſraëlis* manus imponerent ſacrificio jugi, adeſſentque aliis oblationibus, quæ oblatæ ſunt pro toto *Iſraële*. Et dum iſti hoc præſtarent *Hieroſolymis*, erant & alii ſtationarii in unaquaque Ephemeria, qui orationibus & jejuniis in civitatibus ſuis promoverunt, quantùm poterant, miniſterium fratrum ſuorum qui *Hieroſolymis*.

Siphra, fol. 3. 2. *Filii Iſraëlis imponunt manus: at Gentiles non imponunt manus. Filii Iſraëlis imponunt manus: at filiæ Iſraëlis non imponunt manus. Dicit R. Joſe, Dixit mihi Abba Eliezer, Erat aliquando nobis vitulus pro ſacrificio pacifico, & duximus eum in Atrium mulierum, & mulieres impoſuerunt ei manus. Non quòd impoſitio manuum pertineat ad mulieres*, אלא מפני נחת רוחות של נשים, *Sed ut ſedarentur animi mulierum.* Res notanda.

In immenſum numerum creverunt Sacerdotes in omnibus Ephemeriis, præſertim ſi verum ſit illud in *Hieroſ. Taanith*, fol. 69. 1. *Dixit R. Zeora nomine Rabh Honnæ, Etiam minima inter Ephemerias produxit* 85000. פרכי כהונה, *germina Sacerdotum.* Res vix credenda.

Καὶ ἡ γυνὴ αὐτοῦ ἐκ τῶν θυγατέρων Ἀαρών.

Talmudicis כוהנת, *Sacerdotiſſa*, nata ſcil. ſtirpe ſacerdotali. Licuit Sacerdoti. Levitiſſam vel Iſraëlitiſſam ducere, *Kiddushin*, cap. 4. hal. 1. At laudatiſſimum, ſi duceret Sacerdotiſſam. Hinc hiſtoria iſta in *Taanith*, ubi ſupra, *Octoginta paria fratrum Sacerdotum duxerunt octoginta paria ſororum Sacerdotiſſarum in Gophne nocte unâ.*

Vix erat quicquam inter Judæos majori curâ & cautione proviſum, quàm de conjugiis Sacerdotum, ut ſcil. illi uxores ducerent, quæ non macularent ſanguinem ſacerdotalem, & quæ idoneæ eſſent ad comedenda ſacrata. Hinc frequentiſſima de tali fœmina locutio, הוגנת להנשא לכהונה, *quòd idonea eſſet, quæ maritaretur à Sacerdote.*

Joſeph. contra Apion. lib. 1. pag. mihi 918. de hac cura pluribus agit, ὅπως τὸ γένος τῶν ἱερέων ἄμικτον καὶ καθαρὸν διαμένῃ, *ut ſtirps ſacerdotalis ſine mixtura & pura conſervetur.*

Ἐλισάβετ.

Iſto nomine uxor *Aaronis* apud Græc. Interp. *Exod.* 6: 23.

VERS. 6. Ἐν πάσαις ταῖς ἐντολαῖς καὶ δικαιώμασι.

Sic *Numer.* 36: 13. Αὗται αἱ ἐντολαὶ καὶ τὰ δικαιώματα.

CAP. I. VERS. 6, 8.

Curioſius æquo forſan foret, Ἐντολὰς ad Decalogum referre, & Δικαιώματα ad præcepta cæremonialia & judicialia, quamvis & hoc non careat aliquo fundamento. Præcepta certè tradita poſt Decalogum, *Exod.* 21. ad 24. vocantur Δικαιώματα, *Exod.* 21: 1. & 24: 3.

Vix dixerit Vulg. Interpres, quâ ratione reddiderit Δικαιώματα, per *juſtificationes*: ut nec ejus ſequaces, quare inde arguant juſtificationem ex obſervatione mandatorum, cùm leges & *inſtituta hominum* vocentur Δικαιώματα apud exteros authores, imò *pravæ conſuetudinis*, apud Græcos Interpretes, 1 Sam. 2: 13. Καὶ τὸ δικαίωμα τοῦ ἱερέως παρὰ τοῦ λαοῦ, &c. 2 Reg. 17: 8. Καὶ ἐπορεύθησαν τοῖς δικαιώμασι τῶν ἐθνῶν, &c.

Vox Δικαιώματα frequentiſſimè apud iſtos Interpretes reddit חוקים & חוקות, quod vice plurium exemplorum, ſatis patet *Pſalm.* 119. Atque iſta quæ dicunt Judæi de voce Hebræa, obtinent etiam de Græca.

R. Solom. in *Numer.* 19. *Diſputabunt forſan Satanas & Ethnici cum Iſraële, Quidnam ſibi vult hoc aut illud præceptum, & quænam ejus ratio. Reſpondere eſt* חוקה היא, *Statutum eſt, & Lex a Deo lata, & tuum non eſt de ea cavillari.*

Joma, fol. 67. 2. את חקתי תשמרו, *Statuta mea obſervabitis: hoc eſt, etiam ea de quibus Satanas & nationes mundi altercantur. qualia ſunt circa non comeſtionem porci, circa amictum heterogeneum, diſcalceationem Leviri, purificationem leproſi, hircum emiſſarium. Si forſan dicatur, Vana ſunt iſta. Textus dicit: Ego ſum Jehovah. Ego Jehovah ea inſtitui, & tuum non eſt de iis diſceptare.* Δικαιώματα ſunt juſta & æqua ex authoritate inſtituentis.

VERS. 8. Ἐν τῇ τάξει τῆς Ἐφημερίας.

Hieroſ. Taanith, ubi antè. *Proſtiterunt capita Ephemeriarum, ac ſe partita ſunt in domos patrum. Erantque in Ephemeria una domi patrum forſan quinque, ſex, ſeptem, octo, novem. Ex Ephemeria in qua erant quinque domi patrum, tres miniſtrabant tribus diebus, & duæ miniſtrabant quatuor diebus. Si ſex, quinque miniſtrabant quinque diebus, & una duobus. Si ſeptem, unaquæque miniſtrabat die ſuo. Si octo, ſex miniſtrabant ſex diebus, & duæ die uno. Si novem, quinque miniſtrabant quinque diebus, & quatuor duobus diebus.*

Totum ordinem miniſterii quotidiani habe ex

Gloſſ. in Tamid, cap. 6. *Altare magnum*, i. e. ſacrificii, *præcedit altare minus*, i. e. thymiamatis. *Altare minus præcedit duo ſegmina ligni* [appoſita ad focum altaris magni.] *Appoſitio duorum ſegmentorum ligni, præcedit decine-*

rationem

CAP. I. VERS. 9. *rationem altaris interioris*, i.e. thymiamatis. *Decineratio altaris interioris præcedit emendationem quinque lampadum. Emendatio quinque lampadum præcedit ſparſionem ſanguinis ſacrificii jugis. Sparſio ſanguinis ſacrificii jugis præcedit emendationem duarum lampadum reliquarum. Emendatio duarum lampadum præcedit thymiama. Thymiama præcedit appoſitionem partium ſacrificii in altari. Appoſitio partium præcedit Mincham. Minchah præcedit duas molas* vel panes *Summi Pontificis. Duæ molæ præcedunt libationem. Libatio præcedit ſacrificia addititia. Sic Abba Saul.* At paulò pòſt. *Dicunt tamen Sapientes, Sparſus erat ſanguis victimæ, dein emendatio quinque lampadum: dein thymiama, & poſtea emendatio duarum lampadum, & Traditio eſt ſecundùm Sapientes.*

VERS. 9. Κατὰ τὸ ἔθος τῆς ἱερατείας, ἔλαχε.

Tamid, cap. 3. hal. 1. *Dicit iis Præfectus*, בואו ודפיסו, *Venite, & ſortes projicite*, ut determinetur, *quiſnam mactabit victimam, quis ſparget ſanguinem, quis decinerabit altare interius, quis decinerabit candelabrum: quis portabit partes ad aſcenſum altaris, caput, crus, duos armos, caudam ſpinæ dorſi, crus alterum, pectus, gulam, duo latera, viſcera, farinam, duas molas & vinum.* זכה מי שזכה, *Is obtinet, cui ſorte obtingit.*

Joma, fol. 25. 1. *Conclave Gazith* [in quo factum eſt ſortilegium] *erat formâ Baſilicæ magnæ. Sortilegium erat in parte ejus Orientali, ſeditque Senior in parte ejus Occidentali.* [Gloſſ. Senior aliquis de Synedrio qui docuit eos ritum Sortilegii.] *Circumſteterunt Sacerdotes in circulo, & Præfectus accedens arripit cidarim*, vel pileum, *à capite hujus vel illius, atque hinc norunt quòd ſortilegium ab eo inciperet.*

Gloſſ. ibid. fol. 22. 1. *Circumſteterunt in circulo, accedenſque Præfectus cidarim arripit à capite alicujus, atque ab eo incipit ſortilegium numerari, elevatque unuſquiſque digitum ſuum ad numerum. Dicitque Præfectus, In quocunque deſinet numerus, ille hoc vel illud munus ſortitur: enarrat pariter numerum, exempli gratiâ, centum vel ſexaginta pro multitudine Sacerdotum aſtantium. Numerare incipit ab eo cujus cidarim arripuit, & circumnumerat, donec excurrit numerus. Atque in quemcunque numerus exſpirat, ille munus illud ſortitur de quo fit ſortilegium. Et ſic in ſortilegiis omnibus.*

An ſortilegium hoc fieret indies, an pro tota hebdomada quæ miniſtravit Ephemeria, non quæremus. Deſiit hac vice, ut videtur, numerus, quicunque ille fuerit, pro eligendo ſuffitum faciente, in *Zacharia* noſtro: cujus opus & actionem in iſto munere ne tædeat eâdem patientiâ his audire.

τοῦ θυμιάσαι. CAP. I. VERS. 9, 10.

Tamid, cap. 5. hal. 4. מי שזכה בקטרת, *Ille cui obtigit ſuffitum facere, accipit acerram continentem tres cabos, in cujus medio erat thuribulum thure plenum, & cumulatum, ſuper quod erat operculum.*

Halac. 5. מי שזכה במחתה, *Ille cui obtigit vaſculum in quo ſumendæ prunæ, illud accipit atque aſcendit ad verticem altaris, motiſque hinc inde carbonibus, prunas recipit candentes, deſcenditque, atque eas evacuat in vaſculum aureum.*

Halac. 6. *Cùm ab his jam perventum eſſet ad ſpatium inter altare & Pronaon, tinnit unus ex iis in Migrepham* [tintinnabulum.] *Quo audito, Sacerdos, ſi quis foras, novit fratres ſuos Sacerdotes ad adorationem jam ſe accingere; atque ille accurrens ingreditur. Novitque Levita fratres ſuos Levitas ad Pſalmodiam jam ſe accingere; atque is accurrit atque ingreditur. Præfectuſque Ephemeriæ tunc immundos ſiſtit in porta Atrii Orientali, ſanguine aſpergendos.*

Cap. 6. halac. 1. *Cùm jam aſcenſuri eſſent gradus propylæi, illi quibus obtigit decinerare altare interius & candelabrum, aſcendunt primi. Is qui decinerat altare interius, ingreditur, & tollit vaſculum, & adorat, & exit.*

Halac. 2. *Is cui obtigit vaſculum colligendis prunis, eas collocat ſuper altare interius, eaſque diſpergit uſque ad marginem vaſculi, & adorat, & exit.*

Halac. 3. *Ille cui obtigit ſuffitum facere, thuribulum tollit è medio acerræ, datque cuidam aſſiſtenti. Si quid thuris ſparſum fuerit in medium acerræ, dat is illi in pugillum. Spargit thymiama ſuper prunas, atque exit. Suffitum non fecit, donec diceret ei Præfectus, Suffitum fac.*

VERS. 10. Καὶ πᾶν τὸ πλῆθος τοῦ λαοῦ ἦν προσευχόμενον ἔξω.

Cùm Sacerdos ingrederetur Sanctum, facturus ſuffitum, ſono tintinnabuli innotuit omnibus tum adeſſe tempus orationis, ut notatum antè. Et tum

I. Quotquot erant in Atrio ubi altare, illi receſſerunt ab inter Templum & altare, & ſubduxerunt ſe inferiùs.

Joma, fol. 44. 1. פורשין מבין האולם ולמזבח בשעת הקטרת, *Receſſerunt à ſpatio quod erat inter Pronaon & altare, dum fieret thymiama.*

Bemidbar Rab. fol. 244. 3. *Dicit R. Joſe, In quinque circumſtantiis ſpatium inter Pronaon & altare eſt æquale ipſi Templo. Nam illuc non accedit quiſquam capite nudus, vino ebrius, & manibus aut pedibus illotus: & ſicut ſe ſubtrahunt ab ipſo Templo tempore thymiamatis, ſic etiam*

Digitized by Google

CAP. I. VERS. 11, 15. *am ſe ſubtrahunt à ſpatio quod eſt inter Pronaon & altare tempore thymiamatis.*

II. In reliquis Atriis non opus erat ut locum mutarent: at in omnibus ad orationes ſuas jam ſe addixerunt, idque ſilenter.

Beracoth, fol. 26. 1. *Patres inſtituerunt orationes pro tempore ſacrificii jugis.* Et qualeſcunque fuerint orationes quas fuderunt, ſive Phylactericæ ſolæ, ſive Phylactericæ conjunctæ cum aliis, ſive aliæ ſine Phylactericis, fuderunt eas ſilenter.

Ibid. cap. 2. hal. 3. *Qui recitat, ita ut ipſe ſeipſum non audiat, fungitur tamen officio ſuo. At vult R. Joſe, ut ita recitet, ut vocis ſuæ ſonus ad proprias aures perveniat.* Ad quod ſilentium tempore thymiamatis & orationum, alludi videtur, *Apocal.* 8:1, 3.

Finitis thymiamate & orationibus, apponuntur partes victimæ in altare, & tum applicant ſe Levitæ ad Pſalmodiam, & Sacerdotes ad clangorem tubarum.

VERS. 11. Ὤφθη δὲ αὐτῷ Ἄγγελος κυρίου.

Quæras meritò, an unquam antea viſus fuerit Angelus in Templo, etiam primo, cùm jam tum vigeret apparitio Angelorum, multò minùs in ſecundo, cùm jam ea omnino evanuerat ante exortum Euangelium?

Ea quæ referuntur de Simone Juſto, *Hieroſ. Joma*, fol. 42. 3. *quòd per quadraginta annos quibus ille miniſtravit in ſummo Pontificatu, viderit Angelum albis amictum ſecum ingredientem in Sanctum die expiationis, atque egredientem; at anno ultimo ingredientem quidem, ſed non egredientem, unde noverit quòd iſto anno eſſet moriturus:* cuſa & excogitata eſſe videntur in honorem hominis, & celebritatem iſtius diei.

Ἑστὼς ἐκ δεξιῶν τοῦ θυσιαστηρίου.

Babyl. Joma, fol. 33. 2. *Traditio. Menſa* [panum propoſitionis] *erat ab Aquilone, à pariete remota cubitis duobus & dimidio. Candelabrum erat ab Auſtro, remotum etiam à pariete, cubitis duobus & dimidio. Altare* [thymiamatis] *poſitum erat in medio, protractumque pariter aliquantum verſus Orientem.*

Angelus itaque à dextra hujus altaris ſtans, à latere ejus Aquilonari ſtetit: à quo latere ſi introitus foret in Sanctum Sanctorum, quod opinatur *R. Chanina* in *Joma*, fol. 59. 1. tum benè concipias Angelum à Sancto Sanctorum prodiiſſe ſubitaneâ comparitione.

VERS. 15. Οἶνον καὶ Σίκερα.

Id eſt, Judæis interpretantibus, nec malè, *Vinum novum & vetus.*

CAP. I. VERS. 15, 17. *Numer.* 6:3. מיין ושכר יזיר, Græc. Ἀπ᾽ οἴνου καὶ σίκερα ἁγνισθήσεται.

Targ. מחמר חדת ועתיק יזר, *A vino novo & veteri ſe ſeparabit.* Sic *Deuter.* 14:26.

Bemidbar Rab. fol 240. 3. *R. Joſe Galilæus dicit, Quare Scriptura duplicat* יין ושכר, *vinum & ſiceram? Nam annon vinum eſt ſicera, & ſicera vinum?*

Sicera eſt vinum abſque dubio in *Numer.* 28:7. הסך נסך שכר ליהוה, *Græc.* Σπεῖσαι σπονδὴν σίκερα Κυρίῳ. *Targ.* נסוך דחמר עתיק, *Libamen vini veteris.*

Dum penſatiùs cogito, quare tam ſeverâ interdictione prohibeatur Naziræo totalis uſus vitis, ut non ſolùm nè bibat de vino, ſed & nè guſtet de uvis, de acinis, de granulis uvæ, aut de cortice vitis, non poſſum non hæc duo apud me revolvere.

I. An vitis non fuerit arbor in Paradiſo, quæ prohibita fuit *Adamo*, & quam guſtans peccavit. De hoc affirmativè determinant Magiſtri Judæorum abſque omni ſcrupulo. *Sanhedr.* fol. 70. 1. *Bemidbar Rab.* fol. 140. 2. & fol. 238. 4, &c.

II. Annon lex de Naziræatu reſpexerit ſtatum *Adami*, dum eſſet ſub iſta prohibitione, vel dum eſſet innocuus.

Si enim immunditiæ corporales & legales, de quibus præcipitur, *Numer.* 5. præſertim verò lepra, immunditiarum immundiſſima, optimè delinearunt ſtatum & naturam peccati: nonnè *Nazireatus* puritatum in religione puriſſima, Thren. 4:7. commemoravit aliquid de ſtatu ante peccatum?

Erat יין מצוה, *Vinum præcepti*, ut loquuntur Magiſtri, ad quod bibendum tenebantur ex præcepto. Quale illud, *Deuter.* 12:17. 18. vinum de decimis bibendum *Hieroſolymus*, & pocula vini ebibenda in Paſchate. Et hîc quid agendum Naziræo? Si bibat, violat præceptum de Naziræatu: ſi non bibat, violat præcepta de decimis & Patrum. יתרץ׳ אליהו, *Solvat Elias cùm advenerit.*

VERS. 17. Ἐν πνεύματι καὶ δυνάμει Ἠλίου.

Baptiſta eſt *Elias*, ſicut Chriſtus eſt David, quia antitypus, *Hierem.* 30:9. *Hoſ.* 3:5. &c.

Minùs mirum, ſi Judæi ex *Malachiæ* verbis, expectent *Eliam* perſonaliter venturum, cùm & non pauci Chriſtiani idem expectarint, quamvis habeant hìc Angelum aliter interpretantem, atque alibi ipſum Salvatorem, *Matth.* 11:14. *Hic ille Elias qui venturus.*

Sed I. non ritè conceptâ Phraſiologiâ, *Dies Domini magnus & terribilis*, ut & decepti Verſione Græcâ, in opinionem lapſi ſunt, *Eliam venturum ante judicium extremum.*

II. Non dicitur a Malachia, *Ecce mitto vobis Eliam Thisbiten*, ſed *Eliam Prophetam*: quæ

CAP. I. VERS. 17. quæ verba, ſi ego Anglicè verterim, *Behold I ſend you a Prophet Elias*, fidentiſſimè dixerim, me non tantùm ab animo *Malachiæ* errare, quantum Interpretes Græci, qui ſtupendâ audaciâ, ut Traditionibus Judaicis faveant, reddunt Ἰδὲ ἐγὼ ἀποστέλλω ὑμῖν Ἠλίαν τὸν Θεσβίτην.

III. Bis tantùm, ſi non fallar, eſt mentio de *Elia Propheta*, hoc eſt, iſtis terminis, in ſacro Codice, viz. loco *Malachiæ* citato, & 2 *Paralip.* 21:12. atque utrobique [pariter ſi non fallar] non intelligitur *Thisbites* in perſona ſua, ſed aliquis in ſpiritu & zelo *Thisbitæ*. Verba *Malachiæ* ſic ſumenda docent *Gabriël* & Salvator: atque optimè etiam ſic ſumi poſſunt verba loco *Paralipomenωn* allegato.

IV. Nobiliſſimus ille Propheta, qui vixit in diebus *Achabi*, *Thisbites* vocatur per totam ejus hiſtoriam, *Propheta* nunquam: ut nec *Luc.* 4:25. [ubi tamen *Eliſæus* vocatur *Propheta*] nec *Jacob.* 5:17. Nam ipſiſſima vox תשבי, *Tisbbi*, epitheton ejus, ſatis eloquitur dignitatem ejus Propheticam, dum idem ſonat quod *converſor*. A quonam enim etymo vocem iſtam meliùs deduxeris? Quò etiam alludi videtur à *Malachia*, Ecce mitto vobis *Eliam Prophetam*, והשיב, *Et convertet* etiam ille, &c.

V. Aſt eſto ut dicatur *Thisbites* à civitate *Tosbab*, ut volunt Targ. & nonnulli Rabbinorum, [quod tamen longiùs petitum] ipſiſſima iſta res evincere poteſt, non illum ipſum, ſed alium intelligi à *Malachia*, cùm nihil memoret de *Thisbite*, ſed de *Elia Propheta*, id eſt, Propheta in ſpiritu *Eliæ*.

Parem phraſiologiam habes, 2 *Sam.* 21:19. *Elhanan occidit Goliathum Gittæum*, id eſt, *fratrem Goliathi*, gigantem ei ſimilem, 1 *Paralip.* 20:5.

Sic 1 *Reg.* 19:15. *Tu Elia unge Hazaëlem & Jehu*: cùm tamen *Eliſæus* rem peregerit, 2 *Reg.* 8:13. & 9:1, 2. idque etiam per deputatum. Pari ſenſu epiſtola miſſa eſt ab *Elia* ad *Joramum*: id eſt, ab aliquo in ſpiritu *Eliæ*.

Sic apud Talmudicos, aliquis peritus ſignorum & linguarum vocatur *Mordechæus*, nempe quia ſimilis illi qui vixit in diebus *Aſſueri*. *Menacoth*, fol. 64. 2. & Gloſſ. ibi.

Ἐπιστρέψαι καρδίας πατέρων ἐπὶ τέκνα.

Venit *Joannes* Ἐν δυνάμει, *In virtute Eliæ*, non miracula operante [nam *Joannes* nullum edidit miraculum, *Joann.* 10:41.] ſed in virtute *Eliæ* homines convertente. *Elias* convertit multos filiorum Iſraëlis ad Dominum Deum ſuum, 1 *Reg.* 18. Sic & *Joannes*, qui & inſuper *convertit corda patrum ad filios*. Quod quid velit, obſcurius. Vix admiſeris ſcio, gloſſam Judæorum hoc in loco, qui tam graviter hallucinantur circa perſonam, & qui nihil permittent præſtandum ab *Elia* quem expectant, quod vertat in bonum, niſi intra *Iſraëlem*. At nonne Ethnici convertendi, dialecto CAP. I. VERS. 18.
Prophetarum ſunt filii Zionis, Hieroſolymæ, Eccleſiæ Judaicæ? Vix quicquam frequentius: atque eo ſenſu *Malachias* in verbis ſub manibus, *Elias* Baptiſta convertet corda Judæorum ad Gentiles, & vice verſâ. Nam magnum erat hoc opus Euangelii, Judæos & Gentiles provocare in mutuos amplexus in agnitione Chriſti: quod fœliciter inchoavit *Joannes*, qui venit ut *omnes* per ipſum crederent, *Joann.* 1:7. & crediderunt etiam milites Romani, *Luc.* 3:14. æque ac Judæi.

Ἀπειθεῖς ἐν φρονήσει δικαίων.

Græc. in *Malach.* Καρδίαν ἀνθρώπου πρὸς τὸν πλησίον αὐτοῦ. Variatis verbis Prophetæ, variat & Angelus, ſed aptiori ſenſu: nam Gentiles non erant convertendi ad Judæos ut Judæos, aut ad Judaiſmum, ſed ad Deum *in prudentia juſtorum*. *Ad patres*, prout tunc temporis erat ſtatus Judæorum, ambiguum nimis ſonuit & periculoſum, nam illi inter eos præcipuè jam habiti ſunt pro patribus, qui erant Patres Traditionum, ad quos, procul abſit ut quis convertatur in ſtultitiâ Traditionum, ſed ad Deum in prudentia juſtorum.

VERS. 18. Ἐγὼ γάρ εἰμι πρεσβύτης.

Quare ergò non ſecluſus à miniſterio per legem ſuperannuationis? *Numer.* 4:3. & 8:24. Audi Magiſtros.

Cholin, fol. 24. 1. *Aliquid quod licitum eſt in Sacerdotibus, illicitum eſt in Levitis: atque aliquid licitum in Levitis, illicitum eſt in Sacerdotibus. Tradunt Rabbini. Sacerdotes ob labem non ſunt idonei, ob annos ſunt idonei: Levitæ ob labem ſunt idonei, ob annos non idonei— Ex illo quòd dicitur, cùm quinquageſimum ætatis annum expleverint, miniſtrare deſinent, diſcimus quod anni faciunt Levitas non idoneos—. Forſan & Sacerdotes redduntur non idonei per annos. Et nonne hoc æquum eſt? Nam ſi Levitæ quos labes non reddidit non idoneos, redditi ſunt non idonei per ſuperannuationem, nonne multò magis Sacerdotes redditi ſunt non idonei per ſuperannuationem, qui ſic redduntur per labem? At dicit Textus, Hæc eſt lex Levitarum, non Hæc eſt lex Sacerdotum— Tradunt Rabbini. Sacerdos à quo tempore primùm pubeſcit, uſque dum conſenuerit, eſt idoneus: at labes reddit eum non idoneum. Levita ab anno ſuo triceſimo ad quinquageſimum eſt idoneus: at ſuperannuatio reddit eum non idoneum. Quomodo hoc de Levitis intelligendum? Nempe pro tempore quo Arca erat in eremo. Aſt in Shilunte & Templo non reddebantur illi non idonei, niſi ob aliquem defectum vocis.* Vid. Bemidb. Rabb. fol. 222. 3.

Digitized by Google

VERS. 21. Ἐθαύμαζον ἐν τῷ χρονίζειν, &c.

Refertur tale quid de *Simeone Juſto*, de quo mentio antea.

Hieroſ. Joma, fol. 43. 2. *Summus Pontifex fudit orationem brevem in Sancto---Prolixus in oratione non fuit, nè formidinem aliquam incuteret populo. Hiſtoria eſt de quodam qui prolixus fuit, & parati erant poſt eum intrare. Ferunt eum fuiſſe Simeonen juſtum. Dicunt ei, Quare tam diu moraris? Reſpondit ille, Ego ſupplicavi pro Templo Dei veſtri nè excidatur. Regerunt illi, Utcunque, non convenit tamen, ut tam diu moreris.*

VERS. 22. Ἦν διανεύων.

Eſt & Ἐνένευον, verſ. 62. חרש רומז ונרמז, *Surdo-mutus nutat, & nutatur ei, Gittim*, cap. 5. hal. 7. Διανεύει αὐτοῖς, & Ἐνεύευον αὐτῷ.

Judicia facta à muto, diſtinguunt Talmudici in הרכנת ראש, *Nutationem capitis*, & רמיזת חרש, *Significationem muti.*

Maimon. in Gerushim, cap. 2. *Si quis mutus fiat, & tamen ſanæ ſit mentis, dicantque ei, Num libellum repudii conſcribemus uxori tuæ?* והרכין בראשו, *atque is capite annuat, ter experimentum faciunt*, &c. Et poſtea, אין סמכין על רמיזת חרש, *Non nituntur ſignis ſurdo-muti.* Nam ut ibidem, אין דין מי שנשתתק כדין חרש, *Differunt mutus & ſurdo-mutus.* Gloſſ. *Alter audire poteſt, ſed non loqui; alter nec loqui, nec audire.*

Apud Magiſtros חרש, *Surdo-mutus*, vulgariſſimè reſpicitur, ut talis factus ictu aliquo paralytico, aut apoplectico, unde & intellectus non rarò ſauciatur. Hinc *Surdo-mutus* per Canones traditionales privatur privilegiis officiiſque quàm plurimis, quorum alii fuerunt capaces.

Quæſtionem igitur diſputabilem ciere potuit hæc cauſa *Zachariæ*, an ſcil. arcendus ille à miniſterio & privilegiis ſacerdotalibus, cùm jam factus ſit חרש, *Surdo-mutus*, niſi quod factus ſit modo tam nobili, atque extraordinario?

VERS. 24. Περιέκρυβεν ἑαυτὴν μῆνας πέντε.

Occultavit ſe quinque menſibus, dicens, Quia ſic mihi fecit Dominus, in diebus quibus reſpexit auferre opprobrium meum inter homines.

Gravida erat, quia reſpexerat eam Dominus, ut auferret opprobrium. Occultavit ſe, quia ſic fecerat ei Dominus, dum opprobrium auferret: natum ſcil. tam nobilem donando, Nazaræum futurum tam ſeverum, & Prophetam tam inſignem. Nè ergo ſeipſam polluendo, dum huc illuc ſpatiaretur, Nazaræum in utero etiam pollueret, retrahit ſeſe à communi omnium conſortio, & ſecludit. Confer *Judic.* 13:4.

Innumeri ferè erant apud Judæos, qui Naziræatum aſſumerent proprio voto, [Trecenti in diebus *Jannæi* Regis accedunt ſimul ad *Simeonem ben Shetah, Hieroſ. Berac.* fol. 11. 2. & *Nazir*, fol. 53. 3.] at duo tantùm ex deſignatione divina, *Samſon* & *Baptiſta*: quos etiam in utero matrum à pollutione omni intactos conſervari volens eadem deſignatio, matres etiam ab omni pollutione remotas ſimul voluit: obſequitur *Elizabetha*, & *per totum tempus quo uterum geſtaret*, ſe abſcondit, ut ſecuriùs ſibi foret à contractione alicujus immunditiei, quamvis nominentur menſes tantùm quinque, ob hiſtoriam illico referendam menſis ſexti, *verſ.* 26.

Mentio eſt de אשה מחפה עצמה, Fœminâ gravidâ ſeipſam abſcondente aliam ob cauſam, *Jevamoth*, fol. 42. 1.

VERS. 26. Ὁ ἄγγελος Γαβριήλ.

Hieroſ. Rosh hashanah, fol. 56. 4. *R. Simeon ben Lachish dicit. Nomina Angelorum aſcenderunt in manu Iſraëlis, ex Babylone. Num antè dictum eſt, Advolavit ad me unus* τῶν *Seraphim? Seraphim ſteterunt ante eum*, Eſaj. 6. *At poſt, vir Gabriël*, Dan. 9:21. *Michaël princeps veſter*, Dan. 10:21.

Revocat Angelus *Zachariam* ad *Dan.* 9. ubi prædictio per *Gabriëlem* de adventu Chriſti.

VERS. 29. Διεταράχθη, &c.

I. Rariùs viri ſalutarunt fœminas, ſi verum illud in

Kiddushin, fol. 70. 1. *Rabb Judah* Præſes Academiæ *Pombeditbanæ*, adiit *Rabb Nachman*, Rectorem Academiæ *Nehardeenſis*, & poſt aliqua inter eos colloquia, *Potum afferat Doneg filia mea, inquit Rabb Nachman, ut bibamus. Cui alter, At Samuël dicit, Non utendum eſt miniſterio fœminæ. Verùm ea parvula eſt, ait Nachman. At Samuël dicit, inquit alter, Non utendum eſt miniſterio fœminæ omnino. Placetne tibi, inquit Nachman, Lelitham uxorem meam ſalutare? At Samuël dicit, ait ille, Vox fœminæ nuditas turpis eſt. Verùm eam ſalutare potes, ait Nachman, mediante nuntio. Cui alter, At Samuël dicit, Non ſalutant fœminam. Salutare eam potes, ait Nachman, mediante marito. At Samuel dicit, inquit ille, Non ſalutant fœminam omnino.*

II. Rariſſimus præſertim talis modus ſalutationis Χαῖρε κεχαριτωμένη בת חמודות, vel אשת חמודות: quali titulo idem ipſe *Gabriël* olim ſalutaverat *Danielem*. Verùm his excep-

CAP. I. VERS. 32, 35. exceptis, ſat terroris erat, quod conſpiceretur Angelus.

VERS. 32. Υἱὸς Ὑψίστου κληθήσεται.

Id eſt, *Meſſias vocabitur* : nam *Meſſias* & *Filius Dei* convertuntur.

An בר עליון, an בר גבורה dixerit Angelus, incertum. Certum, vocem utramque in gente fuiſſe uſitatiſſimam, עליון occurrit non rarò in Paginis Sacris, גבורה frequentiſſimè in Talmudicis : de priori obiter notemus illud in

Rosh hashbhanah, fol. 18. 2. *Statuit regnum Græcorum ſtatuto, nè nomen Dei memoraretur in ore Judæorum. At cùm prævaleret regnum Aſmonæorum, eoſque vinceret, ſtatuerunt ut memorarent nomen Dei etiam in Schedulis contractuum. Sic ergò ſcripſerunt*, בשנת כך וכך ליוחנן כג" לאל עליון, *Anno N. vel N. Jochananis ſummi Sacerdotis Dei Altiſſimi. At* גבורה Talmudicis longè frequentiùs in uſu.

VERS. 35. Πνεῦμα ἅγιον ἐπελεύσεται ἐπί σε, &c.

I. Angelica gloſſa eſt hic verſiculus, ſuper Prophetiam iſtam celeberrimam, *Ecce virgo concipiet, & pariet*. Cujus veracitatem ſine hæſitatione credens *Marta*, ſemetque ipſam inſuper pro virgine iſta deſignari, modum tamen rei perficiendæ ignorans, quærit, *Quomodo fiet iſtud?* &c. Sumpſit illa abſque omni dubio Prophetiam iſtam ſenſu proprio, utpote loquentem de virgine intacta: & longe ab ea, & forſan tunc temporis à tota gente, aberat ſenſus ille, quo locum iſtum & vocem עלמה jam diu fucarunt Judæi.

II. Quæ de grandi hoc myſterio ex ipſis Judæis profert nobiliſſimus *Mornæus, de verit. Chriſtian. Relig. cap.* 28. exſcribamus eorum gratia quibus liber non eſt in manibus.

Moſes Hadarſan in Pſalm. 85. *Veritas germinabit ex terra*, R. Joden, inquit, hîc notat non dici *naſcetur*, ſed *germinabit*, quia generatio & nativitas Meſſiæ non erit ut cæterarum creaturarum in mundo, ſed gignetur ſine copula carnali ; ideoque nemo nominat patrem ejus, utpote qui abſconditur, donec ipſe veniat & patefaciat. Et in Geneſ. *Dixiſtis*, inquit Dominus, *orphani ſumus nos, orbi patre, & talis etiam erit redemptor quem dabo vobis*. Sic apud Zachariam dicitur, *Ecce ſervum meum cujus nomen Germen*. Et ex Pſalm. 110. *Tu es Sacerdos ſecundùm ordinem Melchiſedech*. R. Berachiam idem elicere tradit. At R. Simeon ben Jochai, in Geneſin evidentiùs : Spiritum magna virtute impulſum ex clauſo utero exiturum, ut altiſſimus Princeps fiat, qui Rex Meſſias. Hæc ille.

CAP. I. VERS. 36, 39, 41, 56, 59. VERS. 36. Συνειληφυῖα υἱὸν ἐν γήρᾳ αὐτῆς.

Docet Angelus quonam ſpectarent partus & puerperia fœminarum grandæviorum & ſterilium, nempe ut viam ſternerent fidei de partu virginis. Si illæ præter, & ſupra naturam parerent, crede & virginem etiam contra naturam poſſe parere. Sic *Abrahamus* per fidem vidit diem Chriſti, ut nati ex intacta virgine, in nativitate Iſaaci ex grandæva & ſterili *Sarah*.

VERS. 39. Ἐπορεύθη εἰς τὴν ὀρεινὴν, &c.

Viz. ad *Hebronem*, Joſu. 21: 11. Nam quamvis Sacerdotes poſt reditum è *Babylone* non in omnibus ipſiſſimis iſtis ſedibus diſpoſiti fuerint, quibus antè, cùm tamen *Zacharias Aaronita* dicatur habitaſſe in montano Judæ, non congruentiùs uſpiam domum ejus quæſiveris, quàm in *Hebrone*, quæ ſpeciatim dicitur fuiſſe *Aaronitarum*.

VERS. 41. Ἐσκίρτησε.

Sic apud Græc. Interp. *Geneſ.* 25: 22. Ἐσκίρτων τὰ παιδία ἐν αὐτῇ. *Pſalm.* 114: 4. Τὰ ὄρη ἐσκίρτησαν. Quod additur ab *Eliſabetha*, verſ. 44. Ἐσκίρτησεν ἐν ἀγαλλιάσει, modum rei denotat, non cauſam : quaſi dixiſſet, *ſubſiliit exultatione vehementi* : nam non magis novit *Joannes* embryo, quid rei jam actum, quàm norunt *Jacobus* & *Eſavus* in utero, quid de ſeipſis poſtea agendum.

Hieroſ. Sotah, fol. 2. 3. *Ad mare rubrum etiam infantes cantarunt in utero matrum, ſicut dicitur*, ממקור ישראל. Pſalm. 68: 27. ubi Targ. in eundem ſenſum, *Exaltate Dominum* עובריא כמעי אימון, *fœtus in viſceribus matrum ſuarum de ſemine Iſraël.* Fruantur hyperbole ſua.

Didicerat abſque dubio *Eliſabetha* à marito, infantem quem jam utero geſtat, deſignari pro præcurſore *Meſſiæ* ; at non novit adhuc, quânam fœminâ naſcendus *Meſſias*, donec hæc exultatio infantis in utero indicium daret.

VERS. 56. Ἔμεινε μῆνας τρεῖς.

Spatium apud Magiſtros celebre, & definitum, quo detegitur an fœmina ſit gravida, necne : quod obſervavimus ad *Matth.* 1. Vid. *Jevamoth*, fol. 33. 2. & 34. 2. & 35. 1. &c.

VERS. 59. Καὶ ἐκάλουν αὐτὸ, &c.

I. *Shabb.* fol. 137. 2. *Circumciſor dixit, Benedictus ſit Dominus Deus noſter qui ſanctificavit nos præceptis ſuis, & præcepit nobis circumciſio-*

CAP. I. VERS. 59.78. *ciſionem. Pater infantis dixit. Qui ſanctificavit nos præceptis ſuis, & præcepit nobis ut introducamus puerum in fœdus Abrahami patris noſtri.* Aſt ubi jam lingua tua, ô *Zacharia?*

II. Deus unà ſimulque inſtituit circumciſionem, & nomina mutavit *Abrahami*, & *Saræ:* hinc mos nominandi filios cum circumciderentur.

III. Inter varias rationes cur hoc aut illud nomen foret filiis inditum, non raro hæc maximè obtinuit, ut ob honorem alicujus viri, infantem eodem nomine cohoneſtarent: quod hîc, ut videtur, factum, cùm *Zacharias* non potuerit hac in re animum ſuum patefacere. *Mahli* filius *Mushi* cohoneſtatur nomine *Mahli* avunculi ſui, fratris *Mushi*, 1 Paralip. 23:20, 22, &c.

Cholin, fol. 47. 2. *R. Nathan dixit: Profectus ſum aliquando ad inſulas maris, & acceſſit ad me fœmina quædam, cujus primogenitus mortuus fuerat ex circumciſione, atque etiam filius ſecundus. Adduxit ad me tertium, atque ego, Expecta, ô filia, inquam, aliquantum, donec reſideat ſanguis ejus. Expectavit aliquantum, & dein circumcidit, atque ille vixit. Nominarunt ergò illum nomine meo* נתן בבלי, *Nathanem Babylonicum.* Vide & *Hieroſ. Jevam.* fol. 7. 4.

Babyl. Jevamoth, fol. 105. 1. *Familia quædam erat Hieroſolymis hominum, qui mortui ſunt circa annum ætatis decimum octavum. Rem notam fecerunt Rabban Jochanani ben Zaccai, qui dixit, Forſan de familia Eli eſtis, de qua dicitur, Omnes tui morientur in ætate virili. Ite, & incumbite Legi, & vivetis. Incubuerunt Legi, & vixerunt: vocarunt ergò eos* משפחת יוחנן, *Familiam Jochananis, de ejus nomine.*

Diſputatur in eodem Tractatu, fol. 24. 1. An filius ex fratriatione genitus, non ſit neceſſariò nominandus de nomine defuncti: ut ſi is qui obierit ἄτεκνος, nomine fuerit *Joſeph* aut *Jochanan*, filius fratri qui uxorem ejus duxerat, natus, annon nominandus etiam fuerit *Joſeph* aut *Jochanan?* At rariùs aliàs vocabatur filius de nomine patris, quod & in Paginis Sacris obſervare eſt, & Rabbinicis. Hoc aliquando factum fuiſſe non negandum: at tam rari illud exempli, ut facilè credas præſentem nominis applicationem, vel ideo fuiſſe, quòd *Zacharias* ipſe, quid ſibi videretur in hac re, non potuerit eloqui, vel in ejus honorem, utcunque jam ictu divino ſurdomuti.

VERS. 78. Ἀνατολὴ ἐξ ὕψους.

Reddiderim ego fidenter, *Germen ab alto*, niſi quòd ſequatur *illuminare*, &c.

I. Omnibus notum & notatum, צמח reddi à Græc. Interpr. per Ἀνατολή, *Hierem.* 23:5. *Zach.* 3:8. & 6:12. Atque omnibus notum quòd צמח eſt *Germen*. Et quòd ad vocem Ἀνατολή.

II. Eſt Ἀνατολὴ ἀγροῦ æquè ac Ἀνατολὴ οὐρανοῦ.

Ezech. 16:7. Καθὼς ἡ ἀνατολὴ τοῦ ἀγροῦ. *Sicut germen agri.*

Ibid. Cap. 17:10. Σὺν τῷ βώλῳ ἀνατολῆς αὐτῆς ξηρανθήσεται. *Cùm gleba germinis ejus areſcet.*

Et benè poteſt Chriſtus dici Ἀνατολὴ ἐξ ὕψους, *Germen ab alto*, in antitheſi ad Germen illud ab infra, per quod periit humanum genus, arborem ſcilicet prohibitam in Paradiſo.

VERS. 80. Ἐν ταῖς ἐρήμοις. CAP. I. VERS. 80.

An *Joannes* fuerit Eremita ſenſu vulgariter recepto, quære & judica ex his duobus. I. An unquam fuerit aliquis Eremita iſto ſenſu apud Judæos. II. An ille abſentaverit ſe à Synagogis: atque an non præſentaverit ſe *Hieroſolymis* in feſtis: quibus & adjici poteſt, an ſe ſubduxerit à ſocietate hominum. Si à Synagogis, habitus eſt pro שכן רע, *vicino malo, Maym. Tephil.* cap. 8. Si à feſtis, tranſgreſſus eſt præceptum, *Exod.* 23:17. Si a ſocietate hominum, quâ congruentiâ? Nam inconſonum videtur, ut ille qui natus fuit ad convertendos homines, ſe retraheret ab hominibus. Nihil mihi de Eremitiſmo *Joannis* perſuaſerit citiùs, quàm illud quod dicat, ſe non noſſe Jeſum, *Joann.* 1:31. Cùm tamen ei foret conſanguinitate conjunctiſſimus. In ſpelunca aliqua ſemper eum latuiſſe credas, cùm per annos fere triginta nullam ſocietatem habuerit cum *Jeſu* cognato propinquiſſimo, imò nullam ejus notitiam. At ſi hoc ita, unde eum novit, & modeſtè ac humiliter à baptiſmo ſuo repulit, *Matth.* 3:14. idque antequam de eo doctus fuerat per deſcenſionem Spiritus Sancti, ut *Joann.* 1:33. Ex hac quæſtione liceat etiam haſce excitare quæſtiones.

I. An *Joannes* apparuit aut actitavit ſub notione Prophetæ, ante annum ejus trigeſimum jam inchoatum? Ego negativum defenderim: atque hinc dictum eſſe arbitror, *quòd fuerit in eremis*, nempe quòd inter plebeios & ruſticos adhuc ut vir nullius nominis verſatus fuerit, donec ſeſe patefaceret in publico ſub notione & authoritate Prophetæ.

II. An ille cognatum ſuum *Jeſum* hoc in ſpatio bene noſſe non potuerit, & incomparabilem ejus ſanctitatem admirari, & tamen adhuc ignorare quòd ille *Meſſias?* Et cùm modeſtè repelleret eum à baptiſmo, eratne quòd eum agnoſceret pro *Meſſia*, [quod quomodo convenit cùm *Joann.* 1:33?] An non potiùs quòd,

Digitized by Google

CAP. I. VERS. 80. quòd propter admirabilem ejus ſanctitatem videret eum ſe præcedere?

CAP. II. VERS. I.

VERS. 80. Ἕως ἡμέρας ἀποδείξεως.

Joannes erat כהן מיוחם, Sacerdos nativitate indubitatus, & triceſimum annum jam agens, pro more gentis, ſub examine Synedrii magni, admittendus erat ad officium ſacerdotale, niſi quòd à Deo aliò amandetur.

Middoth, cap. 5. halac. 4. *In conclavi Gazith conſedit Synedrium magnum Iſraëlis, & judicavit de ſacerdotio. Sacerdos in quo inventa eſt labes, indutus eſt atris, & velatus atris, atque egreſſus abibat. Cui vero non inerat labes, indutus eſt albis, & velatus albis, & ingreſſus miniſtrabat cum Sacerdotibus fatribus ſuis.* [Confer Apocal. 3:5.] *Et lætum celebrabant diem, cùm non inveniretur labes in ſemine Aaronis Sacerdotis.*

CAP. II.

VERS. I. Παρὰ Καίσαρος Αὐγούστου.

DE Imperio *Romano* non agit N. Teſtamentum, niſi ut jam redacto ſub Monarchatu. Cùm caput illud quod tam lethaliter ſauciatum fuerat in expulſione *Tarquiniorum*, ſanatum jam foret, & reviviſceret in *Cæſaribus*, *Apocal.* 13:3. *Miratus eſt totus mundus*, inquit Apocalyptes, de iſta reſtauratione; nec mirum, cùm poſt antiquatum & emortuum per tot annorum centurias regimen Monarchicum, refloreret tandem vivaciùs, ſplendidiùſque.

Aſt unde initium iſtius Imperii ſit exactâ epochâ calculandum, non caret ambiguitate. Jacta ejus fundamenta à *Julio Cæſare*, ſubverſa ſunt in ejus cæde. Reſtaurata ſunt ab *Auguſto*, atque ædificium perfectum. Verùm à quonam tandem *Auguſti* anno computanda ſunt ejus natalitia? Dixerim ego à *triceſimo primo*, ipſiſſimo iſto anno quo natus eſt *Chriſtus*. De quo anno ſic

Dion. Caſſius, lib. 55. Πληρωθείσης δὲ οἱ καὶ τῆς τρίτης δεκαετίας, τὴν ἡγεμονίαν τὸ τέταρτον, ἐκβιασθεὶς δῆθεν, ὑπεδέξατο. *Tertio quoque jam decennio completo, in quartum decennium, coactus ſcilicet, imperium ſuſcepit.*

Nota vim vocis ἐκβιασθεὶς. Tum *coactus* eſt *Auguſtus* Principatum gerere; impellente, ut videtur, Senatu & populo, & ſummo cum conſenſu ſubdente ſe Republicâ regimini Monarchico, ita ut Imperatorem etiam renuentem, ad imperium adigat.

Non inchoandam eſſe numerationem annorum regiminis *Auguſti* à victoria *Actiaca*: nec malè computant Gemariſtæ, cùm dicunt, *Romanum Imperium initium ſumpſiſſe in diebus Cleopatræ. Avodah Zarah*, fol. 8. 2. Et dicatur regimen exinde Monarchicum, ſi velis, in antitheſi ad Triumviratum, qui tum expiravit: At certè pura puta erat iſta Monarchia, ad quam erigendam conſpiravit Senatus & Reſpublica ipſa. CAP. II. VERS. I.

Ἀπογράφεσθαι.

Vulg. & Lat. alii, *Ut deſcriberetur*: quod ſecundùm literam poſſet intelligi, de delineatione totius Imperii ſecundùm varias ejus Provincias: niſi quòd hoc antea factum fuiſſe teſtetur *Æthicus*, cujus verba de tam nobili vetuſtatis monumento exſcribere non gravabimur.

Julius Cæſar Biſſextilis rationis inventor, divinis humaniſque rebus ſingulariter inſtructus, cùm Conſulatus ſui faſces erigeret, ex Senatus conſulto, cenſuit omnem orbem Romani nominis admetiri, per prudentiſſimos viros, & omni Philoſophiæ munere decoratos. Ergò à Julio Cæſare & M. Antonio Coſſ. orbis terrarum metiri cœpit.

Id eſt, à Conſulatu ſupra ſcripti Cæſaris, uſque ad Conſulatum Auguſti tertium & Craſſi, annis 21. menſibus 5. diebus 8. Zenodoxo omnis Oriens dimenſus eſt.

A Conſulatu item Julii Cæſaris & M. Antonii, uſque in Conſulatum Auguſti decimum, annis 29. menſibus 8. diebus 10. à Theodoto Septentrionalis pars dimenſa eſt.

A Conſulatu ſimiliter Julii Cæſaris uſque in Conſulatum Saturnini & Cinnæ, à Polyclito Meridiana pars dimenſa eſt annis 32. menſe 1. diebus 10. Ac ſic omnis orbis terræ intra annos 32. à dimenſoribus peragratus eſt, & de omni ejus continentia perlatum eſt ad Senatum.

Hæc ille: obſcurior quidem aliquantum in computo Conſulatuum, ut & quod ſilentium eſt de parte Occidentali, quibus rebus non eſt hîc locus immorandi. Hoc tantùm animadvertimus, *Julium* cum *Antonio* Conſulem fuiſſe A. V. C. 710. atque annos 32. quibus emenſuratus eſt orbis Romanus, expiraſſe A. V. C. 742. duodecim annis ante natum *Chriſtum*.

Cogita interim, quidnam actum fuerit ab his emenſoribus. I. Probabile eſt Tabulas Geographicas ab iis exaratas fuiſſe, in quibus regiones delinearunt ſub uno intuitu. II. Tabulas haſce fuiſſe commentariis illuſtratas, in quibus regionum deſcriptio, locorum nomina, & diſtantiarum computatio, & quicquid conducere potuit ad plenam totius Imperii notitiam. Tale quid ab ipſo *Auguſto* quoad *Italiam* factum, arguere videntur verba iſta *Plinii*, lib. 3. cap. 5. *Qua in re præfari neceſſarium eſt, authorem nos Divum Auguſtum ſecu-*

CAP. II. *turos, deſcriptionemque ab eo factam Italiæ*
VERS. *totius in regiones undecim.*
2, 4. Et jam quidnam deeſt ad completam Imperii cognitionem, niſi cenſus hominum, & patrimoniorum, vel facultatum? Hæc cura *Auguſti.*

Sueton. in Octaviano, cap. 27. *Recepit & morum legumque regimen æque perpetuum: quo jure quanquam ſine cenſuræ honore, cenſum tamen populi ter egit: primum ac tertium cum Collega, medium ſolus. Primum* cum Collega *M. Agrippa. Tertium* cum Collega *Tiberio. Medium* hunc ipſum, de quo Euangeliſta, *ſolus.*

VERS. 2. Ἄυτη ἡ ἀπογραφὴ πρώτη ἐγένετο, &c.

Non prima ſub *Auguſto*, ſed prima quæ fuit ſub *Cyrenio*: nam erat altera ſub eo ἀπογραφὴ, ſub qua orta eſt ſeditio *Judæ Gaulonitæ.*

De hac de qua jam agitur, loqui videtur *Dion Caſſius*, nam tempora conveniunt; ſed difficilius eſt reducere in convenientiam omnia. Sic ille

Lib. 55. Ἀυτὸς τὰς ἀπογραφὰς τῶν ἐν τῇ Ἰταλίᾳ κατοικούντων, καὶ μὴ ἐλάττω πέντε μυριάδων ἐσίαν κεκτημένων ἐποιήσατο. Τὲς μὲν ἀσθενεςέρες τές τε ἔξω τῆς Ἰταλίας οἰκοῦντας ἐκ ἠνάγκασεν ἀπογράψασθαι.

Ipſe recenſionem eorum qui in Italia habitarent, ac ad ducenta ſeſtertia poſſiderent, inivit. Pauperibus ac iis qui extra Italiam viverent, ad cenſum non coactis, nè quid turbarum darent.

Si illi qui extra *Italiam* vixerunt, non coacti ſunt ad cenſum, quomodo convenit cum noſtro Euangeliſta? Niſi ſic diſtinxeris, quod ſub una notione non ſunt ad cenſum coacti, id eſt, non ad cenſum opum ſuarum, ut aliquid inde perſolverent; cùm tamen ſub alia notione ſunt coacti, ad cenſum ſcilicet perſonarum, ut nomina & fidem darent regimini Romano. Sed de his judicent doctiores.

VERS. 4. Διὰ τὸ εἶναι ἀυτὸν ἐξ οἴκε καὶ πατριᾶς Δαβίδ.

De familiis duabus ſtirpis *Davidicæ* jam exiſtentibus, legimus in Euangeliis, & de tertia apud Talmudicos: Familiâ *Jacobi* patris *Joſephi*, & familiâ *Eli* patris *Mariæ*, & familiâ *Hillelis* Præſidis Synedrii. והיה מזרע דוד מן שפטיה בן אביטל, *Qui fuit de ſemine Davidis, ex Shephatia filio Abitalis. Juchaſ.* fol. 19. 2.

An ab omnibus his conventum jam fuerit in *Bethlehemo*, non dicimus, [de *Joſepho* notatur quod ille de ſtirpe *Davidis*, partim quia agnoſcendus erat pater *Chriſti*, quamvis non CAP. II.
foret, partim ut oſtendatur occaſio quæ *Ma-* VERS.
riam duxit in *Bethlehem*, ibi *Meſſiam* pari- 7, 8.
turam.] At quærere eſt, an non *Cyrenius* Cenſorem jam agens, ex inſtituto & aſtutia, omnes de ſtirpe Davidica in unum congregaverit, utpote qui audiverit *Meſſiam* ex iſta ſtirpe oriundum, ut judicaret an aliquid periculi inde oriturum.

VERS. 7. Οὐκ ἦν ἀυτοῖς τόπος ἐν τῷ καταλύματι.

Unde liquet, quòd nec *Joſephus* nec pater ejus *Jacobus* domum illìc haberent, nec *Eli*, qua exciperet filiam ſuam parturientem: & tamen biennio poſt partum, habitarunt illìc *Joſephus* & *Maria* in domo aliqua conductitia, uſque dum fugerent in *Ægyptum.*

Midras Echab, fol. 48. 3. *Dicit Arabs quidam Judæo, Natus eſt Redemptor Judæorum. Et ille, Quodnam ejus nomen? Menahem, inquit alter. Et quodnam nomen Patris ejus? Ezechiah. Ubinam verò illi habitant?* בבירת ערבא בדבית לחם יהודה, *In Birath Arba in Bethlehem Judæ.* Gratias plurimas promerebitur, qui dixerit quid ſit בירת ערבא, *Birath Arba.* Gloſſator nihil aliud, quàm quòd *Birath Arba erat locus in Bethlehem Judah*, quod facilè dignoſcitur ex ipſis verbis. At quis aut qualis iſte locus? בירה, *Birah* quidem eſt *Regia*, aut *Caſtellum*: at quidnam ערבא? Silere melius quàm inaniter conjectare: aliter proferre liceret illud in

Sotah, fol. 37. 2. ערבא וערבא דערבא: quod loquitur de ſponſione, aut fidejuſſore de præſtatione Legis. Sed abſtinemus.

VERS. 8. Καὶ ποιμένες ἦσαν ἀγραυλοῦντες.

Shabb. fol. 45. 2. & *Bezah*, fol. 40. 1. אילו הן מדבריות, *Hæc ſunt pecora Eremi, ea nempe quæ prodeunt paſtum circa tempus Paſchatis, & paſcuntur in campis,* ונכנסות ברביעה ראשונה, *& domum redeunt ad pluviam primam.*

Nedarim, fol. 63. 1. *& Taanith*, fol. 6. 1. *Quænam eſt pluvia prima? Incipit tertio menſis Marheshvan: media eſt ſeptimo, ultima decimo ſeptimo. Sic R. Meir: at R. Judah dicit, Septimo, decimo ſeptimo, & viceſimo primo.*

Oriente jam vere, egerunt pecora in eremos, ſive loca campeſtria, atque ea ibi paverunt per totam æſtatem, interdiu noctuque iis invigilantes, ut abſque periculo iis eſſet à feris & furibus. Habueruntque hujus rei ergô מגדל נוצרים, *Turrim cuſtodientium*, aut צריפין, *Tuguriola* quædam in hanc rem conſtituta, quod obſervavimus alibi. Jam verò, menſe *Mar-*

Digitized by Google

CAP. II. VERS. 13, 14, 21, 22. *Marheſhvan*, qui partem habuit cum *Octobri* & *Novembri* noſtris, ingruente jam hyeme, domum ſe receperunt cum gregibus & armentis.

VERS. 13. Πλῆθος στρατιᾶς οὐρανίου αἰνούντων.

Targ. in Ezech. 1: 24. משרית מלאכי מרומא, *Exercitus Angelorum ſupernorum.* Item in 1 Reg. 19: 11, 12. משרית מלאכי רוחא, *Exercitus Angelorum venti. Exercitus Angelorum commotionis. Exercitus Angelorum ignis. Et poſt exercitum Angelorum ignis,* קל דמשבחין בחשי, *Vox canentium ſilenter.*

VERS. 14. Δόξα ἐν ὑψίστοις Θεῷ, &c.

Hymnum hunc Angelicum optimè intelligas, ſi Εὐδοκία ἐν ἀνθρώποις, pro ſubjecto ponatur, & reliqua verba pro prædicato. *Benevolentia Dei erga homines eſt gloria illi in altiſſimis, & pax in terris:* Καὶ interponitur inter Δόξα & Εἰρήνη, non inter eas & Εὐδοκία.

Jam verò Εὐδοκία illa Dei erga homines, adeo nunc patefacta per Nativitatem *Meſſiæ*, ut ceſſerit in gloriam Dei, ſupervacaneum foret illuſtrare: utque in pacem in terra, docet Apoſtolus ex effectu, *Epheſ.* 2: 14. *Coloſſ.* 1: 20. alibique.

VERS. 21. Καὶ ὅτε ἐπλήσθησαν ἡμέραι ὀκτὼ τοῦ περιτεμεῖν, &c.

Peſikta, fol. 16. 3. *Interrogarunt R. Simeonem ben Jochai, Diſcipuli ejus. Quare inſtituit Lex circumciſionem die octavo? Nempe nè dum omnes alii ſunt lætantes, parentes infantis ſint mœſti. Differtur ergò circumciſio, donec tranſeat puerpera ab immunditia ſua in munditiam.* Nam ut paulò antè,

Fœmina marem pariens, prohibetur marito ſuo ſeptem diebus: at die ſeptimo, adventante jam veſperâ, quæ incboat diem octavum, טובלת ומותרת לבעלה, *tingit ſe, & permittitur marito ſuo:* nam ſi per ſeptiduum ad eam appropinquaret, contraxit ab illa immunditiam. At die jam octavo, præſto eſt *Joſephus* ut uxori provideat, & curet de infantis circumciſione.

VERS. 22. Ὅτε ἐπλήσθησαν αἱ ἡμέραι τοῦ καθαρισμοῦ.

I. *Shabb.* fol. 135. 1. *R: Aſai dicit,* כל שאמו טמאה לידה, *Ille cujus mater ſit immunda per puerperium, circumciditur die octavo. At ille cujus mater non ſit immunda per puerperium, non circumciditur die octavo.*

Quæres ſcio, quænam illa quæ non ſit immunda per puerperium? Reſpondeat Gloſſa in loc. *Illa cujus partus exſectus eſt ex utero: atque Ethnica quæ hodie parit, & cras fit proſelytiſſa, filius ejus non expectat diem octavum ut circumcidatur, ſed circumciditur illico.* Et Rabbini paulò pòſt. *Accipit quis ancillam gravidam, atque illa apud eum parit, filius ejus circumciditur die octavo. Verùm ſi accipiat ancillam, atque cum ea filium jam natum, circumciditur die primo.* CAP. II. VERS. 22.

Ethnicam non exiſtimarunt immundam factam per puerperium, ideo quòd non eſſet adhuc ſub lege de immunditia. Hinc è contra immunditia *Mariæ* puerperæ, quia illa ſub lege: ſic *Chriſtus* circumciſus, quia natus ſub lege.

II. Poſt ſeptiduum permanendum erat puerperæ triginta & tribus diebus בדמי טהרה, *In ſanguine purificationis ſuæ*, Levit. 12: 4. Ubi Græc. Ἐν αἵματι ἀκαθάρτῳ αὐτῆς, *In ſanguine ſuo immundo:* procul ab animo, *Moſis.* Et MS. Alexandr: longiùs Τριάκοντα ἡμέρας καὶ δέκα καθήσεται ἐν ἱματίῳ ἀκαθάρτῳ, *Triginta diebus & decem ſedebit in veſte immunda.* At

Peſikta ubi antè Col. 4. ſcribitur בדמי טהרה, *In ſanguine purificationis ſuæ:* אפילו שופעת דם כנהר טהורה, *Quamvis effuderit ſanguinem ſicut fluvium, tamen eſt munda:* nec quicquam polluit ex contactu, niſi ſacra. Septem diebus puerperium immediatè ſequentibus ſedit בדמי טומאה, *In ſanguine impuritatis ſuæ:* at triginta & tribus ſuccedentibus, בדמי טהרה, *In ſanguine purificationis.*

Παραστῆσαι τῷ Κυρίῳ.

I. Hoc cum primogenito factum, non cum aliis filiis poſtea genitis: atque hoc non factum cum primogenito, niſi fuerit בכור לכהן, *Primogenitus idoneus Sacerdoti.* Nam

Becoroth, cap. 8. hal. 1. diſtinguunt inter בכור לנחלה, *Primogenitum idoneum hæreditati, &* בכור לכהן, *Primogenitum idoneum Sacerdoti.* Quippe quòd ſi primogenitus foret aliquâ ſui parte mancus, aut in eo labes aut vitium ullum, hoc obicem non poſuit quominus hæreditatem acciperet; at hoc eum non idoneum reddidit, qui ſacraretur Domino.

II. Primogenitus erat illico redimendus, cùm jam triceſimum à nativitate ſua exegerat diem.

Rabbenu Aſher in Becoroth, fol. 68. 2. *Quicunque natum ſibi habet primogenitum, tenetur ad eum redimendum quinque ſiclis, poſtquam ad diem triceſimum pervenerit, ſicut dicitur, Redemptio eorum poſt menſem unum*, Numer. 18: 16. Non quòd exactè ſemper ſolutum fuerit pretium redemptionis die triceſimo, ſed quòd exactè tum erat debitum. Hinc in Tractatu citato,

Digitized by Google

CAP. II. VERS. 24, 25. citato, fol. 49. 1. *Si moriatur natus intra triginta dies, ſique dederat pater pretium redemptionis, Sacerdoti, reſtituat: ſi moriatur poſt triginta dies, & pater non dederit pretium redemptionis, det.* Ubi ſupponitur pretium ſolutum, vel ante triceſimum, vel poſt.

II. Siſtebantur illæ quæ purificandæ, in porta Atrii Orientali, *Nicanoris* dictâ, atque ſanguine aſpergebantur, *Tamid*, cap. 5. hal. 6. Ibi ſtata jam *Maria* ad purificationem, atque ibi *Chriſtus*, ut probabile, præſentatus Domino, præſentatus Sacerdoti.

VERS. 24. Ζεῦγος τρυγόνων, &c.

I. *Cholin*, fol. 22. 2. תורים גדולים, *Turtures ætate majores, columbas minores.* Nam de columbis dicitur *Pulli columbarum*, at non ita de turturibus.

Vocabatur hæc oblatio, קרבן עני, *Oblatio pauperis*, quam ſi dives obtulerit, לא יצא, non functus eſt officio ſuo. Et cùm multoties loquantur Magiſtri de קרבן עולה ויורד, *Oblatione aſcendente & deſcendente*, huc ſpectat. *Nam oblatio locupletioris erat agnus: ſi verò manus ejus non attingeret agnum, obtulit par turturum aut columbarum.* ואם דל הוא, *Quod ſi egenus eſſet, obtulit decimam partem Ephæ: dicitur ergò Oblatio aſcendens & deſcendens*, Peſikta, fol. 7. 4.

Idem, fol. 3. 4. *Agrippa Rex voluit offerre mille holocauſta die uno; aſt eum prævenit pauper quidam, duobus turturibus: ſic etiam, cùm vellet quidam offerre juvencum, prævenit eum pauper manipulo olerum.* Plenam hiſtoriam habes in *Vajicra Rabb.* fol. 168. 2.

II. De geminis columbis aut turturibus, una offerenda erat in *holocauſtum*, altera in *ſacrificium pro peccato*. Utra verò in holocauſtum, aut ſacrificium pro peccato, an ab ipſo, aut ipſa offerente, foret determinandum: an à Sacerdote, an ſorte, diſputatur à Magiſtris, *Joma*, fol. 4. 1.

Ubi obiter non obſervare non poſſumus, beatam puerperam *Mariam* offerre pro ſe *ſacrificium pro peccato*. Et quid ſibi vellet חטאת, *ſacrificium pro peccato*, norunt omnes ex *Levit.* 4. & 5.

VERS. 25. Συμεὼν ὁ ἄνθρωπος δίκαιος καὶ εὐλαβής.

I. *Simeon Juſtus*, שמעון הצדיק, de quo plurima & grandia hiſtoriæ Judaicæ, nihil rei hîc habet: nam ut certum eſt, eum longè ante hæc tempora obiiſſe, ſic incertum an ille titulo *Juſti* dignus æquè ac hic noſter.

Joſeph. Ἀρχαιολ. lib. 12. cap. 2. Δίκαιος ἐπικληθεὶς διά τε τὸ πρὸς Θεὸν εὐσεβὲς, καὶ τὸ πρὸς τοὺς ὁμοφύλους εὔνουν. *Juſtus vocatus ob pietatem ſuam erga Deum, & charitatem erga contribules.* Eſto: at majus eſt teſtimonium de *Simeone* hoc noſtro.

CAP. II. VERS. 35. II. *Rabban Simeon* filius *Hillelis*, in vivis, & Hieroſolymis erat his ipſis temporibus de quibus Euangeliſta, vivente etiam patre ejus *Hillele*: cui defuncto, ſucceſſit ille ut Præſes Synedrii. At de eo nihil famæ apud ſuos, præter nudum nomen.

Juchaſ. fol. 66. 2. *Rabban Simeon filius Hillelis ſenis Princeps Iſraëlis ſicut pater ejus: ſicut videre eſt in* cap. 1. *Shabbath*, לא נזכר במשנה, *Ejus nulla memoria in Miſnah.* Nullius ergò ille pater Traditionis, nec aliqua ab eo in *Miſnah* recitata: quod quidem ſingulare; aſt unde hoc, non dicimus. An quòd ſaniùs ſapuerit circa Traditiones, an quod non ſatis calluerit Traditiones, an quòd fuerit *Simeon* hic noſter, atque altiùs ſpectaret quàm Traditiones. Hoc tantùm obſtat, quòd *Rabban Simeon* diutiſſimè vixerit poſt natum *Chriſtum*, & quòd filium ſuum *Gamalielem* educaverit Phariſæum.

Προσδεχόμενος παράκλησιν τοῦ Ἰσραήλ.

Hoc eſt, expectans conſolationem *Iſraëlis* jam eſſe in propinquo. Nam tota gens expectavit conſolationem *Iſraëlis*: ita ut nihil frequentius iis fuerit, quam jurare per deſiderium ſuum videndi hanc conſolationem.

Chagigah, fol. 16. 2. & *Maccoth*, fol. 5. 2. *Dixit R. Judah ben Tabbai.* אראה בנחמה, *Ita videam conſolationem* [Iſraëlis] *ſi non morte mulctavi teſtem falſum. Dixit ei Simeon ben Shetah, Ita ego videam conſolationem, fudiſti ſanguinem inſontem.*

Chetubb. fol. 67. 1. *Dixit R. Eliezer ben Zadok.* אראה בנחמה, *Ita videam conſolationem, vidi eam colligentem hordea inter ungulas equorum.*

Shevuoth, fol. 34. 1. *R. Simeon ben Shetah dixit, Ita videam conſolationem, vidi quendam ſtricto gladio alium perſequentem.*

Targ. in Hierem. 31: 6. *Qui deſiderant annos conſolationis venturos.*

VERS. 35. Καὶ σοῦ δὲ αὐτῆς τὴν ψυχὴν, &c.

Animam, id eſt, *vitam tuam tranſibit gladius.* Prædicitur beatiſſimam Virginem ſubituram martyrium. Poſitus eſt hic puer in contradictionem, & tu ipſa ab iſta contradictione non eris immunis, ſed morieris gladio. Suffragatur huic interpretationi *Epiphanius*.

Hæreſ. 78. cap. 23. Ἤτοι ἀπέθανεν ἡ ἁγία παρθένος, &c. *Sive mortua eſt Virgo ſanctiſſima, & ſepulta, ſummo cum ſplendore conjuncta mors illius eſt, & caſtiſſimus exitus, ac virginitatis ei corona conceſſa:* ἤτοι ἀνῃρέθη, καθὼς γέγραπται καὶ τὴν ψυχὴν αὐτῆς διελεύσεται ῥομφαία.

Sive

Digitized by Google

Sive interfecta eſt, ſicut ſcriptum eſt, Et tui ipſius animam penetrabit gladius; gloriam martyres inter, ac decus obtinet.

VERS. 36. Ἄννα προφῆτις θυγάτηρ Φανουήλ ἐκ φυλῆς Ἀσήρ.

Erant ergo Prophetæ jam in populo. Veriſſimè quidem; *jam* erant, appropinquante aurorâ Euangelii; at per quatuor annorum retro Centurias aut circiter, nè unus quidem qui dignus iſto nomine, quamvis Judaici Scriptores nonnullos honorifico iſto titulo cohoneſtent, de qua re non hic agendum. At num inter eos *Anna* hæc noſtra æſtimata pro Propheti ſſa? Si ita, unde iſtud, *A Galilæa Propheta non ſurgit*, *Joann.* 7:52. Nam erat illa Galilæa: & forſan ipſiſſimæ hujus rei ergô, notatur de ea quòd fuerit *de Tribu Aſer*.

Et quidnam concipis de his verbis in *Vajiora Rabba*, fol. 174. 4. & *Bemidbar Rabb.* fol. 250.4. נתון בצפון יבא ויבנה ארת בה שהוא מלך המשיח שהוא נתון בדרום. *Rex Meſſias qui poſitus eſt ab Aquilone, veniet & ædificabit domum Sanctuarii, quod poſitum eſt ab Auſtro.* Nonne aliquid ſaporis habent de *Chriſto* prodeunte ex *Galilæa*?

VERS. 37. Οὐκ ἀφίστατο ἀπὸ τοῦ ἱεροῦ.

I. Quæro ego, an fœminæ quoquam munere fungerentur in Templo, quod opinantur nonnulli? Illud quod huc adducitur de fœminis congregatis ad oſtium Tabernaculi, 1 *Sam.* 2:22. longè aliud eſt à miniſtratione aliqua publica, ſi Targumiſtam & Rabbinos Interpretes admittere velis.

Sic *Exod.* 38:8. נשים הצובאות, *Mulieres turmatim concurrentes* ad oſtium Tabernaculi. Targ. & hìc & loco ante citato, נשיא דאתין לצלאה, *Fœminæ quæ venerunt ad orandum.* Ubi Interpretes Græci legerunt צמאות pro צובאות, nam reddunt νηστευσασῶν, αἳ ἐνήστευσαν. Ex pari audacia vel lippitudine omiſerunt clauſulam iſtam, 1 *Sam.* 2:22. *Et quòd coïrent cum mulieribus turmatim confluentibus ad oſtium Tabernaculi.*

Patet fœminas iſtas aliunde Tabernaculum adiiſſe devotionis ergô, non officio aliquo in eo fuiſſe functas. Sic & hæc noſtra, natu *Aſeritis*, at natale ſolum verterat, & *Hieroſolymis* ſedem ſuam fixerat, partim ut devota, quo promptiùs orationibus vacaret in Templo, partim ut Propheti ſſa, ut prophetaret in Metropoli.

II. Non *receſſit à Templo*, id eſt, ſtatis temporibus orationis. Sic præcipitur *Aaroni* & filiis, *Levit.* 10:7. *Non egrediemini ex oſtio Tabernaculi*: ubi *Siphra*, fol. 24.2. לא בשעת עבודה, *Non tempore miniſterii.*

VERS. 42. Καὶ ὅτε ἐγένετο ἐτῶν δώδεκα.

Chetubb. fol. 50. *Leniter agat homo cum filio ſuo ad annum ejus duodecimum:* מכאן ואילך יורד עמו לחיו, *aſt exinde deſcendat cum eo in vitam ſuam.* Sedulò jam & cum ſeveritate, ſi opus eſt, applicet eum ad viam, normam, & artem iſtam in qua ei eſt vivendum.

Joma, fol. 82. 1. Ab anno duodecimo initiabant pueros ad jejunandum, מעת לעת, A tempore in tempus, aut משעה לשעה, ab hora in horam, ut aſſuefierent, & jejunare poſſent die expiationis.

Chriſtus jam duodenarius יורד לחיו, applicat ſe ad opus ſuum, ἐν τοῖς τοῦ πατρὸς εἶναι.

Ignat. Mart. Epiſt. ad Magneſ. Σολομὼν δωδεκαετὴς κρίσιν ἐπὶ ταῖς γυναιξὶν ἐποιήσατο. *Solomon duodenarius judicavit inter duas fœminas.*

Shemoth Rabb. Dicit R. Chama. Moſes duodenarius avulſus eſt à domo patris ſui.

VERS. 43. Καὶ τελειωσάντων τὰς ἡμέρας.

Oritur quæſtio, an licuerit diſcedere *Hieroſolymis* ante finitum ſeptiduum? Si non, quare diſcedunt *Petrus* & *Cleopas* die tertio? Si aliter, quonam ſenſu intelligendum eſt præceptum de manducatione Azymorum per totum ſeptiduum?

I. Diſputatur à Magiſtris ſuper verba iſta, *Deuter* 16:6, 7. *Immolabis Paſcha veſpere ad occaſum ſolis-- Manèque conſurgens vades ad tentoria tua*, an licuerit manè poſt comeſum agnum redire ad ſua. Et negatur, idque meritò. Nam ut

Gloſſ. in Chagigah, fol. 17. 2. *Die feſto*, i. e. primo ſeptidui, *limites ſabbatici prohibuerunt.* Die enim feſto non licuit excedere limites ſabbaticos. *Illud ergò*, inquiunt illi, *quod dicitur*, Ibis ad tentoria tua, *hoc vult*, *Ibis ad tentoria tua quæ extra mœnia Hieroſolymæ, at nequaquam in domum tuam.*

II. Num licuit igitur die feſti ſecundo redire ad ſua? Nec illud: nam die iſto erat generalis comparitio in Atrio, & præſentatio oblationum. Et hoc videtur innui à *R. Elhanani*, in gloſſa alia ad locum modò citatum. *Duæ cauſæ*, inquit, *erant pernoctationis in Hieroſolyma, prima ob diem feſtum, ſecunda ob* קרבן, *Oblationem.*

III. Tertio die non erat illicitum diſcedere, ſi urgeret neceſſitas. Sed, quod in plurimis dicere ſolent Magiſtri, in hoc etiam dici poteſt יותר משובח, laudabilius erat ſi *Hieroſolymis* commorarentur per totum ſeptiduum, præſertimque propter diem ultimum qui erat feſtus.

Peſikta, fol. 75. 3. *R. Joſe Galilæus dicit.* שלוש

Digitized by Google

CAP. II. VERS. 43,44,46. מצוות נוהגות ברגל, *Tria præcipiuntur præſtanda in feſto.* 1. חגיגה *Chagigah.* 2. ראיה *Comparitio* in Atrio. 3. שמחה, *Lætitia. Chagigah*, ſive oblatio Pacificorum, erat die primo. *Comparitio* in Atrio erat die ſecundo Et *Lætitia* potuit eſſe die utroque.

IV. In Tractatu *Moed-Katon*, qui agit de rebus licitè faciendis vel non faciendis in intermedio feſti, vel in diebus feſti profeſtis, in ipſo limine permittuntur varia, quæ planè arguunt abſentiam & diſtantiam ab *Hieroſolymis.*

V. Quòd ad manducationem Azymorum attinet, præceptum erat indiſpenſabile, בל יאכל ובל ימצא, ut nec ederetur fermentatum, nec apud eos inveniretur fermentum per dies illos ſeptem: at nemo dixerit reſtrictum fuiſſe hoc præceptum ad *Hieroſolymam*. Dicitur in *Hieroſ. Kiddushin*, fol. 61. 3. פסחן של נשים רשות, *Paſcha fœminarum eſt arbitrarium:* id eſt, comparitio fœminarum *Hieroſolymis* ad Paſcha: at non dixerint, quòd comeſtio Azymorum erat arbitraria fœminis, aut pro libitu. Nam quamvis ſederent domi, & non proficiſcerentur *Hieroſolymas* ad Paſcha, abſtinuerunt tamen à fermentatis domi.

Hieroſ. Megillah, fol. 74. 5. מצה נאכלה בכל מושב. *Azyma comeſta ſunt in unaquaque domo.*

VI. Videtur ex Phraſiologia Τελειωσάντων τὰς ἡμέρας, quòd *Joſephus* & *Maria* commorati ſunt *Hieroſolymis* per totum ſeptiduum; quod & ab aliis generaliùs factum ex devotione. Et tum concipe quàm innumeræ turbæ hac & illac jam diſcederent, ſpeciatim verò quanta cum *Joſepho* & *Maria* versùs *Galilæam*. Ita ut minùs mirum foret, ſi *Jeſus* in conſpectu parentum non fuiſſet, ſi modò extitiſſet ſimul cum turba, nec abſentia ejus in eorum ſuſpicione.

VERS. 44. Ἦλθον ἡμέρας ὁδὸν.

Ab *Hieroſolymis* versùs *Galilæam* prima ordinaria dieta erat ad *Neapolin*, olim *Sichem*, diſtantem XXX. M. paſſ. At quæras an iſta fuerit præſens dieta *Joſephi* & turbæ coitinerantis? Longè propiùs ab *Hieroſolymis* oſtenditur peregrinantibus locus, ubi primùm abſentia Chriſti innotuit parentibus, nomine *Beere*, decem tantùm miliaribus diſtans ab urbe. Crede oſtendentibus, pro libitu.

VERS. 46. Καθεζόμενον ἐν μέσῳ τῶν διδασκάλων.

I. *Sanhedr.* cap. 11. hal. 2. גבתי דינין שם. *Tres Conſeſſus erant in Templo. Unus in portâ Atrii gentium. Alius in porta Atrii Iſraëlis. Tertius in Conclavi Gazith.*

Erat etiam Synagoga intra Templum: quod obſervandum. CAP. II. VERS.

Joma, fol. 68. 2. *Venit Pontifex maximus* 46.
lectum, [Periochas iſtas quæ legendæ die expiationis] *Chazan Synagogæ accipit librum Legis, eumque dat Archiſynagogo, Archiſynagogus τῷ Sagau, & Sagau ſummo Pontifici*, &c. Ubi Gloſſ. *Synagoga erat prope Atrium, in monte Templi.*

In quonam horum loco inventus jam fuerit Chriſtus, definiant illi qui *Beere* definierunt, ubi non inventus.

II. Quemnam etiam locum capeſſeret inter doctores, non facile dictu: præſertim cùm illud obtineret, quod dicitur

Megillah, fol. 21. 1. *Tradunt Rabbini. A diebus Moſis ad Rabban Gamalielem, non didicerunt Legem niſi ſtantes. At cùm obiiſſet Rabban Gamaliel, ægritudo invaſit mundum, ita ut diſcerent Legem ſedentes. Unde & Traditio, Ex quo obiit Rabban Gamaliel defecit gloria Legis.* Vid. & *Succah*, fol. 49. 1. & *Juchaſin*, fol. 53. 1.

Et cùm eò deventum eſſet poſt mortem *Gamalielis*, ut ſederent Diſcipuli dum prælegeret Magiſter, quomodo ſederunt? בקרקע, *Humi.*

Hinc illud loco in *Megillah* citato. *Rabb noluit ſedere in lecto, & prælegere Diſcipulo ſedenti humi.* Ubi Gloſſ. *Aut uterque ſuper lectum, aut uterque humi.*

Ibid. fol. 27. 2. *Interrogarunt R. Eleazarum ben Shammua Diſcipuli ejus, Quomodo ad hoc grandævitatis perveniſti? Quibus ille, Ego nunquam feci Synagogam* קפנדריא, *communem tranſitum* [i. e. Nunquam pertranſii per Synagogam ut viam meam abbreviarem] ולא פסעתי על ראשי עם קדש, *Nec unquam inceſſi ſuper capita populi ſancti*, Gloſſ. *Super capita Diſcipulorum ſedentium humi*, in Beth Midras.

Gloſſ. in Sanhedr. fol. 17. 2. לא באו לזקנה יושבין בקרקע, *Si non adhuc attigiſſent Presbyteratum, ſederunt humi.*

An in nuda humo, poſſit diſputari ſi eſſet locus; ſed jam omittimus: hic enim mos invaluit poſt mortem *Gamalielis*, qui non niſi pluribus ab hinc annis cathedram capeſſivit. In cathedra jam ſedit *Hillel* magnus, vel ſi ille nuperrimè occubuerit, cathedram jam tenuit *Simeon* ejus filius. Diſcipulorum ergo nunc temporis erat ſtare coram Magiſtris, & non ſedere. Quomodo ergò Chriſtus eſt inter Doctores καθιζόμενος; Solutionem ſumas ex voce ſequenti.

Καὶ ἐπερωτῶντα αὐτούς.

Licuit, & in more erat, vel Diſcipulis, vel quibuſvis aliis præſentibus, Magiſtrum prælegentem, vel etiam totum Synedrium

Digitized by Google

CAP. II. VERS. 46. drium aut conſeſſum, publicè interrogare de dubio quovis quod iis hæſit. Duabus hiſtoriis vice plurium hoc illuſtremus.

Bereſh. Rabb. fol. 90. 3. *R. Judah ordinavit R. Levi ben Suſi Doctorem Simonienſibus. Struxerunt illi ei ſuggeſtum magnum, atque illum in eo collocarunt. Et propoſuerunt ei quæſtiones* [ex Deuter. 25:9. excitatas] גדמת ובמה היאך חולצת, *Si truncata manibus ſit fratria, quomodo per eam extrahendus eſt calceus leviri?* רקקה דם מה, *Si conſputet ſanguinem, quid tum?* Num ſanguis ab ea in ejus faciem conſputandus? Quæſtiones certè profundiſſimæ, & quæ Oedipum Oedipodiſſimum requirerent.

Hieroſ. Taanith, fol. 67. 4. *Hiſtoria eſt de Diſcipulo quodam, qui venit & interrogavit R. Joſua*, הפילת הערב מה היא, *Oratio veſpertina cujus qualitatis eſt? Reſpondit ille*, רשות, *Arbitraria. Venit ad Rabban Gamalielem, & interrogavit, & ille dixit*, חובה, *Eſt ex officio. Cui alter, Nonne R. Joſua dixit mihi, Eſt pro arbitrio? Et ille, Craſtino, cùm ego ingredior Conſeſſum, proſta tu, & de hac re interroga. Proſtitit iſte Diſcipulus, & interrogavit Rabban Gamalielem* [præſidem Synedrii] *Oratio veſpertina cujuſnam eſt qualitatis? Reſpondit ille*, חובה, *Res ex debito. Et alter, At ecce R. Joſua dicit, Quòd eſt res arbitraria. Tum Gamaliel ad Joſuam, Num tu dicis quòd eſt de arbitrio? Dicit ei non. Dicit, Exurge in pedes tuos, ut in te teſtentur. Rabban Gamaliel erat ſedens & exponens* [iſtum articulum ut probabile] *R. Joſua autem ſtans in pedes ſuos, donec acclamaret ei omnis populus. Dicunt* τῷ *R. Hoſpith Interpreti, Dimitte populum. Dicunt* τῷ *R. Zenon Chazan, Dic Incipite, & dixerunt Incipito; atque omnis populus ſtetit in pedes ſuos. Dixerunt ei, Super quem non tranſiit malitia tua ſemper? Extemplo iverunt, & præfecerunt R. Eliezarum ben Azariah Synedrio---* כמה ספסלים היו שם, *Quotnam ſedilia fuerunt ibi? R. Jacob ben Suſi dicit, Octoginta ſedilia Diſcipulorum Sapientum, præter eos qui ſteterunt poſt cancellos. R. Joſe ben R. Bon dicit Trecenta ſedilia præter eos qui ſteterunt poſt cancellos.* Eadem hiſtoria *Babyl. Beracoth*, fol. 27. 2.

Hæc ideo copioſiùs exſcripſimus, non ſolùm ut probatum habeat Lector, illud quod diximus de Diſcipulis interrogantibus Magiſtros in Conſeſſu, ſed ut videat morem aliquem Conſeſſûs, & ut confluxerint illuc plurimi, non ſolùm de Diſcipulis Sapientum, ſed & de aliis.

II. Addamus inſuper & iſta.

Maymon. Sanhedrin, cap. 1. *In urbe, in qua non ſunt duo Sapientes magni, unus aptus ad docendum & inſtruendum in tota Lege, & alius qui novit audire, & interrogare, & reſpondere, non conſtituunt Synedrium, quamvis ſint ibi milleni Iſraëlitæ*, &c.

Sanhedr. fol. 17. 2. *In civitate in qua non ſunt duo qui loquantur, & unus qui audiat, non conſtituunt Synedrium. In Bitter erant tres. In Jabneh quatuor, viz. R. Eliezer, R. Joſua, R. Akibah, & Simeon Temanites.* דן לפניהם בקרקע, *Ille judicavit coram iis ſedens humi.* Per eum *qui audit*, intelligunt eum, qui ita peritus erat Traditionum, ut proponere quæſtiones potuerit, & reſpondere quibuſvis quæſtionibus propoſitis. Talis erat *Simeon Temanites*, qui quamvis eâ eruditione foret, tamen quia ad Presbyteratum non erat promotus, ſedit humi, id eſt, non in ſubſelliis Patrum Synedrii, ſed בספסלים, *In uno ſedilium* quæ erant propè à terra: nam hæc loquuntur de temporibus poſt mortem *Gamalielis* magni. Nihil incongrui ergò ſecum fert, ſi arbitremur *Chriſtum* jam fuiſſe in Synedrio ipſo, illuc accedere potuerunt *Joſephus* & mater, ut eum quærerent; atque ipſum in ipſis ſubſelliis Patrum eſſe pro tempore, cùm aptum ſe approbaſſet ad proponendum quæſtiones, vel reſpondendum. Nam ad ſua ſubſellia admiſerunt & alios, alia etiam ex cauſa, *Sanhedr.* fol. 40. 1. Et minùs mirum eſt, ſi ille in ſubſelliis Patrum jam ſederet duodecim tantùm annos natus, cùm *R. Eleazar ben Azaria* in Cathedram primariam admiſſus fuerit, annos natus tantùm ſedecim. *Hieroſ. ubi antè.* Si verò foret in Synedrio inferiori, multò magis potuit inter eos ſedere. Verùm illud, quod maximè quærendum, eſt an Chriſtus inter hos ſederit *ut Diſcipulus?* quod vix credendum.

CAP. III.

CAP. III. VERS. 2. Ἐπ' ἀρχιερέων Ἄννα καὶ Καϊάφα.

Hieroſ. *Sanhedr.* fol. 29. 1. אין ממנין שני כהנים גדולים באחת, *Non præficiunt duos ſummos Pontifices ſimul*, Veriſſimè quidem. At præfecerunt tamen סגן, *Sagan* cum ſummo Pontifice.

Juchaſin, fol. 57. 1. ex *Rambam*. זה למעלה לכג כמו שני למלך, *Sagan quoad gradum, idem erat ſummo Pontifici, quod ſecundus quis Regi.*

Subſtituerunt quidem Pontifici ſummo, Sacerdotem alium, veſperiis diei Expiationis, qui in promptu eſſet ad fungendum officio diei, ſi fortè immundities aliqua invaderet ſummum Pontificem, *Joma*, cap. 1.

Hieroſ. Horajoth, fol. 47. 4. *Hiſtoria eſt de Ben Elam è Zipporim, quòd cùm gonorrhæa obtigerat Pontifici die Expiationis, ille ingreſſus eſt & functus officio diei.*

Et alia hiſtoria, de Simeone ben Kamith, quòd cùm ambularet cum Rege veſperiis diei Expiationis, veſtes ejus à ſaliva alterius erant tactæ.

Digitized by Google

CAP. III. VERS. 2. *Ingreſſus ergo Judah frater ejus miniſtravit. Vidit illo die mater eorum, duos filios ſuos ſummos Pontifices.*

Quæritur meritò, an *Sagan* idem fuerit cum hoc deputato, & Judæi ipſi de re diſputant. Tuerer ego negativum: nam *Sagan* non erat tam *Vice-Pontifex*, quàm, ut ita dicam, *Super-Sacerdos*; idem cum ממונה, *Præfecto Templi*, de quo tam frequens mentio apud Magiſtros: cui cura præcipuè incubuit de miniſterio.

Joma, cap. 3. hal. 1. אמר להם הממונה, *Dicit iis Præfectus, Ite, & videte num inſtet tempus mactandi victimam.*

Tamid, cap. 3. hal. 1. אמר להם הממונה, *Dicit iis Præfectus, Venite, & projicite ſortes, quis mactet victimam, quis ſpargat ſanguinem*, &c. Gloſſ. ממונה הוא סגן, *Præfectus eſt Sagan.*

Vocatur vulgò סגן כהנים, *Sagan Sacerdotum*, quod arguit primatum ejus inter Sacerdotes potius quàm deputationem ſub Pontifice.

Sanhedr. fol. 19 1. *Cùm ſtat ſummus Pontifex in circulo lugentes conſolante,* ס״ן ומ״ש ח בימינו, *Sagan & unctus ad bellum ſtant à dextra ejus,* & ראש בית אב, *Caput domûs patris, & lugentes, & totus populus à ſiniſtra.*

Nota ordinem τῦ *Sagan.* Ille infra ſummum Pontificem, at ſupra capita Ephemeriarum.

II. *Reg.* 23: 4. את כהני המשנה, *Sacerdotes ſecundi ordinis:* Targ. ית סגן כהניא, *Sagan Sacerdotum*, & Cap. 25: 18. צפניהו, כהן משנה, *Zephaniam Sacerdotem ſecundum:* Targ. צפניה סגן כהניא, *Zephaniam Sagan Sacerdotum.*

Erat itaque *Cajaphas* ſummus Pontifex, & *Annas Sagan*, vel Præfectus Templo, qui ob independentem iſtam dignitatem, vocatur Ἀρχιερεὺς æquè ac *Cajaphas*, quique ideo videtur nominari prior, quia illius erat ſocer.

Chetubb. fol. 88. 2. & fol. 105. 1. פלוגתא דחנן ובני כהנים גדולים, *Diſſentio eſt inter Hanan & filios ſummorum Sacerdotum*, &c. In cauſa ſcil. judiciaria, circa uxorem efflagitantem dotem ſuam, &c. Ubi ſcrupulus eſt, quinam hi כהנים גדולים, ſummi Sacerdotes: an Patres & Capita Ephemeriarum, an ſummus Pontifex tantùm & Sagan? Erat בית דין של כהנים, *Conſeſſus Sacerdotalis*, Cap. 1. ejuſdem Tractatûs, hal. 5. de quo diximus ad *Matth.* 26: 3. Jam quæritur, an per *filios ſummorum Sacerdotum*, intelligendi ſint filii Patrum Ephemeriarum, an ipſi Patres Ephemeriarum, ut filii Pontificis & Sagan, ubi Pontifex in iſto Conſeſſu fuit inſtar נשיא, *Principis in Synedrio*, & *Sagan* inſtar אב בית דין, *Patris Synedrii.*

CAP. III. VERS. 5, 8, 11, 13. *Peſikta*, fol. 11. 4. *Moſes factus eſt Sagan Aaroni: deveſtivit eum & veſtivit eum,* [in die ſcil. conſecrationis ejus.] *Et ſicut factus eſt ei Sagan in vita ejus, ſic factus eſt etiam in morte ejus.*

VERS. 5. Πᾶσα φάραγξ πληρωθήσεται, &c.

Tale quid factum tradunt Judæi, à nube ductrice Iſraëlis in eremo. Pro multis loquatur *Targ.* in Cantic. 2: 6. *Præcurrebat eos nubes una, itinere trium dierum,* לכבא טוריא ולמר לי מישריא, *ad deprimendos colles, & elevandas valles, & interimebat omnes ſerpentes ignitos & ſcorpios in deſerto, & explorabat eis locum idoneum ad pernoctandum.*

Quonam reſpiciant verba Prophetæ, norunt bene Chriſtiani. Judæi applicant ad vias complanandas pro reductione captivitatis Iſraëliticæ: nam hoc præcipuum erat quod à *Meſſia* expectarunt, ut reduceret tantùm captivitatem *Iſraëlis.*

Bereſh. Rabb. fol. 110. 3. *R. Chanan dicit, Iſraëli non opus eſt doctrinâ Meſſiæ Regis, tempore futuro, nam dicitur, Illum gentes requirent*, Eſaj. 11: 10. *at non Iſraël. Si ſic, quare venit Meſſias, & quidnam venit acturus?* לכנס גלותיהן של ישראל, *Ut colligat ſcil. captivitatem Iſraëlis*, &c.

VERS. 8. Ἐκ τῶν λίθων τούτων ἐγεῖραι τέκνα τῷ Ἀβραάμ.

An Baptiſta luſerit ſono vocabulorum בניא, *Banaia*, & אבניא, *Abanaia*, non dicimus: egregiè certè deridet vanam populi fiduciam & jactantiam, [cui nihil antiquius, vel frequentius, qu ım gloriari, quòd eſſent filii *Abrahami*] cùm, inquit ille, filios *Airahami* quales vos eſtis, ſuſcitare poteſt Deus etiam de hiſce lapidibus.

VERS. 11. Ὁ ἔχων δύο χιτῶνας, μεταδότω τῷ μὴ ἔχοντι.

Nemo dixerit ſenſum eſſe, Qui habet duas tunicas, det ei qui non habet duas, ſed ei qui non habet ullam: nam uti ſimplici tunicâ aut veſtimento, pro re religioſa habitum eſt à nonnullis, de qua re alibi.

VERS. 13. Μηδὲν πλέον παρὰ τὸ διατεταγμένον.

Sanhedr. fol. 25. 2. כיון דחזו דקא שקלי יתירא פסלינהו, *Cùm viderent Rabbini, quòd Publicani nimium exigerent, reſpuerunt eos,* ut non idoneos ad teſtandum in re qualibet. Ubi Gloſſ. יתירא, *Nimium*, id eſt, יותר מן הקצבה, Πλέον παρὰ τὸ διατεταγμένον.

Et laudatur ibidem Pater *R. Zeiræ*, quòd leniter

CAP. III. VERS. 14, 22, 23. leniter & honeſtè munere iſto fungeretur. *Publicanatum egit 13 annis: Cùm ad oppidum adventaret Princeps civitatis, videretque Publicanus Rabbinos, dicere iis ſolitus eſt,* לך עמי בא בחדריך, *Vade, populus meus, intra in cubicula tua,* Eſaj. 26. Gloſſ. *Nè videat vos Princeps civitatis, & obſervans quòd multi eſtis, cenſum augeat annuatim,* &c.

Vers. 14. Μηδὲ συκοφαντήσητε.

Levit. 19:11. לא תשקרו, Græc. Οὐδὲ συκοφαντήσει ἕκαστος.

Job. 35:9. עשוקים, Græc. Συκοφαντούμενοι. Vide *Pſalm.* 72:4. & 119:122, &c.

Dion. Caſſ. lib. 58. ſtatim ab initio. Τῶν γάρ τοι συκοφαντεῖν ἐθελόντων ἔργον ἐστὶ λοιδορίας τε τινὸς προκατάρχεσθαι, καὶ ἀπόρρητόν τι ἐκφαίνειν, ἵνα ἀκούσας ἕτερος, αὐτὸς καὶ ὅμοιόν τι εἰπὼν αἰτιαθῇ.

Hic enim ſycophantis mos, ut convitiis proſcindere aliquem, & arcani quippiam efferre ipſi incipiant, ut audiens alter, ipſe quoque ſimile aliquid enuntiando crimini obnoxius fiat.

Τοῖς ὀψωνίοις.

Vox Rabbinis etiam uſitata.

Midr. Schir. fol. 5. 3. *Rex diſtribuit* אופסוניות ללגיונתיו: ὀψώνια *legionibus.*

Sanhedr. fol. 18. 2. *Rex non admittendus eſt ad intercalationem anni,* משום אופסניא, *propter opſonia.* Nè ſcil. ſibi ipſi faveret in diſpoſitione anni quoad opſonia militum.

Vers. 22. Ὡσεὶ περιστερὰν.

Inſedit, ſi Judæis credes, columba aurea, ſummitati ſceptri *Solomonis.*

Bemidb. Rabb. fol. 250. 1. *Sedenti Solomoni in ſolio, ſceptrum poſt eum appenſum eſt,* ויונה בראשו, *in cujus ſummitate erat columba, & corona aurea erat in ore columbæ.*

Vers. 23. Ὢν, ὡς ἐνομίζετο, υἱὸς Ἰωσήφ.

I. *Shemoth Rabba,* fol. 160. 4. *Parabola. Orphana quædam educata fuit ſub* אפוטרופוס, *Nutritio quodam, viro bono & fideli. Voluit ille tandem eam elocare in matrimonium. Accerſitur Scriba qui ſcribat libellum de dote ejus. Dicit ille puellæ, Quodnam eſt tibi nomen? N. inquit illa. Et quodnam nomen patris tui? Hìc illa ſiluit. Cui Nutritius, Quare ſiles? Cui illa, Quia ego non novi patrem ullum præter te.* שהמגדל נקרא אב ולא המוליד, *Nam ille qui educat, vocatur pater, non ille qui generat.* Nota illud. Joſephus *Jeſum* pro filio agnoverat ab ejus incunabulis, ſic doctus ab Angelo, & ſic conventum eſt inter eum & *Mariam:* eum redemerat infantem, nutriverat puerum, educaverat juvenem: nil mirum ergò, ſi vocetur *Joſephus* pater ejus, atque is Ἐνομίζετο υἱὸς Ἰωσήφ. CAP. III. VERS. 23.

II. Cogita qualenam potuiſſet eſſe judicium Synedrii hac in cauſa ex hac hiſtoria.

Kiddushin, fol. 80. 1. *Venit mulier quædam Hieroſolymam cum puerulo ſuper humeros ſuos portato. Educavit illa eum, atque ille tandem cum ea coiit. Adducti ſunt ad Synedrium, & Synedrium eos lapidavit:* לא מפני בנה ודאי, *Non quòd indubitatò eſſet ejus filius,* אלא מפני שכרוך אחריה, *Sed quòd ille ita ei adhæſerat.*

Jam finge tibi beatiſſimum *Jeſum,* defuncto *Joſepho,* acceſſiſſe ad Synedrium, poſtulatum fundum & bona ejus, ut hæredem; nonne æquâ ratione obtinuiſſet, ut *Joſephi* filius? Non quòd abſque dubio ejus filius foret, ſed quòd ab incunabulis ita ei adhæſerat, à *Joſepho* ſemper educatus ut filius, & ſemper agnitus.

III. De *Joſepho* quodam fabro, loquuntur Magiſtri, ſect. 13. ejuſdem Tract. *Shemoth Rabba,* fol. 128. 4. שאל אבנימוס הגרדי וגו', *Interrogavit Abnimus Gardiæus Rabbinos b. m. unde terra creata eſt primùm? Reſpondent illi, Non eſt quiſpiam peritus in iſtiuſmodi rebus:* אלא לך אעל אבא יוסף הבנאי, *Aſt ito tu ad Abba Joſeph architectum. Abiit, & invenit eum ſtantem ſuper tigna.*

In obſcuro æque eſt quiſnam ille *Joſephus faber,* & quiſnam *Abnimus;* quamvis de hoc frequentior mentio apud iſtos authores, dicantque *Abnimum & Bileamum fuiſſe ſummos Philoſophos totius orbis. Beresh. Rabb.* fol. 73. 4. Hoc ſolùm de eo legimus, quòd interceſſit familiaritas inter illum & *R. Meir. Midr. Ruth,* fol. 43. 2.

Τοῦ Ἡλί.

I. Nec opus eſt, nec ratio ulla, nec fundamentum omnino ullum, quo fingamus conjugia neſcio quæ, & fratriationes neſcio quas, ut tollatur ſcrupulus hoc in loco, ubi quidem non eſt ſcrupulus omnino ullus. Nam

I. *Joſephus* hic non vocatur filius *Heli,* ſed *Jeſus.* Vox enim *Jeſus,* vel υἱὸς [non υἱοῦ] ſubintelligenda eſt, atque in animo lectoris adjungenda unicuique propagini in hac genealogia hoc modo: *Jeſus filius Joſephi, ut exiſtimabatur, filius Heli, filius Matthat,* & tandem *filius Adami, filius Dei.* Parum enim ad rem Euangeliſtæ erat, vel Genealogiam *Joſephi* ducere ab *Adamo,* vel oſtendere *Adamum* fuiſſe filium Dei: quod non ſolùm duriuſcule ſonat, ſed hìc enormiter & ferè blaſphemè. Nam cùm dixerat *Lucas,* verſ. 22. vocem cœleſtem pronuntiaſſe *Jeſum filium Dei,* putaſne eundem *Lucam* immediatè pronunciare velle *Adamum*

CAP. III. VERS. 23, 27. *filium Dei?* Quæ ipſiſſima res planè docet, quidnam ſibi propoſuerit Euangeliſta in textura hujus genealogiæ, nempe ut oſtenderet, *Jeſum*, qui teſtimonium cœlitùs à Deo acceperat *Hic eſt filius meus*, eundem eſſe qui promiſſus fuerat *Adamo* de ſemine mulieris. Genealogiam ergò ejus texit per mulierem, matrem ejus, filiam *Heli*, & uſque ad *Adamum* cui ille promiſſus. Atque ex poſtremo nexu catenæ genealogicæ docet, quo ſenſu ſumendus primus, nempe quòd *Jeſus* vocetur filius *Heli*, non *Joſephus*, ut *Jeſus* filius Dei, non *Adamus*. Et ſic in unoquoque nexu intercurrente, ſubintelligendus, *Jeſus* filius *Matthat*, filius *Levi*, filius *Melchi*, & ſic de reliquis.

Et congruit hic ſtilus genealogicus cum iſto *Moſis*, *Geneſ.* 36:2. אהליבמה בת ענה בת צבעון, quæ verba ſi reddas, *Abolibama filia Anæ filiæ Zibeon*, emaſculas *Anam*, qui vir fuit & pater *Abolibamæ*, verſ. 24, 25.

II. Si daretur *Joſephum* vocari filium *Heli*, quod nequaquam conceditur, non laboraret tamen admodùm ſolœciſmo, cùm gener ejus foret maritus *Mariæ*, ejus filiæ: filius per legem, ſed non per naturam.

II. *Hieroſ. Chagigah*, fol. 77. 4. Agitur de religioſo quodam, qui in inſomniis vidit pœnas inferorum. Inter alia חמא מרים בת עלי בצלים, quæ ſic reddimus, libentiſſimè corrigendi, ſi erramus. *Vidit Mariam filiam Heli in umbris. R. Lazar bar Joſah dicit* תליא בחיטי ביזייא, *ſuſpenſam per glandulas mammarum. R. Joſah bar Haninah dicit* צירייא דתרעאר גהינם קביע באודנה, *Vectis portæ Gehennæ erat infixus ejus auri.*

Si hic ſit verborum ſenſus, quod ego quidem credo, eouſque convenit cum Euangeliſta noſtro, ut *Maria* dicatur filia *Heli*, & reliqua dici in opprobrium beatiſſimæ Virginis quis non ſuſpicetur? Cui etiam convitiantur ſub nomine *Sarda* non raro.

VERS. 27. Τοῦ Ῥησὰ, τοῦ Ζοροβάβελ, τοῦ Σαλαθιὴλ, τοῦ Νηρί.

I. Quòd omittatur *Pedajah* pater *Zorobabelis*, 1 *Paralip.* 3:19. convenit cum *Ezr.* 5:2. *Hag.* 1:1, &c. Sed quare ille ab iis omiſſus, non facile dictu.

II. De variatione nominum hìc & 1 *Paralip.* 3. hoc certè non indignum obſervatione: quòd *Zorobabel* & filii ejus, tralati fuerunt ex *Babylonia* in *Judæam*, & tralata forſan nomina cùm mutarent ſedes. Non tutum admodùm fuit *Zorobabelo*, iſto nomine vulgò vocari in *Babylonia*, quippe quòd ſonaret *Ventilationem* Babelis: vocatus ergò ibi vulgatiùs *Schesbazar*. At tutiſſimum in Judæa reſumere nomen *Zorobabel*, cùm *Cyrus* & *Darius* jam ventilaſſent *Babylonem*. Sic filii ejus *Meshullam* & *Hananiah*, vix tutò, & vix propriè dici potuerunt *Abiud*, id eſt, *Patris mei eſt gloria*, & *Rheſa*, *Princeps*, in Babylonia: aſt in Judæa, hæc nomina accommodatiſſima. CAP. III. VERS. 36.

III. De variatione etiam nominum hìc & *Matth.* 1. diximus iſto loco. Nempe quòd *Neri* revera erat pater *Salathielis*: at dicit Matthæus *Jechoniam* illum genuiſſe, [qui obiit abſque liberis, *Hierem.* 22:30.] non quòd illius fuerit naturâ filius, ſed ſucceſſione hæres.

VERS. 36. Τοῦ Καϊνάν.

Non multùm exſpatiabimur in controverſiam plus ſatis agitatam. Paucis expediemus ea, quæ nobis in hac re ſatisfaciunt.

I. *Lucam* Verſionem Græcam hìc ſecutum fuiſſe minimè dubitamus, atque quidem omnibus eſt in confeſſo, quæ ſic in *Geneſ.* 11:12, 13. *Et vixit Arphaxad centum triginta quinque annos & genuit Cainan. Et vixit Cainan centum & triginta annos, & genuit Sala. Et vixit Cainan poſtquam genuerat Sala, annos trecentos triginta.*

Dum *Theophilum ad Autolycum*, lib. 3. de hâc re lego, non poſſum non hoc in ipſo authore obſervare, quòd partim Græcam Verſionem ſequatur, dum centum annos tribuit *Arphaxado*, partim non, dum *Cainanem* omittit: nam ſic ille, Ἀρφαξὰδ δ' ἐτέκνωσε Σαλὰ ὢν ἐτῶν ρλέ. *Arphaxad annos natus* 135. *genuit Sala.* Atque hoc in ejus Interprete non poſſum non mirari, quòd interſerit de ſuo, *Arphaxad natus annos* 135. *genuit filium nomine Cainan. Cainan autem natus annos* 130. *genuit filium nomine Sala:* cùm de *Cainane* apud *Theophilum* non ſyllaba una. Fidus Interpres!

1. Nullis argumentis mihi perſuaſeris, hæc de *Cainane* unquam fuiſſe in textu Moſis, vel in Bibliis Hebræis quibus uſi ſunt Interpretes: ſed addita fuiſſe non dubito ab ipſis Interpretibus; partim quia ratio nulla reddi poteſt, quare jam exciderint ex Hebræo; & partim quia ratio probabilis reddi poteſt quare addi potuerint ab Interpretibus: præſertimque quòd frequentiſſimum ſit iis addere de ſuo pro arbitrio placitoque.

Huic uni forſan poteram ſuccumbere culpæ,
Ut crederem *Cainanem* aliquando locum habuiſſe in textu *Moſis*: at neſcio quo fato aut infortunio excidiſſe: niſi quòd videam centena additamenta ejuſdem farinæ in Verſione Græca, quæ nec agnoſcere poteſt Codex Hebræus, nec tolerare quidem ratio aut probabilitas. In propriis nominibus ſolùm ſumamus exempla, quia cum proprio nomine jam nobis res eſt.

Geneſ.

Digitized by Google

Geneſ. 10: 2. Ἐλισὰ, *Eliſa* additur ad filios *Japheti.*

Et *verſ.* 22. Καϊνὰν, *Cainan* alter ad filios *Semi.*

Cap. 46: 20. Quinque nepotes ad filios Joſephi, *Malach.* 4: 5. *Thisbites.*

Exod. 1: 11. Ὢν, *On* urbs, ad *Pithem* & *Raamſen.*

2 *Sam.* 20: 18. *Dan* urbs, ad *Abel.*

Ut innumera fere nomina locorum in libro *Joſuæ* omittamus.

Jam credamne ego, hæc unquam extitiſſe in Codice Hebræo? cùm *præter* rationem omnem quædam dicantur, quædam *contra,* [ut ſpeciatim de *Dan* cum *Abel* juncta, & de nepotibus *Joſephi*] atque omnia ſine ullo fundamento.

II. Nullus dubito, Interpretes, quicunque tandem illi fuerint, animo non ſincero ad iſtud opus ſe accinxiſſe, atque imponere Gentilibus nullam iis fuiſſe religionem, at religionem non favere ſuis. Secundùm malum hoc ergò animi temperamentum, quo ſe ad opus iſtud addixerunt, geſſerunt ſe in ipſo opere. Hinc addunt & decurtant pro libitu, oſcitanter, cæcutienter, audacter: vertunt in ſenſum ſæpiſſimè alienum, non rarò contrarium, aliquando nullum: & multoties, vel in patrocinium Traditionum ſuarum, vel in fugam ſcandali Textus ſacri, vel pro fama aut incolumitate gentis ſuæ. Quorum omnium indicia turmatim proferre, non eſſet arduum, ſi iſti operi incumberemus. Cum ultimo tantùm nobis res jam eſt.

III. Nota ſatis eſt hiſtoria de tredecim locis, quæ referunt Talmudici immutata fuiſſe à LXXII. Senioribus, qui Legem tranſcripſerunt [Hebraicè dixerim ego] pro *Ptolemæo.* Enumerantur, *Hieroſ. Megillah*, fol. 71. 4. *Babyl. Megillah*, fol. 9. 1. *Maſſecheth Sopherim*, cap. 1. Et ſparſim eorum mentio in *Bereshith Rabba*, fol. 10. 3. & fol. 12. 4. & fol. 41. 4. & fol. 53. 4. & fol. 110. 1. Et *Shemoth Rabba*, fol. 123. 1. ubi innuitur octodecim loca fuiſſe immutata.

Jam verò, ſi Gloſſatores conſulas, docebunt illi, immutationes iſtas ab iis factas eſſe, nonnullas nè carperetur Textus ſacer, nonnullas ut conſuleretur famæ aut paci gentis. Ipſum idem ab iis factum eſſe qui Biblia verterunt, parum eſt dubitandum, cùm res ipſa ſatis loquatur.

Addamus exempli ergò ad *Cainanem* noſtrum, quinque animas quas addunt illi ad familiam *Jacobi*, quinque nepotes *Joſepho* ſiſtentes, qui adhuc non erant in rerum natura: immo ſeptem ſecundùm calculum eorum in *Geneſ.* 46: 27. Υἱοὶ δὲ Ἰωσὴφ οἱ γενόμενοι αὐτῷ ἐν γῇ Αἰγύπτῳ ψυχαὶ ἐννέα.

Jam cui Codici credendum, Græco an Hebræo? Et num quinque iſti additi à Græcis, olim extiterunt in textu *Moſis*, & vel amiſſi ſunt per incuriam librariorum, aut eraſi per audaciam Judæorum? Dictet ratio atque ipſa natura. Nam ſi *Machir*, *Galead*, *Sutelah*, *Taban*, & *Eden* fuerunt cum *Joſepho* cum *Jacobus* cum ſuis deſcenderet in *Ægyptum*, [& ſi non fuerint, cur numerantur inter deſcendentes?] tum *Manaſſes* novennis, aut ad plurimum decennis, factus eſt avus, atque *Ephraim* octennis aut novennis. Credamne ego *Moſen* talia retuliſſe? Miror potiùs frontem Interpretum, qui tam incredibilia imponerent Gentilibus credenda.

IV. Conſpicuum ſatis eſt, Verſionem Græcam à capite ad calcem evolventi, à diverſis authoribus eam fuiſſe exaratam, ſtylo & ingenio variantibus. Ita ut doctiùs liber hic vertatur quam ille, elegantior ſit Græca λέξις in libro hoc quàm illo, propiùs ad Hebræa accedit Verſio in libro hoc quàm iſto. In omnibus tamen libris, Judaicum ingenium odorari eſt, rebus iſtius gentis favens & patrocinans. Tale quid deprehendere eſt in ipſiſſimis hiſce rebus de quibus jam agimus, addititio *Cainane*; & additis quinque ad LXX. animas.

Ut ſe gens Judaica ſupra univerſum genus humanum prætulerit, & ſeptuaginta animas deſcendentes cum *Jacobo* in *Ægyptum* gentemque ipſam appreciaverint ſupra ſeptuaginta nationes totius mundi, ſi quis tam peregrinus eſt in rebus & libris Judaicis, ut non noſcat, diſcat ex his, vice plurium quæ poſſent proferri.

Zohar, in Exod. col. 22. *Septuaginta animæ Jacobi deſcenderunt in Ægyptum, ut reſtaurarent ſeptuaginta familias diſperſas per confuſionem linguarum. Nam æquales fuerunt iſtæ* LXX. *animæ omnibus iſtis familiis totius mundi. Atque ille qui iis vellet dominari, idem facit ac ſi tyrannidem exerceret in univerſum orbem.*

Targ. in Cantic. 4: 10. *Quam bonæ ſunt ſuper me dilectiones tuæ, ò cætus Iſraël,* משבעין אומיא, *Magis quam LXX nationum.*

Bemidbar Rabba, fol. 210. 3. *Creavit ſanctus benedictus ſeptuaginta nationes; verùm in omnibus iis non invenit complacentiam, ſed in ſolo Iſraële.*

Beresh. Rab. fol. 43. 2. *Dicit Abrahamus Deo, Nonne de Noacho ſuſcitaſti LXX. nationes? Dicit illi Deus, De te ſuſcitabo gentem iſtam de qua ſcribitur, Quæ gens tam magna?*

Gloſſ. *Gens illa peculiaris* יחידה על ע אומות, *Excellens ſupra LXX. nationes, gens illa ſancta, ſicut lingua ſancta excellit ſupra LXX. linguas.*

Innumera ſunt iſtiuſmodi. Jam verò cùm periculum & odium non crearc Judæis non potuerit hæc arrogans doctrina & jactantia, ſi Ethnicis innoteſceret, conceperim ego promptiùs

Digitized by Google

CAP. III. VERS. 36.

tiùs, Interpretes hîc cautè & callidè feciſſe in fugam iſtius periculi, per iſta additamenta, quàm hæc unquam fuiſſe in textu *Moſis*. Addendo quippe duplicem *Cainanem*, & quinque animas ad LXX. in familia *Jacobi*, caveruntnè Ethnici in Bibliis ſuis Græcis invenirent exactè LXX. nationes in *Geneſ.* 10. ſed LXXII. [aut LXXIII. computato Ἐλισὰ etiam] ut nè LXX. animas deſcendentes in Ægyptum, ſed LXXV.

Pari aſtutiâ uſi ſunt in verſione, *Deuter.* 32:8. unde orta iis eſt collatio iſta inter LXX. animas *Jacobi*, & LXX. nationes. *Quando dividebat Altiſſimus gentes, quando ſeparabat filios Adam, conſtituit terminos populorum* למספר בני ישראל, *Juxta numerum filiorum Iſraël.* Sic *Moſes*.

At illi Ἔστησεν ὅρια ἐθνῶν κατὰ ἀριθμὸν ἀγγέλων Θεοῦ, *Statuit terminos gentium, juxta numerum Angelorum Dei:* ſenſu à *Moſe* alieniſſimo, at qui obſcurat illud unde oriri potuit aliquod periculum. Ipſo quidem adeò obſcuro, ut *Oedipo* opus ſit ad enucleandum: ſi modò non ab iis alluſum ſit ad Traditionem Judaicam [quod ego ſuſpicor] de LXX. Angelis præfectis LXX. nationibus mundi.

v. Jam ergò cùm tam vaga & aliena fuerit iſta Verſio, quare eam tam accuratè ſequuntur Euangeliſtæ & Apoſtoli, idque non raró ubi diſcrepat à fonte Hebræo?

Reſpond. 1. Diſpoſuit Deus thuribula *Korachi*, *Dathanis & Abirami* ad uſum ſacrum, quia illa ordinata primitus ad uſum ſacrum. Sic & Spiritus Sanctus Verſionem Græcam ad uſum ſuum, quia ea ordinata primitus ad uſum ſacrum. Non ſinceri erant animi Interpretum in Verſione ſua, ſed tranſverſa tuentes: ſic nec ſinceri animi *Korachi*, *Dathanis & Abirami* in oblatione thymiamatis, ſed perverſi. At dicatum fuit thymiama eorum ab iis in uſum ſacratum; transfert ergò Deus thuribula eorum in uſum ſacrum. Sic & Verſio Græca ordinata in uſum ſacratum, quia in Biblicum, ſic & reſervata à Spiritu Sancto in uſum Biblicum.

2. Cùm Novum Teſtamentum Græcè ſcriptum fuerit, tractandumque fuerit maximè à Gentilibus, congruentiſſimum fuit, imò maximè neceſſarium, Codices Græcos ſequi, quibus ſolis uti potuerunt Gentiles; ut illi hiſtorias, vel allegationes ex Veteri Teſtamento adductas examinantes, conſonas iis illas reperirent, & non contrariantes. Conſulentes illi, exempli gratiâ, Biblia ſua Græca de nominibus à *Davide* retro ad *Adamum*, comperiunt illic *Cainanem filium Arphaxadi*. Si *Lucas* eum etiam non interſeruiſſet, quàm promptè illi veracitatem ejus in ſuſpicionem vocare potuerunt, in reliqua genealogiæ parte, quæ extracta eſt ex tabulis & regeſtis non adeò notis?

CAP. III. VERS. 36.

3. Si fides habenda hiſtoriæ iſti de Verſione Græca apud *Ariſtæam* & *Joſephum*, iſti etiam particulæ habenda fides: quam habe. verbis Interpretis *Ariſtææ*.

Καθὼς δὲ ἀνεγνώσθη τὰ τεύχη, &c. *Ut autem perlecta ſunt iſta volumina Legis, aſtantes & Sacerdotes, & Interpretes, Seniores, Gubernatoreſque civitatis, & ipſi Principes multitudinis ità dixerunt.* Ἐπεὶ καλῶς καὶ ὁσίως διηρμήνευται, &c. *Quoniam rectè, ſanctè, & per omnia accuratè perfecta eſt iſta interpretatio, par eſt ut omnia permaneant in ſuo habitu, nec ulla fiat immutatio. Omnibus ad hæc cum approbatione acclamantibus, juſſit Demetrius illos* Διαράσασθαι καθὼς ἔθος αὐτοῖς ἐστιν, &c. *Ut haberent in more* [*ut habent* magis ad verbum] *imprecari dira illi, ſi quis immutaturus eſſet, vel addendo, vel transferendo, vel auferendo. Quod rectè fecerunt ad hoc, ut perpetuò conſervarentur illa ſalva, & cum diuturnitate inviolatâ.*

Hæc ſi vera, res certè non levis erat Judæo, quicquam alleganti ex Veteri Teſt. Græcè, Græca pedetentim non ſequi. Et mirum eſt quemvis eorum poſt hanc, aliam Verſionem auſum moliri. Anne ſub hiſce diris & imprecationibus aſtricti Amanuenſes ſacri, ſi modò aliqua rei fides? Quis dixerit? At quis hoc non dixerit? Quod hinc ſatis iis erat, quo obturarent ora Judæorum cavillantium, quòd Verſionem Græcam ſequentes declinaverint non raró à veritate Hebræa: in fugam ſcil. iſtius Anathematis: ſi modò hæc vera.

Object. Verùm hoc de quo jam agimus [ut alia omittamus] erat purè falſum: nam nec erat *Cainan* aliquis filius *Arphaxadi*, nec erat *Jeſus* filius *Cainanis* alicujus poſtdiluviani.

Reſp. I. Nec dici quippiam falſius quoad rem ipſam potuit, quàm illud Apoſtoli, cùm vocat prædicationem Euangelii, Μωρίαν, *Stultitiam*, 1 Cor. 1:21. & tamen quoad communem de ea conceptum, ſtultorum hominum, nihil verius. Sic falſum eſt illud, quod hîc aſſeritur in ſeipſo, at verum in conceptu eorum, pro quibus Euangeliſta ſcribit. Nec Spiritui Sancto in animo eſt, in animis eorum indulgere falſum, ſed non obtrudere offendiculum. *Omnia factus ſum omnibus, ut lucrifaciam aliquos.*

II. Parallelìſmum aliquem cum hac re *Lucæ* habet illud in Vet. Teſtamento, 1 Paralip. 1:36. *Filii Eliphaz, Teman, & Omar, & Zephi, & Gatam, & Timnah, & Amalek.* Ubi æque falſum eſt quòd *Timnah* erat filius *Eliphaz*, ac quòd *Kainan* erat filius *Arphaxadi*. At procul abſit, longiſſimè abſit ut dicamus Spiritum Sanctum vel hîc falſum eſſe, vel velle fallere: *Timnah* non erat vir, ſed fœmina; non filius *Eliphaz*, ſed concubina; non frater *Amalech*, ſed mater, *Geneſ.* 36:12. Sed docet Spiritus Sanctus in hac brevitate locutionis,

Digitized by Google

CAP. III. VERS. 36. tionis, recurrendum eſſe ad originalem hiſtoriam, unde hæc deſumuntur, atque inde ſumendam determinatam rei explicationem: quod non rarò fit ab eodem Spiritu breviter loquente in hiſtoriis bene notis. Cavillari in Euangeliſtam in hac re, de qua jam agimus, non poſſunt Gentiles, quia congruit ille cum eorum Bibliis. Et ſi cavillentur Judæi, vel ſi nos jam cavillemur, reſpondere habet ille ex uſitato more Spiritûs Sancti, cui non infrequens eſt in repetitione hiſtoriarum ſatis notarum, variare à primitiva & originali hiſtoria, nec fallendi animo, nec ipſo decepto, ſed pro majeſtate & authoritate ſua dictante, & lectorem referente ad primitivam hiſtoriam, unde de ſtatu rei ſtatuat & determinet, & rationem variationis inquirat. Hunc morem imitatur Stephanus, de ſepultura Patriarcharum loquens, *Actor.* 7:15, 16. Satis intellectus à Judæis auditoribus, breviter loquens in hiſtoria nota.

III. Aliud eſt dictare de ſuo, atque allegare [quod hîc facit Euangeliſta] dictata ab aliis: & cùm abſque omni dubio ille ſcripſerit pro Gentilibus, utpote aſſecla exiſtens Apoſtoli Gentium, quid vetat quominus ille alleget prout dictatum eſt in Bibliis Gentilium?

Cùm Apoſtolus vocat Magos Ægyptios, *Jannen & Jambrem*, 2 Tim. 3:8. non pro certo tradit, aut fide ſua ſpondet, nomina iſtorum iſta fuiſſe, ſed allegat tantùm dictata & tradita ab aliis, vulgarem ſcil. Traditionem gentis, *Timotheo* ſatis notam, & de qua nec ille, nec quivis alius movere vellet litem. Vid. *Menacoth*, fol. 85. 1. *Targ. Jonath.* Exod. 1. *Aruch* in יוחני. Et *Numenium* apud Euſeb. in Præpar. Euang. lib. 8. cap. 8.

Cùmque Apoſtolus Judas loquitur de *Michaële* contendente cum Diabolo circa defunctum *Moſen*, rem non tradit pro certa & authentica; at non poſtulandus tamen ille falſi, quia non dictat de ſuo, ſed revocat tantùm ad dictata ab aliis, atque argumento utitur ad Judæos, ex ipſorum Codicibus & Traditionibus ſumpto.

IV. Sicut ad intelligendas Phraſiologias & ſententias in N. T. commodiſſimum, imò neceſſarium eſt, inquirere quonam modo intellectæ ſunt ab iis qui vel ipſas ab ore loquentium audierunt, vel ad quos ſunt ſcriptæ: ſic & in hac re par ſcrutamen faciamus. Cùm primùm in lucem prodiret hoc Euangelium inter Judæos & Gentiles, non habuerunt Gentiles cur quererentur quòd Euangeliſta ſequeretur ipſorum Biblia: & ſi querantur Judæi, habent quòd ſibi ipſis reſpondeant. Et ſpeciatim de hoc nomine *Cainan* interſerto, ut & de LXXV. animabus in familia *Jacobi*, norunt inter eos doctiores, unde ille hæc hauſerit, quâ ratione iſta in Bibliis Græcis addita, & quòd *Lucas* fideliter hæc tranſcripſerit, & ſi aliquid ſit querela dignum, cauſentur in primos authores, non in tranſcriptorem.

V. Denique, antequam verſa ſunt Biblia in Linguam Græcam pro *Ptolemæo*, ut ſupponitur, infinita erant exemplaria Bibliorum in lingua Hebræa in *Paleſtina*, *Babylonia*, *Ægypto*, ubique in omni Synagoga: & ſtupendum eſt, in omni vetuſtate, non eſſe volam aut veſtigium mentionis, vel unius Codicis Hebræi qui conſonat cum Verſione Græca. Habemus varias editiones Græcæ Verſionis τῶν LXX. ut vocatur, inter ſe quam plurimum diſſidentes: at quis vidit aut audivit unquam de Codice Hebræo qui in omnibus conſenſit cum iſtarum aliqua. Senſum proprium ſecuti ſunt Interpretes, & parum ſeſe aſtrinxerunt ad textum Hebræum.

CAP. IV.

VERS. 1. Ἤγετο ἐν τῷ πνεύματι. CAP. IV. VERS. 1.

MAtthæo eſt Ἀνήχθη ὑπὸ τοῦ πνεύματος. Quod ego intellexerim, quòd raptatus fuerit à Spiritu Sancto in aëra, & ſic provectus in eremum. Ratio conjecturæ varia. I. Quia ſimile legimus de *Philippo*, Actor. 8:39, 40. Atque idem ſuſpicantur viri ſanctiſſimi de *Elia*, 1 *Reg.* 18:12. & 2 *Reg.* 2:16. II. Veriſimile eſt Diabolum, *Jeſum* per aërem rapuiſſe, hac ipſa occaſione, ſub ſimulatione ſcil. ſe Spiritum Sanctum eſſe, qui eum ſic rapuerat in eremum: atque ſub ipſiſſima hac notione, venerationem ab eo requiſiviſſe, ac ſi ipſe foret Spiritus Sanctus. III. Non prætereunda eſt methodus *Lucæ* de ordine tentationum, diſcrepans à *Matthæo*. Tentatio in pinnaculo Templi, *Matthæo* eſt ſecunda, veriſſimèque: ea *Lucæ* eſt tertia. *Et finitâ*, inquit ille, *omni tentatione, receſſit ab eo Diabolus.* Jam verò, ô *Luca*, quomodo *Chriſtus* deſcendit à pinnaculo. Refers tu illum eò raptatum à Diabolo, atque ibi ſecundum methodum tuam, finita eſt tentatio: quomodo, quæſo, Chriſtus deſcendit? Adverte quid ſequatur Καὶ ὑπέστρεψεν ὁ Ἰησοῦς ἐν τῇ δυνάμει τοῦ πνεύματος εἰς τὴν Γαλιλαίαν. *Et reverſus eſt Jeſus in virtute Spiritûs in Galilæam:* & conjunge hiſtorias ut conjunguntur à *Luca*: ſtitit eum Diabolus in pinnaculo Templi, atque urget ut ſe præcipitet: cùm verò non perſuaderet, relinquit eum ſtantem in pinnaculo, & finita eſt omnis tentatio, & *Jeſus* per virtutem Spiritûs rediit in *Galilæam:* nonne licet hinc conjectare, docere velle *Lucam*, Chriſtum finitâ tentatione, à Spiritu Sancto per aëra raptum fuiſſe in *Galilæam*, prout raptus ab eo fuerat in eremum, & à Diabolo ſub tali prætextu ad pinnaculum, & montem excelſum?

VERS. 2.

Digitized by Google

VERS. 2. Ἡμέρας τεσσαράκοντα, &c.

Trinam quadrageſimam jejunio peregit *Moſes*, agens cum Deo. Sat *Chriſto* quòd unam, colluctans interim cum Diabolo. Primam *Moſis* habes, *Exod.* 24:18. Secundam poſt exciſum vitulum aureum, *Deuter.* 10:10. Tertiam poſt dolatas novas tabulas, *Exod.* 34:28. Et circa ipſiſſimum anni tempus quo ultimam ſuam finivit *Moſes*, ſuam inchoat Chriſtus, circa medium ſcil. menſis *Tiſri*, & quouſque eam continuaverit in menſe *Marheſvan*, non difficile eſt computare.

VERS. 5. Ἐν στιγμῇ χρόνου.

ברגע, *In momento*, ut Vulg. Jam verò quantum ſit momentum, ſi alicujus ſit momenti, diſce à Magiſtris.

Beracoth, fol. 7. 1. כמה רגע, *Quantum eſt momentum?* אחד מחמשה ושמונה אלפים ושמונה מאות ופח״ בשעה, *Eſt quinquagies octies milleſima octingenteſima octogeſima octava pars horæ.* Acutiſſimè calculatum.

VERS. 13. Ἀπέστη ἀπ' αὐτοῦ ἄχρι καιροῦ.

Senſerat ac jam expertus fuerat Diabolus, fruſtra eſſe tentare *Chriſtum* ſuggeſtionibus atque illecebris, eo modo quo tentat homines. Expectat ergò tempus opportunum quo poſſit eum aggredi alio modo: quod & facit tandem & per ſeipſum, & per inſtrumenta ſua. Et cùm inſtaret jam tempus, rediretque Diabolus ad opus ſuum, mentionem habes de Satana introeunte in *Judam*, & quòd *jam venit Princeps hujus mundi*, Joann. 14:30.

VERS. 16. Ἀνέστη ἀναγνῶναι.

Ut meliùs de hâc actione Chriſti judicemus, obſervemus aliquantulum conſuetudinem Synagogæ.

I. Legerunt ſtantes.

Piske הראש, & *Rabbenu Asher* in Megill. cap. 3. *Non legunt in Lege niſi ſtantes. Imò non licet legenti, alicui rei inniti. Unde autem tenetur legens ſtare? Dicit Rabb Abhu, Quia Scriptura dicit, Tu autem mecum ſta. Atque non eſt alicui rei innitendum, ſicut eſt in Hieroſ. R. Samuel bar Iſaac ingreſſus Synagogam, quendam interpretantem comperit, atque innitentem columnæ. Cui ille, Hoc tibi non licet. Nam ſicut data eſt Lex cum reverentia, ſic à nobis tractanda eſt cum reverentia.*

Prætulerunt quidem Legem Prophetis, & Legem & Prophetas Hagiographis [vide *Gloſſ.* in *Shabb.* 115. 1.] & tamen honorem conceſſerunt Prophetis, ut non legerentur niſi à ſtante. Unde ſingulare eſt quod dicunt de libro *Eſtheræ*.

Megill. fol. 21. 1. *Legat quis librum Eſtheræ, vel ſtans, vel ſedens. At non ſic de Lege.*

Chriſtus in hoc ſequutus eſt morem Synagogæ, quòd legens ſtetit, & ſedit docens.

II. Ille qui legebat in Prophetis, vocabatur מפטיר, *Maphtir*, atque ad munus illud deſignabatur ab Archiſynagogo.

Kiddushin, fol. 76. 2. *Rabh Bibai vir magnus fuit* לעיין במילי שמיא, *ad curandum de rebus Dei. Et Mar vir magnus fuit* לעיין במילי מתא, *ad curandum de rebus oppidi.*

Gloſſ. *De rebus Dei, id eſt, de collectoribus eleemoſynæ, atque ejus diſtributione,* וסדר מתרגמנין ומפטירין, *& de ordine Interpretum atque legentium in Prophetis.*

Probabile eſt Chriſtum ſe jam obtuliſſe pro *Maphtir* vel ut lectorem in Prophetis, ut concionaretur etiam ſuper quod lectum: non tam deſignatum quidem ab Archiſynagogo, quàm approbatum cùm ſeſe offerret; nam audierant *Nazarethani* de miraculis aliquibus ab eo editis *Capernaumi*, verſ. 23. & non mirum ſi cuperent etiam aliquid ab eo audire, talibus miraculis dignum.

III. *Piske* הראש, in *Megill.* Artic. 22. *Legens in Propheta nè legat minus, quàm verſiculos viginti unum.*

Hic non videtur Chriſtus mori Synagogæ conformis, nam non legit niſi verſiculos binos: & tamen non egit niſi quod licitum atque uſitatum in Synagoga. Et obſervandum eſt illud in

Maſſecheth Sopherim, cap. 12. אם היה בשבת תורגמן או דרוש, *Si fuerit Sabbato Interpres, vel concio, legunt in Propheta verſiculos tres, aut quinque, aut ſeptem, & non ſunt ſolliciti de verſiculis viginti uno.*

Si fuerit Sabbato Interpres, vel interpretatio, nonne ſemper aderat unoquoque Sabbato interpres? Et nec *Moſes*, nec Prophetæ lecti ſunt niſi aſtante interprete, ut affatim patet ex Traditionibus & regulis circa interpretem.

Verba ergô אם היה בשבת מתורגמן או דרוש, ego in hunc ſenſum intellexerim. Si vel interpres in interpretatione ſua exſpatietur in concionem, vel alius quis concionetur.

Nam interpres aliquando commentatus eſt, & concionatus ſuper illud quod lectum. Et fuit fortè Chriſtus jam & lector, & proprius interpres.

Bereſh. Rabb. ſect. 80. *Joſe Maonita interpretatus eſt in Synagoga* τῆς *Maon. Audite hoc, ô Sacerdotes, Auſculta, ô domus Iſraël, atque attende, ô domus Regis, Hoſ.* 4:1. *Dixit. Arrepturus eſt Sanctus Benedictus Sacerdotes, & ſtatu-*

CAP. IV. VERS. 17.

ſtaturus eos in judicio, illis dicendo: Quare non laboraſtis in Lege? Nonne uſumfructum habuiſtis viginti quatuor portionum cedentium Sacerdotibus? Dicunt ei, Non dederunt nobis quidquam. Auſculta, ô domus Iſraël, quare non dediſtis Sacerdotibus viginti quatuor portiones, quas ego præcepi in Lege. Reſpondent illi, Propter illos qui ſunt de domo Principis, qui rapiunt totum. Attende, ô domus Regis, quia vobis eſt judicium, quia vobis dixi hæc erit norma circa Sacerdotes. Vobis ergò & ſuper vos verſa eſt norma judicii. Audiit hæc Rabbi, [*Princeps*] *atque eſt indignatus.*

Maſſech. Sopherim, cap. 13. *Poſt hæc Rex Ahasbuerus magnificavit Hamanem filium Hammedathæ.*

Rabb Joſeph interpretatus eſt, בתר פתגמיא האילין רבי מלכא, *Poſt hæc Rex magnificavit Hamanem Hammedathæ Agagæum, filium Cuzæ, filii Aphletus, filii Dius, filii Diuſot, filii Paros, filii Nidan, filii Baalkan, &c. Vide loc. & confer cum Targ. in Eſther.* Cap. 5: 1.

IV. *Megill.* fol. 24. 1. *Lector in Propheta* פורס על שמע, *dilatat ſuper Shemaa,* [modum & formam rei habes in *Maſſech. Soph.* cap. 14.] *tranſit coram arca, atque elevat manus ſuas,* ad benedicendum: *quòd ſi puer ſit pater aut magiſter ejus, hæc præſtant ejus vice,* &c. At docet Gloſſa, hoc *de ordinario lectore Prophetæ* eſſe intelligendum, מי שרגיל להפטיר. At erat *Chriſtus* jam lector extraordinarius. Legit tamen, quod non ab eo in alia Synagoga factum, nam hîc erat in propria, & legit ut membrum iſtius Synagogæ.

VERS. 17. Καὶ ἐπεδόθη αὐτῷ βιβλίον Ἡσαΐου.

I. Miniſter Eccleſiæ erat cuſtos librorum ſacrorum, atque eos protulit legendos, cùm conventum erat in Synagoga.

Joma, fol. 68. 2. *Venit Pontifex maximus ad legendum,* [die expiationis] חזן הכנסת, *Miniſter Synagogæ accipit librum Legis & dat Archiſynagogo*, &c. Ubi Gloſſ. חזן הכנסת שמש, *Chazan Synagogæ, id eſt,* ὑπηρέτης, *Miniſter*. Ab eo librum accipit Salvator, atque ei reddit.

II. An librum *Eſajæ* ſolum, an compactum cum aliis Prophetis acceperit, ſi quæratur, non facilè eſt determinare. Conjice ex his quæ vulgò obtinuerunt.

Bava Bathra, fol. 13. 2. *Tradunt Rabbini, Compingat quis Legem & Prophetas atque Hagiographa in volumen unum: verba ſunt R. Meir. R. Judah autem dicit, Legem per ſeipſam, vel ſeorſim librum Prophetarum per ſeipſum, & librum Hagiographorum per ſeipſum. Et Sapientes dicunt, unumquemque per ſeipſum.* Vide *Maſſech. Sopherim*, cap. 3.

At quærere eſt, num ſingularem Prophetam per ſeipſum? An *Eſajam* ſolum? An *Hieremiam* ſolum, &c? Affirmativum probabile: nam ſic diviſerunt *Legem* aliquando in ſingulas *quintanas*.

CAP. IV. VERS. 17.

Omnibus notum eſt, quonam titulo inſigniantur libri Legis in fronte Bibliorum Hebræorum, viz. חמשה חומשי תורה, *Quinque quintanæ Legis. Geneſis* eſt חומש ראשון, *Quintana prima. Exodus* eſt חומש שני, *Quintana ſecunda*, & ſic de cæteris. De quarum quintanarum ſeparatione in ſingularia voluminà vide *Maſſech. Sopherim*, loco jam citato

Megill. fol. 27. 1. גוללין ספר תורה בכטפחות חומשין, *Involvunt librum Legis in linteo quintanarum, & quintanas in linteo Prophetarum & Hagiographorum: at non Prophetas & Hagiographa in linteo quintanarum, nec quintanas in linteo Legis.*

Et paulò pòſt. *Reponunt Legem* על חומשין, *Super quintanas, & quintanas ſuper Prophetas & Hagiographa: at non Prophetas & Hagiographa ſuper quintanas, nec quintanas ſuper Legem*: id eſt, non aliquam quintanam ſingularem ſuper omnes quintanas compactas in unum. Sic Gloſſ. *Quintana, id eſt, liber Legis in quo eſt tantùm quintana una.*

Cùm ergo in diviſos codices aliquando hoc modo diſtribueretur liber Legis, æque judicare licet, ità diſtributos fuiſſe etiam majores Prophetas, duodecim minoribus in unum volumen compactis. Hinc forſan illud in

Megill. fol. 24. 1. *Lector Prophetæ tranſilire potuit à textu ad textum*, ואין מדלגין מנביא לנביא, *At non tranſilire licuit à Propheta ad Prophetam*, ובנביא של שנים עשר מדלג, *verùm in duodecim Prophetis licuit.* Nam aderant ei in manu omnes illi in unum volumen compacti: at non ſic majores Prophetæ.

Detur ergò mihi venia conjectandi, quòd iſto ſabbato, quo hæc tranſigebantur in Synagoga *Nazarethana*, ſectio iſta quæ legenda erat in Prophetis, erat juxta rubricam in Propheta *Eſaja*, atque ejus rei ergô Miniſter *Chriſto* lecturo porrigit iſtum librum.

Καὶ ἀναπτύξας τὸ βιβλίον, εὗρε τὸν τόπον.

Linguâ Talmudicâ ego ſic reddiderim, גולל ית ספרא אשכ ית רוכמא, vel גולל את הספר, Hebraicè. At quomodo reddes, inquies, Πτύξας τὸ βιβλίον, verſ. 20? Ipſiſſimis iiſdem verbis גולל את הספר.

Joma, cap. 7. hal. 1. Summus Pontifex poſt lectionem Legis גולל ספר תורה ומניחו בחיקו, Πτύξας τὸ βιβλίον τοῦ νόμου, *reponit eum in ſuo ſinu, & tamen*

Fol. 70. 1. dicitur אין גוללין ספר תורה בציבור, quod non reddendum *non complicant*, ſed *non evolvunt librum Legis in Synagoga.*

Maſſech. Sopher. cap. 11. גוללין נביא ברבים

ברכים, *Evolvunt Prophetam in Congregatione; at non evolvunt Legem in Congregatione.* Id eſt, ut Gloſſ. in *Megill.* fol. 32. 1. גולל ספר מענין לענין, *Evolvunt ab uno loco aut periocha, ad periocham aliam alio in loco.* Sic in Prophetis factum, at non in Lege.

Atque hâc ratione permiſſum eſt lectori tranſilire in Propheta à loco in locum, quia permiſſum eſt evolvere Prophetam vel ſingularem, vel duodecim in Synagoga; at non ſic de Lege. Et quærunt

Megill. fol. 24. 1. עד כמא הוא מדלג, *Quonam uſque tranſilit?* כדי שלא יפסוק התורגמן, *Ita ut non deſinat interpres.*

Gloſſ. *Nè tranſiliat à loco quem legit, niſi ut poſſit* לגול הספר, *evolvere librum, ut legere poſſit locum ad quem tranſilit cùm deſinit Interpres.*

Et quoniam non licuit eo modo evolvere Legem in Synagoga, *Calendis menſis Tebeth, ſi modò foret Sabbatum, attulerunt tres libros Legis & legerunt in uno periocham pro Sabbato, in alio pro Calendis, in alio pro Encæniis. Joma,* fol. 70. 1.

Verba ergò Euangeliſtæ Ἀναπτύξας τὸ βιβλίον, mihi non nudè ſonant *Explicuit* vel *aperuit librum*, ſed apertum evolvit à folio ad folium, uſque dum locum inveniret, quem ſibi propoſuit legendum & tractandum; qui quamvis non foret ſectio, per rubricam iſti diei ſtatuta, parùm tamen ceſſit Chriſtus à more Synagogæ, quæ lectorem permiſit tranſilire.

VERS. 23. Ἰατρὲ, θεράπευσον σεαυτόν.

Dicetis mihi hoc Proverbium, Medice, cura te ipſum. Hieroſolymitanè ſic protulerim: אתון כתילין לי כתלאדין: אסיא אסי יתך.

Beresh. Rabb. ſect. 23. & *Tanchum*, fol. 4. 2. אסיא אסי ית חגרתך, *Medice, cura propriam claudicationem.*

VERS. 25. Ὅτι ἐκλείσθη ὁ οὐρανὸς ἐπὶ ἔτη τρία, καὶ μῆνας ἕξ.

Celebratur admodùm & in Literis Sacris, & Judaïcis, numerus iſte trium annorum & dimidii, de qua re fuſiùs diximus alio in loco. Et quamvis alluſivè tantùm adhibeatur iſte numerus non rarò, & apud has & illas, hoc tamen in loco, ſecundùm literam ſumendum eſſe, & juſto calculo, nulla occurrit ratio cur dubitemus, quamvis ad æquam computationem eum exigere, non exiguæ ſit difficultatis.

Quod per triennium duraverit impluvium patet, 1 *Reg.* 17, &c. Aſt unde adjectio ſex menſium?

Dixit Elias Achabo, Vivit Dominus Deus Iſraël, in cujus conſpectu ſto, ſi erit annis his ros, aut pluvia, niſi juxta oris mei verba, אם יהיה השנים האלה, *Includunt hæc verba tres annos ad minimum, quia dicit* שנים, *non* שנתים.

Et Cap. 18. *Factum eſt verbum Domini ad Eliam anno tertio, Vade, & oſtende te Achabo, & dabo pluviam ſuper terram. Anno tertio,* ubinam ergò ſex menſes?

I. Loquuntur Chriſtus, Apoſtoluſque ejus *Jacobus*, Cap. 5: 17. cùm addunt ſex menſes, abſque dubio ſecundùm notam & receptam opinionem gentis. Quod & alias fit nonnunquam in rebus hiſtoricis in N. Teſtamento.

Actor. 7: 16. Oſſa duodecim Patriarcharum tralata fuiſſe ex *Ægypto* & ſepulta in *Sichemo*, cùm apud Paginam Sacram fiat mentio tantùm de oſſibus & ſepultura Joſephi, effatur *Stephanus* ſecundùm vulgarem opinionem gentis. Vide *Hieroſ. Sotah*, fol. 18. 3. & *Babyl. Bava Kama*, fol. 92. 1.

Item, *verſ.* 30. dicit quòd *Moſes* 40. annorum erat cùm fugeret in terram *Midianiticam*, quòdque illìc commoratus eſt 40. annos alios, cùm de hac circumſtantia ſileat ipſe *Moſes*: loquitur cum conſenſu gentis. Vide *Beresh. Rabb.* ſect. 100.

II. Nec *Chriſtus* nec *Jacobus* dicunt quòd *Elias* clauſit cœlum ad tres annos & ſex menſes, ſed *Chriſtus*, quòd *clauſum erat cælum in diebus Eliæ annis tribus & menſibus ſex*: & *Jacobus*, *quòd oravit Elias nè plueret, & non pluit ſuper terram per tres annos & ſex menſes.*

Liceat mihi ergò ſic diſtinguere: quòd *Elias* clauſit cœlum per triennium nè eſſent pluviæ, ut apud librum Regum: & quòd non erant pluviæ per triennium & ſex menſes, ut Salvator & Jacobus.

III. Ad nodum hunc enodandum uſui alicui eſſe poſſunt verba *Menandri* apud *Joſephum*

Antiquit. lib. 8. cap. 7. Μέμνηται δὲ τῆς ἀνομβρείας ταύτης καὶ Μένανδρος ἐν ταῖς Ἰθωβάλου τοῦ Τυρίων βασιλέως πράξεσι, λέγων οὕτως. Ἀβροχία τε ἐπ᾽ αὐτοῦ ἐγένετο ἀπὸ τοῦ ὑπερβερεταίου μηνὸς ἕως τοῦ ἐχομένου ἔτους ὑπερβερεταίου.

Hujus impluvii mentionem habet Menander in Actis Ithobali Regis Tyriorum, ſic dicens, Impluvium ſub eo erat à menſe Octobri ad Octobrim anni ſequentis.

Spatium durationis impluvii decurtat quidem, dum continuationem ejus facit unius tantùm anni; aſt clavem aliquam nobis porrigit, dum initium ejus ſtatuit in *Octobri*, aditum aliquem nobis præbentem in interiora.

IV. Recognoſce diſtinctionem iſtam de *pluvia prima* & pluvia ſerotina, יורה ומלקוש. Deuter. 11: 14. Hierem. 5: 24. Joel. 2: 23.

Taanith, fol. 6. 1. *Tradunt Rabbini* יורה במרחשון ומלקוש בניסן, *Pluvia prima*

CAP. IV. VERS. 23. *ma eſt in menſe Marheshvan, ſerotina in Niſan.*

Targum in *Joel.* 2:23. *Qui dimiſit vobis pluviam primitivam tempeſtivè*, ולקישא בירח נִיסן, *& ſerotinam in menſe Niſan.*

Vide etiam quæ attulimus ad Cap. 2. verſ. 8.

Diſſidet aliquantum R. Solom. in *Deuter.* 11. Sed non ſolliciti ſumus de ordine, fueritne prima in *Marheshvan*, an in *Niſan.* Illud quod in rem noſtram facit hoc eſt, quòd ſtatis his temporibus fuerint pluviæ: aſt per reliquum anni ſpatium, ut plurimùm impluvium.

V. Sex menſes iſti nominati à Salvatore & *Jacobo*, ſtatuendi ſunt ante initium triennii, & non aſſuendi ad ejus finem, quod ex hoc planè patet, quòd dicatur *Anno tertio* Eliam oſtendiſſe ſe Achabo, &c.

In initio ergò iſtius triennii credimus *Eliam* clauſiſſe cœlum, appropinquante jam tempore illo quo ſolitæ ſunt pluviæ deſcendere menſe *Marheshvan*, & reſeraſſe cœlum poſt elapſum triennium eodem menſe. Nec inane eſt quod dicit *Menander*, Ἀβροχίαν initium ſumpſiſſe à menſe *Octobri*, qui ex parte reſpondet τῷ *Marheshvan*: nam conſule verba iſta, Cap. 18. *Dicit Achab ad Obadiam, Vade in terram ad univerſos fontes aquarum & ad cunctas valles, ſi forſan poſſimus invenire herbam & ſalvare equos*, &c. Nemo dixerit inquiſitionem hanc factam fuiſſe hyeme, ſed æſtate; non ante vel in menſe *Niſan*, cùm deſcendere ſolitæ ſunt pluviæ, nam quàm parùm, quàm nihil fœni aut graminis tunc temporis expectandum: ſed cùm proceſſerat annus jam erga æſtatem, tum oportunum & tempeſtivum erat de gramine & fœno inquirere. Computa ergò tempus peragrationis *Achabi* & *Obadiæ* in tali inquiſitione: tempus ex quo *Elia* occurrente *Obadiæ*, in colloquium ejus venit *Achabus*: tempus quo collecti ſunt Iſraëlitæ & Prophetæ *Baal* ad montem *Carmel*, quo ibi ab Elia *ſacrificatum*, & occiſi *Baaliſtæ*; & certè probabilius reſerationem cœli & deſcenſum pluviarum non ulli anni tempori aſſignaveris, quàm ſolito iſti & ordinario menſi *Marheshvan.* Tribus ab hinc annis, cùm iſto menſe expectatæ eſſent pluviæ ſecundùm communem anni temperiem, clauſit *Elias* cœlum, ut non deſcenderent; & jam exſpirante triennio, cùm rediret illud tempus deſcenſionis, reſerat ille cœlum, & deſcendunt.

VI. Jam ergò à *Marheshvan*, menſe iſto quo ille cœlum ſeravit, retrogradere ad menſem *Niſan* præcedentem, & ſex menſes iſti interlabentes, erant etiam abſque pluvia ſecundùm conſuetum & ordinarium morem anni & climatis. Menſe *Niſan* pluit: reliquum anni ad *Marheshvan* erat impluvium: CAP. IV. VERS. 27, 29.
Menſe *Marheshvan* expectatæ erant pluviæ, ſed *Elias* clauſerat cœlum, clauſitque per triennium exinde inſequens: ita ut quamvis ille non clauſerit niſi per tres annos, non forent tamen pluviæ per tres annos & ſex menſes.

VERS. 27. Νεεμὰν ὁ Σύρος.

Pupugerunt Nazarethanos hæc exempla, duplici aculeo.

I. Quod viliſactos ſeſe arbitrarentur his exemplis; iſtâ re præſertim obſervatâ, cujus causâ Salvator hæc adducit. Tu miracula ediſti in *Capernaum*, præſta & aliqua etiam hîc in propria urbe. Non. Vos indigni, ut Iſraël olim indignus Prophetis *Elia* & *Elizæo*, qui ergò miſſi ad Gentiles.

II. Quòd planè per hæc exempla innueret vocationem gentium, quâ nihil auribus Judæorum ingratum magis. *Elias* miſſus ad Ethnicum, & Ethnicus miſſus ad *Elizæum*: ac utrique ab Ethniciſmo converſi ad veram religionem. Verba ergo *Naamanis*, verſ. 17, 18. ego ſic reddiderim. *Non ultra faciet ſervus tuus holocauſtum aut ſacrificium Diis alienis, ſed Jehovæ. Et hac de re ignoſcat Dominus ſervo ſuo*, [ſcil. de præterita mea idololatria] *nempe quòd cùm intraret dominus meus in domum Rimmon, & inniteretur ille ſuper manum meam, ego etiam adoravi in domo Rimmon, pro adoratione mea in domo Rimmon ignoſcat, quæſo, Dominus ſervo tuo de hac re.*

VERS. 29. Εἰς τὸ καταχρημνίσαι αὐτόν.

At quânam, ô Nazarethani, authoritate? quonam judicio? Erat quidem inter eos Conſeſſus judicialis trium virorum, quia erat ibi Synagoga; ſed penes Conſeſſum talem non erat decernere de capite. Et quæri poteſt, an licentia iſta quæ conceſſa eſt τοῖς קנאין, *Zelotis*, huc etiam extenderetur, *Sanhedr.* fol. 81. 2. *Qui furatur ſcutellas ſacras, & maledicit per divinatorem*, [i. e. maledicit Deo in nomine Idoli] *& coit cum Ethnica*, [palam ut *Zimri*, *Numer.* 25:6.] קנאין פוגעין בו, *Zelotæ interficiunt eum. Et Sacerdotem qui miniſtrat in immunditia, fratres ejus Sacerdotes eum fuſtibus excerebrant.* At num ad omnes, & ad omnia pertinuit licentia iſta Zelotica? Cùm *Nathanael* dicit, *Num quid boni quidquam ex Nazareth?* non videtur tam parvitatem oppidi reſpexiſſe, quàm pravitatem oppidanorum.

CAP. IV. VERS. 33. VERS. 33. Ἔχων πνεῦμα δαιμονίου ἀκαθάρτου.

CAP. V. VERS. 1,5,7,12. Inuſitatior Phraſiologia. Indigitat fortè Spiritum Pythonicum aut Spiritum Necromanticum, nam ut inter hos diſtinguatur à Magiſtris, vid. *Rambam* in *Sanhedr.* cap. 7. hal. 4. Uterque, quamvis diverſo modo, invitavit atque ambivit afflatum Diaboli. De qua re fuſiùs dicturi ſumus ad Cap. 13:11.

CAP. V.

VERS. 1. Τοῦ ἀκούειν τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ, καὶ αὐτὸς ἦν ἑστὼς παρὰ τὴν λίμνην.

Nam docuerunt etiam extra Synagogam, & *Beth Midrash*, in viis & plateis.

Peſachin, fol. 26. 1. *Rabban Jochanan ben Zaccai docuit in platea, ante montem Templi per totum diem.* Vide Gloſſ. ibi.

Erubhin, fol. 29. 1. *Ben Azzai docuit in plateis Tiberiadis.*

Hanc conſuetudinem *Rabbi Judah* prohibuit hoc Canone.

Moed Katon, fol. 16. 1. *Nè Magiſtri Diſcipulos ſuos doceant in plateis.* Et *R. Chaijam*, ideo quòd fratris ſui filios doceret in platea, percuſſit correptione.

Et tamen de eodem *Rabbi Judah* refertur

Beresh. Rabba, ſect. 33. רבינו הוה לעי באוריתא, *Rabbi Judah ſedit laborans in Lege* [κοπιῶν ἐν λόγῳ καὶ διδαχῇ, ut 1 Tim. 5.] *coram Synagoga Babylonica in Zippore: tranſiit coram eo juvencus ductus ad lanienam, & mugiit:* quem cùm ille à jugulatione non liberaret, ictus eſt dolore dentium per tredecim annos.

VERS. 5. Δι' ὅλης τῆς νυκτὸς κοπιάσαντες.

Talmudicè, טרחינן כול ליליא. Sic *Bava Mezia*, fol. 83. 10. טרחינן כיל׳ יומא.

VERS. 7. Τοῖς μετόχοις.

לשותפום: ſi modò in tali comparticipatione conſociati fuerunt, de quali loquitur *Maimon.* in שלוחין ושותפין, cap. 4, &c.

VERS. 12. Ἐν τῷ εἶναι αὐτὸν ἐν μιᾷ τῶν πόλεων, καὶ ἰδοὺ ἀνὴρ πλήρης λέπρας.

Kelim, cap. 1. hal. 7. *Civitates cinctæ muris ſunt ſanctiores quàm terra Iſraëlitica in genere*, שמשלחין מתוכן המצורעים, *Quia ex iis ejiciunt leproſos.* Quod intelligendum, Magiſtris interpretibus, de civitatibus cinctis mœnibus à diebus *Joſuæ*. Si civitas hæc de qua Euangeliſta, talis foret, non tolerandus in ea erat leproſus, niſi quem ab immunditia ſua abſolverat Sacerdos: nam remanſit lepra poſt iſtam abſolutionem, & non ſanatus eſt æger ſed redditus Eccleſiæ. Quod homo hic dicitur fuiſſe πλήρης λέπρας, meritò conferendum eſt cum *Levit.* 13: 12, 13.

CAP. V. VERS. 17, 27, 39. CAP. VI. VERS. 1.

Fuerit antea purificatus à Sacerdote, necne, ſanatum mittit Chriſtus ad Sacerdotem, ut offerat quod pro *mundato* leproſo debitum. Nam num lex Moſaica *ſanatum* ſupponit? Quæro an medicabilis omnino fuerit iſta ægritudo, niſi per miraculum? Atque ideo miſſus eſt hic homo ad Templum, ut oſtenderet ſe Sacerdoti, & offerret εἰς μαρτύριον αὐτοῖς, *verſ.* 14. id eſt, ut teſtaretur, ſanatam jam eſſe lepram, morbum immedicabilem, per miraculum, ut olim in *Miriama* & *Naamane:* ideoque magnum Prophetam exortum eſſe in Iſraële.

VERS. 17. Ἐν μιᾷ τῶν ἡμερῶν.

Talmudicis חד יומא: ſic & חדא זמנא, *quodam tempore.*

VERS. 27. Ἐπὶ τὸ τελώνιον.

בבית מכס: *Succah*, fol. 30. 1. *Res hæc, ſimilis eſt Regi carnis & ſanguinis prætereunti* בבית המכס, *juxta telonium. Dicit ſervis ſuis, Solvite vectigal Publicano.*

VERS. 39. Ὁ παλαιὸς χρηστότερός ἐστι.

Beracoth, fol. 51. 1. הלא מושן יפה הוא, *Nonne vetus melius eſt?*

Gloſſ. מין מושן של שלש שנים, *Vinum vetus, id eſt, trium annorum.*

Shabb. fol. 129. 1. אחמרא בת תלתא טרפי, *Vinum trium foliorum.*

Gloſſ. *Trium annorum: quippe quòd ex quo vitis produxit iſtud vinum, ter protruſit nova folia.*

CAP. VI.

VERS. 1. Ἐν σαββάτῳ δευτεροπρώτῳ.

De hoc diximus ad *Matth.* 12. Adjiciamus pauca.

Controverſum eſt inter Magiſtros Judæorum, & *Baithuſæos*, de interpretatione verborum iſtorum circa oblationem manipuli primitialis ממחרת השבת, *Craſtina Sabbati*, Levit. 23:10, 11.

Gloſſ.

Digitized by Google

CAP. VI. VERS. 1.

Gloſſ. in *Roſh haſhanah*, fol. 22. 2. *In votis erat Baithuſæis, ut dies primus Paſchatis eſſet Sabbato, ut oblatio manipuli incideret in primum diem hebdomadis, atque ut feſtum Pentecoſtes incideret etiam in primum hebdomadis. Nam illi interpretati ſunt verba iſta* יניפנו ממחרת השבת, *Agitabit manipulum Sacerdos craſtinò Sabbati, ac ſi ſenſus eorum eſſet, Craſtinò Sabbati creationis.*

Contra hoc diſputant Rabbini, atque unanimiter, illudque verè, aſtruunt per *Craſtinum Sabbati* intelligendum eſſe *Craſtinum diei Sabbatici*, vel diei primi feſti. Sic *Targ. Siphra, Solom. Menahem*, &c. Sic etiam Verſio Græca. Argumenta eorum videre licet in *Siphra*, & *Peſikta*, & *Menacoth*, fol. 65. 1. Præcipuum eſt illud *Rabban Jochananis* diſputantis cum *Baithuſæo* loco noviſſime citato. *Scriptura una*, inquit ille, *dicit*, *Numerabitis quinquaginta dies*, [à die ſcil. quo oblatus eſt manipulus ad Pentecoſten.] Levit. 23: 16. *Altera dicit*, *Numerabitis ſeptem Sabbata*, Levit. 23: 14. Deuter. 16: 9. כאן ב״ט שחל להיות בשבת, *Hoc, ſi dies feſti primus incidat in Sabbatum*: כאן ב״ט שחל להיות באמצע שבת, *Illud*, *ſi dies feſti primus incidat in medium hebdomadis.*

Hoc ſibi vult. Si dies primus ſeptidui Paſchalis incideret in Sabbatum, tum manipulo poſtridie ablato, Pentecoſte incidit in diem proximum poſt ſeptimum Sabbatum. Si verò dies iſte primus incideret in medium ſeptimanæ, tum à manipulo poſtridie oblato, non numeranda ſeptem Sabbata, ſed quinquaginta dies.

Exempli gratiâ. Supponatur comeſum agnum feriâ ſeptimanæ Judaicæ tertiâ, nobis die *Martis*, dies *Mercurii* erat dies feſti primus, & die *Jovis* oblatus eſt manipulus: tum die *Jovis* etiam, numeratis quinquaginta diebus, erat Pentecoſte. Intercurrebant hic ſeptem Sabbata, & poſt ultimum ſabbatum quatuor dies ante Pentecoſten: ubi numeratio per Sabbata, ſpatium decurtat; at numeratio per quinquaginta dies, rem ſtatuit abſque ſcrupulo. Et hæc duo ſimul concludit. I. Oblationem manipuli non conſtringi ad diem poſt Sabbatum, ſed ad diem poſt Sabbaticum primum feſti. II. Diem Pentecoſtes non aſtringi ad primum hebdomadis, quod voluerunt *Baithuſæi*, ſed incidere potuiſſe quovis die ſeptimanæ.

Quânam ratione conati ſunt *Baithuſæi* diem Pentecoſtes ſemper reducere ad craſtinum Sabbati, vel primam hebdomadis, non promptum eſt definire.

Ille forſan qui cum Rabban Jochanane diſputat, aliquid de hâc re innuit. *Moſes Magiſter noſter*, inquit, *amavit Iſraëlem*, & *novit* שעצרת יום א׳, *quòd Pentecoſte foret tantùm dies unus: inſtituit ergò eam Craſtino Sabbati, ut Iſraël deliciaretur duobus diebus ſimul.*

CAP. VI. VERS. 12.

Quicquid erat, malè certè intellexerunt Phraſin ממחרת השבת, circa oblationem manipuli, de *Craſtino Sabbati*, cùm intelligendum ſit de *craſtino diei Sabbatici*. Et ſic Græc. *καὶ ἀνοίσει τὸ δράγμα ἔναντι κυρίου δεκτὸν ὑμῖν τῇ ἐπαύριον τῆς πρώτης.*

Exemplum ſumamus de hac re in ultimo Paſchate Salvatoris.

Comeſus eſt agnus Paſchalis feriâ Judæorum quintâ, nobis die *Jovis*. Dies feſti primus, illis erat feria ſexta, nobis dies *Veneris*, quo crucifixus eſt Chriſtus. Inclinante in noctem die iſto, (circa tempus quo ille eſt ſepultus) prodierunt deputati à Synedrio ad metendum manipulum: & craſtino, qui erat Sabbatum, & dum Salvator dormiret in ſepulchro, manipulus iſte eſt oblatus.

Dies ergo iſta erat Δευτέρα, & ab ea numerarunt ſeptimanas ad Pentecoſten. Atque intercurrentia Sabbata denominabantur ab iſta Δευτέρα· Primum Δευτερόπρωτον· Secundum Δευτεροδεύτερον, & ſic de cæteris.

Rambam in Adajoth, fol. 22. 1. *Primus dies Paſchatis vocatur Sabbatum, & numerarunt poſt illud* שבע שבתות המיוחסין אליו, *Septem Sabbata cognatione relata ad illud.* Nota illud המיוחסין.

Vers. 12. Ἐν τῇ προσευχῇ τοῦ Θεοῦ.

Confer hanc Phraſiologiam cum illo quod dicitur

Beracoth, fol. 7. 1. *Dicit R. Jochanan nomine R. Joſe*, מנין שהבה מתפלל, *Unde conſtat quòd Deus Sanct. Ben. orat? Indè quod dicitur, Adducam eos ad montem meum ſanctum & lætificabo eos* בבית תפלתי, *In domo orationis meæ.* תפלתם לא נאמר, Orationis eorum, *non dicitur*, *ſed* תפלתי, Orationis meæ. *Unde ſequitur quòd Deus Sanct. Ben. orat. Et quomodo orat? Dicit Rabb Zutra bar Tobijah, Dicit Rabb, Eſto beneplacitum meum, ut ſuperent miſericordiæ meæ iram meam.*

Bereſh. Rabb. fol. 63. 3. עשה לו הקבה סוכה והיה מתפלל בתוכה, *Fecit ſibi Deus Sanct. Ben. tabernaculum, atque oravit in eo: ſicut dicitur, Tabernaculum ejus in Salem, atque habitatio in Sion. Et quidnam dicit orans?* יהי רצון שאראה בבנין ביתי, *Sit beneplacitum meum, ut videam domum meam ædificatam.*

Ridemus fabulas, & tamen ſententiam gentis non obſervare non poſſumus, & conferre cum Phraſiologia noſtra, προσευχῇ τοῦ Θεοῦ, volunt illi Deum orare, non ſupplicatoriè, ſed authoritativè: *ſic eſto*. Sic & Chriſtus

Sſſ 3

Digitized by Google

CAP. VI. Chriſtus aliquando, Πάτερ, θέλω, *Joann.*
VERS. 38. 17:24. an ita ſit Phraſeologia hoc in loco interpretanda, non decernimus.

CAP. VII. VERS. 2.

VERS. 38. Μέτρον καλὸν πεπιεσμένον.

I. Vide *Menacoth*, fol. 87. de מדות וגרשות ומחוקות, *Menſuris accumulatis & abraſis.*

Rabbi Meir dicit. Dicitur עשרון עשרון לכבש האחד, *Decima, Decima unicuique agno. Unde innuitur quòd duæ* עשרונות, *Decimariæ erant in Templo,* אחד גדוש, *una accumulata,* ואחד מחוק, *Et altera abraſa. Accumulata, quâ menſurarunt omnia ſacra frumentaria* (כל המנחות) *Abraſa, quâ menſurarunt molas, vel panes ſummi Pontificis.*

Ibid. fol. 90. 1. *Omnes menſuræ in Templo erant accumulatæ, præter iſtam ſummi Pontificis.*

Ratioque quare illa etiam non accumulata, redditur a Gloſſ. viz. *Quia oportuit eum dividere ſimilam in duas decimas: ſi ergò menſura foret accumulata, dum eam huc illuc moveret, ut ſic divideret, difflueret aliquid ſimilæ ad terram.*

Joma, fol. 48. 1. *Rabb Papa interrogavit,* מלא חפניו, *Plenitudo pugillorum Sacerdotis, de qua eſt mentio,* מחוקות או גרשות, *num eſt menſuris abraſis, vel accumulatis? Dicit R. Aba* τȣ̃ *Rabb Ishai, Plenitudo pugillorum, de qua eſt ſermo, non eſt menſuris abraſis, nec accumulatis,* אלא טפופות, *ſed ſupernatantibus.*

II. Nemo non obſervaverit Euangeliſtam noſtrum in repetitione ſermonis hujus in monte, plurima omittere quæ ſunt apud *Matthæum*: illa nimirum quæ magis peculiariter reſpiciunt, vel dictata & gloſſas Scribarum & Phariſæorum circa homicidium, juramenta, divortia, &c. vel eorum mores in orationibus, eleemoſynis, jejuniis, &c. Pro gentibus ſcribens omittit iſta Judaica.

CAP. VII.

VERS. 2. Ὅς ἦν αὐτῷ ἔντιμος.

SIc *Tabi* ſervus *Rabban Gamalielis* hero ſuo: de quo plurima paſſim, ſpeciatim verò in

Beracoth, fol. 16. 2. *Cùm mortuus eſſet ſervus ejus Tabi, ſuſcepit ille pro eo conſolationes. Dixerunt ei Diſcipuli ejus, Docuiſti nos, ô Magiſter, quòd non recipiunt conſolationes pro ſervis. Reſpondit ille, Servus meus Tabi non erat ſicut alii ſervi, ille rectiſſimus.*

VERS. 5. Τὴν συναγωγὴν αὐτὸς ᾠκοδόμησεν ἡμῖν. CAP. VII. VERS. 5, 12.

I. Non inuſitatum erat uni homini ædificare Synagogam.

Kitſur Piske הראש in *Megillah*, Artic. 41. *Si quis domum ædificaverit, poſteaque eam conſecraverit in Synagogam, eſt de natura Synagogæ.*

Gloſſ. in *Rabbenu Asher*, ibid. fol. 37. 2. *Unus quis qui condiderit Synagogam, dederitque concivibus*, &c.

Et diſputant plurima Magiſtri in Tractatu iſto *Megillah*, cap. 4. ſuper hac quæſtione: An liceat vendere Synagogam, aut in uſum aliquem civilem alienare: atque inter alia ſupponunt eam ædificatam ab uno aliquo homine, at quam tandem reſervare vult in uſum proprium.

II. Non hæſit iis ſcrupulus de conditore etiam Gentilitio, cùm ſanctimonia loci, non tam in ædificatione conſtaret, quàm in ſacratione & dicatione in uſum ſacrum: cujus rei ſpecimen aliquod habes in Templo condito ab Herode. Et talem ſeipſum erga gentem eorum approbaverat hic Centurio, ut de liberalitate & devotione ejus, in erogatione ſumptûs ædificationis, non haberent cur cierent ſcrupulum.

VERS. 12. Ἐξεκομίζετο τεθνηκώς.

Talmudicis vulgò מת יוצא. Quod primò intelligitur de elatione funeris è porta atrii domûs.

Hieroſ. Beracoth, fol. 5. 4. *A quonam tempore inclinant lectos? Ex quo defunctus exportatur ex porta atrii domûs.*

Secundò, de exportatione extra urbem: nam לא היו בתי קברות סמוכין לעיר, *Cœmiteria non erant prope urbem.* Gloſſ. in Kiddushin, fol. 80. 2.

Moed Katon, fol. 24. 1. *Infans moriens ante triceſimum ætatis diem,* יוצא בחיק, *effertur in ſinu, & ſepelitur ab una fœmina & duobus viris.*

בן ל׳ יוצא בדלוסקמא, *Infans triginta dierum effertur in arcula. R. Judah dicit, Non in arcula quæ portatur humeris, ſed brachiis.*

בן ג׳ שנים יוצא במטה, *Puer trium annorum effertur in lecto:* & ſic ab iſta ætate ulteriùs.

Ὄχλος ἱκανὸς ἦν σὺν αὐτῇ.

Moed Katon, ibid. *R. Simeon ben Eliezer dicit,* היוצא במטה רבים מצהיבין עליו, *Pro mortuo qui effertur in lecto, multi lugent:* at ſi non effertur in lecto, [ſed in גלוסקמא, vel דלוסקמא] multi non lugent.

ניכר

Digitized by Google

CAP. VII. VERS. 14, 37, 38.

ניכר לרבים רבים מתעסקין עמו, *Si defunctus notus fuerit multis, multi eum comitantur.*

Aderant vulgò ad talia funera נושאי מטה וחילפיהן וחילופי חילופיהן, *Portantes feretrum, & qui vices cum illis mutarent, atque etiam qui vices cum iſtis. Beracoth*, cap. 3. hal. 1. Nam ut Gloſſ. הכל חפצין לזכות בו, *omnes cupierunt fungi iſto munere.*

Erant etiam qui עומדין בשורה, *ſeriatim ſtantes circum lugentem eum ſolarentur.* Ibid. & *Chetubb.* fol. 8. 2.

VERS. 14. Ἥψατο τῆς σοροῦ.

Syr. קרב לערסא, Talmudici dicerent נגע במטה, quod quidem Hebraicè eſt idem, 2 *Sam.* 3:31. אחרי המטה. Targ. בתר ערסא.

Bereſh. Rabb. ſect. 100. *Dixit Jacobus filiis, Cavete vos* שלא יגע ערל במטתי, *Nè præputiatus quis tangat lectum meum, nè pellat ab eo divinam præſentiam.*

VERS. 37. Γυνὴ ἁμαρτωλὸς.

I. Erant hæ fœminæ inter Judæos mali nominis.

Chetubb. fol. 72. 1. *Illa quæ tranſgreditur Legem Moſaicam, & illa quæ Judaicam.* Gloſſ. *Legem Judaicam, quam ſequuntur filiæ Iſraëlis, etiamſi non ſit ſcripta.*

Quænam illa quæ tranſgreditur Legem Moſis? Illa quæ marito præbet aliquid comedendum quod non decimatur: quæ coitum ejus patitur exiſtens menſtruoſa: quæ non ſeparat ſibi collyram: quæ vovet, & non præſtat quod votum.

Qualiter tranſgreditur Legem Judaicam? Si prodeat in publicum capite aperto: ſi neat in plateis: ſi confabuletur cum quovis obviante. Abba Saul dicit, Si maledicat filiis ſuis. R. Tarphon dicit, Si quoque ſit clamoſa. Gloſſ. *Si concubitum mariti ſui efflagitet intra domum ſuam, eâ vociferatione, ut audiri poſſit à vicinis.*

Maimon. in loc. *Si nens in platea brachia denudet conſpicienda viris: ſi vel roſas, aut myrtum, aut pomumgranatum, aut aliquid tale appendat oculis vel genis: ſi luſitet cum adoleſcentibus. Si maledicat patri mariti ſui coram marito*, &c.

II. Suſpicor vocem Ἁμαρτωλὸς deteriora adhuc ſonare, quod & vulgò creditur de hâc fœmina, quòd ſcilicet fuerit reipsâ adultera, & ſummâ vitioſitate contaminata. Notum eſt quid חטאים ſonet in Vet. Teſtamento, & Ἁμαρτωλοὶ in Novo.

VERS. 38. Καὶ στᾶσα παρὰ τοὺς πόδας αὐτοῦ ὀπίσω.

Pedes lavit poſt eum protenſos: de qua re dicimus fuſiùs ad *Joann.* 12.

VERS. 47. Ὅτι ἠγάπησε πολύ. CAP. VII. VERS. 47.

Hæc animadverſa, vim animumque vocabuli ὅτι facilè enucleant. CAP. VIII. VERS. 2.

I. Quòd hæc fœmina non nunc primùm ad Chriſtum ſe receperit, nec nunc primùm remiſſionem peccatorum ſuorum acceperit: creditur fuiſſe *Maria Magdalena*, nec ſine ratione. Si ità, tum ex ea antea ejecta fuerant ſeptem ſua dæmonia: & tunc temporis remiſſa ei peccata, ſanationem indulgente Chriſto, & corporis & animæ. Ea ergò tam grandi anteà devincta beneficio, jam ſe provolvit ad pedes Chriſti, gratitudinis ergô & devotionis. Remiſſionem peccatorum obtinuerat ante hanc actionem, atque inde hæc actio, non ab hac actione remiſſio.

II. Nequaquam aliter quadraret ſimile quod proponit Salvator de relaxatione debiti. Non relaxatur debitum, quia debitor diligit; ſed debitor diligit, quia relaxatur debitum. Præcedit remiſſio, dilectio ſequitur.

III. Non dicit Chriſtus, Pedes meos lachrimis lavit, capillis terſit, unguento unxit, οὗ χάριν ἀφέωνται αἱ ἁμαρτίαι, ſed οὗ χάριν λέγω σοι, ἀφέωνται, ut ſatisfaciat nempe murmuranti Phariſæo. Tu intra te muſſitas, *Simon*, quòd grandiſſima peccatrix ſit hæc fœmina: quereris tecum, quòd ego tactum tantæ peccatricis tollerem. Ego verò dico tibi, quòd ex ipſiſſimis hiſce quæ erga me præſtitit officiis, patet quòd remittuntur ei peccata ſua: nam non potuit hæc ſpecimina & fructus charitatis & devotionis edidiſſe, ſi conſtricta adhuc foret reatu & vinculis peccatorum ſuorum.

CAP. VIII.

VERS. 2. Μαρία ἡ καλουμένη Μαγδαληνή.

UNde autem ſic vocata?

I. Obſervavimus ad *Matth.* 27: 56. mentionem eſſe apud Talmudicos, τῆς מרים מגדלא שיער נשייא, *Miriam Magdilaſener nashaia, Mariæ plicatricis capillorum fœminarum:* quam dicunt fuiſſe uxorem τοῦ פפים, *Papus ben Judæ*, ſed adulteram.

Papum coætaneum faciunt cum *Rabban Gamaliele* [Jaſnenſi] & *R. Joſua. Hieroſ. Bava Bathra*, fol. 5. 1. & cum *R. Akibah. Gloſſ in Shabb.* fol. 104. 2. qui omnes vixerunt, & ante dirutum Templum, & pòſt. Ita ut tempora non admodùm diſſonent. Et probabile eſt, Gemariſtas aliquam memoriam *Magdelenæ* hujus noſtræ in voce מגדלא retinuiſſe.

II. Obſervamus ad *Joann.* 12. fuiſſe oppidum quoddam propè *Hieroſolymam* nomine *Magdala*, mali nominis & famæ, quæ fortè ipſa

Digitized by Google

CAP. VIII. VERS. 2, 3, 18. CAP. IX. VERS. 3.

ipſa *Bethania* fuit, aut eſto alia ab ea, non incongruè dici potuit *Maria* noſtra, *Magdalena*, [ſi ſoror ſcil. *Lazari*] vel quòd ibi aliquando habitaret, illuc elocata per nuptias, vel quòd mores meretricios iſtius loci imitaretur. Sed pronum mihi eſt credere, ipſam *Bethaniam* ita fuiſſe dictam.

Ἀφ' ἧς δαιμόνια ἑπτὰ ἐξεληλύθει.

De numero ſeptenario non contendimus, cùm vix quicquam uſitatius quàm numero hoc certo uti pro incerto. Scrupulus eſt, an ſecundùm literam hæc verba ſint intelligenda, an ſenſu Judæorum, quibus etiam vitia ſunt dæmonia: ut *Malus affectus eſt Satan.* Gloſſ. in Joma, fol. 67. 2. *Ebrietas ex muſto eſt dæmonium*, Gittin, fol. 77. 2, &c. Si *Maria* hæc eadem fuerit cum peccatrice *Cap. præcedenti*, quod creditur, tum per dæmonia videntur intelligi ejus vitia: præſertim verò cùm & Phariſæus & Euangeliſta eam vocent *peccatricem* potiùs quàm Dæmoniacam. Sed rem in medio relinquimus.

VERS. 3. Χουζᾶ.

Occurrit tale nomen in Genealogia *Hamanis*.

Maſſech. Sopherim, cap. 13. Exaltavit Rex Hamanem Hammedathæum Agagæum בר כוזא, *Filium Chuzæ*, &c.

Targ. in *Eſther.* cap. 5. eandem Genealogiam recenſens, nomen hoc omittit, & in aliis diſcrepat. Hoc obiter notare licet, quòd *Chuza* eſt nomen in familia *Hamanis Edomæi*, & *Chuza* etiam in familia *Herodis*, qui de ſanguine etiam *Edomæorum*.

VERS. 18. Ὃς γὰρ ἂν ἔχῃ, δοθήσεται αὐτῷ.

Succah, fol. 46. 2. *Menſura Dei non eſt ſicut menſura carnis & ſanguinis. Menſura carnis & ſanguinis hæc eſt: Vas vacuum recipit, plenum non recipit ampliùs. At menſura Dei hæc: Plenum recipit, vacuum non recipit, ſicut dicitur,* אם שמוע תשמע, *Si audiendo audies: id eſt ſi audis audies, ſi non audis non audies.*

Gloſſ. *Si ad audiendum te aſſuefeceris, tunc audies, & diſces, & addes.* Non diſpar eſt illud in *Beracoth*, fol. 55. 1. *Deus non dat ſapientiam, niſi ei cui eſt ſapientia.*

CAP. IX.

VERS. 3. Μήτε ἀνὰ δύο χιτῶνας ἔχειν.

Ut plurimùm me fallunt calculi mei in computatione temporum, aut inſtabat jam hyems, cùm emitterentur Apoſtoli, & tamen interdictum iis nè duplici amictu induantur. Minùs erat, quod vetitum iis, portare ſecum, vel pecuniam, vel viaticum; nam propter Euangelizationem ſuam miniſtrandus erat iis victus. At dum cum frigore & hyeme colluctandum iis eſt abſque amictu competenti, videtur durius.

I. Non inuſitatum quidem eſt in gente, ut aliqui ex religioſiori ſeveritate amicirentur veſte tantùm unâ, de qua re diximus ad *Marc.* 14. *verſ.* 51. Quo forſan ſpectat illud in

Shabb. fol. 118. 2. *Dicit R. Joſe, Sit portio mea* ממתי בחולי מעיים, *cum iis qui mortui ſunt ex ægritudine inteſtinorum. Nam dicit Mar, Plurimi juſtorum moriuntur ex ægritudine viſcerum*, contracta ſcil. ex auſteritate vitæ in victu & veſtitu. Et ſic dicitur ſpeciatim de Sacerdotibus.

Gloſſ. in Shekalim, cap. 5. *Ambularunt Sacerdotes diſcalceati in pavimento, & uſi ſunt aquâ, & non amicti* אלא בגד אחד, *niſi veſte unâ.--- Atque ex hac conſuetudine elanguit vigor eorum, atque infirmata ſunt eorum viſcera.* Atque hujus rei ergô, erat medicus quidam in Templo ſtatutus, cui cura incubuit, huic malo occurrendi, quem non incongruè dicas, *Medicum viſcerarium.*

Jam ergò quæritur, an Chriſtus præſcripſerit hiſce ſuis talem ſeveritatem ex hoc exemplo, non indulgens eis niſi unam veſtem, cùm Euangelizatio hæc eorum itineraria foret opus hyemale: nam ab ea redierunt paulò ante Paſcha. Confer *verſ.* 10. hujus *Capitis* & ultrà, cum *Joann.* 6: 4. & porrò. Exſpatiemur paululùm.

I. In utroque Talmude, *Hieroſ. Shabb.* fol. 15. 4. *Babyl. Shabb.* fol. 120. 1. numerantur octodecim indumenta, quibus veſtitur Judæus à capite ad calcem. Inter alia, duo calcei, duæ caligæ, &c. Verùm ea quæ maximè propriè dicenda ſunt veſtimenta, & quæ ipſum corpus ambiunt atque amplexantur, numerantur iſta.

1. מקטורן *Mactoren.*] Quæ vox à variis redditur variè. à Gloſſ. מנטול, opinor *Amantle*. Ab Aruch, מעיל *Pallium*. Ab aliis, *Cucullus*. Gloſſæ in *Bava Bathra*, fol. 57. 2. eſt idem cum *Talith*.

Avodah Zarah, fol. 58. 2. *Resh Lachish profectus eſt ad Bozram, & vidit Iſraëlitas comedentes fructus non decimatos, & prohibuit iis. Venit coram R. Jochanane, qui dixit ei,* זיל.אדמקטורך עלך, *Etiam dum Mactoren [pallium] tuum ſuper te eſt, ito, & revoca prohibitionem tuam.*

II. קולבין של פשתן, *Kolbin de lino*: quod Babylonicis eſt קלבוס. Ordinarius Judæi amictus erat טלית, *Talith*, veſtis exterior, & חלוק, *Hhaluk*, interior. Aſt in loco allegato, nulla eſt mentio τῆς *Talith*, in ſyllabis

CAP. IX. VERS. 3. labis omnino: ejus autem vice eſt קולבין, *Kolbin*: voce Græcâ adhibitâ pro Hebræa: קולבין, id eſt, Κολόβιον.

Epiphan. lib. 1. cap. 15. de *Scribis* loquens, *Ad hæc veſtes Phylacteriis diſtinctas gerebant, quæ ſunt latiora quædam purpuræ ſegmenta.* Ἀλλ᾽ ἐπειδὴ ϛολὰς, εἴτ᾽ οὖν ἀμπεχόνας οἱ τοιοῦτοι ἀνεβάλλοντο, καὶ Δαλματικὰς, εἴτ᾽ οὖν κολοβίωνας, &c. Lat. Interpr. *Cùm ſtolis, ſive veſtimenti genere quodam uterentur iſti, quod Dalmaticas, aut Colobia appellare poſſumus,* ἐκ πλατυσήμων διὰ πορφύρας ἀλουργοφεῖς κατεσκευασμένας, *quæ amplioribus ex purpura ſegmentis erant intexta.*

De טלית, *Talith* eum loqui, res ipſa loquitur: nam nihil aliud erant ſegmenta iſta purpuræ, quàm ציצית peniculamenta τῇ *Talith* appenſa, & aſſuta.

III. חלוק של צמר, *Camiſia lanea*, veſtis interior. Unde Gloſſ. חלוק קמישא על בשרו, *Hhaluck erat camiſia ſuper carnem ejus.* Atque inde jactantia τοῦ R. Joſe, *Shabb.* fol. 118. 2. *Quòd in tota vita ſua, tigna domûs ejus non viderant interiora* חלוק, *camiſiæ ſuæ.*

II. Et jam redit quæſtio. An per Δύο χιτῶνας, loco quem tractamus, intelligendæ ſint hæ duæ ſpecies, *Talith* & *Hhaluk*, an ſpecies una duplicata? An ſcil. Salvator eos aſtrinxerit ad unum tantùm horum veſtimentorum, an duplicem *Talith* aut *Hhaluk* prohibuerit?

Credimus quòd ad unum tantùm aſtrinxit: nam quamvis χιτὼν cùm conjungitur cum ἱμάτιον, ad ſpeciale veſtimentum applicetur, cùm tamen non ita conjungitur, poteſt in genere denotare *Amictum.* Et cum jubeat Chriſtus, Μὴ ἐνδύσασθαι δύο χιτῶνας, *Marc.* 6:9. Optimè exponitur ex præcedentibus: nam cùm decurtat ab iis, alias veſtimentorum atque utenſilium partes, peram, baculum, calceos, liquet decurtare eum etiam, unum de ordinariis veſtimentis, aut *Talith*, aut *Hhaluk.*

Severum nimis hoc videri poſſit, eum illos hyeme emittere velle ſeminudatos. At I. Congruit optimè cum ejus providentia, quam exerere pro iis ſpeciali modo, illi eſt ſtatutum, quod colligi poteſt ex *Luc.* 22:35. & cui vult eos ſe committere. Et ſimilis eſt providentia ejus, in iis tuendis, providentiæ Dei, erga *Iſraëlitas* in eremo, quæ non permiſit veſtimenta eorum veteraſcere, & corpora conſervavit à languore & morbis incolumia, & pedes ab omni gravamine intactos. II. Congruit optimè cum ſtatu & humilitate regni cœlorum, & *Meſſiæ*, de quibus illi Euangelizant, ut de utroque rectiùs judicare diſcant Judæi, ex ipſo conſpectu & intuitu horum præconum: atque in *Meſſia* diſcant credere, cùm videant eum tam miraculosè nuntios ſuos protegere, etiam omnibus incommodis circumſeptos: & diſcant regnum cœlorum pomposum non expectare, cùm tantum diſtent hi ejus præcones à pompa.

Verba Baptiſtæ, Ὁ ἔχων δύο χιτῶνας, μεταδότω, ſic etiam ſunt intelligenda, ut ille qui habet *Talith* & *Hhaluk*, det unam nudo, & non habenti vel hanc vel illam.

CAP. IX. VERS. 8, 30, 31.

VERS. 8. Ὅτι προφήτης εἷς τῶν ἀρχαίων ἀνέϛη.

Sic *verſ.* 19. Quo ſenſu ſumendus eſt ὁ προφήτης, *Joann.* 1:21, 25. id eſt, ὁ προφήτης τις τῶν ἀρχαίων ὃς ἀνέϛη.

Cùm nullum expectarent Prophetam [*Elia* excepto] ante adventum *Meſſiæ*, at tum veteres reſurrecturos; conceperunt, ut videtur, tempus illud inſtare vel adeſſe, cùm in ore eorum tam frequenter foret mentio, de veteri aliquo Propheta à mortuis reſuſcitato.

VERS. 30. Μωσῆς καὶ Ἠλίας.

Fingunt ſibi Judæi, *Moſen* venturum cum *Elia*, cùm *Elias* advenerit.

Debbarin Rabba, fol. 293. 4. *Dixit Sanctus Benedictus Moſi, Sicut vitam tuam dediſti pro Iſraële in hoc ſæculo, ſic tempore futuro, cùm adduxero ad eos Eliam Prophetam*, שניכם באין באחת, *Vos duo venietis ſimul.*

At ridebis hujus opinionis fundamentum, jactum ſcil. ex verbis *Nahumi*, Cap. 1:3. יהוה בסופה ובשערה דרכו, *Moſes* autem infans jactus eſt in סופה, Exod. 2. & *Elias* aſcendit in cœlum בשערה. 2 Reg. 2. Hoc illis eſt allegorizare.

Fingunt quoque *Moſen* exſuſcitatum fuiſſe ſimul cum *Samuele* à Pythoniſſa.

Vajicra Rabba, fol. 195. 3. *Samuel putavit diem iſtum fuiſſe diem judicii, excitavit ergò ſecum Moſen.*

Peſikta, fol. 93. 1. *Moſes non mortuus eſt*, [*nam juſti non moriuntur*] *ſed aſcendit in excelſo ut miniſtraret Deo.*

VERS. 31. Ἔλεγον τὴν ἔξοδον αὐτοῦ

Gallus atque Italus laxè nimiùm vocem Ἔξοδον reddunt hoc in loco. Ille, *Diſoyent ſur l'iſſuë*: Hic, *Dicevane il ſucceſſo ſuo.* Et vereor nè ſtrictè nimis vernacula noſtra, *They ſpake of his deceaſe.* Mallem *They ſpake of his departure.* Nam aſcenſio Chriſti in cœlum erat Ἔξοδος ejus, æque ac mors ejus erat: imò potiùs quàm mors ejus, ſi in vocabulo Ἔξοδον ſit ulla alluſio ad exitum ex *Ægypto.* Iſte enim erat in victoria & triumpho, prout erat aſcenſio ejus in cœlum.

Parum dubitamus, ſermonem iis fuiſſe de ejus morte, iſtiusque modo, per crucifixionem

Digitized by Google

CAP. IX. VERS. 51, 52. 55.

nem ſcilicet, cùm *Moſes* & *Elias* abſque dolore aut angore obierint: at ſuſpicamur aliquid magis contineri intra vocabulum, & Phraſiologiam Ἀναλήψεως ἀυτȢ, *verſ.* 51. Ἔξοδον ἀυτȢ, planè reſpicere.

Occurrit vox Ἔξοδος apud Græc. Interpr. *Prov.* 30: 12. *Generatio mala ſeipſam juſtam judicat*, τὴν δὲ Ἔξοδον ἀυτȢ ȣ̓κ ἀπένιψεν, *Exitum autem ſuum non lavit.* Obſcurè ſatis, & quidem præter textum. Legunt illi ומיציאתו, cùm in fonte ſit ומצאתו, *Et à ſordibus ſuis ſe non lavit.*

VERS. 51. Ἐν τῷ συμπληρȣ̃σθαι τὰς ἡμέρας τῆς ἀναλήψεως ἀυτȢ.

Oritur quibuſdam ſcrupulus, cur mentio ſolùm fiat τῆς ἀναλήψεως, non priùs habitâ mentione mortis ejus. Verùm detur ſub voce ἔξοδον ἀυτȢ concludi aſcenſionem ejus, & ſolvitur nodus. Et videtur Euangeliſta indè calculare. Loquuti fuerant *Moſes* & *Elias* de *diſceſſu ejus* ex hoc mundo, id eſt finaliter per ejus aſcenſionem, atque ille exinde uſque dum expleretur tempus aſcenſionis, faciem ſuam firmat versùs *Hieroſolymam*, ſtatuens apud ſe, ad omnia feſta adeſſe, quæ ejus ἀνάληψιν erant anteceſſura.

Pergit ergò jam ad feſtum *Scenopegiæ*, ubi quid egerit habes, *Joann.* 7. Poſt decem aut circiter ſeptimanas, aſcendit iterum ad feſtum *Encæniorum*, Cap. 13: 22. *Joann.* 10: 22. & tandem ad ultimum ſuum Paſcha, Cap. 17: 11.

VERS. 52. Εἰς κώμην Σαμαρειτῶν.

An Judæi in oppidis Samaritarum vulgò pernoctarent in acceſſu eorum & receſſu ab *Hieroſolymis*, poſſet diſputari. Verùm ſi eos cogeret aliquando neceſſitas in iſta diverſoria, nihil erat illic, præter inimicitiam gentis, quod poſſet iis eſſe offendiculo. Nam *terra iſta erat munda*, *collectiones aquarum mundæ*, *habitacula munda*, & *ſemitæ mundæ*, Hieroſ. *Avoda Zarah*, fol. 44. 4. Ita ut nihil periculi de immunditia in habitaculis: & cùm Samaritani in quamplurimis Judaizarent, minus periculum immunditiei in eduliis, lectis, menſis, &c.

VERS. 55. Ȣ̓κ οἴδατε οἵȣ πνεύματός ἐστε ὑμεῖς.

Quod fecit *Elias* inter Samaritanos, imitari ambiunt Zebedæani inter Samaritanos, in nomine ſuo *Boanerges* ſomniantes, ut videtur, eſſe fulgura & tonitrua, ad necem & ſtragem. At vidiſtis, ô *Zebedæi* filii, Magiſtrum veſtrum de vitis hominum curas agentem ex intimis præcordiis, & miſericordiæ viſceribus, ſanantem ægros, liberantem Dæmoniacos, ſuſcitantem mortuos; & vos cædes & flammas, & perditionem totius oppidi, ad inſtar *Sodomæ*, ſpirare: non noſtis, non advertitis, qualis ſpiritûs decet eſſe Apoſtolos *Meſſiæ*.

CAP. IX. VERS. 60.

VERS. 60. Ἄφες τȣ̀ς νεκρȣ̀ς θάψαι τȣ̀ς ἑαυτῶν νεκρȣ́ς.

Gentiles æſtimabantur à Judæis pro mortuis.

Chetubboth, fol. 3. 2. עמי הארצות אינן חיים, *Populi terrarum* [i. e. Ethnici] *non vivunt.* Atqui hi inter ſuos etiam ſic æſtimati.

Shemoth Rabba, fol. 123. 1. ארבע הן חשובין כמתים. *Hi quatuor reputantur pro mortuis, cæcus, leproſus, pauper & ἄτεκνος, vel, qui non habet liberos.*

CAP. X.

CAP. X. VERS. 1.

VERS. 1. Ἑβδομήκοντα.

Quare vulg. Interpr. habeat *Septuaginta duos*, ipſe, ut opinor, vix rationem reddiderit: multò minus rationem reddiderit *Titi Boſtrenſis* Interpres, quare Ἑβδομήκοντα, ut eſt in Græc. *Titi*, reddat *Septuaginta duos.*

Super hiſtoriam *Eldadi* & *Medadi*, Numer. 11. ſic

Aben Ezra. Dicunt Sapientes, quòd Moſes accepit ſex ex unaquaque Tribu, & totus numerus accrevit ad LXXII. Cùm ergò præceperat Deus de LXX. tantùm, ſeponuntur iſti duo. Jam ergò ſi Deus ſepoſuit duos [qui erant de conſcriptis, & qui dotati Spiritu Sancto] ut non eſſent LXXII. ſed LXX. vix excogitaveris quare Chriſtus adderet duos, ut non eſſent LXX. ſed LXXII.

Vajicra Rabba, fol. 178. 1. *Dicitur Moſi ad montem Sinai, Aſcende tu & Aaron, & Nadab & Abihu, & LXX. de Senioribus Iſraëlis: ſic etiam tempore futuro conſtituturus ſibi eſt Sanctus Benedictus* ישיבה של זקנים משלו, *Conſeſſum Seniorum de proprio.* Et quotnam illi numero ſi calculare permittes hos Magiſtros? *Septuaginta* certè, non *Septuaginta duo.* Inauditus apud eos Conſeſſus *Septuaginta duorum*, niſi vice tantùm unâ in *Jabneh.*

Jadaim, cap. 3. hal. 5. *Dicit R. Simeon ben Azzai*, מקובל אני מפי ע"ב זקנים, *Accepi ego ab ore LXXII. Seniorum, eo die quo conſcriberent R. Eliezar ben Azariah in Synedrium:* non amoventes tamen *Rabban Gamalielem*, quamvis diſpliceret.

VERS. 3.

Digitized by Google

CAP. X. VERS. 3,4.

VERS. 3. Ὡς ἄρνας ἐν μέσῳ λύκων.

Additur Matth. 10. *Eſtote prudentes ut ſerpentes* , &c. Quocum confer illud

Midras Schir. fol. 17. 3. *Dicit Sanctus Benedictus de Iſraële*, אצלי הם תמימים כיונים, *Apud me ſunt ſimplices ut columbæ:* אבל באה הם ערומים כנחשים, *Aſt inter nationes mundi ſunt callidi ut ſerpentes.*

VERS. 4. Μηδένα κατὰ τὴν ὁδὸν ἀσπάσησθε.

I. Nemo non hîc in mentem revocat illud, 2 Reg. 4:29. *Si quis tibi occurrerit, nè ſalutes eum*, &c. id eſt, ut vulgò concipitur, Nè iter tuum cum quovis colloquendo tardes. Quæ ratio locum hîc habere non poteſt, cùm horum Diſcipulorum negotium, talem expeditionem non efflagitaret. Amandati enim ſunt זוגות זוגות, *bini bini*, ad hæc & illa loca & oppida, ad quæ Chriſtus ipſe in propria perſona erat acceſſurus, & non erat cur ad illa tali feſtinatione currerent, ut nè minima mora in via admittenda. Verùm ad loca deſtinata deſtinatis, in iſtis ſolùm locis erat negotium, annuntiandi ſcil. adventum Chriſti, & non tale quid enuntiandi in via. Emiſſi duodecim Apoſtoli annuntiare habuerunt adventum *regni cælorum*, hi adventum *ipſius Regis.* Non mirum igitur, ſi illis non prohibitum fuerit ſalutare aliquem in via: nam iis incubuit ubique annuntiare regnum cœlorum; at his, adventum Regis, iis tantùm locis quo ipſe eſſet adventurus, & non prædicare obiter occurrentibus in via.

II. Uſitatum erat in iſta gente, ſub quibuſdam rationibus, non ſalutare in via, imò non ſalutare omnino.

Rambam in Moed Katon, cap. ult. *Lugens pro mortuo, ſeptem primis diebus luctûs ſui nè quemquam ſalutet.*

Taanith, fol. 12. 2. Si præterierint tredecim jejunia quæ indixerat Synedrium pro implorandis pluviis, & non deſcenderant pluviæ, tum *diminuunt de negotiatione* , *& de ædificatione*, *& de plantatione*, *& de deſponſationibus*, *& nuptiis* ובשאלת שלום בין אדם לחבירו, *& de mutua ſalutatione*, [id eſt ab his rebus abſtinent] *ſicut homines increpati à Deo.*

Ibid. fol. 14. 2. חבירים אין שאלת שלום ביניהם, *Religioſi non mutuò ſalutant. Quòd ſi quis de vulgo eos ſalutet, illi regerunt* בשפה, רפה וכובד ראש, *voce ſummiſſâ & cum gravitate*, *& velant ſe*, *& ſedent ſicut lugentes*, *vel ſicut excommunicati.*

An illud Apoſtoli, *Salutate vos invicem oſculo ſancto*, huc aliqualiter reſpiceret, liceret quærere, ſi eſſet hujus loci; ſed abſtinemus.

CAP. X. VERS. 18, 8.

Quid ergò voluit Chriſtus per hanc prohibitionem, *Neminem ſalutetis in via?* Num voluit ſuos Judaicum hunc morem imitari, ut pro lugentibus habeantur ab omnibus?

I. Voluit ſuos eſſe ſibi conformes, ut omnes ex qualitate præconum aliquantum judicarent de qualitate mittentis, quod etiam diximus antè de duodecim. Erat ipſe *vir dolorum*, & ſi præcones ejus aliquid tale repræſentent vultu geſtuque, meliùs edocent populum qualis ille, qui eos miſit.

II. Duplici fine voluit Chriſtus, ut notum fieret de locis, ad quæ ipſe in perſona ſua erat venturus, nempe ut eò congregarentur omnes ad doctrinam ejus, in medelam animarum, atque ut congregarentur eò morbidi, in medelam ægritudinum.

Et congruentiſſimus geſtus præconum ad hæc homines convocantium, erat luctuoſus, utpote demonſtrantium ſe compati & condolere, cum malè affectis & afflictis.

VERS. 8. Ἐσθίετε τὰ παρατιθέμενα ὑμῖν.

Adeo curioſi erant Canones traditionales de non comedendo, niſi quæ munda, quæ decimata, atque de quibus ritè ſeparata erat *Trumah*, ut mirum ferè videatur, traditionarios iſtos inediâ non fuiſſe confectos, ſi modò Canonicè viverent, veſcerenturque.

Hieroſ. Demai, fol. 22. 4. *Nè miniſtret* חבר, *Religioſus ad menſam Laici*, *niſi ſint omnia ritè præparata & decimata.* Plurima ſunt hujus farinæ.

A tædio & perplexitate talis curioſitatis liberat & ſolvit hîc ſuos Salvator, partim ut libertatem Euangelicam introducat, partim ut Diſcipulis conſulat, qui ſi ad iſtam curioſitatem in deligendis cibis forent aſtricti, quid iis agendum, cùm inter homines prorſus ignotos, ut plurimùm iis eſſet verſandum.

VERS. 18. Ἐθεώρουν τὸν Σατανᾶν, &c.

Lucifer de cælo cadens, Eſaj. 14:12. *eſt Rex Babylonicus* de ſolio, poteſtate & dominio ſuo detruſus. Sic & *Satanas* hoc in loco. Vocabulum ἐθεώρουν, ego ad ipſiſſimum illud tempus retulerim. Cùm vos emitterem, vidi ruinam *Satanæ* jam inſtare, ipſumque à dominio & tyrannide ſua jam caſurum. Cùm enim propoſitum jam fuerit Chriſto apertiſſimè ſe manifeſtare, atque ad rem iſtam promovendam tam numeroſam concionatorum multitudinem emitteret, neceſſe jam eſt, & fieri non poteſt, quin protinus corruat dominatio *Satanæ*, & regnum ejus quaſſetur.

Emiſſos hos Septuaginta arbitramur, cùm jam inſtaret feſtum Tabernaculorum, reſtaretque medietas anni ad *Chriſti* mortem. In

CAP. X. VERS. 25.

qua temporis intercapedine notiorem ſe fecit Chriſtus, & per horum prædicationem, & quidem in perſona ſua atque in profeſſione ſui, quam fecerat antè. Quæ omnia terminantia in ejus morte, quæ fuit mors *Satanæ*, meritiſſimam ei cauſam dicendi præbuerunt, *vidi Satanam* ſolio & dominio ſuo detruſum. Confer *Apocal*. 12:8,9. ubi *cælum* eſt Eccleſia.

VERS. 25. Καὶ ἰδοὺ, Νομικός τις ἀνέστη.

Pauca de Doctoribus Judæorum.

Occurrit vocabulum Νομικὸς, *Matth*. 22:35. ubi Syrus habet ספרא, *Scriba*. Sic & *Luc*. 7:30. hoc etiam in loco: & Cap. 11:45. Nec ſine ratione, cùm ille qui *Matthæo* eſt Εἷς ἐξ αὐτῶν Νομικὸς, *Marc*. 12:28. ſit Εἷς τῶν Γραμματέων.

Oriri tamen videtur aliqua difficultas ex Cap. 11:44, 45. hujus Euangeliſtæ, ubi Οὐαὶ ὑμῖν Γραμματεῖς, & Ἀποκριθεὶς δέ τις τῶν Νομικῶν videtur inter eos diſtinguere: de qua re iſto in loco. Nè tædio interim ſit lectori, ſi pauca proferamus de Doctoribus Legis, & varias eorum claſſes oſtendamus, ut clariùs dijudicare liceat de genere iſto hominum, de quibus tam frequens memoria in Sacris Literis.

I. Ut *Scriba* fuerit generale omnium Doctorum vel literatorum prædicamentum, nemo non novit, ut opponitur nempe τῷ בור, *Rudi* vel illiterato.

Beracoth, fol. 45. 2. *Si duo ſimul comedant* ששנידם סופרים, *qui ſunt Scribæ, uterque gratias agit pro ſe ſingulatim:* אבל אחד סופר ואחד בור, *At vero ſi unus ſit Scriba & alter indoctus, Scriba gratias agit, & ſatisfit pro indocto*, vel rudi.

Aſt in prima originatione vocis סופרים, peculiariùs denotavit *Numeratores*, ut videtur ex *Kiddushin*, fol. 30. 1. נקראו ראשונים סופרים, *Dicti ſunt antiqui* סופרים, [Numerantes] *quia numerarunt omnes literas in Lege: nam dixerunt* ו *Vau in* גחון, Levit. 11:42. *eſt media litera libri Legis*, &c. Addit & Gloſſ. rationem aliam ex Talm. Hieroſ. *Quia ſcil. enumerarunt apices vel contenta Legis, ut quadraginta principalia opera ſervilia, uno minùs, quatuor principalia damna*, &c.

Si daretur, ſignificationem vocabuli intra tam anguſtas ripas à primo fonte fuiſſe coarctatam, exundavit tamen tandem, ut omnibus notum, in campum ſpatioſiorem, ut quemlibet in Lege doctum, & quemlibet Legis doctorem denotaret, extenderetur que etiam ad מלמדי תינוקות, *Ludimagiſtros qui docerent puerulos:* ſi non & ad לבלרין, *Libellarios*, quorum opus erat ſcribere libellos divortii, & ſchedulas contractuum, &c. De quibus duobus mentio, inter decem illa, quæ ſi non eſſent in urbe, non commorandum eſt ibi Diſcipulo Sapientum, *Sanhedr*. fol. 17. 2.

II. Patres Synedrii præ omnibus aliis emphaticè vocari *Scribas*, adeo notum eſt, ut non egeat illuſtratione. Satis in rem iſtam facit illud, *Matth*. 23:2. *Scribæ & Pharizæi ſedent in Cathedra Moſis*, id eſt, in Cathedra legiſlativa, vel Synedrio: ubi etiam *Sadducæi*, qui erant de iſto Concilio, vocantur *Scribæ*: & *Scribæ* diſtinguuntur ibi à *Phariſæis*, non quòd & hi non forent *Scribæ*, ſed quòd omnes *Scribæ* illîc, non forent *Phariſæi*.

III. Erat genus quoddam Doctorum vel *Scribarum*, qui erant *in* Synedrio, ſed non *de* Synedrio, & vocantur vulgò הדנים לפני חכמים, *Illi qui judicarunt coram Sapientibus*, ראוין להוראה, *Apti ad munus legiſlativum*, ſed non admiſſi: quod de *Simeone ben Azzai*, & *Simeone ben Zuma* dicitur, *Horajoth*, fol. 2. 2.

Talis erat *Simeon Temanites*, de quo diximus alibi, ex *Sanhedr*. fol. 17. 2. qui דן לפניהם בקרקע, *judicavit coram Synedrio, ſedens humi*, non in ſubſelliis Patrum, utpote non exiſtens de eorum numero, ſed in ſedilibus propiùs à terra: quem conſuluerunt Patres in rebus arduis. Cujus rei umbram aliquam referunt Judices, periti legum in Parliamento vel Senatu noſtro Patricio, vel Conſeſſu Nobilium.

An ille qui ſpeciatim vocatur חכם, *chacam Sapiens*, fuerit de numero Patrum vel de numero horum Judicum, non diſputabimus: judicet lector ex hac hiſtoria.

Horajoth, fol. 13. 2. *Rabban Simeon ben Gamaliel erat* נשיא, *Præſes Synedrii. R. Meir erat* חכם, *Sapiens vel chacam, & R. Nathan erat* אב בד, *Vice-Præfectus.* Et cùm Rabban Simeon aliquid ſtatuerat, quo vilifierent R. Meir, & R. Nathan, *dixit R. Meir τῷ R. Nathan*, אני חכם, *Ego ſum chacam* vel Sapiens, *& tu Vice-Præfectus: amoveamus Rabban Simeonem à Præfectura, & tu eris Præfectus & ego Vice Præfectus.*

Frequentiſſimum eſt illud, ſed & difficillimum, *Schola Hilleliana ſic dicit, & Shammæana ſic;* וחכמים אומרים, *At Sapientes aliter.* Nam obſcurum quinam hi *Sapientes*. Si dixeris Synedrium, nonne pars ejus una conſtitit de *Shammæanis*, altera de *Hillelianis*? Si ità, tum videntur *Sapientes* eſſe Judices iſti de quibus agimus, niſi Sadducæis tertiam partem aſſignaveris, quibus rei determinationem vix attribueris, & multò minùs emphaticum nomen *Sapientum*. Sed hoc in medio relinquimus.

III. Ut extra Synedrium inquiramus, occurrent Scribæ, vel Doctores Legis varii, pro varietate ipſius Legis, & pro varietate docendi.

Hinc

Digitized by Google

CAP. X. VERS. 25.

Hinc varia iſta apud iſtos Magiſtros, *Micra*, *Miſhnah*, *Midras*, *Talmud*, *Agadah*, &c.

1. מקרא, *Micra* eſt ipſe textus Biblicus, atque ejus lectio & literalis explicatio.

2. משנה, *Miſhnah* eſt doctrina Traditionum, atque earum elucidatio.

3. מדרש, *Midras* eſt doctrina atque explicatio Scripturæ myſtica, vel allegorica. *Actor.* xv: 21. *Moſes à temporibus antiquis habet in ſingulis civitatibus, qui eum prædicant in Synagogis, ubi per omne Sabbatum legitur.* Hi autem erant modi eum prædicandi.

I. Quoad Legem ſcriptam, [nam duplicem apud eos Legem fuiſſe, *ſcriptam* ſcil. & *oralem*, ut vocant, nemo ignorat] duplex erat iis modus eam enuntiandi; ſecundùm ſenſum ſcil. literalem eam explicando, & applicando, εἰς οἰκοδομὴν παράκλησιν καὶ παραμυθίαν, ut 1 *Cor.* 14: 3. vel allegorias, myſteria & longè petitas notiones inde eliciendo. Priorem reſpicere videntur Archiſynagogi iſti in verbis ſuis ad *Paulum* & *Barnabam*, *Actor.* 13: 15. *Εἰ ἔστι λόγος ἐν ὑμῖν παρακλήσεως πρὸς τὸν λαὸν, λέγετε.* Poſterioris tam infinita ſunt exempla ubique in ſcriptis Judæorum, ut totam quidam Scripturam liquefecerint ferè in Traditiones & allegorias.

An diverſi ordinis fuerint hi concionatores, ut hic planæ explicationi & applicationi Scripturarum ſe addiceret, ille myſticæ atque abſtruſiori, non facilè dicitur. Abſque dubio eſt, conveniſſe hæc duo, quàm frequentiſſimè in eodem concionatore, in eadem concione: & ſuſpicor equidem vocem אגדה, *Agadah* aliquando utrumque hunc modum interpretandi denotare.

Bereſhith Rabb. fol. 90. 3. Cùm quidam de quibuſdam Traditionibus interrogatus, non poſſet reſpondere, dicunt aſtantes, דלמא לית בר אולפן בר אגדה הוא, *Fortaſſis non peritus doctrinæ* [traditionalis] *eſt, ſed peritus explicationis:* & proponunt ei, *Dan.* 10: 21. explicandum. Cui conſonat illud in

Gloſſ. in Bava Kama, fol. 10. 1. בעלי אגדה מתוך שהן דרשנין וגו׳, *Magiſtri Agadæ vel explicationum, quia ſunt Darshanin* [profundi ſcrutatores Scripturarum] *honorantur ab omnibus, nam attrahunt corda auditorum.*

Nec multùm abſonat illud quoad rem ipſam in

Gloſſ. in Shabb. fol. 115. 1. בשבת היו דורשין דרשה, *Sabbato diſquiſiverunt diſquiſitione* [in Scripturis, Ἐρευνᾶτε τὰς γραφάς, ut *Joann.* 5: 39.] *ad patres familias, qui verſati ſunt in negotiis ſuis totâ hebdomadâ, atque inter explicandum, docuerunt eos articulos de prohibitis & permiſſis*, &c.

Ad myſticas & allegoricas tales Scripturæ explicationes, ſi modò explicationes vocare liceat, neſcio quâ faſcinatione ita addicti erant, ut nihil ferè iis in pretio magis, quàm ut aures ad talia prurientes, vel titillarent, vel ſcaberent. Hinc illud *Hieroſ. Chagigah*, fol. 75. 4. *Dixit R. Joſua R. Jochanani ben Bruchah & R. Eleazaro cæco.* מה חדוש הוה לכם בבית מדרש היום, *Quidnam novitatis erat vobis hodie in Beth Midras? Reſpondent, Nos omnes Diſcipuli tui ſumus, & de aquis tuis bibimus. Quibus ille, At impoſſibile eſt, ut non ſit aliquid novellæ in Beth Midras unoquoque die.*

II. Quoad Legem oralem, duplex etiam erat eam explicandi modus, ſicut duplex erat explicandi Legem ſcriptam.

1. De priori innuitur in verbis iſtis in *Megillah*, fol. 26. 2. *Lorum Legis, qui jam veteraſcit, reponunt apud Diſcipulum Sapientum,* ואפילו שונה הלכות, *etiam quamvis ille doceat* (Δευτερῶν) *Traditiones*, quod obſcurum ſatis videtur, ſed ſic illuſtratur à Gloſſ. *Quamvis non inſerviat Diſcipulis Sapientum* בתלמוד ובגמרא, *in Talmud & Gemara,* אלא במשניות ובברייתות, *ſed in Miſnajoth & Bariathoth.* Hoc eſt, Qui prælegeret tantùm ipſum corpus juris traditionalis, & ſenſum literalem redderet, non autem de eo ſcholaſticè diſputaret, aut commentaretur. Nam

11. Erant Doctores qui profundiùs in Traditiones inquirerent, earum rationes quales quales redderent, de difficultatibus diſputarent, dubia ſolverent, &c. cujus rei ſpecimen eſt tota Gemara Talmudica. Denique

Inter doctos & doctores gentis nominandi ſunt *Agadici* illi, qui profundiùs Legem ſcriptam etiam interpretarentur ad Cabaliſmum uſque: qui & rariores erant, atque ut videtur, non adeo obtinerent apud populum. De iis an ſit ſermo, judica in

Hieroſ. Shabb. fol. 15. 3. & *Midras Tillin*, fol. 20. 4. *Dicit R. Joſua ben Levi*, יבא עלי, *Sic & ſic eveniat mihi, ſi in tota vita mea inſpexi* ספרא דאגדתא, *Librum Agada niſi ſemel*, (nota illud) *& tunc inveni ſcriptum centum & ſeptuaginta & quinque ſectiones Legis, ubi ſcribitur*, Dixit Dominus, locutus eſt, præcepit: *ſunt ſecundùm numerum annorum patris noſtri Abrahami, ſicut dicitur* לקחת מתנות באדם, *Ad recipiendum dona pro hominibus*, &c. *Centum & quadraginta & ſeptem Pſalmi, qui ſunt in libro Pſalmorum* [nota numerum] *ſunt ſecundùm numerum annorum patris noſtri Jacobi, ſicut dicitur, Tu Sanctus inhabitas laudes Iſraëlis. Centum viginti tres vices, quibus Iſraël reſpondet Hallelujah*, [poſt recitantem Hallel] *ſunt ſecundùm numerum annorum Aaronis*, &c. Adjiciantur, coronidis loco,

Digitized by Google

CAP. X. VERS. 26. loco, iſta in *Sanhedr.* fol. 101. 1. אם בעלי מקרא הן, *Si illi ſint Magiſtri lectionis textualis, verſabuntur in Lege, Prophetis & Hagiographis.* אם בעלי משנה הן, *Si Magiſtri ſint doctrinæ Miſnicæ, verſabuntur in Miſnah, Halacoth & Haggadoth.* ואם בעלי תלמוד הן, *Et ſi Magiſtri Talmudis ſint, verſabuntur in Traditionibus Paſchatis in Paſchate, in Traditionibus Pentecoſtes in Pentecoſte, in Traditionibus Scenopegiæ in Scenopegia.*

Hi omnes ergò, quos memoravimus, erant Scribæ, erant Doctores, erant Interpretes Legis, ſed quosnam inter hos propriè & peculiariter dixeris Νομικὺς; An omnes? an particularem aliquam eorum claſſem?

Poſterius omni procul dubio probabilius: ſed quamnam claſſem tibi eliges? ut & in diſtingues inter Νομικὸν & Νομοδιδάσκαλον, an confundes? Judicium lectoris hac in re mallem quàm proprium. Verùm nè intactum prætereamus prorſus hoc dubium, & ne nimiâ prolixitate Lectorem hoc in loco gravemus; præſertim verò, cùm hæc quæ dicta ſunt, dicantur per digreſſionem, ea quæ de hac re adducturi ſumus ad *Cap.* 11: 45. rejicimus.

VERS. 26. Πῶς ἀναγινώσκεις;

Germanum eſt illud, uſitatum in Scholis, מאי קראת, *Quid legis?* Cùm proferret ſcil. quis textum aliquem Scripturæ in rei alicujus probationem.

Shabb. fol. 33. 2. Tradunt Rabbini. אסכרה באה לעולם על המעשר, *Angina venit in mundum propter decimas.* (Gloſſ. Propter comeſtionem fructuum non decimatorum) *R. Eliezer b. R. Joſe dicit, Propter linguam malam. Dicit Rabba, & dictum etiam eſt R. Joſuæ ben Levi,* מאי קראת, *Quid legis? Lætabitur Rex in Deo, gloriabitur unuſquiſque per eum jurans,* כי יסכר,(inde אסכרא) *quia obturabitur os loquentium mendacium,* Pſalm. 63: 12.

Et paulò pòſt, in alio ſubjecto, *Dicit R. Simeon ben Gezirah,* מאי קראת, *Quid, vel quomodo legis? Si non noſti, ô pulcherrima inter fœminas, egredere in veſtigiis gregis,* Cantic. 1: 8.

Non curioſè inquirimus, an Salvator ipſiſſimam iſtam adhibuerit Phraſiologiam מאי קראת, an פיצד קראת, an איך קראת, an aliquam aliam: in hoc ſolùm recedit à communi uſu locutionis, quòd provocet alium ad textum aliquem Scripturæ proferendum, cùm in Scholis uſitatum eſſet, ut is qui ita dixit, ipſe aliquem proferret.

CAP. X. VERS. 27. VERS. 27. Καὶ ἐξ ὅλης τῆς διανοίας σου.

In reſponſo hominis hæc duo notanda.

I. Quòd hanc clauſulam introducat, quæ in terminis non eſt apud *Moſen*, ubi cætera, *Deuter.* 6: 5. בכל לבבך ובכל נפשך ובכל מאדך. Ubi Græc. & editionis Romanæ & Alexand. בכל מאדך, reddunt Ἐξ ὅλης τῆς δυνάμεώς σου, quod idem ſonat cum ἰσχύϊ. Sed ubi διανοίας; Exemplaria alia omittimus, in quibus, quamvis ſit aliqua variatio, non tamen hæc quæ præ manibus.

Salvator ipſe eadem profert, *Marc.* 12: 30. at inverſo ordine. Καὶ ἐξ ὅλης τῆς διανοίας σου, καὶ ἐξ ὅλης τῆς ἰσχύϊ σου. Cùm hîc ſit Καὶ ἐξ ὅλης τῆς ἰσχύϊ σου, καὶ ἐξ ὅλης τῆς διανοίας σου. Quid dicendum? Num in hunc ſenſum ſcriptum eſt Hebraicè in ſchedulis Phylactericis? Vix credas. Num additum hoc à Græcis Interpretibus, unde Euangeliſtæ illud ſumerent? Vides quòd non. Quid ergò? Num מאד & ἰσχὺν & διάνοιαν denotat? In hoc vertitur cardo quæſtionis. Quòd ἰσχὺν denotat, nemo negaverit; & *Mammonam* denotare ſupponunt Rabbini, quibus conſonant *Syrus* & *Targumiſta:* aſt ubi ſignificatio τῆς διανοίας?

I. Audi gloſſam talem, qualis erat frequentiſſimè Doctorum Allegoricorum.

Beracoth, fol. 54. 1. בכל מאדך בכל מדה ומדה שהוא מודד לך הוי מודלו מאד מאד. *Quacunque menſurâ ille ſibi menſuraverit, eſto tu eum laudans valdè valdè.* Luſitant, ut vides, in conſonantia vocabulorum מאד & מדה & מודה, quod iis uſitatum.

Aben Ezra. מאדך מאד מאד *eſt de ſenſu valdè valdè, & hoc vult: Plurimum dilige eum quantum potes, & ſit dilectio perfecta in corde.*

II. Quibus addas, ſi velis, illud quod tam vulgariter requiritur ab iis in omnibus religioſis officiis, viz. כונת לב, *Præparatio & intentio* Διανοίας, & ex omnibus hiſce licet concipere, hanc fuiſſe vulgarem interpretationem hujus clauſulæ ובכל מאדך, & ἐξ ὅλης τῆς διανοίας σου non inaniter, ſed ex neceſſitate aliqua additam, cùm obſcuritas aliqua eſſet in voce מאדך, & in promptu eſſet, ad vim vel potentiam corporalem aut externam tantùm, eam applicare. Redduntur ergò ab Euangeliſtis verba *Moſis*, non præciſè & ſicut erant verbatim in *Moſe*, aut ſchedulis Phylactericis, ſed ſecundùm plenum eorum ſenſum & tenorem, & ſecundùm receptam & vulgarem interpretationem gentis.

Hieroſ. Sotah, fol. 21. 2. *R. Levi bar Chajothah profectus eſt Cæſaream, atque audiit eos* קרין שמע אלוניסתין, *recitantes Shemaa* (vel

Digitized by Google

CAP. X. VERS. 27, 29.

[vel Phylacteria ſua] *Helleniſticè*, (Græcè,) &c. An cum hac quam tractamus clauſulâ interſertâ, inane foret quærere, quia impoſſibile invenire: at ſi eam incluſam intra vocem מארך, opinarentur Hebræi, quod videtur, probabile eſt Helleniſtas eam Græcè habuiſſe expreſſam.

Omittere non poſſum non obſervata verba Hieroſolymitanorum jam producta, שמע קלון קריין שמע. Quid autem ſibi vult קלון? *Aruch* hæc allegans, ſic habet, שמע לון דהוו קרו שמע, ut קלון ſit idem cum לון, & ק videatur redundare, quod apud Babylonicos facit uſitatiſſimè, aſt apud Hieroſolymitanos vix unquam.

II. Secundum, quod in reſponſo hujus hominis obſervandum, eſt, quòd addat, *Et proximum tuum ſicut teipſum*, quod ſcriptum quidem non erat in ſchedulis Phylactericis. Opinarer ego aliter, hominem, verba Salvatoris Πῶς ἀναγινώσκεις, ſic intellexiſſe ac ſi dixiſſet, Quomodo recitas periochas tuas Phylactericas? nam periochen Phylactericam recitat, hanc clauſulam tantùm ſuperaddens, *Et proximum tuum*, &c. Atque uſitata Phraſiologia circa recitationem Phylacteriorum erat קריין שמע, ad verbum, *Legunt Shemaa*, quod & ſic redditur à nonnullis, cùm quidem vulgò recitarent memoriter. Sic *Megillah*, fol. 17. 1. הקורא מגילה על פה, *Qui legit librum* (Estheræ) *oraliter*, id eſt, ut explicat Gemara, *abſque libro*, hoc eſt, *qui recitat memoriter*. Quærunt in

Hieroſ. Beracoth, fol. 3. 3. *Quare recitant duas iſtas periochas unoquoque die?* Deuter. 6:4, &c. & 11:13, &c. *Rabbi Levi dicit, Quia decem præcepta* (Decalogi) *comprehenduntur in iis*. Et oſtendit ut comprehendantur, omiſſo tamen, quod obſervandum, præcepto ſecundo. Fatentur tamen paulò pòſt, *Æquum fuiſſe ut recitarent ipſum Decalogum unoquoque die, at non recitaſſe, nè dicerent Hæretici, quòd præcepta tantùm iſta data eſſent Moſi in monte Sinai*. At recitarunt periochas iſtas Phylactericas, in quibus autumarunt ſummam Decalogi fuiſſe contentam.

Sive igitur legiſta hic noſter intellexerit verba Salvatoris, ut ad recitationem iſtam referentia, ſive quod depromat ille *proprio judicio* ſummam Decalogi, Doctorem textualem hìc ſe oſtendit potiùs, quàm traditionalem, quamvis titulus Νομικὸς videatur poſteriorem potiſſimùm indigitare.

VERS. 29. Καὶ τίς ἐςί μου πλησίον;

Scrupulum hunc & quæſtionem didicerat ille ex communi Schola: ubi ſic doctum.

Aruch in הוציא כל אומות. בן ברית באמרו רעהו, *Excipit omnes Gentiles, cùm dicit* Proximum ſuum.

CAP. X. VERS. 30.

Maimon. in רוצח, cap. 2. *Iſraëlita qui occidit* גר תושב, *Advenam inquilinum, non occiditur propter eum à Synedrio, quia dicitur*, כי איש על רעהו, *Si ſuperbierit quis in proximum ſuum. Et non neceſſe eſt dicere, Non occiditur propter Gentilem*. Nam hi non æſtimati ſunt ab iis pro *proximo ſuo*.

Ibid. cap. 4. *Gentilibus, inter quos noſque non eſt bellum, ut & paſtoribus inter Iſraëlitas pecudum minutiorum & conſimilibus, non machinantur quidem mortem; at ſi de morte periclitantur, non liberant eos. E. g. ſi quis horum ceciderit in mare, nè eripiat eum; nam dicitur, Non inſurges in ſanguinem proximi tui*, ואין זה רעך, *At talis non eſt proximus tuus*.

VERS. 30. Ἄνθρωπός τις κατέβαινεν ἀπὸ Ἱερουσαλὴμ εἰς Ἱεριχώ.

Via, quâ nulla in tota terra Iſraëlitica magis trita & frequentata, idque non ſolùm quòd duceret in *Peræam*, ſed propter magnum commercium inter iſtas urbes, præſertim verò ob Ephemerias verſantes in *Jerichunte*, æquè ac in *Hieroſolymis*; de qua re aliquid diximus ad *Cap*. 1:5. Addamus hoc ex

Hieroſ. Taanith, fol. 67. 4. *Inſtituerunt Prophetæ priores viginti quatuor Ephemerias, & pro unaquaque Ephemeria* היה עמוד בירושלם, *erat claſſis ſtationaria Hieroſolymis Sacerdotum, Levitarum & Iſraëlitarum. Traditio. Viginti quatuor millium erat ſtationarius numerus ex Hieroſolymis* והצי עמוד מירחו, *& dimidia ſtatio ex Hierichunte. Et potuerat Hiericho produxiſſe totam ſtationem, niſi quòd vellet cedere præeminentiam Hieroſolymis; produxit ergò dimidiam tantùm ſtationem*.

Hinc videas, quare in hiſtorica hac parabola, mentio peculiariùs fiat *Sacerdotis* & *Levitæ* hâc itinerantium, nempe quòd talium foret frequentiſſimus inter urbes iſtas intercurſus ob prædictas ſtationes.

Λῃςαῖς περιέπεσεν.

Video quâ fiduciâ, at non video quo fundamento *Adummim* fiat ſcena hujus ſtragis à Commentatoribus, præ omnibus aliis locis. Periculoſa quidem ſatis erat via ab *Hieroſolymis* ad *Jerichuntem*, atque inde ſtata illìc eſt *Cohors* 1. *ſalutaria inter Æliam & Hierichunta*, apud Notit. Imper. Orient. ob auxilium viatorum, ut vulgò creditur: at dum dicitur, quòd vocatus eſt locus *Adummim*, i. e. *locus ruforum vel rubentium, propter ſanguinem, qui illìc crebrò à latronibus funditur*, parum hæc ſuadent: nam dictus eſt *Adummim* etiam temporibus *Joſuæ*, cùm vix concipias, tempora fuiſſe adeo λῃςρικὰ, ac erant, cùm

Digitized by Google

cùm Salvator hanc proponit parabolam. Vide *Joſu.* 15:7. Ubi ſi ſitum *aſcenſûs Adummim* obſerves, non admodùm diſtabat ab ipſa *Jerichunte.*

Ἡμιθανῆ.

נוטה למות Rabbinis, *morti proximum*, ultra quam conditionem, & citra mortem, hoc tantùm eſt, quod eſt גוסס, *jam expirans.*

VERS. 31. Ἰδὼν αὐτὸν, ἀντιπαρῆλθεν.

Et quare tandem, ô Sacerdos & Levita, miſerum ſic derelinquitis? Num non ille *Iſraëlita?* Gentilem certè morti proximum, non fovere aut liberare, didiciſtis ex propriis Scholis, ut & *Iſraëlitam* paſtorem pecudum; & num ille talis? An metuitis vobis ipſis, nè ab eo contrahatis immunditiem jam ſemimortuo? Ἀντιπαρῆλθεν videtur innuere, præteriiſſe eos, obſervatâ aliquâ ab eo diſtantiâ: quâ ratione, ipſi dicant. Ego dixerim, ex puro puto defectu charitatis.

VERS. 33. Σαμαρείτης δέ τις.

Joann. 4:9. Ου συγχρῶνται Ἰουδαῖοι Σαμαρείταις, *Non utuntur Judæi Samaritanis*, ut iis ob aliquod beneficium devinciantur. At tunc beneficentiam Samaritani jam reſpuis, ô ſemimortue Judæe?

Introducitur homo, de gente Judæis inimiciſſimâ, Judæo benefaciens, ut planiùs edoceatur *quiſnam ſit Proximus.* Convenientiùs dictum videretur, quòd Samaritanus agnoverit vulneratum pro Proximo, cùm ejus ita miſereatur: verùm innuit Salvator, Samaritanum fuiſſe *Proximum* vulnerati, ut doceat etiam inimicum, etiam extraneum, contra doctrinam Scholarum, habendum eſſe pro *Proximo.*

VERS. 34. Ἐπιχέων ἔλαιον καὶ οἶνον.

Hieroſ. Beracoth, fol. 3. 1. Traditio. סכין אלוונתית לחולה בשבת, *Ungunt emplaſtrum pro ægro in Sabbato. Quando? Quando illud commiſcuerant vino & oleo veſperiis Sabbati. Verùm ſi non commiſcuerant veſperiis Sabbati, prohibetur. Traditio. Dicit R. Simeon, ben Eleazar, Miſcere vinum & oleum, atque ungere ægrum Sabbato, permiſſum eſt à R. Meir.*

VERS. 35. Ἐκβαλὼν δύο δηνάρια.

Aruch in זוז. *Siclus Legis eſt* סלע, *Selaa, & continet quatuor denarios.* Tum Hemiſiclus continet duos. Pretium annuatim pendendum ab unoquoque pro redemptione animæ aut vitæ ſuæ, *Exod.* 30:13. Et non incongruè pro reparatione vitæ hujus ſemimortui, numerantur etiam duo denarii.

Ἔδωκε τῷ πανδοχεῖ.

Rabbinis פנדוקי, nam & vocem Græcam retinent illi. Græcam dico, quamvis Author *Aruch* dicat eſſe Iſmaëliticam vel Arabicam. חנות בלשון ישמעאל. פונדק, *Taberna* vel diverſorium, inquit ille, *linguâ Iſmaëliticâ eſt Pandak.* Vocem iſtam adhibet quidem verſio Arabica hoc in loco, at nemini ignotum, cujas ſit originaliter.

Midras Tillin, fol. 6. 3. *Duo homines ingreſſi ſunt* פונדק, Πανδοχεῖον, *juſtus & improbus, & diſcubuerunt ſeparatim. Dicit improbus* לפונדקי, τῷ Πανδοχεῖ, *Appone mihi* פסיני אחד, *Phaſianum unum. Appone mihi* קונדיטון, *Conditum. At juſtus dixit* τῷ Πανδοχεῖ, *Appone mihi tortam panis & patinam lentium. Irriſit improbus juſto, dicens, Ecce ut hic ſtultus, cùm præſto ſint tot dapes, comedat lentes. Et juſtus illi viciſſim, Ecce ut hic ſtultus comedat, cùm illico elidendi ſint ejus dentes. Dicit juſtus* לפונדקי, τῷ Πανδοχεῖ, *Da mihi duo pocula vini ut benedicam. Dedit illi, & ille benedixit, & exurrexit, & dedit* τῷ Πανδοχεῖ *nummum pro portiuncula illa quam comederat, & diſceſſit in pace. Aſt improbo orta eſt lis cum hoſpitalario circa ſolutionem, &* Πανδοχεὺς *ejus eliſit dentes.*

VERS. 38. Μάρθα ὑπεδέξατο αὐτὸν, &c.

Adeſt jam Chriſtus ad feſtum Scenopegiæ, atque inviſit *Bethaniam*, ubi anteà interceſſerat familiaritas inter eum & familiam *Lazari*, ob ejectionem dæmoniorum ex *Maria* ſorore ejus: quam *Magdalenam* dici promptum mihi eſt ſuſpicari, quòd ipſa *Bethania* dicta fuerit *Magdala.* De nomine *Martha* diximus ad *Joann.* 11. & de *Magdala* ad *Joann.* 12.

CAP. XI.

VERS. 1. Δίδαξον ἡμᾶς προσεύχεσθαι, καθὼς καὶ Ἰωάννης.

QUidnam tandem hic Diſcipulus, quicunque ille fuerit, ſibi vult?

An ille ignarus, vel oblitus formulæ iſtius, quam Dominus tradiderat in ſermone in monte? Si non, ſed & aliam requireret, num hoc vult: Domine; doce nos orare, nam Joannes docuit ſuos? An illud, Doce nos orationis normam & formam ſimilem iſti, quam Joannes docuit ſuos? Poſterius videtur probabilius: ſed interim in obſcuro eſt, qualeſnam forent

CAP. XI. VERS. 1.

forent orationes *Joannenſium* ; in cujus rei indagationem his utamur faculis.

I. Dicitur de *Joannis* Diſcipulis, Νηστεύουσι πυκνὰ καὶ δεήσεις ποιοῦνται, *Luc.* 5:33. Ubi varia ſuadent Δεήσεις hìc ſumi debere ſenſu ſuo maximè proprio, pro orationibus ſupplicatorjis. Omiſſis aliis, hæc duo penſitentur.

1. Quòd orationes Judæorum quotidianæ & vulgares, ordinariæ & occaſionales, conſtiterint utplurimùm ex Benedictionibus & Doxologiis, quod ſatis indicat titulus Tractatûs Talmudici qui de orationibus agit, cùm inſigniatur ברכות, *Benedictiones*, ut & quòd תפילה, *Tephillah*, quæ erat generalis orationis nomenclatura, idem genti ſonaret quod שבח, *Laudatio*, Benedictio ſcil. vel Doxologia.

Non indigna exſcriptione, hujus rei illuſtrandæ ergò, ſunt iſta.

Beracoth, fol. 31. 1. יכול ישאל אדם צרכיו ואחר יתפלל, *Forſan homo precatur pro neceſſariis ſibi, & poſtea orat. De hoc doctum eſt olim per Solomonem, cum dicit:* אל הרנה ואל התפלה 1 Reg. 8:28. Omittimus verſiones, nam ipſi Gemariſtæ interpretantur, רנה זו תפילה תפילה זו בקשה, *Rinnah eſt Tephillah, Tephillah eſt Bakkeshah.* Hoc ſibi volunt: Prius vocabulum Solomonis רנה, *Rinnah ſignificat orationem* [תפילה של שבח, ut Gloſſ. *Orationem laudatoriam* vel doxologicam.] Poſterius vocabulum תפילה, *Tephillah ſignificat petitionem* [Gloſſ. Petitionem pro neceſſariis.]

Minimè negandum eſt fuiſſe iis preces vel orationes petitionarias, ſed copioſiores & numeroſiores erant Benedictoriæ & Doxologicæ. Præſertim vero iſtæ quæ fuſæ ſunt occaſionaliter, vel ex emergenti. Perlege caput ultimum Tractatûs allegati, & judica de hac particula, perlege totum Tractatum, & judica de re tota. Jam ergò,

II. Jure ſupponendum eſt, quòd *Baptiſta* ſuos docuerit formam orationis aliam penitùs ab orationibus Judaicis: nam rationi maximè conſentaneum eſt, ut is qui introduxit novam doctrinam, [id eſt reſpectu Judaicæ novam] introduceret etiam novam formam orationum; orationum ſcil. ſupplicatoriarum magis quam erat forma Judaica: atque aliud petitionum genus, quam quod continuêre orationes Judæorum iſtæ quæ erant petitionariæ. Nam docti erant *Joannenſes* de regeneratione, de fide ſalvifica, de adoptione particulari, de ſanctificatione ſpiritûs, aliiſque doctrinæ Euangelicæ articulis, qui omnino peregrini & alieni erant a Scholis & Synagogis Judæorum. Et quis non ſuppoſuerit, *Joannem*, pro iſtis atque iſtiuſmodi rebus docuiſſe ſuos orare?

II. Credimus itaque, Diſcipulum hunc qui Dominum orat ut doceat ſuos orare, καθὼς καὶ Ἰωάννης, orationes *Joannenſium* tales reſpexiſſe, cùm Chriſtum videamus obſecationi & voto ejus annuentem, formam orationis tradere merè petitionariæ. Quod & ex ipſa tota compage orationis conſtat, & ex hoc præſertim, quòd Coronis Doxologica, *Quia tuum eſt regnum*, &c. omittatur. Nam Dominus orationem Δεητικὴν, ſive ſupplicatoriam, rogatus ut doceat, talem tradere apud ſe ſtatuit, quæ ſit merè ſupplicatoria. Et huic rei atteſtantur ea quæ ſequuntur de homine à vicino ſuo petente panes, additâ & iſtâ exhortatione, *Petite, & dabitur: quærite, & invenietis.* Quæ duo optimè reſpondent duobus iſtis, quibus notificatur oratio ſupplicatoria, quæ ſunt שאלה, *Sheelah, Petitio*, & בקשה, *Bakkeshah, Quæſitio*, nam liceat voce iſtâ uti, verbo ad verbum. Inter has ſi quid differentiæ ſit ſtatuendum, ego hanc ſuppoſuerim, ut *Bakkeshah* ſit pro rebus Dei, ut *Quærite* primùm regnum Dei, &c. & *Sheelah* ſit pro neceſſariis ſibi. Quam texturam videmus quaſi æquilibratam in hac oratione, ubi tres primæ petitiones ſunt pro honore Dei, tres aliæ pro neceſſariis nobis.

Uſitatum erat Judæis, cùm jejunarent, orationem adhibere peculiarem, & ad quotidianas additam, quam vocarunt תפילת תענית, Orationem Jejunii: de qua agitur in

Taanith, fol. 11. ubi & diſputatur, an כתענין לשעות, *Jejunantes ad certas horas* tantùm, & non per totum diem, recitare deberent Orationem iſtam Jejunii? Ut &, *Quonam ordine & loco inter orationes quotidianas interſerenda ſit iſta Oratio?* Jam ſi detur *Joannem* inſtituiſſe ſuis orationem aliquam talem, inter alias, quæ aptaretur ad eorum jejunia; vix tamen credimus Diſcipulum huncce eò ſpeciatim reſpexiſſe, cùm Diſcipuli *Chriſti* non ita jejunarent ut *Joannenſes*: quin potiùs ad totam compagem orationum, quas ille pro ſuis inſtituerat, quæ conſtiterunt maximè ἐκ δεήσεων, ex petitionibus.

Object. At novit hic Diſcipulus, ut probabile, Dominum tradidiſſe orationem petitionariam in Sermone in monte, quid opus ergò ut urgeat, & quâ ratione urgeat ut aliam jam tradat?

Reſp. Credimus noſſe, & arbitramur eum minimè expectaſſe eandem repetitam: ſed cùm oculus ejus intentus fuerit in orationes *Joannenſium*, expectaſſe eum formam aliquam pleniorem & copioſiorem, & quæ particulariùs fuſiùsque exprimeret petenda, quod factum, ut probabile, in forma præſcripta à *Joanne*. At novit divina ſapientia Salvatoris, ſatis in iſta ſua eſſe comprehenſum. Et ſicut inter Judæos erat מעין, *ſumma brevis* octodecim ſuarum orationum, in epitomen contractarum; ſic & hanc ſuam eſſe מעין, ſummam brevem omnium petendorum.

Digitized by Google

VERS. 4. Μὴ εἰσενέγκῃς ἡμᾶς εἰς πειρασμόν.

Aut fallor, aut hîc ſit ſupplicatio inter alia, ſiquidem, non primo loco, contra viſibiles apparitiones Satanæ τοῦ πονηροῦ, ut & contra ejus obſeſſiones: & ſic aliquantum molleſcit Phraſiologia de Deo inducente in tentationem.

Omittitur Coronis, *Quia tuum eſt regnum*, &c. quia Chriſto propoſitum eſt orationem merè petitionariam tradere, ut diximus antè: atque ipſiſſimæ iſtius rei ergò omittitur etiam *Amen*. Nam Ἐρεῖ Ἀμὴν ἐπὶ τῇ εὐχαριστίᾳ, 1 *Cor.* 14. 16. & quidem terminarunt vulgatiſſimè orationes ſuas in εὐχαριστίᾳ, vel Benedictione, etiam orationes petitionarias; ſic concludentes, *Benedictus tu, Domine, qui ſic feciſti*, vel *ſic præcepiſti*, vel aliquid tale: & tum reſponſum eſt, *Amen*.

Quod & in Pſalmis obſervare eſt librum aliquem Pſalmorum terminantibus, & deſinentibus in *Amen*. Viz. *Pſalm.* 41. & 72. & 89. & 106. In quocunque enim ſubjecto verſatur Pſaltes, ſive per totum Pſalmum, ſive paulò antè prolationem *Amen*; non profert tamen *Amen*, niſi prælibatâ aliquâ Benedictione aut Doxologiâ: *Benedictus ſit Dominus Deus*, &c. *Amen*. Apud *Matthæum* ergò eſt *Amen*, quia eſt Doxologia. Apud *Lucam* deeſt, quia deeſt & iſta. Plura obſervavimus ad *Matth.* 6.

VERS. 15. Ἐν Βεελζεβοὺλ ἄρχοντι τῶν δαιμονίων.

I. De nomine diximus ad *Matth.* 12. & adhuc lectionem ejus per *l* in fine *Beelzebul* fidenter aſtruimus, contra verſiones Syram, Perſicam, Vulg. alias, quæ legunt *Beelzebub*. Italus cautè, ſed non caſtè ſatis, habet *Beelzebu*, ut nec in hanc lectionem impingat, nec in illam: ſed fidem & candorem interpretis deſidero.

II. Inter Judæos comperio tres Dæmones vocatos *Principes Dæmoniorum*. I. *Angelum mortis*, qui nuncupatur ראש כל השטנים, *Princeps omnium Satanarum*. Elleh haddebharim Rabb. fol. 302. 2. II. שדא אשמדון, *Dæmonem Aſmodæum*, de quo poſteà. III. *Beelzebul* hoc in loco. Et quoad aſſertionem ſcriptionis per *l* in fine, & non *b*.

III. Quæro, an *Beelzebub* jam fuerit in rerum natura. Nam cùm evanuerat ipſa *Ekron*, nonne & evanuerat iſtud loci numen? Et cùm non foret ampliùs Idolum, & oraculum illud *Ekroniticum*, nonne ceſſavit iſtud Dæmonium eſſe *Beelzebub*, quamvis non ceſſaret eſſe Dæmonium? Ubicunque tandem foret *Ekron* ſub Templo ſecundo, aut locus ubi ea ſub primo, vix perſuaſeris extitiſſe tunc temporis vel Idolum, vel oraculum *Beelzebubicum*; & ubi tum ipſe *Beelzebub*. An *Achores Deus tutelaris contra muſcas apud Cyreniacos*, ut *Plin.* lib 10. 28. aliquid in nomine ſapiat de *Ekrone* non diſputabimus. Detur quòd ſolum verterit, atque aliqua de cauſa quòd migraverit jam *Beelzebub* ab *Ekrone* ad *Cyrenen*, unde tandem ille *Princeps Dæmoniorum*, cùm negotium & potentia ejus ſolùm contra muſcas?

Suſpicari quidèm poſſim, eum fuiſſe primum Dæmoniorum, vel *Baalim*, quos introduxerat *Achabus* in Iſraelem, atque ideo *Achaziam* filium ejus, ad iſtud Idolum, ut Deum patris ſui, confugiſſe in periculo & dolore ſuo: ſed quid ſæcula longè ſubſequentia moveret, ut iſtud Dæmonium *Beelzebub* æſtimarent pro *Principe Dæmoniorum*, fateor me non poſſe mihi ipſi ſatisfacere: at de *Beelzebul* eſt ſatisfactum.

IV. Oſtendi ad *Matth.* 12. cultum Idololatricum a Judæorum Magiſtris, [quales hi erant qui cum Salvatore rixantur] זבול, *Zebul*, vel *ſtercus* vocari, in rei ignominiam; atque ita erat gens, docta a Magiſtris. Exempla quædam in rei illius probationem adduxi, quibus & hoc addatur.

Midras Schir, fol. 2. 1. *De Joſepho dicitur*, [cùm hera ejus eum allicere vellet ad adulterium] *quòd venit in domum ut perageret negotia ſua. R. Judah dicit*, יום ניבול וזיבול היה, *Erat dies ſtulteſcendi & ſtercorandi, erat dies theatrorum*. Ubi ſuper vocabulum זיבול, *Zibbul*, *Stercorationis*, ſic Gloſſ. *Eſt vox contemptûs: & ſic in Tractatu Avodah Zarah exponitur à R. Solom. & Toſaphoth, quòd ſcil. ſignificat* זבוח, *ſacrificare* [Idolis] *& probant ex Hieroſ. Beracoth, ubi dicitur, Qui videt locum* א״ר מזבלין שם לעז, *ubi ſtercorant*, [id eſt, ſacrificant Idolo] *dicat ſacrificans Diis alienis, ſit Anathema*: quæ verba ex *Hieroſ.* nos etiam adduximus.

V. Jam ergò cùm cultus Idololatricus fuerit iis *Zebul*, atque ipſa Idololatria peccatorum & criminum graviſſimum, Dæmona, quem conceperunt huic malè præſidere, vocarunt *Beelzebul*, atque reputarunt pro Principe Dæmoniorum, aut (detur venia vocabulo) pro Dæmone dæmoniſſimo.

VI. Parem titulum tribuerunt Dæmoni *Aſmodæo*.

Gittin, fol. 68. 1. אשמדאי מלכא דשידי, *Aſmodæus rex Dæmoniorum*.

Vajicra Rabb. fol. 70. 2. שידא שרידון דרוחתא, *Dæmon Princeps Spirituum*: quod *Bereſh. Rabb.* fol. 39. 3. explicatur שידא, אשמודאי, *Dæmon Aſmodæus*. Nam utrobique eſt ridicula hæc fabula: *Peperit quædam fœmina filium nocte, & dixit filio* (jam recens nato) *Ito & accende mihi lucernam, ut umbilicum*

cum

CAP. XI. VERS. 31.

cum tuum ſcindam. Proficiſcenti ei occurrit Dæmon Aſmodæus, & dixit ei, Ito, & dic matri tuæ, quòd niſi gallus jam ceciniſſet, ego te interfeciſſem, &c.

Ipſum nomen fatur *Apoſtaſiam*, non tam quòd Diabolus fuerit Apoſtata, quàm quòd hic Dæmon provocaret ad Apoſtaſiam. *Beelzebul* inter Ethnicos author Idololatriæ, & *Aſmodæus* inter Judæos author Apoſtaſiæ. An nomen & Dæmonium inventum fuerit à Judæis in terrorem Samaritarum, quære

Beresb. Rabb. loco allegato, col. 4. *Cùm Noachus iret plantatum vineam*, אפגע בו שידא שמדאי, *occurrit ei Dæmon Aſmodæus, & dixit*, שותפי עמך, *Particeps ſim ego tecum*, &c. Supponunt, ut videtur, quòd Dæmon iſte promoverit ebrietatem *Noachi.*

Bemidbar Rabb. fol. 244. 17. כיון שחטא טרדו אשמדאי, *Cùm peccaret* (Solomon) *impulit eum Aſmodæus*, &c. Angelum mortis vocant *Principem omnium Satanarum*, quia omnes homines, nemine excepto, morte perdit.

VERS. 31. Βασίλισσα Νότου, &c.

I. Miror magis, quàm intelligo, quid ille ſibi velit, qui dicit in

Bava Bathra, fol. 15. 2. כל אומר מלכת שבא אשה היתה אינו אלא טעה, *Quicunque dixerit, quòd Regina Shebæ fuit fœmina, non eſt niſi errans.* מאי מלכת שבא מלכותא דשבא, *Quid ergò eſt Regina Shebæ? Regnum Shebæ.* Num vult totum regnum *Sabæorum* adiiſſe *Solomonem?* Forſan tale quid in auribus ejus ſonuit illud quod dicitur, quòd מלכת שבא *venit* בחיל כבד מאד, *cum exercitu magno valdè:* nam ſic redditur clauſula à nonnullis. Verùm, ſi quid ambiguitatis eſſet in voce מלכת, quæ quidem nulla eſt, & ſi quid de ea dubitarent interpretes, quod nullus dubitat, magnum oraculum veritatis hìc docuit, Reginam adiiſſe *Solomonem.* At quare ille eam vocat *Reginam Auſtri*, non *Reginam Shebæ?*

II. Plauſibilia quidem hìc dicuntur de *Sheba* Arabum, de quibus non eſt hìc locus diſputandi: ſuſpicamur potiùs Reginam hanc dici à Salvatore *Reginam Auſtri*, non diſpari ſenſu ab eo, quo Rex *Ægypti* vocatur *Rex Auſtri* ſemel iterumque à *Daniele.* Regiones ab iſto cardine cœli, ſat notæ erant Judæis, ſub iſto titulo: at quæro, an *Saba Arabica* ſub eodem? Detur regiones aliquas *Arabiæ* nuperiùs dici *Aliemin*, Auſtrales: at quæro, an ab antiquo, & ſub temporibus Chriſti?

Cùm hìc dicatur quòd Regina Auſtri venit ut audiret ſapientiam *Solomonis*, num foret patientia lectoris, audire inſipientiam Judæorum de re iſta? Quoniam dicitur, quòd illa venit experimentum factura de ejus ſapientia, in ænigmatibus & acutis quæſtionibus, dicent illi quænam eſſent iſta ænigmata & quæſtiones.

CAP. XI. VERS. 33. 36. 38.

Midras Miſhlæ, ſtatim ab initio, *Dicit illa ei, Si ego te aliquid interrogavero, num mihi reſpondebis? Dixit ille, Dominus dat ſapientiam. Dicit ea, Quid hoc eſt?* ז' יוצאין וט' נכנסין, *Septem exeunt, & novem intrant.* שנים מוזגין ואחד שותה, *Duo miſcent* (vel parant poculum) *& unus bibit. Dicit ille, Septem dies ſeparationis fœminæ* (נדה) *exeunt, & novem menſes fœtationis intrant. Duo ubera parant poculum, & unus ſugit. Iterum, inquit illa, ego quæram: Quid hoc eſt? Fœmina dicit filio ſuo, Pater tuus erat pater meus: avus tuus erat maritus meus: tu es filius meus, & ego ſum ſoror tua.* Cui reſpondit ille ודאי בנותיו של לוט היו, *Certè filiæ Lothi erant.* Plura ſequuntur: ſed ænigmatum ſatis.

VERS. 33. Οὐδεὶς δὲ λύχνον ἅψας, &c.

Difficilius eſt concatenare hæc cum præcedentibus: videntur ſic connecti. Nonnulli eum calumniabantur, ac ſi ejiceret dæmonia per principem Dæmoniorum, atque alii petebant ab eo ſignum de cœlo, *verſ.* 15, 16.

Prioribus reſpondet, *verſ.* 17, 18. & quidem utriſque, *verſ.* 19. & porrò. Et utroſque reſpicit hoc quod jam tractamus, poſteriores præſertim: q. d. Requiritis à me ſignum. Nùm vultis ut accendam lucernam & ponam ſub modio? Num vultis ut miracula edam, cùm certum ſit vos fidem non habituros miraculis meis? Quæ quamvis ſplendeant inſtar lucernæ accenſæ, quoad vos tamen incredulos, nihil aliud ſunt quàm lucerna ſub modio.

VERS. 36. Ἔσται φωτεινὸν ὅλον.

Videtur hæc clauſula ταυτολογεῖν cum primâ, Εἰ οὖν τὸ σῶμά σου ὅλον φωτεινὸν, &c. De oculo loquitur Salvator pro more Scholarum, quibus *oculus non ſimplex vel malus*, erat animus avarus, invidus, malitioſus. Abſit talis animus, & adſit animus candidus, benignus, mitis, totus eris lucidus, & omnia erunt tibi lucida. Si in vobis eſſet talis animus, ô carpentes & blaſphemi, non tam ſordidè & cœnosè judicaretis de meis miraculis, ſed lucidè & candidè de iis conciperetis.

VERS. 38. Ὅτι οὐ πρῶτον ἐβαπτίσθη πρὸ τοῦ ἀρίστου.

Num ipſe Phariſæus ἐβαπτίσθη πρὸ ἀρίστου, eo ſenſu quo Βαπτίζεσθαι ſignificat ablutionem totius corporis? Vix credideris, cùm nec opus erat, nec in uſu erat ante cibum, totum corpus abluere, ſed manus tantùm. De

Digitized by Google

qua re diximus fuſiùs ad *Matth.* 15. & *Marc.* 7. Unde hæc neceſſe eſt ut repetamus: quòd erat נטילת ידים, *Lotio manuum*, & טבילת ידים, *Immerſio manuum*: & hanc poſteriorem reſpicit Phraſiologia ſub manibus. Miratur Phariſæus quòd Chriſtus manus non lavaret, imò quòd in aquam non immergeret, cùm jam rediret ἐξ ἀγορᾶς, id eſt, Ἐκ τῶν ὄχλων ἐπαθροιζομένων, *verſ.* 29.

Quanti æſtimarent lotionem manuum ante cibum, præter ea quæ adduximus alibi illud demonſtrantia, accipe ſingulare exemplum ex

Erubhin, fol. 21. 2. *Hiſtoria eſt de R. Akiba, quòd erat vinctus in carcere, & miniſtrabat ei R. Joſua* הגרסי, *lector. Attulerunt ei indies aquam per menſuram. Die quodam occurrit ei cuſtos carceris, & dicit ei, Hodie nimium aquæ habes—. Effudit dimidium, & dedit ei dimidium. Cùm perveniret ad R. Akibam, totam rem ei enarravit. Dicit ei [R. Akiba,] Da mihi aquam ut lavem manus. Dicit alter, Non ſufficit aqua ut bibas, num ſufficit ut laves manus? Cui ille, Quid faciam, in re ubi eſt reatus mortis? Præſtat ut moriar ipſe [ſiti] quàm ut tranſgrediar mentem collegarum:* qui ſic præſcripſerunt de lotione manuum.

Et paulò pòſt. *Dicit Samuel,* בשעה שתקן שלמה עירובין ונטילת ידים, *Eo tempore quo Solomon inſtituit Erubhin & lotionem manuum, prodiit Bath Kol, & dixit, Mi fili, ſi ſapiat cor tuum, lætabitur & meum.* Nota, *Solomonem* authorem lotionis hujus manuum, ſi credes modò.

Hieroſ. Beracoth, fol. 2. 4. *Quicunque benedicit illico poſt lotionem manuum,* אין השטן מקטרג באותה סעודה, *Satan non accuſat eum pro iſta vice refectionis.*

Vers. 39. Ὑμεῖς οἱ Φαρισαῖοι τὸ ἔξωθεν τοῦ ποτηρίου καὶ τοῦ πίνακος καθαρίζετε, &c.

Hoc de ipſis perſonis, & non de vaſculis dici, hæc planum faciunt.

I. Quia dicit τὸ δὲ ἔσωθεν ὑμῶν. Ut ſenſus ſit, Vos voſmet purificatis ab extrà, hujuſcemodi ablutionibus, cùm quod intra vos eſt, plenum ſit omni rapinâ, &c.

II. Cùm dicit οὐχ ὁ ποιήσας τὸ ἔξωθεν, non de opifice patinarum aut poculorum loquitur, ſed de Deo. Nam quale aliter formaretur argumentum? Opifex catinorum & poculorum fecit & partem exteriorem & interiorem. Quid ergò? Ergò purificate vos & extrà & intrà. Aſt reſpectu habito ad Deum, ſic optimè: Nonne Deus qui vos formavit ab extrà, formavit etiam ab intrà? Ergò expectat ut purificetis vos ab intrà, æquè ac ab extrà.

III. Vix oſtenderis Phariſæos exteriorem partem poculi aut patinæ abluiſſe, non ablutâ etiam interiori. Duo tantùm de hac re, ex ipſis iſtis authoribus proferamus.

Shabb. fol. 118. 1. *Catinos in quibus comedit veſperè, abluunt ut comedat in iis manè. Manè abluunt eos, ut in iis comedat meridie. Meridie abluunt eos, ut in iis comedat ad Mincham. Poſt Mincham ulteriùs non proluit iterum; verùm pocula, lagenas & utres proluit,* והולך לו כל היום כולו, *Et ſic it per totum diem*, &c.

Non tædium nobis aut lectori ſuſcitabimus hæc explicando. Sufficit quòd de ablutione ſolùm eſt mentio, ut totius vaſculi, non hujus & illius partis: & ablutio talium vaſculorum erat per שטיפה, *Immerſionem*. Vide Aruch in עשר.

Peſachin, fol. 17. 2. *Omnia vaſa* שיש להן אחוריים ותוך, *quæ habent exterius & interius, ſi inquinetur interius eorum, inquinatur etiam exterius; at verò* נטמא גבו לא נטמא תוכו, *Si inquinetur exterius eorum, non inquinatur interius.* Crederes hoc eſſe in rem præſentem, & aſſerere literalem ſenſum verborum quæ tractamus, pocula nempe & patinas quamvis immunda forent ab extrà, ab intrà tamen potuiſſe eſſe munda; & ſat fuiſſe Phariſæo, ſi ea purificaret ab extrà tantùm. At vaſcula de quibus hìc mentio, interprete Gloſſatore, talia erant, שראויין להשתמש בהן בתוכן ובאחוריהן, *quibus uti poſſis vel ab intrà vel ab extrà* indifferenter. Et nonnulla eorum memorantur à Gemariſtis, viz. ſacci, manticæ, indumenta cervicalium ac pulvinarium, &c.

Secundùm literam ergò non loquitur hìc Salvator, ut nec *Matth.* 23:25. cùm dicit, *Vos purificatis exteriorem patinæ partem*, &c. ſed parabolicè & per ſimilitudinem. Vos dum externis ablutionibus adeo ſtudetis, non aliud agitis, quàm ſi pocula & patinas prolueretis ab extrà tantùm, dum interiùs interim omni pollutione ſqualent.

Vers. 40. Ἄφρονες.

שוטים vox genti uſitatiſſima.

Menacoth, fol. 65. 1. *Rabban Jochanan ben Zaccai dixit Baithuſæis,* שוטים, Ἄφρονες, *unde hoc probatis?*

Vajicra Rabb. fol. 197. 3. *Eſavus dixit,* שוטה היה קין, *Stultus fuit Cain.— Pharaoh dixit,* שוטה עשו, *Stultus fuit Eſavus.— Haman dixit,* שוטה היה פרעה, *Stultus fuit Pharaoh.— Gog & Magog dicturi ſunt,* שוטים הראשונים, *Stulti fuerunt omnes qui nos anteceſſerunt.*

Hinc vulgò, שוטה שב עולם, *O ſtultiſſime omnium qui ſunt in mundo.*

Vers. 41.

CAP. XI. VERS. 41.

VERS. 41. Πλὴν τὰ ἐνόντα δότε ἐλεημοσύνην.

Ironicè dictum, quantum ego judico, & irriſâ ſententiâ eorum de eleemoſyna.

I. Nonne hæſitare licet de verſione vocis τὰ ἐνόντα, ut non ſignificet ſolùm *Quod ſupereſt*, ut Vulg. vel *Quod penès vos eſt*, ut Beza: vel aliquid iſtiuſmodi, quod referendum eſt ad opes mundanas, ſed aliquid quoque quod referendum ad doctrinas & dogmata. Ac ſi ſenſus eſſet, *Ea autem quæ apud vos extant*, id eſt, quæ obtinent & valent, ſunt, *Date eleemoſynas, atque omnia vobis ſunt munda*. Quum obſervo apud Talmudicos, ut adhibeatur vox אית & איתא, *Eſt*, cùm ponitur aliquid & determinatur, [& ſpeciatim cùm occurrit איתא חמי, quæro, an idem ſit cum תא חמי, *veni, vide*, an non potiùs *Eſt, vide*] aliquantum ſuadet ἐνόντα hoc in loco eòdem ſpectare? Vos interius pleni eſtis omnimodâ rapinâ; at determinationes ac dogmata quæ apud vos obtinent, ſunt *Date Eleemoſynas*, &c.

II. At eſto, quòd τὰ ἐνόντα denotet, *quod ſupereſt*, vel *quod penès vos eſt*, nam hìc tenaces non ſumus, vix tamen perſuaſeris, Salvatorem hæc ut propria ipſius, quin potiùs ut propria ipſorum verba proferre. Nec arbitror eum directè hìc loqui, aut directivè, ſed ipſorum dogma citare potiùs cum diſplicentia & irriſione. Nam reverà ab ipſorum incude prodierat opinio, quòd Eleemoſyna ad expiationem, ad juſtificationem, ad ſalutem, ad omnia valeret. Hinc vulgaris ejus apud illos nomenclatura צְדָקָה, *Juſtitia*. Unde eſt quòd in innumeris fere locis in Sacra Scriptura, ubi celebrantur laudes, & enuntiantur beatitudines *Juſtitiæ*, applicent illi ad Eleemoſynam. Unum habe pro multis.

Bava Bathra, fol. 9. 1. *Rabb Aſai dicit*, שקולה הצדקה כנגד כל המצות, *Eleemoſyna æquipollet omnibus præceptis*.

Ibid. fol. 10. 1. *R. Judah dicit*, *Magna res eſt Eleemoſyna, nam accelerat redemptionem*. Scribitur, צדקה תציל ממות, *Juſtitia* [i. e. Eleemoſyna] *liberat à morte*.--- *Eleemoſyna liberat à morte repentina, & liberat à judicio Gehennæ*.

R. Meir dicit, Si impius quis tibi objiciat, ſi Deus veſter amat pauperes, quare eos non paſcit? Reſponde, ut nos propter eos liberemur à judicio Gehennæ, id eſt, propter eleemoſynam iis exhibitam.

Et vereor nè Græci Interpretes micam aliquam ejuſdem ſalis ſaperent, cùm aliquoties reddant צְדָקָה, *Juſtitiam* per Ἐλεημοσύνην.

Jam ergò judica, an Salvator doceat rapinam, injuſtitiam, injuriam mundari per eleemoſynam, vel tale quid conſilii iis dare, cùm illi ſat ſuperque erant tali doctrinâ imbuti.

CAP. XI. VERS. 45.

VERS. 45. Ἀποκριθεὶς δέ τις τῶν Νομικῶν.

Difficultatis aliquid hoc ſecum fert, quòd cùm in commate præcedenti, ſit *Væ vobis Scribæ & Phariſæi*, hìc non ſit Ἀποκριθεὶς δέ τις τῶν Γραμματέων, ſed τις τῶν Νομικῶν. Quem ſcrupulum fortè vulg. Interpres òbſervans, clauſulam iſtam, *Scribæ & Phariſæi* omiſit penitùs.

Invehitur Chriſtus ſpeciatim & nominatim in *Phariſæos*, *verſ.* 37, 42, 43. At conjungit tandem cum iis Scribas, *verſ.* 44. Exinde cavillatio & quærela hujus Νομικοῦ, ſive quòd *Scribas* nominaverat in terminis, ſive quòd de nihilo accuſaverat Phariſæos, de quo etiam non accuſari poſſent Scribæ. Nam quæramus ab hoc ipſo Scriba. Nonne ipſe lavit manus ſuas ante prandium æque ac Phariſæus? Omnes enim Judæi, ἐὰν μὴ πυγμῇ νίψωνται, &c. *Marc.* 7: 3. Nonne decimavit ille mentham & rutam æque ac Phariſæus? cùm מעשר ירק מרבנן, *Decimatio olerum inſtituta fuerit à Rabbinis*, *Joma*, fol. 83. 2. Verbo omnia, paſſibus æquis incedunt Scribæ & Phariſæi in oratione iſta, huic pari, *Matth.* 23. Ubi Chriſtus de ipſiſſimis iiſdem cauſatur in Scribas, de quibus hìc in Phariſæos. Ita ut planum ſatis ſit, quare querulus ſit hic homo; ſed obſcurum quare Νομικὸς appelletur, potiùs quàm Γραμματεύς.

I. Non facile eſt diſtinguere inter Scribas & Phariſæos, niſi quod Phariſaiſmus fuerit tumor & extuberantia quoad ſuperſtitionem & auſteritatem religionis, ſupra ſtatam & communem normam gentis, imò ipſorum Scribarum. An diſtinctio inter יחיד, *Singularem*, & תלמיד, *Diſcipulum*, diſtinctionem aliquam talem in auſteritate religionis innueret, non dicimus, ſed iſta tantum coram oculis lectoris proponimus ex

Taanith, fol. 10. 2. *Tradunt Rabbini, Nè dicat quiſquam*, תלמיד אני, *Ego ſum Diſcipulus*, איני ראוי להיות יחיד, *Ego non idoneus ſum qui fiam ſingularis*.

Gloſſ. *Ego non ſum idoneus, qui incipiam jejunia cum ſingularibus*.

Et Gemara paulò pòſt. *Tradunt Rabbini, Omnis qui vult facere ſe ſingularem, nè faciat: at ſi quis vult ſe facere Diſcipulum, faciat*.

Et tandem: אין תלמיד חכם רשאי לישב בתענית, *Non licet Diſcipulo Sapientis perſiſtere in jejuniis*, שממעט במלאכת שמים, *quia ſic diminuit de opere Dei*, i. e. ceſſat à diſcendo aut docendo.

 Crede-

Crederes hîc planè diſtingui Phariſæum inter & alium, & tamen ſic Gemariſtæ eodem in loco, כל תלמידי חכמים יחידים, *Omnes Diſcipuli Sapientum ſunt ſingulares.* Et quærunt tamen, איזהו יחיד ואיזהו תלמיד, *quiſnam eſt ſingularis & quiſnam eſt Diſcipulus? Singularis, eſt ille qui dignus eſt* למנותו פרנס על הציבור, *ut præficiatur Paſtor Synagogæ. Diſcipulus eſt ille, qui ſi interrogent eum aliquid de Traditione in doctrina ſua, habet reſpondere.* Per *Diſcipulum* igitur intelligunt, non eum qui jam diſcit, ſed qui antea didicit, & jam docet. Aſt alibi utrumque hoc applicant ad Diſcipulum Sapientum.

Shabb. fol. 104. 1. *Dicit R. Jochanan, Quiſnam eſt Diſcipulus Sapientum? Ille quem præficiunt Synagogæ Paſtorem: ille qui, ſi eum interrogent de Traditione quovis in loco, habet reſpondere.* Differentia inter hos, utcunque hîc ita confundantur, hæc erat: quòd תלמיד, Diſcipulus, reſpondere poſſet tantùm dubiis & quæſtionibus בלמודו, ex iſto loco aut ſubjecto petitis, de quo ille doceret, & prælegeret: at יחיד, *Singularis*, reſpondere poſſet de quæſtionibus ex *quovis loco excitatis*, בכל מקום, אפילו במסכת כלה, *etiam ex tractatu de ſponſa.* Umbram aliquam Paſtoris & Doctoris, Ποιμένων καὶ Διδασκάλων, *Epheſ.* 4: 11. videre hîc mihi videor, cùm תלמיד, *Diſcipulus*, fuerit quidem Doctor, & יחיד, *Singularis*, *Paſtor Synagogæ*, פרנס על הציבור. Et forſan hæc obſervata lucem aliquam præbebunt quoad iſtum locum Apoſtoli.

II. Sicut תלמיד, *Diſcipulus*, & יחיד, *Singularis* aliquando confunduntur, aliquando diſtinguuntur, ſic etiam *Scriba & Phariſæus.* Confunduntur aliquando, nam plurimi de Phariſæis erant Scribæ: & diſtinguuntur etiam, nam plurimi ex iis erant de vulgo, & non Scribæ. Et non impropriè dixeris, erant Phariſæi Clerici, & Phariſæi Laici.

Ille, quocum res nobis jam eſt, erat *Scriba*, ſed non *Phariſæus:* at non facile dictu, quare vocetur Νομικὸς, & non *Scriba.* Conjecturis hîc locus tantùm eſt, & non demonſtrationibus: & hiſce conjecturis detur venia.

I. Concipimus Νομικοὺς & Νομοδιδασκάλους opponi *Sadducæis*, quibus quidem opponebantur *Phariſæi* directiſſimâ lineâ: quippe quòd iis adverſarentur in ritus practicando traditionales, quantum quidem fieri potuit, & hi in doctrina traditionali, plus ſatis. Nam habuerunt & Sadducæi *Scribas* vel doctores ſuos, æque ac pars altera: & frequentiſſima mentio apud Talmudicos de ספרי צדוקין, *Scribis Sadducæorum.* Atque ex hac antitheſi opinamur, *Rabban Gamalielem* dictum Νομοδιδάσκαλον, *Actor.* 5: 34. Nam erat tunc temporis conventus partium Sadducæarum, *verſ.* 17. & cùm inter eos *Gamaliel* ſermocinaretur, ex parte altera, non arduum eſt conjectare quare vocetur Νομοδιδάσκαλος. Pari ratione, arbitramur hunc noſtrum dictum eſſe Νομικὸν, non *Scribam*, quia & inter Sadducæos erant *Scribæ.*

II. Concipimus igitur Νομικοὺς & Νομοδιδασκάλους fuiſſe Doctores Legis Traditionarios. De *Gamaliele* Νομοδιδασκάλῳ, res eſt extra omnem controverſiam; & ſi aliqua foret diſtinctio inter Νομικοὺς & Νομοδιδασκάλους, in hac re tamen arbitramur eſſe nullam. Perpende bene illud in

Hieroſ. Shabb. fol. 15. 3. *Traditio. R. Simeon ben Jochai dicit. Qui verſatur* במקרא, *in textuali Legis explicatione, menſuram habet quæ non eſt menſura. Qui verſatur in Miſnah, menſuram habet de qua recipiunt præmium. At ſi verſetur in Talmud, non eſt menſura hac major. Curre ſemper ad Miſnam potiùs quàm ad Talmud. At dicit R. Joſe b. R. Bon. Hoc quod dicis, obtinuit priuſquàm Rabbi immiſcuerat ei plurimas Traditiones: aſt ex quo ille immiſcuerat ei plurimas Traditiones, ſemper curre ad Talmud potiùs quàm ad Miſnam.*

Jam, quæſo, quiſnam ſecundùm hanc Traditionem dignus eſt titulo *Doctoris Legis*, Νομικοῦ, vel Νομοδιδασκάλου; Ille qui verſatur במקרא, in explicatione atque interpretatione Legis ſcriptæ, atque ipſius contextûs, vah! ille parùm agit, & pro opera & oleo menſuram reportat quæ non eſt menſura. At ille qui verſatur in Miſnah & Talmud, in doctrina traditionali, in explicatione Legis traditionalis, ille palmam fert, & dignum præmium reportat, ille dignus titulo Doctoris.

III. Si qua ſit diſtinctio inter Νομικὸν & Νομοδιδάσκαλον, quod vix credimus, hæc ſupponatur, vel quòd Νομοδιδάσκαλος Scholam ſuam habuerit, & Diſcipulos; Νομικὸς autem non: vel quòd Νομικὸς in *Miſnah* verſaretur, aut in literali & plana Traditionum explicatione, Νομοδιδάσκαλος autem in *Talmud*, aut modo eos docendi profundiori & magis ſcholaſtico. Utcunque, ſive fuerit hæc inter eos diſtinctio, ſive alia, ſive nulla, arbitramur utrumque fuiſſe Doctorem Traditionum, atque Interpretem Legis, ut vocarunt, oralis, in antitheſi ad Scribas, ſive inter Judæos, ſive inter Sadducæos, qui operam dederunt explicationi Legis textuali.

VERS. 46. *Καὶ αὐτοὶ ἑνὶ τῶν δακτύλων ὑμῶν οὐ προσψαύετε.*

Quod Νομικοὶ forent, ut dicimus, *Doctores Traditionum*, ex hoc roboratur, quòd illa quæ iis exprobrat Salvator hoc in loco, eſſent traditionalia: hoc ſpeciatim quòd *jugis Traditionum*

tionum

Digitized by Google

CAP. XI. VERS. 49, 51. *tionum ità onerarent homines*, &c. Ipſi autem nè digito uno ea tangerent, aut moverent.

Obtinet vulgò hæc interpretatio, Vos aliis onera gravia imponitis, dum interim vobiſmet ipſis indulgetis, atque ea ferre & ſubire reſpuitis. Quam interpretationem ſanè admittimus: at quærimus tamen, an & aliud quid non includatur? Nam cùm, *Ille qui levia ſibi-ipſi præſcriberet, & gravia aliis*, & vulgò haberetur & vocaretur רשע ערום, *Improbus aſtutus*, Sotah, cap. 3. hal. 4. cùmque frequentiſſima ſit mentio de Rabbino hoc aut illo, המחמיר על עצמו, *qui aggravavit hoc aut illud onus ſuper ſeipſum*, à quo tamen abſolvit alios; in dubium vocari poteſt, an interpretatio iſta tam vulgariter recepta, totum illud enuntiat, quod eſt in animo horum verborum.

Suſpicor Salvatorem, non ſolùm indulgentias eorum erga ſeipſos, dum alios oneribus premerent, redarguere, ſed & ſeveram eorum tenacitatem circa propria ſtatuta. Statuta Dei levia fecerunt pro ſuo libitu; at de ſtatutis propriis nè minimum ponderis diminuatur. Legem divinam ut elevent, admovent utramque manum; aſt ut propria ſtatuta, nè digitum quidem unum.

VERS. 49. Διὰ τοῦτο καὶ ἡ Σοφία τοῦ Θεοῦ εἶπεν.

Congruit hæc forma loquendi cum uſitatiſſima iſta, אמרה מדת הדין, *Dicit norma judicii.* Inter infinita exempla ſumamus illud tantum Targumiſtæ in *Thren.* 2: 20. *Num convenit ut filiæ Iſraëlis comedant fructum uteri ſui?* ענת מדת דינא, *Reſpondit norma judicii*, [juſtitia retributiva] *& dixit*, אם חוי, *Num & conveniebat occidere in Sanctuario Domini Sacerdotem & Prophetam, ſicut occidiſtis Zachariam?* &c.

VERS. 51. Ἕως τοῦ αἵματος Ζαχαρίου.

Si Salvator apud *Matthæum* ſiluiſſet de *Barachiah*, quod hîc facit, nemo abſque dubio quemquam alium reſpexiſſet quàm *Zachariam* filium *Jehojadæ*, de cujus cæde eſt hiſtoria, 2 *Paralip.* 24. Judæi certè nullum alium *Zachariam* agnoſcunt in Templo occiſum, præter illum: & quid dicant illi de ejus cæde, obſervavimus ad locum iſtum *Matthæi* ex Talmude utroque, *Hieroſ. Taanith*, fol. 69. 1, 2. *Babyl. Sanhedr.* fol. 69. 2. Eadem occurrunt in *Midras Echah*, fol. 79. 2, 3. & *Midras Coheleth*, fol. 93. 1.

Ex hac ultima hæc breviter exſcribamus.

Sanguis Zachariæ ebullivit ducentis quinquaginta duobus annis, à Joaſo ad Zedechiam. Quidnam fecerunt? Verrebant in eum omnem pulverem [Atrii] *& fecerunt cumulum, & tamen non quievit, ſed adhuc ferbuit & bullivit.* CAP. XI. VERS. 51, 52.
Dixit Sanctus Benedictus ſanguini, הא ענתא דתינבי דיתיקי דירך, *Ecce tempus jam eſt ut exigas Διαθήκην tuam* [ea autem erat, Videat Dominus, & requirat.] *Cùm adveniret Nebuzaradan, quæreretque, Quidnam hoc rei? Reſponſum eſt, Eſt ſanguis juvencorum, arietum, agnorum, quos ſacrificarunt.--- Cùm tandem intelligeret quid rei eſſet, occidit octoginta millia Sacerdotum: & tamen ſanguis iſte non quievit, ſed erupit, & fluxit ad ſepulchrum Zachariæ. Adduxit ergò ille Synedrium & magnum & parvum, & occidit eos ſuper ſanguinem, & tamen non quievit*, &c.

Vix credo eos qui hæc referunt, crediſſe ità reverà eſſe actum, ſed tantùm hiſce floſculis Rhetoricæ & hyperbolarum, horrendum reatum cædis *Zachariæ* depinxiſſe, qui quò horridior, eò magis congruit cum reatu cædis *Chriſti*.

Atque utcunque cætera ſint pigmenta, hoc tamen ex tota rei textura non poteſt non obſervari, quòd adeo celebris ac infixa memoriæ gentis eſſet hæc cædes *Zachariæ* hujus, ut cùm Salvator loquatur de *Zacharia* quodam cæſo inter Templum & altare, concipi non poſſit, eos de quovis alio concipere potuiſſe, quàm de hoc *Zacharia*. De patre ejus, *Barachia* dicto, pro *Jojada*, diximus ad *Matth.* 23.

De mutato nomine ſi quis ambigat, dicat velim quonam nomine comperiat *Jojadam* appellatum in catalogo iſto Pontificum 1 *Paralip.* 6. Aut mutato, aut tum penitùs prætermiſſum eſſe, fateatur neceſſe eſt. Si mutato, inquies, tum trinomius erat *Jojada*, ſi vocaretur etiam *Barachiah*: nec mirum, nec alienum erat in iſta gente pluribus nominibus nuncupari: ut, ſi Magiſtris gentis credas, ipſe *Moſes* habuerit nomina decem. *Vajicra Rabb.* fol. 165. 3.

VERS. 52. ἤρατε τὴν κλεῖδα τῆς γνώσεως.

An reddas, *Tuliſtis* [vobiſmet ſcilicet] an *Abſtuliſtis*, perinde eſto. *Tulerunt* ſibi clavem ſcientiæ, cùm ſibi ſolis arrogarent ſapientiam & profunditatem doctrinæ, atque ex hac ipſa re *Abſtulerunt* clavem ſcientiæ à populo, quia nihil docuerunt niſi vafra & futilia.

Vox κλεῖδα, eorum lingua מפתחא, in mentem revocat uſitatiſſimam iſtam vocem פתח, quam abhibent de quovis docente. Exempla hujus habes infinita, numeroſa ſatis in prolixa iſta præfatione quæ præfigitur τῇ Midras Threnorum, quæ titulùm habet פתיחתא דחכימי, *Apertiones Sapientum.* Ubi frequentiſſimè dicitur, ut & ubique ferè, ר׳ פתח, *Rabbi N. aperuit*; nam non novi ut aptiùs

Digitized by Google

CAP. XII. VERS. 1,3,6.

aptiùs reddatur. Novi benè פתח frequentiſſimè denotare *incepit*, cui opponitur חתם, vel סיים, *Finivit*; at hìc adhibetur, cùm Rabbinus aliquis producit textum aliquem Scripturæ, atque in eum vel explicatoriè, vel alluſivè, vel allegoricè gloſſatur & diſſertat, *Aperit Scripturam*, ut *Luc.* 24: 32. Nam plus denotari quàm *Aperuit os*, quivis, ut opinor, loca obſervans concipiet.

CAP. XII.

VERS. 1. Ἐπισυναχθεισῶν τῶν μυριάδων.

QUamvis vix quiſpiam ſecundùm literam hæc intellexerit, quòd numerus præſentium fuerit ad minimum vigeſies millium, ingentem tamen cœtum denotari nemo non agnoverit. Sic *Actor.* 21: 20. Πόσαι μυριάδες εἰσὶν Ἰουδαίων τῶν πεπιστευκότων.

Reſpexerim ego hic efficaciam Euangelizationis LXX. Diſcipulorum, qui tam clarè & proficienter docuerant de Chriſto, & ad quænam loca ille acceſſurus, ut populus tam innumeris numeris ad eum jam confluat, erectus in ejus occurſum, cùm audiat, ad tale oppidum venit *Meſſias*.

VERS. 3. Ὃ πρὸς τὸ οὖς ἐλαλήσατε.

De Magiſtro in aurem אמוריה, vel כתרגומניה, *Interpretis ſui*, inſuſurrante & muſſitante, diximus ad *Matth.* 10: 27. Rationem ritûs habes in

Chagigah, fol. 14. 1. שהתורה ניתנה בלחש, *Quia Lex ipſa tradita eſt tacitè*. Et rationem iſtius rei habes in

Sanhedr. fol. 26. 2. ניתנה בחשאי מפני השטן, *Tradita eſt tacitè propter Satanam.*

Verùm hæc verba quæ jam tractamus, non de muſſitatione tali, quali in aure interpretis, ſunt intelligenda, ſed de re quavis ſecretiſſimè & muſſitantiſſimè dictâ. Inſuſurravit Magiſter in aurem interpretis eo fine, ut verba ejus per illum publicarentur Diſcipulis. Aſt hìc agitur de rebus, quas maximè celatas eſſe volunt homines, quas tamen Deus deteget. Non abſimile eſt illud, *Eccleſ.* 10: 17. Stultitiam hypocriſeos innuit Salvator, æquè ac nequitiam: nam detrahetur aliquando ejus larva, atque diſſimulatiſſima ejus denudabuntur.

VERS. 6. Οὐχὶ πέντε στρουθία πωλεῖται ἀσσαρίων δύο;

Duo paſſeres aſſario uno, *Matth.* 10: 29. & quinque, aſſariis duobus.

Vendebantur columbæ in Templo puerperarum & profluvioſorum ergô, à quibus offerendum par turturum aut columbarum, ſi non aſſurgeret opulentia eorum ad ſumptuoſius ſacrificium. Sic & venales fuiſſe paſſeres in Templo probabile eſt, leproſorum ergô, quippe quòd iis opus erat in eorum purificatione, *Levitic.* 14: 4. Græca quidem iſto in loco non habens Δύο στρουθία, ſed Δύο ὀρνίθια. Verùm ſi longè petitæ rationi *R. Solomonis* credes, credes indigitari paſſeres: *Lepra enim*, inquit ille, *invaſit homines propter linguam malam*, שהוא מעשה פטפוטי דברים, *id eſt, propter garrulitatem verborum, adhibuerunt ergò in purificatione ejus* צפרים, *paſſeres, qui ſemper garriunt pipitu vocis.*

CAP. XII. VERS. 6,9,13.

Καὶ ἓν ἐξ αὐτῶν οὐκ ἔστιν ἐπιλελησμένον ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ.

Bereshith Rabba, fol. 88. 4. *R. Simeon ben Jochai ſtetit in oſtio ſpeluncæ ſuæ*, [in qua delituit per tredecim annos] *& vidit quemdam aucupantem. Cùmque audiret Bath Kol de cælo dicentem, Miſericordia, Miſericordia; avis evaſit. Cùm vero audiret Bath Kol dicentem, Pœna mortis; tum avis fuit capta. Dicit ergò ille*, ציפר מבלעדי שמיא לא מתצדא, *Avis non capitur ſine Deo, multò minùs vita hominis.* Recitantur & hæc etiam in *Midras Tillin*, fol. 15. 1. Sed circumſtantiis quibuſdam variantibus.

VERS. 9. Ὁ δὲ ἀρνησάμενός με, &c.

Judica, an in hiſce verbis & commate proximè ſequenti non innuatur à Salvatore de duobus iſtis peccatis irremiſſibilibus, Apoſtaſiâ atque Abnegatione Chriſti, & Blaſphemiâ vel Peccato in Spiritum Sanctum.

Prius vocatur *Peccatum ad mortem*, 1 Joann. 5: 16. & ſic reverà, & eventu eſt etiam poſterius: & confundi quidem ea video à nonnullis qui differunt de peccato in Spiritum Sanctum, cùm tamen hæc differentia obſervari poſſit, quòd Apoſtaſia non ſit niſi ejus qui ſemel profeſſus eſt *Chriſtum*: at blaſphemia in Spiritum Sanctum eructata fuit à Scribis & Phariſæis, qui noluerunt eum profiteri.

VERS. 13. Μερίσασθαι μετ' ἐμοῦ τὴν κληρονομίαν.

I. In titulis fratrum hoc obtinuit, ut ſicut maximus natu vocabatur בכור, *Primogenitus*, ſic junior vocabatur פשוט, *Simplex*, quia abſque titulo *Primogeniti*. Videntur hic duo tantùm eſſe fratres inter quos hæc querela; aſt uter queratur, quis determinaverit? Junior, inquies, ut maximè probabile, nam promptius erat, ut in diviſione primogenitus juniori eſſet injurius, quam junior primogenito. Aſt in Judicio iſto quod vocarunt דינא דגור

אא

Digitized by Google

CAP. XII. VERS. 13, 19, 20.

או אגוד, *Judicium de Trabe tu, aut ego traham*, junior potuit moleſtus primogenito eſſe, æque ac primogenitus juniori. Res ea hæc erat,

Bava Bathra, fol. 13. 1. *Cùm legaverat pater primogenito & pòſt nato, ſervum, aut beſtiam immundam*, quæ non potuerunt dividi, tum dicit alter alteri, *Aut trahe tu, aut ego traham*, id eſt, Aut redime tu partem meam, aut ego redimam tuam. Et hic potuit junior perverſus eſſe, ac redemptionem impedire, æque ac primogenitus.

II. In diviſione hæreditatum quot difficultates, quot lites emergere poſſint, ipſa ratio, imò vulgaris experientia ſatis docet. Fuſiſſimè de ea re Magiſtri, & ſupponunt controverſias in hac re oriri poſſe, vel ex teſtamento patris, vel ex natura ipſius hæreditatis, vel ex qualitate filiorum; ut ſi filius junior ſit Diſcipulus Sapientum, primogenitus non; junior proſelytus factus, ſenior ethnicus, &c. Aſt in re jam propoſitâ, querela & controverſia non eſt in partitione, ſed de non partitione: quia primogenitus, ut probabile, non voluit ea in re juniori gratificare.

Judex in iſtiuſmodi cauſis erat Conſeſſus triumviralis. Hi erant Δικασαὶ in controverſia, & decernebant de jure & æquitate dividendi: & vel quidam ab iis deputati, vel quidam ab iis, inter quos pendebat controverſia, pro arbitris electi, erant Μεριςαὶ, qui cavebant de æqualitate diviſionis. Quidnam ergò hunc hominem moveret, ut Chriſtum in hac re judicem appellaret: niſi fortè quod vel ipſe, vel frater, vel uterque foret de Diſcipulis Chriſti.

VERS. 19. Ψυχὴ, ἀναπαύου, φάγε, πίε, &c.

Taanith, fol. 11. 1. *Cùm Eccleſia eſt in anguſtiis, nè dicat quiſpiam, Ibo in domum meam, atque edam & bibam*, ושלום עליך נפשי, *Et pax tibi, ô anima mea. Si quis ità faciat, de eo ſcribitur illud, Et ecce gaudium & lætitia, occidendo boves & jugulando oves, comedendo carnem & bibendo vinum: Comedamus & bibamus, cras enim moriemur. At quid ſequitur deinceps? Revelatur in auribus Domini exercituum, ſi expiabitur iniquitas hæc vobis donec moriamini.* Et quid, ſi ſic dicat & agat cum Eccleſia non eſt in anguſtiis?

VERS. 20. Ταύτῃ τῇ νυκτὶ τὴν ψυχήν σου ἀπαιτοῦσιν ἀπὸ σοῦ.

Quamvis ridenda ſit hæc hiſtoria, aliquid tamen continet in ſe ſerii.

Elleh haddebbarim Rabba, fol. 300. 1. *Dicunt Rabbini. Occurrit hoc in diebus R. Simeonis ben Chalaphta. Quòd profectus eſt ille aliquando ad quandam circumciſionem, atque ibi epulabatur. Pater infantis potavit eos vino veteri, etiam ſeptenni, & dixit iis, Cum hoc vino ego conſeneſcam in gaudio filii mei. Convivabantur uſque ad mediam noctem. R. Simeon ben Chalaphta confidens virtuti propriæ, egreſſus eſt mediâ jam nocte, ut iret ad civitatem ſuam. Invenit in via Angelum mortis, atque obſervat eum eſſe mæſtum. Dicit illi, Tu quis? Et ille, Ego ſum nuntius Domini. Et quare, inquit ille, tu mæſtus? Dicit ei*, משיחתן של בריות, *Ego ſum mæſtus ob ſermones hominum, qui dicunt, Ego hoc aut illud aliquando faciam, quando non norint quàm citò avocandi ſunt ad mortem. Homo iſte quocum convivatus es, & qui dixit vobis, Cum hoc vino ego conſeneſcam in gaudio filii mei, ecce appropinquat tempus ut auferatur poſt triginta dies. Dicit ei, Notum fac mihi tempus meum. Cui ille, In te atque in tui ſimiles non eſt mihi dominium: Deus enim delectatus bonis operibus, protrahit vobis vitam.*

CAP. XII. VERS. 24.

VERS. 24. Οὐ ταμεῖον, οὐδὲ ἀποθήκη.

Fallor, aut Hieroſolymitanus redderet לית מרתף ולא גורן: Nam מרתף erat *Cellarium*, ubi repoſuerunt fructus, & גורן, *Horreum*, ubi repoſuerunt fruges, vel ſegetes. Vulgò redditur *Area*, at ſubintelligendum videtur *Horreum*.

Inſtantiam ſumit Salvator de Deo paſcente corvos, a *Job.* 39: 3. & *Pſalm.* 147: 9. Ubi ſic R. Solom. *Interpretantur Rabbini noſtri, quòd corvus eſt crudelis erga pullos ſuos: at Deus eorum miſeretur, & parat eis muſcas ex ipſo ipſorum ſtercore naſcentes.*

Rationem aliquam quare parentes ita immites erga pullos, reddunt in

Chetubboth, fol. 49. 2. Ubi animum Gemariſtarum, qui loquuntur de pullis אוכמי & חיורי, albis & nigris, ſic effatur Gloſſ. *Cùm nigreſcunt, parentes eos amant; aſt ab initio ſunt albi, parentes ergò eos oderunt.*

Aſt iſtoc loci occurrunt & hæc, non indigna exſcriptione.

Cùm adduceretur homo quidam, qui noluit filios ſuos alere, *coram Rabb Judah, dixit iis* qui adduxerunt, יארוד ילד ואבני מתא שדיא, *Draco parit, & fœtus ſuos projicit in oppidum nutriendos. Cùm adduceretur ad Rabb Chaſda, dicit iis, Cogite eum ad oſtium Synagogæ, & ſtet, & dicat*, עורבא בעי בניה, *Corvus quærit pullos ſuos; at hic homo non quærit*, aut agnoſcit *filios ſuos. Corvus agnoſcit pullos ſuos? Ecce ſcriptum eſt, Deus paſcit corvos qui invocant illum.* לא קשיא, *Hoc nihil difficultatis habet.* הא בחיורי הא באוכמי, *Hoc de iis, dum albi ſunt, dicitur*, Deus eos paſcit: *at illud de jam nigris factis*, Corvus agnoſcit pullos.

CAP. XII. VERS. 30, 37, 38, 47.

At Gloſſa ſic. *Videtur quòd ipſe propriâ voce contra ſeipſum ſit clamaturus, Corvus agnoſcit pullos ſuos. At ſunt qui exponunt, Quòd miniſter Synagogæ proſtiterit, & ſic in eum proclamaverit, Corvus agnoſcit pullos ſuos; at hic homo non ſuos filios.* Dic Eccleſiæ, *Matth.* 18:17.

VERS. 30. Τὰ ἔθνη τοῦ κόσμου ἐπιζητεῖ.

אומות עולם Phraſiologia genti frequentiſſima, quâ Ethnicos deſignant, vel omnes gentes præter ſuam. Κόσμος & Αἰὼν proprietatem ſuam habent in Sacris Paginis, aliam ab ea quam in profanis: ut Αἰὼν referatur ad ſæcula tantùm Judaica, & Κόσμος ad gentes non Judaicas. Hinc Συντέλεια τοῦ αἰῶνος, *Matth.* 24:3. eſt *conſummatio ævi Judaici*: & Πρὸ χρόνων αἰωνίων, *Tit.* 1:2. eſt *ante ſæcula Judaica.* Atque hinc eſt quòd *Mundus* frequentiſſimè in N. T. ſumatur pro *Mundo Ethnico.*

VERS. 37. Παρελθὼν διακονήσει.

Gloſſ. in Bathra, fol. 57.2. שמש הולך והן יושבין, *Miniſtrans ad menſam, it*, id eſt, circumcurſitat, *dum convivæ ſedent.* Παρελθὼν videtur idem denotare, niſi fortè hoc reſpiciat, quòd herus præterierit dignitatem ſuam, & dignatus eſt famulari famulis.

VERS. 38. Ἐν δευτέρᾳ φυλακῇ καὶ ἐν τρίτῃ.

In vigiliis ſcilicet [abſit ſolæciſmus] ſomnolentiſſimis. Nam vigiliâ primâ tantùm itur cubitum, & vigiliâ quartâ appropinquat tempus exurgendi, ſecundâ & tertiâ eſt tempus alti ſomni.

VERS. 47. Δαρήσεται πολλάς.

Erat ſtatus numerus plagarum, quadraginta ſcilicet, quem excedere non licuit, cùm quis ad tot verbera damnaretur à judicibus: unde mirum videtur illud in

Cholin, fol. 82.1. *Qui mactat vaccam, & poſtea mactat duos ejus vitulos*, סופג שמונים, *vapulet octoginta plagis.*

Itane? Octoginta, cùm quadraginta non excedendæ? *Deuter.* 25.3. non excedendæ quidem ob unum crimen: at duplicato crimine duplicantur plagæ. Et quærere licet, an in Apoſtolum aliquando non duplicarent crimina, ut duplicarent verbera, cùm dicat ſe quinquies paſſum triginta novem plagas à Judæis, 2 *Cor.* 11:24.

At num unuſquiſque a Conſeſſu adjudicatus ad plagas, vapulabat triginta novem? Diminuebatur numerus pro ratione delicti. Quod innui videtur,

CAP. XII. VERS. 49. CAP. XIII. VERS. 1.

Peſachin, fol. 24.1. אכל פוטיתא לוקה ארבע, *Qui edit Potitham*, [reptile quoddam maris] *vapulet quatuor plagis*: נמלה לוקה חמש, *Qui formicam, vapulet quinque*: צירעה לוקה שש, *qui crabronem, vapulet ſex.* Sit hic ſenſus verborum, tum quæſtionem excitat, quonam flagello hi cæſi? Si flagello iſto trifuniculato aut trichordi, quod adhibitum in infligendis plagis triginta novem, tredecies repetitis plagis trium funiculorum, quomodo hîc infligi potuerunt plagæ quatuor aut quinque?

At de plagis ab hero infligendis ſervo, non eſt numerus aliquis definitus, ſed pro ratione delicti agit cum eo herus ſuus. Quod & aliquantum innuitur in verbis hiſce Salvatoris, & in Canone iſto Judæorum, abhibitâ tamen aliquâ modificatione.

Maimon. Avadim, cap. 9. מותר לעבוד בעבד כנעני בפרך, *Permiſſum eſt cum ſervo Canaanæo* [i. e. Ethnico] *agere cum ſævitia. At quamvis hoc ſit de jure, norma tamen miſericordiæ, & regula ſapientiæ, eſt ut homo ſit clemens & proſequens juſtitiam, & non aggravet jugum ſuper ſervum ſuum, nec eum affligat.*

VERS. 49. Καὶ τί θέλω, εἰ ἤδη ἀνήφθη;

Τί θέλω, videtur ſumi pro more Scholarum, ubi מאי אני אומר, *Quid ego dico*, eſt *ego hoc dico*: & מאי אני מקיים, *Quid ego ſtatuo*, aut *probo*, eſt *ego hoc ſtatuo aut probo.* Sic מאי אני רוצה, Τί ἐγὼ θέλω, *Quid ego volo*, eſt *hoc ego volo.* Sic in hiſce verbis, *Quid volo, ſi jam accendatur*, eſt *hoc volo ut jam accendatur.* Quiſnam autem ille ignis, quem jam vult accenſum, ipſe explicat, *verſ.* 51. & porrò.

CAP. XIII.

VERS. 1. Περὶ τῶν Γαλιλαίων.

Si fama ad Chriſtum perlata immediatè ſecuta eſt factum, tum acta eſt hæc Tragœdia à *Pilato*, paulò ante feſtum *Encæniorum*, nam Chriſtum habes ad feſtum illud tendentem, *verſ.* 22. At tempus ſtragis actæ incertum: atque in ambiguo eſt, an hi qui rem referunt, eam nuntient ut aliquid novi & non antè ab eo auditum, an ut judicium ejus in iſta re expiſcentur, &c.

Diſputatur de perſonis interfectis, &

I. Volunt quidam eas, fuiſſe de Secta *Judæ Gaulonitæ*, atque ideo interfectos quia negarunt cenſum *Cæſari.* Audit quidem *Judas Galilæ-*

Digitized by Google

CAP. XIII. VERS. 1.

Galilæus, Actor. 5:37. & minimè dubitandum eſt Galilæos aliquos in ejus ſententiam & praxim ſe recepiſſe. At quæro ego, an vellet Chriſtus pro iis Apologiam texere, & pari claſſe cum obvolutis ruinâ turris *Siloam* diſponere, cum clarè pateat eum contraria perverſæ iſtius Sectæ ſententiæ ſemper docuiſſe? Quòd ſi hi quidem fuerint de iſta Secta, nam non litigamus, rete Chriſto tendere videntur hi qui rem referunt ferè, quale illi qui interrogant, *Num licet tributum reddere Cæſari?*

II. Eſt qui hanc hiſtoriam confundat cum iſta Joſephi, *Antiquit. lib.* 18. *cap.* 5. quam ille ex eo ſic abbreviat. *In Galilæa autem Samaritani à quodam impoſtore ſeducti, tumultuantes ad montem Gerizim* [*ubi impoſtor ille pollicebatur, ſe oſtenſurum ipſis ſacra vaſa, à Moſe iſthîc, uti mentiebatur, defoſſa atque recondita*] *à Pilato immiſſis copiis repreſſi, & potentiores capti & morte ſunt multati.* Lud. Capel. Hiſt. Jud. compend.

Miror virum doctiſſimum hæc tam fiducialiter tradere, ut *Joſephum* caſtiget ob errorem in computatione temporis hujus hiſtoriæ, & concludat, *Cùm reverâ tamen cædes hæc Samaritanorum à Pilato facta, videatur omnino eſſe cædes Galilæorum, cujus fit mentio*, Luc. 13:1.

Cùm reverâ tamen, de *Galilæa* apud Joſephum nè ſyllaba quidem una, ut nec de ſacrificiis mentio omnino ulla, ut nec de Galilæis, ſed Samaritanis; & audacius eſt pro ſacrificantibus Galilæis ſubſtituere rebellantes Samaritanos. Et non probabile eſt hos qui rem referunt Salvatori, hiſtoriam ſic velle decolorare, ut pro *rebellantibus Samaritanis* ſubſtituerent *ſacrificantes Galilæos*.

III. Satis erat iſta inimicitia & ſimultas quæ interceſſit inter *Pilatum* & *Herodem*, Cap. 23:12. quæ excitaret *Pilatum* ad ſic ſæviendum in ſubditos *Herodis*.

Ὧν τὸ αἷμα Πιλάτος ἔμιξε, &c.

Midras Tillin, fol. 7. 4. *Juravit David* τῷ *Abishai, Vivit Dominus, ſi tu ſanguinem hujus juſti* [Sauli] *tetigeris*, אני מערב דמך בדמו, *ego commiſcebo ſanguinem tuum cum ſanguine ejus.* Sic commiſcuit Pilatus ſanguinem horum ſacrificantium cum ſanguine ſacrificiorum. Notandum illud in

Siphra, fol. 4. 1. & *Zevachin*, fol. 31. 2. *Mactatio victimarum* כשירה בזרים בנשים ובעבדים ובטמאים, *ritè fit per alienos, per fœminas, per ſervos, per immundos, etiam maximè ſacrarum, proviſo, ut immundi non tangant carnem.* Et paulò pòſt, *Ab aſperſione ſanguinis incipit opus Sacerdotum, ac mactatio ritè fit per quemlibet.*

Hinc frequentiſſimum, ut is qui adduxit ſacrificium, mactaret. Et ſic forſan miſeri hi *Galilæi* mactati, dum victimas ſuas mactant. Nam probabilius videtur, eos in Templo cæſos dum ſacrificia offerrent, quàm in via dum afferrent.

CAP. XIII. VERS. 4, 7, 8, 11.

VERS. 4. Ἐφʼ οὓς ἔπεσεν ὁ πύργος ἐν τῷ Σιλωάμ.

Piſcina Betheſdæ erat *Piſcina Siloam*, & regio urbis adjacens denominata eſt etiam inde *Siloam*. Unde ambiguum eſt, an turris hæc ipſi piſcinæ, id eſt, porticibus piſcinæ contiguis impenderit: an aliquantum à piſcina remotiùs ſteterit, ubi tamen continuatum eſt nomen *Siloami*. Si articulus τῷ quæſtionem non determinet, adhuc hæſitabimus. Num permittet Grammatica, ut iſte articulus præfigatur parti urbis? Certi ſumus ipſam piſcinam τῇ Σιλωάμ nuncupari, *Joann.* 9:7, 11. Concipimus ergò fuiſſe turrim quæ porticibus piſcinæ immineret, quæ octodecim homines obruit vel verſantes circa purificationem ſui, [& tum convenit hic eventus eò magis cum iſto *Galilæorum*] vel expectantes ſanationem poſt turbationem aquæ: nam quo tempore corruerit turris incertum.

VERS. 7. Ἰδοὺ, τρία ἔτη ἔρχομαι, &c.

Non leviter ſuccidenda erat arbor quæ erat de genere frugiferarum, & cujus fructus comedendus, cavente illud Lege, *Deuter.* 20: 19, 20. Ubi obſervat *Peſikta*, eſſe præceptum affirmativum & negativum, quibus fortiùs cavetur, nè ſuccidatur talis arbor ſine cauſa non contradicenda.

Bava Kama, fol. 91. 2. *Dicit Rabb, Palmam quæ fert cabum dactylorum, nè ſuccidas. Regerunt, Et quid de oliva ut non ſuccidatur? Si ferat quarta cabi. R. Chaninah dixit*, לא שכיב שבחה ברי אלא דקץ תאינתא בלא זמנה, *Non mortuus fuerat Shibchab filius meus, niſi quòd ſuccidit ficum intempeſtivè.*

VERS. 8. Σκάψω περὶ αὐτὴν, καὶ βάλω κοπρίαν.

Talmudicis אני מעדר ומזבל.

Sheviith, fol. 35. 1. מזבלין ומעדרין מבלין מפרקין מאבקין מעשנין, *Stercorant & fodiunt*, &c. Gloſſ. *Apponunt fimum in hortis ad humectandam terram. Fodiunt ad radices arborum, evellunt ſurculos, avellunt folia, conſpergunt cineres, & fumigant ſub arboribus ad enecandos vermiculos.*

VERS. 11. Πνεῦμα ἔχουσα ἀσθενείας.

I. Diſtinguunt Judæi inter Spiritus, & Dæmonia, & Angelos bonos.

Bemidbar Rabba, fol. 157. 2. & *Midras Schir*, fol. 2. 3. *Omnia adminiculantur* propter gloriam Regis Regum Sancti Benedicti, אפילו רוחות, *etiam Spiritus*, אפילו שדים, *Etiam Dæmonia*, אפילו מלאכי שרת, *Etiam Angeli miniſtrantes.*

Scrupulus eſt quo ſenſu ſumpſerint *Spiritus* ut diſtinctos ab Angelis & Dæmoniis, cùm probabile ſit quòd non intellexerint animas humanas. Sed hæc non ſunt hujus loci.

II. Quod ergò ad Phraſiologiam *Lucæ* attinet, Πνεῦμα ἀσθενείας, ſcrutamen exordiamur à verbis iſtis

Horajoth, fol. 10. 1. *Scibitur, ſi dem plagam lepræ in domo terræ hæreditatis tuæ*, Levit. 14:34. *R. Judah dicit, Hoc prænunciat tales plagas in eos venturas. R. Simeon dicit*, פרט לנגעי אונסין, *Excipit plagas violentas quæ non reddunt immundum.*

Ubi Gloſſ. אם באו נגעים ע׳ נפיחת שד דלא מטמו, *Si veniant plagæ per inſufflationem Dæmonii, quæ non immundificant.*

Et Gemara paulò pòſt. *Rabba dicit*, פרט לנגעי רוחות, *Excipit plagas ſpirituum. Rabb Papa dicit, Excipit plagas incantationum.* Ubi Gloſſa iterum. *Plagæ quæ infliguntur per inſufflationem Dæmonii, non per manus hominum.*

I. Vides ergò primùm quòd, morbos aut plagas infligi per Dæmonium, erat opinio genti receptiſſima: quod & patet etiam ex Euangeliſtis, nam Salvator in ipſo hoc loco dicit incurvationem hujus fœminæ inflictam ei fuiſſe per *Satanam.*

II. Infligi morbos arbitrati ſunt, aliquando immundos, aliquando non immundos. Immundos, ut lepram, profluvioſitatem, &c. Non immundos, qualis erat morbus aut plaga hujus fœminæ, &c.

III. Diſtinguunt inter רוח רעה, *Spiritum malum*, & רוח טומאה, *Spiritum immundum*. Non quòd non exiſtimarent *Spiritum immundum* eſſe malum ſatis, & *Spiritum malum* eſſe immundum ſatis, ſed ut diſtinguerent de varia operatione Diaboli, ut & de variis perſonis ab eo vel obſeſſis, vel afflictis.

I. Agnoverunt ſpiritus malos infligere morbos.

Erubbin, fol. 42. 2. *Quemcunque exagitant* [ultra limites Sabbaticos] *vel Ethnici, vel* רוח רעה, *Spiritus malus.*

Ubi Gloſſ. *Spiritus malus eſt Dæmonium, quod in eum intravit, & turbat intellectum ejus, ita ut feratur extra limites.*

At Rambamus. *Omne genus melancholiæ vocant Spiritum malum.*

Atque alibi. רוח רעה חולי, *Spiritus malus, id eſt, morbus.*

II. רוח טומאה, *Spiritus immundus*, iis erat præcipuè & peculiariùs, Dæmonium verſans inter ſepulchreta, loca immundiſſima.

Gloſſ. in Sanhedr. fol. 65. 2. רוח טומאה שד של בית הקברות, *Spiritus immunditiei, id eſt, Dæmonium ſepulchretorum.*

Illuc ſe recepit Necromantes, [ut Gemara ibidem, quod & adduximus alibi] *& cùm jejunio ſe maceraſſet, pernoctat inter ſepulchra, eo fine ut potiatur afflatu ſpiritûs immundi.*

Nec multò aliter, ipſis referentibus, בעל אוב, *Pythonicus. Nam tradunt Rabbini.* בעל אוב זה המדבר בין הפרקים, *Pythonicus eſt qui loquitur inter partes.* Gloſſ. *Qui ſuſcitat mortuum, & ſedet inter partes oſſium*, &c.

Hinc ratio conjecturæ noſtræ de Dæmoniaco iſto, *Luc.* 4:33. quòd eſſet vel *Necromanticus*, vel *Pythonicus*, obſervatâ nempe Phraſiologia Euangeliſtæ inuſitatiori, non ἔχων πνεῦμα ἀκάθαρτον, nec ἔχων δαιμόνιον ἀκάθαρτον, ſed ἔχων πνεῦμα Δαιμονίȣ ἀκαθάρτȣ.

Duo igitur hominum genera exiſtimarunt eſſe ſub agitatione *Spiritûs immundi*, proprio eorum ſenſu dicti; eos præſertim, qui afflatum Diaboli ambierant inter ſepulchreta, loca immunda, atque illos etiam qui obſeſſi a Dæmonio non ita invitato, exagitabantur tamen inter ſepulchreta, & loca quævis alia immunda. Atque an illi, in quos inflixerat Dæmonium morbos immundos, ſub eadem claſſe cenſerentur, non determinamus. Alios autem qui furiis Dæmoniacis non ita agitabantur, ſed morbis quibuſdam aliis affligebantur, æſtimarunt eſſe ſub operatione ריח רעה חולי, *Spiritûs mali morboſitatis.* Non Ἀκαθαρσίας, ſed Ἀσθενείας. Et forſan Euangeliſta ſecundùm iſtam antitheſin loquitur: quòd hæc fœmina nec Spiritum Ἀκαθαρσίας habuerit, prout illi judicarunt de Spiritu immundo, nec νόσον Ἀκαθαρσίας, ſed Spiritum Ἀσθενείας.

VERS. 15. Ἕκαστος ὑμῶν τῷ σαββάτῳ ȣ̓ λύει τὸν βȣ̃ν αὐτȣ̃.

Huic atteſtatur diſceptatio iſta in

Shabb, cap. 3. hal. 1. במה בהמה יוצאה. Dum cavetur nè prodeat, vel educatur beſtia Sabbato, aliquid geſtans, quod eſſet onus non congruum aut portandum Sabbato, permittunt יוצא הגמל באפסר, *ut camelus ducatur per capiſtrum*, סוס בשיר, *Equus per collare*, &c. Hoc eſt cùm educuntur paſtum vel aquatum.

Imò fatetur Gloſſ. in loc. *Quòd educunt beſtiam ad aquas, ut collare tingat in aquis, ſi modò collare ſit immundum.*

Huc

CAP. XIII. VERS. 23, 32.

Huc pertinet abſtruſa atque obſcura iſta regula in

Erubhin, fol. 17. 2. עושין פסין, De ſtruendo macerias circa fontem qui eſt privati juris, eâ arte, ut beſtia eò ducta aquatum Sabbato, non excedat è loco qui eſt publici juris. Imò

Ibid. fol. 20. 2. Non permittitur ſolùm beſtiam educere ad aquam Sabbato, ſed & haurire pro ea aquam, atque effundere in canales, proviſo tantùm, ut non geſtet aquam & ponat coram beſtia, ſed accedat beſtia, & potet ſuâ ſponte.

VERS. 23. Εἰ ὀλίγοι οἱ σωζόμενοι.

Ille qui quærit, *Domine, an pauci ſunt qui ſalvantur?* cùm recepta gentis ſententia fuerit, *Quòd omni Iſraëli erit portio in mundo futuro*: an dubitanter hæc quærit, an captioſè?

De hac ipſa re diſputatur inter Magiſtros.

Sanhedr. fol. 111. 1. *Propterea dilatavit infernus animam ſuam, atque aperuit os ſuum* לבלי חוק, *Præter ſtatutum*, Eſaj. 5:14. *Resh Lachish dicit, Hoc eſt pro eo qui derelinquit ſtatutum unum.* [Gloſſ. Qui derelinquit ſtatutum unum non obſervatum, judicabitur in Gehennah] *At dicit R. Jochanan, Non vult Dominus eorum hoc quod dicis de iis;* [Gloſſ. Non vult ut ſic judices de Iſraële] *ſed ſenſus eſt. Etiamſi non didicerit niſi ſtatutum unum*, evadet Gehennam. *Et dicitur, Et erunt in omni terra, dicit Dominus: partes duæ in ea diſpergentur & deficient, & tertia pars relinquetur*, Zachar. 13:8. *Resh Lachish dicit, Tertia pars Semi. Dicit ei R. Jochanan, Dominus eorum non vult hoc quod tu dicis de iis, ſed tertia pars Noachi. Dicitur, Aſſumam vos, unum de civitate, & duos de Tribu*, Hierem. 3:9. *Resh Lachis dicit, Verba ſunt intelligenda ſecundùm literam. Dicit ei R. Jochanan, Dominus eorum non vult hoc quod tu dicis de iis: ſed unus de civitate expiabit pro tota civitate, & duo de familia expiabunt pro tota familia. Dicitur, Aſſumam vos mihi pro populo, & dicitur, Et introducam vos in terram*, Exod. 6:7. *Comparat exitum eorum è terra Ægypti, cum introitu eorum in terram Canaan. Qualis autem erat introitus eorum in terram? Duo tantùm introierunt de ſexaginta myriadibus. Dicit Rabba, Sic etiam erat in diebus Meſſiæ.* Vix expectares talem ingenuitatem à Judæo, qualem hîc habes à *Resh Lachish* & *Rabba*.

VERS. 32. Εἴπατε τῇ ἀλώπεκι ταύτῃ.

Arbitror ego Salvatorem alludere ad vulgare adagium.

CAP. XIII. VERS. 33, 35.

Megillah, fol. 16. 2. *Et fratres Joſephi proni adorarunt eum*, Geneſ. 50:18. *Dicit R. Benjamin bar Japheth. Dicit R. Eliezer*, היינו דאמרי אנשי, *Hoc eſt quod vulgò dicitur ab hominibus*, תעלא בעידניה סגיד ליה, *Vulpem in tempore ſuo* (Gloſſ. In proſperitate ſua) *adora.* Aſt ite vos, & dicite huic vulpi, utcunque in proſperitate ſua ſe volutanti, quòd ego nunquam ſum ei adulaturus, aut ab opere meo propter ejus formidinem ceſſaturus, ſed ecce ejicio Dæmonia, &c.

VERS. 33. Οὐκ ἐνδέχεται προφήτην ἀπολέσθαι, &c.

Sanhedr. fol. 2. 1. *Non judicant Tribum, nec Pſeudoprophetam*, (qualem ſuppoſuerunt Jeſum) *nec ſummum Pontificem, niſi judicio ſeptuaginta unius.*

Rambam, in loc. ut & Gemara. *De Pſeudopropheta à Synedrio judicando diſcimus à pari: nam ſic judicatus eſt* זקן ממרא, *Judex rebellis.*

Jam verò de judicio ejus hæc dicuntur.

Sanhedr. fol. 89. 1. *Non morte mulctant eum in Conſeſſu qui eſt in urbe ſua, nec in Conſeſſu qui eſt in Jabneh, ſed adducunt eum ad Conſeſſum magnum qui eſt Hieroſolymis, & reſervant eum ad aliquod feſtum, atque interficiunt eum in feſto, ſicut dicitur, Et omnis Iſraël audient, & metuent, & non ſic facient ampliùs.*

VERS. 35. Ὅτι οὐ μή με ἴδητε, ἕως ἂν ἥξῃ ὅτε εἴπητε, Εὐλογημένος, &c.

Erat, cùm difficultatis omnino nihil in his verbis deprehenderem: at jam, quod Παράδοξον, ſeniles oculi plus vident quàm juveniliores, & quò penitiùs verba introſpicio, eò apparent illa obſcuriora.

I. Quonam ſenſu ſumendum illud, *Non videbitis me ampliùs?* Cùm poſt hæc verba, ut ſtant apud hunc noſtrum, viderint eum inter ipſos verſantem per ſpatium trimeſtre & ampliùs; ſpeciatim verò & ſingulari modo in triumpho illo nobili, cùm ei aſino inſidenti acclamatum eſſet ipſiſſimis hiſce verbis, *Benedictus qui venit*, &c.

Crederes igitur verba hæc proſpicere poſſe tempus illud & actionem: niſi quòd apud *Matthæum* repetantur ea à Salvatore poſt illum triumphum, *Matth.* 23:39.

Chriſtus eſt jam Hieroſolymis ad feſtum *Encæniorum*, vel ſaltem parùm abeſt iſtud feſtum, nam ille eſt eò ſe conferens, *verſ.* 22. & blanda videtur hæc interpretatio, Vos me hîc videtis jam, ſed à modo me non hîc videbitis ampliùs, donec dicatis, *Benedictus qui venit in nomine Domini*, quod factum eſt in

illo

Digitized by Google

CAP. XIII. VERS. 35.

illo triumpho. Sed quid dicemus ad hoc, quòd repetuntur ipſiſſima hæc verba poſt iſtam acclamationem? Vix crediderim cum Cl. Heinſio, verba hæc apud *Matthæum* non diſponi proprio loco, ſed tranſplantatam eſſe ſeriem hiſtoriæ: crederem potiùs Salvatorem non de oculari intuitu hìc loqui, ſed loqui ſenſu ſpirituali & mutuatitio; eodem ſcil. quo vocem *Videre* adhibent Judæi, cùm loquuntur de *videndo Meſſiam*, *Dies Meſſiæ*, & *Conſolationem Iſraëlis*, id eſt, de participatione & fruitione ſolatiorum & beneficiorum *Meſſiæ* atque iſtorum dierum: ut animus Salvatoris videatur hic eſſe, Vos à modo nunquam beneficio à me *Meſſia* fruemini, donec dicatis, *Benedictus qui venit*, &c. Nam quæramus, An Chriſtus unquam poſt hæc verba, ſic conatus ſit congregare filios *Hieroſolymæ*, ut urbs non deſtrueretur, & gens non rejiceretur? Conatus eſt quidem congregare τὸ λεῖμμα κατ' ἐκλογὴν χάριτος, at num exhinc conatus eſt unquam ut urbs & gens conſervarentur. De his in animo ejus eſſe conclamatum, hoc ſatis arguit, quod & hìc & apud *Matthæum* præcisè & in terminis ruinam urbis denuntiet ante prolata hæc verba. Mallem ergò verba in hunc ſenſum interpretari, *Ab hoc tempore nunquam videbitis conſolationes Meſſiæ, nec me vobis propitium, aut conſervationem gentis urbiſque veſtræ molientem, donec dicatis, Benedictus qui venit*, &c. quàm Ἀμεθοδίαν aliquam in verbis apud *Matthæum* admittere.

II. At jam emergit æqualis difficultas circa vocabulum *Donec:* an ſcil. concludat eos aliquando ſic dicturos, an excludat & neget. Nam quis ignorat variam hanc, imò contrariam vim vocis *Donec? Negotiamini Donec advenero*, Luc. 19:13. Hìc concludit eum aliquando, adventurum.

Non remittetur vobis hæc iniquitas, donec moriamini, Eſaj. 22:14. Hìc excludit remiſſionem in ſempiternum. Et ſtat quidem hoc vocabulum in tali bivio, hoc in loco, ut ille qui credit converſionem gentis Judaicæ olim futuram, flectere poſſit in partem ſuam, & ille qui credit contrarium, poſſit in ſuam.

Ἐυλογημένος ὁ ἐρχόμενος ἐν ὀνόματι Κυρίου.

Quamvis intimatior perpenſio horum verborum non ſtatuminaverit vim vocis *Donec* hoc in loco, lucis tamen aliquid forſan præbebit toti clauſulæ.

Verba deſumpta ſunt ex *Pſalm.* 118:26. & decantata in magno *Hallel.* Et ignoſcat lector, ſi extravagemur aliquantùm in ſcrutinio iſtius ritûs, præſertim circa hæc verba quæ jam præ manibus.

I. *Magnum Hallel* erat recitatio Pſalmorum 113, & 114, & 115, & 116, & 117, & 118 unoquoque feſto, in unaquaque familia aut φρατρίᾳ. Hymnus à Salvatore & ſuis decantatus poſt Paſcha, *Matth.* 26:30. erat pars ejus poſterior.

II. Tenebatur unuſquiſque jure quidem ad recitationem totius in propria perſona: at cùm omnes non adeo docti atque expediti eſſent, ut poſſent, recitavit unus vice omnium, & reliqui poſt eum reſponderunt aliquid. At hoc etiam iis pro axiomate, השומע כעונה, *Si audit, eſt ac ſi reſponderet*, & אם שמע ולא ענה יצא, *Si audit & non reſpondet, ſatisfacit tamen officio ſuo.* Senſus eſt, Si quis adeo imperitus, ut nec ipſe recitare poſſit, nec reſpondere poſt alium recitantem, attentè audiat, & functus eſt officio.

III. Jam verò duplex erat reſpondendi modus pro varietate recitantium. Si quis ſenior, ut pater familias, vel talis qui aptè repræſentare poſſet totum cœtum, recitaret aut præcineret, tum reliqui, poſt eum non reiterant verba ab eo prolata niſi ראשי הפרקים, primam ſolùm clauſulam uniuſcujuſque Pſalmi; ad cætera verò reſpondent verſiculatim *Halleluiah.* Nam actio repræſentantis, prælectio ſcil. valuit pro repræſentatis, conſenſu præſertim eorum exhibito per reſponſionem *Halleluiah.* Hebes certè ille qui non potuit ſic cum reliquis reſpondere.

IV. At ſi deeſſet talis ſenior, qui peritus eſſet lectionis vel recitationis, & neceſſe eſſet ut ſervus, aut fœmina, aut puer aliquis peritior præcineret, aut recitaret; tum audi quid actum.

Babyl. Succah, fol. 38. 1. *Si ſervus, vel fœmina, vel puer præcineret*, עונה אחריהן מה שהן אומרים, *repetit unuſquiſque de cœtu ipſiſſima illa verba quæ ille dixerat:* אם היה גדול, Si verò grandævior aut dignior quis præcineret aut prælegeret, עונה אחריו הללויה, *Poſt eum reſpondent Halleluiah.* Ratio autem quare ipſiſſima verba à ſervo, fœmina aut puero præcinente recitata, poſt eum eſſent repetenda verbatim, erat, quia talis non erat perſona aptè repræſentativa, atque ejus actio non obtinuit pro reliquis: oportuit ergò unumquemque in perſona ſua verba recitare ut fungatur officio.

V. Cùm perventum eſſet ad verba quæ tractamus, ברוך הבא בשם ה', *Benedictus qui venit in nomine Domini*, ſi puer aut ſervus prælegeret vel prærecitaret, הוא אומר ברוך הבא והן אומרים בשם ה', *Ille dicit, Benedictus qui venit, & reliqui dicunt in nomine Domini.* Hoc illud eſt cujus gratiâ lectorem tædio hujus prolixitatis gravavimus, ut notet quid actum ſit cum hac clauſula diſcrepanter ab aliis. Diſſecatur, quod non factum in aliis, & non reiterantur prima vocabula poſt præcentorem, quod factum in aliis. Atque an hic mos

Digitized by Google

CAP. XIII. VERS. 35.

mos obtineret in familiis tantùm, pueris aut ſervis præcinentibus, judica ex hoc in

Hieroſ. Sucah, fol. 54. 1. *Interrogarunt R. Chaijam bar Ba. Unde aſtruitur quod ille qui audit, & non reſpondet, fungitur officio? Ex hoc, inquit*, דאנן חמין רבנן דברביא קיימין בכ״ו ורא, *Quia nos videmus grandiſſimos Rabbinos ſtantes in Synagoga*, ואילן אמרין ברוך הבא, *Et hi dicunt Benedictus qui venit*, ואילין אמרין בשם י״י, *Et illi reſpondent, in nomine Domini, & utrique ſatisfaciunt officio ſuo.*

Midras Tillin poſtrema verba omittit penitus, ſcil. בש״ם י״י. Nam ſic illa, *Homines Hieroſolymæ dicunt ab intra*, אנא י״י הושיעה נא, *Serva nunc, Domine, obſecramus.* Et homines Judææ dicunt ab extra, אנא י״י הצליחה נא, *Proſperare nunc, Domine, quæſumus. Homines Hieroſolymæ dicunt ab intrà*, ברוך הבא, *Benedictus qui venit: & homines Judææ dicunt ab extrà, Benediximus vobis è domo Domini.*

An aliquid mali animi in his hominibus eſſet, cùm nobiliſſimam hanc clauſulam ſic diſcerperent, non fidenter dicimus; ac certè aliquid ſuſpicionis non excitare non poteſt, quòd vix ad proprium objectum verba retulerint. *R. Solomon* certè non: nam, *ſic dicendum eſt*, inquit ille, *afferentibus primitias atque aſcendentibus ad feſta.*

I. *Venire* illis frequentiſſimè eſt idem cum *Docere*, ut Joann. 5:43. *Si quis venerit in proprio nomine, illum recipietis*, i. e. docuerit. Et ſic frequentiſſimè apud Hieroſolymitanos, de hoc aut illo Rabbino dicitur אתא, *venit*, & כד אתא, *Cùm veniret*: quod, ſi non intelligendum ſit de eo docente, fateor me non intelligere quid ſibi velit.

II. Doctores iſti non venerunt & docuerunt in nomine Domini, ſed vel in nomine ſuo, vel in nomine alicujus Patris Traditionum. Hinc nihil frequentius iis, quàm *Dicit R. N. nomine R. N.* quod teſtatur unaquæque pagina unaquâque fere lineâ. Si igitur per decurtationem clauſulæ iſtius, de qua agimus, aucuparentur ſibi benedictionem populi, ab iis docti dicere, *Benedictus qui venit*, omiſſo vel interrupto quod ſequitur, *In nomine Domini*; pro more ſuo agunt, callidè & aucupantes famam.

An Chriſtus in hiſce verbis ſuis huc reſpexerit, judicet lector. At nos hoc determinare non veremur, quòd nunquam videbunt *Meſſiam* iis propitium, niſi abdicaverint doctrinas venientium in nomine proprio, vel nomine Patrum Traditionum, atque amplexentur doctrinam ejus qui venit in nomine Domini. Quod an unquam facturi ſint, definiat ille, qui definire poteſt, utrum gens iſta unquam convertenda, necne.

CAP. XIV.

CAP. XIV. VERS. 1, 3.

VERS. 1. Σαββάτῳ φαγεῖν ἄρτον.

LAutiores erant iſto die illis menſæ, quàm diebus aliis, idque, ipſis judicantibus, ex pietate & religione. De qua re diximus alibi. Habe hîc demonſtrationem.

Shabb. fol. 119. 1. *Rabba bar Rabb Hona ivit ad domum* ꝛ *Rabbah bar Rabb Nachman. Appoſuit ei tria ſata laganorum unctorum. Cui ille, Unde noſtis quòd ego huc venturus? Et alter*, מי עדיפה לן מינה, *Num quid nobis præſtantius Sabbato?* Gloſſ. Tu nequaquam à nobis prælatus es Sabbato. In honorem Sabbati hæc paravimus, adventum tuum penitus ignorantes.

Rabb Abba emit tredecim ſtateribus carnem à tredecim laniis, ומשלים יהו אצינורא דדשא, *& ſolvit iis ad ipſum cardinem oſtii.* Gloſſ. Emit carnem à tredecim laniis, ut certò guſtaret optimam. Atque antequàm venirent illi, qui apportarunt carnem, paraverat ille pro iis nummum, & ſolvit in ipſo oſtio, ut accelerаret prandium: & omne hoc in honorem Sabbati.

R. Abbu הוה יתיב אכיתקא דשנא ומושיף נורא, *Sedit in ſolio eburneo, & tamen ſufflavit ignem*: ad coquenda ſcil. edulia in honorem Sabbati.

Ad tale prandium adeſſe Salvatorem, idque in domo Phariſæi horum rituum obſervantiſſimi, præteriri non poteſt abſque obſervatione.

VERS. 3. Εἰ ἔξεστι τῷ σαββάτῳ θεραπεύειν;

Promptum eſt Judæo cavillari contra veritatem Euangeliſtarum, ex hac atque iſtiuſmodi quæſtionibus Salvatoris. Nam cur opus erat, inquiet, ut hoc interrogaret, cùm ſatis norit permiſſum fuiſſe, in periculo vitæ quidvis fere agere ad vitæ conſervationem. Imò ubi non erat imminens periculum vitæ, permiſſum eſt adhibere medicinam, applicare pharmaca, emplaſtra, &c. Speciatim, quod præterire non poſſum, גומרתא נוהגין עליה חמץ בפסח, *Applicare fermentum etiam in Paſchate ad Gumretham*, morbum quendam ardentiorem, *Hieroſ. Shabb.* fol. 14. 4. & *Avodah Zarah*, fol. 40. 4.

Veriſſimè quidem, & novit hæc omnia Chriſtus. At novit pariter quàm malo oculo ipſum reſpexerint, ut quod alteri licitum, illi non permiſerint. Accuſatur ſemper ob ſanationem ægrorum Sabbato; quod cùm verbo tantùm fecerit, non tantùm violat Sabbatum,

Digitized by Google

CAP. XIV. VERS. 5, 8.

batum, quantum ipſorum Canones permiſerunt: & quare igitur accuſatur? Ex puro odio in ejus perſonam & actiones. Duæ hiſtoriolæ quæ occurrunt locis allegatis, poſſunt hoc aliqualiter illuſtrare.

Nepoti R. Joſuæ ben Levi, erat morbus aliquis in gula, בשמיה אתאחד ולחש ליה דישו בן פנדירא ואינשם, *Venit quidam, & muſſitavit ei in nomine Jeſu filii Pandiræ, & ille convaluit.* Hîc, ut videtur, admiſſa eſt virtus & operatio Jeſu, & non exploſa. At,

Cùm R. Eliezer ben Damah, morſus eſſet à ſerpente, veniretque Jacobus Capharſamenſis in nomine Jeſu Pandiræ, ei medicatum, R. Iſmaël rem non permiſit. Sic mortuus eſt æger.

VERS. 5. Τίνος ὑμῶν ὄνος ἢ βοῦς εἰς φρέαρ ἐμπεσεῖται, &c.

Cùm pro indubitato axiomate eſſet, *Miſericorditer agendum eſſe cum bonis Iſraëlitæ*; in quamplurimis diſpenſarunt Magiſtri cum Sabbato pro conſervatione beſtiæ.

Shabb. cap. 18. hal. 3. אין מילדין את הבהמה בים אבל מסעדין. *Non obſtetricantur beſtiæ fœtum enitenti, die feſto, ſed auxiliantur ei.*

:כיצד מסעדין, *Quomodo auxiliantur? Suſtinent fœtum, nè decidat in terram: vinum afferunt, & inſufflant ei in nares: præbent ei ubera: confricant ſale alvum matris, & lactabit fœtum.*

Bezah, fol. 46. 1. *Primogeniam beſtiam quæ incidit in foveam* [die feſto aut Sabbato] *inſpiciat Mumcheh; & ſi ſit in ea labes, extrahat, & occidat: ſi non, non occidat.* At extrahit tamen nè pereat. Et ſic cum aliis beſtiis actum, niſi quòd non adhiberetur *Mumcheh.*

VERS. 8. Μὴ κατακλιθῇς εἰς πρωτοκλισίαν.

Ambierunt πρωτοκλισίαν in honorem ſapientiæ ſuæ.

R. Abuhabh, in præfat. ad Ner. 7. *Tribus ad convivium invitatis, Principe, ſapiente, humili, Sapiens ſedit proximus à Principe. Interrogatus à Rege, Quare? Reſpondit, Quia ſum Sapiens.*

Hieroſ. Beracoth, fol. 11. 2. *Jannæo Rege diſcumbente cum Satrapis quibuſdam Perſiæ, accerſitus Simeon ben Shetah, conſedit inter Regem & Reginam. Interrogatus, Quare? Reſpondit, In libro Ben Sira* (בן סירא) *ſcribitur,* סלסליה ותרוממך ובין תניד[illegible] תושיבך, *Exalta ſapientiam, atque illa te exaltabit, & ſedere faciet inter Principes.*

Par huic Salvatoris conſilio habes, *Proverb.* 25:7. In quem locum ſic

Vajicra Rabba, fol. 164. 4. *R. Aquila nomine R. Simeonis ben Azzai ſic exponit, Recede à loco tuo, duobus aut tribus ſedilibus, atque ibi ſede, ut dicant tibi, Aſcende,* &c.

CAP. XIV. VERS. 18, 23, 34. CAP. XV. VERS. 4.

VERS. 18. Ἀπὸ μιᾶς παραιτεῖσθαι.

Ridiculâ ſane Apologiâ, æque ac rudi & ruſticâ, ſi jam noctеſceret: nam erat tempus cœnæ. Tempus parùm oportunum ad ſpeculandum agrum coëmptum, & probandos boves. Subſtantivum ergò quod reſpondeat voci μιᾶς, ego non quæſiverim extra, ſed incluſum cenſuerim intra vocabulum παραιτεῖσθαι, ut ſenſus ſit, Ἤρξαντο ἀπὸ μιᾶς αἰτίας παραιτεῖσθαι, *Inceperunt ex una cauſa excuſare*, i. e. Ex una eademque averſatione.

VERS. 23. Ἔξελθε εἰς τὰς ὁδοὺς καὶ φραγμούς.

Εἰς τὰς ὁδοὺς, ut introducat אורחים, *Viatores.* Sed quinam illi qui ſunt inter φραγμούς; Parallelum videtur in 1 *Paralip.* 4:23. *Hi erant figuli*, יושבי נטעים וגדרה. Græc. Οἱ κατοικοῦντες ἐν Ἀταὶμ καὶ Γαδιρά. At Vulg. *Habitantes in plantationibus & ſepibus.* Atque in eundem modum R. Solom. & Kimchi, *Operam dederunt operi figulino, & plantationi, & ſtruendis ſepibus, & maceriis.* Targumiſta ibi extravagatur non mediocriter. *Hi ſunt Diſcipuli Legis, quorum gratiâ mundus eſt conditus, qui ſedent in judicio, & ſtabiliunt mundum, & filiæ reſtaurant deſolationes domûs Iſraëlis, cum præſentia Regis æterni, in famulitio Legis, intercalatione menſium,* &c.

VERS. 34. Ἐὰν δὲ τὸ ἅλας μωρανθῇ, &c.

Optimè pendent hæc à præcedentibus. In iis docuerat Salvator, quàm ſeriò perpendendum ei, qui ſe vult ad Chriſtum & religionem applicare, quanta & quàm difficilia ſunt ei ſubeunda; nè cùm jam in re iſta inceperit, langueat, recedat, apoſtatizet, & fiat ſal inſipidus.

Μωρανθῇ optimè reſpondet voci Hebrææ תפל, quæ & *inſulſum* ſignificat & *fatuum*, Job. 6:6. הן יתאכיל תפל, *Num comedetur inſulſum abſque ſale?* Thren. 2:14. Prophetæ tui viderunt tibi שוא ותפל. Græc. Μάταια καὶ ἀφροσύνην. Job. 1:22. לא נתן תפלה לאלהים. Græc. Οὐκ ἔδωκεν ἀφροσύνην τῷ Θεῷ.

CAP. XV.

VERS. 4. Ἐννενηκονταεννέα.

TRita in gente numeratio & diviſio, inter *unum* & *nonaginta.* Exempla adduximus

Digitized by Google

CAP. XV. VERS. 7. mus alibi, adjiciamus hoc unum.

Vajicra Rabb. fol. 197. 2. *De centum clamoribus, quos edit fœmina parturiens, nonaginta novem ſunt ad mortem, & unus tantùm ad vitam.*

VERS. 7. Οἵτινες οὐ χρείαν ἔχουσι τῆς μετανοίας.

Reſpicienda hæc diſtinctio Scholarum.

I. Omnes bonos, & tandem ſalvandos, vocarunt צדיקים, *Juſtos.* [Opponitur τοῖς רשעים, *Improbis*: ut ſemel iterumque in ipſo Pſalmo primo.] Hinc hæc & hujuſmodi frequentiſſimè גן עדן לצדיקים, *Paradiſus eſt pro juſtis.* גנוזים לצדיקים, *Bona repoſita pro juſtis*, &c.

Ludamus pauliſper cum Gemariſtis obiter; nam & ipſi luſitant de literis quibuſdam Alphabeti, atque inter alias de litera צ, *Tſadi.*

Shabbath, fol. 104. 1. צדי כפופה וצדי פשוטה, *Eſt Tſadi non finalis*, [incurvata צ.] *& eſt Tſadi finalis* [erecta ץ.] Quid inde? צדיק כפוף וצדיק פשוט, *Eſt juſtus incurvatus* vel inclinatus, *& eſt juſtus erectus.* Ubi Gloſſ. *Neceſſe eſt ut homo rectus, ſit inclinatus vel humilis, & erit tandem erectus in mundo futuro.* Eandem gloſſam agnoſcit *Aruch*, ſed & aliam affert, quæ videtur eſſe ſua, *Quòd ſit juſtus qui* עניו, *Mitis vel humilis ſit, & juſtus qui non.* Dicat velim qualiſnam ille Juſtus qui non ſit mitis vel humilis. Sed redimus ad rem noſtram.

II. *Juſtos* bipartiuntur in צדיקים, *Juſtos tantùm*, & צדיקים גמורים, *Juſtos perfectè.* Sub priori claſſe diſponunt illos, qui non ſemper fuerunt recti, ſed vitæ pravæ atque non religioſæ, at qui tandem ſe receperunt ad pœnitentiam & pietatem. Hos vocant בעלי תשובה, *Pœnitentes.* Sub poſteriori illos, qui ſemper fuerunt recti, atque à via recta nunquam declinarunt. Hos vocant, ut צדיקים גמורים, *Perfectè juſtos*, ſic etiam צדיקים מעיקרא, *Juſtos a prima ſua origine*, & חסדים ואנשי מעשה, *Sanctos* vel viros *bonos*, & *viros* bonorum *operum.* Talis ſibi, & forſan aliis viſus eſt ille, qui dicit, *Hæc omnia obſervavi à juventute mea*, Matth. 19: 20. Et talis reputetur ההוא חסידא, Sanctus ille in

Hieroſ. Chagigah, fol. 77. 4. אשר לא עבר חובה מן יומוי, *Qui peccatum non commiſit omnibus diebus vitæ ſuæ*, hoc tantùm infortunio excepto, שהקדים תפלין של ראש לתפלין של יד, *Quòd ſemel indueret Phylacteria frontalia ante iſta brachii.* Grande certè delictum! at dolendum foret, ſi ob hoc unum totius vitæ ſuæ peccatum, exueretur titulo חסיד גמור, *Perfectè juſti.* Pro diro hoc crimine, privatus eſt miſer ſolenni funeratione, & ſic pro eo facta expiatio. CAP. XV. VERS. 7.

Occurrit hæc diſtinctio *juſtorum*, in

Beracoth, fol. 34. 2. *R. Abbu dicit, In loco ubi ſtant* בעלי תשובה, *Pœnitentes, non ſtant* צדיקים גמורים, *Perfectè juſti.*

Apparuit & diſtinctio, in linguis & perſonis tripudiantium in Templo in feſto Scenopegiæ.

Succah, fol. 53. 1: *Quidam eorum dixerunt, Benedicta ſit juventus noſtra quæ non pudefecit ſenectutem noſtram*: אילו חסידים ואנשי מעשה, *Hi erant ſancti, & viri bonorum operum. Alii dixerunt, Benedicta ſit ſenectus noſtra, quæ expiavit juventutem noſtram*: אילו בעלי תשובה, *Hi erant illi, qui pœnitentiam egerant.*

Phraſiologia צדיקים גמורים, *Perfectè juſti*, non poteſt non in animum revocare illud Apoſtoli, *Hebr.* 12: 23. Πνεύμασι δικαίων τετελειωμένων. Ubi agitur ab Apoſtolo, ſi ſcopum ejus in tota iſta periocha ego capio, de juſtis adhuc in hac vita exiſtentibus, & oſtenditur, ut animæ vel ſpiritus credentium perficiantur in juſtitia per fidem, contra quod opinati ſunt Hebræi, perfici homines in juſtitia per opera etiam corporalia.

Cùm illi, quos æſtimarunt pro *perfectè Juſtis*, dicantur אנשי מעשה, *Viri operum*, ita ut *Perfectè Juſti* & *Viri operum* convertantur, forſan *Eſſeni* vel *Eſſæi* dicti ſunt à מעשה: ut עשאי illi vocarentur, id eſt, *Operantes*, & ſic diſtincti à *Pœnitentibus.* Sed de iſta re non diſputabimus.

III. Jam utram utri, perfectam juſtitiam Pœnitentiæ, an Pœnitentiam perfectæ Juſtitiæ prætulerint, difficilius eſt primo aſpectu judicare, dum ab illis ipſis, de ea re diverſum ſit itum.

Diſputationem habes in *Beracoth*, loco nuper citato, viz. fol. 34. 2. his verbis. *Dicit R. Chaijah bar Abba. Dicit R. Jochanan, Omnes Prophetæ non prophetarunt* אלא לבעלי תשובה, *niſi pro iis qui agunt pœnitentiam.* אבל צדיקים גמורים, *At quod ad Perfectè juſtos attinet, oculus non vidit præter te, ô Deus!* Eſaj. 64: 4. *At contrariatur huic R. Abbu: nam dicit R. Abbu, In loco ubi ſtant pœnitentiam agentes, non ſtant perfectè juſti, ſicut dicitur, Pax, Pax longinquo & propinquo*, Eſaj. 57: 19. לרחוק רישא יהדר לקרוב, *Longinquum nominat primum, & dein Propinquum. At R. Jochanan, Quis eſt Longinquus? Ille qui fuit longè à tranſgreſſione* מעיקרא, *ab initio. Et quis eſt propinquus? Ille qui fuit tranſgreſſioni proximus, at jam elongatur.*

Citantur hæc Talmudica à *Kimchio* in *Eſaj.* 57: 19. atque ex eo, à *Druſio* in hunc locum,

CAP. XV. VERS. 7.

locum, ſed longè, quantum ego video, ab animo *Kimchii.* Nam ſic *Druſius. R. David, Jeſ.* 57:19. *Hoc in loco pœnitens remotus dicitur & juſtus propinquus, juxta veteres. Remotus autem præponitur, unde dicunt, Potiores ſunt pœnitentes iis qui perfectè juſti ſunt.* Ac ſi obtineret apud omnes pro axiomate, cùm Kimchii hæc ſint verba. *Remotus, id eſt, remotus ab Hieroſolyma, & Propinquus propinquus Hieroſolymæ.--- Verùm eſt diſcrepantia in verbis Rabbinorum noſtrorum de hac re.* ומקצתם פירשו בהפך זה, *Et quidam eorum interpretantur aliter: nam remotum interpretantur de pœnitentibus, & Propinquum de juſtis; unde docent, & dicunt, quòd potiores ſunt Pœnitentes perfectè juſtis.* Quidam qui ſic interpretantur, dicunt quidem quòd potiores ſunt pœnitentes, ſed minimè erat hæc communis & recepta ſententia omnium. Imò generalius ſuffragium, dignitatem tribuit perfectæ juſtitiæ, ita ut cum ea conferri non poſſit pœnitentia. Inde illud *R. Joannis*, applauſum à *R. Chaija* Rabbino grandiſſimo, Quòd bona & ſolatia illa, de quibus prophetarunt Prophetæ, pertinent ſolùm ad eos, qui aliquando fuerunt peccatores, at jam egerunt pœnitentiam. At longè majora ſunt illa, quæ repoſita ſunt pro perfectè juſtis, nam illa nunquam revelata ſunt Prophetis, nec oculus propheticus unquam iſta vidit, ſed Deus ſolus, utpote quæ digniora eſſent, quàm ut revelarentur hominibus: nam ſic verba eorum explicat Gloſſa.

In hoc quidem dignitatem aliquam tribuerunt pœnitentibus, quòd quamvis guſtaverant dulcia peccata, tamen ea excuſſerant, & ſeſe ex iſtis retibus extricaverant, cùm in dubio ſit, an perfectè juſti, ſi eadem guſtaſſent, idem feciſſent. At nobilius æſtimarunt, nunquam fœdatum fuiſſe pollutione peccati, & ſemper fuiſſe juſtum & nunquam non bonum. Et non rara eſt jactantia quorundam apud Talmudicos de perfectione ſua, & quòd nunquam in tota vita enormia patraſſent. Et tales quos חסידים, *Sanctos* vel *bonos* vocarunt, qui iidem erant cum צדיקים גמורים, *Perfectè juſtis*, in ſuprema claſſe *juſtorum* collocant.

IV. Jam igitur judica, an Salvator directè & ſimpliciter loquatur de ullis, quibus realiter non eſt opus pœnitentiâ, an non potiùs loquatur ſecundùm communem conceptum gentis de perfectè juſtis, cui contrariatur.

Idque videtur eò potiùs, quòd dicat, *Ego dico vobis*, quaſi adverſetur communi ſententiæ: atque exemplum quod profert de quodam non indigente pœnitentiâ, fratre ſcil. Prodigi, Judæum potiùs ſapit, quàm verè juſtum.

CAP. XV. VERS. 8, 11, 13. CAP. XVI. VERS. 1.

VERS. 8. Γυνὴ ἅπτει λύχνον.

Similis parabola in *Midras Schir.* fol. 3. 2. *R. Phinehas ben Jair exponit. Si ſapientiam quæſiveris ut argentum: id eſt, ſi quæſiveris res Legis ſicut theſauros abſconditos--- Parabola. Res ſimilis eſt homini,* אם מאבד סלע או בילרין, *qui ſi perdat ſolidum, aut ornamentum aliquod in domo ſua,* מדליק כמה נרות, *Accendit aliquot candelas, aliquot faces, donec inveniat. Quòd ſi ita pro rebus hujus mundi, quantò magis pro rebus mundi futuri.*

VERS. 11. Ἄνθρωπός τις εἶχε δύο υἱούς.

Sic applicare hanc parabolam, ut filius primogenitus *Judæum* denotet, junior *Gentilem*, non eſt novum. Et certè primogenitus in hoc Judæum ſatis videtur ſapere, quòd jactet de ſua obedientia, *Nunquam prætereivi mandatum tuum*, & quòd adverſetur receptioni fratris jam reſipiſcentis: ut nihil Judæis gravius, quàm receptio Ethnicorum.

VERS. 13. Διεσκόρπισε τὴν οὐσίαν αὐτοῦ ζῶν ἀσώτως.

Num hic prodigus æſtimandus pro בן סורר ומורה, *Filio protervo & rebelli*, de quali mentio, *Deuter.* 21:18. nequaquam, judice ipſo Synedrio: nam quidem ſecundùm charactera, quo depingitur filius protervus & rebellis in *Sanhedr.* cap. 8. ubi agitur de tali ex inſtituto, vix reperiendus eſt talis in rerum natura. Niſi ſurripiat à patre & matre, non eſt talis: niſi edat תרטימר בשר, dimidiam libram carnis, & bibat dimidium Log vini, non eſt talis. Si vel pater vel mater claudicet, aut cæcutiat, non eſt talis, &c. Dimidiam libram carnis? *Maximinum bibiſſe ſæpe in die vini Capitolinam amphoram conſtat: comediſſe & quadraginta libras carnis: ut autem Cordus dicit, ſexaginta.* Jul. Capitolin. in Maximino.

CAP. XVI.

VERS. 1. Ὅς εἶχεν οἰκονόμον.

Reſpicere videtur hæc parabola, morem iſtum in elocandis agris, de quo agitur *Demai*, cap. 6. Ubi ſupponitur agrum elocatum eſſe à Domino, alicui ſub hac conditione, ut ſolvat agricola frugum, vel partem dimidiam, vel tertiam, vel quartam, prout conventum inter eos fuerit, de proportione aut quantitate. Sic etiam de oliveto iiſdem conditionibus elocato. Et diſputatur ibi, de ſolu-

Digitized by Google

CAP. XVI. VERS. 3, 6, 9.

ſolutione decimarum, quonam modo componenda inter poſſeſſorem & agricolam.

'Οικονόμ☉ Kimchio eſt פקיד, *Pakidh.* Eſaj. 40. ubi habet parabolam non diſſimilem. *Mundus*, inquit ille, *eſt ſicut domus ſtructa. Cœlum eſt tectum domûs. Stellæ ſunt lucernæ in domo. Germina terræ ſunt ſicut menſa parata in domo. Dominus domûs, & qui eam ſtruxit, eſt Sanctus Benedictus. Homo in mundo* כמו פקיד, *eſt ſicut* 'Οικονόμ☉, *in cujus manus tradidit Dominus omnes opes ſuas.-- Si ille benè ſe geſſerit, inveniet gratiam in oculis Domini ſui. Sin malè*, יעברנו מן פקידתו, *dimovebit eum ab Oeconomatu ſuo.*

VERS. 3. Σκάπτειν ὐκ ἰσχύω, ἐπαιτεῖν αἰσχύνομαι.

Nonne datur tertium inter, *Aut mihi fodiendum, aut mendicandum?*

Diſtinctio inter אומנין, *Artifices*, & פועלין, *Operarios*, de quibus *Bava Mezia*, cap. 6. & 7. locum hîc habet.

Verſans hic Oeconomus inter agricolas ſolùm: ſupponitur nullius artificii eſſe peritus: quin quod ſi ad victum manibus quærendum ſit adactus, neceſſe ſit ei, ut ad fodiendum in vineis, aut agris, aut olivetis, ſeſe applicet.

VERS. 6. Δέξαι σου τὸ γράμμα, &c.

Id eſt, Accipe à me שטרך, ſchedulam contractûs tui, quam mihi tradidiſti, & citò ſcribe novam, de quinquaginta tantùm *Batis* debitis, &c.

At videtur inæqualius; cùm ſubducuntur *quinquaginta* Bati olei de centum, & *viginti* tantùm Cori tritici de centum: niſi quòd *Corus* decuplo excederet menſuram *Bati*; ita ut cùm remitterentur debitori viginti Cori tritici, remiſſi ſunt ei ducenti Bati vel Ephæ tritici.

VERS. 9. 'Εκ τοῦ Μαμμωνᾶ τῆς ἀδικίας.

I. Si certò conciperem, Salvatorem hac in Periocha agere de divitiis benè partis, & de Eleemoſyna ex iis dandâ, non redderem *de Mammona iniquitatis*, ſed *de Mammona* Noxæ. Nam 'Αδικεῖν eſt *Nocere*, æquè ac *Injuſtè agere*, Apoc. 7: 3. Μὴ ἀδικήσητε τὴν γῆν. Vulg. *Nolite nocere terræ.* Vide & Cap. 11: 5. & Luc. 10: 19, &c. Et ſic divitiæ etiam bene partæ dici poſſunt Μαμμωνᾶ ἀδικίας, *Divitiæ nocumenti* aut læſionis, quia non rarò noxiæ ſunt poſſidentibus. Juriſtis eſt נזק ממון, *Nocumentum Mammonæ*, [*Maimonides* Tractatum habet iſto titulo נזקי ממון] id eſt, cùm aliquis aliqualiter lædit aut damno afficit opes alterius. Et reverà, & vice verſâ ממון נזק, *Mammon nocumenti*, i. e. cùm opes nocent, ac in malum vertuntur poſſeſſori. Et ſi arbitrarer Chriſtum de divitiis benè partis loqui, conjectarem etiam cum hac voce נזק uſum, niſi quod Phraſiologia ממון נזק, non adeo uſitata in gente ac נזק ממום.

CAP. XVI. VERS. 9.

II. Aut opinarer, Salvatorem, Mammonam *Injuſtitiæ*, oppoſuiſſe Mammonæ צדקה, *Juſtitiæ*, i. e. *Eleemoſynæ*: nam iſta voce *Juſtitiæ*, צדקה, Judæos *Eleemoſynam* inſigniiſſe nemo non novit. Ac ſi animus ejus hic eſſet, Facite vobis amicos ex opibus ἀδικίας *Injuſtitiæ*, id eſt, ex iis quas non adhuc erogaſtis in צדקה, *Juſtitiam*, i. e. *Eleemoſynam*. Verùm captum meum ſuperat excogitare, quânam unâ voce exprimere poſſet 'Αδικίαν hoc ſenſu.

III. Non video ergò quare non liceat, imò quare non neceſſe ſit, verba præciſè intelligere de divitiis, aut opibus partis malè. Nam

I. Sic quadrat appoſitiſſimè applicatio parabolæ cum parabola. Iſte Oeconomus comparavit ſibi amicos ex opibus malè partis, ſic & vos comparate vobis amicos ex opibus veſtris malè partis.

Object. At vah! Chriſtum animare aut hortari ad acquirendas opes injuſtè, aut ad dandam eleemoſynam ex injuſtè acquiſitis?

Heinſius. *Nemo non fatebitur, nihil minùs voluiſſe Dominum, quam ut quis opibus malè partis amicos ſibi paret.* Fateor me hæſitare, idque non ſine aliqua ratione.

II. Penſitemus enim quibuſnam vocabulis, linguâ Syriacâ protulerit Chriſtus Μαμμωνᾶ ἀδικίας, ſi locutus fuerit cum vulgo.

Vulgatiſſima erat Phraſiologia ממון דשקר, ſi Targumiſtæ loquantur vulgari idiomate gentis, quod nemo negaverit.

1 Sam. 8: 3. *Non ambulaverunt filii Samuelis in via ejus*, ואיתפניאו בתר ממון דשקר, *Sed reſpexerunt poſt Mammon falſitatis.*

Proverb. 15: 27. *Perdit domum ſuam*, מכניש ממון דשקר, *qui congregat Mammonam iniquitatis.*

Eſaj. 33: 15. *Qui ambulat in juſtitia, & loquitur recta*, ומתרחיק ממון דשקר, *& ſeparat ſe à Mammon iniquitatis.*

Ezech. 22: 27. *Ad effundendum ſanguinem innocentem, & ad perdendas animas*, בדיל לקבלא ממון דשקר, *ut ſuſcipiant Mammonam iniquitatis.*

Non opus eſt Commentatore, qui doceat quid ſibi velint Targumiſtæ per *Mammonam falſitatis vel iniquitatis*: ipſi ſeipſos interpretantur, dum reddunt aliquando ממון אונסין, *Mammon violentiæ*, Ezech. 22: 13. aliquando ממון דרשע, *Mammon impietatis*,

Hab.

Hab. 2 : 9. *Kimchius*, ממון של גזל, *Mammon rapinæ*, in Eſaj. 33.

Obiter non notare non poſſumus quòd אחרי צו, *Poſt præceptum*, i. e. *Jeroboami*, vel *Omri*, Hoſ. 5 : 11. redditur à Targ. בתר ממון דשקר. Ubi etiam vide Græc. & Vulg.

Jam ergò cum Μαμμωνᾶς ἀδικίας planè ſit idem Græcè, quod ממון דשקר, Targumiſtis, qui loquuntur cum vulgo, nulla apparet ratio, quare ipſiſſimo eodem ſenſu non ſit ſumendum. Cogita tecum quonam vocabulo uſus ſit Salvator, quo exprimeret Ἀδικίας, & quodnam probabilius judicaveris, quàm hoc ipſum quod genti tam notum, frequens & uſitatum. Syrus habet עולא, quod ne gry quidem minuit de ſenſu alterius.

Emollitur quidem vox Ἄδικος hoc in loco à nonnullis, ut denotet tantum *fallax* aut *non verus*: ita ut Μαμμωνᾶς ἀδικίας ſit *Mammona non vera*; non oppoſitis divitiis benè partis, partis malè, ſed oppoſitis divitiis terrenis, ſpiritualibus. Quæ vocabuli verſio inde eſt orta præcipuè, quòd horrendum videatur, ſuadere velle Chriſtum ut faciant ſibi amicos per eleemoſynas ex malè partis: ut & quòd *verſ.* 11. Ἄδικος opponitur τῷ ἀληθινῷ.

III. Non dubitandum eſt, quin Diſcipuli Chriſti jam abhorruerint ab acquirendo divitias per fraudem aut rapinam: at num eos abſolves ab iſto reatu ante eorum converſionem? Num nominatim *Matthæum* Publicanum? Et num tam horridum eſt, Chriſtum eos hortari, ut faciant ſibi amicos per reſtitutionem & piam diſtributionem iſtarum opum, quas adhuc non converſi malè atque impiè corraſerant? De reſtitutione eſt ſermo, non de eleemoſyna.

IV. Continuat Chriſtus ſermonem ſuum hoc in loco, cum præcedenti, *Cap.* 15. niſi quod hîc peculiariter ſe applicet ad ſuos Diſcipulos, *verſ.* 1. Ἔλεγε δὲ καὶ πρὸς τοὺς μαθητὰς αὐτοῦ. Ubi vocula καὶ connectit præſentia cum antecedentibus. Quinam autem erant Diſcipuli? Non duodecim Apoſtoli tantùm, nec Septuaginta Diſcipuli tantùm, ſed πάντες οἱ τελῶναι, καὶ οἱ ἁμαρτωλοὶ, *Quàmplurimi Publicani & Peccatores*, Cap. 15:1. Nam & hos intra numerum Diſcipulorum non cenſere non potes, ſi animadvertas diſtinctionem congregationis jam præſentis, inter Scribas & Phariſæos, atque inter illos qui bono audiendi animo acceſſerant: ſique obſerves ut Chriſtus eos receperit, cum iis verſaretur, & pro iis advocatum agat in parabolis Capitis præcedentis. Quâ pro iis Apologiâ contra Scribas & Phariſæos finitâ, jam ad ipſos orationem ſuam convertit, & ſub parabola de Oeconomo injuſto, hortatur ut illi etiam faciant ſibi amicos ex opibus ſuis injuſtè partis, prout fecit ille. Et quidnam, quæſo, potuit dici opportunius aut magis tempeſtivè coram avaris & injuſtis Phariſæis, quàm ſuos monere, ut ſi quid injuſtè partum ab iis fuerit ante eorum converſionem, honeſtè reſtituant, & piè diſtribuant, ut ſic acquirant ſibi amicos, ſicut fecerat Oeconomus.

Pro commentario hîc ſit exemplum *Zacchæi*, *Cap.* 19. Si Chriſtus ab eo hoſpitio exceptus, idem illi dixiſſet quod hîc ſuis, *Zacchæe, fac tibi amicos* ἐκ Μαμμωνᾶ ἀδικίας, num aliter vel *Zacchæus*, vel auditores intelligere potuiſſent, quàm fac tibi amicos ex opibus tuis malè partis? Et quare verba hoc in loco non ſint eodem ſenſu intelligenda, ego quidem non capio: præſertim verò cùm inter Diſcipulos, quos alloquitur, fuerint Publicani, Peccatores, & vix ullus, quod novimus, qui non ante converſionem fuerit injuſtus & iniquus ſatis.

Ποιήσατε ἑαυτοῖς φίλους.

Quamvis conciperem per *Mammonam ἀδικίας*, intelligendas eſſe opes benè partas, & ſermonem eſſe de eleemoſyna, vix tamen ſupponerem *pauperes* eſſe amicos, de quibus eſt ſermo, ſed Deum & Chriſtum, ut *Matth.* 25:35, &c. Nam quinam alii poſſunt recipere in tabernacula æterna? Quod de pauperibus, in quos collata fuit eleemoſyna, ſic facientibus, fingitur à nonnullis, ſomnium eſt, & riſum meretur, potiùs quàm examen.

Bava Kama, fol. 94. 2. Diſputatur de reſtitutione rerum malè partarum, atque inter alia hæc habentur. *Tradunt Rabbini*, הגזלנין ומלוי בריבית, *Rapaces*, aut fures, & *fœneratores, ſi reſtituant, non recipiunt ab iis reſtitutionem.* Et paulò pòſt, רועין והגבאין והמוכסין תשובתן קשה, *Paſtorum, exactorum, & Publicanorum reſtitutio eſt difficilis:* [Gloſſ. Quia ſuppilarunt à multis, & non norunt quibus reddant.] ומחזירין למכירין, *At reſtituunt tamen iis, qui norunt* ſua ab iis ſuppilata. *Verum dicunt, reſtituunt, at non recipiunt alii. Quare ergò reſtituunt?* לצאת ידי שמים, *Ut fungantur officio ſuo erga Deum.*

Quanam curioſitate non permiſerint reſtituta recipi ab illis, à quibus erant ſuppilata, non quæremus. Neceſſe tamen erat ut fieret reſtitutio, [& reſtituta, ſi poſſeſſores non noſſent ſua, ceſſerunt in uſum publicum, לצרכי ציבור, in uſum ſcilicet Synagogæ] ut præſtaretur illud quod debitum Deo, nempe non retinere in manibus male parta, ſed ad uſum bonum abdicare: & ſic Deum amicum facere ἐκ Μαμμωνᾶ ἀδικίας, ex injuſtè partis.

Digitized by Google

CAP. XVI. VERS. 11, 12, 16.

VERS. 11. Ἐι ἦν ἐν τῷ ἀδίκῳ Μαμμωνᾷ, &c.

Vulg. *Si in iniquo Mammona fideles non fuiſtis.* Nec malè.

At num poſſibile, ut quis fidelis ſit in iniquo Mammona? Judica ex exemplo *Zacchæi*. Quamvis ille non fidelis in injuſtè corradendo, fidelis tamen maximè in piè diſtribuendo.

VERS. 12. Ἐι ἐν τῷ ἀλλοτρίῳ πιστοὶ οὐκ ἐγένεσθε, &c.

Τὸ ἀλλότριον applicare ad opes ut ſunt à Deo conceſſæ, obſcurius eſt: applicare autem ad opes hominum aliorum, ſenſum emollit. Si injuſti fuiſtis in acquirendis bonis aliorum, atque injuſtè detinebitis, quâ ratione expectetis ut alii non agant vobiſcum etiam injuſtè, & veſtra detineant?

VERS. 16. Καὶ πᾶς εἰς αὐτὴν βιάζεται.

Variari poſſunt hæc verba in ſenſum planè contrarium: ut vel denotent acceptationem Euangelii, vel ejus perſecutionem. *Beza.* *Quivis in illud vi perrumpit*: quod videtur priorem amplexari. Vulg. *Quivis in illud vim facit*: quod poſteriorem. Priorem, ut uſitatiorem & receptiorem, admiſimus ad *Matth.* 11:12. Poſterior videtur huic loco congruentior, ſi modò continuatam & connexam vis orationem Salvatoris à *verſ.* 15. & verſiculum à verſiculo dependentem.

Laxi quidem & luxati pendere videntur verſiculi, & minime inter ſe cohærentes: & tamen nulla eſt ratio quare opinemur, Chriſtum non hæc connexuiſſe, quamvis connexio primo intuitu non ſit adeo perſpicua. Morem Scholarum obſervo in hac ipſa difficultate. Nam in utroque Talmude occurrunt frequentiſſimè tales tranſitiones, obſcuritatis primo aſpectu ſtupendæ, & inextricabilis, & nullius cohærentiæ omnino: quas tamen Commentatores reddunt planas, perſpicuas, atque optimè inter ſe cohærentes.

Ego continuatum ejus ſermonem ſic connexuerim.

Vos me deridetis, [Ἐξεμυκτήριζον αὐτὸν, *verſ.* 14.] & doctrinam meam ludibrio habetis, & voſmetipſos ſupra ejus ſphæram eſſe jactatis, atque ad vos minimè pertinere aut pertingere ea quæ dico. Nec mirum: nam cum Lex & Prophetæ fuerint uſque ad *Joannem*, vos nihilo ſecius cum iis egiſtis, ſed gloſſematibus, & Traditionibus veſtris ea pro libitu veſtro ad placita veſtra mutaſtis & torſiſtis.

Et cùm cum Joanne Baptiſta exurgeret & intraret regnum cœlorum, Πᾶς εἰς αὐτὴν βιάζεται, unuſquiſque violenter atque hoſtiliter contra illud agit per contradictionem, irriſionem & perſecutionem.

CAP. XVI. VERS. 19, 20.

Quamvis autem vos totam Legem vacuam inanemque ſtolidis veſtris Traditionibus reddidiſtis, facilius tamen eſt ut cœlum & terra evaneſcant, quàm ut concidat Legis apex unus.

Inſtantia eſto in primo & vetuſtiſſimo Legis præcepto, *Vir adhærebit uxori*, quod vos quidem per Traditiones & arbitraria divortia veſtra in nihilum redegiſtis: manet tamen, manebitque in perpetuum in proprio vigore & virtute; & qui dimittit uxorem ſecundùm licentiam divortiorum veſtrorum, atque aliam ducit, mœchatur.

VERS. 19. Ἄνθρωπος δέ τις ἦν πλούσιος.

Quicunque hanc non crediderit eſſe parabolam, ſed hiſtoriam, credat etiam fratricellis, qui monumenta Hieroſolymitana peregrinantibus oſtendunt, & digito monſtrant, *Iſthòc loci erant ædes divitis epulonis.* Accuratiſſimi quidem illi cuſtodes vetuſtatis, qui poſt tot annorum centurias, poſt tot *Hieroſolymorum* everſiones, vaſtationes, mutationes, locum tam privatæ domûs ruſpari poſſunt, & talis præſertim, quæ nunquam fuit in rerum natura, ſed ſolùm in parabola. Nam parabolam eſſe, præterquàm quòd conſentiunt Commentatores quidem omnes, etiam res ipſa loquitur.

Præcipuus ejus ſcopus videtur eſſe, ut indigitetur perditio Judæorum non credentium, qui *Moſen* habuerunt & Prophetas, & tamen non crediderunt, cùm quidam [Chriſtus ſcil.] reſurrexerat à mortuis: nam iſta concluſio parabolæ, *verſ.* 31. ſatis indicat quo collineetur.

VERS. 20. Λάζαρος.

I. Quod לעזר, *Lazar* contractè uſurparetur à Hieroſolymitanis pro אלעזר, *Eleazar*, oſtendimus pluribus exemplis ad *Joann.* 11:1. Atteſtatur author *Juchaſin*, fol. 81. 1. בירושלמי לכל ר' אלעזר כתב בלא אלף ר' לעזר, *In Talmude Hieroſolymitano unuſquiſque, R. Eleazar, ſcribitur abſque Aleph, R. Lazar.*

II. In *Midras Coheleth*, fol. 98. 2. Eſt mendicus, cui nomen דגלוס פטרגוס, *Diglus Patragus*, vel *Petargus.* מסכין חשיש ערטילי וכפין, *Pauper, infirmus, nudus & famelicus.* At vix excogitari potuit nomen mendico magis congruens, quàm *Lazar*, quod *Adjutorium Dei* ſonat, cùm careat ille adjutorio hominum.

 Aſt

Digitized by Google

CAP. XVI. VERS. 20, 22.

Aſt aliquid ulterius ſuſpicor in hoc nomine ſuſpiciendum: nam cum de *Abrahamo* & *Lazaro* eſt ſermo, quis non illico in mentem revocat *Abrahamum* & *Eleazarum* ſervum ejus, *Geneſ.* 15. Damaſcenum, Ethnicum origine, in potentia aliquando hæredem *Abrahami*, ſed ab hæreditate excluſum per nativitatem *Iſaaci?* Aſt hîc ille reſtitutus in ſinum *Abrahami*: quod an vocationem Ethnicorum ad fidem *Abrahami* non innuat, lectori relinquimus judicandum.

Gemariſtæ certè *Eleazarum* conſociant cum hero ſuo, etiam in ſpelunca *Macpelah*.

Bava Batbra, fol. 58. 1. *R. Banaah pinxit ſepulchra. Cùm perveniret ad ſpeluncam Abrahami, invenit Eleazarum ſtantem ad ejus oſtium. Dicit illi, Quid agit Abrahamus? Cui ille,* גאני בכפנה דשרה, *Cubat in amplexibus Saræ. Et Banaah, Ito, & dic illi, Banaah eſt præ foribus*, &c.

Ἡλκωμένος.

Hebræis מוכה שחין. Aliquando נופו מלא שחין: ut in iſta hiſtoria.

Taanith, fol. 21. 1. *Dicunt de Nahum Gamzu, quòd erat cæcus, mancus utraque manu, claudus utroque pede,* וכל גופו מלא שחין, *& toto corpore ulceroſus. Projectus in domum ruinoſam, pedibus lecti ejus poſitis in pelvibus aquâ plenis, nè irreperent in eum formicæ---- Dicunt ei Diſcipuli ejus, Rabbi unde hoc tibi malum, cùm tu ſis vir juſtus?* Et refert ipſe rationem, quia diſtulit dare aliquid pauperi ab ipſo mendicanti. Quam hiſtoriam etiam habes in *Hieroſ. Peah*, fol. 21. 2. ubi varietas in ea narranda notatione digna.

VERS. 22. Καὶ ἀπενεχθῆναι αὐτὸν ὑπὸ τῶν ἀγγέλων.

Comminiſcuntur Magiſtri, adeſſe ad mortem impiorum tres cohortes Angelorum malorum, proclamantium, *Nulla pax impiis, dicit Dominus. Bemidbar Rabb.* fol. 245. 4.

At quid de Angelis præſentibus ad mortem piorum ſenſerint, judica ex

Hieroſ. Kilaim, fol. 32. 3. *Tſipporienſes dixerunt, Quicunque nobis dixerit Rabbi [Judam] eſſe mortuum, nos eum interficiemus. Intuitus eſt eos Bar Kaphra, capite lacernis velato, & dixit, Sancti & Angeli prehenderunt tabulas fœderis, prævaluitque manus Angelorum, atque illi tabulas abripuerunt. Dixerunt illi, Num mortuus eſt Rabbi?* Senſus parabolizantis hic eſt, Sancti homines voluerunt retinuiſſe *Rabbi* in vivis, verùm Angeli eum abripuerunt.

CAP. XVI. VERS. 22.

Εἰς τὸν κόλπον τοῦ Ἀβραάμ.

Et *verſ.* 23. numero plurali, Ἐν τοῖς κόλποις, quod ſenſum non variat, ſed adauget.

Sub triplici Phraſiologia diſponunt Scholæ Judaicæ animas Juſtorum poſt mortem, ſed vix dixeris, ſub triplici ſtatu.

I. בגן עדן, *In horto Edenis*, vel Paradiſo.

Vice plurium quæ hîc adduci poſſent ad nauſeam uſque, ſumamus tantùm inſtantiam in eo, cujus nomen hîc occurrit, *Abrahamo*.

Midras Tillin, fol. 3. 1. *Erit ſicut arbor plantata juxta rivos aquarum. Hic eſt Abrahamus, quem accepit Deus, & plantavit in terra Iſraëlis: vel, quem accepit Deus,* ושתלו בגן עדן, *& plantavit in Paradiſo.*

Adde etiam, ſi vis, alium, æqualis famæ & pietatis, *Moſen*.

Temurah, fol. 16. 1. בשעה שנפטר משה רבינו לגן עדן, *Cùm Moſes Magiſter noſter diſcederet in Paradiſum, dixit Joſuæ, Si hæret tibi dubium de re quavis, de eo jam me interroga.*

II. תחת כסא הכבוד, *Sub throno gloriæ.*

Avoth R. Nathan, cap. 10. Longa eſt hiſtoria de Angelo mortis miſſo à Deo ut eriperet animam *Moſis*, quod cùm præſtare non poſſet, *Prebendit eam Deus ipſe,* וגנזה תחת כסא הכבוד, *& theſaurizavit eam ſub throno gloriæ.*

Et immediatè, *Nec ſolùm repoſita eſt anima Moſis ſub throno gloriæ, ſed & animæ aliorum juſtorum reponuntur ſub throno gloriæ.*

Moſes in verbis antè citatis eſt *in Paradiſo*, in his eſt *ſub throno gloriæ*, in Peſikta, fol. 93. 1. eſt *in cœlis miniſtrans Deo:* ſub variis Phraſiologiis exprimitur res una eademque, & ſpecialiter docetur גן עדן, *Paradiſum*, non de terreſtri intelligi, ſed cœleſti.

Prope ad *repoſitionem ſub throno gloriæ*, accedit illud, *Apocal.* 6: 9. *Animæ ſub altari clamarunt*, &c. Nam & altare eſſe ſolium divinæ gloriæ judicarunt Judæi, atque illius ergò ſedes Synedrii erat prope altare, ut divinæ majeſtatis reverentiâ tam propinquâ regerentur in judicando. Verùm cùm de animabus martyrum pro Deo ſanguinem ſuum effundentium ibi ſit ſermo, alluſio ſit ad ſanguinem victimarum fuſum ad altaris baſin.

III. בחיקו של אברהם, *In ſinu Abrahami:* quod quid ſit, non opus eſt ut ulteriùs quæras, ſi modò Pontificiis credes. Nam ſic *Rhemenſes* de noſtratibus [quod dolendum] in hunc locum, linguâ noſtrâ.

The boſom of Abraham is the reſting place of all them that died in perfect ſtate of grace before

Chriſts

Digitized by Google

CAP. XVI. VERS. 22.

Chriſts time, heaven before being ſhut from men. It is called in Zachary a lake without water, and ſometimes a priſon, but moſt commonly of the divines, Limbus patrum : *for that it is thought to have been the higher part or brim of hell,* &c. Id eſt, Sinus Abrahami eſt locus, ubi requieverunt omnes illi, qui moriebantur in perfecto ſtatu gratiæ ante tempora Chriſti, cœlo antea clauſo hominibus. Vocatur in Zacharia, *Lacus abſque aqua*, interdum *Carcer*, ſed vulgatiſſimè à Theologis, *Limbus patrum*; quippe quòd ſupponatur eum fuiſſe partem ſuperiorem, vel marginem Orci.

Si Chriſtus hanc Phraſiologiam primus cuderat, tum ab incude Chriſtiana tolerabilius erat quærere ejus ſignificationem. At cùm forma loquendi foret genti Judaicæ uſitata, nec loquatur ille niſi cum nota & vulgari Dialecto gentis; ab iis quærenda eſt ejus ſignificatio, non à Lexico quovis, vel Græco, vel Romano. Quomodo ab auditoribus tum præſentibus intellecta hæc fuerint, eſt illud quod nobis quærendum eſt: & quovis pignore certaverim ego, Judæos, cùm de *ſinu Abrahami* eſſet ſermo, nihil minùs in animo habuiſſe quàm limbum talem, qualis hîc deſcribitur. Quid? *Abrahamus, Iſaacus, Jacobus, Moſes*, &c. in lacu abſque aqua, in carcere, in ipſo margine *Gehennæ?* Num hoc eſt eſſe בגן עדן, *In Paradiſo?* Num hoc, eſſe תחת כסא הכבוד, *Sub throno gloriæ?* Et num huc Lazarus tranſvectus ab Angelis, cùm tralatus *in ſinum Abrahami?*

Occurrit Phraſiologia apud Talmudicos in

Kiddushin, fol. 72. & citatur locus iſte à *Juchaſin*, fol. 75. 2.

Mutuemur patientiam lectoris, ut totam Periocham Talmudicam exſcribamus.

Dicit Rabbi [Judah] τῷ *Levi*, הראני פרסים, *Per aliquam ſimilitudinem repræſenta mihi Perſas. Dicit ille, Sunt ſimiles exercitui domûs Davidis.* הראני הברין, *Repræſenta mihi Iberos. Similes ſunt* למלאכי חבלה, *Angelis deſtructionis. Repræſenta mihi Iſmaëlitas.* לשעירים של בית הכסא, *Similes ſunt Diabolis latrinæ. Repræſenta mihi Diſcipulos Sapientum, qui ſunt in Babylonia. Similes ſunt Angelis miniſtrantibus.* כי הוה ניחא נפשיה דר, *Quum moreretur Rabbi* [Judah] *dixit ille.* הומניא איכא בבבל, *Hæmnia eſt in Babylonia, conſtat tota ex Ammonitis.* מסגריא איכא בבבל, *Meſgaria eſt in Babylonia, conſtat tota ex ſpuriis.* בירקה איכא בבבל, *Birkah eſt in Babylonia, ibi duo homines mutarunt uxores ſuas inter ſe.* ברתא דסטיא איכא בבבל, *Birtha Satata* [vel declinantium] *eſt in Babylonia, atque hodie recedunt à Deo.* אכרא דאגמא איכא בבבל, *Acra Agmæ eſt in Babylonia.* אדא בר אהבה יש כאן, *Adah bar Abavah eſt ibi.* היום יושב בחיקו של אברהם, *Hodie ſedet ille in ſinu Abrahæ.* היום נולד רב יהודה, *Hodie naſcitur Rabb Judah in Babylonia.*

Non bene convenit inter Commentatores, nec à quo dicta ſunt iſta verba, [*Hodie ſedet ille in ſinu Abrahæ:*] nec de quo dicta: atque hujus ergô, totam Periocham exſcripſimus, ut lector inter eos determinet.

Author *Juchaſin* opinatur eſſe verba *Adæ bar Abavah* dicta de *Rabbi Judah*. Gloſſator alius, dici verba de ipſo *Ada bar Abavah*. Audiamus utrumque.

Juchaſ. *Quo die mortuus eſt Rabbi, Rabb Adah bar Abavah dixit per prophetiam, Hodie ſedet in ſinu Abrahæ.*

Gloſſ. *Sunt quidam qui ſic interpretantur, Hodie ſedet in ſinu Abrahæ, id eſt, Hodie mortuus eſt: quod ſi intelligendum eſt de morte Adæ bar Abavah, non congruunt tempora.---- Intelligendum ergò videtur Hodie ſedet in ſinu Abrahæ, Hodie Adah bar Abavah circumciditur, atque intrat fœdus Abrahami.*

At nonne planè vides, lector, perlectâ Periochâ, quod verba iſta, nec ab *Ada* dicta ſunt, nec de *Ada*, ſed dicta ſunt à *Levi*, de quo mentio in initio Periochæ, & dicta de *Rabbi Judah* jam mortuo. Et dicit *Levi* etiam, quòd vice ejus, ipſo iſto die naſceretur *Rabb Judah* in Babylonia, ſecundùm commune adagium Scholarum, quod immediatè ſequitur, *Non moritur juſtus, antequam naſcatur vice ejus, alter ei ſimilis.* Sic dicit R. Meir. *Cùm moritur R. Akibah, naſcitur Rabbi*, Judah. *Cùm moritur Rabbi Judah, naſcitur Rabb Judah. Cùm moritur Rabb Judah, naſcitur Rabba. Cùm moritur Rabba, naſcitur Rabb Iſai.*

Habemus igitur hîc, ſi hiſtoriam compingas ex utroque Talmude, aliam huic noſtræ non diſparem. In Hieroſolymitano, aufertur *Rabbi Judah* per Angelos; in Babylonico, collocatur in ſinu *Abrahæ*. Nec de re aut Phraſiologia quicquam dubitaſſet Gloſſator, nec ad novam interpretationem refugiſſet, niſi quod erraret circa perſonam, de qua verba ſunt dicta. Supponit dicta eſſe de *Adah bar Abavah:* [in qua re fallitur] & quoniam non congruunt tempora, ſi de morte ejus ſint intelligenda, ille cudit de ſuo novam interpretationem, dum interim fatetur alios aliter interpretari.

Senſum Phraſiologiæ ergò, ſecundùm communem interpretationem, expiſcari licet, obſervando primùm, quod vulgò creditum eſt à Judæis, Animas puras & ſanctas, cùm migrarent è corpore, tranſire in beatitudinem ad *Abrahamum*.

Secundùm communem conceptum gentis hac in re, loquitur Salvator cùm dicit, *Multi*

venient

Digitized by Google

CAP. XVI. VERS. 22.

venient ab Oriente & Occidente, & diſcumbent cum Abrahamo.

Et liceat hanc hiſtoriam prolixiùs aliquantùm exſcribere.

Midras Echah, fol. 68. 1. Erat fœmina mater ſeptem martyrum, [ſic 2 *Maccab.* 7.] Cùm jam interfecti eſſent ſex ejus filii, & productus ad necem foret natu minimus, puerulus duorum tantum annorum & dimidii, *Dixit mater Cæſari*, בחיי ראשך, *Per vitam capitis tui obſecro te, Cæſar, ut liceat mihi filiolum meum amplecti & exoſculari. Cùm permiſſum eſſet, produxit illa ubera, & lactavit. Tum illa, Per vitam capitis tui imploro Cæſar, ut me primò interficias, & deinde illum. Reſpondit Cæſar, In hac re ego tibi non auſcultabo, nam ſcriptum eſt in Lege veſtra, Vaccam, aut ovem, & fœtum ejus non mactabis die eodem. Cui illa*, שוטה שבעולם, *O ſtultiſſime mortalium, num præſtitiſti omnia præcepta, ut hoc tibi tantùm deſit? Extemplo jubet ille ut puerulus trucidetur. Ruens mater in amplexus filioli, exoſculata eſt, & dixit*, בני לך אצל אברהם אביך, *Ito, ô fili mi, ad Abrahamum patrem veſtrum, & dic ei, Sic dicit mater mea, Nè glorieris tu, dicens, Ego ſtruxi altare, atque obtuli Iſaacum filium meum. Nam mater mea ſtruxit ſeptem altaria, atque obtulit ſeptem filios die uno*, &c.

Non dubitavit abſque dubio de innocentia & puritate animæ hujus pueruli, ut nec de futura ejus fœlicitate, [nam ſupponamus veritatem hiſtoriæ] quam fœlicitatem ſatis per hoc exprimit, quòd filiolus iturus eſſet ad patrem ſuum *Abrahamum*. Plura in eundem ſenſum, ejuſdemque farinæ, produci poſſent, ſed pluribus non eſt opus: vide tamen *verſ.* 24.

Jam verò quid, *Eſſe in ſinu Abrahami*, iis ſignificaret, conjice ex iſtis, quæ de moribus & morte iſtius *R. Judæ* dicuntur, de quo dicitur היום יושב בחיקו של אברהם, *Hodie ille ſedet in ſinu Abrahæ.*

Hieroſ. Kilaim, fol. 32. 2. *Rabbi Judah doluit dentibus tredecim annis: & toto iſto tempore non abortiebatur fœmina in terra Iſraëlis.* Nam ad eum applicant iſta Prophetæ, *Ille eſt vir ærumnarum, & ille tulit dolores noſtros*, Eſaj. 53. Atque ob hos ipſos dolores, perſuaſum ferè eſt nonnullis, illum eſſe *Meſſiam*. Sanatus eſt tandem dolor dentium per *Eliam* apparentem in effigie *R. Chaijæ Rubbæ*, & tacto dente, medentem. Cùm moreretur ille, & ſepeliendus eſſet veſperiis Sabbati, comitatæ ſunt eum octodecim Synagogæ ad ſepulchrum: בעשו ניסין והלרת לון יומא, *Acta ſunt miracula, dies non declinat uſque dum unuſquiſque ad propria ſe receperat, ante introitum Sabbati*, *Bath Kol*, eum lugentibus beatitudinem pronuntiat, quendam tamen nominatim excipiens, qui cum ſe exceptum noſceret, de tecto ſe præcipitavit, atque obiit, &c. Et nè plura: Ob egregiam & incomparabilem ejus doctrinam & pietatem, dictus eſt *R. Judah* קדוש, *Sanctus*: Et quonam talem tranſiturum putaret Judæus, cum è terris migraret? Quiſnam inter eos, cum de eo diceretur, quòd *erat in ſinu Abrahami*, non abſque omni ſcrupulo intelligeret, eum eſſe etiam in ipſis amplexibus *Abrahami* [prout ſoliti ſunt diſcumbere ad menſam unus in ſinu alterius] in ſummis deliciis ſummæ fœlicitatis Paradiſi: non in lacu inaquoſo, carcere, margine Gehennæ.

CAP. XVI. VERS. 23, 24.

VERS. 23. Ὁρᾷ τὸν Ἀβραὰμ ἀπὸ μακρόθεν, καὶ Λάζαρον.

Pro Commentario accipe aliam Parabolam, quam legere eſt in

Midras Ruth, fol. 44. 2. & *Midras Coheleth*, fol. 86. 4.

Sunt impii qui in hoc mundo conſociantur. At unus eorum agit pœnitentiam ante mortem, alter non. Reperitur ille ſtans in cœtu juſtorum, hic in cœtu improborum. Atque hic videt illum, [convenit hoc cum verbis ſub manibus,] *& dicit, Væ mihi, eſt acceptatio perſonarum hac in re. Ille & ego furabamur ſimul, homicidium patravimus ſimul; at jam ſtat ille in cœtu juſtorum, ego in cœtu improborum. Reſpondent ei*, שוטה שבעולם, *ô ſtultiſſime hominum omnium qui ſunt in mundo, tu abominabilis, & projectus fuiſti per triduum poſt mortem tuam, & non demiſerunt te in ſepulchrum: ſubter te ſtratus eſt vermis, & vermis te cooperuit: quod cùm ſocius hic tuus intelligeret, ille egit pœnitentiam: & in manibus tuis erat egiſſe pœnitentiam; at non egiſti. Dicit illis, Permittite me jam ut vadam & agam pœnitentiam. At illi, ô ſtultiſſime hominum, nonne noſti quòd hic mundus* [in quo jam es] *ſimilis eſt Sabbato, & mundus ex quo exiiſti, ſimilis eſt veſperiis Sabbati. Si non præpares aliquid in veſperiis Sabbati, quidnam comedes Sabbato? Nonne noſti quòd mundus, ex quo exiiſti, eſt ſimilis terræ, & mundus hic, in quo jam es, ſimilis mari? Si homo non præparet in terra quod comedat in mari, quid comedet? Frenduit ille dentibus ſuis, & comedit carnem ſuam.*

VERS. 24. Καὶ αὐτὸς φωνήσας, εἶπε.

Defunctos inter ſe colloquentes, & colloquentes etiam cum vivis, habes in

Beracoth, fol. 18. 2. *Dicit R. Samuel bar Nachmani, Dicit R. Jonathan, Unde aſtruitur quòd mortui inter ſe colloquuntur? Ex hoc quod dicitur. Et dixit ei Dominus, Hæc eſt terra de qua juravi Abrahamo, Iſaaco & Jacobo*, לאמור, *dicendo*, Deuter. 34:4. מאי לאמור,

Quid

Digitized by Google

CAP. XVI. VERS. 24.

Quid ſibi vult לאמור*? Dicit Sanct. ben. Moſi, Ito, & dic Abrahamo, Iſaaco & Jacobo, Juramentum quod antehac juravi vobis, præſtiti filiis veſtris.* Nota illud, *Ito, & dic Abrahamo*, &c.

Hiſtoria eſt de quodam pio, qui abiit & pernoctavit in cœmiterio, & audivit duas animas inter ſe colloquentes. Dixit una ad alteram. O ſocia, veni, & circumvagemur in mundo, & audiamus poſt velum, qualeſnam plagæ venturæ in mundum. Cui altera, O ſocia, ego non poſſum, nam ſepulta ſum in ſtorea cannea: at tu ito, & quicquid audiveris refer mihi. Ivit, & circumvagata eſt, & retulit, &c.

Anno ſequenti ivit ille iterum, & pernoctavit in cœmiterio, & audivit duas iſtas animas inter ſe colloquentes. Dicit una alteri, O ſocia veni, & circumvagemur in mundo, & audiamus poſt velum, qualeſnam plagæ venturæ in mundum. Cui illa, O ſocia, ſine me, nam verba quæ interceſſerunt antehac inter te & me, audita ſunt inter vivos. Unde autem norunt? Fortè vir aliquis alius mortuus ivit, & dixit iis.

Depoſuit quidam Zuzæos apud hoſpitiſſam donec rediret: atque abiit ad domum Rabh. Cum rediret, illa eſt mortua. Abiit ille poſt eam ad cœmiterium, & dixit ei, Ubi ſunt Zuzæi mei? Et illa, Ito, & accipe illos ſub cardine oſtii, loco quodam: & dic matri, ut mittat mihi de ſtibio meo, & de canna fuci per fœminam N. quæ ventura eſt huc craſtino. Aſt unde norunt talem morituram? דומה קדים ומכריז להו, *Dumah* (Angelus qui præficitur mortuis) *prævenit, & enarrat iit.*

Apud patrem Samuelis (Rabbini) *depoſiti ſunt Zuzæi orphanorum: Obiit ille, Samuele non præſente--- Abiit ille poſt eum ad cœmiterium, & dixit iis,* (mortuis) בעינא אבא, *Quæro Abba. Dicunt ei,* אבא טובא איכא הכא, *Abba bonus hîc eſt. Quæro Abba bar Abba. Dicunt ei, Abba bar Abba bonus etiam hîc eſt. Dicit iis, Quæro Abba bar Abba patrem Samuelis, ubinam ille? Dicunt illi,* סליק למתיבתא דרקיעא, *Aſcendit ad Academiam firmamenti. Tum vidit τὸν Levi* (collegam ejus) *ſedentem ab extrà.* [Gloſſ. Apparuerunt mortui ac ſi extra ſepulchra, & ſedentes in circulo; *Levi* autem ſedit extra circulum.) *Dicit ei, Quare ſedes ab extrà? Quare non aſcendis? Reſpondet ille, Dicunt mihi, Quia deficiunt anni iſti quibus non iviſti in Academiam Rabbi.--- Cùm veniret pater ejus, vidit quod fleret-- Dicit ei, Quid fles?-- Dicit ei, Ubinam ſunt Zuzæi orphanorum? Dicit illi, Ito, & accipe eos è molendino*, &c. Sed vereor nè lector corruget frontem ob hanc prolixitatem nugarum.

CAP. XVI. VERS. 26, 29.

Καὶ καταψύξῃ τὴν γλῶσσαν μου.

Hieroſ. Chagigah, fol. 77.4. Erant vir bonus & malus, qui moriebantur. Bono לא איתגמל ליה חסר, *non celebratæ ſunt exequiæ.* At malo ſunt. Poſteà vidit quidam in inſomniis, bonum illum ambulantem in hortis ac juxta fontes amœnos. Malum verò לשנו שותת על פי הנהר בעי מכטי מיא ולא כטי, *linguâ guttatim ſtillante ad ripam fluvii, & conante aquam attingere; ſed non attigit.*

VERS. 26. *Χάσμα μέγα ἐστήρικται.*

Sat notum ex Poëtis, ut Ἅδης Græcis, atque *Inferi* Latinis, comprehendant & ſedes beatorum & damnatorum, & generaliter denotent ſtatum mortuorum, ad gaudia vel pœnas diſpoſitorum, pro qualitate perſonarum. Hîc Elyſium bonis, illîc Tartarus improbis, interpoſito tantùm Cocyto aut Acheronte, aut aliquo tali interterminante chaſmate. A tali opinione non multum diſtant Judæi in

Midras Coheleth, 103. 2. *Deus ſtatuit hoc juxta illud*, Eccleſ. 7:14. *Ideſt,* גהינום וגן עדן. *Gehennam & Paradiſum,* כמה ביניהם טפח. *Quantum diſtant? Palmo. R. Jochanan dicit,* כותל *Paries interponitur. At* Rabbini dicunt, שתיהן שוות כדי שיהיו מציעות זו כזו, *Æquata ſunt ut ex uno in alterum proſpiciant.*

Quod ex uno in alterum eſt proſpicere, convenit cum his quæ præ manibus; nec diſſonat quòd dicatur quòd *ſunt æquata*, id eſt, æqui, plani proſpectûs & non interpoſitum quid habent quod impediat, & tamen chaſma tale interjacens, ut impoſſibile ſit hinc illuc migrare. Obſervandum illud, *Apocal.* 14:10. Torquebitur igne & ſulphure *in conſpectu Angelorum ſanctorum, atque in conſpectu Agni.*

VERS. 29. Ἔχουσι Μωσέα καὶ τοὺς Προφήτας.

Sub titulo *Prophetarum* includuntur etiam libri hiſtorici, ſecundùm vulgarem receptionem gentis, & lectionem in Synagogis.

Gloſſ. in Batbra, fol. 13. 2. *Omnes libri Prophetarum ſunt octo, Joſuæ, Judicum, Samuelis, Regum, Jeremiæ, Ezechielis, Eſajæ & duodecim:* ut & numerat *Gemara*, ibid. fol. 14. 2. ſic eſt Ὀκτάτευχος Προφητικὴ, prout eſt ὀκτάτευχος Μωσαικὴ apud *Photium*, Cod. 230. de qua alibi.

At num excluduntur כתובים, *Hagiographa*, cùm mentio tantùm eſt de Lege & Prophetis? Loquitur Salvator ſecundùm uſitatum morem legendi *Moſen* & *Prophetas* in Syna-

Digitized by Google

CAP. XVI. VERS. 31. Synagogis, ubi vel quilibet plebeius, etiam illiteratiſſimus, hos habuit, qui nec *Moſen*, nec *Prophetas*, nec *Hagiographa* habuit domi ſuæ.

CAP. XVII. VERS. 2. Non lecta quidem ſunt כתובים, *Hagiographa* in Synagogis: (quâ ratione non hîc diſputamus) at minimè tamen rejecta à populo, ſed pro ſcriptis divinis habita, quod, præter alia, arguitur ex ipſo nomine. Omittitur ergò mentio eorum hîc à Salvatore, non ex aliqua vilificatione, ſed quòd *Moſes* & *Prophetæ* Sabbatatim audirentur ab unoquoque, Hagiographa non ità.

VERS. 31. Οὐδὲ ἐάν τις ἐκ νεκρῶν ἀναστῇ πεισθήσονται.

Ut Salvator infidelitatem Judæorum etiam poſt ipſius reſurrectionem à mortuis innuat, nemo non videt. Unde facile eſt animadvertere, quònam præcipuè reſpiciat intentio hujus parabolæ.

CAP. XVII.

VERS. 2. Εἰ μύλος ὀνικὸς περίκειται περὶ τὸν τράχηλον αὐτοῦ.

TAlmudicis mentio eſt de רחיים של חמור, *Mola aſinaria*, & diſtinguitur *à Mola manuaria*, vel truſatili.

Aruch, in רחף ex Bava Mezia. *Qui conducit domum à vicino ſuo*, כעמיד בו רחיים של חמיר, *Erigere poteſt in ea molam Aſinariam*; אבל לא רחיים של יד, *At non molam manuariam.*

Habere molam collo appenſam, abiit in Adagium.

Kiddushin, fol. 29. 2. *Dicit Samuel, Traditio eſt, ut ducat quis uxorem, & poſteà applicet ſe ad diſcendam Legem. At R. Jochanan dicit*, רחיים בצוארו ויעסוק בתורה, *Non molâ collo ejus appensâ, addicet ſe ad ſtudium Legis.*

Suidas. Ὅτι κατεπόντουν τινάς, λίθους ἀπὸ τῶν τραχήλων ἀπεκρέμαζον. *Quum aliquos in mari ſubmergebant, de collo ſuſpendebant lapides.* Citat ille illud *Ariſtophanis.*

Ἄρας μετέωρον εἰς τὸ βάραθρον ἐμβαλῶ.
Ἐκ τοῦ λάρυγγος ἐκκρεμάσας Ὑπέρβολον.

Hunc hominem tollens ſublimem in Barathrum injiciam.

De collo ſuſpendens ſaxum. Nam iſto ſenſu Suidas ſumit Ὑπέρβολον, reddit enim λίθον. At ingenioſè ſic ejus Interpres.

Suidas Poëtæ locum & mentem non videtur aſſequutus. Haud enim Ὑπέρβολος lapidem ſignificat, qui alligari ſolet collo ejus qui ſub- CAP. XVII. VERS. 3, 6, 7.
mergitur: ſed cùm dicendum eſſet λίθον ἐκκρεμάσας [lapidem appendens] ille per jocum, & præter expectationem, riſus movendi causâ, dicit Ἐκκρεμάσας Ὑπέρβολον [Hyperbolum appendens] Hyperbolum enim [hominem litigioſum] propter inſignem improbitatem, omnibus Athenienſibus inſtar graviſſimi ſaxi, quod hominis ſubmergendi collo ſolebat alligari, graviſſimum fuiſſe vult demonſtrare, ſimul & dignum qui ſubmergatur, nè Rempublicam ampliùs turbaret & vexaret.

VERS. 3. Ἐπιτίμησον αὐτῷ.

Non parci ſunt Magiſtri in concedendo iterationes correptionum; at parciſſimi circa remiſſionem delictorum.

Concedunt ex *Levit.* 19:17. corripiendum eſſe centies, ſi ſit opus. Imò incumbere Diſcipulo corripere Magiſtrum, ſi ſit opus. *Bava Mezia*, fol. 31. 1.

At quod ad dimiſſionem peccati attinet, abutentes verbis Prophetæ, *Amoſ.* 1:3. *Pro tribus tranſgreſſionibus:* & *Job.* 33:29. *Ecce omnia hæc operatur Deus tribus vicibus:* docent non teneri quemquam ad remiſſionem delicti quarti, *Joma*, fol. 86. 2.

VERS. 6. Ὡς κόκκον σινάπεως.

Phraſiologia uſitatiſſima. Profertur aliquando כזרע חרדל, *ſicut ſemen ſinapis*, aliquando כגרגיר חרדל, *Sicut granum ſinapis*, aliquando כטיפת חרדל, *Sicut gutta ſinapis.*

Cùm docuerat Dominus de charitate erga delinquentem fratrem, orant Diſcipuli, Πρόσθες ἡμῖν πίστιν. Quæ verba (niſi quòd injurius nollem eſſe fidei Apoſtolorum, ac ſi augmentum fidei à Domino implorantium) quærerem annon in hunc ſenſum poſſent admitti. Appone vel adde aliquid de menſura fidei, ſicut feciſti de menſura charitatis. Quod & ille facit.

VERS. 7. Ἐρεῖ εὐθέως, Παρελθὼν ἀνάπεσαι.

At ſoliti ſunt olim nonnulli ſic facere.

Maimon. Avadim, cap. 9. *Sapientes antiquiores dederunt ſervo de omni edulio de quo ipſi comederunt.* Humaniter actum atque ut oportuit. At ſequitur, ומקדימין הבהמה והעבדים לסעודה עצמן, *Et cibarunt jumenta & ſervos ante ſeipſos.* Supererogatio.

Digitized by Google

CAP. XVII. VERS. 11, 12.

VERS. 11. Διήρχετο διὰ μέσου Σαμαρείας καὶ Γαλιλαίας.

Si dictum eſſet Διὰ μέσου Γαλιλαίας καὶ Σαμαρείας, foret abſque ſcrupulo: at cùm ſit Διὰ μέσου Σαμαρείας καὶ Γαλιλαίας, dubium illud excitat, de quo diximus antè. An ſcil. per *Galilæam* hoc in loco non intelligenda ſit *Peræa*. Interpretes Syrus & Arabs videntur hunc ſcrupulum obſervaſſe, atque ideo, ut medelam aliquam applicarent, reddidiſſe Διὰ μέσου per בין, *Inter*: quo ſignificatu Ἀνὰ μέσον occurrit frequentiſſimè apud Græcos. Senſus quem illi compingunt, videtur hic eſſe, quòd Jeſus *Hieroſolymam* itinerans, viam carperet in ipſis collimitiis *Galilææ* & *Samariæ*: id eſt, quòd inter iſtos limites, & quaſi ad marginem utriuſque regionis perrexit per aliquod juſtum ſpatium. Perrexit quidem ad *pontem Scythopolitanum*, per quem tranſiit in *Peræam*. Verùm an Διὰ μέσου talem ſenſum admittat, doctiores judicent.

VERS. 12. Δέκα λεπροὶ ἄνδρες.

I. *Solus habitabit leproſus & ſeorſim*, Levit. 13:46. Unde ergò hi decem verſantes unâ, ut & quatuor iſti, 2 *Reg.* 7:3.

Peſachin, fol. 67. 1. שלא יהו טמאין אחרים יושבין עמו, *Alii immundi non habitabunt cum eo*: id eſt, alii immundi diverſâ immunditiâ: quod & innuitur à Gemariſtis his verbis. *Num profluvioſi & immundi per mortuum emittentur in locum unum? Textus dicit, Et non polluent caſtra ſua, Numer.* 5:3. *Ad aſſignandum caſtrum unum his, & alterum illis.*

Verſari potuerunt leproſi cum leproſis, profluvioſi cum profluvioſis, at non diverſimodè immundi mixtim. Quod illud roborat, quod nos concipimus de quinque porticibus ad piſcinam *Betheſdæ*, quod ſcil. ita diſtinctæ atque inſtitutæ fuerint primitùs, pro diverſis receptaculis pro diverſimodè immundis, purificationem à piſcina ambientibus.

Leproſoria fuiſſe quædam, ubi ſecludebantur iſto morbo immundi, ipſa ſuadet ratio; nam inhumanum fuerat, leproſos ejicere è civitate, non parato iis aliquo habitaculo, ſed ut verſarentur ſemper ſub dio. An tale quid in hoc loco foret non determinamus: videtur enim quod hi decem audito Salvatoris adventu, in unum nuperiùs coaluerant, adventum ejus præſtolantes. Nam cum Septuaginta Diſcipuli, in omnibus locis ad quæ ille erat perventurus, eum illuc venturum palam nuntiaverant, facile eſt concipere quanto concurſu illuc confluerent ægri & morbis variis correpti, ut ſanarentur.

II. *Peſachin*, ubi ſuprà: מצורע שנכנס לפנים ממחיצתו בארבעים, *Leproſus qui tranſgreditur cancellos*, vel limites *ſuos*, *vapulet plagis quadraginta. Profluvioſi & profluvioſæ, ſi tranſgrediuntur cancellos ſuos, vapulent etiam plagis quadraginta.*

Ubi Gloſſ. *Cancelli profluvioſorum ſunt Mons domûs, vel Atrium gentium: nam prohibetur iis intrare in caſtrum Levitarum. Immundi enim non excluduntur, niſi ex Atrio: exceptis ſolùm profluvioſo & gonorrhæo, qui excluduntur etiam ex monte domûs: & leproſo, qui excluditur ex caſtris Iſraëlis, id eſt, ex urbe.*

Jam verò *caſtra Iſraëlis* unde ejiciendus leproſus, interpretantur de quavis urbe cincta muris à diebus Joſuæ. *Nam ſanctificavit Joſua*, inquiunt, *civitates mœnibus cinctas, ſanctitate caſtrorum Iſraëlis, at non ſic reliquam terram, nec urbes non cinctas muris.*

Villa erat, & non urbs talis, illa ubi occurrunt hi decem Salvatori; & ſi illi intra ipſam villam eſſent, nec præter morem, nec præter normam erat, proviſo quod diſtantium ſuam obſervarent.

Negaim, cap. 13. hal. 12. *Ingreditur leproſus in Synagogam: Faciunt ei* מחיצה, *Cancellos altos decem palmos, & latos quatuor cubitos. Ingreditur primus, atque egreditur ultimus.* Gloſſ. *Nè immundificentur illi qui ſtant in Synagoga*, &c.

CAP. XVI. VERS. 20.

VERS. 20. Οὐκ ἔρχεται ἡ βασιλεία τοῦ Θεοῦ μετὰ παρατηρήσεως.

Regnum Dei vel *cælorum* duplici præſertim & diſtincto ſenſu occurrit in Sacris Paginis. Pro propagatione ſcil. Euangelii per *Meſſiam* & ſuos, & præcipuè inter Gentes; & pro victoria & vindicta ejus in Judæos, hoſtes ejus & Euangelii. In Scholis autem Judaicis hic de eo conceptus, Quòd *Meſſias* adveniens exciſurus eſſet omnes gentes, quotquot Legi ſuæ, id eſt, Judaicæ non obſequerentur, liberaturus *Iſraëlem* à jugo Ethnico, inſtituturus inter eos regnum & tempora deliciis omnibus affluentia, &c. In hoc miſerè decepti, quòd Gentiles primùm ab eo deſtruendos crederent, & dein ipſum inter *Iſraëlitas* regnaturum: cùm reverà & vice verſâ erat ille primùm deſtructurus *Iſraëlem*, & exinde regnaturus inter Gentes.

Facile eſt concipere, quonam ſenſu Phariſæi quæſtionem propoſuerint, *Quandonam venturum eſt Regnum Dei?* Id eſt, Quandonam complebuntur ſplendida iſta quæ expectamus à *Meſſia?* Et quo ſenſu reſpondeat Salvator, facile etiam eſt concipere ex textura ſuæ orationis: Quæritis quando adveniet *Meſſias*: Adventus *Meſſiæ*

Digitized by Google

CAP. XVII. VERS. 20.

erit ſicut erat in diebus *Noachi*, ſicut erat in diebus *Lothi*. Nam ſicut ingrediente Noacho in arcam, periit mundus diluvio, & ſicut egrediente *Lotho* è Sodoma, periit Pentapolis; *Ita erit in die quo filius hominis revelabitur*. Ut planum ſit eum de regno Dei loqui, ut ſignificante vindictam ſuam in urbem gentemque iſtam nequiſſimam Judæorum. Regnum Dei veniet, *cùm Hieroſolyma fiet ut Sodoma*, verſ. 29. *cùm fiet cadaver*, verſ. 37.

Cuivis oculo eſt conſpicuum, ut exciſio iſtius urbis & gentis emphaticè vocetur *Regnum ejus* & *Adventus ejus in gloria*. Nec immeritò.

Nam ante vaſtationem urbis & ſubverſionem gentis, ſubjugaverat ille omnes nationes ſub imperio & obedientia Euangelii, ſecundùm illud, *Matth*. 24: 14. *Euangelium hoc regni prædicabitur per totum orbem, & tum adveniet finis* Hieroſolymæ. Et cùm jam regnum ille adeptus eſſet inter Gentiles, quid jam reliqui, ad conſummationem regni ſui & victoriarum, niſi ut excidat Judæos inimicos ſuos, qui noluerunt eum in ipſos regnare?

De hac Βασιλεία τοῦ Θεοῦ loquitur ille hoc in loco, & non tam ſecundùm animum vafrum Phariſæorum in quæſtione propoſita reſpondet, quàm ſecundùm rem ipſam & veritatem. Et duo de hoc regno ſuo dicit.

I. Quòd non venit μετὰ παρατηρήσεως· Non quòd obſervari non potuerit, ſed quòd nollent illi obſervare. Quam eorum ſecuritatem, & ſupinam oſcitantiam prædicit ille taxatque alibi ſemel iterumque.

II. Quòd Βασιλεία τοῦ Θεοῦ ἐντὸς ὑμῶν ἐστι. Vos eſtis ſcena harum victoriarum Chriſti. Et cùm in expectatione veſtra ſit, ut dicatis, ecce hîc indicium *Meſſiæ* in gente iſta debellata, ecce illîc in alia: fruſtra expectabitur, nam ἐντὸς ὑμῶν ἐστι, intra gentem veſtram, & in gentem veſtram hæc ſunt agenda. Ego emphaſin in voce ὑμῶν ſtatuerim, cùm vulgò ἐντὸς reſpiciatur.

Salvatorem autem de Βασιλείᾳ τοῦ Θεοῦ, eo ſenſu quo nos ſupponimus, loqui firmant ea quæ ſequuntur, *verſ*. 22. *Unam dierum filii hominis non videbitis*, dicta Diſcipulis. Ἡμέραι τοῦ υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου, Judaico ſtilo ſunt ימות המשיח, in quibus nihil niſi placentia, proſpera & vernantia ſibi pollicentur. Atque ſub iſta notione Phariſæos quæſtionem ſuam propoſuiſſe parùm dubitandum. At Salvator ad veritatem & propoſitum ſuum ita applicat terminos quæſtionis, ut vindictam ſonent, iram & afflictionem. Et tantùm abſit ut placentia ſua videant Judæi, ut nonniſi afflictionem viſuri ſint ipſi Diſcipuli, quamvis ſub alia notione.

CAP. XVIII.

CAP. XVIII. VERS. 1, 2, 5.

VERS. 1. Καὶ μὴ ἐκκακεῖν.

Continuatur & connectitur hæc parabola cum præcedentibus, *Cap*. 17. de adventu Chriſti in vindicta ſua adverſus *Hieroſolymam*. Quod obſervatum confert aliquantum ad faciliorem intellectum obſcuriorum quorundam, quæ occurrunt in applicatione parabolæ. Eò reſpicere videtur vox ἐκκακεῖν, nè ſcilicet ob afflictiones tunc orituras, animo deficiant, ſed aſſiduis precibus ſe dedant.

VERS. 2. Κριτής τις ἦν, &c.

Si ſupponenda eſſet ſcena parabolicæ hujus hiſtoriæ eſſe inter Judæos, nonnullæ inde orirentur quæſtiones. I. An judex hic fuerit diſtinctus à זקן, *Seniore* vel *Presbytero*. Nam ad talem diſtinctionem adiguntur Magiſtri ex verbis iſtis זקניך ושופטיך, *Deuter*. 21:2. *Hieroſ. Sotah*, fol. 23. 3. II. Si דיין, aut שופט, *Judex* idem ſit cum זקן, *Seniore*; quod & approbant, *Babyl. Sotah*, fol. 44. 2. tum, An licuerit uni Seniori judicare; quod improbant, *Sanhedr*. cap. 1. Sed hæc miſſa ſunto.

Parabola quæ proponitur, eſt de claſſe iſtarum, quæ vulgatiſſimè apud Judæos audiunt קל וחומר, & quæ communiter deſinunt in על אחת כמה וכמה, quando ſcil. arguitur à minori ad majus. Si judex iſte bipedum nequiſſimus indeſinenti viduæ importunitate victus, cauſam ejus egit, nonnè Deus juſtus, miſericors, optimus, pro ſuis aſſiduè eum ſollicitantibus עאכו, multo magis?

Τὸν Θεὸν μὴ φοβούμενος, &c.

Quantùm diſtat hic homuncio à charactere recti judicis!

Maimon. Sanhedr. cap. 1. *Etiamſi in Conſeſſu triumvirali non requirantur omnia quæ requiſita ſint in Synedrio, neceſſe tamen eſt ut ſint in unoquoque in iſto Conſeſſu hæc ſeptem, prudentia, manſuetudo, pietas, odium Mammonæ, amor veritatis, atque ut ſint dilecti ab hominibus, & bonæ famæ.*

VERS. 5. Εἰς τέλος ἐρχομένη.

In perpetuum veniens. Sic לנצח Græc. Interpretibus.

Job. 14: 21. תתקפהו לנצח, *Prævalebis ei in perpetuum*, Græc. Ὦσας αὐτὸν εἰς τέλος. Sic *Job*. 20:7. *Pſalm*. 44: 24. & 49: 10, &c. Hinc למנצח in titulis Pſalmorum redditur εἰς τὸ τέλος. Quod an rectè vertatur *in finem*, quære.

VERS. 7.

Digitized by Google

CAP. XVIII. VERS. 7, 12.

VERS. 7. Καὶ μακροθυμῶν ἐπ' αὐτοῖς.

Sic 2 *Petr.* 3: 9. Μακροθυμεῖ εἰς ἡμᾶς. Utrobique eſt ſermo de temporibus excidium Hieroſolymitanum antecedentibus, in quibus plurimâ patientiâ erga electos ſuos uſus eſt Dominus. Nam in lubrico iſto rerum ſtatu, cùm graſſaretur ſupra modum Apoſtaſia, & difficulter valediceretur Judaiſmo, non ſine difficultate lucrifacti ſunt illi ad fidem, nec ſine difficultate retenti in fide cum lucrifacti: ita ut cùm omnem iſtam patientiam & μακροθυμίαν exercuerit Dominus, εὑρήσει πίστιν ἐπὶ τῆς γῆς.

VERS. 12. Νηστεύω δὶς τοῦ Σαββάτου.

I. Erant תעניות הציבור, *Jejunia Congregationis*, & תעניות היחיד, *Jejunia hominis ſingularis*: atque utraque præcipuè propter צרות, *Afflictiones.*

Maimon. Taanith, cap. 2. *Iſtæ ſunt afflictiones Congregationis propter quas jejunant, Obſidio per hoſtes, gladius, peſtis, beſtia noxia, locuſtæ, bruchus, rubigo ſegetum, uredo, abortiones, morbi, annonæ caritas, impluvium.*

Idem, ibid. cap. 1. *Sicut Congregatio jejunat propter afflictiones ſuas, ſic etiam homo ſingularis propter ſuas: ſi nempe ſit quiſpiam de ſuis qui ægrotat, aut eſt errabundus in eremo; aut vinctus in carcere, tenetur ad jejunandum pro eo*, &c.

II. *Ibid. Jejunia, quæ indicuntur pro Congregatione propter afflictiones ſuas, non ſunt de die in diem, nam plurimi de Congregatione non poſſunt in tali jejunio perſiſtere, ſed* שביני ובחמישי, *Die hebdomadis ſecundo & quinto.*

Iſtis diebus conventum eſt in Synagogis ad preces publicas. Atque huc ego retulerim illud, *Actor.* 13: 2. Λειτουργούντων αὐτῶν καὶ νηστευόντων, potiùs quàm ad celebrationem Miſſæ, quò verba torquentur à quibuſdam.

III. Frequentiſſimum etiam erat ליחיד, *Homini ſingulari*, devovere ſe ſtatis & frequentiſſimis jejuniis ex religione, etiam ubi non adeſſet aliqua afflictio. Atque elegerunt ſibi tales, eoſdem jejuniorum dies, quos & Congregatio, *ſecundum* hebdomadæ ſcil. & *quintum.*

Taanith, fol. 12. 1. יחיד שקיבל עליו שני וחמישי ושני של כל שנה, *Homo ſingularis, qui ſuſcipit in ſe jejunia die ſecundo & quinto & ſecundo per totum annum*, &c.

Hoc ſolum de iſtis jejuniis adjiciamus. *R. Chaſda dicit, jejunium ſuper quod ſol non occidit, non dicendum eſt jejunium.* At cautè ſatis proviſum eſt nè inediâ perirent, nam permiſſum eſt tota nocte jejunium antecedente, edere & bibere.

CAP. XVIII. VERS. 13.

Hieroſ. Taanith, fol. 64. 3. *Traditio. Dicit Rabbi, Edere licet uſque dum luceſcat Oriens.*

Ἀποδεκατῶ πάντα ὅσα κτῶμαι.

Imitatur Phariſæus aliquantum in hac profeſſione, profeſſionem offerentis primitias, *Deuter.* 26: 13. *Abſtuli quod ſanctificatum eſt de domo mea, & dedi illud Levitæ, atque advenæ, pupillo & viduæ.* At dicas velim, Phariſæe, an ex honeſtate & pura juſtitia tam accuratè omnia decimas, ut ſcil. Sacerdoti & Levitæ, & pauperi ſit quod ſuum eſt, an non potiùs ex terrore & formidine, quia האוכל טבל במיתה, *Qui comedit non decimata, reus eſt mortis*, *Sanhedr.* fol. 83. 1.

VERS. 13. Καὶ ὁ τελώνης μακρόθεν ἑστὼς, &c.

I. Quòd Iſraëlitæ, cùm irent in Templum, ut preces ſuas privatas funderent, perrexerunt ultra Atrium exterius, vel Gentium, in *Atrium mulierum*, præter alia, hoc fidem facit, quòd in iſto Atrio diſpoſitæ ſunt שופרות, *Tredecim ciſtæ eleemoſynariæ*, in quas conjecerunt ſpontaneas ſuas oblationes. Quod factum eſt à vidua paupercula cum duobus ſuis minutis, iſto in loco.

II. Quæri meritò poteſt, an aliquis privatæ ſuæ orationis ergô, pergeret vel in *Portam Nicanoris*, vel in *Atrium Iſraëlis*: multò minùs in *Atrium Sacerdotum*, ſi non ipſi Sacerdotes. De Salvatore legimus, quòd fuerit in Atrio Gentium, in *porticu* ſcil. *Solomonis*, & quòd in *Gazophylacio*, vel *Atrio mulierum*: at vix oſtenderis ubi in *Atrio Iſraëlis*. Et negativum circa ingreſſum in iſtud Atrium aſtruitur, ſi obtineret illud quod dicitur

Hieroſ. Beracoth, fol. 8. 4. *R. Joſua ben Levi dicit, Qui ſtat orans neceſſe habet ut priùs ſedeat, ex eo quod dicitur* אשרי יושבי ביתך, *Beati ſunt qui ſedent in domo tua.* In iſto autem Atrio nemini ſedere licitum niſi regi ſoli.

III. Quòd ergo Publicanus noſter, in oratione ſua inferiùs remotiùſque ſteterit quàm Phariſæus, ex humilitate ſua erat, ut probabile, potiùs quàm ex neceſſitate. Nam quamvis æquis paſſibus incedant Ethnicus & Publicanus, in verbis iſtis Salvatoris, *Eſto tibi ſicut Ethnicus vel Publicanus*: quæri tamen poteſt, an Publicani, ſi modò Judæi, ad Atrium exterius ſolùm limitarentur, æque ac Ethnici.

Digitized by Google

CAP. XVIII. VERS. 13, 15, 19.

Ὀυκ ἤθελεν ὐδὲ τὺς ὀφθαλμὺς εἰς τὸν ὐρανὸν ἐπᾶραι.

Et quare hoc additur, cùm norma orandi hæc foret?

Maimon. in Tephillah, cap. 5. *Orans velet caput ſuum, & ſpectet deorſum.*

Idem, *Peah*, cap. 5. *Diſcipulus Sapientum* מסתכל למטה, *ſpectet deorſum cùm ſtat orans.*

At num ita laïcus quis, aut unus de vulgo? Si non, reſponſum eſt quæſtioni noſtræ: quòd hic præter morem vulgi, ex humilitate & conſcientia vilitatis ſuæ, nollet oculos ſuos attollere. Si verò hoc uſitatum ab omnibus, ut in oratione ſpectarent deorſum, antea tamen & dum ſe componerent ad orationem nulla ratio ſuadere poteſt, quin quod oculos aliquantum erigerent in cœlum. *Si orant in Templo, faciem vertunt versùs Sanctum Sanctorum; ſi alibi, versùs Hieroſolymam.* Maimon. ubi antè: & mirum foret, ſi oculos non omnino versùs cœlum: at cum incœptum eſt orare, tum oculi deorſum.

VERS. 15. Ἰδόντες δὲ οἱ μαθηταὶ, ἐπετίμησαν αὐτοῖς.

Sanhedr. fol. 110. 2. *Parvuli improborum Iſraëlis non pervenient in Mundum futurum.--- Parvuli improborum Ethnicorum, omnes fatentur quòd non pervenient in Mundum futurum.---* קטון מאימתי בא לעולם הבא. *A quonam tempore eſt parvulus capax Mundi futuri? R. Chaija & R. Simeon bar Rabbi. Unus dicit,* משעה שנולד, *Ex eo tempore quo natus eſt. Alter dicit,* משעה שספר, *Ab eo tempore quo poteſt fari.--- Rabbena dicit,* משעה שנזרע, *Ab eo tempore quo generatur.--- Rabb Nachman bar Iſaac dicit,* משעה שנימול, *Ab eo tempore quo circumciditur. R. Meir dicit,* משעה שיאמר אמן, *Ab eo tempore quo reſpondere poteſt, Amen.*

Exagitata fuerit hæc quæſtio in Scholis ſub temporibus Apoſtolorum, necne, maximè probabile eſt eos ob hoc præcipuè ægrè tuliſſe præſentationem parvulorum ad Chriſtum, quòd, ipſis judicibus, non capaces eſſent regni cœlorum. Atque huic opinioni noſtræ videtur ſuffragari reſponſum Salvatoris. Itane, num vos judicatis eos incapaces eſſe regni cœlorum? Ego dico vobis, quòd regnum cœlorum non eſt niſi talium.

VERS. 19. Τί με λέγεις ἀγαθόν; &c.

I. Pro eruendo vero ſenſu atque animo Salvatoris in hiſce verbis, & proximè ſequentibus, dixerim ego, & quis contrarium evicerit?

CAP. XVIII. VERS. 19, 31.

Quòd hic homo agnoverit Jeſum pro Meſſia.

1. Idem agnoverunt & alii, non facti adhuc ejus Diſcipuli, ut cæci illi qui vocant eum *filium Davidis*, Matth. 20: 30. Ut alios omittamus. Et quænam ratio negativum ſuaſerit de hoc homine? Præſertimque, cùm eum non ordinariæ, ſed rarioris indolis fuiſſe, arguant non ſolùm hæc quæ de ſeipſo fatur, ſed & quòd Salvator eum tantâ humanitate & comitate exceperit.

II. Non vulgaris eſt ejus quæſtio, *Quid faciendo vitam æternam poſſidebo?* Nam planè videtur, quòd non ſatisfactum eſt ei à doctrina Scholarum de meritis operum, & juſtificatione per Legem: ſed aliud quid ad obtinendam ſalutem requiri arbitratur, cùm poſt præſtitam, ut aſſerit, à ſe Legem, tamen & adhuc quærit, *Quid faciam*, &c. Quod ab eo ſeriò atque ex animo factum atteſtatur ſatis Chriſti erga illum geſtus, *Marc.* 10: 21. ut & quòd ad Jeſum veluti non vulgarem Doctorem hujus rei addiſcendæ ergò ſe conferret.

III. Inuſitatum erat, Magiſtros gentis tali titulo ſalutare. Quamvis enim ſplendidis epithetis eos ornarent, & quidem onerarent, vel defunctos vel abſentes, præſentes tamen alloquentes, nonniſi *Rabbi*, aut *Mar*, aut *Mari* impertierunt. Evoluto utroque Talmude, fallor, ſi comperis titulum *Rabbi bone*, aut *Mar bone*.

II. Tantùm ergò abeſt Chriſtus in his verbis à negando ſuam Deitatem, ut hunc hominem alliciat potiùs ad agnoſcendum ſuam Deitatem. Videris ex aggreſſu tuo & compellatione agnoſcere me pro Meſſia; num agnoſcis me Deum etiam, æque ac hominem, cùm vocas me *bonum*, & non ſit quis bonus niſi Deus? Aliquid certè non ordinarium vidit in hoc homine Salvator, cum ἠγάπησεν αὐτὸν, ut *Marc.* 10: 21. i. e. blandè affatus & hortatus eſt eum, &c. ut 2 *Paralip.* 18: 2. *Pſalm.* 78: 36. Ἠγάπησαν αὐτὸν ἐν τῷ ςόματι αὐτῶν. Hebr. ויפתוהו.

Et non ordinario affectu juvenem [nam ſic eum vocat *Matthæus*] reſpexiſſe *Jeſum*, indicii aliquid eſt, quòd *mæſtus* diſceſſerit ab ejus conſilio. Conſulentem certè magni æſtimavit, cùm non ſine magno dolore non potuit conſilium ejus renuere.

VERS. 31. Παραλαβὼν δὲ τὺς δώδεκα.

Hæc coincidunt cum iſtis, *Joann.* 11: 7. *Dixit Diſcipulis ſuis, Eamus in Judæam.* Itane, inquiunt illi, in Judæam iterum, ubi nuperrimè tantum tibi periculi? Prodit tamen ille, & pergit, & ſequuntur Diſcipuli obſtupeſcentes, & timentes, *Marc.* 10: 32. Mentio adhuc de profectione in Judæam tantùm,

ad

Digitized by Google

CAP. XIX. VERS. 2.

ad viſendum *Lazarum:* at pergentibus porro, prænuntiat iter ſuum ad *Hieroſolymam*, & quid de eo illìc agendum. *Bethabaræ*, ut videtur, erat ille, cùm ad eum perveniret nuntius de ægritudine *Lazari:* atque inde cùm per pontem *Scythopolitanum* pateret ei via commodiſſima, & ſic per partem aliquam *Samaritidis*, eligit ille ſibi viam Transjordaninam ad vada *Hierichuntina*.

CAP. XIX.

VERS. 2. Ζακχαῖος.

ERat eodem nomine *Zaccai*, pater numeroſæ familiæ, *Ezr.* 2:9. & circa hæc ipſa tempora, quibus vixit *Zacchæus* noſter, *Zaccai*, pater *Rabban Jochananis*, quo vix celebrior quiſquam in toto catalogo Rabbinorum.

Is filium ſuum *Jochananem* educavit בפרקמטיא, *in mercatura*, in qua verſatus eſt ille annis quadraginta, antequam ſe dederet literis & religioni: unde ſuſpicio aliqua oriri poſſet, quòd iſte *Zaccai* erat hic noſter *Zacchæus*, niſi quòd hæc talem conjecturam penitùs contundant.

I. Quòd fuerit Rabbinus, vel promotus ad Presbyteratum, ut non ſine ratione autumat Author *Juchaſin* in voce בן זכאי. Cùm autem tam malè audirent *Publicani* univerſaliter in gente, vix credibile eſt Publicanatum conſiſtere potuiſſe cum Rabbinatu. Cui & hoc addere licet, quòd iſte *Zaccai* foret de ſtirpe ſacerdotali: & qualenam brutum erat Sacerdos Publicanus!

II. Ex caractere iſtius *Zaccai*, judica an ille non vixerit obieritque Judaizans, quoad omnia.

Megillah, fol. 27. 2. *Interrogarunt R. Zaccai Diſcipuli ejus*, [nota eum inſignitum titulo *Rabbi.*] *Quomodo ad hoc ſenectutis perveniſti? Reſpondit ille, In tota vita mea ego nunquam minxi intra quatuor cubitos à loco orationis. Nunquam finxi nomen vicino meo. Nunquam omiſi* קידוש יום, *Sacrationem diei. Erat mihi mater vetula, quæ ſemel vendidit vittas capitis ſui, & coemit inde vinum, quo ſacrarem diem. Traditio. Cùm illa moreretur, legavit ei trecenta dolia vini: & cùm moreretur ille, legavit ter mille dolia filiis ſuis.* Gloſſ. Ille qui conſtans eſt in ſacratione diei, ex merito obtinet vinum.

Ἀρχιτελώνης.

De ordinibus Publicanorum hæc pauca.

I. *Publicanos appellarunt majores*, inquit Lexicographus, *eos, qui vectigalia & alios populi Romani redditus exigendos, certo conſtituto pretio redimebant: qui Daciarii vulgò vocantur.*

II. *Sanhedr.* fol. 25. 2. *Hi non idonei ſunt ad perhibendum teſtimonium*, רועין והגבאין והמוכסין, *Paſtores, exactores & Publicani.* In quæ verba ſic R. Gaon. *Rabbini non excludunt Publicanos, ideo quòd exigunt plus quàm quod iis ſtatutum; nam ſi ſic, forent iidem cum* גבאין, *Exactoribus. Sed cùm Rex imponit tributum exigendum à Judæis, ab unoquoque ſecundùm opes ſuas, hi Publicani, quorum eſt æſtimare unius cujuſque opes, nonnullis favent, & cenſum eorum mitigant, alios vero onerant plus quàm æquum.*

III. Erant Publicani [ut eos omittamus qui oppidatim tributa collegerunt] in portubus & pontibus, vectigal exigentes à prætereuntibus: de quibus agitur in *Shabb.* fol. 78. Ubi & mentio de מוכס גדול ומוכס קטון, *Publicano majori & minori.* De quibus ſic Gloſſ. *Aliquando eſt Publicanus major, cui grave nimis eſt ſtare in ponte toto die: ſubſtituit ergò ſibi Publicanum inferiorem*, vel minorem. Nec tædeat hanc audire hiſtoriam ex eodem Tractatu.

Shabb. fol. 33. 2. *R. Judah, R. Joſe, R. Simeon & R. Judah ben Garis conſidentibus, exorſus R. Judah ſic dixit, O quam pulchra ſunt opera hujus gentis!* [Romanæ] *ſtruxerunt plateas, ſtruxerunt pontes, ſtruxerunt balneas. R. Joſe ſiluit, & reſpondet nihil. At R. Simeon ben Jochai reſpondit, & dixit, Quicquid ſtruxerunt, ſtruxerunt in proprium commodum— ſtruxerunt pontes, ut inde recipiant vectigal. Profectus R. Judah ben Garis, hæc dixit imperio Romano, quod ita decrevit: Judah qui magnificavit imperium, exaltetur: Joſe qui ſiluit* יגלה לציפורי, [ſuſpicor reddendum] *relegetur in Cyprum: & Simeon qui convitiatus eſt, occidatur.* Audiens hæc *Simeon*, in ſpeluncam quandam ſe recepit, ubi cum filio delituit 13 annos.

Jam cujus ordinis inter hos Publicanos fuerit *Zacchæus* noſter, nec facile eſt determinare, nec quidem tanti. Vix patietur titulus Ἀρχιτελώνης, ut numeretur inter Publicanos de pontibus, quamvis inter eos fuerint illi, qui vocabantur *Publicani majores:* ſed potiùs æſtimetur, vel in prima claſſe eorum quos nominavimus, vel ſecundâ. In alterutra eorum, promptius erat συκοφαντεῖν, (quod de ſeipſo hic noſter fatetur) quàm in ponte.

VERS. 8. Τὰ ἡμίση τῶν ὑπαρχόντων μου δίδωμι τοῖς πτωχοῖς.

I. De injuſtè partis debebatur inter pauperes diſtributio.

Sanhedr. fol. 25. 2. Agitur de reſtitutione vel diſtributione opum malè partarum, ſpeciatim

tim per mercaturam fructuum anni ſeptimi, quæ non licita: & hæc forma reſtitutionis, *Ego N. filius N. corraſi ducentos zuzæos per fructus anni ſeptimi, & ecce dono dantur pauperibus.*

II. Ex benè partis exhibenda erat pauperibus eleemoſyna: verùm ſecundùm Canones & præcepta Magiſtrorum, non ex debito ultra quintam partem.

Rambam, in Peah, cap. 1. *Quoad præbendum auxilium per Mammonam, eſt ſtata menſura*, והיא חמישית ממונו, *nempe pars quinta Mammonæ ſuæ: nec tenetur quiſpiam plus dare, quàm partem quintam.* Et dicunt *quòd ſtatutum eſt in Uſha, ut homo ſeparet* חומש נכסיו למצוה, *quintam partem facultatum ſuarum ad præceptum.*

Quinta hæc ita ſtata & ſtatuta erat, ut I. Eouſque procedendum eſſet ex præcepto. II. Ulteriùs procedere nemo obligatus ex lege. III. Aſt ulteriùs, ſi velit, ſuâ ſponte: quod facit hic noſter largâ & nobili menſurâ.

Reſtitutio quadrupli pro συκοφαντίᾳ ſua convenit cum lege de furto.

VERS. 9. Ὅτι σήμερον σωτηρία τῷ οἴκῳ τούτῳ ἐγένετο.

Dicitur verſ. 7. *Quòd obmurmurabant quidam, quòd ingreſſus eſſet Jeſus ut hoſpitaretur cum peccatore.* Et quidnam tandem judicarunt illi de ipſa domo peccatoris? An in eam ingreſſos eos putas, cùm omnia ſpernerent Publicanorum? Forte iſta, Σταθεὶς δὲ Ζακχαῖος, εἶπε, innuunt quòd prodiit, & proſtitit eos alloquens qui ſteterunt foras, & noluerunt intrare. Utcunque, perpenſo benè quàm ſordidè æſtimarent domum Publicani, clariùs intelligas hæc verba, *Hodie ſalus domui huic facta eſt.*

Καθότι καὶ αὐτὸς υἱὸς Ἀβραάμ ἐστι.

Id eſt, inquiunt omnes, *Filius Abrahami per fidem*, quod quidem veriſſimum: at hæret mihi ſcrupulus nihilominus, an iſte animus horum verborum. Nam quæro, an norint Judæi relationem aliquam ad Abrahamum, niſi ſecundùm carnem & ſtirpem. *Filius Abrahami per fidem* erat notio ignota, & vix credo, Salvatorem eos alloqui velle dialecto ignotâ. Quibus adde, quòd ſi dictum fuiſſet, Αὐτὸς υἱὸς Ἀβραάμ ἐγένετο, [ut ἐγένετο eſt in clauſula priori] promptius eſſet inclinare in iſtum ſenſum, & ad converſionem ejus applicare, per quam factus eſt filius Abrahami per fidem: argueret enim mutatam jam eſſe ejus relationem ad Abrahamum, atque aliam ab ea quam habuit antea, ut ἐγένετο in clauſula priori arguit mutatam conditionem domûs. At cùm dicatur Υἱὸς Ἀβραάμ ἐστιν, ego non alio ſenſu ſumpſerim, quàm illud, Cap. 13:16. *Hæc filia Abrahami*, nempe ſecundum literam. Quamvis vos obmurmuretis, atque hunc Archipublicanum, contemptui, odio, execrationi habeatis, eſt tamen ille de ſemine Abrahami, æque ac vos ipſi. Non eſt Publicanus ethnicus, ſed Iſraelita: & cùm filius hominis venerit ut quærat & ſervet quod perditum, præſertimque oves perditas Iſraelis, ſalus ejus hodie venit ad hanc domum, nam & hic eſt etiam *Abrahamita.*

VERS. 11. Καὶ δοκεῖν αὐτοὺς, ὅτι παραχρῆμα μέλλει ἡ βασιλεία τοῦ Θεοῦ ἀναφαίνεσθαι.

Midras Schir, fol. 7. 2. הגיע זמנה של מלכות שמים שתגלה, *Appropinquat tempus ut regnum cœlorum reveletur.*

Obſervavimus alibi, ut fuerit opinio gentis, hoc ipſum tempus quo apparuit *Chriſtus*, fuiſſe tempus expectatum adventûs *Meſſiæ*, ſic doctæ per prophetiam *Danielis*. Quam utcunque Judæi nuperiores eludere conentur, ut & alias omnes clariſſimas de Jeſu noſtro prædictiones, tempora tamen iſta ſaniùs ſinceriùſque ſunt interpretata. Hinc confluxus iſte Judæorum ad Hieroſolymam ab omnibus nationibus, *Actor.* 2:5. Atque tali rei atteſtatur aliquantum illud Talmudicorum, referentium de Targumiſta Prophetarum, quòd cùm targumizare etiam aggrederetur libros Hagiographos, prohibitus ſit per Bath Kol, dicentem, quòd abſtinendum, nam in illis libris eſt finis Meſſiæ, viz. *Dan.* 9:26.

VERS. 13. Ἔδωκεν αὐτοῖς δέκα μνᾶς.

Eòdem ſpectat quoad generalem ſcopum parabola hæc de minis, cum iſta de talentis, *Matth.* 25. Nobilis ille vel Rex, qui in terram longinquam proficiſcitur, ut capeſſat ſibi regnum, eſt Chriſtus in Euangelio progrediens ad vocandas gentes ad obedientiam. Rediens excidit gentem Judæorum qui noluerunt eum in ſe regnare, *verſ.* 27. Et cùm jam expectarent regnum cœlorum citò manifeſtandum, & vafra plurima & inania de eo ſomniarent, docet ille per hanc parabolam, nihil beneficii per iſtud regnum ei expectandum, qui non reddiderit rationem bonam talentorum à Deo ei commiſſorum.

Suidas. Τάλαντον μνῶν ἐστι ξ. *Talentum valet* 60. *minas.*

ἡ δὲ μνᾶ δραχμῶν ρ. *Mina verò drachmas centum.*

ἡ δὲ δραχμὴ ὀβόλων ϛ. *Drachma ſex obolos.*

ὁ δὲ ὀβολὸς χαλκῶν ἕξ. *Obolus ſex æreos.*

ὁ δὲ χαλκεὺς λεπτῶν ζ. *Æreus ſeptem minuta.*

Digitized by Google

CAP. XIX. VERS. 44.

VERS. 44. ᾿Ανθ᾿ ὧν οὐκ ἔγνως τὸν καιρὸν τῆς ἐπισκοπῆς σου.

CAP. XX. VERS. 1. Diſcutiunt Magiſtri cauſam vaſtationis Hieroſolymæ, in

Shabb. fol. 119. 2. *Abai dicit, Non vaſtata eſt Hieroſolyma, niſi propter profanationem Sabbati.--- R. Abba dicit, Non vaſtata eſt Hieroſolyma, niſi quòd neglexerint recitationem Phylacteriorum manè & veſperè. --- Rabb Menona dicit, Non vaſtata eſt Hieroſolyma, niſi quòd neglexerint educationem puerorum in Schola.--- Ulla dicit, Non vaſtata eſt Hieroſolyma, niſi quòd non foret verecundia hujus erga illum.--- R. Iſaac dicit, Non vaſtata eſt Hieroſolyma, niſi quòd æquarent inferiorem digniori.---- Rabbi Chaninah dicit, non vaſtata eſt Hieroſolyma, niſi quòd ſe mutuò non reprehenderent.--- R. Judah dicit, Non vaſtata eſt Hieroſolyma, niſi quòd deſpexerint Diſcipulos Sapientum*, &c.

At dicit Sapientia, Vaſtata eſt Hieroſolyma, *quia non novit tempus viſitationis ſuæ.*

Grandiſſima illa beneficia quæ promiſſa ſunt humano generi, promiſſa ſunt ut eventura, *in noviſſimis diebus*, id eſt, in ultimis diebus *Hieroſolymæ*. Tunc manifeſtandus *Meſſias*, *Hoſ.* 3: 5. *Hebr.* 1: 2. tum effundendus Spiritus Sanctus, *Joel.* 2:28. *Actor.* 2: 17. tunc exaltandus mons Domini & confluentia Gentium, *Eſaj.* 2:2. verbo omnia, tunc adimpleta ſunt grandia illa, quæ prædixerant Prophetæ de adventu *Meſſiæ* atque introductione Euangelii. Erant hæc tempora, tempora viſitationis tuæ, ô Hieroſolyma, ſi noſſes modò tempora viſitationis tuæ.

A qua cognitione & notitia tantùm illa aberat, ut nihil ei odioſius & contemptibilius, quàm cùm reverà in ea præſtarentur ineffabilia illa beneficia: nec nobilioribus characteribus depicta ſunt tempora iſta, quoad præſtationem Dei, quàm atris & tremendis, quoad perverſitatem populi. Optima omnium tempora, ſed peſſima omnium generatio. In ultimis temporibus iſtius urbis *Dies periculoſi*, 2 Tim. 3: 1. *Apoſtaſia à fide*, 1 Tim. 4: 1. *Deriſores religionis*, 2 Pet. 3: 3. & verbo omnia, *Multi Antichriſti*, 1 Joann. 2: 18. tantùm abfuit *Hieroſolyma* & gens Judaica à noſcendo atque agnoſcendo ea, quæ conduxerunt in pacem ſuam.

CAP. XX.

VERS. 1. Οἱ Ἀρχιερεῖς καὶ οἱ Γραμματεῖς σὺν τοῖς Πρεσβυτέροις

SIc *Marc.* 11: 27. cùm apud *Matthæum* ſit, Ἀρχιερεῖς καὶ Πρεσβύτεροι τοῦ λαοῦ, Matth. 21: 23. Jam quæritur, quinam hi Presbyteri, ut diſtincti à Primariis Sacerdotum, & Scribis? CAP. XX.

Conſtitit Synedrium ut plurimùm ex Sacerdotibus, Levitis & Iſraëlitis, quamvis originale præceptum fuerit pro Sacerdotibus & Levitis tantùm. VERS. 37, 42.

Maimon. in Sanhedr. cap. 2. *Præceptum eſt ut ſint de Synedrio magno, Sacerdotes & Levitæ, ſicut dicitur, Ibis ad Sacerdotes & Levitas:* ואם לא מצאו, *Quòd ſi tales non inveniantur*, אפילו היו כולם ישראל הרי זה מותר, *etiamſi omnes ſint Iſraëlitæ, ecce eſt permiſſum.* Nemo concipiet fuiſſe unquam Synedrium, in quo fuerunt Iſraëlitæ tantùm, & nulli Sacerdotes & Levitæ: & vix concipias fuiſſe unquam Synedrium, in quo fuerunt tantùm Sacerdotes & Levitæ, & nulli Iſraëlitæ. Γραμματεῖς ergò hoc in loco videtur vel Levitas denotare, vel cum Levitis Sacerdotes inferioris ordinis, & qui non eſſent Ἀρχιερεῖς & tum Πρεσβύτεροι ſint Iſraëlitæ, vel Seniores Laici, qui fuerunt de alia Tribu, & non Leviticâ. Talis erat *Rabban Gamaliel* præſens Præſes Synedrii, & *Simeon* filius ejus, de Tribu *Judæ*.

VERS. 37. Λέγει Κύριον τὸν Θεὸν Ἀβραάμ, &c.

• *Shemoth Rabba*, fol. 159. 1. *Quare dicit Moſes, Recordare Abraham, Iſaac & Jacob?* Exod. 32: 13. *Dicit R. Abin, Dicit Dominus Moſi, Ego requiro à te decem homines, ſicut requiſivi à Sodoma. Præbe mihi decem juſtos in populo, atque ego populum non perdam. Tum Moſes, Ecce ego, & Aaron, & Eliazar, & Ithamar, & Phinehas, & Caleb, & Joſua. At Deus, Hi ſunt tantùm ſeptem, ubinam tres alii? Cùm neſciret Moſes quid ageret, dixit, O Domine æterne,* חיים הם המתים, *Num vivunt illi qui mortui ſunt? Dicit Deus, Imò. Tum Moſes, Si mortui vivunt, tum recordare Abrahamum, Iſaacum & Jacobum.*

VERS. 42. Εἶπεν ὁ Κύριος τῷ Κυρίῳ μου, &c.

Cùm dicat *Matthæus*, Cap. 22: 46. *Quòd nemo potuit ei reſpondere quicquam* ad hoc argumentum, quo aſtruere conatur Deitatem *Meſſiæ*, planum eſt, non adhuc adinventas fuiſſe evaſiones iſtas, quibus Judæi poſteà conati ſunt locum iſtum eludere. Nam

Talmudici ad *Abrahamum* Pſalmum applicant; Targumiſta, quantùm videtur, ad *Davidem*; alii, teſte Juſtino Martyre, ad *Ezechiam*, quod non memini me apud Scriptores Judaicos obſervaſſe. Verba ejus hæc in

Dialog. cum Tryphone, pag. 250, Καὶ

Digitized by Google

CAP. XX. VERS. 31, 46.

τοῦτον τὸν Ψαλμὸν [cum totum Pſalmum recitaſſet] ὅτι εἰς τὸν Ἐζεχίαν τὸν βασιλέα εἴρηται ἐξηγεῖσθαι τολμᾶτε οὐκ ἀγνοῶ. *Quòd hunc Pſalmum audeatis explicare, ac ſi dictum de Ezechia Rege, ego non ignoro.*

Illi autem ſic, in

Sanhedr. fol. 108. 2. *Dixit Sem magnus Eleazaro,* [ſervo Abrahami] *Cùm venirent in vos Reges Orientis atque Occidentis, quid egiſtis? Reſpondit ille, Adduxit Sanctus benedictus Abrahamum, & ſedere eum fecit à dextra ſua.* Et

Nedarim, fol. 32. 2. *Propoſuit ſibi Sanct. ben. derivare ſacerdotium à Semo, ſicut dicitur: Ille fuit Sacerdos Dei altiſſimi*, Geneſ. 14. *At cùm ille priùs benediceret Abrahamo quàm Deo, derivavit Deus ſacerdotium ab Abrahamo. Nam ſic dicitur, Et benedixit ei, & dixit, Benedictus ſit Abram à Deo altiſſimo, poſſeſſore cœli & terræ, & benedictus ſit Deus altiſſimus. Dicit ei Abrahamus, Num benedicunt ſervo ante Dominum ſuum? Extemplò dedit Deus ſacerdotium Abrahamo, ſicut dicitur, Dixit Dominus Domino meo, Sede à dextra mea. Et poſteà ſcriptum eſt, Juravit Dominus, nec pænitebit, Tu es Sacerdos in æternum propter locutionem* [nam ſic interpretantur על דברתי] *Melchizedechi.* Ad *Abrahamum* etiam in explicando hoc Pſalmo, reſpiciunt *Midras Tillin*, aliique. Excellentiſſimi certè Commentatores.

VERS. 46. Θελόντων περιπατεῖν ἐν στολαῖς.

In indumentis ad pedes demiſſis. Vernac. noſtra, *In long robes*: benè atteſtantibus ipſis Magiſtris in

Bava Bathra, fol. 57. 2. *R. Jochanan quæſivit à R. Banaah*, חלוק של תח״ כיצד, *Camiſia Diſcipuli Sapientum qualis eſt? Talis ut caro ejus non conſpiciatur infra eam.* Gloſſ. Ut demiſſa ſit uſque ad plantam pedis, nè dignoſcatur quando incedit nudis pedibus.

טלית של הח״ כיצד, *Talith Diſcipuli Sapientis qualis eſt? Nè conſpiciatur infra eam camiſia latitudine palmi.*

Quid Στολὴ πρώτη ſit, *Luc.* 15:22. quæritur. An *ſtola prior*, i. e. quam Prodigus geſſerat olim: an *ſtola prima* vel præcipua. Quæratur etiam, annon *Talith* intelligatur ſpeciatim, utpote quæ & ſtola dignior eſſet quàm *Hhaluk*, & quæ ſe primam obtulit oculis conſpicientium.

Sanhedr. fol. 44. 1. *Vidi inter ſpolia* אדרת שנער, *Pallium Babylonicum*, Joſ. 7. *Rabb dicit.* איצטלא דמילתא, *Stolam meloten.* Gloſſ. טלית של צמר נקי, *Talith de lana puriſſima.*

CAP. XXI. VERS. 24. CAP. XXII. VERS. 4.

CAP. XXI.

VERS. 24. Ἄχρι πληρωθῶσι καιροὶ ἐθνῶν.

Hieroſolyma *calcabitur à Gentibus, donec impleantur tempora Gentium*: & quid tum? Quo ſenſu ſumenda hîc vox *donec?* Liberum eſto cuivis judicium ſuum, modò meum mihi. Certus ſum Salvatorem hîc agere de ruina *Hieroſolymæ*, quæro an agat de ejus reſtauratione; atque an tempora Gentium ſint adimplenda ante ipſum finem mundi? Ego quidem non ſatis inſtructus ſum pro affirmativo. Sed hanc diſputationem omittimus. Miramur interim, quòd Diſcipuli tam planè hæc audientes ab ore Magiſtri de ruina urbis & gentis, tam citò quærerent, *Domine, num hoc tempore reſtitues regnum Iſraëli?* Miramur etiam, quòd Clar. *Beza* verſiculum proximè ſequentem ſic interpretetur, *Tunc erunt ſigna in ſole*, &c. *Id eſt, poſtquàm exacta fuerint tempora Gentium ſaluti, & Judæorum ultioni conſtituta, de qua re copioſè Paulus*, Rom. 11:25. Cùm nihil clarius in talis interpretationis refutationem dici potuerit, quàm illud, verſ. 32. *Amen dico vobis, Nequaquàm præterierit hæc generatio, donec hæc omnia facta fuerint.* Quod, mirum ab eo aliiſque nonnullis, non ſatis animadverſum fuiſſe ut oportuit, cùm reverà verba iſta, ſint quaſi gnomon totius capituli.

Reliqua Capitis coincidunt cum *Matth.* 24. & *Marc.* 13. ad quæ loca adduximus ea, quæ habuimus dicenda: hîc igitur nihil repetimus: quod & in quamplurimis locis apud hunc Euangeliſtam facimus, cùm ille quàm plurima habeat, quæ referuntur à reliquis Euangeliſtis, & quæ apud eos tractavimus.

CAP. XXII.

VERS. 4. Καὶ τοῖς στρατηγοῖς.

Vocantur Στρατηγοὶ τοῦ ἱεροῦ, *verſ.* 52. & numero ſingulari, Στρατηγὸς τοῦ ἱεροῦ, *Actor.* 4:1. At quinam hic & illi?

I. Omnibus notum eſt, fuiſſe Præſidium Romanum in *Antonia*, cui præcipuè demandata cura adverſus tumultus & ſeditiones in Templo. At num Tribunus vel Centuriones iſtius Præſidii dicti Στρατηγοὶ τοῦ ἱεροῦ; Imò potiùs Στρατηγοὶ τῆς Ἀντωνίας. Et certè parùm conſtat, duces Romanos conjuratos fuiſſe in vitam Chriſti, ut ad eos ſe conferret *Judas* pacturus de ejus proditione.

II. Probabilior conjectura poſſet eſſe de Præfectis iſtis in Templo, de quibus

CAP. XXII. VERS. 19.

Shekalim, cap. 5. *Hi ſunt Præfecti qui fuerunt in Templo, Johanan ben Phinehas Præfectus ſigillis. Abijah Præfectus libaminibus. Matthiah ben Samuel Præfectus ſortibus*, &c. At mihi extra omne dubium eſt, Στρατηγοὺς τοῦ ἱεροῦ fuiſſe duces variarum excubiarum.

Middoth, cap. 1. *Tribus in locis Sacerdotes excubias agunt in Templo, nempe in Beth Abtenes, Beth Nitſots, & Beth Mokad. Levitæ quoque locis viginti uno.* Cùm ergò hæ cuſtodiæ vel excubiæ conſtiterint unaquæque ex multis excubitoribus, erat quidam qui unicuique cuſtodiæ præficeretur. Huc ſpectare arbitror illud *Pilati*, *Matth.* 27:65. Ἔχετε κουστωδίαν, Habetis vos excubias de proprio, mittantur quidam ex illis ad cuſtodiendum ſepulchrum.

III. Στρατηγὸν igitur τοῦ ἱεροῦ diſtinctivè ſumptum, & per eminentiam, ego eum eſſe arbitror, qui dicitur איש הר הבירת, *Montis Templi Præfectus*, qui caput erat omnium capitum excubiarum.

Middoth, ubi antè, halac. 2. איש הר הבית היה מחזיר על כל משמר ומשמר, *Montis Templi Præfectus perambulabat per ſingulas excubias; faceſque ardentes ante eum. Sique aliquem de cuſtodia, qui non pedibus inſiſteret, comperiret, dixit ei, Pax tibi. Si autem adverteret eum dormire, baculo percuſſit, atque ei permiſſum eſt veſtimenta ejus comburere. Et cùm diceretur ab aliis, Quiſnam iſte ſtrepitus in Atrio? Reſponſum eſt, Clamor Levitæ vapulantis, & cujus veſtimenta ſunt combuſta, ideò quòd in excubiis dormiret. Dixit R. Eliezer ben Jacob, Semel invenerunt fratrem matris meæ dormientem, & veſtimentum ejus combuſſerunt.* Confer *Apocal.* 16:15.

Facile eſt diſtinguere hunc איש הר הבית, *Præfectum montis Templi*, à סגנתה, *Præfecto Templi, vel Sagan.* Nam ille præfuit excubiis tantùm, *Sagan* toti miniſterio ſacro. Et ſic diſtinctos eos habes, *Actor.* 4. Στρατηγὸς τοῦ ἱεροῦ, *verſ.* 1. & *Annas* qui fuit *Sagan.*

Quid clarius *Lucæ* methodo hoc in loco? Intravit Satanas in *Judam*, paciſcitur ille cùm principibus Sacerdotum & Στρατηγοῖς, quærit opportunitatem prodendi. Atque deinde venit dies Azymorum. Hæc benè conſuant illi, qui cœnam iſtam, *Joann.* 13. ad quam Satanas intravit in *Judam*, volunt eſſe cœnam Paſchalem.

VERS. 19. Τοῦτό ἐστι τὸ σῶμά μου.

Antitheticam partim, partim alluſivam reflexionem habent verba inſtitutionis Euchariſtiæ per totum.

I. *Hoc eſt corpus meum.* Propter præſentem Paſchatizationem, reſpicere optimè poſſunt hæc verba corpus agni Paſchalis. *Corpus*, inquam, *agni Paſchalis*, nam ipſiſſimam iſtam Phraſiologiam de eo adhibent Judæi.

Maimon. in Hhamets umatſah, cap. 8. *Introducunt menſam paratam, in qua ſunt herbæ amaræ, atque olera alia, & panis azymus, &* חרוסית, *Pulmentum*, וגופו של כבש הפסח, *Et corpus agni Paſchalis.* Atque aliquantò pòſt. ואוכל מגופו של פסח, *Comedit de corpore Paſchatis.* Unde ſenſus Salvatoris hîc facilè elicitur, Eo ſignificatu quo agnus Paſchalis extitit corpus meum huc uſque, eſto à modo hic panis corpus meum.

II. *Quod pro vobis datur.* Verùm addit Apoſtolus, *Quod pro vobis frangitur:* quod non adeò quidem convenit cum agno Paſchali, ac cum agno ſacrificii jugis. Nam Paſchatis nullum os fractum: agnus autem ſacrificii jugis fractus & in partes diſſectus: uterque tamen corpus Chriſti, in figura. Atque quamvis hæ inter eos differentiæ, præter fractionem, 1. Quòd agnus jugis foret ſacrificium pro toto *Iſraële*, Paſchalis autem pro hac aut illa familia. 2. Jugis erat ſacrificium pro remiſſione peccatorum, Paſchalis vix ità. 3. Jugis igne abſumptus, Paſchalis comeſus: tamen in hoc convenerunt, quòd ſub utroque effigiatum eſt corpus Chriſti ſub varia notione.

III. *Hoc facite in commemorationem mei.* Sicut Paſcha feciſtis in commemorationem exitûs ex Ægypto.

Beracoth, cap. 1. hal. ult. *Recordaberis diem exitûs tui ex Ægypto omnibus diebus vitæ tuæ. Ben Zuma ſic interpretatur, Diebus vitæ tuæ, id eſt, interdiu; omnibus diebus vitæ tuæ, id eſt, etiam noctu. At Sapientes dicunt, Diebus vitæ tuæ, id eſt, in hoc ſæculo; omnibus diebus vitæ tuæ, ut includantur dies Meſſiæ.*

At cùm in diebus *Meſſiæ* peracta & præſtita ſit nobilior liberatio & redemptio, quàm iſta ex Ægypto, permitte jam, ô Judæe, ut iſta commemoretur, atque ille qui rem præſtitit. Suſpicio nobis eſt ad 1 *Cor.* 11. nonnullos Corinthiorum in ipſa participatione Euchariſtiæ adeò Judaizaſſe, ut illud quod inſtitutum fuit in commemorationem redemptionis per mortem Chriſti, perverterint in commemorationem exitûs ex Ægypto, & nequaquàm in Sacramento diſcernerent corpus Domini.

Sub Lege erant variæ comeſtiones ſacræ rerum ſacrarum.

Prima illa, de qua, *Siphra*, fol. 24. 4. בהכים אוכלים ובעלים מתכפרים, *Quando Sacerdotibus de ſacrificio comedentibus, expiatio facta eſt pro offerente.*

Aliæ Chagigarum, decimarum, ſacrificiorum Euchariſticorum, &c. comedendorum ab offerentibus, quæ omnia jam terminantur.

τοῦτον τὸν Ψαλμὸν [cum totum Pſalmum recitaſſet] ὅτι εἰς τὸν Ἐζεχίαν τὸν βασιλέα εἰρῆσθαι ἐξηγεῖσθαι τολμᾶτε οὐκ ἀγνοῶ. *Quòd hunc Pſalmum audeatis explicare, ac ſi dictum de Ezechia Rege, ego non ignoro.*

Illi autem ſic, in

Sanhedr. fol. 108. 2. *Dixit Sem magnus Eleazaro,* [ſervo Abrahami] *Cùm venirent in vos Reges Orientis atque Occidentis, quid egiſtis? Reſpondit ille, Adduxit Sanctus benedictus Abrahamum, & ſedere eum fecit à dextra ſua.* Et

Nedarim, fol. 32. 2. *Propoſuit ſibi Sanct. ben. derivare ſacerdotium à Semo, ſicut dicitur: Ille fuit Sacerdos Dei altiſſimi,* Geneſ. 14. *At cùm ille priùs benediceret Abrahamo quàm Deo, derivavit Deus ſacerdotium ab Abrahamo. Nam ſic dicitur, Et benedixit ei, & dixit, Benedictus ſit Abram à Deo altiſſimo, poſſeſſore cæli & terræ, & benedictus ſit Deus altiſſimus. Dicit ei Abrahamus, Num benedicunt ſervo ante Dominum ſuum? Extemplò dedit Deus ſacerdotium Abrahamo, ſicut dicitur, Dixit Dominus Domino meo, Sede à dextrà mea. Et poſteà ſcriptum eſt, Juravit Dominus, nec pænitebit, Tu es Sacerdos in æternum propter locutionem* [nam ſic interpretantur על דברתי] *Melchizedechi.* Ad *Abrahamum* etiam in explicando hoc Pſalmo, reſpiciunt *Midras Tillin*, aliique. Excellentiſſimi certè Commentatores.

VERS. 46. Θελόντων περιπατεῖν ἐν στολαῖς.

In indumentis ad pedes demiſſis. Vernac. noſtra, *In long robes:* benè atteſtantibus ipſis Magiſtris in

Bava Bathra, fol. 57. 2. *R. Jochanan quæſivit à R. Banaah,* חלוק של תח״ כיצד, *Camiſia Diſcipuli Sapientum qualis eſt? Talis ut caro ejus non conſpiciatur infra eam.* Gloſſ. Ut demiſſa ſit uſque ad plantam pedis, nè dignoſcatur quando incedit nudis pedibus.

טלית של תח״ כיצד, *Talith Diſcipuli Sapientis qualis eſt? Nè conſpiciatur infra eam camiſia latitudine palmi.*

Quid Στολὴ πρώτη ſit, *Luc.* 15:22. quæritur. An *ſtola prior*, i. e. quam Prodigus geſſerat olim: an *ſtola prima* vel præcipua. Quæratur etiam, annon *Talith* intelligatur ſpeciatim, utpote quæ & ſtola dignior eſſet quàm *Hhaluk*, & quæ ſe primam obtulit oculis conſpicientium.

Sanhedr. fol. 44. 1. *Vidi inter ſpolia* אדרת שנער, *Pallium Babylonicum*, Joſ. 7. *Rabb dicit.* איצטלא דמילתא, *Stolam meloten.* Gloſſ. טלית של צמר נקי, *Talith de lana puriſſima.*

CAP. XXI.

VERS. 24. Ἄχρι πληρωθῶσι καιροὶ ἐθνῶν.

Hieroſolyma *calcabitur à Gentibus, donec impleantur tempora Gentium:* & quid tum? Quo ſenſu ſumenda hìc vox *donec?* Liberum eſto cuivis judicium ſuum, modò meum mihi. Certus ſum Salvatorem hìc agere de ruina *Hieroſolymæ*, quæro an agat de ejus reſtauratione; atque an tempora Gentium ſint adimplenda ante ipſum finem mundi? Ego quidem non ſatis inſtructus ſum pro affirmativo. Sed hanc diſputationem omittimus. Miramur interim, quòd Diſcipuli tam planè hæc audientes ab ore Magiſtri de ruina urbis & gentis, tam citò quærerent, *Domine, num hoc tempore reſtitues regnum Iſraëli?* Miramur etiam, quòd Clar. *Beza* verſiculum proximè ſequentem ſic interpretetur, *Tunc erunt ſigna in ſole,* &c. *Id eſt, poſtquàm exacta fuerint tempora Gentium ſaluti, & Judæorum ultioni conſtituta, de qua re copioſè Paulus,* Rom. 11:25. Cùm nihil clarius in talis interpretationis refutationem dici potuerit, quàm illud, verſ. 32. *Amen dico vobis, Nequaquàm præterierit hæc generatio, donec hæc omnia facta fuerint.* Quod, mirum ab eo aliiſque nonnullis, non ſatis animadverſum fuiſſe ut oportuit, cùm reverà verba iſta, ſint quaſi gnomon totius capituli.

Reliqua Capitis coincidunt cum *Matth.* 24. & *Marc.* 13. ad quæ loca adduximus ea, quæ habuimus dicenda: hìc igitur nihil repetimus: quod & in quamplurimis locis apud hunc Euangeliſtam facimus, cùm ille quàm plurima habeat, quæ referuntur à reliquis Euangeliſtis, & quæ apud eos tractavimus.

CAP. XXII.

VERS. 4. Καὶ τοῖς στρατηγοῖς.

Vocantur Στρατηγοὶ τοῦ ἱεροῦ, *verſ.* 52. & numero ſingulari, Στρατηγὸς τοῦ ἱεροῦ, *Actor.* 4: 1. At quinam hic & illi?

I. Omnibus notum eſt, fuiſſe Præſidium Romanum in *Antonia*, cui præcipuè demandata cura adverſus tumultus & ſeditiones in Templo. At num Tribunus vel Centuriones iſtius Præſidii dicti Στρατηγοὶ τοῦ ἱεροῦ; Imò potiùs Στρατηγοὶ τῆς Ἀντωνίας. Et certè parùm conſtat, duces Romanos conjuratos fuiſſe in vitam Chriſti, ut ad eos ſe conferret *Judas* pacturus de ejus proditione.

II. Probabilior conjectura poſſet eſſe de Præfectis iſtis in Templo, de quibus

Sheka-

Digitized by Google

CAP. XXII. VERS. 19.

Shekalim, cap. 5. *Hi ſunt Præfecti qui fuerunt in Templo, Johanan ben Phinehas Præfectus ſigillis. Abijah Præfectus libaminibus. Matthiah ben Samuel Præfectus ſortibus*, &c. At mihi extra omne dubium eſt, Στρατηγοὺς τοῦ ἱεροῦ fuiſſe duces variarum excubiarum.

Middoth, cap. 1. *Tribus in locis Sacerdotes excubias agunt in Templo, nempe in Beth Abtenes, Beth Nitſots, & Beth Mokad. Levitæ quoque locis viginti uno.* Cùm ergò hæ cuſtodiæ vel excubiæ conſtiterint unaquæque ex multis excubitoribus, erat quidam qui unicuique cuſtodiæ præficeretur. Huc ſpectare arbitror illud *Pilati*, *Matth.* 27:65. Ἔχετε κουστωδίαν, Habetis vos excubias de proprio, mittantur quidam ex illis ad cuſtodiendum ſepulchrum.

III. Στρατηγὸν igitur τοῦ ἱεροῦ diſtinctivè ſumptum, & per eminentiam, ego eum eſſe arbitror, qui dicitur איש הר הבית, *Montis Templi Præfectus*, qui caput erat omnium capitum excubiarum.

Middoth, ubi antè, halac. 2. איש הר הבית היה מחזיר על כל משמר ומשמר, *Montis Templi Præfectus perambulabat per ſingulas excubias; faceſque ardentes ante eum. Sique aliquem de cuſtodia, qui non pedibus inſiſteret, comperiret, dixit ei, Pax tibi. Si autem adverteret eum dormire, baculo percuſſit, atque ei permiſſum eſt veſtimenta ejus comburere. Et cùm diceretur ab aliis, Quiſnam iſte ſtrepitus in Atrio? Reſponſum eſt, Clamor Levitæ vapulantis, & cujus veſtimenta ſunt combuſta, ideò quòd in excubiis dormiret. Dixit R. Eliezer ben Jacob, Semel invenerunt fratrem matris meæ dormientem, & veſtimentum ejus combuſſerunt.* Confer *Apocal.* 16:15.

Facile eſt diſtinguere hunc איש הר הבית, *Præfectum montis Templi*, à סגן, *Præfecto Templi, vel Sagan.* Nam ille præfuit excubiis tantùm, *Sagan* toti miniſterio ſacro. Et ſic diſtinctos eos habes, *Act.* 4. Στρατηγὸς τοῦ ἱεροῦ, *verſ.* 1. & *Annas* qui fuit *Sagan*.

Quid clarius *Lucæ* methodo hoc in loco? Intravit Satanas in *Judam*, paciſcitur ille cùm principibus Sacerdotum & Στρατηγοῖς, quærit opportunitatem prodendi. Atque deinde venit dies Azymorum. Hæc benè conſuant illi, qui cœnam iſtam, *Joann.* 13. ad quam Satanas intravit in *Judam*, volunt eſſe cœnam Paſchalem.

VERS. 19. Τοῦτό ἐστι τὸ σῶμά μου.

Antitheticam partim, partim alluſivam reflexionem habent verba inſtitutionis Euchariſtiæ per totum.

I. *Hoc eſt corpus meum.* Propter præſentem Paſchatizationem, reſpicere optimè poſſunt hæc verba corpus agni Paſchalis. *Corpus*, inquam, *agni Paſchalis*, nam ipſiſſimam iſtam Phraſiologiam de eo adhibent Judæi. CAP. XXII. VERS. 19.

Maimon. in Hhamets umatſah, cap. 8. *Introducunt menſam paratam, in qua ſunt herbæ amaræ, atque olera alia, & panis azymus, & חרוסת, Pulmentum*, וגופו של כבש הפסח, *Et corpus agni Paſchalis.* Atque aliquantò pòſt. ואוכל מגופו של פסח, *Comedit de corpore Paſchatis.* Unde ſenſus Salvatoris hîc facilè elicitur, Eo ſignificatu quo agnus Paſchalis extitit corpus meum huc uſque, eſto à modo hic panis corpus meum.

II. *Quod pro vobis datur.* Verùm addit Apoſtolus, *Quod pro vobis frangitur:* quod non adeò quidem convenit cum agno Paſchali, ac cum agno ſacrificii jugis. Nam Paſchatis nullum os fractum: agnus autem ſacrificii jugis fractus & in partes diſſectus: uterque tamen corpus Chriſti, in figura. Atque quamvis hæ inter eos differentiæ, præter fractionem, 1. Quòd agnus jugis foret ſacrificium pro toto *Iſraële*, Paſchalis autem pro hac aut illa familia. 2. Jugis erat ſacrificium pro remiſſione peccatorum, Paſchalis vix ità. 3. Jugis igne abſumptus, Paſchalis comeſus: tamen in hoc convenerunt, quòd ſub utroque effigiatum eſt corpus Chriſti ſub varia notione.

III. *Hoc facite in commemorationem mei.* Sicut Paſcha feciſtis in commemorationem exitûs ex Ægypto.

Beracoth, cap. 1. hal. ult. *Recordaberis diem exitûs tui ex Ægypto omnibus diebus vitæ tuæ. Ben Zuma ſic interpretatur, Diebus vitæ tuæ, id eſt, interdiu; omnibus diebus vitæ tuæ, id eſt, etiam noctu. At Sapientes dicunt, Diebus vitæ tuæ, id eſt, in hoc ſæculo; omnibus diebus vitæ tuæ, ut includantur dies Meſſiæ.*

At cùm in diebus *Meſſiæ* peracta & præſtita ſit nobilior liberatio & redemptio, quàm iſta ex Ægypto, permitte jam, ô Judææ, ut iſta commemoretur, atque ille qui rem præſtitit. Suſpicio nobis eſt ad 1 *Cor.* 11. nonnullos Corinthiorum in ipſa participatione Euchariſtiæ adeò Judaizaſſe, ut illud quod inſtitutum fuit in commemorationem redemptionis per mortem Chriſti, perverterint in commemorationem exitûs ex Ægypto, & nequaquàm in Sacramento diſcernerent corpus Domini.

Sub Lege erant variæ comeſtiones ſacræ rerum ſacrarum.

Prima illa, de qua, *Siphra*, fol. 24. 4. כהנים אוכלים ובעלים מתכפרים, *Quando Sacerdotibus de ſacrificio comedentibus, expiatio facta eſt pro offerente.*

Aliæ Chagigarum, decimarum, ſacrificiorum Euchariſticorum, &c. comedendorum ab offerentibus, quæ omnia jam terminantur.

nuntur. Et jam hoc facite, idque in commemorationem mei.

IV. Τȣ̃το τὸ ποτήριον τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον. Reſpici videtur ad poculum vini, effuſum quotidie in libaminibus cum ſacrificio jugi, nam & illud effuſum pro remiſſione peccatorum; ut panis reſpiciat corpus ſacrificii jugis, & poculum, vinum libationis.

V. *Sanguis meus Novi Teſtamenti.* Sic *Matthæus* & *Marcus.* Reſpectu habito ad ſanguinem taurorum & hircorum, quo pactum eſt Vetus Teſtamentum, *Exod.* 24. *Hebr.* 9: 19.

VI. *Novum Teſtamentum in ſanguine meo.* Sic hîc noſter, & Apoſtolus, 1 *Cor.* 11. Reflexione habitâ ad totum miniſterium altaris, ubi effuſio ſanguinis; imò ad totum Judaiſmum, nam hinc inchoatio Novi Teſtamenti. Et videtur quòd frequens illa participatio Euchariſtiæ in primordiis iſtis Eccleſiæ, inter alia fuerit, ut obſignarentur firmarenturque converſi illi à Judaiſmo contra Judaiſmum, exiſtente ipſo Sacramento notâ ceſſantis Veteris Teſtamenti atque inchoati Novi.

VERS. 21. Πλὴν ἰδὲ ἡ χεὶρ τȣ̃ παραδιδόντος, &c.

Quidnam ampliùs deſiderari poteſt, ut demonſtretur Judam affuiſſe ad Euchariſtiam? Dum contrarium aſtruitur ex *Joann.* 13. fit nihil ex nihilo, nam in toto illo Capite nè ſyllaba quidem una de cœna Paſchali, ſed de cœna *ante feſtum* Paſchæ.

VERS. 26. Ὡς ὁ νεώτερος.

Vulg. & Interlin. *Sicut junior.* Vernac. noſtra, *As the younger*, optimè: nam ut Beza in locum, Νεώτερος *propriè dicitur de ætate.* Quæro ergo ego,

I. Annon Petrus fuit maximus natu in toto cœtu? Quonam fundamento quiſquam negaverit? Inter duodecim neceſſe erat, ut aliquis eſſet numero & ordine primus, & congruentiſſimum ut maximus natu numeraretur primus. Et quemnam dixeris ſeniorem Petro?

Hinc ille primus in catalogo Apoſtolorum, quia maximus natu. Hinc ſedit ille ad menſam proximus Magiſtro, quia maximus natu. Hinc ſermones Chriſti frequenter ad eum peculiariùs directi, & reſponſa ejus ad Chriſtum vice reliquorum, quia ille maximus natu. Quod in mentem revocat אמוריה או מתרגמניה של ר', *Interpretem Doctoris* in Schola Rabbinica, qui interlocutor erat inter Magiſtrum & Diſcipulos, eâque ratione primus in Schola, verùm abſque primatu.

Cùm in ſacro Collegio poſt aſcenſionem Salvatoris Petrus vulgariter ſit prolocutor, quis probabiliorem rationem ejus rei reddiderit, quàm ejus Senioritatem? An reliqui non æque habiles ad loquendum, ac ille? Annon illi æqualis cùm eo authoritatis, zeli, fidei, ſcientiæ, &c? At ille maximus natu.

II. Non poſſum ergò non ex proprio ſignificatu vocis Νεώτερος, [cui reſpondet ὁ μείζων ætatem reſpiciens] ſuſpiciari aliquem ex iis ob ſenioritatem privilegium aliquod aut primatum ſibi vendicaſſe: & niſi oſtendas aliquem ſeniorem *Petro*, ignoſce mihi, ſi opinor illum in hac contentione fuiſſe anteſignanum, & litem præcipuè motam fuiſſe inter eum & Zebedæanos. Nam parùm probabile videtur, reliquos novem contendere voluiſſe pro primatu cum *Petro*, *Jacobo & Joanne*, quos Chriſtus coràm iis peculiariùs notis favoris ſui ornaverat & diſtinxerat. Ita ut rixa inter hos tres videatur ſpecialiùs ferveſcere, & *Petrus* dux eſſe in contentione, partim quòd Chriſtus eum nominatim corripiat, partim quòd non meminiſſe non poteſt illud Jacobi & Joannis, *Domine, ſedeamus nos à dextra tua & ſiniſtra.*

VERS. 31. Σίμων, Σίμων.

Mutentur nomina & perſonæ, *ô Thoma, Thoma: ô Philippe, Philippe, Satanas expetivit*, &c. *Ego autem rogavi*, &c. quiſnam hinc eliceret primatum *Thomæ* & *Philippi* ſupra reliquos Apoſtolos, atque omnes Eccleſias? Quod tamen pro *Petro* faciunt Pontificii. Quis non verba intelligeret potiùs, ut verba objurgantis: *O Thoma, ô Philippe*, tune adeo exardeſcis æſtu contentionis pro primatu, cùm *Satanas* contra vos omnes exardeſcat; & dum vos contenditis, ille contra omnes contendat. Sub tali notione ego Chriſtum Petrum alloqui minimè dubito: atque illum objurgationem ex hiſce verbis reportare, longè magis quàm promotionem ad primatum.

VERS. 32. Ἵνα μὴ ἐκλείπῃ ἡ πίστις σȣ.

Emphaſis videtur eſſe in voce πίστις· In reliquis Apoſtolis defecit quidem *virtus* illa & *magnanimitas* Chriſtiana, quam exeruiſſe & exercuiſſe oportuit in tali periculo; at longè longiùs aberat eorum *fides* à naufragio, quàm fides *Petri.* Dereliquerunt quidem illi Magiſtrum, & aufugerunt, *Marc.* 14: 50. Atque hoc nonniſi cum aliquo conſenſu Domini, *Joann.* 18: 8. At cùm *Petrus* abnegaret Dominum atque abjuraret, quantillum abfuit ille ut fieret משומר, *Apoſtata*, atque ipſa ejus fides naufragaretur penitus.

Digitized by Google

CAP. XXII. VERS. 36,37,43.

Ceſſit certè in *Petri* commodum, quòd Chriſtus pro eo oraverit; at non ita multùm cedit in honorem ejus, quòd ille præ omnibus aliis opus habuerit tali oratione.

VERS. 36. Πωλησάτω τὸ ἱμάτιον αὐτοῦ, καὶ ἀγορασάτω μάχαιραν.

An ſeriò hæc conſulit Salvator?

I. Vulgari utitur dialecto: nam ſic & Magiſtri in rebus aliis.

Maimon. Chanuchah, cap. 4. *Qui non habet quod comedat niſi ex eleemoſyna, mendicet,* אוֹ מוֹכֵר כְּסוּתוֹ, *aut vendat veſtimentum ſuum, ut comparet ſibi oleum & lucernas pro feſto Encæniorum*, &c.

II. Admonet de impendente periculo, & vulgari modo locutionis adhibito, vult evincere, gladiis in communem hoſtem potiùs opus eſſe, quàm rixis & contentionibus inter ſeipſos: non tam hortans ut vim vi repellant, quam ut apprehenſione communis contra ipſos inimicitiæ, propriam inter ſe animoſitatem reprimant.

VERS. 37. Καὶ γὰρ τὰ περὶ ἐμοῦ τέλος ἔχει.

Id eſt, Jam res veſtra eſt agenda, nam mea eſt acta. Me inter vos præſente, filii thalami non habuerunt cur lugerent; at me ſublato atque inter ſceleſtos numerato, cogitate jam quid de vobis & à vobis agendum, & num hoc eſt tempus inter vos rixandi?

VERS. 43. Ἄγγελος ἐνισχύων αὐτόν.

I. In tentationibus in eremo nullus ei affuit Angelus, nam dicit Matthæus, Cap. 4: 11. *Tunc diſceſſit ab eo Diabolus, & ecce venerunt Angeli, & miniſtrarunt ei:* nempe cùm Diabolus ab eo jam diſceſſerat.

At in hac tentatione, Ἄγγελος ἐνισχύων. Et quare? Propter ἀγωνίαν ejus dices, idque veriſſimè. Verùm unde, & qualis iſta ἀγωνία? Ex ſenſu, inquies, iræ atque indignationis divinæ. Ego ita dicere quidem non audeo, nec cogitare quòd ei indignatus atque iratus fuerit omnino. Et ſi eum ita premeret angor & agonia ob prementem iram Dei, non video certè qualem confortationem miniſtrare potuerit Angelus contra talem iram. Arguit potiùs Deum ei non iratum fuiſſe, quòd miſerit ad eum Angelum confortantem.

II. Certiſſimum eſt, Chriſtum cum furibundo atque irato Diabolo jam eſſe colluctatum, imò cum Diabolo à catena ſua ſoluto, & ſine aliqua divinæ providentiæ cohibitione permiſſo, ut omnes vires & furias ſuas in eum exereret. Quod à Deo non permiſſum ex aliqua erga filium ſuum indignatione, ſed ut per

CAP. XXII. VERS. 43.

nobilem hunc Athletam ſuum, contra inſultantem hoſtem, victoriam reportaret etiam humana natura: nam parùm erat viciſſe Diabolum per meram potentiam divinam.

III. Quamvis igitur non referatur in terminis, promptum tamen mihi eſt perſuaderi, quòd Diabolus apparuerit Chriſto in ſpecie aliqua viſibili. Induit ille, cùm eum tentaret in eremo, formam Angeli boni, vel potiùs ſpeciem aliquam Spiritus Sancti: in hac autem ultima tentatione, induit ſeipſum, atque apparuit in propriis coloribus, in forma ſcilicet aliqua dira & horrenda, quâ Chriſtum perterrefaceret. Atque inde ille Ἤρξατο ἐκθαμβεῖσθαι καὶ ἀδημονεῖν, *Marc.* 14: 33. Atque hîc Γίνεσθαι ἐν ἀγωνίᾳ.

Nec temerè leviterque hoc ſupponimus, ſed hiſce rationibus.

I. Cùm in horto antiquus iſte Draco primum *Adamum* aggreſſus ſit in ſpecie viſibili, non incongruum eſt opinari eum jam in horto etiam ſecundum *Adamum* aggredi ſpecie etiam viſibili.

II. Dicit Euangeliſta hic noſter de tentatione in eremo, *Finitâ omni tentatione, diſceſſit ab eo Diabolus* ἄχρι καιροῦ, *Luc.* 4: 13. Redit in hac, *Joann.* 14: 30. & non video cur jam non in ſpecie aliqua viſibili, æque ac tunc temporis.

Tunc temporis in forma placida & grata, ut Chriſtum falleret; nunc temporis in horrida & tremenda, ut eum terreat. Nam cùm ſatis expertus fuerat, quàm fruſtra conatus ſit eum allicere, quid ei jam reliquum, niſi ut animum, ſi fieri poſſit, terrore quaſſet.

III. Cùm enim nihil in tota officina nequiſſimi iſtius artificis ad quaſſandos animos mortalium magis valeat, quàm horrenda ejus apparitio, nemo conceperit neglectam ab eo jam fuiſſe iſtam machinam, ut per oculos ejus, ſi fieri poſſit, perturbet animum.

Quod igitur fingunt aut ſomniant Judæi in

Hieroſ. Kilaim, fol. 32. 2. *Solomon vidit Angelum mortis* [Diabolum] *frendentem dentibus. Diſcipulus τοῦ Rabbi vidit Angelum mortis frendentem dentibus.* Ego revera hic actum arbitror, quòd ſcilicet Chriſtus viderit Diabolum, antiquum Draconem ei inhiantem cum omnimodo, quem induere potuit, horrore.

In parem ſenſum ego intellexerim illud de *Angelo Satanæ Apoſtolum colaphizante*, 2 Cor. 12. nempe quòd Diabolus in terribili aliqua ſpecie viſibiliter ei apparuerit, atque eum afflixerit. Et forſan eòdem ſpectat ardens ejus deſiderium Diſcipulos ventilandi, *verſ.* 31. nempe ut ei permitteretur talibus terriculamentis eos aggredi.

Digitized by Google

CAP. XXII. VERS. 44. 47.

VERS. 44. Ὁ ἱδρὼς αὐτοῦ ὡσεὶ θρόμβοι αἵματος.

Diodorus Siculus, lib. 17. pag. 560. de regione loquens, ubi rem habuit *Alexander* Magnus cum *Poro*, hæc habet. *Serpentes ibi ſunt* οἱ διὰ τῶν δηγμάτων ὀξεῖς θανάτους ἀπεργάζοντο· Τὸν δὲ πληγέντα πόνοι δεινοὶ συνεῖχον, καὶ ῥύσις ἱδρῶτος αἱματοειδὴς κατεῖχε, *Qui per morſus ſuos mortes acerbiſſimas operantur: percuſſum autem ab iis angores graves tenent, & profluxus ſudoris inſtar ſanguinis prehendit.* Sudorem pariter hunc Salvatoris ego ictui ſerpentis antiqui potiùs aſcripſerim, quam iræ divinæ apprehenſioni.

VERS. 47. Φιλῆσαι αὐτόν.

Horridum & terribilem Diabolum experitur Salvator; àt cicurem & mitem videtur nactus proditor. Verſatur ille inter Diſcipulos, & nullum ſpecimen inhabitantis in eo Diaboli. Adeſt ad Paſcha, ad Euchariſtiam, ad ipſa labia Chriſti, & nullum inhabitantis in eo *Satanæ* indicium. At cùm peractum per te eſt opus *Satanæ*, tum vide tibi, ô *Juda*, à tuo Diabolo.

Eſto leniſſimum de machinatione ejus judicium, quòd nempe ſecum cogitarit, non poſſibile fuiſſe ut prehenderetur Chriſtus à Judæis, utpote quem viderat, præter alia miracula ſtupenda operantem, ſeipſum etiam è manibus eorum ſemel iterumque liberantem: atque eſto, quòd cum diceret, *Quemcunque oſculatus fuero, ipſe eſt, tenete eum*, deriſoriè hæc dixerit, utpote autumans impoſſibile fuiſſe iis illum tenere: eſtoque quòd cùm videret eum damnatum, pœnitentiâ eſt ductus, minimè ſuſpicatus rem ad talem eventum proceſſuram, ſed Chriſtum ſeipſum è manibus eorum liberaturum, atque ipſum triginta nummos lucrifacturum: detur hanc fuiſſe ejus machinationem, & coloribus quantùm fieri poteſt apologeticis cohoneſtetur; ſceleſtius tamen quicquam non patratum eſt à creato homine, quàm ſic ludere cum Sancto Sanctorum, & mercaturam facere Filii Dei. Verùm ego deteriora ſuſpicor in animo proditoris: nempe quòd Chriſtus realiter ei diſpliceret, & quòd cum magnis illis ductoribus gentis ſuſpicaretur eum quidem eſſe *Meſſiam*, ſed non talem qui carnali eorum expectationi reſponderet.

Diſtinguunt Magiſtri oſcula in *licita oſcula*, & נשיקות תפלות, *oſcula fatuitatis*, & dicunt in

Shemoth Rabba, fol. 122. 4. *Quòd omnia oſcula ſunt oſcula fatuitatis, præter tria*, quæ ibi numerant.

At qualenam, quæſo, hoc oſculum? *Oſculum fatuitatis* eſt nana nimis & nimis pygmæa phraſiologia pro giganteo hoc monſtro. CAP. XXII. VERS. 53. CAP. XXIII. VERS. 2, 7.

VERS. 53. Αὕτη ὑμῶν ἐστιν ἡ ὥρα καὶ ἡ ἐξουσία τοῦ σκότους.

Adeſt jam Serpens ipſe in *Juda*, & ſemen Serpentis ipſâ hâc turbâ, cui fatale erat conterere calcaneum *Meſſiæ*, & jam eſt hora veſtra pro iſto ſcelere. Olim prædictum eſt de re, & prædeterminatum eſt de inſtrumentis; & jam ſolvuntur omnia clauſtra impedientia, & licet vobis quod vultis. Laxantur catenæ Diaboli, & permittitur ei, divinâ providentiâ nequaquàm coërcente, vires & furores ſuos exercere pro ſuo libitu, nam nunc eſt poteſtas tenebrarum.

Σκότος eſt Diabolus Allegoriſtis.

Aruch, in חשך, *In Jelammedenu ſuper verba iſta, Accipe virgam, dicitur. Primo die creationis creatus eſt Angelus mortis, [Diabolus] ſicut dicitur, Et tenebræ erant ſuper faciem abyſſi, hoc eſt, Angelus mortis qui obumbrat oculos hominum.*

CAP. XXIII.

VERS. 2. Τοῦτον εὕρομεν διαστρέφοντα τὸ ἔθνος.

SAnhedr. fol. 103. 1. *Diſcipulus corrumpens edulium ſuum publicè*, כגון ישו הנוצרי, *Sicut fecit Jeſus Nazarenus.*

Corrumpere edulium publicè, Magiſtris eſt corrumpere veram doctrinam hæreſi, & verum Dei cultum idololatriâ. Hæc præſens accuſatio Chriſti, quòd heterodoxa doceret & pernicioſa, talia præſertim quæ populum averterent atque abalienarent ab obedientia Romanorum.

Aruch hæc Talmudica cautiùs profert; nam pro, *Sicut fecit Jeſus Nazarenus*, habet, *ſicut fecit Jeroboamus.*

VERS. 7. Ἀνέπεμψεν αὐτὸν πρὸς Ἡρώδην.

An ut concedens jus *Herodi* Hieroſolymis in capitalibus de *Galilæis*? Quin potiùs ut vel aduletur tyranno, vel ut moleſtiam & odium à ſe amoveat circa condemnationem *Jeſu*: quem innocentem eſſe judicavit, & cujus aliqualiter eſt miſertus. Cenſens forſan eum eſſe שוטה, delirum & vix compotem mentis. Quod & cenſuiſſe videtur Herodes, per ſtolidam iſtam ſtolam, quâ eum amicivit ἐσθῆτα λαμπράν. Quam ego de veſte alba cum aliis intellexerim, niſi quòd videam hunc Euangeliſtam cum de veſte alba habet ſermonem, *albam* eam vocare in terminis, Cap. 9:29. Ὁ ἱματισμὸς αὐτοῦ λευκός. *Actor.* 1:10. Δύο ἄνδρες ἐν ἐσθῆτι λευκῇ.

VERS. 30.

Digitized by Google

CAP. XXIII. VERS. 30, 31, 34, 36. VERS 30. Τότε ἄρξονται λέγειν τοῖς ὄρεσι, &c.

Sic dicunt illi, *Apocal.* 6:16. Unde inter alia colligere eſt caput illud agere de plagis excidium *Hieroſolymitanum* præcedentibus, atque ipſo excidio. Accuratius expende iſtud Caput, & fortè mecum cogitabis. Et non parùm lucis methodo Apocalyptæ, ſi me non fallant oculi mei, præbet illúd obſervatum.

VERS. 31. Εἰ ἐν ὑγρῷ ξύλῳ ταῦτα ποιοῦσιν.

Recurre hinc ad verba Baptiſtæ, *Matth.* 3:10. *Jam ſecuris ad radicem arboris poſita eſt.* Tum ſcilicet cum gens Judaica regimini Romanorum fit ſubjecta, qui eam erant exciſuri. Et ſi illi ita mecum agant ligno virente, quid fiet tandem de tota gente, trunco arido & emortuo?

VERS. 34. Ἔβαλον κλῆρον.

Jecerunt ſortem de veſte ejus inconſutili, *Joann.* 19:23, 24.

Supponitur *Moſes* miniſtraſſe in tali veſtimento.

Taanith, fol. 11. 2. *Quali amictu miniſtravit Moſes ſeptem diebus conſecrationis?* בחלוק לבן, *Camiſiâ albâ. Rabb Cahna dicit*, בחלוק לבן שאין לו אימרא, *In camiſia alba in qua non erat ſutura.* Gloſſ. *Tota camiſia erat compacta de filo uno, & non ſicut veſtes noſtræ, quæ habent brachialia affixa ad veſtem corporis per ſuturam.* At rationem hujus veſtis inconſutilis reddit ridiculam, ad evitandam ſcilicet ſuſpicionem, nè *Moſes* in ſuturis veſtimenti abſconderet aliquid nummi ſacrati.

VERS. 36. Ὄξος προσέφερον αὐτῷ.

Acetum erat potus vulgaris militum Romanorum: atque hinc præſto jam eſt apud eos, quibus demandata eſt cuſtodia crucifixorum.

Ælius Spartian. in Peſcen. Nigr. *Idem juſſit vinum in expeditione neminem* [militum] *bibere, ſed aceto univerſos eſſe contentos.*

Capitolin. in Gordiano tertio. *Cujus viri* [Miſithei] *tanta in Republica diſpoſitio fuit, ut nulla eſſet unquam civitas limitanea potior--- quæ totius anni in aceto, frumento & larido, atque bordeo & paleis condita non haberet.*

Trebell. Poll. in Claudio. *Dabis fœni, paleæ, aceti, oleris, herbarum quantùm ſatis eſt.*

Hinc minus difficile eſt Euangeliſtas conciliare inter ſe, cùm loquuntur de vino dato myrrhâ miſto, & de aceto, duplici ſcil. poculo, uno antequàm cruci affigeretur, myrrhato ſcil. altero aceti, cùm jam in ea penderet: primò per Judæos oblato pro more, altero per milites pro ludibrio.

Si verò triplex poculum conceſſeris, evaneſcit omnis difficultas penitùs. Primum eſto *vinum myrrhatum*, ſecundum *acetum cum felle*, tertium *acetum purum*, quod & maleficis dediſſent milites, ſi potum efflagitaſſent, utpote quod eſſet proprium ipſorum poculentum. Hinc σκεῦος ὄξους μεστὸν erat in promptu, ut inde ipſi milites biberent, cùm eſſet opus, & crucifixi etiam, ſi eſſet opus. CAP. XXIII. VERS. 42, 43.

VERS. 42. Μνήσθητί μου, Κύριε.

Chriſtus eſt jam in cruce, ſicut *Joſephus* olim in carcere, inter duos maleficos. Illîc unus liberatur, alter ſuſpenditur: hîc unus ſalvatur, alter perit.

Fides hujus latronis eſt quidem ſtupenda, & quæ æquis paſſibus inceſſerit cum fide Apoſtolorum, ſi non & in aliquibus exceſſerit.

Agnoverunt illi *Jeſum eſſe Meſſiam*; agnoſcit pariter & ille; & hoc inſuper, quòd an illi clarè agnoverint, quærere licet ex *Cap.* 24:26. nempe quòd poſt mortem ejus, regnum ejus. Et de regno ejus videtur ille ſaniùs judicare, quàm illi adhuc judicarunt, ut ſuſpicari licet ex *Actor.* 1:6.

Viſum enim eſt Deo in hoc articulo temporis, gratiam ſuam ſingulari & non ordinario modo glorificare, & in converſione peccatoris, & in remiſſione ejus peccatorum. In tali, inquam, articulo temporis, qualem nec unquam adhuc viderat mundus, nec erat unquam poſteà viſurus, in ipſo inſtanti, in quo *Meſſias* erat jam operans redemptionem.

Innotuit utrique latroni, *Jeſum* ideò ad mortem damnatum, quòd ſe profiteretur eſſe Chriſtum; hinc illud impœnitentis, *Si tu es Chriſtus, ſerva teipſum & nos:* & ſi hic noſter aliquandiu eum impeteret convitiis cum altero, quod innui videtur, *Matth.* 27:44. tactum tamen tandem eſt cor ejus, & forſan ex conſpectu miraculoſarum tenebrarum, quæ omnia jam obvolverant.

VERS. 43. Σήμερον μετ' ἐμοῦ ἔσῃ ἐν τῷ παραδείσῳ.

I. Agamus primùm de Phraſiologia Ἐν τῷ παραδείσῳ. Vulgari Dialecto בגן עדן, *In horto Edenis:* quo autem ſenſu, ex hiſce conjiciamus.

Chagigah, fol. 14. 2. ת"ר ד' נכנסו בפרדס, *Tradunt Rabbini. Quatuor ingreſſi ſunt Paradiſum: nempe Ben Azzai, Ben Zuma, Acher & R. Akiba. Dicit iis R. Akiba. Cùm appropinquatis ad lapides puri marmoris, nè dicatis* מים מים, *Aquæ, Aquæ:* [i.e. Vah! hæ aquæ impediunt ut non poſſimus procedere.] *nam ſcribitur, Loquens mendacium non habitabit coram facie mea.* [mendacium autem eſt vocare marmora candida, aquas.] *Ben Azzai* הציץ, *curioſè proſpexit, & mortuus eſt: & de eo Scriptura dicit, Precioſa in oculis Domi-*

Digitized by Google

Domini mori Sanctorum ejus. Ben Zuma הציץ ונפגע, *curioſè circumſpexit*, *& turbatus eſt intellectu: Et de eo Scriptura iſta loquitur, Si invenias mel, de eo comede quod ſufficit, nè inde ſatieris, & revomas.*

Aruch hæc citans, ſic ait, ניתהו פרדס מעניין גן ערן, *Appellatur Paradiſus ſignificatu Horti Edenis, qui reſervatur pro juſtis. Locus autem iſte eſt locus* בערבורת, *in cœlis, ubi animæ juſtorum ſunt compactæ.* Et in eundem ſenſum Gloſſ. Talmudica. *Hi quatuor* עלו לרקיע, *aſcenderunt in firmamentum, Deo procurante.*

Quis hæc legens non illicò in mentem revocat hiſtoriam iſtam de Paulo in Paradiſum rapto, 2 *Cor.* 12. Cujus hiſtoriæ forſan hæc legenda eſt ſimia. In illa hoc obſervandum, quòd *Paradiſus & cœlum tertium* ſunt idem: in hac, quòd Paradiſus & ערבות, *Cœlum ſupremum*: nam ſic de voce in *Pſalm.* 68: 5. commentantur Magiſtri.

Midras Tillin, fol. 11. 3. *Sunt ſeptem claſſes juſtorum, qui vident faciem Domini, ſedent in domo Dei, aſcendunt in montem Dei, &c. Atque unicuique claſſi eſt habitatio propria* בגן ערן, *in Paradiſo. Sunt etiam ſeptem habitationes in Gehennah.*

Hi habitantes in Paradiſo זהירו כזהר הרקיע, *Splendent ſicut ſplendor firmamenti, ſicut ſol, ſicut luna, ſicut firmamentum, ſicut ſtellæ, ſicut fulgura, ſicut lilia, ſicut lampades.* Ibid.

II. Quum ergò Salvator latroni pœnitenti pronuntiat, *Hodie mecum eris in Paradiſo*, loquitur cum vulgo, & ad captum latronis; futurum ſcil. eum in cœlo cum Chriſto, atque omnibus juſtis vitâ functis. Atque ego explicationem iſtius articuli in Symbolo noſtro Κατῆλθεν εἰς Ἅδου, non aliunde petierim quàm ab hoc ipſo dicto: addito quòd recurrendum etiam eſt ad linguam Græcam pro ſignificatione vocis Ἅδου, quæ ſtatum poſt mortem denotat, beatorum æque ac miſerorum.

Illi qui verba iſta, 1 *Pet.* 3: 19. intelligi volunt de deſcenſu ejus jam à cruce ad prædicandum in inferno, parum obſervant ſcopum Apoſtoli iſto in loco, & toto cœlo errant ab ejus animo.

I. Quòd concludat generationem antediluvianam in carcere tartareo, eſt cum recepta ſententia gentis, confitentis, quòd generatio iſta portionem nullam habuit in Mundo futuro, & quòd judicata eſt aquis ferventibus & gehenna.

II. Confert præſentem generationem Judæorum cum iſta antediluviana: Chriſtum olim prædicaſſe iſti generationi, ſic jam prædicare præſenti: Periiſſe iſtam generationem per inobedientiam, perituram & hanc. Qualem collationem etiam facit, 2 *Epiſt. Cap.* 3: 6, &c. Obſervandum eſt, ut Apoſtolus tranſiliat à cruce & reſurrectione Chriſti ad generationem antediluvianam, prætermiſſis omnibus generationibus intercurrentibus, ut hanc collationem faciat & indigitet.

VERS. 53. Ἐνετύλιξεν αὐτὸ σινδόνι.

Megillah, fol. 26. 2. מטפחות ספרים שבלו עושין אותן תכריכין למרת מצוה וזו היא גניזתן, *Mar Zutra dicit, De linteis, quibus libros involvunt, jam veteraſcentibus, faciunt involucra pro mortuo præcepti, nam hoc eſt in dedecus eorum.* Gloſſ. addit, *Etiam de linteis, quibus involvunt librum Legis.*

Illum, qui mortem paſſus eſt judicio Synedrii, vel Magiſtratûs, vocarunt מת מצוה, *Mortuum præcepti*, quia mors ei inflicta ſecundùm præceptum: & talis iis erat jam *Jeſus* noſter. Jam verò de tali ad mortem per Magiſtratum damnato, ſic conceperunt, quòd quò dedecoroſius cum eo eſt actum, eò magis pro eo eſt expiatum. Hinc לא היו כתאבלין, *Non apertè planxerunt eum, ut ejus viliſicatio* [nemine eum plangente] *cederet in ejus expiationem.* Atque inde fortè, ſi quem alium planxerant fœminæ Hieroſolymitanæ, prout luxerunt Salvatorem, diceret ille alius, Filiæ Hieroſolymæ, nè me lugete, nè tantum expiationis meæ decurtetis: at *Chriſtus* aliâ longè ratione. Sub eadem notione, mortuo tali applicuerunt involucra pannoſa, lacera, vetera, ſordida, ut dedecus hoc magis expiationem ejus augeret. Sed contraria agit optimus hic Arimathæanus cum *Jeſu*, quia longè contraria de eo concepit.

VERS. 54. Καὶ σάββατον ἐπέφωσκε.

Vulg. *Et Sabbatum illuceſcebat*: non malè. Bez. *Et Sabbatum ſuccedebat*: non propriè. Congruentiùs dictum arbitreris, Καὶ εἰς Σάββατον ἐσκοτίσθη, *Obtenebreſcebat in Sabbatum*: nam ingruebat nox Sabbatum præcedens. Verùm

I. Lucebant jam candelæ Sabbaticæ, accenſæ in honorem diei.

Shabb. fol. 34. 1. *De tribus neceſſe eſt ut homo moneat ſuos in domo ſua, veſperâ Sabbati, cùm jam incipit nocteſcere, Num decimaſtis?* ערבתם, *Num ſocietatem Erubhicam iniiſtis?* הדליקו את הנר, *Accendite lucernam.*

Maimon. in Shabb. cap. 5. *Tenentur & viri & fœminæ ad accendendum lucernam in domo Sabbato. Etiamſi non ſit homini quod comedat, mendicet oſtiatim, ut acquirat oleum, & accendat lucernam.*

His tantùm obſervatis, non incongruè intelligi poſſet Phraſiologia Euangeliſtæ, reſpectu habito ad has lucernas, *Sabbatum illuceſcebat*

Digitized by Google

CAP. XXIII. VERS. 54. *ceſcebat per accenſas lucernas.* Verùm non hic acquieſcimus.

II. Veſpera Judæis vocabatur אור & אורתא, *Lux.*

Peſachin, cap. 1. hal. 1. אור יד בודקין את החמץ באור הנר, *Luce diei decimæ quartæ, inveſtigant fermentum per lumen candelæ.* Luce diei decimæ quartæ, id eſt, veſperâ, vel nocte diem antecedente. Sic

Rambam, in loc. בדיקת החמץ בליל, *Inveſtigatio fermenti erat nocte diei decimæ quartæ, quamvis comeſtio fermentati non prohiberetur ante meridiem diei decimæ quartæ. Aſt hoc inſtituerunt, quia lumen lucernæ noctu eſt commodiſſimum pro inveſtigatione: & tunc temporis etiam omnes homines ſunt domi.*

Cherithuth, fol. 79. 2. & *Adajoth*, cap. 4. hal. 10. המפלת לאור פא.

Fœminam, quæ abortivum quid parit luce [i. e. veſpera] *diei octogeſimi primi, Schola Shammæana abſolvit ab oblatione; Hilleliana non.*

Gloſſ. אור לפא ליל לפא, *Luce octogeſimi primi, eſt nocte octogeſimi primi.*

Quæſtio de qua diſputatur hæc eſt. *Fœmina quæ pepererat fœmellam, tenebatur ad purificationem octoginta dierum*, & poſt finitos iſtos dies, tenebatur ad oblationem, *Levit.* 12:5,6. Jam ergò, cùm adducenda eſſet oblatio die octogeſimo primo, quæritur, Quid ſi verò intra noctem, quæ diem octogeſimum primum inchoat, enixa fuerit aliquod abortivum, num craſtino offerendum ab ea ſacrificium unum, an duo, unum pro puella, alterum pro abortivo iſto partu? Schola Shammæana unum tantùm vult, Hilleliana duo.

Peſikta, fol. 10. 4. De ſacrificio votivo, ex *Levit.* 7:7.

יכול יאכל לאור השלישי, *Fortè comedatur luce* [veſperâ] *diei tertii.* תל' עד יום השלישי, *Textus dicit ad diem tertium, Uſque ad diem tertium comeditur.* אינו נאכל לאור השלישי, *At non comeditur luce* [i. e. veſperâ, vel nocte] *diei tertii:* nam tum ingreſſus eſt dies tertius.

Jam verò in hac phraſi, vocem reſtringunt potiſſimùm ad initium noctis, quamvis aliquando quidem ſumatur pro tota nocte, ut in Traditione citata de fœmina abortivum quid enixa: & ſic Gloſſ. in *Peſachin.*

Maimon. in Hhamets umatſah, cap. 2. cùm agit de exterminatione fermenti, quæ debuit eſſe אור ליד, *Luce diei decimi quarti*, id eſt, nocte diem decimum quartum inchoante, ſic dicit, *Ex præſcripto Scribarum inveſtigant exterminantque fermentum* לילה מתחלת ליל יד, *nocte, nempe ab initio noctis diem decimum quartum præcedentis.*

Pari ſenſu Gemariſtæ de אורתא in *Beracoth*, fol. 3. 2. ומאי דהאי נשף אורתא הוא, *Unde crepuſculum vocatur* אורתא, *Lux? Inde quòd ſcribitur, In crepuſculo, veſpere diei*, Prov. 7:9. CAP. XXIII. VERS. 56.

CAP. XXIV. VERS. 5. Arbitratur *Rambamus*, ſic dictum eſſe per contrarium: nam ſic ille in *Peſachin*, cap. 1. *Vocatur nox* אור, *lux, eo modo quo vocant multas res per contrarium.*

At Gemariſtæ in locum aſtruunt, *veſperam* non impropriè dici *lucem* ex verbis iſtis, *Pſalm.* 148:3. הללוהו כל כוכבי אור, *Laudate eum omnes ſtellæ lucis.*

Quamvis ergò incongruum ſonare potuerit auribus Græcanicis & Romanis, cùm audirent veſperam, vel ingreſſum noctis enuntiari per ἐπιφώσκει, auribus tamen Judaicis non erat inſolens aut alienum. Et promptiſſimè intelligerent illi Euangeliſtam cum gente loquentem, cùm Σάββατον ἐπέφωσκε, *Illuceſcebat Sabbatum* diceret; at vellet tamen, *Ingruebat nox Sabbati.*

VERS. 56. Καὶ τὸ μὲν Σάββατον ἡσύχασαν.

Si ſublatus eſt Chriſtus de cruce occidente jam ſole, ut *Deuter.* 21:23. *Joſ.* 7:29. tum hoc ſpatium temporis hìc habuerunt fœminæ ad coëmenda aromata, atque alia negotia expedienda, antequàm ingrederetur Sabbatum.

I. בין השמשות, *Inter ſoles.* Sic vocarunt ſpatium illud, quod intercedit inter occaſum ſolis, atque apparitionem alicujus ſtellæ.

II. Annon & illud ſpatium, quod intercedit inter primam ſtellam & ſecundam, judica ex hoc,

Hieroſ. Beracoth, fol. 2. 2. *Veſperâ Sabbati, ſi videt ſtellam unam, & facit opus, abſolvitur; ſi duas, afferat ſacrificium ſuſpenſum pro tranſgreſſione.*

III. An & ulteriorem libertatem non habuerint in re funebri, judica ex hoc,

Shabb. fol. 151. 1. עושין כל צורכי המת, *Præſtant omnia neceſſaria mortuo,* [Sabbato] *ungunt & lavant eum, proviſo hoc, nè quod membrum ejus moveant*, &c.

Non tutum quidem erat fœminis, officioſas nimium in exequiali aliqua ſedulitate jam ſe demonſtrare, cùm Jeſus ut maleficus obierit & odioſus populo, nè populum in ſeipſas etiam exaſperarent, præſertim ſi aliqualiter violarent Sabbatum. At præter honorem ab iis depenſum Sabbato, prudentiæ erat non pellere Sabbatum pro opere iſto, quod tempeſtivè ſatis præſtare ſe poſſe arbitratæ ſunt, elapſo Sabbato.

CAP. XXIV.

VERS. 5. Τί ζητεῖτε τὸν ζῶντα μετὰ τῶν νεκρῶν;

SHemoth Rabba, fol. 124. 1. *Parabola. Sacerdos, cui erat ſtolidus ſervus, profectus eſt aliquò extra urbem. Servus quærens Dominum,*

CAP. XXIV. VERS. 13, 15, 21.

num, vadit in cæmeterium, atque exclamat iis ſtantibus, Num hic vidiſtis herum meum? At illi, Nonne herus tuus eſt Sacerdos? Imò, inquit ille. Tum illi, O ſtulte, quis unquam vidit Sacerdotem inter ſepulchreta? Sic dicunt Moſes & Aaron Pharaoni. Stulte, Num mos eſt ut quærantur mortui inter vivos, aut forte vivi inter mortuos? Deus noſter eſt Deus vivens; at Dii illi, de quibus tu loqueris, ſunt mortui, &c.

VERS. 13. Καὶ ἰδοὺ, δύο ἐξ αὐτῶν ἦσαν πορευόμενοι, &c.

Unus horum erat *Cleopas*, verſ. 18. quem eundem eſſe cum *Alphæo* oſtendimus alibi, & ex congruitate nominum [nam חלפי Hebraicè ſcriptum inſervit utrique nomini] & ex collatione, *Joann.* 19: 25. cum *Marc.* 15: 47. *Matth.* 27: 56. *Petrum* fuiſſe alterum ego minimè dubito, & ex *verſ.* 34. hujus Capitis fiduciam ſumens, & ex 1 *Cor.* 15: 5.

Cleopas, aut *Alphæus*, ut vides, eſt ille qui interloquitur, & non *Petrus*, quippe quòd *Petro* grandævior foret, utpote qui pater eſſet quatuor Apoſtolorum.

VERS. 15. Ὁ Ἰησοῦς ἐγγίσας συνεπορεύετο αὐτοῖς.

Duobus rus proficiſcentibus conſpicuum ſe præbuit aliâ formâ, Marc. 16: 12. At quali, audacius foret determinare. Videtur tamen quòd aliâ ab hortulani formâ, imò quòd non in plebeji alicujus formâ, quin potiùs ſcholaris, cùm eos erudiat in via, & gratias pro iis agat ad menſam. Nam,

Beracoth, fol. 45. 2. *Si duo comedant ſimul, quorum alter eſt* סופר, *Doctus, & alter* בור, *Indoctus, doctus agit gratias.* Hinc illud,

Bereshith Rabba, fol. 101. 3. Jannæus Rex evocat Simeonem ben Shetach, Vice-Præfectum Synedrii, Doctorem, ut gratias agat poſt cœnam: & ſic ille, *Benedictus ſit Deus pro cibo quem comederunt Jannæus & convivæ ſui. Cui Rex, Quòusque perſtas tu in perverſitate tua? At ille, Quid mihi dicendum? Num benedicamus pro cibo, quem comedimus, cùm ego nihil ederim omninò?*

VERS. 21. Ἡμεῖς δὲ ἠλπίζομεν.

Nos autem ſperabamus illum redempturum Iſraëlem, id eſt, prout ſperavit gens redemptionem à jugo Ethnico. At non permiſit paupertas & humilitas *Jeſu* tale quid expectare peragendum gladio, ſecundum ſomnium gentis, ſed miraculosè præſtandum ſperarunt, ſicut præſtita fuit prima redemptio ex *Ægypto.*

CAP. XXIV. VERS. 21, 30.

Τρίτην ταύτην ἡμέραν ἄγει σήμερον.

Notentur ea, quæ notant Magiſtri de die tertio.

Bereshith Rabba, fol. 62. 2. *Abraham levavit oculos ſuos die tertio*, Geneſ. 22: 4. *Scribitur, Vivificabit nos poſt dies duos, tertio die reſuſcitabit nos, & vivemus in conſpectu ejus*, Hoſ. 6: 2. *Et de die tertio Tribuum ſcribitur, Dixit iis Joſephus die tertio*, Geneſ. 42. 18. *De die etiam tertia exploratorum, Abſcondimini illìc dies tres*, Joſ. 2: 16. *Et de die tertia promulgationis Legis dicitur, Et fuit die tertiâ*, Exod. 19: 16. *De die etiam tertia Jonæ ſcribitur, Fuit Jonas in ventre piſcis tribus diebus, & tribus noctibus*, Jon. 1: 17. *De die etiam tertia aſcendentium è captivitate ſcribitur, Et caſtrametati ſumus illìc dies tres*, Ezr. 8: 15. *De die etiam tertia revivificationis mortuorum ſcribitur, Poſt dies duos revivificavit nos, & tertio die reſuſcitabit. De die etiam tertia Eſtheræ ſcribitur, Et die tertiâ induit Eſther regalia*, Eſth. 5: 1. *Targumiſta addit*, ביומא תליתאה דפסחא, *Induit Eſther regalia die tertiâ Paſchatis.* Erat & dies iſte, de quo nobis jam ſermo, dies tertius Paſchatis.

Si hæc notarentur de *die tertia* tunc temporis in Scholis & Synagogis, [quod neſcio quare negetur] eò nutare poſſunt hæc verba *Cleophæ*, ut loquentis ſecundùm vulgarem gentis conceptum, Nam cùm planum ſatis fuiſſet dixiſſe Τρίτην τὴν ἡμέραν ἄγει σήμερον, ille autem addat, σὺν πᾶσι τούτοις, & vocem ταύτην, videtur vis aliqua eſſe in iſto additamento, atque emphaſis aliqua in iſto vocabulo: ac ſi hoc vellet, *Jeſus* ille fuit magnus opere & verbo, & talem ſe præbuit, ut de eo conciperemus quòd *Meſſias* eſſet, redempturus *Iſraëlem.* Et præter hæc omnia, quæ ei tali atteſtantur, atteſtatur etiam ipſe hic dies: nam cum de die tertio celeberrima ſit apud nos obſervatio, hic eſt dies tertius ex quo ille eſt crucifixus, atque hodie dicunt quædam fœminæ apud nos, quòd ab Angelis iis dictum eſt quòd reſurrexit.

VERS. 30. Λαβὼν τὸν ἄρτον, εὐλόγησε, &c.

Mirum eſt quemvis intelligere poſſe fractionem hanc panis de Euchariſtia, cùm Chriſtus ſtatuerat apud ſe diſparere in ipſa panis diſtributione, & ſic cœnam interrumpere. Et quiſnam probaverit quemquam ex iis guſtaſſe quicquam? Nam finita eſt cœna, non jam inchoata.

Beracoth, fol. 45. 1. שלשה שאכלו וגו, *Tres qui ſimul comedunt, tenentur ad gratias indicendum*: hoc eſt, ut explicatur, fol. 49. 1. *Unus ex iis dicit, Benedicamus. Si vero ſint tres & ipſe, tum dicit, Benedicite.*

Quamvis non cenſuerim Salvatorem ſe aſtrin-

CAP. XXIV. VERS. 32, 34. aſtrinxiſſe ad communem illum morem, ut diceret *Benedicamus*, ut nec ad communem formam benedictionis ante cibum, opinor tamen eum aliquam formam benedictionis adhibuiſſe, & non verba, *Hoc eſt corpus meum.*

VERS. 32. Ὀυχὶ ἡ καρδία ἡμῶν καιομένη ἦν ἐν ἡμῖν;

Beza. *In uno exemplari ſcriptum legimus*, Κεκαλυμμένη ἦν.

Heinſius. Κεκαλυμμένη *in optimis codicibus legitur.* Quare ergò non in optimis verſionibus? At favet hæc lectio ejus interpretationi, quæ huc recidit, *Nonne ſtulti fuimus*, quòd eum non cognoverimus dum diſſertaret in via.

Mallem ego interpretari ex parallelis iſtis, *Pſalm.* 39:4. *Caluit cor meum intra me, & in meditatione mea exarſit ignis. Hierem.* 20:9. *Erat intra me ſicut ignis exæſtuans.* Senſus eſt, quod ità fervore affectum eſt cor eorum, ut non potuerint ulteriùs ſilere, ſed in verba prorumpere. Sic & hi, nonne dum colloqueretur nobiſcum in via, atque aperiret nobis Scripturas, ita affecti ſumus, ut jam proruptari fuerimus in ejus agnitionem, & ſalutaturi ut Dominum?

Longè petitum eſt illud in *Taanith*, fol. 20. 2. *R. Alai bar Barachiah dicit. Si duo Diſcipuli Sapientum itinerentur ſimul, & non ſit inter eos colloquium de Lege, merentur comburium: ſicut dicitur, Dum illi incederent & colloquerentur, ecce currus igneus, & equi ignei, &c.* 2 Reg. 2.

VERS. 34. Λέγοντας, ὅτι ἠγέρθη ὁ κύριος ὄντως, καὶ ὤφθη Σίμωνι.

I. Hæc eſſe verba τῶν undecim, patet planè per caſum vocabuli λέγοντας, Ἕυρον τοὺς ἕνδεκα καὶ τοὺς σὺν αὐτοῖς, λέγοντας.

Illi qui redierunt ab *Emmaunte* invenerunt undecim & reliquos, dicentes, cùm ipſi jam in conſpectum eorum venirent, *Dominus reſurrexit, & apparuit Simoni.*

At num hæc loquuntur inter ſe ut certa & credita? Aut an hæc dicunt duobus his Emmauntinis, jam ingreſſis, ut vera & indubitata? Planum eſt ex *Marco*, quòd undecim reſurrectionem Chriſti non crediderint, antequàm ille ſeipſum in medio eorum ſiſteret, *Marc.* 16:11, 13.

Non potuerunt ergò hæc jàm dicere certò & fidenter, *Dominus reſurrexit, & apparuit Simoni:* ſed cùm viderent *Simonem* tam citò & tam inopinatò redeuntem, quem norunt in *Galilæam* tetendiſſe, experturum an conveniret *Jeſum*, hæc concludunt, *Ob certè Dominus reſurrexit, & apparuit Simoni*; aliter ille non tam citò rediiſſet.

Quod in mentem revocat illud de nuntio mortis *Maximini* in Jul. Capitolino. *Jam primùm is nuntius, qui ex Aquileienſi Romam miſſus fuerat, tanto impetu mutatis animalibus cucurrit, ut quartâ die Romam veniret. Et fortè dies ludorum erat, cùm ſubitò, ſedente Balbino & Gordiano, theatrum nuntius ingreſſus eſt: atque antequàm aliquid indicaretur, omnis populus exclamavit, Maximinus occiſus eſt: ità nuntius præventus*, &c. CAP. XXIV. VERS. 34, 37.

Minimè conceperis mundanum aliquod negotium hos duos avocare potuiſſe à feſto ante tempus ſtatutum, ut nec à ſocietate condiſcipulorum, ſed aliquid re mundanâ majus. Concipe autem tecum, quantâ perplexitate ac angore fluctuaret animus *Petri*, ob negatum Magiſtrum, & quali quaſi œſtro ille percieretur, cùm audiret à fœminis, quòd ab Angelo iis præceptum eſt, ut ſpeciatim *Petro* dicant quòd Dominus reſurrexit, & præcedit eos in *Galilæam*, ubi eum videre liceret, *Marc.* 16:7. Ut extra omnem mihi dubium ſit, *Petrum* fuiſſe alterum de his Emmauntinis, qui aſſociato ſibi *Alphæo* itineris comite, ut primùm hæc audiret a fœminis, pergit versùs *Galilæam*, noto facto abſque dubio condiſcipulis profectionis fine: quem cùm illi tam ſubitò atque inexſpectatò redeuntem vident, conjectant inter ſe, Certè apparuit ei Dominus, aut nos hîc eum non haberemus jam reverſum. Confer illud Apoſtoli, 1 *Cor.* 15:5. Ὤφθη Κηφᾷ, εἶτα τοῖς δώδεκα, & nihil clarius dici poteſt in hujus rei confirmationem.

Object. Aſt iſti duo ab *Emmaunte* redeuntes, invenerunt undecim Apoſtolos congregatos & conſidentes. Jam verò, ſi *Simon* inter eos non fuerit, non erant undecim. Ergò ille non unus de his *Emmauntinis.*

Reſp. I. Si daretur *Petrum* fuiſſe & ſediſſe inter reliquos, nôn tamen fuerant exactè undecim, nam aberat *Thomas*, *Joann.* 20:24. II. Cùm de undecim eſt ſermo, non eſt tam de exacto numero præſentium, quàm de præſenti numero Apoſtolorum.

VERS. 37. Ἐδόκουν πνεῦμα θεωρεῖν.

Cùm diſtinguunt Judæi inter Angelos, & Spiritus, & Dæmonia, definiuntur Spiritus à R. Hoshajah in *Beresh. Rabba*, fol. 34. 2. ut ſint *ii quibus creatæ ſunt animæ, at quibus non creatum eſt corpus.* At quærere eſt, an omnes ſpiritus vel animas ſub hac notione concluſerint, cum pluſquàm probabile ſit, apparitiones defunctorum, qui aliquando habuerunt corpora, ſub eodem titulo iis cenſeri? Nec aliud conceperim ego jam conceptum fuiſſe à Diſcipulis, quàm quòd reverà non eſſet Chriſtus in propria perſona, ut reſuſcitatus à mortuis, ſed ſpectrum tantùm, eo adhuc defuncto, in ejus forma. Et cùm dicunt Phari-

Digitized by Google

ſæi de *Paulo*, *ſi vel Angelus locutus eſt ei*, *vel Spiritus*, Actor. 23:9. promptiùs ego intellexerim, quòd intellexerint de apparitione alicujus Prophetæ, vel aliùs ſancti defuncti, quàm de aliqua anima cui nunquam creatum eſt corpus. Eòque magis huc inclino, quòd gentem ſententiâ de apparitionibus defunctorum ſat ſuperque imbutam fuiſſe adeò clarum ſit, ut non egeat probatione.

VERS. 44. Ἐν τῷ νόμῳ Μωσέως, καὶ Προφήταις, καὶ Ψαλμοῖς.

Nota ſatis eſt partitio Veteris Teſtamenti in אורייתא נביאים כתובים, *Legem*, *Prophetas & Hagiographa*, abbreviatè אנך.

I. Libri Legis ſatis noti, eorumque ordo. Nobis vulgò *Pentateuchus*; at nonnullis Rabbinorum *Heptateuchus*, & nonnullis Chriſtianorum *Octateuchus*.

Shabb. fol. 116. 1. *Dicit R. Samuel bar Nachman. Dicit R. Jonathan*, *Sapientia excidit ſeptem columnas*, Prov. 9:1. אילו שבעה ספרי תורה, *Hi ſunt ſeptem libri Legis*.

Bereshith Rabba, fol. 71. 4. *Liber Numerorum complet ſeptem libros Legis. At nonne illi ſunt quinque tantùm? Verùm Ben Kaphra dicit:* עכיר וידבר תלתא ספרים, *Liber Numerorum fit tres libri. Ab initio libri ad* ויהי בנסוע, *Et fuit cùm proficiſceretur Arca*, Cap. 10:35. *eſt liber per ſeipſum. Verſus iſte*, *& ſequens*, *eſt liber per ſeipſum: & exinde ad finem libri*, *eſt liber per ſeipſum*.

Periocham iſtam, *Cap.* 10:35, 36. æſtimarunt pro libello per ſeipſum, partim quòd ibi diſponatur non proprio loco, partim quòd in initio ejus habeat *Nun* inverſam ‎[in vocabulo בנסוע, & ſic poſt ejus finem in voce כמתאננים, quæ ſtatuitur ut utrobique limes, ad diſtinguendum periocham iſtam à reliquo libro. Quodcunque ergò præcedit ab initio libri ad iſtam periocham, habetur iis pro libro uno; quodcunque iſtam ſequitur, pro altero, atque ipſa iſta periocha pro tertio.

Eulogius apud Photium, Cod. ccxxx. de *Doſthe*, ſive *Doſitheo* loquens Samaritarum ſeductore, ſic ait. Μυρίαις γὰρ καὶ ποικίλαις ἄλλαις νοθείαις τὴν Μωσαϊκὴν Ὀκτάτευχον καταχιβδηλεύσας, &c. *Octateuchum Moſis ſpuriis ſcriptis & omni genere mixtis corruptelis adulteravit*.

Mentio item eſt Cod. xxxvi. de libro, cujus titulus, Χριστιανῶν βίβλος Ἑρμηνεία εἰς τὴν Ὀκτάτευχον, *Chriſtianorum liber Octoteuchi Expoſitio*. An iſte fuerit Commentarius in *Octoteuchum Moſis*, nec certum eſt, nec tanti eſt, cùm & vafrum fuiſſe iſtum authorem judicet *Photius*, & duplicem Octoteuchum præter Moſaïcam oſtendemus illicò.

Jam verò ſi quis quærat, unde *Eulogius*, idque, ut videtur, non ſine communi rei notitia, libros Moſaicos in Octoteuchon diviſerit; mallem alium quàm meipſum in hac re *Oedipum*. Quòd ſi quis conſenſerit, eum *Heptateuchon* iſtam agnoviſſe, quam produximus, nos ultimum Caput *Deuteronomii* pro octava parte duxerimus.

Ridebit hoc *Aben Ezra*, qui in clanculari & larvatâ iſtâ ſuâ negatione de libris *Pentateuchi*, quòd non ſcripti fuerint calamo *Moſis*, Caput iſtud, primo loco, quantùm conjicere licet, quaſi contra-teſtans producit. Verba ejus habes in Commentario ſuo ad librum *Deuteronomii* ſtatim ab initio, *Cap.* 1. his verbis. ואם תבין סוד השנים עשר וגו, *Si verò intelligas myſterium τῶν δώδεκα*, &c. id eſt, duodecim commatum ultimi Capitis iſtius libri, [nam ſic & contribules ſui interpretantur] *cognoſces veritatem*, *Moſen* nempe totam Pentateuchum non ſcripſiſſe. Argumentum nec reſponſione, nec quidem tanto Philoſopho dignum. Nam ſicut ridiculum eſt opinari, Caput iſtud, quod de ejus morte & ſepultura agit, ab ipſo fuiſſe ſcriptum, ſic æquè fere ridiculum eſſet, Caput iſtud ad aliquod aliud volumen, quàm ad Pentateuchum rejicere. Sed hæc non ſunt præſentis ventilationis.

II. Erat etiam Octoteuchus Prophetarum.

Bava Bathra, fol. 14. 2. *Omnes libri Prophetarum ſunt octo*, *Joſuæ*, *Judicum*, *Samuëlis*, *Regum*, *Jeremiæ*, *Ezechielis*, *Eſajæ*, *& duodecim*.

Nam & libri iſti Hiſtorici, ſub notione *Prophetarum*, lecti ſunt in Synagogis, æquè ac ipſi Prophetæ qui nominantur. Et præfixum iis vides in Bibliis Hebræis titulum הנביאים הראשונים, *Prophetæ priores*, æquè ac iſtis נביאים אחרונים, *Prophetæ poſteriores*.

Rationem ſic ordinandi tres majores Prophetas, ut *Hieremias* primum locum obtineat, *Ezechiel* ſecundum, & *Eſajas* ultimum, reddunt Magiſtri loco allegato, & nos adduximus ad *Matth.* 27:9. & ne tædio ſit ſi repetamus.

Cùm liber Regum terminetur in excidio, *& Jeremias totus agat de excidio*; *cùm initium Ezechielis ſit de excidio*, *& finiatur in conſolatione*; *& cùm Eſajas ſit totus in conſolatione*, *conjunxerunt excidium cum excidio*, *& conſolationem cum conſolatione*.

III. Tertia pars Bibliorum inſcribitur כתובים, *Hagiographa*, atque hîc etiam invenitur Octoteuchus à nonnemine, quantùm videtur; at non novimus nos, ubi inveniamus.

Gregent. Dialog. ſtatim ab initio. *Herbanus Judæus*, inquit ille, ἦν ἄκρως πεπαιδευμένος τόν τε νόμον καὶ τὰς τῶν Προφητῶν θείας δέλτους, τήν τε Ὀκτάτευχον καὶ τὰ λοιπά. *Vir certè erat apprimè doctus*, *Legem intelligens*, *& ſacros Prophetarum libros*, *& Octateuchum & reliqua ſcripta*.

Octateuchus diſtincta à Lege & Prophetis quæ-

CAP. XXIV. VERS. 44.

Digitized by Google

CAP. XXIV. VERS. 44. quænam ſit, non facilè dictu, ut nec quænam ſint illa τὰ περίλοιπα. Videtur certè hæc Octateuchus ad כתובים, vel *Hagiographa* referri. [Nam probabile eſt eum, de peritia Judæi in Scripturis, loquentem, de partitione Bibliorum etiam ſecundùm Judæos loqui.] At quis elegerit octo libros qui eam conſtituant? Elige tu octo, & tum dixerim ego quòd quatuor reliqui ſunt τὰ ϖερίλοιπα. Sed de hac re nos non noſmet torquebimus.

Quæri poteſt, quare hi libri dicti ſunt כתובים, *Scripturæ*, cùm tota Biblia dicta fuerint כתבי הקדש, *Scripturæ ſacræ?* Nec quid magis in promptu eſt quòd reſpondeatur, quàm quòd per hunc titulum reſervare iis vellent dignitatem ſuam. Non legerunt quidem eos in Synagogis, ſed ut divinæ & ſacroſanctæ authoritatis eſſe eos agnoſcerent, שונין בהן ודורשין בהן, *ex iis firm[illegible] Traditiones, atque eos myſticè exponunt*, *Shabb.* fol. 116. 2. atque eundem titulum cum reliqua Scriptura iis tribuunt.

Bathra, ubi ſupr. *Hic eſt ordo* כתובים, *librorum Hagiographorum*, *Ruth*, *Liber Pſalmorum*, *Job*, *Proverbia*, *Eccleſiaſtes*, *Cantica*, *Threni*, *Daniel*, *liber Eſtheræ*, *Ezra & Chronica.*

Diſputatur ibi: ſi dicas *Jobum* fuiſſe in diebus *Moſis*, tum quare liber ejus non collocatur primus? Reſpondent, לא מפורענותא מתחלינן, *Non incipiunt à vindicta*, aut afflictione, qualis erat iſta Jobi. Replicant, רות נמי פורענות, *Ruth etiam incipit ab afflictione*, ab hiſtoria ſcil. famis & mortis filiorum Elimelechi. *Aſt erat*, inquiunt, *iſta* פורענות דאית ליה אחרית, *Afflictio quæ habuit lætum finem.* Sic etiam dixeris de libro & afflictione *Jobi.* Diſputatur, ut vides, illic, quare liber *Ruth* ordinetur primus in iſta claſſe, & non liber *Job.* At nos diſputare habemus, an liber *Pſalmorum* potiùs non ſit habendus primus, quàm liber *Ruth.*

IV. In verbis certè quæ tractamus, quis aliud ſuſpicetur, quàm quòd Salvator alludit ad vulgarem iſtam & notiſſimam Bibliorum diviſionem: & quamvis *Pſalmos* tantùm nominet, totum iſtud volumen ſub eo titulo tamen includit. Nam dicas neceſſe eſt, aut eum omnes libros iſtius tertiæ diviſionis, exceptis Pſalmis, excluſiſſe, quod non probabile: aut omnes eos ſub nomine *Prophetarum* incluſiſſe; quod præter morem, ſi ſub titulo *Pſalmorum* omnes non comprehenderit. Quòd non excluſerit, ipſa dictabit ratio; nam in plurimis iſtius partitionis libris, de ipſo ſcriptum eſt æquè ac in Pſalmis: & quòd non incluſerit intra titutum *Prophetarum*, dictabit etiam ratio; quia tunc loqueretur præter & contra vulgarem ſententiam & receptionem gentis.

Minimè ergò dubitamus, Apoſtolos illum intellexiſſe ut loquentem cum vulgo, & per *Pſalmos* intellexiſſe omnes libros iſtius voluminis, illos præcipuè in quibus erat aliquid de ſe ſcriptum. Nam detur libellum *Ruth*, quoad tempus hiſtoriæ, & quoad tempus conſcriptionis, primum locum ſibi vendicare potuiſſe, & de iſta prioritate potiſſimùm agunt Gemariſtæ; inter omnes tamen, qui aliquid de Chriſto loquuntur, primum locum meritò obtinet *liber Pſalmorum*, ut hoc nominato, reliqui etiam ſubintelligantur. Sic *Matthæus*, Cap. 27:9. ſub nomine *Hieremiæ*, comprehendit totum volumen Prophetarum, quippe quòd *Hieremias* fuerit primus in iſto volumine: quod obſervavimus ad iſtum locum.

CAP. XXIV. VERS. 45, 50.

VERS. 45. Τότε διήνοιξεν αὐτῶν τὸν νοῦν.

Cùm per manus Apoſtolorum impoſitas dicitur donari linguas & Prophetiam, [*loquebantur linguis, & prophetabant*, Actor. 19:6.] per *Prophetiam* nihil aliud, vel nihil æquè intelligi videtur, ac hoc ipſum, quòd apertæ ſunt mentes eorum ut intelligerent Scripturas: & forſan *loquebantur linguis*, huc refert etiam, primâ notione, quòd intelligerent linguam Scripturæ orginalem.

VERS. 50. Ἕως εἰς Βηθανίαν.

Quotnam hic emergunt ſcrupuli!

I. Dicit hìc noſter, quod cùm redirent Diſcipuli à loco aſcenſionis Chriſti, *Redierunt à monte Oliveto diſtante Hieroſolymis itinere Sabbatico*, Actor. 1:12. Jam verò diſtitit *Bethania* oppidum, Hieroſolymis quindecim ſtadiis, *Joann.* 11:18. id eſt, itinere Sabbatico duplicato.

II. Dicit *Joſephus*, Olivetum diſtitiſſe ab urbe quinque tantùm ſtadiis, cùm iter Sabbaticum conſtaret ex ſeptem & dimidio.

Antiquit. lib. 20. cap. 6. *Venit eo tempore Hieroſolymam Ægyptius quidam, Prophetam ſe eſſe dicens, & ſuadens populo ut ſecum ad montem Olivetum eant*, ὃ καὶ τῆς πόλεως ἄντικρυς κείμενον ἀπέχει ςάδια πέντε, *qui ante urbem ſitus, diſtat ſtadiis quinque.*

Vera ſunt hæc omnia. I. Diſtitiſſe *Olivetum* ab urbe quinque tantùm ſtadiis. II. Diſtitiſſe oppidum *Bethaniam* ab urbe ſtadiis quindecim. III. Eduxiſſe Chriſtum Diſcipulos uſque ad *Bethaniam.* IV. Redeuntes eos ab *Oliveto*, emenſuraſſe plus quàm quinque ſtadia. V. Redeuntes eos à *Bethania*, emenſuraſſe iter tantùm Sabbaticum.

Quæ omnia benè & facillimè concilientur, ſi obſervetur,

Quòd primum ſpatium ab urbe versùs hunc montem, vocaretur *Bethphage*; quod clarum fecimus alibi ex Talmudicis, ſuffragantibus etiam Euangeliſtis: quòd pars montis eo nomine

CAP. XXIV. VERS. 50.

CAP. XXIV. VERS. 50.

mine inſigniretur per ſpatium itineris Sabbatici, aut circiter, donec tandem contingeret partem iſtam, quæ vocatur *Bethania*. Nam erat *Bethania* tractus montis, & *Bethania* oppidum. Diſtabat oppidum ab urbe quindecim ſtadiis, aut circiter, id eſt, milliaribus duobus, aut itinere Sabbatico duplicato: at prima fimbria tractûs qui vocabatur *Bethania*, diſtabat milliari, aut itinere Sabbatico tantum uno.

Eduxit ergo Chriſtus Diſcipulos, cum jam eſſet aſcenſurus ad primum marginem regionis, vel tractûs Oliveti, qui vocabatur *Bethania*, diſtantem ab urbe itinere Sabbatico. Eouſque ab ipſa urbe extenſus fuit tractus, qui vocabatur *Bethphage*: atque ubi perventum ab eo eſt ad locum iſtum, ubi ſe mutuo contingebant limites *Bethphages* & *Bethaniæ*, aſcendit, ipſiſſimo iſto loco quo aſinum aſcendit, cùm equitaret in Hieroſolymam, *Marc.* 11:1. Cum ergo dicat *Joſephus*, Olivetum diſtitiſſe ab urbe quinque ſtadiis, de primo margine montis loquitur; at noſter, de loco ubi Chriſtus aſcendit, ubi incepit nomen Oliveti, ut diſtinctum à *Bethphage*.

Quoniam tam frequens nobis mentio de itinere Sabbatico, & cùm non ſit à re præſenti alienum, aliquid de eo obſervare, liceat hæc pauca adducere.

I. Spatium תחום שבת, limitis Sabbati erat bis mille cubitorum.

Targ. in Ruth, Cap. 1:16. *Dixit Naomi* τῇ *Ruth*, *Jubemur obſervare Sabbata & dies feſtos*, בדיל דלא להלכא בר כתרין אלפין אמין, *ad non eundum ultra bis mille cubitos.*

Maimon. Shabb. cap 27. *Statuitur à Scribis, Nè prodeat homo ex urbe ultra bis mille cubitos.* Hujus rei teſtimonia infinita. At diſputatur, quonam fundamento niteretur hoc ſtatutum?

Hieroſ. Erubhin, fol. 21.4. מניין אלפיים אמה, *Unde ſtatuitur de bis mille cubitis? Ex hoc, Nè exeat quis ex loco ſuo die ſeptimo*, Exod. 16:29.

Babyl. Erubbin, fol. 51.1. *Hi bis mille cubiti ubinam ſcribuntur? Hinc traduntur*, שבו איש תחתיו, *Maneat unuſquiſque apud ſeipſum.* Exod. 16:29. *Hi ſunt quatuor cubiti, Ne exeat quis ex loco ſuo: hi ſunt bis mille cubiti.*

Credas ex his ſcripturis, non elici poſſe cubitum quidem unum, multo minùs bis mille: ſed artem diſce fabricandi quidlibet ex quolibet.

Aſai ben Akiba dicit. Ex hoc deducuntur quod dicitur מקום מקום, *Locus, locus. Dicitur hic locus* [nè exeat quis ex loco ſuo.] *Et dicitur alibi, Statuam tibi locum*, Exod. 21:13. *Sicut locus qui dicitur alibi, eſt bis mille cubitorum, ita locus de quo dicitur hîc, eſt bis mille cubitorum.*

Aſt unde probatur, locum, de quo dicitur alibi, eſſe bis mille cubitorum?

Maccoth, fol. 12.2. & *Zevachin*, fol. 117.1. *Statuam tibi locum, quo fugiat ille qui occidit hominem inſcius. Hoc docet quòd Iſraëlitæ in eremo* [qui ſic occiderant quemquam] *migrarunt ad locum refugii. Et quònam migrarunt? Ad caſtra Levitarum.*

Jam ergo cùm caſtra Iſraëlitarum in eremo diſtarent bis mille cubitis à Tabernaculo, & caſtris Levitarum illud circumvallantibus, quod colligunt ex *Joſ.* 3:4. cùm liceret Sabbato, à caſtris ſic diſtantibus adire Tabernaculum, inde hæc argumentatio pro bis mille cubitis, quam jam tractamus.

Obiter hoc moneamus de *quatuor cubitis*, quos eliciunt ex verbis iſtis, *Maneat unuſquiſque apud ſeipſum*: quod hoc ſic intelligendum: Quum quis vel per ignorantiam, vel caſu aliquo tranſgreſſus fuerit limites Sabbati, & tandem ſciverit tranſgreſſionem, coarctatus fuit ad quatuor cubitos, ut ultra eos non moveret, donec Sabbatum eſſet elapſum.

Fundamentum pro bis mille cubitis etiam hoc adducunt.

Sotah, fol. 27.2. *Et menſurabitis ab extrà civitatem ab angulo Orientali bis mille cubitos*, &c. Numer. 35:5. *At Scriptura alia dicit, A muro civitatis & extrà menſurabitis mille cubitos*, verſ. 4.--- *Mille cubiti ſunt ſuburbana civitatis, & bis mille cubiti ſunt limites ſabbatici.*

Quonam modo emenſuraverint hos bis mille cubitos ab unaquaque urbe, & quibus funiculis, fusè agit *Maimon. Shabb.* 28. atque *Erubhin*, cap. 8. quod parùm ad rem noſtram facit. Hoc ſolùm adjiciamus, quod ſi quis à nocte deprehenſus fuerit in itineratione ſua in agris, aut eremo, ingrediente jam Sabbato, atque ille non novit exactè ſpatium bis mille cubitorum, ambulare illi licuit אלפיים פסיעות בינוניות, *bis mille ordinarios paſſus*, וזו תחום שבת, *Atqui hi æſtimabantur pro limite ſabbatico, Erubbin*, fol. 42.1.

Tantùm diſtabat ab urbe locus iſte Oliveti, ubi Salvator aſcendit, ibi ſcilicet ubi deſiit *Bethphage*, atque incepit *Bethania*. Ipſe forſan locus de quo mentio, 2 *Sam.* 15:32. aut certè non multùm diſtans, ubi *David* in fuga ſua, Arcæ & Sanctuario jam valedicens, eò, ut videtur, reſpicit & adorat Dominum. Ubi quis enucleabit rationem, quare Græci Interpretes vocabulum Ῥώς retineant, & illic, & Cap. 16:1. Καὶ ἰδοὺ Δαβὶδ ἐρχόμενος ἕως τοῦ Ῥώς, & Καὶ Δαβὶδ παρῆλθε βραχύ τι ἀπὸ τῆς Ῥώς. Latet aliquid non facilis enodationis. Talmudici volunt eſſe locum Idololatriæ, ſed ratione longiſſimè petitâ in *Sanhedr.* fol. 107.1. at Judaici Commentatores cum majori aliquali probabilitate, quòd eſſet locus, à quo *David* quandocunque tenderet versùs *Hieroſolymam*, locum proſpiciens ubi ſitum erat Tabernaculum, ſolitus eſt Deum adorare.

HORÆ

Digitized by Google

HORÆ HEBRAICÆ
ET
TALMUDICÆ
IMPENSÆ IN
EUANGELIUM
SANCTI
JOANNIS.

Præmittitur

DISQUISITIO
CHOROGRAPHICA,

Loca quædam

Terræ ISRAËLITICÆ inveſtigans;

Illa præſertim, quorum mentio apud hunc

EUANGELISTAM.

Digitized by Google

CAP. XXIV. VERS. 50.

CAP. XXIV. VERS. 50.

mine inſigniretur per ſpatium itineris Sabbatici, aut circiter, donec tandem contingeret partem iſtam, quæ vocatur *Bethania*. Nam erat *Bethania* tractus montis, & *Bethania* oppidum. Diſtabat oppidum ab urbe quindecim ſtadiis, aut circiter, id eſt, milliaribus duobus, aut itinere Sabbatico duplicato: at prima fimbria tractûs qui vocabatur *Bethania*, diſtabat milliari, aut itinere Sabbatico tantum uno.

Eduxit ergo Chriſtus Diſcipulos, cum jam eſſet aſcenſurus ad primum marginem regionis, vel tractûs Oliveti, qui vocabatur *Bethania*, diſtantem ab urbe itinere Sabbatico. Eouſque ab ipſa urbe extenſus fuit tractus, qui vocabatur *Bethphage:* atque ubi perventum ab eo eſt ad locum iſtum, ubi ſe mutuo contingebant limites *Bethphages* & *Bethaniæ*, aſcendit, ipſiſſimo iſto loco quo aſinum aſcendit, cùm equitaret in Hieroſolymam, *Marc.* 11:1. Cum ergo dicat *Joſephus*, Olivetum diſtitiſſe ab urbe quinque ſtadiis, de primo margine montis loquitur; at noſter, de loco ubi Chriſtus aſcendit, ubi incepit nomen Oliveti, ut diſtinctum à *Bethphage*.

Quoniam tam frequens nobis mentio de itinere Sabbatico, & cùm non ſit à re præſenti alienum, aliquid de eo obſervare, liceat hæc pauca adducere.

I. Spatium תחום שבת, limitis Sabbati erat bis mille cubitorum.

Targ. in Ruth, Cap. 1:16. *Dixit Naomi τῇ Ruth, Jubemur obſervare Sabbata & dies feſtos,* בדיל דלא להלכא בר כתרין אלפין אמין, *ad non eundum ultra bis mille cubitos.*

Maimon. Shabb. cap 27. *Statuitur à Scribis, Nè prodeat homo ex urbe ultra bis mille cubitos.* Hujus rei teſtimonia infinita. At diſputatur, quonam fundamento niteretur hoc ſtatutum?

Hieroſ. Erubbin, fol. 21.4. כניין אלפיים אמה, *Unde ſtatuitur de bis mille cubitis? Ex hoc, Nè exeat quis ex loco ſuo die ſeptimo*, Exod. 16:29.

Babyl. Erubbin, fol, 51. 1. *Hi bis mille cubiti ubinam ſcribuntur? Hinc traduntur,* שבו איש תחתיו, *Maneat unuſquiſque apud ſeipſum.* Exod. 16:29. *Hi ſunt quatuor cubiti, Nè exeat quis ex loco ſuo: hi ſunt bis mille cubiti.*

Credas ex his ſcripturis, non elici poſſe cubitum quidem unum, multo minùs bis mille: ſed artem diſce fabricandi quidlibet ex quolibet.

Aſai ben Akiba dicit. Ex hoc deducuntur quod dicitur מקום מקום, *Locus, locus. Dicitur hic locus* [nè exeat quis ex loco ſuo.] *Et dicitur alibi, Statuam tibi locum*, Exod. 21:13. *Sicut locus qui dicitur alibi, eſt bis mille cubitorum, ita locus de quo dicitur hic, eſt bis mille cubitorum.*

Aſt unde probatur, locum, de quo dicitur alibi, eſſe bis mille cubitorum?

Maccoth, fol. 12.2. & *Zevachin*, fol. 117.1. *Statuam tibi locum, quo fugiat ille qui occidit hominem inſcius. Hoc docet quòd Iſraëlitæ in eremo* [qui ſic occiderant quemquam] *migrarunt ad locum refugii. Et quònam migrarunt? Ad caſtra Levitarum.*

Jam ergo cùm caſtra Iſraëlitarum in eremo diſtarent bis mille cubitis à Tabernaculo, & caſtris Levitarum illud circumvallantibus, quod colligunt ex *Joſ.* 3:4. cùm liceret Sabbato, à caſtris ſic diſtantibus adire Tabernaculum, inde hæc argumentatio pro bis mille cubitis, quam jam tractamus.

Obiter hoc moneamus de *quatuor cubitis*, quos eliciunt ex verbis iſtis, *Maneat unuſquiſque apud ſeipſum:* quod hoc ſic intelligendum: Quum quis vel per ignorantiam, vel caſu aliquo tranſgreſſus fuerit limites Sabbati, & tandem ſciverit tranſgreſſionem, coarctatus fuit ad quatuor cubitos, ut ultra eos non moveret, donec Sabbatum eſſet elapſum.

Fundamentum pro bis mille cubitis etiam hoc adducunt.

Sotah, fol. 27.2. *Et menſurabitis ab extrà civitatem ab angulo Orientali bis mille cubitos*, &c. Numer. 35:5. *At Scriptura alia dicit, A muro civitatis & extrà menſurabitis mille cubitos*, verſ. 4.--- *Mille cubiti ſunt ſuburbana civitatis, & bis mille cubiti ſunt limites ſabbatici.*

Quonam modo emenſuraverint hos bis mille cubitos ab unaquaque urbe, & quibus funiculis, fusè agit *Maimon. Shabb.* 28. atque *Erubbin*, cap. 8. quod parùm ad rem noſtram facit. Hoc ſolùm adjiciamus, quod ſi quis à nocte deprehenſus fuerit in itineratione ſua in agris, aut eremo, ingrediente jam Sabbato, atque ille non novit exactè ſpatium bis mille cubitorum, ambulare illi licuit אלפיים פסיעות בינוניות, *bis mille ordinarios paſſus,* הוו תחום שבת, *Atqui hi æſtimabantur pro limite ſabbatico, Erubbin*, fol. 42. 1.

Tantùm diſtabat ab urbe locus iſte Oliveti, ubi Salvator aſcendit, ibi ſcilicet ubi deſiit *Bethphage*, atque incepit *Bethania*. Ipſe forſan locus de quo mentio, 2 *Sam.* 15:32. aut certè non multùm diſtans, ubi *David* in fuga ſua, Arcæ & Sanctuario jam valedicens, eò, ut videtur, reſpicit & adorat Dominum. Ubi quis enucleabit rationem, quare Græci Interpretes vocabulum Ῥὼς retineant, & illic, & Cap. 16:1. Καὶ ἰδοὺ Δαβὶδ ἐρχόμενος ἕως τοῦ Ῥώς, & Καὶ Δαβὶδ παρῆλθε βραχύ τι ἀπὸ τῆς Ῥώς. Latet aliquid non facilis enodationis. Talmudici volunt eſſe locum Idololatriæ, ſed ratione longiſſimè petitâ in *Sanhedr.* fol. 107.1. at Judaici Commentatores cum majori aliquali probabilitate, quòd eſſet locus, à quo *David* quandocunque tenderet versùs *Hieroſolymam*, locum proſpiciens ubi ſitum erat Tabernaculum, ſolitus eſt Deum adorare.

HORÆ

Digitized by Google

HORÆ HEBRAICÆ
ET
TALMUDICÆ
IMPENSÆ IN
EUANGELIUM
SANCTI
JOANNIS.

Præmittitur

DISQUISITIO
CHOROGRAPHICA,

Loca quædam

Terræ ISRAËLITICÆ inveſtigans;

Illa præſertim, quorum mentio apud hunc

EUANGELISTAM.

Digitized by Google

Digitized by Google

Honoratiſſimo Illuſtriſſimoque Viro,

D.no ORLANDO BRIDGEMAN,

Equiti Aurato & Baronetto, Regiæ Majeſtati à Sanctioribus Conſiliis, & Magni Sigilli *Angliæ* Cuſtodi.

LIceat affari verbis Oroſii ad Auguſtinum. Præceptis tuis parui, *Vir æternùm Honorande*, atque utinam tam efficaciter quàm libenter. Verùm ſolius obedientiæ teſtimonio ſum contentus, ſi tamen eam voluntate conatuque decoravi.

Illo quo es erga Sacras Literas ſacro animo, atque explicationem Scripturæ Sacræ promovendi ſtudio, non dedignatus es, etiam tenuitatis meæ, qualia qualia jam edita, oculo favente legere, & me ad progrediendum adhortari; hortatui adjunctis, conſilio, auxilio, patrocinio, Munificentia.

Somnolentiſſimus certè ego mortalium, ſi tam ſuavibus tanti viri irritamentis, non excitarer, accenderer que ad aliquid conandum, quo exhibeatur ſpecimen aliquod, & demonſtratio animi non ſolùm obſequentis, ſed & grati.

Ad hæc ſtudia ferventiſſimè equidem feror, ex innato mihi neſcio quo genio, atque iſtis deliciis nihil mihi dulcius delicatiuſve: at dum tu naviculæ meæ ita remiganti, vela addis & ſpiramenta favonii & favoris tui, placidiùs jam & jucundiùs feror, ex conſcientia officii, ambitione obſequi, & gratitudinis voto.

Prodeunt igitur tuis auſpiciis, Vir Illuſtriſſime, lucubratiunculæ hæ meæ, atque ad te redeunt, Utinam oculo & patrocinio tuo aliqualiter dignæ: aſt eheu quam indignæ! Diſpares longè merito tuo, & diſpares quidem non parùm, ipſi meo cœpto. Fructus tenues rigationis tuæ non tenuis, & maxima audentes, at præſtantes minima.

Ardua fateor ſum aggreſſus, cùm ſublimiſſimum hunc Euangeliſtam in manus ſumerem explicandum: & quantùm auſis talibus exciderim, præterquam quòd res ipſa loquitur, non paratior erit quiſquam ad hoc mihi exprobrandum, quam ego ipſe àd ingenuè fatendum. Parcat igitur lector, carboni ſuo, ad calcem libelli hujus cùm evolverit, & meo notatum hîc habeat in fronte, quòd majora viribus ſum auſus, & minora auſis ſum executus. Atque ignoſcet forſan ille ardua molienti, cùm vellem prodeſſe; & miſerabitur forſan, ſi in arduis præſtare non poſſum quod vellem. At ſi nec hoc, nec illud præſtabit ille, ſed car-

pet; experiatur ipſe quid in hoc Evangeliſta poſſit, & tum mecum forſan excidet.

De ſuſcepto hoc opere, hoc me ſolatur, quòd fugi otium: nam difficilia mallem aggredi, quam vel otiari, vel in trivialibus tempus terere. Et hoc ſolatur de conatu, quòd non ex curioſitate, ſed ex humili & ſincero animi deſiderio inquiſivi in animum Sacri Voluminis, ut diſcam ipſe, & ſi fieri poſſit, ut illuſtrem aliis; innocua, ut ſpero, proponens ſemper, & nonnulla forſan quæ poſſunt prodeſſe.

Sed ſolatur maximè patrocinium & candor tanti Viri, quem ſerenâ fronte munuſculum hoc tenue accepturum, ſpondêre mihi non dubito, jam diu expertus iſtud patrocinium & candorem. Revocem vocem iſtam munuſculum: *nam quæcunque ego offerre poſſum dignitati tuæ, non munera ſunt, ſed debita. Atque eheu, quam tenuis hæc ſolutio! Chartulæ paucæ & miſellæ, pro beneficiis grandibus & innumeris. At* Chartulæ *quæ involvunt intra ſe, pro beneficiis iſtis, quantam in me gratitudinem, & gratiarum actionem! Quare, cùm ego omnium infimus nihil majus habeam quod rependam, dignetur Deus Opt. Max. ex divina & abundantiſſima ſua benignitate, & bonitate retribuere, omnimodâ fœlicitate temporali & æternâ. Quod ex intimis animi affectibus, optat, vovet, & precatur in dies,*

Spectabilitatis tuæ Cliens,

&

Servus devinctiſſimus, humillimus,

JOANNES LIGHTFOOTE.

DIS-

DISQUISITIO CHOROGRAPHICA,

Loca quædam terræ Iſraëliticæ inveſtigans;

Illa præſertim quorum mentio

Apud

S. JOANNEM.

CAPUT I.

BETHABARA, *Joann.* 1:28.

I. *Variæ Lectiones* Βηθανία *&* Βηθαμαρᾶ. II. *Trajectus Jordanis celebriores.* III. *Ditio Scythopolitana.* IV. Μέγα πεδίον. *Ibi trajectus Scythopolitanus.* V. *Beth-barah*, Judic. 7:24.

§. I. *Variæ Lectiones* Βηθανία *&* Βηθαμαρᾶ.

NOTATUR ab omnibus hunc Euangeliſtam tractantibus, variari in quibuſdam codicibus Lectionem, & profertur illud, *Epiphan. Hæreſ.* 51. Ταῦτα ἐν Βηθαβαρᾷ ἐγένετο· Ἐν ἄλλοις δὲ ἀντιγράφοις, Ἐν Βηθανίᾳ.

At Druſius. *Vulgati Græci codices habent in Bethabara, pro quo in Epiphanio, loco citato, ſcriptum, In Bethamara.* Ταῦτα ἐν Βηθαμαρᾷ ἐγένετο· Ἐν ἄλλοις δὲ ἀντιγράφοις, Ἐν Βηθανίᾳ. De qua lectione *Petavius* ſilet.

Parum miror, ſi *Bethabara* tranſierit in *Bethamara*: quod fieri potuit, partim *ex affinitate characterum*, ut inquit ille, *quæ tanta eſt in antiqua ſcriptura, ut vix diſcerni poſſit* μῦ *à* βῆτα, *& contrà*: partim quòd alternatio *Mem* & *Beth*, in iſtis regionibus fuerit uſitatiſſima.

Et non multùm miror, ſi *Bethamara* tranſierit in *Bethania*, cùm *Bethamara* ſcripta בית עמרא, ſit *locus lanæ*, & *Bethania* ſcripta בית עאניא, ſit *locus ovium*.

At miror ſeriò, unde *Bethabara* migrarit in *Bethania*. De qua re unum horum ſuſpicari licet.

Aut quòd *Bethabara* idem eſſe videretur cum בית הברה, i. e. *Domus explicationis*, vel *Schola*, [quo ſenſu ברייא & ברייתא occurrunt] unde margini aſcriptum eſt ab aliquo illuſtrationis ergô, בי תניא, *Domus Traditionis* vel *Doctrinæ*: ac ſi Euangeliſta ſic interpretandus, *Hæc acta, aut diſputata ſunt in Schola aliqua ultra Jordanem, ubi Joannes erat baptizans.* Quæ vox בי תניא, ut nota & uſitatiſſima, irrepere potuit ex albo in textum, & in uſum, Βηθανία.

Aut forſan ſuſpicio erat de tautologia, ſi *Bethabara*, & Πέραν τοῦ Ἰορδάνου retinerentur ſimul בית עברה עבר הירדן, cùm *Bethabarah* בית עברה, exiſtimari poſſet idem quòd *Locus Trans-Jordaninus.* Subſtituta ergò vox Βηθανία, ſignificatu *Batanææ* vel *Bashan* in hunc ſenſum, *Hæc acta ſunt in Batanæa trans Jordanem*, &c. Sed penſi noſtri eſt inveſtigare ſitum *Bethabaræ*, potiùs quàm ortum *Bethaniæ*.

§. II. *Trajectus Jordanis celebriores.*

INter varios modos vocem Βηθαβαρᾶ, concipiendi literis Hebraicis, hi duo præcipuè laborem perpenſionis merentur; *Beth-barah*, de qua mentio *Judic.* 7. & בית עברה, *Beth Abarah*, *Locus tranſitûs*, vel ubi trajiciebatur Jordanes. Obſervatione utriuſque nobis opus erit in diſquiſitione loci quem quærimus: agamus igitur primùm de poſteriori.

Scaphis ubique ferè tranſitum fuiſſe Jordanem à ripa ad ripam, prout huc aut illuc evocati ſunt homines à privatis ſuis negotiis, minimè eſt dubitandum. At nos trajectus publicos quæramus, & per quos tranſitus erat à regione in regionem.

I. Eſt *pons Jacobi*, ut vocatur, ſuper Jordanem

danem inter lacum *Samochoniten* & *Genneſariticum*, in via ducente ad *Damaſcum:* de quo *Biddulphus* noſtras, qui per eum tranſiit, Anglicè in hunc ſenſum.

Ad pedem montis hujus petroſi fluvius labitur amœnus, Jordanis dictus, qui Syriam diſterminat à Galilæa. Super hunc fluvium ſternitur pons ſplendidus, qui vocatur Pons Jacobi, duplici ratione. I. *Quòd illic congreſſus fuerit Jacobus cum fratre Eſavo.* II. *Quòd illic colluctatus fuerit cum Angelo.*

De re ipſa, (i. e.) talem eſſe & fuiſſe pontem in via tam trita, minimè dubitamus: at de ratione nominis dubitamus maximè. Verùm non eſt hîc locus de re iſta diſquirendi.

II. *Jordanes* erat etiam ponte junctus *Chammathæ*, propè *Tiberiadem*, ad ipſum effluxum fluvii è mari *Genneſaritico*, ut oſtendimus alibi ex Talmudicis, contra errorem Tabularum, quæ Tiberiada longè alibi diſponunt. Sententiæ noſtræ ſuffragatur,

Guliel. Tyrius de bell. ſacr. lib. 17. cap. 8. *Tam Dominus Rex*, inquit ille, *quam Principes omnes, Tyberiadem uſque perveniunt, ubi circa pontem, unde ex mari Jordanis fluenta ſe dividunt, caſtrametatur.*

Et lib. 18. cap. 21. *Juxta Tiberiadem ſecùs pontem, unde de lacu Genezar, Jordanis fluenta ſe dividunt, cum exercitu ſua caſtra locavit.* Lege hæc, & intuere ſitum *Tiberiadis* in Tabulis, & corrige.

III. Celebris & frequentatiſſimus erat trajectus iſte à *Jerichunte*, de quo ſæpiſſimè mentio in Sacris Literis. Ubi tranſitus videtur fuiſſe per cymbas, potiùs quàm per pontem. Vid. 2 *Sam*. 19:18. & 2 *Reg*. 2:8.

§. III. *Ditio Scythopolitana.*

ERat & quartus, iſque nobiliſſimus trajectus, *Chammathanum* inter & *Jerichuntinum*, ſed longiſſimè diſtans ab utroque. Ad cujus inveſtigationem expendenda ſunt verba iſta, 1 *Reg*. 4:12. *Et omnis Bethshan quæ eſt juxta Zarthanam, deſubter Jezriel.* Et illa 1 *Reg*. 7:46. *Fuſa ſunt à Rege, in planitie Jordanis, in terra argillacea, inter Succoth & Zarethanam.* Ordiamur à *Bethshane*.

I. *Bethshan*, quæ & *Scythopolis*, erat in *Manaſſitide*, *Judic*. 1:27. ubi Græc. Καὶ οὐκ ἐξῆρε Μανασσῆ τὴν Βαιθσὰν, ἥ ἐστι Σκυθῶν πόλις. Erat ergò intra limites Samariticos, quamvis reverà eſſet una de civitatibus *Decapolitanis*, & juris Gentilitii, ut oſtendimus alibi.

II. Erat ultimus limes *Samaritidis* versùs *Galilæam*. *Joſeph. de bell.* lib. 3. cap. 4. *Limes Galilææ, à Meridie erat* Σαμαρεῖς τε καὶ Σκυθόπολις μέχρι τῶν Ἰορδάνου ῥείθρων, *Samaria & Scythopolis, uſque ad Jordanis fluenta.*

III. Diſtabat civitas à Jordane mediâ leucâ, ut *Borchardus*; & tamen ditiones ſuas extendit etiam ultra *Jordanem*. Nam nota illud *Æthici* in Coſmograph.

Fluvius Jordanis, inquit ille, *naſcitur ſub monte Libano, circumpergit ad lacum Tiberiadem, de quo exiens, ſuo curſu accurrit ad Scythopolim, quam ſecans mediam, & ab ea exiens, effunditur mari mortuo.* Jordanis *Scythopolim* ſecuit mediam, non urbem, nam ea diſtitit à fluvio, ſed ditionem, ita ut eſſet de ditione Scythopolitana, & cis Jordanem & trans. Erat illa civitas nobilis Syro-Græcorum, & jus & juriſdictionem habuit non modicam intra *Manaſſitida*, imò quæ ſe extenderet in *Peræam*.

§. IV. Μέγα πεδίον. *Ibi trajectus Scythopolitanus.*

DE planitie hac magna, frequentiſſima mentio apud *Joſephum*, quæ quidem excepit totam latitudinem *Manaſſitidos*, à Jordane verſus Occidentem, longiſſimo ſpatio.

Ille ſitum & regionem *Ephraimitarum* & *Manaſſitarum* deſcribens, ſic ait.

Antiquit. lib. 5. cap. 1. Ἡ δὲ Ἐφραΐμου φυλὴ τὴν ἄχρι Γαδάρων ἀπὸ Ἰορδάνου ποταμοῦ μηκυνομένην ἔλαχεν. Εὐρεῖαν δὲ ὅσον ἀπὸ Βεθήλων εἰς τὸ μέγα τελευτᾷ πεδίον. *Tribus Ephraimitica longitudine protendebatur à fluvio Jordane uſque ad Gadaram*, [*Gazaram*, Joſ. 16:3. & 21.21.] *latitudine à Bethele, deſinens ad magnam planitiem.*

Τῆς Μανασσήτιδος οἱ ἡμίσεις, &c. *Dimidia Tribus Manaſſæ, longitudine, à Jordane ad civitatem Dor.* Πλάτος δὲ ἐπὶ Βηθσάνων, ἣ νῦν Σκυθόπολις καλεῖται. *Latitudine verò* [ab Ephraimitide] *uſque ad Bethshanem quæ nunc appellatur Scythopolis.* Ità ut Μέγα πεδίον illud, pergentibus à *Gal*[illegible], inciperet *à Bethshane*, & extenderet ſe latitudine ad limites *Ephraimiticos*. Hinc illud apud eundem.

Ibid. lib. 12. cap. 12. Ἦκον εἰς τὸ μέγα πεδίον, οὗ κεῖται κατὰ πρόσωπον πόλις Βηθσάνη. *Venerunt, tranſgreſſi Jordanem, in campum magnum, juxta faciem cujus ſita eſt civitas Bethshan*, vel ut 1 *Maccab*. 5:52. Καὶ διέβησαν τὸν Ἰορδάνην εἰς τὸ πεδίον τὸ μέγα κατὰ πρόσωπον Βαιθσάν. *Tranſgreſſi ſunt Jordanem, in campum magnum, contra faciem Bethshan.*

In libro *Judith*, Cap. 1:8. vocatur Τὸ μέγα πεδίον Ἐσδρηλώμ, *Magnus campus Eſdrelom*, hoc eſt reverà, *Magna vallis Jezrielis*. Sic *Jezriel* loco antè citato, 1 *Reg*. 4:12. Græc. Interp. eſt Ἐσραέλ.

Jam verò, cùm dicatur *Judas* cum exercitu [nam de eo eſt ſermo] à *Galeaditide* rediens, tranſiiſſe *Jordanem*, in magnum hunc campum, idque, ut videtur, non longè admodùm à *Bethshane*; clarè patet, communem aliquem trajectum *Jordanis* fuiſſe iſthòc

loci,

loci, qui non ſolum tranſitum præberet *Scythopolitanis* à ditione eorum Cis-Jordanina ad Trans-Jordaninam, ſed & à *Samaritide* ad *Peræam*, ut & ab inferiore *Galilæa* ad *Peræam*.

Hîc ego quærerem *pontem Jacobi*, per quem ille *Jordanem* tranſiit, tendens in *Meſopotamiam*, cum baculo ſuo, atque indè rediens cum familia, & non ubi jam oſtenditur. Illum ſaltem hâc viâ rediiſſe, extra omnem controverſiam ponit, memoria *Succoth*, *Geneſ.* 33:17. quæ ab altera ripa Jordanis ſita erat, oppoſita *Zarthanæ*, quæ erat ſecùs *Bethshanem*. Atque an *Scythopolis* aliquid nominis ſui derivarit à voce iſta *Succoth*, non dico: credo tamen nomen *Scytharum* originem talem redolere: Σκύθαι quaſi Σύκκοθαι, quòd habitarent & migrarent à loco in locum in tabernaculis.

§. V. *Bethbarah.* Judic. 7:24.

NEc multùm diſtitit ab hoc tranſitu *Bethbarah*, de qua *Judic.* 7:24. *Miſit Gedeon nuncios in omnem montem Ephraim, dicens, Deſcendite in occurſum Midian, & occupate aquas uſque Bethbarah & Jordanem:* quod & fecerunt.

Neſcio an majori cum ratione dixerit *Kimchius*, quòd *hæ aquæ non erant aquæ Jordanis*; an minori *Jarchius*, quòd *diſterminarunt Syriam à Canaanitide*. Erant abſque dubio aquæ aliquæ in valle *Jezriëlis*; nam ibi prælium, ſi modò prælium dixerim, ubi nè unus quidem à victore gladius ſtrictus. Vide *Cap.* 6:33. Cùm eſſet fuga hoſtium, excitat *Gedeon* Ephraimitas per nuncios, ut occupent aquas, quas tranſire neceſſe erat *Midianitis*, ut pervenirent ad pontem aut trajectum *Jordanis*, [de quo jam diximus,] per quem fugiendum iis erat ad ſua. Cùm caſtrametaretur uterque exercitus, *Midianitæ* erant ab Aquilone *Galilæam* verſùs, & *Gedeonitæ* ab Auſtro, propiùs montem *Ephraimi*; Cap. 7:1. Labebatur fluvius in valle, (ad cujus aquas, ut probabile eſt, diſcretum eſt à *Gedeone*, inter milites ſuos lambentes, & non lambentes) qui tandem ſeſe exoneravit in *Jordanem*, ſuprà pontem aut trajectum, qui duxit in *Peræam*. Cùm ergò *Midianitæ* ab Aquilonari ripa hujus fluvii eſſent, nec poſſent ad trajectum illum Jordanis pervenire, niſi trajecto priùs hoc fluvio, Ephraimitarum erat ripas adverſas tueri, nè hoſtes tranſirent: idque toto ferè ſpatio, à loco ubi incepta eſt pugna, uſque ad *Bethbarah & Jordanem*.

Sive igitur trajectus iſte, de quo diximus, *Bethbarah* dictus fuit à loco iſto Jordani vicino, ſive *Beth-abarah* בית עברה, ab etymo noſtro, ulterior ripa Jordanis, ponti vel trajectui contigua; non incongruè dici potuit *Bethabarah trans Jordanem* vel ab hoc, vel illo. Nam Πέραν τοῦ Ἰορδάνου eſſe *trans Jordanem*, (utcunque renuat Clar. *Beza*) docebunt Lexica, præſertim verò communis illa trichotomia, יהודה וגליל ועבר הירדן, *Judæa, & Galilæa, & Trans Jordanina.* Ἀπ' Ἀνατολῶν τοῦ Ἰορδάνου, ut exprimit *Ptolomæus*. Et fatetur ipſe Beza, *Trans Jordanem eſſe propriam vocis Græcæ* πέραν *declarationem*, in *Matth.* 4:15.

Bethabaram ergò quam quærimus, ubi *Joannes* erat baptizans, diſponamus in ulteriori iſta ripa, in ditione Scythopolitana, ubi habitabant Judæi inter Syro-Græcos, ut in omnibus regionibus Decapolitanis; & ubi tutiùs aliquantùm potuit eſſe Chriſto à Scribis & Phariſæis, *Joann.* 10:40. quippe quod illîc exiret aliqualiter ex eorum juriſdictione. Et ſic baptizantem habes *Joannem*, primùm circa trajectum *Hierichuntinum*, ubi erat concurſus populi non tenuis, propter frequentationem viæ; & ſecundò circa hunc trajectum *Scythopolitanum*, ubi par concurſus.

Si & adhuc luſitare luberet cum voce Βηθανία, ſupponi poſſet ſcribi ביתעאניא, *Bethaania*, quæ idiomate Syro (cui frequentiſſimum mutare ש, *Shin* in ע, *Ain*) coincidit cum בית שאניא, *Bethshanite.*

C A P. II.

NAZARETH, *Joann.* 1:46.

I. *Legenda non abſimilis iſti de Sacello Lauretano.* II. *Situs Nazarethæ.* III. בן נצר, *Ben Nezer.* IV. *Horrenda quædam acta in* כפר נחום, *Capharnachumo.* V. *Pauca de Cana*, Joann. 2:1.

§. I. *Legenda non abſimilis iſti de Sacello Lauretano.*

QUoniam in tranſitu tantùm meminit *Nazarethæ* Euangeliſta noſter, & nihil ibi a Chriſto actum refert, in tranſitu etiam nos ejus mentionem habebimus, ſitum ejus obiter inveſtigantes, fuſius forſan de eo acturi alibi.

At quid opus eſt, ut ſolliciti ſimus circa ſitum hujus urbis, cum locus quem præcipue in ea quærimus, domus ſcil. beatiſſimæ Virginis, in *Nazaretha* jam non ſit, ſed in *Italia* in agro *Lauretano*, tralata illuc per Angelos: de qua re inter alios ſic *Baronius* ad Ann. Dom. 9. *Porrò Domus illa, in qua de Verbi Incarnatione ſanctiſſima Virgo cœleſte accepit nuncium, adhuc magno miraculo, non tantùm integra perſeverat, ſed Angelorum miniſterio ab infidelium manibus vindicata, in Dalmatiam primùm, inde in Italiam tranſlata eſt in agrum Lauretanum Piceni provinciæ*, &c.

Digitized by Google

Compenſemus Legendam Legendâ.

Midras Schir, fol. 2. 2. *Dicunt de R. Chanina, quòd vidit concives ſuos afferentes ſacrificia ſua ad Hieroſolymam, & dixit, Omnes illi ferunt ſacrificia, & non eſt mihi aliquid quod feram: quid ergò ego faciam? Extemplò exiit in eremum urbis ſuæ, atque ibi invenit ſaxum. Saxum illud ſcidit, dolavit atque artificioſè formavit, & dixit, O quam vellem lapidem hunc portari Hieroſolymam! Abiit conductum homines qui portarent. Dixerunt illi, Da nobis centum aureos, & portabimus. At ille, Vah! unde mihi centum aurei, imò unde tres? Illicò paravit ei Sanct. ben. quinque Angelos in ſpecie hominum, qui dixerunt ei, Rabbi, da nobis quinque ſolidos, & nos portabimus lapidem tuum Hieroſolymam, ſi modò tu ipſe manum operi admovebis. Admovit ille manum ſuam cum iis, atque illicò ſteterunt omnes illi in Hieroſolyma. Cùm ſolvere vellet iis mercedem, illi evanuerunt. Rem ergò recitavit ille coram Synedrio in Conclavi Gazith: qui dixerunt, Rabbi, videtur quòd iſti ſunt Angeli qui ſaxum tuum apportarunt. Dedit ergò Sapientibus nummum, de quo erat ab eo pactum.*

Ego promptius huic hiſtoriæ fidem habuerim, quàm iſti *Lauretanæ*, quippe quòd ſuſpicor, *R. Chaninam* iſtum fuiſſe *Haninam ben Duſa*, egregium Magum [& affirmat *Juchaſin*, fol. 57. 1.] niſi & dixeris Sacellum *Lauretanum* tralatum fuiſſe per Angelos Magorum.

In *Bemidbar Rabba*, fol. 257. Lapis ingens ſponte ſuâ volitat ex terra Iſraëlis, & obturat os ſpeluncæ in Babylonia, ubi erat *Daniel* inter leones. Sed fabularum ſatis.

§. II. *Situs Nazarethæ.*

Situs Nazarethæ, ſecundùm *Borchardum*, *Breidenbachium* & *Saligniacum*, emenſurandus & determinandus eſt à monte *Thabor*: nam ſic illi unanimiter, *A Nazareth duabus leucis contra Orientem eſt mons Thabor.* Nec eſt cur, quoad regionem *Galilææ*, quâ diſponunt hanc urbem, ab iis diſſentiamus; cùm & alii etiam ferè idem ſentiant.

Jam vero mons *Thabor* erat in ipſo limite diſterminante *Iſacharitin à Zebulonite*.

Joſ. 19:22. *Et limes* (Iſacharitis) *extendit ſe ad Thaborem & Shabazimam*, &c. Quiſnam autem limes? Aquilonaris, an Meridionalis? Aquilonaris, teſtante *Joſepho*.

Antiquit. lib. 5. cap. 1. Καὶ μετὰ τούτους [Manaſitas] Ἰσάχαρις Κάρμηλόν τε ὄρος καὶ τὸν ποταμὸν τοῦ μήκους ποιησαμένη τέρμονα, τὸ τε Ἰταβύριον ὄρος τοῦ πλάτους. *Poſt Manaſſitas eſt Iſacharis, Carmelum montem & fluvium* [Jordanem] *habens longitudinis terminos, & montem Thabor latitudinis*: id eſt, latitudo Iſacharitidis eſt à Manaſſitide ad montem *Thabor*, ut planè docet methodus *Joſephi* iſto in loco.

Erat ergò mons *Thabor*, quaſi in medio inter limites *Samariæ* & *Galilææ ſuperioris*: hinc *Iſacharitim* habens versùs *Samariam*, illinc *Zebulonitin* versùs iſtam *Galilæam*.

Idem, *de bell.* lib. 4. cap. 6. deſcribit *Thaborem*, ubi hæc videntur obſcuriora: Ἰταβύριον ὄρος ἐστι τῶν μεγάλου πεδίου, καὶ Σκυθοπόλεως μέσον. Novimus ubi *Scythopolis*, & novimus ubi Μέγα πεδίον ſecùs *Scythopolim*. At quodnam illud Μέγα πεδίον quod jacet poſt *Thaborem* verſus Aquilonem, ut *Thabor* inter illud ſit & Scythopolim? Annon *Zabulonitis* ità apud Joſephum audit? Et videtur *Iſacharitis* item, aut magna ejus pars, eodem titulo nuncupari, ſi eundem conſulas *ibid.* lib. 3. cap. 4. Ità ut diſtinctivè nominetur ab eo Μέγα πεδίον *Scythopolitanum*, vel *Manaſſiticum*, Μέγα πεδίον Σαμαρείτιδος, *ibid.* lib. 2. cap. 21. Et deſcribitur *Galilæa inferior à* Talmudicis, hoc charactere, *Quòd ea producit Sycaminos, ſuperior autem non. Sheviith*, cap. 9. hal. 2. Sycamini autem naſcuntur Ἐν τῇ πεδινῇ, 1 *Reg.* 10: 27. Hinc ergò videtur nata diſtinctio *Galilææ*, in inferiorem & ſuperiorem; inferiori ſic dictâ, quia plana magis eſſet & campeſtris; ſuperiori, quia magis intumeſceret montibus.

Fallor, aut *ſuperior* emphaticè aliquando vocatur *Galilæa*, nec immeritò, cùm inferior vocari poſſet Μέγα πεδίον. Sic erat *Cana* nuncupata *Galilææ*, forſan ut diſtingueretur à *Cana* diſterminante *Galilæas*, de qua ſuo loco. Et verba iſta apud Euangeliſtam noſtrum, Cap. 4:43, 44. *Diſceſſit inde*, [à Samaria] *& profectus eſt in Galilæam; nam Jeſus teſtimonium perhibuit, quòd in ſua patria Propheta honorem non habet.* Nonne hæc hóc ſonant? Noluit ille ire in *Nazaretham*, ſed voluit ire in *Galilæam*, id eſt, *ſuperiorem*, & pervenit ad *Cana*.

Nazaretha ergò erat in *Galilæa inferiori*, in collimitiis *Iſacharis* & *Zebulonis*, atque ut vulgò recipitur, intra *Zabulonitin*, milliaribus diſtans 16. aut ampliùs à *Capernaumo*: nam ipſe *Thabor* diſtabat à *Capernaumo* 10. aut circiter.

§. III. בן נצר, *Ben Nezer.*

Non plenè mihi ſatisfit de vulgari ſcriptura vocabuli *Nazareth* per נצר: multò minus, quòd *Nazarenus* proferatur per נוצרי, id eſt, Νωζαραῖος, cum Amanuenſes ſacri dicunt, Ναζωραῖος. At bilem ferè movet, cum lego ea, quæ Judæi ſcribunt de בן נצר, *Ben Nezer.*

Chetubb. fol. 51. 2. *Tradunt Rabbini. Capti à regno, ecce ſunt ſicut captivi: at capti à latronibus, non ſunt ſicut captivi.*

Traditio eſt diſtinguenda, לכות אמלכות לא קשיא, *Quoad regnum, & regnum*

non eſt difficultas: id eſt, quoad regna æqualia. *Aſt eſt quoad regnum Ahaſhueri, & regnum* בן נצר, *Ben Nezer. Quoad latrones & latrones, non eſt difficultas: aſt eſt quoad Ben Nezer,* & ליסטים עלמא, *latrones mundi*, id eſt, latrones ordinarios. *Illic* [in Palæſtina] *Ben Nezer vocatur Rex: hic* (in Babylonia) *vocatur latro*, קרי ליה ליסטים.

Gloſſ. *Ben Nezer latro fuit, & cepit urbes, & regnavit in iis, & factus eſt Dux latronum.*

Nonne ſuſpicionem movet, quòd comminiſcantur famoſiſſimum latronem denominatum *Filium Nezer*, נצר, quibus ipſiſſimis literis vulgò ſcribitur urbs *Nazareth?* Proſpice porrò, & ſuſpicabere magis.

Bereſh. Rabb. ſect. 76. *Intuitus ſum cornua, & ecce cornu aliud parvum aſcendit inter ea,* Dan. 7:8. זה בן נצר, *Hic eſt Ben Nezer.*

Aruch hæc citat in voce קרן, hoc modo. *Cornu aliud parvum aſcendit inter ea*, זו מלכות כותיים, *Hoc eſt regnum Cuthæorum.* Quodnam autem eſt regnum iſtud Cuthæorum? Conjice ex

Midras Schir, fol. 17. 2. *Præteriit hyems*, Cant. 2:11. זו מלכות כותיים, *Hoc eſt regnum Cuthæorum.* Et paulò pòſt, *Appropinquat tempus regni Cuthæorum ut deſtruatur, & appropinquat tempus regni cælorum ut reveletur.*

Facile eſt odorari, quid ſibi velint per *regnum Cuthæorum:* Chriſtianorum abſque dubio; (niſi oſtenderint regnum aliquod Samaritarum:) & tum promptum ſuſpicari, quis iis ſit *Ben Nezer*. Demonſtrent velim, undè nomen *Tetrarchiæ Nazerinorum* in Cœloſyria: de qua *Plin.* lib. 5. cap. 23. *Cœloſyria habet Apamiam Marſyâ amne diviſam. A Nazerinorum Tetrarchia Bambycen, quæ alio nomine Hierapolis vocatur, Syris verò Magog.*

§. IV. *Horrenda quædam acta in* כפר נחום, *Capharnacumo.*

CUm *Nazaretha* conjungamus mentionem *Capernaumi*, quamvis multis milliaribus diſtantis, quippe quòd hæc foret habitatio Chriſti, ſicut illa fuerat natale ejus ſolum. Situm ejus inveſtigavimus alio in Tractatu, in regione *Genneſarethæ*, modicùm diſtantem à Tiberiade. Aliam etiam *Capernaumum* habes apud *Gulj. Tyrium*, lib. 10. cap. 26. ad littus maris Mediterranei, prout hæc erat ad littus Genneſaritici. *In loco*, inquit, *qui dicitur Petra inciſa, juxta antiquam Tyrum, inter Capharnaum & Doram oppida maritima.*

In incerto eſt, an vox a נעום derivetur, an à נחום: illa *amœnitatem* denotat, hæc *conſolationem*. Et quamvis noſtra ab amœnitate loci ſic dici poſſit, quam deſcribit *Joſephus* de *bell.* lib. 3. cap. 35. Orientales tamen interpretes eam ſcribunt poſteriori modo. Occurrit & apud Rabbinos oppidum iiſdem literis כפר נחום, de quo forſan non pœnitebit lectorem hanc audire hiſtoriam.

Midras Coheleth, fol. 85. 2. *Chanina filius fratris R. Joſuæ profectus eſt* כפר נחום, *Capharnacumum*, ועבדון ליה מינאי מלה, *& fecerunt in eum hæretici* (vel Magi, nam vox utrumque denotat) *aliquid incantationis. Introduxerunt eum in urbem inſidentem aſino:* Sabbato ſcil. quod prohibitum. *Abiit ille ad avunculum ſuum R. Joſuam*, ויהב עליו משחא ואתסי, *qui poſuit ſuper eum aliquid unguenti, & ſanatus eſt.* Incantationibus, ut videtur, cum dementaverant, ut alienatus à ſe foret, & ſui oblitus & Sabbati. Sequitur & immediatè altera hiſtoria.

Quidam de Diſcipulis R. Jonathanis fugit ad iſtos hæreticos: (ut fieret ipſe hæreticus cum iis.) *Jonathan ipſum invenit jam factum caſtratorem avium pecudumque. Miſerunt ad eum*, (Jonathanem) *& dixerunt, Scriptum eſt, Conjice ſortem tuam nobiſcum, atque omnibus nobis erit crumena una. At fugit ille, atque iſti ſunt proſecuti. Dixerunt ei, Rabbi, veni, & præſta officium tuum ergà ſponſam. Venit, atque invenit eos* עסקים בריבא אחדא, *mœchantes cum puella una. Dicit ille iis*, כן ארחהון יהודאי עבדין, *Num Judæorum moris eſt ita facere? Reſpondent, Nonne ſcriptum eſt in Lege, Conjice ſortem tuam nobiſcum, nobis omnibus erit crumena una? At fugit ille, atque iſti ſunt proſecuti, uſque dum appelleret oſtium propriæ domûs, atque oſtium clauſit contra eos. Dicunt ei, O Rabbi Jonathan, ito, & lætans dic matri tuæ, quòd non retroſpexiſti ad nos: nam ſi retroſpexiſſes, magis quàm nos fuimus te proſecuti, tu nos fueras proſecutus.*

Dum hæc lego, non poſſum non *Nicolaitas*, aut alios in iſtiuſmodi volutabro volutantes ſe, in animum revocare. Et certè non indignum eſt hoc, quod refertur, obſervatione, circa iſtas hæreſes: & ſi *Caphar-Nachum* iſta, eadem fuerit cum *Capernaumo*, de qua tam frequens mentio apud Euangeliſtas, quod videtur, O *Capernaum! olim exaltata ad cœlos, quomodo jam detruderis ad infernum?*

§. V. *Pauca de Cana.* Joann. 2:1.

IN incerto eſt, quænam ſit prima vocis *Cana* litera, an *Caph*, an *Coph:* utrumque comperimus.

I. קנה, litera initiali *Coph*, eſt civitas in Tribu *Aſer*, Joſ. 19:28. ubi Græca pro *Canah* habent Κανθὰν: & MS. Alex. Κανά.

II. קיני, vox non admodùm abſona memoratur a Talmudicis, in *Ohaloth*, cap. 18. hal. ult. רבי ובית דינו נמנו על קיני וטהרוהו

ומהרוהו, *Rabbi & Conſeſſus ejus, numeratis ſuffragiis de Keni, puram eam pronunciarunt*, Gloſſ. *Keni erat locus dubiæ conditionis, æſtimatus immundus:* (ut locus ſcil. gentilium) *aſt temporibus R. Judæ Haccadosh, cognitum eſt de ejus cauſa, & pronuntiarunt eam mundam.*

III. Eſt Κανὰ κώμη apud Joſephum, ſed incerti ſitus, in Ἀρχαιολογ. lib. 13. cap. 23. *Cadente Antiocho* (dum pugnaret cum Rege Arabe) τὸ στράτευμα φεύγει εἰς Κανὰ κώμην, *exercitus ejus fugit ad oppidum Cana.* Vix credo noſtram, ſed aliam, ut ſuadere aliquantum poteſt contextus *Joſephi.*

IV. At loquitur etiam, in *vita ſua*, de κώμη τῆς Γαλιλαίας ἡ προσαγορεύεται Κανὰ, *oppido Cana Galilææ.* Cujus ſitum, quantum datur, ex eo ſtatuimus alio in Tractatu: nempè non longè à loco ubi *Jordanes* influit in mare Genneſariticum. Ita ut inter *Canam* hanc & *Capernaumum* foret ferè tota longitudo iſtius maris.

V. At non omittendum eſt, quod כנה, inchoante *Caph*, occurrit apud *Juchaſin*, fol. 57. 2. cujus hæc verba. *In fine capitis* השוכר את הפועלים, (eſt caput ſeptimum, *Bava Meziæ*) *eſt Traditio. Abba Chalaphtha de Caphar Hananiah dicit nomine R. Meir.* (occurrunt hæc in *Bava Mezia*, fol. 94. 1. ubi & adducitur quod dicit.) ת״ל כו כפר הנניה היא כפר כ׳נה, *Et videtur mihi* (ſunt verba authoris *Juchaſin*) *quòd Caphar Hananiah eſt Caphar Cana, ſicut probabile eſt ex capite nono Tractatus Sheviith: nam ibi erat initium Galilææ inferioris.*

Ex loco in *Sheviith* allegato, qui eſt halac. 2. planè liquet *Caphar Hananiah* fuiſſe in ipſo limite, duas Galilæas diſterminante, inferiorem & ſuperiorem. Unde patet quod *initium Galilææ inferioris*, apud authorem noſtrum, non eſt ut pergis à Samaritide in Galilæam, ſed è Galilæa ſuperiori in inferiorem. Et an *Cana Galilææ* noſtra ſic dicta fuerit, ut diſtingueretur à *Canah* iſta diſterminante, an à *Canah* Aſeritica, quæ non admodum incongruè dici potuit *Sidoniorum*, determinet lector.

Ut & quare Syrus interpres hoc in loco ſcripſerit קטנא, *Katna* pro *Cana*. An quod ei in animo & oculis fuerit קטת, *Kattath*, Joſ. 19:15. quæ vulgari dialecto vocabatur Καταναθ, ut reddunt LXX. & aſſerunt Hieroſolimitani, *Megill.* fol. 70. 1. Aut an per ipſam vocem קטנא, minoritatem urbis innuere vellet, q. d. *Cana minor?*

C A P. III.

Αἰνὼν ἐγγὺς τοῦ Σαλείμ, *Joann.* 3:23.

I. *Nomina & loca quædam cognati ſoni cum* Σαλείμ. II. שלמאה, *Salmæus, vel Salamæus, apud Targumiſtas pro* קיני, *Kenæo.* III. Ἀινὼν, *apud Græc. Interpr.* Joſ. 15:61. IV. *Syrus notatus, & Euſtath. ſuper Dionyſ.* V. *Herodium Regia.* VI. *Machærus caſtellum.* VII. הר מצער, *Mons Mizaar*, Pſalm. 42:7. VIII. עגלת שלישיה, Eſaj. 15:5.

§. I. *Nomina & loca quædam cognati ſoni cum* ΣΑΛΕΙΜ.

ORdiamur primò à Σαλείμ, atque inde quæramus *Ænonem* vicinantem.

I. Parùm ad inveſtigationem noſtram faciunt verba *Moſis*, Geneſ. 33:17. ויבוא יעקב שלם עיר שכם: quamvis ſuper ea condiderint verſiones nonnullæ, & authores tabularum, civitatem neſcio quam *Salem*, prope *Sichemum*; quam nec agnoſcunt Judæi, nec Samaritani. Nam Judæi reddunt, nec ſine ratione, *Et venit Jacobus ſalvus ad civitatem Sichem.* Onkel. Jonathan, Bereſh. Rabb. ſect. 79. Shabb. fol. 33. 2, &c. Et textus Samaritanus habet שלום pro שלם, *Et venit in pace.* Nec erant inter mortales qui meliùs judicare poſſent, an שלם iſto in loco fuerit urbis nomen, necne, quàm Samaritæ.

II. Σαλὶμ eſt nomen loci in Codice Romano apud Græc. Interpr. in *Joſ.* 19:22. ubi Hebræa ſic, ופגע הגבול בתבור ושחצומה ובית שמש, *Et pervenit terminus* (Iſcharitidis) *uſque Thabor, & Shahazimah, & Bethshemesh.* Græca autem, καὶ συνάψει τὰ ὅρια ἐπὶ Γαιθβὼρ, καὶ ἐπὶ Σαλὶμ κατὰ θάλασσαν, καὶ Βαιθσαμύς.

Docet nota Maſoretica, vocem *Shahazimah* ſcriptam per *Vau*, legendam eſſe per *Jod*, quod & agnoſcunt hi Interpretes, (quod notandum) ſed vocem in binas partiuntur שחץ ימה, i. e. *Shahaz* κατὰ θάλασσαν: at quare *Shahaz* in *Salim* traduxerint, non facile eſt augurari.

Videtur Σελάμη apud Joſephum, quam numerat inter oppida Galilææ a ſeipſo munita, in *vita ſua*, eſſe eadem cum Σαλὶμ hâc Interpretum; præſertim verò cùm connumeretur ab eo cum monte *Itaburio*, vel *Thabor*.

III. Σαλειμ, in Codice Alexandrino, reſpondet Hebræo שעלים, in 1 *Sam.* 9:4. In Complut. Σαλὶμ, in Romano Σεγαλίμ. Ubi Targ. pro בארץ שלישה, *In terra Shalisha*, habet בארע דרומא, *In terra Auſtrali*; & pro בארץ שעלים, *In terra Saalim*, habet בארע מתברא, *In terra Mathbara*. Quare & hic, & 2 *Reg.* 4:42. reddiderit בעל שלישה.

Digitized by Google

שלישה, *Baal Shaliſha*, per ארע דרומא, *Terra Auſtralis*, rationem aliquam petere potes à Gemariſtis, qui de iſto loco hæc habent in

Sanhedr. fol. 12. 1. *Non erat in tota terra Iſraëlitica regio aliqua, quæ citiùs maturefecit & decoxit fruges ſuas, quàm Baal Shaliſhah.* Jam verò regionem talem in *Menachoth*, fol. 85. 1. vocant שרות המודרבות, *Agros Auſtrales*, vel ad literam, *Auſtrificatos*, *quia ſuper eos ſol oritur & occidit.* At quare reddiderit ארץ שעלים per ארע מתברא, obſcurius; niſi fortè reſpectum aliquem habuerit ad תבור, *Thabor*, cujus mentio Capite ſequenti, *verſ.* 3. ita ut מתברא ſit *Planities Thaborica.*

Et jam, ſi vel ex hiſce locis, quos nominavimus, vel aliquem alium ex ſua lectione eligat lector, videat an ei congruè præfigi poſſit articulus τοῦ, cùm nomina urbium & oppidorum utplurimum ſint generis fœminini; at hîc apud Euangeliſtam noſtrum ſit τοῦ Σαλείμ. Unde ſuſpicio oriri poteſt, de urbe aliqua non eſſe ſermonem, ſed de re aliqua alia. De qua exercitationis ergò liceat exſpatiari.

§. II. שלמאה, *Salmæus, vel Salamæus apud Targumiſtas pro* קיני, *Kenæo.*

NEmini ignotum eſt, qui Paraphraſtas Chaldaicos evolvit, *Kenæos* ab iis vocari שלמאה, *Salmæos*, vel *Salamæos.*

Ab *Onkeloſio*, *Geneſ.* 15:19. *Numer.* 24:21, 22.

A *Jonathane*, *Judic.* 1:16. & 4:2. & 5:24. 1 *Sam.* 15:6. & 27:10. Obſervo pariter מעכתי, *Maachathæos*, ab iis vocari אפיקרוס, *Epikeros*, *Deuter.* 3:14. *Joſ.* 13:13. Atque hoc, ut videtur, à loco vel regione, ubi olim habitarunt *Maachathæi*, cui nomen, Targumiſtarum tempore, Ἐπίκαιρος, Ἀπ' Ἀνατολῶν τοῦ Ἰορδάνου, in grad. 67. 31. 0. *Ptolem.* Tab. Aſiæ 4. ſi modò benè convenit ſitus; quam rem hîc non diſcutiemus.

At *Kenæus* non ità dictus eſt *Salamæus*, à loco quopiam ubi habitarunt. Nam *Kenæi* in parte Meridionali Judææ dicti ſunt *Salamæi*, *Judic.* 1. Sic & *Heber Kenæus* in Galilæa, *Judic.* 4. Et *Kenæi* inter Amalechitas, 1 *Sam.* 15. Et *Kenæi*, quorum ſedes trans Jordanem, *Geneſ.* 15. Verùm unde ſic dicti, non quærimus: ſat eſt quòd vulgari hoc nomine dignoſcerentur שלמאה: cui quàm cognatum ſit ὁ Σαλείμ, arbiter eſto æquus lector. Quid ſi igitur illud quod Euangeliſta hîc vult, hoc ſiet, *Joannes erat baptizans in Ænon prope Salamæum*, vel *Kenæum:* loquente eo cum vulgo, & nomen iſtius gentis adhibente, quo vulgo jam audiit. At ſi daretur id quod proponimus, uter *Kenæus* eſt intelligendus? An is qui in eremo *Judæ*, an ille qui trans mare ſalſum?

§. III. Αἰνὼν *apud Græc. Interpr.* Joſ. 15:62.

SI *Eſſenus* שלמאה, *Salmæus*, dici poſſit, æquè ac *Kenæus*, [& certè meretur, ſi vox *perfectionem* vel auſteritatem vitæ denotet] fidentiùs ego Σαλείμ Euangeliſtæ diſpoſuerim in eremo Judæ: quippe quòd illic loci comperiam Ænonem apud Græc. Interpr. in *Joſ.* 15:61. ubi Hebræa in hunc ſenſum: *In eremo Betharabah, Middin, & Secacah, & Nibſhan, & civitas ſalis, & Engedi, civitates ſex.* Græca autem, Καὶ Βαδδαργεὶς, καὶ Θαραβαὰμ, καὶ Αἰνὼν, &c. Ubi planè vides Αἰνὼν pro *Middin:* at quâ ratione, obſcurius. Hoc tantùm obſervare licet, quòd *Middin* occurrit *Judic.* 5:10. יושבי על מדין: quod ſi interpreter, *Qui habitatis juxta Middin*, Kimchium habeo ſuffragantem, qui ſic in locum: *Middin eſt nomen urbis, cujus mentio occurrit in Joſua, Middin & Secacah.* Jam ergò cùm Αἰνὼν ſignificet *locum fontium* vel aquarum, adverte quid ſequatur, מקול מחצצים בין משאבים, *A voce ſagittariorum inter loca ubi hauriuntur aquæ.* Græc. Ἀνὰ μέσον ὑδρευομένων. Ut ſi quæras ab Interprete Græco, Quare, quæſo, reddidiſti *Middin* per Αἰνὼν, *locum fontanum?* Reſpondere habet, Quia *Middin* erat locus ὑδρευομένων.

Succeſſerunt Kenæis Eſſeni in ſedibus ſuis in eremo Judæ, ut *Plin.* lib. 5. cap. 17. & *Solin.* cap. 38. & ſucceſſerunt etiam iis in auſteritate vitæ, ut de iis teſtatur *Joſephus*, aliique. Et ſi *Eſſenum* שלמאה, *Salamæum*, dici permiſeris, ut dicti ſunt *Kenæi*, reddere potes verba Euangeliſtæ in hunc ſenſum, *Joannes erat baptizans in Ænon prope Eſſenum.* Et ſupponi poſſet Baptiſtam, ſicut fuerat inter duas Sectas Judæorum, Phariſæos & Sadducæos, & nonnullos eorum baptizaverat, ſic jam ſe applicare ad tertiam Sectam, Eſſenos, ut & nonnullos eorum baptizet: ſed non determinamus.

§. IV. *Syrus notatus: & Euſtath. ſuper Dionyſ.*

DUm vocem Αἰνὼν in manibus habemus, non obſervare non poſſumus, eam à Syro & Arabe in binas eſſe diſſectam: nam ille legit בעין יון, *In fonte Ion*; hic פי עין נון, *In fonte Nun.*

Nominis notationem videntur prodere ipſa verba Euangeliſtæ.

Ὅτι ὕδατα πολλὰ ἦν ἐκεῖ. Nam aptiori interpretatione vocem non donaveris, quàm *Locus fontium*, vel *aquoſus*. Sic & *Nonnus*.

Ὕδατι βαπτίζων βαθυκύμονος ἐγγύθι Σαλήμ.

Quare ergò bipartirentur Interpretes iſt vocabulum per ſe ſatis planum atque etymologicum?

Ion Syri in mentem revocat verba *Euſtathii* ſuper hunc *Dionyſii* Περιηγ. verſiculum

Ἥν τε καὶ Ἰονίην περιναίεται ἠυδάξαντο.

Dicunt quidam, inquit ille, *quòd totum illud pelagus à Gaza Ægyptum uſque, vocatur etiam Ionium, ab Io:* Καὶ τὴν ἐκεῖ δὲ Γάζαν Ἰόνην καλοῦσί τινες. Ἔνθα βοῦς ἦν ἐν ἀγάλματι τῆς Ἰοῦς, ἤτοι τῆς Σελήνης. *Atque etiam ipſam Gazam nonnulli vocant Ionem. Ubi bucula eſt, imagine* Ἰοῦς, *ſive Lunæ.*

Gazam dictam fuiſſe *Ionen*, rarioris eſt notitiæ. Detur, & mare inde ad Ægyptum dictum Ionium: ego ab *Io* nomen non deduxerim, quin potiùs ab *Ionibus*, æneis iſtis hominibus, de quibus in Ægyptum adventantibus, ſedeſque ſuas juxta mare figentibus, non ignobilem narrat hiſtoriam Herodotus. *Euterpe*, cap. 152, 154.

At num עין יון, *Ein Ion*, [vel *Iaven*, ut placet nonnullis] circa hanc regionem quærenda? Joannem circa *Gazam* quærere, eſt extra terram Iſraeliticam quærere, prout tunc temporis definiti erant limites terræ.

§. V. *Herodium*, *Regia*.

SI *Ænon* fuerit locus ubi *Joannes* ultimò baptizabat ante ſuam incarcerationem, tum quærenda eſt, vel in *Galilæa*, vel in *Peræa*, nam vel hîc vel illîc familiaritatem iniit ille cum *Herode*. Quamvis enim S. *Lucas* de Herode loquens, memoret tantùm Galilæam ſub ejus Tetrarchia, *Luc.* 3:1. docet tamen *Joſephus*, quòd Ἐγένετο ὑπὸ τούτῳ [Ἀντίπᾳ] ἥτε Περαία, καὶ Γαλιλαία, *Sub eo erant & Peræa, & Galilæa, de bello*, lib. 2. cap. 9. Atque in utra initiabis familiaritatem ejus cum Baptiſta? Erat cùm opinarer, in *Galilæa*: at dum penſatiùs cogito de *Herodio* in Peræa, atque ejus vicinitate ad *Machærunta*, carcerem Joannis, videri poteſt illud probabilius.

Joſephus, *de bello*, lib. cap. 16. de Herode magno ſplendidiſque ejus ædificiis loquens, hæc habet inter alia. Φρούριον ἐπιτειχίσας τῷ πρὸς Ἀραβίαν ὄρει προσηγόρευσεν Ἡρώδιον ἀφ᾽ ἑαυτὸν. *Caſtrum muniens in monte juxta Arabiam, Herodium vocavit de nomine ſuo.* Ubi per *Arabiam* intelligit *Moabitin*: & conditum videtur hoc Præſidium ab Herode, pro munitione contra Moabiticos Arabas.

Humatus illîc eſt *Herodes* qui condidit, referente eodem *Joſepho*, *de bello*, lib. 1. cap. 21. ubi funeris ejus pompam deſcribens, ſic ait, Πεντακόσιοι δὲ ἐπ᾽ αὐτοῖς τῶν οἰκετῶν καὶ ἀπελευθέρων Ἀρωματοφόροι, *Poſt eos ibant quingenti de domeſticis & libertis ejus Aromatarii.* Σταδίους δὲ ἐκομίσθη τὸ σῶμα διακοσίους εἰς Ἡρώδειον, πῦ κατὰ τὰς ἐντολὰς ἐτάφη, *Latum eſt corpus ejus ducentis ſtadiis* [à Jerichunte ſcil. ubi expiravit] *ad Herodium, ubi ſecundùm mandatum ejus eſt tumulatus.* At verò in

Antiquit. lib. 17. cap. 10. ait, Ἦεσαν δὲ ἐπὶ Ἡρωδίου στάδια ὀκτώ. *Venerunt ad Herodium ſtadiis octo, nam ibi ex ipſius mandato erant funerationes.* Primo intuitu ſuſpiceris eſſe ſphalma. Aſt hoc innuitur, quod à *Jerichunte* ad *Herodium* erant ducenta ſtadia, vel 25. M. paſſ. at ſepulchrum *Herodis* diſtabat octo ſtadiis ab *Herodio*, prout vulgò ſepulchreta erant tanto ſpatio extra urbes.

§. VI. *Machærus*, *caſtellum*.

BAptiſtam ab *Herode Tetrarcha* incarceratum fuiſſe in *Machærunte* caſtello, docet idem *Joſephus*,

Antiquit. lib. 18. cap. 7. Καὶ ὁ μὲν ὑποψίᾳ τῇ Ἡρώδου δέσμιος εἰς τὴν Μαχαιροῦντα πεμφθεὶς, &c. *Atque ipſe quidem* [Baptiſta] *ob ſuſpicionem Herodis mittitur vinctus ad Machæruntem.* Et paulo antè, Μεθόριον δὲ ἐστι τῆς Ἀρέτα καὶ Ἡρώδου ἀρχῆς, *Eſt autem* locus iſte *terminus regni Aretæ*, [Arabis] *& Herodis.*

De ſitu ejus ſic Plin. *Nat. Hiſt.* lib. 5. cap. 6. *Proſpicit* (Aſphaltitin) *ab Oriente Arabia Nomadum*, (Moabitis:) *à Meridie Machærus, ſecunda quondam arx Judææ ab Hieroſolymis.* Cujus animus hic eſt. *Arabia Nomadum* ſita ab Oriente *Aſphaltitis*, eam proſpicit ab Occidente: & *Machærus* ab Aquilone ſita, eam proſpicit à Meridie. Aliter *Machærunta* dimoveris quàm longiſſimè à proprio ſitu.

Occurrit apud Talmudicos, ſub nomine *Macvar.*

Hieroſ. Sheviith, fol. 38. 4. *Montanum Peræa erat mons Macvar, & Gedor.*

Targum Hieroſ. & *Jonath.* in *Numer.* 32:35. *Pro Atroth Shophan, & Jaazer*, habent ית מכללתא רשופן וית מכוור, *Maclelta Shophanæ, & Macvar.* Et *Jonath.* addit, מכוור גרמתא, *Macvar Garamathæ.*

Planum eſt cur עטרות, *Atroth*, reddiderint per מכללתא, [quod & fecit *Onkeloſius.*] Hebræam ſcil. vocem, quæ ſignificat *Coronam*, tranſtulerunt per vocem Chaldaicam ejuſdem ſignificationis, at quare *Jaazer* per מכוור? *Onkel.* in *verſ.* 3. ejuſdem Capitis, reddit *Jaazer*, & *Nimrah* per סמרין דבית נמרין, quod ego tranſtulerim *Atratos*, vel *Denigratos de domo Nimrin.* Et commentatur *Ptol.* qui ſic in Arabia Petræa. Διατείνει δὲ ἐν τῇ χώρᾳ τὰ καλούμενα μέλανα ὄρη, &c. *Protenduntur in regione montes, qui vocantur Nigri, à ſinu ſcilicet qui eſt juxta Pharan, quaſi ad Judæam*, &c. At verò an מכוור relationem aliquam habeat ad

Nigrorem

Digitized by Google

Nigrorem, à כור, *Catino* vel *Fornace*, diſquirendum relinquimus.

Videmus ergo ubi ſita *Herodium* & *Machærus*, in ultimo ſcilicet *Peræa* limite versùs Auſtrum vel *Moabitin*, juxta primum littus Aſphaltitis.

Naturam loci deſcribit Joſephus, *de excid.* lib. 7. cap. 21. Ῥέουσι γὰρ καὶ θερμῶν ὑδάτων πηγαὶ κατὰ τὸν τόπον, &c. *Fluunt per locum fontes aquarum calidarum, guſtu plurimùm inter ſe differentium. Nam quædam ſunt amaræ, quædam dulces. Sunt etiam multæ ebullitiones aquarum gelidarum*, &c. Confer *amaras* cum aquis *Nimrim*, Eſaj. 15: 6. & reliquas cum aquis *Dimon*, verſ. 9. ubi quæras, an *Dimon* non eadem ſit cum *Dibon*, [*Mem* & *Beth* alternantibus] aſt iſtâ pronuntiatione prolatâ, ut conſonaret magis cum דם, *Dam*, *ſanguis*, מי דימון מלאו דם, *Aquæ Dimon repletæ ſunt ſanguine.*

Dum in hac aquoſa regione ſumus, nonne ſumus inter rivos *Arnon?* Affirmat Clar. *Beza*, dum in verba illa *Joann.* 3: 23. Ὅτι ὕδατα πολλὰ ἦν ἐκεῖ, ſic commentatur: *Multi videlicet rivi, quorum etiam in eo tractu circa Aroer ſit mentio in libris Moſis:* & ſuffragatur ipſe loci ſitus, cùm *Machærus* fuerit ultimus terminus terræ Iſraëliticæ versùs *Moabitin*, apud Joſephum, ſicut *Arnon* eſt, apud Moſen.

At non hîc invenimus locum aliquem qui vocatur *Ænon*, nec aliquem qui *Salim*. Veriſſimè quidem: at locus ipſe ob aquoſitatem benè meretur illud nomen *Ænonis*, quod *locum fontium* denotat: & ſi *Saleim* idem eſſe poſſit cum *Salamæo*, habemus & hîc *Kenæum*, ſeu *Salamæum*, Geneſ. 15. & Numer. 24. Sed in re tam obſcura tutius eſt nihil decernere: & leniter aget lector cum modeſta conjectura. Invia ſunt quæ calcamus, & duce opus eſt, quem adhuc non invenimus.

§. VII. *Mons Mizaar*, הר מצער, Pſalm. 42: 7.

A Primis *Moabitidis* finibus versùs Aquilonem tranſeamus, extra limites licet, ad ultimos, versùs Meridiem.

Memor ero tui [inquit Pſaltes] *de terra Jordanis, & Hermonim*, מהר מצער, *De monte Mizaar.* Aſt ubi mons iſte *Mizaar?*

Omiſſis quæ dicuntur à *Borchardo* aliiſque de *Hermonio* prope *Thaborem*, quâ auctoritate neſcio; ut & quòd הר מצער, ab omnibus ferè redditur *Mons modicus*, aut *exiguus*; & quod Targumiſtæ & R. Solomoni eſt *mons Sinai*, Apollinario *mons Hermon:* videtur planè eſſe *montanum Zoaris*, quo confugiendum *Lotho* fuiſſet, ſi per anguſtiam temporis licuiſſet, *Geneſ.* 19: 20. *Effugiam ad hanc urbem*, הלא מצער היא, *Nonne ea Mizaar*, vel *parva eſt?* Nonne ergò pariter הר מצער. *Mons Mizaar*, idem eſt ac ſi diceretur הר עיר מצער, *Montanum parvæ civitatis Zoaris?*

Ratio conjecturæ, præter conſonantiam nominis, hæc eſt.

I. Sicut *Hermonium* vel *Hermon* erat juxta fontes Jordanis: ſic *montanum Zoaræ* erat juxta extremas aquas Jordanis in Aſphaltite. Et videtur Pſaltes de *terra Jordanis*, vel Trans-Jordanina loquens, totum Jordanem emenſurare à capite ad calcem, à primo fonte ad ultima fluenta.

II. Sicut ſe recepit *David* in Trans-Jordanicam, *Hermonem* versùs, in fuga ſua ab *Abſalomo*; ſic erat, cùm ſe reciperet etiam versùs *Zoaram* in *Moabitin*, in fuga ſua à *Saulo*, 1 *Sam.* 22: 3. Et ſic miſeram ſuam conditionem deſcribit & deplorat eò acerbiùs, quòd exularet & hîc & illîc, in extremis terrarum quas alluit *Jordanes*.

§. VIII. עגלת שלישיה, *Eſaj.* 15: 5.

CUm mentione *Zoaræ* ſubditur hæc clauſula, עגלת שלישיה, in *Eſaja*, & cum mentione *Zoaræ* & *Horonaim* in *Jeremia*.

Eſaj. 15: 5. בריחה עד צוער עגלת שלישיה.

Græc. Ἐν αὐτῇ ἕως Σηγώρ. Δάμαλις γάρ ἐστι τριετής.

Vulg. *Vectes ejus uſque ad Segor, vitulam conternantem.*

Targ. *Ut fugiant uſque ad Zoar, vitulam trimam magnam.*

Angl. *His fugitives ſhall flee unto Zoar, an heifer of three years old.*

Hierem. 48: 34. מצוער עד חורנים עגלת שלישיה.

Vulg. *A Segor uſque ad Horonaim, vitulâ conternante.* Sic & alii. Novi quid in hæc loca Commentatores. Verùm nonne poteſt עגלת שלישיה, *Eglah ſhelishijah*, eſſe nomen loci; & dici *Eglah tertia*, reſpectu duorum aliorum locorum cognati ſoni; *vel Eglah Duciſſa*, aut *Nobilis*, prout שליש ſignificat *Ducem* aut *Tribunum?*

Mentio fit עין עגלים, *Ein Eglaim*, in iſta regione, *Ezech.* 47: 10. ubi vox *Eglaim* planè dualizat, atque indigitare videtur duo fuiſſe loca nomine *Egel*, quorum reſpectu, hic noſter dici potuit *Eglag tertia*. Sic *Ramathaim*, 1 *Sam.* 1: 1. dualizat, & duplicem fuiſſe *Ramam* planè demonſtrat.

Propè accedit ſonus τῆς *Necla*, apud *Ptol.* in Arabia Petræa.

Ζωάρα.	*Zoara.*	67.	20.	30.	30.
Θοάνα.	*Thoana.*	67.	30.	30.	30.
Νέκλα.	*Necla.*	67.	20.	30.	15.

Digitized by Google

Vides hic *Zoaram* & *Neclam* apud Geographum, ut *Zoar* & *Eglath* apud Prophetam. Et quàm facile fuit τῇ *Eglah*, ſcripturâ Græcâ tranſire in Νέκλα: præſertim verò, ſi aliquis ſonus literæ N includatur in litera ע. Et vides apud Geographum, *Zoaram* & *Neclam* diſtare 15. M. paſſ. & ſupponatur ſic diſtitiſſe *Zoaram* & *Eglam*, interjacente *Horonaimo*, unde non incongruè reddi poſſent verba Prophetarum,

Profugi ejus ſunt uſque ad Zoaram, ad Eglam tertiam.

A Zoara uſque ad Horonaim, ad Eglam tertiam.

Fallor, aut Ἄγαλλα apud *Joſephum* eſt *Eglah* noſtra.

Antiquit. lib 14. cap. 2. Numerans ille 12. civitates, quas pollicitus eſt *Hyrcanus* ſe redditurum *Aretæ* Regi Arabum, quas ab Arabibus abſtulerat pater ejus *Alexander*, inter cæteras has nominat: Ἄγαλλα, Ἀθώνη, Ζωάρα, Ὀρωνάι. De *Zoara* nullus poteſt eſſe ſcrupulus: nec de Ὀρωνάι, quin quòd ſit *Horonaim*. Et videtur Ἀθώνη conſonare cum Θοάνα *Ptolemæi*; & Ἄγαλλα cum ejus *Necla*, & cum iſta quam nos ſupponimus, *Eglah*.

C A P. IV.

ΣΥΧΑΡ. *Joann.* 4:5.

§. I. *Pauca notata de rebus Samaritanorum.* II. *Pauca de verſione Pentateuchi Samariticâ.* III. *Situs montium Gerizim, & Ebal. Textus Samariticus in* Deuter. 27:4. *notatus.* IV. *Quare Sychar ſcripta, & non Sychem.* V. עין סוכר, *apud Talmudicos.*

§. I. *Pauca notata de rebus Samaritanorum.*

1. *De nomine Cuthæorum.*

SAmaritanos à Judæis dictos fuiſſe *Cuthæos*, ignorat nemo: Οἱ μὲν κατὰ τὴν Ἑβραίων γλῶτταν Χουθαῖοι, κατὰ δὲ τὴν Ἑλλήνων Σαμαρεῖται, *Joſeph. Antiquit.* lib. 9. cap. 14.

Aſt quare *Cuthæi* dicti, potiùs quàm *Babylonii*, *Hamathæi*, *Avæi*, &c. nam inde deductæ ſunt coloniæ in *Samariam*, æquè ac à *Cutha*, 2 *Reg.* 17:24. Imò *Cuthæi* ab iis dicti ſunt tunc temporis, cùm magna pars gentis Samariticæ conſtaret ex Judæis.

Suſpicor virulentum aliquid in ipſo nomine. *Cushitarum* nomen apud Judæos erat odioſum & ignominioſum: nempe ut gentis non ſolùm hoſtilis, ſed & maledictæ, & viſu horrendæ ob colorem nigrum. Vide & quære in titulo *Pſalm.* 7. an ſub nomine *Cush* non lateat aliquid probroſum. Tale quid ſuſpicor latere ſub nomine *Cuthim*. Nam cum vox כותים, eadem eſſe poſſit cum voce כושים, litera ש in ת tranſeunte dialecto *Syrâ*, facillimè mihi perſuadere poſſis, Judæos, cùm Samaritanos gentem inviſiſſimam vocarent *Cuthæos*, tacitè iis convitiatos fuiſſe nomine *Cushitarum*.

2. *Joſephus titubans.*

Kiddushin, fol. 75. 2. *R. Iſmaël dicit*, כותים גירי אריות הם, *Cuthæi ſunt proſelyti leonum. R. Akiba dicit*, גירי אמת הן, *Sunt veri proſelyti.* Satis nota eſt hiſtoria *de leonibus*, 2 *Reg.* 17:26. quam ſic decolorat *Joſephus*.

Antiquit. lib. 9. 14. Ἕκαστοι κατὰ ἔθνος ἴδιον Θεὸν εἰς τὴν Σαμάρειαν κομίσαντες, πέντε δ᾽ ἦσαν, καὶ τούτους καθὼς ἦν πάτριον αὐτοῖς σεβόμενοι, παροξύνουσι τὸν μέγιστον Θεὸν εἰς ὀργὴν καὶ χόλον. Λοιμὸς γὰρ αὐτοῖς ἐνέσκηψεν, ὑφ᾽ οὗ φθειρόμενοι, &c. *Peſtis eos invaſit & abſumſit*, &c. de leonibus nullâ omninò habitâ mentione. Forſan ab hiſtoria iſta de internecione exercitûs *Sennacheribi* per peſtem, phantaſia iſta de peſte inter Samaritas: at unde ſilentium de leonibus, quiſnam dixerit?

3. *Samaria bis colonis plantata.*

Colonias in *Samariam* deduxiſſe dicuntur *Aſnappar*, Ezr. 4:10. & *Eſarhaddon*, verſ. 2.

Aſnappar eundem cum *Sennacheribo* eſſe, eumque octonomium fuiſſe autumant Judæi in *Sanhedr.* fol. 94. 1. Primæ quidem nominum ſyllabæ aliquantùm conſonant, *Sena* & *Aſna*: verùm, an eundem hominem denotent, in medio relinquimus.

Quicunque tandem fuerit *Aſnappar*, ſive ipſe *Sennacheribus*, ſeu *Salmanaſſar*, ſeu Regis aliquis Satrapa, Dux factus migrationis, videtur certè *Samariam* bis fuiſſe *colonis* plantatam. Primò confeſtim poſt urbem captam, *Cuthæis*, *Avæis*, *Sepharvaitis*, &c. ſub *Aſnapparo*, ſive is Rex fuerit, ſive Dux facti tantùm. Et cùm non pauci eorum devorarentur à leonibus, tum ſecundò plantata ea *Suſanchæis*, *Tarpelæis*, &c. in diebus *Eſarhaddonis*, cum quibus aſcendit Sacerdos qui doceret cultum Dei. Ut omnia hîc confundat *Epiphanius*, vide apud eum, *Hæreſ.* 8. cap. 9.

4. *De Doſthai Samaritarum Pſeudo-Apoſtolo.*

Tanchum, fol. 17. 4. *Cùm leones devorarent Samaritas, Rexque Aſſyriæ rem audiret, accerſivit Seniores Iſraëlis, & dixit: Numquid unquam diſcerpſerunt feræ quemquam in terra veſtra, dum vos ibi habitaretis? Unde ergo hoc*

quod

quod nunc fit? Reſpondent illi, Terra noſtra non ſuſtinet gentem ullam, quæ non verſatur in Lege, & quæ non circumciditur. Date ergò ex vobis, inquit ille, duos qui eant & doceant populum. Miſerunt ergò illuc ר׳ דוסתאי בר ינאי, *R. Doſthæum filium Jannæi, &* ר׳ סביירה, *R. Sabiam, qui docuerunt eos librum Legis ſcriptæ.*

Itane verò? Num *Doſthai* Samaritanorum oraculum, in temporibus Imperii Aſſyriaci? Unde ergò ei Græcum nomen ſuum, & Græciſſans nomen *Jannæi* patris? Probabilius longè *Eulogius* apud *Photium*, Cod. CCXXX. *Plebs Samaritana in contrarias diviſa factiones inter ſe diſſidebat, & peregrinis opinionibus ſe propugnabat. Alii enim Jeſum Nave eum eſſe cenſuerunt, de quo Moſes dixit, Prophetam vobis excitabit Dominus Deus, ut me, ex fratribus veſtris.* Οἱ δὲ τοῦτο μὲν παρεγράφοντο, Δοσθὴν δέ τινα τοὔνομα ἢ Δοσίθεον ἀνεκήρυττον, Σαμαρείτην μὲν καὶ αὐτὸν τὸ γένος, συνακμάσαντα δὲ κατά τι τοὺς χρόνους Σίμωνι τῷ Μάγῳ, *Alii, rejectâ hâc ſententiâ, Doſthen quendam nomine, ſive Doſitheum prædicarunt, Samaritanum etiam gente, contemporaneum Simoni Mago.*

A *Doſthai* & *Sabia*, *Doſtheni* & *Sebuæi*, ſectæ Samaritanæ. *Epiphan.* Hæreſ. 11, *&c.*

5. *Lingua Ashdodæa*, Nehem. 13:24. *an Samaritica.*

Et filii eorum ex media parte loquuti ſunt Ashdodicè, & neſciebant loqui Judaicè, Nehem. 13:24. Quænam tunc temporis lingua *Ashdodæa?*

I. Interpreti Arabi eſt Chaldaica. At nonne Chaldaicè loqui, erat tunc temporis Judaicè loqui? Lis eſſe poſſit, an foret *tunc temporis:* ſed controverſiam iſtam non inimus.

II. Ad quæſtionem quæ ſub manibus, adduxerim ego verba iſta, *Actor.* 2:11. Κρῆτες καὶ Ἄραβες. Quinam illi Κρῆτες; Quis non illicò dixerit, Incolæ inſulæ *Cretenſis?* Sic ipſe deceptus olim. At jam dixerim *Cherethæi*, gens & regio Philiſtæa. Vide ut Græci Interpretes reddant כרתים per Κρῆτες, *Ezech.* 25:16. *Zephan.* 2:5, 6. Et ratio aliqua firmat, eos ſic apud *Lucam* intelligendos loco citato, quia conjunguntur cum *Arabibus*.

Targ. in 2 *Paralip.* 26:7. *Et auxiliatum eſt ei verbum Domini,* על פלשתאי ועל ערבאי דיתבין בגרר, *contra Philiſtæos, & contra Arabas habitantes in Gerar.*

Nota Arabas in *Gerare*, urbe Philiſtæâ; & notum ſatis quòd Arabia contigua terræ Philiſtæorum. Et ſuſpicari licet linguam *Ashdodæam* fuiſſe *Arabicam*, potiùs quàm *Samariticam*; præſertim verò hoc obſervato, quòd ad iſta uſque loca, obtinuerit nomen *Idumææ:* & nonne Arabica, lingua *Idumæorum?*

§. II. *Pauca de Verſione Pentateuchi Samariticâ.*

IN Interprete *Samaritico* (ut ad res chorographicas ſolùm nos contineamus) quoad locorum nomina, tria adverto, & quartum ſuſpicor.

I. Loca nominibus ſuis ſatis ignota, ille nominibus aliquando reddit ignotis magis. Conſule nomina ab eo uſurpata in deſcriptione fluviorum *Edenis*, & regionum quas alluunt iſti fluvii, & quàm difficile eſt iſtorum nominum invenire alibi vel volam, vel veſtigium, exceptâ *Cophin* tantùm, quæ videtur reſpondere τῇ *Cophene* apud *Plin.* lib. 6. cap. 23. *Strab.* lib. 15.

II. Loca aliquantùm notiora, nominat ille aliquando nominibus ignotiſſimis. Talia ſunt חצפו, *Catſphu*, pro *Aſſyria*, Geneſ. 2:14. לילק, *Lilak*, pro *Babel*, Geneſ. 10:9. שלמאה, *Salmaah*, pro *Euphrate*, Geneſ. 15:18. נפיק, *Naphik*, pro *Ægypto*, Geneſ. 26:2.

III. Nomina recentiora adhibet aliquando, & quæ temporibus iſtis erant maxime familiaria. Talia ſunt בניאס, *Banias*, pro *Dan*, Geneſ. 14:14. id eſt, *Panias* fons Jordanis: גינסר, *Genneſar*, pro *Chinnereth*, Numer. 34:11. *Deuter.* 3:17. ut omittamus *Bathnan* & *Apamiam*, pro *Bashan* & *Shepham*, quæ quidem Syriacam pronuntiationem tantùm ſapiunt, & *Gebalah*, vel *Gablah*, pro *Seir*, quæ Arabicum idioma.

Jam verò hæc nomina ſuſpicionem mihi movent, verſionem iſtam non eâ vetuſtate caneſcere, quâ coronatur à nonnullis, qui antiquitatem ejus retrò ad tempora ferè *Ezræ* volunt reducere.

IV. Suſpicor itidem, quòd cùm nomina regionum vel locorum ſatis notorum reddit nominibus ignotiſſimis, aliquando non totam regionem intelligit, ſed locum aliquem regionis particularem.

Suſpicio oritur ex voce *Naphik* pro *Ægypto*, & *Salmaah* pro *Euphrate*.

Per *Naphik* ſuſpicor ego ab eo intellectam fuiſſe non totam *Ægyptum*, ſed *Peluſium* ſolum, ipſum à *Canaanitide* primum limen *Ægypti*. Et rationem habe conjecturæ: nempe quòd vox אנפק, *Anpak*, inſcripta fuerit portæ iſtius urbis, ut obſervavimus alibi; quæ quam conveniat cum *Naphik*, quis non videt?

Suſpicor etiam mentionem *Kinæorum* immediatè ſequentem, memoriam *Salmææ* apud eum excitaſſe; & non *Euphraten* ipſum eum vocaſſe *Salmaam*, ſed de *Euphrate* locutum, ut locum aliquem alluenti denominatum *Salmaam*.

Ptolemæo in cap. de ſitu Arabiæ deſertæ, eſt

Σάλμα, in gr. 78. 20, 28, 30. Et numeratur ab eo inter viginti ſex civitates, quas dicit eſſe ἐν τῇ μεσογείᾳ, quod ab Interprete Latino redditur, *Juxta Meſopotamiam.* Sic verè habet, quo ſe tueatur Samarita. Nam ſi civitates iſtæ à *Ptol.* nominatæ, forent juxta *Meſopotamiam*, interfluente tantùm *Euphrate*, eſt quo ſe defendat, dum pro *Uſque ad Euphraten fluvium*, reddit *Uſque ad fluvium Salmaæ*, id eſt, Uſque ad Euphraten, ubi alluit *Salmam.*

§. III. *Situs montium Gerizim & Ebal. Textus Samariticus in* Deuter. 27: 4. *notatus.*

SYchar eundem eſſe locum cum *Sychem*, vix eſt cur quis dubitet: & rem ſatis aſtruit mons *Gerizim* à fœmina Samaritica digito monſtratus. Vaferrimum argumentum, inquiet *Epiphan.* qui ſic in

Hæreſ. Samarit. Τῷ γὰρ βουλομένῳ ἀκριβῶς περὶ τοῦ ὄρους Γαριζεὶν ἐρευνᾶσθαι, ἰστέον ὅτι πρὸς τῇ Ἱεριχῷ κεῖνται τὰ δύο ὄρη, τὸ, τε τοῦ Γαριζεὶν καὶ τὸ τοῦ Γεβὰλ πέραν τοῦ Ἰορδάνου, πρὸς τῇ ἀνατολῇ τῆς Ἱεριχῶ, ὡς ἔχει τὸ Δευτερονόμιον, καὶ Ἰησοῦ τοῦ Ναυῆ ἡ βίβλος. *Ad Jerichuntem ſunt duo montes Garizim ac Ebal, ultra Jordanem, qui Jerichuntem ab Oriente reſpiciunt*, &c. Ad *Jerichuntem*, eo judice, fuerunt *Gerizim* & *Ebal*, non ad *Shechemum*: ſic & ante eum *Euſeb.* de locis Hebraicis, ſi ille libri iſtius autor, ut notat *Petavius.*

Phraſiologia מול גלגל, in *Deuter.* 11: 30. hoſce ſic decepit, ut montes *Gerizim* & *Ebal* removerint ad *Gilgal Jerichuntinam*: & Judæos nonnullos pariter decepit, Ità ut *Gilgal Jerichuntinam* removerint ad *Sichemum.* Malè intellectâ voce *Gilgal*, pro loco iſto, de quo mentio apud *Joſ.* 5. cùm hîc apud *Moſen* denotet *Galilæam*; quod planum fecimus alibi.

In hiſce duobus montibus pronuntiatas fuiſſe benedictiones & maledictiones norunt omnes, ex *Deuter.* 11: 29. & 27: 12, 13. *Joſ.* 8: 33. At vah impudentiam Samaritanorum, qui in textu ſuo in *Deuter.* 27: 4. pro *Eriges lapides, quos ego præcipio vobis hodie*, בהר עבל, *in monte Ebal*, ſubſtituerunt, *Eriges lapides*, &c. בהר גריזים, *in monte Gerizim.*

Cum qua fucatione & falſificatione conferamus illud in

Sotah, fol. 33. 2. *Dicit R. Eliezer ben Joſe, Dixi ego Samaritanis, Falſificaſtis vos Legem veſtram; nam dicitis*, אלוני מורה שכם, *Planities Moreh Shechem*, Deuter. 11: 30. [addunt Sichem de ſuo.] *Nos etiam fatemur quòd planities Moreh eſt Shechem*, &c.

Cùm Samaritanos criminatur, quòd falſificarint textum ſuum, cur non potiùs illud objicit, quòd *Gerizim* ſubornarint pro *Ebal*, quam minutius hoc peccatillum, quòd addiderint *Shechem*, veritate nequaquam læsâ? Dum hæc quæro, in animo voluto, an impudens iſta & nefaria interpolatio vocis *Gerizim* pro *Ebal*, in textu Samaritico tum foret, cùm hæc loquitur Rabbinus noſter; an nonne nata poſt iſta tempora. Res non indigna animadverſione.

§. IV. *Cur Sychar ſcripta, & non Sychem.*

SI *Sychem* & *Sychar* eadem urbs, cur non etiam eadem vox?

I. Poteſt eſſe ex communi dialecto, cui frequentiſſimum immutare literas. Inde *Reuben*, Interpreti Syro, eſt *Rubil*, & Ῥούβηλος *Joſepho.* Quo etymo dicat ipſe, & expone tu, ſi potes.

Ἀρχαιολογ. lib. 1. cap. 19. De *Leah* Reubenem pariente ſic ille. Καὶ γενομένου παιδὸς ἄῤῥενος, καὶ διὰ τοῦτο πρὸς αὐτὴν ἐπεστραμμένου ἀνδρὸς Ῥούβηλον ὀνομάζει τὸν υἱὸν, διότι κατ' ἔλεον αὐτῇ τοῦ Θεοῦ γένοιτο. Τοῦτο γὰρ σημαίνει τὸ ὄνομα. Fallor? an רוב אל ſibi vult, q. d. *Auctio Dei.*

Infinitum foret tales literarum in propriis nominibus enumerare variationes. Aſt in litera R, cum qua nobis res eſt, ſumamus exempla.

Nebuchad-nezzar eſt etiam *Nebuchadrezzar*: *Belial* eſt *Beliar*: *Shephan*, Græcis Interpretibus, eſt Σεφαμάρ, *Numer.* 32: 10. Sic *Sychem*, *Sychar*: idque eò magis, quòd neſcio quam affinitatem habeat litera R. cum litera M. ut *Dammeſek*, & *Darmeſek* in Sacro Codice, & *Sarmatæ* ſunt *Samatæ* Dionyſio Afro, &c.

II. Aut poteſt eſſe, quòd opprobriosè & per ludibrium *Sychem* per *Sychar* vulgariter protulerint Judæi; vel ut Samaritas *ebrioſorum* ſtigmate notarent, ex *Eſaj.* 28: 1. vel prout variè ſcribi vox poſſet, aliquo alio carbone, ut שקר, *Prævaricatio*: שכר, *Mercenarius*: סוכר, *Sepulchrum.* Nam ſic,

Aruch, in סכר, סוכרי פירוש קברים, *Sochere*, i. e. *Sepulchra.* Locum citat ex *Shabb.* fol. 67. 1. Ubi verba ab eo citata in terminis non habentur, nec ipſe ſibi conſtat in interpretatione. At *Munſterus*, סוכר, *Sepulchrum.* Si hoc obtineat, forſan שכם, *Sychem*, סיכר, *Sychar*, dicta eſt, ob ſepultos illîc duodecim Patriarchas: & nomine iſto ſub ea notione gloriari potuerunt Samaritani.

§. V. עין סוכר *apud Talmudicos.*

AUdeſne עין סוכר reddere *fons Sychar*? Ejus loci & nominis mentionem habes in

Bava Kama, fol. 82. 2. *Erat cum adduceretur manipulus* [primitiarum] מן גגות צריפין

Digitized by Google

צריפין, *A Gaggoth Zeriphin. Et duo panes* [offerendi à ſummo Pontifice] מבקערת עין סוכר, *A valle fontis Sychar*; nam detur venia ſic vertendi.

Gloſſ. *Peti ſolitus eſt manipulus à locis Hieroſolymæ vicinis: jam verò à longinquo petitus eſt, quia milites & bellum vaſtaverant fruges.*

Viſne totam hiſtoriam? *Tradunt Rabbini, Cùm familia Aſmonæa ſe mutuò obſideret, Hyrcanus erat intùs, & Ariſtobulus extrà. Unoquoque autem die, illi qui erant intùs obſeſſi, denarios in ciſtula demiſerunt per murum, iique qui extrà erant, ſacrificium juge pro illis retulerunt. Erat inter eos ſenex quidam ſapientiæ Græcorum peritus, qui dixit, Quamdiu illi Liturgiam ſuam præſtant, à vobis non ſubjugabuntur. Proximo die demiſerunt illi denarios in ciſtula, atque hi reddiderunt eis porcum. Cùm ad medium muri perventum eſſet à porco, infixit ille ungulas ſuas in muro, & tum quaſſata eſt terra Iſraëlitica per quadringentas Parſas undiquaque. Eo ipſo tempore dixerunt, Maledictus ſit quicunque alit porcos: Maledictus ſit qui docet filium ſapientiam Græcorum. Et eo ipſo tempore petitus eſt manipulus primitiarum à Gaggoth Zeriphin, & duo panes à valle Ein Sychar.*

Recitatur hæc hiſtoria, cum hac adjuncta in

Menachoth, fol. 64. 2. *Cùm appropinquaret tempus manipuli, non norunt unde manipulum peterent. Publico ergò præconio inquiſiverunt. Venit mutus quidam,* ואותיב חדא ידא אאיגרא, *& manum unam tetendit ad tectum,* והדא ידיה אצריפה, *& manum alteram ad tuguriolum. Dixit iis Mordecai, Eſtne locus aliquis qui dicitur Gaggoth Zeriphin, aut Zeriphin Gaggoth? Quæſiverunt, & compererunt. Cùm duos panes offerre vellent, nec noſcerent unde adipiſcerentur, publico præconio inquiſiverunt. Venit mutus iſte,* אותוב ידיה אעיניה, *& manum unam oculo ſuo admovit,* והדא ידא אסיכרא, *& manum alteram foramini poſtium oſtii, ubi indunt peſſulum. Dixit iis Mordecai, Eſt locus qui dicitur Ein Sychar, aut Sychar Ein? Quæſiverunt, & compererunt.*

At quid *Mordecæo* cum temporibus *Aſmonæorum?* Objicit hoc etiam unus de Gloſſatoribus in locum: & reſpondent, Quòd omnes ii, qui periti erant ſignorum & linguarum, eo nomine ſunt inſigniti, quippe quòd talis fuerit ille, qui vixit in diebus *Abashueri.*

Et jam judicium tuum, ô lector, de hoc nomine & loco, an aliquid cognationis habeat cum fonte hoc noſtro *Sycharicho.*

In utramque partem res poſſet diſputari. Nos hæc tantùm dicimus.

Menachoth, ubi antè. *Præceptum de manipulo eſt, ut adducatur à loco aliquo propinquo,* לא ביכ׳ הקרוב לירושלי׳ מביאין אותו מ׳ מ׳, *Quod ſi non matureſcat in loco aliquo propè Hieroſolymam, adducant à loco quovis.*

Gloſſ. *Gaggoth Zeriphin & Ein Sychar diſtabant longè à Jeruſolyma.* Sic & *Sychar* noſtra diſtabat ſat ſuperque.

צריפה & צריף, *Zeripha denotat tuguriolum,* קלין של שומרי שדות, *ubi cubuit cuſtos agrorum.* Deſcribitur ab Aruch in voce צרף: *Quòd opertum fuit viminibus ſalicum, & capitellis eorum colligatis, huc aut illuc illud traxerunt pro libitu,* &c.

Gloſſ. in *Erubhin*, fol. 65. 2. יושבי צריפין, *Habitantes talia tuguriola erant cuſtodes pecudum, & manſerunt in iis per menſem unum aut duos, donec deficerent hoc in loco paſcua; & tum receſſerunt ad alium.*

Gaggoth Zeriphin ergò ſignificat *tecta tuguriolorum:* & locus iſte videtur ſic dictus, vel ob frequentiam eorum in iſto loco, vel ob colles aliquos ibi exiſtentes, qui formam talium tuguriolorum exhiberent.

Talium tuguriolorum ſubeat memoria cùm legis, *Luc.* 2: 8. de paſtoribus noctù gregibus invigilantibus. Sed hæc extra metas.

CAP. V.

BETHESDA, *Joann.* 5: 2.

I. *De ſitu Probaticæ.* II. *Fons Siloami, atque ejus rivi.* III. *Piſcina* שלח, *Shelahh,* & *Piſcina* שלוח, *Shiloahh.* IV. *Targumiſta in* Eccleſ. 2: 5. *notatus.* V. *Fons Etam. Porta Aquarum.*

§. I. *De ſitu Probaticæ.*

TRaditur vulgò Προβατικὴν πύλην (nam vocem iſtam adjungamus ex *Nehem.* 3: 1.) aut ſaltem *Bethesdam* fuiſſe propinquam Templo. Adi Commentatores, & ferè omnes in hanc ſententiam conſonant. Quorum bona cum venia liceat hoc interponere.

I. Quòd non potuerit pars ulla muri urbis extimi (qualis erat Probatica) prope Templum eſſe, quin quòd interjaceret aliqua pars urbis.

Inter portas ab Aquilone, & Templum, interpoſita erat Zion.

Ab Occaſu erat pars Zionis & Millo.

A Meridie, Hieroſolyma, ut diſtincta à Zione.

Ab Ortu, platea Orientalis, cujus porta non dicta eſt *Probatica*, ſed *Porta Aquarum.*

II. Quod *porta Probatica*, ſecundùm delineationem *Nehemiæ*, ſita foret in muro urbis Auſtrali, non longè ab angulo, qui reſpexit Ortum

Ortum brumalem: atque inter hanc portam & Templum interpoſita erat non mediocris pars *Hieroſolymæ*.

Zionem fuiſſe à parte urbis Aquilonari oſtendimus alibi, contra errorem Tabularum, quæ eam diſponunt ab Auſtrali. Jam ergò obſervetur quàm longo progreſſu proceſſerit murus, antequàm perventum ſit ad aliquam partem Zionis: ad gradus ſcil. deſcendentes ex civitate Davidis, *verſ.* 15. qui erant ab Occidente: & pergat juxta *ſepulchreta Davidis*, verſ. 16. & perveniat tandem ad *portam aquarum* & Ophel, quæ ab Oriente, *verſ.* 26. & inde pergat ad angulum prope quem erat porta *probatica*, *verſ.* 31, 32. & planè evincit, deſcriptionem & progreſſum Nehemiæ eſſe primum muri Auſtralis, a porta probatica ad angulum Occidentalem: tum muri Occidentalis; & ſic ad Aquilonarem, & Orientalem: & clarum facit quòd porta probatica erat in muro Auſtrali, aliquantùm diſtans ab angulo qui reſpexit Ortum brumalem, non parùm diſtans a Templo, quippe quòd interpoſita foret non modica pars Hieroſolymæ, ut diſtinctæ à Zione.

§. II. *Fons Siloami, atque ejus rivi.*

A Fonte *Siloami*, ni plurimum fallamur, inchoanda eſt *Betheſdæ* inveſtigatio.

I. Proprium & antiquum fontis *Siloami* nomen erat *Gihon*, 1 Reg. 1:33. *Deducite Solomonem ad Gihon.* Targ. *Ad Siloam.*

Kimch. in loc. *Gihon eſt Siloam, & vocatur duplici nomine.* Tabulæ Hieroſolymam deſcribentes, *montem Gihon* exhibent, neſcio quâ authoritate. Si *fontem Gihon* dixiſſent, placuiſſent magis.

II. Unde tranſierit nomen Gihon in Siloam, non facilè dicitur. Fons ipſe ſignificavit regnum & dominium domûs Davidicæ in *Eſaj.* 8:6. Sic *Targ.* & *Sanhedr.* fol. 94. 2. *Dicit Rabbi Joſeph. Niſi fuiſſet Targum iſtius Scripturæ, non cognoviſſemus ſenſum ejus, qui hic eſt: Quoniam tædet populum hunc regni domûs Davidicæ, quæ dominatur leniter ſicut aquæ Siloami fluunt leniter*, &c. Et non inaniter miſit David Solomonem ungendum ad Gihon aut Siloam, ſed quòd aliquod ſymbolum domûs ſuæ deſcriberetur in ipſo fonte.

III. Situs ejus erat poſt murum urbis Occidentalem, aliquantùm diſtans ab angulo, qui reſpexit Occaſum hybernum.

Joſ. de excid. lib. 5. cap. 13. Ἔπειτα πρὸς Νότον ὑπὲρ τῦ Σιλωαμ πηγὴν ἐπιςρέφον, ἔνθεν τε πάλιν ἐκκλίνον πρὸς Ἀνατολὴν, *Murus porrò versùs Auſtrum flectens ſe ſupra fontem Siloam, indè rurſus inclinat verſus Orientem.*

Diverſis rivis in duas piſcinas deductæ ſunt aquæ hujus fontis, quod innuitur 2 *Paralip.* 32:30. *Ezechias obturavit exitum ſuperiorem aquarum Gihon, & direxit eas ſubter, ad Occidentem civitatis Davidis.* Ubi Targum [lib. MS.] פקק ית מפקנות מרי גיחון: pro מרי ſcribendum מוי, *Aquarum*: ואוביל יתהון במרוכין: Pro במרוכין ſuſpicor ſcribendum במרזבין, *in fiſtulis*, aut tubis. Sed his miſſis, illud quod obſervamus hoc eſt, quòd erat aquæductus à *Gihone* vel *Siloamo*, qui vocabatur ſuperior, qui fluxit in ſtagnum, quod vocatum etiam *Stagnum ſuperius*, Eſaj. 36:2. & ut videtur, *Stagnum vetus*, Eſaj. 22:11. Joſepho ſtagnum vel *Piſcina Solomonis.* Nam ſic ille loco antè allegato.

Ἔνθεν τε πάλιν ἐκκλίνον πρὸς Ἀνατολὴν ἐπὶ τῦ Σολομῶντος κολυμβήθραν, *Rursùs ſe flexit murus versùs Orientem, ad Piſcinam Solomonis, & pergens ad locum qui vocatur Ophel, pervenit ex adverſo porticûs Orientalis Templi.* Unde colligere licet, Piſcinam Solomonis fuiſſe intùs juxta murum Orientalem urbis, ciſque locum iſtum qui vocabatur Ophel. Quæ ità conveniunt cum ſitu Betheſdæ intra portam Probaticam, ut extra omnem ſcrupulum mihi ſiet, Piſcinam Solomonis, & Betheſdanam fuiſſe unam eandemque.

§. III. *Piſcina* שלח, *Shelahh*, & *Piſcina* שלוח, *Shiloahh.*

PEr alterum rivum deductæ ſunt aquæ Siloami in alteram Piſcinam, quæ vocatur *Piſcina inferior*, Eſaj. 22:9. Et *Piſcina Regis*, Nehem. 2:14. juxta murum Occidentalem Sionis.

Ejus mentio etiam *Nehem.* 3:15. ברכת השלח לגן המלך. Ubi obſervandum quòd hic ſcribitur שלח, *Shelahh*, varianter a שלוח, *Shiloahh*, in *Eſaj.* 8:6. differentiâ in Bibliis non punctatis inviſibili, atque à meipſo olim non obſervatâ, & ut patet, non ab aliis. Nam שלח, *Shelahh*, redditur ipſiſſimo eodem ſono quo *Shiloahh*, à Complut. Vulg. Anglic. Gallic. &c. Et cùm mentio ſit Piſcinæ Siloam, *Joann.* 9:7. remittunt Commentatores nonnulli lectorem ad textum illum Nehemiæ.

Græci Interpretes differentiam obſervarunt, & verba Nehemiæ ſic reddunt, κολυμβήθρα τῶν κωδίων τῇ κυρᾷ τῦ βασιλέως. Obſervat & Italus, ſic reddens, *La Piſcina di Selac preſſe al orto del Re.*

In interpretatione Græca notandum, quòd videntur legiſſe גז, *Vellus*, pro גן, *Hortus*, dum reddunt τῇ κυρᾷ τῦ βασιλέως, *Land aut Cæſarie Regis.* Et dum vertunt ברכת השלח per κολυμβήθρα τῶν κωδίων, *Piſcina pellium*, ſequuntur ſignificationem vocis Talmudicis uſitatam non raro.

Jam ergò oritur quæſtio, an *Piſcina* iſta vocaretur *Piſcina Siloami*, necne: quod adhuc

non

non comperi à quovis dubitatum, nec olim à meipſo. At jam ſuſpicari incipio, ſic diſtinctum fuiſſe inter duas Piſcinas, ut inferior nomen ſuum retinuerit *Piſcinæ Shelah*; ſuperior nomen obtinuerit *Piſcinæ Siloabh*. Nam,

I. Unde alias diſtinctio iſta in verſione Græca, niſi quòd Interpretes ſequerentur vulgarem pronuntiationem nominis *Shelah*, cùm redderent τῶν κωδίων?

II. Verba iſta *Joannis*, Cap 9:7. Εἰς τὴν κολυμβήθραν τοῦ Σιλωὰμ, ὃ ἑρμηνεύεται Ἀπεσταλμένος, denotare videntur duas fuiſſe Piſcinas cognati admodùm ſoni, quarum tamen una tantùm ſignificaret Ἀπεσταλμένος, altera non.

III. Suadent Hieroſolymitani, Piſcinam ſuperiorem vocatam fuiſſe Piſcinam *Shiloabh*, vel Siloami, in verbis iſtis,

Chagigah, fol. 76. 1. *Immundus ex cadavere non ingreditur montem Templi. Dicitur quòd appareant in Atrio. Unde tu menſuras? A muro, an ab ædibus? Tradit Samuel,* משילוח, *A Siloamo. Et Siloam erat in medio urbis.*

Quæſtio ventilata hæc eſt, An immundus ex cadavere permittatur ingredi Templum: & diſcuſſio rei huc devenit, ut quærat, Intra quamnam menſuram ille admittendus, an intra ipſum murum Templi, an ad illam diſtantiam tantùm, ubi deſinunt ædes urbis quæ proximæ Templo: ſpeciatim ubi deſinunt ædes Siloami.

Jam verò, cùm dicant שילוח היה באמצע המדינה, quòd *Siloam erat in medio urbis*, de fonte nequaquàm intelligi poteſt; nam Fons Siloam erat planè extra urbem: nec de Piſcina inferiori, *Shelahh*; nam erat & illa extra urbem etiam, vel tantùm non. Non datur ergò tertium, niſi ut Piſcina hæc ſuperior vocetur Piſcina Siloam, & de nomine ſuo denominet regionem urbis adjacentem, videlicet quinque porticus atque ædificia confinia: quæ quidem non erant in ipſo urbis centro, at bene dici potuerunt eſſe *in medio* urbis, quia ſita erant non modico ſpatio intra urbem. Ὁ πύργος ἐν τῷ Σιλωὰμ, *Luc.* 13:4. erat inter hæc ædificia.

§. IV. *Targumiſta in* Eccleſ. 2:5. *notatus.*

IN æquilibrio eſt an Targumiſta in locum allegatum vafriùs agat, an obſcuriùs. Sermo eſt de hortis Regiis: & ille, *Plantavi mihi omnes arbores aromaticas*, דאיתיאו לותי טלני ומדקי מן הנדקא, *quas attulerunt mihi Lemures & Dæmones ex India.* Et pergit, ותחומיה מן שור קרתא דבירושלים על כיף מיא דשילוח, *Et terminus ejus erat à muro qui eſt in Jeruſalem, juxta ripam aquàrum Siloami.* Redde על כיף, *Juxta ripam*, illuſtrationis ergô; nam *Ad ripam*, ut vertit Lat. Interpr. quamvis id ipſum ſignificare poſſit, ſignificare tamen poteſt & aliud, idque in difficultatem indiſſolubilem. Et notandum eſt quòd eſt על, & non עד.

Animus Targumiſtæ videtur hic eſſe. Horti Regii hunc habent terminum: protenduntur à deſcenſu *Sionis* uſque ad ex adverſo Piſcinæ *Shelahh*, vel ſtagni inferioris, uſque ad initium muri urbis qui eſt in *Jeroſolyma*: qui murus procurrit juxta ripam aquarum Siloami.

Illa quæ dicuntur *Nehem.* 3:15. hæc illuſtrant, *Portam fontis reſtauravit Shallum.--- & murum Piſcinæ Shelahh juxta hortos Regis. Porta fontis*, ſive ea ſic dicta fuerit à fonte *Siloami*, ſive aliàs, diſtabat aliquo ſpatio à Piſcina Regis, *Nehem.* 2:14. & juxta murum urbis intercedentem inter iſtam Portam & Piſcinam, erat rivus deductus à fonte in iſtam Piſcinam.

Verba ergò Targumiſtæ ità ſunt reddenda, ut horti regii non dicantur extendi ad ripam aquarum *Siloami*, ſed murus iſte *Hieroſolymæ* procurrere *juxta* ripam iſtarum aquarum, & hortum extendi ad primam partem iſtius muri. Non vocat igitur Piſcinam inferiorem nomine שילוח, *Siloabh*, ſed per *Aquas Siloabh* intelligit rivum à fonte ductum & labentem in iſtam Piſcinam.

§. V. *Fons Etam. Porta Aquarum.*

CIpporum Hebraicorum collector, hæc habet de fonte *Etam*. בדרך בין חברון לירושלים עין עיטם וגו׳, *In via Hebronem inter & Hieruſalem, eſt fons Etam, unde aquæ promanant per tubos uſque ad magnam Piſcinam Hieroſolymitanam.* Verſio eſt Clariſſ. *Hottingeri*, qui & ipſe addit, *Intelligi puto Probaticam.*

Fuiſſe aquæductum à fonte *Etam* ad Hieroſolymam, aſſeritur à Magiſtris ſemel iterùmque: at quæri meritò poteſt, & an fons iſte fuerit in via ad *Hebronem*, & an aquæ ejus fluerent in Piſcinam Probaticam. Nam,

I. Si fons *Etam* idem fuerit cum aquis *Neptoah*, *Joſ.* 15:9. quod opinatur Gloſſ. in *Joma*, fol. 31. 1. [Ubi de fonte *Etam* agitur] tum non erat ab eodem cardine cœli, quo *Hebron*; nam *Hebron* erat ab Auſtro, *Neptoah* verò ab Occidente.

II. Aquæ à fonte *Etam* derivatæ, non ductæ ſunt in urbem, ſed in Templum: quod fuſiſſimè demonſtrari poſſet è Talmudicis, ſi eſſet opus. Et probabile eſt hunc aquæductum reſpicere verba Ariſteæ. Ὕδατος δὲ ἀνέκλειπτος ἐστι σύστασις, &c. *Aquæ verò confluxus nunquam deficit*, [de Templo loquitur] *ac ſi fons magnus intrinſecùs naturaliter flueret. Erantque ſubtus terram mirâ & inenarrabili arte aquarum receptacula confecta per quinque ſtadia, quemadmodum apparebat undiquâque circa tem-*

plum. Et paulò pòſt. *Abduxerunt me ex civitate ultra quatuor ſtadia, & juſſit me unus, capite ad locum quendam inclinato, auſcultare ſonum quem concurſus aquarum ederet*, &c.

Quid plura? Conſulenti Talmudicos, nil clarius, quàm quòd aquæductus à fonte *Etam* fuerit in Templum, non in urbem: & clarum ſatis ex Sacris Paginis, aquæductum in Piſcinam Probaticam, fuiſſe à fonte *Siloami*, quæ & ab iſto fonte, unde ea derivata, dicta eſt *Piſcina Siloami*; & à primo ejus authore, *Piſcina Solomonis*; atque à virtute ejus miraculoſe medicinali, *Betheſda*.

De *Porta Aquarum* fit mentio *Neh.* 3:26. in muro urbis Orientali, ſic dicta, quòd per eam fluerent aquæ à Templo, & forſan iſta quæ effluxerunt ex *Betheſda*. Nam cùm indeſinenter fluerent ab *Etam* aquæ in Templum, effluerentque ex Templo ſuperfluæ, deſcendebant in vallem interjacentem inter Templum & Hieroſolymam, & ſeſe evacuabant per iſtam Portam, quæ inde dicta eſt *Porta Aquarum*. Et probabile eſt *Piſcinam Betheſdanam*, cui erat indeſinens etiam ſupplementum per aquæductum è fonte Siloami, indeſinenter etiam ſe evacuaſſe per rivulum per declive Acræ, in eandem portam, & ſic in torrentem *Kidron*.

C A P. VI.

ΣΤΟΑ` τ̃ Σολομῶντ☉, *Porticus Solomonis*, Joann. 10:23.

I. *Obſcura quædam de Porta Huldæ, & Sacerdotis.* II. *Porticus Solomonis quænam, & ubi.* III. *Porta Suſan: Conſeſſus ibi Viginti-triumviralis. Tabernæ.* IV. *Pauca de ſtatu Templi ſecundi.*

§. I. *Obſcura quædam de Porta Huldæ, & Sacerdotis.*

A *Piſcina Solomonis* pergimus ad *Porticum Solomonis*, cujus etiam fit mentio *Actor.* 5:12. Crederes Στοὰν Βασιλικὴν, *Portam Regalem*, & ex ipſo titulo, & ex ejus magnificentia: nam erat, teſte Joſepho, Ἔργον ἀξιοαφηγητοτάτων τῶν ὑφ' ἡλίῳ, *Antiquit.* lib. 15. cap. 14.

Porticus iſta Regalis erat à latere Templi Meridionali, ſub ſe in muro habens שני שערי חולדה, *Duas portas Huldæ*, *Middoth*, cap. 1. De quibus miror, potiùs quàm vel credo, vel intelligo illud in

Schir Rabba, fol. 16. 4. *Ecce ille ſtat poſt parietem noſtrum, poſt murum ſcil. Templi Occidentalem: quia juravit Sanctus Ben. quod iſte nunquam deſtruetur.* ושער הכהן ושער חולדה לא חרבו לעולם, *Porta etiam Sacerdotis, & Porta Huldæ nunquam erant deſtruendæ, donec renovaturus ſit eas Deus.*

Quænam fuerit *Porta Sacerdotis*, ignoro penitùs, ſi ea non fuerit Porta iſta, ſuper quam fuit לשכת בולוטיא, *Conclave* Βυλευτῶν, vel *Conſiliariorum*, ubi erat Conſeſſus & Conſiſtorium Sacerdotum.

Sed eſto vel iſta, vel alia; quomodo hæc & reliqua conveniunt cum narratione *Joſephi?*

De bello, lib. 7. cap. 1. *Juſſit Cæſar dirui totam urbem & Templum, relictis tantùm turribus quæ reliquis ſupereminebant, Phaſaelo, Hippico & Mariamme, ac muro etiam Occidentali. Hoc quidem, ut eſſet præſidiariis pro caſtris; iſtis autem ut memoriam ferrent, qualem & quam munitam urbem viciſſet virtus Romana.* Τὸν δὲ ἄλλον ἅπαντα τῆς πόλεως περίβολον οὕτως ἐξωμάλισαν οἱ κατασκάπτοντες, ὡς μηδὲ πώποτ' οἰκηθῆναι πίστιν ἂν ἔτι παρασχεῖν τοῖς προσελθοῦσι. *Univerſum autem præterea munimentum civitatis ita ſunt demoliti, ut eam nunquam fuiſſe habitatam fidem faceret poſteris, vel advenientibus.*

Quibus conſonat illud quod frequentiſſimum apud ſcriptores Hebræos, Quod *Turnus Rufus* urbem & Templum verterit aratro. Ille *Joſepho* eſt *Terentius Rufus*, ἄρχων τῆς στρατιᾶς, Ἁλώς. lib. 7. cap. 1.

§. II. *Porticus Solomonis quænam, & ubi.*

PEr *portam Huldæ* intras in Atrium Gentium, idque ſub Στοᾷ Βασιλικῇ, *Porticu Regali*, quæ & ex ipſo nomine, & nobilitate ſtructuræ, videri poſſit digna fundatore *Solomone*. At hæc non eſt ea Porticus quam quærimus: nec *Regale* ſuum nomen deduxit à Rege *Solomone*, ſed à Rege *Herode*.

Joſephus nos in diſquiſitione noſtra aliò ducet, quem loquentem audi, Ἀρχαιολ. lib. 20. cap. 8. Ἤδη δὲ τότε καὶ τὸ ἱερὸν ἐτετέλεστο, *Et jam tum abſolutum eſt Templum* [ſub Geſſio Floro Procuratore Judææ circa annum *Neronis* undecimum aut duodecimum.] *Populus ergò videns quod otiarentur opifices* [abſoluto jam ipſius Templi opere] *qui erant numero plures quàm* 18. *mille, urget Regem* [Agrippam] τὴν Ἀνατολικὴν στοὰν ἀνεγεῖραι, *ut reſtauraret Porticum Orientalem*. Digna quidem hæc ſunt animadverſione: Templum non abſolutum fuiſſe ante iſta tempora, & Porticum Orientalem nè tum quidem abſolutam, nec unquam omninò; nam *Agrippa* cogitans quantùm nummorum, & quantùm temporis inſumendum erat huic operi, non annuit ſupplicantibus. Herodes, ut videtur ex *Joſepho*, abſolvit ipſum Templum & Pronaon, & Στοὰν βασιλικήν: ſed quidnam ampliùs perfecerit, circa Atria & porticus, non conſtat. Conſtat certè pluri-

Digitized by Google

plurimùm ab eo imperfectum fuiſſe relictum, cùm opus non abſolutum fuerit ante poſtrema tempora *Neronis*, atque vix ante initium belli fatalis, quo conflagravit Templum, & propriis ruderibus eſt ſepultum. Quæ animadverſio nobis uſui erit, ad *Joann.* 2:20.

Pergit *Joſephus* circa Porticum Orientalem.

Ἦν δὲ ἡ στοὰ τοῦ μὲν ἔξωθεν ἱεροῦ, *Erat autem ea, porticus Templi exterioris, profundæ valli imminens, ſubnixa muris quadringentorum cubitorum, ſaxis quadratis conſtructa admodùm candidis. Longitudo autem cujuſque ſaxi erat cubitorum viginti, altitudo vero ſex.* Ἔργον Σολομῶντος τοῦ βασιλέως πρώτου δειμαμένου τὸ σύμπαν ἱερόν. *Opus Solomonis Regis, qui primus ſtruxit totum Templum.* Non opus eſt commentario ſuper hæc verba. Ἀνατολικὴ στοὰ erat primùm Ἔργον Σολομῶντος: planè eloquitur quænam & ubinam fuerit *Porticus Solomonis*, ad murum ſcil. Templi extimum versùs Orientem: ut *Porticus Regalis* erat ad murum Auſtralem.

§. III. *Porta Suſan. Conſeſſus ibi vigintitriumviralis. Tabernæ.*

Porta muri hujus Orientalis erat tantùm una, eaque dicta שער שושן, Porta *Suſan.*

Middoth, cap. 1. hal. 3. עליו שושן הבירה צורה, *Quia in ea ſculpta erat figura Shushan Metropoleos Perſiæ.*

Non mirum eſt, ſi memoriam *Suſan* & imperii Perſici foverent, quia ſub eo ædificatum eſt Templum, & parùm incommodi ab iſto imperio paſſum. At mirum, quòd ſculptura iſta permanſerit poſt ruinam iſtius imperii, ſummam rerum moderantibus primo regno Græcorum, & dein Romanorum imperio.

Ibid. *Hanc portam intuebatur Sacerdos, dum combureret vaccam rufam.* Nam vaccam mactans in monte Oliveto, directè ante Templum, cùm ſanguinem ſpargeret, reſpexit in Sanctum Sanctorum, *Parah*, cap. 3. hal. 9. Porta ergò *Suſan*, nè proſpectum ejus impediret, non eâ altitudine eminuit, quâ reliquæ portæ, ſed erat humilior, *Midd.* cap. 2. hal. 4.

Super hanc portam erat Conſeſſus vigintitriumviralis.

Sanhedr. cap. 11. hal. 2. *Tres erant Conſeſſus, unus ſuper portam montis Templi*, id eſt, ſuper portam *Shushan. Alter ſuper portam Atrii*, id eſt, ſuper portam *Nicanoris. Tertius in Conclavi Gazith.*

Introeunti in Atrium per portam *Shushan*, à dextra lævaque erat porticus columnis ſuſtentata duplici ordine diſpoſitis, ita ut fieret duplex ambulacrum. Atque vel intra, vel circa hanc porticum erant חנות, *Tabernæ*, ubi vendebantur ſal, oleum, thus, aliaque altari neceſſaria; at quo jure, in ſolo ſacro caveat emptor, aut venditor, aut uterque.

Rosh hashanah, fol. 31. 1. *Migravit Synedrium magnum à Conclavi Gazith* לחנות, *in Tabernas, atque à Tabernis in Hieroſolymam.* Non quòd in ipſis Tabernis ſederet, ubi talia vendebantur, ſed quòd infima pars Atrii iſtius vocaretur communi nomine *Tabernarum.*

§. IV. *Pauca de ſtatu Templi ſecundi.*

Judæi reduces è *Babylone*, uſi ſunt primùm altari ſine Templo, donec abſolutum foret Templum ſub *Dario* ſecundo: & exinde Templo ſine Arca, ſacerdotio, ſine *Urim & Thummim*, & ſacrificiis ſine igne cœleſti. In nonnullis horum dirigebantur à Prophetis tum florentibus, in reliquis urgebantur à neceſſitate.

Sub imperio Perſico quiete erat Templo à Perſis, nequicquam incommodi ab iſto imperio eſt paſſum, iſto excepto ſub *Bagoſe*, de qua re *Joſeph. Antiquit.* lib. 11. cap. 7.

At ſub imperio Græcorum, Templi calamitas & gentis: & tremenda illa quæ de *Gog* dicuntur ab *Ezechiele*, in hujus tyrannide ſunt adimpleta. Nam nihil aliud eſt *Gog* apud iſtum Prophetam, quàm iſtud imperium belligerans contra populum, & Sanctuarium, & ſacra Dei. Longo temporis ſpatio diram calamitatem paſſa eſt gens Judaica ab iſto regno, cujus hiſtoriam habes apud *Joſephum* & libros *Maccabæorum*: maximè verò ab *Antiocho Epiphane*, acerrimo hoſte populi & religionis, qui præter alia quæ patravit horrenda contra Legem & religionem, profanavit Templum & altare, & ceſſare fecit ſacrificium *diebus mille & trecentis*, Dan. 8:14. vel *mille ducentis nonaginta*, Cap. 12:11. rotundâ numeratione, *Pro tempore, & temporibus, & ſemi*, Cap. 7:25. & 12:9. id eſt, *Tribus annis & dimidio.*

De inſolentiis Græcorum contra Templum, legimus in

Middoth, cap. 2. hal. 3. *In cancellata cinctura* [quæ diviſit *Chel* ab Atrio Gentium] יג׳ פרצות היו בושפרצו מלכי יון, *Erant effracturæ tredecim, quas effregerant Reges Græciæ*, &c. Et illud fœminæ impudentis,

Hieroſ. Succah, fol. 55. 4. *Maria filia Bilgæ apoſtatizavit. Nupſit militi cuidam de regno Græcorum. Venit, percuſſitque ſuper verticem altaris, & dixit,* לוקום לוקום, *O lupe, lupe, tu devoras opes Iſraëlis, & tamen tempore anguſtiarum iis non auxiliaris.* Referuntur eadem de *Tito*, in *Avoth, R. Nathan*, cap. 1. At

At graviſſimum omnium erat, cùm *Antiochus* pollueret Templum & altare, nec ſacrificia permitteret niſi Gentilitia & Idololatrica: de cujus perſecutione lege 1 *Maccab.* 1. & *Joſephum*, Ἀρχαιολογ. lib. 12. cap. 7. &c. Adeò hæſit animis Judæorum hæc devaſtatio ſacrorum, per annos durans tres & dimidium, ut numerum iſtum, ut celebrem retinerent & memorabilem, præſertim cùm ſermo eſt de rebus triſtibus & afflictis.

Echah Rabbathi, fol. 60. 4. *Venit quidam Athenis Hieroſolymam, atque ibi tranſegit tres annos & dimidium, ut diſceret linguam ſapientiæ; ſed non didicit.*

Ibid. fol. 64. 1. *Veſpaſianus obſedit Hieroſolymam tribus annis & dimidio: & cum eo erant Dux Arabiæ, Dux Africæ, Dux Alexandriæ, & Dux Palæſtinæ*, &c.

Ibid. fol. 71. 1. *Tribus annis & dimidio obſedit Adrianus Betaram.*

Ibid. fol. 66 2. *Judicium generationis diluvii, erat duodecim menſibus. Judicium Ægyptiorum, duodecim menſibus. Judicium Jobi, duodecim menſibus. Judicium Gog & Magog, duodecim menſibus. Judicium improborum in Gehennah, duodecim menſibus. Judicium verò Nebuchadnezzaris, tribus annis & dimidio. Et Judicium Veſpaſiani, tribus annis & dimidio.*

Ibid. fol. 79. 2. *Nebuchadnezzar commoratus eſt in Daphne Antiochæ, & miſit Nebuzaraddan ut deſtrueret Hieroſolymam. Egit ille ibi tres annos & dimidium.*

Plurima ſunt iſtiuſmodi: ubi non tam de præciſo temporis ſpatio determinant, quàm alludunt ad tempus illud afflictionis ſub *Antiocho*. Et felicius forſan fuiſſet commentariis Chriſtianorum, ſuper librum *Apocalypſeos*, ſi & illi numerum iſtum, & *quadraginta duos menſes*, & *mille ducentos & ſexaginta dies*, qui in libro iſto occurrunt, alluſivè etiam intellexiſſent, & non definitè & deciſivè.

Obiter, dum de perſecutione ſub iſta gente loquimur, recordamur hiſtoriæ in 2 *Maccab.* 7. de matre & ſeptem filiis ſubeuntibus martyrium. Cui parem, ſi non eandem, habemus, niſi mutato nomine, in

Gittin, fol. 57. 2. *Occidimur toto die, reputamur ſicut oves mactationis*, Pſalm. 44. *Rab. Judah dicit, Hoc intelligi poteſt de muliere & ſeptem filiis ſuis.* אתיוהן לקמ׳ לקמיה דקיסר, *Produxerunt primum coram Cæſare, & dixerunt, Adora idola. Quibus ille, Scriptum eſt in Lege, Ego Jehovah Deus tuus. Eduxerunt eum, atque occiderunt. Produxerunt alterum coram Cæſare*, &c.

Fuſiùs hæc in *Echah Rabbathi*, fol. 67. 4. & 68. 1. ubi fœmina nominatur, מרים בת נחתום שנשבית עמ שבעה בניה, *Maria filia Nachtom, quæ captiva abducta eſt cum ſeptem ſuis filiis. Accepit eos Cæſar, & concluſit intra ſeptem cancellos. Produxit primum, & dixit, Adora idolum*, &c.

Hiſtoria videtur eadem, niſi quòd varientur nomina *Antiochus*, & *Cæſar*: de qua re judicium ferat lector, lectâ utrâque hiſtoriâ, pro libitu ſuo. Et quoniam jam devenimus ad collationem hiſtoriæ Maccabaicæ cum Talmudicis, conferamus & aliam *Joſephi* cum iiſdem.

Refert *Joſephus*, ſe prædixiſſe *Veſpaſiano*, eum futurum Imperatorem.

De bello Jud. lib. 3. cap. 27. Juſſit Veſpaſianus ut cuſtodiretur Joſephus omni cum vigilantia, quippe quòd eum mittere vellet ad *Neronem*. Quæ audiens *Joſephus*, poſtulat ut aliquid impertiret *Veſpaſiano*, ei cognoſcendum ſoli. Remotis omnibus à *Veſpaſiano*, exceptis *Tito* & duobus amicis; tum Joſephus, Νέρωνί με πέμπεις, &c. *Tunc me ad Neronem es miſſurus? ---- Tu ipſe, ô Veſpaſiane, eris Cæſar & Imperator, tu filiuſque hic tuus*, &c.

Talmudici talem prædictionem attribuunt *Rabban Jochanani ben Zaccai*, in Tractatibus anteà allegatis, *Gittin*, fol. 56. 1. & *Echah Rabbathi*, fol. 64. 2. *Rabban Jochanan ben Zaccai in arca elatus eſt ut mortuus extra Jeroſolymam. Abiit ille ad exercitum Veſpaſiani, & dixit, Ubi eſt Rex veſter? Abierunt illi, & dixerunt Veſpaſiano, Judæus quidam cupit te ſalutare. Adveniat, inquit ille. Cùm ergò adveniret, dixit*, שלמא עלך מלכא שלמא עלך מלכא, *Vive, ô Rex, Vive, ô Rex.* [Sic in *Gittin*: at in *Midras*, ביבא מארי אִֽמפרטור, *Vive, Domine Imperator*] *Dicit Veſpaſianus, Tu me ſalutas ac ſi Rex eſſem: at ego Rex non ſum; & Rex hæc audiet, & virum talem interficiet. Cui ille, Quamvis Rex non jam ſies, Rex tamen eris*, דלית הדין ביתא חריב אלא על ידי מלך, *Nam Templum hoc non deſtruetur, niſi per manum Regis; ſicut dicitur, Et Lebanon per potentem cadet*, Eſaj. 10:34.

Utri horum gloria talis prædictionis ſit attribuenda, an utrique, penès æquum arbitrum eſto judicium; & redeamus nos ad tempora Græcorum.

Fractis bello tandem à *Juda* exercitu & viribus inimici, convertitur populus ad curam & reſtaurationem Templi & ſacrorum: cujus rei hiſtoriam habes in 1 *Maccab.* 4:43, &c. Et *Joſeph. Antiquit.* lib. 12. cap. 11. cujus hæc verba exſcribamus.

Τὸν ναὸν Ἰούδας ἔρημον εὗρε, καὶ καταπεπρησμένας τὰς πύλας, καὶ φυτὰ διὰ τὴν ἐρημίαν αὐτόματα ἐν τῷ ἱερῷ βεβλαστηκότα.

Invenit Templum deſertum, & portas combuſtas, & plantas ſponte ſuâ naſcentes in Templo. Flevit ergò cum ſuis, aſpectu attonitus, &c.

Parant

Digitized by Google

Parant ſe ad repurgationem: reſarciunt effracturas, & ut

Middoth, ubi ſuprà, *Tredecim iſtas quas effregerant Græci*, הורו וגדרום ונגרן כנגדן יג' השתחויות, *Reſtaurarunt*, *& inſtituerunt ſecundùm eas*, *tredecim adorationes*.

Altare, quia Ethnicis ſacrificiis fuerat pollutum, diruunt, & lapides ſeponunt in quodam Conclavi juxta Atrium.

Middoth, cap. 1. hal. 6. *Ad Ortum æſtivum erat Conclave*, *in quo repoſuerunt filii Aſmonæorum lapides altaris*, *quos Reges Græciæ profanaverant*. Idque, ut lib. *Maccab*. Μέχρι τοῦ παραγενηθῆναι προφήτην τοῦ ἀποκριθῆναι περὶ αὐτῶν, *Donec adveniret Propheta*, *qui de iis reſponderet*.

Nam cùm lapides iſti fuerant olim ſacrati, nequaquàm eos adhibere voluerunt ad uſum communem: & cùm fuerant profanati, nequaquàm ad uſum ſacrum.

Cætera Templi reſtaurarunt, repurgarunt, renovarunt, ut legere eſt in locis allegatis, & viceſimo quinto menſis *Ciſleu* celebrarunt Encœnia, atque ea inſtituerunt in annuam ſolennitatem per octiduum. De cujus ritibus dicemus ſuo loco: & cujus gratiâ in his fuimus prolixiores.

CAP. VII.

VARIA.

§. I. Ἐφραίμ, *Ephraim*, Joann. 11:54. II. בית מרין, & מרוני. III. *Chalamiſh*, *Naveh*, *& loca alia obſcura*. IV. Χαφεναθά, 1 Maccab. 12:37. V. *Targ. Jonath. in* Numer. 34:8. *notatum*.

§. I. Ἐφραίμ, *Ephraim*, Joann. 11:54.

Bethel, & *Jeſhanah*, & עפרין, *Ephrain*, commemorantur una 2 *Paralip*. 13:19. Et *Bethel* & *Ephraim*, apud Joſephum,

De excid. lib. 4. cap. 33. *Veſpaſianus cepit duas Toparchias*, *Gophniticam*, *& Acrabatenem*, Μεθ' ἃς Βηθηλά τε καὶ Ἐφραὶμ πολίχνια, *Et poſt eas Bethelem & Ephraim urbeculas*.

Scribitur עפרון cum *Vau*, & punctuatur עֶפְרוֹן apud Targumiſtam, & redditur Ἀφρών à Græc. Interpr. Docet tamen nota Maſſoretica, legendum eſſe per *Iod* עפרין, *Ephrain*: & parùm dubito eandem eſſe cum Ephraim Joſephi, & עפרים Talmudicorum in *Menachoth*, cap. 9. de qua diximus in Centur. Chorograph. cap. 53.

Probabile eſt fuiſſe urbem in Benjamitide, ſicut erat *Bethel*, quæ cum ea connumeratur. Erat autem *Bethel* ultimus Benjamitidis terminus versùs Ephraimitin, ut *Joſ. Antiquit*. lib. 5. cap. 1. Aſt ubi *Ephraim*, non adeò planum. Hoc tantùm de ea dicit Euangeliſta noſter, quòd erat *propè eremum*, id eſt, ut videtur, propè *eremum Judææ*, per quam tenditur à Jeroſolyma ad Hierichuntem.

§. II. בית מרון, & ברוני.

Shemoth Rabba, ſect. 5. *Hiſtoria eſt de fratre & ſorore*, *quorum alter erat in Gush Halab*, גוש חלב, *altera in Beth Maron*, בית מרון. *Accidit incendium in domo ejus*, *qui fuit in Gush Halab Venit ſoror ejus à Beth Maron*, *atque eum complexa eſt*, *& exoſculata*.

Jam verò גוש חלב, *Ghus Chalab*, erat in Aſeritide, quod indicatur in

Menachoth, fol. 85. 2. ubi eſt hiſtoria de oleo pretioſiſſimo coëmpto in *Gush Chalab* in Aſeritide, quale coëmi non potuit alibi uſpiam locorum.

Ex בית מרון, *Beth Maron*, igitur tam vicina τῇ *Gush Chalab*, fortè intelligas illud in

Hieroſ. Kiddushin, fol. 6. 3. & *Bava Bathra*, fol. 17. 1. מעשה בברוני אחד שהיה דר בירושלם, *Hiſtoria de Maronita quodam* [nam ſic reddamus] *qui hoſpitatus eſt Hieroſolymis*. *Erantque illi opes plurimæ*, *quas cùm partiri velles inter ſuos*, *dixerunt ei*, *Hoc tibi non licet*, *niſi coëmas aliquid fundi*, &c.

Non incongruè redditur מרוני, *Maronita*: at non eo ſenſu quo vox *Maronita* jam vulgò obtinet, ſed ut advenientem denotat ab oppido *Maron* aut *Beth Maron*. Redde *Maronenſem*, & caret ſcrupulo.

Atque huc referenda fortaſſe ſunt iſta in

Roſh haſhanah, fol. 16. 1. In initio anni כל באי עולם עוברין לפניו כבני מרון, *Omnes venientes in mundum tranſeunt coram Deo*, *ſicut filii Maron*. Gemara *Reſh Lachiſh* dicit, כמעלות בית מרון, *Sicut aſcenſus Beth Maron*. Gloſſ. *Ubi via erat anguſta*, *& duo non potuerunt ſimul illìc incedere*, *unus à latere alterius*; *nam erat profunda vallis ab utroque viæ latere*. Eadem ferè habentur, *Erubhin*, fol. 22. 2.

§. III. *Chalamiſh*, *Naveh*, *& loca alia obſcura*.

Intertexamus & iſta, novitatis ergò.

Midras Rabba in Schir, cap. 2. 2. *Echah Rabbathi*, in cap. 1. 17. *Vajikra Rabba*, ſect. 23. *Præcepit Deus de Jacob*, *ut ſint hoſtes ejus circa eum*.

כגון חלמיש לנוה, *Sicut Chalamiſh*, *eſt* τῇ *Naveh*.

יריחו לנוערן, *Jericho*, τῇ *Noaran*.

סוסיתא לטבריא, *Suſitha*, *Tiberiadi*.

קסטרא לחיפר, *Caſtara*, τῇ *Chephar*.

לוד לאונו, *Lydda*, τῇ *Ono*.

Gloſſ. *In Chalamiſh habitarunt hoſtes Iſraëlis*, *& in Naveh*, *quæ ei vicina fuit*, *habitarunt*

runt Judæi, atque iſti hos affliхerunt. Et alibi. *Hæc ſunt nomina locorum ubi habitabant improbi de Gentilibus, de Moab & Ammon*, &c.

Obiter notandum, vocem alibi ſcriptam חיפר, *Chephar*, aut *Chippar*, in *Schir Rabbathi* ſcribi חיפה, *Chephah*. Unde in *Shemoth Rabba*, ſect. 29. ר׳ אבדימי דמן חיפה, *R. Abdimi de Chephah*, aut *Chippah*. Itemque in *Echah Rabbathi*, fol. 64. 1. &c.

Si diſtantia locorum reliquorum determinanda ſit per diſtantiam *Suſithæ* à *Tiberiade*, & *Lyddæ* ab *Ono*, erit trium milliarium, aut circiter; nam eo ſpatio iſtas diſtitiſſe oſtendimus alibi. At loca ipſa ſi quæras, ubinam invenies? Ubi *Chalamish* & *Naveh?* Ubi *Caſtara* & *Chippar?* &c. A labore inveſtigandi ſuperſedemus, ſine ſpe inveniendi; hoc tantùm obſervantes, quòd miſerè immutata foret rerum facies, cùm cauſa foret hujus querelæ. Nam anteà *Jericho* floruerat Judæis, in procinctu exiſtentibus illic aſſiduè 12. millibus Sacerdotum, de Ephemeriis: at nunc habitata Judæorum hoſtibus. Sic etiam erat, cùm *Lydda* foret Schola Rabbinorum florentiſſima: at nunc inimica civitas. Digna hæc chronologico ſcrutamine.

Hoc ſolùm de חפר, *Chippar*, comperimus, quòd erat intra 12. M. paſſ. à *Zippore*.

Vajikra Rabba; fol. 187. 4. *R. Tanchum bar R. Jeremiæ erat* בחפר, *in Chippar. Interrogarunt eum aliquid de Lege; & ille docuit. Dicunt ei, Nonne nos docuerunt Magiſtri, quòd prohibitum eſt Diſcipulo docere intra* 12. *M. paſſ. à Magiſtro, & ecce R. Minni Magiſter tuus eſt in Zippore.* Reſpondit ille, יתי עלי אין ידעית, *Veniat in me maledictio, ſi noverim eum eſſe in Zippore.*

§. IV. Χαφεναθά, 1 *Maccab.* 12:37.

IN diebus *Jonathanis Aſmonæi*, Συνήχθησαν τοῦ οἰκοδομεῖν τὴν πόλιν, καὶ ἤγγισε τοῦ τείχους τοῦ χειμάρρου τοῦ ἐξ ἀπηλιώτου, καὶ ἐπεσκεύασαν τὸ καλούμενον Χαφεναθά. *Convenerunt ut ædificarent civitatem, & appropinquavit muro torrentis qui eſt à ſubſolano, & reparaverunt illud quod vocatum eſt Chaphenatha.*

Ubinam, & quidnam tandem eſt Χαφεναθά? Suſpicor fuiſſe aliquam partem extimæ regionis urbis versùs Orientem. Pari ratione ſic dictam, quâ *Bethphage*, quæ & extima pars urbis erat versùs Orientem. Nam ſic ea dicebatur, id eſt, *locus groſſorum*, ob ficus propè naſcentes in monte Oliveto. Ita & Χαφεναθά, aliqua pars etiam regionis iſtius verſus Orientem & Olivetum, ſic dicta propter dactylos ibi naſcentes.

Nam כפניות, *Chephanioth*, frequenter apud Talmudicos ſunt dactyli palmarum, qui ad maturitatem nunquam decoquuntur. מין תמרים רעים, *Species palmarum malarum*, ut Gloſſ. in *Beracoth*, fol. 57. 2. *Fructus palmarum qui nunquam matureſcit*, ut *Aruch* in כפנת. Significatione cognatâ הִינֵי, *Hene*, & אהיני, quæ dactylos palmarum immaturos denotat, unde derivatam opinamur *Bethaniam* in monte Oliveto. Erat ergò pars aliqua urbis & muri extima versùs Olivetum, dicta *Bethphage* à ficubus: altera *Chaphenatha*, à dactylis.

§. V. *Targ. Jonath. in* Numer. 34:8. *notatum.*

SIc *Moſes*: מהר ההר תתאו לבא חמת, *A monte Hor limitabitis ad ingreſſum Hamath, & erunt exitus termini ad Zedad.*

Targumiſta autem ſic, מטוורוס אומנוס, *A monte Umanus dirigetis vobis* מעלך טבריא, *ad introitum Tiberiadis, & erunt exitus illius termini*, מי תרין צטרוי, *à duobus lateribus ejus tendentes*, לכדכור דבר ועמה, *ad Codcor bar Zaamah*, ולכדכוי דבר סינגורא, *& ad Cadcoi bar Sinegora*, ודיוקנוס ותרנגולא, *& Divachenus & Tarnegola, ad Cæſaream, quâ ingrederis in Abelas Ciliciorum.*

Unumquodque ferè vocabulum expendendum, & unumquodque ferè obſcurum.

I. טורוס. Hoc quidem non adeò obſcurum, quin quòd norint omnes montem *Taurum*, apud Geographos & Hiſtoricos celebrem, inde nomen ſuum ἐμφατικωτέρως traduxiſſe, cùm טור, *Taur*, Chaldæis & Syris ſignificet *Mons*.

II. אומנוס. Nec hoc quidem adeò obſcurum, quin quòd omnes qui libros Judaicos triverunt, agnoſcant montem אמנה, *Amanam*, & qui alios *Amanum*. At vereor interim, nè mecum æquè ignorent, quare idem Targumiſta eodem nomine vocitet *montem Hor*, ubi mortuus eſt *Aaron*, טורוס אומנוס, *Numer.* 20.

III. מעלך טבריא, *Ad introitum Tiberiadis*. Miror Targumiſtam ab ipſa Chorographia non meliùs didiciſſe lectionem vocis חמת hoc in loco. Nam planum eſt, eum legiſſe חמת, *Chammath*, hoc eſt, *Thermæ Tiberiadis*, cùm reverà ſit *Hamath* vel *Antiochia*. Cæcutiens Geographus, qui limites terræ Iſraëliticæ deducit ad *Tiberiadem*, niſi aliquid velit quod captum noſtrum exſuperat.

IV. מן תרין צטרוי, *A duobus ejus lateribus*. Et hîc planum, quod vocem צדדה, *Zedad*, ſumſerit appellativè, pro צד, *Latus*.

V. לכדכור דבר ועמה, *Ad Cadcor bar Zaamah*, &c. Niſi ille cæcutiat, nos cæcutimus. Hoc tantùm obſervamus, quòd ועמה, *Zaamah*, & סניגורא, *Sinegora*, *Indignationem* denotant, & *Advocatum*, forſan

Digitized by Google

ſan eo ſenſu quo סניגור & קטיגור, *Accuſator* & *Advocatus*, frequentiſſimè apud Rabbinos, ſed quo ſignificatu apud illum, ipſe Oedipum ſe exhibeat neceſſe eſt, vel aliquem alium.

VI. דיווקנוס. Suſpicor Græcum eſſe, Διαυχένιος: quo denotatur dorſum aliquod montis ſe attollens, vel protrahens. Et ſuſpicio augetur per verſionem Hieroſolymitanam, quæ ſic in

Verſ. 15. תחומא לדיוקינוס טור תלגא דקיסרין: quam ego ſic verterim, *Terminus erit ad* Διαυχένιον *montis nivis Cæſareæ.* Ubi per Cæſaream intelligitur Cæſarea Philippi, ubi quidem non deſiit terminus terræ Aquilonaris, ſed ſuperiùs & ulteriùs extendebatur, להרנגולא עילאה די לעלה מן קיסרין, *ad Tarnegolam ſuperiorem, quæ eſt ſupra Cæſaream*: id eſt, τῶς Ἀυχένα montis *Antilibani.*

Albedo *Libani* nomen ei indidit, & *Libani*, & *Montis Nivis*, quia albedo ejus à nivibus, [at quâ notatione *Cydnus* albedinem denotet linguâ Syrâ, fateor excedere meum Syriſmum: quod tamen affirmat *Solin.* cap. 41. *Quicquid candidum eſt*, inquit, *Cydnum gentili linguâ dicunt Syri. Unde amni* (*Cydno*) *nomen datum.*) Et notatu dignum, quòd *Lebanon* in textu Hebræo frequentiſſimè redditur ab Interpretibus Græcis, Ἀντιλίβανος, ut *Deuter.* 11:24. *Joſ.* 1:4, &c. Atque aliquando à Talmudicis vocatur באלא, *Bala.*

Cholin, fol. 80. 1. עזי דבאלא, *Capræ Balæ*, Gloſſatori ſunt עזי דלבנון, *Capræ Lebanonis*; & הור באלא, illi eſt שור הלבנון, *Bos Lebanonis*: nam באלא, inquit ille, eſt *Saltus.*

Concludamus conjecturâ aliquantùm extravagante, quam excitat mentio *Lebanonis.* Suſpicamur *Europam* noſtram nomen ſuum primitùs deduxiſſe à *frigore*, ſicut mons iſte à nivibus. Phænices ad columnas Herculis navigantes, [de qua re plurima Doctiſſ. *Bochartus*] à ſiniſtra habuerunt terram חם, *Cham*, *æſtûs*, aut ardoris *Africam.* A dextra terram חורף, *Choreph*, *hyemis* vel frigoris, [collatam præſertim cum æſtu alterius] à qua voce *Choreph* fluxiſſe non improbabile eſt vocem *Europam.* Aliunde deducit vir ille eruditiſſimus, & fruatur ſenſu ſuo, liceat & mihi conjecturâ meâ.

INDEX

Capitum, quæ in Diſquiſitione Chorographica JOANNI præmiſſà continentur.

CAPUT I. BETHABARA, Joann. 1:28. I. *Variæ Lectiones* Βηθανία & Βηθαβαρᾶ. II. *Trajectus Jordanis celebriores.* III. *Ditio Scythopolitana.* IV. Μέγα πεδίον. *Ibi trajectus Scythopolitanus:* V. *Bethbarah*, Judic. 7:24.

§. I. *Variæ Lectiones* Βηθανία & Βηθαβαρᾶ. Pag. 575

§. II. *Trajectus Jordanis celebriores.* ibid. col. 2

§. III. *Ditio Scythopolitana.* 576 col. 1

§. IV. Μέγα πεδίον. *Ibi trajectus Scythopolitanus.* ibid. col. 2

§. V. *Bethbarah*, Judic. 7:24. 577 col. 1

CAP. II. NAZARETH, Joann. 1:45. I. *Legenda non abſimilis iſti de Sacello Lauretano.* II. *Situs Nazarethæ.* III. בן נצר, *Ben Nezer.* IV. *Horrenda quædam acta in* כפר נחום, *Capharnachumo.* V. *Pauca de Cana*, Joann. 2:1.

§. I. *Legenda non abſimilis iſti de Sacello Lauretano.* 577 col. 2

§. II. *Situs Nazarethæ.* 578 col. 1

§. III. בן נצר, *Ben Nezer.* ibid. col. 2

§. IV. *Horrenda quædam acta in* כפר נחום, *Capharnachumo.* 579 col. 1

§. V. *Pauca de Cana*, Joann. 2:1. ibid. col. 2

CAP. III. Αἰνὼν ἐγγὺς τοῦ Σαλείμ, Joann. 3:23. I. *Nomina & loca quædam cognati ſoni cum* Σαλείμ. II. שלמאה, *Salmæus*, *vel Salamæus*, *apud Targumiſtas pro* קיני, *Kenæo.* III. Αἰνὼν *apud Græc. Interpr.* Joſ. 15:62. IV. *Syrus notatus: & Euſtath. Super Dionyſ.* V. *Herodium*, *Regia.* VI. *Machærus*, *caſtellum.* VII. הר מצער, *Mons Mizaar*, Pſalm. 42:7. VIII. עגלת שלישיה, Eſaj. 15:5.

§. I. *Nomina & loca quædam cognati ſoni cum* ΣΑΛΕΙΜ 580 col. 2

§. II. שלמאה

§. II. שלמאה, *Salmæus, vel Salamæus, apud Targumiſtas pro* קיני, *Kenæo.* 581 col. 1
§. III. Ἀιτὰν *apud Græc. Interpr.* Joſ. 15:62. ibid. col. 2
§. IV. *Syrus notatus: & Euſtath. ſuper Dionyſ.* ibid. ibid.
§. V. *Herodium, Regia.* 582 col. 1
§. VI. *Machærus, caſtellum.* ibid. col. 2
§. VII. *Mons Mizaar,* הר מצער, Pſalm. 42:7. 583 col. 1
§. VIII. עגלת שלישיה, Eſaj. 15:5. ibid. col. 2

CAP. IV. ΣΥΧΑΡ, Joann. 4:5. I. *Pauca notata de rebus Samaritanorum.* II. *Pauca de Verſione Pentateuchi Samaritica.* III. *Situs montium Gerizim & Ebal. Textus Samariticus in* Deuter. 27:4. *notatus.* IV. *Quare Sychar ſcripta, & non Sychem.* V. עין סוכר, *apud Talmudicos.*
§. I. *Pauca notata de rebus Samaritanorum.* 584 col. 1
§. II. *Pauca de Verſione Pentateuchi Samaritica.* 585 col. 2
§. III. *Situs montium Gerizim & Ebal. Textus Samariticus in* Deuter. 27:4. *notatus.* 586 col. 1
§. IV. *Cur Sychar ſcripta, & non Sychem.* ibid. col. 2
§. V. עין סוכר *apud Talmudicos.* ibid. ibid.

CAP. V. BETHESDA, Joann. 5:2. I. *De ſitu Probaticæ.* II. *Fons Siloami, atque ejus rivi.* III. *Piſcina* שלח, *Shelahh, & Piſcina* שלוח, *Shiloahh.* IV. *Targumiſta in* Eccleſ. 2:5. *notatus.* V. *Fons Etam. Porta Aquarum.*
§. I. *De ſitu Probaticæ.* 587 col. 2
§. II. *Fons Siloami, atque ejus rivi.* 588 col. 1
§. III. *Piſcina* שלח, *Shelahh, & Piſcina* שלוח, *Shiloahh.* ibid. col. 2
§. IV. *Targumiſta in* Eccleſ. 2:5. *notatus.* 589 col. 1
§. V. *Fons Etam. Porta Aquarum.* ibid. col. 2

CAP. VI. Στοὰ τοῦ Σολομῶντος, *Porticus Solomonis,* Joann. 10:23. I. *Obſcura quædam de Porta Huldæ, & Sacerdotis.* II. *Porticus Solomonis quænam, & ubi.* III. *Porta Suſan: Conſeſſus ibi Viginti-triumviralis. Tabernæ.* IV. *Pauca de ſtatu Templi ſecundi.*
§. I. *Obſcura quædam de Porta Huldæ, & Sacerdotis.* 590 col. 1
§. II. *Porticus Solomonis quænam, & ubi.* ibid. col. 2
§. III. *Porta Suſan: Conſeſſus ibi Viginti-triumviralis. Tabernæ.* 591 col. 1
§. IV. *Pauca de ſtatu Templi ſecundi.* ibid. col. 2

CAP. VII. VARIA. I. Ἐφραΐμ, *Ephraim,* Joann. 11:54. II. בית מרין, & מרוני. III. *Chalamish, Naveh, & loca alia obſcura.* IV. Χαφιναθὰ, 1 Maccab. 12:37. V. *Targ. Jonath. in* Numer. 34:8. *notatum.*
§. I. Ἐφραΐμ, *Ephraim,* Joann. 11:54. 593 col. 1
§. II. בית מרון, & מרוני. ibid. col. 2
§. III. *Chalamish, Naveh, & loca alia obſcura.* ibid. ibid.
§. IV. Χαφιναθὰ, 1 Maccab. 12:37. 594 col. 1
§. V. *Targ. Jonath. in* Numer. 34:8. *notatum.* ibid. col. 2

HORÆ

Digitized by Google

HORÆ HEBRAICÆ
ET
TALMUDICÆ
IMPENSÆ IN
EUANGELIUM
SANCTI
JOANNIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

HORÆ HEBRAICÆ ET TALMUDICÆ IMPENSÆ IN EUANGELIUM SANCTI JOANNIS.

CAPUT I.

VERS. 1. Ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ Λόγος.

CAP. I. VERS. 1. EN'Αρχῇ. Eodem ſenſu quo בראשית, *Bereſhith*, in hiſtoria creationis, *Geneſ.* 1:1. Nam hoc proponit ſibi Euangeliſta, nempe ut oſtendat per *Verbum*, per quod perfecta eſt creatio, perfectam etiam fuiſſe Redemptionem: ſecundam in Sacroſancta *Triade* perſonam, in plenitudine temporis fuiſſe Redemptorem, ſicut in initio temporis fuerat Creator.

Confer *verſ.* 14.

VERS. 1. Ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ Λόγος.
Ἦν πρὸς τὸν Θεόν.
Θεὸς ἦν ὁ Λόγος.

VERS. 14. Ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο.
Ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν.
Ἐγένετο σάρξ, καὶ ἐθεασάμεθα, &c.

Ἦν ὁ Λόγος. Non opus eſt ut curioſiùs inquiramus unde Euangeliſta petierit hunc titulum, cùm toties repetatur in hiſtoria creationis, ויאמר אלהים, *Et dixit Deus.*

Ab omnibus ferè, in hunc Euangeliſtam nuperiùs commentantibus, obſervatur מימרא דיי׳, *Verbum Domini*, adhiberi frequentiſſimè à Targumiſtis, quod facere videtur in rem præſentem.

Exod. 19:17. *Eduxit Moſes populum de caſtris* לקדמות מימרא דיי׳, *In occurſum Verbi Domini.* Job. 42:9. ונסיב מימרא דיי׳, *Et acceptavit Verbum Domini faciem Jobi.* Pſalm. 2:4. מימרא דיי׳ ידהך להון, *Verbum Domini ſubſannabit eos:* & Pſalm. 106:12. *Crediderunt* בשום מימריה, *in nomine Verbi ejus.* Ezech. 20:17. וחס מימרי, *Et pepercit iis Verbum meum.* Et nè plura, pro *Et ero tecum*, Geneſ. 26:3. Targ. habet ויהי מימרי בסעדך, *Et erit Verbum meum in adjutorium tuum.* Et Geneſ. 39:2. *Et erat Dominus cum Joſepho.* Targ. והוה מימרא דיי׳ בסעדיה דיוסף, *Et erat Verbum Domini in adjutorium Joſephi.* Et ſic ubicunque occurrit iſta phraſiologia. CAP. I. VERS. 1.

Hoc tamen non eſt diſſimulandum, vocem מימרא aliquando nihil aliud ſignificare quàm Ego, Tu, Ipſe: & applicatur etiam hominibus. Ut *Job.* 7:7. *Oculi tui in me.* Targ. עינך במימרי. Sic etiam *Job.* 27:3. *Spiritus meus in me.* Targ. נשמתי במימרי. Et 2 *Paralip.* 16:3. *Fœdus eſt inter me & te.* Targ. קיימא בין מימרי ובין מימרך. Et Cap. 23:16. *Fœdus inter ſeipſum, & populum, & Regem.* Targ. קיים בין מימריה ובין כל עמא ובין מימרא דמלכא.

Obſervo in *Zachar.* 7:12. ברוחו, *Per ſpiritum ejus*, à Targumiſta reddi במימריה *Per Verbum ejus:* ſi modò vox iſta ſit ſtrictè ſic reddenda. Nam ex allegatis noviſſimè, videtur

CAP. I. VERS. 4. 5. detur במימריה יי׳ reddi poſſe, *Dominus per ſeipſum, vel Dominus ipſe.*

Obſervo etiam Græcos Interpretes, malè lectis vocalibus vocabuli דבר, in *Habbac.* 3:5. reddere Πρὸ προσώπου αὐτοῦ πορεύσεται λόγος: cùm potiùs reddendum eſſet, Πρὸ προσώπου αὐτοῦ πορεύσεται λοιμός. Nam animus Prophetæ eſt, *Coram facie ejus ivit peſtis.*

VERS. 4. Ἐν αὐτῷ ζωὴ ἦν.

Tranſit jam Euangeliſta à creatione per Λόγον, ad redemptionem per Λόγον. Declaraverat eum dediſſe *eſſe* omnibus creaturis, vitam omnibus animalibus, *verſ.* 3. & jam oſtendit, ut vitam homini dederit mortuo per peccatum.

Geneſ. 3:20. *Et vocavit Adam nomen uxoris ſuæ Hevah, Vitam, Græc.* Καὶ ἐκάλεσεν Ἀδὰμ τὸ ὄνομα τῆς γυναικὸς αὐτοῦ, Ζωή. Illam, vocavit *Vitam*, quæ introduxerat mortem, nam meliorem vitam ille jam guſtaverat per ſemen mulieris promiſſum: quò reſpexiſſe Euangeliſtam in hiſce verbis parùm eſt dubitandum.

Καὶ ἡ ζωὴ ἦν τὸ φῶς τῶν ἀνθρώπων.

Vita per Chriſtum erat lux oriens in tenebris lapsûs & peccati, & lux per quam ambularunt omnes fideles. Opponere videtur Euangeliſta hacce in clauſula, vitam lucemque exhibitam in promiſſione Chriſti, vitæ & luci quam jactarunt Judæi in Lege. Vitam expectarunt ex operibus Legis, & majorem lucem non norunt quam lucem Legis, quam celebrant infinitis encomiis. Unùm pro multis.

Beresh. Rabba, ſect. 3. *Et dixit Deus, Fiat lux. R. Simon dicit, Quinquies ibi ſcribitur Lux, ſecundum quinque quintanas Legis. Et dixit Deus, Fiat lux, Secundùm librum Geneſeos, in quo occupatus Deus, creavit mundum. Et fuit lux, Secundùm librum Exodi, in quo exeunt Iſraëlitæ è tenebris in lucem. Et Deus vidit lucem quòd bona, Secundùm librum Levitici, qui repletus eſt ritibus multis. Et diviſit Deus inter lucem & tenebras, Secundùm librum Numerorum, qui divìdit inter exeuntes ex Ægypto & intrantes in terram. Et vocavit Deus lucem Diem, Secundùm librum Deuteronomii, qui repletus eſt Traditionibus multis.* Gloſſa de luce parùm diſtans a tenebris.

VERS. 5. Καὶ τὸ φῶς ἐν τῇ σκοτίᾳ φαίνει.

Lux hæc promiſſionis & vitæ per Chriſtum, ſplendet in tenebris nebuloſorum typorum ſub Lege, & in obſcuritate Prophetarum; & tenebricoſa iſta eam non comprehenderunt, quin quòd luceret; nec eam ita CAP. I. VERS. 9, 12, 13.
comprehenderunt, quin quòd opus foret, ut majore ſplendore, id eſt, Euangelico, eluceſceret. In hunc ſenſum loci ego eò magis inclino, quòd videam Euangeliſtam agere de viis & mediis, quibus mundo patefactus eſt Chriſtus ante patefactionem ſuam in carne; primò in promiſſione vitæ, *verſ.* 4. deinde in typis & Prophetiis, & denique per *Baptiſtam.*

VERS. 9. Ὃ φωτίζει πάντα ἄνθρωπον ἐρχόμενον εἰς τὸν κόσμον.

כל באי עולם, id eſt, omnes homines qui ſunt in mundo.

Hieroſ. Sanhedr. fol. 26. 3. *Nonne ſol oritur* על כל באי עולם, *ſuper omnes venientes in mundum?*

Ibid. fol. 25. 4. כל באי עולם, *Omnes venientes in mundum non poſſunt creare unam muſcam.*

Rosh Shanath, cap. 1. hal. 1. *In initio anni* כל באי עולם, *Omnes venientes in mundum, tranſeunt coram facie Dei.* Infinita ſunt phraſiologiæ exempla.

Senſus loci eſt, quòd Chriſtus in Euangelio fulgens, lux eſt, univerſum orbem illuſtrans. Lux Legis Judæis ſolùm illuxit; aſt hæc lux omnibus habitantibus orbem.

VERS. 12. Ἔδωκεν αὐτοῖς ἐξουσίαν.

Ἐξουσίαν αὐτοῖς. ut *Eccleſ.* 5:19. & 6:2. apud LXX. privilegium, licentiam, dignitatem conceſſit iis, ut vocentur & fiant filii Dei. Iſraël olim erat filius, & primogenitus, *Exod.* 4:22. at jam ex omnibus Gentibus adoptandi filii.

VERS. 13. Οἳ οὐκ ἐξ αἱμάτων, &c.

Quæras an Euangeliſta hoc in loco regenerationem opponat naturali generationi, an modis iſtis quibus autumarunt Judæi, homines factos eſſe filios Dei. De priori fusè Commentatores: de poſteriori quæramus.

I. Οὐκ ἐξ αἱμάτων. Ubi numerus pluralis notandus.

Shemoth Rabba, ſect. 19. *Dicunt Rabbini noſtri, quòd omnis Iſraël rejecerat Circumciſionem in Ægypto---- At tandem ſunt circumciſi,* ונתערב דם הפסח בדם המילה, *& commiſtus eſt ſanguis Paſchatis cum ſanguine Circumciſionis. Accepitque Deus unumquemque eorum, atque eum eſt exoſculatus.*

Gloſſ. in Vajicra Rabba, fol. 191. *Dixi,* בדמייך חיי, *In ſanguinibus tuis vive. In duobus ſanguinibus, Paſchatis & Circumciſionis.*

Mai-

CAP. I. VERS. 14,16,21. *Maimon. Iſſurei biah*, cap. 13. *Per tria introducti ſunt Iſraëlitæ in fœdus, per Circumciſionem, baptiſmum & oblationem ſacrificii.--- Pariterque Ethnicus, ſi admitti vellet in fœdus, opus habuit Circumciſione, baptiſmo & oblatione ſacrificii.*

Adverte ut Ἐξ αἱμάτων Circumciſionis & Paſchatis, renatos dicant *Iſraëlitas* à ſua degeneratione: atque ut ἐξ αἱμάτων Circumciſionis & ſacrificii [addito ſolùm baptiſmo] factos filios Dei, arbitrentur etiam Ethnicos, cùm per proſelytiſmum facti forent *Iſraëlitæ* & filii fœderis: nam filiationem aliam, veram adoptionem, ignorarunt.

II. Ἐκ θελήματος σαρκὸς, Eo ſenſu quo Patriarchæ, reliquique Judæi, ex pluribus uxoribus plurimos filios ambierunt, ut filios ſcilicet ſeminis Iſraëlitici & fœderati.

III. Ἐκ θελήματος ἀνδρὸς. Eo ſenſu, cùm multos Proſelytos ambierunt, admittendos in Iſraëlitiſmum, & ſic in fœdus & filiationem.

Hi erant modi quibus autumarunt illi, homines adoptatos fuiſſe in filios Dei, factos ſcilicet *Iſraëlitas*. Aſt longè aliud de adoptione & filiatione docet Euangelium.

VERS. 14. Δόξαν ὡς μονογενοῦς.

Ὡς hoc in loco idem ferè ſonat quòd *dignum*. Vidimus gloriam ejus gloriam *dignam* Unigenito Dei, non terrenâ pompâ coruſcantem, quod de *Meſſia* ſomniat gens Judaica; ſed quæ decuit Dei Unigenitum, gloriam ſanctitatis, gratiæ, veritatis & miraculorum.

VERS. 16. Καὶ χάριν ἀντὶ χάριτος.

Apparuit ille inter nos plenus gratiâ & veritate. *Et ex plenitudine ejus nos omnes*, qui cum eo verſati ſumus, ac gloriam ejus vidimus, *accepimus gratiam & veritatem.* Imò accepimus inſuper *gratiam pro gratia propaganda*, i. e. gratiam Apoſtolatûs, ut gratiam propagemus in aliis. Ἀντὶ finem deſignare frequentiſſimè nemo non novit.

VERS. 21. Ὁ προφήτης εἶ σύ;

Id eſt, Ὁ προφήτης εἷς τῶν ἀρχαίων ὃς ἀνέστη, ut *Luc.* 9: 8, 19.

I. Cùm dicant Traditionum Patres, *Diſceſſiſſe Spiritum Prophetiæ à populo poſt mortem Zachariæ & Malachiæ*, non comperis quòd Prophetam ullum expectarint ante tempora *Meſſiæ*, nec quòd quiſquam in iſta temporis intercapedine, ſe venditaverit pro Propheta.

II. Crediderunt in adventu *Meſſiæ* reſuſcitandos fore Prophetas.

CAP. I. VERS. 21, 25. *Sanhedr.* fol. 91. 2. *Vox ſpeculatorum tuorum, vocem extulerunt, jubilabunt ſimul*, Eſaj. 52: 8. ----- *Dicit R. Chaia bar Abba, Dicit R. Jochanan, Omnes Prophetæ edent Canticum ſimul voce unâ.*

Ibid. fol. 92. 2. *Omnes juſti quos reſuſcitabit Deus à mortuis, non redibunt iterùm in pulverem.* Gloſſ. *Quos reſuſcitabit in diebus Meſſiæ.*

Ad talem ſanctorum reſurrectionem applicant illud *Michææ*, Cap. 5: 5.

Succah, fol. 51. 2. *Suſcitabimus ſeptem Paſtores: Davidem in medio, Adamum, Sethum, Methuſalemum à dextra ejus; Abrahamum, Jacobum & Moſen à ſiniſtra: atque octo Primates hominum. Quinam illi? Jeſſe, Saul, Samuel, Amos, Zephanias, Zedechias*, [vel potiùs *Ezechias*, ut Kimch. in locum] *Meſſias & Elias. Aſt ego certè non novi*, inquit R. Solomon, *unde hæc hauſerunt.* Nec quidem ego.

Græci Interpretes pro *Octo primarios hominum*, habent Ὀκτὼ δήγματα ἀνθρώπων, *Octo morſus hominum*, ſenſu alieniſſimo. Cæcutierunt in lectione vocis נסיכי, pro qua lẽgerunt, נשכ.

Quò magis ergò appropinquaret *regnum cælorum*, vel tempus expectatum adventûs *Meſſiæ*, eò magis ſomniarunt illi de reſurrectione Prophetarum. Et cùm in lucem prodiret vir aliquis inſignioris gravitatis, pietatis, ſanctitatis; in promptu illis erat, eum concipere Prophetam à mortuis reſuſcitatum, Vide *Matth.* 16: 14. Is animus hujus quæſtionis, Ὁ προφήτης εἶ σύ; Tune unus Prophetarum à mortuis reſuſcitatus?

VERS. 25. Τί οὖν βαπτίζεις;

Expectarunt & illi mundum renovandum ſub adventu *Meſſiæ*.

Sanhedr. fol. 92. 2. *Annis iſtis quibus renovaturus eſt Deus mundum ſuum. Aruch* hæc citans addit, *Annis iſte mille:* ſic etiam *Gloſſ.* in loc.

Inter alia expectarunt purificationem immundorum.

R. Solom. in *Ezech.* 36: 25. *Expiabo vos, atque amovebo immunditiam veſtram per aſperſionem aquæ purificationis.*

Kimchi in *Zachar.* 9: 6. *Tradunt Rabbini b.m. Elias purificabit nothos, eoſque reſtituet congregationi.* Paria habes in *Kiddush.* fol. 71. 1. אליהו בא לטמא ולטהר, *Elias venit ad immundos diſtinguendum, & ad purificandum*, &c.

Cùm ergò viderent Baptiſtam, ritum tam inuſitatum introducere, quo etiam *Iſraëlitas* admiſit in novam religionis normam, quærunt quânam ille hoc authoritate, ſi non ſit ipſe

Digitized by Google

CAP. I. ipſe *Meſſias*, aut *Elias*, aut unus de reſuſcita-
VERS. tis Prophetis?

29, 39. Ut *Eliam* expectarent venturum, omnibus eſt notum: idque malè conceptis verbis, *Malachiæ*, Cap. 4:5. Cui errori patrocinatur verſio Græca, Ἀποστελῶ ὑμῖν Ἠλίαν τὸν Θεσβίτην. Ubi τὸν Θεσβίτην addunt de proprio Interpretes, in favorem Traditionum ſuarum: quibus non infrequens, in verſione ſua, Traditionibus Judaicis favere in injuriam ſacri Textûs.

VERS. 29. Ὁ ἀμνὸς τοῦ Θεοῦ.

Alluſum eſt planè à *Joanne* ad agnum ſacrificii jugis, τὸν ἐν τύπῳ αἴροντα ἁμαρτίαν τοῦ Ἰσραήλ.

I. Præceptum erat, ut offerens ſacrificium, manum ſuam imponeret capiti victimæ, *Levit.* 1:4. & 3:2. & 4:4, &c.

II. Ratio ritûs erat, ut peccata ſua & reatum transferret, quaſi in victimam; quod in hirco emiſſario clarum maximè, *Levit.* 16: 21, 22.

Hinc dicitur Chriſtus, *peccata noſtra tuliſſe in corpore ſuo ſuper lignum*, 1 *Pet.* 2:24. id eſt, ut victima ſuper altare: & *à Deo pro nobis factum fuiſſe peccatum*, 2 Cor. 5:21. id eſt, חטאת, *Sacrificium pro peccato.*

III. Adhibitus eſt idem ritus circa agnum ſacrificii jugis, qui oblatus eſt pro toto Iſraële, *viris ſtationariis*, [ut vocabantur] *ut vicariis totius populi, manus ſuas capiti agni imponentibus*, *Taanith*, cap. 4. hal. 2.

Huc ergo tendunt verba Baptiſtæ. Agnus Dei, hoc eſt, ſacrificium juge fert aut tollit peccata Iſraëlis, ut ſacrificium pro toto Iſraële. Aſt ecce hîc adeſt agnus Dei verus, qui tollit peccata mundi.

VERS. 39. Ποῦ μένεις;

Senſus quidem proprius & proximus eſt, *ubi habitas*, aut *hoſpitaris*, aut pernoctas? At geſtit animus meus ſic reddere, ac ſi dictum eſſet, *Ubi Sabbatizas?* & conjectare, diem hunc fuiſſe veſperias Sabbati. Nam,

Cùm dicitur, *Manſerunt apud eum diem illum*, ὥρα δὲ ἦν δεκάτη, duriuſculum eſt de die labente intelligere, qui quidem erat jam propemodùm elapſus, ſed potiùs de die inſequente.

Erat jam ultra medium *Novembris* noſtri, cùm hæc occurrerent *Bethabaræ*, ut tempora calculanti accuratiùs patebit planè; & quantillum diei tum reliquum horâ decimâ? Erat tum ſolis occaſus, aut circiter, & novi diei initium; & rectiùs dici poterat, Manſerunt apud illum *noctem iſtam*, quàm *diem iſtum*: niſi quòd indicare voluerit Euangeliſta, quòd

apud eum manſerunt diem poſterum; quem CAP. I.
Sabbatum fuiſſe non contendimus, ſed non VERS.
ſine ratione ſupponimus. 42, 43.

Cæſar. Comment. lib. 4. vel *Oppi*: de bell. Alexandrino, *Cæſar duabus de cauſis eo die dimicare nolebat, quòd & nullos milites in navibus habebat, & poſt horam decimam diei res agebatur.*

VERS. 42. Εὑρίσκει τὸν ἀδελφόν.

Sic *Sanhedr.* fol. 30. 2. אשכחיה רב נחמן בר יצחק לרב הונא, & plurima iſtiuſmodi apud Talmudicos, ut & אשכחנא & אשכחן, Εὑρήκαμεν.

VERS. 43. Ὁ υἱὸς Ἰωνᾶ.

Non video quidem ego, cur vel ſubſtituenda ſit vox Ἰωάννου, vel Ἰωαννᾶ, vel cur vox Ἰωνᾶ retenta, eadem cenſenda ſit cum Ἰωαννᾶ, pro qua re contendunt non pauci.

I. In *Lucæ* Cap. tertio, nomen *Jochanan* tripliciter profertur pronuntiatione Græcâ. Ἰαννά, *verſ.* 24. ſic ינאי apud Rabbinos: Ἰωαννᾶ, *verſ.* 27. Ἰωνάν, *verſ.* 30. At nunquam Ἰωνά.

II. *Jonah* erat nomen apud Judæos uſitatiſſimum, atque apud Talmudicos occurrit frequenter, ſcriptum יונה. Quare ergo non permittendus pater *Petri* eo nomine vocari, æque ac nomine *Joannis?*

III. Præſertim verò cùm hic filius *Jonæ* celebrem illum Prophetam in hoc imitaretur, quòd uterque primus prædicaret Gentilibus, uterque iter carpens à *Joppa*.

Ὁ ἑρμηνεύεται Πέτρος.

Vulg. *Quod eſt, ſi interpreteris, Petra.* Sic *Actor.* 9:36. *Tabitha, quæ interpretata dicitur Dorcas*, Bez. *Caprea.* At num Lexicographos agunt Amanuenſes ſacri, aut Ludimagiſtros, ut doceant tantùm vocem Syram *Cepha*, Græcâ linguâ ſignificare Πέτρος, & *Tabitha*, *Dorcas?* Quin potiùs hoc docent, quòd propria hæc nomina Syra, propriis iſtis nominibus proferrentur à Græcis. Nam proprium nomen *Syrum* hîc redditur in proprium nomen *Græcum*, & non appellativum in appellativum, nec proprium in appellativum.

Aſt habeat Vulg. Interpres quod optat; & eſto, *Tu vocaberis Petra*: vix tamen conceſſeris, Salvatorem *Simonem* vocaſſe *Petram* directo ſenſu, & maximè laudabili. *Nam non eſt Petra præter Deum noſtrum*, 2 *Sam.* 22: 32. Ubi Græc. Interpr. pro צור, *Petra*, habet Κτίστης, *Creator*: quam vocem adhibet ipſe *Petrus*, docens quis ſit *Petra*, 1 *Petr.* 4:19.

Sed

Digitized by Google

CAP. I. VERS. 47, 48, 52.

Sed eſt *Petra ſcandali*, æquè ac *Petra fundamenti*, & factus eſt *Petrus* Petra ſcandali in ruinam myriadum, non ipſius quidem culpâ, ſed eorum, qui, vel ex ignorantiâ, vel pervicaciâ, vel utrâque, illum æſtimant pro Petra ſuper quam ædificatur Eccleſia.

Tu itaque, ô Interpres, ſi ita tenaciter adhæres iſti verſioni, *Tu vocaberis Petra*, permitte ut reddatur Anglicè, *Thou wilt be called the Rock:* & ut concipiatur Chriſtum loqui Propheticè, & prænuntiare oriturum in Eccleſia grandem illum errorem, quo funeſtius triſtiuſve nihil vidit orbis Chriſtianus, viz. *Petrus eſt Petra.*

VERS. 47. Ἔρχου, καὶ ἴδε.

תא חזי, & תא חמי, aliquando איתא חמי, & בוא וראה, Talmudicis uſitatiſſimè.

VERS. 48. Ἀληθῶς Ἰσραηλίτης.

Confer *Eſaj.* 63: 8. *Vidi te*, inquit Chriſtus, *cùm eſſes ſubter ficum.* Et quidnam tandem ibi agentem? Non dormientem abſque dubio, non otiantem, non mali aliquid agentem, nam tum tale encomium à Chriſto non obtinuerat: quin potiùs aut orantem, aut legentem, aut meditantem, aut aliquid religioſum præſtantem in receſſu ſub aliqua ficu, & extra conſpectum hominum; adeòque extra conſpectum hominum, ut ipſe agnoſcat Jeſum pro *Meſſia*, qui potuerit eum conſpicere. Hinc *Verus ille Iſraëlita in quo non dolus*, ideò quòd receſſum iſtum quæreret dum oraret, & non ſecundùm religioſum dolum & hypocriſin gentis oraret, in viis & plateis, & publicè, ut conſpiceretur ab hominibus.

Et jam collegit ſibi Chriſtus quinque Diſcipulos, *Andræam*, *Petrum*, *Philippum*, *Nathanaëlem*, [qui videtur idem eſſe cum *Bartholomæo*] & alium anonymum, *verſ.* 35, 40. quem ego ex collatione 21: 2. conceperim eſſe *Thomam.*

VERS. 52. Ἀμὴν, ἀμὴν.

Si Chriſtus ita geminaverit, cur non etiam geminatur apud reliquos Euangeliſtas? Si verò non geminaverit, cur geminat hîc noſter?

I. Reſponderi poſſet, quòd cùm Chriſtus hanc aſſeverationem adhibet apud *Joannem*, non eſt ad eaſdem ſententias & res, ad quas ſimplicem *Amen* adhibet apud alios Euangeliſtas.

II. Reſponderi etiam poſſet, quòd *Joannes* ſcribens pro *Helleniſtis*, vocem hanc profert iiſdem literis, quò protulit Chriſtus Hebraicè, & eandem profert iterum eo modo, quo ſoliti Græci, retentâ etiam voce Hebraicâ. CAP. I. VERS. 52.

III. At notandum, quòd cùm frequentiſſimè adhiberetur ab omnibus *Amen* in fine orationis aut ſententiæ, non adhibetur in initio, niſi à ſolo Chriſto, qui ipſe eſt *Amen*, *Apocal.* 3: 14. & אלהי אמן, *Eſaj.* 65: 16.

Simplex ergò *Amen*, quâ uſus eſt ille apud alios Euangeliſtas, geminatam in ſe continuit *Amen, Amen.* Ego *Amen* verax & fidelis, *Amen*, id eſt, Ἐπ' ἀληθείας, dico vobis. Et non decuit os cujuſvis mortalis *Amen* proferre in initio ſententiæ, eo modo quo Chriſtus: atque ipſi quidem Magiſtri Traditionum, qui videbantur eſſe oracula gentis, dixerunt באמת, & הימנותא, *In veritate dico*, at non *Amen dico.*

IV. *Amen*, in ſe continet Ναὶ, & Ἀμὴν, 2 *Cor.* 1: 20. *Apocal.* 1: 7. *verum & ſtabile*, aut firmum. אמונה אמן, *Eſaj.* 25: 1. Interlin. *Veritas, firmitas.* Alii Euangeliſtæ vocabulum exprimunt quo uſus eſt Salvator; *Joannes* geminat, ut innuat plenum ejus ſenſum.

Dubius hæſitavi, an hîc adducerem blaſphemiam iſtam, quam evomunt Talmudici contra beatiſſimum Jeſum noſtrum, in alluſionem dicam, an in irriſionem vocabuli hujus *Amen*, quo nomine & ipſe inſignitur, & quâ aſſeveratione ille dictata ſua inſignit. Ut tamen mecum, ô lector, latratus tales horreas, & virulentiam iſtorum hominum juſta cum indignatione obſerves, eam habe ipſorum verbis; quamvis me pudet recitare, quæ eos non pudet effutire.

Shabb. fol. 116. 2. Fingunt *Immam Shalom* uxorem R. *Eliezaris*, & fratrem ejus *Rabban Gamalielem* adiiſſe ההוא פילוסופא, Philoſophum quendam (Gloſſ. *Hæreticum*) magni nominis ob integritatem ſuam in rebus dijudicandis, & quòd non acciperet munus. Affert ei fœmina candelabrum aureum, atque obſecrat ut dividatur ſibi hæreditas. Objicit Rabban Gamal. *Nobis ſcriptum eſt, Filia non hæreditabit vice filii. Aſt Philoſophus, Ex quo vos migraſtis è terra veſtra, aufertur Lex Moſis*, ואיתיהיבת און, *& datur Aven*, (Euangelium vult, ſed ſcurrili titulo ſtigmatizat vanitatis) *atque in eo ſcribitur*, ברא וברתא כחדא ירתון, *Filius & filia hæreditabunt ſimul. Poſtero die affert ei Rabban Gamaliel* ההוא חמרא לובא, *Aſinum Lybicum. Tum dicit illis, Quæſivi ad finem Aven*, (Euangelii) *& ſcribitur in eo*, אנא און, *Ego Aven non veni, ut diminuerem de Lege Moſis, ſed ut adderem ad Legem Moſis.* Abutitur, ut nomine Salvatoris, ſic ejus verbis, *Matth.* 5: 17.

Poſt

CAP. I. VERS. 52. CAP. II. VERS. 1.

Poſt execrationem blaſphemiæ, cogita, lector, qualiſnam hic judex, ad cujus judicium confugiunt *Rabban Gamaliel* ipſe Synedrii Præſes, & ſoror ejus magni *Eliezaris* uxor. Chriſtianus, ut videtur, ex tota tela hiſtoriæ: aſt eheu, qualis Chriſtianus, qui non pluris facit Chriſtum & Euangelium! Utcunque, ſi Chriſtianus qualis qualis, obſervatione digna certe eſt hiſtoria, ſi aliquid ſit in ea veri, quoad hiſtoriam iſtorum temporum, & quoad hanc quæſtionem, An tunc temporis fuerint Judices Chriſtiani.

VERS. 52. Ὄψεσθε τὸν οὐρανὸν ἀνεῳγότα, καὶ τοὺς ἀγγέλους, &c.

Alluſionem ad ſcalam *Jacobi* notant omnes. Senſus videtur hic eſſe, *Crediſne, quia dixi, Vidi te ſub ficu?* Num illud tam mirandum in oculis tuis? Majora videbitis. Nam tantam miraculorum & revelationum copiam apud me videbitis, ac ſi conſpiceretis ipſum cœlum apertum, atque Angelos Dei aſcendentes & deſcendentes, ac ſecum portantes omnimodam revelationem, atque authoritatem & potentiam à Deo, impertiendam Filio hominis. Ubi hoc includitur, Angelos ei miniſtraturos modo ſingulari: ſicut in viſione iſta Jacobi, famulitium Angelicum ei à Deo eſt promiſſum & paratum in ipſo peregrinationis ſuæ jam exordio.

De ſcala iſta ſomniant & Rabbini. In *Bereſhith Rabba*, ſect. 68. *Scala eſt aſcenſus altaris, & altare: Angeli ſunt Sacerdotes*, &c. In *Vajicra Rabba*, fol. 199. 1. & *R. Eliezer*, cap. 35. Angeli ſunt Principes Monarchiarum. *Princeps Babel aſcendit 70 gradus. Princeps Mediæ 52. Princeps Græciæ 180. Princeps Edom incertum quot*, &c. In *Cholin*, fol. 91. 2. Emenſurant latitudinem ſcalæ, nempe quòd fuerit 8000. paraſangarum: & quòd craſſities Angeli fuerit 2000. paraſangarum. Egregios Mathematicos!

CAP. II.

VERS. 1. Καὶ τῇ τρίτῃ τῇ ἡμέρᾳ γάμος ἐγένετο, &c.

CHetubboth, cap. 1. hal. 1. בתולה נישא ליום הרביעי, *Virgo nubit die hebdomadis quarto, & vidua die quinto.*

Ibid. fol. 3. 1. *Hic mos non obtinuit, niſi à decreto Ezræ, & porrò. Nam non conſident Conſeſſus, niſi die ſecundo & quinto. Aſt ante decretum Ezræ, cùm Conſeſſus iſti convenirent quovis die, licuit uxorem ducere quovis die.*

Duplex reſtrictionis hujus redditur ratio.

I. מפני טענת בתולים. Maritanda erat virgo die hebdomadis quarto, quia convenit Conſeſſus triumviralis die quinto: ut ſi maritus non comperiret uxorem ſuam virginem, ſed jam tactam, dum æſtuaret ira ejus, recurreret ad Conſeſſum judicialem, pro pœna ei infligenda ſecundum Legem. At quare ergò non æquè die hebdomadæ primo; nam *Beth Dein* ſedit die ſecundo?

II. שלא יטרח בצרכי סעודה. Nè violaretur Sabbatum ob præparationem convivii nuptialis. Cui præparationi indulti ſunt dies primus, ſecundus & tertius ſeptimanæ.

Ratioque, quare vidua maritanda erat die quinto, hæc erat, nempe ut cum ea lætaretur maritus tribus diebus, quinto, ſexto, & Sabbato. Vide locum & Gloſſ. & *Rambam.*

Si ergò virgo fuerit ſponſa hæc noſtra, nuptiæ factæ ſunt die ſeptimanæ quarto, *Mercurii* noſtro: ſi vidua, die *Jovis*, illis ſeptimanæ quinto. Computetur ergò numerus dierum apud Euangeliſtam, & detur diem iſtum fuiſſe Sabbatum, de quo dicitur, *Quòd manſerunt apud eum diem illum*, verſ. 39. tum die hebdomadis primo, proceſſit Chriſtus in *Galilæam*, & convenit *Nathanielem*, & dies ab iſto tertius eſt ſeptimanæ quartus. Sed calculet quiſpiam pro placito ſuo.

Γάμος.

Talmudicis aliquando הילולא, aliquando נישואים, aliquando חופה, aliquando הכנסת כלה, Res pompæ & lætitiæ.

I. Prodiit virgo maritanda è domo patris ad domum mariti בהינומא וראשה פרוע, *In peplo aliquo, at paſſis capillis*, vel capite nudo.

II. Obvians quiſpiam de via ei ceſſit, quod ſemel factum eſt ab ipſo Rege *Agrippa.*

III. Portarunt ante eam poculum vini, quod vocarunt כוס תרומה, *Poculum Trumæ:* per illud denotantes, non indignam eſſe eam, ob puritatem virginitatis, quæ nuberet Sacerdoti, & comederet de *Trumah.*

IV. Saltantes & tripudiantes decantarunt laudes ſponſæ; in *Palæſtina* his verbis, לא כחל ולא שרק ולא פירכוס ויעלת חן, *Non opus ei fuco, aut ſtibio, aut complicatione capillorum; ipſa formoſiſſima eſt.*

V. Sparſerunt inter pueros grana, vel legumina quædam, ut teſtentur olim, ſi opus fuerit, ſe vidiſſe iſtam fœminam nuptam virginem.

VI. Sparſerunt etiam vel ſeverunt hordea, per ritum iſtum denotantes fructificationem: quæ omnia aliaque habes in *Chetubb.* cap. primo & ſecundo. An hæc luſoria, præſente Chriſto?

VII. Item

Digitized by Google

VII. Item in *Sotah*, fol. 49. 1. mentio eſt de coronis ſponſorum & ſponſarum, qualeſnam illæ, & de quibus ſunt compactæ.

VIII. Ob lætitiam in nuptiis habendam, prohibuerunt nè eſſent nuptiæ intra aliquod feſtum [Paſchatis, Pentecoſtes aut Scenopegiæ] ששמחה היא לו, *Quia nuptiæ erant lætabundæ:* שמחה בשמחה, *Et non commiſcuerunt lætitiam cum lætitia;* lætitiam nuptialem cum lætitia feſti, *Moed Katon*, fol. 8. 2.

IX. Convivatio & hilaritas nuptialis continuata eſt per totum ſeptiduum. Quod & olim *Judic.* 14: 12.

Καὶ ἦν ἡ μήτηρ τοῦ Ἰησοῦ ἐκεῖ.

Non invitata, ut videtur, cum Chriſto & Diſcipulis, ſed quæ ibi fuerat ante eorum invitationem.

Convivas nuptiales concipere potes ex his verbis *Maimonidis*.

Sotah, cap. 6. החתן וכל השושבינין ובני חופה, *Sponſus atque omnes ſocii, & filii thalami, non tenentur ad faciendum tabernaculum*, &c.

I. שושבינא generaliori ſignificatione *ſocium* denotat aut *amicum*, ut in Targ. *Judic.* 14: 12. 2 *Sam.* 13: 3. peculiariùs tamen applicatur ad amicos convenientes in convivationibus nuptialibus.

II. Strictiſſimè ad duos illos de quibus, *Chetubb.* fol. 12. 1. *Olim conſtituerunt duos Shoshbenin, unum ſponſo, alterum ſponſæ, ut miniſtrarent iis, tempore præſertim ingreſſus eorum in thalamum.* In hunc præcipuè finem hi ſunt inſtituti, ut caverent providerentque, nè quid doli aut fraudis eſſet circa ſigna virginitatis ſponſæ, ut *Gloſſ.* ibi, fol. 6. 2. Ridiculè, ut ſemper ferè, nugantur Rabbini, *Michaëlem* & *Gabriëlem* duos iſtos *Shoshbenin* fuiſſe ad nuptias *Adami* & *Evæ*, *Bereshith Rabba*, fol. 10. 4.

III. Quid & quos vox iſta nuptialis latiori ſenſu denotet, diſce ex

Bava Bathra, fol. 144. 2. אחין שעשו מקצתם שושבינות וגו׳, *Si aliquis inter fratres faciat Shoshbinuth, vivente adhuc patre; cùm redit Shoshbinuth, redit & ea in medium: nam Shoshbinuth poſtulatur coram Beth Din. At verò ſi mittat quiſpiam amico ſuo cados vini aut olei, hi non repoſtulantur coram Beth Din:* שהן גמילות חסדים, *nam hoc eſt opus charitativum.*

Obſcura hæc hunc ſenſum ſecum ferunt.

Hic erat mos *Shoshbenuth*: Accepit quis cœlebs munus aliquod ſecum, pro lætitia nuptiarum amici ſui, & comedit cum eo; cùm advenirent nuptiæ cœlibis iſtius, tenebatur ſponſus ille, ad quem jam dona tulit, par pari illi referre. Imò, ſi pater nuptias faceret filio ſuo, convenirentque amici dona ſecum ferentes in honorem nuptiarum, dantque filio, [jam ſponſo] tenebatur pater ad retribuendum, cùm illi etiam uxorem ducerent.

At verò, ſi mitteret quiſpiam vinum aut oleum, aut aliquid iſtiuſmodi ſponſo in honorem nuptiarum, ipſe autem non iret, & comederet & lætaretur cum ſponſo in nuptiis ſuis, hoc non erat de natura τῆς *Shoshbinuth*, nec repetendum coram Conſeſſu, nam erat donum gratuitum.

IV. Chriſtus ergò & quinque ejus Diſcipuli non erant in his nuptiis ſpontanei tales *Shoshbinim*, nam erant invitati; ſed erant de numero eorum, qui vocabantur בני חופה, *Filii thalami*, ut diſtincti à *Shoshbenin*. Sed ſub quorum numero, vel horum, vel illorum, cenſenda ſit mater, an ſub neutro, inane eſt quærere. Fortè curam ea aliquam geſſit circa præparanda neceſſaria ad nuptias, utpote quæ vel ſponſum, vel ſponſam cognatione aliquâ attingeret.

VERS. 6. Ὑδρίαι λίθιναι ἕξ.

כלי אבן, *Bezah*, fol. 17. 2. משיקין את המים בכלי אבן.

Gloſſ. *Si cui ſit aqua idonea ad bibendum, ea autem aliquo modo contrahat immunditiam, impleat eâ vas lapideum*, &c.

Kelim, cap. 1. hal. 1. כלי גללים וכלי אבנים: ubi concedunt Commentatores per כלי גללים, intelligi poſſe *vaſa marmorea*, quamvis & aliam interpretationem admittant: at de כלי אבנים, lis nulla.

Numerum hydriarum ſenarium ego non conſuetudini gentis aſcripſerim, ſed multitudini jam præſenti. Verum quidem eſt adhibitas tales hydrias & in nuptiis, & in aliis conviviis, unde lavarentur manus; aſt numerus vaſorum, & quantitas aquæ, erat pro numero convivarum: lavandæ manus, & vaſa, & forſan nonnullorum pedes.

Shabb. fol. 77. 2. משיכלא מאשי כולא, *Mashicala mashi culla*, *Vas majuſculum ex quo ſe lavant omnes.* משיכלתא משיא כלתא, *Maſchilta mashia callathâ*, *Vas minuſculum ex quo ſe lavat ſponſa*; & ut Gloſſ. *digniores è cœtu.*

Μετρητάς.

Græc. Interpr. menſuram *Bati* ſic exprimit, בתים שלשת אלפים יכיל, Χωροῦσαι μετρητὰς τρισχιλίους, 2 *Paralip.* 4: 5. Et ſic *Hag.* 2: 17. ubi eadem menſura *Bati* videtur intelligi. Quòd ſi unaquæque hydria in noſtra hac hiſtoria contineret binos aut ternos *Batos*, quanta vis vini, quum aqua tranſiret in vinum!

Kelim, cap. 2. hal. 2. חביות לודיות, ובתלחמיות, *Utres Lyddenſes & Bethlehemiticæ*. Ubi Gloſſ. *Facere ſolebant in Lydda ollas, à menſura Seæ ad menſuram τῦ Log: atque in Bethlehemo, à menſura duarum Searum ad menſuram Seæ unius.* At quantæ hæ, ſi continerent ſex vel novem Seas: nam *Batus* erat trium Searum.

Hæc de lotione manuum in

Jadaim, cap. 1. hal. 1. מי רביעית נותנין לידים, *Quartanam τῦ Log aſſignant ad lotionem manuum uni, imò duobus: dimidium τῦ Log, tribus aut quatuor: Log, quinis aut denis, imo centenis: hoc proviſo, inquit R. Joſe, ut non reſtet poſtremo qui lavat, minùs quàm quartana.*

VERS. 7. Λέγει αὐτοῖς Ἰησοῦς, Γεμίσατε, &c.

I. Probabile eſt colloquium inter matrem & filium non fuiſſe publicè & coram toto cœtu, ſed privatim inter ſe, nemine præſente. Quo ſuppoſito, molliora aliquantùm videbuntur verba filii ad matrem, *Fœmina, quid mihi tecum?* quàm ſi ea prolata concipias coram tota turba. Et quamvis videretur filius primo reſponſo negare id quod propoſitum, fuſiori tamen forſan colloquio quàm exprimit Euangeliſta, vel aliquo alio indicio, didicit mater ejus aſſenſum: ita ut, cùm illi iterùm in cœtum prodirent, dicere ea potuerit, *Quodcunque dixerit vobis, id facite.*

II. Reſpondit matri, *Hora mea adhuc non advenit:* nam ritè & congruè edendum erat primum ejus miraculum Hieroſolymis, gentis metropoli.

VERS. 8. Ἀρχιτελκλίνῳ.

Hunc ego intellexerim eum fuiſſe, qui inſtar Sacellani erat, & gratias egit, & benedictiones pronunciavit, in talibus conviviis haberi ſolitas. Erat ברכת חתנים, *Benedictio ſponſi*, recitata unoquoque die ſeptidui: & erant in tam continuata convivatione benedictiones aliæ, quæ poculum vini requirerent, [nam ſuper poculum vini eſt benedictum] & erat ſpeciatim כוס הבשורה, *Poculum bonorum novorum*, ob ſigna virginitatis ſponſæ. Illum ergò, qui pro toto cœtu benedixit, *Architriclinum* hîc dici exiſtimo. Ac vinum jam ex aqua factum, Chriſtus ad eum dirigit, utpote qui propinaret toti cœtui, benedictione aliquâ ſuper poculum conceptâ, poculo ab eo epoto, & ſubinde toti menſæ communicato.

Super iis quæ continentur commatibus 14, 15, 16. diximus ad *Matth.* 21: 12.

VERS. 18. Τί σημεῖον δεικνύεις ἡμῖν;

Shemoth Rabba, ſect. 9. *Noah, Ezechiah, &c. petunt ſignum, multò magis impii petunt.*

Cùm jam elapſi forent tot anni à diſceſſione Spiritûs Sancti, & ceſſatione Prophetiæ, ut quatuor centuriæ excurrerint, in qua temporis intercapedine non apparuerit quiſpiam in gente dotatus Spiritu Prophetiæ, & poteſtate edendi miracula; minùs mirum, ſi ſuſpicioſi forent de quovis qui ſe venditaverit pro Propheta, requirereturque ab eo ſignum.

VERS. 19. Λύσατε τὸν ναὸν τοῦτον.

I. Exhibet iis Chriſtus nullum ſignum ut merum ſignum, *Matth.* 12: 39.

Converſio virgæ *Moſis* in ſerpentem, & reverſio in virgam, ut & degeneratio manus ejus in lepram, & regeneratio in proprium temperamentum, erant mera ſigna: at mira illa quæ poſteà operatus eſt in Ægypto, non erant mera ſigna, ſed miracula punitiva. Sic ſtupenda illa, quæ operatus eſt Salvator, non erant mera ſigna, ſed miracula benefica, *Actor.* 10: 38. Et quicunque non crederet propter infinita iſta miracula, quæ demonſtravit, minimè etiam crederet ob mera ſigna. Atque indignum erat Chriſto, obſtinatæ eorum incredulitati ita indulgere, ut pro libitu eorum ederet ſigna, qui non crederent, videntes infinita ſigna edita.

II. Poſtulantes ſignum, remittit ad ſignum *Jonæ* Prophetæ, *Matth.* 12: 39, 40. Atque ad eundem ipſiſſimum ſenſum digitum intendit in hiſce verbis, *Deſtruite hoc templum*, &c. Hoc eſt, Reſurrectio mea à mortuis erit ſignum ultra omnem negationem, probans firmanſque me divinâ authoritate agere quæ ago, meque eum eſſe qui venturus. [*Rom.* 1: 4.] Cis illud ſignum ego ſignum vobis præbebo nullum. Si non credetis mira operanti; at credite tandem à mortuis reſurgenti.

Actitavit ille hoc in loco ſub notione authoritatis *Meſſiæ*, dum purgat Templum ſuum. [*Mal.* 3: 1, 3.] planeque illud vocat *Domum Patris ſui*, verſ. 16. Ede ergò aliquod ſignum, inquiunt illi, quo demonſtretur te eſſe Filium Dei, Meſſiam; vel ſaltem quo demonſtretur te eſſe Prophetam. Edam, reſpondit ille, *Deſtruite hoc templum*, viz. corporis mei, atque ego illud reſuſcitabo à mortuis; quod nec unquam præſtitum fuit, nec præſtari potuit à Propheta.

Digitized by Google

CAP. II. VERS. 20.

VERS. 20. Τεσσαράκοντα ἓξ ἔτεσιν, &c.

I. De Templo *Herodiano* hæc dicta eſſe, non de *Zorobabeliano*, hæc ſuadent.

1. Quod in *Heroditano* Templo hæc tranſacta ſunt & diſputata inter Chriſtum & Judæos.

2. Quòd non quadrabit computus de Templo *Zorobabeliano*, vel per annos Regum Perſicorum, vel per ſeptem iſtas ſeptimanas, *Dan.* 9:26. in quibus *ædificata eſt Hieroſolyma tempore inquieto.* Nam calculanti per Reges Perſarum, neceſſe eſt ut triginta annos *Cyro* tribuat; quod faciunt illi qui hanc computationem amplectuntur: quos annos niſi ei tribuat poſt captam ab eo *Babylonem* & everſam iſtud imperium, nihil probat ad præſentem computum.

Euſeb. in Chronic. *Cyrus Medorum deſtruxit imperium, & regnavit Perſis, ſubverſo Aſtyage Rege Medorum:* & exinde numerat *Cyro* annos triginta. At dum ipſiſſimo eidem anno, quo devictus eſt *Medus*, aſcribit *Hebræorum captivitatem laxatam*, quâ authoritate id faciat, ipſe videat. Nam non potuit *Cyrus* laxare Hebræos è Babylonia ante devictam Babyloniam, quod diu multùmque erat poſt ſubjugatos ab eo Medos, ut patet apud omnes qui de ea ſubjugatione Medorum ſcripſerunt: quæ ut conveniant cum *Xenophonte*, non hoc in loco diſcutiemus. Hoc tantùm contenti, quòd non eſt inter hiſtoricos, acta Cyri literis mandantes, qui triginta, qui viginti, imò qui decem annos ei tribuat poſt captam ab eo Babylonem. *Leunclavius* in Chronologia ſua *Xenophontæa* octo tantùm ei tribuit: & videtur *Xenophon* ipſe, ſeptem tantùm: alii pauciores. Ita ut planè corruat calculatio horum quadraginta ſex annorum, quæ ſtare non poteſt niſi totis triginta *Cyri* annis intra numerum incluſis.

Probabilior aliquantùm eſt iſta ſententia, quæ 46. hoſce annos parallelos ſiſtit cum ſeptem iſtis ſeptimanis, *Dan.* 9:26. At per plures annos ceſſatum eſt ab ædificatione, quam eſt ædificatum; & revera intra decennium, aut minùs, abſolutum eſt opus ædificationis, ſi tempora computes dum ædificarent.

II. Optimè quadrat hic numerus annorum 46. cum Templo *Herodiano*. Nam refert *Joſeph. Antiquit.* lib. 15. cap. 14. inchoatam fuiſſe reædificationem Templi anno regni ſui decimo octavo. Nec ſecum pugnat cum *de bello*, lib. 1. cap. 16. dicit, Πεντεκαιδεκάτῳ γοῦν ἔτει τῆς βασιλείας, αὐτόν τε τὸν νεὼν ἐπεσκεύασε, quippe quòd decimus quintus ex quo ſolus regnavit, devicto Antigono, erat decimus octavus ex quo declaratus eſt Rex à Romanis. Jam verò, vixit *Herodes*, referente eodem *Joſepho*, *Antiquit.* lib. 17. cap. 10. ex quo primùm declaratus eſt Rex à Romanis, annos 37. Et natus eſt Chriſtus anno ejuſdem 35. Labiturque jam Chriſti, cum hoc ei cum Judæis colloquium, annus triceſimus, dimidio ejus tantùm peracto. Ita ut inter decimum octavum *Herodis* & triceſimum Chriſti excluſivè, excurrerint anni quadraginta ſex completi.

CAP. II. VERS. 20, 21.

III. Verba ergò Euangeliſtæ noſtri ego Anglicè ſic reddiderim, *Forty and ſix years hath this temple been in building*, Quadraginta ſex annis jam extitit hoc Templum in ædificando. Et ſuffragabitur *Joſephus* verſioni.

Antiquit. lib. 20. cap. 8. Hiſtoriam *Geſſii Flori* Procuratoris Judææ circa annum *Neronis* 11. ille inchoans, hæc ait, Ἐξ ἐκείνου μάλιστα τοῦ καιροῦ συνέβη τὴν πόλιν ἡμῶν νοσεῖν, προκοπτόντων πάντων ἐπὶ τὸ χεῖρον, *Ex eo potiſſimùm tempore cœpit civitas noſtra ægrotare, vergentibus omnibus in pejus.* Refert protinùs, ut *Albinus* procurationem ſuam exuens, carceres aperuerit, & vinctos dimiſerit, unde repleta eſt tota provincia latronibus & latrociniis. Narrat porrò, ut conceſſum fuerit à Rege *Agrippa*, Levitis Cantoribus, veſtibus lineis uti pro ſuo placito. Et ſubinfert tandem, Ἤδη δὲ τότε καὶ τὸ ἱερὸν τετέλεστο, *Et jam tum perfectum eſt Templum.* [Nota illud] *Videns ergò populus, quòd otium jam eſſet operariis, qui erant plures quam 18. mille--- urget Regem ut porticum Orientalem reſtauret*, &c.

Si itaque Templum non abſolutum eſſet ante iſta tempora, tum multò minùs quum in eo aderat Chriſtus. Unde verba hæc Judæorum in facillimum hunc ſenſum reddas, Quadraginta ſex ſunt anni, ex quo incepta eſt reædificatio hujus Templi, quæ ad hoc uſque tempus non eſt perfecta; & tunc intra triduum novum ædificabis?

VERS. 21. Ἔλεγε δὲ περὶ τοῦ ναοῦ τοῦ σώματος αὐτοῦ.

Perpenſâ inferioritate Templi ſecundi infra primum, clariùs patebit, quare beatiſſimus Salvator corpus ſuum vocaverit *templum.*

Hieroſ. Taanith, fol. 6. 1. & *Babyl. Joma*, fol. 21. 2. *In Templo ſecundo defuerunt Ignis de cœlo, Arca cum Propitiatorio & Cherubinis, Urim & Thummim*, שכינה, *Divina gloria, & Spiritus Sanctus, atque etiam Oleum unctionis.*

Affuerunt hæc omnia in Templo *Solomontæo*, atque inde factum eſt illud plenus typus Chriſti: cùm autem abeſſent à ſecundo, caruit illud rebus iſtis, quibus primum præcipuè eum repræſentavit.

I. Erat quidem in ſecundo Arca quædam in Sancto Sanctorum, *Joma*, fol. 52. 2. ſed nec

CAP. II. VERS. 21. nec erat illa Arca *Moſaica*, nec Arca fœderis. Quod non inutiliter forſan meditari potes, cùm legis *Apocal.* 11:19. *Tunc apertum eſt Templum Dei in cœlo, & viſa eſt Arca fœderis ejus in Templo.* Non viſa eſt, nec extitit arca fœderis in Templo ſecundo.

Comminiſcuntur Judæi, *Joſiam* occultaſſe Arcam ante captivitatem Babylonicam, nè tum caperetur ab hoſtibus, ſicut olim à Philiſtæis, *Joma* ubi antè, & *Cherithuth*, fol. 77. 2. at nequaquàm mentio de iſtâ iterùm inventâ & redditâ.

II. In Tabernaculo Moſaico, & Templo Solomontæo ſedit viſibile ſpecimen divinæ præſentiæ ſuper Arcam in Propitiatorio, in nube gloriæ: at cum appropinquaret excidium iſtius Templi, migrat à Propitiatorio, *Ezek.* 10:4. nunquam reſtituta Templo ſecundo, ubi nec iſta Arca, nec Propitiatorium.

III. Miniſtrabat quidem ſummus Pontifex ſub Templo ſecundo in octo veſtimentis, ſicut & in primo, *Joma*, fol. 71. 2. inter quæ *Pectorale* vel *Rationale*, in quo margaritæ [atque ex eo excidit aliquando *Jaſpis*, & eſt deperdita, *Hieroſ. Peah*, fol. 15. 3. *Babyl. Kiddushin*, fol. 60. 2.] verùm nunquam redditum eſt Pontifici oraculum per *Urim* & *Thummim*, vid. *Ezr.* 2:63. & *Nehem.* 7:65. Et ſi non in diebus *Ezræ* & *Nehemiæ*, multò minùs ſæculis ſequentibus, cùm prorſùs deſierat & diſceſſerat à populo Spiritus prophetiæ. Nam veriſſimum videtur illud Talmudicorum,

Joma, fol. 73. 2. *Non ſciſcitantur* [per Urim & Thummim] *à quovis Sacerdote, qui non loquitur per Spiritum Sanctum, & ſuper quem non habitat divinus afflatus.*

Hic, ut alia omittamus, erat ſtatus Templi *Zorobabeliani* quoad iſta, quæ Templum maximè glorificarunt: & his ab eo deficientibus, quantùm illud inferius Templo *Solomontæo*! Et gradu uno infra hoc etiam erat Templum *Herodianum*, propter ipſum conditorem. Nam ſcrupulo non caruit apud Judæos, quòd Templum conditum fuerit ab *Herode*, [quis non novit *Herodem*?] & de jure facti diſputant, & excogitant argumenta quibus de legitimatione ejus ſatisfaciant ſibi & ſuis.

Objiciunt primò,

Bava Bathra, fol. 3. 2. לא לסתור בי כנשתא עד דבני בי כנשתא אחריתי, *Synagogam demoliri nemini permiſſum, antequàm condiderit alteram*: multò minùs demoliri Templum. Aſt *Herodes* demolitus eſt Templum ante alterum conditum. Ergò.

Reſpondent. *Baba ben Buta conſilium dedit Herodi ut demoliretur.* Erat autem iſte *Baba* inter grandiſſimos Sapientes numeratus, nec inconſultò ad rem iſtam *Herodem* movit, CAP. III.
דתיותא חזא ביה, *Nam ſciſſuras vidit* VERS. 1.
in Templo ruinam ejus minitantes.

Objiciunt iterùm de perſona *Herodis*, quòd fuerit ſervus familiæ *Aſmonææ*, quòd inſurrexerit contra Dominos ſuos, atque eos interfecerit, quòdque interfecerit Synedrium.

Reſpondent. Sub ejus poteſtate fuimus, & non potuimus ei reſiſtere. Et ſi manus iſtæ pollutæ ſanguine voluerunt ædificare, penès nos non erat impedire.

Hæc & alia pro Templo illo apologizant: figmentum etiam hoc excogitantes in majorem rei honorem, quòd per totum illud temporis ſpatium, quod inſumptum eſt in ædificatione iſtius Templi, nunquam pluit interdiù, ne opus impediretur, *Taanith*, fol. 23. 1. *Joſeph. Antiquit.* lib. 15. cap. 14.

Magno ſudore nihil agunt Rabbini circa verba illa, *Hag.* 2:10. *Major erat gloria domûs hujus poſterioris, quàm prioris.*

Bava Bathra, fol. 3. 1. *Dicunt R. Jochanan & R. Eliezer. Unus, quòd major erat quoad fabricam: alter, quòd major quoad durationem.* Ac ſi conſtaret vera gloria Templi in ratione aliqua mathematica ſpatii vel dimenſionum, vel durationis; ac ſi in parietibus, deauratione, ornatu. Gloria primi Templi erant Arca, divina nubes ſuper Arcam, Urim & Thummim, &c. & ubinam, & quænam major gloria ſecundi, cùm iſta abſunt?

Jam adeſt, cùm Dominus Templi adeſt in Templo ſuo: cum adeſt ille ἐν ᾧ κατοικεῖ πᾶν τὸ πλήρωμα τῆς θεότητος σωματικῶς, *Coloſ.* 2:9. ſicut divina gloria olim ſuper arcam τυπικῶς.

Jam adeſt, cum adeſt magnus ille Pontifex & Propheta, qui, Urim & Thummim inſtar, revelat conſilia & voluntatem Dei: ille qui verum eſt Templum, & qui reſpondet typo. Templum hoc veſtrum, ô Judæi, non quadrat cum archetypo & exemplari. Deſunt in eo illa, quæ Templum iſtud glorificarunt: qui ipſe defectus monet, Templum aliud eſſe expectandum, quod typo iſtius Templi reſpondeat in omnibus, prout par eſt antitypo reſpondere typo. Illud autem eſt Templum hoc corporis mei, & nihil eſt aliud quod poteſt reſpondere.

CAP. III.

VERS. 1. Νικόδημος.

APud Talmudicos occurrit nomen נקדימון, quod à doctis, idque non ſine ratione, redditur *Nicodemus*. Nomen autem non deducunt Judæi ab origine Græca, ſed ab hac hiſtoria,

Taanith,

Digitized by Google

CAP. III. VERS. 1. *Taanith*, fol. 20. 1. & *Avoth*, *R. Nathan*, cap. 7. *Tempore quodam aſcendit totus Iſraël Hieroſolymas ad feſtum, & non ſuppetiit iis aqua. Adit Nicodemus ben Gorion, Magnatem quendam, & dixit ei, Mutuo da mihi duodecim puteos aquarum, pro aſcendentibus ad feſtum, & ego reddam tibi duodecim puteos, aut ſolvam tibi duodecim talenta argenti: & conſtituerunt diem. Cùm adventaret dies ſolutionis, & adhuc non pluiſſet---- adiit Nicodemus ſacellum, & velavit ſe, & oravit: & extemplò coactæ ſunt nubes, & deſcendit pluvia affluentiſſima, ita ut repleti forent 12. putei, & foret quod redundaret.---- Cùm cavillaretur Magnas, quòd ſol jam occidit, adiit ſacellum iterùm Nicodemus, & velavit ſe, & oravit: & diſperſæ ſunt nubes, & ſol eluxit. Inde nomen ei* נקדימון, *Nicodemus*, שנקדמה לו חמה, *quia ſol pro eo emicuit*; vel, ut alibi redditur, שנקדרה.

Si aliquid veri ſit in aliqua parte hiſtoriæ, videtur *Nicodemus* fuiſſe Sacerdos, atque Officiarius iſte, cui titulus הופר שיחין, *Foſſor puteorum*, cui cura de aquis providendis pro aſcendentibus ad feſtum. Vide *Shekalim*, cap. 5. hal. 1.

Nomen ejus proprium לא נקדימון אלא בוני, *Non erat Nicodemus, ſed Bonai*, ut *Taanith*, loco allegato. Jam verò in

Sanhedr. fol. 43. 1. בוני, *Bonai* quendam numerant inter Diſcipulos *Jeſu*. Numeratur etiam inter tres locupletiſſimos Judæorum, cùm *Titus* obſideret Hieroſolymam.

Gittin, fol. 56. 1. *Tres ditiſſimi erant Hieroſolymis, Nicodemus ben Gorion, & Calba Sabuæ, & Zizith hakkeſoth.* Aſt in

Echah Rabbathi, fol. 64. 1. *Erant tum Hieroſolymis quatuor* Βελευταὶ, *Ben Zizith, & Ben Gorion, & Ben Nicodemon, & Ben Calba Sabua*, homines locupletiſſimi, &c.

Mentio etiam eſt *filiæ Nicodemi ben Gorion, cujus lectus erat ſtratus duodecies mille denariis, R. Nathan*, ubi antè.

At tam miſerè tandem depauperata eſt ea, & familia, ut

Chetubb. fol. 66. 2. *Viderit eam Rabban Jochanan ben Zaccai, colligentem hordea ex ſtercore jumentorum Arabum: & dixerit ei, Filia mea, tu quænam? Et illa, Ego ſum filia Nicodemi ben Gorion. Et quid fit, inquit ille, de divitiis patris tui?* &c.

Lectori relinquimus diſcutiendum, an *Nicodemus* Talmudicorum ſit noſter, necne. Non laudabile eſt, quòd illi eum ſemper commemorent cum laude, quæcunque tandem ſupponi poſſent pro affirmativo: qualia ſunt nomen ejus *Bonai*, quo nomine erat unus de Diſcipulis Jeſu; & depauperatio familiæ ejus, quæ concipi poſſit eveniſſe per perſecutionem propter Chriſtianiſmum ejus: ſed non tanti eſt, ut ſudemus operosè in re tam perplexa, ſi modò etiam non inutili. CAP. III. VERS. 2, 3.

VERS. 2. Οἴδαμεν.

An *Nicodemus*, dum adhibet numerum pluralem, agnoſcit Synedrium idem etiam agnoſcere? Suſpicor, Patres Synedrii, non benè noſſe quomodo negarent: de qua re agimus ad Cap. 11: 48. Sed οἴδαμεν vel poteſt eſſe numerus pluralis pro ſingulari, quod in iſta perſona uſitatum in omnibus linguis, & נהדינא & ידענא [quarum vocum unâ uſum fuiſſe *Nicodemum* parùm dubito] pro utroque numero indifferenter ſumi poſſunt: vel οἴδαμεν, *novimus*, idem ſignificet quod, *vulgò agnoſcitur.*

Ἀπὸ Θεοῦ ἐλήλυθας διδάσκαλος.

Reſpicit *Nicodemus* longam ceſſationem retrò prophetiæ per ſpatium CCCC. annorum, & ampliùs. Intra quod ſpatium non ſunt inſtituti Doctores populi, niſi per homines, atque impoſitionem manuum: nec apparuerat quiſquam qui populum doceret per Spiritum Prophetiæ. At videmus quòd tu miſſus es à Deo.

VERS. 3. Ἀπεκρίθη ὁ Ἰησοῦς, &c.

Quæras, quomodo quadrat hæc reſponſio Chriſti cum verbis *Nicodemi?* Optimè hoc modo. Videris tibi, ô *Nicodeme*, videre aliquod ſignum apparentis jam regni cœlorum, in hiſce miraculis quæ ego edo. Amen dico tibi, nemo poteſt videre regnum Dei ſicut oportet, ſi non fuerit natus ἄνωθεν.

Ἐὰν μή τις γεννηθῇ ἄνωθεν.

Quonam vocabulo vocem ἄνωθεν conceperit Salvator, linguâ Hieroſolymitanâ, non facile eſt determinare. An per מלעילא, quod ego quidem opinor; an per מן דריש, ut Syrus; an per תוב aut שנית, ſignificatu πάλιν, ut ferè omnes: ex ſubjecto quæſtionis, de qua agitur, elicienda eſt hujus rei ſolutio.

I. Non inſtituitur diſſertatio merè & directè de regeneratione, quamvis & elucidetur optimè doctrina veræ regenerationis; ſed quæſtio eſt, de aptitudine & capabilitate hominis, ut fiat particeps regni Dei, vel cœlorum, hoc eſt temporum & beneficiorum *Meſſiæ*. Nam *regnum Dei* & *regnum cœlorum* converti apud Euangeliſtas, nemo non viderit qui eos contulerit: & per regnum Dei, aut cœlorum, denotari regnum & tempora *Meſſiæ*, clarius eſt quàm ut egeat demonſtratione.

 Cùm

Digitized by Google

CAP. III. VERS. 3, 4.

Cùm ergò tam intenta eſſet exſpectatio inter Judæos, adventûs & regiminis Meſſiæ, cùmque videatur *Nicodemo* apparere aliquod indicium & ſpecimen iſtorum temporum, in miraculis Chriſti, erudit illum Chriſtus, quonam modo aptus fieri poſſit, ad videndum & intrandum in iſtud regnum, & fruendum beneficiis iſtorum temporum. Nam

II. Judicarunt Judæi ſibi ſatis eſſe ad participationem regni cœlorum, vel fœlicitatis temporum *Meſſiæ*, quòd forent filii *Abrahami* & de ſemine Iſraëlitico: hinc illud,

Sanhedr. fol. 90. 1. לכל ישראל יש להם חלק לעולם הבא, *Univerſo Iſraëli eſt portio in mundo futuro*, hoc eſt, in fruitione *Meſſiæ*. Aſt unde univerſis Iſraëlitis portio? Ex hoc ſcilicet, quòd ſunt Iſraëlitæ.

. Hunc errorem redarguit Salvator, & docet, ad hanc participationem non ſufficere, quòd Abrahamo & ſemine Iſraëlitico ſint nati, ſed neceſſe eſt ut ſint geniti ἄνωθεν, *cælitus*, non terrenâ, ſed cœleſti genitura. Et coincidunt quidem ejus verba in eundem ferè ſenſum cum iſtis Baptiſtæ, *Nè dicatis, Patrem habemus Abrahamum*.

III. Agnoverunt Judæi regenerationem aliqualem fieri per Proſelytiſmum: ſed contemptilis ea quidem, & reptans humi.

Jevamoth, fol. 62. 1. & 92. 1. גר שנתגייר כקטן שנולד דמי, *Proſelytus quis factus, eſt ſicut parvulus jam natus*. Quonam ſenſu?

Maimon. in *Iſſure Biah*, cap. 14. *Ethnicus qui fit Proſelytus, & ſervus qui eſt manumiſſus, ecce ille eſt ſicut parvulus jam natus*. וכל שאר בשר, *Atque omnes cognati, quos habuit, cùm eſſet Ethnicus, aut ſervus, non jam ſunt ejus cognati. ---- Per Legem licitum eſt Ethnico ducere in uxorem matrem ſuam, aut ſororem ex matre, quæ proſelytizantur. Sed Sapientes prohibuerunt, nè diceretur, Deſcendimus à ſanctitate graviori ad leviorem, atque illa quæ heri erat ei vetita, hodie eſt permiſſa*. Confer 1 *Cor*. 5: 1.

At docet Chriſtus aliuſmodi generationem requiri ad participationem regni *Meſſiæ*, quàm vel eam quæ fit per Iſraëlitiſmum, vel eam quæ per Proſelytiſmum; nempe ut naſcatur quis ἄνωθεν, vel cœleſti generatione, ut capax fiat regni cœlorum.

VERS. 4. Μὴ δύναται εἰς τὴν κοιλίαν τῆς μητρὸς αὐτοῦ δεύτερον εἰσελθεῖν, &c.

Hæret animo Phariſæi, ſententia adhuc de capacitate *Iſraëlitæ*, qua *Iſraëlita*; & quamvis vocabulum, quo uſus eſt Salvator Hieroſolymitanè, planè innueret nativitatem *cælitus*, vel è *ſupernis*, dimoveri ille non poteſt à priſtino conceptu de generatione Iſraëlitica. Cùm Iſraëlitæ, quia ſunt Iſraëlitæ, admittendi ſunt in regnum *Meſſiæ*, num hoc ſibi volunt verba tua de cœleſti generatione, ut quis per novum partum ex utero matris, fiat ſecundò Iſraëlita? Novit & agnovit aliqualem regenerationem, ut diximus, fieri per Proſelytiſmum; at longè ab animo ejus aberat, vel credere, vel cogitare Proſelytiſmum Judæorum: non excogitare ergò poteſt modum aliquem novæ nativitatis, ut ſecundò fiat Iſraëlita, niſi ſecundò ex utero matris, quod tamen ei videtur impoſſibile.

CAP. III. VERS. 5, 10.

VERS. 5. Ἐὰν μή τις γεννηθῇ ἐξ ὕδατος καὶ Πνεύματος.

Docet Judæum non intrandum eſſe in regnum *Meſſiæ*, niſi primo per tranſitionem ex ſtatu Judaico in Euangelicum per Baptiſmum, & dein ex carnali in ſpiritualem. Per *aquam* denotari Baptiſmum, parùm dubito: & parùm dubito etiam, pergere jam Salvatorem ad ſecundum articulum doctrinæ Euangelicæ cum Phariſæo. Et prout docuerat, nihil valere ad participationem beneficiorum *Meſſiæ*, quòd quis natus fuerit de ſanguine Iſraëlitico, ſi non ſit natus ἄνωθεν. Sic & hìc docet, non aſſequendam eſſe iſtam participationem, niſi abrenunciato Judaiſmo per Baptiſmum Euangelicum. Nam tenor Baptiſmi Euangelici, ex diametro in hoc contrariabatur Judaiſmo: quod Judaiſmus exſpectaret juſtificationem ex propriis operibus; Baptiſmus autem Euangelicus obligaret ad pœnitentiam, & provocaret ad expectationem remiſſionis peccatorum: ita ut abſolutiſſimè neceſſarius fuerit Baptiſmus Judæo, qui intrare vellet in regnum *Meſſiæ*, ut Judaiſmum ſuum exueret.

VERS. 10. Σὺ εἶ ὁ διδάσκαλος τοῦ Ἰσραήλ.

Echah Rabbathi, fol. 66. 2. אתה הוא חכם של ישראל, *Tune ille Sapiens Iſraëlis?* Verba ſunt pueri ad R. *Joſhuam* quærentem, איזו דרך קרובה לעיר, *Quænam eſt via breviſſima ad urbem. Reſpondit puer, Hæc eſt breviſſima, at longiſſima; iſta eſt longiſſima, at breviſſima. Inceſſit R. Joſhua per eam quæ breviſſima, ſed longiſſima. Cùm enim appropinquaret urbi, comperit hortos & paradiſos obſeptos*, ita ut non potuerit pergere. *Rediit ergò ad puerum, & dixit*, O *fili mi, numnam hæc via breviſſima ad urbem? Cui puer, Tune Sapiens ille Iſraëlis? Nonne ſic dixi tibi, Hæc breviſſima, ſed longiſſima? &c.*

VERS. 14.

Digitized by Google

CAP. III. VERS. 14, 17.

VERS. 14. Καὶ καθὼς Μωσῆς ὕψωσε τὸν ὄφιν, &c.

Cæcutiunt Judæi ad nobile hoc myſterium, & ſunt in

Bemidbar Rabba, ſect. 19. qui opinantur, ſerpentem æneum non fuiſſe, furcæ affixum, ſed à *Moſe* jactatum in aëra, & ſic illic hæſiſſe abſque aliquo fulcro.

Baal Turim, in Numer. 21. *Moſes poſuit ſerpentem in ſigno, ſicut qui caſtigavit filium ſuum, virgam collocat in loco aliquo editiori, ut filius videns reminiſcatur.*

Nachmanid, תסיר נזק במזיק ותרפא הולי במחליא, *Amovebis nocumentum per illud quod nocuit, & ſanabis ægritudinem per illud quod fecit ægros.* Idem habet & *R. Bechai*, & fatentur ambo, quòd foret נס בתוך נס, *miraculum intra miraculum.* Sed myſterium attingere, non Judæi eſt, ſed Chriſtiani.

VERS. 17. Οὐχ ἵνα κρίνῃ τὸν κόσμον, &c.

Quonam ſenſu, præter illum qui maximè vulgaris & proprius eſt, vocem κόσμον [iis עולם, & עלמא] adhibeant Scholæ Judaicæ, videre licet ex hiſce & hujuſmodi exemplis.

I. *Bava Mezia*, fol. 33. 2. שבקו כולי עלמא מתניתין ואזלו בתר גמרא, *Reliquit totus mundus Miſhnas, & ſecutus eſt Gemaram.* Ubi aliquid notandum in hiſtoria, æquè ac in Grammatica.

Sic *Joann.* 12: 19. Ἴδε, ὁ κόσμος ὀπίσω αὐτοῦ ἀπῆλθεν.

Hieroſolymitanè, הא כולי עלמא אזל בתריה.

Innumeris vicibus occurrunt, כולי עלמא מודי, *Totus mundus fatetur*, & כולי עלמא לא פליגי, *Totus mundus non diſſentit*, &c. Per phraſiologiam, quæ & adhibetur etiam apud alias gentes, intelligitur magnus numerus, aut maxima multitudo.

II. Cùm diſtinguunt, quod faciunt non infrequenter, inter עניי אותו העיר, *Pauperes propriæ civitatis*, & עניי העולם, *Pauperes mundi*, facile eſt diſcernere per *pauperes mundi*, ab iis intelligi pauperes undecunque aliundè adventantes.

III. *Roſh haſhanah*, fol. 22. *Non requirit R. Ulla, ut vir magnus ſolùm ſit fide dignus*, אלא אפילו איניש דעלמא נמי מהימן, *ſed ut homo mundi ſit etiam credibilis*, vel fide dignus. Facile eſt ſenſum eruere, nempe quòd per *hominem mundi* intelligunt quemvis cujuſvis ordinis.

IV. At præcipuè obſervatione eſt dignum, quòd totum orbem diſtinguunt in ישראל, *Iſraëlem*, & אומות העולם, *Nationes mundi*, in Iſraëlitas & Ethnicos. Occurrit hæc diſtinctio, quâ Ethnicos vocant *Nationes mundi*, in unaquaque ferè pagina, ita ut exemplis non ſit opus. Confer *Luc.* 12:30. cum *Matth.* 6:32. & erit exemplorum ſatis.

CAP. III. VERS. 17, 25.

V. Jam verò docuerunt illi, *Nationes mundi*, à Meſſia non ſolùm non redimendas, ſed vaſtandas, conculcandas, deſtruendas.

Rambam, in *Geneſ.* 49. *Videtur mihi hic ſenſus. Non recedet virga exactoris à Judah, donec veniat filius ejus, cujus erit debellatio populorum, atque eorum confractio, nam ille debellabit eos omnes ore gladii.*

Hieroſ. Taanith, fol. 64. 1. *Aurora venit, atque etiam nox*, Eſaj. 21: 12. *Iſraëli erit aurora*, [cùm advenerit Meſſias] *at nox Nationibus mundi.*

Shemoth Rabba, ſect. 5. *Dicit R. Abin, Sedere faciet Sanctus Benedictus Seniores Iſraëlis, ſicut in ſemicirculo; ipſe iis præſidens, ſicut Pater Synedrii, & judicabunt Nationes mundi.*

Midras Till. in *Pſalm.* 2. *Advenit trituratio, ſtramen projiciunt in ignem, paleam in ventum; ſed triticum conſervant in area: ſic Nationes mundi erunt ſicut conflagratio furni; aſt Iſraël conſervabitur ſolus.*

Infinita ſunt iſtiuſmodi apud hos authores. Et quod apud eos ubique eſt obſervare, dira & tremenda judicia quæ Deus in Sacra Pagina improbis interminatur, illi à ſe & gente ſua omninò removent, ac ſi nihil ad eos pertinentia, & devolvunt in Ethnicos, vel Nationes mundi. Ita ut non ſine ſumma ratione dixerit Apoſtolus, *Quæcunque Lex dicit, iis dicit qui ſunt ſub Lege*, Rom. 3:19. Quod illi nequaquàm tolerabunt.

Docet ergò Chriſtus per hanc phraſiologiam, *Nicodemo* ſatis notam, contra hanc opinionem, ſatis ei pariter notam, *Meſſiam* æquè propitium ac redemptorem futurum Nationibus mundi, ac Judæis. Dixerunt illi, Deus odit Nationes mundi: *Meſſias*, cùm advenerit, deſtructurus, damnaturus eſt Nationes mundi. At dicit Veritas, *Deus dilexit mundum: Deus non miſit Filium ſuum ut damnaret mundum, ſed ut ſalvaret.* Optimus interpres hujus locutionis eſt ipſiſſimus hic Euangeliſta, in Epiſt. ſua prima, Cap. 2:2. *Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, & non pro noſtris ſolùm, ſed & pro peccatis totius mundi:* i. e. non pro nobis Judæis ſolùm, ſed & pro Nationibus mundi.

VERS. 25. Ζήτησις περὶ τοῦ καθαρισμοῦ.

I. Ζήτησις Syro eſt בעתא: quæ in mentem revocat illud infinities uſitatum apud utrum-

CAP. III. VERS. 3, 4.

Cùm ergò tam intenta eſſet exſpectatio inter Judæos, adventûs & regiminis Meſſiæ, cùmque videatur *Nicodemo* apparere aliquod indicium & ſpecimen iſtorum temporum, in miraculis Chriſti, erudit illum Chriſtus, quonam modo aptus fieri poſſit, ad videndum & intrandum in iſtud regnum, & fruendum beneficiis iſtorum temporum. Nam

II. Judicarunt Judæi ſibi ſatis eſſe ad participationem regni cœlorum, vel fœlicitatis temporum *Meſſiæ*, quòd forent filii *Abrahami* & de ſemine Iſraëlitico: hinc illud,

Sanhedr. fol. 90. 1. לכל ישראל יש להם חלק לעולם הבא, *Univerſo Iſraëli eſt portio in mundo futuro*, hoc eſt, in fruitione *Meſſiæ*. Aſt unde univerſis Iſraëlitis portio? Ex hoc ſcilicet, quòd ſunt Iſraëlitæ.

Hunc errorem redarguit Salvator, & docet, ad hanc participationem non ſufficere, quòd Abrahamo & ſemine Iſraëlitico ſint nati, ſed neceſſe eſt ut ſint geniti ἄνωθεν, *cælitus*, non terrenâ, ſed cœleſti geniturâ. Et coincidunt quidem ejus verba in eundem ferè ſenſum cum iſtis Baptiſtæ, *Nè dicatis, Patrem habemus Abrahamum*.

III. Agnoverunt Judæi regenerationem aliqualem fieri per Proſelytiſmum: ſed contemptilis ea quidem, & reptans humi.

Jevamoth, fol. 62. 1. & 92. 1. גר שנתגייר כקטן שנולד דמי, *Proſelytus quis factus, eſt ſicut parvulus jam natus*. Quonam ſenſu?

Maimon. in *Iſſure Biah*, cap. 14. *Ethnicus qui fit Proſelytus, & ſervus qui eſt manumiſſus, ecce ille eſt ſicut parvulus jam natus*. וכל שאר בשר, *Atque omnes cognati, quos habuit, cùm eſſet Ethnicus, aut ſervus, non jam ſunt ejus cognati. ---- Per Legem licitum eſt Ethnico ducere in uxorem matrem ſuam, aut ſororem ex matre, quæ proſelytizantur. Sed Sapientes prohibuerunt, nè diceretur, Deſcendimus à ſanctitate graviori ad leviorem, atque illa quæ heri erat ei vetita, hodie eſt permiſſa*. Confer 1 *Cor*. 5:1.

At docet Chriſtus aliuſmodi generationem requiri ad participationem regni *Meſſiæ*, quàm vel eam quæ fit per Iſraëlitiſmum, vel eam quæ per Proſelytiſmum; nempe ut naſcatur quis ἄνωθεν, vel cœleſti generatione, ut capax fiat regni cœlorum.

VERS. 4. Μὴ δύναται εἰς τὴν κοιλίαν τῆς μητρὸς αὐτοῦ δεύτερον εἰσελθεῖν, &c.

Hæret animo Phariſæi, ſententia adhuc de capacitate *Iſraëlitæ*, qua *Iſraëlita*; & quamvis vocabulum, quo uſus eſt Salvator Hieroſolymitanè, planè innueret nativitatem *cælitus*, vel è *ſupernè*, dimoveri ille non poteſt à priſtino conceptu de generatione Iſraëlitica. Cùm Iſraëlitæ, quia ſunt Iſraëlitæ, admittendi ſunt in regnum *Meſſiæ*, num hoc ſibi volunt verba tua de cœleſti generatione, ut quis per novum partum ex utero matris, fiat ſecundò Iſraëlita? Novit & agnovit aliqualem regenerationem, ut diximus, fieri per Proſelytiſmum; at longè ab animo ejus aberat, vel credere, vel cogitare Proſelytiſmum Judæorum: non excogitare ergò poteſt modum aliquem novæ nativitatis, ut ſecundò fiat Iſraëlita, niſi ſecundò ex utero matris, quod tamen ei videtur impoſſibile.

CAP. III VERS. 5, 10.

VERS. 5. Ἐὰν μή τις γεννηθῇ ἐξ ὕδατος καὶ Πνεύματος.

Docet Judæum non intrandum eſſe in regnum *Meſſiæ*, niſi primo per tranſitionem ex ſtatu Judaico in Euangelicum per Baptiſmum, & dein ex carnali in ſpiritualem. Per *aquam* denotari Baptiſmum, parùm dubito: & parùm dubito etiam, pergere jam Salvatorem ad ſecundum articulum doctrinæ Euangelicæ cum Phariſæo. Et prout docuerat, nihil valere ad participationem beneficiorum *Meſſiæ*, quòd quis natus fuerit de ſanguine Iſraëlitico, ſi non ſit natus ἄνωθεν. Sic & hìc docet, non aſſequendam eſſe iſtam participationem, niſi abrenunciato Judaiſmo per Baptiſmum Euangelicum. Nam tenor Baptiſmi Euangelici, ex diametro in hoc contrariabatur Judaiſmo: quod Judaiſmus exſpectaret juſtificationem ex propriis operibus; Baptiſmus autem Euangelicus obligaret ad pœnitentiam, & provocaret ad expectationem remiſſionis peccatorum: ita ut abſolutiſſimè neceſſarius fuerit Baptiſmus Judæo, qui intrare vellet in regnum *Meſſiæ*, ut Judaiſmum ſuum exueret.

VERS. 10. Σὺ εἶ ὁ διδάσκαλος τοῦ Ἰσραήλ.

Echab Rabbathi, fol. 66. 2. אתה הוא חכם של ישראל, *Tu ne ille Sapiens Iſraëlis?* Verba ſunt pueri ad R. *Joſhuam* quærentem, איזו דרך קרובה לעיר, *Quænam eſt via breviſſima ad urbem. Reſpondit puer, Hæc eſt breviſſima, at longiſſima; iſta eſt longiſſima, at breviſſima. Inceſſit R. Joſhua per eam quæ breviſſima, ſed longiſſima. Cùm enim appropinquaret urbi, comperit hortos & paradiſos obſeptos*, ita ut non potuerit pergere. *Rediit ergò ad puerum, & dixit, O fili mi, numnam hæc via breviſſima ad urbem? Cui puer, Tune Sapiens ille Iſraëlis? Nonne ſic dixi tibi, Hæc breviſſima, ſed longiſſima? &c.*

VERS. 14.

Digitized by Google

CAP. III. VERS. 14, 17.

VERS. 14. Καὶ καθὼς Μωσῆς ὕψωσε τὸν ὄφιν, &c.

Cæcutiunt Judæi ad nobile hoc myſterium, & ſunt in

Bemidbar Rabba, ſect. 19. qui opinantur, ſerpentem æneum non fuiſſe, furcæ affixum, ſed à *Moſe* jactatum in aëra, & ſic illîc hæſiſſe abſque aliquo fulcro.

Baal Turim, in Numer. 21. *Moſes poſuit ſerpentem in ſigno, ſicut qui caſtigavit filium ſuum, virgam collocat in loco aliquo editiori, ut filius videns reminiſcatur.*

Nachmanid, תסיר נזק במזיק ותרפא הולי במחליא, *Amovebis nocumentum per illud quod nocuit, & ſanabis ægritudinem per illud quod fecit ægros.* Idem habet & *R. Bechai*, & fatentur ambo, quòd foret נס בתוך נס, *miraculum intra miraculum.* Sed myſterium attingere, non Judæi eſt, ſed Chriſtiani.

VERS. 17. Οὐχ ἵνα κρίνῃ τὸν κόσμον, &c.

Quonam ſenſu, præter illum qui maximè vulgaris & proprius eſt, vocem κόσμον [iis עולם, & עלמא] adhibeant Scholæ Judaicæ, videre licet ex hiſce & hujuſmodi exemplis.

I. *Bava Mezia*, fol. 33. 2. שבקו כולי עלמא מתניתין ואזלו בתר גמרא, *Reliquit totus mundus Miſhnas, & ſecutus eſt Gemaram.* Ubi aliquid notandum in hiſtoria, æquè ac in Grammatica.

Sic *Joann.* 12: 19. Ἴδε, ὁ κόσμος ὀπίσω αὐτοῦ ἀπῆλθεν.

Hieroſolymitanè, הא כולי עלמא אזל בתריה.

Innumeris vicibus occurrunt, כולי עלמא מודי, *Totus mundus fatetur*, & כולי עלמא לא פליגי, *Totus mundus non diſſentit*, &c. Per phraſiologiam, quæ & adhibetur etiam apud alias gentes, intelligitur magnus numerus, aut maxima multitudo.

II. Cùm diſtinguunt, quod faciunt non infrequenter, inter עניי אותו העיר, *Pauperes propriæ civitatis*, & עניי העולם, *Pauperes mundi*, facile eſt diſcernere per *pauperes mundi*, ab iis intelligi pauperes undecunque aliundè adventantes.

III. *Roſh haſhanah*, fol. 22. *Non requirit R. Ulla, ut vir magnus ſolùm ſit fide dignus,* אלא אפילו איניש דעלמא נמי מהימן, *ſed ut homo mundi ſit etiam credibilis*, vel fide dignus. Facile eſt ſenſum eruere, nempe quòd per *hominem mundi* intelligunt quemvis cujuſvis ordinis.

IV. At præcipuè obſervatione eſt dignum, quòd totum orbem diſtinguunt in ישראל, *Iſraëlem*, & אומות העולם, *Nationes mundi*, in Iſraëlitas & Ethnicos. Occurrit hæc diſtinctio, quâ Ethnicos vocant *Nationes mundi*, in unaquaque ferè pagina, ita ut exemplis non ſit opus. Confer *Luc.* 12:30. cum *Matth.* 6:32. & erit exemplorum ſatis.

CAP. III. VERS. 17, 25.

V. Jam verò docuerunt illi, *Nationes mundi*, à Meſſia non ſolùm non redimendas, ſed vaſtandas, conculcandas, deſtruendas.

Rambam, in *Geneſ.* 49. *Videtur mihi hic ſenſus. Non recedet virga exactoris à Judah, donec veniat filius ejus, cujus erit debellatio populorum, atque eorum confractio, nam ille debellabit eos omnes ore gladii.*

Hieroſ. Taanith, fol. 64. 1. *Aurora venit, atque etiam nox*, Eſaj. 21: 12. *Iſraëli erit aurora*, [cùm advenerit Meſſias] *at nox Nationibus mundi.*

Shemoth Rabba, ſect. 5. *Dicit R. Abin, Sedere faciet Sanctus Benedictus Seniores Iſraëlis, ſicut in ſemicirculo; ipſe iis præſidens, ſicut Pater Synedrii, & judicabunt Nationes mundi.*

Midras Till. in *Pſalm.* 2. *Advenit trituratio, ſtramen projiciunt in ignem, paleam in ventum; ſed triticum conſervant in area: ſic Nationes mundi erunt ſicut conflagratio furni; aſt Iſraël conſervabitur ſolus.*

Infinita ſunt iſtiuſmodi apud hos authores. Et quod apud eos ubique eſt obſervare, dira & tremenda judicia quæ Deus in Sacra Pagina improbis interminatur, illi à ſe & gente ſua omninò removent, ac ſi nihil ad eos pertinentia, & devolvunt in Ethnicos, vel Nationes mundi. Ita ut non ſine ſumma ratione dixerit Apoſtolus, *Quæcunque Lex dicit, iis dicit qui ſunt ſub Lege*, Rom. 3:19. Quod illi nequaquàm tolerabunt.

Docet ergò Chriſtus per hanc phraſiologiam, *Nicodemo* ſatis notam, contra hanc opinionem, ſatis ei pariter notam, *Meſſiam* æquè propitium ac redemptorem futurum Nationibus mundi, ac Judæis. Dixerunt illi, Deus odit Nationes mundi: *Meſſias*, cùm advenerit, deſtructurus, damnaturus eſt Nationes mundi. At dicit Veritas, *Deus dilexit mundum: Deus non miſit Filium ſuum ut damnaret mundum, ſed ut ſalvaret.* Optimus interpres hujus locutionis eſt ipſiſſimus hic Euangeliſta, in Epiſt. ſua prima, Cap. 2:2. *Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, & non pro noſtris ſolùm, ſed & pro peccatis totius mundi:* i. e. non pro nobis Judæis ſolùm, ſed & pro Nationibus mundi.

VERS. 25. Ζήτησις περὶ τοῦ καθαρισμοῦ.

I. Ζήτησις Syro eſt בעתא: quæ in mentem revocat illud infinities uſitatum apud utrum-

Digitized by Google

CAP.III. VERS. 27, 29. utrumque *Talmud*. בעא ר' מר'. Quæſivit R. N. à R. N. Unde & illud ejuſdem frequentiæ, איבעית אימא, *Si quæras, dicam.* Si ſecundùm hunc uſum ſcholaſticum, ſumenda ſit vox hoc in loco, quod congruentiſſimè fieri poteſt, ſic rem benè interpreteris.

Audito, Chriſtum etiam baptizare, quærunt Diſcipuli *Joannis* cum Judæis, qualiſnam purificatio ex baptiſmo Chriſti: an iſte magis purificaret, quàm baptiſmus *Joannis*. Vox μετὰ forſan non opponit eos, ſed unit in hac diſquiſitione. Quærunt junctim, Superinducitne *Jeſus* baptiſmum ſuper baptiſmum *Joannis?* Et *Joannes* ſuper baptiſmos Judæorum? Quòuſque tendet tandem purificatio; & qualiſnam hæc *Jeſu* ultra illam *Joannis?*

II. Aut eſto quod ζήτησις hæc fuit diſputatio inter *Joanniſtas* & Judæos de purificationibus legalibus & baptiſmo jam introducto: non dubitandum eſt utroſque partem ſuam defendiſſe pro viribus.

VERS. 27. Οὐ δύναται ἄνθρωπος λαμβάνειν οὐδέν.

Quæro de verſione vocabuli λαμβάνειν, *Syro* eſt למיסב, *Accipere*. Aptiùs forſan reddere potuiſſet לקבלא, *Percipere*. Nam videtur Baptiſta hiſce verbis caſtigare incredulitatem & ſtupiditatem horum hominum: q.d. Videre licet etiam in exemplo hoc veſtro, quòd non poteſt quiſquam diſcere, percipere & credere, niſi ſit conceſſum ei cœlitùs. Nam vos ipſi mihi teſtes eſtis, me *Jeſum* mihi prætuliſſe ſemper, & de eo teſtatum, quòd ille Filius Dei, quòd agnus Dei, &c. & vos jam contra eum cavillari, meque ei velle præponere? Ου δύναται ἄνθρωπος, &c. Patet quòd homo non poteſt per ſe percipere ea quæ percipere oportet, niſi detur ei de cœlo. Confer *verſ*. 32. *Nemo recipit ejus teſtimonium.*

VERS. 29. Ὁ δὲ φίλος τοῦ νυμφίου.

שושבין: de quo diximus ad Cap. II.

Sanhedr. fol. 27. 2. אוהב זה שושבינו, *Amicus ejus*, id eſt, *Shoshebin ejus*. Ubi ſic *Gloſſa*, quod primo intuitu mireris.

שושבינו פסול לו כל ימי חופתו, *Paranymphus ejus, illicitus ei eſt omnibus diebus thalami ſui*. Sed ſenſus eſt: Non admittendus eſt ut ſit vel judex, vel teſtis pro eo, toto illo tempore quo intra dies nuptiarum eſt ejus paranymphus.

VERS. 31. Ὁ ὢν ἐκ τῆς γῆς, ἐκ τῆς γῆς ἐστι. CAP. III. VERS. 31.

Nota antitheſin, & non ſuſpicabere tautologiam.

I. Ὁ ὢν ἐκ τῆς γῆς, & Ὁ ἐρχόμενος ἐκ τοῦ οὐρανοῦ. Ubi antitheſis non tam ſtatuitur inter *Chriſtum* & *Joannem*, ut antè, quàm inter *Chriſtum* & omnes homines.

II. Ἐκ τῆς γῆς ἐστι, & Ἐπάνω πάντων ἐστι. Qui de terra eſt, eſt terreni tantùm ordinis & gradûs: & qui de cœlo eſt, eſt ſupra omnem gradum.

III. Ἐκ τῆς γῆς λαλεῖ, & Ὃ ἑώρακε καὶ ἤκουσε, τοῦτο μαρτυρεῖ. Qui de terra eſt, loquitur terrena, & quæ didicit in terra: at qui de cœlo eſt, loquitur quæ didicit in cœlo: ea ſcil. quæ vidit & audiit à Deo. Alludere videtur Baptiſta ad modum perhibendi teſtimonium, & docendi. In re actionis opus erat teſte αὐτόπτῃ; in re doctrinæ tradiderunt ſicut audiverant a Magiſtro.

CAP. IV.

VERS. 4. Ἔδει δὲ αὐτὸν διέρχεσθαι διὰ τῆς Σαμαρείας. CAP. IV. VERS. 4.

JOſeph. *Antiquit*. lib. 20. cap. 5. Ἔθος ἦν τοῖς Γαλιλαίοις ἐν ταῖς ἑορταῖς, εἰς τὴν ἱερὰν πόλιν παραγινομένοις, ὁδεύειν διὰ τῆς Σαμαρέων χώρας.

Viam deſcribit *Biddulphus* noſtras, qui per eam tranſiit a *Galilæa Hieroſolymas*, anno 1601. ex quo, lectoris gratiâ, pauca excerpamus, eumque Anglicè loquentem latinitate donemus.

Martii 24. *equitavimus juxta mare Galilææ--quod computatur eſſe longitudinis octo leucarum, latitudinis quinque. Continet autem leuca, milliaria tria.*

Poſt ſeptem milliaria peragrata, juxta mare Galilææ, eoque a ſiniſtra relicto, montem aſcendimus à dextra, non acclivem valdè, ſed amænum admodùm---- qui dicitur eſſe mons cujus mentio, Joann. 6: 3, &c. Fallor, aut te fallunt duces tui, Vir Rev. mons iſte erat trans mare.

Cùm ad verticem montis perventum foret, vidimus à dextra Saphettam, Judæorum Academiam, &c.

Tota via quam iſto die emenſuravimus, amœniſſima erat, monteſque & valles fertiles valdè.---- Circa horam ſecundam pomeridianam, pervenimus ad villam quandam, Arabicè dictam Inel Tyger, i. e. *Oculus Mercatoris.*

Poſt ſumptum aliquid cibi & ſomni, geſtiit ani-

Digitized by Google

CAP. IV. VERS. 4. *animus aſcendere ad ſummitatem montis Tabor*, *qui erat in propinquo*, *& aſcendimus*, &c. Vereor itidem nè te fallant circa hunc montem.

Martii 25. *tranſivimus per totum diem per agros amœniſſimos*, *agros Baſan*, *non longè à monte Baſan. In via vidimus rudera aliqua turris Gebazi*, 2 Reg. 5: 24. *Pervenimus tandem ad villam vulgo vocatam Jenine*, *olim Engannim*, Joſ. 15: 34. [veriùs, vir optime, *Joſ.* 19: 21.] *diſtat a Tabore* 22. *M. paſſ. Locus eſt hortorum*, *paradiſorum & aquarum.*

Martii 26. *commorati ſumus illic loci propter feſtum Turcarum Byram.*

Martii 27. *Equitantes ab Engannim periclitati ſumus bis. Primò à furibus habitantibus prope Engannim: & circa decem ab illis milliaria*, *in ſylva quadem*, *ab Arabibus. Pervenimus tandem iſtâ nocte ad Sychar civitatem Samariæ*, *cujus mentio* Joann. 4.---- *Sychar diſtat ab Engannim* 27. *M. paſſ.*

Martii 28. *commorati ſumus in Sychar*, *quæ hodie vulgò dicitur Napolis. Prope eſt fons Jacobi*, *cujus aquæ dulces inſtar lactis.*

Martii 29. *pergimus à Sychar versùs Hieroſolymam.* ----- *Prior pars hujus diætæ erat aliquantum amœna*, *ſed quò propiùs tendimus ad Hieroſolymam*, *eò via magis ſterilis & ingrata. Circa horam decimam pervenimus ad ſaltum magnum*, *vel eremum arboribus abundantem & montibus.* [forſan hic mons Ephraim] *A vertice montis vidimus mare à dextra*, *& naviculas tendentes ad Joppen.*

Circa horam tertiam pomeridianam, *aut quartam*, *pervenimus ad villam jam collapſam dictam Beere*, *olim*, *ut fertur*, *Beersheba*, *civitatem grandem*, [forſan *Beeroth* potiùs *Joſ.* 18: 25.] *Dicitur iſte eſſe locus*, *ubi primùm innotuit parentibus Chriſti ejus abſentia*, Luc. 2: 44. *In animo nobis erat hic pernoctaſſe*, *quippe quòd eſurivimus*, *& fuimus fatigati*, *& abſumptum fuit totum viaticum noſtrum. Aſt comperientes quòd nihil hic coemendum erat*, *vel nobis ipſis*, *vel equis neceſſarium*, *audienteſque quòd diſtaret Hieroſolyma decem tantùm milliaribus*, *eò pergimus. Et poſt quinque aut ſex milliaria*, *vidimus urbem.* Hæc ille, Miniſter Euangelii.

Interpoſitio *Samariæ* inter *Judæam* & *Galilæam*, in animum revocanda, cùm legis diſpoſitionem Tribuum, *Ezechiel.* 48. ubi quidem *Manaſſeh* & *Ephraim* [regio Samaritica] eodem ordine diſponuntur, quo olim: at vix cenſendæ ſub notione Samaritica, ut olim.

Ipſa neceſſitas invenit viam à *Judæa* in *Galilæam*, & vice versâ, per Samariam; nam non erat quâ aliter iretur, niſi per Trans-Jordaninam longiſſimâ deviatione. Nec erat quod vel impedimento, vel difficultati eſſet in via per Samariam, niſi hoſtilitas gentis ſolùm. Nam

CAP. IV. VERS. 5, 6.

Hieroſ. Avodah Zar. fol. 44. 4. *Terra Cuthæorum eſt munda*, (ita ut de frugibus & fructibus ejus nullus eſſe poſſit ſcrupulus de eorum munditia.] *Collectiones aquarum ejus ſunt mundæ*, [ut Judæus de iis bibat, vel in iis lavetur.] *Habitationes ejus ſunt mundæ*, [ut in eas ille intret, edat, cubet.] *Et ſemitæ ſunt mundæ*, [& pulvis ejus non inquinat.]

Methodus hiſtoriæ hoc in loco è reliquis Euangeliſtis ſic compingenda. Incarceraverat *Herodes* Baptiſtam, ſub prætextu quòd nimis eſſet popularis, & multitudo Diſcipulorum tenderet ad innovationem, *Joſeph. Antiquit.* lib. 18. cap. 7. Hoc audiens Salvator, audienſque pariter quòd Synedrium de multitudine Diſcipulorum ejus etiam inaudiverat, recepit ſe ex *Judæa* in *Galilæam*, ut remotiùs eſſet à pari fulmine.

VERS. 5. Πλησίον τοῦ χωρίου ὃ ἔδωκεν Ἰακὼβ τῷ Ἰωσήφ.

Geneſ. 33: 19. Agrum hunc coëmerat ab *Hivæis* centum agnis, *Geneſ.* 35. At recedente eo cum ſuis, poſt cædem *Hivæorum* & ſtragem *Sichem*, ad loca admodùm remota, *Bethelem*, *Bethlehemum*, *Hebronem*, in poſſeſſionem ejus intruſerunt ſe *Amorrhæi*, ut coactus ille fuerit vi & armis cum ab illis reextorquere.

VERS. 6. Ἦν δὲ ἐκεῖ πηγὴ τοῦ Ἰακώβ.

De hoc ipſo fonte videtur *Jacobus* loqui in verbis ſuis noviſſimis de *Joſepho*, *Geneſ.* 49: 22. *Filius accreſcens Joſeph*, *filius accreſcens juxta fontem.* Nam crevit progenies *Joſephi* ad regnum in *Jeroboamo*, in *Sichemo* juxta hunc fontem *Jacobi*. Addit בנות צעדה עלי שור, ubi ſi vocabulum שור reddas *inimicum*, ut *Pſalm.* 92: 10. & fortè *Pſalm.* 18: 49. [nam ex uſu Chaldaico denotat *murum*, ut docet *Buxtorf.*] tum poſſunt verba eſſe vaticinium de filiabus *Joſephi* Shilunticis, tranſeuntibus ad inimicum, & hoſtilem Tribum *Benjaminis* reſtaurantibus, quæ jam erat peritura abſque prole, *Judic.* 21: 19. &c. Ego verba ſic reddiderim, *Filiæ graduntur ad inimicum.* Et ſic in commate iſto prædicuntur duo maxima in dignitatem *Joſephi*: quòd juxta fontem iſtum creſceret in regnum, & quod filiæ ejus ædificarent hoſtilem Tribum.

Græci Interpretes, & textus, & Verſio Samar. pro בנות צעדה, legunt בני צעירי, Υἱός μου νεώτατος, *Filius meus minimus*: an ex conſenſu & inſtituto? an ex incuria? Sic Græc.

CAP. IV. VERS. 6, 8.

Græc. pro עלי שור, legunt, ut videtur, עלי שוב, Πρός με ἀνάστρεψον.

Vers. 6. Ἐκαθέζετο οὕτως.

Ita ut laſſus. Oſtendere vult Euangeliſta, Chriſtum non ſimulanter aquam à *Samaritica* petiiſſe, ſed ſeriò, & urgente ſiti & laſſitudine. Sic 1 *Reg.* 2:7. *Cum filiis Barzillai humaniter age*, כי כן קרבו אלי, *nam ſic* humaniter *acceſſerunt ad me*, &c. *Actor.* 7:8. *Dedit ei pactum circumciſionis*, καὶ οὕτως, *&* *ſic*, circumciſus *genuit Iſaacum.*

Vers. 8. Ἵνα τροφὰς ἀγοράσωσι.

Quomodo congruit hoc cum *verſ.* 9. οὐ συγχρῶνται Ἰουδαῖοι Σαμαρείταις; & cum regula Judæorum לא יאכל אדם מישראל פרת כותי. *Nè comedat quiſpiam ex Iſraële buccellam Samaritani. Nam quicunque comedit buccellam Samaritani, eſt ac ſi comederet carnem porcinam.* Buccellam ſcil. ſuper quam benedicendum.

Tanchum, fol. 17. 4. *Ezra*, *Zorobabel & Joſhua congregarunt totam Eccleſiam in Templum Domini; & cum trecentis Sacerdotibus, trecentis libris Legis, & trecentis puerulis, anathematizarunt, ſhammatizarunt, excommunicarunt Samaritanos, nomine Jehovæ, & ſcripturâ ſcriptâ in tabulis, atque anathemate Conſeſſus ſuperioris, ac inferioris: nè comedat quiſpiam ex Iſraële buccellam Samaritani: non proſelytus fiat Samarita Iſraëli, nec ſit iis portio in reſurrectione mortuorum. Et miſerunt hunc anathematiſmum ad omnem Iſraëlem in Babylonia: qui etiam addiderunt anathema anathemati*, &c.

At verò,

Hieroſ. Avodah Zarah, fol. 44. 4. *R. Jacob bar Acha, nomine R. Lazar dicit, Victualia Cuthæorum permiſſa ſunt, ſi non immiſceatur iis aliquid vini eorum, aut aceti.* Imò

Babyl. Kiddushin, fol. 76. 1. מצת כותים מותרת. *Azyma Cuthæorum ſunt permiſſa, & per ea homo præſtat officium ſuum in Paſchate.* Si azyma Paſchalia permiſſa, tum multò magis cibus communis. Et ſunto Samaritæ Judæis merè Ethnici, licuit Judæo edulia Gentilium coëmere & comedere, abeſſet modò ſuſpicio de immunditia, & quòd nihil eorum oblatum fuerat Idolo, ut fusè patet apud *Maimon.* in Tractatu *de cibis vetitis.* Quæ ſuſpicio longè aberat inter Samaritas, quibus eadem cura circa munda & immunda, quæ Judæis, atque eadem ferè diſtantia ab Idololatria.

CAP. IV. VERS. 9.

Vers. 9. Οὐ γὰρ συγχρῶνται Ἰουδαῖοι Σαμαρείταις.

I. Verſio iſta, *Negotium*, vel *commercium non habent*, quam ſequuntur etiam Gallica & vernacula noſtra, videtur ſenſum vocabuli extendere ultra proprios limites. Nam 1. detur Samaritas fuiſſe puros Ethnicos, quod dicunt quidam Rabbinorum de *Proſelytis leonum*; hoc non prohibuit quominùs commercium cum iis habere potuerint Judæi, qui mercaturam non abnuebant cum quibuſvis gentibus. Vide *Nehem.* 13: 16, &c. 2. Si verò fuerint Samaritæ, גירי אמת, *veri Proſelyti*, quod de iis dicit *R. Akiba*; aut *ſicut Iſraëlitæ quoad omnia*, ut dicit *Rabban Simeon ben Gamaliel*, *Hieroſ. Shekalim*, fol. 64. 2. tum commercium cum iis exercere potuerunt Judæi multò magis.

II. Verſio etiam iſta, *Non utuntur Judæi Samaritis*, ut *Beza*, vel *Non coutuntur*, ut *Vulg.* vix aſſurgit ad plenum & germanum ſenſum vocabuli, aut veritatem rei.

Gloſſ. in *Kiddushin*, fol. 76. 1. *Licet edere azyma Samaritanorum, nec in iis eſt ſuſpicio de fermentato.---- Hoc intelligendum eſt, ſi Samarita ea depſat in domo Iſraëlitæ.* Jam verò, ſi Samarita depſeret in domo Iſraelitæ, tum Judæus uſus eſt Samaritâ.

Hieroſ. Jevamoth, fol. 9. 1. *Iſraëlita circumcidat Cuthæum; aſt Cuthæus nè circumcidat Iſraëlitam, quia ipſe circumciſus eſt in nomen montis Gerizim.---- ---- Dicit R. Joſah, Circumcidat, atque eat in nomen montis Gerizim, donec exeat anima ejus.* Si ergò vel Iſraëlita circumcideret Cuthæum, vel Cuthæus Iſraëlitam, tum erat aliquis uſus Cuthæi.

Quid igitur ſibi vult vox συγχρῶνται? Vox מסתפקין videtur hanc reddere Hieroſolymitanè, in

Hieroſ. Avodah Zarah, fol. 44. 4. *Cuthæi Cæſarienſes interrogarunt R. Abbu. Patres veſtri* מסתפקין, συνεχρῶντο *patribus noſtris; quare igitur non vos pariter nobis?* &c.

Senſum ſumamus à pari. Tritum erat illud in ore Judæorum, קרבן שאני נהנה לך, *Sacratum eſto illud per quod ego tibi poſſim eſſe utilis*, ut *Matth.* 15: 5. Secundùm cujus formam dixerim, שומרונים לא נהנין ליהודיים, *Samaritani nè utiles ſint Judæis.* Atque ego in hunc ſenſum verba quæ ſub manibus intellexerim: *Judæi non utuntur Samaritanis*, ita ut iis devinciantur ob aliquod beneficium. Non ab illis quicquam petunt, vel accipiunt gratis, aut mutuò: quod iis non prohibitum eſt quoad reliquas gentes.

Avodah Zarah, cap. 1. hal. 1. *Per tres dies ante feſta Idololatrarum prohibitum eſt cum iis*

Digitized by Google

CAP. IV. VERS. 12, 18. *iis dare, aut accipere, commodatò dare aut petere, mutuò dare aut accipere.* Aſt reliquis anni temporibus, non ita prohibitum: verùm à Samaritis mutuò aut gratis accipere prohibitum ſemper. Nec quidem poteſt vocabulum συγχρῶνται alium ſenſum hìc admittere. Nam cùm licuerit Judæis cum Samaritanis verſari, ab iis emere, operâ eorum uti, benedictionibus eorum reſpondere *Amen*, ut *Beracoth*, cap. 8. hal. 8. in oppidis eorum diverſari, *Luc.* 9:52. quonam tandem ſenſu poſt hæc omnia dici poteſt, quòd Ἰουδαῖοι οὐ συγχρῶνται τοῖς Σαμαρείταις; niſi hoc, quòd noluerunt iis obligari ob aliquod beneficium: quod non parùm illuſtrat illud *Luc.* 10:33, &c. & optimè congruit cum re præſenti.

Nam verba quæ tractamus, videntur eſſe verba fœminæ, potiùs quam Euangeliſtæ: eaque ab illa prolata ſcommaticè & cum ſarcaſmo. Tune Judæus à me Samaritiſſa petis aquam? Ἰουδαῖοι γὰρ οὐ συγχρῶνται Σαμαρείταις, vos enim Judæi ſpernitis beneficium, aut gratuitum aliquid accipere à Samaritis. Et tene à me petere aquam?

Suffragantur etiam huic ſenſui & interpretationi lexica Græca, quibus Συγχρῶμαι quidem eſt *commercium habeo*, at pariter *commodatò accipio, utendum rogo.*

VERS. 12. Πόθεν οὖν ἔχεις τὸ ὕδωρ τὸ ζῶν.

Ὕδωρ ζῶν malè concipit fœmina ex familiari uſu מים חיים, pro *aquis ebullientibus*, aut *fluentibus*. Cùm verò Salvator ulteriùs aquam celebraret quam habuit dandam, quòd nempe qui eam biberet, non ſitiret ampliùs, tum fœmina ſummâ cum irriſione, O des mihi, inquit, hanc aquam, ut moleſtiam non ampliùs patiar huc veniendi hauſtum. Nam verba irriſoriè prolata longè aptiùs concipias, quàm ſupplicatoriè.

VERS. 18. Πέντε γὰρ ἄνδρας ἔσχες, &c.

Fimo impudicæ ſuæ converſationis os cachinnantis obturat Chriſtus, ſceleratam ſuam vitam ei ob oculos ponens, ac ſi dixiſſet: Tu à quinque maritis quos habuiſti, paſſa es ob adulteria tua divortium, & jam eum maritum non habes, adulterum habes.

Kiddushin, ubi ſupr. כותים אין בקיאן בתורת קידושין וגרושין, *Cuthæi non callent legem de desponſationibus & divortiis.* Habuerunt desponſationes ſuas & divortia: & forſan quò minùs accurati fuerunt circa divortia ſecundùm normam Judæorum, eò propiùs acceſſerunt ad normam *Moſaicam*, qui non permiſit niſi in cauſa adulterii. Sub iſto reatu & crimine à maritis ſuis dimiſſam & pulſam fuiſſe hanc fœminam arguit, partim numerus maritorum non ordinarius, & partim quòd Salvator maritos memoret, æquè ac adulterum, ac ſi innueret eam ſub maritis fuiſſe adulteram, æquè ac jam ſine marito cum adultero. CAP. IV. VERS. 20.

VERS. 20. Ἐν τούτῳ τῷ ὄρει προσεκύνησαν.

Nemini ignota eſt hiſtoria Templi *Gerizimæi*, ex Joſepho aliiſque. Structum erat illud Templum in æmulationem & invidiam *Hieroſolymitani*, ſicut olim *Dan* & *Bethel*. Hinc mutuum crevit odium inter utramque gentem, & plurimorum apoſtaſia Judæorum. Sanctitatem monti tribuerunt *Samaritani*, etiam Templo diruto; quâ ratione ipſi quidem benè non norunt. In iſtius rei patrocinium impudenter falſificavit textus Samaritanus verba Moſis in *Deuter.* 27:4. Nam cùm veritas Hebræa habeat, *Erigetis lapides iſtos quos ego præcipio vobis hodie*, בהר עיבל, *in monte Ebal*: textus & verſio Samar. habent, בהר גריזים, *in monte Gerizim*: quod notatum antè.

Bereshith Rabba, ſect. 32. *R. Jochanan proficiſcens Hieroſolymam ut oraret*, עבר בהדין פלטאנוס, *tranſiit per illum montem* [Gerizim.] *Videns eum Samaritanus quidam, dixit ei, Quò tendis? Et ille, Eo precatum Hieroſolymis. Cui alter, Nonne præſtaret tibi orare in hoc monte benedicto, quam in domo iſta maledicta? Unde autem hic mons benedictus? ait ille. Cui Samarita*, דלא טף במוי דמבולא, *Quia non inundatus fuit aquis diluvii.* Egregia ratio!

Ibid. ſect. 81. *R. Iſmael filius R. Joſeph proficiſcens Hieroſolymam ut oraret, tranſiit per iſtum montem. Videns eum Samaritanus quidam, dixit ei, Quònam tu? Et ille, Eo precatum Hieroſolymis. Cui alter, Nonne præſtaret orare in monte hoc benedicto, quàm in iſto maledicto? At ille, Ego dicam cui rei vos ſimiles eſtis: cani ſcilicet cupido cadaveris: vos pariter cùm ſciatis idola eſſe ſub hoc monte occultata, ſicut dicitur, Et Jacob abſcondit ea,* [Geneſ. 35:4.] *omni aviditate poſt ea efferimini Dixerunt inter ſe, Iſte cùm jam noverit idola eſſe in monte hoc occultata, nocte veniet, & ſuffurabitur. Conſilium ergò inierunt de eo occidendo. Aſt ille nocte ſurgens, effugit.*

Germanum Templo *Gerizimæo* erat Templum *Oniæ* in *Ægypto*: cujus hiſtoriam habes apud Joſephum, *Antiquit.* lib. 13.6. & deſcriptionem, *de bello*, lib. 7. cap. 37. De eo *Gamariſtæ* etiam in

Menacoth, fol. 109. 2. Unde pauca excerpamus.

Simeon Juſtus moriens, dixit, Onias filius meus miniſtrabit meâ vice. Invidit ei frater ejus Shimei, ſenior eo exiſtens annis duobus, &

CAP. IV. VERS. 20.

dimidio. Dicit ei, Ades, & edocebo te normam miniſterii. Induit ei אונקלי*, & cinxit eum* בצילצול, [verba reddemus illicò] *ſtatuitque eum juxta altare, & dixit fratribus ſuis Sacerdotibus, Videte quidnam hic voverit præſtiteritque uxori ſuæ, hoc nempe, Quo die miniſtravero ego in ſummo ſacerdotio, induam pectorale tuum,* [Angl. *Thy ſtomacher*] *& cingar cingulo tuo.* Gloſſa in locum dicit, quòd מלבוש של עור אונקלי *eſt veſtis coriacea*. Aſt Aruch ex *Avodah Zarah*, מאי אונקלי, *Quid eſt* אונקלי*? R. Abba dicit,* אסטומכא דלבא, *Stomacha cordis.*

Quid vox, hoc in loco velit, patet ſatis ex ipſa hiſtoria. *Shimei*, ut fratrem ſuum *Oniam* præbeat fatuum, ridiculum & odioſum Sacerdotibus, ſuadet ei ut miniſtret, pectorale uxoris pro rationali gerens, & cingulo ejus cinctus, vice cinguli pretioſi, &c.

Pergit hiſtoria. *Machinati ſunt fratres ejus Sacerdotes ei necem: aſt ille aufugit, & evaſit in Alexandriam Ægypti, ſtruxitque ibi altare, obtulitque ſacrificia idololatriæ. Hæc ſunt verba R. Meir.*

At dicit ei R. Juda, Res ita ſe non habuit: ſed non agnovit Onias, Shimei fratrem ſuum eſſe ſe ſeniorem annis duobus & dimidio. Verùm tamen ei invidit Onias, & dixit ei, Veni, & edocebo te normam miniſterii. Et ſic, referente R. Juda, invertitur tota ſcena, ita ut *Onias* fratrem ſuum *Shimei* induerit pectorali uxoris ſuæ, & cinxerit ejus cingulo. *Ea propter Sacerdotes machinati ſunt necem τῷ Shimei. At cùm ille totam rem enarraret, machinati ſunt necem Oniæ. Aſt ille aufugit in Alexandriam Ægypti, atque ibi ſtruxit altare, obtulitque in eo ſacrificia nomini Dei; ſicut dicitur, Eritque in die illo altare Jehovæ in medio terræ Ægypti*, &c. *Eſaj.* 19: 19.

Et jam aleam tuam, ô lector, an meliori fundamento niteretur Templum hoc *Ægyptiacum*, an illud *Garizimæum*. Hoc à profugo Sacerdote ſtructum ſub prætextu divinæ prophetiæ; illud à profugo etiam Sacerdote, ſub prætextu montem iſtum fuiſſe montem benedictionum. An Judæi Prophetiam illam Eſajæ *Oniam* reſpexiſſe ex animo arbitrentur, penès ipſos eſto determinatio, (& liceat cordato cuivis ridere ſic arbitrantes) elementiùs utcunque, & majori cum favore judicarunt de ejus Templo, quàm de *Garizimæo*. Hinc illud loco allegato.

Quicunque dixerit, Voveo ego holocauſtum, offerat illud in Templo Hieroſolymitano: ſique offerat illud in Templo Oniæ, non præſtat votum. Si verò dicat, Voveo ego holocauſtum offerendum in Templo Oniæ, offerat in Templo Hieroſolymitano: quòd ſi offerat in Templo Oniæ, præſtat officium ſuum. R. Simeon dicit, Non eſt holocauſtum. Item, Si quis dicat, Voveo Naziræatum, tondeatur in Templo Hieroſolymitano: ſi verò tondeatur in Templo Oniæ, non præſtat officium ſuum. At ſi dicat, Voveo Naziræatum ut tondear in templo Oniæ, & tondeatur ibi, præſtat.

CAP. IV. VERS. 25.

Καὶ ὑμεῖς λέγετε, ὅτι ἐν Ἱεροσολύμοις, &c.

Nonne & vos etiam fatemini, ô Samaritæ, *Hieroſolymam* fuiſſe olim locum divini cultûs à Deo deſtinatum? Credibile non eſt Samaritanos vel ignoraſſe, vel non crediſſe hiſtoriam Templi *Solomontæi*, quin quòd benè norint, quòd à diebus *Davidis* & *Solomonis*, fixerit Deus ſedem ſuam *Hieroſolymis*. At quòd jam prætulerint Templum *Garizimiticum* Hieroſolymitano, ex hoc videtur orta audacia & æmulatio, quòd orbatum jam fuerit Hieroſolymitanum priſtinâ ſuâ gloriâ, præſentiâ ſcil. divinâ ſuper Arcam, imo ipſa Arcâ, Cherubinis, Urim & Thummim, Spiritu Prophetiæ, &c.

VERS. 25. Οἶδα ὅτι Μεσσίας ἔρχεται.

Si rejecerint Samaritæ omnes libros Sacri Voluminis, præter Pentateuchum *Moſis*, quæri poteſt unde ſumſerit hæc fœmina nomen Μεσσίας, quod non reperiendum eſt in *Moſe*. Et duplex hîc inſuper excitari poteſt quæſtio: an omnes ſcilicet Samaritani fuerint de fide *Sadducæa*; atque an *Sadducæi*, qui inter Judæos, omnes libros Vet. Teſtamenti rejecerint, præter libros *Moſis*? Rejecerunt fortè à lectione in Synagogis, eo modo quo Judæi rejecerunt libros *Hagiographos* à lectione in Synagogis. At quæro ego, an in manibus non habuerunt, crediderintque, prout Judæi, *Hagiographos*?

Shabb. fol. 115. 1. *Eripiunt omnes Libros Sacros ab incendio*, (Sabbato) *ſive legant in iis, ſive non legant in iis.* Ubi Gloſſ. *Sive legant in iis, id eſt, Prophetis, in quibus legerunt in Synagogis Sabbato: ſive non legant in iis, id eſt, Hagiographis.* Talis forte erat rejectio Prophetarum atque Hagiographorum apud Sadducæos atque apud Samaritas, [de Samaritis loquimur ſub Chriſti temporibus & ante.) Nam num credibile eſt, eos, libros & hiſtoriam *Joſuæ*, *Judicum*, *Samuelis*, *Regum*, *Prophetarum*, vel ignoraſſe, vel pro fabulis habuiſſe, aut nihilo? Erant nonnulli de Samaritanis, referente *Eulogio* apud *Photium*, Cod. 230. *qui Jeſum Nave eſſe eum cenſuerunt, de quo Moſes dixit, Prophetam vobis excitabit Dominus Deus ex fratribus veſtris, ut me.* Num his vel ignota, vel rejecta hiſtoria liberque *Joſuæ*? Atque illud ſine obſervatione præterire non poſſum, dum lego in

Sanhedr. fol. 90. 2. *Interrogarunt Sadducæi*

Rabban

Digitized by Google

CAP. IV. VERS. 25.

Rabban Gamalielem, *Unde probatur Deum ſuſcitaturum mortuos? Ex Lege*, *inquit ille*, *& ex Prophetis*, *& ex Hagiographis.* Et probationes adducit ex ſingulis codicibus, quas non gravetur lector obſervare & perpendere.

Probatur ex Lege, *ſicut dicitur*, *Et dixit Jehovah Moſi*, הנך שוכב עם אבותיך וקם, *Ecce tu dormiens cum patribus tuis*, *& exurgens*, Deuter. 31:16. *Dicunt ei*, *At fortè ſenſus eſt*, וקם העם הזה וזנה, *Et exurget populus hic*, *& mœchabitur.*

Probatur ex Prophetis, *ſicut ſcribitur*, *Vivent mortui tui*, *cum cadavere meo reſurgent: expergiſcimini & jubilate*, *qui habitatis in pulvere*, Eſaj. 26:20, &c.

At fortè, inquiunt illi, *hi ſunt mortui illi*, *quos reſuſcitavit Ezekiel.*

Probatur ex Hagiographis, *ſicut ſcribitur*, *Palatum tuum eſt ſicut vinum optimum*, *vadens ad dilectum meum ad rectitudines*, *loqui faciens labia dormientium*, Cant. 7:9.

At fortè, inquiunt illi, *motant labia ſua in mundo.*

Addidi quidem, *inquiunt illi*, quod non eſt in textu *Gemarico*, ſed addendum eſſe evincit ratio, & firmat Gloſſa.

Jam verò abſurdiſſimum foret *Gamalieli*, argumenta ex libris Propheticis & Hagiographis adducere contra Sadducæos, ſi libri iſti apud eos nullius fuiſſent notitiæ aut authoritatis. Et vides non ſpretos aut rejectos ab iis fuiſſe libros ab illo citatos, ſed verba allata in alium ſenſum, quàm voluit *Gamaliel*, torqueri.

Hieroſ. Jevamoth, fol. 3. 1. *Traditio R. Simeonis ben Eliezer. Dixi Scribis Samaritanorum*, *Vos itaque erratis*, *quia non interpretamini ſicut R. Nehemiah. Nam eſt Traditio R. Nehemiæ*, *Ubicunque occurrit vox quæ opus habet* ל *in initio*, *ſi eam non habeat*, *additur ei* ה *in fine*, לסוכות. לשעיר שעירה, לחוץ חוצה. סכותה, *Reſpondent R. Nehemiæ*, *Aſt ecce ſcriptum eſt*, ישובו רשעים לשאלה. Quinam autem illi qui ſic reſpondent R. *Nehemiæ?* Si Scribæ Samaritanorum, tum citant illi Pſalmum nonum.

Citatur etiam liber *Ezechielis* à Samaritano in hac hiſtoria.

Elleh baddebharim Rabba, fol. 292. 2, 3. *Rabban Jonathan adiit* ניפולין, *Neapolin* (Sychar) *Samaritanorum.---Comitatur eum quidam Samaritanus. Et cùm perventum iis eſſet ad montem Gerizim*, *dicit Samarita*, *Oh! unde hoc quòd pervenimus ad montem hunc ſanctum? Dixit ei R. Jonathan*, *Unde autem eſt ſanctus? Reſpondit Samarita*, שלא לקה במי המבול, *Quia non punitus eſt aquis diluvii. Dicit ei R. Jonathan*, *Unde hoc probas? Reſpondet Samarita*, *Nonne ſic ſcribitur*, בן

CAP. IV. VERS. 25.

ארם אמר לה את ארץ לא מטוהרה היא לא גשמה ביום זעם, *Fili hominis*, *dic ei*, *Tu es terra non mundata*, *non compluta in die furoris*, Ezech. 22:24. *Si ſic*, *inquit R. Jonathan*, *tunc oportuit Dominum dixiſſe Noacho*, *ut aſcenderet in hunc montem*, *& non ut fabricaret arcam.*

Habes etiam Sadducæum citantem Prophetiam *Amoſi* in

Cholin, fol. 87. 1. *Dixit Sadducæus quidam* τῷ *Rabbi*, *Ille qui creavit montes*, *non creavit* רוח, *ſpiritum*, vel ventum: *atque ille qui creavit ventum*, *non creavit montes: nam ſcribitur*, כי הנה יוצר הרים ובורא רוח, *Nam ecce qui format montes*, *& qui creat ventum*, Amos. 4:13. *Dicit ei Rabbi*, שוטה, *O ſtulte*, *perge ad finem commatis*, *Dominus exercituum eſt nomen ejus.*

Et notandum eſt illud in

Shabb. fol. 116. 1. הגליונין וספרי מינים, *Volumina & libros Hæreticorum non eripiunt ab incendio*, *ſed comburuntur ibi ubi ſunt.* Ubi Gloſſ. *Libros Hæreticorum*, i. e. משרתים לע״ז, *Idololatrarum* (vel qui cultum alienum colunt) *qui exſcripſerunt ſibi Legem*, *Prophetas & Hagiographa*, *ſcripturâ Aſſyriacâ & linguâ ſanctâ.* At קיצור פסקי הראש, in locum reddit, גליונין וספרי צדוקים אין מצילין, *Volumina & libros Sadducæorum non eripiunt.* Si per *Hæreticos* intelligendi ſunt Sadducæi, ut vult Gloſſa hæc poſterior, tum collata priori, habuerunt illi Legem, Prophetas & Hagiographa ſcripta Aſſyriacâ ſcripturâ & linguâ ſanctâ. Si verò per *Hæreticos* intelligendi ſunt Chriſtiani in Gloſſa priori, (nam de Ethnicis parùm eſt intelligendum) tum perpende quibuſnam Bibliis Veteris Teſtamenti uſi fuerint Hebræo-Chriſtiani.

Object. Verùm ſi Sadducæi admitterent libros Propheticos & Hagiographos, hâc ſolum cum exceptione, quòd eos non legerent in Synagogis, qui fieri potuit ut Sadducæus negaret reſurrectionem mortuorum, quæ tam clarè enuntiatur in iſtis libris?

Reſp. Valeret quidem hoc argumentum, ſi hoc non fuiſſet fundamentum fidei apud Sadducæos, *Nullum articulum fidei aut religionis admittendum*, *qui non elici poſſit è libris Moſis.* Cum quo confer iſtud etiam Phariſæorum,

Gloſſ. in *Sanhedr.* fol. 90. 1. *Quamvis quiſquam fateatur eſſe reſurrectionem mortuorum*, *tamen ſi non agnoſcat indicium ejus eſſe in Lege*, *negat fundamentum.*

Jam ergò cùm *Moſes* non clarè & in terminis aliquid effatus fuerit de reſurrectione mortuorum, iſtam rem, ut articulum fidei nullo modo admittere voluerunt Sadducæi, quamvis tale quid occurreret in Prophetis: quin verba Prophetarum in ſenſum aliquem alium detor-

Digitized by Google

CAP. IV. VERS. 27.

detorſerunt, vel hiſtoricum, vel allegoricum. Si verò quicquam in *Moſe* planum deprehenderent, idem loquentibus Prophetis, vel illuſtrantibus, non video cur non credam eos recepiſſe.

Tale eſt hoc, quod jam ſub manibus, Samaritiſſa vocem Μεσσίας adhibet, quæ non occurrit apud Moſen. At cùm Moſes clarè elocutus fuerit de adventu illius, quem Prophetæ inſignierunt nomine *Meſſiæ*, jacto hoc fundamento & articulo, non hæſitant Sadducæi & Samaritani de eo loqui, eo modo quo doctum eſt à Prophetis.

At quales conceptus habuerunt illi de perſona, regno & temporibus *Meſſiæ*, non facile eſt dicere. An expectarunt præcurſorem *Eliam*, ut Scribæ & Phariſæi? An reſurrectionem mortuorum in ejus adventu, ut illi? vix credibile.

VERS. 27. Ἐθαύμαζον ὅτι μετὰ γυναικὸς ἐλάλει.

Quòd cum fœmina colloquium haberet, mirantur, multò magis quòd cum Samaritana.

Erubbin, fol. 53. 2. *R. Joſe Galilæus itinerans in via*, אשכחיה לברוריה, [legendum, aut plurimùm fallor, אשכחה] *invenit Beruræam, cui dixit*, באיזו דרך נלך ללוד, *Qudnam viâ eundum nobis eſt ad Lyddam? Cui illa, O ſtulte Galilæe, nonne ſic docuerunt Sapientes*, אל תרבה שיחה עם האשה, *Nè multiplices colloquium cum fœmina? Oportuit te dixiſſe*, באיזו ללוד, *Qudnam ad Lyddam?*

Unde hæc fœmina dicta fuerit ברוריה, *Beruræa*, non eſt hîc locus inveſtigandi. Nè tamen non aliquid noſcat lector de *Beruræa*, erat illa uxor R. *Meir*, fœmina docta & doctrix. Hinc *Juchaſin*, fol. 40. 2. אשתו ברוריה החכמה, *Uxor ejus erat Beruræah ſapientiſſa. De qua plura referuntur in Avodah Zarah.* Sequitur altera de ea hiſtoria, ברוריה אשכחיה להדוא תלמידא, *Beruræa invenit quendam ſcholarem legentem muſſitanter, & calcitravit in eum*, &c.

Kiddushin, fol. 70. 1. *Samuel dicit, Non ſalutant fœminam omninò. Bemidbar Rabba*, fol. 135. 4. *Matrona quædam interrogavit R. Eleazarum, Quare, cùm peccatum per vitulum aureum fuerit unum tantùm, punitum eſt triplici genere mortis? Reſpondit ille*, אין חכמה לאשה אלא בפלך, *Non ſapit fœmina niſi circa colum ſuam. Dicit ei Hyrcanus, Quoniam non reſpondiſti illi verbum unum de Lege, detinebit à nobis trecentos coros decimarum annuatim. At ille*, ישרפו דברי תורה ואל ימסרו לנשים, *Comburantur verba Legis, potiùs quàm tradantur fœminis.* Vide *Joma*, fol. 66. 2. Ibid. fol. 240. 2. *Nè colloquatur quis cum fœmina in platea, imò non cum propria uxore.*

CAP. IV. VERS. 28, 29, 35.

VERS. 28. Ἀφῆκεν οὖν τὴν ὑδρίαν.

Humaniter factum: nempe ut *Jeſus* & Diſcipuli, quos ea jam vidit ad eum congregatos, haberent unde biberent.

VERS. 29. Ὃς εἶπέ μοι πάντα ὅσα ἐποίησα, &c.

Conveniunt hæc aliquantùm cum notione Judæorum de *Meſſia* odorante.

Sanhedr. fol. 93. 2. *Scriptum eſt*, והריחו ביראת ה׳, *Et odorari eum faciet in timore Domini*, Eſaj. 9: 3. *Rabba dicit, Odorabitur & judicabit, ſicut ſcriptum eſt, Non judicabit intuitu oculorum ſuorum*, &c. *Ben Coziba regnavit duobus annis & dimidio, & dixit Rabbinis, Ego ſum Meſſias. Dixerunt ei, De Meſſia ſcriptum eſt, quod odorabitur & judicabit. Videamus te odorantem & judicantem. Quod cùm non faceret, interfecerunt eum.*

Percepit hæc fœmina *Jeſum* odoratum eſſe clandeſtina ſua ſcelera, quæ latenter patrata extra conſpectum hominum, atque ex hac ipſa ratione arguit eum eſſe *Meſſiam*. Atque iſtius rei famâ excitantur concives, ut eum inviſant. Vident, audiunt, invitant, hoſpitio excipiunt, credunt. Annon probabile eſt, eos, æquè ac Judæos, adventum *Meſſiæ* expectaſſe circa ipſiſſimum hoc tempus? Si ita, unde illud didicerunt? An à Judæis, an à libro *Danielis*?

VERS. 35. Ἔτι τετράμηνόν ἐστι, καὶ ὁ θερισμὸς ἔρχεται.

Initium meſſis [hordeaceæ ſcilicet] erat à medio menſis *Niſan*. Vide *Levit.* 23: 10. &c. *Deuter.* 16: 9.

Bava Mezia, fol. 136. 2. *Dimidium Tiſri, totus Marheshvan, & dimidium Ciſleu*, זרע, *eſt ſementum. Dimidium Ciſleu, totus Tebeth, & dimidium Shebat*, חורף, *eſt hyems. Dimidium Shebat, totus Adar, & dimidium Niſan eſt* קור, *bruma. Dimidium Niſan, totus Ijar, & dimidium Sivan eſt Meſſis*, קציר. *Dimidium Sivan, totus Tammuz, & dimidium Ab*, קייץ, *eſt æſtas. Dimidium Ab, totus Elul, & dimidium Tiſri*, חום, *eſt æſtus.*

Seminarunt triticum & ſpeltam à *Tiſri* & *Marheshvan*, & porrò.

Targ. in *Eccleſ.* 11: 2. *Da portionem bonam ſeminis agro tuo in Tiſri, & nè cohibearis à ſeminando etiam in Ciſleu.*

Seminarunt hordeum in *Shebat* & *Adar*.

Gloſſ. ſuper Rosh hashanah, fol. 16. 1.

זרעא

Digitized by Google

CAP. IV. VERS. 46.

זרעא אפלא, *Semen ſerotinum*, vel abſconditum & ſub terra latens, *eſt triticum & ſpelta quæ non citò matureſcunt: ſeruntur in Marbeſhvan.* זרעא חרפא, *Semen præcox, eſt hordeum quod citò matureſcit: ſeritur in Shebat & Adar.*

Menachoth, fol. 85.1. *Serunt* 70. *diebus ante Paſcha.*

Hordeum ergò, ſpes meſſis poſt πεντηκοστὴν futuræ, non adhuc erat terræ commiſſum; & tamen dicit Salvator, *Ecce albeſcunt agri ad meſſem:* quæ res obſervata, optimè illuſtrat verba & propoſitum Salvatoris.

Attollite oculos veſtros, inquit, *& ſpectate regiones*, &c. Digitum abſque dubio intendens in numeroſam illam turbam, quæ jam intra conſpectum, versùs eum confluxit ex urbe. En qualis meſſis animarum, ibi ubi nulla adhuc fuit ſatio.

Numera jam πεντηκοστὴν retrò ab initio meſſis hordeaceæ, vel medio menſis *Niſan*, & retrograderis ad medium menſis *Ciſleu*, quod coincidit cum initio *Decembris* noſtri, aut circiter. Unde facile eſt conjectare, quodnam illud fuerit feſtum, de quo mentionem habet Euangeliſta, *Cap.* 5: 1.

Vers. 46. Τὶς βασιλικός.

Fortè *Herodianus* aliquis, de quibus vid. *Matth.* 22: 16. non ſervus tantùm *Herodis Tetrarchæ* jam dominantis, ſed familiæ *Herodianæ* devotus, ex principiis conſcientiæ & ſummiſſionis: nam controverſiam gentis de introductione *Herodis magni* ad dominium demonſtravimus alibi: & an micam aliquam iſtius litis non retinuerit continuata diſſenſio *Shammæanorum* & *Hilleſianorum*, non eſt indignæ indagationis, ſed non hujus loci. Aſt eſto hunc Magnatem fuiſſe ſervum impræſentiarum *Herodis Tetrarchæ*, (ſepoſitâ iſtâ controverſiâ) quònam tendunt verba Salvatoris, *verſ.* 48. *Niſi videritis ſigna & miracula, non credetis?* Judæi quidem petierunt ſigna, ut 1 *Cor.* 1: 22. verùm aula *Herodis* hujus reatûs poſtulanda præ aliis, quippe quæ Baptiſtam audiverat, imò ipſe *Tetrarcha* cum aliqua veneratione atque obſervantia; & tamen quia *Joannes* nullum edidit miraculum, *Joann.* 10: 41. ideò promptiùs conjectus eſt ille in carcerem, & non creditus. (Nam incarcerationem ejus ſequuntur hæc immediatè.) Confer *Luc.* 23: 8.

CAP. V. VERS. 1, 2.

CAP. V.

Vers. 1. Μετὰ ταῦτα ἦν ἑορτὴ τῶν Ἰουδαίων.

PArciùs agunt cæteri Euangeliſtæ de actionibus Chriſti in Judæa; hic noſter fuſius. Nil Paſchatum memorant illi, ultimo excepto, à Baptiſmo ejus ad mortem; Joannes omnia. Primum, *Cap.* 2: 13. tertium, *Cap.* 6: 4. quartum, *Cap.* 13: 1. ſecundum, hoc in loco; quod tamen *Paſchatis* nomine non nuncupat, ſed generali *Feſti:* quippe quòd verba Chriſti ſatis elucidationis eſſe poſſent de re iſta, *Cap.* 4: 35.

Vers. 2. Ἑβραϊστί.

Id eſt, linguâ Trans-Euphratenſi, vel Chaldaicâ.

Aruch, in voce עבר. עברית לשון דעבר הנהר. Ἑβραϊστί, *id eſt, linguâ Transfluvianorum.*

Shabb. fol. 115. 1. היו כתובין גיפטית מדית עברית, *Si ſcribantur Libri Sacri Ægyptiacè, Medicè, Hebraicè.* Gloſſ. עברית כתב של עבר הנהר, *Hebraicè, id eſt, ſcripturâ Trans-euphratenſium.*

Gloſſ. in *Sanhedr.* fol. 21. 2. כתב עברי של בני עבר הנהר, *Scripturâ Hebraicâ, id eſt, Transamnanorum.*

Per עברית, Ἑβραϊστί, intelligunt ergò linguam Chaldaicam, quæ erat à reditu ex Babylone genti vernacula. Vocantque eam *linguam Trans-euphratenſium*, [quum & Syris Ciseuphratenſibus eſſet etiam vulgaris] ut quoad Judæos, eam diſtinguerent à priſtina eorum linguâ ſanctâ: q. d. non linguâ quâ uſa eſt gens ante captivitatem, ſed linguâ quam ſecum reportavit à *trans-Euphraten.*

Judæi quibus hæc lingua erat vernacula, vocantur *Hebræi*, atque inde diſtinguuntur ab Helleniſtis, quod norunt omnes. Quare *Paulus* ſeipſum vocet *Hebræum*, 2 *Cor.* 11: 22. cùm natus fuerit in *Tarſo* Ciliciæ, meretur perpenſionem.

Πέντε στοὰς ἔχουσα.

Obtinet apud quamplurimos, *in Betheſda lotas fuiſſe hoſtias antè earum immolationem.* De qua re hæret mihi aqua. Nam

I. Probatu difficile eſt, hoſtias ante earum mactationem, vel hîc, vel alicubi lotas fuiſſe omninò. De re tali ſilent Paginæ Sacræ, & de ea, quod adhuc comperi, non loquuntur Traditionales. Lota quidem fuiſſe inteſtina poſt mactationem, nemo dubitat, & deſtinatum huic operi fuit לשכת המדיחין, *Conclave*

Digitized by Google

clave lavantium in ipſo Templo: aſt an lota corpora, vellera, tergora ante mactationem, quæritur meritò.

II. Inter labes & vitioſitates quibus beſtiæ reddebantur non idoneæ immolationi, vix hanc numeratam comperies: *quòd non fuerint lotæ*. Credaſne Abrahamum arietem ſuum in vepribus deprehenſum, *Geneſ.* 22. abluiſſe ante mactationem? Dicitur quidem,

Bemidbar Rabba, fol. 268. 3. נטלו והספיגו, *Quòd accepit eum, & abſterſit eum.* Aſt hoc poſt excoriationem. *Accepit eum,* והפשיטו, *& excoriavit eum, & dixit, Intuere hoc, Deus, ac ſi pellis Iſaaci detracta foret coram facie tua. Abſterſit eum,* [Gloſſ. מקנחו בספוג, *Abſterſit eum ſpongiâ*] *& dixit, Intuere hoc, ac ſi Iſaacus ſic abſterſus. Cremavit eum, & dixit,* &c.

Et perpendantur iſta in

Siphra, fol. 18. 1. Ubi diſputatur ſuper verba iſta, *Levit.* 6: 27. *Si ſparſus ſit ſanguis ſacrificii pro peccato ſuper veſtem*, &c. בגד אין לי אלא בגד, *Cùm de veſte ſit ſermo, ego non intellexerim niſi de veſte. Unde addenda eſt* עור משהופשט, *Pellis cùm detrabitur. Textus dicit, In quodcunque ſparſus fuerit ſanguis, lavabitis. Fortè ergò licet addere pellem antequàm detrabitur. Textus dicit, Veſtem. Sicut veſtem quæ, eſt capax immunditiei, ſic quodcunque eſt capax immunditiei.* פרט לעור עד שלא הופשט, *Excipitur pellis antequam detrabitur. Verba ſunt R. Judæ.* Nota, Pellis adhuc dorſo beſtiæ hærens, & non detracta, non eſt capax immunditiei.

I. Dixerim ergò ego potiùs, *homines* in *Betheſda* lavari ſolitos, non *beſtias*. Immundos ſcilicet, ut per ablutionem purificarentur. Nam quicunque perpenderit numerum immundorum, qui indies opus habuerunt ablutione, quique perlegerit Tractatus Talmudicos de purificationibus, & de congregationibus aquarum iſti rei convenientibus, facilè ſibi perſuadebit *Betheſdam*, reliquaſque quæ fuerunt Hieroſolymis natatorias, huic uſui inſerviiſſe, potiùs quàm ablutioni pecudum.

Crediderim etiam Syrum Interpretem, cùm reddit, *Erat autem Hieroſolymis* דוכתא חדא דמעמוריתא, *Locus quidam baptiſterii, vel baptizationis*, in animo habuiſſe baptiſmos immundorum, potiùs quàm ablutiones beſtiarum.

II. *Targ.* in 1 *Paralip.* 11: 22. *Non fuit quiſpiam par Benaiæ filio Jehojadæ ſub Templo ſecundo.* יומא חדא דחקת רגליה בחרדונא דמית, *Die quodam impegit pes ejus in teſtudinem mortuam:* ונחת לשילוח תבר גזיזא דברדא וטבל, *Et deſcendit in Siloam, & contuſis fruſtulis grandinis, tinxit ſe.----- Erat hoc die hyemis breviſſimo, decimo menſis Tebeth.*

Veritatem hiſtoriæ non reſpicimus, reſpicimus animum referentis, nempe quòd in tali caſu ſoliti ſunt homines lavari in *Siloamo*; non in fonte abſque dubio, ſed in piſcina.

Midras Coheleth, fol. 95. 3. *Simeon Sicuenſis fodit puteos, ciſternas, caveas in Jeruſalem.---- Dicit ei Rabban Jochanan ben Zaccai, Si ad te accedat mulier, interrogans de menſtruoſitate ſua, tu dicis illi,* טבלי בבור הזה, *Tinge te in hoc puteo, nam aquæ ejus purificabunt.*

III. Quinque ergò hæ porticus videntur fuiſſe introitus per quos deſcenſum eſt ad immundis ad aquas, ut abluerentur, & in quibus ante ablutionem veſtes deponerent, & poſt reſumerent, & ſemper protecti eſſent à pluviis. Et forſan in tot introitus & deſcenſus diſtributi ſunt immundi, pro diverſitate immunditiarum, ut eâdem immunditia polluti, in eandem porticum convenirent. Hunc fuiſſe primum harum porticuum finem & uſum, nullus dubito, quamvis poſteà ſuperadderetur uſus alius. Et de ablutione immundorum hac in piſcina, hoc nos etiam ſuperaddamus: quòd cùm permitterent, idque ex neceſſitate, propter multitudinem lavandorum ob purificationem, collectiones aquarum minores, quadraginta ſcil. ſearum aquæ in loco ritè aptato quoad latitudinem & profunditatem; ſi non afforet major copia aquæ, tum nequaquam neglecturos eos arbitreris ſtagna & piſcinas.

VERS. 4. Ἄγγελος γὰρ κατὰ καιρὸν κατέβαινεν.

Crediſne infirmos hoſce interdiù noctùque hîc jacuiſſe per totum annum? Videtur potiùs turbationem aquæ & ſanationem ægrorum fuiſſe ſolùm in feſtis, ſi non ſolùm in feſto Paſchatis. Et forſan non incongruum eſt κατὰ καιρὸν ſub tali reſtrictione coërcere, *Erat feſtum Judæorum*, & Angelus *ſecundùm illud tempus* deſcendit in piſcinam, &c.

Καὶ ἐτάρασσε τὸ ὕδωρ.

De fonte quodam à malo Angelo turbato, vel hiſtoriam, vel fabulam habes,

Vajicra Rabba, ſect. 24. *Hiſtoria in civitate noſtra de Abba Joſe, (inquit R. Berechiah nomine R. Simonis) quòd cùm ſederet, & aliquid repeteret ad introitum fontis, apparuit ei Spiritus qui habitavit illìc, & dixit, Noſtis benè quot annos ego hìc habitavi, & vos uxoreſque veſtræ veniſtis & rediiſtis abſque noxa? Jam vero ſciatis, quòd ſpiritus malus conatur hìc habitare, qui nocumentum inferet hominibus. Dicit illi, Quid ergò nobis faciendum? Reſpondet ille, Ito, & dic oppidanis, Quicunque habet*

Digitized by Google

CAP. V. VERS. 4. *habet malleum, peſſulum, paxillum ferreum, huc accedat craſtino mane, & oculos habeat intentos in aquam*; ובר אתון חמיין ערבוביא דמיא, *Et cùm viderint turbationem aquæ, contundant ferro, & dicant*, רידן נצח, *Victoria eſt noſtra: atque inde non recedant, donec videant* חרדא דרמא על אפי מייא, *grumos ſanguinis ſuper faciem aquæ.* [Gloſſ. Hoc ſigno apparebit victum atque interfectum eſſe Spiritum.] Et dicit reliquum Legendæ, quòd fecerunt quod juſſum, & non diſceſſerunt, donec viderent grumos ſanguinis ſuper aquam. Fruantur illi ſuâ victoriâ.

Cùm jam non longè admodùm abeſſet tempus, quo *aperiendus erat fons iſte qui abluturus erat peccatum & immunditiam, Zach.* 13:1. fons ſcil. ſanguinis Chriſti, voluit divina providentia, ut res tam ineffabilis excellentiæ & beneficii nobili aliquo præcurſore & prognoſtico non careret. Inter omnes ergò fontes & piſcinas quæ erant Hieroſolymis, inſervientes ablutioni immundorum, nobiliſſimam & celeberrimam *Betheſdam* vel Siloamum ſibi eligit, ut in ea præfiguratio iſtius rei ſignaretur. Fiunt ergò aquæ iſtæ, quæ fuerant purificatrices tantum anteà, jàm ſanatrices etiam, ut per purificationem & ſanationem præſignificarent, & non longè jam abeſſe prænuntiarent fontem illum verum & vivum, qui purgaret & ſanaret ſummo gradu.

Quot annis ante paſſionem Chriſti primùm apparuerit virtus hæc miraculoſa piſcinæ, non effantur Oracula Sacra, & de miraculo ipſo ſilent, quantùm comperi, Paginæ Traditionales, quamvis ipſiſſimæ hujus rei ergô non paucos Judæorum Tractatus ſeriò evolverim. Aquanam igitur epocha ſit hiſtoria ejus inchoanda, audacius foret determinare. An ab extructione *Portæ Probaticæ* per *Eliaſhibum*, ut quidam magni nominis: an ab extinctione familiæ *Aſmonææ:* an à reædificatione Templi per *Herodem:* an à nativitate *Chriſti:* an ab alio aliquo tempore, judicet lector pro ſuo arbitrio. Quid ſi à terræ motu iſto, de quo,

Joſeph. Antiquit. lib. 15. cap. 7. *Tunc temporis, circa pugnam Actiacam inter Cæſarem & Antonium, ſeptimo regni Herodis anno, terra Judæorum quaſſata, pecudum in regione magnam ſtragem fecit. Et cæſi ſunt homines à corruentibus ædificiis, circa decies mille.* Forſan inde ruina turris in *Siloamo*, de qua *Luc.* 13:4. & quid, ſi tum primus deſcenſus Angeli in hanc piſcinam *Siloami?* ut *Matth.* 28:2. Erat terræ motus magnus, nam Angelus Domini deſcendit, &c. Sed mallem hic diſcere, quàm docere.

Quæri poſſit, unde primùm innotuerit ſanationem ægrorum ſequi turbationem aquæ? Sed & hoc æquè latet in obſuro: præſertim verò cùm & Spiritus Prophetiæ, & apparitio Angelorum, & miracula tam diu inaudita fuerant in tota gente. CAP. V. VERS. 4, 6.

Vim talem ſanatricem tribuunt Magiſtri לבארה של מרים, *Fonti Miriamæ*, ut vocant, in mari Tiberiadis.

Midras Coheleth, fol. 97.2. *Hiſtoria eſt* במוכה שחין, *de ulceroſo quodam, qui deſcendit in mare Tiberiadis ut ſe tingeret.* וארעת מטת בארה של מרים אסחי ואיתאסי, *Et occurrit tempus cùm flueret fons Miriamæ, atque ille ibi natavit, & ſanatus eſt.*

Fingunt illi fontem in eremo exhibitum fuiſſe Iſraëlitis propter *Miriamæ* meritum, & diſcedente illâ, iſtum etiam diſceſſiſſe. Supponunt etiam, ut videtur, fontem vel gurgitem hunc in aliqua parte maris *Genneſaritici*, virtutem hanc medicinalem adeptum eſſe, propter meritum ejuſdem. Mirum eſt, quòd & eandem vim in piſcina hac noſtra non memorent, eamque tribuant merito *Solomonis*, quandoquidem ea fuerit *Solomonis* piſcina.

Erat cùm Deus miraculosè ageret cum omnibus fontibus & aquis circa *Hieroſolymam* modo diverſo, ſeverè ſcilicet, ut jam cum hac miſericorditer.

Joſeph. de bell. lib. 5. cap. 26. Τίτῳ μὲν γὰρ καὶ πηγαὶ πλουσιώτεραι ῥέουσιν, αἱ ξηρανθεῖσαι πρότερον ὑμῖν. Verba ſunt ipſius *Joſephi* populum hortantis ad deditionem. *Tito fontes abundanter fluunt, qui vobis anteà exſiccabantur. Nam noſtis ut ante ejus adventum Siloam atque omnes circa urbem fontes defecerint, ita ut aquæ coëmerentur per amphoras. At nunc hoſtibus veſtris ità affluunt, ut non ipſis ſolùm & jumentis eorum, ſed & hortis ſufficiant. Quod & miraculum experti eſtis anteà, cùm urbs caperetur à Babylonicis.*

Si tale miraculum in aquis ad adventum hoſtis, minùs mirum, ſi miraculum in iis modo diverſo ante adventum Salvatoris.

Quò uſque duraverit poſt hanc ſanationem infirmi per Salvatorem virtus hæc piſcinæ, an ad excidium urbis, an ceſſaverit antè, an ab hoc ipſo tempore ceſſaverit, fruſtrà quæreretur, cùm deſitio ejus ſit æquè, ſi non magis, obſcura quàm origo.

VERS. 6. Θέλεις ὑγιὴς γενέσθαι.

Minimè dubitandum, quòd ſanationem cuperet, cùm eo fine illìc jaceret. At reflexionem habet hæc quæſtio Salvatoris in Sabbatum: q. d. *Viſne ſanari Sabbato?* Nam quam ſuperſtitioſi fuerint hac in re, teſtantur plurima apud Euangeliſtas, ut ſuas ipſorum Traditiones omittamus, *Marc.* 3:2. *Luc.* 13:14. & 14:3.

Digitized by Google

CAP. V. VERS. 8, 9.

VERS. 8. Ἆρον τὸν κράββατόν σου, καὶ περιπάτει.

Ego Hieroſolymitanè ſic reddiderim, טול ערשך וטלטל.

Dixit alibi, *Tolle grabatum tuum, & vade in domum tuam*, *Marc.* 2:11. An & hîc idem velit, non adeò clarum.

I. Notanda eſt vulgaris diſtinctio, inter רשות רבים & רשות יחיד, quæ Sabbatum reſpicit: nempe ut ſit diſcrimen inter *locum privatum*, aut ſingularis juris, & *locum publicum*, ſive juris communis, nè quid exportetur Sabbato, è loco privato in publicum, aut contrà.

Shabb. fol. 6. 1. *Quicunque Sabbato effert è loco publico in privatum, aut è privato in publicum, aut infert*; בשוגג חייב חטאת, *ſi inanimadvertenter hoc fecerit, tenetur ad ſacrificium pro peccato*: במזיד ענוש כרת ונסקל, *ſi verò præſumptuoſè, punitur exciſione, & lapidatur.*

II. At licuit intra locos privati juris, quales erant porticus, introitus, atria, cùm variæ familiæ in iis habitantes per עירוב conſociarentur, aliquid movere & ferre à loco in locum, ſed nec omnia, nec quidem aliqua, niſi urgente aliquâ neceſſitate.

Shabb. cap. 18. halac. 1. *Removent quatuor aut quinque areas ſtraminis aut frugum propter viatores, aut propter defectum Beth Midrash: at non theſaurum removent*, &c. Gloſſ. *Removent has res, ſi opus ſit, loco eorum, nempe ut ibi collocent viatores ad edendum, aut ſcholares ad docendum; nec ſolliciti ſunt de labore in Sabbato*, &c.

Sed quid de rebus iſtis loquimur, cùm Canonibus Scribarum prohibitum fuerit res minutiſſimi ponderis portare Sabbato: adeò ut planè contra iſtos Canones foret, grabatum ferre huc illuc in porticu, multò magis è porticu in plateas. Animadverſionem ergò meretur, quòd Salvator non ſatis duxerit infirmum hunc ſanare Sabbato, quod contra Canones; ſed & quòd grabatum portare imperaret, quod multò magis contrarium. Unde videtur planè, quòd Chriſtus apud ſe ſtatuerit, vel hominis hujus fidem & obedientiam plenè experiri, vel Sabbatum Judaicum brevi temporis ſpatio cardinibus ſuis dimovendum jam apertè quaſſare, vel utrumque.

VERS. 9. Ἦν δὲ σάββατον.

Σάββατον δευτερόπρωτον, apud *Lucam*, Cap. 6: 1. erat ipſiſſimum hoc Sabbatum, aut ſaltem Sabbatum proximè ſequens.

CAP. V. VERS. 17, 19.

VERS. 17. Ὁ πατήρ μου ἕως ἄρτι ἐργάζεται.

Salvator in judicium vocatus coram Synedrio, I. Aſtruit Meſſiam eſſe Deum. II. Aſtruit ſeipſum eſſe Meſſiam. *Filius Dei* & *Meſſias* convertuntur, quod non inficiantur Judæi; & malè tamen concipiunt de filiatione.

Confitetur *Petrus*, *Matth.* 16:16. *Tu es Chriſtus Filius Dei.* Sic, & *Cajaphas*, *Matth.* 26:63. *Num tu Chriſtus Filius Dei?* At parùm eodem ſenſu filiationis. In *Pſalm.* 2:11. נשקו בר, *Oſculamini Filium*, fatetur *Aben Ezra* de *Meſſia* propriè dici; at diſputatur in *Midr. Tillin*, contra veram filiationem. Fatetur idem *Ezra*, כבר אלהין, *ſicut Filius Dei*, *Dan.* 3:25. ita ſumendum, ut מה ברי, ומה בר בטני, *Prov.* 31:2. Aſt *Saadias*, & R. *Solom.* intelligunt de Angelo,

Midras Coheleth, fol. 93. 4. *Eſt quidam cui nec filius, nec frater; hic eſt Sanctus Ben. qui nec fratrem, nec filium habet: fratrem non habet, filium unde haberet? niſi quòd Deus dilexit Iſraëlem, & vocavit filios.*

Nemini ignotum eſt, quâ pertinaciâ Judæi negent Deitatem *Meſſiæ*. Unde Apoſtolus cum Hebræis agens, hoc primùm jacit diſſertationis ſuæ fundamentum, *Meſſiam eſſe verè Deum*, *Hebr.* 1. &c. Quod illi, myſterium Trinitatis ignorantes, negant, veriti nè agnoſcerent plures Deos, ſi agnoſcerent *Meſſiam* eſſe Deum. In dies repetunt illud in recitationibus Phylactericis, *Audi Iſraël, Jehovah Deus noſter, Jehovah unus.* Unde cæcutientes ad myſterium Trinitatis, magis obdurantur ad illud negandum.

Salvator hoc in loco ſtrenuè aſſerit Deitatem Filii vel *Meſſiæ*: eandem ſcilicet ei eſſe poteſtatem cum Patre, eundem ei honorem debitum cum Patre, illius eſſe omnia Patris. Inde ejus reſponſio, *Pater meus operatur* Sabbato, pari authoritate & ego operor Sabbato.

VERS. 19. Οὐ δύναται ὁ υἱὸς ποιεῖν ἀφ᾽ ἑαυτοῦ οὐδέν.

Id eſt, *Meſſias non poteſt à ſemetipſo operari.* Nam ille eſt ſervus & miſſus à Patre: eſt igitur ei operandum, non ex ſua voluntate & arbitrio, ſed Patris, *Eſaj.* 42:1. *Ecce ſervus meus.* Targ. הא עבדי משיחא, *Ecce ſervus meus Meſſias*: ſic & *Kimch.* in loc. & *Paulus*, *Philip.* 2:7.

Ipſe Judæus, utcunque ſenſum phraſiologiæ *Filius Dei* eludere nitatur, non tamen negaverit veritatem hujus axiomatis, *Meſſias non poteſt aliquid facere, niſi ſecundùm voluntatem & præſcriptum Patris mittentis.* Quod non

pro

Digitized by Google

CAP. V. VERS. 25. pro impotentia interpretabitur, ſed pro obedientia & perfectione.

VERS 25. Ἔρχεται ὥρα, καὶ νῦν ἐστιν, ὅτε οἱ νεκροὶ ἀκούσονται, &c.

Expectarunt Judæi, ut diximus antè, reſurrectionem mortuorum in adventu *Meſſiæ:* & verè quidem, & ſumma cum ratione, at parum eorum ſenſu.

Viſio *Ezechielis* de oſſibus arefactis, aſt in vitam reſtitutis, *Cap.* 37. & verba *Eſajæ*, *Mortui tui vivent*, &c. *Cap.* 26:20. tale quid iis ſuggeſſerunt, quamvis in tenebris palpitarent circa veram rei interpretationem.

Arridet illud *R. Eliezaris* in

Chetubb. fol. 3. 2. עמי ארצות אינן חיים, *Populi terrarum* [id eſt Ethnici] *non vivunt.* Conſonat cum *Epheſ.* 2:1. *Vos mortui fuiſtis in peccatis*, &c.

Nec multùm abſonat illud *R. Jeremiæ Bar Abba* in

Sanhedr. fol. 92. 2. *Oſſa arida* [Ezech. 37.] *ſunt filii hominum* שאין בהן לחלוחית המצוה, *in quibus non eſt humiditas præcepti.*

Reſuſcitati quidem ſunt non pauci Sanctorum, cum reſurgente Chriſto, *Matth.* 27:52. aſt ſcripturas iſtas, quæ reſurrectionem mortuorum in adventu ejus innuunt, ego abſque omni dubitatione intellexerim, non tam de iis, quàm de reſurrectione Ethnicorum à morte ſua ſpirituali in ignorantia, idololatria & peccatis, ad lucem & vitam Euangelii: nec oſſa iſta *Ezechielis* arefacta, ad vitam revocata, de reductione Tribuum *Iſraëlis* è captivitate ſua, [quamvis eſto quòd ea includatur] quin potiùs, aut ſaltem ſimul, de reſuſcitatione *Iſraëlis Dei*, hoc eſt crediturorum Gentilium etiam, à morte ſua ſpirituali.

Suffragantur verba Apocalyptæ: *Hæc eſt prima reſurrectio*, Apocal. 20. Et quænam, & quandonam iſta reſurrectio? Quando magnus ille Angelus fœderis Chriſtus, antiquum Draconem catenâ Euangelii vinxerat atque incarceraverat, ut non potuerit ampliùs ſeducere gentes [Ἵνα μὴ πλανήσῃ τὰ ἔθνη] per miracula, oracula, & idola ſua, ſicut fecerat anteà: hoc eſt, quando Euangelium inter Ethnicos prædicatum, deluſiones & ſtratagemata iſta Satanæ ſolverat, atque eos à morte peccati & ignorantiæ ad veram vitam revocaverat. Hæc erat *prima reſurrectio.*

De iſta reſurrectione hìc loqui Salvatorem, eò minùs dubito, quòd iſtam de qua hìc loquitur, planè diſtinguat à reſurrectione univerſali & extremâ, *verſ.* 28, 29. hanc primam ab iſta ultima. Atque ipſe quaſi digito rem demonſtrat, cùm dicit, *Nunc* eſt hora, &c.

CAP. V. VERS. 27, 30, 35, 39.

VERS. 27. Καὶ κρίσιν ποιεῖν, ὅτι υἱὸς ἀνθρώπου ἐστί.

Daniel. 7:13. *Ecce in nubibus cæli quaſi Filius hominis veniebat, & uſque ad Antiquum dierum pervenit---- Et dedit ei poteſtatem & gloriam*, &c. Quò reſpexiſſe Salvatorem in his verbis, res ipſa loquitur.

R. Solom. in locum, *Tanquam Filius hominis*, זה מלך המשיח, *Hic eſt Rex Meſſias.*

R. Saadias, זה משיח צדקינו, *Hic eſt Meſſias Juſtitia noſtra.*

Cùm Salvator coram Synedrio diceret, *Videbitis Filium hominis ſedentem à dextra Dei, & venientem in nubibus. Dixerunt omnes, Tune ergò Filius Dei?* Id eſt, *Tune Chriſtus Filius Dei benedicti? Matth.* 26:63. Quibus docent, quòd *Filius Dei* & Chriſtus convertuntur, & *Filius hominis* & Chriſtus convertuntur: & oſtendunt planè oculos eorum intentos fuiſſe in locum illum Danielis. O tune Filius ille hominis, de quo *Daniel*, qui eſt Filius Dei *Meſſias?* Quò & oculus Chriſti in his verbis.

VERS. 30. Καθὼς ἀκούω, κρίνω.

Alludere videtur ad morem, *Sanhedr.* cap. ult. hal. 2. Judex in Conſeſſu aliquo inferiori de re aliqua dubitans, aſcendit ad *Hieroſolymam*, ut audiat determinationem *Synedrii* in re iſta, & ſecundùm eam judicet.

VERS. 35. Λύχνος ὁ καιόμενος καὶ φαίνων.

Loquitur ſecundùm dialectum vulgarem gentis, cui non infrequens virum aliquem, vitâ & ſcientiâ illuſtrem, vocare בוצינא, *Lucernam. Bereſh. Rabba*, fol. 95. 4. *Shua* (ſocer *Judæ*, Geneſ. 38.) *erat* בוצינא דאתרא, *Lucerna loci ſui.* Gloſſ. *Illuſtriſſimus in urbe ſua, illuminans oculos eorum. Hinc tituli Rabbinorum,* בוצינא דאוריתא, *Lucerna Legis:* בוצינא דנהורא, *Lucerna lucis*, &c.

VERS. 39. Ἐρευνᾶτε τὰς γραφάς.

Non imperandi modo dici hæc videntur, ſed indicandi. אתון דרשין, *Vos inquiritis* in Scripturas, & in iis putatis vitam æternam habere, atque illæ ſunt quæ de me teſtantur; & tamen ad me non vultis venire, ut habeatis vitam.

דרשה quid ſit, norunt omnes qui triverunt libros Hebræorum. Erat inquiſitio in Scrip-

Digitized by Google

CAP. VI. VERS. 4, 9. Scripturas ſcrutaminoſior, media inter פשוט, & קבלה, inter inveſtigationem ſenſûs literalis, & Cabbaliſtici, ut exemplis docet *R. Bechai* unaquâque ferè paginâ. Iſto modo commentandi, conſtant plerumque Tractatus iſti qui vocantur *Rabboth*, expoſitionibus ſcil. allegoricis, aut myſticis.

CAP. VI.

VERS. 4. Ἦν δὲ ἐγγὺς τὸ Πάσχα.

PEſachin, fol. 6. *Traditio. Interrogant & differunt de ritibus Paſchatis, triginta diebus ante Paſcha.*

Hieroſ. Shekalim, cap. 3. hal. 1. דתנינן פרס פלגא, *Senſus* פרס *eſt Dimidium: Dimidium ſcil. triginta dierum ante feſtum, in quibus differunt de ritibus feſti.*

Ab horum 30. dierum initio, & porrò, feſtum erat populo in oculis & ore, præſertim verò in פרס, quindecim diebus, feſtum proximè antecedentibus. Hinc forſan ſumas ſenſum verborum, Ἦν ἐγγὺς τὸ Πάσχα.

Ab initio horum triginta dierum, viz. *à decimo quinto menſis Adar, reſtaurarunt vias, plateas, pontes, congregationes aquarum.* ועושין כל צורכי הרבים, *& omnia negotia reipublicæ fecerunt, & pinxerunt ſepulchra, atque proceſſerunt circa heterogenea* יוצאין אף על הכלאים, *Shekalim*, cap. 1. hal. 1. Ubi *Gemara Hieroſ.* אלו הן כל צורכי הרבים, *Hæc ſunt negotia omnia reipublicæ. Judicarunt judicia pecuniaria, capitalia & flagellativa. Redemerunt vota & ſacrata. Potarunt uxorem ſuſpectam. Combuſſerunt vaccam rufam. Terebrarunt aurem ſervi Hebræi, mundarunt leproſum, atque amoverunt opercula à puteis,* [ut liceret cuivis potare.]

Gloſſ. Atque exierunt quidam ad rem iſtam deputati, ut agros vineaſque inviſerent, an ſati eſſent agri ſeminibus, & vineæ plantatæ arboribus heterogeneis.

VERS. 9. Πέντε ἄρτους κριθίνους.

Confer 2 *Reg.* 4:42. & vide *Chetubb.* fol. 105. 2. 106. 1. ubi numerum hominum ab *Eliſha* miraculosè paſtorum, augent Magiſtri, ad bis mille ducentos. כל חד וחד קמי מאה א"ש, *Singulus panis poſitus eſt ante ſingulam Centuriam.* Gloſſ. *Viginti panes, & panus primitiarum, ecce viginti unus,* כרמל, *Spica virens, ecce viginti duo: poſitis bis ſingulatim ante centum homines, ecce bis mille ducentos.* Pari proportione, in hoc miraculo Chriſti, ponendus eſt panis unus coram mille perſonis.

CAP. VI. VERS. 12, 24, 27.

VERS. 12. Τὰ περισσεύσαντα κλάσματα.

Ex more & norma erat, ut comedentes relinquerent aliquid miniſtranti, quæ portio relicta vocatur פאה, *Peah.* Et notatur R. *Joſua*, quòd itinerans, & edulium habens ei paratum à vidua hoſpitiſſa, totum comederet, & nihil reſervaret hoſpitiſſæ miniſtranti. In *Echah Rabbathi*, fol. 62. 2. Ubi Gloſſ. *Unuſquiſque relinquit* פאה, *portiunculam in patina, & reddit miniſtranti, & iſte eſt cibus miniſtrantis.*

Quamvis non confuderim περισσεύσαντα κλάσματα cum פאה, nec quod reſiduum erat, ex obſervatione hujus normæ ortum dicam; tamen obſervare licet, duodecim cophinos fragmentorum hâc vice fuiſſe, ſecundùm numerum Apoſtolorum miniſtrantium. Aliter aliàs.

VERS. 24. Ἐνέβησαν καὶ αὐτοὶ εἰς τὰ πλοῖα.

A *Capernaumo* ad deſertum *Bethſaidæ* iverant pedibus, *Marc.* 6:33. per pontem ſcil. *Chammathæ* prope *Tiberiada*. At remeant navibus, partim ut feſtinantiùs ſequerentur Jeſum, forſan ut ad Synagogam accederent tempeſtivè: nam erat iſte dies in quo conventum eſt in Synagogis.

VERS. 27. Τοῦτον γὰρ ὁ πατὴρ ἐσφράγισεν, ὁ Θεός.

Multa loquuntur Judæi de חותמו של הב"ה, *Sigillo Dei*, quæ non incongruè hîc in mentem revocentur.

Hieroſ. Sanhedr. fol. 18. מה חותמו של הב"ה, *Quodnam eſt ſigillum Sancti Benedicti? R. Bibai nomine R. Reuben dicit,* אמת, *Veritas.* ומהו אמת, *At quidnam eſt Veritas? R. Bon dicit,* אלהים חיים ומלך עולם, *Deus vivens & Rex æternus. Resh Lachish dicit,* א *eſt prima litera Alphabeti,* מ *media, &* ת *ultima: quaſi diceret, Ego Jehovah ſum primus, nec quicquam accepi à quopiam, & præter me non eſt Deus: nam non eſt qui mecum commiſcetur, & cum poſtremo ego ſum.*

Babyl. Sanhedr. fol. 64. 1. & *Joma*, fol. 69. 2. Hiſtoria eſt de Synagoga magna ejulante, orante, jejunante: נפל להו פיתקא מרקיעא דהוה כתוב בה אמת, *Cecidit tandem iis Schedula de firmamento, in qua ſcriptum erat* אמת, *Veritas. R. Chanina dicit, Inde diſce quòd Sigillum Dei eſt Veritas.*

Applicatio ad Chriſtum facillima, ut Cap. 14:6. Ipſe eſt Character Patris, Veritas Patris, & quem ſigillo & diplomate ſuo roboravit, ut magnum regni ſui & familiæ procuratorem.

VERS. 28.

Digitized by Google

CAP. VI. VERS. 28, 31.

VERS. 28. Τί ποιῶμεν ἵνα ἐργαζώμεθα τὰ ἔργα τοῦ Θεοῦ.

Obſerva primùm regulam circa operarios.

Bava Mezia, fol. 83. 1. אלו אוכלין מן התורה, *Conceditur ex permiſſione Legis, ut operarii edant de iis rebus in quibus jam operantur. Si in vindemiatione, edant de uvis; ſi in collectione ficuum, edant de ficubus; ſi in meſſione, edant de ſpicis*, &c.

Imò פועל אוכל קישות אפילו בדינר, *Operario in iſtis rebus operanti, licet edere peponem valentem denarium, dactylos valentes denarium*, &c.

Et jam confer horum verba. Dixerat Chriſtus, *Operemini cibo permanenti in vitam æternam.* Et quodnam eſt illud opus Dei, cui operantes poſſimus edere de iſto cibo? Credite in Chriſtum, & editis de Chriſto.

VERS. 31. Οἱ πατέρες ἡμῶν τὸ μάννα ἔφαγον.

I. Quærunt ab eo ſignum Meſſiâ dignum; & in genere, videntur oculos habere intentos in dapes iſtas, quas gens ſomniavit exhibiturum Meſſiam, cùm adveniret: & ſpeciatim expectant manna.

Non quæritis me, inquit Salvator, quia *vidiſtis miraculum, ſed quia ediſtis panes, & ſaturati eſtis.* Num omnes illi pauperes, ut neceſſe habuerint alienâ vivere quadrâ, ſequerenturque Chriſtum merè ob cibum? Quin potiùs quòd expectarent ab eo ulteriora dapium, ſecundùm ſomnium gentis. Forſan in iſtis patinis erat illius animus, qui dixit, *Beatus eſt qui manducabit panem in regno Dei*, Luc. 14: 15.

Rambam in Sanhedr. cap. 10. *Dicunt plurimi, quòd ſpes Iſraëlis eſt, quòd veniet Meſſias, & reſuſcitabit mortuos, & congregabuntur in hortum Edenis, atque edent & bibent, atque erunt corporibus ſaginatis omnibus diebus mundi.---- Et quòd ibi ſunt domus ſtructæ ex lapidibus pretioſis, & lecti ſtrati ſerico, & fluvii fluentes vino, & oleo aromatico.*

Shemoth Rabba, ſect. 25. *Deſcendere pro iis fecit manna, in quo erant omnimodi ſapores, & guſtavit in eo unuſquiſque Iſraëlita quodcunque voluit. Si deſideravit in eo pinguedinem habuit. Adoleſcentes guſtarunt in eo panem, ſenes mel, pueri oleum.---- Sic tempore futuro, facturus eſt Iſraëli pacem, atque illi accubabunt, & comedent in horto Edenis, & nationes mundi intuebuntur eorum ſtatum, ſicut dicitur, Ecce ſervi mei comedent; at vos eſurietis*, Eſaj. 65: 13. Heu, qualiter & quantùm decipimini; ô miſerrimi hominum, nam de vobis ipſis eſurientibus planè eſt ſermo!

CAP. VI. VERS. 32, 39.

Infinita ſunt ſomnia ejuſdem vafritiei: ſpeciatim de *Leviathane* & *Behemoth* in convivia iſta parandis. *Bava Bathra*, fol. 74. 2. *Targ. Jonath.* in *Geneſ.* 1: 21. *Pirke R. Eliezer*, cap. 11.

II. Confer præſertim cum hoc quod proponunt hi Judæi de manna, illud

Midras Schir, fol. 16. 4. *Redemptor poſterior* [Meſſias, nam de *Moſe* redemptore priori, dictum erat immediatè antè.] *revelabitur iis, &c. Et quonam ille eos ducet? Sunt qui dicunt in deſertum Judæ; & ſunt qui dicunt in deſertum Sichonis & Og.* [Chriſtus quidem heri cùm miraculosè paſceret turbam, erat in deſerto Og, nempe in *Batanæa* aut *Basban*.] ומוריד להם המן, *Et deſcendere faciet pro iis manna.* Nota illud. Sic

Midras Coheleth, fol. 86. 4. *Redemptor prior deſcendere fecit pro iis manna, ſic & redemptor poſterior* יוריד את המן, *deſcendere faciet manna, ſicut ſcriptum eſt, Erit particula frumenti in terra*, Pſalm. 72: 16.

VERS. 32. Οὐ Μωσῆς δέδωκεν ὑμῖν τὸν ἄρτον.

Aſſerunt Gemariſtæ, mannam datam fuiſſe propter meritum *Moſis*.

Taanith, fol. 9. 1. *Tres Paſtores boni erant Iſraëlis, Moſes, Aaron & Miriam; & tria bona dona exhibita ſunt per eorum manus, fons, & nubes; & manna. Fons propter meritum Miriamæ; columna nubis propter meritum Aaronis; & manna* בזכות משה, *propter meritum Moſis.*

In hujus ſenſûs contrarium verè dici poteſt; Οὐ Μωσῆς δέδωκεν ὑμῖν τὸν ἄρτον, i. e. *Nequaquàm per & propter meritum ſuum.* At quid ulteriùs reſpexerit Chriſtus in hiſce verbis, quære apud Commentatores.

VERS. 39. Ἀναστήσω αὐτὸ ἐν τῇ ἐσχάτῃ ἡμέρᾳ.

Sic etiam *verſ.* 40, & 44. Emphaſis latet in Ἐν ἐσχάτῃ ἡμέρᾳ.

I. Expectarunt, ut dictum eſt, reſurrectionem mortuorum in adventu Meſſiæ: vis unum exemplum?

Hieroſ. Kilaim, fol. 32. 2. *R. Jeremia dixit, Sepelite me, cùm mortuus fuero, cum induſio & calceis*, &c. *ut cùm advenerit Meſſias, paratus ſim ad ejus occurſum.*

Applica huc ergò verba Chriſti. Expectatis reſurrectionem in adventu *Meſſiæ*, & dum quæritis a me ſignum, in animo veſtro forſan eſt, ut reſuſcitem aliquos a mortuis. Hoc ſatis eſto, quòd quicunque ad me venerit,

 atque

CAP. VI. atque in me crediderit, per me reſuſcitabitur ἐν τῇ ἐσχάτῃ ἡμέρᾳ.
VERS.
45. 51. II. Erat hæc ſententia gentis de generatione eremi.

Sanhedr. cap. *Helek.* hal. 3. *Generationi eremi non eſt ulla portio in mundo futuro, nec ſtabunt illi in judicio.*

De generatione eremi erat ſermo anteà in *verſ.* 31. de comedentibus ſcil. manna in eremo. At manna ità eos non pavit ad vitam æternam, vobis ipſis fatentibus, ut ſint revicturi, & portionem adepturi in mundo futuro. Aſt ego panis verè cœleſtis, paſco in æternitatem, & me veſcentes, i. e. in me credentes, Ἀναστήσω ἐν τῇ ἐσχάτῃ ἡμέρᾳ, ut portionem habeant in mundo futuro.

VERS. 45. Καὶ ἔσονται πάντες διδακτοὶ τοῦ Θεοῦ.

Eſaj. 54:13. *Et omnes filii tui erunt docti à Deo.*

Filii Iſraëlis, *Hieroſolymæ*, *Sionis* frequentiſſimè apud Prophetas, ſunt Gentiles convertendi ad fidem :. docti ante à Diabolo per oracula ſua & idola; aſt erunt tandem filii Eccleſiæ, & docti à Deo.

Peſſimè applicant Magiſtri hæc verba Prophetæ, dum per *filii tui* intelligunt תלמידי חכמים, *Diſcipulos Sapientum.*

Beracoth, fol. 67. 1. *Diſcipuli Sapientum multiplicant pacem in mundo, ſicut dicitur, Omnes filii tui erunt docti à Deo, & magna erit pax filiorum tuorum.* אל הקרי בניך אלא בוניך, *Nè legas Baneca, filii tui, ſed Boneca, ædificatores tui.*

At quinam mortalium erant magis docti ab hominibus, & minùs à Deo, dum eruditi tantùm forent in Traditionibus Patrum? A Patre docendus eſt ille qui vult venire ad Filium, non ab iſtis Patribus: à Deo, non à Magiſtris Traditionum.

VERS. 51. Ὁ ἄρτος ὃν ἐγὼ δώσω, ἡ σάρξ μου ἐστίν.

Tacitè confutat ſomnium illud de dapibus iſtis à *Meſſia* præbendis, & nugas iſtas improbat, docendo, dapes à Chriſto pro ſuis paratas, eſſe ſeipſum. Nec expectent illi, hæc & illa neſcio quæ opima fercula, & lauta convivia; præbebit ille ſeipſum manducandum, cibum ſupra omnes epulas excellentem, cœleſtem, ſalutiferum.

Super totam hanc periocham, quæ agit de manducatione carnis & ſanguinis Chriſti præfandum meritò eſt illud,

Marc. 4:11, 12. *Per parabolas loquor, & per parabolas omnia fiunt, ut videntes videant, & non percipiant*, &c. Et *verſ.* 34. *Sine parabola non loquebatur iis; ſeorſim verò Diſcipulis ſuis explicabat omnia.* CAP. VI.
VERS.
Et nonne per parabolas etiam hoc in ſermone? 51.

I. Vix erat quicquam frequentius in Scholis Judaicis, quàm audire vocabula *edere & bibere* ſumpta ſenſu metaphorico; & aſperum & durum foret, ſi non metaphorico hâc in locutione, cùm locutio ſecundùm literam ſit tam aſpera & dura: bibere ſanguinem; quod Judæis vetitum ſemel iterumque, ſub ſeveriſſima interdictione: & edere carnem humanam; quam rem horret ipſa humanitas: & horrebit Judæus ſupra omnes, cui non licitum edere אבר מן החי, membrum etiam beſtiæ viventis, nec tangere אבר מן המת, membrum hominis mortui.

Midras Coheleth, fol. 88. 4. כל אכילה ושתיה וגו׳, *Omn[illegible] comeſtio & bibitio, cujus eſt mentio in libro Eccleſiaſtæ, dicitur de Lege & bonis operibus.* Parabolicè & metaphoricè. Patere & tu, ô Capernaïta, & ô Pontificie, comeſtionem & bibitionem hoc in ſermone dici etiam parabolicè.

II. *Panis* non rarò apud Scriptores Judaicos ſumitur pro *doctrina*: & cùm loquitur Chriſtus de manducatione carnis ſuæ, docere potuit etiam, ſe non doctrinâ tantum ſuos paſturum, ſed etiam ſeipſo.

Hagigah, fol. 14. 1. כל משען לחם, *Omne fulcimentum panis*, Eſaj. 3:1. אילו בעלי תלמוד, *Hi ſunt Magiſtri doctrinæ, ſicut dicitur, Venite, & comedite de pane meo*, Prov. 9:5.

Gloſſ. in *Succah*, fol. 52. האכילהו לחם, *Ciba eum pane, id eſt, Fac eum laborare in prælio Legis, ſicut dicitur, Venite, comedite de pane meo.*

Moſes pavit doctrinâ & mannâ; at ego doctrinâ & carne meâ.

III. Occurrit apud ipſos Talmudicos mentio de manducatione *Meſſiæ.*

Sanhedr. fol. 98. 2. *Dicit Rabh*, עתידין ישראל דאכלי שני משיח, *Comeſturi ſunt Iſraël annos Meſſiæ.* [Gloſſ. Saturitas quæ erit in diebus Meſſiæ, erit Iſraëlitarum.] *Dicit Rabb Joſeph, Verè quidem; at verò quiſnam de ea comedat?* חילק ובילק אכלי לה, *An Chillek & Billek* (duo Judices Sodomæ) *comedent de ea? Ad excipiendum illud R. Hillelis, qui dicit*, אין משיח להם לישראל שכבר אכלוהו בימי חזקיה, *Non futurus eſt Meſſias Iſraëli, nam eum antehac comederunt in diebus Hezechiæ.* Repetuntur iſta verba *Hillelis*, fol. 99. 1.

En *manducantes Meſſiam*, & nulla querela de phraſiologia.

Querela quidem eſt contra *Hillelem*, quòd dixerit, *Meſſiam* ita comeſum fuiſſe in diebus *Hezechiæ*, ut non futurus ſit ampliùs Iſraëli:

at

Digitized by Google

CAP.VII. VERS. 2. at de modo loquendi non eſt ſcrupulus omninò ullus. Nam planè quid ſibi vellet, per *manducationem Meſſiæ* intellexerunt: nempe quòd in diebus *Hezechiæ* participes facti ſunt *Meſſiæ*, cum receperunt avidè, & amplexati ſunt lætanter, & quaſi abſorpſerunt: non ergò expectandus ſeculis futuris.

Gloſſ. in loc. *Non eſt Meſſias Iſraëli, nam Ezechias fuit Meſſias.*

IV. At craſſius videtur dictum, cùm loquitur de manducatione ipſius carnis, & bibitione ſanguinis. Verùm docet ipſe, hæc ſpiritualiter intelligenda, cùm dicit, *Hoc vos ſcandalizat? Quid ſi videritis Filium hominis aſcendentem ubi erat priùs?* Id eſt, Cùm videritis me aſcendiſſe in cœlum, tunc intelligetis impoſſibile eſſe edere carnem meam, & bibere ſanguinem meum corporaliter; nam quàm impoſſibile dentibus manducare carnem ejus, qui eſt in cœlo? Intelligite ergò, me loqui de ſpirituali manducatione. *Nam verba quæ loquor, ſpiritus & vita ſunt.*

V. At quonam ſenſu intellexerunt illi qui intellexerunt? Non ſacramentali, niſi jam noverint & agnoverint mortem Chriſti, (cùm Sacramentum relationem habeat ad ejus mortem) quod palàm fit alibi, eos non adhuc agnoviſſe. Multò minùs ſenſu Judaico: nam fides Judaica erat de participatione *beneficiorum* Meſſiæ, eorumque tantùm terrenorum. At participare verè de *Meſſia*, eſt participare de ipſo Meſſia, de pura ejus natura, de ejus juſtitia, de ejus ſpiritu, vivere, creſcere, nutriri per iſtam participationem. Res Scholis Judaicis inauditæ, non creditæ, non cogitatæ; at quas optimè Salvator exprimit per manducationem ſui.

C A P. VII.

VERS. 2. Ἑορτὴ τῶν Ἰουδαίων ἡ Σκηνοπηγία.

DEducamus hunc menſem ab initio ſuo, ad hoc feſtum.

Tiſri

I. *Primus dies menſis Tiſri, erat initium anni, pro ſtatuendis annis, intermiſſionibus anni ſeptimi, & Jubilæis. Roſh haſhanah*, fol. 2. 1.

Clangor tubarum, *Levit.* 23:24. Nuntii emiſſi ad notificandum de initio anni.

Hoc die inchoatus eſt annus mundi 3960. in cujus medio Chriſtus crucifixus.

II. יום טוב שני, Dies ſecundus: feriatus, etiam Judæis qui in Babylonia, ut certè caveretur de obſervando initium anni.

Tiſri

III. Jejunium propter occiſionem *Gedaliæ*: nam ſic intelligunt verba iſta, *Zechar.* 8: 19. *Jejunium menſis ſeptimi. Raſi* & *Kimchi* in loc. & *Maimon.* in *Taanith*, cap. 7. CAP.VII. VERS. 2.

IV. Hodie eſt Pontifex maximus in Conclavi פרהידרין, Προεδρων, vel Παρέδρων, quò ſe contulit à domo ſua, ut inſtruatur, & ſe exerceat circa ritus diei expiationis jam adventantis, ut paratus & promptus ſit ad officium iſtius diei. *Joma*, cap. 1. hal. 1. *Septem diebus ante diem expiationis, ſeparant ſummum Pontificem à domo propria in Conclave Προέδρων, & ſubſtituunt ei Sacerdotem alium, nè fortè occurreret ei aliquid immunditiei.*

V. Toto ſeptiduo, ex quo ſe è domo propria, in hoc Conclave contulit, ad ipſum expiationis diem, ſpargit ille ſan-

VI. guinem ſacrificii jugis, ſuffitum facit thymiamatis, emendat lampadas, at-

VII. que affert ad altare caput victimæ & crura, ut inſtructior inde fiat ad officium diei expiationis. *Ibid.* fol. 14. 1.

VIII. Iſto etiam ſeptiduo committunt ei ſeniores aliquos de *Beth Din*, qui legant coram eo officium iſtius diei. Et tandem ſeniores iſti tradunt eum ſenioribus ſacerdotii, à quibus inſtruitur de pugillando thymiamate. Illi autem eum convehunt in Conclave *Abtines*, & adjurant eum, ut officio diei fungatur ſecundùm normam, non ſecundùm Sadducæos.

IX. Cùm toto ſeptiduo permitterent eum cibum capere more ſolito, appropinquante jam veſpere hujus diei, parciùs eum cibant, nè repletio invitaret ſomnum. Totam noctem ducunt inſomnem; & ſi quando eum nutantem ad ſomnolentiam obſervent, vel verbis, vel ſonitu aliquo eum expergefaciunt.

X. Dies expiationis, jejunium ſolenne.

Hoc die inceptus eſt annus Jubilæus cùm adventaret, *Levit.* 25: 9. Et reverà hic annus qui jam inchoatur, erat Jubilæus viceſimus octavus, computato calculo à ſeptimo Joſuæ, quo ſubjugata eſt terra, & fruens pace, *Joſ.* 11: 23.

XI. Confluunt jam turbæ ad feſtum Tabernaculorum, ut

XII. ſe ante feſtum purificent, & parent ad

XIII. feſtum neceſſaria, qualia erant tentoriola, poma citrina, faſciculi palmarum & ſalicum, &c.

Si qui verò immundi erant ex contactu mortui, iis neceſſe erat ut *Hieroſolymas* ſe conferrent ante feſtum expiationis, ut purificationem ſeptiduanam ſubirent ante feſtum Tabernaculorum.

Tonde-

Digitized by Google

CAP.VII. VERS. 2. *Tiſri.* XIV. Tondebantur vulgò in veſperiis feſti in honorem feſti. *Tiſbe Toſaphoth*, in *Moed Katon*, artic. 78.

XV. Primus dies Scenopegiæ, dies feſtus, oblati tredecim juvenci, &c. *Numer.* 29: 13, &c. præparatio Chagigæ, pernoctatum in Hieroſolymis.

XVI. Secundus dies, duodecim juvenci, comparitio maſculorum in Atrio.

XVII. Tertius dies, undecim juvenci.

XVIII. Quartus dies, decem juvenci.

XIX. Quintus dies, novem juvenci.

XX. Sextus dies, octo juvenci.

XXI. Septimus dies, juvenci ſeptem.

XXII. Octavus dies, juvencus unus.

Omnibus hiſce diebus facta eſt libatio *aquæ* in altari cum vino, [Res nunquam alias uſitata] atque iſtius rei ergò, lætitia, jubilatio, tripudiatio, cui ſimilem non vidit totus annus.

Spectatum admiſſi riſum teneatis?

Succah, cap. 5. hal. 2. *In exitu diei primi feſti, deſcenderunt in Atrium mulierum, & ſcenam magnam ibi ordinarunt*, [i. e. tabulata in quibus ſtandum, fœminis ſuprà, viris infrà.] *Candelabra aurea erant ibi*, [parietibus affixa] *& ſuper ea, ſimpula aurea: erantque quatuor ſcalæ quibus aſcenſum ad ea; quatuorque juvenes Sacerdotum, in manibus habentes ampullas continentes centum & viginti Logos: infundunt in unumquodque ſimpulum. Ex lacernis veſtimentorum cingulorumque Sacerdotum, ellychnia fecerunt, quibus accenderunt iſtas lampadas: & non erat in tota Hieroſolyma platea ulla, quæ non corruſcaret ex iſta irradiatione.*

Viri religioſi & devoti ſaltarunt coram iis, in manibus etiam habentes ardentes faces, & cantica decantarunt & doxologias. Levitæ cum cytharis, nabliis, cymbalis, aliiſque inſtrumentis muſicis abſque numero ſteterunt in xv. *gradibus, quibus deſcenditur ab Atrio Iſraëlis in Atrium mulierum, ſecundùm* xv. *Pſalmos graduum, atque ediderunt Canticum. Steterunt etiam duo Sacerdotes in porta ſuperiori, quæ deſcendit ab Atrio Iſraëlis in Atrium mulierum, cum duabus in manibus tubis.* קרא גבר, *Cùm caneret gallus*, (vel cum ſignum daret Præfectus) *cecinerunt tubâ, & clanxerunt: cùm pervenirent ad gradum decimum, cecinerunt tubâ, & clanxerunt: cùm pervenirent in Atrium, cecinerunt tubâ, & clanxerunt: cùm ad pavimentum, cecinerunt tubâ, & clanxerunt. Et ſic perrexerunt clangentes, donec pervenirent ad portam Atrii Orientalem. Cùm illuc perventum, facies ſuas converterunt ab Oriente in Occidentem, & dixerunt, Patres noſtri hoc in loco, verſis ad Templum dorſis, & faciebus ad Orientem, adorarunt Solem: nos autem facies noſtras ad Deum*, &c. CAP.VII. VERS. 4, 8.

Gemara, *Tradunt Rabbini. Quidam eorum, dum ſaltarent, dixerunt, Benedicta ſit juventus noſtra, quæ non pudefecit ſenectutem noſtram.* אילו חסידים ואנשי מעשה, *Hi fuerunt religioſi & viri bonorum operum. Et quidam dixerunt, Benedicta ſit ſenectus noſtra, quæ expiavit juventutem noſtram. Et hi & illi dixerunt, Benedictus ſit ille qui non peccavit, atque illi qui peccavit remittatur.*

De ratione tantæ jucunditatis & lætitiæ dicemus ad *verſ.* 38.

VERS. 4. Ἐν κρυπτῷ, בצנעא.
Ἐν παῤῥησίᾳ, בפרהסיא.

Fratres hi Chriſti, quicunque illi tandem, non crediderunt adhuc, quia viderunt *Jeſum* obſcurum nimis, & non pompam iſtam geſtantem, qualem expectarunt in *Meſſia*. Atque ideò eum hortantur ut proficiſcatur in Judæam, ubi plurimos Diſcipulos baptizaverat, *Cap.* 3: 22. ut ob miracula ſua coronaretur majori majeſtate.

VERS. 8. Ἐγὼ ὔπω ἀναβαίνω εἰς ἑορτὴν ταύτην.

Verba *Lucæ*, Cap. 9: 51. *Et jam appropinquante tempore aſſumptionis ejus, obſirmavit faciem ſuam ut iret Hieroſolymam*, ſunt ad ipſiſſimam hanc hiſtoriam referenda: quod harmoniam Euangelicam compingenti patebit planè; præſertim verò obſervanti, duo poſt hoc itinera Chriſti ad Hieroſolymam memorari ab eodem Euangeliſta, viz *Cap.* 13: 22. ad feſtum Encœniorum; & *Cap.* 17: 11. ad Paſcha. Abſentaverat ſe jam diu à Judæa ob nexas vitæ ſuæ inſidias: at jam cum reſtaret tantùm dimidium anni miniſterio ejus & vitæ, firmo propoſito ſe roborat ſeipſum manifeſtandi & in Judæa, & ubicunque incederet. Hujus ergò, *miſit* LXX. *Diſcipulos ante faciem ſuam in omnem locum & urbem quo ipſe erat venturus, Luc.* 10: 1.

Cum ergò dicit fratribus non credentibus, Ἐγὼ ὔπω ἀναβαίνω, &c. nequaquàm negat ſe profecturum, ſed dicit tantum ſe non *adhuc* profecturum; partim quòd non opus forſan haberet eâ purificatione quâ illi, ſi modò illi immundi ex contactu mortui; partim ut eligeret opportunum tempus ſeipſum patefaciendi.

Verum animadverſo, ut Chriſtus exceptus fuerit Hieroſolymis quinquiduo ante Paſcha, cum ritibus & ſolennitate feſti Tabernaculorum, *Cap.* 12: 13. videntur hæc verba eò referenda, ut vox ταύτην non denotet individuum hoc feſtum iam inſtans, ſed *genus* feſti

Digitized by Google

CAP.VII. VERS. 14, 19, 22. feſti aut feſtivitatis. Ac ſi dixiſſet, Vultis me ad hoc feſtum aſcendere, ut à Diſcipulis meis excipiar cum applauſu. Ego verò adhuc ad talem feſtivitatem non aſcendo, nam tempus iſti rei præſtitutum non adhuc advenit.

VERS. 14. Τῆς ἑορτῆς μεσούσης.

בחולו של מועד, *Die aliquo de profeſtu feſti.*

At nonne affuit die primo & ſecundo, ut ea præſtaret quæ præſtari oportuit iſtis diebus, parando Chagigas, & comparendo in Atrio?

Si afforet die ſecundo, dici tamen poteſt quòd affuit μεσούσης τῆς ἑορτῆς, בחולו של מועד, nam dies iſte non erat feſtus, niſi forſan hâc vice foret Sabbatum. Et pro abſentia die primo, erant תשלומין, *Compenſationes*, de quibus ſic Magiſtri.

Gloſſ. in *Hagigah*, fol. 2. 1. תשלומין דראשון, *Compenſationes pro primo die, hæ ſunt. Si quis tenetur ad offerendum aliquid die primo, & non offert, compenſat offerendo die aliquo alio.*

Aſt illud quod hîc dicitur, quòd *aſcendit in Templum*, *& docuit* ἑορτῆς μεσούσης, nequaquàm negat præſentiam ejus die primo: nec temerè opinandum eſt, eum velle negligere quicquam quod præſcriptum à Lege. Verùm, an omnes ritus feſti à Scribis excogitatos practicarit, poteſt quæri. An habuerit סוכה, tentoriolum de proprio, an uſus ſit alieno, quod permiſſum, *Succah*, fol. 27. 2. An quatuordecies comederit in iſto tentoriolo, quod præſcriptum, *ibid.* cap. 2. hal. 6. An geſtarit לולב, faſciculos palmarum & ſalicum circum altare: an geſtarit malum citreum אתרוג: an fecerit tentoriolum per totum ſeptiduum, fixam ſuam habitationem, domum autem, habitationem ſolùm occaſionalem: atque alia plurima, de quibus curioſe & fuſe præſcribitur in Canonibus de hoc feſto.

VERS. 19. Τί με ζητεῖτε ἀποκτεῖναι;

Emphaſis totius commatis latet præcipue in voce με. Nemo veſtrûm præſtat Legem, & tamen me ſolum ſtudetis interimere ut tranſgreſſorem: quare, quæſo, non alios?

VERS. 22. Ἐν σαββάτῳ περιτέμνετε ἄνθρωπον.

Shabb. fol. 128. 1. כל צורכי מילה עושין בשבת, *Omnia ad Circumciſionem neceſſaria faciunt Sabbato.*

Ibid. fol. 130. 1. *R. Akibah dicit, Omne opus quod fieri poteſt veſperiis Sabbati, non pellit* Sabbatum. *At Circumciſio quæ fieri non poteſt veſperiis Sabbati, pellit Sabbatum.* CAP.VII. VERS. 22, 27.

Tanchum, fol. 9. 2. *Periculum vitæ pellit Sabbatum:* ומילה ורפואתה, *Circumciſio etiam atque ejus ſanatio pellit Sabbatum.*

Aſt de hac re diſtinguitur in

Beresh. Rabba, fol. 9. 1. *Jacob Naborienſis docuit ſic in Tſur:* מותר למול בנה של נכרית בשבת, *Licet circumcidere filium fœminæ alienigenæ Sabbato. Audiit hæc R. Haggai, & miſit ad eum, dicendo,* תא לקי, *veni, & vapula,* &c. Et paulò poſt, *Dicit ei R. Haggai,* רביע ואנא מורע לך, *Decumbe,* (ut vapules) *& ego te docebo. Si veniat ad te Ethnicus, & dicat tibi, Ego vellem fieri Judæus, ita ut circumcidendus ſit die Sabbati, aut die expiationis, num ejus gratiâ profanant iſtos dies? Nonne non profanant Sabbatum & diem expiationis, niſi ob filium Iſraëlitiſſæ ſolum?* non alienigenæ. Habentur eadem etiam in *Bemidbar Rabba*, fol. 273. 4. & *Midr. Cohel.* fol. 104. 2.

Quæritur de modo quo Chriſtus argumentatur. Dixerim ego hoc modo: Propter hoc dedit *Moſes* vobis Circumciſionem, ut dignoſceretis naturam Sabbati. Nam I. Circumciſio erat à Patribus ante *Moſen* obſervanda die octavo. II. Jam verò, cum *Moſes* leges ſanciret de Sabbato, nequaquam rejecit Circumciſionem, nec prohibuit quin fieret Sabbato, ſi dies iſte fuerit octavus. III. Διὰ τοῦτο, Propter hoc dedit, vel continuavit vobis *Moſes* Circumciſionem, ut diſceretis dijudicare de natura Sabbati. Et arguamus, Si per *Moſen* liceat pro emolumento infantis, circumcidere eum Sabbato, nonne per *Moſen* licet pro emolumento grandævioris ſanare eum Sabbato? Si vulnerare vobis liceat infantem per Circumciſionem; æque, ſi non magis, mihi licet ſanare per verbum.

VERS. 27. Χριστὸς ὅταν ἔρχηται, οὐδεὶς γινώσκει πόθεν ἐστίν.

Quomodo hæc congruunt cum *verſ.* 42. & *Matth.* 2: 5, 6?

Non dubitarunt eum à *Bethlehemo* primò manifeſtandum, ſed occultandum iterum, & poſt aliquod ſpatium appariturum iterum, ſed ignotum, unde,

Hieroſ. Beracoth, fol. 5. 1. & *Midras Echah*, fol. 68. 3. fatentur Chriſtum ante ſua tempora fuiſſe natum in Bethlehemo, ſed illico abreptum neſcio quî, & abſconditum & non inveniendum. Plenam hiſtoriam retulimus ad *Matth.* 2: 1.

Conceptum eorum de hac re enarratum habes in

Midras Schir, fol. 16. 4. *Dilectus meus eſt ſimilis capreæ hinnuloque cervorum*, Cant. 2: 9.

Digitized by Google

CAP. VII. VERS. 28, 35.

Caprea apparet & occultatur, apparet & occultatur, Sic redemptor primus [Moſes] *apparuit, & fuit occultatus, & tandem apparuit iterum. --- Sic redemptor poſterior* [Meſſias] *revelabitur iis, atque iterùm abſcondetur ab iis. Et quamdiu abſcondetur ab iis?* &c. Et paulò pòſt. *In fine quadraginta quinque dierum revelabitur iterùm iis, & deſcendere faciet pro iis manna.* Eadem in *Bemidbar Rabba*, fol. 243. 2.

Concipiunt duplicem manifeſtationem *Meſſiæ*. Primam in *Bethlehemo*: aſt eum illicò occultandum & laiturum. Sed tandem ſe iterùm manifeſtaturum, non noto unde, & quomodo advenerit. In comparitione ſua prima à *Bethlehemo*, nihil memorabile ab eo agendum: in ſecunda, gentis expectatio. Jam ergò hi Judæi, quorum hæc verba quæ tractamus, noverint ejus nativitatem in Bethlehemo, nec ne, ex actis ejus miraculoſis, concipiunt hanc eſſe ſecundam ejus manifeſtationem: atque ideò dubitant, an ille verus *Meſſias*, quia norunt locum [*Nazaretham*] unde proceſſit; edocti à Traditionibus ſuis, Meſſiam ſecundò proventurum è loco omnibus penitùs ignoto.

VERS. 28. Ἀλλ' ἔστιν ὁ πέμψας με ἀληθινὸς, ὃν ὑμεῖς οὐκ οἴδατε.

Ἀληθινὸς hîc eodem ſenſu quo [נאמן] infinities apud Juriſtas: nempe ut eum denotet, cujus verbum & teſtimonium in re quavis acceptandum & approbandum.

Chagigah, fol. 24. 2. *Homines Judææ* [נאמנין], *credendi ſunt de puritate vini & olei.* Gloſſ. *Etiam populus terræ, vel plebeji credendi ſunt de puritate vini & olei, ab iis dicati altari, tempore vindemiarum & torculariorum.*

Homines nomine aut facie non noti Sacerdotibus, tamen cùm offerrent vinum aut oleum, crediti ſunt de ejus puritate & idoneitate ob ipſum locum habitationis. Infinita ſunt iſtiuſmodi de hominibus, quamvis ignotis, tamen credendis, de decimatione, de ſeparanda Trumah, de perhibendo teſtimonio, &c. Eodem ſenſu Salvator, Cap. 5: 31. *Si ego teſtor de meipſo, meum teſtimonium non eſt verum:* id eſt, in judiciis veſtris non valet apud vos, ubi non conceditur ut quivis ſit proprius teſtis. Et hoc in loco, *Ille qui me miſit*, quamvis vos eum non ſciatis, *eſt credendus & fide dignus*, quanquam ego apud vos non ita ſiem.

VERS. 35. Μὴ εἰς τὴν διασπορὰν τῶν Ἑλλήνων, &c.

Novi Ἕλληνας apud Apoſtolum denotare frequentiſſimè *Gentiles:* cui conſonat etiam illud apud Rabbinos, cùm per חכמת יונית *Sapientia Græca*, intelligatur *Sapientia Ethnica*. Aſt hoc in loco ego Ἑλλήνων proprio ſignificatu ſumpſerim *Græcorum*. Atque in bivio eſt, an per Διασπορὰν Ἑλλήνων, intelligas *diſperſos Græcos*, an *Judæos diſperſos inter Græcos.* Nec quidem erat in toto terrarum orbe natio ulla, quæ diſſeminata fuit in toto orbe inſtar harum.

Seneca in *Conſolat. ad Helviam*, cap. 6. *In mediis Barbarorum regionibus Græcæ urbes: inter Indos Perſaſque Macedonicus ſermo*, &c.

Et ut Judæi in omnibus regionibus diſperſi, docent & Paginæ ſacræ & profanæ.

Jam ergò, ſi verba hæc intelligantur de Græcis, hunc ſenſum ſecum ferunt, Num iturus eſt ad Græcos hîc illîc, remotiſſimè, diſſitiſſimè diſperſos?

Si verò de Judæis intelligenda ſint, [quod magis obtinet] ego Διασπορὰν Ἑλλήνων ſtatuerim in antitheſi ad Διασπορὰν Βαβυλονίων καὶ Περσῶν. Diſtinctio iſta inter *Hebræos* & *Helleniſtas* rem eloquitur. Judæi diſperſionis primæ, in *Babylonia* ſcil. *Aſſyriâ* & regionibus adjacentibus, dicti ſunt *Hebræi*, quia uſi ſunt linguâ Hebræâ, vel Trans-euphratenſi: & quomodo in iſtas regiones ſunt primùm diſperſi, benè novimus, abducti ſcil. per Babylonicos & Perſas. Aſt illi qui inter Græcos ſparſi, idiomate uſi ſunt Græco, & vocantur *Helleniſtæ:* & non facile eſt dicere, quonam modo illi ità inter eos, aliaſque quidem Gentes ſparſi. Illi qui *Paleſtinam* habitabant, *Hebræi* quidem erant quoad linguam, at non erant de Διασπορᾷ vel hâc vel illâ, quia in propria terra habitabant.

Jam verò, diſperſio Babylonica Palæſtinæis illis viſa & habita eſt nobilior, celebrior, ſanctior, quàm diſperſio inter Græcos. Terra Babylonica, eodem gradu puritatis quo terra Iſraelitica, *R. Solom.* in *Gittin*, fol. 2. 1. Et progenies Judæorum in Babylonia clarior quam inter Græcos, & purior quàm in ipſa Judæa, *Kiddush.* fol. 69. 2. Unde Judæo Palæſtinæo ire ad diſperſionem Babylonicam, erat ire ad populum & regionem ſuis æqualem, ſi non digniorem: at ire ad diſperſionem Græcam, erat ire ad regiones immundas, ubi ipſe pulvis terræ inquinabat; erat ire ad progeniem Judæorum inferiorem & ſanguine impuriorem; erat ire inter Gentes Ethniciſſimas.

VERS. 37. Ἐν δὲ τῇ ἐσχάτῃ ἡμέρᾳ τῇ μεγάλῃ τῆς ἑορτῆς.

Loquitur Euangeliſta ſecundùm opinionem gentis: nam ex inſtitutione Dei, non apparet aliqua dignitas hujus diei ſupra primum:

Digitized by Google

CAP. VII. mum: imò apparere videtur inferioritas, infra
VERS. omnes reliquos. Nam die primo oblati ſunt
37. *tredecim* juvenci in altari, & ſecundo *duodecim*, & ſic diminuenter ad diem ſeptimum, in quo oblati juvenci *ſeptem*; aſt die hoc octavo & ultimo, juvencus tantùm *unus*. Atque inſuper, unoquoque die ſeptidui, oblati ſunt agni *quatuordecim*; aſt hoc octavo agni tantùm *ſeptem*, *Numer.* 29. Ità ut ſi numeroſitas ſacrificiorum aliquid addat ad dignitatem diei, infima erat hæc ἐσχάτη, & non ſupra alias μεγάλη.

I. At quid Judæi de hac re & die cenſuerint, ex ipſis diſce.

Succah, fol. 55. 2. ע' פרים כנגד ע' אומות, *Erant ſeptuaginta juvenci ſecundùm ſeptuaginta nationes mundi.* פר יחידי למה כנגד אומה יחידה. *At ad quid juvencus ſingularis? Pro gente ſingulari* (Judaicâ) *Parabola. Simile hoc eſt Regi carnis & ſanguinis, qui dixit ſervis ſuis, Parate mihi convivium magnum. Aſt die poſtremo dixit amico ſuo, Para mihi convivium parvum,* כדי שאהנה מכך, *ut à te accommoder.*

Gloſſ. *Non eſt mihi commodi quid aut refrigerii ab hoc illorum, ſed ab hoc tui.*

Bemidbar Rabba, ſect. 21. *Die octavo erit feria. Hoc eſt quod dicit Scriptura. Pro amore meo oderunt me; verùm ego, ſupplicatio*, Pſalm. 109. *Tu comperis, ô Deus, quòd Iſraël in feſto Tabernaculorum offert coram te ſeptuaginta juvencos pro ſeptuaginta nationibus. Dicunt ergò Iſraël, O Domine æterne, ecce nos offerimus pro iis ſeptuaginta juvencos; unde congruum eſt, ut nos ament: aſt illi, ſicut dicitur, Pro amore noſtro nos oderunt. Dicit ergò iis Sanctus Benedictus, Nunc ergò offerte pro vobiſmetipſis, die octavâ ---- Parabola. Simile hoc eſt Regi, qui fecit convivium ſeptem dierum, atque invitavit omnes homines in provincia,* (vel urbe) *ſeptem diebus convivii. Aſt cùm jam præterierant ſeptem dies convivii, dicit amico ſuo, Præſtitimus jam officium noſtrum erga homines urbis, revertamus jam ego & tu, ad quodcunque occurrerit, ſitne vel libra una carnis, aut piſcis, aut olerum. Sic dicit Sanct. Ben. Iſraëli, Die octavâ erit vobis feria,* &c.

Gloſſ. in *Succah*, loco citato. *Offerunt ſeptuaginta juvencos pro ſeptuaginta nationibus, ad expiationem faciendam pro iis, ut pluvia deſcendat ſuper totum mundum; nam in feſto Tabernaculorum* נידונין על המים, *judicium fit quoad aquas*, i. e. Deus determinat de pluviis futuris anno ſequenti.

Hinc ergò dignitas hujus diei præ reliquis feſti, in opinione gentis: quia cæteris diebus ſupplicationes & ſacrificia fieri arbitrabantur, non tam pro ſeipſis, quàm pro reliquis gentibus; at die hac octavâ ſolùm pro ſeipſis.

Atque hinc determinatio & finis feſti poſt CAP. VII.
iſtos dies ſeptem, & novi inchoatio die octavâ. VERS.
Nam 37, 38.

II. Non æſtimarunt diem octavum, ut incluſum intra feſtum, ſed ut diem feſtum per ſe ſeparatim.

Succah, fol. 48. 1. שמיני רגל בפני עצמו, *Dies octavus eſt feſtum per ſeipſum*, לענין פז"ר קש"ב, *Secundùm literas haſce notericas*, פז"ר קש"ב, quibus deſignantur.

I. פייס, *Sortilegium.* Gloſſ. *Quoad juvencos feſti ſeptiduani, non habitum eſt ſortilegium, ut determinaretur quænam Ephemeria eos offerret, quia in ordine eos obtulerunt*, &c. *Aſt die octavâ habitum eſt ſortilegium.*

II. זימון, *Peculiaris benedictio per ſeipſam.*

III. רגל בפני עצמו, *Feſtum per ſeipſum.* Gloſſ. *Nam hoc die non ſederunt in tentoriolis*, אין יושבין בסוכה. Unde illud obſervandum apud

Maimon. Succah, cap. 6. *Si quis vel ex ignorantia, vel ex præſumptione, non conſtruxerit tentoriolum ſuum die primo*, qui erat feſtus, *ſtruat illud in profeſto feſti, imò in fine diei ſeptimi.* Nota illud, *in fine diei ſeptimi:* & tamen nullus tentoriolorum uſus die octavo.

IV. קרבן בפני עצמו, *Peculiare ſacrificium;* non ſex juvencorum, quod fieri oportuit, ſi dies iſte conjungendus foret cum reliquis feſti, ſed unius tantùm.

V. שיר בפני עצמו, *Canticum per ſeipſum.* Aliter decantatum quàm cæteris diebus.

VI. ברכה בפני עצמו, *Benedictio diei per ſe.* Vel ut alii, *Benedictio Regis:* ſecundùm illud 1 *Reg.* 8:66. *Die octavo dimiſit Solomon populum, & benedixerunt Regi.* Aſt obtinet maximè ratio prior.

His addatur, quod & ſequitur loco citato, de hoc die.

חייב אדם בהלל, *Tenetur homo ad decantandum Hallel.* [viz. *Pſalm.* 113, 114, 115, 116, 117 & 118.]

ובשמחה, *Tenetur etiam ad lætandum*, i. e. ad offerendum ſacrificia Euchariſtica in lætitiam feſti.

ובכבוד י"ט האחרון של חג, *Et tenetur ad honorandum diem ultimum* (octavum) *feſti, ſicut reliquos dies feſti.*

Hoc die non adhibuerunt סוכה, *tentoriola*, nec לולב, *ramos palmarum*, nec אתרוג, *mala citrina:* aſt adhibuerunt ניסוך המים, *libationem aquæ* hoc die, ſicut reliquis.

VERS. 38. Ποταμοὶ ἐκ τῆς κοιλίας αὐτοῦ ῥεύσουσιν ὕδατος ζῶντος.

Ad libationem iſtam aquæ fortè reſpiciunt hæc verba Salvatoris: quæ in hoc feſto ſolùm uſitata erat, non ullis aliis anni temporibus.

Digitized by Google

CAP.VII. VERS. 38.

Ritum ejus habes deſcriptum, loco citato, in hunc ſenſum.

Succah, ubi ſupr. ניסוך המים כיצד, *Libatio aquæ quomodo?* צלוחית של זהב ונו׳, *Phialam auream continentem tres Logos, impleverunt ex Siloamo. Cùm venirent ad Portam Aquarum*, (portam Templi ſic dictam, & ut volunt quidam, ſic dictam, quia per eam lata eſt hæc aqua hauſta ex *Siloam*) *clangunt tubis, & buccinant, & clangunt. Aſcendit Sacerdos per aſcenſum altaris, & inclinat ad ſiniſtram. Erant ibi duo ſimpula argentea---- unum aquæ, alterum vini. Fundit de aqua in vinum, & de vino in aquam, & fungitur officio.*

R. Judah dicit, Libant unum Log omnibus octo diebus. Et libanti dicunt, Eleva manum tuam. Nam tempore quodam quidam libavit ſuper pedes ſuos, (*Gemar.* Sadducæus erat. *Gloſſ.* Sadducæi autem non approbant libationem aquæ.) *& totus cœtus impetiit eum citris ſuis. Iſto die fractum eſt cornu unum altaris.*

Succah, fol. 51. 1. *Quicunque non vidit lætitiam propter hauſtionem hujus aquæ, non vidit unquam lætitiam ullam.*

Libationem iſtam aquæ tradunt eſſe Traditionem à monte *Sinai*, *Rambam. in loc.* Traduntque *Jonam* Prophetam Spiritu Sancto fuiſſe afflatum ex lætitia ob libationem hanc aquæ, *Gloſſ.* in loc.

At ſi quæras, quonam fundamento nitatur hic ritus: ſuggeret *Rambamus*, יש לו רמים נסתרים בתורה, *Quòd ſunt abſtruſa quædam ſigna ejus in Lege. Verùm, illi qui non credunt Legi Traditionali, non credent huic articulo de libatione aquæ.*

I. Producunt authoritatem Prophetæ *Eſajæ.*

Succah, fol. 50. 2. *Dicitur* בית שואבה, *Locus hauſtionis, quia ſic ſcribitur, Et haurietis aquas cum lætitia*, &c. *Eſaj.* 12:3.

Lætitiam hanc (quam antè deſcripſimus) vocarunt שמחת תורה, *Lætitiam Legis*, vel propter Legem: nam *aquas* interpretantur de Lege, *Eſaj.* 55:1. alibique: atque inde lætitia propter has aquas.

II. Addunt tamen inſuper, quòd hauſtio & libatio denotavit effuſionem Spiritûs Sancti.

Beresh. Rabba, fol. 70. 1. *Quare vocant eam* בית השואבה, *Locum hauſtionis? Quia inde hauriunt Spiritum Sanctum.*

Gloſſ. in *Succah*, ubi ſupr. *In Talmude Hieroſolymitano exponitur, quòd inde hauriunt Spiritum S. Nam inſidet homini divinus afflatus per lætitiam.*

Gloſſa alia. חליל מכה, *Tibia cecinit in auctionem lætitiæ.*

Hauſtio ergò aquæ erat propter verba *Eſajæ:* lætitia pro aquis, ut ſymbolo Legis, expectatio Spiritûs S. ex hac lætitia.

CAP.VII. VERS. 38, 39.

III. Adjiciunt tamen porro in

Roſh Haſhanah, fol. 16. 1. *Quare dicit Lex, Libate aquam in feſto Tabernaculorum? Dicit Sanct. Benedictus, Libate coram me aquam in feſto Tabernaculorum*, כדי שיתברכו לכם גשמי שנה, *ut benedicantur vobis pluviæ anni.* Nam autumarunt Deum in iſto feſto decreviſſe & determinaſſe de pluviis futuris anno ſequenti. Hinc illud loco jam allegato, &

Taanith, fol. 2. 1. בחג נידונין על המים, *in feſto Tabernaculorum judicantur circa aquas.*

Et jam reſumamus verba Salvatoris, *Quicunque in me crediderit, fluvii aquarum viventium fluent ex ejus ventre.* Conſonant cum iſtis ejuſdem ad Samaritiſſam, *Cap.* 4:14. utraque prolata ex occaſione hauſtæ aquæ.

Agnoſcunt Judæi redemptorem poſteriorem *Meſſiam* producturum pro iis aquam, ſicut *Moſes* redemptor prior produxerat. *Midr. Coheleth*, fol. 85. 4. Sed ad verum ſenſum cæcutiunt, meliùs hìc inſtructi à Meſſia ipſo, ſi velint diſcere.

I. Vocat eos Salvator ad fidem in *Meſſia*, à gloriatione eorum in Lege. Atque hinc retulerim ego verba iſta, Καθὼς εἶπεν ἡ γραφὴ, ad clauſulam antecedentem, potiùs quàm conſequentem. *Quicunque in me crediderit, prout Scriptura loquitur de credendo, Eſaj.* 28:16. *Ego mitto in fundamentis Sion lapidem probatum---- Quicunque crediderit*, &c. *Hab.* 2:4. *Juſtus ex fide vivet.* Et fatentur ipſi Judæi in

Maccoth, fol. 24. 1. Sexcenta & tredecim præcepta Legis reduci ad hoc; *Juſtus ex fide vivet*, ut & ad illud, *Quærite me, & vivetis*, *Amos.* 5:6.

II. Siſtantur hæc verba Salvatoris in antitheſi ad ritum hunc, de quo diximus, in hoc feſto uſitatum. Tantane vobis lætitia ob hauſtum tantillùm aquæ ex fonte *Siloami*? Credenti in me, fluent etiam pleni fluvii aquarum viventium ex proprio ventre. Putatis aquas apud Prophetas metaphoricè ſumptas denotare Legem? Denotant dona Spiritûs S. quæ largiturus eſt *Meſſias* credentibus. Et num exſpectatis donationem Spiritûs S. ex Lege, vel ex lætitia propter Legem? Donatur Spiritus Sanctus ex fide, non ex Lege, *Galat.* 3:2.

VERS. 39. Οὔπω γὰρ ἦν πνεῦμα ἅγιον.

Reſpiciunt hæc verba receptiſſimam iſtam gentis ſententiam, de diſceſſione Spiritûs S. poſt mortem *Zachariæ* & *Malachiæ*. Eò etiam ſpectat reſponſum illud *Epheſiorum*, Actor.

Digitized by Google

CAP. VII. VERS. 49, 52. CAP. VIII.

Actor. 19: 2. Ἀλλ' οὐδὲ εἰ πνεῦμα ἅγιόν ἐστιν, ἠκούσαμεν, Id eſt, de diſceſſione ejus poſt mortem noviſſimorum Prophetarum audivimus quidem, verùm de ejus redonatione non adhuc audivimus.

Habac. 3:2. יהוה פעלך בקרב שנים חייהו בקרב שנים תודיע, *O Domine, in medio annorum opus tuum fac vivere: in medio annorum fac notum.* Septuaginta annos captivitatis vocat *medium annorum*, nam hinc ſepties ſeptuaginta annos habuit ab exortu *Samuelis* ducis Chori Prophetarum, *Actor.* 3:24. ad initium captivitatis; atque illinc ſepties ſeptuaginta annos à fine captivitatis ad mortem Chriſti. Supplicatio eſt, nè pereat, ſed ut conſervetur donum Prophetiæ, cum jam populus migraret in terram Ethnicam. Et pro duplici virtute Prophetiæ, edendi ſcil. miracula, & prædicendi futura, duplici utitur vocabulo *opus tuum*, & *notum fac.* Nec periit in *Babylone* illud donum, ſed nobiliſſimè floruit in *Daniele*, *Ezechiele*, &c. Rediit cum reducibus, & continuatum eſt per unam generationem, & tum diſceſſit, (nam tum perfectus & conſignatus eſt Canon Veteris Teſtamenti) & rediit, appropinquante jam Euangelio, eo afflatis virgine *Mariâ*, *Baptiſtâ* atque ejus parentibus, &c. Et tamen *non adhuc erat Spiritus Sanctus*, id eſt, non ſecundùm nobiliſſimam iſtam promiſſionem, *Joel.* 2:28.

VERS. 49. Ὁ ὄχλος οὗτος, &c.

עם ארץ, *Populus terræ*, vulgari idiomate: opponitur להלמידי חכמים, *Diſcipulis Sapientum*, quos vocant עם קודש, *Populum Sanctum*, *Sotab*, fol. 39. 1. at hunc, Maledictum.

VERS. 52. Μὴ καὶ σὺ ἐκ τῆς Γαλιλαίας εἶ;

Videtur deriſoriè dici, Tune etiam ex Galilæis es qui credunt in hunc Galilæum?

CAP. VIII.

ABfuiſſe olim hanc hiſtoriam de adultera, à vetuſtis quibuſdam codicibus, annotant Commentatores ferè omnes.

Rationem meditanti occurrunt duæ hiſtoriolæ apud *Euſebium.*

I. *Hiſt. Eccleſ.* lib. 3. cap. ult. Ἐκτέθειται δὲ καὶ ἄλλην ἱστορίαν περὶ γυναικὸς ἐπὶ πολλαῖς ἁμαρτίαις διαβληθείσης ἐπὶ τοῦ Κυρίου, ἣν τὸ καθ' Ἑβραίους εὐαγγέλιον περιέχει, *Aliam porrò narrat hiſtoriam* (Papias) *de muliere quæ multorum criminum eſſet inſimulata apud Dominum, quam quidem Euangelium ſecundùm Hebræos complectitur.* De hac adultera eum loqui opinantur quotquot hiſtoriam iſtam allegant.

II. *De vita Conſtantini*, lib. 4. cap. 36. *Conſtantinum* hæc ad eum ſcribentem inducit. Πρέπον κατεφάνη τὸ δηλῶσαι τῇ σῇ συνέσει, ὅπως ἂν πεντήκοντα σωμάτια ἐν διφθέραις ἐγκατασκεύοις εὐανάγνωστά τε καὶ πρὸς χρῆσιν εὐμεταχόμιστα, &c.

Viſum eſt ſignificare prudentiæ tuæ, ut quinquaginta illarum ſcripturarum volumina, quarum apparationem & uſum maximè Eccleſiæ neceſſarium cognoſcis, quæque prætereà facilè legi & circumferri queunt, ab artificibus ſcitè ſcribendi peritis, politiori membranâ deſcribi cures.

Sic Interpres Latinus. At nonne per vocem σωμάτια peculiariter intelligere licet Euangelia in unum corpus harmonicè compacta? Ratio conjecturæ duplex: partim ob Canones *Euſebianos* ad Harmoniam talem formatos: partim quòd cap. 37. referat, ſe, finito opere, ad Imperatorem miſiſſe τελσσὰ καὶ τετρασσὰ, *Terniones & Quaterniones.* Quæ verba, ſi non intelligenda ſint de Euangeliſtis, modò tribus, modò quatuor, [majori numero minorem includente] tali Harmoniâ concorporatis, fateor me non aſſequi quid ſibi velint.

Aſt eſto, rem non de tali Harmonia intelligendam: detur ſecundùm Interpretem Latinum, *Euſebium* partes quaſdam Scripturæ hìc illic elegiſſe deſcribendas pro arbitrio & judicio ſuo, certè non omittet Euangelia, partem, ſi qua alia, nobiliſſimam, utiliſſimam.

Jam ergò, ſi *Papiæ* nugatori aſcripſerit hanc hiſtoriam de adultera, aut ſaltem Euangelio ſecundùm Hebræos tantùm, abſque dubio vix eam interſeret in exemplaribus ab eo deſcriptis. Inde forſan omiſſio ejus in nonnullis codicibus poſt tempora *Euſebii.* Ante illum habetur apud *Ammonium*, *Tatianum*, &c.

CAP. VIII. VERS. 1.

VERS. 1. Ἰησοῦς δὲ ἐπορεύθη εἰς τὸ ὄρος τῶν Ἐλαιῶν.

AN ad oppidum *Bethaniam*, an ad tentorium aliquod in monte Oliveti fixum? Nam ob infinitam iſtam multitudinem, quæ confluxit ad feſta, tentoria, ut videtur, fixerunt circa urbem, aſt intra terminos Sabbaticos, nè nimis coarctarentur ex anguſtia urbis.

Gloſſ. in *Peſachin*, fol. 95. 2. *Manèque convertens te, redibis ad tentoria tua*, Deuter. 16:7. *Nocte feſti primâ pernoctandum erat intra Hieroſolymam. Exinde licitum erat commorari extra mœnia, aſt intra terminos Sabbaticos. Illud ergò quod dicitur*, Ibis ad tentoria

tua, *hoc vult, Ibis ad tentoria tua quæ extra mœnia Hieroſolymæ, at nequaquam in domum tuam.* Vid. & *Ab. Ezr.* in *Deuter.* 16.

Dicitur Cap. 7:53. Καὶ ἐπορεύθη ἕκαστος εἰς τὸν οἶκον αὐτοῦ. Super quæ verba commententur iſta in

Piske Toſaphoth, in *Sanhedr.* artic. 34. אחר תמיד בין הערבים היו סנהדרין הולכין לביתם, *Poſt juge ſacrificium veſpertinum, conceſſerunt Patres Synedrii domum.*

Finito ergò die octavo, cujus hiſtoria *Cap.* 7. nox inſequens erat extra feſtum, ità ut jam ceſſatum ſit ab iſtis tripudiationibus, de quibus diximus. Non inaniter ergò dicitur ab Euangeliſta, *Quòd conceſſit unuſquiſque in domum ſuam*, nam aliter eundum erat ad iſta tripudia, ſi modò dies poſterus non foret Sabbatum.

VERS. 3. Γυναῖκα ἐν μοιχείᾳ κατειλημμένην.

Generationem iſtam Salvator vocat Γενεὰν μοιχαλίδα, *Matth.* 12:39. Vid. & *Jacob.* 4:4. quod & ſenſu proprio, & ſecundùm literam benè poteſt intelligi.

Sotah, fol. 47.1. *Ex quo multiplicati ſunt homicidæ, ceſſavit decapitatio vaccæ; & ex quo multiplicati ſunt adulteri, ceſſarunt aquæ amaræ.*

Maimon. in *Sotah*, cap. 3. כשרבו המנאפים בגלוי, *Ex quo multiplicati ſunt adulteri palàm ſub Templo ſecundo, diſſolvit Synedrium explorationem adulteræ per aquas amaras: ſuper hoc quod ſcribitur nixi, Non viſitabo ſuper filias veſtras, cùm fuerint fornicatæ, nec ſuper ſponſas veſtras, cùm adulteria commiſerint.*

Docent Gemariſtæ, *Rabban Jochananem ben Zaccai*, authorem fuiſſe iſtius conſilii, qui jam in vivis erat, in Synedrio, & fortè jam præſens inter eos qui hanc adulteram coram Chriſto ſtiterunt. Nam ſunt quæ ſuadent, Γραμματεῖς καὶ Φαρισαίους, quorum hic mentio, fuiſſe Seniores Synedrii.

VERS. 5. Τὰς τοιαύτας λιθοβολεῖσθαι.

Τοιαύτας, Quales? Adulteras omnes? an deprehenſas ſolùm ἐπ' αὐτοφώρῳ? Datur tertium: nam reſpicienda eſt conditio adulteræ, an ſit ea nempe maritata, an deſponſata tantùm.

Punit Deus adulterium morte, *Levit.* 20:10. At dicunt Magiſtri Traditionum, Quòd *omnis mors, cujus eſt mentio in Lege ſimpliciter*, [i.e. non definito genere mortis] *non alia eſt, quàm ſtrangulatio.* Verùm excipiunt; נשואה בת ישראל בחנק ארוסה בסקילה, *Filia Iſraëlitæ, ſi adultera cùm nupta, ſtrangulanda; cùm deſponſata tantùm, lapidanda. Filia Sacerdotis, ſi adultera cùm nupta, lapidanda; cùm deſponſata tantùm, comburenda. Sanhedr.* fol. 51.2.

Hinc intelligere eſt, qualiſnam foret hæc adultera: nempe vel Iſraëlitiſſa non adhuc viro juncta, ſed deſponſata tantùm, vel Sacerdotiſſa nupta: ſed potiùs prior, quia dicunt, *Moſes præcepit ut lapidarentur.* Vid. *Deuter.* 22:21.

At de poſteriori non eſt tale præceptum apud Moſen.

VERS. 6. Ὁ δὲ Ἰησοῦς κάτω κύψας, τῷ δακτύλῳ ἔγραφεν εἰς τὴν γῆν.

Irrepſit olim in codicibus nonnullis, Μὴ προσποιούμενος, & planum eſt quòd irrepſit: nam cùm evidentiſſimè demonſtraverat Chriſtus, ſe de cauſa propoſita recognoſcere per verba iſta, *Qui ſine peccato eſt veſtrûm*, &c. tamen iterùm inclinat ſe, & ſcribit in terra.

Cur inuſitatum hunc geſtum ille adhiberet, multi ſuas adhibent conjecturas; liceat & mihi meam.

I. Res jam tranſacta erat de dijudicatione fœminæ adulteræ, & applicat ſe Salvator in hac re conformiter ad regulam & normam de exploratione uxoris adulteræ per aquas amaras, *Numer.* 5.

II. Inter Judæos hoc obtinuit, in probatione uxoris ſuſpectæ.

Maimon. in *Sotah*, cap. 2. *Si quis illicitè unquam coïerit cum aliqua, aquæ amaræ non explorant ejus uxorem.*---- Nam dicitur ונקה האיש מעון, *Si innocens ſit maritus ab iniquitate*, portabit fœmina ſuam iniquitatem.

Ibid. cap. 3. *Potatis aquis amaris, ſi rea ſit fœmina, palleſcunt vultus ejus, oculique protuberant*, &c. *Pellunt ergò eam ex Atrio mulierum. Tumetque venter primò, & dein putreſcit femur, atque ipſa moritur. Eâdem horâ quâ illa moritur, moritur & adulter, cujus cauſa potata eſt, ubicunque ille eſt, invadentibus eum pariter tumore ventris, & putredine femoris*, vel pudendorum. וכל זה אם לא בא בעל ביאה אסורה מעולם, *Hoc autem fit, ſi maritus nunquam coïerit coïtu illicito.* אבל אם בעל בעילה של איסור אין המים בודקין את אשתו, *At verò, ſi coïerit unquam coïtu illicito, aquæ non explorant ejus uxorem.*

Bammidbar Rabba, fol. 235. *Si vos ſectamini ſcortationem, aquæ amaræ non explorabunt uxores veſtras.*

Nonne vides, quàm directo intuitu collimet Salvator in æquitatem hujus ſententiæ, accuſatores hoſce fœminæ explorare volens,

Digitized by Google

CAP. VIII. VERS. 6, 9.

lens, & ad examen exigere? Finge tibi te illum audire eos ſic alloquentem: Adduxiſtis hanc adulteram, à me judicandam. Agam ergò ego ſecundùm normam & probationem adulteræ per aquas amaras. Dicitis vos credítiſque, ſecundum vulgarem gentis opinionem, uxorem ſuſpectam, rea ſit licet & adultera, ab iis tamen aquis eſſe intactam, & nihil nocumenti aut periculi ab illis contrahere, ſi modò maritus ejus, qui eam accuſat, aliquando fuerit paris criminis reus, illicitoque unquam coïtu coierit. Si ſic proceſſit judicium divinum in iſta exploratione, procedam & ego pari modo in præſenti. Num vos qui accuſatis, immunes inſonteſque eſtis à pari reatu? *Quicunque eſt, is jactet lapidem*, &c. At ſi & vos pari teneamini crimine, ipſiſſima veſtra Traditio, & opinio gentis, & proceſſio judicii divini in iſta exploratione, in hac cauſa poſſunt determinare, & me abſolvere ab accuſatione, ſi ego eam non damnem, cùm accuſatores ipſi ſint damnandi.

III. Oportuit Sacerdotem, qui uxorem ſuſpectam exploravit, ſeſe inclinare, pulveremque à pavimento Sanctuarii colligere, quem aquæ infuſum præbuit fœminæ potandum. Oportuitque in libro, maledictiones vel adjurationes ſcribere, contra fœminam pronuntiandas, *Numer.* 5: 17, 23.

Inclinat ſe etiam, conformiterque Chriſtus, & pavimentum ipſum pro libro ſuo adhibens, in pulvere aliquid ſcribit, contra hos accuſatores abſque dubio, quos explorare ei eſt ſtatutum, in analogia ad adjurationes iſtas ſcriptas à Sacerdote contra fœminam explorandam.

IV. Scripſit Sacerdos maledictiones iſtas in libro, & jam ſcriptas illicò delevit aquis amaris, *Numer.* 5: 23. Nam res quam ille transegit erat dubia. [אין משקין אלא על הספק, *Non potant ſuſpectam, niſi in re dubia. Bemidbar Rabba* fol. 233. 2.]

An fœmina ſcil. rea foret, necne: ſi rea, en ſcriptas maledictiones: ſi inſons, en eraſas. At certus eſt Chriſtus de reatu horum quos ille eſt explorans. Non ſcribit ergò & delet, ſed ſcribit, & ſcribit iterùm.

V. Imitatur porrò geſtum Sacerdotis, ſi verum eſt quod de eo referunt Judæi, & eſt vero ſimile: nempe quòd primò pronuntiavit adjurationes, deinde potavit fœminam aquis amaris, & tunc iterùm pronuntiavit adjurationes. Sic & Chriſtus, primò inclinat ſe, & ſcribit, deinde quaſi potat eos dictione iſtâ exploratrice, *Quicunque veſtrum ἀναμάρτητός eſt*, &c. & tum iterùm inclinat ſe, & ſcribit in terra.

VERS. 9. Ὑπὸ τῆς συνειδήσεως ἐλεγχόμενοι.

Statuit apud ſe Salvator improbos hoſce coram vulgo pudefacere: eamque addit verbis ſuis vim & ἐνέργειαν, ut non poſſint illi iis reſiſtere, quin quòd cum infamia & rubore coram toto cœtu reatum ſuum, ſe ſubtrahendo, confiteantur. Res non minor miraculo.

CAP. VIII. VERS. 12, 13, 20.

VERS. 12. Ἐγώ εἰμι τὸ Φῶς τῦ κόσμυ.

Echab Rabbathi, fol. 68. 4. *R. Biba Sangorius dicit*, נהורא שמו, *Lux eſt nomen Meſſiæ, ſicut dicitur*, ונהורא עמיה שרא, *Lux cum illo habitat*, Dan. 2: 22. Eadem occurrunt in *Beresh. Rabba*, fol. 3, 4. niſi quòd author horum verborum ſit *R. Abba Serongianus*.

Magnificis *Luminum* titulis inſignire ſoliti ſunt Rabbinos & Doctores ſuos.

Erubbin, fol. 13. 2. *Traditio. Nomen ejus non eſt R. Meir, ſed Neborai. Quare ergò vocatur R. Meir?* שמאיר עיני חכמים בהלכה, *Quia illuminat oculos Sapientum Traditionibus. Nec tamen eſt nomen ejus R. Neborai, ſed R. Nehemiah.---- Quare ergò vocatur R. Neborai?* שמנהיר עיני חכמים בהלכה, *Quia illuminat oculos Sapientum Traditionibus.* Oh luminaria ſine lumine! Exortus eſt Sol juſtitiæ, vos evaneſcite.

VERS. 13. Σὺ περὶ σεαυτῦ μαρτυρεῖς.

Hæc & quæ ſequuntur, quæ diſputata ſunt, *An Jeſus lux, necne*, in mentem revocant ea, quæ tranſigi ſolita ſunt in teſtimonio circa φάσιν novilunii in *Rosh shanah*, Cap. 1, 2, 3.

I. Atteſtandum erat coram Synedrio *à duobus*, ſe vidiſſe novilunium. Sic loquitur Chriſtus de duobus hujus lucis teſtibus, ſe & Patre, *verſ.* 18.

II. Non receperunt teſtimonium de novilunio, niſi à Synedrio notis; aut ſi ignoti illi, miſſi ſunt à Conſeſſu urbis in qua habitabant, qui de veracitate eorum teſtarentur. Confer verſ. 18, 19. *Ego teſtor de meipſo, at me non noſtis. Et Pater teſtatur, at nec noſtis Patrem.*

III. אין היחיד נאמן על ידי עצמו, *Unus non eſt credendus propter ſeipſum.* Sic Phariſæi, verſ. 13. *Tu de teipſo teſtaris, teſtimonium tuum non eſt verum.*

IV. *Pater & filius ac quivis cognati ſunt idonei ad teſtificandum.* Verſ. 18. *Ego teſtor de meipſo, & Pater qui miſit me.*

VERS. 20. Ἐν τῷ Γαζοφυλακίῳ.

Id eſt, *In Atrio mulierum*, ubi rem tranſegerat de fœmina adultera. Dictum eſt illud *Gazophylacium*, ob tredecim ciſtas Corbanicas

CAP. VIII. VERS. 25.

nicas illìc locatas. De qua re diximus alio in Tractatu.

VERS. 25. Τὴν ἀρχὴν ὅ, τι καὶ λαλῶ ὑμῖν.

I. Inter varias hujus loci interpretationes, minimè ſpernenda eſt iſta quæ reddit, *Illud quod à principio dico vobis.* Sic *Geneſ.* 42:18. Διὰ τὸ ἀργύριον τὸ ἀποστραφὲν ἐν τοῖς μαρσίπποις ἡμῶν τὴν Ἀρχήν. Et *verſ.* 20. κατέβημεν τὴν Ἀρχὴν πρίασθαι βρώματα.

Verba hoc ſenſu ſumpta reſpicere poſſunt plenam iſtam ſui profeſſionem, exhibitam à Chriſto Synedrio, ſe eſſe *Filium Dei*, vel *Meſſiam*, Cap. 5. Quæritis quis ego ſim? Ipſe idem quem dixi à principio, cùm evocatus forem ad reſpondendum coram Synedrio.

II. At non poſſum ſimul non recordari formulas iſtas loquendi in Scholis uſitatiſſimas, רישא & סיפא, *Principium* & *Finis*. Ubi per רישא, *Principium*, intelligitur res primariò & præcipuè advertenda: & per סיפא, *Finis*, ſecundaria aut minor.

Tamid, fol. 61. 1. Quæritur, an licuerit Sacerdotibus dormire in veſtibus ſacris. סיפא, *Finis*, aut quæſtio ſecundaria erat, An licuerit in iis dormire. At רישא, *Principium*, aut res & quæſtio primùm diſcutienda, erat, an licuerit illis omninò iis uti extra uſum ſacrum. Hinc Gemariſtæ, דקתני לא היו ישנים משום דבעי למיתנא סיפא, *Traditio eſt, quòd non dormiunt in iis, volens explicare Finem. Aſt exuant eas, & complicent, & reponant ſub capitibus*, [cùm dormiunt] קתני רישא, *hoc docet Principium*: rem ſcil. primariam, nempe non licere Sacerdotibus amiciri veſtibus ſacris extra uſum ſacrum omninò.

Beracoth, fol. 53. 1. *Tradunt Rabbini, Si quis ambulans extra urbem, videat in ea lumina; ſi ſint in ea plures Cuthæi, nè benedicat: ſi verò ſint plures Iſraëlitæ, benedicat.* תנן רישא רוב כותים, *Docent Principium, cùm dicunt, Plures Cuthæi*: תנא סיפא רוב ישראל, *Docent Finem, cùm dicunt, Plures Iſraëlitæ.* Nam principalior ſcrupulus & quæſtio eſt, an benedicendum ſuper iſtis luminibus, cùm ſunt plures *Cuthæi* in urbe, qui fortè ea accenderunt: minor ſcrupulus, an benedicendum, ſi plures Iſraëlitæ in urbe.

Bezah, fol. 6. 2. *Diſputatur ſuper illud præceptum*, Levit. 17:13. *Si quis occidat beſtiam aut volucrem die feſto, Schola Shammæana dicit, Fodiat inſtrumento, & cooperiat ſanguinem. Hilleliana dicit, Nè occidat omninò, niſi in promptu ſit ei pulvis quo cooperiat.*

סיפא, *Finis*, vel quæſtio ſecundaria eſt de tegendo ſanguinem, ſi beſtia ſit occiſa. רישא, *Principium*, vel quæſtio primaria eſt, an occidenda beſtia aut volucris die feſto omninò, propter laborem corradendi pulveris, ſi non adſit.

CAP. VIII. VERS. 26, 33.

Infinita ſunt iſtiuſmodi. Et ſi Salvator hâc formâ loquendi uſus fuerit, eſt ac ſi dixiſſet: Quæritis quis ego ſiem? רישא, *Principium*, illud eſt & præcipuè inquirendum, quod & ego loquor vobis; nempe quòd ſum Lux mundi, Filius Dei, Meſſias, &c. Verùm quid operer, quid doceam, & quâ authoritate, סיפא, ſecundariæ ſunt iſta inquiſitionis: primariæ eſt illud, Quis ſiem.

VERS. 26. Ἀλλ' ὁ πέμψας με ἀληθής ἐστι.

Multa habeo quæ de vobis loquar & judicem, ſed ille qui me miſit, jam dudùm de vobis loquutus eſt & judicavit; & verus eſt ille, & vera illa quæ eſt loquutus. Qualia ſunt iſta & iſtiuſmodi, *Eſaj.* 6:10. *Impingua cor hujus populi*, &c. Et *Cap.* 29:10. *Effudit ſuper vos ſpiritum ſoporis*, &c. Atque à talibus prædictionibus concludit illud Chriſtus, *Vos moriemini in peccatis veſtris*, verſ. 21.

VERS. 33. Σπέρμα Ἀβραάμ ἐσμεν, &c.

De hac re gloriabundi illi ſupra modum. Accipe unum exemplum vice millium.

Bava Mezia, fol. 83. 1. *Hiſtoria eſt de R. Jochanan ben Mathia, qui dixit filio ſuo, Ito, & conduc nobis operarios. Ivit ille, & pactus eſt cum iis pro victu. Cùm verò veniret ad patrem, dicit ei pater, Mi fili, quamvis pares iis convivia paria conviviis Solomonis, non tamen ſatis præſtas officium tuum erga eos, quoniam illi ſunt filii Abrahami, Iſaaci & Jacobi.* Et tamen fatentur in

Shabb. fol. 53. 1. תמה זכות אבות, *Quòd ceſſavit meritum Patrum Abrahami, Iſaaci & Jacobi, à diebus Hoſeæ Prophetæ, ut dicit Rabb, aut ut Samuel, A diebus Hazaëlis.*

At quomodo hæc conjungunt? *Nos ſumus ſemen Abrahami, nec cuiquam ſervivimus unquam.* Num impoſſibile ut Abrahamita ſit ſervus?

Diſtinguendus videtur ſenſus clauſularum. Nos ſumus de filiis *Abrahami*, qui ſunt amatores & tenaces libertatis; & quod ad nos ipſos attinet, nunquam nos fuimus ſervi.

Averſiſſima erat gens iſta à ſervitute, nec licuit cuiquam Iſraëlitæ ſe vendenti in ſervum, illud facere, niſi cogente inevitabili neceſſitate.

Maimon. in *Avadim*, cap. 1. *Non licet cuiquam Iſraëlitæ ſe vendere, eo fine ut nummum*

Digitized by Google

CAP. VIII. VERS. 37, 43, 44.

mum emptionis ſuæ theſaurizet ſibi, vel ut eo exerceat mercaturam, vel ut coëmat vaſa, vel ut ſolvat creditori; ſed, ſi eo opus habeat, in alimoniam. Nec licet cuiquam ſe vendere, niſi cum non relinquitur ſibi quicquam, etiam non veſtimenta; & tum ſe vendat.---- Atque ille quem Synedrium vendit, vel qui vendit ſeipſum, non vendendus eſt בפרהסיא ולא בסכמא, *palàm, nec in ſemita, ſicut venduntur alii, ſed clàm.*

VERS. 37. Ἀλλὰ ζητεῖτέ με ἀποκτεῖναι.

Ex tota periocha videtur, quòd Chriſtus huc diſſertationem ſuam inclinat, nempe ut oſtendat eos eſſe ſemen illud ſerpentis, quod contriturum erat calcaneum *Meſſiæ*: nam quid aliud illud ſonat *verſ.* 44. *Vos eſtis ex patre veſtro Diabolo*, quàm, *Vos eſtis ſemen ſerpentis?*

VERS. 43. Ὅτι οὐ δύναϑε ἀκούειν τὸν λόγον τὸν ἐμόν.

Λαλίαν & Λόγον, hîc ità diſtinguas, ut λαλία denotet modum loquendi, vel phraſes adhibitas, & λόγος ipſam rem dictam, *Eſaj.* 11:4. *Percutiet terram virgâ oris ſui*: & non potuerunt illi ferre verbera hujus virgæ: noluerunt ergò intelligere phraſiologias quibus ille uſus.

VERS. 44. Ἀνϑρωποκτόνος ἀπ' ἀρχῆς.

רוצח מן בראשית, Nam ſic ἀπ' ἀρχῆς in idioma Judaicum traduceret Hieroſolymitanus, q. d. *Homicida erat ab ipſis diebus creationis.* Et cùm vulgo locutus eſt Chriſtus, ſic dicens, Adamum ſcil. lapſum eſſe die ſuæ creationis.

Ἐν ἀληϑείᾳ οὐχ ἕστηκεν.

I. *In veritate non perſtitit*, i. e. non perſtitit verax, ſed excogitavit mendacium.

II. Non perſtitit in voluntate Dei revelata circa hominem: nam voluntas Dei revelata vocatur *Veritas*; maximè verò voluntas ejus revelata in Euangelio. Jam ergò cùm Deus bonam ſuam voluntatem revelaverat erga Protoplaſtum, partim eum ſtatuendo in ſtatu tam honorifico & fœlici, partim præcipiendo Angelis ut ei miniſtrarent in bonum, ut *Hebr.* 1:14. in hac veritate, & præcepto non perſtitit Diabolus: nam honori & fœlicitati Adami adeò invidit, & mandatum Dei, de Angelorum erga eum miniſtratione; adeò contemptui habuit, idque malitiâ contra *Adamum* tam profundè venenatâ, & ſuperbiâ contra mandatum Dei tam altè tumidâ, ut elegerit potiùs de ſtatu ſuo fœlici & nobili ſe deturbare, quàm *Adamo* in ſtatu ſuo nobili benè velle, & miniſtrare. Non potuit Angelus peccare minùs, cùm peccaret, quàm ex malitia & ſuperbia: nec potuit peccare magis quàm peccavit, cùm peccaret ex ſuperbia & malitia.

CAP. VIII. VERS. 48, 57, 58.

VERS. 48. Σαμαρείτης εἶ σὺ, καὶ δαιμόνιον ἔχεις.

At quid Samaritano, ô boni, intra Atrium Templi veſtri? Nam hæc Chriſto dicunt jam exiſtenti in Gazophylacio, vel Atrio mulierum, *verſ.* 20. Si admittere velitis Samaritam in Atrium Gentium, quo & ipſi Gentiles admiſſi, eſto: [quod tamen quæro an vos admiſſuri.] At quis toleraverit *Cuthæum* intrare in Atrium mulierum? Quæ res ipſa demonſtrat, hoc ab iis dictum ex mera invidia & livore: nam non crediderunt quòd eſſet Samaritanus; imò ſatis norunt quòd non eſſet. Et notandum eſt, quòd Chriſtus huic cavillationi nihil reſpondeat omninò, ut reſponſione non dignæ: reſpondet ſolùm ſe non habere dæmonium, id eſt, non inſanire.

VERS. 57. Πεντήκοντα ἔτη οὔπω ἔχεις.

Applica hæc ad tempus ſuperannuationis Levitarum, *Numer.* 4. & non opus eſt ut nos nodis neſcio quibus circa ea torqueamus, quod fecerunt nonnulli. Tu non adhuc perveniſti ad vulgarem annum ſuperannuationis, & tunc vidiſti *Abrahamum*?

VERS. 58. Πρὶν Ἀβραὰμ γενέσϑαι, ἐγὼ εἰμι.

Quæſtionem invertunt. Dixerat Chriſtus, *Abrahamus vidit* diem meum: illi contrà, *Tune vidiſti Abrahamum?*

Dictio hæc, Ἐγώ εἰμι, aliquando reddit ſimplicem vocem אנכי, *Ego*, apud Græc. Interpretem libri *Judicum* & *Ruth*, nam rariùs alibi invenies.

Judic. 6:18. אנכי אשב, *Ego manebo*, vel *ſedebo*. Græc. Ἐγώ εἰμι καϑίσομαι. Lat. Interpres: *Ego quidem manebo.*

Ibid. Cap. 11:27. ואנכי לא חטאתי לך, *Et ego non peccavi in te.* Græc. Ἐγώ εἰμι οὐχ ἥμαρτόν σοι. Lat. *Ego quidem non peccavi tibi.*

Ibid. verſ. 35. ואנכי פציתי פי, *Et ego aperui os meum.* Græc. Καὶ ἐγώ εἰμι ἤνοιξα τὸ στόμα. Lat. *Et ego ipſe aperui os.*

Et *verſ.* 37. אנכי ורעותי, *Ego, & ſociæ meæ.* Græc. Ἐγώ εἰμι καὶ συνεταιρίδες μου. Lat. *Ego ipſa, & ſodales meæ.*

Ruth. 4:4. אנכי אגאל, *Ego redimam.* Græc. Ἐγώ εἰμι, ἀγχιστεύσω. Lat. *Ego ſum, redimam.*

Digitized by Google

CAP. VIII. VERS. 59. CAP. IX. VERS. 2.

De forma loquendi judicent Græcæ linguæ peritiores. Verba Salvatoris eò ſunt difficiliora, quòd non dicit Πρὶν Ἀβραὰμ γενέσθαι, ἐγὼ ἦν, ſed ἐγὼ εἰμι, hoc, ut videtur, ſenſu, Ab antequàm *Abrahamus* extaret, ego ſum.

VERS. 59. Ἦραν οὖν λίθους, &c.

Num & alium Prophetam lapidabitis in atrio Templi, ô nequiſſimi? Mementote *Zachariæ*, & illud ſufficiat.

Unde autem iſti lapides in atrio Templi? Reſpondeatur ex parallelo.

Shabb. fol. 115. 1. *Hiſtoria eſt de Abba Chalpatha, qui adiit Rabban Gamalielem ad Tiberiada: & comperit eum ſedentem ad menſam Jochananis nummularii, manuque tenentem librum Jobi Targumizatum,* [verſum in linguam Chaldaicam] *& legentem in eo. Dixit ei, Memini ego de Rabban Gamaliele avo tuo, quòd ſtetit ſuper Gab in monte Templi, atque attulerunt ad eum librum Jobi Targumizatum. Et juſſit ille Architectum* לבנאי*, dicens, Defode eum ſub fundamento, ---- R. Joſe dicit, Obvolverunt ſuper eum acervum luti----* וכי טיט בהר הבית*, At num eſt lutum in monte Templi?* Gloſſ. *Erat cæmentum quo ædificarunt.*

Obſervetur obiter, quòd erant ædificantes in Templo in diebus *Gamalielis* primi, qui Primatum geſſit in Synedrio in diebus Chriſti ultimis, quod illud firmat quod diximus ad *Cap.* 2:20. & docet etiam unde lapides jam tam in promptu, nam erant ædificantes, & erant fruſta & fragmina lapidum plùs ſatis.

CAP. IX.

VERS. 2. Τίς ἥμαρτεν; οὗτος ἢ οἱ γονεῖς αὐτοῦ;

Liberos ob peccata quædam parentum natos eſſe mancos, tortos, aliquâ parte ſui mutilos, &c. erat doctrina in Scholis Judaicis non rara, quâ terruerunt parentes, nè negligentiores eſſent circa ritus aliquos qui reſpexerunt munditiem, lotiones, purificationes, &c. Exempla produximus alibi.

Aſt infantem naſci mutilatum, cæcum, aut aliquâ parte defectivum, ob proprium peccatum, eſt ænigmati proximum.

I. Dum petitur ſolutio à dogmate μετεμψυχώσεως, quo imbuti erant Judæi, ut creditur, rem propoſitam non omnino attingit, ſi *Joſephum* interpretem & judicem de iſto dogmate admittere velis. Nam ſic ille,

Lib. de *excid.* 2. cap. 12. *Opinantur Phariſæi,* Ψυχὴν πᾶσαν μὲν ἄφθαρτον, μεταβαίνειν δὲ εἰς ἕτερον σῶμα, τὴν τῶν ἀγαθῶν μόνον [notetur illud] τὴν δὲ τῶν φαύλων ἀϊδίῳ τιμωρίᾳ κολάζεσθαι. *Omnem animam eſſe quidem immortalem, migrare autem in aliud corpus: aſt animam bonorum tantùm; malorum autem æternâ pœnâ cruciari.* Jam ergò niſi aſſerueris animam bonam viri boni migrantem in corpus hujus hominis, cauſam ei fuiſſe ejus cæcitatis, [quod quis non exſibilabit?] nihil dicis ad rem præſentem. Si dogma μετεμψυχώσεως apud Judæos hoc tantum proponeret, *Animæ bonorum tantùm* migrant in alia corpora, tollitur ipſum ſubjectum præſentis quæſtionis, & evaneſcit omnis ſuſpicio de pœna aut ægritudine aliquâ accidente infanti in utero ἐκ μετεμψυχώσεως, niſi dixeris accidere propter animam bonam migrantem ex corpore boni.

II. Petitur etiam ſolutio à *præexiſtentia animarum*: quo dogmate etiam imbutos fuiſſe Judæos, eſt ſententia nonnullorum, deſumpta, ut videtur, ab iis quæ dicunt illi de נשמות שבגוף, *animabus quæ ſunt in Goph*, vel *Guph*.

Avodah Zarah, fol. 5. 1. *Dicit R. Joſe, Non veniet Filius Davidis,* שיכלו כל הנשמות שבגוף, *uſque dum conſummatæ fuerint animæ quæ ſunt in Guph.* Recitantur hæc etiam *Niddah*, fol. 13. 2. & *Jevamoth*, fol. 62. 1. ubi præferuntur ſub nomine R. אסי, *Aſi*.

Repoſitorium eſt, ait R. Solom. *& nomen ejus eſt Goph: atque à creatione formatæ ſunt omnes animæ quæ erant naſcendæ, atque ibi repoſitæ.*

At Rabbinus alius adducitur à Commentatore alio, qui opinatur eſſe duplex *Guph*, atque animas Iſraëlitarum & Gentilium non eſſe in *Goph* uno eodemque. Et ſuſpicatur in diebus *Meſſiæ* creandum eſſe *Goph* alterum, & creandas eſſe novas animas.

Sententiam ſuam deducit R. *Joſe* ab *Eſaj.* 57:16. ורוח מלפני יעטף, miſerè tortis Prophetæ verbis in hunc ſenſum, *Voluntas mea impediet pro animabus quas creavi*, nam ſic animum ejus interpretantur *Aruch* & Commentatores.

Si hæc ſatis ſint ad aſtruendum, quòd recepta gentis opinio fuit *animas præexiſtere*, eſto, concedatur: at certè quid loci hìc habere poſſit ſententia iſta de præexiſtentia animarum, ingenuè fateor me non tam oculatum, ut videam, niſi vel ſupponatur μετεμψύχωσις, vel quòd animæ quædam traduntur è manu Dei peccaminoſæ & impuræ.

III. Aliunde ergò petierim ego huic nodo cuneum. Et

I. Obſervatum vellem illud in *Vajicra Rabba*, fol. 184. 3. *Et appropinquant dies de quibus dices, Non eſt delectatio in iis*, Eccleſ. 13:1. אילו ימי המשיח שאין בהן לא זכות

CAP. IX. VERS. 2. זכות ולא חובה, *Iſti ſunt dies Meſſiæ, in quibus non erit vel meritum, vel demeritum.* Id eſt, nî plurimùm halluciner, in quibus non imputabitur vel meritum patrum aut parentum in bonum, vel demeritum aut culpa in malum. Verba ſunt R. *Akibæ* loco citato, atque ejus eſt applicatio verborum *Eccleſiaſtæ*, & quidem de proprio: ſed iſta, *In diebus Meſſiæ non erit meritum, vel demeritum*, videntur eſſe de ſententia gentis. Si ita, liceat quæſtionem Diſcipulorum paraphraſticè ſic proponere. Magiſter, novimus te eſſe Meſſiam, & dies hoſce eſſe dies Meſſiæ, & didicimus ex Scholis noſtris, non eſſe imputationem meriti vel culpæ patrum vel parentum in diebus Meſſiæ: unde ergò hic natus eſt cæcus, ut hiſce diebus geſtet notam imputationis alicujus culpæ? An parentum? Hoc excluditur per commune adagium. Videtur ergò quòd reatum geſtat propriæ culpæ. Anne hoc ità?

II. Autumarunt Judæi, poſſe infantem in utero matris jam animatum & viventem, irregulariter ſe gerere, atque aliquid facere quod non vacaret culpâ.

In Tractatu noviſſimè citato, introducitur in parabola fœmina filium feriò accuſans coram Judice, כדהוא במעי הוה מבעט, *quòd* inordinatè *calcitraret, dum eſſet in utero.*

Midras Cobeleth, in loc. ante citatum, & *Midr. Ruth*, in cap. 3:13. Refertur hiſtoria de *Eliſha ben Abujah*, qui receſſit à fide, & factus eſt horrendus Apoſtata: & dum quæruntur cauſæ & rationes talis Apoſtaſiæ, inter alias hæc redditur.

Sunt qui dicunt, quòd mater ejus, cùm gravida foret, tranſiit per fanum Ethnicum, & odorata eſt nidorem, atque illi dederunt ei de re iſta quam olfecerat, atque illa comedit, והות מפעפע בכריסה ככריסה של חכינה, *Atque ille in utero calefactus eſt, & in bullas intumuit, ac ſi in utero ſerpentis.*

In qua quidem hiſtoria ſupponitur Apoſtaſiam ejus radicatam fuiſſe in culpa iſta matris idolothyto veſcentis: at ponitur pariter, quòd infans etiam in utero matris poteſt irregulariter & inordinatè ſe gerere, & præter morem reliquorum infantum.

Infantes in utero *Rebeccæ* poſſunt eſſe pro exemplo, ubi quidem abſolvunt Jacobum à culpa, מסורחנא, quòd prehenderit calcem Eſavi, *Bemidbar Rabba*, fol. 230. 2. at vix abſolvent Eſavum, quod inſurrexerit contra Jacobum.

Sanhedr. fol. 91. 2. & *Bereſh. Rabba*, fol. 38. 1. *Antoninus interrogavit Rabbi,* [Judam] *A quonam tempore incipit malus affectus prævalere in homine?* משעת יצירה או משעת יציאה, *An à tempore formationis ejus* in utero, *an à tempore proceſſionis ejus* ex utero? *Dicit ei Rabbi, A tempore formationis ejus. Tum, inquit Antoninus, calcitrabit in utero matris, & erumpet. Dicit Rabbi, Hoc didici ab Antonino, & ſuffragatur Scriptura, cum dicit, Peccatum cubat ad oſtium.*

Liquet ex hac diſputatione, ficta ſit, an vera, primævam ſententiam fuiſſe, infantem à prima ſua animatione fuiſſe peccaminoſum: & magnum illum Doctorem *R. Judam ſanctum*, primitùs fuiſſe iſto dogmate imbutum, ac leviter & ridiculè ſententiam ſuam mutaſſe ob argumentum tam vafrum. Altiùs quoque tenſa erat gentis ſententia, infantem in utero non ſolùm eſſe peccaminoſum, ſed aliquando peccare, atque illud agere quod etiam foret criminoſum. Quo ſpectant verba Diſcipulorum, *Num hic peccavit, ut naſceretur cæcus?* Id eſt, Num ille, dum eum in utero geſtaret mater, fœdum aliquid aut enorme perpetravit, ut cœcitatem ejus rei pœnam ſecum tulerit in mundum?

VERS. 6. Ἔπτυσε χαμαὶ, &c. CAP. IX. VERS. 6.

I. Ut ſputum oculis ægris ſalubre haberetur, diſcas ex ridenda hac hiſtoria.

Hieroſ. Sotah, fol. 16. 4. & *Vajicra Rabba*, fol. 175. 2. *R. Meir ſedit, & concionatus eſt nocte Sabbati. Affuit illic fœmina quædam ſtans, & audiens eum concionantem: quæ cum ille deſiiſſet, rediit ad domum ſuam, & comperit lucernam extinctam. Cui maritus ejus, Ubinam fuiſti? Et illa, Ego ſteti, & audivi vocem concionatoris. Dicit ille, Nequaquam huc introïeris, antequàm iveris, & conſputaveris in faciem concionatoris. Poſt tria Sabbata, hortantibus & comitantibus eam fœminis vicinis, adit Sacellum. Jam verò tota res innotuerat* τῷ *R. Meir antè. Dicit igitur iis,* אית בינכון איתתא חכימא למילחש בעיינא, *Eſtne inter vos fœmina perita muſſitandi incantationes ſuper oculum?* [*Nam ſimulavit ille ægritudinem oculorum*] *Dicit illa, Rabbi, ego non ſum. Et ille, Utcunque, tamen ſputa ſepties in oculum meum, & ego ſanabor. Quod & illa fecit.* Ubi Gloſſ. *Quandocunque incantationes muſſitarunt ſuper oculum ægrum, neceſſe erat ut in oculum ſputarent.*

II. Prohibitum erat ſputum oculo illinere Sabbato, ſub notione aliqua medicinali, quamvis æſtimaretur tam oculis ſalubre.

Maimon. Shabb. cap. 21. *Non indunt vinum in oculum Sabbato, at ponunt ſuper ſupercilia.* ורוק תפל אפילו על גב העין אסור, *Verum non licet ſalivam inſulſam* [*Faſting ſpittle*, quæ habita eſt maximè medicinalis] *ponere vel ſuper palpebras.*

Shabb. fol. 108. 2. *Unus dicit, Vinum in medium*

CAP. IX. VERS. 6,7,8.

medium oculi injici prohibitum; poni ſuper palpebras licitum. Altèr dicit, Sputum etiam ſuper palpebras poni prohibitum.

Jam ergo in hac actione Salvatoris obſervandum,

I. Quod non verbo, ut aliàs, huic ægro medetur, ſed hæc adhibet quæ erant contra canonicam obſervationem Sabbati: ut experiretur hominem, an ille non adeò ſuperſtitioſus, ut hæc non admitteret Sabbato. Non diſpar aliquod experimentum captat de homine ad *Betheſdam*, ut diximus.

II. Dum ſputum miſcet cum pulvere, & luto inde facto ungit oculos cæci, evitat planè ſuſpicionem incantationis: demonſtrat potiùs divinam ſuam potentiam, dum medetur per contraria naturæ; nam lutum oculis illitum, crederes oculos videntis excœcaturum probabiliùs, quàm viſum cæco reſtituturum. Et divinam ſuam authoritatem in Sabbatum demonſtrat, dum medetur Sabbato per tam contraria Sabbato.

Connexio hujus Capitis cum præcedenti tale habet vinculum, ut videantur hiſtoriæ utriuſque Capitis actæ uno eodemque die. Διελθὼν διὰ μέσου αὐτῶν, καὶ παρῆγεν οὕτως. Καὶ παράγων εἶδεν ἄνθρωπον τυφλόν. Si ità, de qua re non contendimus, tum ſiſtunt fœminam adulteram coram Chriſto Sabbato, & aggrediuntur lapidare Chriſtum Sabbato. Ἰησοῦς δὲ ἐκρύβη, quæro an reddenda ſit, *occultavit ſe*, vel *abſcondit ſe:* forſan ſenſus eſt, *occultatus eſt*, per multitudinem ſcil. illi amicam, atque eum circumcingentem, nè furorem ſuum in eum exequerentur ejus inimici.

VERS. 7. Ὁ ἑρμηνεύεται ἀπεσταλμένος.

Oſtendimus antè, fontem *Siloami* duplici rivo ſe effundere in duplex ſtagnum, ſuperius ſcil. quod vocari videtur שילוח, *Stagnum Siloab*, & inferius, quod vocabatur ברכת הַשֶּׁלַח, *Stagnum Shelab*, Nehem. 3:15. Jam ergo שילוח, *Siloabb*, planè & propriè ſignificat Ἀπεσταλμένος, at שלח, *Shelab*, non ità, ut obſervavimus. Nonne addit ergò hoc Euangeliſta, ut diſtinguat de ſtagnis, & doceat ad quodnam homo hic miſſus, ut lavet? Nempe non in piſcina *Shelabb*, quæ ſignificat κωδίων, ſed in piſcina *Shiloabb*, quæ ſignificat Ἀπεσταλμένος.

VERS. 8. Ὁ καθήμενος καὶ προσαιτῶν.

Opponi poſſunt in eodem genere hominum, mendicantium ſcil. חוזרי פתחים, *Mendicantes oſtiatim.*

Verba mendicantium uſitatiſſimè hæc erant.

זכי בי, *Dignare mihi*: vel potiùs quidem ſecundùm literam, *Merere in me*: i.e. Meritum acquire tibi, per eleemoſynam mihi datam. Vel, CAP.IX. VERS. 13,22.

רכי בי זכי נרמך, *O homo teneri cordis, in me benefac tibi ipſi.* Aliquando,

סכי בי מה הוינא אסתכל בי מה אנא, *Reſpice me quis fuerim; aſpice, jam qualis ſim. Vajicra Rabba*, fol. 204.3.

VERS. 13. Ἄγουσιν αὐτὸν πρὸς τοὺς Φαρισαίους.

Phariſæi apud hunc Euangeliſtam, ſunt ut plurimùm Synedrium. [Nec apud eum *Sadducæorum* mentio omnino ulla.] Vid. Cap. 1:24. 4:1. 8:3. & 11:46, &c.

Joſeph. Antiquit. lib. 13. cap. 18. Τοιαύτην δὲ ἔχουσι [Φαρισαῖοι] τὴν ἰσχὺν παρὰ τῷ πλήθει, &c. *Tantùm valent Phariſæi apud populum, ut aliquid contra Regem dicentes, vel contra ſummum Pontificem, illicò credantur.* Et paulò pòſt,

Præcepta multa tradiderunt Phariſæi populo ex Traditione Patrum, quæ non ſcribuntur in legibus Moſis. Atque illius ergò Sadducæi ea rejiciunt, dicentes, Oportere ea ſola pro legibus habere, quæ ſcribuntur; quæ verò ex Traditione ſunt, non obſervare. Atque hinc inter eos oriuntur quæſtiones & controverſiæ grandes. Τῶν μὲν Σαδδουκαίων τοὺς εὐπόρους μόνον πειθόντων, *Sadducæis quidem ditiores ſolum ad ſe trahentibus, plebem autem minimè habentibus ſequacem; Phariſæis autem multitudinem ſuffragantem.*

Hinc concipias, quânam ratione totum Synedrium comprehendatur ſub nomine *Phariſæorum*, quia regebatur vulgus & maſſa gentis decretis Phariſæorum, & ſtatuta eorum ſequebatur. Aſt erat cùm Synedrium aliquando foret Sadducæum, & quid tum actum?

Sanhedr. fol. 52. 1. *Dicit R. Eliezer ben Zadok. Erat aliquando cùm comburerent filiam Sacerdotis quæ fuerat ſcortata, circumcinctam faſciculis ſurculorum. At reſponſum eſt*, לא היה ב״ד של אותה שעה בקי, *Non erat Synedrium tum temporis peritum ſatis.*------ *Dicit Rabb Joſeph*, ב״ד של צדוקי הוה, *Conſtitit illud Synedrium de Sadducæis.* Notatu dignum.

VERS. 22. Ἀποσυνάγωγος γένηται.

Sic Cap. 16:2. Ἀποσυναγώγους ποιήσουσιν ὑμᾶς.

Conceſſo hæc dici de excommunicatione, quæri tamen poteſt, an de excommunicatione ordinaria, hoc eſt, ab hac aut illa Synagoga, an non potiùs de excommunicatione מכנסת ישראל, *à tota congregatione Iſraëlis.*

Piske

Digitized by Google

CAP. IX. VERS. 28, 34. *Piske hareſh* in *Moed Katon*, cap. 3. artic. 23. *Excommunicatus per* נשיא, *Præſidem Synedrii, eſt excommunicatus toti Iſraëli;* multò magis ſuffragante etiam toto Synedrio. Et videtur in locutione iſta Ἐξέβαλον αὐτὸν ἔξω, *verſ.* 34. vox Ἔξω addi tali ſignificatu.

Vel intelligatur de excommunicatione ordinaria: inter viginti quatuor cauſas excommunicationis, ſub quanam concluditur iſta quæ hîc decernitur, ut excommunicetur quicunque confitetur *Jeſum* eſſe Chriſtum? Reſpondebunt forſan Patres Synedrii, quod & in aliis rebus non raró ab iis dictum & factum, *Decretum eſt* לצורך זמן, *pro neceſſitate temporis.*

VERS. 28. Ἡμεῖς Μωσέως ἐσμὲν μαθηταί.

Suaviter & ſuaſoriè propoſuerat hic homo, *Vultiſne vos hujus eſſe Diſcipuli?* quaſi optans ut vellent. At illi, *Tu eſto, Nos ſumus Diſcipuli Moſis.*

Jopna, fol. 4. 1. *Tradiderunt ſummo Pontifici duos Diſcipulos Sapientum* [qui inſtruerent eum circa ritus diei expiationis] כתלמידין של משה, *de Diſcipulis Moſis.* Et quinam illi Diſcipuli *Moſis?* Sequitur לאפוקי צדוקין, *Phraſiologia excludit Sadducæos.*

Vide obiter, lector, quânam reverentiâ Magiſtrum ſuum *Moſen* tractent horum ejus Diſcipulorum Diſcipuli.

Vajicra Rabba, fol. 179. 1. *De tribus rebus iratus eſt Moſes, & abſcondita ab eo eſt Traditio.* I. *Circa Sabbatum*, Exod. 16: 21. *Cùm iraſceretur, oblitus eſt recitare iis Traditiones de Sabbato.* II. *Circa vaſa metallica*, Numer. 31: 14. *Cùm iraſceretur, oblitus eſt recitare iis Traditiones de vaſis metallicis.* III. *Circa lugentem*, Levit. 10: 16. *Cùm iraſceretur, abſcondita eſt ab eo Traditio, quâ prohibetur lugens comedere de ſacris.*

Nonne exiſtimavit *Moſes*, licitum fuiſſe lugenti comedere de ſacris, cùm diceret *Eleazaro* & *Ithamaro* mortem fratrum jam deflentibus, *Eccur non comediſtis ſacrificium pro peccato in loco ſancto?* Imò: at ille ob iracundiam oblitus eſt Traditionis & ſui.

Benè certè agitis, ô boni Diſcipuli, qui Magiſtrum veſtrum ità caſtigatis, tam lapſilem in iram, & tam lubricæ memoriæ. Diſcat ille à vobis hinc porrò, meliùs ſibi temperare bilem, & ſaniùs reminiſci. Et plaudenda certè eſt memoria veſtra, quæ Traditionem tenet, cùm ille ipſe fuerit oblitus.

VERS. 34. Ἐξέβαλον αὐτὸν ἔξω.

Aliquid de hac phraſiologia dicturi ſumus ad Cap. 16: 2.

Sic evadit hic homo primus *Confeſſor* in Eccleſia Euangelica, [ut Baptiſta primus Martyr] excommunicationem patiens, eamque ex tota Eccleſia Iſraëlitica, ob nomen Chriſti. Mirum eſt eos ipſum *Jeſum* non excommunicaſſe: ſed diriora contra illum machinantur.

CAP. X.

CAP. X.

INter omnia loca Veteris Teſtamenti, quæ loquuntur de magno hoc Paſtore, nullum, eum & opus ſuum paſtorale magis graphicè deſcribit, quàm Caput undecimum Prophetæ *Zachariæ.* Inde hæc pauca petamus in tranſitu ad illuſtrationem periochæ, quæ jam ſub manibus.

I. Deſcribit magnum illum Paſtorem, ſeipſum manifeſtantem, & ad munus ſuum paſtorale ſe applicantem, cùm jam vergeret gens iſta in ruinam: & cum ruinam iſtam prædixerat Propheta, Paſtorem hunc introducit, de ovibus ſuis curam ſuſcipientem, nè & illæ pereant.

Super verſiculum primum, *Aperi portas tuas, ô Lebanon*, &c. Accipe commentarium ipſorum Judæorum, qui tamen non parvo conatu nituntur totam hanc Prophetiam de propriis cardinibus deturbare.

Quadraginta annis ante excidium, aperuerunt ſe portæ Templi ſponte ſuâ. Objurgavit ergò eas Rabban Jochanan ben Zaccai, & dixit, O Templum, Templum, quare tu teipſum terrificas? Novi ego, quòd finis tuus erit deſtructio: nam ſic prophetavit de te Zacharias filius Iddo, Aperi, ô Lebanon, portas tuas, &c. *Joma*, fol. 39. 2.

Cætera quæ ſequuntur, deſolationem eloquuntur planè, *verſ.* 2. 3. Præſertim verò obſerva, ut congruant iſta in *verſ.* 6. *Tradam eos unumquemque in manum vicini ſui*, i. e. inteſtinis & horrendis inter ſe diſcordiis & ſeditionibus: *& tradam unumquemque in manum Regis ſui*, Cæſaris, de quo dixiſſe ſe aliquando, jam meminerint, *Nos non habemus Regem niſi Cæſarem.*

II. Malos populi Paſtores deſcribit ſub triumviratu, *verſ.* 8. *Tres Paſtores excidi menſe uno*, &c. hoc eſt, *Phariſæos, Sadducæos, Eſſenos.* Interpretatio quæ auribus Judaicis non poteſt eſſe non ingrata; at quæ ſatis aſtruitur ex ipſo contextu, & rerum hiſtoria. Illi ergò aliò divertunt aciem Prophetiæ: nam tres Paſtores Gemariſtis ſunt, *Moſes, Aaron & Miriam*, Taanith, fol. 9. 1. Jarchio, *Domus Achabi, domus Ahaziæ, & fratres ejus.* Kimchio, *Filii Joſiæ Jehoachaz, Jehojakim & Zedekiah.* Aben Ezræ, *Fortè ſunt ſummus Pontifex Jehoſhua, & unctus ad bellum*

Digitized by Google

lum, *& Sagan: aut fortè Haggæus*, *Zacharias & Malachias*, &c.

At quid clarius eſſe poteſt, quàm quòd loquitur Propheta, de Paſtoribus qui gregem vaſtaverant corruperantque: quique, cùm jam manifeſtaret ſe verus Paſtor ovium, idem agerent? Quinam autem illi, niſi principes Sectarum, & Ductores populi, *Phariſæi*, *Sadducæi*, *Eſſeni?*

Object. Verùm quomodo exciſos hos dices à magno Paſtore, cùm adveniret, cùm ſatis notum ſit, ut vixerint hæ Sectæ poſt mortem Chriſti, imò poſt mortem & funus *Hieroſolymæ:* imo Phariſaiſmus in gente Judaica hunc uſque in diem?

Reſp. Sic dicitur, quòd ſub Euangelio, *Gentes ulteriùs non diſcerent bellum*, Eſaj. 2:4. *Quòd non futurus eſſet in nova Hieroſolyma infans ætate*, aut minorennis, &c. *Eſaj.* 65:20. cùm tamen ſat bellorum in unaquaque generatione, & ſat infantiæ, aut ignorantiæ rerum divinarum. Aſt quod ſuum erat, præſtiterat Deus erga adimpletionem Prophetiæ: Introduxerat nempe Euangelium pacis, & Euangelium lucis, ut nihil è parte ſua deficeret, quin quod pax regnare poſſet in terris, & infantia in rebus divinis non exiſtere, Sic introduxit magnus hic Paſtor doctrinam Euangelicam, oraculum veritatis & religionis, quæ quidem ità contudit & excerebravit vanas iſtarum Sectarum doctrinas & inſtituta, ut ex parte doctrinæ Chriſti nihil defuerit ad ſuccidendum iſtas hæreſes & vanitates.

III. Solvit hic magnus Paſtor fœdus initum & pactum cum iſto populo, *verſ.* 10. *Tuli virgam meam quæ vocabatur Decus, & abſcidi eam, ut irritum facerem fœdus meum quod percuſſi cum omnibus populis. Cum omnibus populis*, i. e. cum toto Iſraële, decem Tribubus & duabus. Et commate 14. diſſolvitur germanitas & cognatio inter ipſos *Judam* & *Iſraëlem.* Quod iis ſeriò obſervandum, qui adhuc expectant univerſalem Judæorum converſionem. Dicant cujuſnam tandem fœderis virtute. Si fœderis gratiæ, non diſtinguit fœdus illud inter Judæum & Græcum, nec quempiam agnoſcit ſecundùm carnem: ſi fœderis peculiaritatis, ruptum eſt illud fœdus, cùm gregem ſuum ex iſto populo congregaverat. Nam

IV. Invenit magnus Paſtor, cùm adveniret, in gente iſta gregem congregandum, Λεῖμμα κατ' ἐκλογὴν χάριτος, ut *Rom.* 11:5. quem congregari curavit ante excidium urbis. Ipſi *Zachariæ* eſt צאן הרגה, *Pecus occiſionis*, & עניי הצאן, *Pauperes gregis*, *verſ.* 11. Ubi obiter, nemo Græca hic conferens, non obſervabit, כן עניי, *Sic pauperes*, ab iſtis Interpretibus in unum vocabulum conjungi & confundi. Nam pro וידעו כן עניי הצאן, *Et cognoverunt ſic pauperes gregis*, legunt illi, Καὶ γνώσονται οἱ Χαναναῖοι τὰ πρόβατα, &c. Et *verſ.* 7. לכן עניי הצאן, *Propter hoc*, vel *propter vos*, *ò pauperes gregis*, reddunt illi, Εἰς τὴν Χαναανῖτιν. Ubi poſt hoc notatum, quòd Nun finale in כן legunt ut non finale, ſuſpicio mihi excitatur, reſpicere interpretes reductionem diſperſæ captivitatis in *Canaanitida*, ſecundùm communem exſpectationem gentis. Sed hæc in tranſitu.

Accuratè notandum eſt illud Apoſtoli, Οὕτως ἐν τῷ νῦν καιρῷ λεῖμμα κατ' ἐκλογὴν χάριτος γέγονεν: quod quidem eſt quaſi gnomon iſtius Capitis, atque animum Apoſtoli interpretatur ſupra omnia alia. Nam proponit ille ſibi diſſertandum, non de vocatione univerſæ gentis, ſed de non rejectione univerſæ gentis: quod facillimè odorari licet ex ipſo commate primo. Num Deus ità rejecit populum ſuum, ut totum populum rejecerit? Μὴ γένοιτο, Nam ego ipſe ſum Iſraelita, & non rejectus. Et argumentum hoc proſequitur & illuſtrat, ab exemplo temporum corruptiſſimorum *Eliæ*, quando diruerant altaria Dei, occiderant Prophetas, & non pauci adorarent τὸν Βαάλ, *Baal Sidoniorum*, quem introduxerat *Achabus:* & univerſus quidem populus adoraret τὴν Βαάλ, *vitulam* aut vaccam *auream*, quam erexerat *Jeroboamus.* Et tamen in perditiſſima iſta rerum conditione, *Reſervavi mihi*, inquit Dominus, *ſeptem millia hominum qui genua ſua non flexerunt* τῇ Βαάλ, communi & univerſali gentis errori, vitulæ aureæ, multò minùs τῷ Βαάλ *Sidoniorum.* Sic & ἐν τῷ νῦν καιρῷ, inquit Apoſtolus, λεῖμμα γέγονεν. Planè innuens, ſe non aſtruere vocationem totius gentis, ſed vocationem tantùm iſtius λείμματος: & ſe diſſerere de *præſenti* vocatione iſtius λείμματος, & non de futura aliqua vocatione totius gentis.

V. Grande eſt myſterium illud, de quo Apoſtolus, *verſ.* 25. iſtius Capitis, Ὅτι πώρωσις ἀπὸ μέρους τῷ Ἰσραὴλ γέγονεν, ἄχρις οὗ τὸ πλήρωμα τῶν ἐθνῶν εἰσέλθῃ, *Cæcitas diviſim obvenit Iſraëli, donec plenitudo gentium introierit.* Ἀπὸ μέρους reddo *diviſim*, aut *partitè*, idque, ut opinor, non ſine authoritate Grammaticæ, atque ex animo *Pauli.* Nam myſterium apud eum hoc eſt, quòd Iſraelitæ ſunt diviſim & diverſis vicibus excæcati: primò, decem Tribus excæcatæ per idololatriam, & multis poſt ſæculis, duæ Tribus excæcatæ per Traditiones: & tamen & hæ & illæ una reſervatæ ad tempus illud, quo vocati ſunt Gentiles, qui longiori ſpatio fuerant excæcati; & tum Iſraelitæ, Judæi, Gentiles, vocati ſimul & coaleſcentes in unum corpus. Apoſtolus in toto iſto Capite, nè ſemel quidem mentionem habet *Judæorum*, ſed *Iſraëlis*,

Digitized by Google

CAP. X. VERS. 1.

lis, ut decem Tribus cum duabus concludat intra ſuam diſſertationem.

Et gregem ſuum, aut oves ſuas, habuit magnus hic Paſtor intra decem Tribus æquè ac intra duas: & ſine omni controverſia mihi eſt, Euangelium perlatum & prædicatum fuiſſe temporibus Apoſtolorum decem iſtis æquè ac duabus. Et parùm dubito, *Petrum in Babylonia* verſantem, Iſraëlitis in iſtis regionibus diſperſis prædicaſſe, æque ac Judæis.

VI. Negant acriter nonnulli Gemariſtarum, converſionem decem Tribuum ſub *Meſſia*. Caveant etiam nè non ſit converſio ſuarum.

Sanhedr. fol. 110. 2. *Decem Tribus nunquam redibunt, ſicut dicitur, Et projecit eos in terram alienam, ſicut eſt hodie*, Deuter. 29:28. *Sicut hic dies abit & non redibit, ſic etiam illi abierunt & non redibunt. Verba ſunt R. Akibæ.*

Tradunt Rabbini, Decem Tribubus non erit portio in mundo futuro, ſicut dicitur, Extirpavit eos de terra in furore & indignatione maximâ, & ejecit in terram alienam. Extirpavit eos è terra ſua in hoc ſæculo, & ejecit in terram alienam in ſæculo futuro. Verba ſunt τοῦ Rabbi.

At verò, ſub vero *Meſſia*, cùm adveniret, fœliciùs, ut ità dicam, id eſt, fœliciori cum ſucceſſu vocatæ ſunt decem Tribus, quàm Judæi: quippe quòd inter Judæos qui Euangelium fuerant amplexati, occurrit Apoſtaſia triſtis & horrenda, cui ſimilem non legimus apud converſum Δεκάφυλον.

VERS. 1. Διὰ τῆς θύρας εἰς τὴν αὐλὴν, &c.

Caula ovium Talmudicis eſt דיר, Septum aliquod in quo

I. Congregabantur oves noctu, nè vagarentur, & ut incolumes eſſent à furibus & feris.

II. Interdiù mulgebantur, ut

Iliad. δ. Τρῶες δ', ὥστ' ὄϊες πολυπάμμονος ἀνδρὸς ἐν αὐλῇ
Μυρίαι ἑστήκασιν ἀμελγόμεναι γάλα λευκόν.

III. Decimabantur agni.

Becoroth, fol. 58. 2. *Quomodo decimant?* כונסין לדיר, *Congregant gregem in ovile, & faciunt oſtiolum parvum, per quod exire non poſſunt duæ oves ſimul, & numerant* 1, 2, 3, 4, 5, 6, 7, 8, 9, *& decimum qui egreditur, notant colore rubro, & dicunt, Hic eſt Decima.------ Matres ſunt ab extrà, agni intus, & egrediuntur agni ad balatum matrum.*

Erat ergò in ovili oſtium majus, per quod introitus & exitus gregi & paſtoribus: & minus, per quod exierunt agni ad decimationem.

CAP. X. VERS. 1, 3, 7, 8.

Κλέπτης ἐςὶ ϰ λῃςής.

גנב וגזלן

Maimon. Genebah, cap. 1. אי זהו גנב, *Quiſnam eſt fur? Ille qui clam ſurripit opes cujuſquam, poſſeſſore ignorante. Veluti ſi manum extendat in loculum vicini ſui, & nummum auferat, eo non vidente. At verò ſi palàm auferat & apertè, & violenter*, אין זה גנב אלא גזלן, *Hic non eſt fur, ſed latro.* Non κλέπτης, ſed λῃςής.

VERS. 3. Ὁ θυρωρός.

* Fallor, aut ſervi miniſtrantes circa gregem ſub paſtore gregis, Domino vocantur בעלי אספות, *Eccleſ*. 12:11. Hoc eſt, illi qui congregant gregem in ovile: ſi modò ipſum ovile non ità vocetur. Atque ego verba paraphraſticè ſic redderem, *Verba Sapientum ſunt ſicut ſtimuli, & clavi fixi à congregantibus gregem*: ſtimuli, ut arceant fures, & feras noxias; *clavi*, ut ſartum tectum conſervent ovile: qui ſtimuli & clavi dantur à paſtore primo, gregis domino, in hunc ipſum finem. Unus autem eorum qui inſerviit gregi, erat Ὁ θυρωρὸς, *Janitor*, non ſemper oſtio aſſidens, ſed cui clavis oſtii commiſſa, & cura demandata, nè ovis quæpiam extra ovile evagaretur, non noxii quidpiam admitteretur vel irreperet.

VERS. 7. Ἐγώ εἰμι ἡ θύρα.

Merus Iſraëlitiſmus apud Judæos erat caula & oſtium & omnia. Nam ſi foret quiſpiam de ſemine Iſraëlitico, & ſtirpe *Abrahami*, ſatis hoc erat, ipſis judicibus, ut fieret ovis, ut admitteretur in gregem, & paſceretur ad vitam æternam. Verùm in grege Chriſti alia ovium originatio, introductio, conſignatio.

VERS. 8. Πάντες ὅσοι πρὸ ἐμοῦ ἦλθον, κλέπται εἰσί.

Loquitur Chriſtus cum Scriptura: apud quam, cùm ſermo eſt de adventu magni hujus Paſtoris curam gregis ſuſcepturi, accuſantur mali paſtores gregem non paſcentes, ſed perdentes, *Hierem*. 23:1, &c. *Ezech*. 35:2, &c. *Zach*. 11:16. Et perſtringit Salvator tres iſtos Paſtores, Chriſti oſores atque ipſi exoſos, Phariſæos, Sadducæos & Eſſenos, ſub quorum erroneo ductu gens malè agebatur per aliquot ſæcula.

Crederem hæc verba, Πάντες ὅσοι πρὸ ἐμοῦ ἦλθον

Digitized by Google

CAP. X. VERS. 9, 13, 15. ἦλθον, intelligi potuiſſe de iis, qui arrogato ſibi nomine *Meſſiæ*, ſeſe obtruſerunt populo, niſi quòd talem, aut non omninò, aut vix reperies ante adventum veri *Meſſiæ*. Poſt ejus adventum quàmplurimi nomen iſtud, & titulum ſibi aſſumpſerunt; aſt ante adventum ejus, vix unus. *Judas Galilæus* minimè eò impudentiæ aſcendit, prout hiſtoriam ejus habes apud *Joſephum*: nec *Theudas*, quantùm colligi poteſt ex verbis *Gamalielis*, *Actor*. 5.

Argumentum non infirmum, quo aſtruas contra Judæos, tempus illud quo apparuit *Jeſus* noſter, fuiſſe ipſiſſimum tempus quo expectabat populus adventum *Meſſiæ*. Nam quare non arrogavit ſibi quiſquam nomen *Meſſiæ* ante adventum *Jeſu* noſtri? Quia norunt tempus *Meſſiæ* præſtitutum & expectatum non adhuc adveniſſe. Et quare tot poſt *Jeſu* adventum pro *Meſſia* haberi voluerunt? *Matth* 24. Quia congruentia temporis, & exſpectatio gentis, adminiculari & inſervire potuerunt eorum præcenſioni.

VERS. 9. Νομὴν εὑρήσει.

Becoroth, fol. 54. 2. כמה היא רגל בהמה רועה, *Quòuſque proceditur à pecudibus paſcentibus?* י״ו מיל, *Sedecim milliaribus.*

Gloſſ. *Menſura ſpatii, quo procedunt pecora, cùm prodeunt paſtum.* Paſcuum ampliſſimum.

VERS. 13. Ὁ δὲ μισθωτὸς φεύγει.

Supponitur à Magiſtris tale quid à mercenario fieri poſſe, cùm mulctam ſtatuunt, ſi pereat ovis per negligentiam cuſtodientis.

Bava Mezia, fol. 93. 2. *Quouſque tenetur cuſtos mercenarius* [שומר שכר] *ad invigilandum gregi? Donec illud de eo verum ſit, Interdiu conſumpſit me calor, & gelu nocte.*

At ſi, eo in urbem recedente & abſente, veniat lupus aut leo, & dilanient, quid tum?--- לקדם בחעים ובמקלות, *Occurriſſe oportuit cum paſtoribus & fuſtibus*; non fugere.

VERS. 15. Τὴν ψυχήν μου τίθημι, &c.

נותן נפשו, vel מוסר נפשו על הצאן.

Bemidb. Rabb. fol. 260. 1. מסר יהודה נפשו על בנימין, *Judah tradidit vitam ſuam pro Benjamino.*

Vajicra Rabba, fol. 162. 1. חור נתן נפשו על הקב״ה, *Hur dedit vitam ſuam pro Sancto benedicto.* Nam tradunt eum martyrium ſubiiſſe, ideò quòd contradiceret vitulo aureo.

VERS. 22. Ἐγένετο δὲ τὰ Ἐγκαίνια, &c. CAP. X. VERS. 22.

I. Petenda hujus feſti origo ab hiſtoria iſta 1 *Maccab*. 4: 52, &c. de qua diximus antè. Super quam ſic Magiſtri Hebræorum.

Joſephus, Ἀρχαιολογ. lib. 12. cap. 11. *Tantâ voluptate capti ſunt in reſtauratione rituum ſacrorum, poſt tantùm temporis, inexpectato jam facti compotes religionis ſuæ*, ὡς νόμον θεῖναι τοῖς μετ' αὐτοὺς, ἑορτάζειν τὴν ἀνάκλησιν τῶν περὶ τὸν ναὸν, ἐφ' ἡμέρας ὀκτώ: *Ut lege ſancirent poſteris, feſto celebrandam eſſe reſtitutionem rituum Templi, per dies octo.* Καὶ ἐξ ἐκείνου μέχρι δεῦρο τὴν ἑορτὴν ἄγομεν, καλοῦντες αὐτὴν Φῶτα, *Exinde ergò uſque nunc, feſtum celebramus, illud vocantes lumina: nomen tale indentes feſto, ut opinor, quia præter ſpem, talem libertatem ſumus adepti.*

Crederes nomen *Luminum*, vel *Lucernarum* tantùm, feſto inditum: nomen, inquam, tantùm, nam de *accenſione Lucernarum* hìc mentio nulla. Crederes etiam octiduum celebrationi hujus feſti decretum, ad exemplum fuiſſe octidui feſti *Scenopegiæ*: at longè aliter, & vafriùs quidem Talmudici.

Shabb. fol. 21. 2. *Tradunt Rabbini. A die viceſimo quinto menſis Chiſleu, ſunt octo dies Encæniorum, in quibus nec lugendum eſt, nec jejunandum. Nam cùm intrarent Græci in Templum, polluerunt univerſum oleum quod erat in Templo. At cùm prævaleret regnum Aſmonæorum, atque eos devicerat, quæſiverunt, at non invenerunt niſi phialam unam olei, quæ repoſita erat ſub ſigillo ſummi Pontificis, nec in ea erat ſatis, niſi in accenſionem pro die unâ. Factum eſt miraculum: nam accenderunt de ea in dies octo. Anno ergò poſtero, inſtituerunt & fecerunt dies iſtos dies feſtos.*

Eadem habet & *Maimonides*, & plura addit in

Chanuchah, cap. 3. *Propter hoc inſtituerunt ſapientes qui erant in iſta generatione, ut octo iſti dies à 25. Chiſleu ſint dies Lætitiæ, & Hallel, & ut in iis accendant lucernas veſperè ad oſtia domorum, unaquaque nocte iſtarum octo, ad declarandum & manifeſtandum iſtud miraculum. Et dies iſti vocantur* חנוכה, *Dedicatio, & prohibetur in iis lugere & jejunare. Sicut in diebus Purim*, &c.

Et cap. 4. *Quotnam lucernas accendunt? Præceptum eſt ut unaquæque domus accendat lucernam unam: ſintne habitatores ejus plures, an unus tantùm. Aſt ille qui magis honorat præceptum, accendit lucernas ſecundùm numerum perſonarum quæ ſunt in domo. Ille vero qui & ulteriùs honorat præceptum, accendit lucernam pro unoquoque qui in domo nocte primâ, & duplicat nocte ſecundâ. Exempli gratiâ, ſi ſint decem perſonæ in domo, accenduntur nocte*

primâ

Digitized by Google

CAP. X. VERS. 22. *primâ decem lucernæ, nocte ſecundâ viginti, tertiâ triginta, ità ut nocte octavâ ſint lucernæ octoginta.*

Nimium eſſet ſingulatim proferre ea quæ ille refert de decantatione *Hallel* hoc in feſto, de loco ubi collocanda lucerna extra domum, aſt tempore periculi aut perſecutionis intra domum, &c. hæc ſufficiant, hoc tantum addito ex

Echab Rabbathi, fol. 80. 1. *Uxor Tarchini, cujus oſſa confringantur, peperit filium, nocte diei noni menſis Ab; & tum omnis Iſraël erat in luctu.* נשתחק הולד בחנוכה, *Obiit puerulus in feſto Dedicationis. Tum dixerunt Iſraëlitæ, Accendemus lucernas, an non? At dixerunt, Accendemus, & occurrat quodcunque vult. Accenderunt ergò. Abierunt autem quidam, atque eos accuſarunt coram uxore Tarchini*, [תרכינוס, *Tarquinii*: per quem an *Trajanum* velint, an aliquem alium, non quærimus, nec tanti eſt] *dicentes, Iſti Judæi, cùm pareres filium, luxerunt: at cùm filius tuus jam obierit, accendunt lucernas.* Illa maritum accerſit, accuſat Judæos, excitat eum ad vindictam, atque ille eos interimit.

Τὰ Ἐγκαίνια.

Sic חנוכה in titulo *Pſalm.* 30. Græc. Interpr. Ἐγκαινισμὸς: quam rem intelligere videntur Magiſtri de dedicatione Templi, *Bemidbar Rabba*, fol. 149. 1. cùm reverà fuerit tantùm luſtratio & repurgatio domûs *Davidis*, cùm eam polluerat *Abſolomus* nequitiâ & fœditate ſuâ: quod non incongruè conferas cum hac repurgatione Templi poſt pollutionem Ethnicorum.

Ἐν Ἱεροσολύμοις.

Erat feſtum Encæniorum Hieroſolymis. Non ut Paſcha, Pentecoſte & Scenopegia erant Ἐν Ἱεροσολύμοις, quæ feſta celebrari non potuerunt niſi iſthìc loci: verùm Encœnia celebrabantur ubivis per totam regionem.

Roſh haſhanah, fol. 18. 2. גזרו תענית בחנוכה בלוד, *Indixerunt aliquando jejunium intra feſtum Encæniorum, in Lydda.*

Encœnia in Lydda? hoc non præter morem, nam celebrabantur ubique, ſed jejunium intra feſtum erat præter morem.

Maimon. ubi antè. *Itinerans, pro quo accendunt lucernam domi ſuæ, non opus habet ut pro ſe accendat ibi, ubi itineratur.* Num ubicunque hoſpitatur in regione, ibi Encœnia & accenſio lucernarum; & ſi ſui qui domi ſuæ, pro eo iſto munere fungerentur, curandum eſt ei ut fungatur.

Pergit Maimonides. *Præceptum de lucerna Encæniorum eſt præceptum admodùm amabile, atque neceſſe eſt ut quilibet ejus memoriam refricet, ut nempe notum faciat miraculum, & contribuat ad laudationem Dei, & agnitionem miraculorum quæ ille fecit pro nobis. Et ſi non ſuppetat alicui quod comedat, niſi ex eleemoſyna, emendicet, aut vendat veſtimenta ſua, unde habeat oleum & lucernas pro hac accenſione. Et ſi ſit ei tantùm* פרוטה אחת*, quadrans unus, & ſi in æquilibrio proſtet coram eo* קידוש היום*, ſacratio diei, & accenſio lucernarum Encæniorum, emat potiùs oleum ad accenſionem lucernæ, quàm vinum ad ſacrationem diei. Cùm enim utraque res ſit de præſcripto Scribarum, præſtat præferre lucernam Encæniorum, quoniam in ea eſt recordatio miraculi.*

Et quodnam illud miraculum? Multiplicatio olei. Inſtitutum eſt igitur feſtum in commemorationem reſtaurationis Templi & religionis, & inſtitutum eſt tempus feſti octiduanum, in commemorationem iſtius miraculi. Utrumque ex præſcripto Scribarum, cùm non eſſet in tota gente vel unus Propheta.

Contra inſtitutionem feſti Purim per Eſtheram & Mordochæum, octoginta quinque Seniores, quorum plures quàm triginta erant Prophetæ, cavillabantur ut novaturientem contra Legem. Hieroſ. Megill. fol. 70. 4. cùm tamen feſtum illud foret per biduum tantùm. Mirum ergò eſt gentem feſtum octiduanum, authoritate Scribarum tantùm nixum, tam leniter abſorbere.

Refert *Joſephus*, ut & liber *Maccabæorum*, hanc rem ad annum *Seleucidarum* centeſimum quadrageſimum octavum: & tunc temporis diùque anteà invaſerat gentem doctrina de Traditionibus, & authoritas Scribarum Traditionalium; ità ut Synedrii conſultum jam foret quaſi oraculare, nec querela foret contra aliquid ab eo decretum. Nam quamvis venditare non potuerint Magiſtri iſti Traditionum inſtitutionem talis feſti, pro Traditione exhibita *Moſi* in monte *Sinai*, potuerunt tamen excogitare aliquid, ut traditionale, quo aſtruerent licentiam talis inſtitutionis.

Quinam illi fuerint qui primarias ſedes jam tenuerint in Synedrio, non certè determinandum. Illud quod dicitur de *Joshua ben Perachiah*, quòd fugerit à *Jannæo* Rege, *Sanhedr.* fol. 107. 2. probabilitatem aliquam ſecum fert, *Joſen ben Joëzer Zeredæum*, & *Joſen ben Jochanan Hieroſolymitanum*, quibus in cathedris ſucceſſerunt *Joſuah ben Perachiah*, & *Nittai Arbelitanus*, Præſidem & Vice-Præſidem fuiſſe in Synedrio. Sed non tanti eſt, ut nos in tali diſquiſitione fatigemus.

Dicunt Magiſtri, ſed quâ ratione aut authoritate nixi, obſcurum, in

Bemidbar Rabba, fol. 151. 1. מלאכת המשכן נגמרה בכ״ה בכסליו, *Opus Tabernaculi abſolutum eſt die 25. menſis Chiſleu,* [hoc ipſo

CAP. X. VERS. 22, 24, 31. ipſo die menſis, de quo nobis jam eſt ſermo] *& complicatum fuit Tabernaculum uſque ad primum menſis Niſan, & tunc erectum.*

Καὶ χειμὼν ἦν.

Octiduum à viceſimo quinto menſis *Chiſleu* inchoatum, coincidit cum ſolſtitio brumali. Unde, cùm lego apud Targumiſtam in 1 *Paralip*. 11:22. quòd יומא זוטה דסיתווה בעשרא יומין בירחא דטבת, hæſito an reddam *Dies breviſſimus*, an *Dies brevis*, i.e. unus de diebus brevibus hyemis, viz. *decimus menſis Tebeth:* ſi ille non ſecundùm Calendarium noſtrum calculet potiùs, quàm ſecundùm Judaicum.

Diſtinguunt Magiſtri, ut obſervavimus ad *Cap*. 4:35. menſes hyemales in חרף & קור, *Hyemem* & *Brumam*, frigus remiſſius, ut videtur, innuentes, & intentius. *Dimidium Chiſleu, totus Tebeth, & dimidium Shebat* erat חרף, *Hyems*. Decem ergò dies hyemis præterierant, cum 25. menſis *Chiſleu* introiret feſtum Encœniorum.

Hyems erat, & Jeſus ambulavit in porticu, quia hyems erat, ut captaret calorem: & fortè elegit ſibi porticum *Solomonis* in qua ambularet, vel ut rem haberet cum Patribus Synedrii qui ibi ſederunt, vel ut corrigeret & caſtigaret ementes & vendentes in tabernis.

VERS. 24. Ἕως πότε τὴν ψυχὴν ἡμῶν αἴρεις;

Non malus eſt ſenſus, *Quduſque animam noſtram ſuſpendis?* quamvis ſecundùm literam, non ſit exacta interpretatio. At quæro ego, Qualiſnam fuit hæc animæ eorum ſuſpenſio? An ſperarunt Jeſum eſſe Meſſiam, aut annon potiùs timuerunt nè eſſet Meſſias? nam cùm expectarent Meſſiam victorem, liberatorem populi à jugo Ethnico, & terrenâ gloriâ omnimodâ coronatum, Jeſum verò viderent infinitis gradibus diſtantem à tali pompa, miracula autem ejus tam pulchra ſpecimina *Meſſiæ* exhibentia; hæſitare potuerunt animo, an talis *Meſſias* ſit optandus.

VERS. 31. Ἐβάστασαν οὖν πάλιν λίθους.

Blaſphemans מגדף, ſecundùm proceſſum Synedrii judicialem, erat lapidandus, quam rem imitari hi volunt proceſſu non judiciali.

Sanhedr. cap. 7. hal. 4. *Hi ſunt lapidandi: ille qui coït cum matre ſua, aut cum uxore patris---- aut qui blaſphemat, aut patrat idololatriam.* Jam verò quamvis varient Magiſtri circa definitionem blaſphemi & blaſphemiæ, in hoc tamen conſentiunt maximè, quòd כופר בעיקר, *negat fundamentum*: quod feciſſe *Jeſum*, cum diceret, Ἐγὼ καὶ ὁ πατὴρ ἕν ἐσμεν, nemo iis non perſuaſerit, Genti miſeræ & dementatæ, quæ ſupra omnes & omnia exoptavit & expectavit *Meſſiam*, & tamen penitus ignoravit qualis perſona *Meſſias*. CAP. X. VERS. 35. 40. CAP. XI. VERS. 1.

VERS. 35. Εἰ ἐκείνους εἶπε θεοὺς, &c.

Judæi verba Pſaltæ, *Ego dixi, Vos Dii eſtis*, in ridiculum hunc ſenſum interpretantur.

Avodah Zarah, fol. 5. 1. *Niſi Patres noſtri peccaſſent, nos non veniſſemus in mundum, ſicut dicitur, Ego dixi, Vos Dii eſtis, & filii Altiſſimi omnes. At corrupiſtis opera veſtra; ergò moriemini ſicut homines.* Et paulò pòſt: *Non acceperant Iſraël Legem, niſi ut non dominaretur iis Angelus mortis, ſicut dicitur, Ego dixi, Vos Dii eſtis. At corrupiſtis opera veſtra; ergò moriemini*, &c.

Senſus eſt, quòd niſi peccaſſent illi qui ſteterunt coram monte *Sinai*, per vitulum aureum, non generaſſent unquam liberos, nec morti ſubjecti fuiſſent, ſed fuiſſent ſicut Angeli. Sic Gloſſ. *Niſi Patres noſtri peccaſſent in vitulo aureo, nos nunquam veniſſemus in mundum, nam illi fuiſſent ſicut Angeli, & nunquam generaſſent liberos.*

Loquitur quidem Pſaltes de Magiſtratibus ad quos pervenit verbum Dei, peculiari diſpenſatione & diplomate eos deſtinantis & deputantis ad regimen & magiſtratum, ut planum facit tota tela & textura Pſalmi. At ſi verba Salvatoris applices, ut ex communi iſta gentis interpretatione, ſic optimè arguunt: Si illos dixit Deos, vel Angelos, ad quos pervenit lex & verbum Dei in monte *Sinai*, ut vos opinamini; num blaſphemia eſt quod ego, quem Deus peculiariter ſanctificavit, & miſit in mundum, ut verbum & voluntatem ejus revelem, dicam me eſſe *Filium Dei?*

VERS. 40. Ὅπου ἦν Ἰωάννης τὸ πρῶτον βαπτίζων.

Id eſt, *Bethabaræ*. Nam loquitur Euangeliſta ſecundum propriam hiſtoriam: quod lectori perſpicaci non opus eſt probatu.

CAP. XI.

VERS. 1. Λάζαρος.

SIc in Talmude Hieroſolymitano, ר' לעזר, *R. Lazar* pro *R. Eleazar*. Nam dialecto Hieroſolymitanâ non infrequens eſt, in vocibus nonnullis incipientibus in א, *Aleph*, literam iſtam decurtare: ut

מאי

Digitized by Google

CAP. XI. VERS. 1, 2. מאי מר מו, *Quid dicit Magiſter?* pro מאי אמר.

בר בא, *Bar Ba*, pro בר אבא, *Bar Aba*.

בי ר' בון, *Be R. Bon*, pro בי ר' אבון, *Be R. Abon*.

Sic frequentiſſimè לעזר, *Lazar*, pro אלעזר, *Eleazar*.

Taanith, fol. 68. 2. ר' לעזר בן ר' יוסי, *R. Lazar ben R. Joſe*.

Chagigah, fol. 78. 4. & 80. 2. ר' לעזר בן יעקוב, *R. Lazar ben Jacob*.

Kiddushin, fol. 60. 2. *R. Lazar Diſcipulus R. Chaijæ Rubbæ*.

Qui & aliquando nomine ſuo appellantur non abbreviato.

Sotah, fol. 23. *R. Eleazar ben Jacob*.

Ibid. fol. 20. 2. *R. Eleazar ben Joſe*.

Μάρθας.

Occurrit nomen hoc muliebre frequentiſſimè etiam apud Talmudicos. *Hieroſ. Shabb.* fol. 3. 4. *Iſaac bar Samuel, bar Martha*.

Babyl. Jevamoth, fol. 120. 1. *Abba bar Martha, idem qui Abba bar Minjomi*.

Ibid. cap. 6. halac. 4. *Joſua ben Gamla deſponſavit* מרתא בת בייתוס, *Martham filiam Baithus*. Erat ea vidua ditiſſima, *Juchaſ.* fol. 57. 2.

Vocatur etiam מרים בת בייתוס, *Maria filia Baithus*, in

Echah Rabbathi, fol. 67. 2. cum hac hiſtoria. *Maria filia Baithus, quam deſponſavit Joſua ben Gamla, promotus à Rege ad Pontificatum. Voluit ea quâdam die expiationis videre, qualiter maritus fungeretur officio iſtius diei. Straverunt ergo ei tapetes ab oſtio domûs ſuæ uſque ad Templum, nè pes ejus terram attingeret.------ R. Eleazar ben R. Zadok dicit,* אראה בנחמה, *Ità videam conſolationem* [Iſraelis] *vidi eam capillis ſuis ad caudas equorum Arabum ligatam, & ſic currere eam coëgerunt à Jeroſolyma ad Lyddam. Recitavi ego ergò de ea verſiculum iſtum, Tenera in te & delicioſa*, &c. Deuter. 28: 56.

Succah, fol. 52. 2. מרתא בת בייסות, *Martha filia Baiſuth*: cujus filius robuſtus admodùm inter Sacerdotes. An בייסות, *Baiſuth*, & בייתוס, *Baithus*, convertantur, an ſit error librarii, quærat cui libet.

VERS. 2. Ἦν δὲ Μαρία ἡ ἀλείψασα.

Id eſt, *Quæ unxerat anteà*. Nam

I. Æquum eſt ut *Aoriſtus* vim ſuam retineat plusquàm perfecti. Quod quicunque non conceſſerit, dicat velim, quare *Bethania*, oppidum *Lazari*, non vocetur ejus nomine, ſed nomine *Mariæ* & *Marthæ*: quippe quòd nomina iſta nota fuerint in hiſtoria præterita; at de *Lazaro* altum ſilentium ante hanc hiſtoriam. Sic & ἀλείψασα reſpicit hiſtoriam notam præteritam, iſtam ſcilicet in *Luc.* 7: 37.

II. Ratio nulla reddi poteſt, cur hæc ab Euangeliſta dicerentur τὸ πρόληψιν, ut referenda ad hiſtoriam *Cap.* 12: 3. cùm ille totam iſtam hiſtoriam foret illicò enarraturus.

At ratio evidentiſſima reddi poteſt, quare ad unctionem aliquam præteritam ſint referenda: nempe ut demonſtretur, unde illa familiaritas inter familiam *Lazari* & *Chriſtum*, ità ut fiducialiter accerſant eum, *Lazaro* ægrotante; *Maria* quippe ſoror *Lazari* pedes ejus dudùm unxerat.

CAP. XI. VERS. 11, 18.

VERS. 11. Κεκοίμηται.

Auditâ nuper famâ de ægritudine *Lazari*, & jam dicente Chriſto, quòd *dormiret*, concipiunt Diſcipuli acerbitatem morbi, quæ eum huc uſque detinuerat inſomnem, jam deferveſcere: & jam, inquiunt, ſi dormit, ſpes eſt convaleſcendi: non bene intellecto vocabulo quo uſus eſt Salvator; an שכב, an ישן, an דמך, non dicimus. Fallacia vocum non infacetè exprimitur in

Beresh. Rabba, ſect. 72. Dixit *Rachel Leæ*, ישכב עמך הלילה, *Ille dormiet tecum hâc nocte*, Geneſ. 30: 15. עמך הוא דמיך עמי לא דמיך, *Tecum ille dormiet, mecum non dormiet*: id eſt, *Tu & ille recubabitis in eodem ſepulchro, non ego & ille*.

VERS. 18. Ὡς ἀπὸ σταδίων δεκαπέντε.

כחסרי ריסי, hoc eſt, duobus milliaribus: nam milliare Judaicum non conſtitit ex octo ſtadiis, ut alia, ſed ex ſeptem & ſemi.

Bava Mezia, fol. 33. 1. אחד משבע ומחצה במיל וזה הוא ריס, *Unum de ſeptem & ſemi, quæ conſtituunt milliare, eſt* ריס, *ſtadium*.

Bava Kamah, cap. 7. hal. ult. *Non pandunt retia pro columbis, niſi ſit diſtantia à domibus* ל' ריס, *Triginta* [ריס] *ſtadiorum*: 4. Mill.

In *Aruch* ſcribitur רוס cum *Vau*, & ſic computatur.

Quid eſt רוס? *Eſt jactus arcûs. Et quare vocatur jactus arcûs,* רוס? *Secundùm numeralem valorem literarum, qui eſt 266. Nam 266* [cubiti] *ſunt jactus arcûs. Jam computa, & ſic comperies: Septies* ר', 200, *ſunt* 1400. *ſepties* ס', 60, *ſunt* 420. *Connumera, & aſſurgunt ad* 1820. *Septies* ו, 6, *ſunt* 42. *Dimidium* רוס, 133. *Connumera totum, & aſſurgit ad* 1995. *En bis mille, deficientibus tantùm quinque cubitis*.

Digitized by Google

CAP. XI. VERS. 19.

Vers. 19. Ἵνα παραμυθήσωνται αὐτάς.

פסקי הראש, in *Moed Katon*, artic. 133. *Cùm redeunt à ſepulchro*, עושין שורה, *ſtant circa lugentes*, *& dicunt* קדיש, [Oratiunculam ſic dictam] *& ſolantur lugentem*, *& comitantur eum ad domum ſuam.*

Chetubb. fol. 8. 2. *Cùm redirent à ſepulchro, ſteterunt circa lugentem in corona, conſolantes eum.* Gloſſ. *Corona circumſtans conſtitit è decem ad minimum.* Aſt ordinariè corona iſta erat ſpiſſa & denſa. Hinc illud in

Beracoth, fol. 17. 2. עומדין בשורה דפנימיים פטורים, *De circumſtantibus in corona iſta, illi qui interiores erant non tenebantur ad recitanda Phylacteria; illi qui exteriores tenebantur.*

Bava Bathra, fol. 100. 2. *Tradunt Rabbini. Non diminuunt de ſeptem ſtationibus & ſeſſionibus pro mortuo.* Ubi Gloſſ. *Cùm redirent à ſepulchro, proceſſerunt paulùm, & ſederunt, partim ad conſolandum lugentes, partim ad lugendum, partim ad meditandum de mortalitate. Steterunt iterùm, proceſſeruntque paulùm, & ſederunt, & ſic ſepties. Aſt vidi ego alicubi ſcriptum, quòd hoc fecerunt propter Diabolos, qui eos comitati ſunt à ſepulchreto. Inſtituerunt nempe haſce ſtationes & ſeſſiones, ut intereà temporis Diaboli ab iis diſcederent.*

Sic ſoliti ſunt ſolari lugentes inter redeundum à ſepulchro, & domum reducere die ſepulturæ. Solati etiam ſunt reliquis diebus luctûs, quod & hîc vides factum.

Triginta dies erant tempus lugendi: aſt אין להקשו׳ על מת יותר מדאי, *pro mortuis non lugendum plus juſto*, אלא ג׳ לבכי, *Tres primi dies fletui*, ז׳ להספד, *ſeptem planctui*, ל׳ לגיהוץ ולתספורת, *triginta intermiſſioni lotionis veſtium & tonſuræ* deſtinabantur.

I. Cùm advenirent המנחמין, illi qui conſolarentur lugentes, invenerunt המטות כפויות, omnes lectos in domo depreſſos & humiliatos.

Hieroſ. Beracoth, fol. 5. col. 4. מאימתי כופין את המיטות, *A quo tempore inclinant*, vel deprimunt *lectulos? R. Eleazar dicit, Ex quo mortuus effertur ex porta atrii. R. Joſhua dicit, Ex quo occluditur operculum arcæ. Cùm mortuus eſſet Rabban Gamaliel, efferreturque funus ex porta atrii, dicit R. Eleazar Diſcipulis ſuis, Inclinate lectulos, At cùm occluderetur operculum arculæ, R. Joſhua dixit, Declinate lectulos. Veſpere Sabbati erigit lectum, egreſſu Sabbati deprimit.*

Quid ſibi voluerit depreſſio hæc lectulorum, conjice ex iis quæ ſequuntur. *Ibid.* fol. 6. 1. *Unde lectorum depreſſio? R. Criſpa, nomine R. Jochananis, dicit: Ex hoc quod dicitur*, וישבו אתו לארץ, *Et ſederunt cum eo ad terram*, Job. 2: 13. *Super terram non dicitur, ſed* לארץ, *ad terram, id eſt, propè à terra. Hinc eſt quòd ſederunt ſuper lectos depreſſos.* At

Rabbenu Aſher in Moed Katon, cap. 4. *Dicit Rabh.* אין מנחמין רשאין לישב אלא בקרקע, *Non licet conſolatoribus ſedere niſi in pavimento.*

II. Lugens ſedit ſummus. Mos aſſumptus ex verbis iſtis, *Job.* 29: 25. *Elegi viam eorum, ſedi ſupremus, ----ſicut ille qui conſolatur lugentes*, ibid.

III. Non licuit conſolantibus aliquid fari, antequàm ſilentium rumperet ipſe lugens. Exemplo ducto ab amicis *Jobi*, *Job.* 2.

IV. אבל כיון שניענע ראשו שוב אין מנחמין רשאין לישב אצלו, *R. Jochanan dicit, Si lugens nutet capite, nè ſedeant conſolatores juxta eum ampliùs.*

Gloſſ. *Si nutu indicet ſe conſolari ſeipſum.* Hinc illud frequens de quibuſdam, לא קיבלו תנחומין, *Noluerunt recipere conſolationes*: i. e. indicarunt nutu ſe ſeipſos ſatis conſolari.

Hæc & alia de hac re fusè in *Moed Katon*: & *Rabbenu Aſher*, & פסקי הראש, ſuper iſtum Tractatum: & in *Maſſecheth Semachoth*: ubi iſtud obiter notemus, quòd Tractatus iſte, qui agit de lugentibus pro mortuo, vocetur מסכת שמחות, *Tractatus lætitiarum.* Sic ſepulchra mortuorum ſæpe vocant בתי חיים, *Domus Viventium.*

Viſne ſpecimen aliquod, lector, harum conſolationum? Accipe. *Moed Katon*, fol. 28. 2. *Tradunt Rabbini. Cùm mortui eſſent filii R. Iſmaëlis, introierunt quatuor Seniores ad eum conſolandum, R. Tarphon, & R. Joſe Galilæus, & R. Eliezer ben Azariah, & R. Akibah. Dicit iis R. Tarphon, Scitote quòd hic vir eſt admodum ſapiens, & peritus explicationum, nè irrumpat aliquis veſtrum in verba ſocii ſui. Dicit R. Akibah, Ego ſum poſtremus. Incipit R. Iſmaël, & dicit*, [lugens rumpit ſilentium] *Multiplicatæ ſunt iniquitates, conſtrinxerunt eum luctus ejus, & defatigavit ille Magiſtros ſuos. Sic dixit ille ſemel iterumque. Tum reſpondet R. Tarphon, & dixit, Dicitur, Et fratres veſtri domûs Iſraëlis deflebunt incendium*, Levit. 10: 6. *Nonne arguendum per minus & majus. Si Nadab & Abihu, qui non præſtiterunt niſi præceptum unum, ſicut ſcribitur, Et obtulerunt filii Aaronis ei ſanguinem; tum filii R. Iſmaëlis multò magis lugendi.*

Reſpondit Joſe Galilæus, & dixit, Et deflebunt eum omnis Iſraël, & ſepelient eum, 1 Reg. 14: 13. *Et nonne arguendum à minori ad majus, Si ità de Abiah filio Jeroboami, qui non præſtitit niſi unum bonum, ſicut ſcribitur de eo, Quia aliquid boni repertum eſt in eo; de filiis R. Iſmaëlis nonne multò magis?*

Ejus

Digitized by Google

CAP. XI. VERS. 25.31. Ejus farinæ ſunt verba R. R. *Elieʒeri* & *Akibæ*: ſed hæc ſatis ad movendum, vel ſplenem, vel ſtomachum.

In eadem pagina proferuntur variæ formulæ loquendi, quas adhibuerunt fœminæ, vel ſolantes, vel lugentes: ut

שׁול אצטלא דמלתא לבר חורין דשלימו זודיה, *Sepulchrum eſt ſicut ſtola circumciſionis, viro ingenuo, cujus conſumpta ſunt viatica.*

מותא כי מותא ומרעין חיבוליא, *Mors hujus eſt ſicut mors omnium, & morbi ſunt fœnerationes.*

רהיט ונפיל אמעברא וזופתא יזיף, *Cucurrit, & cecidit in tranſitu, & mutuatus eſt mutuum.* Atque alia intellectu ſatis difficilia.

Tres primi dies luctûs erant ſeveriores, quippe quòd *die primo non licuit lugenti geſtare Phylacteria, comedere de ſacris, imò nec edere de ſuo. Totis tribus diebus nullum ſervile opus faciat, imò non clanculùm, ſi quis eum ſalutet, nè ille reſalutet.*

Septem primis diebus ſunto omnes lectuli in domo depreſſi, nè coëat cum uxore, nè induat ſandalia, nè opus ſervile faciat apertè, nè quem ſalutet, nè lavet ſe aquâ calidâ, nec totum corpus frigidâ, nè ungat ſe, nè legat in Lege, Miſhnah, aut Talmud, velet caput.

Omnibus triginta diebus, nè tondeatur, nè veſtiatur amictu candido, novo, dealbato, nec conſuat ſciſſuras in veſte quas fecit pro mortuo, &c. *Rambam* in Moed Katon, cap. ult.

VERS. 25. Ἐγώ εἰμι ἡ ἀνάστασις.

Eſto tibi, ſi vis, ô Judæe, vel ſi fieri poteſt, oſſiculum *Luz* in ſpina dorſi, origo & ſemen reſurrectionis tuæ: nobis erit beatiſſimus *Jeſus* noſter, qui ſeipſum reſuſcitavit.

Midr. Coheleth, fol. 114. 3. *Hadrianus, cujus oſſa conterantur, & nomen deleatur, interrogavit R. Joſuam ben Hananiah: Unde homo reviviſcit tempore futuro? Reſpondit ille, A Luz in ſpina dorſi. Dicit ille, Demonſtra hoc mihi. Accepit ille Luz oſſiculum de ſpina dorſi, & indidit aquæ, & non eſt maceratum: indidit igni, & non eſt crematum: ſubdidit molendinæ, & non eſt contritum: poſitum in incude, contudit malleo, ſciſſa eſt incus, & ruptus malleus*, &c. Quare tali argumento non malleatis *Sadducæum?*

VERS. 31. Ἠκολούθησαν αὐτῇ.

Erubhin, fol. 18. 2. *Traditio. Nè ſequatur vir fœminam in via, imò non propriam uxorem.* Si hæc mica ſalis adhibenda ſit in conſtructione hujus hiſtoriolæ, aut omnes ſequentes erant fœminæ, aut ſi maſculi, ſequebantur à longinquo, aut diſpenſatum eſt in ſolennioribus, quod non in vulgari converſatione. Sed hæc vix valent micam ſalis.

VERS. 39. Τεταρταῖος γάρ ἐστι. CAP. XI. VERS. 39. 44. 48.

Elapſi jam erant tres dies *Fletûs*, & inchoatum jam eſt quatriduum *Planctûs*: & jam præterierat ſpes omnis & expectatio reviviſcendi.

Maſſecheth Semacoth, cap. 8. פוקדין על מתים עד ג׳ ימים, *Prodeunt ad ſepulchra, atque inviſunt mortuos, tribus diebus.* ואין חוששין משום דרכי האמורי, *Nec ſolliciti ſunt nè incurrant infamiam ſuperſtitionis Amorrhæorum. Hiſtoria. Inviſerunt quendam, atque ille revixit, vixitque viginti quinque annos, & poſteà eſt mortuus. Alterumque qui revixit, & genuit quinque filios, & poſteà obiit.*

Bereſh. Rabba, fol. 114. 3. *Traditio Ben Kaphræ. Summus vigor luctûs non eſt niſi die tertio. Tribus diebus anima vagatur circa ſepulchrum, exſpectans ut redeat in corpus. Cum verò videt quòd immutatur aſpectus faciei, recedit, & relinquit corpus.*

Jevamoth, fol. 120. 1. & *Maimon.* in *Geruſhin*, cap. 13. *Non teſtantur de mortuo*, [quòd ille hic eſt, & non alius] *niſi intra tres dies poſt ejus necem aut mortem. Poſt tres autem dies non teſtantur de eo, quia aſpectus vultus ejus mutatur.*

VERS. 44. Κειρίαις, &c.

Videtur Euangeliſta particulatim de faſciis, quibus ligabantur manus & pedes, loqui, ut & de ſudario, quo obvoluta facies, ut, etiam ſecundum miraculum, indigitaret in magno illo miraculo. Prodiit mortuus, quamvis conſtrictus manibus pedibuſque faſciis, & quamvis excæcatus oculos ſudario.

VERS. 48. Καὶ ἐλεύσονται Ῥωμαῖοι.

Faciliimè mihi perſuaſeris, Patres Synedrii, vel cognitionem, vel ſaltem ſuſpicionem habuiſſe, *Jeſum* fuiſſe verum *Meſſiam*. Nam

I. Hoc videtur planè innui per verba iſta vinitorum in parabola, *Marc.* 12:7. *Hic eſt hæres, agite, occidamus eum*, &c. Norunt benè eum eſſe hæredem: & huc jam deventum eſt in ſorte certaminis, *aut ille cum doctrina ſua hæreditabit, aut nos cum noſtra.* Agite ergò occidamus eum, & hæreditas erit noſtra.

II. Non potuerunt non benè noſſe, exactè jam adimpletas eſſe Hebdomadas *Danielis*, & adeſſe tempus revelationis *Meſſiæ*. Teſtatur hoc confluxus Judæorum ex omnibus regionibus ad *Hieroſolymam*, Actor. 2. Prophetia *Danielis*, & congruentia temporis ducto-

Digitized by Google

CAP. XI. VERS. 48. rum, ut ſedes ſuas ibi figerent, expectantes *Meſſiam*, jam revelandum. Confer etiam *Luc.* 19:2.

III. Cùm ergò viderent *Jeſum* tam ſtupenda miracula, & charactere *Meſſiæ* digna, edentem, idque ipſiſſimo iſto tempore, quo præſtituta erat *Meſſiæ* manifeſtatio, non potuerunt non ſuſpicione ſtrenuâ motos eſſe, illum eſſe ipſiſſimum *Meſſiam*.

At mirum tum eſt eos voluiſſe illum interimere. Quid! *Meſſiam* interimere, delicias & expectationem gentis?

Tantum relligio potuit ſuadere malorum? At religio irreligioſiſſima, ex Traditionibus ſolùm conſuta atque inventis humanis: effaſcinatio neſcio qualis, potiùs quàm religio, quæ eos ità dementavit, ut eligerent ipſum *Meſſiam* exſcindere, potiùs quam excideretur iſta religio. Per Traditiones ſuas docti, aut potiùs ſeducti erant, ut crederent I. Regnum *Meſſiæ* ſplendidum futurum pompâ & terrenâ gloriâ. II. Judaiſmum eorum ab eo promovendum, ſtabiliendum, glorificandum. III. Gentem per eum à jugo Ethnico & ſervitutis liberandam. Gratiſſimus illis ſub his conceptibus, adventus *Meſſiæ*. At cùm ille, qui per miracula ſua abſque dubio apparuit eſſe *Meſſias*, tam pauper & contemptibilis appareret, tam longè abeſſet à liberando populum à jugo ſervitutis, ut hortaretur tributum pendere *Cæſari*, tam contraria Scribis & Phariſæis doceret, Judaiſmum quaſſaret & profligaret, nec ſpes foret ab eo melioris ſtatus; pereat per eos *Jeſus*, ſit licet ipſe *Meſſias*, potiùs quam pereat ipſorum religio & Judaiſmus.

At dicitur quòd ex ignorantia perpetrarunt illud quod perpetrarunt, *Actor.* 3:17. & 13:27. 1 *Cor.* 2:8. *Luc.* 23:24.

Veriſſimè quidem ex ignorantia perſonæ: nam non norunt, non crediderunt *Meſſiam* eſſe Deum, æquè ac hominem, ſed merè hominem. Quamvis itaque ſuſpicarentur *Jeſum* eſſe *Meſſiam*, parùm tamen ſuſpicati ſunt *Jeſum* eſſe Deum.

Liceat ergò ſuſpicari, Synedrium ſub tali ſuſpicione, verba iſta protuliſſe quæ jam tractamus, *Omnes credent in eum, & venient Romani*, &c. & *Cajapham* ſua, *Expedit ut unus moriatur*, &c.

Aſt quomodo ſequitur? *Omnes credent in eum.* Ergò *venient Romani*, &c.

I. Non ſine pondere eſt illud, quod hîc vulgò redditur: Venient Romani contra gentem noſtram, reputantes nos Imperatori rebelles, eò quòd præter ipſius conſenſum populus noſter acceperit Jeſum hunc pro Rege *Meſſia*.

II. Nec contemnendum eſt illud quod obſervatum eſt à Judæis olim, ſuper ultimo commate Capitis decimi *Eſajæ*, & primo undecimi, *Lebanon per fortem cadet, & egredietur virga de radice Jeſſe*: nempe quòd manifeſtatio *Meſſiæ*, & excidium Templi parùm diſtarent. CAP. XI. VERS. 48, 51.

Hieroſ. Beracoth, fol. 5. 1. Hiſtoria eſt de Arabe Judæum arantem certum faciente, quòd vaſtatum eſt Templum, & quòd natus *Meſſias*, quam retulimus ad *Matth.* 2:1. Concluditur. *Dicit R. Bon. Quid opus eſt ut diſcamus ab Arabe? Nonne planè eſt ſcriptum, Lebanon cadet per fortem. Et quid deinde ſequitur? Et egredietur virga de radice Jeſſe.* Recitantur eadem in *Echah Rabbathi*, fol. 68. 3.

Jam ergò ſi Synedrium ſuſpicaretur *Jeſum* eſſe *Meſſiam*, poſſet colligere eodem modo, parùm abfuturum excidium urbis & gentis: præſertim verò cùm videret gentem à Judaiſmo jam recedere ad religionem *Jeſu*. Nam

III. Videntur Patres Synedrii opinari grande ſcelus gentis, ob quod ſubitura erat maledictiones illas, *Deuter.* 28. ſpeciatim verò everſionem finalem eſſe averſionem à Judaiſmo: & pereunte iſtâ eorum religione, non poſſe non perire urbem & gentem. Tantùm animis eorum hæſit amor, & æſtimatio ſuarum Traditionum.

Compingamus ergò verba eorum hac paraphraſi. Videtur hic homo quidem eſſe *Meſſias*, per ſtupenda hæc miracula quæ operatur; & quid nobis eſt agendum? Indignum ex una parte eſt interimere *Meſſiam*, & periculoſum eſt ex alia parte eum tolerare: nam omnes credent in eum, & ſic peribit & corruet Judaiſmus noſter: & cum perierit religio noſtra, quid expectandum, niſi ut corruat gens tota per Romanos?

Φεῦ, inquit *Cajaphas*, vos nihil ſcitis: ſitne *Meſſias*, necne, expedit, & neceſſe eſt ut moriatur, potiùs quàm ut gens tota pereat, &c.

Vers. 51. Προεφήτευσε.

Num *Cajaphas* inter Prophetas? Non extiterat inter Pontifices, inter Sacerdotes, inter populum, per annos retrò quadringentos & ampliùs, Propheta quiſpiam, & *Cajapham* primum prophetare? Longiſſimè petita eſt hujus rei ratio, dum aſcribitur officio ejus Pontificali, ac ſi is ex ipſo Pontificatu fieret vates. Sententia non digna confutatione.

Rationem propriam reddit ipſe Euangeliſta, cùm dicit, Ἀρχιερεὺς ὢν ἐνιαυτοῦ ἐκείνου. Quæ verba oculos lectoris dirigunt in ipſum annum, potiùs quàm in Pontificem.

I. Erat iſte annus ille magnus effuſionis Spiritûs Prophetiæ & Revelationum; cui ſimilem nec unquam viderat mundus, nec erat viſurus.

Digitized by Google

CAP. XI. VERS. 51. viſurus. Et cadunt nonnullæ guttulæ ſuper hunc improbum, ut micæ aliquæ à menſa filiorum ad catellum, ut ab ipſo hoſte redemptoris ederetur teſtimonium de redemptione. Inde emphaſis vocum Ἐνιαυτοῦ ἐκείνου, nam fuerat *Cajaphas* Pontifex aliquot annis ante huncannum, & erat aliquot poſt.

II. Reverà & propriâ calculatione expiravit Pontificatus hoc ipſo anno: & prophetat Pontifex, & expirat Pontificatus.

Dicas quidnam diſcriminis foret, quoad executionem officii ſacerdotalis, inter ſummum Pontificem & reliquos Sacerdotes. Nihil omninò, niſi in his tantùm duobus. I. In ſciſcitatione per *Urim* & *Thummim*. II. In præſtando officio diei expiationis. Evanuerat jam diù ſciſcitatio per *Urim*, quia evanuerat Spiritus Prophetiæ: ità ut jam nihil reliquum foret quo diſtinguerentur, niſi quòd officio diei expiationis fungeretur ſummus Pontifex, quod ab alio Sacerdote præſtari non potuit. Præcipuus iſtius diei ritus erat, ut cum ſanguine ingrederetur ille Sanctum Sanctorum. Cùm ergò ſummus noſter Pontifex per proprium ſanguinem introiſſet in Sanctiſſimum, quid tum reliquum Pontifici? Cùm in morte Pontificis noſtri ſcinderetur velum interpendens inter Sanctum & Sanctum Sanctorum, à ſummo ad imum, *Matth.* 27: 51. clarè demonſtratum eſt, finiri jam iſtos ritus, & terminari officium ſummi Pontificis, quod à reliquis Sacerdotibus diſcretum eſt ſolùm per iſtos ritus. Expiraturus ergò jam Pontificatus, vaticinatur de redemptione per ſummum animarum Pontificem, *quod ille moriturus pro populo*, &c.

Illud Apoſtoli *Actor.* 23: 5. Οὐκ ᾔδειν ὅτι ἐστὶν Ἀρχιερεὺς, forſan hoc vult, *Non novi quòd ſit ullus Pontifex omninò*, nam evanuit dudùm iſtud officium. Nam detur Paulum reverà non noſſe faciem *Ananiæ*, nec quòd ille ſummus Pontifex; at non potuit non ſcire eum fuiſſe Magiſtratum, cùm ſederet inter Patres Synedrii. Illud ergo quod profert è Lege, *Principem populi tui non maledices*, mala verba erga quemvis Magiſtratum prohibuit, æquè ac erga Pontificem. Aſt Apoſtolus benè ſciens quiſnam *Ananias*, & quòd illic ſederet ſub arrogato ſibi titulo Pontificis ſummi, ex inſtituto vocat eum *parietem dealbatum*, quippe quòd colorem tantùm geſtaret Pontificatûs, cùm res ipſa evanuerat.

Loquitur *Cajaphas* ut *Cajaphas*, & loquitur ut Propheta. Ut *Cajaphas*, impiâ & præcipiti audaciâ machinatur & promovet mortem Chriſti. Et quid ut Propheta, docet Euangeliſta: idque, quod præter animum Prophetantis.

Maximum opus *Meſſiæ* ſecundùm expectationem Judæorum eſt השבת הגליות, vel אסיפת הגליות, *Reductio*, vel *Collectio* CAP. XI. VERS.
captivitatum. Jeſum hoc facturum, ſi viveret, deſperat Pontifex. Nam omnia quæ ille facit & docet, ei videntur tendere in contrarium, nempe ut populum ſeducat à ſua religione, potius quàm ut reducat à ſua captivitate. Ità ut hoc unum tantùm videatur ei reliquum, ut per mortem ejus caveatur nè gens tota pereat: Si ſit *Meſſias*, [quod ſuſpicatum fuiſſe *Cajapham*, ego quidem ſuſpicor] quoniam nulla ſpes ab eo de redemptione gentis, moriatur pro gente, nè per illum ea pereat.

Sic miſerè & variè falluntur grandes hi ſapientiæ Magiſtri. Expectant collectionem filiorum Dei in unum per vitam *Meſſiæ*, quæ perficienda erat per ejus mortem. Credunt traditionalem ſuam religionem eſſe ſtabilimentum gentis, quæ quidem erat ejus ruina. Opinantur ſe ſecuros fore per *Chriſti* mortem, cum per eam quaſſata maximè foret expectata iſta ſecuritas. Stupenda cæcitas, & amentia!

VERS. 55. *Ἵνα ἁγνίσωσιν ἑαυτούς.*

Roſh haſhanah, fol. 16. 2. *Dicit R. Iſaac*, חייב אדם לטהר את עצמו ברגל, *Tenetur unuſquiſque ad purificandum ſe ad feſtum.*

Jam verò varia erant ſpatia purificationis. Ille qui immundus erat ex contactu mortui, opus habuit totâ hebdomadâ ut aſpergeretur aquâ purificationis cum cineribus vaccæ combuſtæ mixtâ die tertio & ſeptimo: cujus rei ritum vide & ride in *Parah*, cap. 3.

Aliæ purificationes citius expediebantur. Inter alias, tonſura & lotio veſtium ſub claſſe purificationum neceſſariæ æſtimabantur.

Moed Katon, fol. 13. 1. *Hi ſe tondent intra feſtum: ille qui venit à regione Ethnica, aut captivitate, aut carcere: item ille qui fuerat excommunicatus, & jam abſolverunt eum Sapientes.---- Iidem etiam lavant veſtes intra feſtum.*

Supponitur hos neceſſitate aliquâ detentos fuiſſe, quominus tonderi & lavare potuerint ante feſtum. Nam ritè præſtandæ erant hæ res antè, nè quis aliquo modo pollutus accederet ad feſti celebrationem: quod ſi, neceſſitate aliquâ reprimente, præſtari non poſſent ante feſtum, præſtabantur בחולו של מועד, *in profeſto feſti*, poſt diem ſcilicet feſti primum.

CAP.

CAP. XII.

VERS. 2. Ἐποίησαν οὖν αὐτῷ δεῖπνον.

NUmeratis retrò à Paſchate diebus, & obſervato, Chriſtum obiiſſe die comeſtionem Paſchatis proximè ſequente, nobis die *Veneris*, patet hanc cœnam fuiſſe veſpere Sabbati, id eſt, Sabbato jam exeunte.

Compingamus ſpatium in hoc Schemate.

Dies Menſis Niſan.	*Septimanæ.*	*Numerationis Euangeliſtæ.*
9.	Sabbatum	6. Diebus ante Paſcha, *Jeſus* cœnat apud *Lazarum*, exeunte jam Sabbato, quando pro more gentis erant cœnæ lautiores. Vid. *Maimon. Shabb.* cap. 29.
10.	Dies Solis.	5. Diebus ante Paſcha pergit *Hieroſolymam* inſidens aſino: & veſpere redit ad *Bethaniam*, Marc. 11:11. Hoc die aſſumptus eſt agnus, & reſervatus ad Paſcha, *Exod.* 12. quo ipſo die ſeſe præſentavit hicce agnus Dei, iſtius ritûs antitypum.
11.	Dies Lunæ.	4. Diebus ante Paſcha proficiſcitur iterùm *Hieroſolymam*. Maledicit ficui infructuoſæ, *Matth.* 21:18. *Marc.* 11:12. Veſpere redit ad *Bethaniam*, *Marc.* 11:19.
12.	Dies Martis.	3. Diebus ante Paſcha redit *Hieroſolymam*. Obſervant Diſcipuli ficum arefactam, *Marc.* 11:20. Veſperè recedens ad *Bethaniam*, ſedens in monte Oliveto, prædicit excidium Templi & urbis, *Matth.* 24. atque ea loquitur quæ continentur *Matth.* 25. Hâc nocte cœnat apud *Simonem Leproſum*. *Matth.* 26. 1. &c. *Joann.* 13.
13.	Dies Mercurii.	Hunc diem tranſigit in *Bethania*. Nocte ingruente, tota gens ſe applicat ad exterminationem fermenti, *Peſachin*, cap. 1.
14.	Dies Jov.	Mittit duos Diſcipulos ut parent Paſcha. Ipſe poſt meridiem intrat *Hieroſolymam*, veſperè comedit Paſcha, inſtituit Euchariſtiam, prehenditur, & totâ ferè nocte ſiſtitur in judicio.
15.	D. Veneris.	Poſt meridiem crucifigitur.
16.	Sabbatum.	Sabbatizat in ſepulchro.
17.	Dies Dominicus.	Reſurgit.

VERS. 3. Ἡ οὖν Μαρία, &c.

In diſputatione iſta, *An Maria ſoror Lazari eadem fuerit cum Magdalena*, hoc aliquantùm atteſtabitur affirmativo: nempe quia erat urbs quædam nomine *Magdala*, quæ prope *Hieroſolymam*.

Echab Rabbathi, fol. 75. 2. ספרא דמגדלא, *Clericus Magdalæ ordinavit candelas unoquoque veſpere Sabbati, aſcendit Hieroſolymam, oravit, & rediit, & accendit eas, cùm jam ingrederetur Sabbatum.* Non multis opus, ut oſtendatur *Magdalam* & *Hieroſolymam* parùm diſtitiſſe, cùm hæc ab eo acta tam citò, atque intra tam breve temporis ſpatium. Hoc tantùm diſcamus à Gloſſ. quòd *Magdala iſta* היא מגדל צבעים, *erat Magdala Zebaim.* De qua dirum hoc & funeſtum refertur, *Quòd deſtructa eſt propter adulteria.*

Ibid. fol. 71. 4. & *Taanith Hieroſ.* fol. 69. 1. *Tres civitates erant, quarum vectigal penſum deportatum eſt Hieroſolymas.* Gloſſ. *In plauſtris ob grande ejus pondus.*

Nomina autem civitatum erant Cabul, Sichin, Magdala. Et quare deſtructa eſt כבול, *Cabul? Propter diſcordiam. Quare deſtructa eſt* שיחין, *Sichin? Propter artes magicas. Et quare deſtructa eſt Magdala?* מפני ונות, *Propter ſcortationem.* Hieroſolymitani dicunt eam fuiſſe מגדל צבעייא, *Magdalam Zabaaia.* Huc ſe contulit aliquando R. *Jonathan*, ut medelam aliquam acquireret calvitiei ſuæ, *Midr. Cohel.* fol. 84. 2.

Jam ergò quid prohibet quominùs *Maria* ſoror Lazari *Bethanienſis* vocari poſſit *Magdalena*, & ob vicinitatem hujus oppidi, quo forſan elocata eſt in matrimonium, & ob mores oppidanorum laſcivos: quâ labe maculatam fuiſſe *Mariam Magdalenam* creditur vulgò.

Ἤλειψε τοὺς πόδας τοῦ Ἰησοῦ.

Duo hîc inuſitatiora.

I. Ungere quidem pedes oleo vulgatiſſimum, aſt unguento aromatico rarius. Et fingitur à *Gemariſtis* in crimen, quòd fœminæ Hieroſolymitanæ olim etiam calceos ungerent unguen-

CAP. XII. VERS. 3, 6.

unguento odorifero, ut allicerent juvenes ad laſciviam.

Shabb. fol. 62. 2. העכסנה ברגליהן, *Eſaj.* 3:16. *R. Iſaac dicit, Hinc innuitur quòd poſuerunt myrrham & balſamum in calceis ſuis, & cùm occurrerent juvenibus Iſraëlis, calcitrarunt pedibus ſuis, & ſic excitarunt in iis malos affectus.*

II. Indecorum fœminis capillos in publico pandere, atque è vittis diſſolvere.

Sotah, fol. 5. 1. כהן סותר את שערה, *Sacerdos ſolvit capillos* uxoris ſuſpectæ & per aquas amaras explorandæ: quod in dedecus factum.

Vajicra Rabba, fol. 188. 2. *Kamitha habuit ſeptem filios, qui functi ſunt officio ſummi Pontificatûs. Quærunt ab ea, Unde hoc tibi honoris? Reſpondit illa, Tigna domûs meæ nunquam viderunt capillos capitis mei.*

Καὶ ἐξέμαξε ταῖς θριξίν.

Annon lavit pedes ante unctionem? Non quærimus, Annon laverit pedes *lachrymis*, ut olim *Luc.* 7. quia de tali re ſilet Euangeliſta. Sed quærimus, Annon lavit pedes *omninò?* quia de tali re admonet mos gentis.

Menachoth, fol. 85. 2. *Protulit ei ancilla* קומקמוס של חמין, *Vaſculum aquæ tepefactæ, quâ lavit manus & pedes. Protulit vaſculum aureum plenum oleo, quo tinxit manus & pedes.* Lotio primùm, dein unctio.

Aut igitur ſupponit vox ἐξέμαξε præcedaneam pedum lotionem; aut ſi ad unguentum ſit referenda, vix ſuppoſuerit abſterſionem unguenti jam illiti, quin potiùs quòd fœmina capillis ſuis unguentum triverit & confricuerit.

Quod in mentem revocat illud in

Shabb. fol. 128. 2. *Si fœmina in puerperio opus habeat oleo,* [Sabbato] *vicina ejus oleum ei afferat in vola manûs. Quòd ſi illud non ſatis ſiet,* מביאה בשערה, *afferat in capillis ſuis.*

Gloſſ. *Tingat crines ſuos oleo, & quando venit ad puerperam, confricet illud ſuper eam: atque per hanc actionem non violat Sabbatum.*

Ἡ δὲ οἰκία ἐπληρώθη ἐκ τῆς ὀσμῆς τοῦ μύρου.

Midras Coheleth, fol. 99. 4. *Melius eſt nomen bonum, quàm unguentum bonum.* שמן טוב מהלך מקיטון לטרקלין, *Unguentum bonum* [per odorem ſuum] *tranſit è cubili in triclinium; at nomen bonum ab uno fine mundi ad alterum.*

VERS. 6. Γλωσσόκομον.

Occurrit vox iſta apud Græc. Interpr. 2 *Paralip.* 24. pro *capſula*, vel *arca Corbanica*. *Verſ.* 8. Γενηθήτω γλωσσόκομον. *Hebr.* יעשו ארון, & *verſ.* 10, 11, &c.

CAP. XII. VERS. 7, 12.

Apud Talmudicos profertur גלוסקמא, [iſtam vocem habet Syrus hoc in loco] & דלוסקמא. Nam ut *Aruch*, גלוסקמא idem eſt cum דלוסקמא, & eſt vox Græca. Adhibetur vulgò pro arca ſepulchrali, *Moed Katon*, fol. 24. 1. *Maſſech. Semachoth*, cap. 3, &c.

Heſych. Γλωσσόκομον, Θήκη, σορὸς ξυλίνη, τῶν λειψάνων.

Alii: Γλωσσόκομον, *vel potiùs, ut ſcribit Phrynicus*, Γλωττοκομεῖον, *Theca reliquiarum lignea, loculus, arca, capſula, marſupium, ſeu potiùs ſcrinium* [notetur illud, *potiùs ſcrinium*] *in quo pecuniæ reconduntur. Legitur* Cap. 12. *Euangel.* Joann. *pro marſupio.*

Et quare tandem non poteſt legi ibi pro *ſcrinio* aut *arca?* Nam non dicitur quòd Judas ἐβάσταζε γλωσσόκομον, ſed quòd, εἶχε γλωσσόκομον, & ἐβάσταζε τὰ βαλλόμενα. Ità ut nihil prohibeat quominùs per γλωσσόκομον ſignificari poſſit *ciſta*, vel *ſcrinium pecuniarum* domi ſitum, cujus claves erant penès Judam, ad quod reportavit ille τὰ βαλλόμενα.

VERS. 7. Εἰς τὴν ἡμέραν τοῦ ἐνταφιασμοῦ μου τετήρηκεν αὐτό.

Probat hinc *Baronius*, *Mariam* hanc fuiſſe *Magdalenam*, quippe quòd ea nominetur inter ungentes Chriſtum in funeratione ſua, Chriſtuſque ipſe hîc dicat, illam aliquid hujus unguenti reſervaſſe ad iſtud officium; quod & adduximus alibi. Si cuiquam iſta interpretatio non placeat, hanc adde, *Sine illam*; nam hoc poteſt eſſe argumentum & indicium quòd non vanè, & luxurioſè, & delicatè ea hoc unguentum in me impendit, quia ad hoc tempus illud reſervavit, quando ego jam tumulationi proximus, & non antehac profudit.

VERS. 12. Ὄχλος πολὺς ὁ ἐλθὼν εἰς τὴν ἑορτήν.

Exſpatiari in recenſionem multitudinis ad Paſcha confluentis penſo noſtro non eſt admodùm congruum. Accipe tamen breviter hanc hiſtoriam, & de ea judica pro arbitrio.

Echah Rabbathi, fol. 59. 1, 2. *Agrippa Rex cupiens ſcire, quanta turba fuerit Hieroſolymis in Paſchate, dixit Sacerdotibus, Seponite mihi renem unum de unoquoque agno. Seposuerunt ſexcenties mille paria renum, numero duplicato ſuper numerum exeuntium ex Ægypto. Non autem erat agnus quivis Paſchalis, ad quem non numerabantur plures quàm decem perſonæ. R. Chaija dicit, Quadraginta, imò quinquaginta.*

Digitized by Google

quaginta.—— tempore quodam ingreſſi ſunt in montem Templi, & non potuit eos continere. Erat autem inter eos ſenex quidam, quem ſub pedibus conculcarunt. Vocarunt ergò iſtud Paſcha, Paſcha compreſſum.

Quamvis excedat hæc narratio omnem fidem & modeſtiam Rabbinicâ licentiâ, quædam tamen in ea ſunt obſervatione non indigna, quæ quivis lector advertet abſque monitore. Verum quidem eſt, numerum Paſchatizantium unoquoque feſto fuiſſe ferè innumerum: at vix viderat *Hieroſolyma* talem confluxum, qualem in Paſchate de quo jam agimus, congregatum ex omnibus nationibus mundi, *Actor.* 2. namque affuiſſe eos ad Paſcha, æque ac ad Pentecoſten, vix eſt credo qui non ſupponet.

VERS. 13. Ἔλαβον τὰ βαΐα τῶν φοινίκων.

Egimus de hac hiſtoria ad *Matth.* 21. Adducamus hîc tantum, quia de *ramis palmarum* eſt mentio, illud quod dicitur à Magiſtris de *hederis palmarum*, uſitatis etiam non rarò in Paſchate.

Erubbin, fol. 26. 2. *Audivi ab eo* יוצאין בערקבלין בפסח, *quòd funguntur officio ſuo per Arkablin in Paſchate. Quidnam autem eſt Arkablin? Reſh Lachiſh dicit*, אצוותא חרוייתא, *Virgen complicatum.* Gloſſ. *Virgultum craſſum quod creſcit circa palmam, & complicatur circa eam, aſcendens in eam.* Non novi ut aptiùs reddam, quam *Hederam Palmarum.* Foliis hujus, ut videtur, uſi ſunt non rarò vel inter herbas amaras comedendas cum agno Paſchali, aut earum vice. Eò uſque res iis erat cum palmis, aliis Paſchatibus, nempe ut hanc hederam decerperent; aſt jam cum ipſis palmarum ramis eo more quo in feſto Scenopegiæ. Res non ſine admiratione prætereunda, & quæ non in animum revocare non poteſt *Zachar.* 14:16. atque *Joann.* 7:8.

VERS. 19. Ὁ κόσμος ὀπίσω αὐτοῦ ἀπῆλθεν.

Talmudicis, כולא עלמא אזיל בתריה.

VERS. 20. Ἦσαν δέ τινες Ἕλληνες, &c.

Gentiles fuiſſe, ut reddit *Vulg. Interp.* non dubito: & *Syro-Græcos* fuiſſe ſuſpicor, eoſque de *Decapolitanis*, vel *Gadarenſibus*, vel *Hippenis*: & ratio conjecturæ, partim quòd ſe applicant ad *Philippum* de *Bethſaida*, ut ob vicinitatem notum; partim, quod probabilius eſt, Græcos tam Galilæis, & locis ubi Chriſtus ſua edidit miracula, vicinos, propiniores videri poſſe, & ad religionem Judaicam, & ad videndum Chriſtum, quàm qui remotiùs habitantes.

Aſt ſunto Gentiles alii, & non Græci; aut ſunto Græci de regionibus remotiſſimis, quidnam tandem Græco aut Gentili cum feſto Judæorum, aut cum eorum religione? Dicant ipſi Judæi.

I. *Menachoth*, fol. 51. 2. & 73. 2. *Si Ethnicus mittat holocauſtum ſuum è regione Ethnicâ, & ſimul mittat cum eo libamina, offeruntur iſta libamina: ſi verò ille non mittat libamina, offeruntur libamina* ſumptu *congregationis* [notetur illud.] Habentur hæc eadem in *Vajikra Rabba*, fol. 166. 2. Et utrobique additur, quòd hæc res una erat inter ſeptem, quæ inſtitutæ erant à Synedrio magno: & quod ſacrificium Ethnici non eſt niſi holocauſtum. שלמי גוי עולות, *Sacrificia Euchariſtica Gentilis ſunt holocauſta.* Et ratio redditur, גוי לבו לשמים, *Animus iſtius Gentilis eſt erga Deum.* Gloſſ. *Mavult ut ſacrificium ſuum totaliter abſumatur igne, Deo, quàm* [ut Euchariſtica] *comedatur ab hominibus.* Vid. & *Menachoth*, fol. 72. 2. & *Temurah*, fol. 103. 1. &c.

Joſephi illud notandum in

Lib. 2. *de bello*, cap. 30. *Eleazarus filius Ananiæ Pontificis, juvenis audax, perſuaſit miniſtrantibus in Liturgia*, μηδενὸς ἀλλοφύλου δῶρον, ἢ θυσίαν προσδέχεσθαι, *ut non reciperent oblationem aut ſacrificium cujuſquam alienigenæ.* Τοῦτο δ' ἦν τοῦ πρὸς Ῥωμαίους πολέμου καταβολή, *Hoc autem erat fundamentum belli cum Romanis.* Nam ſacrificium pro *Cæſare* rejecerunt.

Cap. 31. Seniores, ut *Eleazarum* & ſuos à tali propoſito revocent, orationem ad eos habentes, inter alia, hæc ajunt. *Majores ſuos Templum plurimùm adornaſſe*, ἐκ τῶν ἀναθημάτων τῶν ἀλλοφύλων, *ex rebus à Gentilibus ſacratis*: ἀεὶ προσδεχομένους τὰς ἀπὸ τῶν ἔξωθεν ἐθνῶν δωρεάς, *ſemper accipientes dona ab exteris Ethnicis: & non ſtatuiſſe differentiam inter ſacrificia quorumvis, nam illud irreligioſum*, &c. Hæc & plura cum dixerant, *in medium proferunt Sacerdotes quoſdam morum patriorum peritos, qui oſtenderent*, ὅτι πάντες οἱ πρόγονοι τὰς ἀπὸ τῶν ἀλλογενῶν θυσίας ἀπεδέχοντο, *quòd omnes majores eorum acceperunt ſacrificia ab Ethnicis.*

II. Nec dona, oblationes, & ſacrificia *miſerunt* ſolùm Gentiles, ſed ipſi perſonaliter aliquando adierunt Templum, & adorarunt.

Inde Atrium Templi extimum, vocatum eſt *Atrium Gentium*, & חיל, *Atrium commune*: quo alluſum eſt *Apocal.* 11:2. *Atrium quod eſt extra Templum ejice, & nè metiaris, nam datum eſt Gentibus.* Atque ex iis erunt

qui

Digitized by Google

CAP. XII. VERS. 24, 28.

qui adorabunt numero immenſurabili. *Et calcabunt urbem ſanctam menſibus quadraginta duobus.* Non eſt καταπατήσουσι, *conculcabunt*, ut vaſtatores, ſed πατήσουσι, *calcabunt*, ut adorantes, ut *Eſaj.* 1:12.

Bemidbar Rabba, fol. 224. ארמאים וטמאמת יכנסן להר הבית, *Syri, & immundi ex mortuo, ingreſſi ſunt montem Templi.*

Hieroſ. Avodah Zarah, fol. 40. 1. *Rabban Gamaliel ambulans in Atrio Gentium, videt fœminam Ethnicam, ac de ea benedixit.*

Joſeph. ubi antè. *Eos jam provocare Romanorum arma, & bellum cum iis ſibi deſponſare, & cultum novum introducere, impietatemque cum periculo urbis ſuadere,* εἰ παρὰ μόνοις Ἰουδαίοις, οὔτε θύσει τις ἀλλότριος, οὔτε προσκυνήσει, *ſi præter Judæos ſolos, nemo alienigena ſacrificet, aut adoret.*

Unde ſuſpicio iſta de *Trophimo*, à Paulo in Templum introducto, reſpicit non hoc Atrium, ſed Atrium mulierum, in quo erat ipſe *Paulus* ſe purificans.

Peſachin, fol. 3. 2. Hiſtoria eſt de Ethnico quodam qui edit Paſcha Hieroſolymis, ſed quem, cùm detegerent eum eſſe Ethnicum, interfecerunt: nam Paſcha à præputiato nequaquam comedendum. At nihil talis periculi præputiato Atrium Gentium ingredienti, & adoranti.

VERS. 24. Ἐὰν μὴ ὁ κόκκος τοῦ σίτου, &c.

Quomodo quadrat reſponſio Chriſti cum re propoſita? Hoc modo. Itane? Num Ethnici me cupiunt videre? Num Gentiles me quærunt? Appropinquat jam tempus ut ego glorificer, in converſione Gentilium. Verumtamen, ſicut granum tritici non fructum fert, niſi jactum in terram, atque ibi moriens, & ſi ibi mortuum fuerit, multum fert fructum: ſic mihi primùm eſt moriendum, & ego jaciendus in terram, & exinde creſcet de me infinita ſeges Ethnicorum.

Eſaj. 26:19. *Mortui tui vivent*, נבלתי יקומון, *cum cadavere meo reſurgent.* Sic Gallic. *Reſſuſciteront avec mon corps:* & Vernac. noſtra, *Together with my body ſhall they ariſe.* At proprie, *Corpus meum reſurgent*, ut verſio Interlin. Ethnici in peccatis ſuis mortui, cum cadavere meo reſurgente, à morte ſua etiam reſurgent: imò corpus meum reſurgent, ut pars mei, & corpus meum myſticum.

VERS. 28. καὶ ἐδόξασα, καὶ πάλιν δοξάσω.

Non levis petitio Chriſti, *Pater, glorifica nomen tuum*, cùm reſponſum referat a cœlo per vocem audibilem. Et quidnam præciſè ſibi voluit iſta petitio? Ex contextu judicandum. Chriſtus, ex occaſione Græcorum eum videre cupientium, anſam arripit de morte ſua diſſerendi, & ſuos hortandi, ut exemplo ejus vitam ſuam non ament, ſed perdendo cuſtodiant ad vitam æternam. Quò altiùs de morte ſua loquitur & meditatur, eò magis turbatur anima ejus, quod & fatetur, *verſ.* 27.

CAP. XII. VERS. 28.

Unde autem iſta turbatio? Ex apprehenſione furoris & inſultûs Diaboli. An Chriſtus in agonia & paſſione ſua rem habuerit cum Deo irato, quæro; certus ſum quòd cum irato Diabolo. Cùm ille jam ſtaret, & perſtaret in ſummo & eminentiſſimo apice & gradu obedientiæ, quod fecit in paſſione, vix congruum videtur, ut ingemiſceret ſub ira Dei, congruentiſſimum ut ſub ira Diaboli. Nam

I. Jam dimicandum erat inter ſerpentem & ſemen mulieris, ut *Geneſ.* 3:15. de gloria Dei & ſalute hominum. In quo agone nemo dubitaverit Diabolum omnem furorem & vires ſuas exerturum ad extremum uſque.

II. Deus Diabolo laxavit omnes habenas, atque abſque ulla omninò reſtrictione permiſit ei, ut poteſtatem & vires ſuas exerceret pro poſſe ſuo & velle, quippe quòd ſciret athletam ſuum Chriſtum, ſatis ſuperque valentem eſſe, non ad inſultus ejus ferendum ſolùm, ſed & vincendum.

III. Vincendum autem ei erat non per potentiam divinam, nam parùm erat omnipotenti creaturam vincere, utcunque potentiſſimam, ſed per obedientiam, per juſtitiam, per ſanctitatem.

IV. Hinc ergo turbatio animæ & agonia Chriſti, omnem furorem Satanæ illicò paſſuri, ſuſpendente interim activitatem ſuam potentiâ divinâ, atque eum armis iſtis ſolùm committente.

Circa hanc rem igitur erat petitio Chriſti, & reſponſum cœleſte: quod & colligi poteſt ex ſequentibus, *verſ.* 31. *Nunc Princeps hujus mundi ejicietur foras.*

Nunc turbata eſt anima mea, inquit ille, *& quid dicam?* Non convenit ut deprecer hanc horam, nam ex inſtituto & propoſito veni ad hanc horam. Illud ergò quod mihi precandum, ô Pater, hoc eſt, ut nomen tuum, & promiſſum, & decretum tuum contra Diabolum glorifices, nè ille glorietur. Et reſponſum eſt cœlitùs, Nomen meum ſemel glorificavi antehac, in victoria tua ſuper *Satanam* in tentationibus in eremo, & nomen meum jam etiam glorificabo in victoria tua in hoc certamine.

Luc. 4:13. *Finitâ omni tentatione, receſſit ab eo Diabolus ad tempus*, & receſſit victus.

Digitized by Google

CAP. XII. VERS. 31.

Et jam rediit multò magis inſolens, & multò magis vincendus.

Et ſic jam tertiò, teſtimonio & voce de cœlo honoratus eſt *Meſſias*, ſecundùm officium ejus regale: ſicut fuerat ſecundùm officium ſacerdotale, cùm iniret miniſterium ſuum à baptiſmo, *Matth.* 3:17. & ſecundùm officium ejus propheticum, cùm declararetur ille qui audiendus, *Matth.* 17:5. cum *Deuter.* 18:15.

VERS. 31. Ὁ Ἄρχων τοῦ κόσμου τούτου.

שר העולם, *Princeps mundi:* phraſiologia Scriptoribus Judaicis non ignota, & quo ſenſu, ex his conjice.

Sanhedr. fol. 94. 1. Cùm Deus *Ezechiam* facturus eſſet *Meſſiam*, אמר שר העולם, *Dicit Princeps mundi ei, O Domine æterne, præſta deſiderium hujus juſti.* Ubi Gloſſ. *Princeps mundi eſt Angelus, in cujus manus traditur totus mundus.*

Quiſnam ille ſit, eloquuntur Magiſtri in

Bemidbar Rabba, fol. 277. 4. *Cùm Lex daretur, adduxit Deus Angelum mortis, & dixit ei,* העולם כולו ברשותך, *Totus mundus eſt in poteſtate tua, exceptâ tantùm gente hâc* [Iſraëliticâ] *quam elegi mihimet ipſi. Dicit R. Eliezer filius R. Joſe Galilæi, Dixit Angelus mortis coram Sancto benedicto. Ego creatus ſum fruſtrà in mundo. Reſpondit ei Sanct. ben. Ego te creavi ut ſis advertens* [משכיל] *ſuper nationes mundi, exceptâ tamen hâc natione, ſuper quam non datur tibi poteſtas.*

Bereshith Rabba, fol. 86. 4. *Si venerint nationes mundi conjuratæ contra Iſraëlem, dicit iis Sanct. ben.* שרכם לא היה יכול לעמוד בו, *Princeps veſter non potuit ſtare coram Jacobo*, &c.

Jam verò nomen Angeli mortis, iis eſt *Samael.*

Targ. Jon. in *Geneſ.* 3:6. *Et vidit fœmina* ית סמאל מלאך מותא, *Samaelem Angelum mortis, & timuit*, &c. Infinitis vicibus occurrit ſub hoc nomine apud Rabbinos. Et exiſtimant eum eſſe Principem Diabolorum.

Elleh baddebbarim rabba, fol. 302. 2. סמאל הרשע ראש כל השטנים הוא, *Angelus Samael improbus, eſt Princeps omnium Satanarum. Angelus mortis* ὁ κράτος ἔχων τοῦ θανάτου, τοῦτ' ἔστιν ὁ Διάβολος, *Heb.* 2:14. Principem quidem Dæmoniorum vocant *Beelzebul*, *Matth.* 12. aſt illud ſub peculiari notione, ut oſtendimus iſto loco.

Concipiunt *Samaelem* decepiſſe *Evam:* ſic Targ. antè: &

Pirke R. Eliezer, cap. 13. *Serpens quæcunque opera patravit, & verba loquebatur, ea non niſi ex ſuggeſtu Samaelis egit & locutus eſt.*

CAP. XII. VERS. 31, 34.

Concipiunt nonnulli, eum colluctatum fuiſſe cum Jacobo. Hinc illud quod adduximus antè. Dicit *Sanct. ben. nationibus mundi, Princeps veſter non potuit ſtare coram eo. Princeps veſter*, id eſt, Princeps omnium nationum. Quem dicunt Rabbini ארכילסטים נדמה, *apparuiſſe Jacobo in ſpecie Archilatronis:* & *R. Chaninah bar Chama dicit*, שרו של עשו היה, *Princeps Eſavi erat:* i. e. Princeps Edom. Jam verò *Princeps Edom erat Samael*, Gloſſ. in *Maccoth*, fol. 12. 1.

Fingunt ſibi ſeptuaginta nationes mundi traditas fuiſſe regimini totidem Angelorum. [Bonos vix indulgebunt Gentilibus.] Cui opinioni favet verſio Græc. in *Deuter.* 32:8. *Quando dividebat Altiſſimus gentes*, [in Lxx. nationes, inquiunt illi] *quando ſeparabat filios Adam*, ἔστησεν ὅρια ἐθνῶν κατὰ ἀριθμὸν Ἀγγέλων Θεοῦ. Supra hos Principes concipiunt Monarcham unum ſupra omnes eminentem, eumque *Samaelem Angelum mortis*, Archidiabolum.

Cum vulgo ergò loquitur Salvator, cùm Diabolum vocat *Principem hujus mundi:* & illuſtratur phraſiologia eò magis, ſi eam ſiſtas in antitheſi ad Principem illum, cujus regnum non eſt de hoc mundo, Principem ſcilicet mundi futuri. Confer *Heb.* 2:5.

Ut Princeps iſte nationum mundi, tyrannidem ſuam exercuerit inter Gentiles, captivos eos ducens in omne peccatum & perditionem, opus non habet illuſtratione. Jam itaque videns Chriſtus Græcos, id eſt, Gentiles aliquos, ipſum quærentes, & videndi ipſum ſtudio captos, lætanter pronuntiat, inſtare jam tempus quo Princeps iſte de throno & tyrannide ſuâ deturbabitur. Et cùm ego exaltatus fuero in cruce, atque ipſum qui mortis poteſtatem habet morte devicero, omnes gentes ex ejus tyrannide ad me traham.

VERS. 34. Ἡμεῖς ἠκούσαμεν ἐκ τοῦ νόμου, &c.

Ex Lege, id eſt, ut apponitur phraſiologia, לדברי סופרים, *Verbis Scribarum:* ſic frequentiſſimè occurrit מדאוריתא היא, *Hoc eſt ex Lege*, vel Scripturâ: cui oppoſitum מדרבנן היא, *Hoc eſt ex Rabbinis.*

Meſſias manet in æternum. Unde ergò Magiſtri tempus & annos ejus definiunt, quidam ad ſpatium XL. annorum, quidam Lxx. quidam trium generationum? *Sanhedr.* fol. 99. 1. Poſt dies *Meſſiæ* expectarunt ſucceſſuram æternitatem.

VERS. 39.

Digitized by Google

CAP. XII. VERS. 39, 41.

CAP. XIII. VERS. 1, 2.

VERS. 39. Διὰ τῦτο ὐκ ἠδύναντο πιςεύειν, &c.

In infidelitate ſua non conſtricti erant, quia *Eſajas* hæc dixerat, ſed quia vera ea erant quæ *Eſajas* de illis dixerat, *Incraſſatum eſt cor eorum*, &c. quam Prophetiam, ſi mentem eorum capio, à ſe amovent quàm longiſſimè, & ſenſum ejus pervertunt penitùs.

Roſh haſhanah, fol. 17. 2. *Dicit R. Jochanan, Magna res eſt pœnitentia, quæ reſcindit decretum judicii determinatum contra hominem: ſicut dicitur, Incraſſatum eſt cor hujus populi, & aures ejus obduratæ, atque oculi ejus compreſſi, nè oculis videat, & auribus audiat, & corde intelligat:* ושב ורפא לו, *At convertetur, & ſanabitur:* nam in talem ſenſum verba hæc ultima reddunt, ex diametro contrariantem animo Prophetæ.

Fingunt *Eſajam* ob promulgationem præcipuè hujus Viſionis & Prophetiæ, fuiſſe à *Manaſſeh* Rege ſerrâ aut ſecuri diſſectum.

Jevamoth, fol. 49. 2. *Traditio. Simeon ben Azzai dicit, Inveni librum Hieroſolymis--- in quo ſcriptum erat, Manaſſeh occidit Eſajam. Dicit Rabba, Hâc ratione judicavit & occidit eum: Dicit ei, Magiſter tuus Moſes dicit, Non videbit homo Deum, & vivet. At tu dicis, Vidi Jehovam ſedentem ſuper ſolium excelſum, & exaltatum. Moſes Magiſter tuus dicit, Quiſnam eſt ſicut Deus noſter in omnibus quibus invocamus eum?* Deuter. 4:7. *At tu dicis, Quærite Dominum, dum eſt inveniendus,* Eſaj. 55:6. *Moſes Magiſter tuus dicit, Numerum dierum tuorum adimplebo,* Exod. 23:26. *At tu dicis, Quindecim annos ad dies tuos adjiciam,* Eſaj. 38:6. *Dixit Eſajas, Novi quòd non eſt auſcultaturus in quocunque illi dixero: ſi quid illi dixero ut Scripturus conciliem, ille faſtuosè aget. Dixit ergò,* איבלע בארזא, *Concludam me intra hanc cedrum. Adduxerunt cedrum, & ſerrâ diſſecuerunt eam.* כי מטא להדי פומא נח נפשיה, *Cùmque ſerra os ejus attingeret, expiravit. Idque ideò quòd dixerat, Ego habito inter populum impurum labiis.*

Manaſſeh occidit *Eſajam*, & factum, ut videtur, non improbant *Gemariſtæ*, ideò quòd accuſaverit Iſraëlem ob impuritatem labiorum. ô nè tange Iſraëlem.

VERS. 41. Ὅτι εἶδε τὴν δόξαν αὐτῦ.

Eſaj. 6:1. *Vidi Dominum ſedentem ſuper thronum.* Ubi Targ. חזיתי ית יקרא דיי, *Vidi gloriam Domini*, &c. Sic *Exod.* 24:10. *Et viderunt Deum Iſraëlis.* Targ. וחזו יקר, *Et viderunt gloriam Dei Iſraëlis.* Et *verſ.* 11. *Et viderunt Deum.* Targ. וחזו יקרא, *Et viderunt gloriam Dei:* & ſic alibi Targumiſtæ non rarò: laudati ideò à ſuis quòd ſic reddiderint, Quia nemo poteſt videre Deum.

Dici ergò poſſet, quòd Euangeliſta noſter loquitur cum Targumiſta, & gente, cùm dicit quòd Eſajas vidit *gloriam* Domini, cùm *Eſajas* ipſe dicat, quòd vidit *Dominum*.

Aſt altior eſt ſenſus: & minimè dubito ego, gloriam hanc Chriſti quam vidit *Eſajas*, fuiſſe gloriam talem, quali deſcribitur *Chriſtus* adveniens ad vindictam, & ſupplicium ſumendum de gente Judaica. Ut cùm dicitur *Venire in regno ſuo, in gloria ſua, in nubibus*, &c. gloriâ ſcil. vindictrice. Nam animadverte,

I. Ut *Eſajas* viderit *poſtes januarum quaſſatos*, vergentes quaſi in ruinam. II. *Templum ipſum repletum fumo.* Non repletum nube, ut olim, ſpecimine divinæ præſentiæ, ſed fumo prænuntio & prognoſtico conflagrationis & incendii. III. Vidit *Seraphim*, id eſt, Angelos igneos, propter incendium prædeterminatum. IV. Audiit decretum de excæcatione & obduratione populi, donec urbes & terra vaſtabuntur.

CAP. XIII.

VERS. 1. Πρὸ δὲ τῆς ἑορτῆς τῦ Πάσχα.

VUlg. Beza, Interlin. *Ante diem autem feſtum Paſchæ.* At quâ authoritate *diem* adjecerint, ipſi videant. Nam

I. Linguâ certè vulgari Judæorum, חג הפסח, & חג העצרת, & חג הסוכות, nunquam non denotant totam feſtivitatem & tempus Paſchatis, Pentecoſtes, & Scenopegiæ, nullâ omnino particulâ exceptâ. Nec occurrit vox Ἑορτὴ apud Sacras Paginas alio ſignificatu.

II. Durius eſt cœnam Paſchalem excludere extra titulum τῆς ἑορτῆς τῦ Πάσχα, cùm ab ea derivata fuerit cognominatio totius feſti. Quod faciunt illi qui hanc cœnam, de qua agimus, fuiſſe arbitrantur cœnam Paſchalem, & tamen Πρὸ τῆς ἑορτῆς τῦ Πάσχα.

Oſtendimus pluribus ad *Matth.* 26:2,6. cœnam, de qua hîc mentio, eandem fuiſſe cum iſta *Bethaniæ* habitâ in domo *Simonis leproſi* biduò ante Paſcha.

VERS. 2. Καὶ δείπνυ γενομένυ.

Agnoſcimus Aoriſtum, & tamen non credimus cœnam fuiſſe peractam. Occurrit ipſiſſima eadem vox in hiſtoria ejuſdem cœnæ, *Matth.* 26:6. Τῦ δὲ Ἰησῦ γενομένυ ἐν Βηθανίᾳ, quod à Marco profertur, Καὶ ὄντος αὐτῦ ἐν Βηθανίᾳ, *Cap.* 14:3. Sic Δείπνυ γενομένυ, nihil aliud eſt, quàm Δείπνυ ὄντος.

Contexamus plenam hiſtoriam.

Digitized by Google

CAP. XIII. VERS. 2, 5.

Jeſu cœnanti apud *Simonem* leproſum, biduo ante Paſcha, effunditur à fœmina in caput unguentum pretioſiſſimum. Obmurmurantibus quibuſdam ob profuſionem, tuetur ille fœminam & actionem apologiâ: & poſt finitam apologiam, ſurgit illico à menſa, quaſi mediâ cœnâ, & ſe accingit ad lavandum pedes Diſcipulorum. Atque ità, dum indignantur illi ob unctum ejus caput, non dedignatur ille lavare eorum pedes.

Rationem actionis tam extraordinariæ expiſcari aliquantùm potes, ex præfatiunculis quas adhibet Euangeliſta ante hiſtoriam.

I. *Sciens Jeſus veniſſe jam horam* Ἵνα μεταβῇ ἐκ τοῦ κόσμου, &c. [Non abſimilis phraſiologia in *Bemidbar Rabba*, fol. 243. 3. *Dixit Abrahamus, Ego ſum caro & ſanguis*, למחר נפטר מן העולם, *Cras ego μεταβαίνων ἐκ τοῦ κόσμου.*]

Refricuerat memoriam diſceſſionis ejus ex mundo, quod fœmina jam eum unxerat in funerationem; & ſurgit illico à menſa, ut valedictorium aliquòd ſpecimen exhibeat ſuis humilitatis & charitatis ſuæ, & exemplar iis mutuæ humilitatis & charitatis inter ſe.

II. *Cùm Satanas immiſiſſet in cor Judæ ut proderet eum*, oportunum erat, ut aliquo indicio demonſtraret, ſe ſuos ſibi vendicare & confirmare adversùs lupum, qui non ovem quidem, ſed hircum, è grege tamen ſuo ſurripuerat. Non negligendum eſt quod dicitur, quòd *Diſcipuli* indignabantur propter profuſionem unguenti, *Matth.* 26:8. ac ſi ſerperet malum obmurmurationis in alios etiam, præter *Judam*: quod forſan Chriſtum excitavit eò vehementiùs, ut hac actione morbo iſti occurreret.

III. *Sciens Jeſus Patrem omnia in manus dediſſe ſibi, verſ.* 3. Proditorem tradit Satanæ, reliquos firmat ſibi: externa ablutione ſignificans, ſuos à Satana liberari per ablutionem Chriſti. An pedes etiam *Judæ* laverit, quicunque determinationem aggredietur, videat ut ſe ex hoc dilemmate extricet.

Si lavit, quare *Judas* portionem in Chriſto non habuit, æquè ac reliqui? Nam ſi illud verum, *Niſi te lavero, non habes portionem mecum*, nonne & illud, *Si te lavero, habes?*

Si non lavit *Judam* cum reliquis, ſed omiſit, quomodo tum ignorarunt reliqui quis immundus, *verſ.* 10? quod penitùs ignorarunt.

VERS. 5. Εἰς τὸν νιπτῆρα.

Jadaim, cap. 4. hal. 1. *Iſto die* [quo præfecerunt *R. Eleazarum ben Azariah* Synedrio] *numerata ſunt ſuffragia, & determinarunt* על עריבת הרגלים, *de pelvi quâ lavandi pedes, à duobus Logis uſque ad decem Logos.*

CAP. XIII. VERS. 5.

Ἤρξατο νίπτειν τοὺς πόδας, &c.

Circa ipſam actionem obſervandum

I. Fuiſſe rem inuſitatam, ut ſuperiores lavarent pedes inferiorum. Inter officia præſtanda ab uxore erga maritum, hoc unum erat, ut lavaret faciem ejus, & manus, & pedes, *Maimon.* in אישות, cap. 21. Eadem præſtanda à filio patri, *Toſaphta* in *Kiddushin*, cap. 1. Eadem etiam à ſervo erga herum, *Kiddushin*, fol. 22. 2. At non vice versâ. Nec, quod memini, incubuit iſtud officium Diſcipulo erga Magiſtrum, niſi fortè concludatur intra illud, *Honorandum eſſe Magiſtrum à Diſcipulo plus quàm patrem.*

II. Nunquam loti ſunt pedes ſolùm ſub notione purificationis legalis. Lotæ ſunt manus ſolùm à Phariſæis ſub ea notione, at non pedes: & manus & pedes à Sacerdotibus, at non pedes ſolùm. Illud igitur quod dicitur antè de עריבת הרגלים, *Pelvi in qua lavandi pedes*, non ità ſonat, ac ſi in ea lavarentur pedes in purificationem legalem; ſed per traditionem cavetur, nè ex defectu juſtæ quantitatis aquæ, pedes & perſonæ immunditiam contraherent, dum lavantur.

Quò longius ergo recedit hæc actio Chriſti à communi more, eò altius aſſurgit ad erudiendum ſuos, propoſita non ſolum in exemplum, ſed & in doctrinam.

III. Quoad modum actionis, veriſimile eſt eum pedes eorum laviſſe, eo modo quo & ipſius pedes ſunt loti, *Luc.* 7:38. nempe dum adhuc accumberent menſæ, pedibus poſt ſe protenſis. Et ſi ordinem ſeſſionis obſervaret, ordiendum erat primum à *Petro*, qui loco ſedit poſt ipſum primo, quod credit *Nonnus*, dum reddit Ἀρχόμενος Σίμωνος, &c. In quam ſententiam eunt & alii. Et tum verba Ἤρξατο νίπτειν, *incepit lavare*, tali ſenſu ſumenda ſunt, ac ſi diceretur, Paravit, aut diſpoſuit ſe ad lavandum. Niſi fortè innuat phraſiologia, eum aliquos Diſcipulorum lavare incepiſſe, ſed non laviſſe omnes: quod ego quidem facilè crediderim. Nam cum illud quod fecit, fecerit in exemplum ſolum & doctrinam, & non in aliquam purificationem, valuit duos vel tres lavare, æque ac ſi laverat omnes. Et ſic ego retia dilemmatis anteà memorati evitaverim, dicendo, illum non ſolùm *Judam* omiſiſſe illotum, ſed & aliquos etiam alios. Quid ſi *Petrum*, *Jacobum* & *Joannem* ſolos laverit? & prout eos anteà à reliquis diſtinxerat, ad ſecretiora ſua conſilia eos admittendo, ſic forte & in hac actione diſtinguit. De his prædixit quòd ſubituri illi erant martyrium, & nonne per hanc lotionem eundem baptiſ-

Digitized by Google

CAP. XIII. VERS. 13, 23.

baptiſmum, quo & ipſe baptizandus erat, deſignat? Et ſicut fœmina caput ejus unxerat in ſepulturam, ità ille pedes eorum lavat in parem ſignificationem.

VERS. 13. Ὁ Διδάσκαλος καὶ ὁ Κύριος.

רבי, *Rabbi*, & מר, *Mar*, tituli inter Doctores uſitatiſſimi, & inter Hieroſolymitanos & Babylonicos.

VERS. 23. Ἀνακείμενος ἐν τῷ κόλπῳ Ἰησοῦ.

Gloſſ. in *Beracoth*, fol. 46. 2. *Soliti ſunt comedere diſcumbentes, & reclinati in latus ſiniſtrum, & pedibus ad terram, ſinguli ſuper lectos ſingulos.*

Gemara, בזמן שהן שתי מטות, *At cum forent duo lecti, ille qui primus erat, ſedit ſummus:* ושני לו למעלה הימנו, *Et ſecundus ab eo ſedit ſupra eum.* Gloſſ. *Lectus ſecundi*, לצד מראשותיו של גדול, *erat juxta cervical primi.*

בזמן שהם שלש, *Cùm tres forent, digniſſimus diſcubuit in medio, & ſecundus ab eo ſupra eum, & tertius infrà.* Gloſſ. *Tertius diſcubuit juxta pedes primi.*

וכי בעי לאישתעויי בהדי, *Et ſi vult colloqui cum eo*, מתריץ תרוצי ויתיב, *Erigit ſe, & erectus ſedet, & colloquitur cum eo.*

Gloſſ. *Si digniſſimus vult colloqui cum ſecundo ab eo, neceſſe eſt ut erigat ſe à recubitione ſua, & erectus ſedeat; nam quamdiu ille eſt reclinatus, non poteſt colloqui cum eo, quia ſecundus eſt poſt occiput primi, & facies primi eſt alio averſa. Præſtaret ergò ſecundo ut ſederet infra eum, nam tum poteſt audire verba ejus, cùm ſedet reclinatus.*

Sic & *Lipſius* de more Romanorum.

Modus accubitûs hic erat. Jacebant reclinatâ ſuperiori parte corporis in cubitum ſiniſtrum, inferiori in longum porrectâ & jacente, capite leviter erecto, dorſo pulvillis modicè ſuffulto. Et primus quidem diſcumbebat ad caput lecti, cujus pedes porrigebantur juxta dorſum ſecundi, &c. Et tandem addit, *Eundem accumbendi morem in Judæa fuiſſe temporibus Chriſti, apparet clarè ex Joanne---- & Luca*, &c.

Diſcumbentibus ergò Chriſto & Diſcipulis, accubuit *Petrus* à tergo Chriſti, & *Joannes* à ſinu. *Joannes* in ſinu Chriſti, & Chriſtus in ſinu *Petri*. Non potuit ergò Chriſtus promptè colloquium cum *Petro* in aure habere [nam ſuſurris in aure hæc res tranſigebatur.] *Petrus* ergò ſupra caput Chriſti *Joannem* proſpectans, nutu eum excitat ut de re interroget.

Sic Gemara citata, de *Perſis* [i. e. nî fallor, de Judæis in Perſia] cùm non poſſent ob hunc modum accubitûs inter ſe colloqui, מרמזי ליה מרמז, loquebantur per ſigna, manibus aut digitis.

CAP. XIII. VERS. 23.

Prætereundum non eſt quod dixit Gloſſator, quòd ſoliti ſunt diſcumbere reclinati in latus ſiniſtrum, *pedibus in terram*; quod videtur intelligi, cùm quis diſcumberet ſolus, aut duo tantùm. Et docet *Gemara* inverſum eſſe ordinem ſeſſionis, cùm duo tantùm diſcumberent, nam tum ſecundus ſedit infra digniorem, non poſt cervical ejus.

Et diverſitas erat etiam menſarum. Nam menſa ordinaria Pharisæi, vel Diſcipuli Sapientum, erat minuta, quæ tres tantùm excepit convivas, aut circiter: & erat menſa quæ plures.

Ordinariam menſam depictam habes in *Bava Bathra*, fol. 57. 2. *Qualiſnam eſt menſa Diſcipulorum Sapientum?* שני שלישי גידול ושליש גלאי ועליו קערות וירק, *Duæ partes de tribus ſtratæ ſunt mappâ, & tertia pars nuda eſt, & ſuper iſtam partem diſpoſita ſunt ſcutellæ & olera.*

וטבעתו מבחוץ, *Annulus autem menſæ erat ab extrà.*

Gloſſ. *Soliti ſunt annulum figere in margine menſæ, quo menſam ſuſpenderent.* Suſpenſio iſta menſæ, cùm foret extra uſum, videtur fuiſſe ut tutior eſſet à contrahenda immunditia: & ſuſpenſio iſta arguit menſam fuiſſe parvam & levem. Annulus ille erat *ab extrà*, cùm pars iſta menſæ in qua erat annulus, nuda foret & non obtecta mappâ: ità ut annulus tum non foret inter convivas, ſed *ab extrà*, in loco ſcil. iſto vacuo, ubi conviva nullus. Et plura ibi de diſpoſitione annulli ab intrà, aut ab extra. Gloſſ. *Si aſſideret puerulus ad menſam cum patre, tum annulus erat ab extrà, & non inter convivas, nè puerulus cum annulo luſitans, menſam concuteret & motaret.* Gemara, הא דאיכא שמעא הא דליכא שמעא. Si foret famulus miniſtrans ad menſam, tum ità diſpoſita eſt menſa, ut annulus eſſet ab intra, inter convivas, noctu præſertim, nè famulus huc illuc diſcurſitans, impingeret in annulum.

Ὃν ἠγάπα ὁ Ἰησοῦς.

De hac re diximus ad *Marc.* 10:21. ubi ſuper verba iſta, Ὁ δὲ Ἰησοῦς ἐμβλέψας αὐτῷ, ἠγάπησεν αὐτὸν, addamus hæc quæ illìc omiſſa.

II. *Paralip.* 18. ויסיתהו לעלות אל רמות גלעד. Græc. Καὶ ἠγάπα αὐτὸν συναναβῆναι μετ' αὐτοῦ εἰς Ῥαμὼθ τῆς Γαλααδίτιδος. Ubi ἠγάπα, *dilexit*, eſt pro ἔπεισε, *perſuaſit*: & ſic *Complut.* Ubi *Nobilius*, *Diligebat eum, id eſt, omnibus eum officiis proſequebatur, magnæque benevolentiæ ſigna præbebat.* Sic Jeſus juvenem illum intuens, Ἠγάπησεν αὐτὸν, i. e. הסיתהו, perſuaſit, animavit,

CAP. XIII. VERS. 26, 27, 30.

vit, blandis verbis & geſtibus eum eſt complexus, ut urgeret & excitaret eum ad viam pietatis.

VERS. 26. Καὶ ἐμβάψας τὸ ψωμίον, &c.

Inſolitum hoc ut ſic buccellam alicui porrigeret: & quid de ea re judicare potuerunt reliqui Diſcipuli? Veriſimile eſt eos rem ſic intellexiſſe, ac ſi Chriſtus dixiſſet: Quod tu facis, faciendum eſt citò. Nè cunctaris ergò, donec cœna ſit peracta, & menſæ remotæ, ſed accipe hanc buccellam pro reliqua parte cœnæ tuæ, & exi, & expedi tua negotia. Sic illi de re concipere potuerunt, ſolo Joanne, quid ſibi vellet, percipiente: niſi forſan & Petrus, quæſtionis à Joanne propoſitæ non ignarus, non ignarus etiam foret quid reſponderit Chriſtus per iſtam actionem.

VERS. 27. Καὶ μετὰ τὸ ψωμίον, &c.

Novit & Satanas quid Chriſtus ſibi vellet. Nam cum per iſtud indicium, datâ buccellâ, declaraverat ille proditorem, intrat Diabolus; ſat ſciens ei jam conceſſam eſſe licentiam intrandi. Nam ſicut introierat in ſerpentem, qui decepit primum *Adamum*; ſic etiam novit ſecundum *Adamum* non prodendum, niſi per aliquem in quem etiam intraret.

Ὃ ποιεῖς, ποίησον τάχιον.

Pro tacita & ſevera comminatione, eâque cum aliqua irriſione prolatâ, ego hæc verba intellexerim: q. d. Benè novi quid machinaris: age, *quod facis fac citò:* aliter per mortem prævenieris, nam brevi jam tibi eſt vivendum, & vitæ terminus quàm proximè appropinquat, ut *Pſalm.* 109: 8. *Dies ejus ſunto pauci.* Atque intra biduum & trinoctium actum eſt de *Juda*.

VERS. 30. Εὐθέως ἐξῆλθεν· ἦν δὲ νύξ.

Sic prodit proditor ad opus ſuum tenebrarum, duce Diabolo, comite nocte. Duo milliaria emenſuranda ei ſunt à *Bethania* ad *Hieroſolymam*. Quærendi & congregandi Sacerdotes, ut de proditione ſua paciſcatur: quod an factum ab eo, ipsâ hâc nocte, an die inſequenti, ſilet hiſtoria ſacra, nec tanti eſt ut inquiramus. Quot nodis ſe illaqueat iſta opinio, qua concipit omnia hæc acta ipſiſſimâ nocte cœnæ Paſchalis, non tam arduum eſt demonſtrare, quàm mirum eſt authores ipſos iſtius opinionis non obſervaſſe.

CAP. XIII. VERS. 33, 38. CAP. XIV. VERS. 1.

VERS. 33. Τεκνία.

Vajicra Rabba, fol. 177. 3. *Ecce ego & filii quos mihi dedit Dominus*, Eſaj. 8: 18. *Num verò fuerunt illi filii ejus? Nonne fuerunt Diſcipuli ejus? Hinc diſcas* לתלמידו של אדם שנקרא בנו, *Quòd Diſcipulus cujuſvis vocatur ejus filius.* Et forſan Chriſtus jam locum iſtum *Eſajæ* reſpexit. Nam cum jam excluſus eſſet proditor, & filius perditionis, quàm aptè potuit ille dicere, *Ecce ego & filii mei.*

VERS. 38. Οὐ μὴ ἀλέκτωρ φωνήσει.

Hoc non ita ſonat, Nullus gallus canet, antequam tu ter me abnegaveris: nam illud falſum, cecinit enim gallus antequàm *bis* eum abnegaverat. Sed hoc ſenſu, Non abſolvet gallus gallicinium ſuum, &c. Et quidem non abſolverat dimidium gallicinii.

In *Joma*, fol. 21. 1. diſtinguunt gallicinium in cantum primum, ſecundum, & tertium. Primum vocant illic, קריאת הגבר, *Cantum galli:* ſecundum כשישנה, *Cum iterat:* tertium כשישלש, *Cum tertiat.* Diſtinctio apud alias gentes etiam ſatis nota, & tempora diſtincta. Jam ergò cùm adeſſet tempus, & nox ipſa, cùm hoc eventurum, tum dicit, *Hodie, etiam hâc nocte* לא ישנה הגבר, *non canet gallus bis*, &c. At nunc, biduò ante iſtam noctem, dicit tantum, Ἀλέκτωρ οὐ φωνήσει, *Gallus non canet*, id eſt, non abſolvet cantum ſuum. Et ſic occurrit Chriſtus nimiæ *Petri* confidentiæ, prædicens eum, illud quod tam fidenter præſumpſerat, tam parùm præſtiturum, ut intra tempus & ſpatium gallicinii ter abnegaret.

CAP. XIV.

VERS. 1. Μὴ ταρασσέσθω ὑμῶν ἡ καρδία.

NOn potuerunt non animo turbari, ob diſceſſum Magiſtri jam inſtantem: at ſunt & alia quæ ſuper hoc diſceſſu animos eorum cruciant mœſtitiâ & perplexitate.

I. Nam cùm univerſali gentis opinione, expectarunt reſtitutionem regni Iſraëlitici per *Meſſiam*, Actor. 1: 8. expectarunt per eum redemptionem Iſraëlis à jugo Ethnico, *Luc.* 24: 21. expectarunt eum ſuos cum pompa, feſtivitate, ſplendore & triumpho excepturum, *Matth.* 20: 20. & eheu! omnia evenerant contraria, paupertas, contemptus, deriſio, perſecutio: & cum Magiſter & Meſſias eorum illicò ſit diſceſſurus, nulla ulteriùs de talibus rebus vel ſpes, vel expectatio. Et hoccine regnum Meſſiæ?

Contra

Digitized by Google

CAP. XIV. VERS. 1,3,6.

Contra hunc languorem animos eorum ſolatur, docendo, quòd in domo Patris cœleſti, non in terrena hac regione, expectandæ ab iis manſiones ſuæ: & quòd illic ille eos hoſpitio excepturus, non in terrenis domiciliis.

II. Introduxerat Chriſtus novam aliquam normam & faciem religionis: quam amplexantes illi, terga dederant veteri ſuo Judaiſmo, magna ex parte, atque hinc non potuerunt non odium & periculum ſibi excitare: quid nunc agendum à Magiſtro derelictis?

Severum erat illud, ſi verum, *Sanhed.* cap. *Helek*, hal. I. *Epicuro* [i. e. ſpernenti Diſcipulos & doctrinam Sapientum] *non eſt portio in mundo futuro.* Et illud *Roſh haſhanah*, fol. 17. I. *Hæretici, & Apoſtatæ, & Epicuri---- & qui ſe ſeparant à moribus Synagogæ, deſcendunt in Gehennam, atque ibi judicantur in æternùm.*

Tremenda hæc, & quæ terrere potuerunt animos Diſcipulorum, qui moribus Synagogæ in plurimis valedixerant, & Judaiſmum abdicaverant, & vah, nunc ille qui eos huc duxit diſceſſurus!

In hac re ut eos ſtabiliat,

I. Authoritatem ſuam proponit, in ipſum nempe credendum eſſe, æquè ac in Deum. Ubi duos nobiliſſimos fidei Chriſtianæ articulos docet. I. De Deitate *Meſſiæ*, quam negarunt Judæi. II. De vera fide & ſalvifica, de qua illi cæcutierunt.

II. Docet varias in domo Patris ſui eſſe manſiones: & admiſſionem eſſe in cœlum ſanctis viventibus ſub variis Oeconomiis & adminiſtrationibus. Nè turbetur ergò cor veſtrum ob immutationem in Oeconomiam Judaicam introductam, nec vos pigeat quòd Judaiſmo veſtro abacto, novam religionis adminiſtrationem ſitis accepturi: *Nam in domo Patris mei ſunt manſiones multæ.* Voſque æquè admittendi ſub nova hac adminiſtratione, ac quivis alii, vel ante Legem, vel ſub Lege.

VERS. 3. Πορεύομαι ἑτοιμάσαι τόπον ὑμῖν.

Confer *Numer.* 10:33. *Præcedebat arca fœderis, ad explorandum iis requiem.*

VERS. 6. Ἐγώ εἰμι ἡ ὁδὸς, ἡ ἀλήθεια, καὶ ἡ ζωή.

Et quare tandem hæc ſuperadduntur de *veritate & vita*, cùm quæſtio foret tantùm de *Via*?

I. Reſponderi poteſt per idiotiſmum Hebræorum, quibus *Via, veritas & vita* idem eſſe poſſit quod *Via vera & viva.*

Hierem. 29:11. לתת לכם אחרית ותקוה, *Ad dandum vobis finem & ſpem*, vel expectationem: id eſt, finem ſperatum vel expectatum. Sic *Kimch.* in loc. *Finem bonum, ſicut vos expectatis.*

CAP. XIV. VERS. 6,7.

II. Videtur Chriſtus refellere velle ſententiam Judæorum, quibus Lex erat via, veritas & vita, & quidem omnia: & propriam authoritatem & poteſtatem novam normam religionis introducendi aſſerere: quia nempe ille eſt via, veritas & vita, ſenſu magis proprio & ſublimi, quam Lex eſſe poteſt.

Fœliciùs Judæo foret, ſi fœlicius judicare poſſet de Lege, & diſtinguere inter accedere ad Deum *in* Lege, & accedere ad Deum *per* Legem: ut & inter vivere *in* Lege, & vivere *per* Legem.

Extra omnem controverſiam eſt, nullo modo accedi poſſe ad Deum, niſi *in* Lege Dei: nam quis exlex, atque extra ſemitas mandatorum Dei, poteſt ad eum accedere? Sic quoque impoſſibile eſt ut quis vivat, niſi *in* Lege Dei: nam quis poteſt vivere extra Legem Dei, & non ambulans in ejus præceptis? At conſequi acceſſionem ad Deum, & favorem ejus *per* Legem, & vivere *per* Legem, id eſt, per opera Legis juſtificari, longè aliud ſonat: nam per Chriſtum ſolum vita & juſtificatio, per eum ſolum acceſſio ad Deum.

Hæc fingunt Rabbini in *Bava Bathra*, fol. 74. I. & *Bemidbar Rabba*, fol. 271. I. *Oſtendit quidam cuidam Rabbino locum ubi abſorptus eſt Corah cum ſuis; atque Audi, inquit, quid dicunt. Audierunt eos dicentes*, משה ותורתו אמת, *Moſes & Lex ejus eſt veritas. Unius cujuſque menſis Calendis volutat eos Gehennah, ſicut caro volutatur in lebete; & Gehennah dicit*, משה ותורתו אמת, *Moſes & Lex ejus eſt veritas.*

Veriſſimum quidem eſt illud in falſiſſima hac Legenda, quòd *Lex Moſis eſt veritas*: at diſce, ô Judæe, ſanius judicare de ejus veritate, quòd nempe non ſit veritas ultima, non ſumma, ſed Chriſtus eſt ipſa veritas veritatis *Moſis* ut Cap. 1:17. *Lex data eſt per Moſen, ſed gratia & veritas ἐγένετο per Jeſum Chriſtum.*

VERS. 7. Εἰ ἐγνώκειτέ με, &c.

Ardua res erat expiſcari cognitionem *Meſſiæ* ex Lege & Prophetis ſub Templo primo; at dupliciter ardua ſub ſecundo. Nam ſub Templo primo *Moſes* habuit velum ſolùm ſuum, & Prophetæ propriam ſolum obſcuritatem: at ſub ſecundo duplicatur obſcuritas per tenebras & fumum Traditionum, quæ non ſolùm veram doctrinam fidei & religionis obfuſcaverant, ſed & in ſummis fidei articulis, doctrinam, veræ ex diametro contrariam, introduxerant: ut in articulis de juſtifi-

Digitized by Google

CAP. XIV. VERS. 8, 16.

juſtificatione, de perſona, regno & officio *Meſſiæ*, &c.

Quantum caliginis & tenebrarum ex his fumis, animis Apoſtolorum adhuc inſederit, difficilius & audacius eſt emenſurare. Agnoverunt *Jeſum* eſſe verum *Meſſiam*, *Cap.* 1: 41. *Matth.* 16: 16. ſi verò in aliquibus non clarè judicarent de ejus officio, opere & regimine, laborabant adhuc morbo gentis epidemico. Quò ſpectare videntur verba præſentia, *Si me cognoviſſetis*, & plenè & rectè dijudicaretis de munere, opere & authoritate *Meſſiæ*, in omnibus hiſce quæ doceo & facio, agnoſceretis voluntatem, mandatum, authoritatem Patris.

Καὶ ἀπ᾽ ἄρτι γινώσκετε αὐτόν.

Reddere licet, *A modò cognoſcite eum*. Hinc porrò agnoſcite Patrem in omnibus quæ ego feci, atque introduxi, aut ſum introducturus, atque in iſta re acquieſcite: atque in me, & in his quæ ago, exiſtimate vos videre Patrem.

VERS. 8. Δεῖξον ἡμῖν τὸν πατέρα, καὶ ἀρκεῖ ἡμῖν.

Cùm daretur Lex *Moſi*, viderunt Iſraëlitæ Deum in gloria ſua: & tu, cùm jam aliam Legem & Oeconomiam introducis, ſi Patrem ejuſque gloriam oſtenderis, ſat nobis erit, & de ea re non ambigemus ampliùs.

VERS. 16. Ἄλλον παράκλητον δώσει ὑμῖν.

Quamvis פרקלט apud Judæos frequentiſſimè occurrat pro *advocato*, & ſenſus iſte tribuatur voci Παράκλητος hoc in loco, tamen aptius videtur, ſi reddas per *Conſolatorem*.

I. Inter nomina & titulos *Meſſiæ* apud Scriptores Hebræos, *Menahem*, *Conſolator*, præcipuè obtinuit; & *dies Meſſiæ* apud eos vulgatiſſimè vocantur *dies conſolationis*.

Babyl. Sanhedr. fol. 98. 2. Enumerantur nomina Meſſiæ, *Shiloh*, *Iinnon*, *Chaninah*, *Menahem*. Et *Hieroſ. Beracoth*, fol. 5. 1. refertur *Meſſiam* natum fuiſſe in *Bethlehemo*, nomine *Menahem*.

Luc. 2: 25. Προσδεχόμενος παράκλησιν τοῦ Ἰσραήλ.

Targ. in *Hierem.* 31: 6. *Qui deſiderant annos conſolationis venturos.* Et ſoliti ſunt jurare per deſiderium ſuum videndi hanc Conſolationem, אראה בנחמה, *Ità videam Conſolationem.*

Jam ergò applica hæc verba Salvatoris. Expectatis Conſolationem cum gente in *Meſſia* & præſentiâ *Meſſiæ*. Bene: at mihi quidem eſt diſcedendum, & præſentia mea ſubtrahenda; verùm ego mittam vice meâ alium Conſolatorem.

CAP. XIV. VERS. 17, 26, 30, 31.

II. Mœſtorum & turbatorum erant jam Diſcipuli animorum, & talibus quadrat meliùs promiſſio *Conſolatoris*, quàm *Advocati*.

VERS. 17. Τὸ Πνεῦμα τῆς ἀληθείας.

Obſervato, ut totus mundus jam ſuccubuerit ſub falſitate & errore, Gentiles ſub ſpiritu deluſionis, & Judæi ſub deluſione Traditionum; elucebit & ratio tituli hujus, *Spiritus veritatis*, & quàm oportunum & neceſſarium erat, ut ſpiritus iſte jam mitteretur in mundum.

VERS. 26. Ὑμᾶς διδάξει πάντα.

Sic *Cap.* 16: 13. *Ducet vos in omnem veritatem.* Ubi meritò quæri poteſt, an quiſquam unquam, præter Apoſtolos, doctus & ductus fuerit *in omnem veritatem*. Verum quidem eſt, quòd omnis fidelis ducitur in omnem veritatem neceſſariam ſibi ipſi: at ducti ſunt Apoſtoli in omnem veritatem, & neceſſariam ſibi & univerſæ Eccleſiæ.

VERS. 30. Ἔρχεται ὁ τοῦ κόσμου τούτου ἄρχων.

Cùm phraſiologia τοῦ κόσμου τούτου Ἄρχων, in vulgari gentis uſu, Diabolum exprimeret ut dominantem Gentilibus, eodem ſenſu benè intelligi poteſt in his verbis, cùm inſtaret jam tempus, cùm contendendum inter Chriſtum & Diabolum de dominio & regimine inter Gentiles.

VERS. 31. Ἐγείρεσθε, ἄγωμεν ἐντεῦθεν.

Statuminant hæc verba, tempus & locum hujus orationis, quæ continetur in Capite hoc decimo quarto. Locus erat *Bethania*; tempus erat, cùm jam die Paſchatis profecturi forent à *Bethania* Hieroſolymam.

Iſta quæ à Chriſto dicta ſunt Capite decimo tertio, dicta ſunt binoctio ante Paſcha, idque *Bethaniæ*, ubi Chriſtus cœnavit in domo *Simonis leproſi*. Egit ibi diem poſterum, & noctem alteram; & cùm jam tempus eſſet die Paſchatis eundi *Hieroſolymam* ad Paſcha, tum dicit, *Surgite, eamus hinc.* Quid actum & dictum ab eo, pridie Paſchatis, dum adhuc moram traheret *Bethaniæ*, Euangeliſta non memorat. Hæc ſolùm memorat quæ dicta in ultima ſua valedictione ante cœnam Paſchalem, & à *Bethania* diſceſſione. Iſta quæ habentur Capitibus 15, 16, 17. protulit poſt

cœnam

Digitized by Google

CAP. XV. VERS. 1, 3, 4, 6.

cœnam Paſchalem, & inſtitutam Euchariſtiam.

CAP. XV.

VERS. 1. Ἐγώ εἰμι ἡ ἄμπελος ἡ ἀληθινή.

IN antitheſi hæc ſume ad ea quæ prædicantur de *Iſraële*. *Iſraël eſt vitis*, Pſalm. 80: 8. *Eſaj.* 5: 7. *Hierem.* 2: 21, &c. Atque In *Vajicra Rabba*, fol. 207. 2, 3. fit paralleliſmus inter vitem & Iſraëlem, & notatur congruentia in ſedecim particulis, & plerùmque vafris.

At illud quod præcipuè hîc reſpiciendum, hoc eſt: nempe quod huc uſque Iſraël fuerat vitis, in quam inſitus atque inſertus fuit quicunque ſe voluit ad cultum veri Dei recipere: aſt à modo, plantandi omnes non in Iſraëliſmum, ſed in profeſſionem Chriſti. Huc ſpectat illud *Actor.* 11: 26. quòd Diſcipuli vocati ſunt *Chriſtiani*, & non ampliùs Judæi, aut Iſraëlitæ.

Sermocinatur hæc Chriſtus illicò poſt inſtitutam Euchariſtiam, ut diximus; & in inſtitutione Euchariſtiæ, ille dixerat, *Hoc eſt novum Teſtamentum in ſanguine meo*, atque illicò dicit, *Ego ſum vitis vera*, &c. Hinc porrò futura eſt Eccleſia ſub adminiſtratione Novi Teſtamenti, & non ſub Judaica Veteris; atque hinc porrò *Ego vera vitis*, in quam inſerendi omnes palmites Eccleſiæ, & non ampliùs in vitem Iſraëliticam.

VERS. 3. Ἤδη ὑμεῖς καθαροί ἐστε.

Cum de vite & palmitibus ſit ſermo, videntur hæc verba alludere ad legem de ערלה, *Orlah*, ſive de Præputio arboris nuper plantatæ, *Levit.* 19: 23. Per primum triennium, fructus erat tanquam non circumciſus, immundus, non comedendus: at vos, ô palmites mei, jam mundi eſtis per verbum, idque jam per triennium à me vobis prædicatum.

VERS. 4. Μείνατε ἐν ἐμοί.

Vera quidem fixio & permanſio in Chriſto eſt per veram fidem: at nonne Chriſtus etiam ſpeciatim monet contra Apoſtaſiam ab Euangelio ad Judaiſmum, quæ ità tandem graſſabatur in Eccleſia?

VERS. 6. Ὡς τὸ κλῆμα.

Vid. *Ezech.* 15: 1. ubi ſic D. Kimchi, *O fili hominis, ego non interrogo te de vite quæ fert fructum, nam talis eſt æſtimanda; ſed de palmite* [הזמורה] *qui eſt inter arbores ſylvæ, infrugifer, ſicut & illæ.* Ubi per זמורה, quam reddimus *palmitem*, [ut vulgò redditur] intelligenda eſt *Vitis agreſtis*. Et ſic R. *Solom.* in locum, *Ego non loquor*, inquit Deus, *de vite quæ eſt in vinea, & fert fructum; ſed de palmite vitis creſcentis in ſylvis.* Senſus ergò Prophetæ hic eſt, O fili hominis, quidnam erit lignum vitis præ omni ligno? Vitis ſcilicet agreſtis, inter arbores ſylvæ, quæ infrugifera eſt, ſicut & illæ.

CAP. XV. VERS. 6, 12.

Et hic ſenſus Salvatoris, Omnis palmes in me qui non fert fructum, ejicitur, ut palmis vitis ſylveſtris, quæ ad omnia inutilis, præter focum.

Eodem ſignificatu ego זמורה ſumſerim apud eundem Prophetam, *Cap.* 8: 17. והנם שלחים את הזמורה אל אפם. Ubi nota Maſoretica ſuper vocem אפם חד מן יח׳ מלין תיקון סופרים *Quòd hæc eſt una de octodecim vocibus, quæ corriguntur à Scribis*; & lectam volunt אפי. Prolixum foret varias ſuper locum Commentatorum ſententias recitare. Lxx. editionis *Romanæ*, Καὶ ἰδοὺ αὐτοὶ ὡς μυκτηρίζοντες. *Alexandrinæ*, Καὶ ἰδοὺ αὐτοὶ ἐξαποστέλλουσιν τὸ κλῆμα ὡς μυκτηρίζοντες. Targ. איתן בהתא לאפיהון, *Adducunt confuſionem ad faciem ſuam*: & variis modis Rabbini & alii. אפם, aut, ut lectum volunt Maſorethæ, אפי, ego non per *nares* reddiderim, ſed per *iram*: ut hic ſit ſenſus, *Hi faciunt abominationes iſtas, replentes terram iniquitate; converſi ſunt ad irritandum me: & ecce mittunt palmitem* vitis ſylveſtris ad *iram meam*, vel ad *iram ſuam*, i. e. quam meruerunt.

Quaſi dicat, Eodem modo quo addit quiſpiam lignum ad focum, palmitem vitis ſylveſtris ad ignem, ut accendatur vehementiùs, ſic & illi mittunt, & apponunt palmitem ad iram meam, vel ad iram ſuam quam meruerunt, ut excandeſcat acriùs. Sequitur ergò, *Ergò & ego faciam in furore, non parcet oculus meus*, &c.

VERS. 12. Ἵνα ἀγαπᾶτε ἀλλήλους.

Hieroſ. Beracoth, fol. 3. 3. *Unoquoque Sabbato addiderunt hanc benedictionem ſuper Ephemeriam iſtam quæ functa officio ſuo, hebdomadâ elapſâ, jam exiit. Ille qui hanc domum habitat, plantet inter vos* אחוה אהבה שלום ורעות, *Fraternitatem, dilectionem, pacem, amicitiam.*

Sæpiùs repetit Salvator hoc mandatum, *Diligite invicem*: & *Novum præceptum* vocat, *Cap.* 13: 34. Nam Traditiones antiquaverant mandatum de mutua dilectione, magnâ ex parte: idque præcipue per impia vota. Cujus aliquod ſpecimen habes, *Matth.* 15: 5. & plura

Digitized by Google

plura in Tractatu *Nedarim*. Vid. & *Matth.* 5:43. *Odio habebis inimicum tuum*, obtinuit in Scholis: & ſuper iſtud præceptum, *Diliges proximum tuum ſicut teipſum*, charitativam hanc gloſſam habes in

Chetubb. fol. 37. 2. *Sotah*, fol. 8. 2. *Diliges proximum ſicut teipſum*, ברור לו מיתה יפה, *id eſt*, *Decerne ei mortem facilem*, nempe cùm morte mulctandus eſt per Synedrium.

Cùm recognoſcis frequentem iterationem hujus præcepti, *Diligite invicem*, recognoſce & illud *Matth.* 10:34. *Non veni pacem mittere, ſed gladium*: & meditare horrendas iſtas ſeditiones & ſtrages, quibus inundata atque obruta eſt gens iſta, ipſa in ſe per diſſidia cruenta & bella civilia ſæviente, & clariùs percipies neceſſitatem hujus præcepti, & veritatem iſtius ſermonis, *Per hoc noſcent omnes quòd Diſcipuli mei eſtis, ſi diligatis mutuò.*

VERS. 15. Ὑμᾶς δὲ εἴρηκα φίλους, ὅτι πάντα, &c.

Sic de Abrahamo *amico Dei*, Geneſ. 18:17, 18.

VERS. 16. Οὐχ ὑμεῖς με ἐξελέξασθε.

Nam apud Judæos in more erat, ut Diſcipuli eligerent ſibi Magiſtrum.

Avoth, cap. 1. hal. 6. *Joſua ben Perachiah dixit*, עשה לך רב, *Acquire tibi Magiſtrum, atque obtine tibi collegam.*

VERS. 22. Ἁμαρτίαν οὐκ εἶχον.

Sic etiam *verſ.* 24. Utrobique eſt ſermo de peculiari iſto peccato, rejectione *Meſſiæ*. Si ego non iſta locutus fuiſſem, atque feciſſem, quibus planè demonſtravi me eſſe *Meſſiam*, illi rei non fuiſſent rejectionis mei. At cùm hæc fecerim, ſatis patet eos ex mero odio mei Patriſque ea actitare quæ actitant. Exponit Salvator quodnam peccatum velit, *Cap.* 16:9.

CAP. XVI.

VERS. 2. Ἀποσυναγώγους ποιήσουσιν ὑμᾶς.

DE ejectione à tota Congregatione Iſraëlis hoc eſſe intelligendum, eò faciliùs credo, quòd ità à Judæis contra Samaritanos proceſſum noverim: quibus odioſi Diſcipuli *Jeſu*, æquè ac Samaritani, atque illos frequentiſſime כותים, *Cuthæos*, appellant, æquè ac hos.

Sic ex Eccleſia ejectum, bonis ſuis ſpoliarunt, ut *Ezr.* 10:8. quod & fecerunt cum Shammatizato, *Moed Katon*, fol. 81. 2. Unde quæri etiam poteſt, an Shammatizatio non ejecerit ex tota Congregatione? Et ſecundò quæri, an ejectus è tota Congregatione unquam fuerit readmiſſus? Notetur illud in

Avodah Zarah, fol. 7. 1. כולן שחוזרו בהן אין מקבלין אותן עולמית, *Neminem horum recidivantem recipiunt iterùm in æternum.*

Docent Gloſſatores, ſermonem eſſe de plebeïs aut laïcis, qui ſibi aliquando normam religioſam aſſumentes, iterum retrogradiuntur. Non admittunt eos לחבורה, in ordinem aut ſocietatem iſtam iterum. An igitur recidivantes ab Euangelio ad Judaiſmum ſuum, admiſſi ſunt rursùs in Eccleſiam Judaicam, cùm diſceſſerant anteà à Judaiſmo? Sed hæc obiter.

Erat reverà duplex Epocha perſecutionis Eccleſiæ Apoſtolicæ, ante Apoſtaſiam ſcil. illam, de qua frequens mentio eſt, & pòſt. De iſta Apoſtaſia prædixerat Salvator in tremenda illa parabola de ſpiritu immundo ejecto, at redeunte cum ſeptem pejoribus. Et *ſic erit*, inquit, *improbæ huic generationi*, *Matth.* 12:45. Et veſtigia ejus obſervare licet in unaquaque fere Apoſtolorum Epiſtola.

Jam ergò obſervetur illud 2 *Theſſal.* 2:3. *Non adveniet Dies Domini*, Ἐὰν μὴ ἔλθῃ ἡ ἀποστασία πρῶτον, καὶ ἀποκαλυφθῇ ὁ ἄνθρωπος τῆς ἁμαρτίας. *Dies Domini*, de quo agit, eſt cùm adventurus Chriſtus in vindicta & ultione ſua contra Hieroſolymam & gentem Judaicam, de qua phraſiologia dicturi ſumus ad *Cap.* 21:22. Diem illum præceſſuræ erant *Apoſtaſia* & revelatio *Hominis Peccati*: quod & ex ipſa hiſtoria temporum demonſtrari poſſet, ſi hiſtoricum ageremus aut Chronographum.

Cùm itaque ſevera nimis & trux perſecutio excitata fuerat ab infidelibus Judæis ante iſtam Apoſtaſiam, non parùm aucta eſt pòſt, & ab infidelibus, & Apoſtatis: quam diſtinctionem benè obſervare potes ex hoc commate.

Δόξῃ λατρείαν προσφέρειν τῷ Θεῷ.

Sic קנאין, *Zelotæ*, quorum mentio in *Sanhedr.* fol. 81. 2. קנאין פוגעין בו, *Zelotæ interiment eum.* Gloſſ. *Hi ſunt viri probi qui zelo afficiuntur in cauſa Dei.* Qui tranſgredientem propriis manibus immediatè interfecerunt, non exſpectato judicio Synedrii. Sic loco allegato: *Sacerdotem qui miniſtrat in immunditia non adducunt ad Synedrium, ſed extrahunt ex Atrio, & excerebrant ſarmentis ligni*, paratis ad fovendum focum in altari.

Quan-

Digitized by Google

AP. VI. ERS. 10.

Quantorum malorum & effuſionis ſanguinis cauſa potuerit eſſe prætextus talis zeli erga Deum, facile eſt cuivis concipere, & dira exempla manifeſtarunt. Hinc toties illi aggreſſi lapidare Salvatorem. Hinc conjurati quadraginta illi, & plures contra *Paulum*. Et Zelotæ iſti, quorum carnificina tam famoſa in Judaica hiſtoria, anſam horrendæ ſuæ immanitatis arripuerunt primùm ab hac licentia.

Ab iſtiuſmodi nebulonibus parùm in tuto eſſe potuerunt Diſcipuli Chriſti: & reverà tripliciter periclitabantur. I. A fulmine excommunicationis; unde illi bonis & opibus ſuis ſpoliati, *Hebr.* 10:34. II. A ſententia Synedrii, eos vel ad flagella damnante, vel ad necem. III. Ab hiſce *Aſſyſinis*, nam nomine hoc nimium in *Europa* noto, eos appellemus. *Aſſaſini* & *Aſſaſinatio* nobis profertur: *Aſſyſini* Gulj. Tyrio, quem, de nominis origine, legere eſt operæ pretium, de *Bell. Sacro*, lib. 20. cap. 31.

Vers. 8. Ἐλέγξει τὸν κόσμον περὶ ἁμαρτίας, &c.

Abfuerat Spiritus Sanctus à populo, quoad dona ſua Prophetica & extraordinaria, per quadringentos jam annos, aut circiter: & cùm jam redditus & effuſus eſſet modo & menſurâ tam mirandis, non potuit non evincere *Jeſum eſſe verum Meſſiam*, Filium Dei, qui Spiritum ſic effuderat: & conſequenter non potuit non redarguere mundum de peccato, quod in eum non crederet.

Vers. 10. Περὶ δικαιοσύνης δὲ, &c.

De *juſtitia* Chriſti hoc intelligendum, nemo non promptè conſenſerit. At de quanam juſtitia hîc agitur, de juſtitia ejus perſonali & inhærente, an de juſtitia ejus communicata & juſtificante? De utraque.

I. Quòd aſcendit ad Patrem ſatis arguit *juſtum* eum eſſe, & nullo omninò reatu teneri, quamvis ut reus condemnaretur ab hominibus.

II. Quod effudit Spiritum, arguit *meritum* juſtitiæ ſuæ, aliter non potuerat Spiritum tali modo donaſſe.

Et de juſtitia ejus juſtificante hîc agi præcipuè, facilè hoc perſuadere poteſt, quòd de ea tot & tanta celebrantur in Scriptura.

Eſaj. 56:1. *Salus mea appropinquat, & juſtitia mea ut reveletur.*

Dan. 9:24. *Ut introducat juſtitiam æternam.*

Hierem. 23:6. *Hoc eſt nomen quo vocabitur, Jehovah Juſtitia noſtra.* Et in Epiſtolis Apoſtolicis, præſertim verò Paulinis, celebratur hæc juſtitia frequentiſſimè, nobiliſſimè: & eſt quidem maximum & præcipuum ſubjectum doctrinæ Euangelicæ. CAP. XVI. VERS. 10.

Vice plurium ſumamus illud *Rom.* 1:17. *In Euangelio revelatur juſtitia Dei, ἐκ πίστεως εἰς πίστιν, ex fide in fidem.* Quæ verba bene quidem commentarj poſſunt in hanc clauſulam & præcedentem.

I. Lex docet fidem, nempe ut credamus in Deum. Sed Euangelium docet procedendum eſſe ἐκ πίστεως εἰς πίστιν: nempe à fide in Deum, ad fidem in Chriſtum. Nam vera & ſalvifica fides, non eſt mera & nuda innixio immediatè in Deum, qualem fidem profitentur Judæi, ſed fides in Deo, mediante fide in Chriſto.

II. In Lege revelatur juſtitia Dei *damnans*, in Euangelio juſtitia *juſtificans*. Et hoc eſt magnum Euangelii myſterium, quòd peccatores juſtificantur, non ſolùm per gratiam & miſericordiam divinam, ſed & per juſtitiam divinam, per juſtitiam ſcil. Chriſti, qui eſt *Jehovah*, & qui eſt *Juſtitia noſtra*.

Et Spiritus veritatis cùm advenit, redarguit & erudiit mundum in duobus hiſce magnis fidei articulis, in quibus toto cœlo erratur à Judæis: nempe de vera & ſalvifica fide, fide ſcil. in Chriſto, & de vero modo & formali cauſa juſtificationis, per juſtitiam ſcil. Chriſti.

At quomodo formatur argumentum? *Ego eo ad Patrem*, ergò evincetur mundus de juſtitia mea juſtificante.

I. *Vado ad Patrem*, plus denotat quàm *Vado in cœlum*; nam omnes ſalvati dicuntur ire in cœlum: ſed per phraſiologiam videtur Salvator hoc innuere: Perfecto opere, pro quo peragendo miſit me Pater in mundum, jam ad eum redeo. Jam verò opus Chriſti peragendum pro Patre, erat varium, manifeſtatio Patris, prædicatio Euangelii, debellatio hoſtium Dei, peccati, mortis, Diaboli; præcipuum verò, & à quo pendebant omnia reliqua, erat, ut perſolveret obedientiam vel juſtitiam obedientialem Deo. Creavit Deus hominem ut obediret Creatori: quod cum non faceret, ſed à Diabolo ſeductus eſſet in inobedientiam, ubi jam tum gloria Dei? Triumphat Satanas, quod totum genus humanum in *Adamo*, contra Creatorem calcitrans, ei factum foret obediens, & caſtra ſua ſequeretur. Neceſſe ergò erat ut Chriſtus in carne humana veniret in mundum, ut vindicaret gloriam Dei, per ſolutionem obedientiæ, à genere humano debitæ, & dignæ Deo. Perſolvit ergò obedientiam, quæ præponderavit inobedientiis omnium mortalium, imò dicam & Diabolorum, nam perſolvit infinitam. Perſolvit juſtitiam, per quam peccatores juſtificandi, quæ æquipollebat

Digitized by Google

CAP. XVI. VERS. 11, 12.

juſtitiæ damnanti, nam perſolvit infinitam. Hoc erat præcipuum & maximum opus peragendum à Chriſto pro Patre, ut perſolveret talem obedientiam & juſtitiam: & hæc juſtitia eſt magnum & nobile thema, & ſubjectum doctrinæ Euangelicæ, *Rom.* 1: 17. & de ea neceſſario & primariò erudiendus erat mundus, & in gloriam juſtificantis, & in manifeſtationem veræ doctrinæ Juſtificationis. Jam ergò planè argui potuit de hac juſtitia, ex hoc, quòd Chriſtus rediret ad Patrem, quod facere non potuiſſet, niſi perfecto opere ad quod præſtandum fuerat miſſus.

II. Non ſine ratione additur, *Et vos me non videtis ampliùs:* i. e. Quamvis vos mihi amiciſſimi, conjunctiſſimi, tamen præſentiâ meâ non fruemini ampliùs: unde argui poteſt quòd merito meo fruimini; præſertim verò cum vos videat mundus donis Spiritûs mei ità locupletatos.

VERS. 11. Περὶ δὲ κρίσεως, ὅτι ὁ Ἄρχων, &c.

Judicatum fuiſſe Diabolum, benè notum, cùm Salvator eum devicerit per obedientiam mortis ſuæ, *Hebr.* 2: 14. Atque indicium primum iſtius judicii & victoriæ erat, cùm Chriſtus à mortuis reſurgeret: proximum, cùm Gentiles è carcere Satanæ liberaret, per Euangelium, eumque ipſum carceri manciparet, ut *Apocal.* 20: 1, 2. qui locus in hæc verba optimè commentatur.

Utrumque arguit planè, Chriſtum judicaturum totum mundum, nempe omnes in ipſum non credentes, cùm jam judicaverit Principem mundi. Atque hìc in mentem revocaveris ſententiam Judæorum de Judicio ſub *Meſſia:* ipſum non omninò judicaturum Iſraëlem, ſed Gentiles ſolùm; imo Iſraëlitas potiùs judicaturos Gentiles, quàm ipſos eſſe judicandos: at qui judicavit Principem hujus mundi, authorem infidelitatis, judicabit etiam omnes infideles.

VERS. 12. Οὐ δύνασθε βαστάζειν ἄρτι.

Talia erant, inſtitutio Sabbati Chriſtiani, & abolitio Judaici, [cujus rei rationem & fundamentum, reſurrectionem ſcil. Chriſti, adhuc non cognoverunt] rejectio gentis Judaicæ, cùm illi expectarent regnum reſtituendum Iſraëli, *Actor.* 1: 6. totalis antiquatio rerum Moſaicarum, introductio omnium gentium, & alia pertinentia ad regnum Dei, *Actor.* 1: 3. Nam quamvis ille planè locutus fuerat de excidio Hieroſolymæ, *Matth.* 24. quæri tamen poteſt, an illi *rejectionem gentis* etiam intellexerint: an intellexerint omnia Moſaica abolenda, quamvis ille aliquid in rem talem obſcurè inſinuaverat, &c.

CAP. XVI. VERS. 13, 16, 24.

VERS. 13. Ὅσα ἂν ἀκούσῃ, λαλήσει.

Et mox, ἐκ τοῦ ἐμοῦ λήψεται, *verſ.* 14. Dictum eſt primùm ſecundum dialectum & morem gentis, ut loquatur ad captum. אם שמעו אומרים, *Si audierunt, docent*, *Sanhed.* cap. 11. hal. 2. Ubi ſermo eſt de judice in Synedrio inferiori, conſulente ſuperiora Synedria: primùm triumviralia; & *ſi illi audierunt, docent*; ſin minùs, pergit ad ſupremum.

Poſterius concipi poteſt ſumptum ex *Eſaj.* 11: 2. præſertim ſi λήψεται ſit idem quod יקח: ſi verò Salvator ſenſum vocabuli protulerit per יקבל, & in eo etiam morem loquendi ſecutus eſt familiarem, & vulgo notum. Et videtur quòd in hunc ſenſum inclinavit, quia non dicit λήψεται, καὶ δώσει, ſed λήψεται, καὶ ἀναγγελεῖ: quod Judæus intelligeret יקבל מן הלמודי, *Accipiet de doctrina*, aut inſtructione mea. Nam Spiritus miſſus eſt à Filio inſtructor, ſicut Filius à Patre redemptor.

VERS. 16. Καὶ ὄψεσθέ με, ὅτι ἐγὼ ὑπάγω πρὸς τὸν πατέρα.

Non videbitis me, quia vado ad Patrem; & videbitis me, quia vado ad Patrem: i. e. Non videbitis me perſonaliter, ſed videbitis me virtualiter, aut operativè. Non viderunt quidem eum, cùm lateret in ſepulchro; at viderunt iterùm, cùm reſurrexerat. Sed hoc ſenſu ego quæro, an verba hæc ſint ſumenda, quanquam ſit veriſſimus, quia ſic duriuſculè ſonaret, Videbitis me, *quia* vado ad Patrem: ſed intellexerim potiùs de aſcenſu ejus in cœlum, poſt quem non viderunt eum ampliùs, ſed viderunt tamen in influxu ſuo & largitione Spiritûs. Quò congruunt optimè iſta quæ ſequuntur, *In illo die non interrogabitis me quicquam.* [prout jam interrogaturi eratis, *verſ.* 19.] Petite à Patre in nomine meo, atque ille omnia revelabit vobis de quibuſcunque petieritis.

VERS. 24. Ἕως ἄρτι οὐκ ᾐτήσατε οὐδὲν ἐν τῷ ὀνόματί μου.

Intellige hæc de donis Spiritûs extraordinariis, & facilia ſunt omnia. Orarunt omnes fideles in nomine *Meſſiæ*; & cùm hi *Jeſum* agnoſcerent *Meſſiam*, orarunt in nomine *Jeſu Meſſiæ*. At huc uſque nihil extraordinarium petierant in nomine *Jeſu:* non virtutem edendi miracula, non revelationem myſteriorum, & futurorum, non Spiritum Prophetiæ, &c. nam

Digitized by Google

nam non neceſſe iis adhuc erat hæc petere in ejus nomine, cùm ipſe præſens foret qui hæc exhiberet pro eorum neceſſitate: aſt à modò, cùm ille abſens, quodcunque horum petierint in nomine ejus, Pater donabit. Commentatur optimè in hæc verba illud *Actor*. 4: 29, 30. Talia petite, cùm opus fuerit, in nomine meo, & quodcunque petieritis, accipietis, ut gaudium veſtrum ſit plenum, cùm videatis mè etiam à vobis abſentem, tamen a vobis non abeſſe.

Illa quæ & hîc, & alibi in ſermonibus Chriſti, Scholaſticam ventilationem ſubeunt, Scholis relinquimus: & plurima omittimus, de quibus plurima dici poſſent, quia ab aliis jam ſunt dicta. Animi & penſi noſtri fuit, pauca notare, quæ vel non ab aliis notata, vel non ubique obvia. Memores tituli hujus opuſculi, *Horæ Hebraicæ & Talmudicæ*, in diſputationes Theologicas & Scholaſticas parciùs exſpatiamur.

C A P. XVIII.

VERS. 1. Πέραν τοῦ χειμάῤῥου τῶν Κέδρων.

LItigatur circa articulum pluralem τῶν, & circa accentum in Κέδρων: idque ſub hac notione, nè conciperetur relationem aliquam eſſe ad Cedros: quo conceptu deceptus eſt non nemo, dum commentatur, *Dicitur torrens Cedron, id eſt, Cedrorum ibi creſcentium*. Sic & Arabs hoc in loco, עבר ואדי אלארז, *Trans torrentem Cedri*. At 2 *Sam*. 15: 23. & 1 *Reg*. 2: 37. retinet vocem קדרון.

Apud Talmudicos קדר ſignificat *ſtercus*.

Shabb. fol. 33. 1. נפישי קטילי קדר מנפיחי כפן. Ubi Gloſſa reddit קדר per נקבים, *Exoneratio alvi*. Aruch per רעי, *ſtercus*: & ſenſus clauſulæ eſt, *Plures moriuntur ex non congrua exoneratione ventris*, *quàm ex fame*.

Non dixerim vocem קדר iſto ſenſu adhibitam fuiſſe in primæva denominatione torrentis *Kidron*: quin potiùs quòd ſic dictus fuerit torrens ob *nigrorem*, aquis ſcilicet ejus fimo & cœno atratis: nam erat revera potiùs Cloaca urbis, quàm fluviolus. At cum קדר in uſu eſſet etiam pro *ſtercore*, quod eſſe potuit, cùm exararetur verſio Græca, forſan Interpretes iſti, vocabulum iſtud Hebræum in Græcum tranſtulerunt, quod iis non infrequens, ita ut Χειμάῤῥους τῶν Κέδρων idem iis ſit quod נחל קדרין.

Ὅπου ἦν κῆπος.

Hortos & paradiſos circa urbem habuerunt Magnates populi, etiam in monte Oliveto. Nam non erant horti intra urbem, *Bava Kamah*, cap. 7. ad fin.

Joma, fol. 58. 2. *Sanguis redundans poſt aſperſionem altaris interioris effunditur ad fundamentum occidentale altaris exterioris. Et ſanguis redundans ab altari exteriori, effunditur ad baſim ejus Auſtralem: & ſanguis iſte & ille concurrentes, deſcendebant per meatum ſubterraneum in torrentem Kidron.* ונמכרין לגננין לזבל ומועלין בהן, *Et venditi ſunt hortulanis ad ſtercorandum* hortos, *atque illi dato pretio utuntur iis*. Nam ſanguis qui fuerat ſemel in uſum ſacrum dicatus, non potuit adhiberi in uſum communem ſine tranſgreſſione. Hortulani igitur pro eo pecuniam numerarunt, quâ coëmeretur ſacrificium pro tranſgreſſione. CAP. XVIII VERS. 3, 10, 13.

VERS. 3. Μετὰ φανῶν καὶ λαμπάδων.

Talmudicis באבוקות ולפידים. Quidnam autem אבוקות, Φανὸς, conjice ex

Succah, fol. 51. 2. *Saltarunt* [in feſto Scenopegiæ] *manu tenentes* אבוקות של אור, *faces ardentes*. Gloſſ. *Jactarunt faces in altum, & manibus iterùm eas excipiebant. Erantque nonnulli eorum in hac facultate adeò periti, ut ſic agere poſſent cum quatuor, imò cum octo facibus, unam jactando, & aliam excipiendo.*

VERS. 10. Μάλχος.

Nomen inter eos uſitatiſſimum, *Malluch*, Nehem. 10: 4, 27. Μάλχος Ἄραψ, *Joſeph. Antiquit*. lib. 13. 9. Erat & hoc nomen diriſſimi iſtius Chriſtianiſmi hoſtis *Porphyrii*, itemque patris ejus, ut *Luc. Holſten*. in vita Porphyrii: ubi & plures iſtius nominis recenſet.

Proſtraverat in terram verbo ſuo Chriſtus eos qui illum erant prehenſuri, ut de fuga Diſcipulorum paciſceretur, & provideret, atque ut divinam ſuam potentiam demonſtraret. Reſurgentes illi eum aggrediuntur, *Judas* oſculatur, manus illi injiciunt, & tum *Petrus* ſtringit gladium, &c.

VERS. 13. Πρὸς Ἄνναν πρῶτον.

Nam erat ille *ſocer Cajaphæ*, atque erat pariter סגן הכהנים, *Sagan Sacerdotum*, Luc. 3: 2. סגן כהניא, Targ. in 2 *Reg*. 23: 4. Jam verò *Sagan* erat idem cum הממונה, *Præfecto*, de quo tam frequens mentio apud Magiſtros.

Joma, cap. 3. hal. 1. אמר להם הממונה, *Dicit iis Præfectus*. Gloſſ. ממנה הוא סגן, *Præfectus eſt Sagan*.

Sanhedr. fol. 19. 1. סגן היינו ממונה, *Sagan idem eſt qui Præfectus*.

Frequentiſſima eſt mentio apud Talmudicos

CAP. XVIII. VERS. 13.

dicos *R. Ananiæ* סגן הכהנים, *Sagan Sacerdotum*, ut *Joma*, fol. 8. 2. *Shekalim*, cap. 6. hal. 1, &c. Periit ille in obſidione urbis cum *Rabban Simeone*, & *Iſmaële*: *Tſemach David*, & *Juchaſin*, fol. 57. Verùm illum ego ſuſpicarer potiùs fuiſſe acrem iſtum judicem Pauli, *Actor.* 23. quàm *Annam* hunc noſtrum.

Quare autem ducerent Chriſtum ii, qui eum prehenderant, ad *Annam Sagan*, priùs quàm ad *Cajapham* Pontificem, rationem unam reddit Euangeliſta, nempe quia erat ſocer *Cajaphæ*, ſub qua & alia concludi poteſt, nempe quòd grandævior foret, & majoris experientiæ, & peritior in Lege: nam erant aliquando ſummi Pontifices qui [illegible]nt indoctiſſimi, quod colligi poteſt ex ſuppoſitione iſta in

Joma, cap. 1. hal. 6. *Si Pontifex maximus ſit ſapiens, exponit; ſin minus, exponunt ei: ſi aſſuetus ille lectioni, ipſe legit; ſin minus, legunt coram eo.*

At verò *Sagan Sacerdotum*, neceſſe erat ut eſſet doctior, utpote qui curaret de rebus Templi & miniſterii, quique aſſiduè iſti penſo incumberet & præſens foret, cùm ſummus Pontifex rarius præſens foret, atque in iſtis rebus verſaretur.

Juchaſ. & *Aruch*, לא היה ממונה לכהונה גדולה עד שנעשה סגן, *Non erat ritè promotus quiſpiam ad Pontificatum, niſi anteà fuerat Sagan.* Cautè ſcilicet proviſo, ut in Saganatu experientiam in legibus & ritibus lucraretur, unde aptior evaderet Pontificatui. Verùm cùm crearentur Pontifices, non tam propter merita, quàm per ambitionem & pecuniam, indoctiſſimi nonnunquam gradum iſtum aſcenderunt. Et nonne tu de iſto grege, *ô Cajapha*?

Videntur ergò Jeſum ducere primùm ad *Annam*, ut conſilio ejus dirigeretur *Cajaphas*, atque duce eo in iſto negotio procederet, ipſe forſan non omnium mortalium doctiſſimus. Et ignoſce mihi, ô Pontifex, ſi ego ſententiam iſtam tuam, *Præſtat ut unus moriatur pro populo, potius quàm pereat totus populus*, prudentiæ & gravitati tuæ non aſcribam, quin potiùs ferociæ & temeritati, quamvis in proprium finem, te inſcio, eam direxerit Spiritus Sanctus.

Aliam rationem, quare Chriſtus primùm ductus ad *Annam*, exhibebimus poſteà.

Ὃς ἦν Ἀρχιερεὺς τοῦ ἐνιαυτοῦ ἐκείνου.

Si Gloſſa iſta, quam exhibuimus ſuper eadem verba, *Cap.* 11: 51. hîc non quadrabit eâ congruitate, quâ illic, adjice & hanc, quæ benè quadrabit utrobique: nempe quòd tanta foret viciſſitudo in ſummo Pontificatu, novo Pontifice annuatim ferè introducto, ut non abſque aliqua neceſſitate eſſet, peculiarem iſtam circumſtantiam memorare, *Cajaphas erat Pontifex iſtius anni.*

CAP. XVIII. 13, 15.

Joma, fol. 9. 1. *In Templo ſecundo, quod ſtetit tantum* 420. *annis, miniſtrarunt plures quàm trecenti Pontifices. De his* 420. *annis deme* 40. *annos quibus miniſtravit Simeon Juſtus, & 80. quibus miniſtravit Jochanan, & 10. quibus Iſmael ben Phabi, & ut dicitur* 11. *quibus Eleazar ben Harſom; & tum computa, & quiſquam Pontifex non complevit annum ſuum.*

De hoc numero Pontificum diminuitur plurimùm in

Vajicra Rabba, fol. 189. 1. *In Templo primo, quoniam in eo miniſtrarunt in veritate, miniſtrarunt tantùm octodecim Pontifices, pater & filius & nepos ſucceſſivè. At ſub Templo ſecundo, cùm Pontificatum pecuniâ obtinerent,* [*ſunt etiam qui dicunt, quòd alter alterum incantationibus interemerunt*] *miniſtrarunt octoginta Pontifices: ſunt qui dicunt octoginta unus: alii octoginta duo: alii octoginta quatuor. Inter eos Simeon Juſtus miniſtravit* 40. *annis. At cùm Pontificatum coëmerent nummo, abbreviati ſunt anni eorum. Hiſtoria eſt de quodam, qui miſit per filium ſuum duos modios argenti;* [ad coëmendum Pontificatum] *atque modii ipſi erant argentei. Et proſtitit alius, & miſit per filium ſuum duos modios auri; atque ipſi modii erant aurei.*

De diſcrepantia numerorum non diſputabimus. Forſan numerant Gemariſtæ cùm ſummis Pontificibus, etiam *Saganim*, atque eos qui annuatim deputati ſunt ut Vicarii ſummi Pontificis, ſi quid immunditiei illi occurreret. Sunto 80. Pontifices, aut circiter, tam frequentes erant immutationes in Pontificatu, & ſucceſſionum viciſſitudines, ut Pontifex hujus anni vix fuerit vel præcedentis, vel ſubſequentis: quamvis quidem in *Cajapha* aliquantùm aliter foret, tamen hoc de illo non immeritò additur ab Euangeliſta, vulgarem & communem ſtatum Pontificatûs tacitè adnotante.

VERS. 15. Ἠκολούθει δὲ τῷ Ἰησοῦ Σίμων Πέτρος, &c.

Videtur nonnullis eſſe hîc confuſio aliqua ordinis hiſtoriæ. Intertexendum ergò hoc loco volunt verſiculum 24. Ἀπέστειλεν οὖν αὐτὸν, &c. quippe quòd ea, quæ referuntur hinc porrò, acta ſunt in aula *Cajaphæ*, non in aula *Annæ*.

Ordinem hunc noſtrum retinent Interpretes Syr. Arab. Vulg. & alii; invertunt *Nonnus*, *Carthus*, *Beza*, atque eo referente, *Cyrillus*, &c. Tacita quidem hoc in loco eſt tranſitio, & inuſitatior trajectio verborum iſtorum

Digitized by Google

CAP. XVIII. VERS. 15.

iſtorum in *verſ.* 24. quarum nec hæc ratione ſuâ caret, nec illa.

I. Obſervandum eſt illud *Matth.* 26: 56. *Marc.* 14: 51. *Tunc Diſcipuli omnes, relicto eo, fugerunt.* Et nonne in numero fugientium erat Petrus, ut & alter hic Diſcipulus, cùm *omnes* fugerent? Docet ergò tranſitio Euangeliſtæ, quòd nec Petrus, nec alter eum ſecuti ſunt ad aulam *Annæ*: quin quòd, pro tempore, timiditate confuſi erant, & abſconditi: verùm ſeipſos tandem recolligentes, prorepunt, & recipiunt ſe ad turbam jam ad aulam *Cajaphæ* tendentem; vel ſaltem ad aulam tendunt.

II. *Annas* non potuit judicialiter quicquam de Chriſto pronuntiare ſolus: nam cùm diſquirendum erat de Diſcipulis & doctrinâ ejus, atque teſtes & pro & contra producendi, efflagitavit hæc res conceſſum Synedricum. Miſit *igitur* eum ad *Cajapham*, ubi & Synedrium. Et rejicit Euangeliſta mentionem iſtius miſſionis, uſque dum mentionem habuerat de modo procedendi.

At quare & quo jure abeſt ipſe *Annas* à Synedrio? Num proceſſum ritè eſt in Synedrio magno, ſi non adeſſet completus Seniorum numerus ſeptuaginta unius? Reſpondeat

Maimon. Sanhedr. cap. 3. *Non neceſſe eſt ut Conceſſus Septuaginta unius, ſedeant omnes ſimul in loco ſuo in Templo: at cùm neceſſariò congregandi ſunt omnes, congregentur.* ובשאר העתות, *Aſt aliis temporibus., ſi cui ſit aliquod aliud negotium, exeat, & negotia ſua peragat, & redeat. Et hoc cautum eſt, nè ſint pauciores quàm viginti tres ſemper conſidentes, dum durat Seſſio. Si opus ſit cuiquam exeundi, proſpiciat an ſint viginti tres de collegis ſuis adhuc conſidentes: ſi ità, exeat; ſin minùs, maneat uſque dum intret alius.* Rationem aliam abſentiæ Annæ reddimus illicò.

Ὁ δὲ μαθητὴς ἐκεῖνος ἦν γνωστὸς Ἀρχιερεῖ.

Nonnus notum eum Pontifici ſupponit Ἰχθυοβόλου παρὰ τέχνης, *Ex arte ſua piſcatoria.* Alii aliunde ortam hanc notitiam opinantur. In qua re aliquid ſtatuere foret audacius. A quacunque tandem cauſa proceſſerit, oportunius inde potuerat iſte Diſcipulus ללמד עליו זכות, defenſorem Chriſti, ut teſtis, egiſſe propter iſtam notitiam. Nam

Sanhedr. fol. 32. 1. דיני נפשות פותחין לזכות ואין פותחין לחובה, *Ordiuntur judicia capitalia à parte defenſoria, & non à parte accuſatoria. Omnibus licuit pro parte defenſoria agere, non omnibus licuit pro accuſatoria.*

Ibid. fol. 40. 1. *Incipiunt à parte defenſoria. Unus teſtium dicit,* יש לי ללמד עליו זכות, *Habeo quo eum defendam. Et Scholaris aliquis dicit, Habeo quo eum accuſem.* משתקין אותו, *Silentium ei indicunt. At Scholaris aliquis dicit, Habeo quo eum defendam. Ad ſeipſos eum evocant, atque inter ſe collocant; nec deſcendit ille inde per totum diem.* CAP. XVIII. VERS. 18, 21.

Num ſic proceſſum cum Salvatore? Num pro innocentia ejus manifeſtandâ actum primum, & producti teſtes? Si ità, adſunt *Petrus* & Diſcipulus alter, qui poſſunt pro eo teſtari: at negat *Petrus* ſe eum ſcire.

VERS. 18. Ὅτι ψῦχος ἦν.

Frigus erat, nam profunda nox erat, inſtante jam gallicinio. Et rationem hanc experientiâ ſuâ doctus, reddit *Biddulphus* noſter, qui Hieroſolymis extitit tempore Paſchali. *Nos ſenſimus ardorem*, inquit ille, *ſupra illum quam ordinariè percipimus in Anglia ipſa media æſtate; unde miratus ſum quomodo ità frigeſceret Petrus. Aſt intra paucos dies ſolutum eſt dubium: nam decidunt rores grandes, quibus à ſole non adhuc arefactis, fit frigus, noctu præſertim*, &c.

Imò ſupponunt Traditionum Patres, gelu & nives occurrere poſſe in tempore Paſchatis, in Canone iſto,

Maimon. Kiddush. Hhodesh, cap. 4. *Non intercalant annum* לא מפני שלג ולא מפני הצנה, *propter nivem, aut propter gelu.*

Intercalatio anni reſpexit potiſſimùm ſolennitatem Paſchalem: nempe ut per interjectionem menſis intercalati, matura eſſent omnia, atque apta iſti ſolennitati. Si, cùm jam adveniret menſis *Niſan*, non matureſceret adhuc hordeum idoneum ad offerendum manipulum, interpoſuerunt menſem quem vocarunt *Adar ſecundum*: item, ſi viæ non erant adhuc aptatæ ad itinerandum, ut populus non poſſet ad Hieroſolymas aſcendere: ſi pontes fracti, ut non poſſent fluvios tranſire, interjecerunt menſem, ut cùm, poſt iſtum menſem, *Niſan* jam intraret, parata eſſent omnia ad ſolennitatem Paſchalem requiſita. At ſi gelu aut nix foret, cùm ordinario ſuo curſu introiturus eſſet *Niſan*, iſtius ergô non intercalabant omninò. Unde planum eſt occurriſſe nonnunquam gelu aut nivem iſto tempore.

VERS. 21. Ἐπερώτησον τοὺς ἀκηκοότας.

Nonne Jeſus hîc appellat jus & normam uſitatam? nempe ut primùm evocentur teſtes pro parte defenſoria. Saltem, audiendi primùm erant tales: [at quiſnam audet *pro* eo teſtari?] Dicitur *Matth.* 26: 59. quòd primarii Sacerdotes, & Seniores, & totum Synedrium ἐζήτουν ψευδομαρτυρίαν κατὰ τοῦ Ἰησοῦ, *quærebant falſum teſtimonium contra Jeſum*: at num quærebant, quæſo, verum teſtimonium

nium *pro* eo? Et num cum falſis ſuis teſtibus egerunt pro more? ſevero & accurato examine eos explorantes, imò terrentes מאיימן, & gravi hortatu monentes ad veracitatem? [quod ſecundùm jus fieri oportuit, *Sanhed.* cap. 4.] De hac re ego plurimùm dubito.

VERS. 28. Ἀλλ' ἵνα φάγωσι τὸ Πάσχα.

I. Oſtendimus ad *Marc.* 14:12. comeſtionem agni Paſchalis nunquam tralatam fuiſſe à veſpera diei decimi quarti jam exeuntis, nec propter Sabbatum, imò nec propter immunditiam Congregationis: ita ut pluribus non opus ſit ad confirmandum, Judæos ipſo iſto tempore agnum ſuum comediſſe, quo & Chriſtus. Hoc tantùm adjiciamus. Supponatur eos domum *Pilati* introiiſſe, atque inde immunditiam contraxiſſe, ex tecto Ethnici, nonne immunditia iſta æſtimata fuit ſub prædicamento טבול יום? Si ita, tum lavare ſe potuerunt veſpere, & mundi eſſe ad comedendum agnum Paſchalem, ſi modò ille iſtâ veſperâ comedendus: aſt eum comederant veſperâ antecedente.

II. Τὸ Πάσχα igitur hic apud Euangeliſtam noſtrum, non agnum Paſchalem denotat, ſed *Chagigam* Paſchalem: de qua hæc pauca obſervemus.

I. *Deuter.* 16:2. וזבחת פסח, *Et ſacrificabis Paſcha Domino Deo tuo oves & boves.* Ubi R. Solom. *Oves* [*ſicut dicitur, De agnis aut hædis: boves*] *pro Chagigah.* Et R. Bechai in locum. *Oves* לחיוב פסח, *in debitum Paſchatis: boves* לשלמי חגיגה, *in ſacrificia Chagigæ.* Sic & R. Nachmanid, *Boves* לחוג חגיגה, *ad celebrationem Chagigæ.*

Peſachin, fol. 70. 2. צאן זה פסח, *Oves pro Paſchate*, בקר זו חגיגה, *Boves pro Chagigah.*

Gloſſ. ibi, pag. 1. *Nonne Paſcha eſt ſolùm de agnis aut hædis?* Exod. 12:5. *Si itâ, quare dicitur* בקר, *Boves? Ad adæquandum omne quod adhibetur ad Paſcha.* כמה פסח דבר שהוא חובה *Sicut Paſcha* [i.e. agnus Paſchalis] *eſt ex debito, & non fit niſi* מן החולין, *de pecoribus communibus:* [i.e. nec de primogeniis, nec decimis] *itâ & hoc* [de bobus] *eſt ex debito, & non niſi de communibus.*

Vide 2 *Paralip.* 30:24, &c. & 35:8,9.

II. *Chagigah* erat pro lætitia & exhilaratione: ſecundùm illud in *Deuter.* 16:14. *Et lætaberis in feſto tuo*, &c. Atque inde ſacrificia quæ in iſtum uſum parata ſunt, vocantur שלמי שמחה, *Sacrificia pacifica*, vel Euchariſtica *hilaritatis.*

III. Proprium tempus adducendæ Chagigæ, erat dies decimus quintus.

Aruch, in חג. *Edebant, bibebant & lætabantur, & ſacrificium Chagigæ ad quod adducendum tenebantur die decimo quinto*, vel die feſto, i.e. feſti primo, &c.

Erat quidem cum adducerent *Chagigas* die decimo quarto, ſed hoc non adeò uſitatum, & ſub certis conditionibus, de quibus,

Peſachin, fol. 89. 2. *Quandonam adducunt Chagigam cum agno?* בזמן שהוא בא בחול בטהרה ובמועט, *Quando venit in die alio hebdomadis, & non Sabbato; quando in munditia, & quando in parvitate.* Poſtremam clauſulam explicet Gloſſa, reliquas nos poſteà.

במועט, *Id eſt, ſi agnus ſit minus quàm quod ſatisfaciat toti ſocietati, tum parant Chagigam, & comedunt Chagigam primum, & deinde agnum*, &c.

Et ratio redditur à gloſſatore alio: *Nempe ut mediocriter ſatientur* ventres comedentium, antequàm incipiant comedere de agno, nam ſi famelici aggrederentur agnum, corpore minutum, illi autem numero multi, periculum eſſet, nè oſſa frangerent, dum eſurienter roderent.

Hujus & aliarum notionum ergô, reputant Magiſtri *Chagigam* diei decimi quarti, multis numeris non adeò abſolutam, ac diei decimi quinti, quorum diſcuſſiones producere foret prolixius. Hæc ſufficiant.

Peſachin, ubi antè. *R. Iſſai dicit: Chagigah diei decimi quarti non eſt de officio:* & aliquantum pòſt,

R. Eliezer dicit, Per ſacrificia pacifica, quæ mactant veſpere diei feſti, [primi] *non fungitur quiſquam officio ſuo, vel quoad lætitiam, vel quoad Chagigam.*

Et jam redeamus ad verba Euangeliſtæ.

III. Dies decimus quintus erat cum renuerent Patres Synedrii intrare Prætorium Pilati, nè polluerentur, quin quòd comedere poſſent Paſcha, hoc eſt *Chagigam.*

I. Cum vulgo loquitur Euangeliſta, cum eam vocat *Paſcha.*

Zevachin, fol. 7. 2. *Scriptum eſt, Obſerva menſem Abib*, ועשית פסח, *ut facias Paſcha.* שיהו כל עשיותיו לשם פסח, *Ut ſint omnia quæ facis ſub nomine Paſchæ.*

Menachoth, fol. 3. 1. עגל ופר ששחטן לשום פסח, *Vitulus & juvencus quem mactant nomine Paſchatis*, vel pro Paſchate. Nota illud, Vitulus eſt Paſcha, uti & agnus.

II. Seſe parant & aſtringunt hi Seniores ad comedendam *Chagigam* Paſchalem iſto die, quia dies inſequens erat Sabbatum: nam *Chagigah* non pepulit Sabbatum.

Peſachin, ubi antè. חגיגה אין דוחה את השבת, *Chagigah non pellit Sabbatum.* Atque inde illud quod protulimus antè, quòd

Sabbato

Digitized by Google

CAP. XVIII. VERS. 31.

Sabbato non erat adducenda *Chagigah*, ut nec in cauſa immunditiei, quippe quòd *Chagigah* & immunditics, quamvis pellerent Paſcha, non tamen pepulerunt Sabbatum.

VERS. 31. Ἡμῖν οὐκ ἔξεστιν ἀποκτεῖναι οὐδένα.

Num jocatur, aut iis irridet Pilatus, cùm dicit, *Accipite eum, & ſecundùm Legem veſtram judicate eum?* Non negandum eſt judicia capitalia adempta eſſe à Judæis quadraginta annis ante exciſionem urbis, prout ipſi affirmant frequentiſſimè: aſt unde iſta ademptio? Vulgò recipitur, Romanos jam Judæorum dominos, à Synedriis eorum abſtuliſſe poteſtatem & licentiam judicandi in capitalibus: de qua quæſtione fusè diximus ad *Matth.* 26: 3. Pauca hic adjiciamus.

I. *Avodah Zarah*, fol. 8. 2. *Rabb Cahna dicit, Cùm ægrotaret R. Iſmaël bar Joſe, miſerunt ad eum, dicentes, Dic nobis, ô domine, duo aut tria quæ aliquando dixiſti nobis nomine patris tui. Dicit iis, Centum & octoginta annis ante excidium Templi, dominabatur regnum impium* [Romanum] *Iſraëli. Octoginta annis ante excidium Templi* גזרו טמאה על ארץ העמים, *determinarunt*, [Patres Traditionum] *de immunditia terræ Ethnicorum, & circa vaſa vitrea. Quadraginta annis ante excidium Templi, migravit Synedrium, & ſedit in Tabernis. Quid ſibi vult hæc Traditio? Rabb Iſaac bar Abdimi dicit, Non judicarunt* דיני קנסות, *judicia mulctativa.*

Gloſſ. *Talia erant judicia, de mulctando inferentem vim, & allicientem virginem, & circa pretium ſervi---- Cùm ergo non ſederunt in Conclavi Gazith, non judicarunt de iis, & ſic ceſſarunt judicia iſta mulctativa.*

Sic perit pars una judiciariæ poteſtatis, non per Romanos abrepta, ſed quaſi è manibus decidens ipſius Synedrii. Nec à Romanis abrepta ab iis eſt poteſtas judicandi in capitalibus, ſed ipſi per oſcitantiam & ſtolidam ſuam lenitatem eam amiſerunt: nam ſic pergit Gemara.

Dicit Rabb Nachman bar Iſaac, Nè dicat quòd non judicarunt judicia mulctativa, ſed quòd non judicarunt judicia capitalia. Atque unde hoc? כיון דחזו דנפישי להו רוצחין ולא יכלי למידן, *Cùm viderent quòd ita multiplicarentur homicidæ, ut non poſſent eos judicare, dixerunt, Præſtat nobis ut migremus è loco ad locum,* כי היכי דלא לחייב, *Nam quomodo poſſumus* [hîc ſedentes, & non punientes eos] *reatum non nobis contrahere?*

Obligatos ſe exiſtimabant ad puniendum homicidas, dum ſederent in Conclavi Gazith: שהמקום גורם, *nam ipſe locus aſtrinxit:* verba ſunt Gemariſtarum: ſuper quæ Gloſſ. *Conclave Gazith erat ex dimidia parte intra Sanctum, ex dimidia extrà: & ratio erat, quia requiſitum erat, ut Synedrium ſederet prope divinam majeſtatem. Atque hinc eſt quòd dicunt, Quicunque inſtituit judicem non idoneum, eſt ac ſi plantaret lucum juxta altare Domini: ſicut ſcriptum eſt, Judices & officiarios ſtatues tibi; atque illico ſequitur, Non plantabis tibi lucum juxta altare Domini*, Deuter. 16: 18, 21. *Migrarunt igitur è Gazith, & ſederunt in Tabernis: nam quamvis Tabernæ forent in monte Templi, aſt illic non ſederunt tam prope divinam majeſtatem, ac in Conclavi Gazith.*

Rem totam ordine compingamus.

I. Stolidiſſima erat lenitas Synedrii circa judicia capitalia, idque hâc præcipuè ratione, quia horrendum erat morte plectere Iſraëlitam. Vah! ille eſt de ſemine Abrahami, de ſanguine Iſraelis, nequaquam ille aſperè tangendus.

Bava Mezia, fol. 83. 2. *R. Eliezar b. R. Simeon, prehendit fures. Miſit ad eum R. Joshua ben Korchah, dicens,* חמץ בן יין, *O acetum fili vini*, [i. e. ô fili nequam boni patris] *quouſque tu tradis populum Dei noſtri ad occiſionem. Reſpondit ille,* מכלה קוצים מן הכרם, *Ego eradico ſentes è vinea. Cui alter, Veniat ipſe Dominus vineæ, atque ipſe eradicet.* Nota, fures Iſraëlitici ſunt populus Dei, oh! noli tangere, ſed refer eos ad judicium Dei.

Fol. 84. 1. Cùm R. Iſmaël b. R. Joſe conſtitueretur magiſtratus a Rege, *occurrit tale quid ei; nam reprehendit eum ipſe Elias, dicens, Quouſque tu tradis populum Dei noſtri ad occiſionem?*

Hinc illud quod & adduximus alibi.

Maccoth, fol. 7. 1. *Synedrium à quo vel unus morte plectitur intra ſeptennium, vocatur Deſtructorium. R. Eliazar ben Azariah dicit, Imò, à quo vel unus intra ſeptuaginta annos.*

II. Nemo non promptè conceperit ex fatua hac lenitate, & laxatione habenarum judicii, creſcere velle numerum latronum, homicidarum, atque omnimodæ nequitiæ: crevitque eò uſque, ut nec poſſet, nec auderet Synedrium, ſicut oportuit, de hiſce flagitiis animadvertere. Silent leges inter ſcelera, & de juſtitia punitiva adeo eſt conclamatum, ut nec de homicidiis incertis habeatur ſcrutinium, nec de certis judicium.

Sotah, fol. 47. 1. *Ex quo multiplicati ſunt homicidæ, ceſſavit decapitatio vaccæ:* & loco ante citato in

Avodah, fol. 8. 2. *Cùm viderent quòd adeò multiplicati erant homicidæ, ut non poſſent eos judicare, dixerunt, Diſcedamus*, &c.

Sic & in cauſa adulterii, quod & obſervavimus ad *Cap.* 8.

Digitized by Google

CAP. XVIII. VERS. 31.

Maimon. in *Sotah*, cap. 3. *Ex quo multiplicati ſunt adulteri palam ſub Templo ſecundo, diſſolvit Synedrium probationem adulteræ per aquas amaras*, &c.

Non magis itaque ablata ſunt judicia capitalia à Synedrio per Romanos, quàm ablata eſt decapitatio vaccæ per Romanos, aut ablata exploratio uxoris ſuſpectæ per Romanos: quod nemo dixerit. Quinimò,

III. Cùm viderent Patres Synedrii inane eſſe contendere contra illuviem & inundationem maleficiorum ingruentium & graſſantium, & quòd contra ea authoritate ſuâ valere non poſſent, nec, prout æquum erat, judicare, determinant de non judicando: & cùm ſe aſtrictos opinarentur ab ipſa majeſtate loci, dum conſiderent in *Conclavi Gazith*, [in ipſo Atrio Iſraëlis coram altari] ad judicandum ſecundùm authoritatem loci; jam verò ità facere non poſſent ob ſuperbientes nequitias, excuſſerunt ſe è Conclavi iſto, & receſſerunt in Tabernas in Atrio Gentium, & exinde in loca alia, de quibus mentio in *Rosh hashanah*, fol. 31. 1.

IV. An redierint unquam ad Conclave Gazith, ſi quæritur, affirmativum tuetur Gloſſa in

Avodah Zarah, fol. 8. 2. *Cùm pro tempore viderent neceſſarium eſſe, contulerunt ſe ad iſtud Conclave.* Eadem habes etiam in *Chetubb.* fol. 30. 1. ſuper hanc Traditionem.

Traditio R. Chaiæ, A die quo exciſum eſt Templum, quamvis ceſſarit Synedrium, tamen non ceſſarunt quatuor mortes, [quæ erant à Synedrio infligendæ.] *Nam qui reus erat lapidationis, aut ille decidit de tecto, aut beſtia aliqua eum dilaceravit: qui reus erat combuſtionis, aut cecidit in aliquod incendium, aut ſerpens aliquis eum momordit: qui reus occiſionis,* [per gladium] *aut traditus eſt regno Ethnico, aut latrones invaſerunt eum: qui reus ſtrangulationis, aut ſubmerſus eſt in aliquo fluvio, aut ſuffocatus eſt anginâ.*

Objicitur, Quare dicitur *A die quo exciſum eſt Templum*, & non dicitur *Quadraginta annis ante excidium Templi?* Reſpondet Gloſſ. *Aliquando pro neceſſitate temporis rediit Synedrium ad Conclave Gazith*, &c. Aſt excipit ומשום דיני נפשות ברציחה לא היו חוזרין לעולם, *Verùm ad judicia capitalia in cauſa homicidii, redierunt nunquam: nam ratio migrationis erat propter homicidia, quia viderunt quod multiplicati fuerunt homicidæ*, &c.

V. Dum non ſederet Synedrium magnum in Conclavi *Gazith*, extincta ſunt judicia de capite in omnibus aliis Synedriis.

Gloſſ. una. *Non judicarunt de capitalibus in Synedriis inferioribus in aliqua civitate, niſi dum ſederet Synedrium magnum in Conclavi Gazith.*

Alia. *Quo tempore ſedit Synedrium magnum in loco ſuo, ut oportuit, juxta altare, tunc judices conſtitues in omnibus portis tuis, ad judicandum in capitalibus: at cùm receſſit Synedrium magnum, ceſſarunt omnia judicia capitalia.*

VI. Migravit Synedrium à *Gazith*, ut vidimus, quadraginta annis ante excidium urbis: atque ipſiſſimum idem eſt, quod dicitur, quòd *Quadraginta annis ante excidium urbis, ablata ſunt judicia de capite.* Et jam tu judica, ô lector, de ratione ablationis, quòd Romani non in cauſa fuerint, ſed ipſi Judæi, atque ipſum Synedrium. Cùm recederet illud à Conclavi *Gazith*, evanuerunt iſta judicia: & cur recederet, videmus planè, ipſis Judæis enarrantibus. Non diſputabimus de initio horum 40. annorum: [inchoaverim ego à ſeſquianno ante mortem Salvatoris.] Non aliò referenda ſunt verba præſentia Synedrii ad Pilatum, quàm ad iſtam rationem de qua egimus: Ἡμῖν οὐκ ἔξεστιν ἀποκτεῖναι οὐδένα. Et quare tandem, ô Patres? Quia neceſſitate coacti, receſſimus à Conclavi Gazith, ubi ſi non ſedeamus, judicari de capitalibus non poteſt, vel à nobis, vel ab ullo alio Synedrio.

At quânam neceſſitate coacti? Quia ità multiplicati ſunt homicidæ, ac eò audaciæ creverunt, ut nec poſſimus, nec audeamus de iis animadvertere, quòd, ſi ibi ſedeamus, ipſa majeſtas loci à nobis efflagitat.

Notandum eſt illud apud Euangeliſtas, quòd cùm noctu examen Chriſti habuerant in aula Cajaphæ, manè congregatum eſt totum Synedrium, ut de morte ejus ſententiam ferant. Aſt ubinam illud? In Gazith abſque dubio, ſi propriis Canonibus atque inſtitutis adhæſerint. *Eò ſe receperunt aliquando urgente neceſſitate*, ait Gloſſa ante citata, *exceptâ ſolùm cauſâ homicidii*, cujus reatûs Jeſus non poſtulabatur.

Aut eſto, conventum & conceſſum ab iis fuiſſe in Tabernis, vel in loco aliquo alio: (quod quidem cum Traditione ſua minimè convenit) num veraciter, &, ut res erat, cum Pilato agunt, cum dicunt, Ἡμῖν οὐκ ἔξεστιν ἀποκτεῖναι οὐδένα? Dixerat ille, *Accipite illum, & ſecundùm Legem veſtram judicate eum.* Judicavimus quidem, ſed non poſſumus eum, vel quemvis alium morte afficere. Num hæc reverà vera? Unde igitur lapidatio protomartyris Stephani? Unde etiam lapidatio Ben Sarda in Lydda? *Hieroſ. Sanhedr.* fol. 25. 4. Vivicomburium filiæ Sacerdotis ſcortantis? *Babyl. Sanhedr.* fol. 52. 1. *Juchaſ.* fol. 51. 1.

Probabile eſt eos neminem, ex quo migraverant à Gazith, adhuc morte mulctaſſe; unde Pilato perſuadere de ea re erat facilius. Saltem odium trucidationis Chriſti à ſe amoliri ambiunt quantum poſſunt, & turbam timentes, ſi ipſi trucidarent, evaſionem hanc quæ,

Digitized by Google

CAP. XVIII. VERS. 38. CAP. XIX. VERS. 2, 13.

quæ aliquo quidem colore veritatis non penitus caruit, ſibi quærunt; & pro voto iis ſuccedit, divinâ providentia ſic diſponente, ut innuit Euangeliſta, *verſ.* 32. *Ut ſermo Jeſu impleretur, quem dixerat, ſignificans quâ morte erat moriturus.* Crucifixione ſcil. morte Romanâ.

Dum hæc cogito, ſubit illud, quo nihil in beſtiæ Romanæ deſcriptione Apocalypticâ notatu dignius. *Draco dedit poteſtatem ſuam beſtiæ, Apocal.* 13:4. Non ità dixeris de imperio Aſſyriaco Babylonico, aut quovis alio, nam non ità dicit Scriptura. Et dictat ratio, & docet eventus, aliquid patratum fuiſſe à Roma pro Dracone, quod non ab aliis imperiis: viz. interemptionem Filii Dei. Quam rem obſervare habemus, quotieſcunque clauſulam iſtam Symboli noſtri recitamus, *Paſſus eſt ſub Pontio Pilato*, id eſt, Interfectus eſt ab imperio Romano.

VERS. 38. Τί ἐστιν ἀλήθεια.

Dixerat Chriſtus, *Ad hoc veni in mundum, ut teſtimonium perhibeam veritati.* Quaſi dicat, Non negabo me eſſe Regem, ſicut tu dicis; nam ad hoc veni in mundum, ut atteſtarer veritati, occurrat quodcunque periculi occurrere poteſt. Cui Pilatus, *Quid eſt veritas?* id eſt, Quiſnam eſt verus hujus rei ſtatus, quòd tu tam pauper dicas te Regem; & dicas te Regem, & tamen non de hoc mundo? Quænam eſt medulla, & verus ſenſus rei tam ænigmaticæ?

Aut eſto, quòd Chriſtus, cùm diceret, *ut atteſtarer veritati*, per *veritatem* intellexiſſe generaliter Euangelium; quærit Pilatus, qualiſnam illa veritas? At ſilet Euangeliſta, an ad iſtam quæſtionem reſponderit Chriſtus, an Pilatus reſponſum ſit moratus.

C A P. XIX.

VERS. 2. Πλέξαντες στέφανον ἐξ ἀκανθῶν, &c.

INdicium indubitatum quòd regnum ejus non de terra, cùm coronetur tantùm *ſpinis & tribulis*, maledictione terræ, *Geneſ.* 3:18.

Purpuream veſtem induerat ei Herodes, *Luc.* 23:11. & milites coronam hanc addunt: atque illos etiam ei purpuream veſtem induiſſe dicitur pariter, id eſt, nudato ante illo, ut flagellaretur.

VERS. 13. Εἰς τόπον λεγόμενον Λιθόστρωτον.

Quidnam eſt quod objiciatur, ſi dixerit quis quòd Euangeliſta per hunc titulum intellexerit *Conclave Gazith*, ubi ſedes Synedrii? Et quod cùm Judæi nollent ire in Prætorium Pilati, (& nonne tribunal ejus in Prætorio?) ipſe iverit in Prætorium & tribunal eorum?

CAP. XIX. VERS. 13.

Refert Ariſtæas, quòd *Templum ſpectavit ad ortum, poſterioribus ejus ad occaſum tendentibus,* τὸ δὲ πᾶν ἔδαφος λιθόστρωτον καθέστηκε, *& totum pavimentum erat lapidibus conſtratum:* cui atteſtantur Talmudici, & ſpeciatim de pavimento, *Joſephus* memorabili hiſtoria.

De excidio, lib. 6. cap. 7. *Julianus* quidam in exercitu *Titi* Centurio, Judæos in Atrio Templi ſtupendâ audaciâ & ſtrenuitate proſequens & occidens, habens autem in calceis ſuis clavos frequentes & acutos fixos, ὥσπερ τῶν ἄλλων στρατιωτῶν ἕκαστος, *prout habuit miles unuſquiſque,* καὶ κατὰ λιθοστρώτου τρέχων, *per pavimentum lapidibus conſtratum currens, labitur & cadit ſupinus*, &c.

At nonne *Conclave Gazith* habuit pavimentum lapidibus ſtratum modo accuratiori & nobiliori? Unde aliter ejus nomen?

Dictum eſt לשכת גזית, *Conclave Gazith*, inquit Aruch, *quia ſtructum fuit lapidibus dolatis.* Nonne & ità etiam reliqua Conclavia?

In *Bava Mezia*, fol. 117. 2. & *Bathra*, fol. 2. 1. diſtinguunt inter גויל, & גזית, & כפיסין, & לבינין, *Lapides rudes, & dolatos, & ſemilateres, & lateres.* Jam ergò cùm plurima fuerint Conclavia circum Atria, num illa ex lapidibus rudibus, aut lateribus ſtructa, hoc autem ſolum ex lapidibus dolatis? Magis uniformis procul omni dubio erat tota ſtructura. Et tum probabiliorem rationem vix excogitaveris, quare locus iſte præ omnibus aliis dictus fuerit *Gazith*, quàm à pavimento lapidibus dolatis ſtrato modo accuratiori. Quidnam igitur vetat, quominus per Λιθόστρωτον hoc in loco intelligatur iſte locus?

Object. Conclave *Gazith* erat in loco ſancto, & non licitum *Pilato* Ethnico illuc ingredi.

Reſp. I. At ſi per vim vellet, quis reſtiterit?

II. Quæro, an ille non potuerit in *Conclavi Gazith* ſedere, & tamen non eſſe extra limites *Atrii Gentium*, in quod ingredi licuit Gentili? Pars quidem dimidia iſtius Conclavis erat in Atrio Iſraëlis; aſt in iſta parte ipſi Patres Synedrii non ſederunt, quia non licitum erat cuiquam in iſto Atrio ſedere, niſi Regi ſoli. Dimidia autem altera pars in qua ſederunt, erat in *Chel*, & protenſa, ut videtur, ulterius in Atrium Gentium. Nam ſi חל, vel intermurali foret latitudine decem tantum cubitorum, ut *Middoth*, cap. 2. hal. 3. arctum & contractum nimis erat illud ſpatium, ad ſeſſionem Septuaginta virorum, ſi Conclave non extenderit ſe aliquantum in Atrium Gentium.

CAP. XIX. VERS. 31.

Iſraëlitæ, & plurima eſſent ſacrificia, decinerarunt altare à vigilia prima. ולא היתה קריאת גבר מגעת עד שהיתה עזרה מלאה מישראל, Nam *priuſquàm foret Gallicinium, repletum eſt Atrium Iſraëlitis.* Non vereor enim reddere קריאת גבר, *Gallicinium*, quamvis in ipſiſſimo loco allegato diſputetur, an denotet *Gallicinium*, an proclamationem τȣ̃ *Sagan*, vel Præfecti Templi: iſtam ſcil. de qua mentio,

Ibid. fol. 28. 1. *Dicit iis Præfectus, Ite, & videte num appropinquet tempus mactandi victimas. Si adeſſet tempus, ille qui conſpectum miſſus, reſpondit, Luceſſit*, &c.

Si hoc ſenſu intelligenda eſſet phraſiologia קריאת גבר, vides tamen populum congregatum in Atrio ante lucem auroræ: at non dubito, quin quòd denotet *Gallicinium*, quod pluribus firmari poſſet, ſi eſſet locus. Et congregatio populi in Atrium tam citò manè, diebus hiſce feſtis, erat hâc ratione, quia die primo feſti offerenda erant innumera ſacrificia pacifica (שלמים) pro *Hagigis*, & die ſecundo innumera etiam holocauſta pro comparitione.

Verum eſt non mactatas eſſe victimas ante lucem auroræ; aſt ante mactationem, benè ſupponas pecudes mactandas ſubiiſſe examen τȣ̃ *Mumcheh*, vel quorundam qui in iſtud munus deputati ſunt, ut ſcrutarentur pecudes ſacrificandas, an ſine labe, atque altari idoneæ forent, necne. Hinc conventum in Atrio, & adducta ſacrificia tam citò manè. Et jam ſubeat animum tuum, *Annas Sagan*, vel Præfectus. Nonne ille etiam in Templo multo mane, ut de rebus ibi agendis provideat & curet? Recordare illud anteà allatum, *Dicit eis Præfectus, Ite, & videte num ſit tempus mactandi*, id eſt, num appareat aurora. Atque hinc forſitan rationem colligas, cur *Annas* non fuerit cum reliquis in aula *Cajaphæ*, & cur ad eum adducatur Salvator antequàm ad illos, quia negotia ejus in Templo non permiſerunt eum cum aliis ſedere, & voluerunt *Jeſum* coram eo ſiſtere, antequàm ille in Templum concederet ad munus ſuum.

Cùm afforet tempus, mactata ſunt ſacrificia iſta deſtinata pro Hagigis: & illa de iis quæ pertinuerunt ad altare, aut ad Sacerdotem, eò ceſſerunt; reliquum beſtiæ ceſſit offerentibus, unde inſtitutæ convivationes, & ſuper eas lætitiæ & exhilarationes pro more feſti.

Erat hæc Παρασκευὴ τȣ̃ Πάσχα, *verſ.* 14. atque erat illud, Πάσχα iſtud cui ſe reſervantes Seniores Synedrii, noluerunt intrare Prætorium, *Cap.* 28:28.

II. Inclinanti in noctem die iſto, exierunt illi qui deputati erant à Synedrio ad demetendum manipulum primitialem.

Menachoth, fol. 65. 1. *Deputati à Synedrio ad metendum, prodierunt* מערב יום טוב *Veſperâ diei feſti,* (primi) *& conſtrinxerunt ſegetes in manipulos propè à terra, ut meſſio eſſet facilis. Omnes urbes quæ in vicino erant, congregatæ eò erant, ut meſſio fieret majori cum pompa. Cùm jam inciperet tenebreſcere, dicit ille qui meſſurus, Sol occidit, & reſponſum eſt Benè: Sol occidit, & reſponſum eſt Benè: Falce hâc, & illi, Benè: Falce hâc, & illi, Benè: In caniſtro hoc, & illi, Benè: In caniſtro hoc, & illi, Benè. Et ſi Sabbatum foret, Dicit ille, Hoc Sabbato, & illi, Benè: Hoc Sabbato, & illi, Benè: Metam, & illi, Mete: Metam, & illi, Mete: & ſic ille ter hæc omnia, & reſponderunt illi ter ad omnia, Benè, Benè, Benè. Atque omne hoc propter Baithuſæos, qui dixerunt, Non eſt meſſio manipuli exeunte die feſto.*

CAP. XIX. VERS. 31, 34.

Circa illam ergò diei horam, quo ſepultus eſt Salvator, prodierunt ad hanc meſſionem; & cùm ingreſſum jam eſſet Sabbatum, meſſuerunt: nam hoc opus pepulit Sabbatum.

Ibid. fol. 63. 2. *R. Ananias Sagan Sacerdotum dicit, Sabbato metebatur manipulus, in Seam tantùm unam, & falce unâ, & in caniſtro uno: at die communi, in Seas tres, falcibus tribus, & in caniſtris tribus. At Sapientes dicunt, Dies alii, & dies Sabbati, quoad hoc ſunt pares*, &c.

III. Hâc nocte pernoctandum erat in Hieroſolyma, aut in tentoriis circa urbem fixis, intra limites Sabbaticos.

Manè iterùm conventum in Atrio multo mane, ut die præcedente, & allata ſacrificia pro comparitione populi coram Deo: & manipulus tempore ſuo oblatus: cujus oblationis ritus deſcribitur in Tractatu anteà allegato. Sic in hunc diem coinciderunt tria ſolennia, Sabbatum, Manipulus, & ראיה, Comparitio populi in Atrio ſecundùm mandatum, *Exod.* 23.

VERS. 34. *Λόγχῃ αὐτȣ̃ τὴν πλευρὰν ἔνυξε.*

Arabs editionis *Erpenianæ*, addit vocabulum אלאימן, Fodit latus ejus *dextrum*: veritus, ut videtur, nè res non videretur ſatis miraculoſa, ſi effluxio ſanguinis & aquæ ſupponeretur è latere ſiniſtro, propter aquam illam quæ dicitur contineri in Περικαρδίῳ: quo penetrato, naturaliter, ut concipitur, non effluere non potuit aqua cum ſanguine. Aſt myſterium ſapuit hæc effluxio, potiùs quàm naturam: & ſi præternaturale quid in ea non fuiſſet, vix credo Euangeliſtam, triplicatam illam aſſeverationem de veritate rei, adhibuiſſe velle, *Καὶ ὁ ἑωρακὼς μεμαρτύρηκε*, &c.

Ἐξῆλθεν αἷμα καὶ ὕδωρ.

Dicitur vulgò, quòd effluxerunt duo Sacramenta

Digitized by Google

CAP. XIX. VERS. 34.

cramenta novi fœderis: dicerem ego potiùs, quòd emanavit antytipus veteris.

I. Docet nos Apoſtolus, pactionem veteris fœderis fuiſſe *in ſanguine & aqua*, Hebr. 9:19. *Moſes accepit ſanguinem vitulorum & hædorum cum aqua*, &c. De aqua quidem apud *Moſen* mentio nulla, *Exod.* 24. aſt Apoſtolus ad Hebræos ſcribens, non loquitur abſque authoritate ſua, cui illi non potuerunt contradicere. Et aut labitur memoria mea, aut legi alicubi apud ſcriptores Hebræos, ſed infœliciter excidit locus, quòd cùm mora aliqua interponenda erat inter mactationem victimæ, & ſparſionem ſanguinis ſuper altare, (qualis erat mora dum Moſes legeret articulos fœderis) commiſcuerunt aquam cum ſanguine, nè congeleſceret aut coagularetur. At ſufficit authoritas Apoſtoli dicentis, & docentis quòd fœdus vetus pactum eſt *in ſanguine & aqua*: cujus antitypus clariſſimè hìc elucet in pactione & conſignatione novi: atque hinc eſt quòd Euangeliſta tam ferventer veritatem hujus rei aſſeveret, nempe quia tam planè reſpondit typo, & demonſtravit adimpletionem typi.

II. Præterire nullo modo poſſumus illud in

Shemoth Rabba, fol. 122. 1. *Et percuſſit petram*, ויזובו מים, *Et effluxerunt aquæ*, Pſalm. 78: 20. יאין יזובו אלא לשון דם *At vox* יזובו, *nihil aliud denotat quàm ſanguinem, ſicut dicitur*, אשה כי יזוב זוב דמה, *Fæmina cujus fluxerit fluxus ſanguinis*, Levit. 15: 20. *Percuſſit ergò Moſes petram bis, & produxit primò ſanguinem, & poſteà aquam.*

Petra erat Chriſtus, 1 *Cor.* 10:4. Et confer hæc duo: Percuſſit Moſes petram, & effluxit ſanguis & aqua, dicit Judæus: Percuſſit miles lanceâ Chriſtum, & effluxit ſanguis & aqua, dicit Euangeliſta.

Aſſeverationem ſuam concludit ille, Ἵνα ὑμεῖς πιςεύσητε. Non ſine pondere eſt quod vulgò obſervatur, nempe per hanc effluxionem ſanguinis & aquæ è latere Chriſti, plenam fidem fieri mortis ejus, rupto περικαρδίῳ: at vix arbitror Euangeliſtam eò in clauſula iſta reſpexiſſe: nam num hoc voluit, Ille qui vidit, teſtatur, & ſcit ſe vera dicere, ut vos credatis Jeſum eſſe reverà mortuum? Non opus habuit iſta res tam ardenti aſſeveratione. Sed aliquid aliud abſque dubio innuitur, nempe ut vos credatis hunc eſſe verum ſanguinem fœderis, qui ità reſpondet typo in pactione fœderis primi. Nec arbitror ego, aquam quæ effluxit, ipſam ſolùm fuiſſe quam continuit περικάρδιον, ſed ſupernaturale quid in hac re fuiſſe.

CAP. XIX. VERS. 36, 37.

VERS. 36. Ὀςοῦν οὐ συντριβήσεται αὐτοῦ.

Referri hæc poſſent ad *Pſalm.* 34:20. ſed uſitatiùs referuntur ab Interpretibus ad legem iſtam de agno Paſchali, *Exod.* 12:46. Nam *Chriſtus eſt Paſcha noſtrum*, 1 Cor. 5:7.

Peſachin, fol. 84. 1. *Si quis fregerit os Paſchatis, vapulet quadraginta plagis.*

Ibid. fol. 83. 1. *Oſſa, nervi, & quod reſtat de carne, comburantur die decimo ſexto. Si verò inciderit Sabbatum in diem decimum ſextum*, (quod hoc anno quo Chriſtus crucifixus, evenit) *tum comburantur die decimo ſeptimo: nam non pellunt Sabbatum, nec diem feſtum.*

VERS. 37. Ὄψονται εἰς ὃν ἐξεκέντησαν.

Obſervatur ab omnibus, ut varietur verſio Græcorum Interpretum in loco *Zachariæ*, unde hæc deſumuntur. Nam illi, Ἐπιβλέψονται πρός με, ἀνθ᾽ ὧν κατωρχήσαντο, *Et aſpicient in me pro eo quod inſultaverunt.* Sic editio Romana, & non aliter aliæ nonnullæ. Unde

Quæritur, an Interpretes ità verterint; an non hæc fuerit interpolatio?

Ut omittamus teſtimonia veterum, qui LXX. Interpretibus eam aſcribunt, obſervemus hæc duo.

I. Non inuſitatum eſſe Græcis Interpretibus, in interpretatione ſua, favere aliquando Traditionibus Judaicis, aliquando communi interpretationi gentis. Utriuſque rei non deſunt exempla frequentia: cum poſteriori nobis jam res eſt, cujus pauca hæc exempla habe vice plurium.

Quare tandem iis ſunt *Caphtorim* Καππάδοκες, & *Caphtor* Καππαδοκία, *Deuter.* 2:23? niſi quòd *Peluſiotæ* & *Peluſium* vulgò à Judæis ità vocarentur.

Quis dixerit quânam ratione dicatur ab Interpretibus de Eli, quòd ἔκρινε τὸν Ἰσραὴλ εἴκοσι ἔτη, 1 *Sam.* 4: 18. cùm in fonte ſit *Quadraginta annis?* Niſi quòd faveant communi commento gentis, quòd per viginti annos poſt mortem *Samſonis*, metuerint Philiſtæi *Samſonem*, ac ſi ille adhuc viveret, & judicaret Iſraëlem.

Hujus generis eſt illud quod reddunt בר per παιδείαν, *Pſalm.* 2: 12. Et eâdem ratione parum dubito adhibitam ab iis κατωρχήσαντο, loco quem jam tractamus. Nam

II. Paraphraſtes Chaldæus ſic verba reddit, יעלדי אטלטלו, *Rogabunt à facie mea, quoniam tranſlati ſunt.* Quem R. *Solom.* ſic interpretatur. *Reſpicient ad lugendum, quoniam Gentiles transfixerunt quoſdam ex iis, atque interfecerunt in captivitate ſua.*

Quæ adeò conveniunt cum ſenſu verſionis Græcæ,

CAP. XVI. VERS. 11, 12.

juſtitiæ damnanti, nam perſolvit infinitam. Hoc erat præcipuum & maximum opus peragendum à Chriſto pro Patre, ut perſolveret talem obedientiam & juſtitiam: & hæc juſtitia eſt magnum & nobile thema, & ſubjectum doctrinæ Euangelicæ, *Rom.* 1: 17. & de ea neceſſario & primariò erudiendus erat mundus, & in gloriam juſtificantis, & in manifeſtationem veræ doctrinæ Juſtificationis. Jam ergò planè argui potuit de hac juſtitia, ex hoc, quòd Chriſtus rediret ad Patrem, quod facere non potuiſſet, niſi perfecto opere ad quod præſtandum fuerat miſſus.

II. Non ſine ratione additur, *Et vos me non videtis ampliùs:* i. e. Quamvis vos mihi amiciſſimi, conjunctiſſimi, tamen præſentiâ meâ non fruemini ampliùs: unde argui poteſt quòd merito meo fruimini; præſertim verò cum vos videat mundus donis Spiritûs mei ità locupletatos.

VERS. 11. Περὶ δὲ κρίσεως, ὅτι ὁ Ἄρχων, &c.

Judicatum fuiſſe Diabolum, benè notum, cùm Salvator eum devicerit per obedientiam mortis ſuæ, *Hebr.* 2: 14. Atque indicium primum iſtius judicii & victoriæ erat, cùm Chriſtus à mortuis reſurgeret: proximum, cùm Gentiles è carcere Satanæ liberaret, per Euangelium, eumque ipſum carceri manciparet, ut *Apocal.* 20: 1, 2. qui locus in hæc verba optimè commentatur.

Utrumque arguit planè, Chriſtum judicaturum totum mundum, nempe omnes in ipſum non credentes, cùm jam judicaverit Principem mundi. Atque hìc in mentem revocaveris ſententiam Judæorum de Judicio ſub *Meſſia:* ipſum non omninò judicaturum Iſraëlem, ſed Gentiles ſolùm; imo Iſraëlitas potiùs judicaturos Gentiles, quàm ipſos eſſe judicandos: at qui judicavit Principem hujus mundi, authorem infidelitatis, judicabit etiam omnes infideles.

VERS. 12. Οὐ δύνασθε βαστάζειν ἄρτι.

Talia erant, inſtitutio Sabbati Chriſtiani, & abolitio Judaici, [cujus rei rationem & fundamentum, reſurrectionem ſcil. Chriſti, adhuc non cognoverunt] rejectio gentis Judaicæ, cùm illi expectarent regnum reſtituendum Iſraëli, *Actor.* 1: 6. totalis antiquatio rerum Moſaicarum, introductio omnium gentium, & alia pertinentia ad regnum Dei, *Actor.* 1: 3. Nam quamvis ille planè locutus fuerat de excidio Hieroſolymæ, *Matth.* 24. quæri tamen poteſt, an illi *rejectionem gentis* etiam intellexerint: an intellexerint omnia Moſaica abolenda, quamvis ille aliquid in rem talem obſcurè inſinuaverat, &c.

CAP. XVI. VERS. 13, 16, 24.

VERS. 13. Ὅσα ἂν ἀκούσῃ, λαλήσει.

Et mox, ἐκ τοῦ ἐμοῦ λήψεται, *verſ.* 14. Dictum eſt primùm ſecundum dialectum & morem gentis, ut loquatur ad captum. אם שמעו אומרים, *Si audierunt, docent, Sanhed.* cap. 11. hal. 2. Ubi ſermo eſt de judice in Synedrio inferiori, conſulente ſuperiora Synedria: primùm triumviralia; & *ſi illi audierunt, docent*; ſin minùs, pergit ad ſupremum.

Poſterius concipi poteſt ſumptum ex *Eſaj.* 11: 2. præſertim ſi λήψεται ſit idem quod יקח: ſi verò Salvator ſenſum vocabuli protulerit per יקבל, & in eo etiam morem loquendi ſecutus eſt familiarem, & vulgo notum. Et videtur quòd in hunc ſenſum inclinavit, quia non dicit λήψεται, καὶ δώσει, ſed λήψεται, καὶ ἀναγγελεῖ: quod Judæus intelligeret יקבל מן תלמודי, *Accipiet de doctrina*, aut inſtructione mea. Nam Spiritus miſſus eſt à Filio inſtructor, ſicut Filius à Patre redemptor.

VERS. 16. Καὶ ὄψεσθέ με, ὅτι ἐγὼ ὑπάγω πρὸς τὸν πατέρα.

Non videbitis me, quia vado ad Patrem; & videbitis me, quia vado ad Patrem: i. e. Non videbitis me perſonaliter, ſed videbitis me virtualiter, aut operativè. Non viderunt quidem eum, cùm lateret in ſepulchro; at viderunt iterùm, cùm reſurrexerat. Sed hoc ſenſu ego quæro, an verba hæc ſint ſumenda, quanquam ſit veriſſimus, quia ſic duriuſculè ſonaret, Videbitis me, *quia* vado ad Patrem: ſed intellexerim potiùs de aſcenſu ejus in cœlum, poſt quem non viderunt eum ampliùs, ſed viderunt tamen in influxu ſuo & largitione Spiritûs. Quò congruunt optimè iſta quæ ſequuntur, *In illo die non interrogabitis me quicquam.* [prout jam interrogaturi eratis, *verſ.* 19.] Petite à Patre in nomine meo, atque ille omnia revelabit vobis de quibuſcunque petieritis.

VERS. 24. Ἕως ἄρτι οὐκ ᾐτήσατε οὐδὲν ἐν τῷ ὀνόματί μου.

Intellige hæc de donis Spiritûs extraordinariis, & facilia ſunt omnia. Orarunt omnes fideles in nomine *Meſſiæ*; & cùm hi *Jeſum* agnoſcerent *Meſſiam*, orarunt in nomine *Jeſu Meſſiæ*. At huc uſque nihil extraordinarium petierant in nomine *Jeſu:* non virtutem edendi miracula, non revelationem myſteriorum, & futurorum, non Spiritum Prophetiæ, &c.

nam

Digitized by Google

p. nam non neceſſe iis adhuc erat hæc petere in
III. ejus nomine, cùm ipſe præſens foret qui hæc
IS. I. exhiberet pro eorum neceſſitate: aſt à modò, cùm ille abſens, quodcunque horum petierint in nomine ejus, Pater donabit. Commentatur optimè in hæc verba illud *Actor*. 4: 29, 30. Talia petite, cùm opus fuerit, in nomine meo, & quodcunque petieritis, accipietis, ut gaudium veſtrum ſit plenum, cùm videatis mè etiam à vobis abſentem, tamen a vobis non abeſſe.

Illa quæ & hîc, & alibi in ſermonibus Chriſti, Scholaſticam ventilationem ſubeunt, Scholis relinquimus: & plurima omittimus, de quibus plurima dici poſſent, quia ab aliis jam ſunt dicta. Animi & penſi noſtri fuit, pauca notare, quæ vel non ab aliis notata, vel non ubique obvia. Memores tituli hujus opuſculi, *Horæ Hebraicæ & Talmudicæ*, in diſputationes Theologicas & Scholaſticas parciùs exſpatiamur.

C A P. XVIII.

VERS. I. Πέραν τοῦ χειμάῤῥου τῶν Κέδρων.

LItigatur circa articulum pluralem τῶν, & circa accentum in Κέδρων: idque ſub hac notione, nè conciperetur relationem aliquam eſſe ad Cedros: quo conceptu deceptus eſt non nemo, dum commentatur, *Dicitur torrens Cedron, id eſt, Cedrorum ibi creſcentium*. Sic & Arabs hoc in loco, עבר וארי אלארז, *Trans torrentem Cedri*. At 2 *Sam*. 15: 23. & 1 *Reg*. 2: 37. retinet vocem קדרון.

Apud Talmudicos קדר ſignificat *ſtercus*.

Shabb. fol. 33. 1. נפישי קטילי קדר מכפיחי כפן. Ubi Gloſſa reddit קדר per נקבים, *Exoneratio alvi*. Aruch per רעי, *ſtercus*: & ſenſus clauſulæ eſt, *Plures moriuntur ex non congrua exoneratione ventris, quàm ex fame*.

Non dixerim vocem קדר iſto ſenſu adhibitam fuiſſe in primæva denominatione torrentis *Kidron*: quin potiùs quòd ſic dictus fuerit torrens ob *nigrorem*, aquis ſcilicet ejus fimo & cœno atratis: nam erat revera potiùs Cloaca urbis, quàm fluviolus. At cum קדר in uſu eſſet etiam pro *ſtercore*, quod eſſe potuit, cùm exararetur verſio Græca, forſan Interpretes iſti, vocabulum iſtud Hebræum in Græcum tranſtulerunt, quod iis non infrequens, ita ut Χειμάῤῥου τῶν Κέδρων idem iis ſit quod נחל קדרון.

Ὅπου ἦν κῆπος.

Hortos & paradiſos circa urbem habuerunt Magnates populi, etiam in monte Oliveto. Nam non erant horti intra urbem, *Bava Kamah*, cap. 7. ad fin.

Joma, fol. 58. 2. *Sanguis redundans poſt aſperſionem altaris interioris effunditur ad fundamentum occidentale altaris exterioris. Et ſanguis redundans ab altari exteriori, effunditur ad baſim ejus Auſtralem: & ſanguis iſte & ille concurrentes, deſcendebant per meatum ſubterraneum in torrentem Kidron.* ונמכרין לגננין לזבל ומועלין בהן, *Et venditi ſunt hortulanis ad ſtercorandum* hortos, *atque illi dato pretio utuntur iis*. Nam ſanguis qui fuerat ſemel in uſum ſacrum dicatus, non potuit adhiberi in uſum communem ſine tranſgreſſione. Hortulani igitur pro eo pecuniam numerarunt, quâ coëmeretur ſacrificium pro tranſgreſſione.

CAP. XVIII VERS. 3, 10, 13.

VERS. 3. Μετὰ φανῶν καὶ λαμπάδων.

Talmudicis באבוקות ולפידים. Quidnam autem אבוקות, φανός, conjice ex

Succah, fol. 51. 2. *Saltarunt* [in feſto Scenopegiæ] *manu tenentes* אבוקות של אור, *faces ardentes*. Gloſſ. *Jactarunt faces in altum, & manibus iterùm eas excipiebant. Erantque nonnulli eorum in hac facultate adeò periti, ut ſic agere poſſent cum quatuor, imò cum octo facibus, unam jactando, & aliam excipiendo.*

VERS. 10. Μάλχος.

Nomen inter eos uſitatiſſimum, *Malluch*, Nehem. 10: 4, 27. Μάλχος Ἄραψ, *Joſeph. Antiquit*. lib. 13. 9. Erat & hoc nomen diriſſimi iſtius Chriſtianiſmi hoſtis *Porphyrii*, itemque patris ejus, ut *Luc. Holſten*. in vita Porphyrii: ubi & plures iſtius nominis recenſet.

Proſtraverat in terram verbo ſuo Chriſtus eos qui illum erant prehenſuri, ut de fuga Diſcipulorum paciſceretur, & provideret, atque ut divinam ſuam potentiam demonſtraret. Reſurgentes illi eum aggrediuntur, *Judas* oſculatur, manus illi injiciunt, & tum *Petrus* ſtringit gladium, &c.

VERS. 13. Πρὸς Ἄνναν πρῶτον.

Nam erat ille *ſocer Cajaphæ*, atque erat pariter סגן הכהנים, *Sagan Sacerdotum*, Luc. 3: 2. סגן כהניא, Targ. in 2 *Reg*. 23: 4. Jam verò *Sagan* erat idem cum הממונה, *Præfecto*, de quo tam frequens mentio apud Magiſtros.

Joma, cap. 3. hal. 1. אמר להם הממונה, *Dicit iis Præfectus*. Gloſſ. ממונה הוא סגן, *Præfectus eſt Sagan*.

Sanhedr. fol. 19. 1. סגן היינו ממונה, *Sagan idem eſt qui Præfectus*.

Frequentiſſima eſt mentio apud Talmudicos

dicos *R. Ananiæ* סגן הכהנים, *Sagan Sacerdotum*, ut *Joma*, fol. 8.2. *Shekalim*, cap. 6. hal. 1, &c. Periit ille in obſidione urbis cum *Rabban Simeone*, & *Iſmaële*: *Tſemach David*, & *Juchaſin*, fol. 57. Verùm illum ego ſuſpicarer potiùs fuiſſe acrem iſtum judicem Pauli, *Actor*. 23. quàm *Annam* hunc noſtrum.

Quare autem ducerent Chriſtum ii, qui eum prehenderant, ad *Annam Sagan*, priùs quàm ad *Cajapham* Pontificem, rationem unam reddit Euangeliſta, nempe quia erat ſocer *Cajaphæ*, ſub qua & alia concludi poteſt, nempe quòd grandævior foret, & majoris experientiæ, & peritior in Lege: nam erant aliquando ſummi Pontifices qui erant indoctiſſimi, quod colligi poteſt ex ſuppoſitione iſta in

Joma, cap. 1. hal. 6. *Si Pontifex maximus ſit ſapiens, exponit; ſin minus, exponunt ei: ſi aſſuetus ille lectioni, ipſe legit; ſin minus, legunt coram eo.*

At verò *Sagan Sacerdotum*, neceſſe erat ut eſſet doctior, utpote qui curaret de rebus Templi & miniſterii, quique aſſiduè iſti penſo incumberet & præſens foret, cùm ſummus Pontifex rarius præſens foret, atque in iſtis rebus verſaretur.

Juchaſ. & *Aruch*, לא היה ממונה לכהונה גדולה עד שנעשה סגן, *Non erat ritè promotus quiſpiam ad Pontificatum, niſi anteà fuerat Sagan.* Cautè ſcilicet proviſo, ut in Saganatu experientiam in legibus & ritibus lucraretur, unde aptior evaderet Pontificatui. Verùm cùm crearentur Pontifices, non tam propter merita, quàm per ambitionem & pecuniam, indoctiſſimi nonnunquam gradum iſtum aſcenderunt. Et nonne tu de iſto grege, *ô Cajapha*?

Videntur ergò Jeſum ducere primùm ad *Annam*, ut conſilio ejus dirigeretur *Cajaphas*, atque duce eo in iſto negotio procederet, ipſe forſan non omnium mortalium doctiſſimus. Et ignoſce mihi, ô Pontifex, ſi ego ſententiam iſtam tuam, *Præſtat ut unus moriatur pro populo, potius quàm pereat totus populus*, prudentiæ & gravitati tuæ non aſcribam, quin potiùs ferociæ & temeritati, quamvis in proprium finem, te inſcio, eam direxerit Spiritus Sanctus.

Aliam rationem, quare Chriſtus primùm ductus ad *Annam*, exhibebimus poſteà.

Ὃς ἦν Ἀρχιερεὺς τοῦ ἐνιαυτοῦ ἐκείνου.

Si Gloſſa iſta, quam exhibuimus ſuper eadem verba, *Cap.* 11:51. hìc non quadrabit eâ congruitate, quâ illic, adjice & hanc, quæ benè quadrabit utrobique: nempe quòd tanta foret viciſſitudo in ſummo Pontificatu, novo Pontifice annuatim ferè introducto, ut non abſque aliqua neceſſitate eſſet, peculiarem iſtam circumſtantiam memorare, *Cajaphas erat Pontifex iſtius anni.*

Joma, fol. 9. 1. *In Templo ſecundo, quod ſtetit tantum* 420. *annis, miniſtrarunt plures quàm trecenti Pontifices. De his* 420. *annis deme* 40. *annos quibus miniſtravit Simeon Juſtus, &* 80. *quibus miniſtravit Jochanan, &* 10. *quibus Iſmael ben Phabi, & ut dicitur* 11. *quibus Eleazar ben Harſom; & tum computa, & quiſquam Pontifex non complevit annum ſuum.*

De hoc numero Pontificum diminuitur plurimùm in

Vajicra Rabba, fol. 189. 1. *In Templo primo, quoniam in eo miniſtrarunt in veritate, miniſtrarunt tantùm octodecim Pontifices, pater & filius & nepos ſucceſſivè. At ſub Templo ſecundo, cùm Pontificatum pecuniâ obtinerent, [ſunt etiam qui dicunt, quòd alter alterum incantationibus interemerunt] miniſtrarunt octoginta Pontifices: ſunt qui dicunt octoginta unus: alii octoginta duo: alii octoginta quatuor. Inter eos Simeon Juſtus miniſtravit* 40. *annis. At cùm Pontificatum coëmerent nummo, abbreviati ſunt anni eorum. Hiſtoria eſt de quodam, qui miſit per filium ſuum duos modios argenti;* [ad coëmendum Pontificatum] *atque modii ipſi erant argentei. Et proſtitit alius, & miſit per filium ſuum duos modios auri; atque ipſi modii erant aurei.*

De diſcrepantiâ numerorum non diſputabimus. Forſan numerant Gemariſtæ cùm ſummis Pontificibus, etiam *Saganim*, atque eos qui annuatim deputati ſunt ut Vicarii ſummi Pontificis, ſi quid immunditiei illi occurreret. Sunto 80. Pontifices, aut circiter, tam frequentes erant immutationes in Pontificatu, & ſucceſſionum viciſſitudines, ut Pontifex hujus anni vix fuerit vel præcedentis, vel ſubſequentis: quamvis quidem in *Cajapha* aliquantùm aliter foret, tamen hoc de illo non immeritò additur ab Euangeliſta, vulgarem & communem ſtatum Pontificatûs tacitè adnotante.

VERS. 15. Ἠκολούθει δὲ τῷ Ἰησοῦ Σίμων Πέτρος, &c.

Videtur nonnullis eſſe hìc confuſio aliqua ordinis hiſtoriæ. Intertexendum ergò hoc loco volunt verſiculum 24. Ἀπέστειλεν οὖν αὐτὸν, &c. quippe quòd ea, quæ referuntur hinc porrò, acta ſunt in aula *Cajaphæ*, non in aula *Annæ*.

Ordinem hunc noſtrum retinent Interpretes Syr. Arab. Vulg. & alii; invertunt *Nonnus*, *Carthus*, *Beza*, atque eo referente, *Cyrillus*, &c. Tacita quidem hoc in loco eſt tranſitio, & inuſitatior trajectio verborum iſtorum

CAP. XVIII. VERS. 15.

iſtorum in *verſ.* 24. Quarum nec hæc ratione ſuâ caret, nec illa.

I. Obſervandum eſt illud *Matth.* 26: 56. *Marc.* 14: 51. *Tunc Diſcipuli omnes, relicto eo, fugerunt.* Et nonne in numero fugientium erat Petrus, ut & alter hic Diſcipulus, cùm *omnes* fugerent? Docet ergò tranſitio Euangeliſtæ, quòd nec Petrus, nec alter eum ſecuti ſunt ad aulam *Annæ:* quin quòd, pro tempore, timiditate confuſi erant, & abſconditi: verùm ſeipſos tandem recolligentes, prorepunt, & recipiunt ſe ad turbam jam ad aulam *Cajaphæ* tendentem; vel ſaltem ad aulam tendunt.

II. *Annas* non potuit judicialiter quicquam de Chriſto pronuntiare ſolus: nam cùm diſquirendum erat de Diſcipulis & doctrinâ ejus, atque teſtes & pro & contra producendi, efflagitavit hæc res conceſſum Synedricum. Miſit *igitur* eum ad *Cajapham*, ubi & Synedrium. Et rejicit Euangeliſta mentionem iſtius miſſionis, uſque dum mentionem habuerat de modo procedendi.

At quare & quo jure abeſt ipſe *Annas* à Synedrio? Num proceſſum ritè eſt in Synedrio magno, ſi non adeſſet completus Seniorum numerus ſeptuaginta unius? Reſpondeat

Maimon. Sanhedr. cap. 3. *Non neceſſe eſt ut Conceſſus Septuaginta unius, ſedeant omnes ſimul in loco ſuo in Templo: at cùm neceſſariò congregandi ſunt omnes, congregentur.* ובשאר העתות, *Aſt aliis temporibus, ſi cui ſit aliquod aliud negotium, exeat, & negotia ſua peragat, & redeat. Et hoc cautum eſt, nè ſint pauciores quàm viginti tres ſemper conſidentes, dum durat Seſſio. Si opus ſit cuiquam exeundi, proſpiciat an ſint viginti tres de collegis ſuis adhuc conſidentes: ſi ità, exeat; ſin minùs, maneat uſque dum intret alius.* Rationem aliam abſentiæ Annæ reddimus illicò.

Ὁ δὲ μαθητὴς ἐκεῖνος ἦν γνωστὸς Ἀρχιερεῖ.

Nonnus notum eum Pontifici ſupponit Ἰχθυοβόλου παρὰ τέχνης, *Ex arte ſua piſcatoria.* Alii aliunde ortam hanc notitiam opinantur. In qua re aliquid ſtatuere foret audacius. A quacunque tandem cauſa proceſſerit, oportunius inde potuerat iſte Diſcipulus ללמד עליו זכות, defenſorem Chriſti, ut teſtis, egiſſe propter iſtam notitiam. Nam

Sanhedr. fol. 32. 1. דיני נפשות פותחין לזכות ואין פותחין לחובה, *Ordiuntur judicia capitalia à parte defenſoria, & non à parte accuſatoria. Omnibus licuit pro parte defenſoria agere, non omnibus licuit pro accuſatoria.*

Ibid. fol. 40. 1. *Incipiunt à parte defenſoria. Unus teſtium dicit,* יש לי ללמד עליו זכות, *Habeo quo eum defendam. Et Scholaris aliquis dicit, Habeo quo eum accuſem.* משתקין אותו, *Silentium ei indicunt. At Scholaris aliquis dicit, Habeo quo eum defendam. Ad ſeipſos eum evocant, atque inter ſe collocant; nec deſcendit ille inde per totum diem.*

CAP. XVIII. VERS. 18, 21.

Num ſic proceſſum cum Salvatore? Num pro innocentia ejus manifeſtandâ actum primum, & producti teſtes? Si ità, adſunt *Petrus* & Diſcipulus alter, qui poſſunt pro eo teſtari: at negat *Petrus* ſe eum ſcire.

VERS. 18. Ὅτι ψῦχος ἦν.

Frigus erat, nam profunda nox erat, inſtante jam gallicinio. Et rationem hanc experientiâ ſuâ doctus, reddit *Biddulphus* noſter, qui Hieroſolymis extitit tempore Paſchali. *Nos ſenſimus ardorem*, inquit ille, *ſupra illum quam ordinariè percipimus in Anglia ipſa media æſtate; unde miratus ſum quomodo ità frigeſceret Petrus. Aſt intra paucos dies ſolutum eſt dubium: nam decidunt rores grandes, quibus à ſole non adhuc arefactis, ſit frigus, noctu præſertim*, &c.

Imò ſupponunt Traditionum Patres, gelu & nives occurrere poſſe in tempore Paſchatis, in Canone iſto,

Maimon. Kiddush. Hhodesh, cap. 4. *Non intercalant annum* לא מפני שלג ולא מפני הצנה, *propter nivem, aut propter gelu.*

Intercalatio anni reſpexit potiſſimùm ſolennitatem Paſchalem: nempe ut per interjectionem menſis intercalati, matura eſſent omnia, atque apta iſti ſolennitati. Si, cùm jam adveniret menſis *Niſan*, non matureſceret adhuc hordeum idoneum ad offerendum manipulum, interpoſuerunt menſem quem vocarunt *Adar ſecundum:* item, ſi viæ non erant adhuc aptatæ ad itinerandum, ut populus non poſſet ad Hieroſolymas aſcendere: ſi pontes fracti, ut non poſſent fluvios tranſire, interjecerunt menſem, ut cùm, poſt iſtum menſem, *Niſan* jam intraret, parata eſſent omnia ad ſolennitatem Paſchalem requiſita. At ſi gelu aut nix foret, cùm ordinario ſuo curſu introiturus eſſet *Niſan*, iſtius ergô non intercalabant omninò. Unde planum eſt occurriſſe nonnunquam gelu aut nivem iſto tempore.

VERS. 21. Ἐπερώτησον τοὺς ἀκηκοότας.

Nonne Jeſus hîc appellat jus & normam uſitatam? nempe ut primùm evocentur teſtes pro parte defenſoria. Saltem, audiendi primùm erant tales: [at quiſnam audet *pro* eo teſtari?] Dicitur *Matth.* 26: 59. quòd primarii Sacerdotes, & Seniores, & totum Synedrium ἐζήτουν ψευδομαρτυρίαν κατὰ τοῦ Ἰησοῦ, *quærebant falſum teſtimonium contra Jeſum:* at num quærebant, quæſo, verum teſtimonium

CAP. XVIII. VERS. 28.

nium *pro* eo? Et num cum falſis ſuis teſtibus egerunt pro more? ſevero & accurato examine eos explorantes, imò terrentes מאיימין, & gravi hortatu monentes ad veracitatem? [quod ſecundùm jus fieri oportuit, *Sanhed.* cap. 4.] De hac re ego plurimùm dubito.

VERS. 28. Ἀλλ' ἵνα φάγωσι τὸ Πάσχα.

I. Oſtendimus ad *Marc.* 14:12. comeſtionem agni Paſchalis nunquam tralatam fuiſſe à veſpera diei decimi quarti jam exeuntis, nec propter Sabbatum, imò nec propter immunditiam Congregationis: ita ut pluribus non opus ſit ad confirmandum, Judæos ipſo iſto tempore agnum ſuum comediſſe, quo & Chriſtus. Hoc tantùm adjiciamus. Supponatur eos domum *Pilati* introiiſſe, atque inde immunditiam contraxiſſe, ex tecto Ethnici, nonne immunditia iſta æſtimata fuit ſub prædicamento τῶ טבול יום? Si ita, tum lavare ſe potuerunt veſpere, & mundi eſſe ad comedendum agnum Paſchalem, ſi modò ille iſtâ veſperâ comedendus: aſt eum comederant veſperâ antecedente.

II. Τὸ Πάσχα igitur hic apud Euangeliſtam noſtrum, non agnum Paſchalem denotat, ſed *Chagigam* Paſchalem: de qua hæc pauca obſervemus.

I. *Deuter.* 16:2. וזבחת פסח, *Et ſacrificabis Paſcha Domino Deo tuo oves & boves.* Ubi R. Solom. *Oves* [*ſicut dicitur, De agnis aut hædis: boves*] *pro Chagigah.* Et R. Bechai in locum. *Oves* לחיוב פסח, *in debitum Paſchatis: boves* לשלמי חגיגה, *in ſacrificia Chagigæ.* Sic & R. Nachmanid, *Boves* לחוג חגיגה, *ad celebrationem Chagigæ.*

Peſachin, fol. 70. 2. צאן זה פסח, *Oves pro Paſchate*, בקר זו חגיגה, *Boves pro Chagigah.*

Gloſſ. ibi, pag. 1. *Nonne Paſcha eſt ſolùm de agnis aut hædis?* Exod. 12:5. *Si ità, quare dicitur* בקר, *Boves? Ad adæquandum omne quod adbibetur ad Paſcha.* מה פסח דבר שהוא חובה. *Sicut Paſcha* [i.e. agnus Paſchalis] *eſt ex debito, & non fit niſi* מן החולין, *de pecoribus communibus:* [i.e. nec de primogeniis, nec decimis] *ità & hoc* [de bobus] *eſt ex debito, & non niſi de communibus.*

Vide 2 *Paralip.* 30:24, &c. & 35:8, 9.

II. *Chagigah* erat pro lætitia & exhilaratione: ſecundùm illud in *Deuter.* 16:14. *Et lætaberis in feſto tuo*, &c. Atque inde ſacrificia quæ in iſtum uſum parata ſunt, vocantur שלמי שמחה, *Sacrificia pacifica*, vel Euchariſtica *hilaritatis.*

III. Proprium tempus adducendæ Chagigæ, erat dies decimus quintus.

Aruch, in חג. *Edebant, bibebant & lætabantur, & ſacrificium Chagigæ ad quod adducendum tenebantur die decimo quinto*, vel die feſto, i.e. feſti primo, &c.

CAP. XVIII. VERS. 28.

Erat quidem cum adducerent *Chagigas* die decimo quarto, ſed hoc non adeò uſitatum, & ſub certis conditionibus, de quibus,

Peſachin, fol. 89. 2. *Quandonam adducunt Chagigam cum agno?* בזמן שהוא בא בחול בטהרה ובמועט, *Quando venit in die alio hebdomadis, & non Sabbato; quando in munditia, & quando in parvitate.* Poſtremam clauſulam explicet Gloſſa, reliquas nos poſteà.

במועט, *Id eſt, ſi agnus ſit minus quàm quod ſatisfaciat toti ſocietati, tum parant Chagigam, & comedunt Chagigam primum, & deinde agnum*, &c.

Et ratio redditur à gloſſatore alio: *Nempe ut mediocriter ſatientur* ventres comedentium, antequàm incipiant comedere de agno, nam ſi famelici aggrederentur agnum, corpore minutum, illi autem numero multi, periculum eſſet, ne oſſa frangerent, dum eſſurienter roderent.

Hujus & aliarum notionum ergô, reputant Magiſtri *Chagigam* diei decimi quarti, multis numeris non adeò abſolutam, ac diei decimi quinti, quorum diſcuſſiones producere foret prolixius. Hæc ſufficiant.

Peſachin, ubi antè. *R. Iſſai dicit: Chagigah diei decimi quarti non eſt de officio:* & aliquantum pòſt,

R. Eliezer dicit, Per ſacrificia pacifica, quæ mactant veſpere diei feſti, [primi] *non fungitur quiſquam officio ſuo, vel quoad lætitiam, vel quoad Chagigam.*

Et jam redeamus ad verba Euangeliſtæ.

III. Dies decimus quintus erat cum renuerent Patres Synedrii intrare Prætorium Pilati, nè polluerentur, quin quòd comedere poſſent Paſcha, hoc eſt *Chagigam.*

I. Cum vulgo loquitur Euangeliſta, cum eam vocat *Paſcha.*

Zevachin, fol. 7. 2. *Scriptum eſt, Obſerva menſem Abib*, ועשית פסח, *ut facias Paſcha.* שיהו כל עשיותיו לשם פסח, *Ut ſint omnia quæ facis ſub nomine Paſchæ.*

Menachoth, fol. 3. 1. עגל ופר ששחטן לשום פסח, *Vitulus & juvencus quem mactant nomine Paſchatis*, vel pro Paſchate. Nota illud, Vitulus eſt Paſcha, uti & agnus.

II. Seſe parant & aſtringunt hi Seniores ad comedendam *Chagigam* Paſchalem iſto die, quia dies inſequens erat Sabbatum: nam *Chagigah* non pepulit Sabbatum.

Peſachin, ubi antè. חגיגה אין דוחה את השבת, *Chagigah non pellit Sabbatum.* Atque inde illud quod protulimus antè, quòd

Sabbato

Digitized by Google

Sabbato non erat adducenda *Chagigah*, ut nec in cauſa immunditiei, quippe quòd *Chagigah* & immunditiës, quamvis pellerent Paſcha, non tamen pepulerunt Sabbatum.

VERS. 31. Ἡμῖν οὐκ ἔξεστιν ἀποκτεῖναι οὐδένα.

Num jocatur, aut iis irridet Pilatus, cùm dicit, *Accipite eum, & ſecundùm Legem veſtram judicate eum?* Non negandum eſt judicia capitalia adempta eſſe à Judæis quadraginta annis ante exciſionem urbis, prout ipſi affirmant frequentiſſimè: aſt unde iſta ademptio? Vulgò recipitur, Romanos jam Judæorum dominos, à Synedriis eorum abſtuliſſe poteſtatem & licentiam judicandi in capitalibus: de qua quæſtione fusè diximus ad *Matth.* 26:3. Pauca hic adjiciamus.

I. *Avodah Zarah*, fol. 8. 2. *Rabb Cahna dicit, Cùm ægrotaret R. Iſmaël bar Joſe, miſerunt ad eum, dicentes, Dic nobis, ô domine, duo aut tria quæ aliquando dixiſti nobis nomine patris tui. Dicit iis, Centum & octoginta annis ante excidium Templi, dominabatur regnum impium* [Romanum] *Iſraëli. Octoginta annis ante excidium Templi* גזרו טמאה על ארץ העמים, *determinarunt*, [Patres Traditionum] *de immunditia terræ Ethnicorum, & circa vaſa vitrea. Quadraginta annis ante excidium Templi, migravit Synedrium, & ſedit in Tabernis. Quid ſibi vult hæc Traditio? Rabb Iſaac bar Abdimi dicit, Non judicarunt* דיני קנסות, *judicia mulctativa.*

Gloſſ. *Talia erant judicia, de mulctando inferentem vim, & allicientem virginem, & circa pretium ſervi----- Cùm ergo non ſederunt in Conclavi Gazith, non judicarunt de iis, & ſic ceſſarunt judicia iſta mulctativa.*

Sic periit pars una judiciariæ poteſtatis, non per Romanos abrepta, ſed quaſi è manibus decidens ipſius Synedrii. Nec à Romanis abrepta ab iis eſt poteſtas judicandi in capitalibus, ſed ipſi per oſcitantiam & ſtolidam ſuam lenitatem eam amiſerunt: nam ſic pergit Gemara.

Dicit Rabb Nachman bar Iſaac, Nè dicat quòd non judicarunt judicia mulctativa, ſed quòd non judicarunt judicia capitalia. Atque unde hoc? כיון דחזו דנפישי להו רוצחין ולא יכלי למידן, *Cùm viderent quòd ita multiplicarentur homicidæ, ut non poſſent eos judicare, dixerunt, Præſtat nobis ut migremus è loco ad locum*, כי היכי דלא לחייב, *Nam quomodo poſſumus* [hîc ſedentes, & non punientes eos] *reatum non nobis contrahere?*

Obligatos ſe exiſtimabant ad puniendum homicidas, dum ſederent in Conclavi Gazith: שהמקום גורם, *nam ipſe locus aſtrinxit:* verba ſunt Gemariſtarum: ſuper quæ Gloſſ. *Conclave Gazith erat ex dimidia parte intra Sanctum, ex dimidia extrà: & ratio erat, quia requiſitum erat, ut Synedrium ſederet prope divinam majeſtatem. Atque hinc eſt quòd dicunt, Quicunque inſtituit judicem non idoneum, eſt ac ſi plantaret lucum juxta altare Domini: ſicut ſcriptum eſt, Judices & officiarios ſtatues tibi; atque illico ſequitur, Non plantabis tibi lucum juxta altare Domini*, Deuter. 16:18, 21. *Migrarunt igitur è Gazith, & ſederunt in Tabernis: nam quamvis Tabernæ forent in monte Templi, aſt illic non ſederunt tam prope divinam majeſtatem, ac in Conclavi Gazith.*

Rem totam ordine compingamus.

I. Stolidiſſima erat lenitas Synedrii circa judicia capitalia, idque hâc præcipuè ratione, quia horrendum erat morte plectere Iſraëlitam. Vah! ille eſt de ſemine Abrahami, de ſanguine Iſraëlis, nequaquam ille aſperè tangendus.

Bava Mezia, fol. 83. 2. *R. Eliezar b. R. Simeon, prehendit fures. Miſit ad eum R. Joshua ben Korchah, dicens*, חמץ בן יין, *O acetum fili vini*, [i.e. ô fili nequam boni patris] *quouſque tu tradis populum Dei noſtri ad occiſionem. Reſpondit ille*, מכלה קוצים מן הכרם, *Ego eradico ſentes è vinea. Cui alter, Veniat ipſe Dominus vineæ, atque ipſe eradicet.* Nota, fures Iſraëlitici ſunt populus Dei, oh! noli tangere, ſed refer eos ad judicium Dei.

Fol. 84. 1. Cùm R. Iſmaël b. R. Joſe conſtitueretur magiſtratus a Rege, *occurrit tale quid ei; nam reprehendit eum ipſe Elias, dicens, Quouſque tu tradis populum Dei noſtri ad occiſionem?*

Hinc illud quod & adduximus alibi.

Maccoth, fol. 7. 1. *Synedrium à quo vel unus morte plectitur intra ſeptennium, vocatur Deſtructorium. R. Eliazar ben Azariah dicit, Imò, à quo vel unus intra ſeptuaginta annos.*

II. Nemo non promptè conceperit ex fatua hac lenitate, & laxatione habenarum judicii, creſcere velle numerum latronum, homicidarum, atque omnimodæ nequitiæ: crevitque eò uſque, ut nec poſſet, nec auderet Synedrium, ſicut oportuit, de hiſce flagitiis animadvertere. Silent leges inter ſcelera, & de juſtitia punitiva adeo eſt conclamatum, ut nec de homicidiis incertis habeatur ſcrutinium, nec de certis judicium.

Sotah, fol. 47. 1. *Ex quo multiplicati ſunt homicidæ, ceſſavit decapitatio vaccæ:* & loco ante citato in

Avodah, fol. 8. 2. *Cùm viderent quòd adeò multiplicati erant homicidæ, ut non poſſent eos judicare, dixerunt, Diſcedamus*, &c.

Sic & in cauſa adulterii, quod & obſervavimus ad *Cap.* 8.

Digitized by Google

CAP. XVIII. VERS. 31.

Maimon. in *Sotah*, cap. 3. *Ex quo multiplicati ſunt adulteri palam ſub Templo ſecundo, diſſolvit Synedrium probationem adulteræ per aquas amaras*, &c.

Non magis itaque ablata ſunt judicia capitalia à Synedrio per Romanos, quàm ablata eſt decapitatio vaccæ per Romanos, aut ablata exploratio uxoris ſuſpectæ per Romanos: quod nemo dixerit. Quinimò,

III. Cùm viderent Patres Synedrii inane eſſe contendere contra illuviem & inundationem maleficiorum ingruentium & graſſantium, & quòd contra ea authoritate ſuâ valere non poſſent, nec, prout æquum erat, judicare, determinant de non judicando: & cùm ſe aſtrictos opinarentur ab ipſa majeſtate loci, dum conſiderent in *Conclavi Gazith*, [in ipſo Atrio Iſraëlis coram altari] ad judicandum ſecundùm authoritatem loci; jam verò ità facere non poſſent ob ſuperbientes nequitias, excuſſerunt ſe è Conclavi iſto, & receſſerunt in Tabernas in Atrio Gentium, & exinde in loca alia, de quibus mentio in *Rosh hashanah*, fol. 31. 1.

IV. An redierint unquam ad Conclave Gazith, ſi quæritur, affirmativum tuetur Gloſſa in

Avodah Zarah, fol. 8. 2. *Cùm pro tempore viderent neceſſarium eſſe, contulerunt ſe ad iſtud Conclave.* Eadem habes etiam in *Chetubb.* fol. 30. 1. ſuper hanc Traditionem.

Traditio R. Chaiæ, A die quo exciſum eſt Templum, quamvis ceſſarit Synedrium, tamen non ceſſarunt quatuor mortes, [quæ erant à Synedrio infligendæ.] *Nam qui reus erat lapidationis, aut ille decidit de tecto, aut beſtia aliqua eum dilaceravit: qui reus erat combuſtionis, aut cecidit in aliquod incendium, aut ſerpens aliquis eum momordit: qui reus occiſionis,* [per gladium] *aut traditus eſt regno Ethnico, aut latrones invaſerunt eum: qui reus ſtrangulationis, aut ſubmerſus eſt in aliquo fluvio, aut ſuffocatus eſt anginâ.*

Objicitur, Quare dicitur *A die quo exciſum eſt Templum*, & non dicitur *Quadraginta annis ante excidium Templi?* Reſpondet Gloſſ. *Aliquando pro neceſſitate temporis rediit Synedrium ad Conclave Gazith*, &c. Aſt excipit ומשום דיני נפשות ברציחה לא היו חוזרין לעולם, *Verùm ad judicia capitalia in cauſa homicidii, redierunt nunquam: nam ratio migrationis erat propter homicidia, quia viderunt quod multiplicati fuerunt homicidæ*, &c.

V. Dum non ſederet Synedrium magnum in Conclavi *Gazith*, extincta ſunt judicia de capite in omnibus aliis Synedriis.

Gloſſ. una. *Non judicarunt de capitalibus in Synedriis inferioribus in aliqua civitate, niſi dum ſederet Synedrium magnum in Conclavi Gazith.*

Alia. *Quo tempore ſedit Synedrium magnum in loco ſuo, ut oportuit, juxta altare, tunc judices conſtitues in omnibus portis tuis, ad judicandum in capitalibus: at cùm receſſit Synedrium magnum, ceſſarunt omnia judicia capitalia.*

VI. Migravit Synedrium à *Gazith*, ut vidimus, quadraginta annis ante excidium urbis: atque ipſiſſimum idem eſt, quod dicitur, quòd *Quadraginta annis ante excidium urbis, ablata ſunt judicia de capite.* Et jam tu judica, ô lector, de ratione ablationis, quòd Romani non in cauſa fuerint, ſed ipſi Judæi, atque ipſum Synedrium. Cùm recederet illud à Conclavi *Gazith*, evanuerunt iſta judicia: & cur recederet, videmus planè, ipſis Judæis enarrantibus. Non diſputabimus de initio horum 40. annorum: [inchoaverim ego à ſeſquianno ante mortem Salvatoris.] Non aliò referenda ſunt verba præſentia Synedrii ad Pilatum, quàm ad iſtam rationem de qua egimus: *Ἡμῖν οὐκ ἔξεστιν ἀποκτεῖναι οὐδένα.* Et quare tandem, ô Patres? Quia neceſſitate coacti, receſſimus à Conclavi Gazith, ubi ſi non ſedeamus, judicari de capitalibus non poteſt, vel à nobis, vel ab ullo alio Synedrio.

At quânam neceſſitate coacti? Quia ità multiplicati ſunt homicidæ, ac eò audaciæ creverunt, ut nec poſſimus, nec audeamus de iis animadvertere, quòd, ſi ibi ſedeamus, ipſa majeſtas loci à nobis efflagitat.

Notandum eſt illud apud Euangeliſtas, quòd cùm noctu examen Chriſti habuerant in aula Cajaphæ, manè congregatum eſt totum Synedrium, ut de morte ejus ſententiam ferant. Aſt ubinam illud? In Gazith abſque dubio, ſi propriis Canonibus atque inſtitutis adhæſerint. *Eò ſe receperunt aliquando urgente neceſſitate*, ait Gloſſa ante citata, *exceptâ ſolùm cauſâ homicidii*, cujus reatûs Jeſus non poſtulabatur.

Aut eſto, conventum & conceſſum ab iis fuiſſe in Tabernis, vel in loco aliquo alio: (quod quidem cum Traditione ſua minimè convenit) num veraciter, &, ut res erat, cum Pilato agunt, cum dicunt, Ἡμῖν οὐκ ἔξεστιν ἀποκτεῖναι οὐδένα? Dixerat ille, *Accipite illum, & ſecundùm Legem veſtram judicate eum.* Judicavimus quidem, ſed non poſſumus eum, vel quemvis alium morte afficere. Num hæc reverà vera? Unde igitur lapidatio protomartyris Stephani? Unde etiam lapidatio Ben Sarda in Lydda? *Hieroſ. Sanhedr.* fol. 25. 4. Vivicomburium filiæ Sacerdotis ſcortantis? *Babyl. Sanhedr.* fol. 52. 1. *Juchaſ.* fol. 51. 1.

Probabile eſt eos neminem, ex quo migraverant à Gazith, adhuc morte mulctaſſe; unde Pilato perſuadere de ea re erat facilius. Saltem odium trucidationis Chriſti à ſe amoliri ambiunt quantum poſſunt, & turbam timentes, ſi ipſi trucidarent, evaſionem hanc,

quæ,

Digitized by Google

quæ aliquo quidem colore veritatis non penitus caruit, ſibi quærunt; & pro voto iis ſuccedit, divinâ providentia ſic diſponente, ut innuit Euangeliſta, *verſ.* 32. *Ut ſermo Jeſu impleretur, quem dixerat, ſignificans quâ morte erat moriturus.* Crucifixione ſcil. morte Romanâ.

Dum hæc cogito, ſubit illud, quo nihil in beſtiæ Romanæ deſcriptione Apocalypticâ notatu dignius. *Draco dedit poteſtatem ſuam beſtiæ, Apocal.* 13:4. Non ità dixeris de imperio Aſſyriaco Babylonico, aut quovis alio, nam non ità dicit Scriptura. Et dictat ratio, & docet eventus, aliquid patratum fuiſſe à Roma pro Dracone, quod non ab aliis imperiis: viz. interemptionem Filii Dei. Quam rem obſervare habemus, quotieſcunque clauſulam iſtam Symboli noſtri recitamus, *Paſſus eſt ſub Pontio Pilato*, id eſt, Interfectus eſt ab imperio Romano.

Vers. 38. Τί ἐστιν ἀλήθεια.

Dixerat Chriſtus, *Ad hoc veni in mundum, ut teſtimonium perhibeam veritati.* Quaſi dicat, Non negabo me eſſe Regem, ſicut tu dicis; nam ad hoc veni in mundum, ut atteſtarer veritati, occurrat quodcunque periculi occurrere poteſt. Cui Pilatus, *Quid eſt veritas?* id eſt, Quiſnam eſt verus hujus rei ſtatus, quòd tu tam pauper dicas te Regem; & dicas te Regem, & tamen non de hoc mundo? Quænam eſt medulla, & verus ſenſus rei tam ænigmaticæ?

Aut eſto, quòd Chriſtus, cùm diceret, *ut atteſtarer veritati*, per *veritatem* intellexiſſe generaliter Euangelium; quærit Pilatus, qualiſnam illa veritas? At ſilet Euangeliſta, an ad iſtam quæſtionem reſponderit Chriſtus, an Pilatus reſponſum ſit moratus.

CAP. XIX.

Vers. 2. Πλέξαντες στέφανον ἐξ ἀκανθῶν, &c.

INdicium indubitatum quòd regnum ejus non de terra, cùm coronetur tantùm *ſpinis & tribulis*, maledictione terræ, *Geneſ.* 3:18.

Purpuream veſtem induerat ei Herodes, *Luc.* 23:11. & milites coronam hanc addunt: atque illos etiam ei purpuream veſtem induiſſe dicitur pariter, id eſt, nudato ante illo, ut flagellaretur.

Vers. 13. Εἰς τόπον λεγόμενον Λιθόστρωτον.

Quidnam eſt quod objiciatur, ſi dixerit quis quòd Euangeliſta per hunc titulum intellexerit *Conclave Gazith*, ubi ſedes Synedrii? Et quod cùm Judæi nollent ire in Prætorium Pilati, (& nonne tribunal ejus in Prætorio?) ipſe iverit in Prætorium & tribunal eorum?

Refert Ariſtæas, quòd *Templum ſpectavit ad ortum, poſterioribus ejus ad occaſum tendentibus*, τὸ δὲ πᾶν ἔδαφος λιθόστρωτον καθέστηκε, *& totum pavimentum erat lapidibus conſtratum:* cui atteſtantur Talmudici, & ſpeciatim de pavimento, *Joſephus* memorabili hiſtoria.

De excidio, lib. 6. cap. 7. *Julianus* quidam in exercitu *Titi* Centurio, Judæos in Atrio Templi ſtupendâ audaciâ & ſtrenuitate proſequens & occidens, habens autem in calceis ſuis clavos frequentes & acutos fixos, ὥσπερ τῶν ἄλλων στρατιωτῶν ἕκαστος, *prout habuit miles unuſquiſque*, καὶ κατὰ λιθοστρώτου τρέχων, *per pavimentum lapidibus conſtratum currens, lae.tur & cadit ſupinus*, &c.

At nonne *Conclave Gazith* habuit pavimentum lapidibus ſtratum modo accuratiori & nobiliori? Unde aliter ejus nomen?

Dictum eſt לשכת גזית, *Conclave Gazith*, inquit Aruch, *quia ſtructum fuit lapidibus dolatis.* Nonne & ità etiam reliqua Conclavia?

In *Bava Mezia*, fol. 117. 2. & *Bathra*, fol. 2. 1. diſtinguunt inter גויל, & גוית, & כפיסין, & לבינין, *Lapides rudes, & dolatos, & ſemilateres, & lateres.* Jam ergò cum plurima fuerint Conclavia circum Atria, num illa ex lapidibus rudibus, aut lateribus ſtructa, hoc autem ſolum ex lapidibus dolatis? Magis uniformis procul omni dubio erat tota ſtructura. Et tum probabiliorem rationem vix excogitaveris, quare locus iſte præ omnibus aliis dictus fuerit *Gazith*, quàm à pavimento lapidibus dolatis ſtrato modo accuratiori. Quidnam igitur vetat, quominus per Λιθόστρωτον hoc in loco intelligatur iſte locus?

Object. Conclave *Gazith* erat in loco ſancto, & non licitum *Pilato* Ethnico illuc ingredi.

Reſp. I. At ſi per vim vellet, quis reſtiterit?

II. Quæro, an ille non potuerit in *Conclavi Gazith* ſedere, & tamen non eſſe extra limites *Atrii Gentium*, in quod ingredi licuit Gentili? Pars quidem dimidia iſtius Conclavis erat in Atrio Iſraëlis; aſt in iſta parte ipſi Patres Synedrii non ſederunt, quia non licitum erat cuiquam in iſto Atrio ſedere, niſi Regi ſoli. Dimidia autem altera pars in qua ſederunt, erat in *Chel*, & protenſa, ut videtur, ulterius in Atrium Gentium. Nam ſi חל, vel intermurali foret latitudine decem tantum cubitorum, ut *Middoth*, cap. 2. hal. 3. arctum & contractum nimis erat illud ſpatium, ad ſeſſionem Septuaginta virorum, ſi Conclave non extenderit ſe aliquantum in Atrium Gentium.

CAP. XIX. VERS. 13, 14, 20, 22.

Ἑβραϊστὶ δὲ Γαββαθᾶ.

Syrus reddit per גפיפתא, id eſt, Περίβολον. Quod quidem ad ſenſum noſtrum poteſt accommodari: nam חיל *Chel*, in qua pars hujus Conclavis, erat Περίβολος ambiens omnia Atria, excepto iſto Gentium.

An verò Γαββαθᾶ reddit Λιθόστρωτον Hebraicè? גב, *Gab*, inter alia ſignificare *ſuperficiem*, non opus eſt probatione. Pavimentum autem & ſuperficies ſoli benè poſſunt converti, ubicunque eſt pavimentum. Et prout Conclave illud dictum eſt ſingulariùs *Gazith*, propter pavimentum, linguâ veteri Hebræorum; ſic etiam benè dici potuit גבא, & גבתא eodem reſpectu, linguâ præſenti Judæorum. Et notetur illud

Hieroſ. Sanhedr. fol. 18. 4. זקנים שהיו יושבין על גב מעלה בהר הבית: Quid ſi redderem, *Seniores qui ſedent ſuper Gab ſupremum in monte Templi.* Sed non contendimus.

VERS. 14. Ἦν δὲ παρασκευὴ τοῦ Πάσχα.

Id eſt, *Præparatio Chagigæ*: de qua diximus ad *Cap.* 18:28. & fuſiùs ad *Marc.* 14:12. ubi etiam diximus de verbis ſequentibus, Ὥρα δὲ ὡσεὶ ἕκτη,

VERS. 20. Ἑβραϊστί.

Id eſt, linguâ Trans-euphratenſium vel Chaldaicâ, ut notavimus ad *Cap.* 5.

VERS. 22. Ὃ γέγραφα, γέγραφα.

Uſitatiſſima talis phraſiologia etiam apud Magiſtros.

Chetubb. fol. 96. 1. *Vidua ſi prehendat*, vel occupet *bona mobilia* mariti ſui defuncti in alimoniam ſuam, מה שתפסה תפסה, *Illud quod prehendit, prehendit*: id eſt, Hoc quod fecit ſtat & obtinet, & bona iſta mobilia ei cedent.

Menachoth, fol. 3. 1. *Si quis dicat, Obligo me ad offerendum oblationem de ſartagine, offert autem de craticula; aut ad offerendum de craticula, & offert de ſartagine*, מה שהביא הביא, *Illud quod obtulit, obtulit*: id eſt, quod & ab iis frequentiſſime uſitatum, מה שעשוי עשוי, *Quod factum eſt, factum eſt*, & non eſt revocandum.

Jevamoth, fol. 106. 2. *Sive ſit diſcalceatio Leviri ante conſputationem in ejus faciem, ſive ſit conſputatio ante diſcalceationem*, מה שעשוי עשוי, *Quod factum eſt, factum eſt*, & ſtat & obtinet.

Vaticineris velim, Pilate, cum Cajapha ferè, *Quod ſcripſi*, (JESUS NAZAR. REX JUDÆORUM) *ſcripſi*, & ſtabit & obtinebit, nec alius Rex *Meſſias* ab iis obtinendus in æternum.

CAP. XIX. VERS. 23, 25, 26.

VERS. 23. Ἔλαβον τὰ ἱμάτια καὶ τὸν χιτῶνα, &c.

Per ἱμάτια intelligi videntur omnia ejus veſtimenta, excepto pallio, vel veſte exteriori, ſuper quam, quia inconſutilis erat, jecerunt ſortes.

Targ. in *Pſalm.* 22:19. עלוי פתגי ירמון עדבין, *Super ſindonem meam jecerunt ſortes*; nam פתגא eidem eſt *Sindon*, *Proverb.* 31:24. סדין, nempe ut convertitur cum טלית.

Matth. 5:40. Θέλοντι τὸν χιτῶνά σου λαβεῖν, ἄφες αὐτῷ καὶ τὸ ἱμάτιον. Id eſt, Ei qui vult auferre veſtimentum tuum exterius, dimitte ei etiam interius.

VERS. 25. Εἱστήκεισαν δὲ παρὰ τῷ σταυρῷ.

Sic *Bava Mezia*, fol. 83. 2. קם תותי זקיפה וקא בכי, *Stetit ſub cruce*, (vel ſub patibulo) *& flevit*. Hiſtoria eſt de *R. Eliezero ben R. Simeon*, qui juſſerat iratus ſuſpendi fullonem. לבתר דנח דעתיה, At cum ad ſanam mentem rediret, deferveſcente jam irâ, abiit poſt eum ut illum liberaret, at non potuit, nam illum ſuſpenderant. Recitavit ergò illud, *Qui cuſtodit os ſuum & linguam, cuſtodit animam ſuam ab anguſtia. Stetit ſub patibulo, & flevit*, &c.

Μαρία ἡ τοῦ Κλωπᾶ.

Id eſt, Uxor *Cleophæ*, vel *Alphæi*. Nam

I. Confer *Marc.* 15:40. *Erant fœminæ ſpectantes è longinquo, inter quas erat Maria Magdalena, & Maria mater Jacobi parvi, & Joſe.* Jam verò ſat notum eſt, patrem *Jacobi parvi* & *Joſe* fuiſſe *Alphæum*, Matth. 10:3.

II. Occurrit nomen חלפי frequenter apud Talmudicos, flexile in lectione, vel in *Alphai*, vel in *Chleophi*.

Echah Rabbathi, fol. 79. 4. *R. Berechiah* חלפי בר זיבד.

Midras Coheleth, fol. 82. 4. *Dicunt R. Chaija & R. Achab* בשום ר״ חלפי.

Hieroſ. Nazir, fol. 55. 3. *Rabbi* חילפיי *interrogavit R. Jochananem. Bereſh. Rabba*, fol. 14. 4. א״ ר״ חלפאי.

VERS. 26. Γύναι, ἰδοὺ ὁ υἱός σου.

I. *Maimon.* in אישות, cap. 18. אלמנה ניזונת מנכסי יורשין, *Vidua ſuſtentatur de bonis hæredum* (defuncti) *quamdiu vidua eſt, donec recipiat dotem ſuam.*

II. Defuncto *Joſepho*, & jam moriente *Jeſu*,

Digitized by Google

Jeſu, non ſunt hæredes, nec, ut probabile, opes, quibus *Maria* vidua ſuſtentetur: in extremis igitur agens Chriſtus, de ea re curat: & quidem abſque dubio curaverat anteà. Nam vix concipiendum eſt, eum nunc primùm de alimonia matris cum *Joanne* ſermonem habuiſſe, quin quòd anteà promiſſionem de ea re ab illo acceperat. Atque inde amor iſte quo illum præ aliis eſt proſecutus. Verba ergò ejus ad matrem, *Mulier, ecce filius tuus*, & viciſſim ad Joannem, *Ecce mater tua*, huc reſpiciunt: ac ſi dixiſſet, Hic ex hoc tempore, quo me filio tuo privata es, inſtar filii tui futurus eſt, qui te alat: & ſic vice verſâ ad *Joannem*.

VERS. 29. Σκεῦος οὖν ἔκειτο ὄξυς μεστόν.

Aſt nonne hoc erat præter morem, ut aceto repleretur, quin potiùs οἴνῳ ἐσμυρνισμένῳ, *vino myrrhato*, ut *Marc.* 15:23?

Ex aliis Euangeliſtis liquet, Chriſto fuiſſe propinatum bis.

I. Antequàm affigeretur cruci, *Matth.* 27:33, 34. *Cùm veniſſent in locum qui dicitur Golgotha, dederunt ei acetum bibendum cum felle miſtum. Et crucifixerunt eum*, verſ. 35.

Sic ſolitum cum damnatis à Synedrio: poculum nempe iis præbere, at vini, myrrhâ aut thure myſti, ut bibentes à ſe alienarentur, & inſenſibiliores fierent cruciatuum, & audaciores contra mortem.

Sanhedr. fol. 43.1. *Prodeunti ad ſupplicium capitis* משקין אותו קורט של לבונה בכוס של יין, *Potum dant aliquid thuris in poculo vini.* Οἶνον ἐσμυρνισμένον, *Marc.* 15:23. Atque hâc dederunt ratione, (ut immediatè ſequitur) כדי שתטרף דעתו, *Nempe ut turbaretur ejus intellectus.* Poculum Narcoticum, inebrians, aut ſtupefaciens.

Vinum cum myrrha miſtum, inquit *Marcus*; at Matthæus, *Acetum cum felle.* Forſan utrumque: nam, ut ſequitur loco allegato, נשים יקרות שבירושלם היו מתנדבות ומביאות אותן, *Fœminæ generoſæ in Hieroſolyma, ſponte ſuâ adduxerunt tale poculum.* Atque erant abſque dubio in Hieroſolyma fœminæ quæ huic officio erga Jeſum non deeſſent: at ille, inquit *Marcus*, noluit bibere. Tum probabile eſt milites, vel aliquos de Judæis obtuliſſe ei poculum aceti & fellis per ludibrium: de eo etiam reſpuit bibere. At eſto, fuiſſe unum tantùm poculum, idque de aceto & felle, ut benè conciliari poſſint duo Euangeliſtæ, obſervamus ad *Matth.* 27:34.

II. Damnatis à Synedrio non opus erat ulteriori poculo, nam illi citiſſimè interfecti, ſitim non ſenſerunt. At crucifixio diutiſſimè damnatum detinuit ſub tormine & cruciatu, & tormina & cruciatus ſitim provocarunt. Ità ut videatur poſitum fuiſſe vas aliquod juxta crucem; poculento aliquo aut aquâ plenum; quo crucifixus ſitim reſtinguere poſſet; cùm opus efflagitaret. An acetum erat de more apud Romanos, an ex ludibrio hâc vice, non quærimus. Novit Chriſtus acetum ſibi dandum, cùm diceret *ſitio*; imò dixit *ſitio* ex propoſito, ut daretur acetum in adimpletionem Prophetiæ.

Πλήσαντες σπόγγον ὄξυς.

ספוג שבלע משקין: *Spongiam quæ abſorbet potum*: ut

Kelim, cap. 9. hal. 4. ספוג שבלע משקין טמאים, *Spongia quæ abſorpſit liquores immundos, & ab extra eſt ſicca, ſi decidat in furnum, polluit*, &c.

Καὶ ὑσσώπῳ περιθέντες.

Matth. 27:48. Περιθεὶς καλάμῳ: & ſic *Marcus*.

I. Si אזוב ſit *Hyſſopus*, ut ſuadere poteſt congruentia ſoni, habuit varias ſpecies.

Parah, cap. 11. hal. 7. כל אזוב שיש לו שם לווי פסול, *Quæcunque hyſſopus habet nomen adjunctum*, vel epitheton, *non eſt idonea*, ad aſperſionem immundi. Nam erat, ut ibidem ſequitur, אזוב יון, *Hyſſopus Græca*, אזוב כוחלית, *Hyſſopus fucata*, forſan coloris ſtibii, אזוב רומי, *Hyſſopus Romana*, אזוב מדברי, *Hyſſopus agreſtis*.

II. Jam verò, quod Hyſſopus aliqua, in culmos creverit, cannarum aut calamorum inſtar, patet partim ex illo quod immediatè ſequitur, *halacah* proximè ſuccedente, ubi ſic diſtinguitur, לקטו לאוכלין, & לקטו לעצים, *Colligit hyſſopum*, pro cibo, aut colligit pro ligno: & partim ex illo quod diſſeritur in

Succah, fol. 13.1. ubi inter mentionem cannarum, calamorum, ſurculorum, quibus obtexerunt tentoriola ſua, ſtructa pro feſto Tabernaculorum, memoratur אזוב, *Hyſſopus*.

VERS. 31. Ἦν γὰρ μεγάλη ἡ ἡμέρα ἐκείνου τοῦ Σαββάτου.

Nam I. Erat Sabbatum. II. Erat dies quo comparuit populus in Templo, ſecundùm præceptum illud, *Exod.* 23:17. III. Erat dies quo oblatus eſt manipulus primitialis, ſecundùm præceptum, *Levit.* 23:11.

I. Die decimo quinto, qui erat dies feſtus, & feſti primus, pararunt Hagigas ſuas, quibus convivarentur pro lætitia feſti: & notandum illud in

Joma, fol. 20. *Unoquoque die decinerarunt altare in gallicinio: at in die expiationis à media nocte*: וברגלים מאשמורת הראשונה, *Et in tribus feſtis à vigilia prima.* Et paulò pòſt: *In tribus feſtis, cùm plurimi adeſſent Iſraëlitæ,*

CAP. XIX. VERS. 31.

Iſraëlitæ, & plurima eſſent ſacrificia, decinerarunt altare a vigilia prima. ולא היתה קריאת גבר מגעת עד שהיתה עזרה מלאה מישראל, Nam *priuſquàm foret Gallicinium, repletum eſt Atrium Iſraëlitis.* Non vereor enim reddere קריאת גבר, *Gallicinium*, quamvis in ipſiſſimo loco allegato diſputetur, an denotet *Gallicinium*, an proclamationem τοῦ *Sagan*, vel Præfecti Templi: iſtam ſcil. de qua mentio,

Ibid. fol. 28. 1. *Dicit iis Præfectus, Ite, & videte num appropinquet tempus mactandi victimas. Si adeſſet tempus, ille qui conſpectum miſſus, reſpondit, Luceſſit*, &c.

Si hoc ſenſu intelligenda eſſet phraſiologia קריאת גבר, vides tamen populum congregatum in Atrio ante lucem auroræ: at non dubito, quin quòd denotet *Gallicinium*, quod pluribus firmari poſſet, ſi eſſet locus. Et congregatio populi in Atrium tam citò manè, diebus hiſce feſtis, erat hâc ratione, quia die primo feſti offerenda erant innumera ſacrificia pacifica (שלמים) pro *Hagigis*, & die ſecundo innumera etiam holocauſta pro comparitione.

Verum eſt non mactatas eſſe victimas ante lucem auroræ; aſt ante mactationem, benè ſupponas pecudes mactandas ſubiiſſe examen τοῦ *Mumcheb*, vel quorundam qui in iſtud munus deputati ſunt, ut ſcrutarentur pecudes ſacrificandas, an ſine labe, atque altari idoneæ forent, necne. Hinc conventum in Atrio, & adducta ſacrificia tam citò manè. Et jam ſubeat animum tuum, *Annas Sagan*, vel Præfectus. Nonne ille etiam in Templo multo mane, ut de rebus ibi agendis provideat & curet? Recordare illud anteà allatum, *Dicit eis Præfectus, Ite, & videte num ſit tempus mactandi*, id eſt, num appareat aurora. Atque hinc forſitan rationem colligas, cur *Annas* non fuerit cum reliquis in aula *Cajaphæ*, & cur ad eum adducatur Salvator antequàm ad illos, quia negotia ejus in Templo non permiſerunt eum cum aliis ſedere, & voluerunt *Jeſum* coram eo ſiſtere, antequàm ille in Templum concederet ad munus ſuum.

Cùm afforet tempus, mactata ſunt ſacrificia iſta deſtinata pro Hagigis: & illa de iis quæ pertinuerunt ad altare, aut ad Sacerdotem, eò ceſſerunt; reliquum beſtiæ ceſſit offerentibus, unde inſtitutæ convivationes, & ſuper eas lætitiæ & exhilarationes pro more feſti.

Erat hæc Παρασκευὴ τοῦ Πάσχα, *verſ.* 14. atque erat illud, Πάσχα iſtud cui ſe reſervantes Seniores Synedrii, noluerunt intrare Prætorium, *Cap.* 28:28.

II. Inclinanti in noctem die iſto, exierunt illi qui deputati erant à Synedrio ad demetendum manipulum primitialem.

Menachoth, fol. 65. 1. *Deputati à Synedrio ad metendum, prodierunt* מערב יום טוב *Veſperâ diei feſti*, (primi) *& conſtrinxerunt ſegetes in manipulos prope à terra, ut meſſio eſſet facilis. Omnes urbes quæ in vicino erant, congregatæ eò erant, ut meſſio fieret majori cum pompa. Cùm jam inciperet tenebreſcere, dicit ille qui meſſurus, Sol occidit, & reſponſum eſt Benè: Sol occidit, & reſponſum eſt Benè: Falce hâc, & illi, Benè: Falce hâc, & illi, Benè: In caniſtro hoc, & illi, Benè: In caniſtro hoc, & illi, Benè. Et ſi Sabbatum foret, Dicit ille, Hoc Sabbato, & illi, Benè: Hoc Sabbato, & illi, Benè: Metam, & illi, Mete: Metam, & illi, Mete: & ſic ille ter hæc omnia, & reſponderunt illi ter ad omnia, Benè, Benè, Benè. Atque omne hoc propter Baithuſæos, qui dixerunt, Non eſt meſſio manipuli exeunte die feſto.*

CAP. XIX. VERS. 31, 34.

Circa illam ergò diei horam, quo ſepultus eſt Salvator, prodierunt ad hanc meſſionem; & cùm ingreſſum jam eſſet Sabbatum, meſſuerunt: nam hoc opus pepulit Sabbatum.

Ibid. fol. 63. 2. *R. Ananias Sagan Sacerdotum dicit, Sabbato metebatur manipulus, in Seam tantùm unam, & falce unâ, & in caniſtro uno: at die communi, in Seas tres, falcibus tribus, & in caniſtris tribus. At Sapientes dicunt, Dies alii, & dies Sabbati, quoad hoc ſunt pares*, &c.

III. Hâc nocte pernoctandum erat in Hieroſolyma, aut in tentoriis circa urbem fixis, intra limites Sabbaticos.

Manè iterùm conventum in Atrio multo mane, ut die præcedente, & allata ſacrificia pro comparitione populi coram Deo: & manipulus tempore ſuo oblatus: cujus oblationis ritus deſcribitur in Tractatu anteà allegato. Sic in hunc diem coinciderunt tria ſolennia, Sabbatum, Manipulus, & ראייה, Comparitio populi in Atrio ſecundùm mandatum, *Exod.* 23.

VERS. 34. Λόγχῃ αὐτοῦ τὴν πλευρὰν ἔνυξε.

Arabs editionis *Erpenianæ*, addit vocabulum אלאימן, Fodit latus ejus *dextrum*: veritus, ut videtur, nè res non videretur ſatis miraculoſa, ſi effluxio ſanguinis & aquæ ſupponeretur è latere ſiniſtro, propter aquam illam quæ dicitur contineri in Περικαρδίῳ: quo penetrato, naturaliter, ut concipitur, non effluere non potuit aqua cum ſanguine. Aſt myſterium ſapuit hæc effluxio, potiùs quàm naturam: & ſi præternaturale quid in ea non fuiſſet, vix credo Euangeliſtam, triplicatam illam aſſeverationem de veritate rei, adhibuiſſe velle, Καὶ ὁ ἑωρακὼς μεμαρτύρηκε, &c.

Ἐξῆλθεν αἷμα καὶ ὕδωρ.

Dicitur vulgò, quòd effluxerunt duo Sacramenta

Digitized by Google

CAP. XIX. VERS. 34.

cramenta novi fœderis: dicerem ego potiùs, quòd emanavit antytipus veteris.

I. Docet nos Apoſtolus, pactionem veteris fœderis fuiſſe *in ſanguine & aqua*, Hebr. 9: 19. *Moſes accepit ſanguinem vitulorum & hædorum cum aqua*, &c. De aqua quidem apud *Moſen* mentio nulla, *Exod.* 24. aſt Apoſtolus ad Hebræos ſcribens, non loquitur abſque authoritate ſua, cui illi non potuerunt contradicere. Et aut labitur memoria mea, aut legi alicubi apud ſcriptores Hebræos, ſed infœliciter excidit locus, quòd cùm mora aliqua interponenda erat inter mactationem victimæ, & ſparſionem ſanguinis ſuper altare, (qualis erat mora dum Moſes legeret articulos fœderis) commiſcuerunt aquam cum ſanguine, nè congeleſceret aut coagularetur. At ſufficit authoritas Apoſtoli dicentis, & docentis quòd fœdus vetus pactum eſt *in ſanguine & aqua*: cujus antitypus clariſſimè hìc elucet in pactione & conſignatione novi: atque hinc eſt quòd Euangeliſta tam ferventer veritatem hujus rei aſſeveret, nempe quia tam planè reſpondit typo, & demonſtravit adimpletionem typi.

II. Præterire nullo modo poſſumus illud in

Shemoth Rabba, fol. 122. 1. *Et percuſſit petram*, ויזובו מים, *Et effluxerunt aquæ*, Pſalm. 78: 20. יאין יזוב אלא לשון דם *At vox* יזובו, *nihil aliud denotat quàm ſanguinem*, *ſicut dicitur*, אשה כי יזוב זוב דמה, *Fœmina cujus fluxerit fluxus ſanguinis*, Levit. 15: 20. *Percuſſit ergò Moſes petram bis*, *& produxit primò ſanguinem*, *& poſteà aquam*.

Petra erat Chriſtus, 1 *Cor.* 10: 4. Et confer hæc duo: Percuſſit Moſes petram, & effluxit ſanguis & aqua, dicit Judæus: Percuſſit miles lanceâ Chriſtum, & effluxit ſanguis & aqua, dicit Euangeliſta.

Aſſeverationem ſuam concludit ille, Ἵνα ὑμεῖς πιστεύσητε. Non ſine pondere eſt quod vulgò obſervatur, nempe per hanc effluxionem ſanguinis & aquæ è latere Chriſti, plenam fidem fieri mortis ejus, rupto περικαρδίῳ: at vix arbitror Euangeliſtam eò in clauſula iſta reſpexiſſe: nam num hoc voluit, Ille qui vidit, teſtatur, & ſcit ſe vera dicere, ut vos credatis Jeſum eſſe reverà mortuum? Non opus habuit iſta res tam ardenti aſſeveratione. Sed aliquid aliud abſque dubio innuitur, nempe ut vos credatis hunc eſſe verum ſanguinem fœderis, qui ità reſpondet typo in pactione fœderis primi. Nec arbitror ego, aquam quæ effluxit, ipſam ſolùm fuiſſe quam continuit περικάρδιον, ſed ſupernaturale quid in hac re fuiſſe.

CAP. XIX. VERS. 36, 37.

VERS. 36. Ὀστοῦν οὐ συντριβήσεται αὐτοῦ.

Referri hæc poſſent ad *Pſalm.* 34: 20. ſed uſitatiùs referuntur ab Interpretibus ad legem iſtam de agno Paſchali, *Exod.* 12: 46. Nam *Chriſtus eſt Paſcha noſtrum*, 1 Cor. 5: 7.

Peſachin, fol. 84. 1. *Si quis fregerit os Paſchatis*, *vapulet quadraginta plagis*.

Ibid. fol. 83. 1. *Oſſa*, *nervi*, *& quod reſtat de carne*, *comburantur die decimo ſexto. Si verò inciderit Sabbatum in diem decimum ſextum*, (quod hoc anno quo Chriſtus crucifixus, evenit) *tum comburantur die decimo ſeptimo: nam non pellunt Sabbatum*, *nec diem feſtum*.

VERS. 37. Ὄψονται εἰς ὃν ἐξεκέντησαν.

Obſervatur ab omnibus, ut varietur verſio Græcorum Interpretum in loco *Zachariæ*, unde hæc deſumuntur. Nam illi, Ἐπιβλέψονται πρός με, ἀνθ' ὧν κατωρχήσαντο, *Et aſpicient in me pro eo quòd inſultaverunt*. Sic editio Romana, & non aliter aliæ nonnullæ. Unde

Quæritur, an Interpretes ità verterint; an non hæc fuerit interpolatio?

Ut omittamus teſtimonia veterum, qui LXX. Interpretibus eam aſcribunt, obſervemus hæc duo.

I. Non inuſitatum eſſe Græcis Interpretibus, in interpretatione ſua, favere aliquando Traditionibus Judaicis, aliquando communi interpretationi gentis. Utriuſque rei non deſunt exempla frequentia: cum poſteriori nobis jam res eſt, cujus pauca hæc exempla habe vice plurium.

Quare tandem iis ſunt *Caphtorim* Καππάδοκες, & *Caphtor* Καππαδοκία, *Deuter.* 2: 23? niſi quòd *Peluſiotæ* & *Peluſium* vulgò à Judæis ità vocarentur.

Quis dixerit quânam ratione dicatur ab Interpretibus de Eli, quòd ἔκρινε τὸν Ἰσραὴλ εἴκοσι ἔτη, 1 *Sam.* 4: 18. cùm in fonte ſit *Quadraginta annis*? Niſi quòd faveant communi commento gentis, quòd per viginti annos poſt mortem *Samſonis*, metuerint Philiſtæi *Samſonem*, ac ſi ille adhuc viveret, & judicaret Iſraëlem.

Hujus generis eſt illud quod reddunt בר per παιδείαν, *Pſalm.* 2: 12. Et eâdem ratione parum dubito adhibitam ab iis κατωρχήσαντο, loco quem jam tractamus. Nam

II. Paraphraſtes Chaldæus ſic verba reddit, עלדי אטלטלו, *Rogabunt à facie mea*, *quoniam tranſlati ſunt*. Quem R. *Solom.* ſic interpretatur. *Reſpicient ad lugendum*, *quoniam Gentiles transfixerunt quoſdam ex iis*, *atque interfecerunt in captivitate ſua*.

Quæ adeò conveniunt cum ſenſu verſionis

Græcæ, *Aſpicient in me*, (lugentes) *quoniam inſultaverunt Gentiles in populum meum in captivitate ſua*, ut non poſſim ſuſpicari interpolationem in Græcis exemplaribus; quin credam potiùs κατωρχήσαντο eſſe ipſorum Interpretum, à quibus Euangeliſta noſter meritò hîc recedit.

Num cogitas figmentum de *Meſſia ben Joſeph* [ad quem Talmudici in *Succah*, fol. 52. 1. hæc verba *Zachariæ* applicant, ut & *Ab. Ezra* in locum] excogitatum fuiſſe, cùm cuderetur verſio Græca? Si non, quod opinor, tum probabile eſt Paraphraſten Chaldæum, ſenſum eum reddidiſſe, qui *tunc temporis* maximè obtinuit apud gentem, cum quo non malè congruit iſte Græcorum. Interpretibus ſecundùm vulgarem ſenſum gentis reddentibus, legerunt, ut videtur, רקדו pro דקרו, nam res iis non inſolita, cæcutire, vel ſeriò, vel nuganter, vel ex inſtituto, vel ex pura lippitudine. Nec mirum ſi Euangeliſta ab iis hîc recedat, cùm illi receſſerint à vera lectione, quam retinent ipſi Judæi etiam contra ſeipſos. Vocem retinent, ſed ſenſum abalienant; *Kimchius* præſertim, quem vide in locum. Targumiſta modeſtiùs, quàm vel ille, vel Talmudici: at longè ſatis etiam ab animo Prophetæ, ſed, ut videtur, non ab animo & ſententia gentis ſuper Prophetiam. Quam ſententiam ſecutos fuiſſe Græcos Interpretes vix negaveris, ſi admiſeris R. *Solomonem* pro ejus interprete.

CAP. XX.

VERS. 1. Τῇ δὲ μιᾷ τῶν σαββάτων, &c.

ET *percuſſit eos David* מהנשף ועד הערב למחרתם, 1 *Sam.* 30: 17. LXX. Ἀπὸ ἑωσφόρου ἕως δείλης καὶ τῇ ἐπαύριον, *A lucifere uſque ad veſperam, & in craſtina.* Vulg. *A veſpera uſque ad veſperam alterius diei.*

At Rabbini, in

Vajicra Rabba, fol. 188. 3. *Quid ſibi vult* למחרתם? שתי לילות ויום אחד. *Duas noctes & diem unum.*

Kimchi: A veſpera hujus diei ad veſperam craſtini, & tota illa veſpera ad diluculum diei inſequentis.

Computa ſpatium à ſepultura Chriſti ad ejus reſurrectionem, & congruunt tempora: & computa res ipſas. Iſto ſpatio devicit David Amalekitas: atque eodem ſpatio, devicit Chriſtus Mortem, Orcum & Satanam.

VERS. 5. Καὶ παρακύψας, &c.

Intra ſpeluncam ſtans, incurvat ſe ut deſpiciat in כוכין, locum ubi corpus poſitum, qui quatuor cubitis depreſſior & profundior erat, quàm area ſpeluncæ. De ſepulchretis vide *Bava Bathra*, cap. 6. hal. ult. quem locum adduximus atque explicavimus, *Centur. Chorograph.* cap. ult.

VERS. 12. Ἕνα πρὸς τῇ κεφαλῇ, καὶ ἕνα πρὸς τοῖς ποσίν.

Sic erant Cherubini ab utraque extremitate arcæ, *Exod.* 25: 18, 19. De iis qui erant in Templo *Solomontæo*, 2 *Paralip.* 3: 10. hoc non poſſumus non obiter notare ex

Bava Bathra, fol. 99. 1. *Onkelos Proſelytus dicit*, כרובים מעשה צעצועים, *Cherubini erant inſtar puerorum recedentium à Magiſtro.* Id eſt, Facie partim erga Magiſtrum versâ, partim erga viam quâ illi perrecturi. Nam, ut Gemariſtæ, *Cùm præſtaret Iſraël voluntatem Dei, alter in alterius faciem reſpexerunt Cherubini: at verò cùm non, tum reſpexerunt parietes.*

Nota *Onkeloſium* commentantem in hunc locum libri *Paralipomenun*: vix credo ſuper librum Targumizantem. *Targum* certè quod in manibus noſtris jam eſt, reddit כרובין תריין עובד שושנן, *Cherubini bini erant opere liliaceo.*

VERS. 17. Μή μου ἅπτου, οὔπω γὰρ ἀναβέβηκα, &c.

Reſpiciunt hæc verba iſta quæ dixerat antè de miſſione Paracleti, & quòd ſuos non derelicturus erat ut orphanos, &c. Quo intentum fuiſſe animum Magdalenæ, cùm pedes ejus amplexaretur, eſt probabile. At ille, Aſcendendum mihi priùs eſt ad Patrem, quàm iſta vobis exhibeam quæ promiſi: nè me ergò prehende & detine jam ſub iſta expectatione, ſed aſcenſionem meam expecta potiùs; atque eadem refer fratribus meis in eorum ſolatium.

VERS. 23. Ἄν τινων ἀφῆτε τὰς ἁμαρτίας, ἀφίενται.

Donaverat iis anteà poteſtatem *ligandi & ſolvendi*; & jam novum aliquid largitur, quod non donaverat anteà. Nam

I. Incongruum videtur, Chriſtum uti velle actione tam inſolitâ & novâ, qualis erat in eos inſufflatio, ut eandem tantùm iis donaret poteſtatem, quam donaverat antè.

II. Poteſtas *ligandi & ſolvendi* erat circa articulos & deciſiones Legis; hæc quam jam largitur eſt circa peccata hominum. Illa circa doctrinas, hæc circa perſonas.

Ut verba præſentia intelligamus, contexantur iſta quæ dicuntur, *Luc.* 24: 46. *Itá ſcriptum eſt, & ità oportuit Chriſtum pati, & reſurgere*

Digitized by Google

CAP. XX. VERS. 23. *gere à mortuis tertio die, & prædicari ejus nomine pœnitentiam & remiſſionem peccatorum apud omnes Gentes, incipiendo ab Hieroſolymis.* Quæ quidem verba protulit antequàm hæc noſtra proferret. Et nonne oriri ex iis Apoſtolis potuit hic ſcrupulus: Itane? Remiſſio peccatorum Hieroſolymitanis, qui manus ſuas commacularunt ſanguine ipſius *Meſſiæ?* Imò, inquit ille, *ſi quorum peccata vos remiſeritis, remittantur.* Quò etiam ſpectant verba ejus in cruce, *Pater, remitte iis,* &c. *Luc.* 23:34. Et quonam tandem fundamento, quâ fiduciâ potuerunt Apoſtoli remiſſionem peccatorum iis prædicare, qui Dominum ſuum, Dominum vitæ, tam nefariè & crudeliter trucidaverant, ſi non authoritate aliquâ à Domino ſuo peculiariter de iſta re, iis commiſſa?

Ἄν τινων κρατῆτε, κεκράτηνται.

Præter negativum quod in his verbis includitur; i. e. *Si non remiſeritis, non remittentur,* poſitivum aliquid etiam ſuperadditur. Conceditur nempe iis,

I. Poteſtas feriendi rebelles, morte aut plagâ aliquâ corporali.

II. Poteſtas tradendi Satanæ.

Unde enim *Petro* authoritas feriendi tam ferali fulmine *Ananiam* & *Sapphiram?* Unde *Paulo* excœcandi *Elymam*, & tradendi Satanæ *Hymenæum* & *Alexandrum*, ſi non ex hoc diplomate? Chriſtus ipſe tale quid nunquam exercuit. Morte aut plagâ corporali, nè unum quidem afflixit unquam, ſed mortuos aliquos reſuſcitavit, & afflictos corpore ſanavit infinitos. A Satana quamplurimos eripuit & liberavit, nè unum unquam ei tradidit. Ut hæc ergò præſtarentur ab Apoſtolis, neceſſe erat ut ſingulari aliquâ authoritate ab eo roborarentur: quam ſi non in hiſce verbis, ubinam tandem invenies? Cùm dotat ergò eos tali authoritate & poteſtate, qualem ipſe nunquam exercuerat, non mirum ſi ſingularem & inuſitatiorem, donandi eam, modum adhibeat, in eos ſcilicet inſufflando.

Dum inter poteſtates jam collatas, numeramus poteſtatem *Tradendi Satanæ*, longiſſimè abſumus ab iſta ſententia, quæ *tradere Satanæ* nihil aliud facit quàm *Excommunicare.* Quidnam phraſiologia iſta ſonuerit in auribus Judæorum, diſce ex hoc exemplo.

Succab, fol. 53. 1. הנהו תרתי כושאי דהוו דקיימי קמיה שלמה. *Duo iſti Cuſhitæ qui ſteterunt coram Solomone, Elshoreph & Abijah Scribæ, filii Shausbæ. Die quodam vidit Solomon Angelum mortis dolentem, & dixit ei, Quid doles? Reſpondit ille,* דקא רבעו מנאי הני תרתי כושאי דיתבי הכא, *Quia me obſecrant duo hi Cushitæ, ut hîc maneant.* מסרינהו לשעיר, *Tradidit eos Solomon Diabolo, qui adduxit eos ad limites Luz, cùmque jam pervenirent ad limites Luz, moriebantur.* CAP. XX. VERS. 23, 24.

Gloſſ. *Vocat eos Cushitas,* (Ironicè) *quia erant formoſi.* Obſecrant me ut hîc maneant. *Nam jam advenerat tempus mortis eorum: Verùm non potuit Angelus mortis animas eorum abripere, quia de iis decretum erat quòd non morerentur, niſi in porta Luz. Tradidit eos Solomon* לשדים, *Diabolis, nam ille regnavit ſuper Diabolos, ſicut ſcriptum eſt, Et ſedit Solomon Rex ſuper ſolium Domini; nam regnavit ille* על העליונין ועל התחתונין, *ſuper ſuperiora, & ſuper inferiora.*

De poteſtate Solomonis ſuper Dæmonia, loquitur & Joſephus.

Ἀρχαιολογ. lib. 8. cap. 2. Παρέσχε δ᾽ αὐτῷ μαθεῖν ὁ Θεὸς, καὶ τὴν κατὰ τῶν δαιμόνων τέχνην, &c.

Fides utriuſque hiſtoriæ eſto penès authores. Nos ex priori hoc obſervamus, quòd *tradere Satanæ*, ſenſu Judæorum, erat divinæ & miraculoſæ poteſtatis. Agnoſcimus iſtam in Apoſtolis, atque in Apoſtolis ſolis, originemque iſtius poteſtatis & authoritatis; ſi non ex verbis ſumes quæ ſub manibus, unde ſumes?

III. Poteſtas etiam donandi Spiritum Sanctum, hoc tempore concedi Apoſtolis, videtur, in iſtis verbis, *Accipite Spiritum S.* id eſt, Accipite ut detis. Nam quamvis quidem verum ſit, quòd Spiritum S. acceperunt alias ob rationes & fines, de quibus diximus; non excludendus eſt hic finis, qui quidem videtur inter omnes ſummus & nobiliſſimus, nempe quòd inſufflante in eos illo, acceperunt Spiritum S. cum hoc privilegio & authoritate, ut Spiritum S. largirentur aliis.

VERS. 24. Θωμᾶς ὁ λεγόμενος Δίδυμος, οὐκ ἦν μετ᾽ αὐτῶν.

I. Lexicographum hîc non agit Euangeliſta, ac ſi nominis Hebræi ſignificationem Græcè reddere vellet, ſed docet eum qui inter Hebræos vocatus eſt *Thomas*, inter Græcos vocatum fuiſſe *Didymum:* quod eſt ejuſdem ſignificationis. Non erat alius inter duodecim Apoſtolos, de quo ſic dicitur, *Simon* quidem vocatus eſt *Petrus*, quæ reverà erant duo nomina, ſic & *Nathanael* dictus *Bartholomæus:* aſt *Thomas* & *Didymus* non erant nomina duo, ſed nomen unum prolatum duabus linguis. Forſan natus eſt *Thomas* in loco aliquo ubi habitabant & Judæi, & Græci, qualis erat regio Decapolitana; atque inde à Judæis Hebræo ſuo nomine appellatus, à Græcis Græco.

II. Fugerant omnes Diſcipuli, & diſperſi ſunt, cùm prehenderetur Chriſtus, *Marc.* 14:50. excepto Petro & Joanne. Hinc *verſ.* 2. hujus Capitis, dicitur quòd *Magdalena venit ad Petrum & alium illum Diſcipulum*

CAP. XX. VERS. 25, 26, 29.

lum quem amabat Jeſus: nam novit ea ubi hos inveniret, non ubi reliquos. Diſſipati, ut videtur, egerunt Sabbatum; aſt audito tandem Dominum reſurrexiſſe, incipiunt ſeipſos iterùm conſociare. Aſt adhuc, non ad eos ſe receperat *Thomas*: atque abſuiſſet *Petrus* etiam, niſi viſo Domino, rediiſſet *Emmaunte*.

III. Abſens ergò Thomas, cùm in reliquos inſufflaret Chriſtus, atque Spiritum Sanctum impertiret, num iſto dono & privilegio privatus eſt per abſentiam? Minimè arbitror: nam privilegium illud erat commune privilegium Apoſtolatûs, & peculiare Apoſtolis: & quamvis propter abſentiam poterat eo caruiſſe, propter Apoſtolatum non potuit. Paulus longiſſimè abſens, cùm hæc fierent, & ab Apoſtolatu & à profeſſione Euangelica, cùm tamen factus eſt Apoſtolus, idem ſortitur privilegium.

VERS. 25. Ἐὰν μὴ ἴδω, &c.

Paris ὀλιγοπίστως reum judicant aliquando Moſen.

Shemoth Rabba, fol. 160. 1. *Cùm diceret Sanct. ben. Moſi, Deſcende, nam corrupit ſe populus tuus: prehendit ille tabulas, & non credidit quòd Iſraël peccaverat, dicens,* אם איני רואה איני מאמין, *Si non videro, non credam.*

Midr. Till. fol. 38. 4. *Racha, non credidiſſes, niſi vidiſſes?*

VERS. 26 Θυρῶν κεκλεισμένων.

Non promptè mihi perſuaſeris, animum Euangeliſtæ in hiſce verbis eſſe, ut doceat corpus Chriſti penetraſſe fores; quin clauſas eſſe fores propter metum Judæorum, ut *verſ.* 19. quod & repetit hoc etiam commate, ut doceat Diſcipulos & adhuc fuiſſe Hieroſolymis, ubi maximum à Judæis periculum. Craſtino die, ut probabile, pergunt versùs Galilæam.

VERS. 29. Μακάριοι οἱ μὴ ἰδόντες, καὶ πιστεύσαντες.

Tanch. fol. 8. 1. *Dicit R. Simeon ben Lachish, Dilectus eſt Proſelytus coram Sancto ben. magis quàm iſta turba quæ ſtetit ante montem Sinai. Nam illi, niſi vidiſſent tonitrua & flammas, & fulgura, & montes trementes, & vocem tubarum, non excepiſſent Legem. At Proſelytus non vidit quicquam horum, & tamen venit, & devovet ſeipſum Sancto ben. & ſuſcipit in ſe regnum cœlorum.*

CAP. XXI. VERS. 2, 3, 5.

CAP. XXI.

VERS. 2. Σίμων Πέτρος, καὶ Θωμᾶς, &c.

NUmerantur ſeptem Diſcipuli, ſed nominantur tantùm quinque. Non nominatos conceperim ego eſſe *Philippum* & *Andræam*: & quatuor abſentes, fuiſſe filios *Alphæi, Matthæum, Judam, Simonem, Jacobum.* Confer nominatos *Cap.* 1. & non immeritò ſuſpiceris anonymum illum *verſ.* 37, 40. fuiſſe *Thomam*.

VERS. 3. Ὑπάγω ἁλιεύειν.

Amandaverat Diſcipulos Chriſtus in montem in Galilæa, *Matth.* 28:16. ubi iis adhuc non apparuerat, ut planum eſt ex *verſ.* 14. Unde mirandum, quòd abeſſe audent ab iſto monte, & quòd quatuor abeſſe audent à reliquo cœtu. Norunt abſque dubio montem; & ſi non norunt etiam tempus quo expectanda apparitio Chriſti, cur non in monte ſemper commorantes, præſtolantur ejus adventum?

Videtur quòd non expectarent eum apparituturum, niſi die Dominicâ, quæ adhuc non advenerat, ex quo venerant illi in *Galilæam*. Et forſan filii *Alphæi* ad ſuos ſe contulerant in *Nazaretham*, in reditu ſuo ab Hieroſolymis, ſtatuentes ſeſe ad montem iſtum adeſſe die Dominicâ. Habitarunt hi ſeptem propiùs à monte, qui erat prope *Capernaumum*, & circa mare Galilææ: *Nathaniele* ſolùm excepto, qui remotiùs aliquantùm in *Cana*, versùs extrema maris Borealia. Ille ad ſua adhuc non perrexerat, ſed hìc, expectans tempus præſtitutum, commoratur. *Petrus* & *Andreas* habitabant in *Capernaumo*, atque illìc, ut probabile, *Jacobus* & *Joannes*: *Philippus* in *Bethſaida*; & *Thomas*, ut per nomen ſuum Græcum *Didymus*, conjectare licet, inter Syro-Græcos in *Gadara* aut *Hippo*, aut loco aliquo in regione iſta Decapolitana, non longè admodùm à *Geneſaretha*.

VERS. 5. Παιδία.

Quocunque tandem vocabulo ſenſum hujus protulerit Salvator, ſive תינוקות, ſive טליא, ut Syrus, ſive דרדקיא, ſive בניא, videtur familiari & molli hac compellatione uti, ut Diſcipuli eum ex illa ipſa noſcerent. Ex intuitu eum non norunt, ut *verſ.* 4. noſcant jam ex compellatione.

Προσφάγιον.

מזון לסעודה, quod frequentiſſimum apud Rabbinos, poteſt non incongruè ſic reddi,

reddi, *προσφάγιον*, i. e. *Cibus pro una repaſtione:* quaſi diceret Chriſtus, Pueri, num cibum habetis ſufficientem in jentaculum, aut prandium? Vel ſi *προσφάγιον* denotet *cibum quo cum pane veſcerentur*, ut Camerarius, tum ſonant verba Chriſti, En panem hìc apud me paratum; num vos aliquid captaſtis, quo veſcamur cum pane? ità ut מזון, *cibus*, diſtinguatur à לחם, *pane*.

VERS. 15. Ἀγαπᾷς με πλεῖον τούτων.

Et quare tandem *πλεῖον τούτων?* Nonne ſatis fuit dixiſſe, Num amas me *ſicut* hi? Nam quânam ratione expectandum ut ille eum amaret *plus* quàm cæteri? Præſertim verò quàm *Joannes*, quem Chriſtus ipſe ità amavit, & qui Chriſto ità adhæſerat?

At refricat Salvator *Petro*, idque cum aliquali ſeveritate & correptione, nuperam ejus confidentiam. Dixiſti nuper, ô *Simon*, te nunquam me deſerturum, quanquàm omnes hi me deſererent. Profeſſus es ſupra, omnes hos, te me comitaturum ad carcerem, ad mortem, imò pro me depoſiturum vitam tuam: & quid jam ais, ô *Simon?* Nam & adhuc diligis me *plus* quam hi? Si paratus es & adhuc vitæ tuæ jacturam pro me facere, *Paſce oves meas*, & meâ causâ pro iis eam expone periculo, & depone.

Βόσκε τὰ ἀρνία μου.

Si peculiare quid in hac tergeminatione *Paſce*, *Paſce*, *Paſce*, inſinuetur, vix aptiùs applicueris, quàm ad tergeminum objectum miniſterii *Petri*, Gentiles, Judæos, & Iſraëlitas de decem Tribubus.

I. Commiſſæ ſunt ei claves regni cœlorum à Domino ſuo, *Matth.* 16. ut oſtium fidei atque Euangelii aperiret Gentilibus, quod & fecit in Euangelizatione ſua ad *Cornelium*.

II. In diſtributione Euangelizationis trium miniſtrorum circumciſionis, obtigit ei ſors inter Hebræos in *Babylonia: Jacobo* inter Hebræos in *Palæſtina* & *Syria: Joanni* inter Helleniſtas *Aſianos*.

III. Et cùm Hebræis in *Babylonia* commixti ſunt *Iſraëlitæ* de decem Tribubus, atque ad eos etiam pervenit Euangelium per miniſterium *Petri*; quod fuſiùs oſtendimus alio in Tractatu.

Huc ergò planè tendunt verba Salvatoris: ut reminiſcens Petrus, quali confidentiâ præ ſe tulerit, ſe Dominum ſuum amare plus quàm cæteri, & quantâ ſtrenuitate vitam ſuam promiſerat pro eo deponendam, jam zelum iſtum exerat & exerceat in paſcendis ovibus Chriſti. Pro vita mea, ô Simon, tuam jam, quod pollicitus es, non potes deponere: nam ego propriam depoſui & reſumpſi. At paſce oves meas, & pro illis vitam tuam depone, cùm requiretur.

Primatum ergò Petri non tam eloquuntur hæc verba, quam periculum, nec tam privilegium, quàm officii vinculum, & tandem martyrium: nam huc digitum ſuum intendiſſe Salvatorem, ex hoc etiam planum eſt, quòd immediatè loquatur de Petri martyrio, *verſ.* 18.

VERS. 22. Ἐὰν αὐτὸν θέλω μένειν ἕως ἔρχομαι.

Id eſt, Donec ego veniam ad excidendam urbem gentemque Judaicam. De phraſiologia pauca.

Dicit Chriſtus, *Matth.* 16: 28. *Sunt quidam ex his qui hìc aſtant qui non guſtabunt mortem, uſque dum videant Filium hominis venientem in regno ſuo:* quod nequaquàm intelligi poteſt de adventu ejus in ultimo judicio; nam non erat de aſtantibus vel unus eòuſque victurus: nec intelligi poteſt de reſurrectione & aſcenſione ejus, ut volunt quidam; nam ferè omnes ibi tum aſtantes ad illud temporis pervenerunt: ſed de adventu ejus ad vindictam ſumendam de inimicis iſtis ſuis qui noluerunt eum ipſis dominari, ut *Luc.* 19: 12, 27.

Forſan non pœnitebit lectorem Scripturarum, hæc pauca obſervare.

I. Quòd excidium Hieroſolymæ, & ſtatûs Judaici deſcribitur, ac ſi excidium foret totius univerſi, & diſſolutio ipſius compagis machinæ mundi. Nec mirum, cùm Deus habitationem urbemque ſuam, loca olim ſibi dilectiſſima, tam dirâ & funeſtâ demolitione dirueret: populumque proprium, qui ei inſtar totius mundi fuerat, tam feralibus & ſtupendis plagis exſcinderet.

Matth. 24: 29, 30. *Sol obſcurabitur*, &c. *Et apparebit Filius hominis*, &c. Quæ tamen dicuntur eventura intra iſtam generationem, *verſ.* 34.

2 *Pet.* 3: 10. *Cœli cum ſtridore magno tranſibunt, elementa æſtuantia diſſolventur*, &c. Quæ confer cum *Deuter.* 32: 22. *Hebr.* 12: 26. & obſerva per *Elementa* intelligi Moſaica, *Gal.* 4: 9. *Coloſſ.* 2: 20. & non dubitaveris, eum non niſi de conflagratione Hieroſolymorum loqui, de ſubverſione gentis, & de annihilatione Oeconomiæ Moſaicæ.

Apocal. 6: 12, 13. *Sol factus eſt ut ſaccus cilicinus*, &c. *Et cœlum receſſit ſicut liber convolutus*, &c. Ubi, ſi animadverteris plagas antecedentes, quibus, ſecundùm frequentiſſimas comminationes populum iſtum perdidit, Gladium, *verſ.* 4. Famem, *verſ.* 5, 6. & peſtem, *verſ.* 8. contulerîſque verba iſta, *Dixerunt montibus & petris, Cadite ſuper nos*, cum *Luc.* 23: 30. patebit ſatis per phraſiologias intelligi

Digitized by Google

intelligi tremendum iſtius gentis urbiſque judicium & excidium.

Conſonat & illud *Hierem.* 4:22, 23, 24, 25, 26, 27. & phraſiologiam clarè explicat. Huc ſpectant iſta & iſtiuſmodi,

1 *Cor.* 10:11. *In nos fines ſæculorum devenerunt.*

1 *Pet.* 4:7. *Omnium finis imminet.*

II. Sub hac notione & relatione, tempora excidium iſtud præcedentia vocantur, *Ultimi Dies*, vel *Ultima tempora*, אחרית הימים, Id eſt, Ultima tempora urbis, Gentis, & Oeconomiæ Judaicæ. Occurrit modus loquendi frequentiſſimè: cujus interpres eſto hic noſter, 1 *Joann.* 2:18. *Multi Antichriſti ſunt, unde ſcimus quòd eſt ultimum tempus:* & quod Gens iſta vergit jam quàm proximè in ruinam, cùm enatus jam ſit ultimus & ſummus apex infidelitatis, Apoſtaſiæ & nequitiæ.

III. Et pari relatione tempora & rerum ſtatus excidium Hieroſolymitanum ſubſequentia, vocantur *Nova Creatio*, & *Novum Cœlum*, & nova terra.

Eſaj. 65:17. *Ecce creo novos cœlos & novam terram.* Quandonam illud? Perlege Caput, & vides Judæos rejectos & exciſos, & exinde nova illa creatio mundi Euangelici inter Gentiles.

Confer 2 *Cor.* 5:17. & *Apocal.* 21:1, 2. ubi exciſâ veteri Hieroſolymâ, ſtruitur nova, & creantur novi cœli & nova terra.

2 *Pet.* 3:15. *Nos ſecundùm ejus promiſſionem expectamus novos cœlos & novam terram.* Conflagratura ſunt cœlum & terra Eccleſiæ & Reipublicæ Judaicæ, & elementa Moſaica igne abſumentur. At nos iſtis abſumptis, ſecundùm promiſſionem illam per Eſajam, expectamus novam creationem ſtatûs Euangelici.

IV. Dies, & tempus, & modus iſtius vindictæ in illum populum, vocantur *Dies Domini*, *Dies Chriſti*, *Adventus ejus in nubibus*, *in gloria*, *in regno ſuo*. Nec ſine ratione: nam forma loquendi hinc deſumitur,

Quoniam Chriſtus nonniſi in humilitate ante iſtam vindictam apparuerat: à Judæis contemptus, blaſphematus, occiſus: Euangelium ejus ſpretum, deriſum, conculcatum: Diſcipuli odio, perſecutione, morte inſectati. At tandem manifeſtat ſe in gloria, regno, poteſtate ſua, hoſtes iſtos acerrimos coram facie ejus trucidari faciens.

Actor. 2:20. *Priuſquàm veniat Dies Domini magnus & terribilis.* Obſervetur ut Petrus propheriam *Joëlis* applicet ad ipſiſſima iſta tempora; & ſine commentario planum eſt, quiſnam ſit Dies iſte Domini.

2 *Theſſal.* 2:2. *Ac ſi dies Chriſti appropinquaret*, &c. Huc pertinent iſta, *Hebr.* 10:37. *Adhuc enim modicum quantumcunque, & qui venturus eſt veniet.*

Jacob. 5:9. *Ecce judex ſtat præ foribus.*

Apocal. 1:7. *Ecce venit in nubibus:* & 22:2. *Ecce venio citò.* Varia ſunt iſtiuſmodi, quæ omnia intelligenda de Chriſto veniente in judicio, & vindictâ contra nequiſſimam iſtam Gentem: & ipſo iſto ſenſu hæc quæ ſub manibus, *Volo ut maneat donec veniam.* Ad te quod attinet, ô Petre, tu à contribulibus tuis Judæis patieris mortem: at quòd ad hunc, volo ut maneat, donec ego veniam, vindictam ſumpturus de iſta generatione; & ſi ſic velim, quid id ad te? Interpretationem iſtam firmat & utriuſque hiſtoria: nam omnibus in conceſſo eſt, *Petrum* martyrio coronatum ante excidium Hieroſolymitanum, & *Joannem* ſupervixiſſe.

VERS. 24. Καὶ οἴδαμεν ὅτι ἀληθὴς ἐστιν ἡ μαρτυρία αὐτοῦ.

Dixerat *Cap.* 19:35. Κἀκεῖνος οἶδεν ὅτι ἀληθῆ λέγει. At hic perſonam mutat, & dicit, καὶ οἴδαμεν.

I. Crederes talem eſſe idiotiſmum in lingua Chaldaica & Syra, ut οἴδαμεν idem ſit quod οἶδα: quod & in aliis linguis uſitatum. *Joſ.* 2:9. ידעתי, *Novi.* Targ. habet ידענא, quod crederes eſſe, *Novimus.* 1 *Sam.* 17:28. אני ידעתי. Targ. אנא ידענא. Sic apud Talmudicos נהירנא: אמינא, quod videtur eſſe, *ſcimus*, *dicimus*; & quidem aliquando, imò frequentiſſimè ſic ſignificant: ſed includitur aliquando vox אנא: ut ידענא ſit ידע אנא, & ſic de reliquis. Quod & apparet clariſſimè in locutione iſta.

Beracoth, fol. 56. 1. אימא לי מאי חוינא בחלמאי, *Dic mihi quid viſurus ſum in inſomnio meo.* Nam ſic reddendum eſſe, *Viſurus ſum*, docet Gloſſa & contextus: ubi חוינא eſt חוי אנא. Non igitur οἴδαμεν hìc ſumemus pro οἶδα, quamvis ſenſus iſte non ſit incongruus, ſed

II. Supponimus Euangeliſtam & hìc & *Cap.* 19:35. reſpicere teſtem ocularem, vel αὐτόπτην. Nam in cauſis omnibus judicialibus teſtimonium oculare obtinuit. Si quis teſtaretur ſe rem actam vidiſſe, Μαρτυρία αὐτοῦ ἦν ἀληθὴς, teſtimonium ejus erat acceptandum. Nam נאמן, Ἀληθὴς, cùm de teſtimonio dicitur, non nudè *verum* ſignificat, ſed illud quod erat credendum & acceptandum pro teſtimonio firmo & irrefragabili. Ità ut hæc verbà hoc velint, *Hic* eſt Diſcipulus qui de his teſtatur, & hæc ſcripſit; & novimus omnes tale teſtimonium in omnibus judiciis obtinere, nam vidit quod teſtatur.

Digitized by Google

HORÆ HEBRAICÆ
ET
TALMUDICÆ
IMPENSÆ IN
ACTA
APOSTOLORUM.

Digitized by Google

Digitized by Google

HORÆ HEBRAICÆ ET TALMUDICÆ IMPENSÆ IN ACTA APOSTOLORUM.

CAPUT I.

VERS. 1. Τὸν μὲν πρῶτον λόγον ἐποιησάμην, &c.

CAP. I. VERS. 1. HUc adducamus (nam & hucuſque extendi poteſt) illud quod dicitur ab Hiſtoriographo hoc noſtro in ipſo Euangelii ſui limine, Ἔδοξε κἀμοὶ καθεξῆς σοι γράψαι. Ubi καθεξῆς, non ſolùm ordinatam ſeriem actionum Chriſti videtur polliceri, ſed & ſucceſſivè ordinatam hiſtoriam actionum Apoſtolorum. Nam & hæc, quæ in hoc libro continentur, inter Πράγματα πεπληροφορημένα benè etiam poſſunt recenſeri. Atque indicat ipſe ſtylo ſuo, hoc ipſo in loco, in animo ſibi fuiſſe conjunctas haſce ſcribere hiſtorias: contexere ſcilicet primùm narrationem de actionibus & doctrinâ Chriſti, & deinde ordine ſuo literis mandare acta & dicta Apoſtolorum.

Rerum plurimarum, quæ hoc in libro continentur, Lucas ipſe erat Αὐτόπτης, imò & pars aliqua: at quatenus fuerit ſpectator actionum Chriſti, in altero ſuo libro contentarum, nemo dixerit. Ambigua ſunt illa in præfatione iſtius operis, Ἔδοξε κἀμοὶ πᾶσιν ἄνωθεν παρηκολουθηκότι, & lectorem quærentem relinquunt, An ille aſſecutus ſit omnia à principio, eo tantùm modo, quo & illi, qui hiſtorias Euangelicas compingere aggreſſi ſunt ab ore Αὐτοπτῶν καὶ ὑπηρετῶν τοῦ λόγου. An verò omnia aſſecutus ſit à principio, ipſemet Αὐτόπτης à principio exiſtens & ὑπηρέτης. An denique per Ἄνωθεν non effatur, ſe cœlitùs atque à ſupernis omnia eſſe aſſecutum. Poſtremum hunc ſenſum nos amplectimur in iſtum locum: utpote quòd extra omnem controverſiam ſit, eum cœleſti afflatu calamum dirigente ea ſcripſiſſe quæ ſcripſit. An verò ſecundus hic ſit admittendus, (nam primum rejicimus penitùs) ſcrutinio lectoris determinandum relinquimus: An ſcilicet Lucas inter eos fuerit, qui Chriſto adhæſerunt à prima ſua Euangelizatione. CAP. I. VERS. 1, 2.

Ὧν ἤρξατο Ἰησοῦς ποιεῖν, &c.

Agnoſcimus vulgarem dialectum, cui, *Incepit facere*, idem ſonat quod *Fecit:* at ſupponimus phraſiologiam hoc in loco ſumendam eſſe relativè. Ac ſi dixiſſet: In priori codice ſermonem habui de omnibus, quæ Jeſus ipſe *incepit* facere & docere; in hoc dicturus ſum de iis, quæ poſt eum *continuata* ſunt per Apoſtolos.

VERS. 2. Διὰ Πνεύματος ἁγίου.

Variè hæc diſponuntur ab Interpretibus.

Syrus, & Arabs unus, Beza atque *Jeal.* hæc ſubjungunt poſt οὓς ἐξελέξατο, ut ſenſus ſit, Præcipiens Apoſtolis, *quos elegerat per Spiritum Sanctum.*

Arabs autem alter, ut & Vulg. Gallic. Angl. retinent ordinem verborum, quo ſunt in contextu Græco. Sic interpretantes rectiſſimè, *Præcipiens Apoſtolis per Spiritum Sanctum:* quod & à Deo factum olim cum Prophetis,

phetis, per afflatum Spiritus iis dictante, quid docerent & concionarentur.

Ejecerant quidem Apoſtoli Dæmonia, & ſanârant morbos per Spiritum: at dubitare licet, an aliquid *docuerant*, quod non verbatim audiverant ab ore Magiſtri. Promiſerat ille iis, eos Legem Moſis ligaturos & ſoluturos; dixerat is plurima ſupereſſe iis revelanda, quæ adhuc ferre non poterant, de quibus illi inſtruendi per afflatum Spiritûs. Cùm ille ergò reſurrexerat, ſufflaratque iis in faciem, dicens: *Accipite Spiritum Sanctum*, exinde illi imbuti Spiritu, ut olim Prophetæ, per quem dictatum eſt iis quid concionarentur, quid exigerent, quid ſtatuerent. Et jam nihil iis deeſt, niſi donum linguarum, ut, quod dictatum eſt, omnibus in propriis ſuis idiomatibus enuntient.

VERS. 3. Δι' ἡμερῶν τεσσαράκοντα ὀπτανόμενος αὐτοῖς.

Sanhedr. fol. 43. 1. *Traditio. Veſperâ Paſchatis ſuſpenderunt Jeſum. Et præco anteceſſit eum per quadraginta dies, dicens, Prodit ille lapidandus, quia præſtigiis eſt uſus, & decepit, & ad apoſtaſiam ſeduxit Iſraëlem. Quicunque poteſt aliquid pro ejus innocentiâ teſtari, prodeat, & teſtetur. At non invenerunt quempiam qui teſtaretur.*

Ipſe propriæ innocentiæ jam ſatis atteſtatur, ô lingua præcidenda, quadraginta diebus verſans inter homines poſt reſurrectionem ſuam à morte, per quam detineri non potuit propter ſuam innocentiam.

Ibid. fol. 99. 1. *Traditio. R. Eliezer dicit, Dies Meſſiæ ſunt quadraginta anni, ſicut dicitur: Quadraginta annis* אקוט בדור, *offenſus ero huic generationi.*

Gloſſ. *Quoniam eſt* אקוט, (tempore futuro) *indicium eſt quòd vaticinatur de futuro.*

Ingenuè facis, ô Judæe, quod rebellem atque infidelem iſtam generationem in diebus Meſſiæ, in parallelo ſiſtis, cum rebelli atque infideli generatione in eremo: erit enim utraque faſtidium atque offenſio Dei per quadraginta annos. Et ſicut numerati ſunt quadraginta iſti anni in eremo, ſecundùm quadraginta dies, in quibus facta eſt exploratio terræ, *Numer.* 14:34. ſic numerentur etiam quadraginta hi anni *Meſſiæ*, ſecundùm quadraginta dies, quibus ille verſatus eſt inter mortales, poſt reſurrectionem ſuam à morte. At cautè numera, nè impingas in ipſo limine circa annum *Tiberii*, quo Chriſtus reſurrexit, & nè titubes in fine circa annum *Veſpaſiani*, quo capta eſt *Hieroſolyma*. Ἑάλω μὲν Ἱεροσόλυμα, inquit Joſephus, ἔτει δευτέρῳ τῆς Οὐεσπασιανοῦ ἡγεμονίας. *De excid.* lib. 6. cap. 47. Cùm reverà ſecundùm Faſtos Conſulares eſſet anno ejus primo: at ſecundo quidem, ex quo declaratus eſt ille Imperator ab exercitu. Ipſis Calendis Julii ſalutatur ille Imperator ab exercitu in Ægypto, & V. Idus Julii in Judæâ. Calendis ergò Julii anni ſequentis expletus eſt ei annus primus à declarato eo Imperatore; at dimidium tantùm anni ſui primi computo Faſtorum. Exciſa autem eſt Hieroſolyma, octavo Septembris ſequentis.

VERS. 4. Καὶ συναλιζόμενος μετ' αὐτῶν, παρήγγειλεν αὐτοῖς, &c.

Quærimus de loco & tempore, ubi & quando hæc acta & dicta.

I. Vocem Συναλιζόμενος deducimus non ab Ἅλς, *Sal*, ſed Ἁλία, *Cœtus*, *congregatus*. Sic Lexica. Ἁλία, *Congregatio*, Ἐκκλησία, Ἄθροισμα, *Cœtus*.

Herodot. Polymn. cap. 12. Προείπας ἁλίζειν Πέρσῃσι στρατόν. *Cùm jam Perſis, ut copias cogerent, denunciaveris.*

Idem, Clio, cap. 126. Τά τε αἰπόλια καὶ τὰ βουκόλια ὁ Κῦρος πάντα τοῦ πατρὸς συναλίσας εἰς τοῦτο ἔθυε. *Coactos in unum caprarum, ovium & boum greges patris ſui, Cyrus mactat*, &c.

II. Chriſtus poſt reſurrectionem, Diſcipulis nunquam apparuit, niſi ex inopinato, & non expectatus, exceptâ tantùm apparitione ejus in monte *Galilææ*, ubi conventionem ipſe indixerat, conſtituerat que, *Matth.* 28:16. Huc ego verba quæ tractamus, retulerim, ut Συναλιζόμενος μετ' αὐτῶν hoc denotet: Congregatus cum iis in monte *Galilææ*, ubi ipſe conventionem indixerat. Nec obſtat illud quod dicitur Ἀπὸ Ἱεροσολύμων μὴ χωρίζεσθαι, ac ſi jam eſſent *Hieroſolymis*; cum & verba proximè ſequentia, οἱ μὲν συνελθόντες, *verſ.* 6. conventum eorum iſto in loco indicent, & verba παρήγγειλεν αὐτοῖς, &c. optimè ſumi poſſint: Juſſit ut concedant illicò Hieroſolymas, nec inde diſcedant.

III. Opinamur igitur, hæc acta & dicta eſſe in monte *Galilææ*, (ubi coactos credimus quingentos fratres, 1 *Cor.* 15:6.) idque appropinquante jam tempore aſcenſionis ejus. Nam ipſa ſuadet ratio, eos non tardaſſe reditum ſuum ad urbem, cùm ille eos illuc amandaſſet; nec illum eos illuc amandaſſe, niſi cùm appropinquaret jam tempus, quo ille eos ibi conventurus erat.

Et cùm addat, & eodem loco & ſermone, Οὐ μετὰ πολλὰς ταύτας ἡμέρας, *verſ.* 5. neceſſe eſt, ut vox ταύτας vim ſuam retineat; nam non additur fruſtra. Et reſpicere videtur dies adhuc intercurſuros ad Pentecoſten.

Frequens eſt mentio apud Magiſtros, de פרס הפסח, *Paras Paſchatis*, & פרס עצרת, *Paras*

Digitized by Google

CAP. I. VERS. 6. *Paras Pentecoſtes*, & פרס החג, *Paras Scenopegiæ*. פרס, *Paras* autem, ipſis Interpretibus, erat ſpatium quindecim dierum ante feſtum. Ità ut elapſis triginta quinque diebus à Paſchatis die ſecundo, inciperet פרס העצרת, *Paras Pentecoſtes*. Secundus autem dies τῶν quindecim iſtorum, erat hoc anno Dies Dominicus, in quo ego ferè conceperim fuiſſe conventionem iſtam in monte *Galilææ*, Diſcipuloſque inde ad Hieroſolymam amandatos, illîc appuliſſe intra ſequens triduum. At, nè coarctemus rem intra ſpatium tam anguſtum, & nè curioſi nimis ſimus circa ipſum diem, vix verba Συναλιζόμενος μετ' αὐτῶν, me judice, aptiùs applicueris, quam ad conventionem iſtam in monte *Galilææ*, ab ipſo Chriſto indictam & conſtitutam.

Inde ille eos amandat ad Hieroſolymam, in quam urbem ſanguine Domini ſui jam cruentatam, parùm animi forſan illis redeundi, abſque ſpeciali aliquo mandato; & putaſne eos feſtum Pentecoſtes celebraturos, vel etiam adfuturos, iſthòc loci, niſi jubente Magiſtro?

VERS. 6. Εἰ ἐν τῷ χρόνῳ τούτῳ ἀποκαθιστάνεις τὴν βασιλείαν τῷ Ἰσραήλ;

Quòd ſomniarent Apoſtoli cum reliquâ gente de regno Chriſti terreno, patet ſatis: at videntur hîc aliquantum hæſitare, aut quidem de re ipſâ, aut ſaltem de tempore, idque nec immeritò, reſpectu rerum iſtarum quæ nuper occurrerant. An jam, Domine, regnum iis reſtitues, qui te ſic tractarunt? An huic generationi, quæ ſub reatu effuſi ſanguinis tui ità ſuccumbit? An quidem genti huic omninò, quæ per ſcelus nuper patratum, ſe penitùs indignam tanto beneficio reddidit?

Et quod reſpondet Salvator, *Non eſt veſtrum noſſe tempora*, nè vel tantillum innuit tale regnum unquam futurum, ſed apertè curioſitatem eorum circa exquirenda tempora redarguit, & aliquantum opinionem ipſam, cùm dicit: *Vos accipietis virtutem de cælo, & eritis mihi teſtes*, &c.

Quidnam gens conceperit de regno Meſſiæ terreno, in plurimis eloquuntur planè: aſt in aliis quæras, & vix eſt quo ſatisfiat. Obſcuriora ſunt hæc tria, ut alia omittamus.

I. An decem Tribus ſint ad felicitates hujus regni admittendæ? Nam de hâc re diſputant ipſi Magiſtri.

Sanhedr. cap. *Chelek*, halac. 7. *Decem Tribus non ſunt rediture.*

At Hieroſolymitanis redditur: *Decem Tribus non habent portionem in mundo futuro*, ואינן חושין לעתיד לבוא, *Nec videbunt ævum futurum*. Quod apud Babylonicos diſcutitur, An ſcilicet hoc non intelligendum ſit de individuis iſtis perſonis ſolùm, quæ abductæ ſunt per regem Aſſyriorum: ut illæ quidem non futuræ ſint participes beneficiorum Meſſiæ; at poſteri eorum participes futuri. Latere igitur poteſt ambiguitas aliqua in voce Ἰσραήλ, in verbis præ manibus, nempe an in conceptu loquentium concludat decem Tribus, necne? Nomen enim *Iſraël* vulgariſſimè intelligitur à Judæis de Judæis ſolùm, in contradiſtinctione ad decem Tribus, ità ut ſeipſos *Iſraëlem* vocent, & decem Tribus, diſtinctivè *Decem Tribus*. Quo ſenſu & quâ diſtinctione illud ab Apoſtolo dictum videtur: *Hebræi? Sic ego. Iſraëlitæ? Sic ego*, 2 *Cor.* 11:23.

II. Quid ſentiendum de duobus Meſſiis, *Meſſiâ ben David*, & *Meſſiâ ben Joſeph*, vel *Ben Ephraim*, ut vocantur à Targumiſta, *Cant.* 4:5. An illi ſimul regnaturi, hic inter decem Tribus, ille inter duas; an ſucceſſivè uterque ſuper totam gentem? *Meſſias ben Joſeph* eſt occidendus, *Succah*, fol. 52. 1. Et tum quid fit de ejus ſubditis, ſive illi de decem, ſive de duabus Tribubus ſint, ſive utrumque.

III. Quærere licet, an conceptum ſit, Meſſiam ſolum eſſe regnaturum; an regem, aut reges aliquos ſub ſe, aut poſt ſe ſubſtituturum? Probabile videtur iis, Meſſiam per annos ſuos millenos regnaturum ſolum: ſed ævo iſto, quod vocatur עתיד לבא (ſi modò æternitatem non velit) quid tùm agendum? An reges tùm ſubſtituendi de ſtirpe Davidis? Nihil niſi terrena ſomniare illi poſſunt, & qualis ſtatus futurus ſit iſte עתיד לבא, ſi ex tali ſomnio ſit æſtimandum, conjectare licet quid tùm agendum. Sed quid erroris veſtigia premimus? ubi nec eſt, ubi pedem figas, & quò longiùs pergis, laberis magis.

Quale regnum conceperint Apoſtoli, non facile eſt conceptu. Aliquid quidem habuerunt, quod fovere poſſet opinionem iſtam de regno terreno, quâ à pueritia fuerant fermentati, nempè quòd evenerat reſurrectione & Chriſti ipſius, & plurimorum ſanctorum, atque à reſurrectione quadam inchoandum eſſe regnum Meſſiæ, didicerant à traditionibus: at qualiter Chriſtus jam regnaturus? Corpus ejus ſpirituale jam redditum, modò hic eſt, modò evaneſcit, modò apparet, modò diſparet; & qualiter hoc conveniet cum mortalibus? Supponunt quidem traditiones, Meſſiam fortè futurum מן רמכיא, unum de mortuis: at cùm redivivus, tale corpus geſtaturum, quale & alii homines. Sic concipitur à quibuſdam in

Sanhedr. fol. 92. 2. Mortuos iſtos, de quibus mentio *Ezech.* 37. revixiſſe, in terram Iſraëliticam rediiſſe, uxores duxiſſe, liberos generaſſe: *Imò ego ſum unus de poſteris eorum*, *inquit R. Judah ben Betirah*, *atque hæc Phy-*

CAP. I. VERS. 12. *lacteria, quæ legavit mihi avus meus, ipſorum erant.* Quid de corporali præſentia Chriſti in hoc ſuo regno, quod ſomniant, Apoſtoli ſenſerint, quis poteſt vel imaginari?

VERS. 12. Σαββάτου ἔχον ὁδόν.

De itinere Sabbatico aliquid diximus ad *Luc.* 24. Adjiciamus pauca.

Maimon. Shabb. cap. 27. *Quicunque tranſgreditur limites urbis Sabbato, vapulet. Quia dicitur: Nè exeat quis è loco ſuo die ſeptimo Locus hic eſt limes urbis. Lex autem non determinat ſpatium hujus limitis. At ſapientes definiunt, quòd hic limes ſit ab extrà ad duodecim milliaria, ſecundùm caſtra Iſraëlis. Nam ſic dixit iis Moſes Magiſter noſter: Non exibitis è caſtris.*

Verùm ex verbis Scribarum decernitur: Nè exeat quiſquam extra urbem, niſi bis mille cubitis. Ultra autem bis mille cubitos, prohibetur: nam bis mille cubiti ſunt ſuburbana civitatis. Et proindè diſcas, quòd liceat homini ambulare Sabbato per totam civitatem, ſit licet ſpatioſa ſicut Niniveh, cinctáne ſit muris, an non. Licet etiam ei incedere extra civitatem ad bis mille cubitos ab unoquoque latere. At ſi progreſſus fuerit ultra bis mille cubitos, verberant eum מכת מרדות, *percuſſione rebellionis, ſi nempè procedat ad duodecim milliaria: ſi verò progrediatur ab urbe longiùs, quàm ad duodecim milliaria, etiam cubito uno, vapulat ex lege.*

Commentemur aliquantùm.

I. Creditum erat vulgò, quòd caſtrametatio Iſraëlitarum in eremo, eſſet quadraturæ duodecim milliarium.

Targ. Jonath. in Numer. 2. *Caſtrorum Iſraëlis longitudo erat duodecim milliarium, & latitudo erat duodecim milliarium.*

Kimch. in Joſ. 3. *Latitudo aquarum* (diſſectarum in Jordane) *erat duodecim milliarium, ſecundùm caſtra Iſraëlis, ſicut exponunt Rabbini noſtri.*

Sotah, fol. 34. 1. *Et ſteterunt aquæ deſcendentes deſuper, ſteterunt acervo uno,* Joſ. 3:16. *Et quanta earum altitudo? Duodecim milliarium ſuper duodecim milliaria ſecundùm caſtra Iſraëlis.*

Ubi Gloſſ. *Caſtra Iſraëlis erant duodecim milliarium ſuper duodecim milliaria,* [i. e. quadraturæ duodecim milliarium.] *Atque illi tranſierunt Jordanem ſecundùm caſtrametationem ipſorum. Tota latitudo caſtrorum ſcil. tranſiit ſimul per ſpatium duodecim milliarium latitudine.* Hinc illud,

Hieroſ. Sotah, fol. 21. 4. *Adama & Zarethan* (à qua ad illam diſſectæ ſunt aquæ) *diſtabant* 12. *milliaribus.*

An præciſum hunc numerum duodecim milliarium ſumpſerint ex alluſione ad duodecim Tribus, aut quânam aliâ ratione numerum hunc & ſpatium exactum retinuerint, non facile eſt determinare: aſt abſque omni dubio, ſpatioſiſſimæ comprehenſionis & menſuræ erat caſtrametatio Iſraëlitarum, ſpatio præſertim milliari conceſſo inter Tabernaculum & prima caſtra populi. Et certe, cùm receptum vulgò ſit, quadraturam fuiſſe duodecim milliarium ab unoquoque latere, juſtam proportionem excedi vix credas, ſi immenſum populi numerum advertas; mirum potiùs, ſi caſtrametatio tot myriadum, vel potiùs tot centenorum millium, proportionem iſtam non excederet. Tabernaculum in medio: ſpatium milliaris ab unoquoque ejus latere (in quo ſpatio caſtra Levitarum) ad prima caſtra Iſraëlitarum. Et conjice, quantum longitudinis, & latitudinis, & craſſitiei exceperint omnia illorum caſtra. CAP. I. VERS. 12.

II. Supponitur igitur, licuiſſe cuivis ambulare Sabbato, non ſolùm ab extimâ fimbriâ caſtrametationis ad Tabernaculum, ſed & per totam caſtrametationem, ab hac ejus extremitate ad illam: quippe quòd totum caſtrametationis foret unius ejusdemque juris, (רשות) & non diverſi; ſecundùm tritum ipſorum Canonem de עירובי חצרות, *Commixtione vel communione Atriorum.* Hinc eſt, quòd talis mentio apud *Maimonidem* de duodecim milliaribus, & de licentiâ incedendi Sabbato per totam urbem aliquam, ſit licet æquè ſpatioſa ac *Niniveh.*

III. Cùm autem diſpoſitus eſſet populus in urbibus & oppidis in Canaanitide, & rerum facies mutata ab iſtâ in eremo, viſum eſt ſapientibus, ſpatium itineris Sabbatici circumſcribere intra limites bis mille cubitorum: idque partim quia intima fimbria caſtrorum Iſraëliticorum diſtabat tantum à Tabernaculo; quod colligitur ex *Joſ.* 3:4. partim quia dicitur *Numer.* 35:4, 5. *A muro civitatis menſurabitis mille cubitos. Et menſurabitis ab extra civitatem bis mille cubitos.* Unde illi,

Sotah, fol. 27. 2. *Mille cubiti ſunt ſuburbana civitatis, & bis mille cubiti ſunt limes Sabbaticus.*

IV. Quod ergò ad verba Euangeliſtæ, quæ tractamus, attinet, non definiunt illa accuratam diſtantiam Oliveti ab *Hieroſolymis*, quæ erat tantum quinque ſtadiorum, *Joſ. Antiquit.* lib. 20. cap. 6. nec reducunt *Bethaniam* oppidum ad & intra limites Sabbaticos, quæ diſtabat ſtadiis quindecim, *Joann.* 11:18. ſed deſignant locum in Oliveto, ubi Salvator aſcendit, illic ſcilicet, ubi deſiit tractus iſte Oliveti vocari *Bethphage*, & incepit vocari *Bethania.* De quâ re fuſiùs diximus alio in loco.

VERS. 13.

Digitized by Google

CAP. I. VERS. 13.

VERS. 13. Ἀνέβησαν εἰς τὸ ὑπερῷον.

לעליית I. Uſitatum erat genti, ut cùm de Lege & rebus religionis eſſet tractandum extra Synagogam, aſcenderent לעליית, εἰς ὑπερῷον, in aliquam partem domûs ſuperiorem.

Juchaſin, fol. 23. 2. *Abniah vir ditiſſimus, ad convivium exhibitum ad circumciſionem filii ſui, invitavit Rabban Jochananem ben Zaccai, & Diſcipulos ejus, & Nicodemum*, &c. *Poſt convivium aſcenderunt Rabban Jochanan & Diſcipuli*, לעלייה, εἰς ὑπερῷον, *& legerunt atque expoſuerunt, donec tandem ignis circumfulgeret, ſicut cùm daretur Lex in monte Sinai. Et miratus eſt Abniah valde de honore tributo Legi, & vovit filium ſuum Legi.*

Nota. עליית, ὑπερῷον, diſtinctum à Triclinio ubi pranſum eſt & cœnatum, atque ibi tractatum eſſe de Lege & rebus divinis. Cui ſi Ἀνώγεον ſit germanum, in quo Salvator celebravit Paſcha, *Marc.* 14: 15. *Luc.* 22: 12. aliud videtur fuiſſe à communi Triclinio.

II. Tale ὑπερῷον opinamur fuiſſe *Beth Midras* hujus aut illius Rabbini.

Juchaſ. fol. 45. 2. *R. Simeon dicit: Vidi* בני עליית, *filios τοῦ ὑπερῴου, quòd eſſent pauci.* Id eſt, Filios, vel Diſcipulos Beth Midras, ſi ego vocem עליית, hîc ritè capio, de quâ re non contendam.

Hieroſ. Shabb. fol. 3. 3. *Iſtæ ſunt traditiones, quas ediderunt* בעליית, ἐν ὑπερῴῳ *Hananiæ ben Ezechiæ ben Garon.* Et plurima iſtiuſmodi.

Tale, ut videtur, erat ſacellum Troadenſium, *Actor.* 20: 8. Et quòd mentio fiat de Eccleſiis in domo hujus vel illius, ſpeciem aliquam talis rei videtur ſecum ferre: ſuperiori ſcil. aliquâ parte domûs ad publicam Eccleſiæ conventionem ſeparatâ, eo modo, quo *Beth Midras* in ſuperiori domûs parte, erat ſepoſita ad conventionem Diſcipulorum Rabbini. Et ſicut Beth Midras erat in domo Rabbini; ſic fortè ut plurimùm Eccleſiæ in domo Miniſtri, vel Doctoris. Nam nonne talis Aquila, in cujus domo Eccleſia? *Rom.* 16: 5. ſi conferas *Actor.* 18: 26. Nonne talis Philemon? *verſ.* 2. iſtius Epiſtolæ.

VERS. 15. Ὡς ἑκατὸν εἴκοσι.

Ejuſdem numeri erat Synagoga magna Ezræ.

Juchaſ. fol. 13. 2. *Ezra fuit caput omnium: fuitque ille receptor traditionum viceſimus ſecundus.* וכל בית דינו היו קך זקנים, *Et totum Synedrium ejus conſtitit ex centum & viginti Presbyteris.*

CAP. I. VERS. 15.

Nec erat Synedrium ſtatum in aliqua civitate abſque hoc numero.

Sanhedr. fol. 17. 2. & *Maimon. Sanhedr.* cap. 1. *Quotnam homines requiruntur in civitate, ut idonea ſit ad ſtatuendum in ea Synedrium? Centum & viginti. Quodnam autem eorum munus? Viginti tres pro numero Synedrii minoris, & tres claſſes viginti trium, ecce nonaginta duo: Decem viri* בטלין, *vacantes Synagogæ, ecce centum & duo. Duo* בעלי דינין (actor & reus) *qui rem habeant coram Conſeſſu*, שני זוממין, *Duo doloſi teſtes*, (qui contra teſtarentur ut mendacii, ſi fieri poſſit, arguant teſtes) שני זוממי זוממין, *Duo contrateſtantes contra iſtos contrateſtantes, duo Scribæ, duo Chazanim, duo collectores eleemoſynæ, & tertius qui diſtribuat*, רופא, *Medicus* (Gloſſ. Circumciſor infantum) אומן, *Artifex, Chirurgus* (Gloſſ. Phlebotomizans) לבלר, *Libellarius* qui ſcribat libellos deſponſationum, divortiorum, contractuum, *&c. & Ludimagiſter; ecce centum & viginti.*

Si quid elicere velis ex paritate numerorum, pro libitu eſto. At certè numerus eorum, de quibus jam agimus, in animo habendus eſt, cùm hæc legis, Cap. 2: 1. *Erant omnes unà:* Cap. 8: 4. *Omnes diſperſi ſunt præter Apoſtolos,* & Cap. 11: 19. *&c.*

Præter duodecim Apoſtolos & ſeptuaginta Diſcipulos, quis dixerit, quinam illi 36. alii, qui numerum hunc expleverint, & qualeſnam, & cujus gradûs illi, qui nec de duodecim Apoſtolis, nec de 70. Diſcipulis, & tamen de nobiliſſimo ſanctiſſimoque hoc collegio? Mulieres enim intra numerum non cenſendas, ut puto, ratio ipſa ſuadet. Ut & quòd plures in urbe forent qui crederent: hos autem in peculiare hoc conſortium & numerum fuiſſe cooptatos, ex ſpeciali aliquâ causâ & ratione. De duodecim & ſeptuaginta non opus eſt ut quæramus; de reliquis quære, an *verſ.* 21. non ſatisfaciat, nempè annon illi fuerint aſſeclæ Chriſti à primâ ejus Euangelizatione cum reliquis.

Quòd *Petrus* familiam ducat, & primas partes in totâ hiſtoriâ agat, ut prolocutor & præcipuus actor, aſcribendum eſt

I. Senioritati ejus: nam num quempiam inter duodecim dixeris illo grandæviorem? Et cùm ſub hâc notione prolocutor ille fuerat, dum inter eos verſaretur Dominus, æquum aut congruum etiam erat, ut eundem locum capeſſeret, Domino jam abſente.

II. Pœnitentiæ ejus: utpote quòd neceſſe eſſet, ut ille, qui tàm turpiter fuerat lapſus, zelo & pietate, quantum potuit, ſpecimina exhiberet & pœnitentiæ & ſuæ reſtaurationis.

III. Deſignatus erat ille ad Apoſtolatum Circumciſionis, ut primarius miniſter: congruum

CAP. I. VERS. 18. gruum ergò erat, ut inter Circumciſos ille primas partes ageret. At cùm primarium miniſtrum Circumciſionis eum dicimus, non de primatu ejus ſuper reliquos miniſtros Circumciſionis ſomniamus, ſed quòd maximum opus & latiſſimum ſpatium iſtius miniſterii ſorti ſuæ ceciderit, Meſopotamia ſcil. vel captivitas Babylonica & Aſſyriaca: Judæi nempè Babylonici, & decem Tribus cum iis mixtæ. Et cùm de eo partes primas agente loquimur, credimus reliquos Apoſtolos non fuiſſe interim otioſos, & novimus eos pari cum eo authoritate, pari miraculorum dono, pari linguarum copiâ, pari ſapientiâ, pari concionandi facultate fuiſſe ditatos. Illum autem ob cauſas prædictas zelo, ſedulitate, activitate uſum fuiſſe, modo & menſurâ extraordinariis.

VERS. 18. Καὶ πρηνὴς γενόμενος, ἐλάκησε μέσος.

Vulg. & Eraſm. *Suſpenſus, crepuit medius.* Sic & Italus, *Appicato crepò pelmezzo*; Matthæum interpretantes, potius quàm Lucam. Et ſuſpicor quidem eos Matthæum nec rectè eſſe interpretatos, dum vocabulum Ἀπήγξατο præcisè reſtringunt ad ſuſpendium.

Conjecturam noſtram de hac re protulimus ad *Matth.* 27.

Nempè quòd Diabolus Judam illicò, poſt projectos in Templo denarios, raptaverit in aërem, ſtrangulaverit, præcipitaverit, ac alliſerit ad terram. Nam

I. Meritò quæritur, an vox Ἀπήγξατο, neceſſariò, & ſolùm ſignificet *ſtrangulavit ſe*, & non æquè, *ſtrangulatus eſt?* Ut & an ſemper ſupponat laqueum? Ut negativum tueatur Clar. *Heinſius*, vid. ad loc. & *Matth.* 27.

II. Si Judas ſe ſuſpendit, quod vulgò creditur, & vulgò pingitur, quomodo dici poteſt quod ἐγένετο πρηνὴς? Detur, rupto laqueo, cecidiſſe in terram; quid refert an pronus ceciderit, an ſupinus? Verùm ſi πρηνὴς derivetur ἀπὸ τῦ πρηνίζειν, ut volunt Grammatici, *Præceps* eſſe poteſt, æquè ac *Pronus*, id eſt, ut *Pronus* opponitur τῷ ὑπτίῳ, *Supino.*

III. De hominibus quibuſdam à Diabolo ſtrangulatis, loquuntur hiſtoriæ. Notiſſima illa *Tob.* 3: 8. *Aſmodæus* חונק (ſic eſt in Hebr. P. Fagii) *ſtrangulavit ſeptem maritos Saræ*, &c. Et minùs mirum, ſi Diabolus in hoc nebulone corporaliter inhabitans, eum tandem ſtrangulaverit.

IV. Sunt etiam hiſtoriæ de Diabolo quoſdam in aëre raptante, & ſecum aſportante; & nemo mortalium dirum illud fatum magis meruit, quàm hic proditor. Nec decuit eum bipedum nequiſſimum mors alia, quàm funeſtiſſima, quam ei infligere potuit Diabolus, cui ille totaliter permiſſus, quæ & ipſi horrori eſſe poſſet, & terrori aliis. CAP. I.

V. Illud quod dicitur commate proximè ſequenti: *Notum hoc erat omnibus Hieroſolymam habitantibus*, &c. arguit rem non ordinariam, & non vulgaris eventûs, & majus aliquid quàm ſuſpendium ſui, quod in gente non ita alienum. VERS. 19, 25.

Καὶ ἐξεχύθη πάντα τὰ σπλάγχνα αὐτῦ.

Cholin, fol. 56. 2. *Aramæus quidam vidit hominem quendam, qui decidit de tecto in terram;* פקעיה כרסיה ונפוק מעייני, *& ruptus eſt ejus venter, atque effluxerunt viſcera ejus. Adduxit Aramæus filium ejus qui deciderat, atque interfecit eum coram illo;* באחוזת עינים, *At deinceps viſum.*

Gloſſ. Nequaquam eum percuſſit vel læſit, ſed ſimulavit coram patre, ac ſi interficeret: quia ipſe noluit viſcera ejus tangere, nè ea forſan extra proprium locum turbaret. Sed viſus eſt ac ſi puerum interficeret, ut pater videns ingemiſceret & ſuſpiraret, & ſic retraheret ad ſe ilia ſua.

Inhabitavit Diabolus in proditore jam per triduum, aut circiter, ex quo Bethaniæ cum offâ in eum intraverat, *Joann.* 13. & nunc horrenda eruptione, effuſis viſceribus, egreditur.

VERS. 19. Ἀκελδαμά.

חקל דמא, *Ager ſanguinis.* Sic dictus, & quòd coëmptus eſſet pretio ſanguinis, & quòd rigatus ſanguine proditoris: nam huc Judam à Diabolo præcipitatum ego conceperim, atque ex iſto eventu Sacerdotes eò magis motos, ut in iſtius agri emptionem oculos dirigerent. Et ſic proditor dupliciter ἐκτήσατο τὸ χωρίον, cùm & nummis ejus eſſet coëmptus, & fato ejus conſignatus.

Si Akeldama fuerit ab iſto urbis angulo, ubi jam oſtenditur peregrinantibus, *inter Orientem* ſcil. & *Auſtrum*, ut *Borchardus*; erat in valle Hinnom, aut circiter.

VERS. 25. Πορευθῆναι εἰς τὸν τόπον τὸν ἴδιον.

Baal turim in Numer. 24: 25. *Balaam ivit in locum ſuum, id eſt, in Gehennam.*

Midras Coheleth, fol. 100. 4. *De amicis Jobi non dicitur, quòd venit unuſquiſque à domo ſua, vel ab urbe ſua, vel de terra ſua, ſed unuſquiſque à loco ſuo,* ממקום שנתבצר לו בגהינם, *id eſt, loco ſibi præciſo in Gehennah.*

Gloſſ. *A loco ſuo proprio, id eſt, Gehenna deſtinata Idololatris.*

Maimon. in Chobel umazzik, cap. 8. *Qui prodit*

Digitized by Google

prodit Iſraëlitam in manus Ethnicorum, *portionem nullam habet in mundo futuro.* Tum quemnam locum ſortietur ille, qui prodidit ipſum Meſſiam Iſraëlis?

Vers. 23. Ἰωσὴφ τὸν καλούμενον Βαρσαβᾶν.

I. Judæis *Joſe* יוסי, & *Joſeph* יוסף, idem ſonant.

Bava Kama, fol. 83. 1. אמר ר׳ יוסי בבבל לשון ארמי, *Dicit R. Ioſe: In Babylonia lingua Aramæa*, quæ in *Sotah*, fol. 49. 2. proferuntur א׳ ר׳ יוסף בבבל לשון ארמי, *Dicit R. Joſeph, in Babylonia, &c.* Sic ר׳ יוסי, *Hieroſ. Jom tob*, fol. 61. 3. eſt ר׳ יוסף, *Babyl. Berac.* fol. 19. 1.

Avoth, cap. 1. hal. 4. יוסי בן יוחנן, *Joſe ben Jochanan*, qui Maimonidæ eſt *Joſeph ben Jochanan*, Præfat. ad Miſn.

Et ſic Ἰωσῆς, *Matth.* 27: 56. & *Marc.* 6: 3. Interpreti Vulg. eſt *Joſeph*: & vide *Bezam* in hunc ipſum locum, de quo agimus.

II. Suſpicari ergò licet, hunc *Joſephum*, qui dictus eſt *Barſabas*, fuiſſe *Joſen* filium Alphæi, fratrem Jacobi minoris, qui, ut ipſe etiam Jacobus, dictus eſt *Juſtus*. Nec quemque adeò candidatum ad Apoſtolatum ferè nominaveris, ac illum, qui tot Apoſtolorum fuit frater, & tàm frequenter nominatur cum Jacobo.

Quid vox *Barſabas* ſignificet, non promptum eſt decernere, cùm *Sabas* cum tot vocibus Hebraicis poſſit conſonare. Reddunt Nomenclatores: *Filius converſionis*, *quietis*, *juramenti*. (At quis dixerit quodnam etymon reſpexerit Arabs in Bibl. Polyglot. ברצאפאן, *Barzaphan*, reddens?) Ego בר סבא ſcripſerim (quod & facit Arabs Erpenianus) i. e. *filius ſapiens*; niſi malis, *Filius ſenis*. Eſt & alius *Barſabas*, Cap. 15: 22. *Judas cognominatus Barſabas*: per quem ſi *Judam* Apoſtolum intelligere liceret, ſunto *Joſes* & ille (uterque *Barſabas*) fratres: uterque בר סבא, *Filius ſenis Alphæi.*

CAP. II.

Vers. 1. Καὶ ἐν τῷ συμπληροῦσθαι τὴν ἡμέραν τῆς Πεντηκοστῆς.

Videtur vox *Pentecoſte*, hoc ſignificatu, in uſum aſſumpta eſſe à Judæis Græcizantibus: quam & retinent verſiones ferè omnes, Occidentales præſertim, atque inter Orientales Syra atque Æthiopica. Hebraizantes Judæi hoc feſtum vulgatiſſimè עצרת nuncupant. A quibus Arabs unus parùm recedit, cùm reddit hoc in loco, יום אלעפצרת אלחמשנן, literâ פ tantùm interſertâ. Alter vocem iſtam penitùs omittit, & habet tantum איאם אלחמשין, *Dies τῶν quinquaginta.*

II. Sat notum eſt, ut עצרת in Sacris Paginis ſit *dies feriatus*, *Levit.* 23: 36. *Deuter.* 16: 8. 2 *Reg.* 10: 20. & quòd Judæi ad feſtum Pentecoſtes peculiariùs approprient, ratio videtur fuiſſe, ideò quòd hoc feſtum de die uno feriato conſtaret tantùm, cùm feſtum Paſchatis & Scenopegiæ haberent plures.

Bereshith Rabba, fol. 114. 3. *Sicut dies feſti ſunt ſeptem. Dicit R. Chaija, An quia Pentecoſtes eſt diei unius, eſt luctus etiam ità? Dicunt ei, Arguis à traditione longinquâ.* Ubi Gloſſa. *Quòd ea ſit unius tantùm diei*, אנו למדין מעצרת, *nos diſcimus ab ipſo* vocabulo עצרת.

Beracoth, fol. 17. 2. *Homines oppidi Mahaſiæ ſunt robuſti corde, nam illi vident gloriam legis duabus vicibus in anno.* Gloſſ. *Illuc congregatur omnis Iſraël in menſe Adar, ut audiant traditiones de Paſchate in ſchola τοῦ Rabh Aſai; & in menſe Elul, ut audiant traditiones de feſto Scenopegiæ.* Ubi Gloſſa alia: *At non ità congregabantur* בעצרת שאינו אלא יום אחד, *ad Pentecoſten, quia ea non eſt niſi diei unius.*

Unde magis credibilis eſt *Baithuſæus* iſte, qui diſputat cum *Rabban Jochanane.*

Menachoth, fol. 65. 1. *Moſes Magiſter noſter*, inquit, *arguabit Iſraëlem*, וידע שעצרת יום אחד הוא, *& novit quòd Pentecoſte eſſet unius tantùm diei, &c.*

III. Et tamen eſt mentio de die feſto *ſecundo* Pentecoſtes.

Sanhedr. fol. 26. 2. הנהו קבוראי דקבור נפשה ביום טב ראשון של עצרת, *Veſpillones iſtos, qui ſepeliunt mortuos die feſto primo Pentecoſtes, Rabb Papa Schammatizavit, &c.* Quod dicatur *Die feſto primo*, arguitur quòd erat ſecundus: quod in terminis aſſeritur in

Erachin, fol. 10. 1. *R. Simeon ben Jozadek dicit, Octodecim diebus vir aliquis ſingularis totum recitat Hallel: ſeptem ſcil. diebus Scenopegiæ, octo diebus Encæniorum, die feſto primo Paſchatis, & die feſto primo Pentecoſtes. Aſt in captivitate, diebus viginti uno: diebus ſcil. novem Scenopegiæ, diebus octo Encæniorum, & duobus diebus feſtis Paſchatis*, ושני ימים טובים של עצרת, *& duobus diebus feſtis Pentecoſtes.*

Cùm dicitur בגולה, *In captivitate*, tollitur ſcrupulus: nam quamvis intra terram Iſraëliticam foret dies tantùm unus feriatus in feſto *Pentecoſtes*, apud Judæos tamen in exteris regionibus erant duo; quod & in aliis ſolennitatibus factum. Exempli gratiâ, intra *Palæſtinam* feriabantur die tantùm uno in initio anni,

Digitized by Google

CAP. II. VERS. 1.

anni, primo ſcil. die menſis *Tiſri*: verùm in *Babylonia*, & reliquis regionibus exteris, feriabantur diebus primo & ſecundo. Ratioque erat, quia propter diſtantiam à Synedrio Hieroſolymitano, non adeò exactè certi eſſe potuerunt de die præcisè ſtato à Synedrio: duos ergò dies celebrarunt, ut certè vel in hoc, vel in illo, non errarent de die certo.

IV. Inſtituit quidem Deus feriam tantùm unam in feſto *Pentecoſtes*, *Levit.* 23. vocatur ergò ſpecialiùs à Judæis עצרת, *Feria*, quia feriatum diem habuit tantùm unum: at vocatur illud feſtum חג & רגל, iiſdem titulis, quibus & Paſcha & Scenopegia, *Exod.* 23: 14. &c. Et comparuerunt in hoc feſto omnes maſculi, ſicut in illis. Quamvis ergò primus dies ſolùm eſſet feriatus, continuatum tamen eſt feſtum in ſeptiduum.

Sic Magiſtri in *Rosh hashanah*, fol. 2. *Dicit R. Oshaja. Unde eſt quòd* עצרת, *Pentecoſte habet* תשלומין, *compenſationes per omnes dies ſeptem? Quia Scriptura dicit* בחג המצות, *in feſto Azymorum*, ובחג השבועות, *ac in feſto Hebdomadarum*, ובחג הסוכות, *atque in feſto Hebdomadarum*, ובחג הסוכות, *atque in feſto Tabernaculorum. Comparat feſtum Hebdomadarum* (vel Pentecoſtes) *cum feſto Azymorum. Et qualiter ſe res habet cum feſto Azymorum? Habet illud compenſationes per omnes dies ſeptem.* אף חג השבועות יש לו תשלומין כל ז׳, *Ità etiam feſtum Hebdomadarum* (Pentecoſtes) *habet compenſationes per omnes dies ſeptem.* תשלומין, *Compenſationes* vocarunt, cùm quis ſacrificium debitum non offerens in initio feſti, compenſare eorum vel negligentiam, vel defectum iſtum potuit, offerendo quovis die ſeptidui. Atque hæc dicta ſunto de toto hoc feſto in genere. Jam autem quod ad diem ipſum feriatum Pentecoſtes attinet, de quo nunc agimus,

I. Neminem latet, computum ſeptimanarum & dierum à Paſchate ad Pentecoſten, dependiſſe atque initium ſumpſiſſe à die oblationis manipuli primitialis, *Levit.* 23: 15. Verùm ex ambiguitate phraſiologiæ ממחרת השבת, *Craſtina Sabbati*, orta eſt controverſia inter Scribas & Baithuſæos, an per *Sabbatum* intelligendum ſit Sabbatum hebdomadale, vel, ut Scribæ vulgò vocant, שבת בראשית, *Sabbatum Creationis*; an *dies Sabbaticus*, vel dies primus ſeptidui Paſchalis, qui erat dies feriatus, *Exod.* 12: 16. Pro priore contendunt acriter *Baithuſæi*, & non oblatum volunt manipulum, niſi poſt Sabbatum hebdomadale. Ut, ſi incidat dies primus Paſchatis in diem primum hebdomadæ, expectatum volunt, donec elabatur tota ſeptimana cum Sabbato; & tùm craſtinâ Sabbati, id eſt, die primâ ſeptimanæ inſequentis, offeratur manipulus. At Scribæ longè veriùs, oblationem manipuli ſine diſpenſatione aſtringunt ad decimum ſextum menſis Niſan, die Sabbatico, vel primo feſti jam elapſo. Atque inter alia argumenta, ſententiam ſuam roborantia, diſcrepantia iſta loca, *Septem diebus comedetis Azyma*, *Exod.* 12: 15. & *Sex diebus comedetis Azyma*, *Deuter.* 16: 8. pro ſenſu ſuo ſic conciliant: Septem quidem diebus comedetis Azyma, id eſt, primo die feſti, non oblato adhuc manipulo, Azyma de frumento veteri; & reliquis ſex diebus, cùm offeratur jam manipulus, Azyma de novo. *Siphra*, fol. 51. 1. *Peſikta*, fol. 20. 1. *Menach.* fol. 66. 1.

II. Si dies manipuli numerandus ſit intra cenſum quinquaginta dierum, quod clarè aſtruunt authores jam citati ex verbis iſtis, *Deuter.* 16: 9. *Septem hebdomadas numerabis tibi* מהחל חרמש בקמה, *à prima immiſſione falcis in ſegetes*; tum cuivis conſpicuum eſſe poteſt, quod in quemcunque diem hebdomadæ inciderat oblatio manipuli, in eundem diem hebdomadæ incideret etiam dies Pentecoſtes. Atque hinc tantâ contentione certârunt *Baithuſæi*, ut ממחרת השבת, *Craſtina Sabbati*, quâ præcipitur ut offeratur manipulus, intelligatur de die hebdomadis primâ, ut incideret etiam Pentecoſte in diem hebdomadis primam: non tàm in honorem iſtius diei, (quæ quidem eſt Dominica noſtra) quàm ut Pentecoſte plures haberet dies feriatos, כדי שיהו ישראל מתענגין שני ימים, *ut Iſraëlitæ deliciarentur duobus diebus ſimul:* ut animum ſuorum hac in re effatur unus ex iis, *Menachoth*, fol. 65. 1.

III. Hoc igitur anno, in quo jam verſamur, illo ſcil. quo Chriſtus aſcendit, & Spiritus Sanctus deſcendit, oblatio manipuli erat Sabbato: nam comeſus eſt Agnus Paſchalis die Jovis: dies Veneris, quo Chriſtus crucifixus, erat dies feſti primus, Sabbaticus ſcil. & feriatus: & dies inſequens, quod erat Sabbatum, erat Δευτέρα, quâ oblatus manipulus, dum Chriſtus dormiret in ſepulchro. Atque hujus rei ergo inter alia vocatur Ἡμέρα μεγάλη τοῦ Σαββάτου, *Joann.* 19: 11.

IV. Num ergò incidit dies Pentecoſtes jam in Sabbatum? Obſervo, dies quinquaginta numerari à quibuſdam, à die reſurrectionis Domini: & tùm quidem Pentecoſte, vel dies quinquageſimus, incidit in primam hebdomadis, vel Dominicam noſtram. At numeratis diebus à communi & vulgari epochâ, oblatione ſcil. manipuli primitialis, quam computationem Lucam ſequi minimè dubito, tum incidit dies Pentecoſtes in Sabbatum Judaicum. Et hic bonâ cum veniâ dubitare licet, *An Spiritus effuſus eſt in Diſcipulos, ipſo die Pentecoſtes?* Et ratio dubitandi varia.

I. Ambiguitas eſt in verbis *Lucæ*, Ἐν τῷ

συμπλη-

Digitized by Google

CAP. II. VERS. 1. συμπληροῦσθαι τὴν ἡμέραν: nam vel cum vernaculâ noſtrâ reddere potes, (*When the day of Pentecoſt was fully come*) vel cum Italâ: *Et nel finire del giorno de la Pentecoſte*, q.d. (*When it was fully gone.*) Ità ut phraſiologia, vel *adeſſe jam diem*, vel *præteriiſſe*, poſſit in medio relinquere. Et ſi in poſteriorem ſenſum ego interpreter, quidnam eſt quod contradixerit?

II. Notatu dignum eſt, quòd Chriſtus antitypus, in reſpondendo quibuſdam typis ipſum effigiantibus, non ad ipſum diem typi adimpletionem ejus reſtrinxerit, ſed rejecerit ad diem ſequentem. Sic

Non die ipſo Paſchatis, ſed die inſequenti, Ἐθύθη αὐτὸς Πάσχα ἡμῶν, 1 *Cor.* 5:7. non die ipſo, quo oblatus eſt manipulus ἀπαρχῆς, ſed die inſequenti factus eſt Chriſtus ἀπαρχὴ τῶν κεκοιμημένων, 1 *Cor.* 15:20. Sic Sabbatum Chriſtianum non inſtituit ille Sabbato Judaico, quo finitum eſt à Chriſto opus redemptionis. Et ſic rationi maximè eſt conſentaneum, atque harmoniæ diſpoſitionis ejus in rebus nominatis, ut grande hoc myſterium donationis Spiritûs Sancti, non indulgeret ille Sabbato Judaico, ſed die inſequenti, die ſcil. propriæ reſurrectionis: atque ut non effunderetur Spiritus eodem die, quo commemoratio datæ Legis, ſed diem & commemorationem propriam ſibi vendicaret.

III. Promptiorem rationem vix excogitaveris, quare fuerint hodie ἅπαντες ὁμοθυμαδὸν ἐπὶ τὸ αὐτὸ, quàm quòd ità congregati jam eſſent in unum, atque uno animo, ut celebrarent *Diem Dominicum*. Quamvis ergò quæramus, an Spiritus effuſus ſit ipſiſſimo die Pentecoſtes Judaicæ? nec temerè hoc facimus, nec animo quovis contradictionis, ſed ratione aliquâ moti, atque ut reſervetur Diei Dominicæ dignitas ſua: nam iſto die deſcendiſſe Spiritum non dubitamus.

Ἦσαν ἅπαντες ὁμοθυμαδὸν, &c.

Jam quinam illi Ἅπαντες? Quid obſtat, quin dicas, iſti *Centum & viginti*, quorum mentio *Cap.* 1:15. Et benè quadrat connexio cum hiſtoriâ præcedenti. Aderant illi omnes ſimul, cùm proponeretur electio duodecimi Apoſtoli, & cùm ille eligeretur; & quare vox Ἅπαντες hoc etiam in loco non ſit ad eundem numerum referenda, quis rationem reddiderit?

Hæc ratio, inquies, poteſt reddi, quòd omnes, qui jam erant unà, dotati ſunt dono linguarum: at num concipiendum, omnes centum & viginta ità dotatos?

Credimus, hiſce ducti rationibus:

I. Quòd reliqui prædicaturi erant in exteris regionibus, æquè ac Apoſtoli: opus igitur iis æquè exteris linguis.

II. Idem donum impertierunt Apoſtoli per impoſitionem manuum iis, quos inſtituerunt miniſtros in particularibus Eccleſiis. Abſurdum ergò videretur, ſi egregii hi viri, qui fuerant de ipſo ſodalitio Chriſti & Apoſtolorum, & qui futuri erant concionatores in variis regionibus, non eodem dono locupletarentur. CAP. II. VERS. 2.

III. Dicitur de ſeptem Diaconis, quòd erant πλήρεις Πνεύματος ἁγίου, etiam antequàm ad illud munus eligerentur, *Cap.* 6:3. Quod adeò convenit cum eo quod dicitur in hâc hiſtoriâ: Ἐπλήσθησαν ἅπαντες Πνεύματος ἁγίου, *verſ.* 4. ut nec tempus convenientius, nec locum convenientiorem excogitaveris, in quibus Diaconi ità repleti, quàm cùm Apoſtoli ità repleti, ex deſcenſione Spiritûs.

IV. Dignitas & prærogativa Apoſtolorum ſupra reliquos Diſcipulos, parùm conſtitit in dono linguarum iis appropriato, ſed in hoc inter alia, quòd ipſi donum iſtud largiri potuerunt; quod non potuerunt alii. Philippus Diaconus abſque dubio variis loquutus eſt linguis; aſt largiri Samaritanis minimè potuit, ut illi etiam variis loquerentur: reſervatum illud *Petro* & *Joanni* Apoſtolis.

V. Si Spiritus Sanctus in dono linguarum illapſus fuerit in omnes audientes ſermonem *Petri* in domo *Cornelii*, *Cap.* 10:44. minùs mirum videbitur, ſi & in hos omnes etiam, de quibus nos jam loquimur.

VERS. 2. Ἦχος ὥσπερ φερομένης πνοῆς βιαίας.

Sonus venti vehementis, ſed abſque vento: ſic etiam linguæ igneæ, ſed abſque igne. Φερομένης hîc aptiſſimè adjicitur, & emphaticè: at quæro, an ἐπεφέρετο ità, apud Græc. Interpret. in *Geneſ.* 1:2. Πνεῦμα Θεοῦ ἐπεφέρετο ἐπάνω τοῦ ὕδατος: & longius ab animo Moſis videntur eſſe Targumiſta & Samarita, cùm reddunt per מנשב, *Sufflavit.* Suſpicor eos in verbis iſtis: *Et Spiritus Dei incubabat faciei aquarum*, cogitare de aquis, quæ cooperuerunt terram: cùm Moſes planè diſtinguat inter Abyſſum, id eſt, Aquas quæ cooperuerunt terram, quibus incubuerunt tenebræ, & Aquas quibus incubabat Spiritus Dei: id eſt, aquas quæ ſupra firmamentum, ut *verſ.* 6, 7. Et per incubationem Spiritûs ſuper has aquas, ego promptiùs intellexerim motum cœlorum, circumgirante eos Spiritu Dei, atque iſto motu inferiora fovente, prout facit avis incubans pullis ſuis, quàm de ſufflatu quovis Spiritûs, aut venti, vel quòd Spiritus ferebatur ſuper aquas, ſicut ventus ſuper mare, aut terram.

Digitized by Google

VERS. 3. Διαμεριζόμεναι γλῶσσαι ὡσεὶ πυρός.

Confuſio linguarum erat rejectio Gentium & confuſio religionis: nam cùm privarentur omnes Gentes, præter Hebræam, uſu & cognitione linguæ Hebrææ, in qua ſola notæ & doctæ & traditæ ſunt res veræ religionis & veritatis divinæ, inevitabile erat, ut non privarentur etiam cognitione Dei, & religione. Hinc ipſiſſimæ iſtæ tenebræ, quæ mundo Ethnico incubuerunt, ab iſta linguarum confuſione, ad hoc ipſum tempus, de quo jam agimus. Verùm jam adeſt medicina, & per donum linguarum ſanatur vulnus mundi, inflictum per confuſionem linguarum: atque amovetur in monte Zion velum illud, quod Babylone injectum erat ſuper omnes Gentes, *Eſaj.* 25:7.

Hieroſ. Taanith, fol. 65. 3. Traditur forma orationis fundendæ in ſolenni jejunio noni menſis *Ab*, cujus hæc pars aliqua: *Miſerere, ô Deus, urbis lugentis, conculcatæ, deſolatæ*, כי באש החרבתה ובאש אתה עתיד לבנותה, *Quia per ignem tu devaſtaſti illam, atque per ignem aliquando reædificabis eam.*

Si per ignem ædificandam vis novam Hieroſolymam, ô Judæe, reſpice igneas haſce linguas, atque inchoatum agnoſce jam ædificium, & modum quo illa ædificanda.

Dicit Rabba: מיחייב איניש בסומי בפוריא, *Tenetur homo edulcari in feſto Purim, ità ut non dignoſcere poſſit inter Maledictus ſit Haman, & Benedictus ſit Mordecai.*

Rabbah & R. Zeira convivati ſunt unà in feſto Purim, ואיבסים, *& edulcorati ſunt.* Gloſſ. ואיבסים נשתכרו, *Et edulcorati ſunt, id eſt, inebriati.*

Nihil aliud ergò eſt Γλεύκους μεμεστωμένοι εἰσί, quàm illud vulgari dialecto איבסמי, *Edulcati*, quod quidem eſt *inebriati.*

At nonne ebrios eos potiùs duxeris, qui Diſcipulos ebrios duxerunt, expeditam elocutionem in variis linguis aſcribentes vino & ebrietati? Eſt Rabbinis Dæmon quidem קרדיקוס, *Cordicus*, qui exagitat ebrios ex muſto, *Gittin*, cap. 7. At num ille magiſter artis ingeniique largitor & linguarum? Videntur ergò hi ſcurræ, qui derident, eſſe de fæce & ruditate populi, qui vernaculam linguam ſolùm callerent, & cùm non intelligerent, quid in alienis linguis dictum eſſet, nihil dictum eſſe autumarunt, ſed tantùm eſſe blateratum.

VERS. 15. Ἐςὶ γὰρ ὥρα τρίτη τῆς ἡμέρας.

Nobis, hora nona matutina: ante quod tempus, diebus præſertim Sabbati & feſtis, inſuetum Judæis guſtare quicquam vel eſculenti, vel poculenti: imò & diebus aliis.

Maimon. Shabb. cap. 30. *Hic mos fuit religioſorum antiquiorum, ut oraret quis Sabbato preces matutinas cum addititiis in Synagoga, & tum iret domum, & ſumeret refectionem ſecundam:* nam primam ſumpſerat veſpere antecedente in ingreſſu Sabbati. Nihil guſtandum ante finitas preces in Synagoga, quæ continuatæ aliquando ſunt ad ipſam meridiem: nam ſic Gloſſ. in locum. *Cùm commorantur in Synagoga ultra horam ſextam & dimidiam, quæ eſt tempus Minchæ magnæ, (nam die feſto tardarunt egreſſum ſuum ex Synagoga) tunc oret quis orationem Minchæ, priuſquam comedat, & tùm comedat.* Atque in diebus aliis id vulgò obtinuit, quod notat

Targ. in Coheleth, cap. 10. 16. בתר דמקרבין תמידא אכלין לחמא בזמן ד' שעין, *Poſtquam obtulerint ſacrificium juge, comedunt panem tempore horarum quatuor*, vel quartâ horâ.

Bava Mezia, fol. 83. 2. Docet quidam Officiarius Regis, *R. Eleazarum* filium *R. Simeonis*, ut dignoſcat inter fures & honeſtos, עול ארבע שעי לחנותא, *Ito*, inquit, *horâ quartâ ad tabernas, & ſi videas hominem bibentem vinum, & dormitantem, dum tenet poculum in manu*, &c. Ubi Gloſſa: *Hora quarta erat hora comeſtionis, quando omnes ingrediuntur tabernas, & comedunt.*

Hi ergò, ô ſcurræ, non ſunt ebrii, ut vos deridetis, nam eſt hora tantùm tertia diei, & non adeſt adhuc hora edendi & bibendi.

VERS. 17. Ἐν ταῖς ἐσχάταις ἡμέραις.

Joëli eſt אחרי כן, *Poſt hæc.* Græc. Μετὰ ταῦτα. Ubi *Kimchius:* והיה אחרי כן כמו והיה באחרית הימים, *Et erit poſt hæc, idem valet, quod* καὶ ἔσται ἐν ἐσχάταις ἡμέραις.

Per *in ultimis diebus* intelligi ultimos dies *Hieroſolymæ* atque Oeconomiæ Judaicæ, obſervavimus alibi: nempe cùm appropinquaret jam Τέλος τοῦ αἰῶνος Ἰουδαϊκοῦ. Vide *Matth.* 24:3. & 1 *Cor.* 10:11. Et de hac re minùs dubitaretur, ſi rectè judicaretur, quiſnam ſit *Dies ille Domini magnus & terribilis*, dies ſcil. vindictæ ejus in iſtam gentem: quem terrorem Judæi pro more ſuo à ſe alienant, & devolvunt in *Gog* & *Magog* excidendos.

Digitized by Google

CAP. II. VERS. 17, 19, 23.

'Εκχεῶ ἀπὸ τῦ Πνεύματός μυ ἐπὶ πᾶσαν σάρκα.

Cautè hic Judæi, ſed parùm caſtè, cùm hanc Prophetiam & promiſſionem ad Iſraëlem ſolùm applicant, quippe quibus hoc pro axiomate, *Quòd Spiritus Sanctus non donatur Gentili.* Hinc illud, *Quòd obſtupuerunt etiam fideles de Circumciſione, cùm viderent in Gentiles effuſum eſſe Spiritum Sanctum*, Cap. 10: 45. At permitte, ô Judæe, nolens volens, ut includantur etiam Gentiles intra hanc atque iſtiuſmodi promiſſiones. *Videbit omnis caro ſalutare Domini*, Eſaj. 40: 5. *Veniet omnis caro, ut adoret coram Domino*, Eſaj. 66: 24. &c.

VERS. 19. Καὶ ἀτμίδα καπνῦ.

Hebr. apud Prophetam, ותמרות עשן, *& columnas fumi.* Lucas Græca ſequitur, quæ, ut videtur, non ſollicita ſunt circa diſtinctionem iſtam curioſam, *Joma*, fol. 38, 1. de עשן מתמר ועולה כמקל, *Fumo columnante, vel aſcendente inſtar baculi: &* עשן מפציע לכאן ולכאן, *Fumo ſe diſpergente huc & illuc.* Ubi ridiculam hiſtoriam habes de curioſitate ſapientum circa aſcenſionem fumi thymiamatis.

Prodigia hæc in ſanguine, igne & fumo ego intellexerim de cæde & conflagrationibus in gente patratis per ſeditiones & bellum inteſtinum, ad prodigium uſque ſtupendis. Monſtra erant iſta, potiùs quàm exempla, & quibus nihil prodigioſius præſagire potuit ruinam gentis, quam quòd adeo ſævirent in mutuas cædes, & vaſtationes.

VERS. 23. Τῦτον τῇ ὡρισμένῃ βυλῇ καὶ προγνώσει τῦ Θεῦ ἔκδοτον λαβόντες, &c.

Rationem, cur *Petrus* hæc addat, optimè petas ex ipſis cogitationibus Judæorum. An ille *Meſſias*, inquiunt illi in corde ſuo, qui talia eſt paſſus? *Meſſias* crucifixus, cæſus? Heu, quàm longè hæc diſtant à charactere *Meſſiæ!* לו יתרון ומעלה וכבוד על כל חמלכים *Illi excellentia, & dignitas, & gloria ſupra omnes reges qui unquam extiterunt, ſicut prophetarunt de eo omnes Prophetæ à Moſe Magiſtro noſtro, ſuper quem pax, ad Malachiam, ſuper quem pax*, *Rambam* in articulos fidei Judaicæ, *Sanhedr.* fol. 121. 1. Et num ille *Meſſias*, qui ſputa, verbera, lanceam, crucem eſt paſſus? Imò, inquit *Petrus*, ille hæc paſſus τῇ ὡρισμένῃ βυλῇ προγνώσει Θεῦ. Atque talia ille de eo prædixit, per Prophetas à Moſe ad Malachiam. Ità ut ille non minùs Meſſias, quia talia eſt paſſus; nec cùm talia ſit paſſus, fortuitò talia ſit paſſus, ſed ex prædeterminato conſilio Dei. Quæ hinc diſputantur de decretis Dei, ſcholis relinquimus.

CAP. II. VERS. 24, 27, 29.

VERS. 24. Λύσας τὰς ὠδῖνας τῦ θανάτυ.

Sunto 'Ωδῖνας θανάτυ, vel *dolores mortis*, vel *vincula mortis*, in ambiguo eſt, an *Petrus* de morte Chriſti ſolùm loquatur, an de morte in genere. Ut ſenſus eſſe poſſit: Hunc Deus ſuſcitavit, & per reſurrectionem ejus ſolvit vincula mortis, quoad alios etiam.

Sed approprientur verba ad ipſum Chriſtum, ad quem præcipuè quidem ſpectant; per ὠδῖνας θανάτυ, non tam intelligenda ſunt tormina ipſo in articulo mortis, quàm vincula iſta mortis, quæ ſequuntur, continuata ſcil. ſeparatio animæ & corporis, & putrefactio & corruptio corporis in ſepulchro; quæ duo iſta ſunt, quæ Petrus abdicat à Chriſto in verbis ſequentibus. Nam quamvis veriſſimum ſit, quod mors ſit merces peccati, tamen non tam de ipſis doloribus, qui corpus & animam disjungunt, intelligendum eſt, quàm de ipsâ disjunctione corporis & animæ, eâque continuatâ.

VERS. 27. Οὐκ ἐγκαταλείψεις τὴν ψυχήν μυ εἰς ᾅδυ.

Quid ᾍδης ſit Græcis Authoribus, norunt omnes: ſtatus ſcilicet defunctorum, ſive pii illi fuerint, ſive improbi. Et determinatur eorum ſtatus æternus, non tàm per ipſam vocem, quàm per qualitates perſonarum. Omnes pii, Heroës, religionis & virtutis aſſeclæ, iſtis Authoribus ſunt in ᾍδυ, aſt in Elyſio, in gaudio, in felicitate. Atque omnes mali, improbi, impii ſunt etiam ἐν ᾍδυ, ſed in Tartaro, torturâ & pœna. Ita ut vocabulum non opponatur cœlo, vel loco felicitatis æternæ, ſed huic mundo tantùm, aut præſenti vitæ: quod infinitis exemplis ex iſtis Authoribus poſſet firmari. Anima ergò Chriſti poſt mortem κατῆλθεν εἰς ᾍδυ, tranſiit in ſtatum defunctorum, in iſtum locum, ἐν ᾍδυ ſcil. quo tranſeunt animæ piæ & ſanctæ: aſt illîc eam non permiſit Deus permanere ſeparatam à corpore, ut nec corpus putreſcere in ſepulchro, quia iſtis vinculis mortis impoſſibile erat ut detineretur Chriſtus, cum mors ejus non fuerit pœna aliqua peccati, ſed ſummus apex obedientiæ, atque ipſe abſque peccato, imò impeccabilis.

VERS. 29. 'Εξὸν εἰπεῖν μετὰ παῤῥησίας, &c.

Ambigitur, an *Licet*, an *Liceat*, ſit reddendum. Si illud, tunc temporis obtineret, quod

CAP. II. VERS. 34.

quod dicit R. Iſaac: *Verba iſta, Caro mea requieſcet in ſpe, docent* שלא שלט בו רמה ותולעה, *quòd nec vermis, nec vermiculus in Davidem dominum aliquid habet*, Midr. Till. fol. 13. 4. tùm congruum erat, ut *Petrus*, non niſi præfatâ veniâ de *Davidis* putrefactione in ſepulchro, loqueretur; & tùm vox Ἐξὸν meritò vertenda *Liceat*. At *Licet* placet magis, & hâc paraphraſi verba illuſtramus. Quòd hæc verba, *Non derelinques animam meam εἰς ᾍδου*, &c. ad Davidem ipſum non ſunt applicanda, ex hoc patet, quòd fidenter de illo dicere licet, quòd ille mortuus & ſepultus, & nunquam reſurrexit, ſed anima ejus derelicta eſt ἐν ᾍδου, & ille vidit corruptionem; nam ſepulchrum ejus eſt apud nos uſque in hodiernum, ſub iſtâ notione, quòd eſt ſepulchrum Davidis mortui, atque illic tumulati; & de reſurrectione corporis, aut de reditu animæ ejus ἐξ ᾍδου, nè ſyllaba quidem una apud ullum mortalem unquam.

Omittere non poſſumus illud in

Hieroſ. Chagigah, fol. 78. 1. *R. Joſe ben R. Ben dicit:* דוד מת בעצרת, *David mortuus eſt in Pentecoſte, atque omnis Iſraël illum planxerunt, & ſacrificia ſua obtulerunt die poſtero.*

VERS. 34. Εἶπεν ὁ Κύριος τῷ Κυρίῳ μου, &c.

Quòd Petrus tam fidenter atque abſque ſcrupulo hæc applicet ad *Meſſiam*, indicium aliquod eſt, quòd non excogitatum tunc temporis erat commentum illud, quo hunc locum fucarunt Judæi poſteriores, in verba ſic gloſſantes: *Dixit Dominus Abrahamo: Sede à dexterâ meâ.*

Sanhedr. fol. 108. 2. *Dixit Sem magnus Eliezaro, Cùm venirent contra vos reges Orientis atque Occidentis, quomodo vos facietis? Dicit ei:* אייתי הב״ה לאברהם ואותביה מימיניה, *Tulit Deus Abrahamum, & ſedere eum fecit à dextrâ ſuâ: projecit ille in eos pulverem, & mutatus eſt in gladios; ſtipulam, & mutata eſt in ſagittas, ſicut dicitur: Pſalmus Davidis: Dixit Dominus Domino meo, Sede à dextra mea.*

Ubi notat Gloſſa cautè hæc verba, *Dixit Dominus Domino meo*, eſſe verba Eleazari, utpote cui jure Abrahamus vocandus Dominus ſuus.

Nedarim, fol. 32. 2. *Dicit R. Zachariah nomine R. Iſmaël: In animo Dei erat produxiſſe Sacerdotium ex Semo, ſicut dicitur: Et ille Sacerdos erat Dei altiſſimi; & cùm præpoſuiſſet benedictionem Abrahami ante benedictionem Dei, produxit Sacerdotium ex Abrahamo: nam dicitur, Et benedixit ei dicens: Benedictus ſit Abrahamus à Deo altiſſimo poſſeſſore cæli & terræ, & benedictus ſit Deus altiſſimus. Dicit ei Abrahamus: Num præponunt benedictionem ſervi ante benedictionem Domini ſui? Extemplò datum eſt Sacerdotium Abrahamo, ſicut dicitur: Dixit Dominus Domino meo, Sede à dextra mea. Scribitur poſt: Tu es Sacerdos in æternum* על דברתי דיביר, *propter verba Melchezidechi*, (qui non juſto ordine diſpoſuit benedictiones.) *Et quod dicitur: Et ille erat Sacerdos Dei altiſſimi, innuit quòd ille fuit Sacerdos, at ſemen ejus non.*

CAP. II. VERS. 38, 41, 42.

Num gloſſema hoc cuſum tunc temporis, cum Petrus tam indubitanter, tanquam nemine contradicturo, hæc verba applicat ad Meſſiam? Quod & ante eum fecerat Salvator, coram grandiſſimis gentis Magiſtris, & non foret qui contra hiſceret, *Matth.* 22:44.

VERS. 38. Βαπτισθήτω ἕκαστος ὑμῶν ἐπὶ τῷ ὀνόματι Ἰησοῦ Χριστοῦ.

Beza. *Hoc non declarat formulam Baptiſmi, ſed finem & ſcopum. Deeſt tamen hoc membrum apud Syrum Interpretem.* Si exemplar ille nactus, in quo deeſſet, non deeſt tamen in exemplaribus aliis: ſed hoc non tanti eſt ut immoremur. Quòd autem dicat, *Hoc non declarat formulam Baptiſmi*, vereor nè hallucinetur: inter Judæos enim tunc temporis baptizatum eſt in nomine *Jeſu*, (quamvis inter Gentes baptizatum *in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti*) ut agnoſceretur à baptizatis *Jeſus* pro *Meſſia*, quo nihil tenacius atque obſtinatius negatum & contradictum à Judæis. Agnoſcat Judæus in Baptiſmo iſto *Jeſum* verum *Meſſiam*, atque agnoſcat Gentilis in ſuo, verum trinunum Deum.

VERS. 41. Προσετέθησαν ψυχαὶ ὡς τρισχίλιαι.

Et *Cap.* 4: 4. Ὡσεὶ χιλιάδες πέντε. Quo ego retulerim illud *Pſalm.* 110: 3. עמך נדבות ביום חילך, *Populus tuus erit populus devotionum in die potentiæ tuæ.* Dies poteſtatis Chriſti erat dies reſurrectionis ejus, cùm ſubdidiſſet mortem & infernum; & dies aſcenſionis ejus, cùm collocaretur ad dextram Dei ſupra omnem Principatum & Dominium: de quâ re agitur verſiculo iſtius Pſalmi primo. In hac ergò hiſtoria, quam in manibus habemus, adimpletur illud in *verſ.* 3. & demonſtratur quàm ſpontaneus fuerit populus ejus in die iſto poteſtatis ejus.

VERS. 42. Καὶ τῇ κλάσει τοῦ ἄρτου.

Frangere panem eſt phraſiologia Judæis uſitatiſſima à more gentis uſitatiſſimo: nam incep-

Digitized by Google

CAP. II. VERS. 42. inceptum eſt prandium à benedictione & fractione panis.

Beracoth, fol. 46. 1. *R. Zeira ægrotavit. R. Abbu venit ad eum, & ſic ſpopondit: Si R. Zeira convaleſcat, ego faciam diem epulatorium Rabbinis. Convaluit ille, atque is paravit convivium Rabbinis omnibus.* כי מטא למשרי, *Cùm jam incipiendum eſſet prandium, dixit R. Abbu R. Zeiræ:* לישרי לן מר, *Magiſter, incipe pro nobis. Cui ille:* לא סבר לה מר להא דר׳ יוחנן, *Nonne Magiſter meminit*, vel cogitat, *illud R. Jochananis, qui dicit:* בעל הבית בוצע, *Paterfamilias frangit panem?* Ubi Gloſſ. ſuper verba, כי מטא למשרי, *Significat convivium; ac ſi dixiſſet: Frange nobis cum benedictione,* המוציא, *Qui produxit fructum è terra*, &c.

Pergit Gemara. *Cùm benedicendum eſſet, dixit R. Abbu R. Zeiræ: Benedicat pro nobis Magiſter. Cui ille: Nonne cogitat Magiſter illud R. Haunæ Babylonici, qui dicit:* בוצע מברך, *Ille qui frangit panem, benedicit.* Et paulò pòſt:

Ille qui frangit panem, non frangit antequam proferatur Amen ab ore omnium accubantium, atque benedictioni ejus reſpondentium Amen.

Item, ibid. *Non licet accubantibus guſtare quicquam, antequam ille qui frangit panem, guſtaverit.*

Shabb. fol. 117. 2. *Dicit R. Abba:* בשבת חיב אדם לבציע על שתי ככרות, *Sabbato tenetur homo ad frangendum ſuper duos panes, quia ſcribitur* לחם משנה, *Panem duplicem*, Exod. 16: 22. *Dicit Rab. Iſſai: Vidi Rabb Calina, quod ſumeret duos panes, &* יבצע אחד, *frangeret tantùm unum.* Infinita ſunt iſtiuſmodi quæ ſpectant phraſiologiam.

Jam verò quæritur, an Κλάσις ἄρτου hoc in loco, pari ſenſu ſit ſumenda, nempè an pro pane communi, an non potiùs pro pane Euchariſtico? quæ quæſtio etiam redit ad *verſ.* 46. Κλῶντες κατ' οἶκον ἄρτον.

Jam quæro ego, an בציעה, *Fractio panis* apud Judæos, ſignificet unquam totum prandium, aut totam cœnam? Significat quidem particularem iſtam actionem, à qua inchoarunt prandium, aut cœnam; at non memini me unquam obſervaſſe phraſiologiam apud Talmudicos, ad totam refectionem prandii aut cœnæ applicatam. סעודה eſt vox, quam illi vulgariſſimè adhibent pro tota refectione; at בציעה, ni ego plurimùm fallar, nunquam. Et ſuſpicor quidem illud *Bezæ* eſſe gratis dictum potiùs, quàm probatum: *Factum eſt ut mutuus convictus, ipſaque adeò convivia, quæ unà agitare ſolebant, nomine fractionis panis intelligerentur.* Quæ ſi vera, ego ignorantiam meam ingenuè agnoſco. Quòd ſi non vera, tum κλάσις ἄρτου in his locis, de quibus agimus, non poteſt de communi convictu intelligi, ſed de Euchariſtia; quod in terminis habet Interpres Syrus; & parallelum eſt illud 1 *Cor.* 10: 16. *Actor.* 20: 7.

VERS. 44. Εἶχον ἅπαντα κοινά.

Quæ de *Eſſænis* & *Therapeutis* hìc diſputantur recitare, eſſet cramben recoquere: at quæ de Hieroſolymitanis dicuntur, & non ſunt adeò obvia, non ſunt omittenda, videlicet quòd non conduxerunt domus nec lectos in Hieroſolymis; nam non erant mercenaria, ſed à poſſeſſoribus conceſſa gratis adventantibus ad feſta, *Joma*, fol. 12. 1. *Megill.* fol. 26. 1. quod & de clibanis, lebetibus, menſis, verubus, aliiſque utenſilibus benè poteſt ſupponi. Itemque paratæ iis ſunt aquæ, publicâ curâ & ſumptu, *Shekalim*, cap. 5.

CAP. III.

VERS. 1. Ἐπὶ τὴν ὥραν τῆς προσευχῆς τὴν ἐννάτην. CAP. III. VERS. 1.

AN hora nona ejuſdem diei fuerit, quo circa tertiam effuſus eſt Spiritus Sanctus, conjecturæ eſt relinquendum. Certum eſt horam nonam (nobis tertiam pomeridianam) fuiſſe horam ordinariam, ut ſacrificii, ſic etiam orationis.

De horis ſacrificii ſic *Joſephus*,

Antiquit. lib. 14. cap. 8. Δὶς τῆς ἡμέρας πρωΐ τε καὶ περὶ ἐννάτην ὥραν ἱερουργούντων ἐπὶ τοῦ βωμοῦ. *Bis quotidie, mane ſcil. & circa horam nonam, ſacra faciunt in altari.*

Et de horis orationis ſic Talmudici.

Beracoth, fol. 26. 1, 2. *R. Joſe b. R. Chanina dicit: Patriarchæ inſtituerunt orationes. R. Joſua ben Levi dicit: Inſtituerunt eas ſecundùm ſacrificia jugia.*

Oratio matutina eſt uſque ad horam quartam. Oratio Minchæ eſt uſque ad veſperam. Quænam eſt Minchah magna? Ab hora ſexta & dimidia. Quænam eſt Minchah parva? Ab hora nona & dimidia, &c.

Diſtinguunt Interpretes, pomeridianas & veſpertinas; quamvis ex parte, ſi non ex toto, fuerint unæ eædemque: nam cùm præciſum tempus recitandi phylacteria, preceſque adjunctas veſperi, non foret niſi inchoatâ jam nocte, recitarunt ea tamen in orationibus ad Mincham. Hinc diſputat

Gloſſ. in *Beracoth*, fol. 2. 1. *Recitatio Schemaa in lecto eſt fundamentum, hoc eſt, poſt apparentes jam ſtellas: & ſic eſt in Talm. Hieroſolymitano: Si quis recitet ante id temporis,* non

CAP. III. VERS. 2,4,5,6. *non fungitur officio ſuo. Si ſic, tùm quare nos fundimus preces phylactericas in Synagogâ? Nempè ut perſtemus in oratione propter verba Legis.*

Vers. 2. Πρὸς τὴν θύραν τοῦ ἱεροῦ τὴν λεγομένην Ὡραίαν.

In bivio hîc ſtamus, quoad determinationem hujus portæ, ſecundùm bifidam ſignificationem vocis Ὡραίαν. Si in ſignificatione ſua aliquid relationis habet ad Ὥρα, *Tempus*, (quod quis non dixerit?) tum portam reſpiceremus vocatam חולדה, *Hhuldah*, forſan ſic dictam ab חלד, *Hheled*, *Tempus* vel *Ævum*. Hujus nominis erant duæ portæ a latere Atrii Gentium Auſtrali, ſub porticu iſtâ nobiliſſimâ nuncupata Βασιλικῇ, *Middoth*, cap. 1. hal. 3. Per quas via ducebat ab ipſa Hieroſolyma, vel Acra in Templum.

Si verò Ὡραίαν denotet præcisè *Specioſam*, ut vulgò redditur, tùm reſpiceremus Portam Orientalem Atrii mulierum: quæ quamvis ærea tantùm fuerit, ſplendore tamen & coruſcantia reliquas portas argenteas aut aureas exſuperavit.

Joſeph. de excid. lib. 5. cap. 14. *Portarum quidem novem erant auro & argento obductæ.--- Una autem extra Templum, de ære Corinthiaco, longè & auratas & argenteas antecellebat.*

Difficultatem an augeat, an tollat illud quod dicitur *verſ.* 11. judicet lector. *Cùm autem claudus qui ſanatus eſt, teneret Petrum & Joannem, excurrit totus populus ad eos in porticum Salomonis.* Unde oritur hic ſcrupulus, an Petrus & Joannes, & claudus, in Atrium Gentium tantùm jam introierint, an ex Atrio mulierum in illud jam redierint? Si prius, tum jacuit claudus ad portam aliquam Atrii Gentium, Ὡραίαν dictam, quam portam *Hhuldam* concipias. Si poſterius, tum ad portam iſtam Corinthiacam.

Vers. 4. Βλέψον εἰς ἡμᾶς.
5. Ὁ δὲ ἐπεῖχεν αὐτοῖς.

Hieroſolymitanè forſan diceretur, חמי לן וחמי לון.

Hieroſ. Chetubb. fol. 35. 1. *Die quodam venit Elias ad R. Judam dentibus dolentem, & dixit ei:* חמי לי, *Reſpice me.* וחמי ליה, *Et reſpexit eum. Atque ille tactis dentibus ſanavit ægrum.*

Vers. 6. Ἀργύριον καὶ χρυσίον οὐκ ἔχω.

Beracoth, fol. 62. 2. *Traditio: Nè ingrediatur quis montem Templi*, במעות הצרורים לו בסדינו, *cum nummis ligatis in ſindone ſua*, ובפונדתו מופשלת אחריו, *nec cum crumenâ à tergo appenſa.* Ubi obiter notanda Gloſſa *Rambam* ſuper vocem פונדתו. *Eſt veſtimentum*, inquit ille, *quo amicitur homo ſuper carnem ſuam, in quo ſudat, nè veſtimenta ſua meliora inquinet: nec mos eſt cuiquam cum eo ſolo egredi, non indutis veſtimentis aliis.* Animum ejus expiſcandum lectori relinquimus, hoc ſolùm advertentes, quòd ſui de hac voce longè aliter.

Quamvis cuiquam non liceret crumenam in Templum ſecum ferre, raro tamen eò ſine moneta ſunt ingreſſi, aut in manu, aut aliter portata, idque vel in eleemoſynam, vel in ſpontaneam oblationem Gazophylacio. Teſtantur hoc, duo minuta paupérculæ viduæ. Nonne & tu talia habes, ô Petre, quamvis argentum & aurum non habeas conferenda mendicanti? Nulla ei talis æquivocatio, ſed hoc ſincerè vult: Pecuniam habeo omninò nullam.

Vers. 11. Ἐπὶ τῇ στοᾷ τῇ καλουμένῃ Σολομῶντος. CAP. III. VERS. 11.

Si inter porticum & porticum diſtinguas, *Porticus Solomonis* erat Orientalis, & *Porticus Regia*, Auſtralis, &c. At ſi totum iſtud *Atrium Gentium* ſub nomine *Porticûs Solomonis* comprehendi velis, quamvis obſcurius videtur, quare vocetur *Porticus*, & quare *Solomonis*, tamen non incongruè poteſt hîc admitti. Aſt an ità vocetur à *Porticu Solomonis* ſtrictè ſic dicta, ut porticu nobiliſſima, quia olim Solomonis: an quia Solomon ſacravit Atrium illud in Templo ſuo, per ſacrificia, 1 *Reg.* 8: 64. an quia Solomon μεγάλας ἐμφορήσας φάραγγας, ut *Joſephus*, profundas valles aggeribus repleverit, ut ſpatium huic Atrio acquireret & æquaret? Quicquid eſt, non inficiamur totum illud Atrium hoc titulo poſſe inſigniri, quamvis, ut oſtendimus alibi, ipſa *Porticus Solomonis*, ut *Porticus* ſtricta ſignificatione, erat tantum pars & Porticus iſtius Atrii Orientalis.

Et repetamus hoc tantum, quod illîc adducimus ex

Midr. Schir, fol. 16. 4. שער הכהן ושער חולדה לא חרבו לעולם, *Porta Sacerdotis & Porta Hhuldah non deſtruendæ erant unquam, donec renovaturus ſit eas Deus.* Quæ ſuſpicionem noſtram augent, nomen חולדה *Hhuldah*, ab חלד, *Hheled*, deduci, quæ *Tempus* & *Ævum* denotat, ob conceptam de ea æviternitatem, & vocem Ὡραίαν hoc in loco talem ſignificatum amplecti, q. d. *Porta temporis.* Et fortè *Porta Sacerdotis*, erat & altera porta *Hhuldah*, ob conceptam de ea eandem durationem: nam duæ erant Portæ iſtius

Digitized by Google

P. III. iſtius nominis à latere Atrii Meridionali, ut
VS. diximus antè.

VERS. 19. Ὅπως ἂν ἔλθωσι καιροὶ ἀναψύξεως.

Inſcitiam meam in lingua Græca forſan proderem, ſi faterer me non aſſequi, quâ linguæ iſtius authoritate doctiſſimi Interpretes reddiderint, vel, *ut cùm venerint*, ut Vulg. Eraſm. & Interlin. vel *cùm venerint*, ut Angl. Gallic. Ital. vel *poſtquam venerint*, ut Beza. At non pudet liberè fateri, me non aſſequi quâ ratione; cùm optimè conveniat cum idiomate linguæ, ſi vertatur, *Ut veniant.*

Pſalm. 9:15. Ὅπως ἂν ἐξαγγείλω. Hebr. לְמַעַן אֲסַפְּרָה, *Ut annuntiem.*

Pſalm. 92:8. Ὅπως ἂν ἐξολοθρευθῶσι. Hebr. לְהִשָּׁמְדָם, *Ut exterminentur.*

Pſalm. 119:101: Ὅπως ἂν φυλάξω. Hebr. לְמַעַן אֶשְׁמֹר, *Ut cuſtodiam.*

Actor. 15:17. Ὅπως ἂν ἐκζητήσωσι, *Ut requirant.*

Et ſic hoc in loco. Reſipiſcite igitur, & convertimini, ut deleantur peccata veſtra, ὅπως ἂν ἔλθωσι, *ut adveniant tempora refrigerii, & mittat Deus vobis Jeſum Chriſtum.*

Verba hæc ultima, *Et mittat vobis Jeſum*, difficultatem pariunt hoc in loco, atque, ut videtur, varietatem iſtam verſionum pepererunt. Et quomodo ea applicent Chiliaſtæ, ſatis notum. At quid plenius & planius dici potuit, ſi admittatur interpretatio noſtra, ut reſpondeatur conceptibus auditorum, ad ea, quæ Petrus dixerat, objecturis. Itane? num Jeſus iſte, quem crucifiximus, verus Chriſtus? Tum evanuit ſpes omnis refrigerationis per Meſſiam, cùm Meſſias ipſe ſic evanuerit. Tum conclamatum eſt de expectatione conſolationis Iſraëlis, cùm ità conclamatum ſit de eo qui conſolaretur.

Non ità, inquit Petrus, ſed nobis pœnitentibus reddetur Meſſias & refrigerium; verùm ità, ut Meſſias ipſe detinendus ſit in cœlo. Mittetur ille ad vos in verbo ſuo conſolante & refrigerante, atque in beneficiis ſuis, ſi reſipiſcatis, &c.

Parallelum eſt illud *Actor.* 13:47. *Convertimus nos ad Gentes: nam ſic præcepit nobis Dominus, dicens, Conſtitui te, ut ſis lux Gentium.* Conſtitui te: quemnam? *Paulum, aut Barnabam?* Non, ſed te Chriſtum miſſum, & lucentem per prædicationem Pauli & Barnabæ.

Atque hinc ego minùs ambigo de lectione vocis προκεκηρυγμένον, (cùm ſint qui προκεχειρισμένον malint) quippe quòd de prædicatione ſit ſermo, & Petri animus: Mittet vobis Chriſtum per prædicationem, ſicut ille fuit antehac prædicatus. Animadvertere licet, Apoſtolum in hac ſua diſſertatione agere de triplici tempore. I. Ante adventum Chriſti erat ille προκεκηρυγμένος per *Moſen* atque omnes Prophetas à *Samuele* porrò. II. Cùm adveniret, atque eum Deus exhiberet mundo, (ἀναστήσας αὐτὸν, *verſ.* 26.) excitans eum Salvatorem, miſit eum ad vos primùm, ut per doctrinam ſuam converteret vos à pravitatibus veſtris. III. Et jam cùm aſcenderit in cœlum, atque ibi ſit detinendus, mittet tamen eum Deus vobis pœnitentibus in prædicatione verbi ſui, ſicut anteà fuit prædicatus. CAP. III. VERS. 24.

VERS. 24. Καὶ πάντες δὲ οἱ Προφῆται ἀπὸ Σαμουήλ, &c.

Mentio hîc de *Moſe* & *Samuele:* ſic & *Pſalm.* 99:6. nam inter horum tempora rariores erant Prophetæ, 1 *Sam.* 3:1. (& frequentiores apparitiones Angelorum.) Et poſt Phinchaſum, quæri meritò poteſt, an fuerit oraculum per Urim & Thummim, propter defectum Prophetiæ in ſummis Pontificibus, uſque ad tempora *Samuelis:* exinde autem revixit in *Abimeleche*, *Abjathare*, &c.

Hieroſ. Hagigah, fol. 77. 1. שמואל רבן של נביאים, *Samuel erat Magiſter Prophetarum.*

CAP. IV.

CAP. IV. VERS. 1, 5.

VERS. 1. Καὶ ὁ Στρατηγὸς τοῦ ἱεροῦ.

DE illo diximus ad *Luc.* 22:4. Nempe quòd fuerit Dux omnium excubiarum Sacerdotalium & Leviticarum in Templo. Vocatur à Talmudicis, איש הר הבית, *Vir montis domûs*, vel Præfectus monti Templi.

VERS. 5. Συναχθῆναι Ἄρχοντας, καὶ Πρεσβυτέρους, καὶ Γραμματεῖς εἰς Ἱερουσαλήμ.

Εἰς Ἱερουσαλήμ, duplicem admittit conſtructionem: vel ut civitas opponatur ruri, vel ut ipſa civitas opponatur Templo.

I. Si priorem admiſeris, atque hos ex oppidis urbem circumjacentibus, Hieroſolymam confluxiſſe conceperis, arguere poteſt, eos ob ſolennitatem aliquam diei illuc congregatos fuiſſe potiùs, quàm ob cauſam tranſigendam *Petri & Joannis.* Nam quæri poteſt, an illis innotuerit incarceratio eorum veſperè facta: & videtur eos abfuiſſe, cum illi manciparentur carceri, cùm res iſta acta ſit à Primoribus, aliquibus Sacerdotum, Præfecto excubiis, & à Sadducæis, non juſto Synedrio.

Si igitur conceſſeris, ſanationem claudi fuiſſe tempore pomeridiano iſtius diei, cujus ante-

Digitized by Google

CAP. III. VERS. 2, 4, 5, 6. *non fungitur officio ſuo. Si ſic, tùm quare nos fundimus preces phylactericas in Synagogâ? Nempè ut perſtemus in oratione propter verba Legis.*

VERS. 2. Πρὸς τὴν θύραν τοῦ ἱεροῦ τὴν λεγομένην Ὡραίαν.

In bivio hîc ſtamus, quoad determinationem hujus portæ, ſecundùm bifidam ſignificationem vocis Ὡραίαν. Si in ſignificatione ſua aliquid relationis habet ad Ὥρα, *Tempus*, (quod quis non dixerit?) tum portam reſpiceremus vocatam חולדה, *Hhuldah*, forſan ſic dictam ab חלד, *Hheled*, *Tempus* vel *Ævum*. Hujus nominis erant duæ portæ a latere Atrii Gentium Auſtrali, ſub porticu iſtâ nobiliſſimâ nuncupata Βασιλική, *Middoth*, cap. 1. hal. 3. Per quas via ducebat ab ipſa Hieroſolyma, vel Acra in Templum.

Si verò Ὡραίαν denotet præcisè *Specioſam*, ut vulgò redditur, tùm reſpiceremus Portam Orientalem Atrii mulierum: quæ quamvis ærea tantùm fuerit, ſplendore tamen & coruſcantia reliquas portas argenteas aut aureas exſuperavit.

Joſeph. de excid. lib. 5. cap. 14. *Portarum quidem novem erant auro & argento obductæ.--- Una autem extra Templum, de ære Corinthiaco, longè & auratas & argenteas antecellebat.*

Difficultatem an augeat, an tollat illud quod dicitur *verſ.* 11. judicet lector. *Cùm autem claudus qui ſanatus eſt, teneret Petrum & Joannem, cucurrit totus populus ad eos in porticum Salomonis.* Unde oritur hic ſcrupulus, an Petrus & Joannes, & claudus, in Atrium Gentium tantùm jam introierint, an ex Atrio mulierum in illud jam redierint? Si prius, tum jacuit claudus ad portam aliquam Atrii Gentium, Ὡραίαν dictam, quam portam *Hhuldam* concipias. Si poſterius, tum ad portam iſtam Corinthiacam.

VERS. 4. Βλέψον εἰς ἡμᾶς.
5. Ὁ δὲ ἐπεῖχεν αὐτοῖς.

Hieroſolymitanè forſan diceretur, חמי לן וחמי לון.

Hieroſ. Chetubb. fol. 35. 1. *Die quodam venit Elias ad R. Judam dentibus dolentem, & dixit ei:* חמי לי, *Reſpice me.* וחמי ליה, *Et reſpexit eum. Atque ille tactis dentibus ſanavit ægrum.*

VERS. 6. Ἀργύριον καὶ χρυσίον οὐκ ἔχω.

Beracoth, fol. 62. 2. *Traditio: Nè ingrediatur quis montem Templi,* במעות הצרורים לו בסדינו, *cum nummis ligatis in ſindone ſua,* ובפונדתו מושפלת אחריו, *nec cum crumenâ à tergo appenſa.* Ubi obiter notanda Gloſſa *Rambam* ſuper vocem פונדתו. *Eſt veſtimentum*, inquit ille, *quo amicitur homo ſuper carnem ſuam, in quo ſudat, nè veſtimenta ſua meliora inquinet: nec mos eſt cuiquam cum eo ſolo egredi, non indutis veſtimentis aliis.* Animum ejus expiſcandum lectori relinquimus, hoc ſolùm advertentes, quòd ſui de hac voce longè aliter.

Quamvis cuiquam non liceret crumenam in Templum ſecum ferre, rarò tamen eò ſine moneta ſunt ingreſſi, aut in manu, aut aliter portata, idque vel in eleemoſynam, vel in ſpontaneam oblationem Gazophylacio. Teſtantur hoc, duo minuta paupérculæ viduæ. Nonne & tu talia habes, ô Petre, quamvis argentum & aurum non habeas conferenda mendicanti? Nulla ei talis æquivocatio, ſed hoc ſincerè vult: Pecuniam habeo omninò nullam.

CAP. III. VERS. 11.

VERS. 11. Ἐπὶ τῇ στοᾷ τῇ καλουμένῃ Σολομῶντος.

Si inter porticum & porticum diſtinguas, *Porticus Solomonis* erat Orientalis, & *Porticus Regia*, Auſtralis, &c. At ſi totum iſtud *Atrium Gentium* ſub nomine *Porticûs Solomonis* comprehendi velis, quamvis obſcurius videtur, quare vocetur *Porticus*, & quare *Solomonis*, tamen non incongruè poteſt hîc admitti. Aſt an ità vocetur à *Porticu Solomonis* ſtrictè ſic dicta, ut porticu nobiliſſima, quia olim Solomonis: an quia Solomon ſacravit Atrium illud in Templo ſuo, per ſacrificia, 1 *Reg.* 8:64. an quia Solomon μεγάλας ἐμφορήσας φάραγγας, ut *Joſephus*, profundas valles aggeribus repleverit, ut ſpatium huic Atrio acquireret & æquaret? Quicquid eſt, non inficiamur totum illud Atrium hoc titulo poſſe inſigniri, quamvis, ut oſtendimus alibi, ipſa *Porticus Solomonis*, ut *Porticus* ſtricta ſignificatione, erat tantum pars & Porticus iſtius Atrii Orientalis.

Et repetamus hoc tantum, quod illîc adducimus ex

Midr. Schir, fol. 16. 4. שער הכהן ושער חולדה לא חרבו לעולם, *Porta Sacerdotis & Porta Hhuldah non deſtruendæ erant unquam, donec renovaturus ſit eas Deus.* Quæ ſuſpicionem noſtram augent, nomen חולדה *Hhuldah*, ab חלד, *Hheled*, deduci, quæ *Tempus* & *Ævum* denotat, ob conceptam de ea æviternitatem, & vocem Ὡραίαν hoc in loco talem ſignificatum amplecti, q. d. *Porta temporis.* Et fortè *Porta Sacerdotis*, erat & altera porta *Hhuldah*, ob conceptam de ea eandem durationem: nam duæ erant Portæ iſtius

Digitized by Google

iſtius nominis à latere Atrii Meridionali, ut diximus antè.

VERS. 19. Ὅπως ἂν ἔλθωσι καιροὶ ἀναψύξεως.

Inſcitiam meam in lingua Græca forſan proderem, ſi faterer me non aſſequi, quâ linguæ iſtius authoritate doctiſſimi Interpretes reddiderint, vel, *ut cùm venerint*, ut Vulg. Eraſm. & Interlin. vel *cùm venerint*, ut Angl. Gallic. Ital. vel *poſtquam venerint*, ut Beza. At non pudet liberè fateri, me non aſſequi quâ ratione; cùm optimè conveniat cum idiomate linguæ, ſi vertatur, *Ut veniant*.

Pſalm. 9:15. Ὅπως ἂν ἐξαγγείλω. Hebr. לְמַעַן אֲסַפְּרָה, *Ut annuntiem*.

Pſalm. 92:8. Ὅπως ἂν ἐξολοθρευθῶσι. Hebr. לְהִשָּׁמְדָם, *Ut exterminentur*.

Pſalm. 119:101: Ὅπως ἂν φυλάξω. Hebr. לְמַעַן אֶשְׁמוֹר, *Ut cuſtodiam*.

Actor. 15:17. Ὅπως ἂν ἐκζητήσωσι, *Ut requirant*.

Et ſic hoc in loco. Reſipiſcite igitur, & convertimini, ut deleantur peccata veſtra, ὅπως ἂν ἔλθωσι, *ut adveniant tempora refrigerii, & mittat Deus vobis Jeſum Chriſtum*.

Verba hæc ultima, *Et mittat vobis Jeſum*, difficultatem pariunt hoc in loco, atque, ut videtur, varietatem iſtam verſionum pepererunt. Et quomodo ea applicent Chiliaſtæ, ſatis notum. At quid plenius & planius dici potuit, ſi admittatur interpretatio noſtra, ut reſpondeatur conceptibus auditorum, ad ea, quæ Petrus dixerat, objecturis. Itane? num Jeſus iſte, quem crucifiximus, verus Chriſtus? Tum evanuit ſpes omnis refrigerationis per Meſſiam, cùm Meſſias ipſe ſic evanuerit. Tum conclamatum eſt de expectatione conſolationis Iſraëlis, cùm ità conclamatum ſit de eo qui conſolaretur.

Non ità, inquit Petrus, ſed nobis pœnitentibus reddetur Meſſias & refrigerium; verùm ità, ut Meſſias ipſe detinendus ſit in cœlo. Mittetur ille ad vos in verbo ſuo conſolante & refrigerante, atque in beneficiis ſuis, ſi reſipiſcatis, &c.

Parallelum eſt illud *Actor.* 13:47. *Convertimus nos ad Gentes: nam ſic præcepit nobis Dominus, dicens, Conſtitui te, ut ſis lux Gentium.* Conſtitui te: quemnam? *Paulum, aut Barnabam?* Non, ſed te Chriſtum miſſum, & lucentem per prædicationem Pauli & Barnabæ.

Atque hinc ego minùs ambigo de lectione vocis προκεκηρυγμένον, (cùm ſint qui προκεχειρισμένον malint) quippe quòd de prædicatione ſit ſermo, & Petri animus: Mittet vobis Chriſtum per prædicationem, ſicut ille fuit antehac prædicatus. Animadvertere licet, Apoſtolum in hac ſua diſſertatione agere de triplici tempore. I. Ante adventum Chriſti erat ille προκεκηρυγμένος per *Moſen* atque omnes Prophetas à *Samuele* porrò. II. Cùm adveniret, atque eum Deus exhiberet mundo, (ἀναστήσας αὐτὸν, *verſ.* 26.) excitans eum Salvatorem, miſit eum ad vos primùm, ut per doctrinam ſuam converteret vos à pravitatibus veſtris. III. Et jam cùm aſcenderit in cœlum, atque ibi ſit detinendus, mittet tamen eum Deus vobis pœnitentibus in prædicatione verbi ſui, ſicut anteà fuit prædicatus.

VERS. 24. Καὶ πάντες δὲ οἱ Προφῆται ἀπὸ Σαμουὴλ, &c.

Mentio hîc de *Moſe* & *Samuele:* ſic & *Pſalm.* 99:6. nam inter horum tempora rariores erant Prophetæ, 1 *Sam.* 3:1. (& frequentiores apparitiones Angelorum.) Et poſt Phinchaſum, quæri meritò poteſt, an fuerit oraculum per Urim & Thummim, propter defectum Prophetiæ in ſummis Pontificibus, uſque ad tempora *Samuelis:* exinde autem revixit in *Abimeleche*, *Abjathare*, &c.

Hieroſ. Hagigah, fol. 77. 1. שמואל רבן של נביאים, *Samuel erat Magiſter Prophetarum.*

CAP. IV.

VERS. 1. Καὶ ὁ Στρατηγὸς τοῦ ἱεροῦ.

DE illo diximus ad *Luc.* 22:4. Nempe quòd fuerit Dux omnium excubiarum Sacerdotalium & Leviticarum in Templo. Vocatur à Talmudicis, איש הר הבית, *Vir montis domûs*, vel Præfectus monti Templi.

VERS. 5. Συναχθῆναι Ἄρχοντας, καὶ Πρεσβυτέρους, καὶ Γραμματεῖς εἰς Ἱερουσαλήμ.

Εἰς Ἱερουσαλὴμ, duplicem admittit conſtructionem: vel ut civitas opponatur ruri, vel ut ipſa civitas opponatur Templo.

I. Si priorem admiſeris, atque hos ex oppidis urbem circumjacentibus, Hieroſolymam confluxiſſe conceperis, arguere poteſt, eos ob ſolennitatem aliquam diei illuc congregatos fuiſſe potiùs, quàm ob cauſam tranſigendam *Petri & Joannis*. Nam quæri poteſt, an illis innotuerit incarceratio eorum veſperè facta: & videtur eos abfuiſſe, cum illi manciparentur carceri, cùm res iſta acta ſit à Primoribus, aliquibus Sacerdotum, Præfecto excubiis, & à Sadducæis, non juſto Synedrio.

Si igitur conceſſeris, ſanationem claudi fuiſſe tempore pomeridiano iſtius diei, cujus ante-

Digitized by Google

CAP. IV. VERS. 5, 6.

antemeridiano effuſus eſt Spiritus Sanctus in Diſcipulos, tum hoc ipſo die comparendum erat unicuique maſculo in Templo cum aliqua oblatione: nam cùm Pentecoſtes dies inciderit jam in Sabbatum Judaicum, foretque hic dies (re iſtâ ſuppoſitâ) dies poſt ipſum ſecundus, erat dies הראיה comparitionis in Templo, quæ res forſan hos Primates ad urbem coëgit.

II. Si verò Hieroſolymam hoc in loco, Templo oppoſueris, refricat traditionem iſtam de migratione Synedrii è Templo in urbem, de quâ,

Roſh Shanah, fol. 31. 1. *Migravit Synedrium à Conclavi Gazith ad Tabernas: atque à Tabernis ad Hieroſolymam*, &c. Ubi & eadem oppoſitio *Hieroſolymæ* ad Templum: in Templo enim erant & *Gazith* & *Tabernæ*. Evenit hæc migratio 40. annis ante urbis excidium.

Avodah Zarah, fol. 8. 2. *Quadraginta annis ante excidium urbis migravit Synedrium.– Cùm enim viderent ità multiplicatos homicidas, ut de iis non poſſent judicare, dixerunt:* מוטב נגלי ממקום למקום, *Præſtat ut migremus à loco in locum.* Quæ ipſa verba, *Præſtat ut migremus*, non commemorare non poſſunt illud *Joſephi*,

De excidio, lib. 6. cap. 31. *In feſto, quod vocatur Pentecoſtes, Sacerdotes introëuntes in interius Templum noctu, ſicut mos iis erat, ad miniſterium, perceperunt primùm, ut dixerunt, motum quendam & fragorem, & deinde vocem ſubitaneam:* Μεταβαίνωμεν ἐντεῦθεν, *Migremus hinc.* Quæ an conveniant inter ſe, & tempori, de quo nos jam agimus, congruant, lectori relinquimus penſitandum.

Colorem aliquem, quòd Synedrium jam ſederit in urbe, non in Templo, videtur ſecum ferre illud *Cap.* 5:25. quod etiam lector penſitet.

III. Per Ἄρχοντας, Πρεσβυτέρους & Γραμματεῖς intelligi *magnum Synedrium*, nemo, ut puto, dubitaverit: at ſpeciatim hos diſtinguere, vix dixeris, an curioſius ſit, an difficilius? Dicere liceret, per Ἄρχοντας intelligi *Gamalielem* Præſidem, & *Simeonem* filium, Vice-Præfectum; per Πρεσβυτέρους, reliquum corpus Synedrii; & per Γραμματεῖς, vel duos Regiſtrarios, vel Sapientes illos הדנים לפני חכמים, *qui judicarunt coram Synedrio*, vel utroſque. Sed abſit curioſitas.

VERS. 6. Ἰωάννην.

Sic liceat Ἐκ γένους ἀρχιερατικοῦ reddere cum Vulg. *E genere Sacerdotali*, præſertimque cum Syr. & Arab. *E genere ſummorum Sacerdotum*, ego abſque omni hæſitatione conceperim, *Rabban Jochananem ben Zaccai* eſſe *Joannem*, de quo hîc mentio: quippe quòd non foret tunc temporis in totâ gente quiſpiam celebrior, foretque ille de ſtirpe Sacerdotali.

CAP. IV. VERS. 6, 11.

Juchaſ. fol. 60. 2. *Rabban Jochanan ben Zaccai, Sacerdos, vixit* 120. *annos*, &c. *Gratiam habuit apud Cæſarem, à quo obtinuit Jafnen, & ſapientes ejus, & medicos, qui curarent R. Zadoc.* משמת בטלה זיו החכמה, *Ex quo ille obiit, defecit ſplendor ſapientiæ.*

Circa ipſiſſimum illud tempus, de quo nunc agimus, hoc de eo refertur,

Joma, fol. 39. 2. *Quadraginta annis ante excidium urbis, cùm portæ Templi ſponte ſuâ ſe aperirent, dixit Rabban Jochanan ben Zaccai: O Templum, quare teipſum turbas? Novi ego finem tuum, quòd deſtrueris: nam ſic vaticinatus eſt de te Zacharias: Aperi portas tuas, ô Lebanon, ut exedat ignis cedros tuas.*

Vidit flammas urbis & Templi: atque impetrato à Tito Cæſare, ut ſtatueretur Synedrium in Jabneh, præſedit ipſe illîc annis duobus, aut quinis, nam de certo numero controvertitur.

Hoc unum tantum objici poteſt contra *Jochananem ben Zaccai:* nempè, quòd ſi hic conventus fuerit Sacerdotum, fermento Sadducæorum fermentatorum, quod concipi poteſt ex *Cap.* 5:17. *Joannes ben Zaccai* inter eos numerari non poteſt: nam vixit ille, obiitque, vel Phariſæus, vel ſaltem non Sadducæus. Si verò totum Synedrium ſit hic intelligendum, in quo partes ſuas, quantum poſſunt, roborant Sacerdotes, tum ego alium Joannem, præter hunc Zacchæi, non quæſiverim.

VERS. 11. Οὗτός ἐστιν ὁ λίθος ἐξουθενηθεὶς, &c.

Verba deſumpta ex *Pſalm.* 118:22. אבן מאסו הבונים, Λίθον ὃν ἀπεδοκίμασαν, &c. Et hæccine de Meſſiâ dici? Parum credit hoc Judæus, Meſſiam ſuum pompoſum à ſuis reprobandum & rejiciendum. Atque eò magis Petrus hæc inculcat, ut de perſonâ veriùs judicarent: *Hic eſt lapis.* Dixerat anteà Salvator: *Nunquam legiſtis in Scripturis: Lapidem, quem reprobaverunt ædificantes, &c. Matth.* 21. Imò legerunt, & legerunt iterùm, & recitarunt ſæpenumero in magno Hallel; at non perſuaſeris iis, hæc de Meſſiâ dici: quin potiùs de *Jacobo*, ut *Midras Tillin*, vel de *Davide*, ut *Peſachin*, fol. 119. 1. vel de Congregatione Iſraëlis, ut *Aben Ezra*, &c. at nequaquam de Meſſiâ: nam ſomniarunt Meſſiam talem, ſecundum animum ipſorum futurum, ut incredibile iis fuerit, Judæum aliquem illum rejecturum.

Digitized by Google

AP. IV. ERS. , 17.

VERS. 13. Ἀγράμματοί εἰσι καὶ ἰδιῶται.

Illiterati, & plebeji etiam. Nam ſupponitur in

Joma, cap. 1. hal. 3. etiam Summum Pontificem eſſe poſſe ἀγράμματον, *illiteratum*, cùm tamen minimè foret plebeius, vel vir vulgaris, ἰδιώτης. *Dicunt ei, Domine Pontifex, lege tu ipſe ore tuo: fortè oblitus es, vel fortè non didiciſti.* Atque vice verſâ.

Sanhedr. fol. 90. 1. Vocantur quidam הדיוטות, ἰδιῶται, qui non erant adeò *illiterati. Tres Reges non habent portionem in mundo futuro*, videlicet *Jeroboamus*, *Achabus & Manaſſeh*: וארבעה הדיוטות, *& quatuor* Ἰδιῶται, *Bileamus*, *Doëg*, *Achitophel & Gehazi.*

Aſt hi Apoſtoli & illiterati, & ἰδιῶται, nullius gradûs aut dignitatis, ſed homines vulgares & de plebe, ut 1 *Sam.* 18:23. איש רש ונקלה, *Vir pauper & vilis.* Targ. גבר מסכן והדיוט, Vir pauper & ἰδιώτης. Et *Cap.* 24:15. *Poſt canem mortuum, poſt pulicem unum*: Targ. בתר חלש חד בתר הדיוט חד, *Poſt debilem unum, poſt ἰδιώτην unum.*

VERS. 17. Ἀπειλῇ ἀπειλησώμεθα αὐτοῖς, &c.

I. Indeſinens atque implacabilis Synedrii adverſatio atque obſtinacia contra doctrinam & miracula Apoſtolorum in nomine Jeſu, (cujus hoc primum ſpecimen) peculiarem erga Jeſum malevolentiam redolent ſupra omnes mortales. Confer tantùm cauſam Jeſu cum cauſa Baptiſtæ, *Omnes æſtimarunt Joannem pro Propheta*, *Matth.* 21:26. nec erat Euangelizationi ejus ità contradictum: & quare tàm unanimiter contradictum Euangelizationi Jeſu, quæ tot & tantis miraculis emicuit ſupra iſtam Joannis?

II. Concipimus nos ad *Joann.* 11:48. Patres Synedrii, vel cognitionem, vel ſaltem ſuſpicionem habuiſſe, Jeſum fuiſſe verum Meſſiam, atque inde odium ortum in ejus perſonam & doctrinam.

Diſputatur & dubitatur de teſtimonio iſto apud Joſephum de Jeſu, an ipſius Joſephi ſit, an inſertum & intruſum per aliquem Chriſtianum. In quo quidem, ſi clauſulam poſtremam excipias, vix quicquam deprehendas, quod ab ipſis Judæorum Primoribus non fuerit vel agnitum, vel ſaltem ſuſpectum, ſi voluiſſent eloqui.

Antiquit. lib. 18. cap. 4. Γίνεται κατὰ τοῦτον τὸν χρόνον Ἰησοῦς σοφὸς ἀνὴρ, εἴγε ἄνδρα αὐτὸν λέγειν χρή, ἦν γὰρ παραδόξων ἔργων ποιητής.

Suſpicor Joſephum in verbis iſtis, Εἴγε ἄνδρα αὐτὸν λέγειν χρή, vocem ἄνδρα non ſtatuere in antitheſi ad *Deum*, ſed in antitheſi ad Prophetam. Ut ſenſus ſit: *Si modò liceat eum nudè σοφὸν ἄνδρα (חכם) vocare, & non Prophetam: nam miraculoſa operatus eſt*, &c. CAP. IV. VERS. 17.

--- Ὁ Χριστὸς οὗτος ἦν) *Matth.* 21:38. *Agricolæ videntes filium, dixerunt inter ſe: Hic eſt hæres*, &c. Jam ſi reliqua Parabolæ congruant cum actionibus Ductorum gentis in perſecutione Prophetarum & ipſius Chriſti, quod nemo non videt; tùm congruentiam etiam ſuam habeat iſta clauſula: *Dixerunt inter ſe, Hic eſt hæres*: ut innuat, Primores iſtos Judæorum, qui Jeſum condemnarunt & crucifixerunt, noviſſe eum fuiſſe Meſſiam.

--- Ἐφάνη αὐτοῖς (Diſcipulis) τρίτην ἔχων ἡμέραν πάλιν ζῶν. Confer *Matth.* 28:12, 13, 14. & non dubitaveris, perſuaſum & convictum fuiſſe Sacerdotibus & Patribus Synedrii, eum revera reſurrexiſſe à mortuis, cùm ſcientes & ex induſtria fabulam excogitent, quæ reſurrectionem ejus eludat.

Hucuſque nihil Joſephus, ſi modò ille, quod in confeſſo, ſaltem in ſuſpicione, Ductoribus gentis non eſſet, ſi vellent eloqui. Hæc autem, quæ ſequuntur apud eum: Τῶν θείων προφητῶν ταῦτα καὶ ἄλλα μυρία θαυμάσια περὶ αὐτοῦ εἰρηκότων, adeo ingenua & nobilis fuit de Jeſu confeſſio, ut talem à Joſepho vix expectarim, & non omnino à ſuis. At ſunto hæc ipſius Joſephi, necne.

III. Illud, quod nos concipimus, videtur & aſtrui ex iſtis, *Joann.* 11:48. *Dixerunt Phariſæi & Pontifices: Quid agimus? Hic homo multa ſigna facit, & ſi dimittamus eum ſic, venient Romani, & tollent & locum noſtrum, & gentem.*

Quis non videt, oculos hæc loquentium intentos fuiſſe in illud *Dan.* 9:26.27. ubi ſermo de Meſſia & de ejus exciſione, utque ille ceſſationem ſacrificii & oblationis introducturus, utque *Populus Principis venturi* (i. e. Romanus) urbem & Sanctuarium deſtructurus. Unde arguere bene licet, eos & ex congruentia temporum, & miraculis & doctrinâ Jeſu, pluſquam ſuſpicatos eſſe, illum eſſe Meſſiam iſtum, de quo illîc ſermo, & plurimùm hæſitaſſe, quid de eo agendum. *Hic homo multa ſigna facit*, & demonſtat ſe eſſe Meſſiam, & quid nos agemus? De medio tollere Meſſiam, horrendum: at vice verſâ, ſi eum toleremus, ille ceſſare faciet ſacrificium & oblationem, finem imponet miniſtrationi in Templo, & ſic corruet religio noſtra; & tum quid reliquum, niſi ut veniat Populus Principis venturi, Romanus, & tollat locum noſtrum, & gentem?

Object. Verùm occurrunt hæc & hujuſmodi: *Et nunc, fratres, ſcio quia per ignorantiam feciſtis, ſicut & principes veſtri,*

Actor. 3:17. *Habitantes enim Jeruſalem, & principes ejus illum ignorantes, & voces Prophetarum, &c.* Cap. 13:27.

Reſp. Ignorarunt quidem, & perſonam & officium *Meſſiæ*, inſcii prorſus Deitatis ejus, & in officio ejus nihil niſi terrena & temporalia ſomniantes; & tamen nihil obſtat, quin quòd ſuſpicari potuerint Jeſum eſſe Meſſiam. Quem cùm conſpicerent parùm quadrare cum ipſorum ſpe & conceptibus de Meſſia, & doctrinam ejus tendere ad everſionem Judaiſmi, carere malunt Meſſiâ, quàm tali frui; & pereat ipſe & Euangelium ejus potiùs, quam ipſorum Judaiſmus.

VERS. 27. Συνήχθησαν γὰρ ἐπ' ἀληθείας.

Et ſequuntur in quibuſdam codicibus, Ἐν τῇ πόλει ταύτῃ. Sic legunt Beza, Vulg. Syr. & MS. Alexand. Ἐν τῇ πόλει σου ταύτῃ. Quæ eò promptius admitti poſſunt, quòd Judæi longiſſimè ab iſta civitate inſurrectionem iſtam in Dominum & Chriſtum ſuum amoveant; nam incredibile iis, in urbe Hieroſolymitana, aut à Judæis aliquid rebellionis fieri contra Meſſiam: ſed hæc dicta ſunt de Gog & Magog inſurgentibus contra Iſraëlem, *Avodah Zarah*, fol. 3:2. aut de aliqua regione (Ethnica) rebellante in Meſſiam, *Midr. Till.* fol. 4. 2.

VERS. 36. Ἰωσὴφ ὁ ἐπικληθεὶς Βαρνάβας, &c.

Cùm duo forent celebres Joſephi, diſtinctionis ergô, ut videtur, unus vocatur *Joſeph Barſabas*, alter *Joſeph Barnabas*. Nomen *Barnabæ* imponunt Apoſtoli, quæras an ita nomen *Barſabæ?* quia eſt *Judas* etiam *Barſabas*, Cap. 15:22.

Unde deducatur Bar-nabas, in dubio eſt, idque magis, quia in dubio etiam eſt, quid in hoc loco ſit Παράκλησις. Redditur utplurimum *Filius Conſolationis*. Syro בְּרָא דְבוּיָאאָ, unde quidem deductum longo tractu *Naba*, נבא, volunt. Non contendimus. At cùm παράκλησις ſit æquè *Adhortatio*, ac *Conſolatio*, & clarè eam diſtinguat Apoſtolus à Παραμυθίᾳ, 1 *Cor.* 14:3. probabilius videtur, ad נבא, *Prophetare*, nomen referre: ſub qua voce *Exhortationem* imprimis comprehendi, nemo non novit. Et ſecundum Παρακλήσεως ſignificationem, actitantem illum habes Cap. 11:23. Παρεκάλει πάντας, &c. *Hortabatur omnes, ut propoſito cordis permanerent Domino.*

Κύπριος τῷ γένει.

Sic naſcuntur duo Apoſtoli Gentium in regionibus Gentilitiis. In Cilicia Paulus, & Barnabas in Cypro, ubi & agrum ſuum ille vendit: nam quæri poteſt, an vendere potuerit in terra Iſraëlitica? Cùm & quæri poſſit, an licuerit Levitæ agrum illìc poſſidere, qui non foret de agris urbium Leviticarum, & non licuit certè agros iſtos vendere eo modo, quo alios. *Imò non licuit Iſraëlitæ agrum poſſeſſionis ſuæ vendere in terra Iſraëlitica, niſi coacto per ſuam paupertatem, ſicut dicitur: Si depaupertatus fuerit frater tuus, & vendiderit de poſſeſſione ſua,* &c. *Maimonid. Shemittah vejobel*, cap. 11. Venduntur hìc agri & poſſeſſiones, non tàm ob paupertatem propriam, quàm ob paupertatem aliorum.

CAP. V.

VERS. 2 Ἐνοσφίσατο ἀπὸ τῆς τιμῆς.

AN oblitus es, ô Anania, quæ dicantur de *Spiritu Meſſiæ?* רוחו של מלך משיח, *de Spiritu Regis Meſſiæ*: Spiritu ſcil. ſapientiæ & intelligentiæ, &c. *Eſaj.* 11:2. 'והריחו ביראתה, *Et odorari eum faciet in timore Domini.* Unde ſic tu in

Sanhedr. fol. 93. 2. *Rabba dicit*, דמורח ודאין, *quòd odoratur & judicat, ſicut ſcribitur: Non per conſpectum oculorum judicabit, &c.— Bar Cozbi regnavit annis duobus & dimidio: & dixit Rabbinis: Ego ſum Meſſias. Regerunt illi: De Meſſia ſcribitur, quòd odoratur & judicat: videamus an tu etiam ità, &c.*

Gloſſ. *Odoratur de homine, an reus ille, necne, &c.*

Qua opinione deceptus Ananias, aggredi deceptionem Spiritûs ſit auſus, non facile eſt deprehendere, aut conjectare. Diſcere potuit à Gehazi, quàm perſpicax ſit Spiritus Prophetæ in detegendis dolis & fallaciis: & nonnè parem Spiritum agnoſcit ille in Apoſtolis? Quicquid erat, quod eum ad amentiam excæcavit, aut ad audaciam obduravit, ſit ille tremendum in omnia ſæcula monumentum indignationis divinæ ob contemptum & vilifactionem Spiritûs Sancti. Quem ſi in corde ſuo non blaſphemia aſperſit, heu, quantillum à tali crimine abfuit! Tantum poſſunt avaritia & hypocriſis.

Qualis fuerit hic *Ananias* quoad gradum & ordinem, inſcrutabile. Suſpicioſum, quòd non fuerit de mera plebe, ſed gradûs alicujus dignioris, ex eo quòd mentio ejus incidat cum mentione *Barnabæ*; & plura ſunt quæ aliqualiter ſuadent. Quid enim obſtat, quominus ſupponatur fuiſſe eum de numero eorum, in

quo

CAP. V. VERS. 5, 7. quos effuſus eſt Spiritus Sanctus ? & qualis fuit Judas inter duodecim, talem fuiſſe eum inter centum & viginti, dotatum donis Spiritûs Sancti, at Diabolum ?

Nam phraſiologia ψεύσασθαί σε τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον, videtur aliquid aliud velle, quam ψεύσασθαι τῷ ἁγίῳ Πνεύματι. Idem fortè quod לוייף, *Falſificare* Spiritum Sanctum, & mendacem eum reddere.

VERS. 3. Εἶπε δὲ Πέτρος, &c.

Sive authoritatem ſumpſerit Petrus, ſcelestum hunc morte feriendi, à verbis iſtis Domini: *Quorum peccata retinueritis, retinentur, Joann.* 20. ſive ab immediata aliqua revelatione, ſive utrumque, nobile indicium exhibet pœnitentiæ ſuæ, & reſtauratæ poſt lapſum ſtationis, cùm ille, qui mendacio, imò & perjurio Dominum ſuum abnegaverat, ob mendacium tam ſeverè punit alterum.

VERS. 6. Συνέστειλαν αὐτὸν.

Non habentes תכריכין, veſtimenta ſepulchralia in promptu, mortuum contrahunt, & ſuccingunt eo quo poſſunt modo, atque è loco iſto elatum terræ mandant.

VERS. 7. Ὡς ὡρῶν τριῶν διάστημα.

Tantum temporis ſpatium, funerationi hominis inſumptum, innuere aliquid videtur de diſtantia cœmiterii; quam in civitatibus Leviticis ſic habes deſcriptam.

Maimon. Schemittah vejobel, cap. 13. *Suburbana prædia civitatum definiuntur in Lege, nempe ut ſint* 3000. *cubitis à muro ab unoquoque latere exterius, ſicut dicitur: A muro civitatis exteriùs milleni cubiti. At alibi dicit: Menſurabitis ab extrà civitatem, ab angulo Orientali bis mille cubitos. Milleni primi ſunt ſuburbana civitatis: & bis mille iſti, quos menſurant poſt ſuburbana, ſunt in agros & vineas. Et aſſignant unicuique civitati Cœmiterium extra hos limites; nam non ſepeliunt mortuos intra limites civitatis.*

Cœmiterium ultra milliare & dimidium ab urbe Levitica: an ità de urbibus non Leviticis? Abſque dubio eſt, diſtitiſſe ſepulchreta aliquanto ſpatio ab omnibus: ſed quæri poteſt, an eodem ? quod non eſt præſentis diſquiſitionis.

Μὴ εἰδυῖα τὸ γεγονός.

Hinc forſan colligere licet, quare adhibeatur vox Συνέστειλαν. Si enim ad defuncti domum aut hoſpitium ſe contulerant illi, qui eum extulerunt è conclavi, ubi cecidit mortuus, petituri inde involucra ſepulchralia, de re, quæ evenerat, ignorare non potuit ejus uxor: at Συνέστειλαν αὐτὸν, collegerunt & colligarunt eum, ſicut erat, in veſtimentis ejus, & ſic elatum tumularunt. CAP. V. VERS. 13, 15, 20, 34.

VERS. 13. Τῶν δὲ λοιπῶν οὐδεὶς ἐτόλμα κολλᾶσθαι αὐτοῖς.

Quinam autem hi λοιποί? Illi certè, qui erant de numero τῶν 120. exceptis duodecim, de quo numero fuiſſe Ananiam ipſum ſuſpicamur, atque ejus fato territos reliquos ejuſdem claſſis, reverentiâ Apoſtolorum, non auſos ſe cum iis conjungere ut æquales.

VERS. 15. Ἵνα ἐρχομένου Πέτρου κἂν ἡ σκιὰ ἐπισκιάσῃ τινὶ αὐτῶν.

Et quare umbra Petri, potiùs quàm reliquorum Apoſtolorum; cùm & illi æqualem cum eo ſortirentur authoritatem, & poteſtatem miraculorum ? *verſ.* 12. I. Supponendum, non elatos fuiſſe in lectis ſuis ægrotos in plateas, niſi jam viſo Petro, aut certè noto, quòd ille tranſiturus. II. Quæri poſſit, an hi, qui ægros ſuos extulerunt, quemquam ex duodecim noverint præter Petrum ? Illum loquentem audierant, actitantem viderant, cùm reliqui ſilerent. Et hoc, quod agunt hi credentes, non tum arguunt præeminentiam Petri præ reliquis Apoſtolis, ſed quòd ille hiſce hominibus fuerit magis notus.

VERS. 20. Τὰ ῥήματα τῆς ζωῆς ταύτης.

Non opus eſt ut difficultatem cuiquam hæc verba pariant, ſi obſervet illa in *verſ.* 17. ἡ οὖσα αἵρεσις τῶν Σαδδουκαίων. Nam τὰ ῥήματα τῆς ζωῆς ταύτης, ſunt verba quæ aſtruunt hanc vitam (reſurrectionem ſcil.) quam Sadducæi negant. De reſurrectione enim Jeſu erat controverſia.

VERS. 34. Γαμαλιὴλ Νομοδιδάσκαλος.

Rabban Gamaliel primus diſtinctivè & vulgariter vocatus רבן גמליאל הזקן, *Rabban Gamaliel ſenex.* Erat ille Præſes Synedrii poſt patrem ſuum Rabban Simeonem filium Hillelis, Præceptor Pauli, & receptor Traditionum triceſimus quintus. Atque ob hoc nominari non immeritò poſſet Νομοδιδάσκαλος, ideo quòd cuſtos & traductor Cabalæ acceptæ è Sinai eſſet, niſi quòd & Rabbini inferioris ordinis eodem titulo gauderent. Obiit annis 18. ante excidium urbis, atque Cathedram ejus capeſſivit R. Simeon filius ejus, qui periit cum urbe.

Dum pro Apoſtolis aliqualiter apologizat, crederes favere eum Chriſtianiſmo. Verùm obit

Digitized by Google

CAP. V. VERS. 36. obiit ille Phariſæus: atque illo, ſi quidem non præcipiente, at ſaltem applaudente & approbante, prodiit Oratio iſta, quæ vocata eſt ברכת מינים, *Oratio contra Hæreticos*, Authore *Samuele Parvo*. Et quoſnam per *Hæreticos* intelligant, non difficile eſt intelligere. Conſilium ergò, quod hic proponit, videtur idem fuiſſe, quod practicatum eſt inter Sadducæos & Phariſæos, ſectâ unâ interitum alterius optante & expectante.

VERS. 36. Πρὸ γὰρ τούτων τῶν ἡμερῶν ἀνέστη Θευδᾶς.

De Theuda quodam impoſtore *Joſeph. Antiquit.* lib. 20. cap. 2. cujus character quidem optimè cum hoc noſtro convenit, ſed tempora non conveniunt. *Theudam* enim ſuum introducit *Joſephus*, Φάδου τῆς Ἰουδαίας ἐπιτροπεύοντος, cùm annum quintum, aut ſextum, aut circiter ageret *Claudius* in imperio. Suum autem introducit *Gamaliel* ante tempora *Judæi Galilæi*.

Qui advocatos pro Joſepho agunt, *Theudam* alium ab ejus *Theuda* imaginantur, & imaginantur ſolùm, nam nullum nominant. Ego duos nominaverim, quorum neutrum tamen ſuſpicor vel cum *Theuda Gamalielis* convenire, vel aliquid lucis circa chronographiam Joſephi contribuere.

I. Eſt mentio de *Theuda* quodam Medico in

Babyl. Sanhedr. fol. 93. 1. Diſputatur ibi ſuper hac non indigna quæſtione, Ubinam fuerit *Daniel*, quando erectum & adoratum fuit ſimulachrum *Nebuchadnezaris* in valle *Dura*, ut de eo nullum fieret examen, nec quicquam occurreret ei periculi? Et cùm reſpondeatur inter alia, miſſum eum fuiſſe in Ægyptum petitum inde porcos; objiciunt: איני התניא, *Itane verò? Nam eſt hæc traditio:* תודוס הרופא אמר, *Theudas Medicus dicit, Vacca & ſus non veniunt ex Alexandria Ægypti, &c.*

II. Eſt & mentio de *Theuda* quodam Judæo degente *Romæ*, in

Hieroſ. Jom Tobh, fol. 61. 3. & *Moed Katon*, fol. 81. 4. & *Babyl. Beracoth*, fol. 19. 1. *Traditio: R. Joſe dicit:* תודס איש רומי הנהיג את אנשי רומי, *Theudas homo Romæ docuit homines* (Judæos) *Romæ*, שיהו אוכלין גדיים מקולסין בלילי פסחים, *ut comederent hædos aſſatos totos noctibus Paſchatum.* Gloſſ. Aſſatos cum talis, cruribus, &c. Miſerunt ad eum ſapientes, minitantes ei excommunicationem, ideò quòd doceret Iſraëlem לאכול קדשים בחוץ, *comedere ſacra ab extrà*: id eſt, Paſchata Romæ, quæ non comedenda niſi Hieroſolymis. Nam ut Gloſſ. *Quicunque videret hædos ità aſſatos, conciperet eos eſſe ſacratos ut hædos Paſchales.* Pronum mihi eſt ſuſpicari, Procœnium Corinthiorum tale quid extitiſſe, 1 *Cor.* 11:21.

CAP. V. VERS. 37. Putaſne jam, *Gamalielem* de hoc aut illo Theuda ſermonem habere? Non convenit quidem vel hic vel ille cum charactere Theudæ iſtius, de quo illìc mentio. Illìc Joſephi convenit multò magis: & concede tantùm, Joſephum hîc errare in computatione temporum, & tollitur omnis difficultas. Et non video quidem ego, quâ ratione eam reverentiam & modeſtiam debeamus Joſepho, ut tanto ſudore famæ ejus conſulamus. Inveniendus eſt alter Theudas, vel mutanda eſt punctatio commatum, vel neſcio quid aliud abſurdi emplaſtri applicandum, potiùs quàm poſtulandus Joſephus falſi, cui tamen & in hiſtoria & in chronologiâ titubare & vagari non inſuetum. Autumarim igitur ego, *Theudam* Joſephi eſſe *Theudam* Gamalielis, ſed Joſephum circa tempora ejus erraſſe, & hiſtoriam veram decoraſſe chronologiâ falsâ.

VERS. 37. Ἰούδας Γαλιλαῖος.

Joſepho Ἰούδας Γαυλανίτης, *Antiquit.* lib. 18. cap. 1. ubi tamen in titulo & inſcriptione capitis eſt, Περὶ Ἰούδα τοῦ Γαλιλαίου. Quæ nobis alibi excitarunt hanc quæſtionem: An aliqua pars Trans-Jordaninæ non dicta etiam foret Galilæa? Quam cramben hîc non recoquemus.

CAP. VI.

CAP. VI. VERS. 1. Γογγυσμὸς τῶν Ἑλληνιστῶν πρὸς τοὺς Ἑβραίους.

De *Hebræis* agamus primùm.

I. Vox עברי, *Hebræus*, ſignificationem admiſit ſub Templo ſecundo, aliam ab eâ quam antè & ſub Templo primo: quippe quòd in Vet. Teſt. reſpiciat gentis originem & linguam; ſub Novo, gentis tranſmigrationem & linguam. *Abramus* primùm vocatur עברי, *Geneſ.* 14:13. *Hebræus* Symmacho, Vulg. aliis. At Græcis Interp. Περάτης, *Tranſitor*: de qua re vide *Nobil.* in loc. At non eſt cur moveat iſta verſio, cùm planum ſit, Interpretes vocem עברי reddidiſſe ſecundùm uſum ejus communem ſub Templo ſecundo, & non ſecundùm uſum ejus primævum & originalem. Eâdem ratione eòdem inclinant Rabbini in

Bereſh. Rabba, fol. 47. 1. *R. Nehemiah dicit: Abramus dictus eſt* עברי, *Hebræus, quia fuit de poſteris Heberi. At Rabbini dicunt, ità dictus eſt, ideò quòd eſſet à transfluvium.* Et addunt inſuper, (quòd meretur examen)

Digitized by Google

CAP. VI. VERS. 1. ושהוא משיח בלשון עברי, *& quòd loqueretur linguâ transfluvianâ.* Dixerim ego potiùs, quòd non immeritò dici potuerit עברי, *Hebræus*, ideò quòd linguam Hebræam proprio ſenſu dictam retineret etiam in Meſopotamia & Chaldæa. Nam ſi linguam transfluvianam vel Chaldaicam, ut vernaculam ſibi & familiæ ſuæ, tulerit ſecum in Chanaanitide, vix excogitaveris, quonam modo lingua Hebræa propriè ſic dicta, traducta fuerit ut vernacula poſteris ſuis. Aliam rationem, quare dictus ille ſit *Hebræus*, loco iſto *Geneſ.* poſuimus alibi, cui & adhuc adhæremus.

II. Poſt captivitatem Babylonicam facta eſt talis diverſificatio, ut לשון עברי, *Lingua Hebræa*, fuerit *Lingua transfluvialis* vel *Chaldaica*.

Teſtantur hoc ſatis vocabula *Betheſda*, *Golgotha*, *Akeldama*, &c. quæ dicuntur Ἑβραϊστὶ λέγονται, & tamen Chaldaica eſſe nemo non novit. Vetus & pura lingua Hebræa tunc temporis vocabatur לשון אשורי, *Lingua Aſſyriaca*; & vel Chaldaica לשון עברי, *Lingua Hebræa*, ipſis Interpretibus, *Transfluvialis*.

Aruch in עבר : עברית לשון דעבר הנהר, Ἑβραϊστὶ, i.e. *Linguâ Transfluvianorum*.

Gloſſ. in Megill. fol. 8. 2. אשוריה לשון הקודש, *Aſſyriacâ*, *i.e. Linguâ ſanctâ.*

III. Obiter non notare non poſſumus, quòd diſtinguatur à Magiſtris inter עברי, *Linguam Hebræam*, & סורסי, *Syriacam*, utraque interim diſtinctâ ab אשורי, *Aſſyriacâ*, vel *linguâ ſanctâ*.

Hieroſ. Sotab, fol. 21. 3. סורסי לאילייא, *Lingua Syriaca apta eſt ad planctum*, עברי לדיבור, *Hebræa ad eloquium*; ויש אומרים אף אשורי לכתב, *Et ſunt qui dicunt*, *Aſſyriaca quoque ad ſcripturam.*

Diſtinctio hæc inter *Hebræam* vel transfluvianam, & *Syriacam*, quæ quidem erant eædem, eadem abſque dubio eſt, quæ inter סורסי, *Syriacam*, & ארמי, *Aramæam*.

Bava Kama, fol. 83. 1. & *Sotab*, fol. 49. 2. *Rabbi dicit :* סורסי בא"י למה, *Lingua Syriaca in terra Iſraëlitica quare?* אלא או לשון קדש או לשון יונית, *Cùm potiùs adhibenda aut lingua ſancta, aut lingua Græca. R. Joſe dicit :* בבבל לשון ארמי למה, *In Babylonia lingua Aramæa quare?* אלא או לשון הקדש או לשון פרסי, *Cùm potiùs adhibenda vel lingua ſancta, vel lingua Perſica.* Gloſſ. *Nam Græca erat elegantior, quàm Syriaca; & Perſica, quàm Aramæa.*

Vides primò, ut diſtinguatur inter linguam Syriacam, & Aramæam; quâ ratione, docet Gloſſ. in locum his verbis:

Ecce dum notat linguam Syriacam in terra Iſraëlitica, atque Arameam in Babylonia, ideò eſt, ut dicit R. Tam, quia eſt aliqua inter eas variatio: ſicut fit in aliqua lingua vulgari, quam puriùs eloquuntur in regione una, quàm in alia. Nam & Onkelos verba iſta : עד הגל הזה, Geneſ. 31:52. *reddit*, סהיד דגורא הדין, *Cùm Labanus dicat :* יגר שהדותא, *Jam verò neceſſe eſt dicere, quòd Labanus loquutus eſt* לשון סורסי, *linguâ Syriacâ, quæ ità dicta eſt à Syria. Syria autem erat Aram Naharaim & Aram Zobah, quas David ſubegit. Et quoniam ea eſt vicinior terræ Iſraëliticæ, lingua ejus Aramæa non eſt adeò pura.*

Gloſſ. in *Sotab*, fol. 49. 2. *Lingua Syriaca eſt cognata linguæ Aramææ. Et dico ego, quòd hæc eſt lingua Talmudis Hieroſolymitani.*

Vides ſecundò, ut lingua Syriaca fuerit vernacula terræ Iſraëliticæ, atque Aramæa, quæ ferè eadem, Babyloniæ, potiùs quàm Græca, vel Perſica, quæ elegantiores; imò quàm lingua ſancta, quæ nobilior omnibus, idque ratione de lingua ſancta maximè perceptibili, nempè quòd illa utrobique perierat à communi uſu, & vulgo eſſet ignota: & de duobus reliquis, hâc ratione, quam adducit Gloſſa, & quam habes in

Hieroſ. Sotab, fol. 21. 3. & *Bereſh. Rabba*, fol. 83. 4. אל יהי לשון סורסי קל בעיניך, *Nè vileſcat lingua Syriaca in oculis tuis.* (*Bereſh. Rabb.* errore typographico pro סורסי, *Syriaca*, habet פרסי, *Perſica.*) *Nam ecce honorem tribuit ei Deus in Lege; & Prophetis, & Hagiographis. In Lege : nam dicitur*, יגר שהדותא, Geneſ. 31:47. *In Prophetis; nam dicitur*, כדנה תאמרון להום, Hierem. 10:11. *Atque in Hagiographis; nam dicitur*, וידברו הכשדים למלך ארמית, Dan. 2:4.

Erat ergò lingua Syriaca vel Aramæa, ſub Templo ſecundo, ea quæ *Hebræa* audiit, id eſt, *Transfluviana*, unde & *Hebræi*, tunc temporis dicti, ob vulgarem uſum iſtius linguæ. Verùm an omnes, quibus lingua iſta erat vernacula, dicti fuerint *Hebræi*, aliquantum poteſt dubitari: & quâ ratione, obſervabimus poſtea, cùm pauca dixerimus de *Helleniſtis*.

I. *Hebræos* fuiſſe, genere Judæos, nemo negaverit; an *Helleniſtæ* etiam fuerint Judæi, in dubium vocant.

Beza in loc. *Ἑλληνιστὰς Lucas hoc loco vocat genere quidem profanos, ſed in Judæorum gentem per Circumciſionem adſcitos, & Proſelytos propterea vocatos. Falluntur enim, qui Judæos inter alias gentes diſperſos putant Ἑλληνιστὰς dici.*

Opinioni huic ſuæ favere opinatur illud, quòd dicitur Cap. 11:19, 20. *Nemini loquentes verbum Dei, niſi ſolis Judæis. Erant*

CAP. VI. VERS. 1.

autem quidam ex iis Cyprii & Cyrenæi, qui ingreſſi Antiochiam, loquebantur ad Helleniſtas. Unde infert ille: *Cùm hoc loco opponi videantur* Ἑλληνισταὶ *Judæis,---- apparet,* Ἑλληνιστῶν *appellatione non tantum provinciales vel Proſelytos Judæos, id eſt, huc & illuc diſperſos, ſed ipſos etiam intelligi ex Gentibus, qui alibi vocantur à Luca* Σεϐόμενοι, *&c.*

Permittatur confundere Σεϐομένους cum *Proſelytis*, quamvis inter eos fuerit aliqua differentia, eaque conſpicua: at non video, quâ lege aut authoritate confundat *Helleniſtas* & *Proſelytos*: & ſi fallantur, qui Judæos inter alias gentes diſperſos putant Ἑλληνιστὰς dici, fateor me libenter errare cum ità falſis. Nec tamen omnes Judæos inter Gentes ſparſos dixerim *Helleniſtas*, non ſparſos inter Medos, Parthos, Perſas, Arabas, & gentes iſtas Orientales. Nec, ut opinor, vôcaverit ille *Proſelytos* ex iſtis gentibus, *Helleniſtas*, cûm ipſiſſima vocis etymologia Græciſmum ſonet.

1. Habes *Cap.* 2: 10. *Judæos & Proſelytos*: atque habes hoc in Capite *Hebræos* & *Helleniſtas*. Veriſſimè dixeris, vocem *Proſelyti* diſtinguere planè à *Judæis*: at non æquè dixeris, vocem *Helleniſtæ* diſtinguere etiam à *Judæis*, cùm diſtinguat, ut vides, tantùm ab *Hebræis*.

2. Vocat hic noſter *Nicolaum* Προσήλυτον Ἀντιοχέα, *verſ.* 5. Num eum etiam vocaveris Ἑλληνιστὴν Ἀντιοχέα? Ἕλληνα potiùs dixeris, cùm ipſum ejus nomen origine Græcum illum fuiſſe videtur indicare.

3. Quod ad diſtinctionem illam attinet, *Cap.* 11: 19, 20. (nam diſtinctionem ego potiùs dixerim, quàm antitheſin) non concludit, Helleniſtas non fuiſſe Judæos, ſed diſcrimen ſolùm ſtabilit inter Judæos dignioris & purioris ordinis, & Judæos qui non adeo digni & puri.

II. Sunt qui arbitrantur, idque verè, Helleniſtas fuiſſe Judæos inter gentes ſparſos: aſt ſpeciatim ità dictos, ideo quòd uterentur Bibliis Græcis in Synagogis: quod an verè ſupponatur, ego quæro. De re tamen iſta hîc non diſputabimus: hoc autem tantùm liceat obſervare.

1. Quòd Judæis vileſceret lingua Græca potiùs, quàm placeret, atque odio magis eſſet, quàm pretio.

In locis nuper citatis *Bava Kama*, fol. 82. 2. *Sotab*, fol. 49. 1. hæc occurrunt.

In priori hæc: Cùm obſidione cingeret Ariſtobulus Aſmonæus Hyrcanum fratrem, obveniretque aliquid infauſti, per conſilium cujuſdam ſenis, qui peritus erat literaturæ Græcæ, *iſto tempore dixerunt: Maledictus ſit homo qui alit porcos; & maledictus ſit homo qui docet filium ſuum ſapientiam Græcam.*

In poſteriori hæc: בפלמוס של טיטוס, *In bello Titi decreverunt*, שלא ילמד אדם את בנו יונית, *Nè doceat quiſquam filium ſuum Græcè.*

Gloſſ. in hunc locum hiſtorias confundit, & vult, *bellum Titi* idem velle cum bello Ariſtobuli & Hyrcani. At Gloſſ. in locum priorem rectè diſtinguit, & concedit tale decretum fuiſſe in diebus Aſmonæorum, at neglectui proceſſu temporis habitum, renovatum fuiſſe in bello Titi. Eſto hoc vel illud, ſatis eloquitur, quonam affectu exceperint illi literaturam & linguam Græcam: nam & hæc utrobique ſequuntur:

Dicit Samuel nomine Rabban Simeonis ben Gamaliel: Mille pueri fuerunt בבית אבא, *in ſchola patris mei, quorum quingenti didicerunt legem, & quingenti ſapientiam Græcam, & non eſt ſuperſtes quiſpiam ex iſtis,* (poſterioribus) *præter meipſum hîc, & filium patruelis mei in Haſia.*

Reddidi בבית אבא, *in ſchola*, vel familia *Patris mei*, propter ea quæ utrobique etiam ſequuntur: *Permiſerunt familiæ Rabban Gamalielis ſapientiam Græcam, quoniam illi cognati erant ſanguini regio*: oriundi ſcilicet ex ſtemmate Davidis. Iſti familiæ eam permiſerunt ediſcendam, quia talem familiam ob honorem & nobilitatem ſuam decuit omnimodâ eruditione non carere. At non ità liberè eam aliis permiſerunt: & cùm ſermo eſt de ſapientia Græca, vix excluſeris linguam Græcam, præſertim cùm in terminis decreti foret: *Nè doceat quiſquam filium ſuum* יונית, *Græcè.* Super hæc, quæ dicta ſunt, non poſſum non hæc obſervare:

α. Qualem obicem ſibi poſuerunt contra lectionem Novi Teſtamenti, cùm Græcam linguam ſic abdicarent: cui Deus jam plus honoris tribuerat, quàm eorum Aramææ, quam tamen ab eo honoratam volunt in Lege, Prophetis & Hagiographis.

β. Quòd vix admittere voluerint etiam illis, qui non niſi Græcè callerent, lectionem Legis & Prophetarum in Synagogis in lingua Græca, cùm ea nec adeo grata ſuis eſſet, & Seniorum ſcita & Canones vel requirerent interpretem in lectione Bibliorum in Synagogis, vel ſaltem permitterent.

γ. Quàm probabile ſit, iſtos Judæos, qui inter gentes habitantes non niſi Græcè ſcirent, ex ipſiſſima iſta re aliquantum viluiſſe apud reliquam gentem, quæ linguæ Hebrææ communem uſum retinuit, atque in aliqua inferiori æſtimatione fuiſſe habitos.

2. Si ergo tali affectu erga *Sapientiam* Græcam, quali quæſo erga *linguam* Græcam? Detur bono, nam & quamplurimi è grandioribus Rabbinis erant Græcè docti: at quid de Judæis iſtis judicandum, qui non callerent niſi

CAP. VI. VERS. 1. niſi linguam Græcam? Num non illi in inferiori, imò infimâ Judæorum claſſe recenſiti, qui merè peregrini erant atque alieni à propria Judæorum lingua, Hebræâ?

Tales illi quorum mentio

Hieroſ. Sotah, fol. 21. 2. *R. Levi ben Chajathah adiit Cæſaream, atque audivit eos* קריין שמע אלוניסתין, *recitantes phylacteria ſua Helleniſticè, & voluit eos prohibere. Quod cùm audiret R. Joſe, iratus eſt, & dixit: Ego ſic dico: Si quis non noverit recitare* אשורית *in lingua ſancta, num non recitabit omnino? Imò fungatur officio ſuo, in quacunque lingua calluerit.*

Cæſarea Philippi eſt ſcena hiſtoriæ, cujus urbis Rabbini frequentiſſimæ celeberrimæque memoriæ ſunt in utroque Talmude. Cùm autem ea foret una de civitatibus Decapolitanis, quæ omnes erant ditionis Ethnicæ, aut Græcanicæ, videtur in ea fuiſſe Judæos aliquos, qui nonniſi Græcè ſcirent, & non Hebraicè. Aliter phylacteria ſua abſque dubio linguâ Hebræâ recitaſſent potiùs, quamvis non poſſent linguâ ſanctâ.

III. Erant plurimi Judæi in variis regionibus, & veriſimile eſt, quòd iis utraque lingua fuerit vernacula, Hebræa & Græca. Hebræa inter ſuos, Græca inter Græcos; Hebræa in familiis & Synagogis Judæorum, Græca inter concives Ethnicos. Talis erat Paulus Tarſenſis, de civitate Græca, & tamen *Hebræus ille ex Hebræis*, Phil. 3:5. Et tales fuiſſe videntur Cypriotæ & Cyrenæi illi, quorum mentio *Cap.* 11:20. qui in Cypro Phœnicè, atque ipsâ etiam Antiochiâ, verbum Dei annuntiarunt Judæis Hebraizantibus, (utcunque fortè Græcè etiam loquentibus) & tandem in Antiochia Helleniſtis, i. e. Judæis Græcè ſolùm ſcientibus, & quibus lingua Hebræa penitus aliena. Nam ſic Helleniſtas à Judæis diſtinxerim potiùs iſto loco, quàm eos, ut non Judæos, Judæis oppoſuerim. Et liceat mihi bona cum venia de Helleniſtis & Hebræis ſic judicare.

I. Ut ſint Helleniſtæ, Judæi inter gentes habitantes, & non callentes omninò linguam Hebræam.

Cùm Apoſtolus in diviſione iſta, Ἰουδαῖοι καὶ Ἕλληνες, quam adhibet ſemel iterumque, per Ἕλληνας intelligat omnes gentes præter Judaicam, loquitur maximè ad captum vulgi, cui ob nupera & circumjacentia imperia Græcorum, maximè nota & familiaris erat iſta locutio pro Ethnicis. Et forſan non adeò tutum erat, *Romanos* in iſta antitheſi tunc temporis adduxiſſe.

An licet *Helleniſtas* eadem latitudine ſumere ex altera parte, ut applicetur phraſis non ad Judæos ſolùm, qui Græcè tantum callerent, ſed ad Judæos omnes, qui non Hebraicè: negabit hoc forſan ſtricta ſignificatio vocabuli: at non multum abſurdi ſequetur, re CAP. VI. VERS. 1. conceſſa, ſi Parthos, Medos, Elamitas, reliquoſque in regionibus iſtis Orientalibus excipias, qui non Græcæ aut Macedonicæ captivitatis aut tranſmigrationis erant, ſed Babylonicæ vel Perſicæ. Nam ipſiſſima vox *Helleniſtæ*, præſertim ut opponitur *Hebræis*, videtur tale quid redolere: nempe ut *Hebræi* ſint illi, qui erant de captivitate & diſperſione trans fluvium; & *Helleniſtæ* illi, qui poſt reditum ex iſta captivitate, aliam tranſmigrationem aut diſperſionem ſunt paſſi per Græcos in regiones Græcorum, vel Occidentales, & linguas regionum iſtarum ſolum callucrunt, deperditâ iis linguâ olim vernaculâ ſuâ Hebræâ vel Chaldaicâ.

II. Quod ad Hebræos attinet, omnes in genere ità dici potuiſſe, quibus lingua Hebræa eſſet vernacula, vix quiſpiam, ut puto, inficiabitur. Nec quânam aliâ ratione ſe *Hebræum* vocet Paulus Tarſenſis, excogitare poſſum, quàm quòd lingua Hebræa vernacula ei fuerit in familia patris, ità ut lingua Græca ei vernacula in civitate nativitatis. Aſt ut de ſpecialiori tituli proprietate inquiramus, proponatur hæc quæſtio: Ad quoſnam peculiariter ſcripta eſt Epiſtola Pauli ad *Hebræos?*

Dixerim ego ad Palæſtinæos: nam Hebræorum nomen jure maximo ad eos pertinere, hæc duo, aut fallor, clarum faciunt.

I. Quòd æquiùs illi nuncuparentur Hebræi, quibus ſola lingua Hebræa erat vernacula, quales erant Palæſtinæi, quàm illi quibus indifferenter Hebræa & Græca. II. Meſopotamianis quidem ſola Hebræa erat vernacula, & meritò iſtâ ratione ſunt illi in genere inter Hebræos cenſendi; at vocabantur illi vulgò גולה, *Captivitas*, ideo quòd habitarent in loco captivitatis etiam adhuc, & non ad propriam terram redierant. At Palæſtinæi, qui eò remearant, propriè dici potuerunt *Hebræi*, ideo quòd à transfluvium tranſierant, & ſecum portarant linguam transfluvianam.

Et quod ad rem præſentem attinet, circa obmurmurationem ſcilicet Helleniſtarum contra Hebræos de inæquali diſtributione communis eleemoſynæ, quæri poteſt, An quivis fundos & patrimonia ſua vendiderint adhuc præter Palæſtinæos? Nam prætermiſſo hoc, quòd per diſtantiam locorum vix adhuc liceret, illud de Barnaba, quòd fundum ſuum vendiderit in Cypro, videtur tale quid innuere, & quod extraordinarium illud eſſet, & non adhuc factum alibi. Sed de Helleniſtis potiſſimum eſt inveſtigatio noſtra, non de Hebreis, & quod de utriſque diximus, candido lectoris judicio candidè ſubmittimus.

VERS. 3.

Digitized by Google

CAP. VI. VERS. 3, 5, 6.

VERS. 3. Ἄνδρας ἐξ ὑμῶν μαρτυρουμένους ἑπτὰ, &c.

I. Tralatum erat officium Diaconatûs (cui cura pauperum demandata) in Eccleſiam Euangelicam ex Judaica. Erant enim in unaquaque Synagoga ג׳ פרנסים, tres Diaconi, quibus incubuit iſta cura: de quibus diximus ad *Matth.* 4:23. alibique.

II. De numero ſeptenario curioſè non inquirimus. Efflagitavit multitudo pauperum & amplitudo Eccleſię, ut augeretur jam numerus Diaconorum ſupra illum in ſingulari Synagoga: at quare ſeptem eligendi, dicat cui eſt audacia. Ego ex numero & charactere virorum, meminerim tantùm שבעה טובי העיר, *Septem bonos viros civitatis*, de quibus frequens memoria apud Magiſtros; & conjectarim, electos fuiſſe eos ſeptem ex numero centum iſtorum & viginti *Cap.* 1:15. & per eos ſolos fuiſſe electos, & non per totum numerum Eccleſię.

VERS. 5. Καὶ Νικόλαον προσήλυτον Ἀντιοχέα.

I. Ex hoc, quòd vocetur ſolus ille Proſelytus, liquet reliquos fuiſſe Judęos, utcunque Gręcis nominibus inſignitos. Nec Helleniſtas tamen inde ego eos dixerim, quin Hebręos potiùs, qui Gręcè quidem ſcirent (atque inde cura iis de Helleniſtis commiſſa) & quibus lingua vernacula eſſet Hebręa. Nam vix conceperim, Stephanum cauſam ſuam coram Synedrio & totâ turbâ Gręcè egiſſe, quamvis forſan Gręcè ſatis ſciret.

II. Sectam *Nicolaitarum* impuriſſimam, ab hoc *Nicolao* nomen & fœdam ſuam doctrinam traxiſſe, tàm conſtans eſt vetuſtatis opinio, *Iren.* lib. 1. cap. 27. *Epiphan.* lib. 1. *Hæreſ.* 5. &c. ut de hac re diffidere, videatur toti antiquitati contraire: at ſi liceret liberè de ea diſſentire, ſuſpicarer ego (in honorem hujus noſtri) nomen deductum à ניכולא, *Necola*, *comedamus*: ſic animantibus ſe mutuò iſtis belluis ad comedenda idolothyta: prout ille *Eſaj.* 22:13. ניכול בסר ונשתי חמר, *Edamus carnem*, &c.

VERS. 6. Ἐπέθηκαν αὐτοῖς τὰς χεῖρας.

Legimus de hoc aut illo Rabbino conſtituente פרנסין, *Diaconos* in hac aut illa Synagoga, *Hieroſ. Peah*, fol. 21, 1. ſed de impoſitione manuum in hac actione, ſilentium: nec mirum, cùm in promotione Presbyterorum adhiberentur vulgo verba tantum, & non hic ritus; quod obſervamus ad *Cap.* 13. Apoſtoli hoc in loco alibique veterem morem retinent ἐπιθέσεως χειρῶν. Alibi multoties, ut donarent Spiritum Sanctum, cum inſtitutione ad miniſterium; hîc ut inſtituant ad Diaconatum, abſque donatione Spiritûs Sancti: nam ejus donis dotati ſunt hi ſeptem, ante, *verſ.* 3.

CAP. VI. VERS. 8.

VERS. 8. Ἐκ τῆς συναγωγῆς τῆς λεγομένης Λιβερτίνων.

Id eſt, *ſervorum manumiſſorum*, Scriptoribus Judaicis משוחררים, quod

I. Intelligendum eſt de ſervis ex gente Judaica: nam hoc iis pro Canone,

Maimon. Avadim, cap. 9. אסור לאדם לשחרר עבד כנעני, *Non licet cuiquam manumittere ſervum Canaanæum*, vel Ethnicum. *Et ſi quis manumittat*, *tranſgreditur legem iſtam*, לעולם בהם תעבדו, *In perpetuum eos pro ſervis poſſidebitis*, Levit. 25:46. *Quod ſi quis manumittat*, *manumiſſus eſt.* Diſputatur de hac re in

Sotah, fol. 3. 1. *Et R. Iſmael dicit*, *Eſt* רשות, hoc eſt, *licentia* tantùm conceſſa retinendi, ſi vis, ſervum Canaanæum in perpetuum. *At R. Akibah dicit*, *Eſt* חובה, *præceptum conſtringens*, ut teneatur quilibet, cui eſt ſervus Canaanæus, eum detinere ſemper in ſervitute ſua, & nunquam dimittere. Si daretur illud, quod vult R. Iſmaël, pro libitu nempe potuiſſe herum ſervum ſuum Ethnicum manumittere, vix tamen opineris fuiſſe Synagogam talium ità manumiſſorum.

II. Illi ergo משוחררים, vel ſervi manumiſſi, de quibus frequentiſſimè Talmudici, erant Judæi quidam, qui vel venditi fuerant in ſervitutem à Synedrio propter furtum, vel qui ſe vendiderant in ſervitutem ob paupertatem, & jam libertatem ſuam fuerant readepti.

Exod. 21:2. כי תקנה עבד עברי, *Quando coëmeris ſervum Hebræum*. *R. Solom.* in loc. *Quando coëmeris eum à manu Synedrii, qui vendiderunt eum propter furtum ſuum*, *aut qui vendidit ſeipſum ex neceſſitate.*

In horum ſervitute erant hæ differentiæ.

Kiddushin, fol. 14. 2. *Traditio*: *Qui vendit ſeipſum*, *venditur in ſex annos*, *vel plures quàm ſex. Qui venditur à Synedrio*, *venditur tantùm in ſex. Qui vendit ſeipſum*, *non perforatur per aurem ſubulâ*, (ut Exod. 21:6.) *Qui venditur à Synedrio*, *perforatur. Qui vendit ſeipſum*, *non parant ei viaticum. Vendito à Synedrio parant. Vendenti ſe*, *non poteſt herus dare ancillam Canaanæam. Vendito à Synedrio poteſt.*

III. Ut hi in libertatem redempti fuerint, vel dato pretio, vel per Jubilæum, vel per annum ſeptimum, aut aliquibus aliis de cauſis ab heris manumiſſi, idque datâ ſchedulâ ſcriptâ manumiſſionis, fuse agit *Maimon.* in

Digitized by Google

P. VI. in Tract. *Avadim*, & Talmudici loco citato
RS. alibique.

Parùm dubito, Λιβερτίνους hoc in loco eſſe tales, & hiſtoriographum noſtrum per hoc vocabulum reddere vocabulum משוחררים, quo nihil notius in gente, & nihil frequentius in ſcriptis Judæorum. Et tum vides, qualis fæx hi fuerint, & quàm pediculoſa, ut ità dicam, turba, qui inſurrexerint in beatiſſimum protomartyrem; olim fures aut mendici, dein ſervi; & jam quid niſi nebulones?

Κυρηναίων.

Quænam fuerit *Cyrene*, unde *Cyrenæi* dicti, ſatis indicat hic noſter, *Cap.* 2. per vicinitatem Libyæ. Quam an Interpretes intelligant, quando reddunt *Kir* per *Cyrenen*, ipſos conſule. Ut Vulg. & MS. Alexand. in 2. *Reg.* 16:9. Vulg. & Targ. *Amoſ.* 1:5.

An *Cyrenæi*, de quibus hic Lucas alibique, ab urbe *Cyrene*, an à regione *Cyrenaica* denominationem ſuam ſumpſerint, non tanti eſt ut diſputemus. Urbem deſcribit *Strabo*, lib. 17. Regionem *Plin.* lib. 5. cap. 5. At de Judæis ibi habitantibus ſilet uterque. Sat ſuperque tamen eloquitur

Dion. Caſſ in vita Trajani: Ἐν τούτῳ οἱ κατὰ Κυρήνην Ἰουδαῖοι, &c. *Interim Judæi, qui circum Cyrenen habitabant, Andreâ quodam duce, Romanos pariter atque Græcos concidunt, veſcunturque eorum carnibus, eduntque viſcera, tum oblinuntur eorum ſanguine, & pellibus induuntur. Multis à vertice ſerris diſcidère medios, multos objecère beſtiis, multos etiam certare inter ſe coëgerunt, ità ut interierint hominum ad ducenta viginti millia.*

Immenſus & immanis Judæorum numerus ad talem ſtragem perpetrandum, (ſimilemque perpetrarunt Judæi in Ægypto & Cypro) & mirari licet, unde tam infanda eorum multitudo in iſtis regionibus congeſta.

Sed illud non eſt præſentis diſquiſitionis. Diſquirendum potiùs, quænam lingua Judæorum Cyrenenſium vernacula. Dixerim ego Græca, nam erat iſta lingua Cyrenes, cùm ipſa urbs condita fuerit à Græcis, & tota regio fuerit ſub imperio Ptolomæorum, aſſerente utrumque Strabone, loco antè citato. Inter Helleniſtas ergò eos ego numeraverim, quibus lingua Hebræa erat aliena & peregrina; niſi quòd verſans hæc Synagoga inter Hieroſolymitanos, linguam iſtam forſan edidicerat.

Ἀλεξανδρέων.

De *Synagoga Alexandrinorum* in Hieroſolymis mentio in

Hieroſ. Megillah, fol. 73.4. atque inde in *Juchaſin*, fol. 26.4. *Hiſtoria de R. Eliezer ben Zadok quòd accepit* בית הכנסת של אלכסנדריים, *Synagogam Alexandrinorum*, *quæ erat Hieroſolymis*, ועשה בה צרכיו, *& convertit eam in uſus ſuos.* Ad verbum, *fecit in ea omnia negotia ſua. Juchaſ.* כל חפצו. CAP. VI. VERS. 8, 15.

Diſputatur in *Hieroſ.* loco citato, an liceat alienare Synagogam ab uſu ſacro in communem: & diſtinguitur inter בית הכנסת של יחיד, *Synagogam hominis unius*, & בית הכנסת של רבים, *Synagogam publicam.* Et cùm prioris permittatur aliqua alienatio, poſterioris autem non, objicitur hæc hiſtoria contra poſteriorem, & hæc adduntur, אלכסנדריים עשו אותה משל עצמן, *Alexandrini ſtruxerunt iſtam Synagogam de proprio.* Quæ & atteſtantur hiſtoriographo huic ſacro noſtro, loquenti de *Synagoga Alexandrinorum* in Hieroſolymis; & arguunt de variis Synagogis hic agi, ut una fuerit Libertinorum, alia Cyrenenſium, &c. quod magis credibile, ſi fidem mereatur illud quod ibidem refertur, *fuiſſe nempe* 480. *Synagogas in Hieroſolyma.*

Καὶ τῶν ἀπὸ Κιλικίας.

Ex hac Synagoga, ut videtur, erat Paulus, at de ſchola Gamalielis: nam juvenes Judaici ex regionibus longinquis ad Hieroſolymam educationis ergo miſſi, in hanc aut illam Synagogam diſtributi, Magiſtrum ſibi elegerunt hunc aut illum pro ſuo placito.

In Academia Græca educatus fuerat Paulus ab ipſa pueritia, Tarſenſi ſcil. nam Tarſum ritè & Academiam, & Græcam vocaveris, fide *Strabonis*, qui ſic de eâ,

Geograph. lib. 14. Ταρσὸς κτίσμα ἐστὶ τῶν μετὰ Τριπτολέμου πλανηθέντων Ἀργείων κατὰ ζήτησιν Ἰοῦς. *Tarſus condita eſt ab Argivis cum Triptolemo vagantibus in inveſtigatione Jûs.* & paulò poſt:

Τοσαύτη δὲ τοῖς ἐνθάδε σπουδὴ πρός τε φιλοσοφίαν, &c. *Tantum autem Tarſenſibus erat ſtudium Philoſophiæ reliquæque totius Encyclopædiæ, ut ſuperaverint Athenas, Alexandriam, & ſi quis alius locus nominari poteſt, ubi Scholæ & Diatribæ Philoſophorum, & humanarum artium haberentur.*

Hinc minus mirum, ſi Paulus literaturâ Græcâ floreret, Poëtaſque iſtius generis in ſermonibus ſuis allegaret, à teneris etiam unguiculis in tali Academia, ut videtur, educatus.

VERS. 15. Ὡσεὶ πρόσωπον Ἀγγέλου.

Atteſtatur innocentiæ viri ſancti ipſe Deus miraculoſè; atque eum non injurium erga Moſen fuiſſe oſtendit, cùm faciem inſtar faciei Moſis coruſcantem ei præbet, vultumque Angelicum

CAP. VII. VERS. 2. gelicum inſtar Gabrielis; nam verba Gabrielis tantùm enuntiaverat, ſi dixerit: *Jeſus deſtruet hunc locum*, &c.

C A P. VII.

VERS. 2. Τῷ Ἀβραὰμ ὄντι ἐν Μεσοποταμίᾳ.

BEresh. Rabba, fol. 32. 3. *Abrahamus eſt ſimilis amico Regis, qui vidit Regem incedentem in porticubus tenebricoſis, & illuminavit ei per feneſtram. Quod cùm videret Rex, dixit ei: Quoniam illuminaſti mihi per feneſtram, & illumina mihi coram meipſo. Sic dixit Sanctus benedictus Abrahamo: Quoniam tu illuminaſti mihi* ממספוטמיא שלי ומחברותיה, *ex Meſopotamia mea & conſortibus ejus, veni, & illumina mihi in terra Iſraëlis.*

An tanti eſt, ut ſcrutinio immoremur, quare vocet Meſopotamiam *meam?* ut &, quid ſibi velit חברותיה, *conſortes*, vel *ſociæ ejus*? Hoc tamen non poſſumus non obſervare, occurrere hoc adjunctum ſemel iterumque.

Ibid. fol. 48. 1. *O ſemen Abrahami amici mei, ab extremis terræ prehendi te*, ממספוטמיא ומחברותיה, *à Meſopotamia ſcil. & ſociis ſuis.*

Et fol. 66. 1. *Quiſnam inter vos timet Dominum? Hic eſt Abrahamus, qui ambulat in tenebris: q. d.* ממספוטמיא ומחברותיה, *qui venit ex Meſopotamia & conſortibus ſuis, & non novit quò, ſicut homo habitans in tenebris.* Scribitur quidem, כאספמיא, ac ſi eſſet *Ab Hiſpania*; ſed corrigo authoritate *Aruch*, atque ipſe ſenſus quidem corrigit.

Gloſſa hìc nihil, niſi hoc puerile: *Inveni interpretationem Meſopotamiæ, quòd ſcil. ſit nomen urbis in Aram Naharaim.*

Diſtinguitur quidem à Geographis, inter *Meſopotamiam* & *Babyloniam*, vel *Chaldæam*, ut *Ptol.* tab. Aſiæ quartâ: Ἡ Βαβυλωνία περιορίζεται, ἀπὸ μὲν ἄρκτων Μεσοποταμίᾳ, &c. ut alios omittamus. At dici poteſt etiam Babylonia eſſe in Meſopotamia, partim quòd eſſet inter duos fluvios, Euphratem & Tigrim, præſertim verò ſecundùm idioma Scripturarum, quòd eſſet *trans fluvium*. Quod notatum à Vulg. Interprete, obſervare licet in *Joſ.* 24: 3. ubi pro quod eſt in Hebr. *Et tuli Abrahamum patrem veſtrum* מעבר הנהר, *à transfluvium*, habet ille, *Tuli ergò patrem veſtrum Abrahamum de Meſopotamia finibus.*

Joſeph. Antiquit. lib. 1. cap. 8. de Abrahamo atque ejus migratione loquens.

Δι' ἅπερ Χαλδαίων τε καὶ τῶν ἄλλων Μεσοποταμιτῶν στασιασάντων πρὸς αὐτὸν μετοικεῖν δοκιμάσας. *Quapropter Chaldæis aliiſque Meſopotamianis in eum tumultuantibus migrare eſt viſum*, &c. Nota Chaldæos vocatos cum aliis Meſopotamianos.

Nec immeritò, cùm dicat *Eratoſthenes*, apud *Strab.* lib. 3.

Τὴν Μεσοποταμίαν σὺν τῇ Βαβυλωνίᾳ μεγάλῳ κύκλῳ περιέχεσθαι ὑπό τε τοῦ Εὐφράτου καὶ τοῦ Τίγριδος. *Meſopotamiam cum Babylonia contineri magno circulo ab Euphrate & Tigri.*

Et forſan ſic diſtinguit Rabbinus citatus, ut Meſopotama, quam à Deo vocatam fingit שלי, *meam*, ſit Charranitica, ubi cultus Dei in familia Nachoris, & quæ fuit natale ſolum & nutrix undecim Patriarcharum: & חברותיה, *Sociæ* vel *conſortes ejus* ſint Babylonia & Chaldæa. Quâ enim aliâ ſignificatione vox חברותיה hìc ſit ſumenda, non benè novi.

Quòd Stephanus Deum apparuiſſe Abramo dicat, dum eſſet in Chaldæa, antequàm migraret in Charranem, cùm Teracho patri ejus res aſcribatur potiùs à Moſe, *Cap.* 11. loquitur cum vulgari & communi opinione ſuorum. Qui non ſolùm concedunt, Abramum verum Deum agnoviſſe & coluiſſe, dum Terachus idola coleret; ſed Terachum fuiſſe tam acrem idololatram, ut Abramum traderet Nimrodo in clibanum igneum projiciendum. Hiſtoriam habes in *Beresh. Rabba*, fol. 42. 2. ridiculam ſatis.

VERS. 3. Ἔξελθε ἐκ τῆς γῆς σου καὶ ἐκ τῆς συγγενείας σου. CAP. VII. VERS. 3.4.

Hæc ego non confuderim cum iſtis *Geneſ.* 12: 1. nam hæc dicta eſſe in Chaldæa, Stephanus & res ipſa loquuntur; iſta in Charris. Hìc nulla mentio diſceſſionis *à domo patris*, ſicut illìc facta. Nec diſceſſit ille *à domo patris*, cùm migraret ab Ur Chaldæorum, nam patrem cum tota familia ſecum tulit; ſed diſceſſit, cùm migraret à Charris, relinquens poſt ſe patrem ſepultum, & Nachorem fratrem cum familia.

VERS. 4. Μετὰ τὸ ἀποθανεῖν τὸν πατέρα αὐτοῦ, &c.

Hinc difficultas & controverſia; quam habe verbis *Rab. Solom.* in *Geneſ.* 11.

Et mortuus eſt Terachus in Charrane: annis ſcil. plus quàm ſexaginta poſt exitum Abrahami ex Charrane, & appulſum ejus in terram Canaanitida. Nam ſcribitur: Abrahamus erat ſeptuaginta quinque annorum, cùm exiret è Charrane; & Terachus erat annorum ſeptuaginta, cùm naſceretur Abrahamus. Ecce Terachus erat annorum centum quadraginta quinque,

Digitized by Google

CAP. VII. VERS. 4. *quinque, cùm diſcederet Abrahamus ex Charrane, & ſupererant de ejus annis adhuc quamplurimi.* Superant quidem ſecundùm hos calculos, ſexaginta.

I. In toto iſto Capite non fit mentio mortis, cujuſquam ibi nominati, ante & præter *Terachum*. Ubi obiter notanda audacia Græc. Interpretum, qui de unoquoque addiderunt *καὶ ἀπέθανε*, contra propoſitum Moſis, & contra animum Apoſtoli, *Heb.* 7: 2. Jam ergò quare omiſſo hoc in omnibus, qui in iſto catalogo anteceſſerunt, adderetur ſolùm de Teracho, quòd *mortuus eſt in Charrane*, niſi ut oſtenderetur, non diſceſſiſſe inde Abrahamum, niſi poſt ejus mortem? Subolet hoc aliqualiter R. Solomoni etiam adverſa tuenti, ſic enim ille: *Quare memorat Scriptura mortem Terachi ante exitum Abrahami? Nempe nè res publicaretur, & dicerent homines: Abrahamus non præſtitit honorem patri ſuo, cùm deſereret eum jam ſenem, atque ab eo diſcederet. Loquitur ergò de eo Scriptura, ac ſi jam mortuo, quia impii etiam adhuc in vivis vocantur mortui.*

At falleris, ô Rabbine: nam Terachus jam non eſt impius & idololatra, ſed converſus, ideoque à Moſe fit dux migrationis è Chaldæâ, ut converſio ejus innoteſceret, quamvis verbum migrationis primùm factum fuerit ad Abrahamum. Et ſi nefas Abrahamo, deſerere patrem adhuc idololatram, multò magis deſerere eum jam veri Dei cultorem factum.

II. Dicitur quidem, quòd *Terachus vixit annos ſeptuaginta, & genuit Abrahamum, Nachorem & Haranem.* Verùm prout ratio cogit, ut non credas, hos genitos eſſe eodem anno; ſic nulla neceſſitas cogit, ut eos genitos credas eodem ordine. Locum hîc habet triſtiſſimum illud Rabbinorum: אין מוקדם ומאוחר במקרא, *Non eſt prius & poſterius in Scriptura*: id eſt, Ordo hiſtoriæ non neceſſariò determinat de tempore hiſtoriæ. Atque ipſi Gemariſtæ in

Sanhedr. fol. 99 2. quamvis ſupponant, Abrahamum eſſe potuiſſe ſeniorem Nachore anno uno, Nachoremque Harane anno uno, concludunt tamen tandem, דלמא אברהם זוטא דאחיה, *Fortè Abrahamus erat minimus natu inter fratres.* Quod & ſtabiliunt ex ordine numerationis filiorum *Noachi*, ubi *Sem* in catalogo incedit primus, qui tamen foret junior *Japheto*.

Creditur vulgò inter Judæos, *Saram*, Abrahami uxorem, fuiſſe filiam *Haranis* fratris Abrahami, idque non ſine ratione. יסכה זו שרה, *Iſcah*, inquiunt, *eſt eadem quæ Sarah.* Et eloquitur Joſephus ut in re antiquitùs recepta: Ἀῤῥάνης μὲν καταλείπων υἱὸν Λῶτον, καὶ Σάῤῥαν, καὶ Μελχὰν θυγατέρας ἐν Χαλδαίοις, ἀπέθανεν. *Antiquit.* lib. 1. cap. 7.

Jam ergò ſi *Sarah* decem tantùm annis *Abrahamo* junior, fuerit filia *Haranis*, quod & aliquantum aſtrui videtur *Geneſ.* 20: 12. nequaquam *Abrahamum* primogenitum inter filios *Terachi* exiſtimaveris, ſed potiùs *Haranem*; niſi cum Magiſtris nugari velis, & dicere, quòd *Haran* genuit *Milcham* annos natus tantùm ſex aut octo. At ſaniùs tandem concludunt, ſi eos ſatis capio, דרך הכמתן קא חשיב להו, *Secundùm ſapientiam eorum computant eos.* CAP. VII. VERS. 14.

Abrahamum natum concipe anno *Terachi* non ſeptuageſimo, ſed centeſimo triceſimo; & hæc verba, à *Stephano* recitata, dicta ei fuiſſe in *Ur Chaldæorum*; iſta autem *Geneſ.* 12: 1. dicta in *Charris*. Et ſic connecte hiſtoriam: Terachus mortuus eſt in Charrane. *Tum* dixit Deus Abrahamo, &c.

VERS. 14. Ἐν ψυχαῖς ἑβδομήκοντα πέντε.

Hebræa ubique habent *ſeptuaginta* tantùm. Sic & *Joſeph. Antiquit.* lib. 2. cap. 4. Εἰς τὴν Αἴγυπτον σὺν τοῖς υἱοῖς καὶ παισὶ τοῖς τούτων ἀπηλλάττετο· (*Jacobus* ſcil.) ἦσαν δὲ οἱ πάντες ἑβδομήκοντα.

Et cap. 5. Οὐ μετὰ ἑβδομήκοντα τῶν πάντων εἰς Αἴγυπτον ἀφικομένου, &c.

Item *Ezechiel*, *Tragœd.* apud *Euſeb.* de *Præpar. Euang.* lib. 9. cap. 28.

Ἀφ' οὗ Ἰακὼβ γῆν λιπὼν Χαναναίαν.

κατῆλθ' εἰς Αἴγυπτον, ἔχων ἑπτάκις δέκα ψυχὰς σὺν αὐτῷ.

Sic & ipſa verſio Græca *Deuter.* 10: 22. Ἐν ἑβδομήκοντα ψυχαῖς κατέβησαν οἱ πατέρες σου εἰς Αἴγυπτον. Quod mirum, cùm alibi habeant ἑβδομήκοντα πέντε, ut *Geneſ.* 46: 27. *Exod.* 1: 5.

Lucam iſtam Verſionem hîc ſequi, nemo non videt, quæ quinque nepotes addit *Joſepho*, *Geneſ.* 46: 20. *Machir* & *Gilead*, propter verba iſta, *Geneſ.* 50: 22. *Filii Machir, filii Manaſſeh nati ſunt in genubus Joſeph.* Et *Sutelah*, & *Taban*, & *Edom*, propter iſta: *Et vidit Joſeph filios Ephraim ad tertiam generationem.* Ubi obiter non poſſum non partim mirari, cur Græci Interpretes quinque additios ſuos ſelegerint potiùs ex filiis Joſephi, quàm cujuſquam alius; & partim advertere, eos *novem* filios *Joſephi* numerare, Υἱοὶ δὲ Ἰωσὴφ οἱ γενόμενοι αὐτῷ ἐν γῇ Αἰγύπτῳ, ψυχαὶ ἐννέα, *verſ.* 27. nominare autem tantùm *ſeptem*. *Joſephus* Hiſtoriographus de LXX. perſonis loquens, quæ deſcenderunt in Ægyptum: *Numerabo eas*, inquit, *ut ſatisfaciam iis, qui nos non ex Meſopotamia ortos, ſed Ægyptios volunt.* Mirum ergo, Interpretes quinque addere velle, qui quidem nati erant in Ægypto. At videtur, quòd cùm vellent verum numerum confundere, iſtos elegerint propter verba iſta *Cap.* 50. quæ retulimus.

CAP.VII. VERS. 14, 16. De filiis hiſce *Ephraimi* aliiſque, quorum hiſtoria 1 *Paralip*. 7:20. &c. plurima nugantur Patres Traditionum, quòd nempe malè computantes annos ſervitutis Ægyptiacæ, invaderent terram Philiſtæorum ante tempus præſtitutum, ubique caderent per enſem Gittæorum, *Targum in Cant*. 2:7. at reviviſcerent cum iis, quos à morte reſuſcitavit, *Ezech*. *Cap*. 37. *Sanhedr*. fol. 92. 2.

Cur numerum confuderint Interpretes, & pro *ſeptuaginta* ſubſtituerint *ſeptuaginta quinque*, conjecturam noſtram exhibuimus ad *Luc*. 3. ut & quare Euangeliſta verſionem iſtam numerumque amplexetur: cui adhuc adhæremus.

Mirantes interim de numero vero, retento *Deuter*. 10:22.

Ubi Scholia *Nobilii:* (Septuaginta) *Joſephus lib*. 2. *Antiquitatum*, *de Jacobo ſcribens*, *eundem numerum poſuit*. (Verba ejus allegavimus modò.) *Et S. Hieron. in Quæſt. in Geneſ. Lxx. Interpretes ſic ſcripſiſſe teſtatur. Alii Codices habent*, Ἐν ἑβδομήκοντα πέντε ψυχαῖς, &c.

Si Lxx. Interpretes ſic ſcripſerunt hoc in loco, cùm alibi habeant *ſeptuaginta quinque*, neſcio quænam alia ratio rei reddi poſſit, quàm quòd Moſes hîc introducatur alloquens populum Iſraëliticum, qui certum & verum numerum novit ſatis: alibi autem, ubi ab iis vertitur Lxxv. eſt ille ſcribens hiſtoriam pro univerſo mundo, cui certus numerus non adeo notus. At ſuſpicari licet, eundem calamum non tranſtuliſſe librum Deuteronomii, qui tranſtulit libros Geneſeos & Exodi. Sic Caphthorim, *Geneſ*. 10:14. Interpreti iſtius libri eſt Γαφτοριείμ, vel, ut in MS. Alex. Καφθοριείν, cùm tamen *Deuter*. 2:23. ſit Καππάδοκες.

VERS. 16. Μετετέθησαν εἰς Συχὲμ.

Gloſſ. in Zevachin, fol. 2. 1. לעולם ישנה אדם לתלמידו דרך קצרה, *Semper doceat homo Diſcipulum ſuum conciſè*, vel breviter. Non alienum ergo erat in gente iſta breviloquium, in re præſertim non obſcurâ. Quam normam ſi Stephanus hoc in loco imitetur, tutiùs atque inculpatiùs id poteſt in hiſtoria adeo nota.

I. Abſque omni hæſitatione vulgò inter eos receptum eſt, oſſa duodecim Patriarcharum relata eſſe ex Ægypto in Canaanitidem, æquè ac oſſa Jacobi.

Hieroſ. Sotah, fol. 17. 3. *Scriptum eſt*, *Ego deſcendam tecum in Ægyptum*, ואנכי אעלך גם עלה, *atque ego aſcendere te faciam etiam aſcendendo*, Geneſ. 46:4. מה ת"ל גם עלה, *Quidnam docetur per* גם עלה, *etiam aſcendendo? Dicit: Te aſcendere faciam*, *atque omnes reliquas Tribus aſcendere faciam. Docens* שכל שבט ושבט העלה עצמות ראש שבטו עמו, *quòd unaquæque Tribus aſcendere fecit ſecum oſſa Patriarchæ Tribûs ſuæ*. Obiter notetur, Lxx. reddere גם עלה, per εἰς τέλος. CAP.VII. VERS. 16.

Gloſſa in Bava Kama, fol. 92. 1. *Oſſa omnium Patriarcharum relata ſunt ex Ægypto*, *& ſepulta in Canaanitide*, *ſicut dicitur: Et aſportabitis oſſa mea vobiſcum*, Geneſ. 50:25. Eadem in *Bereſh. Rabba*, fol. 115. 3. *Gloſſ. in Maccoth*, fol. 11. 2. *R. Solom*. in *Exod*. 13:19.

II. Huc uſque loquitur Stephanus cum conſenſu Gentis, oſſa ſcil. Patriarcharum tralata fuiſſe ex Ægypto in Canaanitidem. At quid de ſepultura in *Sichem*? Abſque dubio eſt, eum gentis conſenſum in hac re etiam habuiſſe, quamvis Scriptorum Judaicorum de hac re, quantum comperi, ſit altum ſilentium. Imò Joſephus *Antiquit*. lib. 2. cap. 4. ſepulta ea vult in *Hebrone*, idque antè exitum populi ex Ægypto.

Talmudici de ſepultura Joſephi in Schechemo loquuntur plurima, atque hoc inter alia: *A Schechemo furati ſunt eum*, *& Schechemo reddiderunt eum*, *Sotah*, fol. 13. 2. At de ſepultura reliquorum Patriarcharum in iſto loco, non verbum unum.

Benjamin etiam in *Itiner*. de Sichemo loquens, de ſepulchro Joſephi mentionem habet, atque de eo ſolo. Sic & Cippi Hebraici, vertente Cl. Hottingero, *Schechemo itinere termini Sabbatici diſtat vicus*, *cui nomen* בלאטה, *Belata*, *ubi ſepultus Joſeph Juſtus p. m.*

Rationem, quare hîc ſileant Judæi, ſuſpiceris eſſe, nè pudori iis ſit, & honori Samaritis, jacere oſſa Patriarcharum ſuorum inter Samaritanos. De Joſepho nulla potuit eſſe tergiverſatio, cùm diſertis verbis dicat Scriptura, eum ſepultum in Sichemo: at grave eſt, dici poſſe, reliqua capita gentis & Tribuum illic jacere, ubi primùm apoſtaſia decem Tribuum, & dein poſt illas pulſas, odioſa gens Samaritanorum. Atque ex hac ipſa re arguere licet, Stephanum de tali re noluiſſe loqui, niſi quòd ea foret non contradicenda.

Et concedunt tacitè ipſi Magiſtri Traditionum, undecim Patriarchas non ſepultos fuiſſe in *Hebrone*, dum quatuor tantùm paria illuc admittunt, *Adamum & Evam*, *Abrahamum* & *Saram*, *Iſaacum* & *Rebeccam*, *Jacobum* & *Leam*, *Sotah*, fol. 13. 1. & tum ubinam ſepulti? Si obſervetur, ut ſumma & cura rerum publicarum jam commiſſa fuerit *Joſuæ* de ſtirpe *Joſephi*, & quamnam ille ex iſta ratione relationem habuerit ad *Sichemum*, ipſa probabilitas arguit, ſi nihil aliud eſſet quod de re teſtaretur, eum de Patriarchis jam mortuis curam habuiſſe, æquè ac habuerat pater ejus *Joſephus* de iis viventibus.

Digitized by Google

CAP. VII. VERS. 16.

Unde mirum, quòd Samaritani, habitantes Sichemum, in literis ſuis nuper in Angliam miſſis, de ſepulchris Joſephi, Eliezari, Phinchaſi, Lxx. Seniorum, Eldadi & Medadi, apud ſe exiſtentibus, mentionem habeant, ſileant autem de ſepulchris undecim Patriarcharum. At vileſcentibus apud eos reliquis Tribubus, atque exiſtente Ephraimiticâ ſolùm in pretio, id eſt, ut dicere liceat, Tribu Samariticâ, minùs mirum, ſi de Patribus reliquarum Tribuum minùs curent, vel ſaltem minùs glorientur.

Καὶ ἐτέθησαν ἐν τῷ μνήματι, ὃ ὠνήσατο Ἀβραὰμ τιμῆς ἀργυρίου παρὰ τῶν υἱῶν Ἐμμὸρ τοῦ Συχέμ.

Hæc ſunt quæ torquent. Non diſpar videtur illud in

Geneſ. 50:5. Dixit Joſephus: *Adjuravit me pater meus, dicendo: Ecce ego morior: in ſepulchro* אשר כריתי לי, *quod fodi mihi*, vel *quod coëmi mihi, ibi ſepelito me.* Non diſputabimus de verſione vocis כריתי, an ſit *fodi*, ut Græc. & Targ. Jonat. &c. an ſit *emi*, ut Onkel. Syr. & Talmudici: eſto hoc vel illud, cùm de ſpelunca *Macpelah* planè ſit ſermo, quomodo vel hoc vel illud, inquies, eſt verum? De ſenſu priori ego parùm dubito: nam cùm Abrahamus ſpeluncam coëmerat, & ſepulchra pro ſe & Sarah foderat, dictat ratio, Iſaacum idem feciſſe pro ſe & Rebeccah, & Jacobum pro ſe & Leah; nam ambo illi Hebrone habitabant, æquè ac Abrahamus. At ſi ſenſum poſteriorem admiſeris, cui tenaciter adhærent Magiſtri, non minor occurrit ſcrupulus, quàm iſte præ manibus. Amovent illi egregio commento: Jacobum ſcil. cùm primogenituram ab Eſavo coëmeret, peculiari ſcripto & contractu ſpeluncam hanc, ut ſibi propriam, intra pactum concluſiſſe; ut totum figmentum videre licet in *Sotah* & *Targ. Jon.* locis allegatis.

At nobis ſeriò magis in hac re noſtra agendum.

I. Sat fuiſſet Stephano, de ſepultura Jacobi & Patriarcharum mentionem habuiſſe abſque mentione coëmptionis ſepulchrorum, niſi quòd peculiare aliquid in iſta commemoratione innuere vellet. Nec nudam hiſtoriam refricare aliquid cauſæ ſuæ conferre poterat, ſi non & aliquid in defenſionem ſui etiam includeret. Dixerat antè de Abrahamo *verſ.* 5. quòd Deus non dederit ei hæreditatem aliquam in terra promiſſa, nè veſtigium quidem pedis; & hîc, quòd Jacobus & Patriarchæ non haberent ubi ſepelirentur, niſi in ſepulchris pretio coëmptis: & voſne, ô perſecutores mei, ex promiſſione mera terræ facta Patribus, adeò fidentes, ut vobis perſuadeatis in æternum manſionem in ea vobis futuram, voſque in ea immobiles eſſe, qualitercunque vos erga Deum geratis?

II. Ὃ *ὠνήσατο Ἀβραὰμ τιμῆς ἀργυρίου.* Hucuſque nihil difficultatis, cùm ſermo ſit de ſepultura Jacobi in ſpelunca *Macpelah*. At nodus eſt in ſequentibus: *παρὰ τῶν υἱῶν Ἐμμὸρ τοῦ Συχέμ.*

Non interpolatum eſſe textum, (quod volunt Beza & Heinſius) argui poteſt ex univerſali conſenſu codicum & verſionum. Nam nec codicem aliquem oſtendunt illi, qui interpolationem volunt, aliter legentem, & lectionem agnoſcunt verſiones omnes, in verbis iſtis, quæ maximè difficultatem pariunt. Syrus quidem ad *Jacobum* ſolum verba refert; reddit enim numero ſingulari: אושתני או תתסים, *Et translatus eſt, & poſitus*, &c. Aſt quod ſequitur, agnoſcit: *In ſepulchro quod emerat Abrahamus argento à filiis Hemor*, ubi latet totus nodus. Sic quoad iſtam clauſulam verſiones aliæ.

Jam quod objicitur, accipe verbis

Bereshith Rabba, fol. 89. 1. *Dicit R. Juda bar Simon. Hic locus* (Geneſ. 33:19.) *eſt unus de tribus iſtis, de quibus nationes mundi non poſſunt convitiari Iſraëli, dicentes, De rapina ſunt iſta. Et loca illa ſunt, Spelunca Macpelah, Domus Sanctuarii, & ſepulchrum Joſephi. Spelunca Macpelah, ſicut ſcribitur: Et auſcultavit Abramus Ephroni, & dependit Ephroni*, &c. Geneſ. 23:16. *Domus Sanctuarii, ſicut dicitur: Et dedit David Ornani pro loco*, &c. 1 *Paralip.* 21:25. *Et ſepulchrum Joſephi, ſicut dicitur: Et coëmit* (Jacobus) *portionem agri*, Geneſ. 33:19. יעקוב קנה שכם, *Jacobus emit Shechem*, vel portionem iſtam. Ergò non Abrahamus. At

I. Recognoſcamus locum iſtum in *Geneſ.* 12:6. *Pertranſivit Abram terram uſque ad locum Schechem*, עד אלין מורה, Græc. *ἐπὶ τὴν δρῦν τὴν ὑψηλήν*, *ad quercum excelſam*, עד מישר מורה, *ad planitiem Moreh.* Vulg. *Uſque ad convallem illuſtrem.* Targ. Hieroſ. & Samarit. *Ad vallem viſionis*, &c. Sed de loco potiùs inquiramus, quàm de etymo.

Deuter. 11:29. 30. *Pones benedictionem ſuper montem Gerizim, & maledictionem ſuper montem Ebal. Nonne illi ſunt trans Jordanem poſt viam quæ eſt ad ſolis occaſum in terra Cananæi, qui habitat in campeſtribus contra Galgal* אצל אלוני מורה.

Commententur Talmudici.

Sotah, fol. 32. 1. *Cùm tranſiiſſent Iſraëlitæ Jordanem, venerunt ad montem Gerizim & montem Ebal, qui in Samaritide juxta Shechem, quæ ſecus planities Moreh, ſicut dicitur: Nonne illi ſunt trans Jordanem, &c. Atque alibi dicitur: Pertranſiit Abramus terram uſque ad locum Shechem, ad planitiem Moreh. Quid* eſt

Digitized by Google

CAP.VII. VERS. 16.

eſt planities Moreh illic, Geneſ. 12:6. *Sichem. Sic & planities Moreh hic*, Deuter. 11:31. *eſt Sichem.*

Et fol. 33. 2. *Dicit R. Eliezer ben Joſe: In hâc re ego falſitatis poſtulavi libros Samaritanorum, & dixi iis: Falſificaſtis vos Legem veſtram, & nihil inde profeciſtis. Nam vos dicitis*, אלוני מורה שכם, *Planities Moreh quæ eſt Sichem: nos enim fatemur, quòd planities Moreh juxta Schechem.* At nihil tale additur *Geneſ.* 12:6.

Si vox μνήματι aliquid obſtaculi non interjiceret, ego promptè conciperem, oculum Stephani fuiſſe intentum in hunc locum, æquè ac in ſpeluncam Macpelah, vel etiam magis. Non dicitur quidem, quòd Abrahamus coëmit iſtum locum, minùs quòd coëmit pro ſepulchro: at coëmiſſe tamen eum, quamvis non ſub iſta notione, probabile ex hoc evadit, quòd fuerit hic primus locus, in quo tentorium ſuum fixit, & ſtruxit altare; & putaſne hæc eum facere velle in fundo alieno? Dicitur de Jacobo, quòd ille coëmit agrum, ubi tentorium ſuum fixit, *Geneſ.* 33:19. Et quid vetat, quin idem opinemur de Abrahamo, niſi quòd terminis non aſſeratur, ut fit de Jacobo? Non injuſta eſt quæſtio, quibuſnam conditionibus Abrahamus, Iſaacus, Jacobus greges ſuos paverint, & familias ſuas habuerint in terra Canaanitide?

Num loci & agri illi, quos occuparunt, erant communis juris & ſub nullo proprio poſſeſſore? Cùm Abrahamus prope à Sichemo in planitie Moreh, ſe & greges ſuos diſponeret, num intruſit in alienam poſſeſſionem, aut erant campeſtria iſta abſque ullo Domino? Neutrum probabile. Quærendum itaque eſt tertium; nempe quòd vel agros coëmerint, vel quòd conductitios ſub aliquo pretio à poſſeſſoribus haberent. Dicitur de Abrahamo, quòd *plantavit lucum in Beerſheba*, Geneſ. 21:33. Unde autem illi jus in iſto fundo? Num ante adventum ejus erat iſte locus ſub nullo Domino? ſub nullo Principe aut Poſſeſſore? Si erat ſub Domino aliquo, quod veriſimillimum, tum facile eſt conjicere, quonam modo Abrahamus poſſeſſionem ejus obtineret: pretio nempe aliquo, quamvis nulla de tali re mentio.

An coëmerit Abrahamus *Planitiem Moreh*, necne, planum ſatis eſt ex verbis protomartyris, ſepultos fuiſſe Patriarchas illìc loci, ubi ille primùm ab introitu ſuo in terram, manſionem ſuam habuerat, ubi primam promiſſionem terræ per viſionem acceperat, & altare ſuum primum ſtruxerat. Et non poſſum ego non opinari, Stephanum, vel Lucam in hoc breviloquio ſuo, memoriam talis rei refricare velle. Patriarchas ſcil. ſepultos fuiſſe in ipſiſſimo iſto loco, ubi prima manſio Abrahami, & prima promiſſio terræ: terram tamen eos non poſſediſſe, niſi in ſepulchris.

CAP.VII. VERS. 23, 25, 42.

VERS. 23. Ὡς δὲ ἐπληροῦτο αὐτῷ τεσσαρακονταετὴς χρόνος, &c.

Loquitur hic martyr cum conſenſu gentis.

Bereshith Rabba, fol. 115. 3. *Moſes egit quadraginta annos in aulâ Pharaonis, & quadraginta annos miniſtravit Iſraëli. Rabban Jochanan ben Zaccai mercaturam exercuit* 40. *annis, didicerat Legem* 40. *annis, & miniſtravit Iſraëli* 40. *annis. R. Akiba erat* בור, *illiteratus* 40. *annis, ſtuduit* 40. *annis, & miniſtravit Iſraëli* 40. *annis.* Vid. & *Shemoth Rabba*, fol. 118. 3.

VERS. 25. Ἐνόμιζε γὰρ συνιέναι τοὺς ἀδελφοὺς αὐτοῦ.

Donatus fuit Moſes ſpiritu Prophetiæ in aulâ Pharaonis, (quò reſpicit illud: *Magnus fuit verbis & operibus*,) & novit ſe deſignari populo redemptorem ex Ægypto, concepitque populum idem etiam de ipſo concepiſſe. Latêre enim populum non potuit miraculoſa ejus liberatio ab aquis & cæde, in infantia ſua, providentialis ejus educatio in aula Principis, ſpeciatim verò apparentia in eo ſigna ſpiritûs Prophetici. De quâ re quamvis ſileat ipſe *Moſes*, non ſine autoritate tamen effatur Stephanus, nec ſine conſenſu ſuorum, qui Moſen miraculosè natum, æquè ac miraculosè in arcula ſua ſervatum concipiunt: conceptum ſcilicet, cùm mater annum ætatis ſuæ ageret centeſimum & triceſimum: natum abſque dolore matris, & natum טוב הוא, *Bonum*, id eſt, הגון לנבאות, *aptum Prophetiis*, *Sotah*, fol. 12. 1.

Obiter notemus figmentum illud *Joſephi Antiquit.* lib. 2. cap. 5. de Pharaone coronam ſuam capiti Moſis pueruli imponente, ipſo autem eam dejiciente in terram, occurrere etiam apud ſuos in *Shemoth Rabba*, fol. 11. 83. cum hac ſolùm variatione, quòd Moſes ipſe coronam à capite Pharaonis tulerit, ac capiti proprio impoſuerit.

VERS. 42. Μὴ σφάγια καὶ θυσίας προσηνέγκατέ μοι, &c.

Quid de hac re ſenſerint Scholæ Judaicæ, effatur Kimchius in locum Amoſi, hauſtis verbis ex

Babyl. Chagigah, fol. 6. 2. *Traditio de ſacrificio jugi facto in monte Sinai. R. Eliezar dicit: Canones quidem de eo dati ſunt in monte Sinai, ipſum verò non eſt oblatum. R. Akiba dicit:*

Digitized by Google

dicit: Oblatum eſt, & exindè non ceſſavit. At quid ego probo (ex verbis iſtis?) *Numquid victimas & ſacrificia obtuliſtis mihi quadraginta annis in eremo, ô domus Iſraël? Nempe Tribus Levitica, quæ non patraverat idololatriam, obtulit; Iſrael non obtulit. Atque in verbis iſtis: Et celebrarunt filii Iſraëlis Paſcha in tempore ſuo, includitur opprobrii aliquid in Iſraëlem: innuitur ſcilicet, eos non celebraſſe aliud Paſcha in eremo præter iſtud.*

Certiſſimum eſt, oblata fuiſſe ſacrificia in pactione fœderis, *Exod.* 24. in ſacratione Altaris & Tabernaculi, atque in celebratione iſtius Paſchatis, atque hæc omnia in Sinai, atque ante fatale decretum de non intrando terram. At non ſine ratione ſuſpicari licet, quamvis ſacrificium juge poſt illud temporis fuerit continuatum. Nam ſunt pruinæ in Altari, *Numer.* 16:46. atque ignis in Altari perpetuò ardens, non inaniter arſit: ſed videtur querela Dei eſſe, de non oblatis ſacrificiis ſpontaneis, de ceſſantibus oblationibus voluntariis. Nec mirum videatur, ſi Propheta, & poſt eum Protomartyr, illud ſpatium ſub rotundo numero quadraginta annorum computet, cùm revera fuerit annorum tantùm triginta octo cum dimidio; nam idem facit ipſe Deus, *Numer.* 14:36.

Vers. 43. Καὶ ἀνελάβετε.

Amoſo, ונשאתם: quam vocem ſi cum *R. Solom.* tempore futuro reddere liceret, *Et portabitis vobiſcum idola veſtra in captivitatem ut onera humeris impoſita*, aliquid nodoſitatis, quæ in hoc commate occurrit, ſolveret: (nam meritò quæritur, an Iſraëlitæ hoc fecerint in eremo?) Sed planè contrariatur & Verſioni Græcæ apud Prophetam, imò & Spiritui S. hoc in loco, & planè ſcopo Protomartyris: nam loquitur de Deo tradente populum, ut ſerviret militiæ cœli, & ſubdit illicò quòd primùm ceſſarunt à ſerviendo Domino, & exinde quòd ſe addixerunt idololatriæ.

An verò de nulla idololatria in eremo perpetrata, eſt ſermo, an ſub temporibus ſubſequentibus? Quòd non de idololatria in eremo, hæc aſtruunt.

I. Quòd de nulla idololatria in eremo poſt vitulum aureum ſit mentio, præter iſtam cum *Baal Peore:* & non facilè perſuaſeris, *Molechum* & *Baal Peorem* fuiſſe idem, & quòd *Molech* & *Remphan* non fuerint duo. Atque improbabile omnino eſt, tale facinus ab hiſtoriographo ſacro fuiſſe omiſſum abſque omni, vel rei, vel pœnæ ejus mentione: præſertim verò cùm tam accuratè tradatur hiſtoria ubique de omni idololatria. Et nè plura cumulemus.

II. Si Stephanus Idololatriam hanc Iſraëlitarum referat ad tempora poſt iſta in eremo, & ſic Prophetam interpretetur, idem loquitur quod vulgò receptum atque agnitum eſt à gente ſua, de pœna peccati cum vitulo aureo deſcendente & derivata ad generationes ſubſequentes.

Sanhedr. fol. 102. 1. *R. Oſchaia dicit: Uſque ad tempora Jeroboami, Iſraëlitæ ſuxerunt à vitulo uno.* (*Gloſſ.* Iſto ſcil. quem conflarunt in eremo.) *Aſt exinde porrò, à duobus* & *tertio vitulo.* (*Gloſſ.* Duobus Jeroboami, & tertio eremi.) *R. Iſaac dicit: Non eſt vindicta aliqua quæ invadit mundum, in qua non ſit vigeſima quarta pars libræ vituli primi, ſicut dicitur: Cùm viſitavero, viſitabo in eos peccatum eorum*, Exod. 32. *Dicit R. Chaninah: Poſt viginti quatuor generationes* (*Gloſſ.* regnante Zedekiah) *exactus eſt hic verſiculus, ſicut dicitur: Clamavit in auribus meis voce magnâ, Appropinquarunt viſitationes urbis, habente unoquoque inſtrumentum deſtructorium ſuum in manu ſua*, Ezech. 9:1.

Τὴν σκηνὴν τοῦ Μολόχ, &c.

Amoſo eſt ונשאתם את סכות מלככם, Lat. interlin. *Et portaſtis Ziccuth Regem veſtrum.* Sic R. Solom. & Kimch. *Siccuth eſt nomen idoli.* Hæſito: ut &, quibusnam verbis hæc reddiderit Chald. Paraphraſtes. Nam in codicibus noſtris editis eſt ית סכות פתכומרכון, cùm *Aruch*, Targumiſtam hîc citans, dicat: סכות מלככם תרגום סכות פתכריכון, *Siccuth Malchechem Targumiſtæ eſt Succuth Pethacrecon.* Nota *Pethacrecon*, non *Pathcumarcon:* & ſic primitùs fuiſſe apud Targumiſtam ſcriptum, ego valdè ſuſpicor, quamvis *Kimchius* agnoſcat alteram ſolùm lectionem. Nam I. non facilè eſt פתכומרכון hoc in loco, nè dicam impoſſibile, ſuâ proprietate veſtire, quam geſtat *Ezechiel.* 13:18. & 16:16. II. Cùm idem Paraphraſtes מלכו reddat פתכרידה, *Eſaj.* 8:21. & מלכם reddat פתכרידהון. *Zephan.* 1:5. probabilius evadit, מלככם hoc in loco ab eo reddi פתכריכון. Quam vocem eum adhibere pro idolo aut Deo aliquo ethnico, ex hoc argui poteſt, quòd pro *Rege* proprio ſenſu ſumpto, ſemper retineat מלכא, vocabulum ordinarium. Si igitur cum exemplari *Aruch* legendum ſit פתכריכון, tùm coincidit Verſio Chaldaica cum Græca, & docet מלככם eſſe *Molech veſtrum*; ut *Molech* ſit idolum, & *Succuth* non idolum, ſed σκηνὴ τοῦ Μολόχ. Quod & probabilius fit ex conſonantia duarum clauſularum, Σκηνὴ τοῦ Μολὸχ, & ἄστρον τοῦ Ῥεμφάν.

Quiſnam autem & qualis fuerit hic Deus *Molech*, non exſpatiabimur multùm in ſcruti-

Digitized by Google

CAP.VII. VERS. 16. *eſt planities Moreh illîc*, Geneſ. 12:6. *Sichem. Sic & planities Moreh hîc*, Deuter. 11:31. *eſt Sichem.*

Et fol. 33. 2. *Dicit R. Eliezer ben Joſe: In hâc re ego falſitatis poſtulavi libros Samaritanorum, & dixi iis: Falſificaſtis vos Legem veſtram, & nihil inde profeciſtis. Nam vos dicitis*, אלוני מורה שכם, *Planities Moreh quæ eſt Sichem: nos enim fatemur, quòd planities Moreh juxta Schechem.* At nihil tale additur *Geneſ.* 12:6.

Si vox μνήματι aliquid obſtaculi non interjiceret, ego promptè conciperem, oculum Stephani fuiſſe intentum in hunc locum, æquè ac in ſpeluncam Macpelah, vel etiam magis. Non dicitur quidem, quòd Abrahamus coëmit iſtum locum, minùs quòd coëmit pro ſepulchro: at coëmiſſe tamen eum, quamvis non ſub iſta notione, probabile ex hoc evadit, quòd fuerit hic primus locus, in quo tentorium ſuum fixit, & ſtruxit altare; & putaſne hæc eum facere velle in fundo alieno? Dicitur de Jacobo, quòd ille coëmit agrum, ubi tentorium ſuum fixit, *Geneſ.* 33:19. Et quid vetat, quin idem opinemur de Abrahamo, niſi quòd terminis non aſſeratur, ut ſit de Jacobo? Non injuſta eſt quæſtio, quibuſnam conditionibus Abrahamus, Iſaacus, Jacobus greges ſuos paverint, & familias ſuas habuerint in terra Canaanitide?

Num loci & agri illi, quos occuparunt, erant communis juris & ſub nullo proprio poſſeſſore? Cùm Abrahamus prope à Sichemo in planitie Moreh, ſe & greges ſuos diſponeret, num intruſit in alienam poſſeſſionem, aut erant campeſtria iſta abſque ullo Domino? Neutrum probabile. Quærendum itaque eſt tertium; nempe quòd vel agros coëmerint, vel quòd conductitios ſub aliquo pretio à poſſeſſoribus haberent. Dicitur de Abrahamo, quòd *plantavit lucum in Beer-ſheba*, Geneſ. 21:33. Unde autem illi jus in iſto fundo? Num ante adventum ejus erat iſte locus ſub nullo Domino? ſub nullo Principe aut Poſſeſſore? Si erat ſub Domino aliquo, quod veriſimillimum, tum facile eſt conjicere, quonam modo Abrahamus poſſeſſionem ejus obtineret: pretio nempe aliquo, quamvis nulla de tali re mentio.

An coëmerit Abrahamus *Planitiem Moreh*, necne, planum ſatis eſt ex verbis protomartyris, ſepultos fuiſſe Patriarchas illîc loci, ubi ille primùm ab introitu ſuo in terram, manſionem ſuam habuerat, ubi primam promiſſionem terræ per viſionem acceperat, & altare ſuum primum ſtruxerat. Et non poſſum ego non opinari, Stephanum, vel Lucam in hoc breviloquio ſuo, memoriam talis rei refricare velle. Patriarchas ſcil. ſepultos fuiſſe in ipſiſſimo iſto loco, ubi prima manſio Abrahami, & prima promiſſio terræ: terram tamen eos non poſſediſſe, niſi in ſepulchris.

CAP.VII. VERS. 23, 25, 42.

VERS. 23. Ὡς δὲ ἐπληροῦτο αὐτῷ τεσσαρακονταετὴς χρόνος, &c.

Loquitur hic martyr cum conſenſu gentis.

Bereshith Rabba, fol. 115. 3. *Moſes egit quadraginta annos in aulâ Pharaonis, & quadraginta annos miniſtravit Iſraëli. Rabban Jochanan ben Zaccai mercaturam exercuit* 40. *annis, didicerat Legem* 40. *annis, & miniſtravit Iſraëli* 40. *annis. R. Akiba erat* בור, *illiteratus* 40. *annis, ſtuduit* 40. *annis, & miniſtravit Iſraëli* 40. *annis.* Vid. & *Shemoth Rabba*, fol. 118. 3.

VERS. 25. Ἐνόμιζε γὰρ συνιέναι τοὺς ἀδελφοὺς αὐτοῦ.

Donatus fuit Moſes ſpiritu Prophetiæ in aulâ Pharaonis, (quò reſpicit illud: *Magnus fuit verbis & operibus*,) & novit ſe deſignari populo redemptorem ex Ægypto, concepitque populum idem etiam de ipſo concepiſſe. Latêre enim populum non potuit miraculoſa ejus liberatio ab aquis & cæde, in infantia ſua, providentialis ejus educatio in aula Principis, ſpeciatim verò apparentia in eo ſigna ſpiritûs Prophetici. De quâ re quamvis ſileat ipſe *Moſes*, non ſine autoritate tamen effatur Stephanus, nec ſine conſenſu ſuorum, qui Moſen miraculoſè natum, æquè ac miraculoſè in arcula ſua ſervatum concipiunt: conceptum ſcilicet, cùm mater annum ætatis ſuæ ageret centeſimum & triceſimum: natum abſque dolore matris, & natum טוב הוא, *Bonum*, id eſt, הגון לנבואות, *aptum Prophetiis*, *Sotah*, fol. 12. 1.

Obiter notemus figmentum illud *Joſephi Antiquit.* lib. 2. cap. 5. de Pharone coronam ſuam capiti Moſis pueruli imponente, ipſo autem eam dejiciente in terram, occurrere etiam apud ſuos in *Shemoth Rabba*, fol. 11. 83. cum hac ſolùm variatione, quòd Moſes ipſe coronam à capite Pharaonis tulerit, ac capiti proprio impoſuerit.

VERS. 42. Μὴ σφάγια καὶ θυσίας προσηνέγκατέ μοι, &c.

Quid de hac re ſenſerint Scholæ Judaicæ, effatur Kimchius in locum Amoſi, hauſtis verbis ex

Babyl. Chagigah, fol. 6. 2. *Traditio de ſacrificio jugi facto in monte Sinai. R. Eliezar dicit: Canones quidem de eo dati ſunt in monte Sinai, ipſum verò non eſt oblatum. R. Akiba*

dicit:

CAP. VII. VERS. 43.

dicit: Oblatum eſt, & exindè non ceſſavit. At quid ego probo (ex verbis iſtis?) *Numquid victimas & ſacrificia obtuliſtis mihi quadraginta annis in eremo, ô domus Iſraël? Nempe Tribus Levitica, quæ non patraverat idololatriam, obtulit; Iſrael non obtulit. Atque in verbis iſtis: Et celebrarunt filii Iſraëlis Paſcha in tempore ſuo, includitur opprobrii aliquid in Iſraëlem: innuitur ſcilicet, eos non celebraſſe aliud Paſcha in eremo præter iſtud.*

Certiſſimum eſt, oblata fuiſſe ſacrificia in pactione fœderis, *Exod.* 24. in ſacratione Altaris & Tabernaculi, atque in celebratione iſtius Paſchatis, atque hæc omnia in Sinai, atque ante fatale decretum de non intrando terram. At non ſine ratione ſuſpicari licet, quamvis ſacrificium juge poſt illud temporis fuerit continuatum. Nam ſunt pruinæ in Altari, *Numer.* 16:46. atque ignis in Altari perpetuò ardens, non inaniter arſit: ſed videtur querela Dei eſſe, de non oblatis ſacrificiis ſpontaneis, de ceſſantibus oblationibus voluntariis. Nec mirum videatur, ſi Propheta, & poſt eum Protomartyr, illud ſpatium ſub rotundo numero quadraginta annorum computet, cùm revera fuerit annorum tantùm triginta octo cum dimidio; nam idem facit ipſe Deus, *Numer.* 14:36.

VERS. 43. Καὶ ἀνελάβετε.

Amoſo, ונשאתם: quam vocem ſi cum *R. Solom.* tempore futuro reddere liceret, *Et portabitis vobiſcum idola veſtra in captivitatem ut onera humeris impoſita*, aliquid nodoſitatis, quæ in hoc commate occurrit, ſolveret: (nam meritò quæritur, an Iſraëlitæ hoc fecerint in eremo?) Sed planè contrariatur & Verſioni Græcæ apud Prophetam, imò & Spiritui S. hoc in loco, & planè ſcopo Protomartyris: nam loquitur de Deo tradente populum, ut ſerviret militiæ cœli, & ſubdit illicò quòd primùm ceſſarunt à ſerviendo Domino, & exinde quòd ſe addixerunt idololatriæ.

An verò de nulla idololatria in eremo perpetrata, eſt ſermo, an ſub temporibus ſubſequentibus? Quòd non de idololatria in eremo, hæc aſtruunt.

I. Quòd de nulla idololatria in eremo poſt vitulum aureum ſit mentio, præter iſtam cum *Baal Peore:* & non facilè perſuaſeris, *Molechum* & *Baal Peorem* fuiſſe idem, & quòd *Molech* & *Remphan* non fuerint duo. Atque improbabile omnino eſt, tale facinus ab hiſtoriographo ſacro fuiſſe omiſſum abſque omni, vel rei, vel pœnæ ejus mentione: præſertim verò cùm tam accuratè tradatur hiſtoria ubique de omni idololatria. Et nè plura cumulemus.

II. Si Stephanus Idololatriam hanc Iſraëlitarum referat ad tempora poſt iſta in eremo, & ſic Prophetam interpretetur, idem loquitur quod vulgò receptum atque agnitum eſt à gente ſua, de pœna peccati cum vitulo aureo deſcendente & derivata ad generationes ſubſequentes.

Sanhedr. fol. 102. 1. *R. Oſchaia dicit: Uſque ad tempora Jeroboami, Iſraëlitæ ſuxerunt à vitulo uno.* (*Gloſſ.* Iſto ſcil. quem conflarunt in eremo.) *Aſt exinde porrò, à duobus* & *tertio vitulo.* (*Gloſſ.* Duobus Jeroboami, & tertio eremi.) *R. Iſaac dicit: Non eſt vindicta aliqua quæ invadit mundum, in qua non ſit vigeſima quarta pars libræ vituli primi, ſicut dicitur: Cùm viſitavero, viſitabo in eos peccatum eorum*, Exod. 32. *Dicit R. Chaninah: Poſt viginti quatuor generationes* (*Gloſſ.* regnante Zedekiah) *exactus eſt hic verſiculus, ſicut dicitur: Clamavit in auribus meis voce magnâ, Appropinquarunt viſitationes urbis, habente unoquoque inſtrumentum deſtructorium ſuum in manu ſua*, Ezech. 9:1.

Τὴν σκηνὴν τοῦ Μολόχ, &c.

Amoſo eſt ונשאתם את סכות מלככם, Lat. interlin. *Et portaſtis Ziccuth Regem veſtrum.* Sic R. Solom. & Kimch. *Siccuth eſt nomen idoli.* Hæſito: ut &, quibusnam verbis hæc reddiderit Chald. Paraphraſtes. Nam in codicibus noſtris editis eſt ית סכות פתכומרכון, cùm *Aruch*, Targumiſtam hîc citans, dicat: סכות מלככם תרגום סכות פתכריכון, *Siccuth Malchechem Targumiſtæ eſt Succuth Pethacrecon.* Nota *Pethacrecon*, non *Pathcumarcon:* & ſic primitùs fuiſſe apud Targumiſtam ſcriptum, ego valdè ſuſpicor, quamvis *Kimchius* agnoſcat alteram ſolùm lectionem. Nam I. non facilè eſt פתכומרכון hoc in loco, nè dicam impoſſibile, ſuâ proprietate veſtire, quam geſtat *Ezechiel.* 13:18. & 16:16. II. Cùm idem Paraphraſtes מלכו reddat פתכריה, *Eſaj.* 8:21. & מלכם reddat פתכריהון, *Zephan.* 1:5. probabilius evadit, מלככם hoc in loco ab eo reddi פתכריכון. Quam vocem eum adhibere pro idolo aut Deo aliquo ethnico, ex hoc argui poteſt, quòd pro *Rege* proprio ſenſu ſumpto, ſemper retineat מלכא, vocabulum ordinarium. Si igitur cum exemplari *Aruch* legendum ſit פתכריכון, tùm coincidit Verſio Chaldaica cum Græca, & docet מלככם eſſe *Molech veſtrum*; ut *Molech* ſit idolum, & *Succuth* non idolum, ſed σκηνὴ τοῦ Μολόχ. Quod & probabilius fit ex conſonantia duarum clauſularum, Σκηνὴ τοῦ Μολόχ, & ἄστρον τοῦ Ῥεμφάν.

Quiſnam autem & qualis fuerit hic Deus *Molech*, non exſpatiabimur multùm in ſcruti-

Digitized by Google

CAP. VII. VERS. 43. ſcrutinium, cùm illud ſatis ventilatum ſit à pluribus. Hoc tantum ex verbis Stephani noſtri non obſervare non poſſumus, quòd & *Remphan* fuerint figuræ aliquæ luminaria aliqua cœleſtia effigiantes, cùm dicit: *Tradidit eos ſervire militiæ cœli*, &c. Et per *Molechum* repræſentatum fuiſſe Solem, obtinet plerumque, partim propter regium ipſum nomen, partim propter igneam idoli formam, igneamque normam cultûs.

Vocatur etiam *Baal*, *Hierem.* 32:35. *Struxerunt excelſa Baalis--- ut offerant filios ſuos Molecho.* Qui an idem fuerit, quem introduxit Achabus in Iſraëlem, non immeritò quæritur. Aliquem colorem cruenti ejus cultûs ſecum fert, quòd Baalitæ *inciderent ſe, idque juxta ritum ſuum, cultris & lanceolis, donec perfunderentur ſanguine*, 1 Reg. 18:28.

Deſcribentibus Judæis, *Molech* æneus exiſtens habuit faciem vitulinam, manus expanſas inſtar hominis manus aperientis, ut aliquid ab alio accipiat.

Et ſic *Diod. Sicul.* de Saturno Carthaginenſium: Ἦν δὲ παρ' αὐτοῖς ἀνδριὰς Κρόνου χαλκοῦς ἐκτεταχὼς τὰς χεῖρας ὑπτίας, ἐκτεταμένας ἐπὶ τῆς γῆς, ὥστε τὸν συντεθέντα τῶν παίδων ἀποκυλίεσθαι, καὶ πίπτειν εἰς τὸ χάσμα πλῆρες πυρός.

Erat apud eos effigies Saturni ænea manus ſupinas extendens, terram versùs extenſas, ità ut puer iis commiſſus in foveam igne plenam volveretur rueretque. Apud *Euſeb. Præpar. Evang.* lib. 4. cap. 16.

Ubi & hæc habentur ex Philone de Phœnicum hiſtoriâ:

Κρόνος τοίνυν ὃν οἱ Φοίνικες Ἰσραὴλ προσαγορεύουσι, &c. *Saturnus igitur, quem Phœnices Iſraël vocant, regioni dominans poſt mortem tandem ſacratus eſt in ſtellam Saturnum. Ille ex ſponſa Anobret dictâ, unigenitum filium ſuſcepit, quem ideoque vocarunt Jeoud: unigenito filio apud Phœnicas ità etiam hodie vocato. Cùm teterrima belli clades regionem invaderet, ille filium venuſtè ornans, atque altare ritè parans, illum ſacrificavit.*

Iſraël nomine, aſt *Abrahamus* charactere. A quo, an horrenda hæc ſacrificia Molechi dirâ imitatione hauſerint, non eſt hic locus diſputandi. Diſputandum potius, an Iſraëlitæ tale quid actitarint in eremo? An cum Tabernaculo Domini erexerint Tabernaculum Molechi? An neglectis ſacrificiis beſtiarum, inſtituerint ſacrificia filiorum? Quod quàm parùm toleraturus fuerit Moſes, aut, ſi factum eſſet, ſilentio præteriturus, nemo non videt.

Concludamus cum verbis Porphyrii, apud eundem Euſebium, notatu dignis: Καταλυθῆναι δὲ τὰς ἀνθρωποθυσίας σχεδὸν τὰς παρὰ

CAP. VII. VERS. 43. πᾶσι, φησὶ Πάλλας, ὁ ἄριστα περὶ τοῦ Μίθρα συναγαγὼν μυστηρίων ἐπὶ Ἀδριανοῦ τοῦ αὐτοκράτορος. *Sublatas autem fuiſſe has hominum ſacrificationes propè apud omnes ſub Adriano Imperatore, refert Pallas, qui optimè ſcripſit de myſteriis Mithræ.*

Καὶ τὸ ἄστρον τοῦ Θεοῦ ὑμῶν Ῥεμφάν.

Amoſo כיון, *Chijun.* Græcis Interpret. Ῥαιφάν.

Non cumulabimus ea quæ hîc dicuntur à viris doctiſſimis.

In hiſce duobus cardinibus vertitur tota difficultas:

I. Ut conciliari poſſint Græci Interpretes cum Amoſo.

II. Ut Stephanus, aut Lucas cum Græcis Interpretibus.

I. Hebr. כיון, *Chijun*, cùm Græcis Interpretibus ſit Ῥαιφὰν, ego in vocabulo Ῥαιφὰν non *Giganteum* quid obſervaverim, ſed *debile* aliquid potiùs & *infirmum*. Nemo non novit, quid ſit רפה & רפיון, *debilis* ſcil. & *debilitas*; atque illuc forſan Ῥαιφὰν referenda, potiùs quàm ad רפא, *Gigantem*. Idemque hic factum ab Interpretibus autumarim, quod à Judæis in nomine *Beelzebul*; excogitatum ſcil. eſſe nomen in opprobrium.

Chijun, כיון, in nuda & nativa ſignificatione ſua, *firmum*, *rectum*, *ſtabile* denotat, ità ut à nonnullis iſto in loco vertatur *Baſis*. Nomen idolo, quod mendacium, quod vanitas, quod nihil eſt incongruentiſſimum. Quod forſan Græci Interpretes non ferentes, in ſenſum planè contrarium, & re ipsâ quidem digniſſimum, tranſtulerunt Ῥαιφὰν, רפיון, *debilitas*, *infirmitas*. Si Ῥαιφὰν non ſit Copticè Saturnus, ut *Kircherus*.

II. Ut autem Ῥαιφὰν tranſierit in Ῥεμφὰν, variæ ſunt conjecturæ, nec inanes. Syrus & Arabs רפן & ראפאן retinent, quæ auribus Orientalibus ſenſu, quem nos concipimus, ſonant aptiſſimè. Et quid ſi Lucas, vel Stephanus, ut auribus Græcis idem ſonaret, quantum fieri poſſet, per Ῥεμφὰν proferrent, ubi includeretur ſonus vocis Ῥεμβὸς, quæ *vagum* denotat & *vacillantem*.

Eſto igitur *Molech* Sol, & Remphan, vel *Chijun*, Saturnus: de introductione Molechi in Iſraëlem legimus, de *Chijun* non niſi apud Amoſum, & hic de *Remphan*.

Cùm illud cogito 1 *Reg.* 12:30. *Ibat omnis populus ad adorandum vitulum in Dan*; & obſervo, quòd *Dan* vocata fuerit *Panias*; ſuſpicari incipio φὰν in Ῥαιφὰν & Ῥεμφὰν, cognationem aliquam habere cum iſto nomine, & nominari *Dan*, magis quàm *Bethel*, quia

CAP.VII. VERS. 43.

quia idololatria aut vitulus iſtius loci erat diuturnior quàm Bethelis.

Μετοικιῶ ὑμᾶς ἐπέκεινα Βαβυλῶνος.

At Hebraicè *Amoſo* ſunt מהלאה לדמשק, Græc. Ἐπέκεινα Δαμασκοῦ.

I. Nihil uſitatius in Scholis & pulpitis Judæorum, prælectori aut concionatori, quam variare & invertere textum Scripturæ, ut ad propoſitum & ſenſum ſuum accommodet & adaptet. Sexcenties occurrit apud Talmudicos & Midraſtas hæc dictio: אל תקרא, *Hoc aut illud vocabulum nè ſic legas, ſed ſic & ſic.* Ubi propriam & genuinam lectionem relinquentes, lectionem aliquam fingunt, quæ quadret cum materia, quam tradant: non quòd germanam & receptam lectionem repudiarent, aut vilifacerent, ſed ut ingenioſè textum allegatum modularentur ad ſuum inſtitutum. Novi hoc vulgò factum in vocabulis, in quibus retentæ quidem ſunt eædem literæ, ſed diverſificatio fit per variatas vocales. Aſt indicat hoc interim, nec alienum iis fuiſſe, nec pro crimine habitum, ſed cum applauſu potius exceptum, vocabula contextûs Hebraici alienare à nativa lectione, ut aliquid elicerent quod revera verum, aut ſaltem facundum & ingenioſum. Et ſi Stephanus more Scholarum hæc *Amoſi* allegans, מהלאה לדמשק, magiſterialiter, ut illi, dixiſſet, אל תקרא, *Nè legas* לדמשק, ſed לבבל, facillimè ab auditoribus fuerat abſorptum, & ex communi uſu gentis, & præcipuè quòd verum eſſet quod dixit. Nam

II. Conſulamus alium locum ejuſdem Prophetæ.

Amoſ. 4: 3. *Et per aperturas exibitis altera contra alteram*, והשלכתנה ההרמונה, ubi Targ. & Syr. *Transferent eos ultra montes Armeniæ.* Græc. Εἰς τὸ ὄρος τὸ Ῥομμὰν, *in montem Romman.*

R. Solom. in locum: *Jonathan targumizat* להלאה מן טורי הורמני הן הרי חשך, *Ultra montes Hormane, iſti ſunt montes tenebrarum.*

Bereſh. Rabba, fol. 35. 4. *Alexander Macedo* אזל לגבי מלכא קציא לאחורי הרי חושך, *ivit ad Regem Caziæ poſt montes tenebrarum*, &c.

Adjiciamus & illud ex *Hieroſ. Sanhedr.* fol. 29. 3. *In tres captivitates migravit Iſraël.* אחת לפנים מנהר סנבטיון, *Una erat ad intra fluvium Sanbation.* ואחד לדפני של אנטוכיא, *Altera erat ad Daphnen Antiochiæ: & altera ubi nubes deſcendit in eos, & cooperuit eos.* Vide & *Bemidbar Rabba*, fol. 268. 1.

CAP.VII. VERS. 51, 53.

VERS. 51. Σκληροτράχηλοι.

Cognatam phraſiologiam, & non multùm abſimilem hiſtoriam habes in

Semoth Rabba, fol. 156. 2. Cùm populus, abſente Moſe, urgeret Aaronem ad conflandos Deos qui eos ducerent, *reſtitit iis Hur, & dixit iis:* קציעי צואריא, *Conciſi cervicum, nonne meminiſtis, quænam miranda pro vobis fecit Deus? Extemplo inſurrexerunt in eum, atque interemerunt.*

VERS. 53. Εἰς διαταγὰς Ἀγγέλων.

I. Vocabulum Ἀγγέλων ego hoc in loco non reddiderim Hebraicè per כלאכים, quod faciunt Syrus & Arabs, ſed per שלוחים, prout שליח צבור eſt Ἄγγελος ἐκκλησίας.

Nugantur Judæi & fingunt, Iſraëlitas iſtos, qui præſentes aſtiterunt monti *Sinai*, atque audierunt Legem inde à Deo pronunciatam, evaſuros ſicut Angelos, nunquam generaturos filios, nec unquam morituros, ſed futuros ſimiles Angelis, niſi interveniſſet infelix & fatale illud crimen per Vitulum aureum. Verba eorum produximus ex *Avodah Zarah*, fol. 5. 1. ad *Joann.* 10: 35.

Si εἰς διαταγὰς Ἀγγέλων paſſivam hanc conſtructionem admitteret, *Ut diſponerentur homines in idem prædicamentum aut ſtatum cum Angelis*, crederem beatiſſimum martyrem propriam ipſorum opinionem iis refricare, & nervoſiùs ἀνομίαν eorum redarguere ex ipſa eorum conceſſione. Ac ſi dixiſſet: Accepiſtis Legem, quæ, vobiſmet ipſis fatentibus, homines diſpoſuit in ſtatum Angelicum: at non obſervaſtis tamen.

II. Si verò non toleraverit phraſiologia hanc interpretationem, ambiguum eſt, quonam ſenſu ſumenda ſit vox Ἀγγέλων, & an εἰς διαταγὰς idem ſit cum διὰ διαταγῶν, vel διὰ διαταγῆς.

Concordat illud *Gal.* 3: 19. Διαταγεὶς δὶ Ἀγγέλων, atque utrobique per Ἀγγέλους durius eſt intelligere Angelos vel Spiritus illos cœleſtes propriè ſumptos: nam quid illis cum diſpoſitione Legis? Aderant quidem illi ad montem *Sinai*, cùm Lex daretur, atteſtantibus variis Scripturæ locis; verùm aderant tantùm, nam nihil aliud ab iis actum aut præſtitum. Ità ut ipſa res cogat, & hìc & illìc per *Angelos* intelligere verbi divini nuntios, Prophetas & Miniſtros. Et retineat particula εἰς vim ſuam propriam, ut ſenſus huc aſſurgat: Accepiſtis Legem *ad diſpoſitionem internunciorum*, id eſt, ut proponeretur & publicaretur

CAP. VII. VERS. 56, 58.

per Miniſtros, Prophetas, alioſque, idque ſecundùm optionem votumque veſtrum, *Exod.* 20:19. *Deuter.* 5:25. & 18:15, 16. & tamen non obſervaſtis. Optaſtis Prophetas atque habuiſtis; quem tamen ex Prophetis non eſtis perſecuti?

VERS. 56. Τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου ἐκ δεξιῶν ἑστῶτα τοῦ Θεοῦ.

Seipſum Chriſtus frequentiſſimè vocat *Filium hominis*; at rariùs eum comperis ità nuncupatum ab aliis. Stephanus autem in his verbis allegat illud *Danielis*, Cap. 7:13. *Vidi quendam ſimilem Filio hominis, venientem in nubibus cœli, atque accedentem ad Antiquum dierum, & coram eo appropinquare fecerunt illum.*

Vix tale quid expectarim à Judæo, quale dicitur in iſtum locum à

R. Saadiah: *Similis Filio hominis:* זהו משיח צדקינו, *Hic eſt Meſſias Juſtitia noſtra. At nonne ſcribitur de Meſſiâ, Pauper & equitans ſuper aſinum? Veniet enim in humilitate.-- Atque appropinquare eum fecerunt ad Antiquum dierum. Hoc eſt quod ſcribitur: Dixit Dominus Domino meo, Sede à dextra mea.*

Extravagantiùs longè Magiſtri in

Sanhedr. fol. 98. 1. זכו עם ענני שמיא, *Si digni erunt,* (Iſraëlitæ) *tùm venit in nubibus cœli. Si non digni, tùm pauper & inequitans aſino.*

Eloquitur Protomartyr, ſe jam videre illud *Danielis* in *Jeſu* adimpletum, cui aliqualiter parallelum eſt illud *Eſajæ*, Cap. 6:1.

VERS. 58. Καὶ ἐκβαλόντες ἔξω τῆς πόλεως, ἐλιθοβόλουν.

I. *Hieroſ. Sanhedr.* fol. 23. 1. *Babyl. Sanhedr.* fol. 42. 2. בית הסקילה חוץ לבד״, *Locus lapidationis erat extra Synedrium, ſicut dicitur: Educ blaſphemantem extra caſtra,* Levit. 24:14.

Traditio. בית הסקילה היה חוץ לג׳ מחנות, *Locus lapidationis erat extra terna caſtra.* Gloſſ. Atrium erat caſtra divinæ præſentiæ; mons Templi caſtra Levitarum; Hieroſolyma caſtra Iſraëlis. Atque in quovis Synedrio, in quavis civitate erat locus lapidationis extra civitatem, ſicut Hieroſolymis.

Jam verò cur dicatur, quòd locus lapidationis erat *extra Synedrium*, & rurſus, quòd erat *extra terna caſtra*, ratio redditur à Gemariſtis: nempe, דאי נפק בד״ ויתיב בחוץ לג׳ מחנות, Si egrediatur Synedrium, & ſedeat extra trina caſtra, faciunt locum lapidationis etiam diſtantem à Synedrio, partim nè videatur Synedrium interfeciſſe hominem, partim ut ob diſtantiam loci intercedat aliqua mora & ſpatium temporis, antequàm lapidandus ad locum perveniat, ſi forſan obtulerit aliquis teſtimonium aliquod, quod pro eo faciat. Nam in talis rei expectationem

CAP. VII. VERS. 58.

II. אחד עומד על פתח בד״ והסודרין בידו, *Stetit quidam in oſtio Synedrii, in manu habens ſudarium:* וסוס רחוק ממנו כדי שיהא רואהו, *atque equus tantæ diſtantiæ, ut intra conſpectum tantùm foret. Si quis igitur dixerit: Habeo quod teſtor pro damnato, agitat iſte ſudarium, & currit eques, & revocat euntes. Imò ſi ipſe dicat: Habeo quod pro meipſo apologizem, reducunt eum etiam quater quinquieſve; ſi modò ſit aliquid ponderis in verbis ſuis.* Vereor nè non ità tecum ſit actum, ô innocentiſſime Stephane.

III. Si non emergat aliquod teſtimonium quod pro eo faciat, *pergunt ad lapidationem, & præco præcedit eum clamans, N. filius N. prodit lapidandus, quia tale crimen commiſit, & N. & N. ſunt teſtes in eum; ſi quis pro eo poteſt teſtari, prodeat, & teſtetur.*

IV. *Cùm jam decem tantùm cubitis diſtat à loco lapidationis, hortantur eum, ut confiteatur, nam ſic mos eſt ità interfectorum confiteri: omnis enim confitens habet portionem in mundo futuro, ſicut comperimus de Achane,* &c.

V. *Cùm jam intra quatuor cubitos à loco lapidationis perventum eſt, detrahunt veſtes ejus, atque eum denudant.*

VI. *Locus lapidationis erat duplici hominis ſtaturâ altus. Unus teſtium projicit eum in lumbos ſuos. Si in pectus ſuum ſe volvet, revolvunt in lumbos. Si ſic moriatur, benè. Si non, teſtis alter tollit lapidem, atque cordi ejus imponit. Si ità moriatur, benè. Si non, lapidatur per omnem Iſraëlem.*

VII. *Omnes qui lapidantur, etiam ſuſpenduntur,* &c.

Hæc ideo copioſiùs exſcripſimus, ut conferat lector præſentem actionem cum hac norma & more uſitato.

Quæri primò poſſet, ob quodnam crimen damnatus ille ad mortem? Dices, propter blaſphemiam: nam audivimus, inquiunt, eum dicentem verba blaſphema in Moſen & Deum. At non damnatus eſt quis ut blaſphemans, (מגדף) niſi ob abuſum nominis tetragrammati, &c. Hinc eſt, quòd quamvis ſæpiuſculè accuſarent Salvatorem ut blaſphemantem, hoc tamen reatu non damnatur, ſed quòd כשף היסית והדיח את ישראל, *præſtigiis eſt uſus, & decepit & ad apoſtaſiam duxit Iſraëlem*, *Sanhedr.* fol. 43. 1. Atque inter lapidationis reos numerantur המסית המדיח והמכשף, *malè ſuadens, atque ad apoſta-*

Digitized by Google

CAP. VII. VERS. 58. 60. CAP. VIII. VERS. 2. *apoſtaſiam ducens, & præſtigiator, ibid.* fol. 53. 1.

Quæri etiam poteſt, an formali aliquâ ſententiâ Synedrii damnatus ſit beatiſſimus hic martyr? an tumultuariâ turbæ violentiâ abreptus & trucidatus? quod videtur.

VERS. 58. Παρὰ τὺς πόδας νεανίυ.

Vid. *Philem.* verſ. 9. Τοιῦτ⊙ ὢν ὡς Παῦλ⊙ πρεσβύτης: & computa, an νεανίας meram adoleſcentiam denotet, an non etiam ſtrenuitatem, atque, ut ità dicam, robuſtuitatem: 2 *Sam.* 6: 1. כל בחור בישראל. Ubi Græc. Πάντα νεανίαν ἐξ Ἰσραὴλ.

VERS. 60. Ἐκοιμήθη.

דמך, vel דמיך, quo nihil Talmudicis frequentius.

CAP. VIII.

VERS. 2. Συνεκόμισαν τὸν Στέφανον.

Sanhedr. fol. 46. 1. *Non ſepeliunt* (damnatum à Synedrio) *in ſepulchris patrum ſuorum. Verùm duo ſepulchreta erant pertinentia ad Synedrium, unum pro decollatis & ſtrangulatis, alterum pro lapidatis & uſtulatis.*

Et ratio, quare illi non ſepeliendi cum patribus, hæc redditur, שאין קוברין רשע עם צדיק, *Quia non ſepeliunt ſontes cum inſontibus.* Quod & deducunt ex hiſtoria iſta de vulgari homine jacto in ſepulchrum Eliſæi, qui ibi non manſit, ſed reſurrexit.

Ibid. fol. 45. 2. *Lapis quo quis lapidatur, lignum in quo ſuſpenditur, gladius quo decollatur, & ſudarium quo ſtrangulatur, ſimul cum eo* (vel prope eum) *ſepelitur.*

Stephano defuncto meliùs ceſſiſſe, verba quæ tractamus, ſatis evincunt. At verò an illud ex indulgentia Synedrii erga damnatum; an quòd damnatus non fuerit à Synedrio, judicent alii.

Καὶ ἐποιήσαντο κοπετὸν μέγαν ἐπ' αὐτῷ.

Pergunt Magiſtri: לא היו מתאבלין אלא אוננים, *Damnatum in Synedrio non plangebant, ſed lugebant,* id eſt, intus & in corde tantùm: שאין אנינות אלא בלב, *Nam luctus non eſt niſi in corde.* Et vulgò eſt inter Judæos conceptum, quòd quò ſordidius eſt quis à Synedrio damnatus, ſepultus, & minùs defletus, eò magis ei ceſſerit in remiſſionem peccatorum. Unde *Gloſſ.* in loc. *Non plangunt eum, ut iſta vilifactio cedat ei in expiationem.*

Nobilem & Chriſtianam audaciam horum piorum qui ſepeliunt Stephanum, meritò applaudunt omnes. Meritò & explodunt ipſi qui ſepeliunt, ridiculum iſtum conceptum de expiatione per talem vilifactionem: norunt enim ſatis, expiationem peccatorum Stephani fluere ex fonte nobiliori. CAP. VIII. VERS. 5. 9.

VERS. 5. Ἐις πόλιν τῆς Σαμαρείας.

Peractâ hiſtoriâ Stephani, qui primus nominatur inter ſeptem, agitur jam res Philippi, qui ſecundus.

An ad *Sebaſten* jam ſe contulerit, an ad *Sichemum*, aut ad tertiam aliquam civitatem aliam Samaritidis, non injuſta eſt quæſtio. Quod dicitur commate hujus Capitis 14. *Audientes Apoſtoli, quòd Samaria recepiſſet verbum Dei,* de peculiari aliqua civitate congruentiùs intelligi videtur, quàm de tota religione *Samaritica.* Quænam autem iſta civitas, quæ ut Metropolis gentis ἐμφατικῶς vocatur *Samaria? Sebaſte* quidem erat ipſiſſima iſta civitas, quæ olim *Samaria.*

Benjam. in *Itiner.* שבשרת היא שומרון, *Sebaſte eſt eadem quæ Samaria, ubi & jam dignoſcitur palatium Achabi.*

Joſeph. de excid. lib. 1. cap. 16. Ἐν μὲν γε τῇ Σαμαρείτιδι, &c.

In Samaritide (Herodes) *urbem nobili muro muniens ſtadiorum viginti, & deducens illuc ſex millia colonorum, terramque pinguem iis diſtribuens, atque in mediâ urbe fanum Cæſari magnum ædificans, lucumque circa trium hemiſtadiorum diſponens,* τὸ ἄςυ Σεβαςὴν ἐκάλεσεν, *urbem vocavit Sebaſten.*

Num hæc ergo *Civitas Samariæ*, ubi jam Philippus, quia ea civitas *Samariæ?* Si obſervetur, ut civitas *Sichem* cor fuerit & ſedes regionis Samaritanæ, utque mons *Gerizim* fuerit quaſi Eccleſia Cathedralis Sectæ Samariticæ, huc forſan oculos direxeris aptiùs, cùm de *Civitate Samariæ* fit mentio, quàm quòvis aliò.

VERS. 9. Σίμων προϋπῆρχεν ἐν τῇ πόλει μαγεύων.

Si hoc in *Sichemo* inquiens, quid actum eſt de fide *Sichemitarum*, quàm ibi plantaverat ipſe Chriſtus? *Joann.* 4.

Reſponderi poſſet, (ſed tenaces in re tam obſcurâ eſſe non poſſumus) quòd elapſi jam fuerant aliquot anni ab illo tempore quo Chriſtus verſatus eſt in iſtâ urbe. Et cùm nihil miraculoſum ille illic ediderat, faciliorem illuc ingreſſum nanciſci potuit *Simon* per ſua magica.

Sed eſto, vel *Sebaſte*, vel quævis alia civitas Samaritidis, ſcena hujus hiſtoriæ, pro

Digitized by Google

CAP. VIII. VERS. 9, 13.

quonam venditavit ſe *Simon*, cum diceret ſe *μέγαν τινὰ εἶναι*? & pro quonam æſtimarunt eum Samaritæ, cum dicerent, Οὗτός ἐστιν ἡ δύναμις τοῦ Θεοῦ ἡ μεγάλη.

I. An pro *Meſſia?* Obtinet vulgo, *Simonem* fuiſſe genere Samaritanum: an verò *Meſſias* oriturus ex Samaritanis? Non indigna eſt quæſtio, an Samaritani, cùm expectarent *Meſſiam*, ut *Joann.* 4:25. expectare potuerint eum oriturum de ſanguine Samaritico? Cùm nullum articulum fidei admitterent, qui non fundaretur in libris Moſis, num hunc inde elicere potuerunt, *Meſſias oriturus eſt de Tribu Juda?* Negabit forſan Samarita, atque illud *Geneſ.* 49:10. ſic eludet, *Non recedet* quidem *ſceptrum de Juda, nec legiſlator ab inter pedes ejus, donec veniat Shiloh:* at non hoc evincit, quòd *Shiloh* de Juda oriundus, ſed quod dominium aliquod manſurum ſit apud Judam, donec *Shiloh* oriatur. Ubi obiter notatu dignum, & textum & Interpretem Samaritanum iſthòc loci pro שילה legere שלה, Jod omiſſo, & pro מבין רגליו, *ab inter pedes ejus*, textum iſtum legere מבין דגליו, *Ab inter vexilla ejus*, & Interpretem מבין דגליו, *Ab inter ordines*, aut cohortes ejus.

Figmentum illud de *Meſſia ben Joſeph*, vel *Meſſiâ ben Ephraim* (nam utrumque nomen ſortitur) utrum excogitatum originaliter fuerit à Judæis, an à Samaritanis, non facilè excogitaveris. Mentionem ejus frequentem habent Judaici Scriptores; at res ipſa ità pro Samaritanis facit, ut opinionem ab iis primùm proceſſiſſe crederes, niſi quòd occiſum tandem Meſſiam iſtum tradat, quòd Samaritani de Meſſia ſuo vix cuderent. Et Judæi forſan cuderent, ut loca de morte veri Meſſiæ loquentis eluderent.

II. Utcunque, nequitiæ ſat ſuperque erat in *Simone*, ſi venditaverit ſe pro Propheta, cùm ſeipſum benè noſſet intus & in cute. Et ſi *τινὰ μέγαν* non altius expoſueris, arrogantiæ ſatis attribueris nebuloni. Non depreſſerim ſenſum verborum iſtorum de Baptiſta, *ἔσται μέγας ἐνώπιον τοῦ Κυρίου*, *Luc.* 1:15. at ſi primo gradu ſic intelligas, *Erit Propheta coram Domino Chriſto*; & nobilem veritatem ſecum fert, & planiſſimam congruentiam cum officio Joannis. Et cùm Stephanus Moſen pro Propheta eloquatur ſub his terminis, Ἦν δυνατὸς ἐν λόγοις καὶ ἐν ἔργοις, *Actor.* 7:22. idem fortè ſonuit ἡ δύναμις τοῦ Θεοῦ ἡ μεγάλη de *Simone*, in ore & conceptu Samaritanorum.

VERS. 13. Ὁ δὲ Σίμων καὶ αὐτὸς ἐπίστευσε, &c.

Id eſt, credidit *Jeſum Nazarenum eſſe verum Meſſiam:* & ſic capax redditus eſt Baptiſmi, ut *verſu* hujus Capitis 37. & baptizatus eſt in nomine *Jeſu*, *verſ.* 16. Et jam quid tibi videtur de teipſo, ô Simon, ſi te pro Meſſia adhuc propoſueras? Audeſne etiam poſthæc te venditare pro Filio Dei? Illud quod vulgò obtinet, & quod pro reliquis eloquatur Epiphanius, τὸν πατέρα ἔλεγεν ἑαυτὸν τοῖς Σαμαρείταις, Ἰουδαίοις δὲ ἔλεγεν ἑαυτὸν εἶναι τὸν υἱὸν, blaſphemiam hominis non eloquitur ſolùm, ſed & inſaniam, quòd inter Judæos venditare ſe voluerit pro Filio Dei, cùm illi Filium Dei ullum agnoſcere nollent omnino.

CAP. VIII. VERS. 14, 19.

VERS. 14. Ἀπέστειλαν πρὸς αὐτοὺς Πέτρον καὶ Ἰωάννην, &c.

Appoſitè hîc *Epiphanius*, ubi antè, *Hæreſ.* 21. Ὁ Φίλιππος Διάκονος ὢν οὐκ εἶχεν ἐξουσίαν τῆς χειροθεσίας τοῦ δι' αὐτῆς διδόναι πνεῦμα ἅγιον. Apoſtolorum proprium erat, per impoſitionem manuum largiri Spiritum Sanctum, in donis ſcilicet ſuis extraordinariis Linguarum & Prophetiæ: nam Spiritum ſanctificationis impertierunt nunquam.

Petrus & Joannes, præter nobilem gradum quem tenuerunt inter Apoſtolos, futuri etiam erant Apoſtoli Circumciſionis in regionibus exteris.

In vivis jam erat Jacobus, Joannis frater, qui cum his duobus conſtituebat nobilem illum triumviratum ſecretioris Chriſti familiaritatis: & crederes illum etiam mittendum cum his, niſi quod hi ſufficerent, & futuro eorum muneri hoc ſit quaſi proœmium, agere cum circumciſis exteris.

Manus ſuas imponunt quibuſdam, quos miniſtros ordinandos indigitaverat iis Spiritus Sanctus; & per impoſitionem manuum largiuntur iis dona Linguarum & Prophetiæ evidenter conſpicua, ſicut dicitur: *Simon vidit, quòd per impoſitionem manuum Apoſtolorum daretur Spiritus Sanctus.*

Promotio ad Presbyteratum apud Judæos erat per triumviratum: at multo valuit magis hic duumviratus, qui ad miniſterium promovere non ſolum potuit, ſed & miniſtris promotis largiri aptitudinem & habilitatem ad munus præſtandum.

VERS. 19. Δότε κἀμοὶ τὴν ἐξουσίαν ταύτην, &c.

Falleris plurimum, ô ſceleſte, ſi concipis dona Spiritûs Sancti coëmenda atque acquirenda auro aut argento, & falleris inſuper longè magis, ſi concipis donum donandi iſta dona ſic acquirendum. Donare iſta dona Apoſtoli potuerunt: at non potuerunt donare alteri, ut ille donaret. Potuit Paulus per impoſitionem manuum largiri Timotheo dona

Lingua-

Digitized by Google

Linguarum & Prophetiæ; at non potuit largiri illi, ut ille largiretur alteri. Apoſtolorum ſolorum erat largiri iſta dona; & poſt eorum obitum evanuit iſta poteſtas & privilegium.

Facile eſt odorari, quid in animo eſſet hujus nebulonis, aucupatio ſcilicet vanæ gloriæ & lucri; aliter ſat ſuperque ei fuiſſet imploraſſe: Date etiam mihi donum Linguarum & Prophetiæ, ſicut dediſtis hiſce.

Vers. 24. Δεήθητε ὑμεῖς ὑπὲρ ἐμοῦ, &c.

Si ſeriò atque ex animo hæc protulerit, mirum eſt eum in tantum blaſphemiæ & ſcelerum prorupiſſe, quantum de eo tradit Hiſtoria Eccleſiaſtica.

Irenæ. lib. 1. cap. 20. *Et cùm adhuc magis non credidiſſet Deo, & cupidiùs intendit contendere adverſus Apoſtolos*, &c.

Euſeb. lib. 2. cap. 14. Σίμωνα μέγαν μεγάλων ἀντίπαλον τῶν θεσπεσίων Ἀποςόλων, &c.

Illum orare Apoſtolos ſeriò, ut pro eo orent, & exinde totis viribus adverſari Apoſtolis? Fel hoc amaritudinis certè, & obligatio iniquitatis.

Habes Petrum & Simonem Romæ convenientes iterum, ſi fabulæ credes, ubi volitantem in aëre Magum Apoſtolus præcipitem dat per preces ſuas, & ſic expirat Simon Magus. Si obſervatum fuiſſet, probabile eſſe Petrum & Apollonium Tyanæum uno eodemque tempore fuiſſe in Babylone, (ſi qua fides Philoſtrato) parum dubito, figmentum aliquod tale cuſum fuiſſe etiam de Petro triumphante de Apollonio.

Iſtud Juſtini Martyris de ſtatua erecta Simoni Romæ, cum hac inſcriptione, *Simoni Sancto Deo*, hallucinanter dictum eſſe indicatur à doctis, quippe quod eſſet potiùs ſtatua erecta *Simoni Sango Deo*. Vereor nè talis hallucinatio ſit de Cathedra *Petri* erecta Romæ, qualis de ſtatua *Simonis* erecta Romæ.

Vers. 26. Εἰς Γάζαν· αὕτη ἐςὶν ἔρημος.

Cujuſnam Authoris eſt iſta clauſula, Αὕτη ἐςὶν ἔρημος, an Angeli, an Hiſtoriographi? Docet quidem *Strabo*, lib. 16. quòd *Gaza olim civitas nobilis, exciſa fuit per Alexandrum*, καὶ μένουσα ἔρημος, *& manſit deſerta*: at quare illud additur hoc in loco, & à quonam? Dixerim ab Angelo, atque ideo additum, quòd fuerit altera *Gaza*, eaque non longè admodum diſtans à loco ubi jam Philippus, in Tribu ſcilicet Ephraïmitica, 1 *Paralip*. 7:28. שכם ובנותיה עד עזה ובנותיה, *Shechem cum filiabus ſuis ad Gazam & filias ſuas*, habitatio filiorum Ephraïm. Ecce Gazam Ephraïmiticam; Philippo autem eundum eſt ad Gazam Philiſtæorum.

Vers. 27. Κανδάκης τῆς βασιλίσσης Αἰθιόπων.

In Tractatu quodam Gallico nuper edito, cui titulus *Hiſtoire de la haute Ethiopie*, pag. 15. numerantur & nominantur Reges Æthiopum, omiſſa tamen Candace. Verùm hoc de re iſta in fine animadverſum: *Dans cette Chronologie il n'eſt point parlé ni de la Reine Candace, ni de l'Imperatrice Helene. Les Abyſſins, non plus que les Juifs, ne nomment les femmes dans leurs genealogies; & cela leur eſt commun avec tous les Orientaux.*

Fuiſſe autem Candacem quandam Reginam Æthiopum, imò plures iſtius nominis Reginas, tàm planum eſt apud Plinium & Strabonem, ut inane eſſet *Candacem* hanc noſtram alibi quærere. *Regni caput erat Meroë*, inquit Strabo, *urbs ejuſdem cum inſula nominis*. Inſula autem ſit Meroë regio, à Nilo fluvio ab occaſu affluente, & ab Aſtabora fluvio, qui eſt à parte Orientali, *Ptol*. tab. 4. Africæ.

Si Eunuchus hic noſter ab ipſa Meroë venerit, recognoſce illud *Zephan*. 3:10. *Ultra flumina Æthiopiæ inde ſupplices mei*, &c. A quacunque tandem parte imperii Candaces venerit, & quâcunque tandem viâ perrexerit, & illud de eo potuit eſſe verum, & longiſſimum emenſus eſt iter, antequam Hieroſolymam appelleret. Interpres autem Æthiopicus iter abbreviavit, dum præfectum civitati Gazæ eum facit; ὃς ἦν ἐπὶ πάσης τῆς γάζης αὐτῆς ſic interpretans.

Promptum mihi eſt ſuſpicari, devotum hunc Hieroſolymam adiiſſe pari affectu, quo illi ab omnibus regionibus, *Actor*. 2. ductum nempè per Prophetiam Danielis, quæ circa hæc tempora revelationem Meſſiæ futuram prænuntiaverat. Et mirari ſubit, quòd ille de Jeſu nihil inaudiverit, dum eſſet Hieroſolymis: aut forſan illud quod de eo audiverat, eum movet, ut Scripturam iſtam apud *Eſajam* meditetur?

Ubi jam Apoſtoli & reliqui de ſancto iſto choro & collegio, ut dimittendus ſit vir tantus & tantæ devotionis non inſtructus & ſatisfactus de Domino Jeſu? Num poſſibile eſt, ut ille hiſtoriam de morte & reſurrectione ejus ignoraret in urbe verſans, quamvis adhuc non crederet? Sed reſervata eſt ejus inſtructio & converſio peculiari cuidam miraculo, & celebriori famæ.

Vers. 32. Ὡς πρόβατον ἐπὶ σφαγὴν ἤχθη, &c.

Exprimitur hic quidem textus *Eſajæ* ſecundùm Verſionem Græcam: aſt an iſtâ Verſione uſus fuerit Eunuchus, meritò dubitatur: ut

Digitized by Google

CAP. VIII. VERS. 32, 33.

ut &, an illic Judæus fuerit, an Proſelytus factus, an merè Gentilis: an Eunuchus proprio ſenſu, an latiori: de quibus non diſquirendum, quia nullibi ſolvuntur.

Obvia magis eſt pervicacia Judæorum, qui ut plaga hæc de paſſione Meſſiæ eludant, totum hujus Capituli animum aliò divertunt.

Obtinet maximè apud eos, ut populus Iſraëliticus afflictus ſit ſubjectum hujus Prophetiæ: quamvis ſint quidam qui partem aliquam applicent ad *Jeremiam*: quidam partem aliquam ad *R. Judam Sanctum*; imo quidam partem aliquam ad ipſum Meſſiam, caventes interim ne mortem ejus admittant. Tædio eſſet nugas & eluſiones eorum referre.

Quęro potiùs, ad quemnam Interpretes Græci hæc applicant? Num illi planè & ſincerè hæc intellexerunt de paſſione & morte Meſſiæ? Reſpondeant illi, qui eos Spiritu Sancto afflatos eſſe volunt. Si itâ afflati, non potuerunt non aſſequi ſenſum & ſcopum Scripturę, æque ac ſignificationem Grammaticam vocabulorum; & non potuerunt non hic recognoſcere, Prophetam agere de Meſſia afflicto, patiente, moriente, ſepulto, &c.

Si itâ, ſtupendum eſt tàm diram, pertinacem atque obſtinatam negationem mortis Meſſiæ totam gentem invadere potuiſſe. Quid? Septuaginta duos Doctores & Ductores populi, eoſque divino numine afflatos, planè videre paſſionem & mortem Meſſiæ hoc in Capite prænuntiatam, eoſque hanc doctrinam non ſpargere in populo, & tradere & traducere poſteris? Quod ſi fecerunt, unde irrepſit horrenda illa in tota gente averſatio à tali doctrina? Si autem non fecerunt, execrandi illi paſtores populi, qui articulum fidei tàm nobilem, tàm neceſſarium celare voluerunt, & non impertire.

Sic celeberrimam iſtam Prophetiam de Chriſto, *Eſaj.* 9:6. applicat vulgo gens Judaica ad *Hezechiam*; & vereor ne Gręci Interpretes eodem etiam nutent. Clauſula iſta, Ἄξω ὑγίειαν αὐτῷ, ſuſpicionem movet.

VERS. 33. Ἐν τῇ ταπεινώσει αὐτοῦ ἡ κρίσις αὐτοῦ ἤρθη.

Hebræa ſic: מעצר וממשפט לקח. Gręci autem Interpretes ſic legerunt: מעצנו ממשפט לקח. Si vocem עצר in eundem ſenſum reddas cum נעצר לפני יהוה, 1 *Sam.* 21:8. *Doëg* (per devotionem: vid. *Kimch.*) *detentus eſt coram Domino*, demonſtratur injuria facta Chriſto eò magis. Raptatus ille eſt à loco devotionis & opere, & raptatus à loco judicii, ut nec in illo tutus eſſe potuerit, nec in hoc juſtum judicium obtinere. Nemo novit quid ſit עצרה, & quam affinitatem עצר habere poſſit, nemo non videt.

CAP. VIII. VERS. 33. 40. CAP. IX. VERS. 2.

Τὴν δὲ γενεὰν αὐτοῦ τίς διηγήσεται.

Id eſt, Quis nequitiam generationis in qua ille vixit, atque à qua talia eſt paſſus, poteſt enarrare? Frequentia ſunt hæc & hujuſmodi apud ipſos Judæos.

Midr. Schir, fol. 17. 3. *In generatione, in qua Filius Davidis veniet, Synagoga erit lupanar, Galilæa deſtruetur, & Gablan deſolabitur.--- Sapientia Scribarum putreſcet, viri boni & miſericordes deficient, & deficiet ipſa veritas, & facies iſtius generationis erunt ſicut facies canum.--- R. Levi dicit: Filius Davidis non veniet niſi in generatione in qua facies erunt impudentes, & quæ meretur excidium. Dicit R. Jannai: Cùm videris generationem poſt generationem convitiantem & blaſphemantem, tum expecta pedes* (adventum) *Regis Meſſiæ*.

Perlecto Paraphraſtâ Chaldæo in *Eſaj.* 53. videre licet aliquam frontem faciebus antedictis non diſſimilem. Eâ enim impudentiâ & perverſitate verba Prophetæ à proprio eorum ſenſu torquet, ut mirum fuerit, ſi conſcientia ejus, dum ſcriberet, aurem non velleret.

VERS. 40. Φίλιππος δὲ εὑρέθη εἰς Ἄζωτον.

Si res hæc acta Gazæ, vel prope eam, erant inde ad Azotum 270. ſtad. vel XXXIV. M. P. vel circiter, *Diod. Sicul.* lib. 19. Et erat Azotus duobus milliaribus, ut videtur, diſtans à Jamnia, ſecundùm computum *Anton. Itiner.* A Gaza ad Aſcalona 16. M. paſſ. Ab Aſcalone ad Jamniam 20. M. P.

Mentio eſt cujuſdam רבא פליפי, *Rabba Philippi*, (ut videtur) *Hieroſ. Megill.* fol. 70. 2.

CAP. IX.

VERS. 2. Ἠτήσατο παρ' αὐτοῦ (Ἀρχιερέως) ἐπιστολὰς εἰς Δαμασκόν.

HÆ literæ erant totius Synedrii, *Cap.* 22:5. cujus caput jam erat Gamaliel Pauli Magiſter: aſcribuntur tamen illæ Pontifici, utpote exiſtenti ordinis & gradûs dignioris, quàm erat Præſes Synedrii. Emphaſin habet illud *Cap.* 23:4. Τὸν Ἀρχιερέα τοῦ Θεοῦ, & conceptum gentis de Summo Pontifice eloquitur; nempe quòd eſſet ille *Officiarius Dei*, Præſes autem Synedrii Officiarius populi, atque electus ab hominibus. Munus Pontificis erat curare de ſacris; munus Præſidis peculiare, curare de traditionibus: erat enim ille מקבל, cuſtos & ſcrinium traditionum.

At

Digitized by Google

CAP. IX. VERS. 5.

At ſuſcitant verba, quæ tractamus, quæſtionem nodoſiorem: An ſcilicet decreta Synedrii authoritativè valerent inter Judæos in regionibus extraneis? De Damaſco minùs ſcrupuli, quippe quòd Syria in quamplurimis æſtimaretur ejuſdem claſſis & rationis cum terrâ Iſraëliticâ. At quidnam quoad regiones remotiores? Ex Ægypto & Babylone ſumatur inſtantia, ubi numeroſiſſima Judæorum multitudo præ omnibus aliis orbis terrarum regionibus.

I. Non erat vel hîc vel illîc, nec quidem ullibi terrarum, Synedrium Septuaginta virorum, præterquam Hieroſolymitanum. Celeberrimæ erant Academiæ in Babylone, Nehardeenſis, Sorana & Pombedithana; at Synedrium nullibi. Celeberrima etiam Eccleſia Cathedralis Alexandriæ, in qua 70. cathedræ pompoſæ; at Eccleſia tantùm, non Synedrium, *Hieroſ. Succah*, fol. 55. 1.

II. Quâ veneratione apud omnes ubique Judæos fuerit Synedrium Hieroſolymitanum, ex hoc ſatis conjici poteſt, quòd ab eo prodierit regula & determinatio de emboliſmo anni, de initio anni, & ſtatuto tempore feſtorum, &c. ut & quòd habitum ſit illud pro arca & cuſtode legis oralis.

III. Judicium capitis in re heterodoxiæ & hæreſis pertinuit ſolùm ad Synedrium Hieroſolymitanum: & talis res jam agitur. Mittendi ſunt Chriſtiani à Synagogis vincti Hieroſolymam, ut niſi fidem abnegent, capite plectantur. Flagellare eos Synagogæ potuerunt per Triumviratum ſuum; at non decernere de capite. Et non aliter extinguendum Chriſtianiſmum autumant hi boni, niſi per necem Chriſtianorum.

IV. Sive igitur mandatoriæ forent hæ literæ, ſive ſuaſoriæ tantùm, norunt ſatis Patres Synedrii, eo odio in Chriſtianiſmum incaleſcere Synagogas, ut promptiſſimè, quod optatum, peragerent. Ubi obiter notare licet, Judicium in rebus capitalibus non adhuc abreptum eſſe è manibus Synedrii.

Exemplar Epiſtolæ à Synedrio ad Babylonicos, & alterius ab eodem ad Alexandrinos miſſæ, alibi exhibuimus.

VERS. 5. Σκληρόν σοι πρὸς κέντρα λακτίζειν.

Syr. קשא הו לך למבעטו לעוקסא, Omnibus notum בעט ſignificare *calcitrare*, ex *Deuter*. 32:15. & 1 *Sam*. 2:29. & quid *calcitrare* hiſce in locis denotet, æquè notum.

Hieroſ. Shabb. fol. 11. 1. *R. Bibai ſedit, & docuit*. --- *R. Iſaac ben Cahna* בעט ביה, *calcitravit in eum.*

CAP. IX. VERS. 7, 12.

VERS. 7. Ἀκούοντες μὲν τῆς φωνῆς, &c.

At *Cap*. 22:9. Τὴν δὲ φωνὴν οὐκ ἤκουσαν τοῦ λαλοῦντός μοι.

Audierunt קול, *vocem*, ſed non audiverunt דבר, *verba*. Sic diſtinguitur *Bemidbar Rabba*, fol. 163. 1. *Inde ego te alloquar. Tecum erit verbum; at non cum omnibus iis erit verbum:* יכול לא היו שומעין את הדבר, *forſan non audiverunt verba*, אבל היו שומעין את הקול, *verùm audiverunt vocem.*

Μηδένα δὲ θεωροῦντες.

An verò Paulus ipſe eum vidit? Vid. *verſ*. 17. Ἰησοῦς ὁ ὀφθείς σοι ἐν τῇ ὁδῷ, & *verſ*. 27. Ἐν τῇ ὁδῷ εἶδε τὸν Κύριον. 1 *Cor*. 9: 1. Οὐχὶ Ἰησοῦν Χριστὸν τὸν Κύριον ἡμῶν ἑώρακα; & *Cap*. 15:8. Ὤφθη κἀμοὶ, &c. An perſonam verò Chriſti vidit, an gloriam tantùm? Dixerim utramque: & ſic nobiliorem Chriſti viſionem obtinuiſſe illum, quàm reliquos Apoſtolos, utpote Chriſtum vidiſſe glorificatum, quod non illi. An verò oculis corporis? an, ut *Eſajas*, *Cap*. 6: 1. in viſione tantum? diſputet qui velit.

De Damaſco, ſcenâ hiſtoriæ hujus, adducamus illud *Zachar*. 9: 1. *Onus verbi Domini in terram Hadrach & Damaſci requiei ejus*, &c. Ubi Targ. *Damaſcus erit requies ejus: id eſt, habitatio gloriæ ſuæ & Prophetiæ ſuæ*, &c. quæ an huc pertineant, ſub judice eſto. Prætereundum tamen non eſt, converſorem Gentilium Paulum vocatum eſſe ad Apoſtolatum, eique apparere Chriſtum in regione, & tantùm non in urbe gentilitia.

Dicit ipſe Paulus, vocem hanc cœlitus demiſſam locutam fuiſſe Ἑβραΐδι διαλέκτῳ, *Cap*. 26: 14. de qua re Lucas ſilet: ut de iſtis quæ Paulus ibi, *verſ*. 16, 17, 18.

VERS. 12. Ἐπιθέντα αὐτῷ χεῖρα ὅπως ἀναβλέψῃ.

Addit autem ipſe Ananias *verſ*. 17. Ὅπως ἀναβλέψῃς, καὶ πλησθῇς πνεύματος ἁγίου. An verò potuit Ananias donare Spiritum Sanctum? Hoc proprium Apoſtolorum privilegium; & Diſcipulum privatum ſic dotare Apoſtolum? Num ab hâc impoſitione manuum donum ei Linguarum & Prophetiæ? Hoc eſt Apoſtolum noſtrum ſtatuere infra miniſtros ordinarios, qui hæc dona acceperunt per impoſitionem manuum Apoſtolorum; & Apoſtolum hæc accipere per impoſitionem manuum non Apoſtoli. Non vulgare erat, Apoſtolum baptizari per non Apoſtolum, & mirandum eſſet, ſi & majora per talem ſuperaddantur Apoſtolo.

Quæra

Digitized by Google

CAP.XII. VERS. 2,7.

Quæras meritò, quiſnam baptizarit reliquos Apoſtolos, cùm Jeſus ipſe non baptizaret, *Joann.* 4: 2. *Jeſus ipſe non baptizavit, ſed Diſcipuli ejus:* quiſnam ergò baptizavit Diſcipulos iſtos baptizantes? Dicat Pontificius: quis baptizavit Petrum? Dixerim ego, Joannes Baptiſta. An putas autem Petrum rebaptizatum? Si ità, à quonam, cùm Jeſus ipſe non baptizaret?

C A P. XII.

VERS. 2. Ἀνεῖλε δὲ Ἰάκωβον μαχαίρᾳ.

VOcatur hoc genus mortis הרג, *Occiſio.*

Sanhedr. fol. 49. 2. *Quatuor genera mortis tradita ſunt in manus Synedrii, Lapidatio* סקילה, *Uſtulatio* שריפה, *Occiſio* הרג, *Strangulatio* חנק.

Ibid. fol. 52. 2. *Præceptum de* נהרגין, *occidendus, hoc eſt,* היו מתיזין את ראשו בסייף, *Decapitarunt eum gladio, prout Regnum* (Romanum) *facit. R. Judah dicit: Turpe hoc illi; verùm reponunt caput ejus in truncum, atque amputant ſecuri. Regerunt alii: Non eſt mors ulla hâc turpior.*

Imitari dicas Herodem (Agrippam) morem Romanum, utpote cui relatio non modica ad Romam: aſt adhibita etiam eſt decapitatio per gladium in eos qui populum traduxerunt ad cultum alienum, etiam apud Judæos inter ſe.

Ibid. fol. 111. 2. *Si ſint pauciores, qui ſeducunt ad cultum alienum, lapidantur, & opes eorum non rediguntur in fiſcum: ſi verò plures, moriuntur per gladium, & opes eorum rediguntur in fiſcum.*

Jacobus quidem erat unus tantùm: at novit Herodes eſſe Petrum etiam, aliosque plures, qui, ipſo judice, מדיחין impellerent populum ad cultum irreligioſum; & cum Jacobo agit, ſicut acturus erat cum aliis. Sic cadit Jacobus, ut confiſcantur bona ejus, & ſic adimpleri incipit illud, quod dixerat Salvator olim Zebedæanis: *Calicem meum bibetis,* &c.

Hieroſ. Sanhedr. fol. 29. 4. *Dicunt Rabbini: Gravior eſt Occiſio,* (per gladium) *quàm ſtrangulatio.*

VERS. 7. Αἱ ἁλύσεις ἐκ τῶν χειρῶν.

Fallor, aut Hieroſolymitani exprimunt Ἁλύσεις τῶν χειρῶν per כירו מניקיא, *Chiromanicas.*

Hieroſ. Sanhedr. fol. 28. 3. *Scribitur: Et locutus eſt Dominus ad Manaſſen Regem, atque ad populum ejus: verùm illi non auſcultarunt. Ille ergò induxit in eos principes exercitûs Regis Aſſur, qui prehenderunt Manaſſen* בחחים. *Quid autem ſibi vult* בחחים? בכירו מניקיא, *in Chiromanicis.*

CAP.XII. VERS. 15, 20.

Targum, 2. *Paralip.* 33. ſic reddit ואחדו ית מנשה בכירו מנקייה. Ubi ſuſpicor vocem כידו malè ſcriptam pro כירו, lubentiſſimè corrigendus, ſi halluciner.

In verbis iſtis Salvatoris: *Conſtringite ſervum inutilem manibus pedibusque,* facile eſt videre, ut alluſum ſit ad manicas compedeſque.

VERS. 15. Ὁ ἄγγελος αὐτοῦ ἐστιν.

Id eſt, Angelus in ejus ſpecie: nam receptum vulgò, Angelos induiſſe aliquando formam hujus aut illius hominis.

Debarim Rabba, fol. 290. 4. *Scriptum eſt: Liberavit me à gladio Pharaonis. Bar Kaphra dicit:* מלאך ירד בדמות משה והבריחו, *Angelus deſcendit in ſimilitudine Moſis, & fugere fecit eum.* והיו סבורין במלאך שמשה הוא, *Illi autem qui venerunt ut apprehenderent Moſen, putarunt Angelum eſſe Moſen.*

Gloſſ. *Angelus ad fugam expedivit Moſen, ità ut illi qui Moſen quærerent, parùm de eo eſſent ſolliciti; arbitrati enim ſunt Angelum eſſe Moſen.*

Midras Coheleth, fol. 87. 4. *Dicit Sanctus Benedictus: Lætitiæ dixi, Quidnam hæc agit? Quidnam agit hæc corona in manu tua? Deſcendit Angelus* ברמותו של שלמה, *in ſpecie Solomonis, atque inſedit in throno ejus.*

Notum ſatis, ut Judaici Scriptores Eliam æſtiment pro *Angelo Fœderis, Malach.* 3: 1. & quoties habes Eliam apparentem in ſpecie hujus aut illius hominis?

Sanhedr. fol. 109. 1. *Venit Elias,* ואדמי להו כחד מיניהו; *ac viſus eſt iis, ac ſi unus eorum eſſet.*

Hieroſ. Kilaim, fol. 32. 2. עאל אליהו לגביה בדמות ר׳ חיה רובה, *Die quodam venit Elias ad R. Judam Sanctum in ſpecie R. Chaijæ Rubbæ,* &c. *tactis ejus dentibus, ſanavit eorum dolorem. Poſtero die acceſſit ad eum R. Chajah Rubbah, & dixit: Ut valet Rabbi, ut valent dentes? Cui ille: Ex eo tempore quo tu digitos tuos in eos indidiſti, convaluerunt.*

VERS. 20. Διὰ τὸ τρέφεσθαι αὐτῶν τὴν χώραν ἀπὸ τῆς βασιλικῆς.

Huc adducas illud *Ezech.* 27: 17. *Juda & terra Iſraël* (ô Tyre) *erant inſtitores tui in tritico Minnith & Pannag, & mel & oleum & reſinam dederunt in mercatu tuo.* Sic Lat. Interlin. & Vernac. noſtra, & Itala. Alii autem Interpretes faciunt *Minnith* & *Pannag* non loca, ſed ipſas mercaturas. Syr. Arab. Græc. & Chald. ſpeciatim, qui verba ſic reddidit, ut fateantur ipſi *RR. Solom.* & *Kimchi* ſe non ſatis ſcire quid velit. *De Minnith* mentio *Judic.* 11: 33. pro quâ

Digitized by Google

CAP. XII. VERS. 23. quâ Syr. habet *Makir*, ratione ignotâ, & Græc. *Arnon*, ratione nullâ. De *Pannag* alibi ſilentium. Quicquid ſit, indicant verba Prophetæ, idem quod hîc Lucas; & ſuffragantur
CAP. XIII. VERS. 1. iſta, 1 *Reg.* 5: 11.

VERS. 23. Γενόμενος σκωληκόβρωτος ἐξέψυξεν.

Parciùs hîc Joſephus, Ἄθρουν δὲ αὐτῷ τῆς κοιλίας προσέφυσεν ἄλγημα. De torminibus ventris ſolùm loquens, & cauſam ſupprimens: atque hoc, ut videtur, non ſolum ut dedecus Regis contegeret, ſed ut decoris aliquid adderet. Nam confer illud *Shabb.* fol. 118. 2. רובן של צדיקים מתים בחולי מעיים, *Plurimi juſtorum mortui ſunt ex ægritudine inteſtinorum.*

E contra verò vermibus corrodi dirum habitum, & non niſi nequiſſimorum.

Sotah, fol. 35. 1. Exploratores terræ promiſſæ, qui malam famam de ea excitarunt, *habuerunt linguas ſuas prominentes & decidentes in umbilicum eorum:* היו תולעות יוצאות מלשונם, *& vermes ebullierunt ex eorum linguis, atque irrepſerunt in umbilicum, atque ebullierunt ex umbilico, atque irrepſerunt in linguam.*

Hieroſ. Joma, fol. 39. 1. *Sacerdos quidam* (Baithuſæus videtur) *ſuffitum fecit ab extrà, atque introduxit ad intrà.---- Sunt quidam, qui dicunt*, יצא חוטמו מונק תולעים, *quòd prominuit naſus ejus ſcatens vermibus, & quòd aliquid ſimile ungulæ vituli naſceretur in fronte ejus.*

CAP. XIII.

VERS. 1. Ἦσαν δέ τινες ἐν Ἀντιοχείᾳ κατὰ τὴν οὖσαν ἐκκλησίαν, &c.

COnferantur iſta *Cap.* 11: 27. & nec vox τινες videbitur redundare, nec phraſiologia καὶ τὴν οὖσαν ἐκκλησίαν, videbitur aſperior. *Deſcenderunt Prophetæ quidam Hieroſolymis Antiochiam*, cùm tamen in Eccleſia Antiochenſi jam forent Prophetæ de propriis. Et innui videtur, ſeparationem *Pauli* & *Barnabæ* ad Miniſterium, factam fuiſſe à miniſtris iſtius Eccleſiæ ſtatis, non ab aliis nuper adventantibus.

Προφῆται καὶ Διδάσκαλοι.

Diſtinguuntur quidem hæc munera, 1 *Cor.* 12: 28. *Epheſ.* 4: 11. aſt hîc, ut videtur, non diſtinguenda. Nam ad id maturitatis nondum adhuc pervenerat Eccleſia Antiochena, ut producere poſſet Doctores, qui non imbuti eſſent Spiritu Sancto & dono Prophetico. Et phraſiologia καὶ τὴν οὖσαν ἐκκλησίαν, videtur tale quid innuere, nempe quòd ſecundùm Eccleſiam tunc ibi exiſtentem erant, imò neceſſe erat ut eſſent Doctores Prophetici, quippe quòd adhuc non foret, qui ex ſtudio Scripturarum iſti muneri idoneus evaderet. Quare ergò non dicitur potiùs Διδάσκαλοι προφητικοί, quàm Προφῆται καὶ Διδάσκαλοι? Nempe quia erant Prophetæ, qui non eſſent vulgares concionatores, ſed actitarunt in munere ſuo Prophetico occaſionaliter tantùm; erantque qui futura prædicerent magis, quàm vulgariter prædicarent, aut catechiſticè docerent. Aſt hi & Prophetæ & aſſidui concionatores.

Μαναήν τε Ἡρώδου τοῦ τετράρχου σύντροφος.

Sic *Menahem* ſcribitur in Cod. Alexandrino, 2 *Reg.* 15. Μαναήν, ubi Rom. habet Μαναήμ. Hujus noſtri educatio cum Herode Tetrarchâ non in mentem revocare non poteſt illud quod refertur,

Juchaſin, fol. 29. 1. *Hillel & Shammai traditiones acceperunt ab iis* (Shamajah & Abtalione.) *At priùs fuerant Hillel & Menahem. Verùm Menahem receſſit, & famulitium Regis* עם שמנים אנשים לבושים זהב, *cum octoginta viris auro veſtitis.--- Erat autem Menahem grandis ſapiens, ad inſtar Prophetæ, & multa vaticinia edidit. Prædixit Herodi, cùm adhuc ille minorennis eſſet, ipſum regnaturum. Cùmque ille regnaret, accerſivit eum, qui & ei prædixit, ipſum regnaturum plus quàm triginta annos. Regnavit autem ille annis* 37.

Paria Joſephus, (quem & hic noſter citat) quoad partem hiſtoriæ,

Antiquit. lib. 15. cap. 13. *Erat de Eſſenis quidam nomine Menaëmus, qui, præterquam quòd erat ob vitæ ſanctimoniam celebris, præſcientiam futurorum adeptus eſt à Deo. Ille Herodem adhuc puerum vocavit Regem Judæorum*, &c.

Nec credimus *Menaëmum* hunc noſtrum eundem fuiſſe, nec dicimus eum fuiſſe iſtius filium, (nam num Eſſenis filii?) cùm tamen iſte alter tam acceptus fuerit in aula Herodis magni, atque hic noſter educatus cum Herode ejus filio, cognationem aliquam hujus ad illum non poſſumus non ſuſpicari. Sed res iſta non tanti eſt; at meditatione tamen digna, an fundamenta religionis ſuæ Euangelicæ non jecerit Menachemus hic noſter in aula Herodis Tetrarchæ, dum concionaretur illic Joannes Baptiſta, idque cum approbatione atque applauſu aliquali ipſius Herodis, *Marc.* 6: 20.

Quoad reliquam hiſtoriæ partem, ſic Talmudici in

Chagigah, fol. 16. 2. יצא מנחם ונכנס שמאי, *Exiit Menahem, atque intravit Shammai. At quònam abiit Menahem? Abai dicit*: יצא לתרבות רעה, *Prorupit in omnem abundantiam nequitiæ. Aba dicit: Abiit ad famulitium Regis. Sic etiam eſt traditio: Abiit*

Menahem in famulitium Regis, atque abierunt cùm eo octoginta paria Diſcipulorum amictum ſerico.

Dicere non audemus, *Menachemum* hunc noſtrum eundem fuiſſe cum iſto *Menahemo*, niſi centenarius jam eſſet aut circiter; & tamen cùm obſervamus familiaritatem quæ interceſſit inter Menahemum iſtum & Herodem patrem, atque ut educatus fuerit hic noſter cum Herode filio, (nam non inaniter additum eſt illud ab hiſtoriographo ſacro,) ſuſpicionem vel levem ciere poteſt, hunc noſtrum eſſe eundem; vel gravem, quòd hic noſter fuerit iſtius filius, (ſi modò Eſſenis filii) vel cognatione propinquus. Eſto hoc vel illud, quærere eſt, an *Manaën* hic noſter Euangelicæ ſuæ religionis fundamenta non jecerit in aula Herodis Tetrarchæ, dum concionaretur illîc Joannes Baptiſta?

VERS. 2. Λειτουργούντων δὲ αὐτῶν τῷ Κυρίῳ, καὶ νηστευόντων.

I. Religioſiores inter Judæos die ſecundo & quinto hebdomadæ jejunarunt, & convenerunt in Synagogis ad publicas preces & Liturgiam: unde bene de iis dici potuit, quòd iſtis diebus ἐλειτούργουν καὶ ἐνήστευον. Die Sabbatico ἐλειτούργουν quidem, ſed non ἐνήστευον, aſt diebus iſtis ſecundo & quinto, utrumque.

II. Audacius fortè foret dicere, Eccleſiam Antiochenam jejunia hebdomadalia obſervaſſe pro more Judæorum. Et adhuc audacius, dicere eam ſibi elegiſſe dies jejunandi, quos Judæi, ſecundum hebdomadæ & quintum. Audaciſſimum, conjectare eam Sabbatum Judaicum obſervaſſe aliquatenus cum Die Dominicâ, idque cum jejunio, cùm Judæi nullo modo tolerarent jejunium iſto die. At quicunque tandem fuerit dies hujus jejunii, vel quæcunque occaſio ex vulgari iſto Judæorum more, facile eſt de phraſiologiâ Λειτουργούντων judicare: nempè quòd celebratum eſt publicum jejunium cum publicâ conventione Eccleſiæ & ſacrorum adminiſtratione; quod quæras an ità factum *verſ.* 3.. ubi dicitur: Τότε νηστεύσαντες καὶ προσευξάμενοι. An ſcilicet tunc temporis publicum jejunium totius Eccleſiæ, an privatius Seniorum tantùm?

VERS. 3. Ἐπιθέντες τὰς χεῖρας αὐτοῖς, &c.

Sanhedr. cap. 1. hal. 3. סמיכת זקנים ועריפת עגלה בשלשה, *Ordinatio Presbyterorum, & decapitatio vaccæ, eſt per triumviratum.*

In hac ergo re congruit hæc actio cum more in Synagoga uſitato, quòd *tres*, Simeon, Lucius, Manaën, duobus emittendis Paulo & Barnabæ imponunt manus. At quòd *imponunt manus*, recedunt etiam à more uſitato.

Maimon. Sanhedr. cap. 4. *Quonam modo eſt ordinatio Presbyterorum per ſecula? Non ut imponant manus ſuper caput Presbyteri, ſed ut vocent eum Rabbi, & dicant ei: Ecce tu es ordinatus, & eſt tibi poteſtas judicandi*, &c. *Ab antiquo unuſquiſque qui erat promotus ad Presbyteratum, promovit etiam Diſcipulos ſuos. Verùm ſapientes hunc honorem indulſerunt Hilleli ſeni, ſtatuentes ſcil. nè quiſquam ordinetur ad Presbyteratum, niſi licentiâ Præſidis. At nec ipſe Præſes ordinet quempiam, niſi adſit cum eo Vice-Præfectus, nec Vice-Præfectus, niſi adſit Præſes. At quod ad reliquas ſocietates attinet, licet uni homini ordinare cum permiſſu Præſidis: aſt adſint cum eo duo alii; nam non eſt ordinatio niſi per tres, nec ordinant Presbyteros extra terram.*

Quare abdicaverint impoſitionem manuum, non indignum eſt ſcrutinio, ſi eſſet hujus loci; ut &, quare reſtringant ordinationem Presbyterorum ad terram Iſraëliticam ſolùm. Aliter, ut vides, agit Eccleſia Antiochena, & pari normâ Eccleſia Chriſtiana. At quærat quis forſan, quâ ratione? cùm impoſitio manuum in promotione Presbyterorum vix uſitata foret vel ſub Templo primo, aut antè, vel ſub Templo ſecundo. Non ſub Templo ſecundo, ſi fides Rabbino allegato; aut ſaltem ſi quando uſitata, abdicata tandem. Atque ante Templum ſecundum, ubinam talis rei vel vola vel veſtigium?

VERS. 4. Κατῆλθον εἰς τὴν Σελεύκειαν.

Eſt hæc abſque dubio *Seleucia Pieriæ*. De quâ

Strabo, lib. 14. Μετὰ δὲ τὴν Κιλικίαν πρώτη πόλις ἐστὶ τῶν Σύρων Σελεύκεια, ἡ ἐν Πιερίᾳ, καὶ πλησίον Ὀρόντης ἐκδίδωσι ποταμός. *Poſt Ciliciam prima urbs Syriæ eſt Seleucia, quæ in Pieria dicitur.* Sic interpretatur Xylander omiſſa penitùs verſione clauſulæ poſtremæ, quæ innuit, *Orontem* fluvium non longè abhinc ſe in mare effundere. Cui ſuffragantur ſitus & ſpatia apud *Ptol.*

Seleucia Pieriæ 68. 36. 35. 26.

Orontis fluvii oſtia 68. 30. 35. 30.

Plinio etiam Seleucia Pieriæ & prima ora Syriæ à Cilicia:

Nat. Hiſt. lib. 5. cap. 12. *Latitudo* (Syriæ) *à Seleucia Pieriæ, ad oppidum in Euphrate Zeugma*, D. xxv. M. P.

Ἀπέπλευσαν εἰς τὴν Κύπρον.

Qualis turba Judæorum jam fuerit in Cypro, conjice aliquantum à temporibus Trajani retro ex hac ſcilicet hiſtoria.

Dion. Caſſ. in vitâ Trajani: Ἐν τούτῳ οἱ κατὰ Κυρήνην Ἰουδαῖοι, &c.

Interim Judæi, qui circa Cyrenen habitabant,

Digitized by Google

CAP. XIII. VERS. 6, 8.

bant, Andreâ quodam duce, Romanos pariter atque Græcos concidunt, veſcunturque eorum carnibus, eduntque viſcera; tùm oblinuntur eorum ſanguine, & pellibus induuntur. Multos à vertice ſerris diſcidere medios, multos objecere beſtiis, multos etiam certare inter ſe coëgerunt, ità ut interierint hominum ad ducenta viginti millia.

In Ægypto & Cypro conſimilia quædam perpetrarunt, duce (Cypriorum) *Artemione, ubi deſiderata ſunt hominum ducenta quadraginta millia. Ex quo fit, ut Judæo in Cyprum venire non liceat. Quòd ſi fortè vi tempeſtatis in inſulam appulerit, interficitur. Sed Judæi & ab aliis, & maximè à Lucio, quem Trajanus miſerat, ſubacti ſunt.*

VERS. 6. Ὧ ὄνομα Βαριησοῦς.

VERS. 8. Ἐλύμας ὁ μάγος, οὕτω γὰρ μεθερμηνεύεται τὸ ὄνομα αὐτοῦ.

I. Quærendum, an Ἰησοῦ in Βαριησοῦς, ſit nomen proprium, an appellativum. In Interprete Arab. in Bibl. Polyglot. ſcribitur ut nomen proprium ישוע. Aſt in Arab. editionis Erpen. ut nomen appellativum יאסוס. Et ſub eadem notione vocem ſumit Syrus, qui pro *Bar Jeſu* habet בר שומא, *Bar Shuma*, id eſt, *Filius nominis*, ut vult Beza: ſed veriùs, *Filius tumoris* vel *vulneris*. Nam שומא & סומא eſt *tumor* aut *puſtula* Targumiſtis *Jonath.* & *Hieroſ.* in *Levit.* 13:2. & שומתא Syro. Sic & חבורה, *Vulnus*, ab eo redditur שומרא, *Eſaj.* 1:6. & 53:5. Et certè *Elymas* nullo modo poteſt eſſe interpretatio τοῦ *Barieſus*, ſi *Jeſus* ſit nomen proprium, præſertim ſi ſcribendum ישוע.

II. *Barieſus* ergò ego ſic Hebræis literis ſcripſerim בר יעשוש, voce à עשש derivata, quæ ſignificat *contabeſcere*, vel morbo corrodi, ut *Pſalm.* 6:8. & 31:10. עששה מכעס עיני, *Contabeſcit*, vel, ut Interlin. *eroſus præ indignatione eſt oculus meus.* Et ad hanc radicem reſpexiſſe Syrum Interpretem, dum reddit בר שומא, *Filius vulneris*, vel *morboſi tumoris*, parùm eſt dubitandum: & cum hoc etymo optimè concordat vox *Elymas*.

III. Sunt quidem, qui eam eſſe interpretationem vocis μάγος volunt, Arabicam ſcilicet עלימא, ut *Elymas* idem ſit cum *Magus*: quod à veritate non admodùm alienum; & erat, cùm talis conceptus placeret: at jam hæc duo perpenſa aliò ducunt.

1. Quia meritò dubitari poteſt, an velit Lucas vocem Μάγος ſatis notam per longè ignotiorem interpretari? Et meritò quæri poſſit, quare hic Magus ſolus vocetur *Elymas*, cùm ſecundùm iſtam etymologiam, omnes ejuſdem officinæ artifices, eandem nomenclaturam poſſint ſubire?

2. Quia Syrus & Arabs vocem *Elymas* non inchoant ab ע *Ain*, ſed ab א *Aleph*.

A voce Arabica igitur אלמא, *Alima vel Elima*, deductum eſſe hoc nomen, ego minimè dubito, quæ *dolere* ſignificat, vel *cruciari*: atque ut conveniat ſenſus cum vocabulo עשש, nemo non videt. Nam quid cognatius quàm *contabeſcere* & *dolere*, *morbo corrodi* & *cruciari*? Et nuncupatum hunc Magum nomine ſuo Hebræo opinor בר יעשוש, *Bar Jeſus*, & ſic inter Judæos Hebraizantes vocitatum, aſt inter Arabizantes *Elymas*, quod idem ſignificat linguâ Arabicâ.

Inuſitatius quidem eſt; quòd vocem Hebræam reddat Lucas Arabicè, & non Græcè, quod Euangeliſtis ſuetum. At videtur Magum hunc natum atque educatum fuiſſe in regione aliqua aut loco, ubi vernacula lingua erat Arabica, in qua habitarunt etiam Judæi linguâ propriâ etiam utentes, atque inde duplici hoc nomine eum fuiſſe notum. Fallor, aut ipſa *Jabneh*, nobiliſſima Academia & ſedes Synedrii, erat in tali regione: nam totam Philiſtæorum regionem, vel maximam ſaltem ejus partem, vernaculè Arabizaſſe, demonſtrabimus alibi eſſe admodùm probabile.

CAP. XIII. VERS. 9, 10, 12.

VERS. 9. Σαῦλος δὲ ὁ καὶ Παῦλος.

Nomen Hebræum & Romanum pro relatione ejus ad utramque gentem, utpote quòd eſſet genere Judæus, & nuncupatus *Saulus*; at donatus civitate Romanâ, atque inde dictus Paulus. Sub eadem notione *Silas* eſt etiam *Silvanus*: erat enim & ille Romanus, ut colligere licet ex *Actor.* 16:37.

Apoſtolus hucuſque verſans maximè inter Judæos, nomen retinet ſuum Judaicum: at jam declaratus Apoſtolus Gentilium, atque inter Gentiles peregrinans, à Luca nuncupatur tantùm nomine ſuo Gentilitio.

VERS. 10. Τοῦ Διαβόλου.

Annon idem in Veteri Teſtamento ſonat בן בליעל, *Filius Belial?* בכור שטן videtur & duriùs ſonare primo auditu, & nonne primo intuitu redderet *Primogenitus Satanæ?* Cedit tamen Rabbino cuidam in laudem & titulum honoris, *Hieroſ. Jevamoth*, fol. 3. 1. *Babyl. Jevamoth*, fol. 16. 1. longè aliâ ſignificatione, & vocabulo שטן à שוט derivato.

VERS. 12. Ἀνθύπατος.

Uſitata eſt hæc vox Talmudicis, variatâ aliquantum lectione.

Hieroſ. Beracoth, fol. 9. 1, *R. Chanina & R. Joſua ben Levi tranſierunt* קומי אנטיפותא דקיסרין, *coram* Ἀνθυπάτῳ *Cæſareæ. Ille eos*

videns

CAP. XIII. VERS. 13, 14.

videns, aſſurrexit iis. Cui ſui: Tene aſſurgere hiſce Judæis? At ille: Vidi facies eorum ſicut Angelorum. Vid. *Aruch* in voce.

VERS. 13. Ἦλθον εἰς Πέργην τῆς Παμφυλίας.

A Papho Cypri, ſive veteri, ſive novâ, utrâvis maritimâ ad littus inſulæ occidentale ſitâ, navigant, ut videtur, in oſtia Ceſtri fluvii, de quo ſic *Strabo*,

Geograph. lib. 14. Ἔσθ' ὁ Κέστρος ποταμὸς, ὃν ἀναπλεύσαντι σταδίους ἑξήκοντα Πέργη πόλις. *Deinceps eſt Ceſtrus fluvius, quo adverſus ſi ad LX. ſtadia quis ſubvehatur, ad Pergam venit urbem. Quam propè in ſublimi loco Templum eſt Dianæ Pergææ, ad quod ſingulis annis ſacer eſt conventus.*

De *Ceſtro* fluvio etiam *Ptolomæus*, ut & de *Cataracto*, de quo etiam *Strabo*. At

Mela, lib. 1. cap. 14. *Deinde alii duo validiſſimi fluvii, Oeſtros & Cataractes. Oeſtros navigari facilis; hic quia ſe præcipitat, ità dictus. Inter eos Perga eſt oppidum*, &c. Meritò ſuſpiceris, errorem Scribæ in *Oeſtros* pro *Ceſtros*. Et mireris, Olivarium de hac re nihil annotaſſe.

Suſpicari licet, non fuiſſe Synagogam Judæorum in Perga, cùm nec talis rei ſit mentio, nec aliquid ibi actum ab Apoſtolis memoretur. Hoc tantùm refertur, quòd ibi receſſerit ab iis Joannes Marcus. Quâ ratione, ignotum.

VERS. 14. Παρεγένοντο εἰς Ἀντιόχειαν τῆς Πισιδίας.

Strabo, lib. 12. ex Artemidoro tredecim urbes Piſidiæ memorat, inter quas mentio nulla de Antiochia. At *Plin.* lib. 5. cap. 27. *Inſident vertici Piſidiæ quondam Solymi appellati, quorum colonia Cæſarea eadem Antiochia.* Et *Ptol.* Πόλεις δὲ εἰσὶν ἐν Παμφυλίᾳ μεσόγειοι, Φρυγίας μὲν Σελεύκεια, Πισιδίας δὲ Ἀντιόχεια. Ubi ejus Interpres confusè ſatis: *Civitates autem ſunt in provincia mediterraneâ. Phrygia quidem Piſidiæ. Seleucia Piſidiæ, Antiochia*, & in marg. *Cæſarea.*

Ἐκάθισαν.

Sic vulgò dictum eſt de aliquo docente, יתיב, *conſedit*. Et ſi non aliunde notitiam habuerunt rectores Synagogæ de *Paulo* & *Barnaba*, quòd eſſent concionatores, hinc expiſcari potuerunt, quòd intrantes Synagogam, *conſederint*, pro more docentium, aut concionantium.

CAP. XIII. VERS. 15, 16, 18, 19.

VERS. 15. Μετὰ δὲ τὴν ἀνάγνωσιν τοῦ νόμου καὶ Προφητῶν.

At quânam linguâ lecti Moſes & Prophetæ in hac Synagoga? Concipitur vulgò, Biblia Græca lecta fuiſſe in Synagogis Helleniſtarum: at num lingua iſta intellecta à Piſidis?

Strab. lib. 13. ad fin. *Inter maximas Aſiæ præfecturas Cibyratica habetur.* Τέτταρσι δὲ γλώτταις ἐχρῶντο οἱ Κιβυρᾶται, τῇ Πισιδικῇ, τῇ Σολύμων, τῇ Ἑλληνίδι, τῇ Λυδῶν. *Quatuor linguis uſi ſunt Cibyratæ, Piſidicâ, Solymorum, Græcâ, Lydiâ.* Ubi planè diſtinguitur lingua Piſidica à Græca. Et ſi Moſes & Prophetæ hîc lecti eſſent ex verſione Græca, num illi intellecti à Piſidis?

Imò, inquies: nam ipſum nomen urbis *Antiochia*, arguit eam fuiſſe coloniam Græcam. Eſto: at ſupponatur fuiſſe Synagogam Judæorum in aliqua Piſidiæ civitate merè Piſidicâ, *Selge*, *Sagaleſſo*, *Perneliſſo*, &c. aut aliquâ urbe Solymorum aut Lydorum, quânam linguâ illic lecta Biblia? Eâdem abſque dubio linguâ, eodemque modo, quo lecta in Synagogis Hebræorum, hoc eſt, linguâ Originali Hebræa, aſtante interprete qui redderet in linguam vernaculam.

VERS. 16. Οἱ φοβούμενοι τὸν Θεόν.

Id eſt, Proſelyti.

Bemidbar Rabba, fol. 227 2. *Benedictus omnis qui timet Dominum, qui ambulat in ſemitis ejus*, Pſal. 128. *Non dicit Benedictus Iſraël, Benedicti Sacerdotes, Benedicti Levitæ, ſed Benedictus omnis qui timet Dominum.* אילו גרים שהם יראי ה׳, *Hi ſunt Proſelyti, qui ſunt* φοβούμενοι τὸν Θεόν. *Sicut dicitur de Iſraële: Benedictus tu, ô Iſraël; ſic etiam de iſtis dicitur, Benedictus eſt omnis qui timet Dominum. Et de quonam Proſelyto dicitur, Benedictus? De Proſelyto qui eſt Proſelytus juſtitiæ. Non ſicut Cuthæi iſti, de quibus dicitur: Deum timuerunt, & Deos proprios coluerunt.*

VERS. 18. Ἐτροποφόρησεν αὐτούς.

Particula Ὡς videtur excludere lectionem Ἐτροποφόρησεν, quæ vox occurrit apud Græc. Interpret. *Deuter.* 1:31. Ἐτροποφόρησε quidem illos Deus per totos annos quadraginta. Sic etiam, inquies, ἐτροποφόρησεν αὐτούς: quod à veritate non alienum. Verùm cùm Apoſtolus addat ὡς, videtur tempus illud reſpicere potiſſimùm, quod interceſſit inter fatale decretum de non intrando terram, & introitum.

VERS. 19. Ἔθνη ἑπτά.

שבעה אומות Rabbinis frequentiſſimum, cùm de gentibus Canaanæis loquuntur.

Digitized by Google

CAP. XIII. VERS. 20.

VERS. 20. Ὡς ἔτεσι τετρακοσίοις καὶ πεντήκοντα.

Inter plurima quæ dicuntur, ego hoc eligerem: quòd ſub hoc numero calculantur anni Judicum, atque anni Tyrannorum Iſraëlem opprimentium, ſeorſim & disjunctim computati, quos primo aſpectu quiſpiam judicarit ſic numerandos, niſi quòd 1 *Reg.* 6:1. luxurianti computo frenum injiciat.

I. Huic numero exactè reſpondent anni Judicum & Tyrannorum ſic diſcreti.

Judices.		*Tyranni.*	
Othniel	40.	Chushan	8.
Ehud	80.	Eglon	18.
Deborah	40.	Siſera	20.
Gedeon	40.	Midian	7.
Abimelech	3.	Ammon	18.
Tola	23.	Philiſthæi	40.
Jair	22.		
Jephtah	6.	Summa	111.
Ibſan	7.		
Elon	10.		
Abdon	8.		
Sampſon	20.		
Heli	40.		
Summa	339.		

Connumeratis ergo 339. & 111. aſſurgit computus exactè ad 450.

II. Hanc calculationem ſequi Joſephus videtur planè,

Antiquit. lib. 8. cap. 2. *Solomon Templum ædificare cœpit, regni ſui anno quarto menſe ſecundo, quem Macedones Artemiſion vocant, Hebræi Ijar.*

Μετὰ ἔτη πεντακόσια καὶ ἐνενήκοντα καὶ δύο τῆς ἀπ' Αἰγύπτου Ἰσραηλιτῶν ἐξόδου. *Poſt quingentos nonaginta duos annos ab exitu Iſraëlitarum ex Ægypto.*

Numeranturin 1 *Reg.* 6:1. anni 480 Numerat ille 592. annis 112. numerum iſtum excedentibus: ſicut 111. Tyrannorum, numerum hoc in loco excedere faciunt.

III. In particulari horum annorum calculatione omittere non poſſum illud, quod de Sampſone dicitur in

Hieroſ. Sotah, fol. 17.2. *Dicit Sampſon: Domine æterne, da mihi mercedem pro uno oculorum meorum in hoc mundo, & pro altero in mundo futuro. Scriptura una dicit:* וישפוט את ישראל ארבעים שנה, *Et judicavit Iſraëlem quadraginta annis. Et Scriptura alia dicit:* והוא שפט את ישראל עשרים שנה, *Et ille judicavit Iſraëlem viginti annis. R. Acha dicit: Innuitur quod metuerunt eum Philiſtæi, viginti annis poſt mortem ejus, ſicut metuerunt viginti annis dum viveret.*

Puta[illegible] ex his verbis, de *Sampſone* ſcriptum eſſe, quòd ille judicavit Iſraëlem 49. annis, quod tamen non reperitur; at bis tantùm, quòd *judicavit viginti annis*, *Judic.* 15:20. & 16:31. unde quidem concludunt Scriptores Hebræi illud quod dictum, nempe quòd formidabant eum viginti annis poſt mortem ejus. De Heli quidem dicitur, quòd ille judicavit Iſraëlem quadraginta annis, 1 *Sam.* 4:18. ubi dum apud Græcos Interpretes lego εἴκοσι ἔτη, *viginti* tantùm, ſuſpicor eos communi Judæorum opinioni aliquantùm favere.

CAP. XIII. VERS. 33.

VERS. 33. Ἐν τῷ ψαλμῷ τῷ δευτέρῳ.

Hieroſ. Taanith, fol. 65. 3. *Quare ſunt orationes quotidianæ octodecim? R. Joſua ben Levi dicit: Secundum octodecim Pſalmos, ab initio Pſalmorum ad Exaudiat te Deus in die tribulationis.* (Pſalm. 20.) *Si autem dicat tibi quiſpiam, quòd ſunt novendecim,* אמיר לו למה רגשו לית הוא מינון, *Dices: Quare fremuerunt* (Pſalmus ſecundus) *non eſt de iis. Hinc dicunt: Ille qui orat, & non exauditur, neceſſe habet ut jejunet.*

I. Hinc judica, an ſecundus hic Pſalmus conjunctus & confuſus fuerit cum primo, cùm aliqualiter videatur ſeparatus à toto numero. Et videſne argumentationem Rabbini? Probaturus ille numerum orationum quotidianarum octodecim Pſalmorum, ab initio libri ad *Exaudiat te Dominus*, &c. *Pſalm.* 20. recurrit ad vulgare axioma, *Ille qui orat, & non exauditur, jejunet*: ac ſi fundaretur iſtud axioma ex paritate numerorum, atque axiomatis authores eo reſpicerent: q. d. Ille qui fundit octodecim iſtas orationes, quæ ſunt ſecundùm numerum octodecim iſtorum Pſalmorum, & non exauditur, jejunet, & exauditur, ſecundùm tenorem Pſalmi proximè ſequentis, *Exaudiat te Dominus in die anguſtiæ*, id eſt, in die quo te anguſtas & affligis jejunio.

II. Quânam ratione Pſalmum iſtum excluſerint ex numero, ſolicitè non indagabimus. In eo, quamvis ita excluſo, reperitur tam nobile teſtimonium de reſurrectione Meſſiæ, & forſan eò ſpectat Apoſtolus in hiſce verbis. Sin minùs, ex eo quòd numerum & ordinem Pſalmi notat, conjectare licet, illum in hunc ſenſum loqui: Teſtimonium habetis de reſurrectione Chriſti in ipſo fere limine libri Pſalmorum, tam propè ab ejus initio, ut etiam in Pſalmo ſecundo occurrat.

Υἱός μου εἶ σύ, ἐγὼ σήμερον γεγέννηκά σε.

Fatetur R. *Solom.* Rabbinos hunc Pſalmum interpretari de Meſſia: at mavult ille ad Davidem applicare. Nam cavent Judæi, nè Meſſias agnoſcatur genuinus Filius Dei. *Hinc*

 Midras

Digitized by Google

CAP. XIII. VERS. 33.

Midras Tillin in locum: *Filius meus tu. Hinc reſpondere licet hæreticis, qui dicunt, quòd eſt Deo Filius. Reſponde tu,* בן לי אתה אינו אומר, *Non dicit, Filius mihi tu,* אלא בני אתה, *ſed, Filius meus tu.* (Acuta certè diſtinctio) *Sicut cùm blandè alloquitur herus ſervum, & dicit: Ego diligo te ſicut filium meum.*

Sicut & *Targum* in locum: *Dixit Dominus:* חביב כבר לאבא לי אנת, *Dilectus tu mihi ſicut filius patri.*

Agnoſcunt de *Meſſia* ibi agi, ut *Succah*, fol. 52. 1. Sed cave, nè agnoſcas eum pro genito Filio Dei, ſi judaizare velis. Ut locum hunc eludere conentur, nimium eſſet & inane verſutias eorum congerere. Aptius eſt, argumentationem Apoſtoli obſervare, & quonam modo hæc verba Pſaltæ innuant reſurrectionem Meſſiæ.

Obiter hæc verba accipe ex *Midras Tillin*, ubi prius.

R. Honna dicit: ג׳ חלקים נחלקו היסורין, *Tres portiones caſtigationum diviſæ ſunt. Unam acceperunt patres mundi, atque omnes generationes; alteram generatio perſecutionis; aliam generatio Meſſiæ. Et cùm tempus ejus advenerit, dicet Sanct. Ben.* עלי לבראתו ברייה חדשה, *Mihi incumbit creare illum novam creaturam; & ſic ille dicit:* היום ילדתיך, *Hodie ego te genui.*

Quærentibus Judæis à Salvatore ſignum, reponit ille ſemper ſignum Jonæ Prophetæ, futuram ſcil. ſuam reſurrectionem indubitatiſſimum de eo ſignum, quod ille Filius Dei, verus Meſſias.

Sic *Rom.* 1: 4. *Manifeſtatus Filius Dei per reſurrectionem à mortuis:* nam ſic ille quidem diſcretus ab omnibus mortalibus, & filiis hominum. Et Deus ſe eum jam tùm genuiſſe dicit, cùm indicium ille dederat, ſe non merum hominem fuiſſe, per divinam ſuam virtutem, quæ eum à morte reſuſcitaverat. Et ſecundùm tenorem totius Pſalmi, Deus eum tunc genuiſſe dicitur, cùm ſtatueretur ille Rex in Sion, & cùm omnes gentes ſub eo eſſent ſubditæ. In quæ commentantur ipſius verba, immediatè poſt reſurrectionem ſuam prolata: *Data mihi eſt omnis poteſtas, &c. Matth.* 28: 18.

Quidnam ſibi volunt verba iſta *Matth.* 26: 29. *Dico vobis, Non bibam à modò de hoc fructu vitis, uſque in diem iſtum, cùm illum bibam vobiſcum novum in regno Patris mei.* Nonne huc recidunt, De eo non bibam ampliùs ante reſurrectionem meam? Nam revera reſurrectio ejus erat initium regni ejus, cùm jam hoſtes ſuos devicerat, Satanam, orcum, mortem. Inde ille genitus & ſtatus Rex in Sione.

Fallor, aut *Pſalm.* 110: 3. aliqualiter conſonat. Liceat mihi paraphraſticè ſic reddere: *Populus tuus erit populus ſpontaneus in die poteſtatis tuæ. Erit populus ſpontaneus in decoribus ſanctitatis. Erit populus ſpontaneus ab utero auroræ. Tuus eſt ros juventutis tuæ.* Jam verò ros Chriſti eſt virtus ejus vivificans mortuos, *Eſaj.* 26: 19. Ros autem juventutis tuæ, ô Chriſte, tuus eſt, id eſt, virtus propria te reſuſcitat. Ad reſurrectionem ejus ergò applicaverim verba iſta, *Ab utero auroræ:* erat enim reſurrectio Chriſti ipſum diluculum & aurora novi mundi, & novæ creationis.

CAP. XIII. VERS. 34.

VERS. 34. Τὰ ὅσια Δαβὶδ τὰ πιστά.

Τὰ ὅσια hoc in loco deſumi à verſione Græca in *Eſaj.* 55: 3. notant omnes.

At rariùs notatur per *Davidem* hîc intelligi Chriſtum, quod tamen in locum Prophetæ benè obſervant ipſi Rabbini, Kimchius & Ab. Ezra, ſuffragante planè commate proximè ſequenti. Vocatur ergò reſurrectio Chriſti, interprete hoc Apoſtolo, τὰ ὅσια τοῦ Χριστοῦ τὰ πιστά. Et promittit Deus apud Prophetam, unde hæc deſumuntur, reſurrectionem, beneficiaque reſurrectionis Chriſti. Mortem ejus prædixerat, promiſeratque, *Cap.* 53. At quidnam miſericordiarum expectandum per mortuum Meſſiam, ſiquidem ille ſemper mortuus? Inſtabiles atque infirmæ ejus beneficentię, ſi morte terminantur. Promittit ergo beneficentias & miſericordias firmas, ſtabiles & nunquam terminandas, effluxuras ex ejus reſurrectione.

Cùm hæc citentur ex Propheta, in verbis Græcorum Interpretum, variantibus aliquantum à verbis Prophetæ, atque ea multò magis *verſ.* 41. Ἴδετε οἱ καταφρονηταί, &c. quæri poſſit, quanam lingua concionatus jam fuerit Apoſtolus: ut & quanam lingua lecti in hac Synagoga Moſes & Prophetæ, *verſ.* 15.

An Græca? quærere licet, an ea intellecta à Piſidis? An Piſidica? Vix credas, Biblia in linguam iſtam jam eſſe verſa. Notatu dignum eſt illud *Strabonis,*

Geograph. lib. 13. ad fin. *Inter maximas Aſiæ præfecturas Cibyratica habetur.* Τέτταρσι δὲ γλώτταις ἐχρῶντο οἱ Κιβυρᾶται, τῇ Πισιδικῇ, τῇ Σολύμων, τῇ Ἑλληνίδι, τῇ Λυδῶν. *Quatuor linguis uſi ſunt Cibyratæ, Piſidicâ, Solymorum, Græcâ, Lydiâ.* Lingua Piſidica alia erat à lingua Græca, & ſi Moſes & Prophetæ eſſent lecti ex verſione Græca, quod vulgò ſupponitur inter Helleniſtas fieri, parùm intellecti eſſent in Synagoga. Aliquid quidem dici poſſet in contrarium, ex ipſo nomine urbis. Erat Antiochia Græca fortè colonia, utpote ſtructa à Principe Græco. Detur: at ſupponatur fuiſſe Synagogam Judæorum in alia aliqua Piſidiæ civitate merè Piſidica, quanam

lingua

Digitized by Google

CAP. XIII. VERS. 41, 42. lingua illic lecti Moſes & Prophetæ? Eadem abſque dubio linguâ eodemque modo, quo lecti in Synagogis Hebræorum, hoc eſt, lingua originali Hebræa, aſtante Interprete qui redderet in vernaculam.

VERS. 41. Ἴδετε οἱ καταφρονηταί, &c.

Doctiſſimè hìc, ut ſemper, Cl. *Pocockius Miſcellan.* 3. ubi quidnam legerint Græci Interpretes, *Habac.* 1. acutiſſimè explorat; ſalva interim lectione quam exhibent Biblia Hebræa. Nam aliud eſt ut illi legerint, aliud ut verè ſit legendum.

VERS. 42. Παρεκάλουν τὰ ἔθνη, &c.

In æquilibrio ferè per vim verborum eſt, quantum ego video, an reddas, *Illi rogarunt Gentes*, an, *Gentes rogârunt illos*. Poſterior interpretatio obtinet plerumque. At quid abſurdi, ſi admittas priorem? Et nonne ordo verborum in eam nutare videtur magis? Si eſſet τὰ ἔθνη παρεκάλουν, in poſteriorem inclinares abſque controverſia. Sed cùm ſit παρεκάλουν τὰ ἔθνη, liceat aliquantùm hæſitare. Et ſi ægrè tulerunt Judæi doctrinam Apoſtoli, & diſceſſerunt ex Synagoga offenſi, quod nonnullis placet, nec quidem videtur improbabile, tunc aptiùs conceperis, Apoſtolos obſecraſſe remanentes Gentiles, ut illi patienter eadem audiant iterum.

Εἰς τὸ μεταξὺ Σάββατον.

I. Μεταξὺ inter alia, ut docent Lexicographi, ſignificat *deinceps* aut *poſtea*, & notetur concionem hanc habitam fuiſſe tempore antemeridiano; nam iſto ſolùm tempore conventum eſt in Synagoga, pomeridiano autem conventum in Beth Midras. Quære ergo, an Phraſiologia hunc ſenſum non toleraverit: Rogarunt, ut deinceps in iſto Sabbato, tempore ſcilicet pomeridiano, audirent iterum talem concionem? Et tùm, an Apoſtoli rogarent gentes, an gentes Apoſtolos? perinde eſto.

II. Quære, an Apoſtoli & Eccleſia Chriſtiana jam non celebrarent Diem Dominicum? Si ità (quod quis inficiabitur?) tùm judica, an Apoſtoli non invitarent gentes, ut Sabbato Chriſtiano, craſtino ſcilicet, convenirent, & audirent iterum? Sic conceſſeris Diem Dominicum vocandum Sabbatum, concedes facilè, ritè vocari poſſe μεταξὺ Σάββατον. Et quidem cùm inter Judæos, vel Judaizantes Proſelytos, ſermo eſſet de iſto die, non mirum eſt ſi Sabbatum audiret. Ac ſi dicerent Apoſtoli, nos craſtino Sabbatum noſtrum celebramus, & vultiſne vos iſto die λαληθῆναι τὰ ῥήματα.

III. Aut eſto τὸ μεταξὺ Σάββατον hebdomada intercurrens inter duo Sabbata, ut Νηστεύω δὶς τοῦ Σαββάτου, *Jejuno bis in hebdomada*; tùm, ut facillimus labitur hic ſenſus, rogarunt, ut intra hebdomadam ſequentem iſta repeterentur: ità reſpici poſſunt præſertim dies hebdomadæ ſecundus & quintus, in quibus conventum eſt in Synagoga.

CAP. XIV.

VERS. 6. Εἰς τὰς πόλεις τῆς Λυκαονίας Λύστραν καὶ Δέρβην. CAP. XIV. VERS. 6, 11.

ERat etiam *Iconium* intra *Lycaoniam*, atteſtante *Strabone* his verbis,

Geograph. lib. 12. *Inde Lycaonum colles plani, frigidi, nudi, & aſinis ſylveſtribus compaſcui, &c. Sunt & paludes, major Coralis, minor Trogitis.* Ἐν ταύτῃ ᾗ πού καὶ τὸ Ἰκόνιόν ἐστι. *Circum iſta loca Iconium eſt, oppidum probè conditum agro feliciori, quàm is quem diximus onagros paſcere.*

Pariterque *Iconium* in *Lycaoniâ* diſponit *Ptol. Tab. Aſiæ* 1. cap. 6. Quare ergo non nuncupat Lucas *Iconium* urbem *Lycaoniæ*, æquè ac *Lyſtram* & *Derben*? quippe quòd eſſet ſeparatæ aliqualiter juriſdictionis.

Plin. lib. 5. cap. 27. *Datur & Tetrarchia ex Lycaonia, quâ parte Galatiæ contermina eſt, civitatum XIV. urbe celeberrimâ Iconio.*

VERS. 11. Λυκαονιστί.

Quænam fuerit lingua Lycaonica, dictu difficile. Nec dictu facile, quare hoc addatur, cùm ſat fuiſſet dixiſſe, Ἐπῆραν τὴν φωνὴν αὐτῶν, λέγοντες, οἱ Θεοὶ, &c.

I. Vix perſuaſeris, linguam Lycaonicam fuiſſe dialectum Græcæ, cùm peculiares & diſtinctas ab ea linguas in hiſce regionibus fuiſſe vernaculas, arguunt ſatis iſta, quæ produximus nuper ex Strabone; notetque ipſe lib. 8. *Cares* (erant autem hi propius à Græcia ſiti, quàm Lycaones) vocari ab Homero Βαρβαροφώνους. Sic etiam Phryges ſunt Barbari, *Pauſan.* lib. 1.

Audiatur iterum *Strabo*, lib. 12. ſtatim ab initio. *Cappadoces, qui eâdem utuntur linguâ, ii maximè ſunt, qui definiuntur verſus meridiem Cilicio qui vocatur Tauro. Verſus Orientem Armenia & Colchide,* καὶ τοῖς μεταξὺ ἑτερογλώττοις ἔθνεσι, *aliiſque interjacentibus gentibus, quæ ſermone diverſo utuntur.*

Qualis inter has aliaſve linguas fuerit lingua Lycaonica, expiſcetur cui eſt animus & facultas; nos talia nec audemus, nec poſſumus.

CAP. XV. VERS. 2, 7, 16, 17.

CAP. XV.

Vers. 2. *Γενομένης ἐν στάσεως καὶ συζητήσεως*, &c.

SI vertenda mihi hæc verba in linguam Talmudicam (quæ erat lingua Scholaſtica) reddiderim, Στάσεως per פלוגתא, & Συζητήσεως per ביעותא, vocabula Scholis notiſſima; quo idiomate conſtructa, nihil pariunt difficultatis.

Ἔταξαν ἀναβαίνειν Παῦλον, &c.

De hoc itinere ipſe Paulus, *Gal.* 2:1. ubi etiam ſub infert, Ἀνέβην δὲ κατὰ ἀποκάλυψιν, i. e. per revelationem exhibitam Miniſtris Antiochenis; non enim dictum foret Ἔταξαν, ſi revelatio ipſi Paulo fuiſſet facta. Inter alios qui illum jam ſunt comitati, erat Titus; quem ubinam ille ſibi adoptarit, in itineribus iſtis ſuis deſcriptis *Cap.* 13. & 14. conjiciat qui poteſt.

Vers. 7. *Ἀφ' ἡμερῶν ἀρχαίων.*

Parùm dubito, Petrum in his verbis reſpicere dictum illud Salvatoris: *Dabo tibi claves regni cœlorum*, ut tu ſcilicet Euangelii januam primus aperias Gentilibus. Tunc elegit eum Dominus, ut per os ejus audirent gentes primum verbum Euangelii, & crederent. Illud autem factum eſſe dicit, *ἐν ἡμέραις ἀρχαίαις*, id eſt, ut ipſe alibi eloquitur, *ἐν χρόνῳ ἐν ᾧ εἰσῆλθε καὶ ἐξῆλθεν ἐφ' ἡμᾶς ὁ Κύριος Ἰησοῦς*, *Actor.* 1:21. quod tempus per ἀπ' ἀρχῆς profertur ab hoc noſtro, *Luc.* 1:2.

Vers. 16. *Ἀνοικοδομήσω τὴν σκηνὴν Δαβὶδ τὴν πεπτωκυῖαν.*

Sanhedr. fol. 96. 2. *Dixit Rab Nachman R. Iſaaco:* מי שמיע לך אימרת אתי בר נפלי, *Unde edoceris quando venturus ſit Bar Naphli? Dicit ille:* מאן בר נפלי, *Quiſnam iſte Bar Naphli? Reſpondit alter: Meſſias. An verò Meſſiam vocas Bar Naphli? Imò, ait ille, nam ſic ſcriptum eſt: In die illo reædificabo tabernaculum David*, הנפלת, *Nopheleth.*

Vers. 17. *Ὅπως ἂν ἐκζητήσωσιν οἱ κατάλοιποι τῶν ἀνθρώπων*, &c.

I. Hebraicè, id eſt, Syriacè, jam locutum fuiſſe Jacobum, vix, ut arbitror, negabitur à quopiam. Dictabit enim ratio, Concilium Hieroſolymitanum aptiſſimè tranſigi linguâ Hieroſolymitanâ: atque ipſiſſima vox *Συμεὼν*, à qua orationem ſuam orditur, arguit Hebraicè jam agi inter Hebræos; non tam quòd *Simeon* dicit, & non *Simon*, quàm quòd *Συμεὼν* dicit, & non *Σιμεὼν*, affectante linguâ Syrâ literam *υ* in ſyllaba prima, ut בוכרא נושמא רובתא, & plurimis iſtiusmodi; atque in propriis nominibus בן סוטרא, *Ben Sutda* Hieroſolymitanis, pro *Ben Satda*, מוגדלא, *Mugdala* pro *Magdala*.

II. Non à quopiam, ut puto, negabitur, Apoſtolum hunc textum Prophetæ citantem, ipſiſſima verba Prophetę Hebraicè protuliſſe; quod nunquam non factum in ſcholis & concionibus; allegato nempe aliquo Scripturæ teſtimonio vel loco, prolata ſunt ſemper ipſiſſima verba originalia. Putaſne autem Hebræa Amoſi in ore Jacobi fuiſſe, למען ידרשו שארית אדם, quo ſenſu Græca eloquuntur?

Hebræa in *Amoſ.* 9:12. ſic ſe habent: למען ירשו את שארית אדום, *Ut poſſideant reliquias Edom.* Græci autem Interpretes habent, *ὅπως ἂν ἐκζητήσωσι*, &c. *Ut reliquiæ hominum requirant Dominum.* Ubi de proprio addunt Κύριον, quod non eſt apud Prophetam. Nec quidem adeſt in codice Romano; verùm in MS. Alex. adeſt.

An ex incuria, an ex induſtria ſic receſſerint illi à verbis Prophetæ, vix tanti eſt ut inquiramus, cùm nihil iſtis Interpretibus ſit uſitatius, quàm à fonte Hebræo ſic recedere. Conſultò hìc factum ſuſpicari licet, partim quòd inviderent promiſſionem tam conſolatoriam Edomæis, partim quòd in Prophetia proximè ſequenti dicatur, *Non erunt reliquiæ domûs Eſau*, *Obad.* verſ. ult. Ubi illud etiam decolorant, reddentes שריד per Πυροφόρος.

III. Hebraica Amoſi à Jacobo producta cum themate & propoſito ipſius optimè quadrarunt, cùm, ut hoc probet, *quòd Deus reſpexit Gentes, ut ex ipſis ſumeret populum nomine ſuo*, hæc adducat: *Reædificabo tentorium Davidis, ut poſſideant reliquias Edom:* Τὸ λεῖμμα τοῦ Ἐδώμ, pari ſenſu ac τὸ λεῖμμα τοῦ Ἰσραήλ, *Rom.* 11:5. Et cùm nominatur Edom, hoſtis Iſraëlis omnium acerrimus, unde deſumendum & reſervandum tale λεῖμμα, clariùs probatur res propoſita, *quòd Deus reſpexit Gentes*, &c.

Verba etiam in verſione Græca, quam ſequitur Lucas, rem probant, cùm mentio ſit de *gentibus omnibus requirentibus Dominum*; ideoque eò tutiùs verſionem iſtam illic ille ſequitur; quod & facit quidem ferè ubique, & quibus illud rationibus, obſervavimus alibi.

IV. Per *Edomæos* novi apud Talmudicos aliosque Scriptores Hebræorum vulgò intelligi *Romanos*; at quâ ratione, non admodùm patet: aſt impudentia eorum patet ſatis, dum Roma-

CAP. XV. VERS. 17.

Romanos ſeipſos pro filiis Eſau vel Edom agnoſcentes, at in iſta retriumphantes, introducunt.

Avodah Zarah, fol. 11. 2. *Romæ ſemel intra ſeptuaginta annos* מביאין אדם שלם, *introducunt hominem integrum*, (qui repræſentat Eſavum) ומרכיבין אותו על אדם חיגר, *atque equitare eum faciunt ſuper hominem claudum*, (qui repræſentat Jacobum, & ſic indicant Eſavum jam dominari Jacobo) ומלבישין אותו בגדי אדם הראשון, *& amiciunt eum veſtimentis Adami*, (iſta erant veſtimenta deſiderii, בגדי חמודית, *Geneſ.*27: 15. quæ erant Eſavo) *atque imponunt ei in caput* קרקיפו של רבי ישמעאל, *cutem capitis R. Iſmaëlis*, (erat ille Summus Pontifex, & interemptus eſt per Regnum Romanum. Ob ſummam autem faciei ejus venuſtatem, cutem faciei detrahi fecit filia Cæſaris, & balſamo conſervari) ותלן ליה מתקל זוא דפיזא, *atque appendunt ei unionem margaritam ponderis Zuzei*, *& proclamant coram eo*, סך קירי פלסטר אחוה דרמנא זייפנא, *Computus Domini* (Jacobi, ut Gloſſa una, vel Iſaaci, ut altera) *eſt falſitas*, (Prophetia ejus, quâ promiſit filiis ſuis redemptionem, eſt mendacium.) *Frater Domini noſtri* (Eſavi) *eſt deceptor.* מאי דחמי חמי ודלא חמי לא חמי, *Quicunque videt* (præſens ſpectaculum) *videat*, *& quicunque non videt*, *non videbit* (ad ſeptuageſimum abhinc annum.) *Quid prodeſt deceptori deceptio ſua, & quid falſificanti falſitas ſua? Et ſic tandem concludunt*, ווי לדין כד יקום דין, *Væ huic, quando exurget ille.* (Væ Eſavo, quando exurget Jacobus.)

Hæc ideo exſcripſimus, ut ſpecimen exhiberemus, quantâ confidentiâ Judaici Scriptores, Romanos habeant pro Edomæis; de quibus vix loquuntur unquam ſine deteſtatione & ſplene, execratione & odio. Verba, quæ incluſimus intra parentheſes, non noſtra ſunt, ſed Gloſſatoris.

V. Parùm credimus, Romanos pro Edomæis ſic habitos fuiſſe à Judæis, cùm exararetur Verſio Græca: at ſatis credimus, Edomęos tunc temporis æquè odioſos fuiſſe Judæis, ut non mirum ſit, interpretes iſtos ex iſto odio bona illa, quæ prænuntiaverat Amoſus reliquiis Edom eventura, illis invidiſſe, & verba ejus aliò divertiſſe.

Shemoth Rabba, fol. 152. 3. *Hæc eſt oblatio quam accipies ab iis, Aurum, Argentum & Æs*, Exod. 25: 3. *Aurum eſt Babel. Argentum eſt Media. Æs eſt Græcia*, Dan. 2. *At de ferro nulla mentio. Quare? Quia Edom improba, quæ vaſtavit Sanctuarium, aſſimilatur ei: ad docendum*, quòd *ab omni Regno Deus accepturus eſt oblationem tempore futuro, præter Edom.*

CAP. XV. VERS. 20.

VERS. 20. Ἀπέχεσθαι ἀπὸ τῶν ἀλισγημάτων τῶν εἰδώλων καὶ τῆς πορνείας.

Quæri meritò poteſt, an quatuor hęc prohibita eſſent ſub una eademque notione, hæc ſcilicet, nè objiceretur Judæis offendiculum a Gentilibus converſis, ſi ab omnibus hiſce rebus non abſtinerent; an non aliud aliquid foret etiam intertextum, nè ſcilicet Gentiles iſti converſi, ad aliquid priſtini ſui Ethniciſmi relaberentur? Ἀπέχεσθαι ἀπ' εἰδωλοθύτων καὶ πορνείας, videtur hoc reſpicere, atque Ἀπὸ πνικτοῦ καὶ αἵματος, illud.

Mirari interim licet cor & frontem *Nicolaïtarum*, qui ex diametro contrarium huic Apoſtolorum decreto non practicarent ſolùm, ſed docerent, *Apocal.* 2: 14, 20. Baalamitæ & Jezebelitæ, qui quonam fuco potuerunt tam horrendam & diram praxin & doctrinam venuſtare? An libertatem Euangelicam prætexentes? Annon amore & charitate ab Euangelio præſcriptis abutentes potiùs? Præ ſe ferentes nempe tranſcendentiorem aliquam amicabilitatem, vellent quidvis cum quovis comeſſe, & cum quavis coire. Meditatus ſum ſæpiuſculè ſuper verba iſta Apoſtoli, 1 *Tim.* 4: 3. *Prohibentes matrimonium:* quinam illi tandem qui prohiberent, maximè autem quanam ratione prohibuerint? Novimus, quâ ratione irrationali prohibitum ſit matrimonium quibuſdam in Eccleſia Romana in ultimis hiſce diebus mundi: aſt à quibus & quare vetitum illud in ultimis diebus Oeconomiæ Judaicæ, ad quæ tempora reſpexit Apoſtolus iſto in loco, non facilè ſolvitur.

Quoad clauſulam proximè ſequentem apud Apoſtolum, *Jubentes abſtinere à cibis quos Deus creavit*, ſubit illud in

Bava Bathra, fol. 60. 2. *Cùm deſtrueretur Templum ſecundò, multiplicati ſunt Phariſæi*, vel ſeparatiſtæ, *in Iſraële, qui dicerent, non comedendam carnem, nec bibendum vinum. Applicuit ſe ad eos R. Joſua, & dixit iis: Filii mei, quare non comeditis carnem, nec bibitis vinum? Cui illi: Noſne carnem comeſſe, de qua ſoliti ſumus offerre in altari, atque illud jam defecit? Et nos bibere vinum, de quo libare ſoliti ſumus in altari, atque illud jam defecit? Reſpondet ille: Si ità, non comedemus panem, quia ceſſarunt oblationes frumentariæ: non comedemus fructus, quia ceſſavit oblatio primitiarum: nec bibemus aquam, quia ejus libatio, &c.* Et paulò poſt: *Cùm decreverit regnum iniquitatis* (Romanum) *in nos aſpera*, ---- *æquum erat, ut apud nos ſtatueremus*, שלא לישא אשה, *non ducere uxores, nec generare liberos, &c. Sic eveniret, ut ſemen Abrahami ex ſeipſo conſumeretur. Sed permitte Iſraëli, ut potiùs ſint* שוגגין, *errantes, quàm* מזידין, *præſumptuoſi.*

Digitized by Google

CAP. XV. VERS. 20.

Quantum chaſmatis & diſtantiæ inter hos homines, & Nicolaïtas! & tamen ſtolidè & ſuperſtitioſè ab his in uno extremo peccatum, æquè ac ſceleſtiſſimè ab iſtis in altero. Sed his miſſis, de Nicolaitis mireris ignorantiam, ſi non norunt decretum hoc Apoſtolorum; & ſtupendam contradicendi audaciam, ſi norunt.

Ἀπὸ τῶν ἀλισγημάτων τῶν εἰδώλων.

In Epiſtolâ ipſa Concilii eſt, *Ἀπὸ τῶν εἰδωλοθύτων.*

Diſtinguunt rem Magiſtri, cùm de circa idololatriam prohibitis agunt, in אסורי אכילה, *Probibita eſui*, & אסורי הנאה, *Probibita uſui.* *Εἰδωλόθυτα* omnia erant *probibita eſui*; & utenſilia omnia quæ adhibita erant circa ſacrificia iſta idololatrica, erant *prohibita uſui.* *Ἀλισγήματα τῶν εἰδώλων* abſque omni dubio comprehendit omnia Idolothyta; & nonne etiam comprehendit omnia talia utenſilia? Et non injuſta oriri poſſit quæſtio: An, cùm dicatur in ipſa Epiſtola, *Ἀπέχεσθαι εἰδωλοθύτων*, reſtringat etiam ab uſu talium utenſilium, æquè ac ab eſu rerum oblatarum?

Καὶ ἀπὸ τῆς πορνείας.

Cuivis oculo obvia eſt duplex hæc quæſtio: De quânam ſcilicet fornicatione ſit hìc ſermo; & quâ ratione fornicatio, qualiſcunque ea tandem, hìc numeretur inter adiaphora?

I. Cùm illud recognoſco, quod frequentiſſimè occurrit apud Magiſtros, quòd quædam permittuntur מפני דרכי שלום, *pacis ergô*, & quædam prohibentur מפני דרכי אמוריים, *propter mores Amorrhæorum*, vel Ethnicorum, promptum mihi eſt ſuſpicari, cognationem aliquam ad utrumque eſſe in his decretis Apoſtolorum: permiſſum eſſe Gentilibus converſis, in rebus nonnullis judaizare, pacis ergô; aſt in aliis abſtinere, nè ethniciſſent, non quidem judaizent.

II. Speciatim in hac prohibitione fornicationis animadvertendum, quòd non adeo congruum eſt opinari, opus fuiſſe peculiari præcepto, & præſcripto Apoſtolico, ad eos qui Euangelium jam fuerant amplexati, contra fornicationem vulgari & communi notione ſumptam; cùm totus tenor Euangelii contra eam præſcriberet. Atque hac ipſa ratione perſuadere mihi non poſſum, per *ſanguinem* hoc loco prohibitum, intelligendum eſſe homicidium.

III. Erat inter Judæos fornicatio quædam, quæ licita iis videbatur, & colorem aliquem habuit legitimationis: ea fuit Polygamia.

Hoſ. 4:10. הזנו ולא יפרצו, *Fornicati ſunt, & non multiplicabuntur.* Sic benè reddunt Chald. & Syr. cum vernacula noſtra. Jam verò fornicatio, ut ſcortationem denotat, non optat ſobolem, ſed contrarium potiùs; ſed de bigamia eſt ſermo, vel polygamia: nam in ſterilitate uxoris uſitatum iis, alteram fœminam vel plures aſſumere propagandæ prolis ergô, quam rem Deus hoc in loco probro *fornicationis* ſtigmatizat: *Fornicantur, ſed non multiplicant.*

CAP. XV. VERS. 20.

Quicquid aliud ſub hoc vocabulo intelligitur, hoc certè intellexerim; præſcriptum ſcilicet eſſe ab Apoſtolis contra polygamiam, rem inter Judæos indifferentem, (ſicut fornicatio inter Ethnicos habita eſt pro indifferenti) non incongruè ergò hìc memoratam inter adiaphora.

Dicas velim, ubinam cavetur contra bigamiam aut polygamiam in Novo Teſt. ſi non hoc in loco? Dices forſan, in verbis iſtis Salvatoris, *Matth.* 19:4, 5. Ubi quidem cavetur contra dimiſſionem uxoris, vix contra polygamiam, collatis præſertim verbis Apoſtoli, 1 *Cor.* 6:16.

Proviſum eſt de Epiſcopis & Diaconis, ut non ſint bigami, 1 *Tim.* 3. & non crediderim, non proviſum fuiſſe contra bigamiam Laicorum. Ubinam autem illud factum, ſi non in hoc loco?

IV. Erat & fornicatio alia ſenſu ipſo Judæorum uſitatiſſimo, (nam polygamiam minimè habuerunt pro fornicatione) eaque præter fornicationem, ut vocant, ſimplicem, quæ fuit contractio matrimonii intra gradus prohibitos, quam illi vulgò vocant ערוה, *Nuditates.* Hiſce adeò adverſantur, ut nonnullas earum adjudicent *morti*, omnes לכרת, *Exciſioni.* De quibus *Maimon.* fusè in *Iſſure biah*, cap. 1. & per totum Tractatum. Permiſſo tamen interim, ut Gentilis, religioni Judaicæ jam factus proſelytus, matrimonium contrahere poſſit cum cognatis etiam conſanguinitate proximis, cum ſorore, vel, ſi velit, cum matre, &c. Idem *ibid.* cap. 14. (Hinc ortum forſan inceſtuoſum iſtud conjugium, 1 *Cor.* 5.)

Meritò contra talia matrimonia cavetur per hoc decretum Apoſtolicum, utpote quæ Judæis erant odioſa.

Καὶ τοῦ πνικτοῦ καὶ τοῦ αἵματος.

Hæc Gentilibus converſis prohibita arbitror Judæorum gratiâ & per modum condeſcenſionis, ut devitaretur eorum offenſio. Per *ſanguinem* ergò ego minimè intelligere poſſum *homicidium*, (& quid per *πνικτὸν*, dicetur illico)

I. Nam quorſum mentio homicidii in præſenti controverſia? *An Gentiles converſi reducendi ad Moſen?* ubi præc[illegible] Moſis moralia vix in mentem veniunt, utpote exiſtentia præcepta ipſius naturæ: ſed de ceremonialibus

eſt

Digitized by Google

CAP. XV. VERS. 10.

eſt quæſtio, & quidnam ad iſtam quæſtionem homicidium? &, ut dictum antè, quid opus tam peculiari cautione contra homicidium, iis qui jam amplexati fuerant Euangelium charitatis & pacis?

II. Per prohibitionem ſanguinis igitur, ego minimè dubito, caveri contra comeſtionem ſanguinis, quod & fit in Lege ſemel iterumque, *Geneſ.* 9:4. *Deuter.* 12:16. &c. Et vix quicquam nominaveris poſt idolum, quod magis horreret Judæus, quàm comeſtionem ſanguinis.

III. *Sanbedr.* fol. 59. 1. Diſtinguitur inter אבר מן החי, *membrum beſtiæ adhuc viventis*, & דם מן החי, *ſanguinem beſtiæ adhuc viventis*. Prohibetur prius per illud: *Verùm carnem cum vita, id eſt, ſanguine ejus, non comederis.* Prohibetur etiam poſterius, nè comedas ſcilicet ſanguinem eductum per phleboromiam aliterve ex quavis beſtia. Sic *R. Chanina* loco citato. Vid. & *Peſikta* in *Deuter.* 12. & *R. Solom.* in *Geneſ.* 9. & vice plurium,

Cherithuth, fol. 76. 2. *Quare prohibetur ſanguis quinquies? (Geneſ. 9:4. Levit. 3:17. & 7:16. & 17:10. Deuter. 12:16.) Ut includatur ſanguis animalium non ſacratorum, & ſanguis ſacratorum, & ſanguis pulvere cooperiendus, & ſanguis* τῦ אבר החי, *membri beſtiæ adhuc viventis*, ודם המצות, & *ſanguis expreſſus* per phlebotomiam, aut aliter.

Comeſtionem ſanguinis adjudicat ipſe Deus ad *exciſionem*, *Levit.* 7:27. &c. Sed ſubtiles & curioſæ de hac re agitantur quæſtiones & diſtinctiones in *Maimon. Maacaloth Aſuroth*, cap. 6. hanc tantùm exſcribamus.

De ſanguine expreſſionis, & ſanguine membrorum, ſplenis ſcilicet, & renum, & teſticulorum, & ſanguine circa cor collecto tempore mactationis, & ſanguine reperto circa jecur, non rei facti ſunt exciſionis: at quicunque de eo comedit, vapulet; quia dicitur: Nullum ſanguinem comedetis. At de reatu ad exciſionem, dicitur: Quia vita carnis eſt in ſanguine. Non eſt quis igitur reus exciſionis, niſi propter comeſtionem ſanguinis, cum quo exit vita.

IV. Novi quid ſint κρεάδια πνικτά apud *Athenæum*, lib. 9. quæ nullum hîc poſſunt habere locum, nec eſt cur talia, qualia ille menſæ apponit, prohiberentur vel ipſi Judæo. Nec per πνικτὸν intellexerim אבר מן החי, *Membrum beſtiæ viventis*: partim quòd incluſum hoc autumem intra vocabulum αἵματος, partim quòd de eo ſic definiatur à Magiſtris:

Maimon. Maacaloth Aſuroth, cap. 5. *Traditione diſcunt, quòd illud quod dicitur in Lege, Non comedes vitam cum carne, probibet membrum diſciſſum ab animali vivente; & de* אבר מן החי, *membro ab animali vivente diſſecto,*

CAP. XXIII. VERS. 2.

dicit Deus Noacho: Verùm carnem cum vita, hoc eſt, ſanguine, non comedetis. Comedere ergò membrum ſic diſſectum eſt comedere ſanguinem. Et ſub clauſula καὶ τῦ αἵματος, continetur prohibitio comeſtionis, & דם מן החי, *ſanguinis animalis viventis*, & אבר מן החי, *membri animalis viventis*. Et ſub καὶ τῦ πνικτῦ, prohibitio comeſtionis carnis non ritè mactatæ, ut non effluxerit ſanguis ut oportuit. De qua re fusè agitur in Tractatu *Cholin*, prolixè ſatis & obſcurè. Ubi hoc non poſſum non notare, fol. 33. 1. *Qui comedere vult de beſtia, priuſquam exeat vita ejus, exſcindat de carne ejus à loco mactationis, ad quantitatem olivæ, & ſaliat eam valdè valdè, & lavet eam valdè valdè, & expectet donec exeat vita beſtiæ, & tùm comedat; & hoc æquè licitum eſt & extraneo & Iſraëlitæ.*

Quum loquimur de non comedendo carnem, ex qua non ritè exprimitur ſanguis, non neceſſe eſt ut intra hanc claſſem includamus נבלה, *Morticinum*, & טרפה, *Dilaceratum* à feris.

CAP. XXIII.

Vers. 2. Ὁ δὲ Ἀρχιερεὺς Ἀνανίας.

QUæritur ab Interpretibus, an hic Ananias idem ſit cum Anania Joſephi, Pontifice Summo? Et quæro ego viciſſim, an Ἀρχιερεὺς hoc in loco neceſſariò reſtringatur ad Summum Pontificem?

I. Apud *Joſephum*, *Antiquit.* lib. 20. cap. 5. & *de Excid.* lib. 2. cap. 21. Ananias Summus Pontifex à Quadrato Præſide Syriæ vinctus mittitur Romam, rationem de geſtis ſuis redditurus Claudio Cæſari; idque antequam Felix Judæam intraret ut Procurator. Aſt an redierit unquam Hieroſolymam, incertum. Incertius, an redierit ad Pontificatum. Incertiſſimum, an ille in Pontificatu jam ageret, cùm cauſa Pauli ageretur, poſt multos regiminis Felicis annos, *Cap.* 24: 10.

II. Erat ſub his temporibus *Ananias* quidam celeberrimus, non Summus Pontifex, ſed *Sagan Sacerdotum*, de quo ſic Talmudici:

Shekalim, cap. 6. hal. 1. *Tredecim ciſtæ Corbanicæ, tredecim menſæ, tredecim adorationes erant in Templo: illis autem qui erant de domo Rabban Gamalielis*, ושל בית ר׳ חנניא סגן הכהנים, *illiſque qui erant de domo R. Ananiæ Sagan Sacerdotum, erant quatuordecim, &c.*

Peſachin, cap. 1. hal. 6. *R. Ananias Sagan Sacerdotum dicit, &c.* Sic *Miſna Hieroſ.*

Tſemach David: Ananias Sagan Sacerdotum

tum interfectus fuit tempore excidii, cum Rabban Simeone F. Gamalielis.

Juchaſin, fol. 57. 1. *R. Ananiah Sagan interfectus dicitur die viceſimo quinto menſis Sivan, cum Rabban Simeone ben Gamaliel, & R. Iſmaële.*

Si conciliare non potes Joſephum cum Luca circa *Ananiam* Summum Pontificem, eſto hic *Ananias* Sagan, *Ananias* Lucæ, qui æquè vocari potuit Ἀρχιερεὺς, ac Pontifex Summus, quod patet ex titulis *Annæ & Cajaphæ*, *Luc.* 3: 2. Nec impedit quidquam, quominus *Ananiam* iſtum Sagan opinemur fuiſſe in Saganatu ſuo hoc ipſo tempore.

VERS. 5. Οὐκ ᾔδειν ἀδελφοὶ, ὅτι ἐςὶν Ἀρχιερεύς.

I. Detur eum ignoraſſe, hominem fuiſſe Pontificem, vel Sagan, (quod vix probabile) ignorare tamen non potuit ex ipſo loco & ordine in quo jam ſedit, eum fuiſſe unum de Patribus Synedrii, & rectoribus populi: & cuivis eorum convitiando, tranſgreſſus eſt illud: *Principi populi tui non maledices*, æquè ac convitiando Summo Pontifici.

II. Parùm cedit in honorem Apoſtoli, opinari quòd verba iſta, Τύπτειν σε μέλλει ὁ Θεὸς, &c. protulerit vel temerè & inconſultò, vel indignatione raptatus & bile, vel neſciens quiſnam ille, quem ſic percuſſit, & cujus muneris? Quin quòd ſobriè, ut Apoſtolum decuit, locutus fuerit, & cum authoritate & ductu Spiritûs Sancti. Nec retractatione verborum, vel apologiâ pro temeritate, aut opus habuit, aut uſus eſt in his verbis, ſed ejuſdem coloris hæc ſunt cum iſtis quæ protulerit.

III. Si hic *Ananias* fuerit iſte *Sagan Sacerdotum* qui periit in excidio, ut dictum antè, conceperim ego, interitum ejus prædixiſſe Apoſtolum prophetìcè, potiùs quàm temerè effutiiſſe iſta, quæ poſtea retractaret. Verba ergò ejus quæ jam tractamus, paraphrazemus: Novi ſatis, non licere maledicere rectori populi, nec ego ei iſta dixiſſem quæ dixi, ſi eum pro tali agnoviſſem; ſed non agnovi, nam ille indignus nomine Ἀρχιερέως.

IV. Præſes Synedrii jam erat *Rabban Simeon ben Gamaliel*, defuncto patre ejus Gamaliele ante biennium, aut triennium, aut circiter. Novit Paulus Simeonem, & Simeon illum optimè ex priſtino condiſcipulatu, cùm uterque ſederet ad pedes Gamalielis, & quemnam Magnatum non novit Paulus aliquantò grandæviorum, ex educatione & diutina converſatione ejus Hieroſolymis? Ità ut incredibile ſit, eum ignoraſſe Ananiam ſive Summum Pontificem, ſi ille jam afforet, ſive Ananiam Sagan, vel quoſvis in Synedrio ætate provectiores. Interceſſerant quidem anni non pauci, ex quo ille Hieroſolymis diſceſſerat, adfueratque non parum: at cum ille tot annos ibi olim impenderat, ejuſque foret ordinis & gradûs ut Officiarius Synedrii foret, diplomate roboratus, tam lapſilis & lubricæ memoriæ non eſſe non potuit, quin quod jam rediens, facies & perſonas potuerit promptiſſimè dignoſcere & diſtinguere. Et cùm dicitur commate proxime ſequenti, Γνοὺς δὲ ὁ Παῦλος ὅτι τὸ ἓν μέρος ἐςὶ Σαδδουκαίων, &c. ſi quæratur, unde ille ſic diſtinguere de perſonis potuerit? reſponderi poſſit: Ex priſtina eorum notitia (ſi non eſſet unde aliter dignoſceret,) noverat eos, dum adhuc ipſe Phariſæus verſaretur inter ipſos. Vide *Cap.* 22: 5.

V. Quòd ergò dicat, οὐκ ᾔδειν, non video ut arguere poſſit ignorationem perſonæ, (cum qua forſan rem aliquam habuit in obtinendo dirum iſtud diploma contra Chriſticolas,) quin quod referendum ſit ad affectum potiùs quàm ad intellectum: ut ſenſus ſit: Non novi quòd ſit Ἀρχιερεὺς aliquis omninò, vel non agnoſco hunc pro tali. Tutiùs quidem erat invehi potiùs in perſonam, quam in officium: ſi verò ſic dixerat de ipſo munere: *Non novi quòd ſit Pontifex aliquis omnino*, non dubito quin quòd animum ſuum elocutus fuerat, bene noſcens antiquatum jam eſſe iſtum Pontificatum per mortem Summi Pontificis noſtri Jeſu.

Nam proponatur hoc problema: Quamvis agnoverat Apoſtolus miniſterium Templi quoad alia, (nam ipſe purificatus eſt in Templo) quoad ſummum tamen Pontificatum non agnovit miniſterium iſtud peculiare; nonne veritatem ſecum fert, cùm non contradicendo indicio, ſciſſione ſcilicet veli Templi à ſummo ad imum, demonſtraverat Deus finem & abolitionem iſtius muneris.

At reſpiciant verba Apoſtoli perſonam, & non officium, & dicta ſunto quoad hominem: *Non agnoſco, quòd ille* Ἀρχιερεὺς, *quòd ille tali titulo dignus*; noverat forſan Paulus nequitiam hominis ab olim; vel ex ipſa præſenti ejus injuſtitia, & temeraria ſeveritate ſatis habuit cur ſic regereret.

Noſſe pro *Agnoſcere* non inuſitatum in Sacris Paginis. Inſtantiæ ſatis eſt triſte & tremendum illud: *Non novi vos, diſcedite, ô operantes iniquitatem.* Et in paginis Judaicis, cùm aliquando R. Judah ſuccenſens τῷ Bar Kaphra diceret tantùm, *Non novi te*; diſcedit ille ut נזוף, *increpatus*, & aſſumpſit ſibi נזיפה, *increpationem.*

Hiſtoriam habes in *Moëd Katon*, fol. 16. 1. *Cùm Bar Kaphra eum viſitatum veniret, dixit ei:* בר קפרא איני מכירך מעולם, *O Bar Kaphra, ego te nunquam novi. Novit ille quid ſibi vellet: aſſumpſit ergò in ſe increpationem triginta diebus.*

VERS. 8.

VERS. 8. *Σαδδουκαῖοι μὲν γὰρ λέγουσιν, μὴ εἶναι ἀνάστασιν.*

Quænam ergò religio Sadducæi? Orat, jejunat, ſacrificat, obſervat Legem, & tamen non expectat reſurrectionem aut vitam æternam. Quorſum hæc religio? Ut obtineat ſcil. bona temporalia, quorum ſolùm promiſſionem obſervat ille factam in Lege, nihil rimans ultra literam.

Sadducæos denominationem ſuam à *Sadoco* quodam, Diſcipulo *Antigoni Sochæi*, deduxiſſe, receptum eſt vulgò, nec ſine ratione. Dum interim quærere licet, an ipſe *Sadocus* negaverit reſurrectionem? atque an ille rejecerit reliquos libros Sacræ Scripturæ, præter Pentateuchum, quòd aliqualiter fecerunt Sadducæi?

I. Hiſtoriam ejus eâ varietate referunt Judaici Scriptores, ut ſecundùm aliquos, credas eum negaſſe reſurrectionem, & futurum præmium; ſecundùm alios, non. Sic enim,

Juchaſin, fol. 15. 2. *Sadoc & Baithus fuerunt capita hæreticorum: errarunt enim circa verba Magiſtri eorum*, &c.

Ramban in Avoth, cap. 1. *Sadoc & Baithus audientes hæc à Magiſtro: Nè ſitis ſicut ſervi qui hero famulantur præmii ergò, &c. dixerunt inter ſe, Magiſter noſter nos docet, non eſſe vel præmium, vel pœnam, &c. Receſſerunt igitur à norma, & deſeruerunt Legem, &c.*

Aliter autem,

Avoth R. Nathan, cap. 5. *Antigono Sochæo erant duo Diſcipuli, qui erant* Δ*ιηγηταὶ verba ejus Diſcipulis ſuis, & Diſcipuli ſui Diſcipulis ſuis. Proſtiterunt illi, & docuerunt poſt eos, & dixerunt: Quid viderunt Patres noſtri, ut dicerent: Poſſibile eſt ut operarius præſtet opus ſuum per totum diem, & non recipiat mercedem veſperi. Verùm ſi noſſent Patres noſtri, quòd eſt aliter mundus & reſurrectio mortuorum, non ſic dixiſſent, &c.*

Aruch in ביתוסין, *Antigono Sochæo erant duo Diſcipuli, quorum nomina Sadoc & Baithus. Dictavit ille iis: Nè ſitis ſicut ſervi qui famulantur hero ideo ut recipiant præmium, &c. Abierunt illi, & ſic dictaverunt Diſcipulis ſuis, & Diſcipulorum Diſcipulis.* לא אמרו פירושו, *At non expoſuerunt ſenſum ejus.* (nota illud) *Proſtiterunt illi poſt eos, & docuerunt, & dixerunt: Si Patres noſtri noſſent, quòd eſt reſurrectio mortuorum, & remuneratio juſtorum in mundo futuro, non ſic dixiſſent. Proſtiterunt illi, & ſepararunt ſe à Lege, &c. ---- & ab iis prodierunt duæ Sectæ malæ, Sadducæi & Baithuſæi.*

Addamus & illud Rambani loco allegato, לא הבינו כונתו, Sadoc & Baithus *non intellexerunt ſenſum Magiſtri ſui* in iſtis verbis: *Nè ſitis ſicut ſervi qui famulantur hero præmii ergò*, &c.

Ex quibus omnibus collatis, prout vides, variantes aliquantùm Judaicos Scriptores in enarratione hujus hiſtoriæ: ſic ex poſterioribus hiſce collatis, credas ipſum *Sadocum* non fuiſſe *Sadducæum*, *Baithuſum* non fuiſſe *Baithuſæum*; id eſt, neutrum fuiſſe fermentatum hæreſi negante reſurrectionem, &c.

Arrepta eſt anſa & occaſio ſuſcitandi iſtam hæreſin ex verbis Antigoni malè intellectis & depravatis: at non per *Sadocum* & *Baithuſum* ſic depravatis; nam illi *ſenſum eorum non intellexerunt*, inquit Rambanus, atque ut liquet ex Arucho, illi nuda verba Diſcipulis ſuis tradiderunt abſque ullo gloſſemate, & Diſcipuli eorum Diſcipulis ſuis. Ità ut emerſiſſe non videatur nomen, hæreſis & Secta Sadducæorum, ante ſecundam aut tertiam poſt ipſum *Sadocum* generationem. Quod, nì fallor, non indignum eſt obſervatione quoad Chronologiam & Hiſtoriam.

Erat cùm crederemus (& quis non credit?) eò adducti per Authorem *Juchaſin* & *Maimoniden*, ipſum *Sadocum* fuiſſe primum Authorem Sectæ & heterodoxiæ Sadducæorum: at penſatius rem advertentibus, ex nuper allegatis ex *R. Nathan* & *Arucho*, non improbabile videbitur, non ortam fuiſſe iſtam Sectam, niſi pluribus annis poſt *Sadoci* obitum. Conferamus tempora.

Hiſtoriam iſtam Joſephi de *Jaddua* obviam facto *Alexandro M.* atque ab illo adorato, agnoſcunt etiam Talmudici, at mutato nomine; nam *Simeonem Juſtum* fuiſſe ajunt. Hos cum Joſepho conciliare circa hominem & nomen, nitatur ille cui fides aliqua ipſius rei & hiſtoriæ: ſed eſto *Simeon Juſtus* idem cum *Jaddua*, ut volunt nonnulli. Vide *Juchaſ.* fol. 14. 1.

Coincidunt igitur tempora *Simeonis* cum temporibus *Alexandri M.* Coævus ſit *Antigonus Sochæus*, qui Cathedram poſt eum capeſſivit, cum *Ptolomæo Lago*: contemporanei ſint *Sadoc* & *Baithus* ejus Diſcipuli, cum *Ptolomæo Philadelpho*: atque elabantur deinde tempora unius ſaltem generationis Diſcipulorum *Sadochi* (ſi non & alterius) ante enatum nomen *Sadducæorum*.

Hæc ſi veritatem aut probabilitatem aliquam ſecum ferant, non immeritò perpendi poſſunt, dum quæritur, quânam ratione non admiſerint Sadducæi reliquos libros Sacri Voluminis, pari authoritate cum Pentateucho Moſis.

Quæro igitur primò, an hoc ab iis factum antequàm exarata fuerit Verſio Græca? Vix dixeris *Antigonum* hoc errore correptum, nec quidem *Sadocum* ejus Diſcipulum. Monſtrum foret Præſes Synedrii, qui non agnoſceret

ceret diſtinctionem iſtam *Legis*, *Prophetarum*, *& Hagiographorum*.

Et mirum foret, ſi *Sadocus* reliquos libros, præter iſtos *Moſis*, abdicaret Magiſtro ſuo.

Diſcere potuerunt Sadducæi, etiam à Scribis & Phariſæis, plus honoris tribuere Pentateucho quàm reliquis libris Sacri Codicis; nam illi idem fecerunt: ſed ut rejicerent, à lectione ſaltem in Synagogis, aliquid aliud certè movit.

Cùm obſervo illud in *Maſſech. Sopherim*, cap. 1. quòd *quinque Seniores tranſtulerint Legem Græcè pro Ptolemæo*; atque illud apud *Joſephum*, *Antiquit.* lib. 1. cap. 1. *quòd Lex ſola traducta fuit*; atque utrumque hoc ante exortum nomen Sectamque Sadducæorum, ſuſpicari incipio, Sadducæos, Samaritanos præſertim, aliquid hauſiſſe ab hoc exemplo. Præcipuèque ſi verum illud, quod refertur ab Ariſtæa, anathemati devotum eum, qui verſioni aliquid adderet, vel aliquid in ea immutaret. Cùm igitur in Sectam ſecedere voluerunt Sadducæi, imbibitâ jam hæreſi, *non eſſe reſurrectionem mortuorum*, & tortis jam tandem Antigoni verbis in talem ſenſum, minùs mirum, ſi libros Moſis ſolos admittere voluerint; quippe quòd in iis nil plani occurreret, quod ipſorum errori contradiceret; atque inſuper quòd libros iſtos ſolos conſignaſſe pro ſacris viderentur antiquiores illi magni nominis viri, qui eos ſolos Græcè verterant. Minimè autumo, Sadducæos omnes verſionem iſtam eſſe ſecutos: at ſuſpicor tamen, Samaritanos aliquid inde in textum ſuum introduxiſſe.

Dicitur in patrocinium Verſionis Græcæ, quòd ea in non paucis concordat cum textu Hebræo Samaritanorum, ac ſi textus iſte Hebræo noſtro ſit purior, ac ſecuti fuerint Interpretes Græci iſtum textum. Concordant quidem non rarò. At ſi dixerim ego, textum Samaritanum in locis iſtis, aut illorum aliquibus, ſequi Verſionem Græcam, & Verſionem Græcam non ſequi textum Samaritanum, plurimùm fallor, ſi ſit, unde confutaveris.

Viſne unam aut aliam concordantiam in ipſo Pentateuchi limine?

Geneſ. 2:2. Hebræa habent, ויכל אלהים ביום השביעי, *Nam perfecerat Deus die ſeptimo opus ſuum.*

Græca autem, Καὶ συνετέλεσεν ὁ Θεὸς ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῇ ἕκτῃ.

Concordat textus Samaritanus, ויכל אלהים ביום הששי, *Perfecit autem Deus die ſexto, &c.* Dices tu, Græcos Interpretes vertere ſecundùm textum Samaritanum. Dico ego, textum Samaritanum formatum eſſe ſecundùm Verſionem Græcam. Quis inter nos determinaverit? Nonne pro me illud facit, quod vulgò jactatum inter Judæos: *Quòd hæc immutatio facta eſt per LXXII? Megillah*, fol. 9. 1. *Maſſech. Sopherim*, cap. 1.

Sed perindè eſto, uter utrum ſequatur in hâc quam producturi ſumus concordantiâ, Capite eodem, videlicet

Geneſ. 2:19. Hebræa habent, ויצר יהוה אלהים מן האדמה, *Formaverat autem Dominus Deus de humo.*

Græca verò, Καὶ ἔπλασεν ὁ Θεὸς ἔτι ἐκ τῆς γῆς.

Concordat textus Samar. ויצר יהוה אלהים עוד מן האדמה, *Et formavit Dominus Deus adhuc de humo, &c.*

Non quæremus hìc, quis quem ſequatur, querimur potiùs de audacia utriuſque in additione vocis ἔτι & עוד: quæ perſuadere videtur, Deum poſt creatos Adamum & Evam aliquid porro inſuperque de novo creaſſe. Quod mihi quidem adhuc inauditum; & cui non?

Μὴ εἶναι ἀνάστασιν.

Obſervamus ad *Matth.* 3:9. ex gloſſatore in *Babyl. Beracoth*, fol. 54. 1. (ſi illi habenda fides) fuiſſe hæreticos in ipſis Ezræ diebus, qui dicerent, *Non eſſe ſeculum aliud præter hoc:* quod quidem coincidit cum Sadducæiſmo; quamvis nomen Sadducæorum tunc temporis, longâque pòſt intercapedine, fuerit ignotum. At quod ad ipſorum hæreſin pertinet, cùm illi orirentur, videntur illi præcipuè & primariò negaſſe immortalitatem animæ, & ſic reſurrectionem corporis è conſequenti.

Novi תחיית המתים apud Judaicos Scriptores infinities ſumi pro *reſurrectione mortuorum:* at ſumitur etiam frequentiſſimè pro *vita mortuorum*; ut illud denotet reſuſcitationem corporis, hoc immortalitatem animæ.

In initio capitis Talmudici *Hhelek*, ubi ex inſtituto agitur de vita mundi futuri, varia congerunt argumenta ad probandum, תחיית המתים מן התורה, *Vitam mortuorum ex Lege*; nam ſic liceat mihi hìc reddere, potiùs quam *reſurrectionem mortuorum.* Rationem judica ex hoc, quod adhibent, argumento, vice plurium.

Sanhedr. fol. 90. 2. *Quidam dicunt, quòd probatur ex hac Scriptura. Dicit iis: At vos, qui adhæſiſtis Domino Deo veſtro*, חיים כלכם היום, *vivi eſtis omnes hodiè*, Deuter. 4:4. פשיטא דחיים כולכם היום, *Planum eſt, quòd vos jam in vivis eſtis*, cùm Moſes hæc dicit: *ſed hoc vult, quòd in die quo omnis mundus eſt mortuus, vos vivetis.* Id eſt: Vos etiam mortui, tamen vivetis; quæ potiùs immortalitatem animæ poſt mortem eloquuntur, quàm reſurrectionem corporis.

Sic reſponſio Salvatoris ad Sadducæos, *Matth.* 22:31, 32. ex verbis iſtis Dei: *Ego*

ſum

Digitized by Google

ſum Deus Abrahami, &c. aptatur directè ad ſententiam eorum contra immortalitatem animæ redarguendam, parùm aut planè aut directè ità probat reſuſcitationem corporis, ut Sadducæi non potuerint contra iſtam probationem cavillari.

Et in dicto illo ipſorum Sadducæorum, de operario per totum diem laborante, & non recipiente mercedem ſuam veſpere, palàm innuitur, de ſtatu animæ poſt mortem eos præcipuè conſiderare, & de corporis non reſurrectione ex conſequenti.

Sumantur igitur verba hoc ſenſu: Sadducæi dicunt animas non eſſe immortales, & non eſſe Angelos aut ſpiritus; & patebit dichotomia clariùs, de qua hiſtoriographus ſacer, cùm dicit: Φαρισαῖοι δὲ ὁμολογοῦσι τὰ ἀμφότερα.

Obſcurum eſt ex verbis Joſephi, an *Eſſeni* agnoſcerent reſurrectionem corporis? qui tamen agnoverunt immortalitatem animæ lubentiſſimè.

De excid. lib. 2. cap. 12. Καὶ γὰρ ἔῤῥωται παρ᾽ αὐτοῖς ἥδε ἡ δόξα, φθαρτὰ μὲν εἶναι τὰ σώματα, καὶ τὴν ὕλην οὐ μόνιμον αὐτοῖς· τὰς δὲ ψυχὰς ἀθανάτους ἀεὶ διαμένειν. *Valet enim apud eos hæc ſententia, Corruptibilia quidem eſſe corpora, materiamque iis non eſſe permanentem: animas autem ſemper permanere immortales.* Ità ut de immortalitate animæ præcipua fuerit quæſtio.

Μηδὲ ἄγγελον, μήτε πνεῦμα.

Negant animas eſſe immortales, & negant eſſe quoſvis Spiritus, (non negato forſan interim, Deum eſſe Spiritum, atque eſſe Spiritum Dei, de quo *Geneſ.* 1: 2.) Atque an anſam hujus opinionis ſumerent inde, quòd de creatione Angelorum aut Spirituum apud Moſen ſit altum ſilentium, aut aliunde, quærendum.

De apparitione Angelorum apud eum frequens mentio: & quid ad hoc dicit Sadducæus?

Putaſne Samaritanos fuiſſe Sadducæos? Si ità, obſervabile valde eſt, Interpretem Samariticum vocem אלהים, *Deus*, reddere ſemel iterumque per מלאכיה, *Angeli*.

Geneſ. 3: 5. *Eritis ſicut Elohim*: Samar. תהוון כמלאכיה, *Eritis ſicut Angeli.*

Cap. 5: 1. *In ſimilitudine Dei*: Samar. בתשבית מלאכיה, *In ſimilitudine Angelorum.*

Sic & *Cap.* 9: 6. בצורת מלאכיה, *In ſimilitudine Angelorum.*

At ubicunque eſt mentio Angelorum in textu Hebræo, textus Samaritanus etiam retinet nomen *Angelorum*.

Annon crediderunt Sadducæi, fuiſſe quidem Angelos, ſed è rerum naturâ evanuiſſe? Cum Moſe ſcil. evanuiſſe, & non extitiſſe amplius. An putatis, ô boni, animam Moſis fuiſſe mortalem ac obiiſſe cum corpore? Putatis etiam Angelos cum eo obiiſſe? Neſcio aliter, quâ arte aut ingenio eludere poſſitis iſta, quæ apud eum occurrunt de Angelis: illud ſpeciatim *Geneſ.* 32: 1.

Dicetis forſan, per Angelos intelligi debere bonos animi motus & affectus. Malos quidem affectus Phariſæi ipſi vocant aliquando Dæmonia, יצר הרע שטן, *Malus affectus eſt Satanas.*

At nec bonos affectus vocant Angelos, nec vos ipſi illud eò applicare poteſtis: *Angeli Dei obviam ei iverunt, & vocavit locum Mahanaim*, id eſt, *duo caſtra*, vel *duos exercitus*: Unum conſtantem ex multitudine propriæ familiæ; & vultiſne vos alterum conſtitiſſe ex bonis affectibus?

Si conceſſerint Sadducæi, creatos unquam fuiſſe Angelos, (Moſe in hiſtoria creationis id tacente,) conceperim ego, eos agnoviſſe Angelos eo ſenſu, quo & nos in tota hiſtoria Pentateuchi; at concepiſſe, poſt completam hiſtoriam Pentateuchi in nihilum evanuiſſe, & poſt Moſen non fuiſſe vel Angelum, vel Spiritum, vel Prophetiam.

Obſervamus alibi, vulgò diſtingui apud Judæos inter *Angelos, & Spiritus, & Dæmonia.* Ubi per Spiritus intelligere eſt vel ſpectra mortuorum, vel Spiritus ſub humana ſpecie, at non adeò tremendâ & terribili ac Angelos. Et quid vel Angelo vel Spiritu opus ampliùs, inquiet Sadducæus, cùm Deus ante obitum Moſis per ejus ſcripta totam ſuam voluntatem revelaverat, legem æternam dederat, & Eccleſiam completè conſtituerat?

Ignorantia innocens eſt atque inculpanda, neſcire τὰ βάθη τοῦ Σατανᾶ, & ſecreta Hęreticorum; & ſi in eruendis illorum dogmatibus erremus, forſan non parùm, parùm cedit in ignominiam. Veniale de iis errare, cum iis mortale.

Ignoſce igitur ignorantię noſtrę, ſi fateamur, neſcire nos penitùs, quid intereſſet inter Sadducæum & Baithuſæum, an convenirent in eodem, an diſſentirent in aliquibus? De Baithuſæis apud Sacras Paginas altum ſilentium, apud Judaicas mentio frequentiſſima, & videntur in quibuſdam diſtingui à Sadducæis; aſt in quibus, obſcurius.

Habes Sadducæos diſputantes cum Phariſæis, *Jadaim*, cap. 4. atque habes Baithuſæos diſputantes cum Phariſæo, *Menachoth*, fol. 65. 1. Baithuſæum aliquid quærentem à R. Joſua, *Shabb.* fol. 108. 1. frequentemque eorum memoriam alibi.

Speciatim verò hoc præterire non poſſumus, quod occurrit

Roſh haſhanah, cap. 2. hal. 1. *Antiquitùs recepe-*

Digitized by Google

CAP. XXIII. VERS. 8,9.

receperunt teſtimonium de Novilunio à quovis homine : אשקלקלו המינים , *Poſteà verò cùm fallaciter agerent hæretici*, &c. Sic legit Miſna Hieroſolymitana. At Babylonica, משקלקלו הביתוסין , *Poſtquam fallaciter*, aut *leviter agerent Baithuſæi.* Et Miſna ſeorſim edita Amſterdami , משקלקלו האפיקורוסים , *Cùm leviter agerent Epicuræi.*

Ubi Gemara utraque : *Conati ſunt Baithuſæi in errorem ducere Sapientes, & conduxerunt quadringentis Zuzæis unum de noſtris , alterum de ſuis , ut falſo teſtarentur de Novilunio , &c.* Rationem reddunt gloſſatores.

Incidit dies triceſimus τοῦ Adar in Sabbatum , & non apparuit Novilunium in tempore ſuo , & ambierunt Baithuſæi , ut primus dies Paſchatis incideret in Sabbatum , ut oblatio manipuli incideret in primum hebdomadis , & ſic dies Pentecoſtes in primum hebdomadis.

Quinam jam ſunt Baithuſæi ? Sadducęi , an Samaritani , an Chriſtiani , an aliquid quartum ? Chriſtiani volunt , diem Pentecoſtes eſſe primâ Sabbati : ſed an eos velint in hac particula , judicent alii. In aliis aliter.

Hieroſ. Joma, fol. 39. 1. *Quare adjurant Summum Pontificem*, ut ritè pręſtet opus diei Expiationis ? *Propter Baithuſæos , qui dixerunt , Suffitum faciat ab extrà , atque introducat ad intrà. Hiſtoria eſt de quodam , qui ſuffitum fecit ab extrà , atque introduxit ad intrà. --- De quo dixit quidam : Mirarer ego , ſi iſte diu viveret. Dicunt quòd intra pauxillum temporis obiit.* Crederes hunc Pontificem fuiſſe , & Baithuſæum.

VERS. 9. Γραμματεῖς ἐκ μέρους τῶν Φαρισαίων.

Nam etiam erant Γραμματεῖς ἐκ μέρους τῶν Σαδδουκαίων. Atque ex utraque parte Γραμματεῖς non diſtinguendi ſunt , vel à Phariſæis , vel Sadducæis , qui præſentes jam erant in Synedrio ; ſed hoc vult , Γραμματεῖς , qui erant de ſecta & profeſſione Phariſaica , vel Sadducæa. Atque per hanc dichotomiam intelligitur totum Synedrium.

Si verò & ſtrictiùs rem ſumptam velis , erant in Synedrio Scribæ , qui ſteterunt à partibus Phariſæorum contra Sadducæos , qui tamen non forent de Secta Phariſaica. Crediderim & Shammæanos & Hillelianos adverſatos fuiſſe Sadducæis ; omnes tamen fuiſſe Phariſæos vix crediderim. Diſputant illi & rixantur inter ſe frequentiſſimè in paginis Talmudicis ; at nec hos nec illos faviſſe Sadducæis arbitror , nec omnes faviſſe Phariſaiſmo. Sanguinolenta inter eos pugna refertur

Hieroſ. Shabb. fol. 3. 3. *Shammæani* (qui tùm erant numero plures) *ſteterunt ab infra , atque interemerunt quoſdam Hillelianos.* Hoc factum eſt in domo Hananiæ ben Ezechiæ ben Garon , quem ægrotantem venerunt viſitatum. Amica certè viſitatio.

CAP. XXIII. VERS. 11, 12. CAP. XXVIII. VERS. 1.

VERS. 11. Οὕτω σε δεῖ καὶ εἰς Ῥώμην μαρτυρῆσαι.

Hinc licentia & intimatio Paulo , appellandi Cæſarem. Rarius erat Judæo appellare tribunal Ethnicum , & dirum malitiæ venenum ſapuit , quòd Synedrium Salvatorem traderet judici Gentili. Paulus igitur , cùm nullum evadendi modum videret aut locum , ex hac viſione edocetur quid agendum.

VERS. 12. Μήτε φαγεῖν , μήτε πιεῖν , &c.

Verùm quid ſi Anathematizatio veſtra veſtrum irrita fiat , ut non poſſitis interficere Paulum , ô boni , (quod & evenit) quid fiet de vobis miſeris inediâ perituris ? Φεῦ , nos , parùm de iſta re ſolliciti , habemus Rabbinos , qui votum noſtrum ſolvent facillimè.

Hieroſ. Avodah Zarah, fol. 40. 1. לאחד שנדר מן הככר ווי דייכול ווי דלא ייכול , *Homini qui vovit ſe abſtenturum à cibo , Væ ſi edat , Væ ſi non edat. Si edat , peccat in votum ſuum : ſi non edat , peccat in vitam ſuam. Quid ei hìc faciendum ?* ילך אצל הככים ויתירו לו ארת נדרו , *Adeat Sapientes , & illi ſolvent ei votum ſuum. Sicut ſcribitur : Lingua Sapientum eſt ſanitas*, Prov. 12:18. Non mirum , ſi prodige & prodigiosè voverent , cùm tàm facile ſolverentur vota.

CAP. XXVIII.

VERS. 1. Μελίτη.

PLin. lib. 3. cap. 8. *In Siculo freto ſunt Inſulæ in Africam verſæ , Gauros , Melita à Camerina LXXXIV. M. P. Lilybæo , CXIII. M. P.*

Ptolomæus eam numerat inter inſulas Africæ πελαγίας. Sic enim ille diſtinguit : Νῆσοι τῇ Ἀφρικῇ παρακείμεναι πλησίον τῆς γῆς. Et Νῆσοι πελάγιαι τῆς Ἀφρικῆς. Inter has poſteriores occurrit *Melite inſula , in qua civitas*

Melite.	38. 45. 34. 40.
Et Cherſoneſus.	38. 40. 34. 45.
Et Junonis Templum.	39. — 34. 40.
Et Herculis Templum.	38. 45. 36. 6.

Strab. lib. 6. Πρόκειται δὲ τοῦ Παχύνου Μελίτη , καὶ Γαῦδος π΄ καὶ η΄ μίλια ἑκατέρας ἀμφότεραι διέχουσαι. *Ante Pachynum jacet Melite*

Digitized by Google

CAP. XXVIII. VERS. 2.

Melite & Gaudus (Plinio *Gaurus*) LXXXIII. *ab utraque* (Sicilia & Pachino) *ambæ diſtantes milliaribus*: ubi Lat. Interpres habet LXXXVIII. *ſtadia*, immani menſuræ defectu.

Cùm igitur, atteſtante eodem Strabone, lib. 17. diſtantia inter Carthaginem & Lilybæum Siciliæ foret, Χιλίων καὶ πεντακοσίων σαδίων, *mille & quingentorum ſtadiorum*, vel ducentorum ferè milliarium, diſtaretque Melite à Lilybæa CXIII. M. paſſ. patet, inſulam iſtam ſitam eſſe in medio ferè inter littus Siculum & Africanum, Carthaginenſium olim ſub dominio: à quibus forſan & inditum lingua ſua, *Melita*, id eſt, *Evaſio* vel Effugium, à מלט, *evadere*, ob evaſum navigantibus ex Africa periculum Syrtum. Erat certè jam evaſio Paulo cæteriſque ſimul naufragis.

VERS. 2. Οἱ δὲ βάρβαροι, &c.

Coloſſ. 3:11. Ἕλλην, Βάρβαρος, Σκύθης.

I. Dicti ſunt Gentiles à Judæis יונים, Ἕλληνες, partim quòd Græci præ omnibus Gentibus præcellerent linguâ & literaturâ, partim quòd ſuccubuerant Judæi tot annis ſub Imperio Græcorum, Ptolomæorum hinc, illinc Seleucidarum. Hinc 1. חכמת יונית, *Sapientia Græca* ſumitur vulgò à Magiſtris pro quavis literatura Ethnica, in qua claſſe præcelluit Græca. Unde illud *Megill.* fol. 9. 1. יופיתו של יפת יהא באהלי שם, *Pulchritudo Japheti erit in tabernaculis Semi.* Ubi Gloſſ. *Hæc eſt lingua Græca, venuſtior quâvis linguâ filiorum Japheti.* Et *Aruch* in יון : כתיבה יון מובחרת : *Scriptura Græca elegantiſſima.* Atque hinc 2. quòd annos ſupputarent Judæi, etiam jam ſub Imperio Romano exiſtentes, per epocham & æram Græcorum, Seleucidarum ſcilicet. Unde cavillatio iſta Sadducæi,

Jadaim, cap. 4. hal. 8 *Dixit Sadducæus quidam: Redarguo vos, ô Phariſæi, quòd ſcribatis Imperatorem cum Moſe.* Gloſſ. *In literis contractuum ſcribunt annos Regum, & hoc etiam*, החוא כדת משה וישראל, *Et hoc eſt ſecundùm Legem Moſis & Iſraelis.* Ut numerarint per annos Seleucidarum. Vide *Joſephum* & librum *Maccab.*

II. Eo modo quo vocarunt Judæi omnes Gentiles Græcos, vocarunt Græci omnes Gentes, præter ſuam, *Barbaros.* Rationem nominis diſcutit *Strabo* fusè lib. 14. ad quem lectorem remittimus. Etymon nominis forſan cognationem aliquam habet ad בר Chaldaicum, quod *extra* ſignificat: unde בר, *Alienus* vel *Alienigena*, Interpreti Samaritico eſt בראי, *Extraneus*, ut בר בראי ſit *valdè extraneus*, voce duplicatâ. At mittimus etymologias: obſervantes interim, Syrum loco *Coloſſ.* allegato, pro Ἕλλην habere ארמיא, pro Βάρβαροι יוניא, (quod præcipuè notandum) & pro Σκύθης ברבריא.

CAP. XXVIII. VERS. 4, 5, 10.

Unde hi Melitenſes dicti Barbari, obſcurius, cùm omni abſque dubio fuerit inſula ſub ditione Romanorum, quod & arguit nomen *Publius*, qui inſulæ Princeps. Videntur tamen incolæ eſſe Africani, huc traducti per Pœnos, cùm illi inſulæ potirentur.

Nam vix arbitror, Lucam vocare velle Romanos *Barbaros*, cùm & ea foret gens cultiſſima, & ambirent omnes nomen Romanum, & Paulus ipſe eſſet adeptus. Traducti forſan fuerunt Melitenſes ex ipſa Barbaria, ut pars iſta Africæ tandem eſt nuncupata.

Jevamoth, fol. 63. 2. *Dixit ſtultus in corde ſuo: Non eſt Deus.* אילו אנשי ברבריא ואנשי מרטניא, *Hi ſunt homines Barbariæ & homines Mauritaniæ, qui nudi ambulant in plateis. Nec eſt quicquam odioſius aut execrabilius coram Deo, quam ille qui incedit nudus in platea.*

VERS. 4. Ἡ δίκη ζῆν οὐκ εἴασεν.

Non abſimile eſt illud Judæorum in *Sanhedr.* fol. 37. 2. & *Bemidbar Rabba*, fol. 259. 2. *Quamvis ceſſaret Synedrium, quatuor mortes non ceſſarunt tamen. Qui enim meruit lapidationem, aut decidit de tecto, aut fera aliqua eum dilaniavit. Qui meruit uſtulationem, aut incidit in focum, aut ſerpens eum momordit. Qui meruit occiſionem per gladium, aut traditur in manus regni Ethnici, aut irruunt in eum latrones. Qui meruit ſtrangulationem, aut ſuffocatur in aquis, aut perit anginâ.*

VERS. 5. Ἀποτινάξας τὸ θηρίον εἰς τὸ πῦρ, &c.

Primum ſignum miraculoſum in Sacris Literis eſt circa ſerpentem, *Exod.* 4. Sic & hoc ultimum: utrumque enim bene numerari poteſt inter merè ſigna.

VERS. 10. Οἳ καὶ πολλαῖς τιμαῖς ἐτίμησαν ἡμᾶς.

Id eſt, multis donis munerarunt nos.

Bemidbar Rabba, fol. 239. 3. *Dixit Manoah Angelo Domini: Quodnam tibi nomen, ut, cùm evenerit verbum tuum*, וכברנוך, *honoremus te?* Id eſt, ונתן לך דורון, *demus tibi donum: nec aliud eſt* וכברנוך, *& honoremus te, quàm aliquo dono, ſicut dicitur* כבד אכבדך, *Honorando honorabo te*, Numer. 22:16. Sic 1 *Tim.* 5:3. *Viduas honora*, &c.

CAP. XXVIII. VERS. 11.

VERS. 11. Παρασήμῳ Διοσκούροις.

Cui erat inſigne Caſtor & Pollux, (Gemini in Zodiaco) picti vulgo equis inſidentes. Et ſic apparuerunt (ſi referenti credes) in pugna ad lacum Regillum, equitatum Romanum ducentes, & ferientes hoſtem, ità ut eorum ductu obtenta ſit victoria, *Dionyſ.* lib. 6.

Aſt minùs fortunatè apparuerunt Pſeudo-Caſtores iſti, de quibus

Pauſan. in Meſſeniacis, vel lib. 4. Λακεδαιμονίων ἐπὶ στρατοπέδου Διοσκούροις ἑορτὴν ἀγόντων, &c. *Lacedæmoniis intra caſtra feſtum Caſtorum celebrantibus, atque ad potationes ac luſus jam converſis, poſt prandium Gonippus & Panoremus* (juvenes duo Meſſenii populationibus Laconum ſueti) *de improviſo ſe Lacedæmoniis oſtendunt, tunicis albis & chlamydibus purpureis induti, equiſque pulcherrimis vecti. Lacedæmonii eos videntes, rati Caſtores eſſe, atque ad propria feſta adveniſſe, eos adorant, iiſque ſupplicant. At juvenes, ubi primùm in medios recepti ſunt, per omnes perrumpunt, ubique haſtis ferientes; & ſic occumbentibus multis, redeunt ſalvi ad Audaniam, ſic contempto Caſtorum feſto.*

Ex horum Pſeudo-Caſtorum habitu facile eſt conjectare, quânam formâ picti ſint illi, qui, judice decepto populo, erant Caſtores veri. Venuſti juvenes, venuſtiſſimè veſtiti, atque inſidentes equis. Effigiantur tamen aliquando pedites, ut in obſcuro iſto ejuſdem Pauſaniæ loco.

In *Atticis*, vel lib. 1. Τὸ δὲ ἱερὸν τῶν Διοσκούρων ἐστὶν ἀρχαῖον, αὐτοί τε ἑστῶτες οἱ παῖδές καθήμενοι σφίσιν ἐφ᾽ ἵππων. Ubi Lat. Interpretes: *Caſtorum Templum perantiquum eſt, in quo ipſi juvenes equis inſidentes ſpectantur.*

At verba Authoris planè hoc volunt, quod *ipſi Caſtores effigiarentur ſtantes, & pueri eorum inſidentes equis.* Parallelum quid in Corinthiacis, vel lib. 2. facem huic loco præfert: Μετὰ δὲ ταῦτα Διοσκούρων ναός. Ἄγαλμα δὲ αὐτοί τε καὶ οἱ παῖδές εἰσιν Ἄναξις καὶ Μνασίνους, σὺν δὲ σφίσιν αἱ μητέρες Ἱλάειρα καὶ Φοίβη. *Poſt hæc eſt Templum Caſtorum. Effigiantur autem ipſi & filii eorum Anaxis & Mnaſinous, unàque cum iis ipſorum matres Hilaria & Phœbe, Dipœni & Scyllidis arte facti, è ligno ebeno. Ipſis etiam equis major pars ex ebeno facta reliqua, exigua quidem, ex ebore.*

Creditum eſt, hos Caſtores eſſe numina navigantibus propitia. Atque an ideoque eò lubentiùs Centurio nuper naufragus, navi tale inſigne geſtanti ſe committit? Et quid ad hanc ſuperſtitionem Paulus? Novit ille, ſe ſub meliori numine & tutela convehi, & probabile eſt, ipſum Centurionem aliquid Chriſtianiſmi imbibiſſe, & mirum eſt, ſi non ex diutinâ ſocietate Pauli aliqui etiam ex militibus. Sed videtur, non præſtò fuiſſe aliam navim, ſaltem non aliam, quæ tenderet in Italiam.

CAP. XXVIII. VERS. 13, 15.

VERS. 13. Ἤλθομεν εἰς Ποτιόλους.

Πόλις ἐμπόριον μέγιστον, χειροποιήτους ἔχουσα ὅρμους, *Strab.* lib. 5. *Urbs emporium maximum, & ſtationes navium habet manu conſtructas.* Unde minus mirum, ſi illìc jam Chriſtiani, vel aliunde hìc mercaturam exercentes, vel à mercatoribus aliunde hîc exercentibus Chriſtianiſmum edocti.

Hujus loci cum hac hiſtoria eſt mentio in *Echab Rabbathi*, fol. 81. 2. *Rabban Gamaliel, & R. Eliezer ben Azaria, & R. Joſua, & R. Akiba*, נכנסין לרומי. ἦλθον εἰς τὴν Ῥώμην, id eſt, *iter fecerunt ad Romam*, (ut hìc *verſ.* 24. Ἤλθομεν εἰς τὴν Ῥώμην, *Pereximus verſus Romam*) ושמעו קול המונה של רומי בפוטליילוס, *& audierunt ſonitum multitudinis Romæ diſtantis centum & viginti milliaribus. Inceperunt ergò illi flere: at R. Akiba riſit. Cui illi: O Akiba, tene ridere, dum nos flemus? Et ille: Atque eccur vos tandem fletis? Reſpondent illi: Nonne nobis flendum, cùm Ethnici hi idololatræ, idola ſua adorantes, ſecuri ſedent & proſperi & quieti, dum interim Templum ſcabellum pedum Dei noſtri ſit incendium, & habitatio ferarum? Nonne nobis igitur flendum? Quibus ille: Hujus ergò ego rideo; nam ſi tam proſperè ſit iis, qui Dei iram provocant, multò magis erit iis qui voluntatem ejus faciunt.*

Recitatur hæc hiſtoria in *Maccoth*, fol. 24. 1. ubi pro פוטליילוס, *Puteolus*, eſt פרטיר, cùm tamen Gloſſator in locum ex *Echab Rabbathi* citatum, dicat: *In capite tertio Tractatus Maccoth ſcribitur* פטולים.

Puteolis manent Paulus reliquique dies ſeptem, rogantibus loci iſtius Chriſtianis; quod cedit in honorem Centurionis: nam imploranda priùs ejus venia, cujus conceſſio, arguere aliquantum poteſt ejus favorem erga Chriſtianiſmum.

VERS. 15. Ἐξῆλθον εἰς ἀπάντησιν ἡμῖν ἄχρις Ἀππίου Φόρου καὶ Τριῶν Ταβερνῶν.

Celebrantur ab Authoribus *Via Appia*, atque *Appii forum*: at *Trium Tabernarum* mentio non adeo frequens. *Zoſimo* ſunt Τρία καπηλεῖα, lib. 2. ubi inſidiis *Maximiani Herculii* & *Maxentii* ejus filii, ſtrangulatur *Severus* Cæſar.

FINIS.

CHRI-

IN
ACTA
APOSTOLORUM
COMMENTARIUS
CRONOLOGICUS & CRITICUS,

In quo

Textus difficultates explanantur, tempora Hiſtoriæ in Annales rediguntur, res denique Judæorum & Romanorum in ratione temporum brevi collatione invicem comparantur.

Digitized by Google

Digitized by Google

CHRISTIANO LECTORI.

QUæ me rationes ad tripartitam hanc Hiſtoriam colligendam commoverunt, partim me ipſum reſpiciunt; contemplari ſcilicet geſtientem tempora & res geſtas hinc ſeculi, illinc Eccleſiæ invicem coincidentes: partim lectorem meum, cui concinna varietate gratum me facturum exiſtimavi: præcipuè verò ut uterque noſtrûm obſervaret manum Dei benignam & gratioſam in conſervanda & propaganda Eccleſia, juſtam autem & vindicatricem in indignatione & judiciis adverſus duas illas nationes, quæ perſecutæ ſunt Eccleſiam, ſiquidem id potuiſſent, ad interitum, ut perduxerunt Dominum Eccleſiæ, eundemque Dominum vitæ. Quemadmodum enim fuere duo latrones, qui cum Servatore crucifigebantur, unus ad dextram, alter ad ſiniſtram: ita duo fuere illis multo deteriores, qui ipſum crucifigebant, Judæus & Romanus; prior ex ignorantia, & ſic obtenturus veniam; poſterior contra confeſſionem innocentiæ ſuæ, & ſic periturus in æternum: utrique, tam perſecutores Eccleſiæ, quàm crucifixores Domini Eccleſiæ; Judæi, dum ipſi non deſinent eſſe natio; Romani, dum Eccleſia erit Eccleſia. Conſideratio hujuſce rei non admittit tantùm, ſed poſtulat quoque, ut in Hiſtoria non ad Eccleſiam tantùm, ſed gentes etiam illas duas attendatur, quò clariùs indagari queant veſtigia, quæ divina providentia impreſſit, exercendo per mundum hinc gratiam, inde judicium; illam circa Eccleſiam, hoc adverſus duas haſce nationes, hoſtes & perſecutores ipſius Domini. Suſcepi itaque hæc explicare ab illo ipſo tempore, quo hi duo populi ruinam in ſeipſos concitarunt, vim inferendo Domino gloriæ. Quò autem uſque ſermo hic ſit illa producturus, hoc volumen in præſens aperiet; ita tamen, ut animo, ſi Dominus permittit, ad ulteriora reſpiciam.

Hiſtoriam Eccleſiæ, prout in Apoſtolorum Actis ordine ſequitur, ſecutus ſum; in quo id potiùs curavi, ut explanarem quæ in textu occurrerent difficultates, quàm ut quicquid ibi geſtum refertur, univerſum exſcriberem: poſtquam enim id Apoſtolus executus fuit calamo divino, nihil opus fuit, ne quid ampliùs dicam, ut idem meo iterarem.

Tempora Hiſtoriarum quæ iſtic deſcribuntur, tanto ſtudioſiùs inveſtigavi, & quàm potui correctiſſimè deſignare & figere, inque Annales digerere laboravi, non tantùm propter lectoris commodum, quod ex ejus notitia non leve exurget; ſed etiam ut alterius gentis hiſtoriam paralleliſmo perpetuo illis oppoſitam exhiberem ſpectandam. Quas ego in negotio hoc difficultates offenderim, quilibet facilè exiſtimaverit, qui obſervavit, quàm parcè Spiritus Sanctus per omnem hunc librum rerum narrationi temporum circumſtantias adjecerit. Quicquid autem præſtiti, hac obſeptus difficultate in aſſignando res ſingulas ſuis temporibus, velut probabiles tantùm conjecturas exhibui: nec enim ulteriùs ire datum fuit. Has tamen conjecturas iis fulcivi rationibus, quæ mihi in hac materia maximè ſatisfacerent, & fortè etiam aliis.

Hiſtoriam in hoc volumine modò ad Caput duodecimum perduxi: Euangeliſta enim qui librum compoſuit, huc uſque ſpecialiùs diſſerit de plantatione Eccleſiæ & propagatione Euangelii inter Judæos. Reliquum autem libri, quod Eccleſiam & Euangelium introducit ad Gentes, alteri volumini reſervavi, ſi Deus vitam, otium & auxilium largiatur.

Conſuetudines & ritus Apoſtolicorum horum temporum in cultu & diſciplina diſcutere ſuperſedi; textus enim, quouſque hæc commentatio noſtra pertingit, eò non ducit: in parte ſecutura, in qua Epiſtolæ Pauli, quoties ad illud tempus pertinebunt, in manus erunt ſumendæ, conſiderationes hujuſmodi uſu venient, neque evitari poterunt.

Hiſtoriam Judæorum, petitam ex ipſorum Joſepho, Philone, Egeſippo, aliiſque, lector reperiet nihil eſſe niſi commentarium ſuper propriis illorum verbis, Sanguis

Digitized by Google

illius veniat ſuper nos & ſuper liberos noſtros; *ſcriptum etiam proprio ipſorum ſanguine, continuâ temporum ſerie. Poſtquam enim perverſa hæc & impia generatio eo uſque aſpernata fuerat Euangelium & ſalutem propriam, ut crucifixiſſent Dominum, qui illa ipſis offerebat,* ex illo fluere & retro ſublapſa referri res illorum. *Ex eo tempore deinceps exitium illorum & rerum inclinatio per omnes hiſtorias conſcripta legitur charactere adeo grandi, ut is qui tranſcurrit facilè legat, iſque qui legit ne legat quidem, niſi id intelligat. Breve hoc temporis ſpatium, quod volumine hoc continetur, exhibiturum tibi eſt tres quatuorve, vel eo amplius lectiones anatomicas, de cæde multorum millium Judæorum, qui miſerè perierunt ante finitos annos duodecim, in* Judæa, Alexandria, *& in* Babylonia; *neque hoc aliud eſt, quàm initium miſeriarum, quæ ſecuturæ erant in deſtructione totius nationis, propter contemptum & cædem ejus qui vitam iis offerebat; ipſi autem eligebant illius & ſuam mortem. Quidam Autorum, qui miſeriarum illorum hæc primordia exhibuerunt, ſcenam continuaturi ſunt tragœdiis aliis, ad extremam uſque illorum extirpationem: quarum compendium ab illis ſumemus mutuò in parte altera, ſi Dominus benedictione ſuâ opus provehat.*

Quàm verò gratum atque excellens opus & labor foret, ſi inde, ubi Joſephus & Egeſippus Hiſtoriam claudunt, Hieroſolymâ everſâ, doctus quiſpiam & prudens ſcriptor ex Judæorum Talmude & Rabbinis aliiſque ſcriptoribus Hiſtoriam diſperſæ & damnatæ gentis continuaret uſque ad extrema hæc tempora, quò pateret veritas prædictionum Scripturæ, quæ judicia illorum prædicit; & conſtaret juſtitia, quæ illos ab eo ipſo tempore ob cædem juſti illius, quem crucifixerunt, continuò proſecuta eſt.

Hæc ſunt duo præcipua, ad quæ reſpexi in relatione Hiſtoriarum, quas volumen hoc exhibet. Quod ſi lector, cui majus otium eſt, ampliùs ulteriùſque meditetur ſuper ſpectaculis tam mœſtis, pepercerit meo labori, nec fortè perdiderit ſuum.

Romanam Hiſtoriam, tertiam illarum quibuſcum nobis res eſt, quibus characteribus inſignire & deſcribere conveniat, lubens ad lectorem refero; mihi enim, ingenuè fateor, deſunt: adeo plena eſt veritate tam horrendâ & monſtroſâ, ut lectoris oculos exſatiet, & animum percellat; & quanquam is nihil habet quod rerum veritati opponat, tamen non invenit quod congruè de illis tam horrendis dicat. Ea hîc monſtra habemus ſitis, ſanguinis & crudelitatis, ea prodigia libidinis & feritatis, eas Gorgones exceſſus & luxuriæ; breviter dicam, complementa vitii omnis & impietatis, ut minimè conveniret illorum mentionem facere in Hiſtoria Chriſtiana, niſi conveniret maximè, in ipſis comprobare acre Dei odium adverſus civitatem illam Antichriſtianam. Produxi eos, quales inveni in propriis illorum Hiſtoricis, & quam breviſſimè à me fieri potuit, explicui, atque ad propria illorum tempora retuli, ſecutus auctoritatem illorum, qui inter ipſos Annales contexuerunt. Politicas ethicaſque, vel ejuſcemodi obſervationes Hiſtoriæ illorum addere aliis relinquo, utpote quod nec otio nec conſilio meo convenit. Ego monſtrum tantum oſtendo cuilibet oculo qui ejuſmodi belluam deſiderat intueri, de qua judicium unuſquiſque ferat prout lubet: hoc tantùm monitum velim, in tantis flagitiis non parva judicia eſſe colligenda, & civitatem illam minimè omnium caput Eccleſiæ videri, quæ tam manifeſtè eſt cauda Diaboli. Roma occiderat Dominum Sanctitatis Hieroſolymæ, & Roma volutatur in ejuſmodi cædibus & profanitate domi; ut utrum æquius ſit, ut à Chriſto ſumatur pro Zione, *an* Babylone, *quilibet facilè cenſeat.*

Ea fuit ſtudiorum meorum ratio in elaboranda Harmonia quatuor Euangeliſtarum & hujus Hiſtoriæ, ut ſimul illas creſcere & compleri ſiverim: aliqua enim videbatur eſſe in diviſione proportio, ſi partirer ſtudia mea inter Hiſtoriam Chriſti in Euangeliis, & Hiſtoriam Eccleſiæ in Actis Apoſtolorum, & Hiſtoriam reliquam gentis Judaicæ & Romanæ animo oblectando deſtinarem. Nec diſplicet eodem ordine in lucem edere, quo concepi & genui, & illas iis viciſſitudines permittere, quas olim obtinuerunt.

CHRI-

Digitized by Google

CHRISTIANA, JUDAICA ET ROMANA HISTORIA,

AD

Æram CHRISTI XXXIII.

TIBERII XVIII.

A. M. 3960. U. C. 785.

Coſſ. { *Cn. Domitio Ænobarbo.* *Furio Camillo Scriboniano.* }

COMMENTARIA IN ACTA APOSTOLORUM.

CAPUT I.

VERS. 1. *Scriptum prius ſcripſi, &c.*

* כתבא Si. nempe vertunt βίβλον, Matth. 1:1.

VErſio tam *Syr.* quam *Arab.* ſic ſe habet. * *Librum priorem ſcripſi.* Ita etiam vox λόγος ſonat apud Autores prophanos, ut quæ denotet non tantùm orationem ex ore & labiis pronunciatam, ſed & tractatum ſive ſyntagma ſcriptis mandatum, quod exemplis innumeris oſtendi poterit. Unum illud ſat ſit, quod apud *Lucianum* occurrit (ut ut *Lucæ* imparem) in titulo Libri primi *veræ Hiſtor.* Ἀληθῶς ἱστορίας λόγος πρῶτος.

Verùm Euangeliſta noſter in hiſtoriæ hujuſce limine idcirco *ſuperioris ſui Tractatus* mentionem facit, quoniam a fine *Euangelii* ſui orditur librum *Actorum Apoſtolorum*, qui nempe horum geſta, uti illud vitam & doctrinas D. N. Jeſu Chriſti contineret. Unde etiam verba proximè inſequentia, *de omnibus quæ cœpit Dominus noſter Jeſus Chriſtus facere & docere*, id ſibi fortaſſis velint, quaſi quod *cœpit Jeſus* finierunt Apoſtoli. Et fatendum tamen quòd in ſacra phraſiologia haud diverſim ſonant *incipere facere*, & *facere*. Confer *Matth.* 12:1. cum *Luc.* 6:1. nec non *Marc.* 6:2. cum *Matth.* 13:54.

Methodus ſcribendi quam Euangeliſta ſibimet præſcripſit & ſequutus eſt, planè hæc videtur. Ab initio libri ad finem *Cap.* 12. ſtatum Eccleſiæ & Euangelii quoad Judæos delineat; dein verò ad finem uſque libri idem filum nectit quoad Gentes. Quamobrem, etiamſi titulus libri præ ſe fert *Acta Apoſtolorum* quaſi *Apoſtolorum* in genere, videtur tamen ſpeciali quodam modo par iſtud Apoſtolorum *Petrum* & *Paulum* præ cæteris ſpectare, *illum* ſcil. ad *Cap.* 13. *hunc* verò ad finem uſque, utpote quorum miniſterium peculiari quâdam ordinatione, *hujus* ad Præputium, *illius* ad Circumciſionem tantùm determinatum erat, *Gal.* 2:8. Haud abſimile ipſi *Moſi*, qui computationem primariorum familiarum paternarum per omnes Tribus Iſraëliticas generatim in titulo præ ſe fert, *Exod.* 6:4. dum in unica Tribu Levitica ultimatim ſe figit, nec ultra progreditur, quoniam hiſtoriæ ſuæ res & materia circa *Moſem* & *Aaronem* ex iſta Tribu oriundos, præſertim verſata eſt.

De

ANN. CHRIS. 33.

De omnibus quæ cœpit Jeſus & facere & docere

Ne hîc ſuppone *Lucam* omnia ſcripſiſſe quæ fecerat *Jeſus*: hæc enim ſigillatim ſcribi non poterant, *Joann.* 21: 25. Verùm I. ſcripſit neceſſaria omnia & quæ prætermitti non debuerunt, *Theophylact. Calvin.* II. Πάντα pro πολλῶν, *omnia* pro *multis*, figurâ Sacro Codice non inuſitatâ. III. Quod præcipuum eſt, nonnihil attigerat ex omnibus capitibus quæ tam geſta quam doctrinam *Chriſti* ſpectarent: etenim non dixit πάντα, ſed περὶ πάντων, *Camerar.* Vel denique IV. uti mulier *Samaritana* habet, *Joann.* 4:29. *Videte hominem qui dixit mihi quæcunque feci.* Chriſtus equidem ipſi non niſi pauca quædam dixerat; ſed ea quæ certam eam fecerunt, quam facillimè potuiſſet omnia ſigillatim eruiſſe. Pari ratione *Lucas* noſter haud ſingulam actionem vel doctrinam quam Chriſtus cunque vel fecerat vel docuerat ſpeciatim perſcripſit; talia vero & tot, quæ *Chriſtum* ipſiſſimum fuiſſe *Meſſiam* arguiſſe indubiò poſſint.

VERS. 2. *Ad eum uſque diem quo quum per Spiritum Sanctum mandata dediſſet Apoſtolis quos elegerat.*

Nonnulla eſt tam in interpunctione quàm in lectione hujuſce perioches diverſitas. Sunt qui verba legunt eodem ordine & ſitu quo *Angli*, & ſic iſta *per Spiritum Sanctum* applicant ad Chriſtum *mandata exhibentem*: e. g. *Quum per Spiritum Sanctum mandata dediſſet*: ita *Vulg. Theophyl. Marlorat.* aliaque exemplaria plurimis accepta. Alii verò, v. g. *Syr.* & *Arab.* quos etiam ſequutus eſt *Beza*, verba in hunc modum connectunt: *Quum mandata dediſſet Apoſtolis quos per Spiritum Sanctum elegerat.* Verumenimverò quod ad ſummam rei ſpectat, non multùm refert utri inclines: etenim æquali jure Chriſtus dici debet *mandata ſua Apoſtolis per Spiritum Sanctum dare*, ac eos *per eum eligere*, & ſic vice verſâ. Sed abs re hîc non eſt perpendere,

I. Quòd æquius eſt conjectari Chriſtum Diſcipulis ſuis, quum eos vocaſſet, Spiritum Sanctum donaviſſe, quàm ipſum eo fine Spiritu Sancto indutum, quo jus eos vocandi haberet.

II. Nullam rei iſtiuſmodi mentionem habemus; h. e. quoad negotium Spiritus Sancti in actu eligendi; quum id tamen expreſſè nobis indicatur tempore quo Apoſtoli mandata ſua & delegationes receperint. Atque ea propter, non modò verborum interpunctio, multo tam exemplarium quam Interpretum conſenſu firmata, noſtratium *Anglorum* verſionem credibilem fecit; quin & res ipſa, hiſtoriæque veritas & contextus poſtulat ut ſic legi debeant. Verum tamen quâ ratione Chriſtus diceretur *mandata ſua per Spiritum Sanctum dediſſe*, & quale illud mandati genus eſſet in hunc modum exhibitum, lis non ſpernenda in hunc diem agitur. ANN. CHRIS. 33.

Equidem alicubi habemus Chriſtum ſufflantem ſuum Spiritum in eos, *Joann.* 20: 22. & mandatum eis unum vel alterum datum: v. g. *Profecti ergo, docete omnes Gentes*, *Matth.* 28:19. nec non ut *ne abſcederent ab Hieroſolymis*, *ſed expectarent promiſſionem Patris*, *Actor.* 1:4. Horum ſenſum Interpretes fere omnes reddunt quaſi Chriſtus virtute Spiritus Sancti in ſeipſo agentis, mandata hæc dederit. Interea verò tam ſtilo quam phraſeologiæ Sacræ Scripturæ multò affinius videtur ex his conjicere, Chriſtum cum Spiritum Sanctum Diſcipulis ſuis inflaſſet, præcepta ſua communicaviſſe, non proprio ore, ſed dictante Spiritu Sancto intus jam habitante: quo etiam modo Prophetæ olim mandata receperant, *Zachar.* 1:6. Ubi LXX. unam atque eandem vocem Græcam uſurpant. Etenim

I. Cui aliter fini ſufflaret *Jeſus* Spiritum ſuum, juberetque ut eum reciperent? Proculdubio plus illi quam nudam ſufflandi actionem experti ſunt; & quid illud niſi Spiritum Sanctum, qui eos de rebus adhuc ignotis (ſed ſcitu dignis) erudiendos curaret, juſſiſque ſuis peragendis dirigeret?

II. Idcirco notatu dignum eſt quod in die Pentecoſtes Apoſtoli *acceperunt* δύναμιν, *verſ.* 8. & *Luc.* 24:49. *Virtutem* quâ id muneris defungerentur, quod à Chriſto antea in mandatis habuerant. Certè Chriſtus non jugiter ad latera Apoſtolorum hærebat, eos verſando & docendo aſſiduus: ſed per intervalla acceſſit & receſſit, prout ei viſum fuit. Primâ itaque nocte quâ ſe eis exhibuit, Spiritum ſuum diſpertiit, qui eos dirigeret, & in mandatis daret quid & quomodo ſe gererent in vocationis ſuæ negotio. Hunc in eligendo *Matthiâ* ducem & directorem primò experti ſunt.

VERS. 3. *Quibus etiam ſeſe, poſtquam paſſus fuit, exhibuit vivum cum multis certiſſimis ſignis.*

Narratur Chriſti reſuſcitatio, unà cum multiplici apparitione poſt reſuſcitationem.

Primo die hebdomadis (*a*) in luce prima, (*b*) dum adhuc tenebræ eſſent, (*c*) profundo diluculo, *Maria Magdalena* (*d*) cum altera *Maria* uxore *Cleophæ* & (*e*) matre *Jacobi* & *Joſis*, etiam *Salome* (*f*) *Zebedæorum* mater, (*g*) & (*h*) *Joanna Chuſæ* (*i*) *Herodis* Procuratoris uxor, aliæque mulieres unà comitatæ ſepul-

(a) *Luc.* 24: 1.
(b) *Matt.* 28: 1.
(c) *Joan.* 20: 1.
(d) *Joan.* 19: 25.
(e) *Luc.* 24: 10. *Marc.* 15: 48.
(f) *Marc.* 16: 1.
(g) Conf. *Matth.* 27: 56. cum *Marc.* 15: 40.
(h) *Luc.* 24: 10.
(i) *Luc.* 8: 3.

Digitized by Google

ANN. CHRIS. 33. ſepulchrum viſuræ, aromata ad propoſitum parata tulerunt. Inter eundum apud ſeipſas dixerunt, (k) *Quis nobis devolvet lapidem?* Sed cùm ad locum ſepulchri ventum eſſet, (l) ſole jam orto, intuitæ viderunt lapidem devolutum. Etenim acciderat ingens terræ motus, (m) atque Angelus Domini è cœlo deſcenderat, devolvens petram ab oſtio, & ſedens ſuper illud. Ingreſſæ mulieres locum ſepulchri, conſpicatæ ſunt Angelum (n) adoleſcenti ſimilem à dextra ſedentem, ſtolâ candidâ amictum; & abſterritæ fuerunt. (o) Dixit Angelus mulieribus, Vos ne timeatis; ſcio enim vós Jeſum quærere qui crucifixus erat: non eſt hic, ſurrexit enim, ſicut dixit. Adeſte, videte locum in quo jacebat Dominus. (p) Et ingreſſæ non invenerunt corpus; quin alios duos Angelos vident (q) in albis veſtibus ſedentes, unum ad caput, & alterum ad pedes ubi corpus jacuerat, qui eas alloquuti ſunt, (r) Quid inter mortuos quæritis eum qui vivit? Mulieres (s) à ſepulchro reverſæ hæc omnia narrant undecim & reliquis. (t) Hiſce auditis accurrunt ſepulchrum unà *Petrus* & *Joannes*, & linteamina quidem comperiunt, ſed Angelos non vident; (u) ideoque reverſis illis domi, *Maria Magdalena* quæ veſtigia Apoſtolorum compreſſerat verſus ſepulchrum rurſus, dum ad oſtium ſtetit, Angelos de novo intus ſedentes conſpexit, vertenſque ſe retrorſum videt etiam *Jeſum* foris ſtantem, quem primo intuitu hortulanum eſſe rebatur.

(k) *Marc.* 16: 3. (l) *Marc.* 16: 2. (m) *Matt.* 28: 2. (n) *Marc.* 16: 5. (o) *Matt.* 28: 5. *Marc.* 16: 6. (p) *Luc.* 24: 3. (q) *Joan.* 20: 12. (r) *Luc.* 24: 5. (s) *Ibid.* 9. *Marc.* 16: 8. (t) *Joan.* 20: 2, 3, 4. *&c.* (u) *Ibid.* 10: 11.

1. *Apparitio.* Primum itaque tempus quo *Jeſus* poſt reſurrectionem apparuit, *Mariæ* fuit, dum ſola erat, *Joann.* 20. à *verſ.* 11. ad 19.

2. *Apparitio.* Eodem die ſe exhibuit duobus ſimul *Emmauntem* verſùs unà profecturis, *Luc.* 24: 13. *Cleophas* ex his unus, *verſ.* 18. *Jacobi* & *Joſis* pater, uti & alterius *Mariæ* conjux. Confer *Joann.* 19: 25. cum *Matth.* 15: 40. Alter erat *Simon Petrus*, *Luc.* 24: 34. 1 *Cor.* 15: 5.

3. *Apparitio.* Sub eandem noctem coram ipſis duodecim ſe ſiſtit, (ita enim Apoſtolus eos denominat 1 *Cor.* 15: 5.) vel coram undecim reliquiſque qui cum eis agebant, *Luc.* 24: 36, 39. His manus ſuas & pedes oſtendit, *Joann.* 20: 19, 20. partem aſſati piſcis & ex favo mellis unà comedens, *Luc.* 24: 42.

4. *Apparitio.* Octavo poſt die ſe rurſum Diſcipulis exhibuit, *Thomam* infidelitatis ſuæ probris laceſſens, *Joann.* 20: 27.

5. *Apparitio.* Ad mare *Tiberiadis* inter ſeptem Diſcipulos quintò comparuit, & *Petro* prædixit quot & quanta is Euangelii cauſâ paſſurus eſſet, *Joann.* 21. Hanc tertiam apparitionem Domini noſtri vocat *Joannes*; tertiam ſcil. quam apud Diſcipulorum gregem ſimul coactum fecerat, & tertiam quam ipſe *Joannes* recenſuerat.

6. *Apparitio.* In Galilæâ iterum ſuper montem ab undecim conſpicitur, *Matth.* 28: 16. nec non à quingentis fratribus unà, 1 *Cor.* 15: 6. quod ideo conjectari licet, quoniam *Jeſus Galilæam*, quin & hunc ipſum montem conſtituerat tanquam locum congrediendi, non ſolummodo à tempore reſurrectionis, *Matth.* 28: 7. verùm & ante crucifixionem, *Matth.* 26: 32. Unde ad hunc ipſum cœtum referri videtur vox iſta συναλιζόμενος, quæ proximo commate occurrit. Sed de hiſce ſuo loco.

7. *Apparitio.* Fit mentio paſſim Chriſti ſeptimò palàm facti præſente *Jacobo*, 1 *Cor.* 15: 7. In hoc verò Euangeliſtæ prorſus ſilent; nec quinam is *Jacobus* ex alterutro eſſet, definivit Apoſtolus.

8. *Apparitio.* Denuo univerſis Apoſtolis conſpicuum ſe dedit, 1 *Cor.* 15: 7. è prævio mandato ſuo apud *Hieroſolymas* coactis, *Actor.* 1: 4. Quos cum *Bethaniam* conduxiſſet, vale eis dicto, diſparuit, *Luc.* 24: 50.

Multis certiſſimis ſignis.

Ἐν πολλοῖς τεκμηρίοις, *multis ſignis*, Syr. & Arab. *Argumentis*, Vulg. Signa indubiæ veritatis & elenchi firmiſſimâ demonſtratione innixi vim exprimunt hujuſce clauſulæ. Unde haud abſonè reddiderunt Angl. *Per ſigna infallibilia.* Horum innumera edidit Chriſtus quæ reſurrectionem abundè confirmarent, quæ in hunc triplicem finem præſertim accommodari videntur.

I. Ut conſtaret Chriſtum revera revixiſſe: cui inſerviunt actiones edendi, ambulandi, nec non cum Diſcipulis verſandi & colloquia habendi.

II. Ut Chriſtum non ut phantaſma quoddam, ſed vero & materiali corpore indutum ſuſpiceremus: obque eam cauſam ſe manuum obtrectationi ultrò obtulit, *Luc.* 24: 39.

III. Ut ſecuri eſſemus unum illud idemque eſſe corpus quod cruci affixum fuerat: atque id propter cicatrices manuum, pedum & lateris monſtravit, *Joann.* 20: 20, 27.

Horum unum vel alterum ſignum in unaquaque vice apparendi conſpicuum fuit: nec dubium tamen eſt, quin ſæpius ſe Chriſtus in terris oſtendit, pluraque edidit iſtiuſmodi quæ ſcripta non ſunt, *Joann.* 20: 30.

Per dies quadraginta conſpectus ab eis.

Δι' ἡμερῶν, inquit *Theophylactus*, non ἐν ἡμέραις, eò quòd Chriſtus non continuè, ſed per intervalla & vices cum Diſcipulis egit. Verùm *Syr.* & *Arab.* reddunt *in diebus quadraginta.*

Quadraginta annis poſt (annum ſupputa pro quovis die, prout *Numer.* 14: 33, 34.) ruerunt *Hieroſolymæ*, & deleta eſt Judæorum Gens: pœnam ſcil infidelitatis ſuæ luentes,

Digitized by Google

ANN. CHRIS. 33.

dum in Chriſto non crederent, qui per reſurrectionem è mortuis adeo inſigniter ſe Filium Dei eſſe oſtenderat, & qui reſurrectionem ſuam per tot ſigna infallibilia, & toties repetitas patefactiones per ſpatium quadraginta dierum, indubitatam reliquerat.

Nec obſervatu indignum eſt, quàm in ipſis ſuppliciis Judæorum culpa conſpicua eſſet. Quemadmodum enim in tempore Paſchali peremerant & cruci affixerant Dominum vitæ: ſic in tempore Paſchali urbs obſidione cingebatur. Verùm ut lectori adhuc clarior appareat divina Nemeſis in Judæos lata, & ut videat quàm in omnibus quadraret vindicta cum crimine infidelitatis, etiam quoad annorum numerum ipſumque anni tempus; haud abs re erit Imperatorum Romanorum ſeriem ſtrictim & breviter dare, quo certiore calculo ipſum tempus & veritas per horum tempora & monumenta conſtiterit, & in progreſſu Tractatûs ſpecialia quædam, quæ & tempus & annum ſpectant, apertiùs & pleniùs elucidari queant.

Imperatorum itaque tempora quæ Chriſti mortem & *Hieroſolymarum* excidium interciderunt, in hunc modum apud Scriptores Romanos numerari ſolent.

Tiberius regnum ſuum auſpicatus circiter diem duodeviceſimum menſis *Auguſti*.

Sedit annos 22. menſes 7. dies ſeptem, *Dion.* Anno regni 23. obiit, *Sueton.* *Martij* 26. *Dion.* ſive 17. Calend. April. *Sueton.* ANN. CHRIS. 33.

Cajus Caligula eum excepit die *Martii* 27. regnavit annos tres, menſes novem, dies 28. *Dion.* Annos tres, menſes decem, dies octo, *Sueton.* Obiit *Januar.* 23. ſive 9. Calend. *Februar. Sueton.*

Summâ rerum potitur *Claudius*, menſis *Januar.* 24. ſedit annos tredecim, octo menſes, & viginti dies, *Dion.* In anno regni ſui decimo quarto fatis ceſſit, *Sueton. Octob.* 13. *Dion.* ſive 3. Id. *Octob. Sueton.*

Nero ei ſuccedit *Octob.* 14. Sedit annos 31. menſes 8. *Dion.*

Galba Imperium tenet menſes 9. dies 13. *Dion.* verùm in menſe ſeptimo occubuiſſe eum fert *Suetonius.*

Sedit *Otho* diebus nonaginta, *Dion.* Nonaginta & quinque, *Sueton.*

Vitellius annum unicum, exceptis decem diebus, *Dion.*

Veſpaſianus annos decem, exceptis diebus ſex, *Dion.* Anno regni hujus ſecundo, *Titus* filius *Hieroſolymas* funditus evertit, *Joſeph. de Bell. Jud.* lib. 7. cap. 18.

Jam ſi temporum rationem ineamus, à duodeviceſimo *Tiberii* ad ſecundum *Veſpaſiani*, & ad Æram *Chriſti* accommodemus, in hunc modum coincidunt.

Chriſti.	*Tiberii.*	
33	18	
34	19	
35	20	
36	21	
37	22	
38	1	*Caji:* is regnum
39	2	ſuum iniit *Mar-*
40	3	*tii* 27.
41	4	
42	1	*Claudii:* is Impe-
43	2	rium ſuſcepit *Ja-*
44	3	*nuar.* 24.
45	4	
46	5	
47	6	
48	7	
49	8	
50	9	
51	10	
52	11	
53	12	

Chriſti.	*Claudii.*	
54	13	
55	14	
56	1	*Neronis.*
57	2	
58	3	
59	4	
60	5	
61	6	
62	7	
63	8	
64	9	
65	10	
66	11	
67	12	
68	13	
69	14	
70	1	*Galbæ & Othonis.*
71	1	*Vitellii.*
72	1	*Veſpaſiani.*
73	2	*Hieroſolymarum excidium.*

VERS. 4. *Et cum illis conveniens.*

Lis haud ſpernenda orta eſt inter Interpretes hanc clauſulam ex origine reddentes. Nonnulli legunt Συναλιζόμενος μετ' αὐτῶν. Alii expungunt μετ' αὐτῶν, contenti voce συναλιζόμενος tantùm. Quidam reddunt *conveſcens cum eis:* ita *Syr. Arab. Oecumenius, Chryſoſt. Vulg.*

Digitized by Google

Vulg. Diodatus, Marg. Angl. Rhemiſtæ & qui *Vulg.* ſequuntur. Hanc vocem depravatam hîc loci eſſe autumat *Valla*, *Conveſcens* ſcil. pro *Converſans*. Plurimi reddunt, *Cum illis conveniens*: ſic *Beza*, *Camerarius*, *Diodatus*, & noſtratium *Angl.* textus, *Tigurin. Hiſpan. Gallic. Eraſmus* aliique. *Epiphanius*, prout à *Camerario* memoratus, legit Συναυλιζόμενος, nec non *Valla* apud *Eraſmum* affirmat ſic eſſe ſcriptum in nonnullis Græcis exemplaribus. Age itaque in rectam hujus loci diſquiſitionem nos accingamus.

I. Univerſus Interpretum conſenſus (excepto hoc unico) jubet ut legatur Συναλιζόμενος, non Συναυλιζόμενος. Hanc equidem vocem res ipſa non feret. Etenim tametſi *Chriſtus* crebrò adeo cum Diſcipulis à reſurrectione ſua verſatus eſt, eorumque cœtibus interfuit, nuſquam occurrit tamen eum ſub eodem hoſpitio pernoctaſſe, quod vox iſta Συναυλίζειν apprime ſignificat.

II. In iſta litigatione, utrùm *conveniens*, an *conveſcens* cum eis reddi oportet, univerſa fere Græcorum Scriptorum natio in priori ſenſu conſpirat, poſteriori nequaquam; uti tam *Beza* quàm *Camerarius* fuſius probant, & ulteriùs firmari poterit, ſi opus eſſet.

Hæc itaque phraſiuncula ad conventum iſtum ſpectat quem Chriſtus cum Diſcipulis ſuis habuit ſuper montem qui in Galilæa erat, quem locum ipſe antea deſignatò condixerat, *Matth.* 28:16. Quocirca, verba iſta μετ' αὐτῶν omitti nequaquam debent. Quum enim alias ſe palàm eis fecerit, is quaſi ex accidenti & inopinatò eis ſuperveniſſe videbatur: ad hunc montem verò ex conſtituto cum eis conveniebat. Et credibile eſt, hîc loci congreſſos fuiſſe quingentos fratres ſupra memoratos, quorum mentionem fecit *Paulus.* Etenim, ſodes, ubinam loci probabiliùs tam frequens cœtus Chriſtum unà conſpicaretur, niſi illîc præſertim ubi ipſe cum diſcipulis ſuis ſe conventurum pollicitus fuerat?

Denunciavit eis ne abſcederent Hieroſolymis.

Non quòd ii *Hieroſolymis* tùm eſſent, quum hoc mandatum reciperent; verùm *Jeſus* jam eos *Hieroſolymas* legavit, atque ut illîc manerent juſſit. Donec *Galilæam* advenerant, haud fas eis fuit apud *Hieroſolymas* moras traxiſſe: Chriſtus enim eos iſthinc mandarat, ut *Galilæam* peterent, *Matth.* 28:7, 16. quoniam animus ei fuit coram eis omnibus ſimul ſe ſiſtere qui antea ſedulò eum audierant; ibi enim loci præcipuè verſatus fuerat, atque illîc itaque ſecundùm promiſſum & præviam conſtitutionem *unà congreſſis* jubet ut *Hieroſolymas* redirent, *nec iſthic abſcederent*, uſque dum promiſſum à Patre acceperint.

Chriſtus eos *Hieroſolymis* præſertim amandat, ut illîc potiſſimum Spiritum Sanctum reciperent I. Ob prædictionem iſtam *Eſajæ* 2: 3. *E Zione prodit doctrina.* II. Ob populi confluxum, quò plures miraculum ſpectarent, atque ex eo in fidem rei adducerentur; quod ex ſequela videre eſt. III. Par equidem fuit ut illîc loci Chriſtus potentiam & virtutem ſuam inſigniori modo exereret, ubi adeo vilem humilemque figuram præ ſe tulerat: nec non ut ii qui ſub reſurrectionis ſigno ſe obduruerant, per hæc tamen ſtupenda Spiritus Sancti dona evicti, obmuteſcerent.

VERS. 6. *Interrogaverunt eum dicentes, Domine, num hoc tempore reſtitues regnum Iſraëli?*

Sub hoc errore olim, atque ad hunc uſque diem laborant Judæi, quibuſcum etiam haud pauci inter Chriſtianos ſuffragia ſua tulerunt: qui nempe ſomniarunt Chriſtum olim cum Judæis in fidem converſis, terræque *Canaaniticæ* reducibus, viſibili modo cohabitaturum: nec non quòd redintegratis *Hieroſolymis*, tanta eis ſuperveniet fælicitas, quanta nunquam antea; tam firma, ſtabilis & duratura, ut quæ nunquam poſthac interturbari poſſit. Huic præjudicio innititur illud *Salomes* Zebedæi, ac liberorum ejus, *Jacobi* & *Joannis* votum, *Matth.* 20: 20. Huc etiam tendit iſtud *Cleophæ* dictum, *Luc.* 24: 21. Et quàm univerſè hæc opinio apud Scriptores Judaicos obtinuit, tam ſupervacaneum quàm infinitum eſſet oſtendere. Sufficit quod obſervari dignum eſt, quàm uno conſenſu percontationem de hac re fecerint Diſcipuli in hoc conventu. Sanè Chriſtus cum eis à reſurrectione ſua haud rarò ſermonem inierat de rebus ad regnum Dei pertinentibus; interea verò Diſcipuli, eum potiorem quendam fidei articulum circa reſtitutionem regni Iſraëlitici ſilentio præteriiſſe ſuſpicati erant. Propter hanc nimiam curioſitatem increpuit eos *Chriſtus*, uti & alibi *Petro* fecerat, *Joann.* 21: 22. menteſque revocat in piam magis & neceſſariam ſolicitudinem, quæ eorum vocationi aptiùs ſerviret, uti in commate proximo videre eſt; oſtendens inſuper, quòd regnum ſuum, de quo adeo miſerè hallucinati ſunt, & quod jam in primordiis fuit, virtutum ſpiritualium adminiſtratione conſtaret, quas etiam ipſi cùm receperint, earum diſſeminatione regnum hoc promoverent.

Theſes nonnullæ ad redarguendos Judæos ſuper hanc materiam, uti & Chiliaſtas omnes, qui in multis cum ipſis Judæis conſentire videntur.

I. Liber *Danielis* nihil omnino de Judæis habet ultra *Hieroſolymarum* excidium à *Tito* factum.

ANN. CHRIS. 33.

II. *Apocalypſeos* liber nec res nec tempora indigitat, de quibus antea *Daniel* tractarat. Sed à quo finivit hic, iſte procedit, ſtatumque novæ *Hieroſolymæ* à veteris ſtrage deſcribendum ſuſcepit.

III. Quartum illud Imperium apud *Danielem*, cum *Romano* nil habet, nec equidem habere debet, prout conſtat *Dan.* 7: 11, 12.

IV. Illud cornu blaſphemum, *Dan.* 7: 8, 25. &c. non *Antichriſtum* indicat, ſed *Antiochum*.

V. Non perdetur *Antichriſtus*, priuſquam Judæi reverterint; quin ipſe eos converſos æquali rabie quâ diu Eccleſiam Chriſtianam vexarat, proſequetur: quod ex cæde duorum Prophetarum liquet, *Apocal.* 11. *Antichriſtus* ſcil. Eccleſiam infeſtabit tam Judæam quam Gentilitiam, quæ, vergente mundo, in uno fidei amplexu coaleſcenda eſt.

VI. Judæorum converſio in ipſis locis diſperſionum promiſcuè inter Chriſtianos ſitis, eventura eſt; ac proinde neceſſe eis non erit ut ſedes mutarint, ſed ſtatum duntaxat.

VII. Nova illa Hieroſolyma apud *Ezechielem* deſcripta ampliori circuitu gaudet, quam cui tota terra *Canaanitica* extendi poſſit.

VIII. Terra ab initio à Deo maledicta audit, *Geneſ.* 3: 17. Ergo regnum Chriſti è terra adeo maledicta vix uſpiam emerſurum videtur, *Joann.* 18: 36.

IX. Imperium illud perenne, quod ab excidio quartæ Beſtiæ initium duxit, *Dan.* 2: 44. & 7: 14, 27. imperium Chriſti denotat ſub Euangelio adminiſtrandum, & ab Euangelio inter Gentes promulgato originem cœpit.

X. Satanas vinculis conſtrictus ſpatio mille annorum eandem epocham habere debet.

XI. Iſta Satanæ conſtrictio non impedit quominus vexaretur Eccleſia, ſed tantùm quo Gentes non ultra deciperentur, *Apocal.* 20: 3, 8.

XII. Innumera illa loca quæ in Veteri Teſtamento occurrunt, & quæ tam Judæi quàm Chiliaſtæ ad populum Judaicum, eorumque terreſtrem fęlicitatem aſtruendam torquere ſtudent, ad Eccleſiam quidem Gentilitiam, eorumque fælicitatem ſpiritualem accommodari potiùs debent.

VERS. 8. *Sed recipietis virtutem, poſtquam Spiritus Sanctus ſupervenerit in vos.*

Quot è Chriſti Diſcipulis aſcenſum ejus oculis ſuis ſpectarunt.

Ex *Euangeliſta* liquet tam hic loci quam libro *Euangelii* ſui, plures alios præterquam illos duodecim, huic inſigni ſpectaculo interfuiſſe. Etenim *verſ.* 14. tam mulierum quàm Chriſti fratrum fit mentio; & *verſ.* 15. numerantur viri quaſi centum & viginti: nec non in libro *Euangeli* ſui *Lucas*, *Cap.* 24. narrationem eo modo contexuit, ut credibile ſit Chriſtum eis omnibus qui à prima reſuſcitatione cum eo verſati fuerant, dignatum fuiſſe ut eum in cœlos aſcendentem conſpicati eſſent. Etenim *verſ.* 33. loquitur de undecim & de cæteris qui cum eis erant; quibus omnibus promiſcuè proceſſus hiſtoriæ referri videtur, uſque ad tempus quo Chriſtus actu aſſumptus fuit. Quæ res etiam haud leve nobis fortaſſis argumentum infra ſuppetitura eſt, quum probando ſimus, illos centum & viginti, de quibus *verſ.* 15. pariter linguarum donis indutos fuiſſe ac ipſos duodecim.

ANN. CHRIS. 33.

VERS. 9. *Aſpicientibus ipſis aſſumptus eſt.*

De anno Chriſti quo aſſumptus fuit.

Summam temporis quo Chriſtus in terris egit diſceptatam habemus, (ſcil. utrùm ſpatio annorum 32. cum dimidio, an 33. cum dimidio) atque ex iſta clauſula præſertim lis orta eſt, *Luc.* 3: 23. *Ipſe autem Jeſus incipiebat eſſe quaſi annorum triginta quum baptizaretur.* Etiamſi enim nemo non fatetur Chriſtum à tempore baptiſmi ad crucifixionem in miniſterio ſuo fungendo tribus annis & ſex menſibus uſum fuiſſe; diſputatur tamen an ab ineunte anno Chriſti triceſimo, an ab eo penitus expleto hæc computatio inceperit. De priore videtur textus affirmare: *Incipiebat eſſe annorum triginta.* Negat Chriſtum annos triginta expleviſſe, imò verò negat eum anni triceſimi completioni appropinquaſſe, cùm eſſet * ὡσεὶ, *quaſi annorum triginta* tantùm. Etenim ſi triginta anni plenè excurriſſent, *Euangeliſta* impropriè dixiſſet, *Incipiebat eſſe quaſi triginta annorum:* & ſi Chriſtus ad annos triginta completos proximè accederet, tum equidem propriè ſatis dictum fuiſſet, *Incipiebat eſſe triginta annorum*; impropriè verò, *Incipiebat eſſe* quaſi *annorum triginta.* Ex ipſo itaque modo & ratione loquendi conſtat *Jeſum* ætatis annum expleviſſe viceſimum nonum, & cùm baptizaretur annum quaſi triceſimum iniiſſe; ex quo ſequitur eum paſſum fuiſſe, reſuſcitatum & aſſumptum, abſolutis annis triginta duobus & ſex menſibus, h. e. currente anno triceſimo tertio.

* Ità ὡς ἔτεσι τετρακοσίοις, Act. 13: 20.

Æra mundi quâ Chriſti mors, reſurrectio & aſſumptio contigerunt.

Alibi oſtendimus hæc eveniſſe A. M. 3960. dempto anni dimidio. Supervacaneum eſſet hîc loci in rei confirmatione operoſiùs ſudare. Ex his quæ ſequuntur liquebit ſatis.

A crea-

Digitized by Google

A creatione mundi ad diluvium	1656.	*Geneſ.* 5: 6. 7. &c.
A diluvio ad promiſſum *Abrahamo* datum	427.	*Geneſ.* 11. & 12.
A promiſſo ad redemptionem ex Ægypto	430.	*Exod.* 12:40. *Gal.* 3:17.
A redemptione ex *Ægypto* ad Templi *Solomonis* ſtructuram	480.	1. *Reg.* 6: 1.
A ſtructura Templi ad defectionem decem Tribuum	37.	Conf. 1 *Reg.* 6: 37. cum 11:42.
A defectione Tribuum ad Templi conflagrationem	390.	*Ezech.* 4: 38.
A conflagratione Templi ad reductionem ex *Babylonia*	50.	*Jerem.* 25: 11, 12. & 2. *Paralip.* 36: 6, 9, 10. 2 *Reg.* 25: 2, 3. preſſim collat.
A reductione ex *Babylonia* ad mortem Chriſti	490.	*Dan.* 9: 24, &c.
Summa totalis	3960.	

Nota bene, quemadmodum Templum à *Solomone* extructum fuit circiter A. M. 3000. ſic etiam à *Tito* comburitur A. M. 4000. Deletis nempe *Hieroſolymis* anno à Chriſti crucifixione quadrageſimo, quod ſupra demonſtratum erat.

VERS. 12. *A monte qui vocatur Oliveti, qui eſt prope Hieroſolymam, diſtans itinere Sabbati.*

Quâ ratione hîc loci diſtantia notatur.

Primus hic nodus eſt in hac clauſula, nec ſolutione indignus, ſaltem cum hic ipſe Euangeliſta in altero ſuo libro *montis Oliveti* mentionem habens, de diſtantia tamen ab *Hieroſolymis* prorſus ſilet. Conf. *Luc.* 19: 29, 37. & 22: 39.

Quâ ratione is diſtantiam hanc per Sabbaticum iter potiſſimum emenſus eſt.

Sanè hæc quæſtio haud abs re eſt; quoniam impræſentiarum nihil rei fuit vel quoad actionem vel tempus cum die Sabbati. Fatendum eſt, ſi hæc res contigiſſet ſive in Judæorum Sabbatum, ſive in Chriſtianorum, haud opus eſſet ulteriùs quærendi, cur per hanc menſurandi regulam locorum diſtantia deſcriberetur: verùm cùm in medio hebdomadis Dominus noſter aſſumptus ſit, h. e. die neque in unum neque in alterum Sabbatum vergente, hinc jure quæritur, in quem finem hujuſmodi menſura, nempe itineris Sabbatici, huic loco appoſita ſit. Verùm antequam huic duplici modo ſolvendo memet accingam, operæ pretium fortaſſis erit rem unam vel alteram perplexiorem & arduam magis prævid perpendere: verbi gratiâ,

Utrùm Lucæ animus fuit, diſtantiam à monte Olivarum in genere, an à loco ſpeciatim quo Chriſtus aſſumptus fuit, ad Hieroſolymas admenſuraſſe.

Quanti conſtitit illud ſpatium itineris Sabbatici.

De poſteriore primò inquirere fas nobis ſit; eò quòd pro menſurarum diverſitate, nec non varietate gloſſarum in hunc locum, obſcurum ſatis & impervium videtur.

Syr. Diſtat ab Hieroſolymis ferè ſeptem ſtadiis. Verum ex iſti verſione nova oritur difficultas, quæ in textu non fuit. Refert *Joſephus*, montem Olivarum ab *Hieroſolymis* diſtare quinque ſtadiis tantùm, *Antiquit.* lib. 20. cap. 6. Joannes *Bethaniam* ponit ab urbe quindecim ſtadiis, *Joann.* 11: 18. Interim *Lucas* diſtantiam emenſus eſt vel à monte Olivarum, vel à *Bethania*, vel ab utriſque; & tamen gloſſa quam habet *Syrus*, tertiam infert menſurandi rationem, quæ tam a *Joſepho* quàm à *Joanne* diſcrepat.

Nec meliùs omnino inter eos convenit, qui non per ſtadia, ſed hinc per paſſus, illinc per cubita menſuram tentant. Æſtimant nonnulli diſtantiam paſſuum bis mille, h. e. duorum milliarium: alii verò, cubitorum bis mille, quæ unum milliare tantùm conficiunt. Et certè ex Talmudicis liquet ſpatium illud cubitorum 2000. longitudinem itineris ſabbatici comprehendere, quod idem apud alios Scriptores Judaicos non inuſitatum eſt. Hoc in Tractatu *Erubbin* occurrit *cap.* 4. מהלך אלפים פסיעות בינונית זו היא תחום השבת: i.e. *Iter illud quod ad mille mediorum paſſuum ſe extendit, Sabbati limes dicitur. Scholiaſtes addit*, בפסיעה בינונית דרך

ANN. CHRIS. 33.

דרך הליכתו של אדם אמה : i.e. *Mediocris paſſus in ambulando : ſcil. unum cubitum.* Cui ſuffragatur *Chaldæus Paraphraſtes*, in *Ruth. Cap.* 1. אתפקדנא לכטר שביא ויומי טבא בדיל דלא להלבא בר מתרין אלפין אמין : i.e. *Sabbata atque alia feſta obſervare præcipimur, adeo ut non ultra duo cubitorum millia expatiari liceat.* Hæc fortean petunt ex illo *Joſuæ*, Cap. 3: 4. ubi, quoniam populo adeo ſeverè interdicitur, ut qui vel Arcam ſequerentur, vel ejus latus clauderent, ne propiùs ei accedere auſi eſſent, quàm ſpatium bis mille cubitorum; inde conjecturam faciunt, eandem ſemper diſtantiæ menſuram in caſtrametatione obſervatam fuiſſe, ac proinde ad hunc numerum paſſuum unoquoque die Sabbati proceſſiſſe populum à tentoriis ſuis ad Tabernaculum. Nulla nobis refert hìc loci veritatem rei indagare; quin conſuetudinem exinde ortam breviùs perpendere haud abs re erit. Nec equidem tanti eſt inquirere, utrùm dum Iſraëlitæ in deſerto caſtra ſua metarentur, diſtantia inter tentoria & Tabernaculum ad bis mille cubitorum exactè obſervari oportuit, necne: (neceſſe enim erat ut nonnulli multò longinquiori ſpatio diſtarent) aſt id pro certo habemus, morem iſtum itinerandi die Sabbati non ultra ſpatium bis mille cubitorum, ex hac opinione primam ſuam originem traxiſſe. De hac conſuetudine loquutus eſt Euangeliſta noſter, atque huic inveſtigandæ operam jam adhibebimus. Modò itaque cubita hæc per longitudinem trium pedum menſurari volumus, tum bis mille cubitorum milliare unum & dimidium quartæ partis, h.e. novem ſtadia plus minùs conficiunt: verùm ſi per ſeſquipedem & non plus, (prout commune cubitum ſe habet) tùm dimidium tantùm ſupradictæ longitudinis ſupponi debet; quod neque cum ſeptem ſtadiis quæ *Syrus* habet, neque cum quindecim, quæ *Joannes*, omnino quadrat. Cùm verò poſterior menſura ſummam quinque ſtadiorum conficiat, quæ *Joſephus* memorat; de ea itaque potiùs intelligi oportet. Etenim

I. Haud difficile probatu eſt ipſum Tabernaculum tam quoad ſtructuram quàm quoad fundum agri quem occupavit, uti etiam quoad atrium omniaque illuc pertinentia, per commune illud ſeſquipedale cubitum admenſurari ſolitum: neque incredibile eſt quin illa bis mille cubitorum, quæ limites plebi circumſcripſerant quò à Tabernaculo debitè in deſerto diſtarent, uti & quæ iter Sabbaticum indicarunt, eandem omnino proportionem tulerint.

II. *Lucas* diſtantiam à monte Olivarum ad *Hieroſolymas* exactè deſcribit; utrùm vero à loco montis quo Chriſtus aſſumptus fuit, an à radice montis, id in dubium vocatur. In ultimo *Cap.* Euangelii ſui ſcribit eum Diſcipulos duxiſſe ἕως εἰς Βηθανίαν, *verſ.* 50. non versùs *Bethaniam*, ſed eò uſque: ſic Verſ. *Angl. Syr. Vulg.* & *Beza*. Bethania verò ab *Hieroſolymis* quindecim ſtadiis diſtat, *Joann.* 11:18. Adeo ut ſub quacunque menſura redigi ſtudeas hæc bis mille cubitorum, ſive ſub menſura cubiti communis, ſive ſacri, ſive ſaltem ſub ea cujus meminit *Ezechiel*, quæ utrinque ad latitudinem palmę excedit; ſub neutra tamen ad ſupradictum numerum ſtadiorum attingemus.

Verumenimverò etiamſi *Beza* litem hanc dirimere præ ſe fert, ſupponendo per *Bethaniam* indigitari non ipſum oppidum duntaxat, ſed totum terræ tractum illi adjacentem, prout in uſu eſt ditionis cujuſdam vel parochiæ fundos ſub nomine unius villæ cui adjacent complecti: in hunc modum itaque, inquit is, tametſi *Bethaniæ* oppidum ab *Hieroſolymis* ſpatio quindecim ſtadiorum diſſitum eſſet, nil porrò vetat quominus oppidi ditio, & agrorum contermina ſub eadem denominatione nota, dimidio plus *Hieroſolymas* verſus ſe extenderint. At cum pace Cl. Viri, hujuſce ſuppoſiti fundamentum nutat; imò verò multa ei è contra militare videntur.

Etenim I. Sacris Scripturis inuſitatum omnino & incompertum eſt, agri fundum eâdem appellatione cum ipſa urbe ſive pago donari. E. gr. ſi quævis oppida recenſeremus quæ in initio nominum *Beth* habent, ſcil. *Bethlehem*, *Bethſhemeſh*, *Bethſaida*, *Bethel*, & id genus alia; palam eſſet nil aliud per iſta nomina ſignari quàm ipſa oppida. Et quare itaque de *Bethania* unica ſingulare quid ſupponi neceſſe ſit?

II. Ubicunque ſparſim in Euangelio *Bethaniæ* alibi ſit mentio, procul omni dubio nudum oppidum indicatur. Sic *Joann.* 12: 1. *Matth.* 21: 17. *Marc.* 12: 11. *Matth.* 26: 6. &c. Et quare id apud *Luc.* 24: 50. ſupponi non oporteat qui liquidò oſtenderet, luculentis argumentis ei opus eſt.

III. Credibile eſt villam *Bethphagen* inter *Hieroſolymas* & *Bethaniam* ſitam fuiſſe, ſaltem obliquè tantùm & è tramite publico vix deviam; quod è Chriſto Hieroſolymis adequitante fuſiùs liquet. Confer *Matth.* 21: 1. & *Luc.* 19: 29. cum *Joann.* 12: 1. Id ſi ita ſit, impedit quominus *Bethaniæ* nomen agris versùs *Hieroſolymas* adeo latè ſe extendentibus retineretur. Chriſtus *Bethaniæ* pernoctarat, *Joann.* 12: 1. Mane verò pedibus aliquantiſper procedens, Diſcipulis obviam facit, quos antea *Betphagen* emiſerat, ut aſinum quo is inſideret illuc adducerent. *Bethphage* verò κατέναντι, ſive, ut *Syr.* rectè, *à fronte eorum* ſitum habuit; h. e. iis qui à *Bethania* versùs *Hieroſolymas* perrecturi eſſent, rectà vel parùm

obliquè

ANN. CHRIS. 33.

obliquè ſaltem interjacet. Hæc è gloſſario in *Gemar. in Synedr.* cap. 1. ulterius patent, ubi *Bethphages* mentione factâ, addit Scholiaſtes, *Bethphage à fronte mœniorum urbis ſita eandem juris adminiſtrationem ſubiit cum ipſis Hieroſolymis.*

Vero itaque ſimillimum videtur, Chriſtum quum aſſumeretur, Diſcipulos ſuos in *Bethaniam* quindecim ſtadiis ab urbe diſſitam duxiſſe, utpote qui illìc loci præſertim auguſtiorem ſuum in cœlos triumphum auſpicaretur, à quo nuper à ſeptem & quadraginta diebus antea ovationem quandam in *Hieroſolymas* aggreſſus fuerat. Textus itaque non diſtantiam ab urbe ad *Bethaniam* ſeu locum aſſumptionis deſignat, ſed ab urbe ad radices montis Olivarum, ſuper quem ſtetit *Bethania:* quam diſtantiam per menſuram bis mille cubitorum communium,. h. e. ſpatium quinque ſtadiorum deſcribit. Et hæc duplici iſti quæſtioni ſolvendæ ſufficiant. Reſtat diſcutiendum unde eſſet ut hìc loci præſertim tam diſtantiam notaret Euangeliſta, quàm eam per *itineris Sabbatici* menſuram indicaret.

Crebrò equidem hunc montem in Euangelio ſuo memorarat, ut ſupra dictum; ſitum verò, vel diſtantiam montis reſpectu urbis in hunc locum rejecerat; atque ea propter fortaſſis non hìc omitteret, quoniam nullam ulteriùs hujus rei mentionem in ſcriptis ſuis facturus eſſet; nec ſupervacaneum tamen fuit per hanc indicationem res alias haud paucas ad montem Olivarum geſtas atque in Euangelio ſuo paſſim deſcriptas illuſtrare; ex quo faciliùs quis poſſit colligere, quàm procul ab ipſa urbe hæc agebantur, dum diſtantia radicis montis ab ea adeo palam fit. Fatendum eſt æquè promptum fuiſſe ei dixiſſe Diſcipulos à *Bethania* rediiſſe quæ ab Hieroſolymis diſtat quindecim ſtadiis: id verò Spiritui Sancto non viſum fuit adeo exactè diſtantiam à loco aſſumptionis indicare, (fortean caventi à ſuperſtitione plebis, prout cum olim ſepulchrum *Moſaicum* celari curaret) quin potius à monte Olivarum in genere, ubi tot & tam inſignia, præter ſingulam Chriſti aſſumptionem, acciderant.

Quare verò per *iter Sabbaticum*, potiùs quam per paſſus, ſtadia vel ſimilia rem hanc exprimeret, (præſertim quum dies Sabbati non tum inſtaret) ſpeculando haud nobis licet eſſe tam curioſis. Credibile eſt populum Judaicum, exactis diei Sabbati publicis ſolennibus, hoſce ſibi expatiandi limites contemplationis ergô indulſiſſe. De Chriſto legimus, quàm frequens is unà cum Diſcipulis in hortum *Gethſemani* ſecederet, *Joann.* 18:1. & quamvis haud conſtet eum id feciſſe in diebus Sabbati, procul omni dubio tamen eſt, quòd ad veſperam Paſchatis, poſtquam feſti ſolennia perſolviſſet, hortum hunc frequentaret. Interea verò eadem (quoad hanc rem) habebantur jura hujuſce feſti, ac diei Sabbati. Etenim certè (uti ſupra ex *Chaldæo Paraphraſte* obſervatum fuit) non in diebus Sabbatorum duntaxat, ſed aliis etiam ſolennibus, Judæis interdicebatur, ne ultra bis mille cubita expatiarentur: & tamen Chriſtus, ingruente iſtiuſmodi feſto,(primo nempe hebdomadæ Paſchalis die, qui ſacer uti ipſum Sabbatum haberi ſolet, *Levit.* 23:7.) hortum *Gethſemani* fundendis precibus petit. Quinimo, quantumvis *Judas*, amotâ Paſchatis menſâ, à Domino ſuo foris progreſſuro, furtim ſe ſubduxerat, inque urbem ad ſociandos ſibi nequam homines digreſſus fuerat, cum officii ratio poſtularet, ut *Jeſum* extra urbem comitatus eſſet; certiores tamen nos facit illud *Joannis* 18:2. *Judam* loci conſcium ſatis fuiſſe, quo Chriſtum aggrederetur, quoniam uſui ei fuit, iſthic potiſſimum orandi ergô deliteſcere. Nec dubium eſt quin alii multi orandi & meditandi anſam fæliciorem arrepturi, illuc ſe frequenter reciperent, quum & loci amœnitas & ſolitudo contemplationi adeo amica videretur. Atque id, uti videtur, in cauſa fuit, cur diſtantia inter urbem & montem per hujuſmodi phraſin deſcriberetur, quoniam nempe *iter Sabbaticum* ex vulgari uſu omnibus notum evaſerat, non ſolummodo ex occaſione præviæ cautionis, ut ne iſtius diſtantiæ modum excederent, ſed propter oblectamentum rei, & ambulacri delicias.

VERS. 13. *Aſcenderunt in cœnaculum.*

Non equidem unum idemque cœnaculum quo Chriſtus coenam ſuam noviſſimam celebrarat: illud ἀνώγεον dicitur, *Marc.* 14:15. *Luc.* 22:12. hoc verò ὑπερῷον. Et certè ex vocum differentia conſtat rei diverſitas. Per ἀνώγεον intellige quemvis locum primâ contignatione ſublimiorem; ὑπερῷον verò totius ædis ſupremum & editiſſimum, *Act.* 20:8,9. ſemper triſtegum. Nec probabile eſt has fuiſſe ædes *Joannis Marci*, quarum fit mentio *Act.* 12:12. Etenim quantumlibet Diſcipulorum nonnulli iſthic convenerant, Apoſtoli tamen non ita. Ubinam loci fuit, fruſtra eſt quærere, determinari impoſſibile. Ubicunque fuit, pro certo habemus, in hoc unico loco Apoſtolos & Presbyteros (tempore quo Hieroſolymis commorati ſunt, & perſecutio eos non diſſiparat) cœtus ſuos ſeu in Collegio vel Conſiſtorio celebraſſe. Unde id dictum eſt, ἦσαν καταμένοντες, *commorati erant.* Nequaquam hunc locum putemus ita publicis ſolennibus ſacratum, ut fidelium cœtus iſthuc cultui divino peragendo ſemper coacti eſſent: nume-

ANN. CHRIS. 33.

numeroſior ſanè evaſerat fidelium turba, quàm quæ uno loco contineri poterat. Sed Presbyterio duntaxat deſtinari videtur, eò ut ſeorſim illic inter ſe congreſſi, rebus Eccleſiæ in plures cœtus auctæ commodiùs conſulerent.

Et Petrus, & Jacobus, & Joannes, &c.

Syr. Petrus, & *Joannes*, & *Jacobus*, uti & tam *Syr.* quàm *Arab.* Bartholomæum *Matthæo* præponunt: ſed quo jure, ipſi viderint.

Jacobus filius *Alphæi*.

Vocabulum *filii* Gr. Ex. non habent, neque hic loci, neque *Matth.* 10:3. Neque *Marc.* 3:18. neque *Luc.* 6:15. ſed tantùm *Jacobus Alphæi:* ſic itidem *Vulg.* legit. Nihilominùs *Syr. Arab. Beza*, noſtrates *Angl.* aliique plurimi haud injuriâ *filium* addunt.

Hicce verò *Alphæus* idem cum *Cleopha* de quo *Luc.* 24:18. haberi debet. Syrum illud חלפי indiſcriminatim vel in nomen Hebraicum vel in enunciationem Græcam ſe format, *Calphi* & *Cleophi*, prout illud *Pauli* nomen pro diverſa linguarum ratione dupliciter pronunciatum. Hic *Cleophas* ſive *Alphæus Mariæ* conjux fuit, *Joann.* 19:25. Quæ *Maria* fuit mater *Jacobi minoris* & *Joſis*, *Marc.* 15:40. nec non *Judæ* & *Simonis*, *Marc.* 6:3. Hinc *Jacobus* jure dicitur *Alphæi* filius, utcunque vocabulum *filii* in textu deeſt.

Hic iſte *Jacobus* eſt qui vulgò *Minor* denominatur, de quo *Actor.* 12:2. & 15:13. & 21:18. *Gal.* 2:9. apud veteres etiam frequenter ſub titulo Hieroſolymitani Epiſcopi clarus: ſed quanto errore, fuſius ſuo loco.

Et Simon Zelotes.

Dictus etiam *Simon Cananites*, *Matth.* 10:4. *Marc.* 3:18. Hebraicè *Zelotes*, prout è ſcriptione *Syriaca* & *Arabica* magè quam ex *Græca* liquet. Fortean nomen habuit à *Canah* in *Galilæa*, ubi is degit; atque hoc Hebræorum proprium nomen Euangeliſta in Græcum appellativum vertit. Sic *Joannes* in voce *Siloam*, *Joann.* 9:7. Hic etiam *Alphæi* erat filius, uti & *Judas*, de quo *Marc.* 6:3. Oh fælicem illum *Alphæum* in trina ſua ſobole Apoſtolatu inſigni! quinimo iſtum honorem quartus ſuus filius *Joſes* vix non attigerat, *verſ.* 23.

VERS. 14. *Unà cum mulieribus.*

Vertunt nonnulli, *cum uxoribus*; quod à vero vix abhorret. Apoſtolis enim & Diſcipulis matrimonio conſtrictis in uſu fuit quàcunque ipſi profecti eſſent uxores ſuas circumducere, 1 *Cor.* 9:5. Sed verò minùs eſt: haud dubium enim eſt quin adeſſent aliæ mulieres, tam innuptæ, quàm quæ maritis tunc temporis adſociatæ non erant. Vide *Luc.* 8:2, 3. & 23:49. & 24:22.

ANN. CHRIS. 33.

Et Mariâ matre Jeſu.

Nulla ulterius *Mariæ* fit mentio in Sacra Hiſtoria. Credibile eſt eam ſub hoſpitio & clientela *Joannis Euangeliſtæ* (cujus curæ & patrocinio Jeſus matrem ſuam commiſerat, *Joann.* 19:26, 27.) permanſiſſe; & demum ſub una vel altera perſecutione martyrii coronâ donatam fuiſſe, prout de ea *Simeon* prędixerat, *Luc.* 2:35.

Et cum ipſius fratribus.

Scil. *cum agnatis ſuis:* ita enim Sacræ Scripturæ ſæpius ſe exprimunt. Fruſtra eſſet in exemplis hærere. Verùm quinam hi *fratres* ſeu *agnati* ſint, aliò diſcutiendum erit.

VERS. 15. *Et per eos dies quum aſſurrexiſſet Petrus in medio Diſcipulorum.*

Petrus hìc loci (uti etiam alibi non rarò, quidni per totum hunc librum, in quantum Eccleſiæ *Judaicæ* & *Hieroſolymitanæ* res agitur) primarius omnium, ne dicam unicus, tam in dictitando quàm agendo exhibetur: non quòd reliqui Apoſtolorum ſive quoad officii jus, ſive quoad zelum & aſſiduitatem in promulgando Euangelio, palmam ei præbere debeant; ſed propter hæc duo potiſſimum.

I. *Petrus* ſpeciali quâdam deſignatione in miniſterium Circumciſionis aſcribebatur, *Gal.* 2:8. atque idcirco, dummodo circumciſos duntaxat Hiſtoriæ argumentum ſpectat, *Petri* mentio præſertim fit; uti quum Præputii res agitur, unicus *Paulus* ſcenam implet.

II. *Petri* nomen culpæ notâ inurebatur, quâ reliqui Apoſtolorum impingi non debuerunt; ut qui herum ſuum adeo fœdè abjurarat. Hinc ei neceſſe erat inſigniora redintegrationis ſuæ monumenta perennare. Ubicunque itaque *Petri* mentio fit, cæteris omiſſis, non inde colligendum eſt, eum cæteris ſeu dignitate ſeu zeli ardore præcelluiſſe; quin eo fine id factum eſſe, ut palam conſtaret, eum jam quaſi ex poſtliminio in iſtos gradus honoris de quibus lapſus fuerat, de integro receptum & recuperatum eſſe. Hæc duo rectiùs perpenſa rem ſolvunt; quare nempe *Petrus* plerunque (vix alius quiſquam) ſive in negotio prædicandi, ſive virtutes ſuas edendi occurrerit. Hunc pro concione habemus, *Actor.* 2. quum ter mille animarum Eccleſiæ adderentur. Hunc iterum quum quinquies mille reſipiſcerent, *Act.* 3. Quid interim, an reliqui ſiluere? Nihil minùs. Id ex *Actor.* 2. quoad

Digitized by Google

ANN. CHRIS. 33.

quoad priorem cœtum palam fiet: quin etiam quoad poſteriorem Spiritus Sanctus id diſertè affirmat, *Actor.* 4: 1. Sed Domino viſum eſt in hiſce primordiis Euangelii, quod intra circumciſionem duntaxat vim habuerat, *Petrum* celebrare, quem Miniſtrum Circumciſionis conſtituerat.

Haud ſecus in electione novi Apoſtoli, nec non in horribili iſta ſententia in *Ananiam* & *Sapphiram* ferendâ, Petrus unicus narratur. Scilicet, quàm congruum erat (quò *Petri* reſipiſcentia clarior conſtaret) ut is qui pro ratione criminis, *Judæ* propiùs acceſſerat, in *Judam* animadverteret; & qui Dominum ſuum abnegarat, mendacii reos improvisâ morte plecteret.

Turba nominum.

Nonnulli per vocem ὀνομάτων tam hìc quàm *Apocal.* 3:4. perſonas indicari cenſent, abſque ſexuum diſcriminatione. De maſculis verò ſolùm, & non de fœminis omnino, intelligere eam videtur Verſio tam *Syr.* quàm *Arab.* immò addit *Arab.* *Viri celebrioris nominis.* Nec equidem iniquè: etenim

I. Sacræ Scripturæ fœminas rariſſimè inter numeros ſuos recenſent, imò nonnunquam è calculis ſuis ex induſtria rejiciunt.

II. Stirpis & proſapiæ nomen ut per mares perennatur, ſic per fœminas aboleſcit. Hinc Hebræi marem nuncupant *Zacar* à *recordatione*; fœminas verò *Nashim* ex *oblivione*: uti & in Novo Teſtamento, Græcè *mares* pari ratione per ὀνόματα deſignari ſolent.

Erat quaſi centum & viginti.

Hic enumerantur ii quorum mentionem habuimus *verſ.* præced. ſcil. duodecim Apoſtoli, ſeptuaginta Diſcipuli, & duodequadraginta alii è Chriſti cognatione, vel patriâ, vel ſtrictiore quâdam neceſſitudine conflati.

Verumenimverò ne hic recenſeri putemus univerſum fidelium numerum qui eò temporis *Hieroſolymis* verſati erant, quin eorum duntaxat qui Chriſtum continuatè aſſectabantur, *verſ.* 21. qui ejuſdem patriæ fuerant, conſanguinei, è ſocietate ejus vel famulitio, vel ſaltem ab eo in miniſterium aſcripti.

Procul omni dubio fidelium turba *Hieroſolymis* tùm agens, penè innumera evaſerat, utcunque nihil de quorumvis converſione in hoc *Cap.* occurrerit. Alioquin cedò, cui bono vel fructui rediit Chriſti labor ac opera, dum in urbe iſta adeo aſſiduè concionatus ſit? vide *Marc.* 3:8. *Joann.* 2: 23. & 3:2. & 4:1. & 7:31. & 8:30. & 11:45. & 12:19,42. cum multis aliis, è quibus palam eſt quàm ingens accreverat Diſcipulorum turba, præter illos centum & viginti qui omnes Galilæi erant, non *Hieroſolymarum* indigenæ vel incolæ. Ex his itaque ſatis liquet, numerum hunc centum & viginti nequaquam Eccleſiæ ſummam denotaſſe quę tunc *Hieroſolymis* erat; verùm ſelectam quandam ſocietatem ex eis conflatam qui Chriſto aſſiduè adhæſerant, dum ipſe in terris cum Diſcipulis verſatus eſt, *Actor.* 1:21. Hi equidem utcunque aliis credentium cœtibus quoad verbi prædicationem, Sacræ Synaxeos celebrationem, aliaque cultûs divini ſolennia, ſe admiſcuerunt; in diſtinctiorem tamen ſocietatem quoad jus regiminis ſe ſegregarunt, in unum quaſi Presbyterorum Collegium ſeorſim coacti. *Cæterorum autem nemo audebat ipſis adhærere*, *Actor.* 5: 13. In iſto ſtatu & conſtitutione permanſerunt, donec propter *Stephani* martyrium, & Eccleſiæ perſecutionem, omnes penè, exceptis ipſis Apoſtolis, diſſipati erant, *Actor.* 8: 1.

ANN. CHRIS. 33.

VERS. 16. *Oportuit impleri Scripturam hanc.*

Ita enim & ſenſui aptius, & lectoris captui facilius reddi debet: ſecus quàm *Angl. Oportuit Scripturam hanc impletam fuiſſe.* Interea vero è locis hiſce adeo concinnè & pertinenter *Judæ* accommodatis videre eſt, in quantum ſufflatio Spiritus Sancti Apoſtolis facta, *Joann.* 20: 22. eos illuminarat & cognitione veritatis ornarat.

VERS. 18. *Is enim acquiſivit agrum ex mercede injuſtitiæ.*

Quid vero? Judas equidem agrum ſibi nequaquam acquiſivit. *Matthæus* narrat agrum emiſſe *Principem Sacerdotum*, lethali iſtâ mercede in fiſcum redactâ, *Cap.* 27:7. Nec tale quid ipſe *Judas* in animo habuit, dum pretio argenti Chriſti proditionem cum eis ſtipulatus eſt. Aſt *Petrus* per modum dicterii & acerrimi ſcommatis, fructum & proventus improſperæ avaritiæ derisiculo habens, oſtendit *Judam* peſſimè ſibi conſuluiſſe, dum facultates ſuas ampliaſſe, ædeſque ſuas ſtabiliiſſe per iſtiuſmodi horrenda perduellionis facinora ambiret: mercede nempe iſtâ alienis locatâ, & devaſtato habitaculo, dum ipſe interim fato adeo infami & plorando ſuccumberet.

Et præcipitatus, &c.

Opinio circa mortem *Judæ*, quaſi is propriâ manu fauces ſuas laqueo eliſerit, adeo univerſalitati, antiquitati, omniumque ferè conſenſui innixa videtur, ut verecundia mihi eſſet inficias ire: & tamen vox iſta ἀπήγξατο ſic rem in medio reliquit, utrùm ſuſpendio, an ſuffocationi cuidam à Diabolo inflictæ referri

ANN. CHRIS. 33.

ferri oporteat, ut niſi vetaret univerſa fere vox in contrarium, ego quidem poſteriori ſententiam da[illegible]m: ac proinde cum pace doctiorum, redderem iſtud πρηνὴς γενόμενος in hunc ſenſum: Satanas eum vivum abripuit; dein in aërem ſublato gulam ſtrinxit, præcipitemque eum agens viſcera dirupit. Πρηνὴς γίνεται, *Qui vel à ſeipſo, vel ab alio præcipitatur*, inquit Stephanus. Hunc itaque ſenſum ferre poſſunt verba iſta *Matth.* 27: 5. *Ipſe verò projectis iſtis nummis argenteis ſeceſſit, & profectus* ἀπήγξατο, *ſtrangulatus fuit: h. e.* Diabolus eum ſubripuit, ſuffocavit, cùmque pronum eum dejeciſſet, è viſceribus ejus miſerrimè diſruptis evaſit. Nec ſanè aliter ſupponi oportet, quin, quod adeo horribile ſpectaculum fuit, ab univerſis penè *Hieroſolymarum* incolis innoteſceret, *Actor.* 1: 19.

VERS. 19. *Aceldama.*

חקל דמא, *Ager ſanguinis.* Nec immeritò: I. Quia pretio ſanguinis acquiſitus, *Matth.* 27.

II. Quia ſui ipſius ſanguine qui pretium iſtud receperat, conſperſus; ita enim ſuggerit hic locus.

VERS. 21. *Oportet igitur ex iis viris qui nobiſcum fuerunt.*

Animadverſiones quædam in electionem Matthiæ.

I. Id poſtulavit rei neceſſitas & ratio, ut numerus Apoſtolorum duodenus compleretur. Δεῖ οὖν ἕνα τούτων, &c. atque ita Eccleſia Chriſtiana numero reſponderet duodenis Tribubus Iſraëliticis, è quibus conflata fuerat Eccleſia Judaica. Aderat enim jam tempus quo Judæi cum Gentibus adunarentur; quod equidem haud rarò indigitari videtur in iſtis 24. Presbyteris, totius Eccleſiæ capitibus repræſentativis, quæ ſæpius in *Apocalypſi* occurrunt, ſpeciatim verò *Apocal.* 21: 12, 14.

II. Quum *Matthias* & *Joſes* coram Apoſtolis ut par candidatorum ſiſterentur, haud conſtat univerſum fidelium cœtum, ſive individuum quemvis in eorum electione ſuo nomine ſuffragia tuliſſe, quin in Presbyterio potius ſive in collegio virorum 108. inter ſe coacto, jus & poteſtatem eligendi reſediſſe. Hæc clariùs patent *verſ.* 15. cum *verſ.* 21. collato. N. B. *ex iis viris qui nobiſcum fuerunt.*

III. Apoſtolis non licuit ſe invicem ordinare per impoſitionem manuum, pro more initiandi Presbyteros; quin id eis ſorte obtinere neceſſe fuit, utpote qui gradus Apoſtolicos immediatâ quaſi Chriſti manuductione adierint. Sententia iſta quæ Epiſcopos Apoſtolorum loca & vices ſupplere ordinariæ quodam ſucceſſionis jure ſupponit, huic fundamento obniti videtur.

ANN. CHRIS. 33.

VERS. 23. *Joſephum vocatum Barſabam, qui cognominabatur Juſtus.*

Credibile eſt Joſephum hunc haud alium eſſe quàm *Joſen* illum, de quo *Marc.* 6: 3. & *Cap.* 15: 40. Is frater *Jacobi minoris.* Id veriſimilius videtur propter cognomen illud *Juſti*, quod etiam ad *Jacobum* pertinuit. Sic, inquit *Beza*, in uno veteri exemplari *Joſes* legitur; prout & *Syr.* habet *Joſephum* pro *Joſe*, *Cap.* 4: 36. adeo perinde habuerunt unum vel alterum nomen. Hinc cenſuerunt nonnulli, nullum omnino diſcrimen eſſe inter *Joſephum* hìc loci, & *Joſen* alibi; præſertim quum ſoni proximitas quæ inter *Barſabam* & *Barnabam* videtur, conjecturæ faveat.

Attamen I. iſte *Joſes* ſive *Joſephus* de quo *Cap.* 4: 36. *Cypro* erat, hic verò *Joſephus* ſive *Joſes* Galilæâ oriundus.

II. Quantumvis *Apoſtoli* bino *Joſepho* diverſa cognomina indiderint, haud inter pronunciandum multùm à ſe invicem diſtinguenda, huic *Barſabæ*, illi *Barnabæ*; quoad nominum tamen ſignificationem, uti & quoad intentionem *Apoſtolorum*, (dato quòd ab eis tam unus quam alter ſua cognomina acceperint) diſcrimen palam eſt. *Barnabas*, interprete Euangeliſtâ, ſonat υἱὸν παρακλήσεως, h. e. *Filium conſolationis*; prout plurimi, dum Græca dictio (prout omnibus ſatis notum) pariter feret *filium exhortationis*. *Syrus* ſanè voce בויאא utitur pro *conſolatione*, *Luc.* 6: 24. *Phil.* 2: 1. *Rom.* 12: 8. 2 *Cor.* 1: 4, 5. atque in hoc loco quem jam tractamus: & נביאא loco ſupra citato. Verùm utrùm *Barnabas* non æquè à נבא, i. e. *prophetari* ſive docere deduci poterit, penes lectorem erit. At in utrovis ſenſu accipias, pro certo habendum eſt vocis notationem & etymologiam longè diſtare ab illa *Barſabæ*. Hunc nonnulli reddunt per *filium juramenti*; alii per *filium plenitudinis*. Mihi verò arridet *filius ſapientiæ*. בר סבאא. Et ſi criticum agendi nobis otium ſuppeteret, haud difficile eſſet ex hac verbi ſignificatione multifarium paſtoris officium colligere, quem nempe *filium tam ſapientiæ* quam *exhortationis* ſe gerere oportet. Noſtrâ verò refert hìc loci nil aliud oſtendere, quàm quòd unus atque alter *Joſephus*, tam quoad perſonam quàm nomen, à ſe invicem diſtingui debeant.

Et Matthiam.

Quis aut unde hic vir ſit, incertum omnino

Digitized by Google

ANN. CHRIS. 33.

nino eſt. Equidem ſenſus nominis ſatis cum *Nathaneele* quadrat, ſonus nequaquam; nec deeſſent argumenta quæ rem certiorem redderent. Sed ad alia nos accingimus.

C A P. II.

Vers. 1. *Quum autem compleretur dies Pentecoſtes, erant omnes concorditer eòdem loci.*

Tempus & ratio hujuſce feſti Pentecoſtes.

QUæritur hîc, quo jure dixerit Συμπληροῦσθαι ἡμέραν, i. e. *diem impleri*, quum adhuc quaſi in ortu & ingreſſu eſſet. Hâc difficultate fortean moti tam *Syr.* quàm *Vulg.* verba in plurali numero reddunt, *Quum dies Pentecoſtes complerentur. Compleri*, inquit *Calvinus*, pro *advenire* ſumi debet. *Beza*, *diei completionem* in hunc modum ſolvit: Nox, quæ eſt diei naturalis dimidiata pars, jam præterierat, dieſque ipſe aliquandiu illuxerat. In hac expoſitione aliquid ſanè in explicationem rei innuit, ſed non totum.

Lucas itaque rem magnam narraturus quæ ad feſtum Pentecoſtes evenerat, modo loquendi uſus eſt haud ei abſimili, quo Moſes olim feſti illius originem, & primævam inſtitutionem explicuit, *Levit.* 23: 15, 16. *Deinde numerabitis à poſtero die iſtius Sabbati, die ex quo attuleritis manipulum iſtum* frugum *agitationis; ſeptem Sabbata complentor; uſque ad poſterum diem ſeptimi Sabbati numerate quinquaginta dies.*

Non abs re erit, quò luculentiùs conſtiterit tempus Pentecoſtes, hæc verba breviter & quaſi in tranſcurſu diſcutere.

I. Sabbatum illud cujus mentionem habemus in iſta clauſula, *numerabitis à poſtero die iſtius Sabbati*, de primo die ſeptimanæ Paſchalis, ſive die decimo quinto menſis *Niſan* (Paſchate nempe pridie immolato) intelligi debet. Recte itaque *Chaldæus Paraphraſtes*, nec non *Rabbi Solomon* ad *verſ.* 11. ſupradicti *Cap. Et agitabit manipulum iſtum coram Jehova poſtridie feſti, h. e. primo die Paſchatis.*

Sabbati verò nomen obtinuit is dies quâcunque parte hebdomadis contigerit, (ita nempe Chriſtus die *Veneris* crucifigebatur) unumquodque enim opus ſervile in iſto die interdicebatur: ſanctam verò convocationem Deo cogendam, *verſ.* 7. uti & Paſchatis bovem tum comedendum, videre eſt, *Deuter.* 16: 2, 7. 2 *Paralip.* 30: 24. & 35: 8. *Joann.* 18: 28. quemadmodum agnus nocte antecedenti comeſtus fuerat. Imò verò hic ipſe bos *Paſcha* dicitur; qualiter & hic dies, *Paſchatis* παρασκευή, ſive *Præparatio*, *Joann.* 19: 14. non aliter quam agnus & dies præcedaneus.

Quæ cum ita ſint, haud minimo uſui erunt, ad perplexam iſtam phraſiunculam enucleandam, *Matth.* 28: 1. quam tanta inter Interpretes conjecturarum diverſitas difficiliorem reddidit. Ὀψὲ τῶν σαββάτων, *Veſperâ Sabbati*, inquiunt *Syr.* & *Vulg.* Utinam rectè! exinde enim ſequeretur diem Dominicum ex profeſſo vocari Sabbatum; finito nempe Sabbato Judaico, priuſquam veſpera, vel nox de qua loquutus eſt, inchoaretur. *Exeunte Sabbato*, inquit *Beza*, cum *Angl.* Sabbatum verò jam ad occaſum ſolis exitum ſuum habuit. Idcirco aptius reddi poteſt *poſt Sabbata*: ita enim * ὀψὲ apud Græcos Autores non rarò ſonat, tam *poſt*, quàm *veſperi*. Nec non oportet plurale illud τῶν σαββάτων vim ſuam retinere. Binum equidem Sabbatum in illa hebdomade evenit quâ paſſus eſt Chriſtus; feſtivum illud, ſive *Sabbatum convocationis.* h. e. dies ſeptimanæ Paſchalis primus: uti & ordinarium hebdomadale Sabbatum, ſive dies qui proxime ei ſucceſſit. Is, dies *Veneris*, quo Chriſtus cruci affigebatur: hic, dies *Saturni*, ſive Sabbati Judaici, quo in ſepulchro requievit; & tùm ὀψὲ τῶν σαββάτων, *poſt hæc Sabbata* primo mane, illuceſcente primo die hebdomadis, reſuſcitatus eſt.

* Ὀψὲ τῶν Βασιλέως χρόνων. *Plut. Poſt Regis tempora.* Ὀψὲ τῶν Τρωϊκῶν, *Poſt tempora Trojana.* Ὀψὲ νυκτὸς, *Poſt noctem.*

II. Poſtridie Sabbati de quo jam loquuti ſumus, ſive decimo ſexto die menſis *Niſan*, celebrari ſolet agitatio primitiarum manipuli coram Jehova; à quo die computationem ſuam inchoarunt, quoad ſeptem hebdomadas quæ ad feſtum Pentecoſtes numerari deberent, *Levit.* 23: 11. *Deuter.* 16: 9.

Dies itaque hic cùm eſſet δεύτερος, ſive ſecundus in hebdomade Paſchali, dies ex quo ad Pentecoſten uſque, computationem ſuam cœperunt, omnia illa Sabbata quæ per intervalla temporis occurrebant, compellationem ſuam cum reſpectu ad hunc diem plerunque derivarunt. E. gr. Sabbatum quod proximè ſucceſſit δευτερόπρωτον vocari ſolet, *Luc.* 6: 1. aliter quàm noſtrates *Angl.* reddunt, non *in ſecundo Sabbato poſt primum*, ſed *in primo Sabbato poſt ſecundum hunc diem.* Pari modo proximum dicebatur δευτεροδεύτερον, tertium δευτερότριτον, & ſic deinceps.

III. In hac computatione à craſtino Sabbati, ſive à die primitiarum manipuli ad Pentecoſtem, ſeptem Sabbata, ſive hebdomadas compleri oportuit: unde R. *Solomon* haud ineptè colligit, computationem à veſpera inchoari debere; ac proinde hunc poſtridiem Sabbati non intra quinquageſimam numerandum, quin à veſpera iſtius diei calculatio incipienda eſſet: adeo ut à tempore agitationis manipuli feſtum equidem Pentecoſtes in

ANN. CHRIS. 33.

primum ſupra quinquageſimum diem incideret; aſt modò numeremus ſeptem hebdomadas plenè abſolutas à veſpera diei inchoatâ computatione, tùm quinquageſimus dies (& non ultra) complebitur.

IV. Huc itaque referri debet clauſula de qua quæſtionem hìc agimus, *συμπληροῦσθαι ἡμέραν Πεντηκοστῆς*. Rectè *Angl. Cùm dies Pentecoſtes jam compleretur*. Hinc ſuppetit nobis regula quâ dies Pentecoſtes exactiùs à die crucifixionis Dominicæ aſſignari queat; Euangeliſtâ nempe horam diei jam inchoati indigitante, nihil omnino præteritæ noctis.

Ratio verò, quare feſtum Pentecoſtes à die agitationis primitiarum manipuli penderet, hæc potiſſimum videtur: ſcil. in ſecundo die Paſchatis cœpta eſt meſſis hordeacea, ex qua fas eis fuit ſegetem torrefactam, vel ſegetum ſpicas comedere: ad Pentecoſten verò completa erat frumentatio, & ad frugem panis parata, ex qua primitias Deo litari oportuit. Hujuſmodi ſanè ſolennitatem in commune habuit feſtum hoc. Verùm alia quædam quoad ipſum diem à ſe invicem analogiam habuerunt, ut nempe in illo die aliquid inſignioris notæ utrinque acciderat. Hicce dies promulgationi Legis ſacer habebatur, utpote quæ eò temporis à monte *Sinaitico* tradebatur; quæ ipſa actio Legis promulgandæ, atque inſuper Judæorum Eccleſiæ exhinc formatæ, haud minimam habere neceſſitudinem videtur cum effuſione Spiritus Sancti qui Gentilitiam Eccleſiam inſtituerat & indotarat; h. e. quoad deſcenſum ignis & congruentiam temporis, utriſque tam Judæis quàm Chriſtianis communem, feſtum nempe Pentecoſtes. Excepto quòd ſicuti Chriſtianorum Sabbatum poſtridie Sabbati Judaici obſervari ſtatutum eſt; pariter iſte dies Pentecoſtes in quo modo adeo illuſtri dona Spiritûs Sancti effundebantur, uno die menſis tardiùs quàm quum traderetur Lex, contigerit, ſeptimo nempe menſis *Sivan*, quum Lex promulgata eſſet die ſexto.

Dies iſte Pentecoſtes quo Spiritus Sanctus deſcendit, primus fuit dies hebdomadis,
ſcil. *Dies ſolis*, quem vocant,
ſive Dies Dominicus.

Quemadmodum D. N. Jeſus Chriſtus primum diem hebdomadis reſurrectione ſuâ ſolennem & ſacrum factum, in Chriſtianum Sabbatum loco Judaici conſtituerat; (uti Pſalmiſta cecinit *Pſalm.* 118. *Hunc ipſum diem effecit Jehovah, dum ſpretus iſte lapis in caput anguli erigeretur)* ſimili modo per auguſtam hanc Spiritus Sancti effuſionem, & conſummationem promiſſi Patris, diei celebritatem adauxit, & firmiore ſignaculo Chriſtianis, ut futurum ſuum Sabbatum, ratum fecit. Quæ res ut luculentiùs conſtaret, haud abs re erit dierum numerum à paſſione Dominica ad Pentecoſten uſque, more ephemeridis, ſigillatim recenſere. ANN. CHRIS. 33.

Neque hic lectori ſit pertæſum, ad quintum vel ſextum diem ſupra paſſionem recurrere, quod utut inane, quaſi *πάρεργον* quoddam aliquibus videatur, ingenuis tamen haud inutile; quinimo neceſſarium haberi oportet, cùm ephemerim ordiri à primo menſis *Niſan* ipſa ratio poſtulet, utcunque Chriſtus non niſi ad decimum quintum ejuſdem menſis paſſus ſit.

I. *Niſan* ſive *Abib*, qui primus anni menſis
II. habebatur ſtilo novo, *Exod.* 12:2.
III.
IV.
V.
VI.
VII.
VIII.
IX. Hujus diei veſperâ *Jeſus* apud *Bethaniam* menſâ diſcumbit, ubi *Mariâ* pedes ejus inungente, *Judas* unguenti impenſis oblatrat, *Joann.* 12:1. *Die Saturni ſive Sabbati Judaici.*
X. Craſtinâ diei *Hieroſolymas* adæquitat, &c. *Joann.* 12:12. *Matth.* 21:1. ad 17. *Marc.* 11:1. ad 11. *Luc.* 19:29. ad 45. *Die Solis.*
Veſperi *Bethaniam* rediit, *Matth.* 21:17. *Marc.* 11:11.
XI. Poſtero die *Hieroſolymas* profecturus, ficui malè precatus eſt, *Matth.* 21:18, 19. *Marc.* 11:13, 14. Templo eos ejecit qui emebant & vendebant, *Marc.* 11:15, 16, 17, 18. *Luc.* 19:45, 46, 47, &c. Veſperi *Bethaniam* repetit, *Marc.* 11:19. *Die Lunæ.*
XII. *Hieroſolymas* rurſum petit, *Marc.* 11:20. *Petrus* cum cæteris ficum cui Chriſtus maledixerat, arefactam notant, *Marc.* 11:20, 21. &c. *Matth.* 21:20. &c. Quum Templum advenerint Scribæ unà cum Phariſæis, Chriſtum de jure hæc agendi poſtulant, *Marc.* 11:27. &c. *Matth.* 21:23. *Luc.* 20:1. His *Jeſus* reſpondet, quæſtione circa *Baptiſtam* perplexius propoſitâ, *Matth.* 21:24. &c. *Marc.* 11:29. &c. *Luc.* 20:3. Vineæ parabolam edit, *Matth.* 21. à *verſ.* 28. ad finem *Cap.*. *Marc.* 12:1. *Luc.* 20:9. &c. Omniaque illa ſermocinatus eſt quæ *Cap. Matth.* 22. & 23. *Marc.* 12. à *verſ.* 13. ad finem, *Luc.* 20. à *verſ.* 20. ad *verſ.* 5. *Cap.* 21. videre eſt. *Die Martis.*

Bethaniam veſperi regreſſus, à monte Olivarum

Digitized by Google

ANN. CHRIS. 33.

varum Templum proſpexit, omniaque quæ *Matth.* 24. & 25. *Marc.* 13. & *Luc.* 21. à *verſ.* 5. ad finem occurrunt, pro concione tùm dixit.

Hâc nocte apud *Bethaniam* cum *Simone Lepro* hoſpitium ſumit, *Matth* 26: 1, 2, 6. *Marc.* 14: 1, 2, 3. Unguentis caput intingitur: peractâ cœnâ, is menſâ exurgens Diſcipulorum pedes lavat, *Judæque* opſonium porrectat, * *Joann.* 13: 2, 26. &c. Accepto opſonio, Diabolus *Judam* obſedit. Furtim itaque & ſub tenebris verſus urbem à *Bethania* ſe ſubtraxit, Dominique ſui proditionem cum Phariſæis ſpe nummorum tranſegit.

* *Opſonium Judæ porrectum, nondum celebraretur Paſcha, neque apud Hieroſolymas, ſed duobus diebus antea, & cum ab urbe diſtarent bis mille paſſuum.*

Die Mercurii. XIII. Chriſto etiamnum *Bethaniam* commorato, *Judas* pactâ cum Sacerdotibus mercede ſuâ, rediit.

Die Jovis. XIV. Paſcha tam ab ipſo Chriſto quàm Judæis celebratur, *Marc.* 14: 12. *Luc.* 22: 7. Peracto Paſchate Chriſtus Sacram Synaxim inſtituit, *Marc.* 14: 22. Huic etiam interfuit *Judas*, *Luc.* 22: 14, 21. Hujus perfidiam quum Chriſtus innuiſſet, exorta eſt inter Diſcipulos diſquiſitio quædam, quiſnam eorum proditor eſſet. Hanc diſquiſitionem ſequuta eſt mutua altercatio circa præcedentiam, quiſnam nempe eorum ſuprematum meruerit, *verſ.* 23, 24.

Litem iſtam dirimit Chriſtus, *Petrumque* iterum de meticuloſa ejus abnegatione monet. Dein divina iſta eloquia profatur quæ apud *Joann. Cap.* 14. 15. 16. 17. occurrunt. Pſalmodiam 113. vel ſaltem 114. cum Diſcipulis pſallit. Montem Olivarum conſcendit, atque illîc prehenſus, coram *Anna* Synedrii Præſide ſe ſiſtit; à quo vinctus ad *Cajapham* dimittitur, *Joann.* 18: 13, 14. &c. ubi per totam noctem, tam ſub examine, quàm vario ſcommate vexatur.

Die Veneris. XV. Horâ antemeridianâ hujuſce diei paratur bos Paſchalis, *Joann.* 19: 14. uti & horâ pomeridianâ dicitur Sabbati præparatio, *Luc.* 23: 54. *Marc.* 15: 42. Primo mane coram *Pilato* Procuratore Romano ducitur.

Ad tertiam horam foris productus Judæis exhibetur, *Joann.* 19. à *verſ.* 1. ad 13. Dein militibus & plebi permittitur, *Marc.* 15: 15. &c.

Ad horam ſextam, ſeu ſummam meridiem, cruci damnatus confeſtim affigitur, *Joann.* 19: 13, 14. horam diei plus minùs, quâ protoplaſti peccati culpam in ſe contraxerunt.

Jam obrepſerunt tenebræ, *Luc.* 23: 44. quarum ſpiſſitudines per trihorium durârunt: ſpatium nempe temporis quo *Adamus* peccati fuligine obvolutus, nullâ adhuc promiſſæ remiſſionis ſpe refocillatus fuerat.

Ad horam nonam Chriſtus ſupremum ſpiritum efflat, *Marc.* 15: 34. horam ſcil. quâ *Adamus* promiſſum hujus ſacrificii in ſpem redemptionis futuræ receperat.

Veſperi tumulo reconditur, *Matth.* 27: 57.

Hic dies, quum primus eſſet in Paſchali hebdomade, Sabbati loco haberi ſolet, *Levit.* 23: 11. Quem, amandato omni opere ſervili, cum multa ſolennitate obſervari oportuit. Quin videſis quàm ſceleſtiſſimi Judæi tam diem quàm Legem ipſam eo temporis flocci fecerunt.

XVI. Per hunc totum diem (Sabbati ſcil.) Chriſtus in ſepulchro requievit, dum interim Judæi ſcelerum ſuorum operam navant. Cum *Pilato* negotium cuſtodiendi ſepulchri procurant, *Matth.* 27: 62. ubi notatu dignum eſt, Euangeliſtam diem hunc non *Sabbatum* vocare, ſed *diem qui poſt Paraſceven ſequutus eſt*: ac ſi in animo habuit per iſtiuſmodi periphraſin eorum putidam hypocriſin deriſui habere; utpote qui adeo ſimulatam venerationem Sabbatis ſuis præ ſe ferrent, ut præviam iis præparationem ſolennem dicerent; interea verò diem ipſum Sabbati tam fœdo & turpi facinore commiſcere auſi ſint. Hic fuit iſte δεύτερος emphaticè ſic dictus, ſecundus dies in hebdomada Paſchali, in quo olim primitiarum manipulum agitarunt, *Levit.* 23: 11. & ab hoc die numerari ſolebant ſeptem hebdomadæ ad Pentecoſten, *Deuter.* 16: 9. *Die Saturni ſeu Sabbati Judaici.*

XVII. Chriſtus è mortuis reſuſcitatus, dormientium primitiæ habetur, 1 *Cor.* 15: 20. Primùm ſe *Mariæ Magdalenæ* palam fecit, *Joann.* 20: 15. Dein *Petro* & *Cleophæ* ſive *Alphæo* Emmauntem profecturis, *Luc.* 24: 13, 18, 34. 1 *Cor.* 15: 9. Veſperi verò univerſis Diſcipulis, *Luc.* 24: 33, 36. Et hic primus cenſendus eſt in numero quinquagenario qui ad Pentecoſten reſpectum habet. *Die Solis ſive Die Dominico.*]

Die Lunæ.	XVIII	2	
Martis.	XIX	3	
Mercurii.	XX	4	
Jovis.	XXI	5	
Veneris.	XXII	6	
Saturni.	XXIII	7	h. e. die Sabbati Judaici: vocatur Σάββατον δευτερόπρω-τον. Chriſtus ſe rurſum Diſcipulis præbet præſente jam Thomâ, *Joann.* 20:26.
Die Dominico.	XXIV	8	
Lunæ.	XXV	9	
Martis.	XXVI	10	
Mercurii.	XXVII	11	
Jovis.	XXVIII	12	
Veneris.	XXIX	13	
Saturni.	XXX	14	Die Sabbati Judaici, quod & δευτεροδεύτερον.

IJAR.

Die Dominico.	I	15	Sive die Chriſtiani Sabbati.
Lunæ.	II	16	
Martis.	III	17	
Mercurii.	IV	18	
Jovis.	V	19	
Veneris.	VI	20	
Saturni.	VII	21	h. e. die Sabbati Judaici, quod & δευτερότριτον.
Die Dominico.	VIII	22	h. e. Sabbati Chriſtiani
Lunæ.	IX	23	
Martis.	X	24	
Mercurii.	XI	25	
Jovis.	XII	26	
Veneris.	XIII	27	
Saturni.	XIV	28	h. e. Sabbati Judaici, quod & δευτεροτέταρτον.
Die Dominico.	XV	29	
Lunæ.	XVI	30	
Martis.	XVII	31	
Mercurii.	XVIII	32	
Jovis.	XIX	33	
Veneris.	XX	34	
Saturni.	XXI	35	h. e. Sabbati Judaici, quod & δευτερόπεμπτον.
Die Dominico.	XXII	36	
Lunæ.	XXIII	37	
Martis.	XXIV	38	
Mercurii.	XXV	39	
Jovis.	XXVI	40	
Veneris.	XXVII	41	
Saturni.	XXVIII	42	h. e. Sabbati Judaici, quod & δευτερόεκτον.
Die Dominico.	XXIX	43	

SIVAN.

Lunæ.	I	44	
Martis.	II	45	
Mercurii.	III	46	
Jovis.	IV	47	
Veneris.	V	48	
Saturni.	VI	49	Sabbati Judaici, quod & δευτεροέβδομον.
Die Dominico.	VII	50	Die Pentecoſtes, quo effuſus fuit Spiritus Sanctus.

Plures

Digitized by Google

ANN. CHRIS. 33.

Plures equidem (ſi non univerſus iſte cœtus qui è centum & viginti viris conſtitit) Spiritu Sancto & linguarum donis ad Pentecoſten ornati erant, & non Apoſtoli duntaxat.

Etenim I. horum equidem plurium (ſi non omnium) pariter ac Apoſtolorum fidei mandatum fuerat Euangelii miniſterium, *Luc.* 10. atque in hunc finem tam hi quàm illi miraculorum facultate inſtruebantur, *verſ.* 17. Haud minùs ii die reſuſcitationis Dominicæ Spiritum Sanctum receperant, *Joann.* 20: 22. collat. cum *Luc* 24: 33, 36. nec non cum ipſo Chriſto conſuetudine familiari ab ejus reſuſcitatione uſi fuerant, promiſſum à Patre pariter experti; & ut exterarum linguarum hominibus prædicarent, æquè miſſi. Quæ cùm ita ſint, quid omnino impedit quominus ipſi etiam, pariter ac Apoſtoli, linguarum donis imbuerentur, ut provinciam quam nacti ſunt, fæliciùs ornarent.

Procul omni dubio eſt, plurimos eorum, quidni omnes, fuiſſe ſacris initiatos. Aliter, quid de ſeptuaginta Diſcipulis factum eſſe putemus? Præterea, modò id eorum officii & muneris ratio poſtularet, ut Euangelium prædicarent; certè oportuit eos aliquibus prædicare ab exteris regionibus oriundis, eò quòd plures iſtiuſmodi (eò temporis præſertim) Hieroſolymas frequentaſſe liquidò conſtat. Imò verò tempus ferè jam inſtat, quo Diſcipuli fas eſſet pro arbitrio ſuo Gentibus promiſcuè Euangelizari. Hæc inſuper ex aliquibus eorum geſtis fuſiùs paſſim evinci poſſunt.

II. Haud inficias eundum id quod objiciunt nonnulli, clauſulam iſtam, *Erant omnes concorditer eodem loci*, adeo proximè apponi verſui ultimo ſuperioris Capitis, ubi Apoſtolorum duntaxat fit mentio, ut videri meritò poſſit Euangeliſtam hîc loci de iis ſolis duodecim loquutum fuiſſe, ac ſi pro hac vice unà convenerant. Verùm in hoc hallucinati ſunt, quòd tam iſte quàm hic verſus ad illos centum & viginti viros, (de quibus ſupra *verſ.* 15.) referri debent. Etenim

I. Euangeliſta numerum iſtum ab initio ſuppoſuit, quaſi hiſtoriæ ſubſtratum; etiamſi ſanè duodecim Apoſtolos ſpeciatim magis reſpexerit, prout in hiſtoria Apoſtolorum cum *Petro* & *Paulo* præſertim rem habet.

II. Quid, amabò, rei eſſet de qua reliqui centum & octo (nunc temporis præſertim) ſeorſim ab Apoſtolis ſatagerent? Dictum eſt eos fuiſſe καταμένοντας καὶ προσκαρτεροῦντας, *commoratos & perdurantes unanimiter eòdem loci*, *Cap.* 1: 13, 14. quod idem eos feciſſe uſque dum hoſtium rabie diſſipati eſſent, è filo narratiunculæ ſat conſtat, *Cap.* 8. Et mirum ſanè eſſet, ſi in iſto die potiſſimum, die Pentecoſtes perquam celebri, die Dominico, Sabbati nempe Chriſtianis recèns facti, die quo inſigne illud Patris promiſſum non ſine juſta ſpe & expectatione inhiabatur; mirum, inquam eſſet, ſi in iſto die à ſociis ſegregarentur, & non hiſce exoptatiſſimis ſolennibus intereſſent.

ANN. CHRIS. 33.

III. Perpendamus modò ſeptem Diaconos cujuſmodi dotibus ornati erant, quàm Spiritu Sancto onuſti! *Actor.* 6: 3. Quantis miraculorum virtutibus polluit *Stephanus*, quantâ ſapientiâ, ſpirituque quam invincibili! *verſ.* 8, 10. Quantâ donorum largitione geſtiit *Philippus*! *Actor.* 8: 6. Dic itaque, ſodes, ubi & quando & quâ ratione ſupponi poſſit iſtiuſmodi viros donis adeo magnificis imbutos fuiſſe, niſi tam die Pentecoſtes, quam junctim etiam cum duodecim Apoſtolis? Inquient fortaſſis nonnulli, hæc eos ab ipſo Chriſto accepiſſe, dum is apud vivos agens, Diſcipulos ad Euangelium promulgandum dimitteret, *Luc.* 10: 17. At cum pace eorum, unde interim linguarum donis imbutus eſſet *Barnabas*, niſi in illo die quo Spiritus Sanctus adeo ubertim effuſus fuerat?

Quæ cùm ita ſe res habeant, credibile eſt plures alios præter ſolos duodecim (quidni univerſum Collegium?) tam Spiritum Sanctum & linguarum dona recepiſſe, quam ad ſacerdotale munus ſegregatos fuiſſe. E quibus porrò liquet; primò, diverſos Chriſtianorum cœtus *Hieroſolymis* tùm eſſe; alioquin quid negotii haberent tot in ſacris miniſtrantes? Et ſecundò hinc ſequitur, eos omnes qui ex occaſione perſecutionis diſperſi, hìc & ubique indiſcriminatim prædicarunt, *Actor.* 8: 4. & 11: 19. non fuiſſe è grege & vulgo Eccleſiæ, ſive (prout mos nobis loquendi eſt) laïcos merè; quin hos ipſos prævio ad miniſterium vocatos fuiſſe, atque à Chriſto ad officium illud fungendum actu præſignatos.

Quare in hac rerum narratione vox iſta ὁμοθυμαδὸν adeo frequens occurrerit.

Hujus rei diſquiſitio eò magis ad rem videtur, quò obſervatu facile eſt, vocem iſtam alias per totum Novum Inſtrumentum nequaquam uſurpari, in hac verò parte hiſtoriæ frequentius: e. g. reſpectu duodecim duntaxat, *Cap.* 1: 15. reſpectu centum & viginti, hîc loci: reſpectu univerſæ fidelium turbæ, *Cap.* 2: 46.

Ratio itaque vocis hujuſce ὁμοθυμαδὸν toties hîc repetitæ, tam ad ipſos duodecim, tam ad centum & viginti *unanimiter* congreſſos, quàm etiam ad univerſam fidelium turbam referri debet.

I. Notatu dignum eſt quàm proni & proclives eſſent Apoſtoli, etiam dum inter eos Chriſtus verſatus erat, mutuâ litigatione inter

inter

Digitized by Google

ANN. CHRIS. 33. inter ſe de primatu certare, *Marc.* 9: 34. *Matth.* 20: 24 quinimò ad ipſam menſam Sacræ Synaxeos, *Luc.* 22: 24. Hîc itaque Euangeliſta pacificos fructus ſufflati in eos Spiritûs Sancti (de quo *Joann.* 20: 22.) innuiſſe videtur, eò quòd jam Apoſtoli unanimem adeo inter ſe conſuetudinem amiciſſimè ſervarent, exploſâ prorſus invidiâ, æmulatione & zelotypiâ.

II. Etiamſi Diſcipulorum reliqui 108. ipſis equidem duodecim ſeorſim conſideratis, impares quodammodo atque in inferiori claſſe ponendi eſſent, nullus tamen exinde ſuperbiæ & ſupercilii locus, nullæ ſimultates, faſtidium, diſcordia, ſive altercationes inde exortæ ſunt; quin mutuâ amicitiarum lenitate alii aliis morem gerentes, in unitate ſpiritûs & pacis vinculo placidè verſati ſunt.

III. Dato quòd ea quæ *Cap.* 2: 46. & 5: 12. occurrunt, ad univerſam fidelium turbam ſpectant, (de poſteriore loco fortaſſis non adeo conſtat) tùm vox ὁμοθυμαδὸν ſuavem eorum omnium unanimitatem (Euangelii fructum) indicat, quâ tot equidem, utut regionum diſſiti, morum diſpares, imò dicam Sectarum & partium diverſi, tamen ἐν ἀφελότητι καρδίας, ſicuti in *uno tertio*, quoad Euangelium convenerant, ſic inter ſe etiam perquam amicè ac unanimiter conveniſſe haud minùs liquet. Atque hîc compleri cœperunt prædictiones quæ tempora Euangelii pacifica præſignificârant: e. g. *Iſaj.* 11: 6. & 60: 18. 65: 25. 66: 42. *Zeph.* 3: 9. Hunc itidem fructum habuit Chriſti doctrina, *Joann.* 15: 12. oratio ejus, *Joann.* 17: 21. & quod Diſcipulis ſuis teſtamento legarat, *Joann.* 14: 27.

VERS. 2. *Linguæ diſpertitæ inſtar ignis.*

VERS. 3. *Cœperuntque loqui aliis linguis.*

De linguarum donis.

A confuſione linguarum, Gentium rejectio & repudium originem ſuam tulit, *Geneſ.* 11. Amiſſa enim ſemel linguâ iſtâ, in qua Deus Opt. Max. cognitionem ſui ipſius præſtiterat, perierunt utique Dei veri & religionis ſaniores notitiæ, plurimis in cultum creaturæ, loco Creatoris, miſerrime prolapſis, *Rom.* 1.

Anni jam elapſi fuerant bis mille & trecenti à triſti iſta linguarum confuſione, innumeris interim non idolorum cultu ſolùm, ſed omnium ferè errorum colluvie ſubmerſis; quum tandem miſericors Deus, poſt adeo longam temporum & rerum ſeriem, linguarum donis *Zione* conceſſis, notitiam ſui, tot Gentibus per tot ſecula ſubductam, reſtituere dignatus eſt.

Hæc Deus exhibuit per modum linguarum inſtar ignis, quò meliùs Spiritus Sancti largitio in primæva Eccleſiæ Chriſti inſtitutione, cum initiatione Eccleſiæ Judaicæ, promulgatâ tum Lege, quadraret. Conſpicuam itaque habemus analogiam tam quoad modum quàm tempus. Tradebatur Lex die Pentecoſtes, & non ſine ignis & flammarum pompa: ad hunc porrò diem, atque in hunc modum effundebantur linguarum dona, prout ſupra oſtendimus. ANN. CHRIS. 33.

VERS. 5. *Erant verò Hieroſolymis habitantes Judæi*, &c.

Fatendum eſt feſtum Pentecoſtes *Hieroſolymis* eo temporis celebrari: verùm ex occaſione illius feſti, Judæos è quavis mundi plaga iſtuc advolaſſe nequaquam conſtat.

I. Etenim id Lex neutiquam præceperat, ut nempe Judæi ubivis regionum diſperſi, propter hæc feſta *Hieroſolymas* peterent.

II. Quipote id fieret? Certè eis perpetuum faceſſiſſet negotium, adeo ut nil uſpiam rerum ſategiſſe poterant, niſi eundo & redeundo *Hieroſolymis.*

III. De his dictum eſt, quòd *Hieroſolymis habitarunt*, h. e. illìc loci degerunt. Interea verò ii omnes qui feſtis interfuturi duntaxat aderant, paucis modò diebus iſtic commorati, domum redierunt.

Ratio itaque hujuſce populorum frequentiæ ab exteris regionibus illuc contractæ, non à feſto Pentecoſtes petenda eſt, quin potiùs ab univerſa illa ſpe & expectatione adventûs *Meſſiæ*, cui tunc temporis Judæorum mentes erigebantur.

Id equidem ipſi adeo affatim è Sacris Scripturis Veteris Teſtamenti, *Daniele* præſertim, *Cap.* 9. edocti fuerant, ut æquè ex ipſorum apographis, ac libris Euangelii, liquidò conſtet, quomodò unuſquiſque ferè Judæorum iſtius ſeculi Meſſiam opperiebatur.

Quod Sacras Scripturas ſpectat, conſulantur hæc loca, *Luc.* 2: 26, 38. & 3: 15. & 19: 11. *Joann.* 1: 20, 21.

Apud Scriptores Hebraicos hæc ſæpiùs occurrunt. *Filius Davidis adventurus eſt tempore quo Romani in Iſraëlem regnarint ſpatio novem menſium. E Prophetæ Michæ Cap.* 5: 3. *liquet Meſſiam ſe exhibiturum ſtante adhuc Templo Secundo, atque id pauxillo temporis ante Hieroſolymarum excidium:* cum multis hujuſmodi, quæ eam ipſam horam Meſſiæ adventui indigitant, quâ *Jeſus Nazaræus* terras adfuit, ſeque Chriſtum fuiſſe palam profeſſus eſt, prout videre eſt apud *Synedr. Cap. Helek. Galat. lib.* 15. *Hieronym. à Sancta Fide, Mornæum de veritat. Rel. Chriſt.* Quæ res adeo irrefragabilis videtur, ut Judæi quum è ſuorum

Digitized by Google

ANN. CHRIS. 33. ſuorum ſcriptis evicti quaſi os obſtruantur, temporaque Meſſiæ à ſeipſis præfinita, cum eis Chriſti noſtri quadrare viderint, in hoc tandem veritatis ſupprimendæ impium commentum devenerint, ut anathemate eos omnes ferire auſi ſint, qui computandis temporibus operam navant. Maledictionem hanc inter ſe vulgariter jactant: תפח רוחן של מחשני קעין, h. e. *Rumpatur eorum ſpiritus qui tempora computarint.*

Hiſce adjiciendùm illud *Suetonii* huic rei perquam accommodum. *Percrebuerat Oriente toto*, inquit ille, *vetus & conſtans opinio*, *eſſe in fatis ut eo tempore Judæâ profecti rerum potirentur*, In *Veſpaſian.* Similiter *Tacitus*, *Hiſt.* lib. 5. *Pluribus perſuaſio inerat*, *antiquis Sacerdotum literis contineri*, *eo ipſo tempore*, *ut valeſceret Oriens*, *profectique Judæâ rerum potirentur.* Hæc utcunque lippi Auctores *Veſpaſiano* & *Tito* Imperii potitis, blandiùs accommodent; nemo tamen Chriſtianorum non videt, quàm aptè opinio iſta, quæ per terrarum orbem eo tempore percrebuit, altiora admodum indigitarit, adventum ſcil. *Meſſiæ*, nec non vim & virtutem Euangelii *Judæâ profecti*, uti & verbi prædicationem *Hieroſolymis* oriundam.

His porrò ſuffragari videtur *Ecloga* iſta *Virgiliana*, cui inſcribitur POLLIO, in qua *Poëta* novam cœlo progeniem dimiſſam, puerum modò naſcentem, Gentemque ferream quaſi in auream ſurrecturam canens, indubium fecit opinionem iſtam non Orientem ſolummodo, ſed Occidentem etiam pervagatam fuiſſe, ope Judæorum qui iſtis mundi plagis degentes, rem muſſitarant, atque iſtiuſmodi ſpem & expectationem fecerant.

Cum itaque opinio hæc tam univerſim apud Judęos, nec non Gentes ubique, ut ſupra dictum, obtigerit, quid mirum ſi Judæi quaquaverſum diſperſi, *Hieroſolymas* turmatim advolarunt, quò rem adeo diu & avidè ſperatam, jam tandem effectam αὐτόπται conſpexerint? Atque in hunc finem credibile eſt eos ſedes ſuas *Hieroſolymis* fixiſſe: quoniam tametſi conjecturam quodammodo de tempore advenientis *Meſſiæ* fecerant, circa modum tamen & rationem Imperii ejus in terris auſpicandi, prorſus hallucinati ſunt, fingentes ſibi chimæram quandam dominii neſcio cujus terreni; Auguſti tamen, & quod ab *Hieroſolymis*, Imperii ſede, longè lateque ſe diffunderet. Hoc equidem Apoſtoli utcunque diu cum ipſo Chriſto verſati, non potuerunt quin ſibi ipſis adblandirentur, *Matth.* 20: 20. *Actor.* 1: 6. Hâc itaque ſpe lactati ægrè tulerunt diutiùs à terra Canaanitica peregrè agere, ac proinde apud *Hieroſolymas* conductis ædibus, rei exitum ſecurè præſtolati ſunt.

Palàm itaque eſt ingentem iſtum numerum Judæorum ab exteris regionibus Hieroſolymas ſe recepiſſe non ob rationem Pentecoſtes; nec equidem hoſpites deſultorii haberi debent, ac ſi peracto feſto domum redituri eſſent: dicuntur enim ibidem κατοικοῦντες, h. e. *illic habitantes*, qui nempe quum ad multa millia Chriſtianam fidem amplexi eſſent, ſe in diſtinctos cœtus reſolverunt. ANN. CHRIS. 33.

VERS. 9. *Parthi*, *& Medi*, *& Elamitæ*, &c.

Mentionem fecerat textus, *Judæorum ex omni natione eorum qui ſub cælo ſunt*: hîc tamen nationes tantùm quindecim enumeratas habemus, quæ adeo non ſunt omnes quæ ſub cœlo ſunt, ut plures equidem ditioni *Romanæ* ſubjugari certum eſt. Verùm miſſo quòd iſtiuſmodi hyperbole Sacris Scripturis haud rarò occurrit, (e. g. *Mœnia urbis cælos uſque extructa: lapis è funda miſſus ad capillum ſine erratione*, & ſimilia) credibile eſt ne unicæ regionis linguam hîc prætermiſſam, quam attigiſſe Judæos ubicunque palabundos arbitrari poſſimus: (fortean haud plures novit prima linguarum confuſio ad *Babelem*) fas ſit exemplum unum vel alterum proferre. Linguas *Parthicam*, *Medam*, *Perſicam*, & *Meſopotamicam* tota Orientalis diſperſio uſui habuit: harum unam vel alteram Judæi omnes qui ſub Monarchia ſive *Babylonica*, ſive *Perſicâ* captivitatem ſubierant, pro ratione loci quo diſſipati fuerant, vernaculam fecerunt. Etenim certè, quoad unam *Meſopotamicam*, per quot vaſtas & præpotentes nationes lingua iſta obtinuit? *Aſſyriam* ſcil. *Chaldæam*, *Meſopotamiam*, *Syriam*, *Cæloſyriam*, ut ne plures dixerim. Haſce omnes Gentes Chaldaicè loquutas fuiſſe, inter eruditos nemo in dubium vocavit. Imò verò Judæa ipſa in hujuſce linguæ uſum devenerat. Verum adeo à *Meſopotamica*, *Syriaca* ſeu *Chaldaica* diſſonæ aut linguæ diverſę locum hîc habet. Quæ res clauſulæ iſtius mentem ſubindicat: κατοικοῦντες τὴν Μεσοποταμίαν Ἰουδαίαν τε, ſcil. quò meliùs linguam *Syriacam* tam à *Judaica* quàm à *Chaldaica* diſtingueret, dum incolæ Meſopotamici Syriacam ſuam, & Judæi ſuam audierunt.

Præterea, quod linguam *Creticam* ſpectat, certum eſt *Cretam* inſulam, etiamſi ditione non adeo amplâ, linguam tamen ſuam per univerſam *Græciam* (ne dicam longinquiùs) diffudiſſe; quod etiam de cæteris quæ hîc loci recenſentur, obſervari poſſit.

Ex his itaque liquet, vix quempiam fuiſſe Judæum, quin quâcunque mundi plagâ verſatus fuerat, harum unam vel alteram linguarum (ut patriæ ſuæ propriam) probè calleret: ac proinde in hunc ſenſum accipi oportet

ANN. CHRIS. 33.

iſtam clauſulam, *Erant Judæi ex omni natione eorum qui ſub cælo ſunt*, qui jam ſe Hieroſolymis receperant.

Verumenimvero, quemadmodum hi dum propriis ſuis linguis uſi ſunt, alii alios intelligere nequierunt: h. e. *Arabs Cretenſi* barbarus fuit, & *Cretenſis Arabi*, *Romanus Parthico*, & *Parthicus Romano*, &c. ſimiliter credibile eſt ne unicam fuiſſe linguam (puta Hebraicam vel Syriacam præ cæteris uſitatiorem) univerſis communem & intelligibilem.

I. Etenim palàm eſt linguam *Hebraicam* quoad uſum vulgarem penitus exoluiſſe; imo & *Syriacam* (etiamſi Judæâ tenus vulgarem & vernaculam) exteris tamen regionibus ignotam prorſus & inuſitatam fuiſſe. Id partim ex eo apparet, quod adeo neceſſarium opus videretur *Targum Chaldaicum*; partim quod adeo familiari manu LXX. verſati ſint: imo id abundè teſtantur ſcripta *Philonis*, *Joſephi*, aliorumque plurium Auctorum Judaicorum.

II. Modo una quævis fuiſſet lingua inter omnes communiter nota, quàm ſupervacanea viderentur linguarum dona? Etenim cui bono Apoſtoli adeo multiplici linguarum promptitudine eos alloquerentur, qui unam communiter edocti fuerant? Fatendum ſanè, linguas pro *ſigno & teſtimonio* conceſſas, 1 *Cor.* 14:22. Verùm non in hunc unicum finem, ſed propter ædificationem, & uti ſupra dictum, quo fœliciùs gentes iſtæ in Dei notitiam redintegratæ eſſent, quæ, amiſſa olim Hebraicâ linguâ, à Deo vero ejuſque cultu & cognitione mentes ſuas penitùs abalienaverant. Dato itaque quod Judæi omnes iſtic loci tunc temporis agentes unam inter ſe linguam promiſcuo uſui haberent, fruſtra equidem linguarum dona Apoſtolos ornarant, donec Gentibus permiſſa eſſet Euangelii promulgatio.

Quod quum procul omni dubio jam ſit, Judæos exteros nullam aliam linguam plerumque edoctos fuiſſe, niſi quę iſti regioni è qua ipſi oriundi erant, nativa eſſet; neque ſingulam fuiſſe aliquam eis ubivis gentium verſatis communi uſu vulgatam: haud magis dubium eſt, quin quum iſtiuſmodi diverſarum Gentium homines Chriſtianam fidem amplexi eſſent, ſe in diverſos cœtus formarint; eo quod impoſſibile eis fuit cultui divino unà præſtando, pro immenſo turbæ confluxu, eodem loci conventus agere.

VERS. 13. *Alii verò cavillantes dicebant, Vino dulci pleni ſunt.*

Abſurdiſſimæ fere ſunt vitilitigatorum cavillationes, præſertim dum religionem ſugillarint; & tamen vix quempiam adeo vel abſurdum vel perfrictæ frontis hominem puto, qui, ſive tot linguarum dotes inebriatis contigiſſe ſuſpicatus ſit, ſive id in vulgi fraudem præ ſe ferret. Quin potiùs hinc orta eſt, uti ego reor, ſubſannandi anſa. *Hieroſolymarum* qui fuerunt indigenæ quum linguarum exterarum ignari eſſent, eos fefellit Apoſtolorum ſermocinandi ratio & modus; minimè enim ſuſpicati ſunt hos linguis extraneis tum uſos fuiſſe, quin abſonâ quâdam barbarie potiùs, blateronum ac bacchantium more: atque ex ea hallucinatione, virtutes adeo planè divinas & cœlitùs datas probris affecerunt. Etenim, quotquot Judæorum apud Gentes peregrinas verſati fuerant, linguarum iſtarum gnari, *obſtupeſcentes, alius ad alium dixerunt, quid hoc rei eſſe poſſit*, verſ. 12. Dum reliqui interim *Judææ* & *Hieroſolymarum* indigenæ ſuam unicam *Syriacam* callentes, nec cogitantes iſtiuſmodi homunciones linguas exoticas attigiſſe poſſe, ſannis eos exceperunt, ac ſi *vino dulci plenos*; quod eo fortiùs ſuſpicare fortaſſis poterant, quo feſtum Pentecoſtes laxius quodammodo & ſolutiùs celebrari ſolebat, *Deuter.* 16:11.

His conjecturis favet exordium apologiæ quam *Petrus* ſuſcepit, *Viri Judæi*, &c.

VERS. 14. *Conſiſtens autem Petrus cum undecim, eos affatus eſt, dicens*, &c.

Tam ratio ipſa, quàm ſacer textus ſubindicat, non unicum fuiſſe *Petrum* qui ter mille auditorum infra dictorum in fidem perſuaſerat; quin is cæteros undecim habuit tam in officio ſocios, quàm in ſucceſſu participes. Suppoſito enim quòd *Petrus* ſolus eſſet concionator pro hac vice, ſupponendum æquè eſt, aut illud ter mille hominum unius ejuſdemque linguæ fuiſſe, aut unam iſtam linguam quâ ſermocinabatur Apoſtolus inter diverſarum Gentium homines, diverſa idiomata præ ſe tuliſſe; aut denique *Petrum* eundem ſermonem pro vario Gentium confluxu, mutatâ linguâ iteratò repetiiſſe: quorum utrumvis quum abſurdum & incredibile ſit, concedamus neceſſe eſt, reliquos Apoſtolorum unà *Petro* aſtitiſſe, ibidem etiam concionatos fuiſſe. Huic fuſius probando ipſe textus argumenta ſuppeditat.

I. Itaque dictum eſt, *Petrus cum undecim ſtetit*, *verſ.* 14. Quid rei, quæſo, eſſet, ut reliquorum *undecim* mentio hîc fieret, modò omnes præter ſingulum *Petrum* ſiluiſſent? Sufficiſſet ſanè *Petri* apologia ipſis ſedentibus. Apparet verò *undecim* una cum *Petro*, reliquorum è centum & viginti Sociis cauſam dixiſſe.

II. De auditoribus dicitur, *Compuncti corde fuerunt, & dixerunt ad Petrum ac reliquos*

quos

Digitized by Google

ANN. CHRIS. 33.

quos Apoſtolos, *Quid faciemus?* *verſ.* 30. Quare, obſecro, hi tam reliquos Apoſtolos quàm ipſum *Petrum* prenſarent, niſi quòd ii etiam pro concione verba profati fuerant?

III. Ad ulteriorem rei confirmationem dictum eſt *verſ.* 42. eos in *Apoſtolorum* doctrina perduraſſe: ſcil. tam reliquorum quàm *Petri.*

IV. Denique, dato modò quòd ex iſta occaſione quam ſupra poſuimus, inebriari Apoſtolos cogitarint Judæi; ſequela erit, *Petrum* ſermone *Syro Judææ* præſertim & *Hieroſolymarum* indigenas adlocutum fuiſſe, eò quòd hi Apoſtolos linguis extraneis concionatos nequaquam concipientes, iis tanquam crapulæ plenis, & deliris quibuſdam blateronibus irriſerant. Hoc clariùs patet non ſolum ex compellatione iſta, *Viri Judæi*, &c. ſed ex eo etiam quòd diſertis verbis eos Chriſticidio onerat, *verſ.* 22. 23. Quid multa? ex ipſa ſermonis peroratione, nec non hiſtoriæ filo, videre eſt, *Petrum*, ſi non apud ſolos *Judææ* & *Hieroſolymarum* incolas concionem habuerit, ipſum tamen non unicum omnia oraſſe, quin reliquos cum eo partes ſuas ſuſtinuiſſe. Dictum enim eſt, *verſ.* 41. eos *qui libenter ejus ſermonem receperunt*, *baptizatos fuiſſe.* Cui tamen Euangeliſta, veluti in alterius rei narrationem tranſiturus, apponit, *Et additæ ſunt die illo animæ quaſi ter mille.*

Quare autem *Petri* unici concio hìc apponeretur, reliquorum non ita, ſupra oſtendimus.

Brevi hìc notantur quæ paſſim in concione Petri *occurrunt.*

Verſ. 15. *Quum ſit hora diei tertia.*] Diebus feſtis haud fas fuit cibum vel potum guſtare niſi ad ſummam meridiem. Quod adnotavit *Baronius* tam ex *Joſepho*, quàm ex *Actor. Cap.* 10.

Verſ. 17. *In ultimis temporibus.*] Scil. diebus *Meſſiæ*: quoniam ultra iſtam rerum oeconomiam nulla uſpiam ſalus ſperanda eſſet. Euangelium enim Legi Moſaicæ, prout Lex *Moſaica naturæ lumini cæteriſque* ſeculi primævi adminiculis, ſuccenturiatur.

In quamvis carnem.] Gentiles ſcil. æquè ac Judæos, contra axioma illud Scholis Judaicis vulgatum: שכינה לא שורה בחוצה לארץ: h. e. *Gloria divina non habitat extra terram* Iſraëliticam.

Verſ. 20. *Priuſquam veniat ille dies Domini magnus & illuſtris.*] Dies nempe urbi *Hieroſolymiticæ* πανολοθρευτὴς intra ſpatium quadraginta annorum adfuturus, uti ſupra annotatum. Neceſſe itaque erat ut intra hujuſce temporis limites, h. e. inter hoc feſtum Pentecoſtes & *Hieroſolymarum* excidium, Spiritûs Sancti effuſio accideret, nec non dona iſta omnia, quibuſvis poſtmodum conferenda, diſpertirentur. Si quis igitur ex hujuſmodi clauſulis argumenta peteret, pro perpetuatione donorum prophetiæ & miraculorum, ſive viſionum & revelationum ad conſummationem ſeculi, hìc rectiùs perpendat, qualem vim habeat hæc, & aliæ paſſim apud Prophetas uſitatæ phraſiunculæ, *Magnus & illuſtris dies Domini.*

ANN. CHRIS. 33.

Prædictiones quæ mactationem Filii Dei, Spiritum Sanctum ſpecie ignis deſcenſurum, Chriſtum in vapore fumi aſſumendum, ſolem tenebrarum fuligine obfuſcandum, lunamque tempore paſſionis Dominicæ ſqualentem ſpectarunt, completionem ſuam jam habuerunt. Fruſtra itaque eſſet quod reliquum eſt prophetiæ expectare, ut poſt annorum neſcio quot millia compleri oporteat.

Verſ. 24. *Solutis doloribus mortis.*] Vel potiùs, *Quum diſſolviſſet dolores mortis.* Reſpicit hìc populum Dei: q. d. Deus per reſuſcitationem Chriſti diſſolvit & abolevit dolores & poteſtatem mortis reſpectu populi ſui.

Verſ. 27. *Non derelinques animam meam.*] Οὐκ ἐγκαταλείψεις, i. e. *animam meam non trades.* Quem ſenſum etiam ferent verba iſta: Deus meus, Deus meus, ἵνα τί με ἐγκατέλιπες, *cur me tradidiſti in eorum manus, convitia & carnificinam?* Neque opus ſanè eſt ut verba obſcurius involvendo, in ſpiritualem neſcio quam Chriſti derelictionem torqueremus.

Apud inferos.] Gr. *Haden*, i. e. ſtatum mortuorum: qui tamen ſecundùm differentiam bonorum & malorum duplicem acceptionem habet. Καὶ γὰρ εἰς ᾅδου δύο τρίβους νομίζομεν, μίαν δικαίων, ἑτέραν δ' ἀσεβῶν εἶναι ὁδόν, *Diphil.* Apud *Clem. Alex. Strom.* 5.

Verſ. 38. *Baptizetur unuſquiſque veſtrûm in nomen Jeſu Chriſti.*] Non quòd excludat Patrem & Spiritum Sanctum; verùm ut eos ad agnitionem Chriſti ſpeciatim adduceret. Patrem ſanè & Spiritum Sanctum Judæi facillimè agnoverunt: ut verò Chriſtum quem adeo nuper trucidarant, jam loco Dei haberent, atque in profeſſionem *Jeſu Nazaræi* initiarentur, hic labor, hoc opus: atque ea propter in hoc ſudarunt Apoſtoli, ut eos Chriſto inſererent, & ut in illius nomen baptizarentur.

Baptizetur unuſquiſque, & recipietis donum Spiritûs Sancti.] Haud credibile eſt, unumquemque à baptizatione ſua linguarum & prophetiæ donis mox indutum fuiſſe; conferri enim ea ſolebant per impoſitionem Apoſtolorum manuum: (excepto *Cornelio* & ſociis ejus, in quos Spiritus Sanctus deſcenderat, quo compleretur prædictio iſta, *Effundam ex Spiritu meo ſupra omnem carnem*) Aſt eos *Petrus*

trus in Baptiſmum vocat, quò ad iſta dona recipienda apti & idonei fierent, quæ proculdubio per Apoſtolorum manus aliquibus collata erant.

VERS. 42. *Et fractione panis.*

Syrus hîc Sacram Synaxim ſive Cœnam Dominicam intelligit, atque idcirco Græcam vocem *Eucharistiam* retinuit. Quo ſenſu plures alii hanc phraſin accipiunt tam hic quàm alibi paſſim in N. Teſtamento. Imo verò qui de communi victu eam interpretati ſunt, conjecturam tamen faciunt, ei Euchariſtiam apponi ſolitam, prout eam Chriſtus à Paſchate celebrarat. Quid quod ratio & modus loquendi tam hunc quàm illum ſenſum implicare videtur: ſic *Luc.* 24:35. *Ut fuerat a ſe agnitus * in fractione panis:* h. e. dum communiter cœnarunt apud *Emmauntem*, 1 *Cor.* 10:16. *Panis quem frangimus, annon communio corporis Chriſti eſt?* h. e. Annon Euchariſtiam celebramus? de Cœna Dominica potiſſimùm (ſi non unicè) intelligi oportet, eò quod

* Ἐν *hic loci ſignificat* tempus quo: *ſic enim* Syr. *legit,* בר קצא, *h. e.* dum panem fracturus erat.

I. *Panis fractio* raro aut nunquam, ſive apud Vetus Inſtrumentum, ſive Scriptores Hebraicos, pro communi convictu uſurpatur. Per *panis manducationem* crebro exprimitur.

II. *Panis fractio* ritus adeo neceſſarius habetur in Cœna Dominica, ut ſeparari non debeat. Εὐχαριστήσας ἔκλασε, Gratiis actis *fregit*, ac dixit, Hoc eſt corpus meum quod pro vobis *frangitur*, 1 *Cor.* 11:24.

VERS. 44. *Omnes verò qui credebant erant eòdem loci.*

Græcum iſtud ἐπιτοαυτὸ, ut non rari uſûs, ſic variæ ſignificationis eſt apud LXX. Nonnunquam ſignificat multos unà coactos, *Joſ.* 11:5. *Jud.* 6:33. & 19:6. Idem de beſtiis, *Deuter.* 22:10. Nonnunquam plures unâ eâdemque actione conſpirantes, utcunque eòdem loci non ſint: ſic *Pſalm.* 2:2. 34:3. 49:2. 74:6. 83:5. &c. Nonnunquam ſorte & conditione pares, *Pſalm.* 62:9. *Iſaj.* 66:17. *Jerem.* 6:12. Alibi paſſim, multos ſimul complectitur, etiamſi diverſis cohortibus diſtinctos. Sic de *Joabi* & *Abneri* militibus, etiamſi à ſe invicem ſejunctis, (interfluente piſcinâ *Gibeonis*) videre eſt. Hi dicuntur συναντῶν ἐπιτοαυτὸ, 2 *Sam.* 2:13. Et in hunc ſenſum ſumi oportet hic loci. Credibile enim nequaquam eſt, tot mille credentium qui *Hieroſolymis* jam erant, in uno cœtu ſemper coarctari poſſe: nullæ ſanè ædes iis continendis ſufficerent. Quin apud diverſos cœtus pro diverſitate linguarum, Gentium, vel aliorum quorumvis reſpectuum, unum ii omnes cultum, unam religionem profitebantur. Quæ cœtuum varietas, quum eos ab infidelium turba diſtingueret, unoque doctrinarum & cultûs (quoad rationem & modum) vinculo, eos omnes inter ſe connecteret, haud ineptè exprimitur per ἐπιτοαυτὸ. In hunc ſenſum *R. Solomon* illud ἐπιτοαυτὸ accommodat, *Deuter.* 25:5. rectè quidem non ad fratres eòdem loci degentes, ſed ad מיוחדין בנחלה, h. e. *eodem jure hæreditario conſtrictos*. Tales erant ſub Euangelio Chriſtiani. Hoc etiam vult illud *Ezræ* 4:3. ubi Judæi urbe ædificandâ intenti inquiunt Ἡμεῖς αὐτοὶ ἐπιτοαυτὸ οἰκοδομήσομεν, h. e. nos ſeparatim à *Samaritanis*, juncto inter noſmet ſtudio, etiamſi diverſis conſortiis ab invicem loci diſtantibus, ædificandi opus negotiabimur, *Nehem.* 3. per tot. & 4:19.

VERS. 46. *Quotidie perdurantes concorditer in Templo.*

Non equidem in Templo cœtus ſuos habuerunt, quibus vel conciones audirent, vel Sacramenta peragerent. Id eis permiſiſſe Judæos nequaquam cenſendum eſt. Vide *Cap.* 4:1. Ex his verò liquet, Chriſtianos nondum cultui Templi, ritibuſve Moſaicis nuncium prorſus miſiſſe, quin horas precum, cæteraque religionis officia, ut olim fecerant, aduſque frequentare. Credentes enim pro multis abhinc annis, Legis Moſaicæ tenaces, Templo reverentiam ſuam præſtitiſſe conſtat ex *Actor.* 21:20. Quod quidem, dum Templum in integro ſtetit, haud nefas eis fuit; dummodo iſta veneratio *Moſi* perhibita fidem in Chriſto, & juſtificationem per eum unicum non labefactaret. Hinc eis Apoſtoli id indulgebant, tam *Actor. Cap.* 21. quàm *Cap.* 15. eò quòd oportuit *Moſen* quodammodò, Templo nondum ſubverſo, conſiſtere; nec erat id in iſtiuſmodi ſolennibus rectè obſervatis, quod Chriſti mortem caſſaret, vel infructuoſam redderet.

CAP. III.

VERS. 1. *Petrus & Joannes ſimul aſcendebant in Templum.*

FOrtean eodem die Pentecoſtes, & ſic ἐπιτοαυτὸ identitatem temporis hîc notat, prout apud 2 *Sam.* 21:9. & *Chald. Jonath.* in *Deuter.* 25:5. uti & *hora nona* hîc dicta, eundem reſpectum ad *horam tertiam* ſupra memoratam habere poſſit: ad horam ſcil. tertiam manè convertebantur hominum ter mille, ad horam nonam poſt meridianam quinquies mille.

Digitized by Google

ANN. CHRIS. 33. mille. Quicquid ſit, ſive eodem die Pentecoſtes, ſive non; indubium tamen eſt, diem iſtum feſtum fuiſſe, ſive Sabbatum quoddam. Id probat ingens ille populi conventus ad Templum actus, quorum tot nomina fidei addebantur. Plerunque enim in diebus profeſtis, vix quiſquam Templo adfuit præterquam Sacerdotes & viros ſtationarios: (hos R. R. vocant אנשי מעמד) viros ad id muneris ex profeſſo deſignatos, quibus ſemper ſacris intereſſe incubuit, utpote qui univerſam congregationem repræſentarent, eorum nomine & vice manibus in victimarum capita impoſitis. Apoſtoli, occaſionem nacti adeo ingentis turbæ ad Templi ſolennia coactę, eâ ſedulo utuntur; fortaſſis ſpe iſtius fauſti & fœlicis eventûs lactati, eo temporis Templum petunt. Id eos feciſſe, ut ſuis exemplis horarum canonicarum officia impoſterum rata haberent, abſurdum eſt. Apage nugas & fabulas *Baronii*.

VERS. 2. *Ad portam Templi quæ dicitur Speciosa.*

Porta hæc introitum aperuit in atrium ſecundum, ultra atrium Gentium, id quod Judæorum fuit. Hic ſe jecerat claudus à Judæis eleemoſynam rogans, ſpretis, ut videtur, Gentilibus, pro nativo ſuo faſtu, Judæis communi. Eadem hæc videtur quam *Joſephus* Corinthiam vocat, atque adeo ſumptuoſam ac magnificam ſcribit, *de Bell. Jud.* lib. 5. *Cap.* 14. quæ alibi nobis luculentiùs & ex propoſito depingenda σὺν Θεῷ occurret.

VERS. 11. *In porticum quæ appellatur Solomonis.*

Hæc porticus ſic dicta, non quaſi ipſiſſima eſſet quam *Solomon* extruxerat: illa enim pari fato cum Templo ipſo Chaldæorum manu incendebatur. Verum quia eôdem omnino loci erigebatur, id nomen tulit. Templo enim in montem acclivem & undiquaque præcipitem fundato, *Solomon* quo latius pavimentum lucraretur, quàm quod aliter montis anguſtia pateretur, foſſæ partem Orientalem, ingenti lapidum ſtrue injectâ, ſolo æquavit, atque in molem iſtam, porticum extruxit. Hanc itaque ſecundam, quoniam *Herodes* ſuper eandem molem inſtauravit, idcirco *Solomonis* nomen retinuit. Hæc prima fuit porta ſive introitus in montem Domûs Domini. Verùm non porticus duntaxat, ſed & atrium præterea eodem nomine inſigniebatur, *Joſeph.* ubi ſupra.

VERS. 12. *Quo viſo, Petrus reſpondit*, &c. ANN. CHRIS. 33.

Hic rurſum *Petri* duntaxat ſermo recitatur, dum interim *Cap.* 4: 1. dictum eſt, *Loquentibus ipſis*, ex quo palam eſt *Joannem*, æquè ac *Petrum*, concionem ſuam dixiſſe.

VERS. 16. *Per fidem in nomen ipſius*, &c.

Fidei mentio hîc loci bis fit, reſpectu nempe tam Apoſtoli efficientis, quàm claudi recipientis miraculum. Ea erat πίστις διὰ Χριστοῦ, hæc verò πίστις τοῦ Χριστοῦ, ſive τοῦ ὀνόματος.

VERS. 17. *Scio vos per ignorantiam iſta feciſſe.*

Ita etiam Chriſtus ignorantiam eis ante imputarat, *Luc.* 23: 34. *Pater, remitte hoc ipſis, neſciunt enim quid faciunt.* E duplici errore præſertim hujuſmodi ignorantia exorta eſt: circa enim locum natalium hallucinabantur. *Nazaretham* eum putantes; nec non circa naturam & ſtatum regni *Meſſiæ*, quod auguſtiſſimum fore, omnique gloriâ & majeſtate terreſtri auctum ſperarunt. Titulus cruci affixus utrumque eorum errorem ſubindicat: *Jeſus Nazarenus Rex Judæorum.*

VERS. 19. *Quum venerint tempora refrigerationis.*

Ὅπως ἂν ἔλθωσι. *Verſ. Syr. Ut deleantur peccata veſtra, & eveniant vobis tempora refrigerationis.* Sic *Arab.* & *Jrenæus*, ſaltem ejus Interpres apud *Bezam* citatus. *Vulg. Ut cum venerint*, ſenſu non impleto. Beza, *Poſtquam venerint*: ſed cui bono, planè neſcio. Inſtat valde ὅπως ἂν poſſe reddi *poſtquam*. Id facilè damus: interea vero haud rariùs *ut* ſonat. Atque in hunc ſenſum hîc loci rectiùs ſe ſolvunt: Ut deleantur peccata veſtra, *adeo ut* evenerint tempora refrigerationis. Apoſtolus loquendi modum ab *Iſaja* ſumit, *Cap.* 28: 12. ubi Propheta ſimul & ſemel linguarum dona *verſ.* 11. Euangelii prædicationem, *verſ.* 12. & obſtinatam Judæorum contumaciam & infidelitatem prædicturus, hæc ipſa tempora, de quibus nunc agitur, digito monſtrat. Secundùm hanc prædictionem intelligi Apoſtolus debet; de præſenti nempe refrigerio quod per Euangelium, Chriſtique in eo revelationem, ſubminiſtratur; non ita de futuro quodam refrigerio, quod ex univerſa Judæorum converſione, & Chriſti in terris ſpectabili regno, vim ſuam haberet. Hoc fruſtra & ineptè nonnulli ſomniaſſe videntur. Somnium profectò: etenim, perpenderint velim, quid

 iſtiuſ-

Digitized by Google

ANN. CHRIS. 33.

iſtiuſmodi verborum interpretatio hic loci ſonaret. *Reſipiſcite igitur, & convertite vos, ut deleantur peccata veſtra, quum venerint tempora refrigerationis:* q. d. Jam reſipiſcite, ut deleantur olim peccata veſtra, h. e. annis abhinc fortaſſis bis mille, vel poſt innumeram neſcio quam temporum ſeriem, quandocunque Judæorum reductio in Chriſtianam fidem evenerit. Si hic non ſit verborum ſenſus, quem illi præſertim textui affingunt, qui Chriſti regnum perſonâ ſuâ propriâ ſpatio millennii adminiſtrandum prædicant; quare itaque hæc verba citant? Si verò hic ſenſus ſit, fateor me nihil exinde poſſe ſapere. Verba quidem in ſe obvia ſatis & facilia videntur, nullo modo perplexa, modò in hujuſmodi promptam & perſpicuam paraphraſin ſolvi permitterentur. Reſipiſcite igitur, & convertimini, ut deleantur peccata veſtra, atque ita tempora refrigerationis ad vos pervenerint à Domino per Euangelium; quum vobis emiſerit Deus Chriſtum Jeſum, qui prædicatione Euangelii vobis benedixerit, & unumquemque veſtrum à pravitatibus ſuis averterit.

VERS. 20. *Et miſerit Chriſtum Jeſum.*

Sic *verſ.* 26. *Deus priùs ſuſcitatum Filium ſuum Jeſum miſit qui benediceret vobis.* Hæc nequaquam indicant Chriſtum olim inter eos perſonâ ſuâ verſaturum: quiſnam enim ex hac tota auditorûm frequentia, qui Chriſtum à reſurrectione ejus ſemel viderant? Spectant verò iſtiuſmodi præſentiam, quam Chriſtus per media & adminicula ſalutis perhibiturus eſſet. Quod idem videre eſt *verſ.* 22. ubi mentionem habemus Chriſti, ſcil. magni illius Prophetæ miſſi, cui ſi quis non morem geſſerit, eum exſcindi oportet. Non equidem in iſta ultima mundi cataſtrophe, cùm ad judicandum eum olim venturus ſit; quin jam ſtatim ſub Euangelii adminiſtratione, & prædicatione verbi ejus, quod unuſquiſque obſtinato renuens, condemnabitur. Hortatur itaque eos *Petrus* ut reſipiſcerent, & ſic delerentur peccata, Chriſtoque inter eos miſſo per Euangelii prædicationem refocillarentur: ſecundùm quod *Moſes* prædixerat, *Magnum illum Prophetam* & populi eruditorem olim venturum.

Priùs vobis prædicatum.

Rectam hanc eſſe loci lectionem probat ſcopus *Petri*. Quantumvis enim *Beza* affirmet, vetera omnia exemplaria quibuſcum is rem habuit, unà cum *Syr.* *Arab.* & *Tertull.* legiſſe προκεχειρισμένον, h. e. *præordinatum*; urget tamen loci ſcopus, ut vocem προκεκηρυγμένον retineremus: *priùs vobis prædicatum*, ſcil. per *Moſem*, ſive Legem Moſaicam, *verſ.* 22. uti & per ſingulos Prophetas, *verſ.* 24.

ANN. CHRIS. 33.

VERS. 21. *Ad tempora reſtitutionis omnium.*

Sive *ad tempora conſummationis* ſeu *completionis omnium.* Huic favet *Syr.* reddendo, *uſque ad plenitudinem* ſeu *complementum temporis rerum omnium.* Pariter Arabs, *uſque ad tempus quo conſummabuntur omnia.* Vox quidem ἀποκαταστάσεως vim habet *inſtaurandi* ſive *reſtituendi* res ad priſtinum ſtatum, prout apud Græcos Autores haud raro occurrit: verùm apud Sacros Scriptores plerunque ſignificat id quod R. R. exprimere ſolent per התקםמות, ſive קיימות, i. e. *conſummationem* ſive *completionem rei.* Quin & præpoſitio ἀπὸ non adeo vim habet *re* vel *rurſum*, ac contrarium quid ſignificat τῷ ἀ privativo in ἀκαταστασία, quæ inſtabilitatem ſive infirmitudinem ſonat: quo ſenſu ἀποκατάστασις πόλεως opponitur τῷ κινήματι, *Polyb. Hiſt.* lib. 4. Conſulantur parùm loca illa apud Novum Teſtamentum, ubi hæc vox potiſſimùm occurrit, *Matth.* 17: 11. & locum hunc de quo res jam agitur. *Elias quidem veniet priùs*, καὶ ἀποκαταστήσει πάντα, *& reſtituet omnia.* Quid? an ad priſtinum ſtatum? Nihil minùs: *Baptiſta* enim res in alium omnino ſtatum priori diverſum mutavit. Quid porro? *an omnia reficiet & emendabit?* Verum quidem id in parte eſt: ſed hic loci vix & ne vix quadrat; ubi non tam de rerum emendatione, quàm conſummatione omnium tractatum eſt. Quàm inſulſa itaque videretur utravis verborum interpretatio huic loco accommodata, *uſque ad reſtitutionem omnium ad priſtinum ſtatum de quibus loquutus eſt Deus per os omnium ſanctorum Prophetarum:* ſive, *uſque ad emendationem omnium de quibus loquutus eſt*, &c. Ea de quibus loquutus eſt Deus per os Prophetarum à jacto mundi fundamento, hujuſmodi præſertim erant: *Satanas* à Chriſto debellandus in populi ſalutem; mortis, ultimi hoſtis, abolitio; Judæorum converſio, Gentium plenitudo, &c. Et quomodo, ſodes, hæc propriè *reſtitui* ſive *emendari* dicuntur? *Compleri* ſanè, *perfici* ſive *conſummari* ea dici poſſint. Quod quidem clauſula iſta circa *Baptiſtam* præ ſe fert: *Elias quidem veniet, ac perficiet* ſive *conſummabit omnia*, quæ de eo nempe ſcripta erant. Pari modo oportet etiam Filium hominis *complere* omnia quæ de eo ſcripta erant. Hunc ſenſum ſequutus & *Marcus*, *Cap.* 9: 12.

VERS. 24.

Digitized by Google

ANN. CHRIS. 33.

VERS. 24. *Omnes Prophetæ à Samuele.*

Is primus è Prophetis à *Moſe* recenſetur.

I. Quoniam prophetandi munus ab exitu *Moſis* ad ortum *Samuelis* rarum & infrequens fuit.

II. Quoniam is primus à *Moſe* prophetiam ſuam ſcripſit. Ab initio *Samuelis* dominii ad initium captivitatis *Babylonicæ*, anni excurrerunt 490. & à fine iſtius captivitatis ad mortem Chriſti, anni itidem 490. Spatium interim illud annorum captivitatis 70. *intermedium annorum* dicitur, uti alibi notatum eſt. Monendum tamen lectorem velim, quòd epocha temporis quo *Samuel* Prophetæ titulo donatur, in hâc computatione non à morte *Eli* proximè, ſed ab anno ultra eam viceſimo inchoari debet. Atque hic liceat mihi clauſulam quandam excutere, perplexiorem fortaſſis (utcunque ab eruditis minùs animadverſam) quàm quævis alia per totum Vetus Inſtrumentum.

1 *Sam.* 7:2. *Fuit autem ex quo tempore reſedit Arca in* Kiriath-jearim *dies multi elapſi erant*, ſcil. *viginti anni*, *& tota familia Iſraëlis lamentabatur poſt Jehovam.* Procul omni dubio eſt Arcam reſediſſe in *Kiriath-jearim* plus annis quadraginta, h. e. à morte *Eli* uſque dum à *Davide* Hieroſolymas adduceretur: intervallum id erat annorum quadraginta ſeptem & plus, eo excepto quod apud *Philiſtæos* & in *Bethshemeth* aliquantiſper detenta erat, 1 *Sam.* 6:1. Quid eſt itaque quòd ſpatio annorum viginti tantùm in *Kiriath-jearim* reſediſſe diceretur? Obſervandum ſanè eſt, non hîc totum temporis ſpatium notari, quo Arca iſtîc loci reſedit; ſed per tot annos *Iſraëlitæ* Arcâ orbati, inſuper eam habentes, nullo ſtudio eam redemiſſe curarunt: altas adeo radices egerat eorum idololatria, & religionis faſtidium, ut Arca ipſa ſpatio viginti annorum ſpreta prorſus & deſpecta, hoſtium probris permitteretur: & *tùm demum tota familia Iſraëlis lamentabatur poſt Jehovam.* Ita enim verti oportet, non verò, *Et tota familia Iſraëlis*, &c. prout nonnulli.

Ex his conſtat excurriſſe annos 21. à morte *Eli* ad Iſraëlitarum pœnitentiam, qui anni, etiamſi partem habeant cum iſtis quadraginta qui *Samuelem* ſpectant, nullum tamen locum habent in computatione *Habaccukis*, quæ Prophetarum proſapiam & ſeriem claudit.

Ex iis itaque quæ jam diximus notandum reſtat,

I. Quàm ſubitaneâ reſipiſcendi mente Gentem Iſraëliticam donavit Deus; poſtquam adeo longum tempus excurrerat impietate & idolorum cultu laſcivè profuſum. Impiè admodum ſe geſſerant temporibus filiorum *Eli*; atque ea propter Deus Tabernaculum ſuum *Shilunti* poſitum jure deſeruit; caſtrum nempe quod metatus fuerat ad latus *Adami*, quum *Iſraël Jordanem* tranſmearet, *Joſ.* 3:16. *Pſalm.* 78:60.

Arcâ interim hoſtium ludibrio permiſsâ, nondum Iſraëlitæ reſipuerunt. Attamen reſtitutâ Arcâ, atque inter eos ſpatio viginti annorum verſatâ, neminem fere ab idolorum cultu in meliùs reduxit. Quum tandem Deo viſum eſt, ut quaſi ex improviſo Iſraëlitæ universâ converſione reduces, abrenunciatis idolis Jehovam requirerent, atque *poſt eum lamentarentur*.

II. Notari oportet quam mirabiliter Spiritus converſionis populum inſedit, cùm Prophetarum primus palàm ſe dederit; uti & hîc in Actis Apoſtolorum videre eſt, cùm ſtirpis Propheticæ ultimi conſummarint omnia.

III. Denuum obſervatu dignum eſt, quòd quemadmodum mos Judæis fuit, ut ſub Apoſtolorum miniſterio pœnitentiam agentes, baptizarentur, haud ſecus inter Iſraëlitas factum; quod ex iſta clauſula liquet, 1 *Sam.* 7:6. *Haurientes aquam, effuderunt eam coram Jehova.* Baptizati nempe erant, ſive ab idolis abluti & mundati.

VERS. 25. *Vos eſtis filii Prophetarum.*

Hoc eſt Diſcipuli eorum. Sic Vetus Teſtamentum ſæpiſſime habet. *Filii Prophetarum*, 2 *Reg.* 2. &c. *Amoſ.* 7:14. *Nec Propheta, nec Prophetæ filius*, i. e. Diſcipulus. Hinc *Matth.* 11:19. *Juſtificata eſt ſapientia è filiis ſuis*, i. e. è Diſcipulis.

CAP. IV.

VERS. 1. *Præfectus Templo.*

Erat is dux præſidii quod ad tutandum Templum in turre *Antonia* ſtationem ſuam habuit. Sita hæc turris ad Septentrionalem angulum muri qui montem domûs ab urbe ſejunxit: ab *Hyrcano Aſmonæo* extructa, ubi ipſe degens veſtimenta ſacerdotalia peractis Templi, ſacris repoſuit, *Joſeph. Antiquit.* lib. 18. cap. 6. Hanc inſtauravit *Herodes* grandibus impenſis, atque in *Antonii* memoriam, *Antoniæ* nomen indidit, in Templi tutamen eam communiens. Hic uti pridem, ita etiam adhuc tam in *Herodis* quàm in *Archelâi*

Digitized by Google

chelai filii temporibus ſtolæ ſacræ reponi ſolebant. Amoto verò *Archelao*, rebuſque ejus omnibus in fiſcum reductis, turris ipſa Romanis ſubdita. Romanorum militum præſidio muniebatur. Sacræ veſtes etiam ſub eorum ditione reconditæ, donec *Vitellius*, prout infra videndum, eas in Judæorum curam & cuſtodiam integre reſtituit, *Antiquit.* lib. 15. cap. 15. Dux itaque hic dictus, Romanus eſt, Romanorum præſidio Præfectus, qui unà cum Sacerdotibus & Sadducæis Euangelio ſufflamen poſuit, Diſcipulos in vincula conjiciens: atque ita *Romani* rurſum cum *Judæis*, ut antea in Chriſtum, ſic jam in Apoſtolos unà conſpirant, *Pſalm.* 2: 1, 2.

Erat quidem militum Tribunus præſidio *Hieroſolymitano* ſummè Præfectus: vide *Cap.* 21: 33. & *Cap.* 24: 7. Hujus cohortes ſparſim per urbem ſtationes ſuas habuere, quarum partem fecit præſidium iſtud turri *Antoniæ* impoſitum, quod ipſo Templo imminens, Judæis ſervitudinem ſuam apprimè exprobravit, eò quòd Ethnici eorum Templo & cultui fræna injecerant. Atque in hunc modum ſanè *abominatio deſolationis* ſenſim eos invaſit, locumque occupavit quem non debuit.

VERS. 2. *Moleſtè ferentes quòd docerent populum.*

Haud una eademque cura Sacerdotes, Sadducæos, & Templi Præfectum angebat. Metuit Præfectus ne hæc in tumultus & ſeditiones creſcerent: ſtomachabantur Sadducæi reſurrectionem è mortuis adeo audacter aſſeveratam, dum ipſi eam omnino negant, *Cap.* 23: 8. fremuerunt Sacerdotes, homines, ut putarunt, adeo inſulſos, & è fæce populi auſos plebem docere, præſertim verò reſurrectionem per Chriſtum unicum ſperandam, præ ſe ferre.

In Chriſto reſurrectionem è mortuis.

Etiamſi reſurrectio à mortuis dogma fidei eſſet, quod apud univerſam fere Judæorum nationem obtinuit, exceptis Sadducæis duntaxat, adeo ut contra ſentientibus partem in altero ſeculo adimerent; ita enim loquuntur in *Talm. Tractat. Synedr.* Cap. *Helek. Hi ſunt qui partem nullam habent in futuro ſeculo: qui nempe docent reſurrectionem è mortuis apud Legem non aſſeri: qui Legem tradunt non cœlitùs datam: & Epicuræi omnes:* non minore tamen hæreſeos notâ inurebantur ii qui reſurrectionem prædicarunt ſive ἐν τῷ Ἰησοῦ, i. e. *per eum ratam & probatam eſſe*; ſive ἐν τῷ Ἰησοῦ, i. e. *per vim* vel *virtutem Jeſu* effectam: h. e. qui vel præ ſe tulit Jeſum ipſum à mortuis *reſuſcitatum*, vel reſuſcitationis autorem eſſe.

VERS. 4. *Et factus eſt numerus virorum quaſi quinquies mille.*

Numerus hic credentium eſt non auditorum. Numerus etiam ſeorſim conſiderandus ab iſtis ter mille ſupra converſis, non eis addendus, ut numerum quinquies millium compleret.

I. Etenim videtur hiſtoriæ præcipuus finis, vim nempe & virtutem potiùs, quàm nudam *Euangelii* prædicationem narrare: quot ſcil. ei fidem & obſequium tulerunt, non ſolùm quot eam audierunt.

II. Id firmat ipſa connexio, quæ adeo facilis & continua videtur, ut vix aliter, demptâ cavillatione, niſi de numero credentium intelligi queat. Verba ſunt, *Multi eorum qui audierant hunc ſermonem, crediderunt.* Multi? inquies quot illi? *Factus eſt numerus quaſi quinquies mille.*

III. Abſurdum ſanè eſſet fingere Spiritum Sanctum numerum eorum qui Templo adeſſent recenſiturum, ad quinquies mille tantum notâſſe; quum *Joſephus* ſingulam claſſem ſive ordinem ſacerdotum è tot millibus conſiſtere haud rarò ſcribat: imò mirum profectò eſſet, ſi idem Spiritus Sanctus qui nunquam antea per univerſam Sacram Scripturam, ſummam auditorum in Templo dederat, non quum ex propoſito, tum cœtum tum officia deſcripſerit, hîc loci potiſſimùm id faceret, ubi eorum ſolummodo hiſtoria & res agitur, qui Euangelium amplexi eſſent.

Præterea, conſtat hunc fuiſſe numerum in ſe integrum; neque ad eos omnino referre, qui ſupra *Cap.* 2. memorantur, ex his liquet.

I. Tractatur hîc ſpeciatim miraculum à *Petro* & *Joanne* editum. Huic narrando ſe accingit Euangeliſta, & in inſtituto pergit ad *verſ.* 23. Et quare itaque hæc unica clauſula à ſcopo aberraret?

II. Inſueta ſanè eſſet computandi ratio, atque idcirco Sacræ Scripturæ prorſus incognita, numerum 5000. loco 2000. ſtatuere; interea verò nullum nobis indicium præbere, quo numerum 2000. duntaxat deſignari dignoſceremus.

III. *Numerus virorum erat quaſi quinquies mille.* Quorumnam verò? Eorum certè *qui ſermonem audierant.* At quemnam ſermonem? Illum proculdubio à *Petro* & *Joanne* noviſſimè pro concione habitum, non quem Apoſtoli die Pentecoſtes habuerant. Et ſic Eccleſia jam in numerum octies millium, concione bis habitâ, exaucta eſt, præter eos

qui

Digitized by Google

ANN. CHRIS. 33. qui antea crediderant, & plurium fortaſſis, quorum converſio ad calculos reducta non erat.

VERS. 5. *Primores eorum, Seniores & Scribæ*, &c.

In hoc Synedrio Euangeliſta diverſam membrorum claſſem recenſet.

I. *Primores*: h. e. Sacerdotes primarios, ſive Capita viginti quatuor Claſſium.

II. *Scribas*: h. e. Doctores ex Tribu Levitica.

III. *Seniores*: h. e. Synedrii Aſſeſſores, ex aliis omnibus Tribubus ſelectos.

IV. *Annam*: h. e. *Naſi*, ſive Synedrii Præſidem.

V. *Cajapham*: Summum Pontificem: ABBETH DEN, Synedrii patrem.

VI. *Joannem*: Annæ filium, ut videtur, *Gophin* & *Acrabatenæ* Præfectum, *Nerone* imperante: de quo *Joſeph. de Bello Jud.* lib. 2. cap. 25.

VII. *Alexandrum*: vocatum etiam *Lyſimachum* & *Alabarcham*; de quo infra fuſius dicturi ſumus.

VIII. *Et quotquot erant ex genere Pontificio*: fratres ſive cognatos Pontificis. Ex hoc itaque ingenti concurſu (quorum fortean multorum negotia & domicilia ab *Hieroſolymis* longinquiùs diſtiterunt) colligere eſt, hæc ad feſtum quoddam tempus eveniſſe, atque hujus feſti ſolennia tot eò temporis ad urbem coëgiſſe.

VERS. 7. *Quum igitur ſtatuiſſent eos in medio.*

Synedrium in ſemicirculo ſedebat, Rambam, *Synedr.* cap. 1. Qui itaque coram Synedrio ſiſtebantur, eorum medio ſteterunt vel ſederunt, *Luc.* 2:46.

Quo nomine hoc feciſtis?

Ita enim inſulsè opinati ſunt; ac ſi vi quorundam *nominum* magna quædam efficerentur, *Actor.* 19: 13. *Talm.* in *Shabb.* hujuſmodi commentum habet. *Ben Satda* (blaſphemia non minimæ notæ ſub hoc nomine delituit) *miracula edidit, nomen ineffabile ponendo & inſuendo in cuticulam pedis.*

VERS. 11. *Hic eſt lapis ille pro nihilo habitus.*

In *Pſalm.* 118:22. loco ſcil. unde hanc clauſulam petunt, *λίθος ὃν ἀπεδοκίμασαν*, i. e. *lapis quem reprobarunt*: quod itidem *Matthæus* habet, *Cap.* 21:42. & cum textu Hebraico ſat quadrat. Hîc verò Apoſtolus dictionem exacuit, quò & Judæos acriùs ob eorum in Chriſtum contumaciam ureret, nec non Chriſti exinanitionem argutiùs oſtenderet. *Syrus* tamen notâ hac inſuper habitâ, tam hunc locum quàm iſtum *Matthæi*, per unam atque eandem vocem (*reprobarunt*) reddidit. ANN. CHRIS. 33.

Chaldæus Interpres hunc *Pſalmum* putidè ſatis & nugabundè vertit. *Juvenis iſte quem è filiis Jeſſæi ædificatores reprobarunt, regnum tandem obtinuit. A Domino hoc factum, inquiunt ædificatores: & mirabile eſt in oculis noſtris, reſpondent Jeſſæi filii. Hæc ipſa dies eſt quam effecit Jehovah, inquiunt ædificatores: Exultemus & lætemur in ea, reſpondent Jeſſæi filii. Serva nos nunc, obſecro, inquiunt ædificatores: Proſpera nunc, ajunt Jeſſæus & uxor. Benedictus is eſt qui venit in nomine Jehovæ, inquiunt ædificatores: Benedicant vobis à domo Domini, reſpondit David. Jehovah illuſtret nos, inquit Tribus Judæ: Alligate funibus juvencum, donec in feſtis ſacrificium efferatis: & ſanguinem ejus ad cornua altaris effundite, inquit Samuel Propheta*, &c. Ad hunc *Pſalmum* & locum, immane quantum diſcrepet *Chald.* in *Bibliis Regiis*, & *Chald.* in *Buxtorfianis* & *Venetis*, viderint docti.

VERS. 13. *Homines illiteratos & idiotas.*

Vox Græca *ἰδιῶται* multo in uſu apud Judæos eſt, & tam apud eos quàm Græcos ſignificat *viros privatæ & infimæ ſortis, homines nullius momenti, rudes & illiteratos.* Exempla hujuſmodi apud Auctores non rarò occurrunt. *Lucian.* Ὁ μὲν πολὺς ὅμιλος οὓς ἰδιώτας οἱ σοφοὶ καλοῦσι. *Plebs gregaria, quos ſapientes* idiotas *vocant.* *Galen.* Ἰατρικῆς ἰδιῶται, *Medicinæ inexperti.* *Aben Ezra* in *Levit.* 13:2. *Aaron*, i. e. *Sacerdos ejus vices fungens: ſive* תוקספרה *unus è filiis*, i. e. הכוהנים הדיוטים, h. e. *Sacerdotes idiotæ, ſive infimæ claſſis.* R. *Solom.* in *Levit.* 1:1. *Cui inſervierunt pauſæ? Ut ex eis Moſes inter ſectionem & ſectionem, ſenſum & ſenſum rectiùs diſtingueret.* חו׳ להדיוט הלומד מהדיוט, i. e. *Multò magis idiota, qui ab idiota erudiendus eſt.*

Quævis hujus vocis redditio apponi hîc jure poſſit; nec dubium eſt quin ex opinione Synedrii ſenſus vocis in omni ſua latitudine *Petro* & *Joanni* quadraret: faſtidio eos habuerunt, ut viros rudes, illiteratos, nullius momenti, atque infimæ ſortis homines, atque eò magis ſtupendam hanc claudi ſanationem mirati ſunt.

VERS. 23. *Venerunt ad ſuos.*

Ad collegium ſcil. quod ex centum & viginti conſtitit: de quo ſupra, *Cap.* 1:15.

VERS. 25. *Qui per os Davidis pueri tui dixiſti.*

Pſalmus ſecundus, cujus titulus nullius uſpiam

Digitized by Google

ANN. CHRIS. 33.

uſpiam auctoris mentionem fecit, *Davidi* hic per *Spiritum Sanctum* aſcribitur; hinc conjecture licet, quemvis Pſalmum cujus autorem ſive amanuenſem titulus præ ſe non tulit, *Davidi* ſemper aſcribendum eſſe. Regula iſta apud Judæos recepta (*ubi nempe Pſalmus in titulo autorem ſuum non fert, ei ſemper aſcribi debet cujus nomen in antecedenti quovis Pſalmo proximè inſcriptum erat*) in duobus primis inutilis fit, nullum nobis indicium præbens, quis eorum auctor eſſet. Unde *Aven Ezra* conjecturam fecit, Pſalmum ſecundum non à *Davide*, ſed ab aliquo è ſymphoniæ magiſtris exaratum fuiſſe. Aſt per hanc clauſulam quâ Apoſtoli inter orandum uſi ſunt, certiores nos facti ſumus, *Davidem* non hunc ſecundum duntaxat, ſed quoſvis alios qui autorem ſuum in titulo non gerunt, ſcripſiſſe; quod fuſiùs probaretur, modò ad hic & nunc eſſet. Conſule *Pſalm.* 96. 105. 107. & 132. & confer cum 1 *Paralip.* 16:7. Antiquiores R. R. uti & Doctores Judaici hunc Pſalmum, haud ſecus ac Apoſtoli, de Chriſto interpretati ſunt: quod quidem haud ægrè fatetur *Solomon Jarchi* in proœmio ſuo ad hunc Pſalmum; utcunque ipſe, ſimul & Judæi neoterici pro obſtinata eorum malevolentia in Chriſtum, hæc omnia in unico *Davide* conſummata contendunt.

VERS. 32. & 33.

De bonorum communitate.

Hæc, utcunque pro hac vice, & reſpectu ſtatûs infantilis Eccleſiæ tùm recens *Hieroſolymis* natæ, accommoda ſatis eſſet, ne dicam perneceſſaria; at futuris ſeculis in exemdlum venire nequaquam oportuit.

I. Etenim res erat cujuſque arbitrio permiſſa, non in mandatis data, *Actor.* 5:4.

II. Fundos quos vendiderunt nonnulli, extra terram Canaaniticam ſitos fuiſſe conſtat, quoniam eorum poſſeſſores ab exteris regionibus devenerant. Exemplo ſint fundi *Barnabæ* qui in *Cypro* erant. Quum itaque iis ſtatutum eſſet, ad Apoſtolorum latera mordaciùs hærere, nuncio patriæ miſſo, quid uſpiam profuturi eſſent fundi adeo longè remoti?

III. Qui fundos ſuos, etiamſi in Judæa ſitos, dimiſerunt, credibile eſt eos alta in mente poſuiſſe diras Chriſti & minaces prædictiones de *Hieroſolymarum* & Judææ excidio; ac proinde in præſens Eccleſiæ emolumentum ac ſuſtentationem venales feciſſe, ne hoſtium tandem præda evaderent.

IV. Deus hoc pacto eis in futuram perſecutionem conſuluit, ut ne pauperes ob fœdam rerum inopiam, nec divites ob nimiam hujus ſeculi mollitiem à fidei profeſſione reſilirent: quin ut hujuſmodi diſtributione promiſcuè factâ, quiſque quod ſatis eſſet haberet, & ne quis nimium.

ANN. CHRIS. 33.

V. Et ultimò, is fuit Eccleſiæ tunc temporis ſtatus, qualis impoſterum vix futurus eſſet. Eccleſia recèns nata, atque intra limites unius urbis incluſa, plerique eorum à domiciliis ſuis longinqui, & ſub illo perſecutionum diſcrimine, ut neſcirent, an non longinquiùs ſtatim diſſipandi eſſent. Iſtiuſmodi ergò rerum adminiſtratio pro præſenti ſtatu & conditione Eccleſiæ, futuris ſeculis nequaquam imponenda videtur, ſive propter vim alicujus mandati, ſive perfectionem quandam futurâ imitatione dignam.

In hoc anno Judæi Jubilæum celebrant propriè ſic dictum; viceſimum nempe octavum quod à prima terræ poſſeſſione ſolenne fecerant. Qui verò fidem amplexi erant, adeo non poſſeſſiones ſuas reſumunt, (quod ex Jubilæo fas eis fuerat, modò res ſuas aut vendiderant, aut oppignorarant) ut eas dum penès ſe eſſent, prorſus dimittunt, edocti jam ſatis terreſtrem *Canaanem*, ut Chriſtianorum ſortem ſpectari nullo modo debere, regnumque *Meſſiæ* terrenum non eſſe.

VERS. 36. *Barnabas Levites, Cyprius genere.*

Sicuti *Saulus* Benjamita Tarſo oriundus, *Hieroſolymis* tamen inſtituebatur & degebat; ſic *Barnabas*, etiamſi *Cypro* natus, terram tamen *Canaaniticam* incoluit; fundos habuit, etiamſi Levita, ſibi proprios, & pro arbitrio ſuo venales. Levitis fas erat agros ſibi etiam intra Judææ limites nummis acquirere, multo magis apud exteras regiones. *Samuel* Levita in patrimoniali ſolo quod proavus *Tzuph* emerat, natus fuit. Confer 1 *Sam.* 1:1. cum *Cap.* 9:5.

Verùm una res fortaſſis *Barnabam* fortiùs urgebat, ut fundos ſuos in Eccleſiæ uſum ſacraret; ea fidelium vulgo communis non fuit: Chriſti ſcil. mandatum Diſcipulis qui in miniſterium cooptandi eſſent ſpeciatim exhibitum, *Matth.* 10:9, 10. *Ne comparate aurum neque argentum*, &c. Hinc illud *Petri*, *Actor.* 3:6. *Aurum & argentum non eſt mihi.*

CAP. V.

VERS. 1. *Vir autem quidam nomine Ananias.*

DUm alii integrè & ſine omni fuco fundos ſuos in ſublevationem Eccleſiæ relinquunt; *Ananias* & *Sapphira* par ſimulationis, Deo

Deo & Mammoni ſimul operam ſuam dediſſe cupientes, ſuas etiam res ſub prætextu pientiſſimæ munificentiæ ad Apoſtolorum pedes ſummittunt. In eis vana oſtentatio & calliditas, unà cum parſimonia & diffidentia pugnarunt. Fundorum venditionem cum aliis affectantes, non adeo ſincerè tamen in Eccleſiæ gremium profunderent. Pro hac tam verborum quàm operum prævaricatione, mortis improviſæ horribiles pœnas luunt, (prout olim *Nadab* & *Abihu*, & qui Sabbatum primò profanarat in prima inſtitutione Eccleſiæ Judaicæ, morte improviſâ cœlitùs plectuntur) quò moniti eis poſteri diſcant, Deum nequaquam illudere, vel Spiritus Sancti dona ampliùs dehoneſtare.

VERS. 3. *Ut mentireris in Spiritum Sanctum*, ſeu potiùs, *ut Spiritum Sanctum ementireris*.

Haud equidem peccatum iſtud nudè & ſimpliciter conſideratum, horrendi id genus ſupplicii contraxerat, ſed peccatum, rebus ſic ſtantibus, commiſſum: videtur enim *Ananias* non inter gregem ſeu plebem fidelium, ſed inter Miniſtros Euangelii locum habuiſſe, doniſque Spiritus Sancti æquè ac illi centum & viginti indutus. Huic conjecturæ favet bina hæc obſervatio.

I. Quum Euangeliſta narraſſet piam atque integram munificentiam quam *Barnabas* (Euangelii Miniſter & Præco) oſtenderat in plena bonorum communicatione; ad rem *Ananiæ* ſtatim (tanquam ejuſdem ordinis viri) deveniens, fucatam ejus & ſimulatam bonorum diſtributionem deſcribit.

II. Etiamſi dictum ſit *verſ.* 4. ἐψεύσω Θεῷ, i. e. *Deo mentitus es*; dicitur tamen *verſ.* 3. ψεύσασθαι τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον, i. e. *ementiri in Spiritum Sanctum*, ſive Spiritui Sancto mendacium affingere. Ex qua phraſiuncula conjectari poteſt, *Ananiam* inter cæteros Spiritu Sancto donatum. Et tamen quantumvis tot donorum excellentiam ipſe in ſe & in Apoſtolis expertus, (proh miſerum!) quam auſus eſt, adeo turpiter diſſimulando, tum dona ipſi collata probro afficere, tum virtutes *Petro* inditas in ſui ipſius perniciem periclitari!

Et ſic *Ananias* haud *Judæ* abſimilis, donis ſpiritualibus pariter ornatus, interea verò avaritiæ ſuæ æquè flebile mancipium, fato haud minùs ſpectabili & tremendo infelix occubuit. Nec equidem inter reliquos duodecim alius fuit cui magis propriè pertinuit, quàm *Petro*, ſententiam hanc lethiferam tuliſſe: utpote qui inſigniùs ſe mendacii & ejurationis ſuæ (abnegato quondam Chriſto) pœnituiſſe oſtenderit; imò ut à nefando iſto reatu ſolutum ipſum alii viderent, dum adeo diras alterius mendacio pœnas infligere & poſſit & debeat.

VERS. 13. *Cæterorum autem nemo audebat ipſis adhærere.*

Quinam verò hi *cæteri* ſint Apoſtolis *adhærere* non auſi, dictu quidem difficile eſt, adeo varii ſunt qui in hac re conjectant.

I. De iis *Beza* interpretatur, qui utcunque alieni vel ignari non eſſent in rebus Euangelii, Eccleſiam tamen non adhuc attigerant: meticuloſi quidam homines, qui vel à Judæis cavebant, vel horrendâ manu *Ananiæ* inflictâ attoniti obſtupuerunt.

II. De iis fortè intelligi poſſit, qui quidem utcunque Eccleſiæ adjuncti, cum Conſiſtorio tamen centum & viginti Presbyterorum ſe nuſpiam admiſcuerunt, officio judicandi ultro abſtinentes, ut qui iſtiuſmodi provinciâ minores eſſent.

III. Diſcipulos ſaltem iſtos centum atque octo ſubindicat, qui quantumlibet ad ſacra per ipſum Chriſtum vocati, & in Synedrio Apoſtolis conſociati eſſent, quoad Apoſtolatûs gradum tamen & dignitatem impares ſe facilè agnoſcunt, non auſi æqualitatem pertendere, dum interim etiam *hos magnificabat populus*. Atque hic ſanè verborum ſenſus mihi potiſſimum arridet.

I. Etenim vox λοιπῶν indicare videtur *reliquos* ex ipſorum cœtu, non quoſvis extra Eccleſiæ limites: de iis enim propriè magis Euangeliſta dixiſſet τῶν δὲ ἄλλων, quam τῶν δὲ λοιπῶν, prout norunt Græcam linguam experti.

II. Hic de adhærendo Apoſtolis, non Eccleſiæ, tractatur, prout grammatica constructio apertè docet.

III. Et quod præcipuè notatu dignum eſt, vox iſta ἅπαντες, *verſ.* 12. non univerſum fidelium cœtum ſpectat, ſed vel *Apoſtolos* duntaxat, (quod ex antecedentibus videtur) vel ſaltem illos centum & viginti viros, prout *Cap.* 2: 1. Et tùm in hujuſmodi ſenſum ſumma verborum rediit: ſcilicet, quòd præter iſtam horribilem ſententiam *Ananiæ* & *Sapphiræ* à *Petro* latam, reliqui undecim magna quidem & mirabilia in conſpectu populi ediderunt, toto inſuper collegio virorum 120. in porticu *Solomonis* unanimiter agente, & promovente Euangelium: interea verò *cæterorum* ex eis centum & viginti *nemo* Apoſtolis *adhærere audebat*, ſaltem quoad officium & dignitatem Apoſtolis propriam & incommunicabilem; territi nuperrimo *Ananiæ* fato, ab uno è duodecim inflicto, multaque alia miracula ab eis præter modum facta conſpicati, peculiari veneratione Apoſtolos proſequun-

ANN. CHRIS. 33.

quuntur: & tamen eos omnes ſtupendis Spiritûs Sancti donis ornatos *magnificabat populus*.

VERS. 15. *Petri umbra.*

Multa per Apoſtolorum manus, imò, ut videtur, per umbram *Petri* ſigna edebantur. Verùm in bono an in malo ſenſu accipi debet hæc clauſula, adeo indeterminatum reliquit nobis ipſe textus, ut nonnulli in meliorem ſenſum proni, peſſimè omnium interpretati ſunt. Narrat equidem *Lucas*, eos *in plateas tuliſſe ægrotos, in lectis poſuiſſe & grabbatis, ut venientis Petri vel umbra inumbraret aliquem eorum*. At quinam hi eſſent qui ægrotos tulerunt, vel an ipſi ægroti ſanati erant, ne γρῦ quidem. Quantum ego perſpicio, nonnulli è Judæis incredulis ægrotos ſuos iſthic poſuerunt; quoniam credentes ad ipſos Apoſtolos tuliſſe ægrotos poterant, vel ſaltem ab Apoſtolis impetraſſe, ut eos viſerent: fortaſſis etiam pro cæca ſua ſuperſtitione id fecerunt, ſpe virtutis æquè ex umbra, ac *Petro* ipſo, emanaturæ: fortaſſis denique id illuſoriè attentarunt, donorum Apoſtolicorum efficaciam ex fraude captantes, dum eorum doctrinas inſuper habuerunt & averſati ſunt. Porrò credibile eſt ægrotos re infectâ rediiſſe, eò quòd de eorum ſanatione non legimus. Modò itaque in iſtiuſmodi ſenſum rem ſumeremus, minorem fortean vim & injuriam textui adferremus, quam qui ſecus interpretati ſunt. Poſito enim, Deum *Petro* adeo præ aliis (uti Circumciſionis præcipuo Miniſtro) indulſiſſe, & eorum ergò qui miraculis adeo inhiarunt, tantis eum miraculorum donis ornaſſe, ut ipſius vel umbra ægrotos ſanaret; quàm abſurdè tamen & incongruè *Baronius* exinde inferret, *Petrum* fuiſſe Apoſtolorum principem, & Sanctorum umbras ſive imagines cultui atque uſui ſacro voveri debere; imò verò Papam ipſum, quum *Petri* umbra & imago ſit, iiſdem virtutibus (quibus is olim) etiamnum pollere & exornari.

VERS. 20. *Omnia verba hujus vitæ.*

Vexat nonnullos vocabulum ταύτης, voci ζωῆς additum, ac ſi vita hæc præſens & temporaria tantùm indigitaretur. Metu cujus hypallagen ſomniant: τὰ ῥήματα τῆς ζωῆς ταύτης, i. e. *verba hujus vitæ*, inquiunt, pro τὰ ῥήματα τῆς ζωῆς ταῦτα, i. e. *hæc verba vitæ*. His favet *Verſ. Syr.* Attamen constructio verborum facillima, uti & eorum contextus liquidò conſtabit, perpenſo modò *verſ.* 17. Illic dicitur, Sadducæorum Sectam Apoſtolos in cuſtodiam miſiſſe. Hi reſurrectionem & ſeculum futurum derisiculo habuerunt: cum reſpectu igitur hujuſce Sectæ Apoſtoli noctu per Angelum moniti ſunt, ut Templum manè repetentes, ubi pridie ejus diei prehenſi ob cauſam prædicatæ reſurrectionis in vincula conjecti fuerant, iſthic rurſus eam audacter promulgarent, doctrinam *vitæ* ſcil. quam Sadducæi è fide & ſpe ſua prorſus rejecerant.

ANN. CHRIS. 33.

VERS. 21. *Convocaverunt Concilium & univerſum Senatum filiorum Iſraël.*

Syr. Convocarunt ſocios & Seniores Iſraël, Συνέδριον hic loci interpretatus vel de Sectæ ſociis, ejuſdem farinæ viris; vel de ſociis Sacerdotibus & Scribis, qui in magno Concilio locum non habuerunt. Quum verò vox Συνέδριον neque hunc, neque iſtum omnino ſenſum ferat, ſed ubique pro *Sanhedrin* ſive *domo Judicii* è LXX. Senioribus conflatâ, uſurpari ſolet: ergo hîc loci etiam ſic accipiendum videtur; & tùm per πᾶσαν τὴν γερουσίαν, i. e. *univerſum Senatum*, quidni intelligeremus Judices vel Seniores qui binum aliud forum judiciale conficerent, unum in atrii exterioris porta, ſive porticu *Solomonis*; alterum in interiori, ſeu porta Templi ſpecioſa habitum, quorum utrumque, numerum hominum viginti trium continuit, *Maimon. in Synedr.* cap. 1. Credibile itaque eſt, ſummum Pontificem de hac re ſummoperè ſatagentem, tria Tribunalia ſeu Judicum Conſeſſus ſimul & ſemel *Hieroſolymis* coëgiſſe, numerum Seniorum ſcil. (dummodò omnes adeſſent) centum & ſeptendecim. Deo ſic diſponente, ut univerſum Presbyterorum collegium coram univerſo Judæorum ſenatu cauſam jam diceret. Atque ita tam id quod Chriſtus prædixerat, *Tradent vos in Conſeſſus nominis mei cauſâ*, quàm id quod pollicitus fuerat, *Dabo vobis os & ſapientiam cui non poterunt reſiſtere omnes veſtrûm inimici*, Apoſtoli abundè conſummatum experti ſunt. Attamen *Judices terræ eruditionem nondum perciperent, ut Jehovam colerent, vel Filium exoſcularentur:* ex quo exarſit mox Dei ira, & ſub incredulitate ſua ruerunt *Hieroſolymæ*.

VERS. 24. *Quum verò Sacerdos Summus.*

Ita enim verti oportet, utcunque Græcè Ἱερεὺς tantùm, i. e. Sacerdos dicitur. I. Etenim in hoc Conſeſſu *Annas* Conſilii Præſes non erat: (cujus faſtigii & dignitatis ergô alibi *Summus Sacerdos* dicitur) non enim *Synedrium*, ſeu uſitatum & ſolenne Concilium hoc fuit, ſed Conſeſſus præter morem indictus. II. Vox Ἀρχιερεῖς immediatè ſequitur: verum Ἀρχιερεὺς & Ἀρχιερεῖς in eadem fere clauſula, vix non in εὐφωνίαν peccarent.

VERS.

ANN. CHRIS. 33

VERS. 34. *Phariſæus quidam nomine Gamaliel, Legis Doctor, quem totus populus in pretio habebat.*

Is *Pauli* Magiſter, *Actor.* 22: 3. Filius *Simeonis*, illius nempe qui Chriſtum ulnis amplexus fuerat, *Luc.* 2. celebratiſſimi *Hillelis* nepos: dictus *Gamaliel* ſenior, quem exceperunt duo ejuſdem nominis, nepos & pronepos ad quintum gradum. Horum omnes titulo *Rabban Gamaliel* inſigniebantur: tres nempe ex iis ſeptem, qui ſoli per omne ævum iſtiuſmodi titulo exornabantur: nota honoris quidem eſt, præ aliis omnibus quibus geſtierunt Doctores, ſummè egregia. Hæc, quum *Gamalieli* annexa ſit, facilè probat quanti is apud populum æſtimaretur. Apud Talmudicos crebra fit mentio *Rabban Gamalielis*: ſed uter is eſſet in incerto eſt. Verùm hinc palàm eſt *Luciani* epiſtolam adulteratam eſſe & confictam; quum *Gamalielem* affirmat fervidum evaſiſſe Chriſtianum, & Euangelio propugnaſſe; ſub hoſpitio ſuo & clientela recepiſſe *Nicodemum*, quem Judæi è Synagoga detruſerant, nec non *Stephanum* Protomartyrem ſuis impenſis tumulo reconditum; atque exequias ejus ſpatio ſeptuaginta dierum celebraſſe. Figmenta omnia: & tamen hanc ipſam epiſtolam hujuſmodi elogio à *Baronio* laudatam habemus: *Narrat* Lucianus *in ea quam totus Chriſtianus Orbis recepit epiſtolâ*, &c.

In Pirke Avoth, cap. 1. inter cætera Doctorum adagia hoc præſertim Gamalieli aſcribitur: עשה לך רב והסתלק מן הספק ואל תרבה לעשר אמחות: i. e. *Fac tibi præceptorem, & deſine dubitare, & non multùm decimare ex conjectura.* Supremum diem obiiſſe dicitur annos 18. ante *Hieroſolymarum* excidium. Hujus obſequiis funebribus perſolvendis fertur *Onkelon* Targumiſtam ſeptuaginta libras thuris impendiſſe; quod ulteriùs confirmat, eum nequaquam Chriſtianæ fidei addictum fuiſſe, quin Phariſæorum Sectæ ad mortem uſque adhæſiſſe.

VERS. 36. *Nam ante hæc tempora exortus eſt Theudas.*

Memoratur *Theudas* quidam apud *Talm.* in *Synedr.* cap. *Helek.* Is Medicus dicitur. *Theudas Medicus ait, quòd neque vacca, neque ſus venit ab Alexandria.* Mentio etiam fit alterius *Theudæ*, Magi cujuſdam, *Joſeph. Antiquit.* lib. 20. cap. 2. „Procurante Judæam „ *Cuſpio Fado*, inquit ille, *Theudas* quidam „ Magus innumeram plebem perſuaſit, ut unà „ ſecum ſublatis ſuis rebus omnibus & ſupel- „ lectili, *Jordanem* amnem contenderent, Pro- „ phetam ſe jactitans, qui diviſis illìc aquis, „ tranſitum eis promptum & perfacilem effi- „ ceret. Hæc obtendens multos fefellit. *Fadus* „ enim periculoſam hanc populi amentiam „ metuens, equitum turmam eis immiſit, „ quæ improviſos irruens, multos occidit, „ vinctos alios duxit, *Theudæque* ipſius caput „ obtruncatum *Hieroſolymas* tulit.

ANN. CHRIS. 33.

Hæc cum *Theuda* noſtro faciliùs quadrarent, niſi quòd vetat quædam Chronologiæ difficultas. Iſte *Theudas* apud *Joſephum* memoratus, circiter quartum vel quintum annum *Claudii* hæc fecit. *Theudas* verò hìc noſter *Judæ Galilæo* præceſſit, ac proinde *Auguſti* temporibus vixit. Quæ res doctos vexat, dum binum *Theudam* hiſtoria refert, fato quidem pares, ſed tempore diverſos. Putant nonnulli, *Joſephum* quoad Chronologiam erraſſe, multùm infra quam quo res evenerat, hiſtoriam ponens. Alii Joſephi narratiunculam, utut in ſe veram, nihil cum *Theuda* noſtro habere cenſent, arbitrati hunc, unum ex iſta prædonum colluvie fuiſſe, qui Judæam temporibus *Sabini* & *Vari* infeſtarunt, *Joſeph. Antiquit.* lib. 17. cap. 12. cujus tamen *Joſephus* nomine tenus mentionem non fecit.

Sunt qui hunc *Theudam* noſtrum conjectant, non quidem præceſſiſſe *Judæ Galilæo*, (qui circiter natales Chriſti turbam cièrat) ſed diu poſt, h. e. pauxillùm temporis antequam *Gamaliel* hæc pro concione diſſeruit. Et ſic πρὸ ἡμερῶν ſtrictiore ſenſu reddunt, *paucis diebus antea*; & μετὰ τοῦτον non *poſt eum*, ſed *præter eum.*

In hac opinionum differentia, utri hærendum ſit, in incerto relinquitur; & bene quidem eſt, rem non tanti eſſe, quin conjecturæ tutior locus eſt, & dum diverſè ſentiamus, pernicioſè errandi nullum diſcrimen.

Interea verò ex duplici hac *Gamalielis* & *Joſephi* narratione inter ſe collatâ, hæc obiter notanda occurrunt.

I. Videtur *Gamaliel*, duplici ſuſpicioni quam de Apoſtolis Concilium conceperat, duplici inſtantiâ obviam feciſſe. Etenim primò, Seniores in Apoſtolos animadverterant, tanquam Pſeudo-Didaſcalos, & qui fidei heterodoxa ubique diſſeminarant. Huic opponit rem *Theudæ*. Secundò, quum eos ſuſpicati eſſent rebus innovandis & turbis movendis ſtuduiſſe, tùm *Judæi Galilæi* rem citat.

II. Notandum eſt horum duorum facinora è duobus diverſis (ut ut æquè perditis) principiis orta. Viſiones & revelationes *Theudas*; *Judas* verò tam opinandi quàm vivendi licentiam præ ſe tulit.

III. Quæ hìc loci ſuadebat *Gamaliel*, haud Chriſtianiſmum olebant, ſed politicam prudentiam; nec ei imputandum eſt ac ſi Apoſtolis faveret: quin cavit potiùs, ne ſi vim eis

Digitized by Google

eis & injuriam fecerint, ipſi legum pœnas & damnum incurrerent. Hæc ex eo liquent, quod univerſus Senatus de hac re monitus *Gamalieli* aſſenſum ſuum præbet.

IV. Credibile ſanè eſt *Theudam* apud *Gamalielem*, ab illo apud *Joſephum*, diſtingui debere. Fatendum quidem eos in multis quadrare. Quemadmodum enim *Gamaliel* narrat *Theudam* dixiſſe ſe τινα εἶναι, h. e. aliquem dignioris notæ eſſe; id equidem *Joſephus* de ſuo *Theuda* habet. *Simon Magus* ſe τινα μέγαν εἶναι, *illuſtrem quendam* eſſe gloriatur, *Actor.* 8:9. atque hanc oſtentationem ſuam magicis quibuſdam præſtigiis ſuſtentat. Talia *Joſephus* de *Theuda* narrat, & tamen ab invicem diverſi omnino habendi ſunt.

V. Quum *Joſephus* hiſtoriam *Theudæ ſui* ſerò adeo in tempora *Claudii* rejiciat, h. e. duodecim annis plus minùs à tempore quo *Gamaliel* orationem ſuam habuerat, (verumenimverò haud inuſitata res eſt, *Joſephum* quoad Chronologiam dormitare, & perperam narrationes ſuas digerere, quod in hac ipſa re eum feciſſe cenſet *Baronius*) fortaſſis in hunc modum conciliari oportet. Certum eſt ſectas & hæreſes quantumvis aliquantiſper ſopitas, crebrò reſuſcitari, vireſque ſuas diſſipatas recolligere. Ea ſanè eſt hæreſium natura, ut ſemel accenſæ difficillimè extinguendæ ſint, flammarum inſtar (utcunque impręſens ſuppreſſæ) hinc illinc recens erumpent. In hunc modum accidiſſe videtur in hac ſecta quam *Theudas* primò invexerat. (Hoc idem de *Juda Galilæo* quem *Gamaliel* ſecundò recitat, cenſendum eſt.) Inſurrexit ille, tempore quo *Auguſtus* Imperator totum terrarum orbem deſcribi juſſit, *Luc.* 2. Is quum ſummo haberet vituperio, Judæos adeo in Romanorum poteſtatem ſubactos; populum hortatus eſt ut à cenſu & vectigalibus ſe liberent, quos nempe oportet, nemini mortalium faſces ſuos ſummittere, ſed Deo unico. Hinc quartę ſectæ dux & magiſter, præter eam Phariſæorum, Sadducæorum, atque Eſſenorum, haberi debet, *Joſeph. de Bell. Jud.* lib. 2. cap. 12. & *Antiquit.* lib. 18. cap. 1.

Jam verò, quantumvis *Judas* equidem cœptis ſuis periit, & qui eum ſectabantur diſſipati erant, prout refert *Gamaliel*; non vetat tamen quin hæreſis ejus adeo non radicitùs evulſa eſſet, ut poſtmodum repullularet. Et certè ſpatio annorum quadraginta poſtea, filii ejus bini, *Jacobus* & *Simon*, ſub procuratione *Tiberii Alexandri* qui *Cuſpio Fado* ſucceſſit, ejuſdem criminis rei, cruci affigebantur, *Joſeph. Antiquit.* lib. 20. cap. 3. Imò verò non ita dudum poſt, *Eleazar* è ſtirpe hujuſmet *Judæ*, multâ effrænium quorundam & perditiſſimorum homuncionum turbâ ſtipatus, hanc Sectam promovit, *De Bell.* lib. 7. cap. 30.

Haud ſecus de ſectâ *Theudæ* cenſendum eſt. Credibile eſt eam, prius ex iſtâ *Judæ* exortam eſſe. Hujus fortean magiſter & primus auctor magna præ ſe tulit, ut qui Propheta eſſet, & mira ederet; cœptis tamen minor, difflatis ſectatoribus, & in nihilum redactis, illicò occubuit. Aſt cum eo ſectam haud penitus deletam & conſopitam putemus, quin ſub *Cuſpii Fadi* procuratione unus tam ejuſdem nominis quam dementiæ, (ſuperioris *Theudæ* fortaſſis filius) Prophetam ſe & *Jordanis* aquas diviſurum ementitus, ipſe cum ſuis à *Fado* percuſſus, vecordiæ ſuæ & ſeditionum pœnas luebat. E quibus probabile eſt *Theudam*, tam quem *Gamaliel* memorat, quàm quem *Joſephus*, diverſum quidem eſſe, at patrem illum, hunc filium; vel hunc Diſcipulum ſaltem, Magiſtrum alterum, adeo in eodem genere inſaniæ pares, ut eodem etiam nomine gauderent; quod vel fortuitâ nominum impoſitione accidiſſe poterat; vel ſaltem poſterior *Theudas*, prioris æmulus, id nominis ſibi ipſi aſſumpſit, utpote qui non ſectam ſolummodo, ſed & nomen deperiit. Atque hujuſmodi conjectura eò magis mihi arridet, quòd *Joſephus* quam primum *Theudæ* cædem ſub *Fado* narrarat; pergit ultra deſcribere filiorum *Judæ* necem à *Tiberio Alexandro*, eiſdem fere criminibus, inflictam. Utramque itaque hiſtoriam uno eodemque ſenſu non poſſum non accipere: ſcil. quemadmodum in una, de ſtirpe *Judæ* loquutus eſt, cujus ſecta multis ante annis plebem irrepſerat; ſic in altera, *Theudæ* progeniem narrat, cujus hæreſis antiquiorem quàm iſta *Judæ* originem duxit.

VERS. 41. *Quod digni habiti eſſent.*

Al. *Quod attigerant.* Etenim καταξιωθῆναι quadrare videtur cum voce זכה adeo *R. R.* uſitatâ, quæ in iſtiuſmodi ſenſum facilè ſe reddit, & potiſſimùm ſic reddi debet. Eodem rediit vox Latina *mereri*, (hominibus accommodata reſpectu boni) quæ inter Patrum ſcripta paſſim occurrit. Sic quum de B. V. *Mariâ* ſcribunt, *Eam meruiſſe eſſe matrem Redemptoris*, h. e. *eam attigiſſe*. Sic de Maria Magdalena, *Audire meruit*, *Fides tua te ſalvam fecit*. i. e. illud obtigit ut ei diceretur, *Fides tua*, &c. Sic in innumeris aliis locis videre eſt. Multi autem *meritum* ſenſu haud ſano accipientes, verbum equidem alioquin in ſe innoxium, in ſuam perniciem detorquent.

R. *Solomon* habet זכות העופות, i. e. *meritum volucrinum*. Et nonnulli Patrum, de Dei in nos gratia, & ſalute nobis conceſſâ, ſic ſe exprimunt. *Sine merito noſtro meruimus*: h. e. ſine merito noſtro attigimus.

PARS II.

Digitized by Google

PARS II.

HISTORIA ROMANA.

Status Urbis Romæ.

vide *Ruf. Feſtum*, *Dionem*, &c.

VRbs *Roma* à *Romulo* condita A. M. 3175. decimo quinto *Amaziæ* Regis *Judæ*, primoque *Jeroboami* ſecundi, Regis *Iſraël.* Ab Urbe conditâ ad tempus quo *Dominus vitæ* neci addicebatur, anni 785. urbs varias viciſſitudines percurrerat, & ſub una vel altera regiminis forma adminiſtrata, jam in tertiam mutatur.

I. Regum formam in ſe ſuſcepit, cujus fundamenta, uti & ipſius urbis, in *Remi* ſanguine à fratre *Romulo* cæſi jacta erant. Durârunt Reges annis 243.

II. Sub Conſulum regimine ſe dedit annis 467. h. e. à tempore quo *Tarquinius* Regum ultimus majeſtate ſuâ exuebatur, ad Conſulatum *Hirtii* & *Panſæ*, quo *Octavius* AUGUSTUS unà cum *Antonio* & *Lepido* Imperium auſpicatus eſt. Hæc etiam regiminis forma ſanguine fundatur; cæſis nempe *Lucretia*, *Arunte* & *Bruto*, extirpatis etiam *Tarquiniis.*

III. Poteſtatem rurſus monarchicam jam ſubiit, mutato tamen titulo *Regis* in *Imperatoris* auguſtius nomen. Fundatur tamen, uti & ſupradictæ viciſſitudines, ſanguine *Julii Cæſaris*, *Antonii* & *Cleopatræ*.

Ex occaſione turpium *Tarquinii* morum, civitas animum à Monarchia, tanquam libertatis inimicâ, prorſus averterat. Res etiam poſtea fauſtè & proſperè ſe habentes, ſpem & opinionem mutati regiminis adeo auxerunt & confirmarunt, ut revera libertatem ipſam priùs, quàm rei opinionem, amiſerant. *Brutus* & *Collatinus* qui *Tarquinium* è ſolio deturbarant, iſtiuſmodi rerum adminiſtrationis formam & modulum ſuperinduxerunt, quo univerſis Reipublicæ malis è monarchica tyrannide notis, obviaſſe ſperarunt. Duos ſimul ad ſummum rerum faſtigium, loco unius & ſinguli, locarunt; atque hos eâ conditione, ut anni ſpatio tantùm, non per totum vitæ curriculum imperio potirentur. Res ſecundæ hujuſmodi politiæ faverunt, & ſub hac adminiſtratione (nonnunquam aliquali modo mutatâ & mixtâ, prout ratio ſtatus poſtularet) adeo aucta & ampliata fuit Reſpublica, ut ſi quis regimini Monarchico operam navaturus ſuboleretur, is populo vincula paraturus adjudicatur. Et certè, quantas radices egerat hæc libertatis opinio in uniuſcujuſque civis Romani pectore, ſuo fato infauſtè expertus eſt *Julius Cæſar*, quem quum Imperii habenas ſine ſocio contrectaſſe ambientem viderent, in civium libertatem conjuraſſe eum exiſtimarunt.

Octavius *Auguſtus*, J. Cæſaris nepos, quinimo filius adoptitius, etiamſi ex avunculi fato, periculum affectatæ Monarchiæ edoctus, non eo tamen adeo abſterritus fuit, quin res ſuas tanta cum ſolertia, & abſque omni ſtrepitu procuravit, ut Reſpublica quaſi ex improviſo, nihilque id opinata, incautè rurſum in Monarchiam prolapſa ſit.

Tacitus ea in hunc modum deſcripſit. *Annal. lib.* 1.
„ Poſtquam, *Bruto* & *Caſſio* cæſis, nulla „ jam publica arma, *Pompeius* ad *Siciliam* „ oppreſſus, exutoque *Lepido*, interfecto „ *Antonio*, ne *Julianis* quidem partibus, niſi „ *Cæſar*, dux reliquus. Poſito Triumviri „ nomine, conſulem ſe ferens, & ad tuendam plebem tribunicio jure contentus. „ Ubi militem donis, populum annonâ, „ cunctos dulcedine otii pellexit, inſurgere „ paulatim, munia Senatûs Magiſtratuum, „ legum in ſe trahens, nullo adverſante. „ Quum ferociſſimi per acies aut proſcriptione cecidiſſent, cæteri nobilium, quantò „ quis ſervitio promptior, opibus & honoribus extollerentur, ac novis ex rebus „ aucti, tuta & præſentia, quam vetera „ & perículoſa, mallent. Neque Provinciæ illum ſtatum rerum abnuebant, ſuſpecto ſenatûs populique imperio, ob certamina potentium & avaritiam magiſtratuum: invalido legum auxilio, quæ „ vi, ambitu, poſtremò pecuniâ turbabantur.

Et ſic ipſa rerum prona diſpoſitio viam *Auguſto* ſtravit, quâ voti ſui compos, tam Rempublicam in Monarchiam mutaret, quam

ipſe

ipſe etiam Imperii ſummum attingeret. Deo inſuper ita diſponente, ut quinta Monarchia iſtam quartam exciperet, de qua *Dan.* 2. & 7. quæ etiam quatuor antecedentia Imperia tam viribus quàm pompâ & crudelitate exæquaret: Eccleſiæ Chriſtianæ ſemper gravis & ſæva, prout antiqua Imperia Eccleſiæ Judaicæ olim fuerant. Et ſic Euangelium cum Imperio ei inimiciſſimo futuro exoritur; Chriſtuſque una & Antichriſtus eoſdem ferè natales habent.

Tiberii mores, atque inter cætera, quantus ſimulandi artifex fuit.

Quemadmodum *Auguſtus* multa cum ſolertia & audacia rerum ſummam nactus fuit; ſic non minori moderatione uſus, in Imperio ſe geſſit. Sedit annos quadraginta quatuor, honorum & populi amoris ſatur: & quantumvis libertate Reipublicæ in ſuam poteſtatem redactâ, deſideratus tamen & ferè omnium luctu defletus exceſſit. Hoc ſanè utrùm nativæ Principis clementiæ & manſuetudini, an cum aſtutia quadam commixtæ, acceptum referri debeat, incertum. Novit is in hoc recenti rerum ſtatu Imperii aſperitatem importunam, intutam, & periculis plenam eſſe. Certo certius eſt eum ita ſe geſſiſſe in Reipublicæ emolumentum, & populi favorem captandum, ut ſicuti Imperatorum primus, ſic etiam vix non ultimus fuit, qui tanta cum lenitate, benignitate, menteque admodum generoſâ, populo & civitati conſuluit.

Auguſtum in Imperio ejus *Tiberius* excepit, natu, conjugis filius, adoptione *Auguſti*. Vir quantum immane diſpar! ferociſſimus, flagitioſus, & per omnia indignus *Auguſto* benevolo, leni & humaniſſimo. Profectò, modò id verum eſſet quod fama prædicat, *Auguſtum* nempe eâ mente *Tiberium* ſibi ſucceſſorem aſciviſſe, ut ex ejus vitiis virtutes ſuæ eluceſcerent, ac proinde ipſe poſt mortem deſiderabilior viveret; hoc unicum factum turpe adeo & inhoneſtum, haud levi eum ignominiâ afficeret: &, ut ut pro inſulſis *Tiberii* moribus memoria *Auguſti* optabilior videatur, in eo tamen duntaxat, quòd tale monſtrum ſubſtitueret, dehoneſtatur.

Vir adeo nequam & pravus, ut præceptor ejus, indolem à teneris ſubolens, cenſuit eum πηλὸν αἵματι πεφυραμένον: i. e. *Lutum ſanguine commixtum.* Lutum ſanè ſanguine adeo in perniciem humani generis commixtum, ut vix pejor exiſteret.

„ Arte ſimulandi, næ adeo extra commu-
„ nem hominum aleam jactus ut φύσει ἰδιωτά-
„ τῃ ἐκέχρητο, inquit *Dion.* Naturam habuit
„ ſibi unico propriam. Quicquid optavit
„ id minimè præ ſe tulit; animum nunquam
„ effatus; quod cupiit reſpuit, id ſibi exop-
„ tans, cui nauſeam habuiſſe videbatur.
„ Iram & odium fingeret ubi plurimum di-
„ lexit; eis potiſſimum adblandiens quos
„ odio habuit. Amicos torvè deſpexit, ini-
„ micos blandè: mollia eis loquutus qui-
„ bus ſupplicium, ſæva & minacia, qui-
„ bus veniam ſtatuerat. Adagium ei fuit,
„ *Principis animum nemini aperiendum: ex*
„ *eo enim naſcuntur multa incommoda; è clauſo*
„ *verò & obſerato pectore non ita.* Hinc quiſ-
„ quis ei ſe in quovis negotio admiſcuit,
„ periclitabatur: & mentem ejus tam ſubo-
„ lenti quàm non, æquè noxium & per-
„ nicioſum fuit. Nihil difficilius quam vel
„ in ſententiam ejus ire, vel obniti, quum
„ mos ei eſſet, hoc mandare, aliud velle.
„ Perierunt dicto obedientes, ut qui con-
„ ſilio ejus adverſati erant; alii verò,
„ ut qui animum nimium inſcrutaban-
„ tur.

ANN. CHRIS. 33.

Hujuſmodi artibus Imperium initurus utebatur, multam animi obluctationem diſſimulans: principatum quaſi involuntariè, & nonniſi ex importunitate Reipublicæ ægrè tandem victus, aſſumit; aſſociatis tamen duobus, qui, ut præ ſe tulit, tam onerum quàm honorum participes fierent: quum interim *Aſinius Gallus*, oblatam participationem non reſpuens, fatalem ſibi temeritatem ſuam expertus eſt, tantâ in ſe ſimultate & odio *Tiberii* contracto, ut ſub eo perierit.

Imperium adeptus, (ac ſi eſſet alter *Auguſtus*) ſummâ animi moderatione uſus eſt pro tempore, metu quidem *Germanici*, qui adhuc in vivis erat, ne is virtutibus ſuis clarus, captato favore populi regnum capeſſeret. Non vetuit tamen larva, quin interior animi propenſitas conſpicua eſſet; & dum optimè ſe geſſit, ſuſpicati ſunt plurimi ne in pejora prolapſurus ſit.

Regnum auſpicatur cæde *Agrippæ* viri olim *Auguſto* in deliciis, & *Tiberii* æmuli. Scurra etiam ſcommatis ſui pœnas luit. Is prætereunte funere in aurem mortui inſuſurravit, & à proximis interrogatus quid faceret; ſe tantum ei mandaſſe dixit, ut nunciaret *Auguſto*, *nondum reddi legata quæ plebi reliquerat.* Id ei capitis res fuit. *Tiberius* enim re cognitâ, juſſit ut ad ſupplicium ductus, ipſe *Auguſto* verum referret. Plebs tamen deinceps legata recepit.

Infinitum eſſet homicidia, rapinas, omni denique genere flagitia recenſere, ſpatio annorum ſeptendecim à *Tiberio* perpetrata. Inter alia, *Sejanum* de induſtria ad honores promovit, quò citius *Germanicus* & *Druſus*,

utcun-

Digitized by Google

ANN. CHRIS. 33.

utcunque filii ejus adoptitii, perderentur. Quod cùm effeciſſet, *Sejano* & ſociis par retulit. Verùm ab anno ejus decimo octavo ad exitum uſque in pejus ruit: illuc itaque potiſſimum feſtinat hiſtoria.

Quo anno Tiberii Dominus noſter cruci affigebatur.

De anno ejus decimo octavo fere omnes conſentiunt: nec id in dubium quis vocaret, modò æquè certum eſſet, Chriſtum anno *Tiberii* decimo quinto baptizatum fuiſſe, ac palam eſt, *Joannem* in iſto anno baptizare cœpiſſe. Verùm dato quod *Joannes* circiter vernum æquinoctium Baptiſmum ſuum inchoarit, & Chriſtus non, niſi ad autumnale, (h. e. ineunte jam anno ætatis ſuæ triceſimo tertio) Baptiſmum ſuum recepit; & dato quòd *Tiberius* circiter menſem *Auguſti* regnum ſuum auſpicatus eſt, quod ex Hiſtoricis liquet, tùm ſequeretur annum *Tiberii* decimum quintum prius elapſum fuiſſe, quàm Chriſtus baptizaretur. Et ſic etiamſi Euangeliſta *Joannem* in decimo quinto *Tiberii* baptizare cœpiſſe dixerit, *Luc.* 3:1. Chriſtus tamen, ut videtur, non niſi ad decimum ſextum *Tiberii* baptizatus fuit, ac proinde ejus mors & crucifixio ad annum *Tiberii* decimum nonum locari deberet. Verumenimvero haud adeo tutum eſt, ut futurorum omnium ſeculorum chronologia è tam incerto & tenui filo penderet: atque idcircò ſat nobis ſit in univerſo Scriptorum Chriſtianorum conſenſu acquieſcere; Chriſtique mortem, reſuſcitationem, aſcenſum decimo octavo *Tiberii* contigiſſe pro conceſſo habentes, ſuccedentium porrò Imperatorum tempora huic normæ & calculo ſubducemus.

Conſules hujus anni erant *Cn. Domitius, Camillus Scribonianus:* quod cuivis palam erit, qui annos & Conſules, imperante *Tiberio*, ſupputarit.

Fœdæ & belluinæ Tiberii libidines.

Suet. in Tib. cap. 39, 40.

Diu *Româ* ſeceſſerat nullo animo revertendi: (nec ſanè rediit, intentato licèt ſemel vel bis itinere urbem verſus) ſeceſſus prætextum habuit, tam quod utroque filio *Germanico* & *Druſo* orbatus, dolori levamen quæreret, quam quòd Capitolium *Capuæ*, Templum *Nolæ* dedicaret. Re tamen verâ, nimiam matris *Liviæ* potentiam gravatus, periculis quæ in urbe præſagiit abhorrens, infamiam turpium facinorum effugiens, * & denique ut in ſolitudinem ſemotus, ad omne genus turpitudinum ſolveretur, & procul à Reipublicæ oculo laſciviret. *Secreti licentiam nactus*, inquit Suetonius, *& quaſi civitatis oculis remotus, cuncta ſimul vitia malè diu diſſimulata profudit.* Cum pueris & puellis monſtroſi concubitus, tam conjugum quàm virginum ſtupra, novæ artes libidinum recens excogitatæ, balneorum uſus obſcœni, conſpurcata convivia, & omne genus beſtialitatis, quam Chriſtianæ aures horrent, nec ipſa *Roma* antehac norat, *Tiberio* familiariſſimè aſſueſiunt.

* *Tac. Annal. lib. 6.*

* *Cap. 42, 43, 44.*

ANN. CHRIS. 33.

Ejus immanitas, & quibus modis aucta.

Sed quod mirum eſt, nihil inter hanc mollitiem delicatiſſimam à truculenta ſua feritate relaxat; quin ut ipſe *Capreis* porcum egit, ſic *Romæ* per literas leonem. Ignavæ & imbelles adulationes à Senatu, quem fugerat, acceptæ, eum ſuâpte naturâ trucem & ferum, inſolentiorem fecerunt; & ex nativa immanitate ultro ad atrocia proclivem, abjecta iſta Senatus obſequia ad pejora hortabantur, animumque ei addiderunt, ut qui pro libitu ſuo omnia ſecurè facturus eſſet.
„ Quum enim, ut fert *Dion*, eò res ve- *lib. 58.*
„ niſſent, ut nemo non *Tiberium* diris de-
„ votum haberet, imò carnem ejus non
„ lubentiſſimè in fruſta diſcerperet; eòdem
„ tamen temporis, (Coſſ. *Cn. Domitio*, &
„ *Camillo Scriboniano*) turpiſſimâ eum aſſen-
„ tatione palparunt. Senatu olim conſultum
„ fuerat, ut Senatores non ſingulatim in
„ acta Imperatoris die primo *Januarii* jura-
„ rent; ſed eorum uni vel alteri conceptis
„ verbis juranti, cæteri omnes aſſenſum præ-
„ berent: verum in hoc anno ſingulus quiſ-
„ que ſponte ſuâ & ultroneo obſequio, viri-
„ tim ſe jurejurando obſtringunt.
„ Quid adderem illud paulò abſurdiùs ab
„ eis factum. Facultatem *Tiberio* ſenatus-
„ conſulto decernunt, qua is ex Ordine
„ Senatorio quoſlibet eligeret, è quibus
„ viginti ſorte ſortitos, paludatos atque
„ armis inſtructos ſibi Senatum adeunti
„ in ſatellitium aſſumeret. Verùm, cùm
„ ſenaculum nunquam non armatis cohor-
„ tibus circumſepiretur, ne quis privatus
„ intraret; quibuſnam, cedo, Patres Con-
„ ſcripti iſtiuſmodi ſatellitium niſi ipſis
„ providiſſe exiſtimandi ſunt? *Tiberius* qui-
„ dem pronæ eorum in ſe aſſiduitati gratias
„ agit, rem tamen ut prorſus inſolitam de-
„ trectat: revera cavens, ne in eorum ma-
„ nus quos odio habuit, & quibus ipſe
„ invicem peroſus fuit, arma permitte-
„ ret.

Hæc *Dion.* Interea Senatus ſuo ipſorum laqueo irretitus, *Tiberii* ſuſpicionem, odium & vires, ſtudio armandi ſeipſos exacerbarunt. Et certe vix aliquis eſſet, etiamſi lenioris

ANN. CHRIS. 33.

lenioris animi, qui non hanc anſam nactus ad ampliandam poteſtatem uteretur: cum Senatûs odium adeo palam factum capiti ſuo minitaretur, & tamen turpiſſima eorum obſequia ſe virium ſuarum conſcium fecerunt. Hæc ex ſequelâ fuſiùs patent.

Tiberius Sejanum non ita pridem in deliciis, jam tandem ſuſpectum habens, ne ſibi, uti nuper *Druſo*, ſuadente ipſo, inſidias ſtrueret, ſub hac ſuſpicione, ne dicam crimine, eum confecit. Hunc magna amicorum & neceſſitudinum, virum tantum innumerè ſtipantium, cædes excepit. Id naſutulo huic Principi ceſſit, ex ſeceſſu ſuo, & captatâ ſolitudine: nefariis nempe inceptis audentior fit, dum literæ neſcirent erubeſcere; & perficiendis ſceleribus propoſiti tenacior, omnem metum abjecit, dum adeo procul à civitate infenſa & irritata diſtaret.

Tacit. Annal. lib. 6. Dion, ubi ſup.

Rem cœpit *Sejani* bonis in fiſcum adductis, & proſcriptione *Junii Gallionis* progreſſus eſt. Iſte *Gallio* ſive *Gallenus* pro ſervili ſua adulatione *Tiberio* lata, cenſuerat *ut Prætoriani actis ſtipendiis jus adipiſcerentur in quatuordecim ordinibus ſedendi.* Id quidem, ut ut inſulſam, neſcio quam aſſentationem ſaperet, certe nullam ſuſpicandi anſam præbuit; & tamen de hac re per literas Principis coram Senatu admodum incuſatur, ut qui *Sejani* partibus favens inter milites turbas moveret, eoſque ſpe honorum ad corrumpendum militiæ morem alliceret. Non alio crimine oneratus *Lesbo* relegatur: ab ea verò retractus, ſuſpicione ne propter inſulæ amœnitatem, delicatius quam par eſſet, viveret; urbem reductus Magiſtratuum domibus cuſtodiendus datur. Eodem literarum fulmine ictus *Seſtius Paconius*, nec non *Latiaris* Sabini proditor. Poſt eos *Cæcilianus* Patricius, *Quintus Serræus* Præturâ functus, & *Minucius Thermus* Eques Romanus; *Julio Africano* & *Seio Quadrato*, ſi non in eodem libello, ſub eodem tamen diſcrimine redactis.

Multorum accuſationes.

Literæ Imperatoris frequentes Senatum advolant, rarò aut nunquam non hujus vel illius ſanguinem ſitibundæ. Is quidem incuſandi artibus probè inſtructus, omnem fucum & prætextum promptiſſimum habuit; & Senatum interim adeo officioſum & turpiter ſummiſſum comperiit, ut quemvis ſub quacunque ſpecie delatum, reum ſtatim peractum, ſupplicio afficerent. Et felix ſanè Reſpublica fuiſſet, modò *Tiberium* unicum incuſatorem habuiſſet. Is verò pro improba ſua & truci verſutiâ procurarat, ut mutuis inter ſe diſſidiis ardentes, nihil magis ſtuderent quàm ut alius in alium ſycophantam ageret, diem diceret, atque ab invicem ultro citroque alter alterum ad mortem uſque inſimularet. Proh eum crudelem & inhumanum! qui ſubditos ſuos conturbando in mutuam adeo cædem vexaret, ut ipſi ad ſuam ipſorum perniciem, victrici tyrannidi viam ultro præſternerent. Proh illum immanem! qui ſe nec ſui juris Principem, nec verè felicem exiſtimarit, niſi ſubditi vel ad libitum neci tradantur, vel miſerrimam vitam ducant. Hic tamen ſecretam Dei vindictam agnoſcat lector, qui civitatem ſub Principe ſuo in partes diviſam, per mutuas rixas & mentitas delationes ad internecionem uſque adigeret; civitatem, inquam, quæ *Dominum vitæ* iniquis accuſationibus gravatum, iniquiori necis ſententiâ cruci addixerat.

ANN. CHRIS. 33.

„ Et jam, inquit *Tacitus*, *Tiberius* præcipuos ad ſcelera increpans admonuit C. *Cæſtium* patrem, dicere Senatui quæ ſibi ſcripſiſſet: ſuſcepitque *Cæſtius* accuſationem Quod maximè exitiabile tulere illa tempora, cùm primores Senatus infimas etiam delationes exercerent: alii propalam, multi per occultum: neque diſcerneres alienos à conjunctis, amicos ab ignotis, quid recens aut vetuſtate obſcurum. Perinde in foro, in convivio, quaque de re loquuti incuſabantur, ut quis prævenire & rerum deſtinare properat; pars ad ſubſidium ſui, plures infecti quaſi valetudine & contactu.

Has etiam temporum inſidiationes conqueſtus eſt * *Seneca*, unum exemplum hujuſmodi accuſationum recenſens, quod tam perfidiam, quàm earum frequentiam notat.

* *De beneſic. lib. 3. cap. 26.*

„ Sub *Tiberio Cæſare* fuit accuſandi frequens & pænè publica rabies, quæ magis omni civili bello togatam civitatem confecit. Excipiebatur ebriorum ſermo, ſimplicitas jocantium; nihil erat tutum. Omnis ſæviendi placebat occaſio: nec jam reorum expectabatur eventus, cùm eſſet unus. Cœnabat *Paulus Prætorius* in convivio quodam, imaginem *Tiberii Cæſaris* habens, ectypam & eminente gemmâ. Rem ineptiſſimam fecero, ſi nunc verba quæſiero, quemadmodum dicam illum matellam ſumpſiſſe. Quod factum ſimul & *Maro*, ex notis illius temporis veſtigatoribus, notavit. At ſervus ejus cui nectebantur inſidiæ, ei ebrio annulum extraxit: & quum *Maro* convivas teſtaretur, admotam eſſe imaginem obſcœnis, & jam ſubſcriptionem componeret; oſtendit in manu ſua annulum ſervus. Hæc *Seneca*.

Digitized by Google

ANN. CHRIS. 33.

Innumeri ſunt (& apud Scriptores Romanos paſſim occurrunt) qui ſub hac atroci & cruenta inquiſitione, vel in immaturum fatum, vel res adverſiſſimas præcipitabantur. *Neque ſum ignarus*, inquit Tacitus, *à pleriſque Scriptoribus omiſſa multorum pericula & pœnas, dum copiâ fatiſcunt; aut quæ ipſis nimia & mæſta fuerant, ne pari tædio lecturos adficerent, verentur.*

Audaciæ & præcipitis & prudentis exemplum.

Inter hæc perículoſa Reipublicæ tempora, rabidoſque Imperatoris mores, propter inſolentiam rei omitti non debet, quàm fortunatè duobus ſucceſſit, huic *Marco Terentio* mente erectâ & impavidâ uſo coram Senatu; illi vero, *Lucio Sejano* Imperatorem ſannis & deridiculo propalam habenti.

Dum feſta & luſus *Floræ* celebrabantur, *Sejanus* Præturâ functus, ſolennia curavit à calvis duntaxat perficienda, propter depilem *Tiberium*: nec non ut ſummo eum ludibrio poneret, nocte ingruente, turbâque jam domum diſceſſurâ, quinquies mille pueris capillos glabrè abraſit, eoſque ut faces prælucerent dimiſit. Hæc ad tempus ſimulavit *Cæſar*, ſive quòd verebatur ne in pejus per animadverſionem creſcerent, ſive occaſionem vindictæ ſub graviori prætextu opperiretur, ſive denique ut per hanc ſimulatam æquanimitatem alios nonnullos in id genus petulantiam pro certiore ſua pernicie ineſcaret. *Dion. lib. 58.*

Sed laudabilior admodum, uti & magè neceſſaria & prudens, habenda eſt *Terentii* audacia & magnanimitas; qui ut probè cavit, ſe non in pericula præcipitem dare, ſic inter ea verſatus, ut feliciter & ſalvò emergeret, non ſibi ipſi deficeret. Reus agebatur de nimia cum *Sejano* neceſſitudine, cui cum pallium non quæreret, tutiorem cauſam ſibi egit confitendo, quàm alii ſive negando, ſive excuſando poterant. „ *Sejano* amicum me fuiſſe fateor, eo uſque tamen quo ipſe amicus „ *Cæſari*. Si *Cæſar* in amicitia non errarit, ita nec ego. Decepto *Cæſare* qui „ omnia ſcrutatur & diſcernit, quid mirum eſt modo ego decipiar? Non eſt noſtrum æſtimare quem ſupra cæteros & „ quibus de cauſis extollas. Tibi ſummum rerum judicium Dii dedere, nobis „ obſequii gloria relicta eſt. Inſidiæ in „ Rempublicam, conſilia cædis adverſus „ Imperatorem, puniantur; de amicitia & „ officiis idem finis & te, *Cæſar*, & nos „ abſolverit. *Tacit. Annal.*

In hac conſtantia orationis progreſſus, atque amicitiam quam *Sejano* habuerat, *Tiberio* acceptam referens, ita procuravit, ut accuſatores vicem mutarent, & dimiſſo *Terentio* ipſi accuſarentur.

At truculentior quidem Imperatoris animus, quàm qui per hujuſmodi Rhetoricam ſæpiùs mulceretur. Literæ enim accuſatoriæ mox *Sext. Veſtilium* poſtularunt, ut qui in *C. Cæſarem* ſcripta quædam famoſa compoſuerat. Hic ad evitandam mortem alienâ manu percuſſam, ſuas ipſe venas diſſecuit: facti tamen pœnitens eas obligavit, ſupplicibus codicillis Imperatorem precatus, quibus quum immitius reſcriptum viderit, venas reſolvit. Dein majeſtatis poſtulantur *Annius Pollio*, *Appius Silanus*, *Scaurus Mammercus*, & *Sabinus Calviſius*. *Vitia* mater *Fuſii Geminii* nuper Conſulis, morte mulctatur, quòd filii necem fleviſſet. *Veſcularius* & *Marinus* Capreis enecti: prout & versùs anni exitum *Geminus* & *Celſus*. Sub hoc tempus librum *Sibyllæ* ad Senatum tulit quidam, cui *Cæſar* ea propter increpuit. Annonæ caritas civitatem, & ſcurrarum ſcommata in theatro frequentiùs jacta, Cæſarem vexarunt. In utrumque proviſum eſt: in ſcurras tamen priùs. *Scriboniani* Conſulatus ſæpius pro libitu *Tiberii* mutatur; qui antiquam iſtam regiminis formam concutiendo, recens natam Monarchiam eò firmius ſtabiliturum ſe ſperavit. *Tacit.*

Flaccus Avilius Ægypto præficitur, *Iberiâ* oriundus, (prout ex *Dione* colligitur) & futurum Judæis flagellum, prout è ſequentibus videre eſt.

Rubrio Fabato, tanquam deſperatis rebus Romanis, Parthorum ad miſericordiam fugeret, cuſtodes additi; manſit tamen incolumis oblivione magis quàm clementiâ.

Tiberius animi anxius.

Inter omnia quibus in hoc anno angebatur urbs illa, (pacis terrarum orbis ſemper interturbatrix) ſupervacaneum non erit ipſius Principis animi ægritudinem deſcribere. Hæc è *Tacito* potiſſimum petenda eſt, qui quaſi in viſcera *Cæſaris* ſcrutatus, præcordia excuſſit literis ultro explicita, quas *Cottæ Meſſalini* diu amici ergô, ad Senatum ſcripſerat, hoc anno datas. Harum verba tam *Suetonius* quàm *Tacitus* refert. „ Quid „ ſcribam vobis, P. C. aut quomodo ſcri- „ bam, aut quid omnino non ſcribam hoc tem- „ pore? Dii me Deæque pejus perdant, „ quàm quotidie perire me ſentio, ſi ſcio. „ *Ex quo*, inquit Suetonius, *ſemetipſe pertæſus*, *In Tiber.*

ANN. CHRIS. 33.

ſus, tantùm non ſummam malorum ſuorum profeſſus eſt. Et Tacitus parùm fuſiùs: *Adeo facinora ſua atque flagitia ipſi quoque in ſupplicium verterant; neque fruſtra præſtantiſſimus ſapientiæ firmare ſolitus eſt: Si recludantur Tyrannorum mentes, poſſe aſpici laniatus & ictus: quando ut corpora verberibus, ita ſævitiâ, libidine, malis conſultis animus dilaceretur. Quippe Tiberium non fortuna, non ſolitudines protegebant, quin tormenta pectoris, ſuaſque ipſe pœnas fateretur.*

PARS III.

JUDÆORUM STATUS.

Turbæ inter eos motæ.

SI *Joſepho* fides adhiberi debeat, h. e. quoad Chronologiæ amuſſim eundem eum ordinem narrando ſervaſſe, quo res eveniſſent, tum ſub hoc tempus contigit famoſum illud ludibrium, (ita enim vocat * Egeſippus) ſive nefanda vis Heroïnæ cuidam nobili Romanæ & pudiciſſimæ conjugi *Paulinæ*, à *Mundo* Equite illata, ſub prætextu vel ſimulata ſpecie Dei *Anubis* in templo *Iſidis*. Id *Joſephus* proximè à Chriſti morte, & cum hac contextûs nota, narrat. *Sub id temporis altera Judæis vexatio, & turpia ad Iſidis templum Romæ perpetrantur*, &c. Quum verò Judæorum mala, & miſeriæ quas poſtea refert, proximè à ſtupro *Paulinæ* pendere videantur, & tamen *Tacitus* eos *Romæ* expulſos ſcribit, annos tredecim antequam hæc evenerint, Coſſ. nempe *Julio Silano* & *Norbano Flacco*; nullum impræſens iiſcum nobis negotium erit: quin aliud quiddam apud Judæos majoris momenti & notatu dignius huic loco apponemus. Id ſanè Joſephus paulò ante Chriſti crucifixionem poſuit, *Euſebius* verò poſt: ab hujus fide igitur quoad tempus, ab illius verò cum *Philone*, quoad rei credibilitatem, pendebimus.

* Egeſipp. de excid. Hieroſol. lib. 2. cap. 4.

Joſeph. Antiq. lib. 18. cap. 4.

Quum *Pilatus* (prout rem narrat *Joſephus*) clam & nocte intempeſtâ imagines quaſdam *Cæſaris* intra urbem *Hieroſolymarum* deportatas erexiſſet; populus *Judaicus* re ſemel cognitâ, *Cæſaream* ſupplex adcurrit, vehementer precatus ut è veſtigio ſuſtollerentur. Hoc cùm ille, prout *Cæſari* iniquum & inhoneſtum, negaſſet, Judæi humum proni, neque ſpatio quinque dierum & noctium loco movendi jacuerunt; die verò ſexto, eis ſe pro tribunali reſponſurum præ ſe ferens, ex improviſo eos armato milite circundedit, internecionem minitatus, modò ab importunis iſtiuſmodi precibus non deſiſterent. Hiſce auditis Judæi de novo ſe pronos faciunt, & denudatis collis clamant, malle ſe nece turpiſſimâ perire, quàm pati leges ſuas adeo impiè violari. Horum ergo obſtinatam & inflexibilem conſtantiam expertus *Pilatus*, imagines *Cæſaream* reducendas curavit. In hunc modum *Joſephus*: aliter verò *Philo* rem habet. *Pilatus*, inquit ille, aurea quædam ſcuta non tam in honorem *Tiberii*, quàm ut Judæos vexaret apud ædes *Herodis* dedicavit. Eis neque inſculpta fuit effigies aliqua, neque quidpiam Judæorum Lege prohibitum; ſed ejus nomen duntaxat qui dedicarat, nec non ejus cui dedicaretur. Quum res verò apud plebem innoteſceret, & pervulgata eſſet, mittunt ſtatim aliquos dignioris notæ & ordinis qui *Pilatum* interpellarent, ut ſalvis patriis legibus, innovationem hanc averteret. *Pilato* verò (qui vel naturâ cerebroſior & inexorandus fuit) hæc obſtinatò negante, præ ſe ferunt Judæi ac ſi *Cæſarem* appellarent. Is equidem de hac re ſolicitus, ne in iſta appellatione anſam porrò arriperent ſe repetundarum, rapinæ, homicidii, truculentiſſimæ ſævitiæ, aliorumque id genus criminum coram *Cæſare* reum peragendi; multum anxiè in ſe vacillans, verecundiam ſanè habuit id irritum faciendi, quod adeò ſolenni pompâ dedicarat; nec equidem ei in corde fuit plebi morem gerere. Interim Judæi libellos precum *Tiberio* mittunt, è quibus is certior factus, tam quæ *Pilatus* fecerat, quàm quæ interminatus fuerat, graviter eum audaciæ & importunæ inſolentię arguit & increpuit, jubens porrò ut ſcuta illico amoverentur. Amota itaque ſunt & *Cæſaream* reportata. In hunc modum *Philo*. Mirum ſane duos ejuſdem Gentis, rem genti ſuæ adeo

Philo in legat. ad Cajum.

Digitized by Google

ANN. CHRIS. 33

adeo magni momenti, nec non ſeculo ſuo adeo proximam & noviſſimam, tam variè nobis retuliſſe. *Philo* in ipſo tempore, ut videtur, floruit; *Joſephus* triginta circiter annos infra. Lectori penès eſt utri fidem fecerit: cujus itidem arbitrio relinquimus diſcrepantiam inter *Euſebium* qui rem hanc à Chriſti morte, & *Baronium* qui eam circiter tres annos antè Chriſti Baptiſmum ponit. Videtur *Baronius* rem anticipaſſe, ad primum annum *Pilati* eam referens, quam è *Philone* conſtat factam poſt multa alia ejus inter Judæos perpetrata ſcelera. *Euſebius* interim, ſi in eo fefellerit, quòd rem adeo diu poſt Chriſti mortem rejecit; in hoc tamen excuſandus, quòd indicium nobis præbuit, quàm cito iſti qui *Cæſarem* Chriſto anteferrent, *Cæſarem* etiam ad nauſeam experti ſint, imaginem ejus *Hieroſolymis* erectam aſpicientes.

De Jacobo, an eſſet Hieroſolymitanus Antiſtes, necne.

Auctores iſti ſupra memorati etiamſi in re ſupra dicta diſſentientes, in hac tamen uti & alii plerique, conveniunt. Ita enim *Euſebius*. *Eccleſiæ Hieroſolymarum primus Epiſcopus ab Apoſtolis ordinatus Jacobus frater Domini.* Baronius fuſius eum narrat à *Petro ordinatum: cathedram ejus poſteris ſervatam & in ſacris habitam: laminam auream eum in caput, more Summi Sacerdotis ſub Lege, geſtaſſe:* (unde obiter infulæ uſum conjectat.) *eum unicum licere Sanctum Sanctorum petere: à vino & carne abſtinuiſſe: Nazaritam fuiſſe, genuaque ejus continuò inter orandum inflexione, obducto callo, obtorpuiſſe:* & multa id genus nugarum, quibus firmandis plurimos Autores citat; adeo ut communi magis ſenſui quàm famæ acceptum referri oportet, quod non in omnem vaniſſimam credulitatem laberemur. Quæſtio ſanè, an *Jacobus* Hieroſolymitanus uſpiam Præſul ordinaretur, ventilatione digna eſt, quæ tamen infra nobis loca quædam in Actis Apoſtolorum diſcuſſuris opportuniùs cedet. Sed quod ad infularum prototypum, & ſtupidam populi verſus cathedram devotionem, cæteraque omnia iſtiuſmodi figmenta ſpectat; equidem ſuperſtitionis petulantiæ ignarus is eſt, qui ex qua incude hæc fabrefacta ſint non novit: nec non ſat otii ei ſuppetit, qui in examinanda harum rerum veritate operam navarit; multo magis ei qui fidem eis quantulam quantulam habuerit.

ANN. CHRIS. 33. *ſus, tantùm non ſummam malorum ſuorum profeſſus eſt.* Et Tacitus parùm fuſiùs: *Adeo facinora ſua atque flagitia ipſi quoque in ſupplicium verterant; neque fruſtra præſtantiſſimus ſapientiæ firmare ſolitus eſt: Si recludantur Tyrannorum mentes, poſſe aſpici laniatus & ictus: quando ut corpora verberibus, ita ſævitiâ, libidine, malis conſultis animus dilaceretur. Quippe Tiberium non fortuna, non ſolitudines protegebant, quin tormenta pectoris, ſuaſque ipſe pœnas fateretur.* ANN. CHRIS. 33.

PARS III.

JUDÆORUM STATUS.

Turbæ inter eos motæ.

SI *Joſepho* fides adhiberi debeat, h. e. quoad Chronologiæ amuſſim eundem eum ordinem narrando ſervaſſe, quo res eveniſſent, tum ſub hoc tempus contigit famoſum illud ludibrium, (ita enim vocat * Egeſippus) ſive nefanda vis Heroïnæ cuidam nobili Romanæ & pudiciſſimæ conjugi *Paulinæ*, à *Mundo* Equite illata, ſub prætextu vel ſimulata ſpecie Dei *Anubis* in templo *Iſidis*. Id *Joſephus* proximè à Chriſti morte, & cum hac contextûs nota, narrat. *Sub id temporis altera Judæis vexatio, & turpia ad Iſidis templum Romæ perpetrantur*, &c. Quum verò Judæorum mala, & miſeriæ quas poſtea refert, proximè à ſtupro *Paulinæ* pendere videantur, & tamen *Tacitus* eos *Romæ* expulſos ſcribit, annos tredecim antequam hæc evenerint, Coſſ. nempe *Julio Silano* & *Norbano Flacco*; nullum impræſens iiſcum nobis negotium erit: quin aliud quiddam apud Judæos majoris momenti & notatu dignius huic loco apponemus. Id ſanè Joſephus paulò ante Chriſti crucifixionem poſuit, *Euſebius* verò poſt: ab hujus fide igitur quoad tempus, ab illius verò cum *Philone*, quoad rei credibilitatem, pendebimus.

* *Egeſipp. de excid. Hieroſol. lib. 2. cap. 4.*

Joſeph. Antiq. lib. 18. cap. 4.

Quum *Pilatus* (prout rem narrat *Joſephus*) clam & nocte intempeſtâ imagines quaſdam *Cæſaris* intra urbem *Hieroſolymarum* deportatas erexiſſet; populus *Judaicus* re ſemel cognitâ, *Cæſaream* ſupplex adcurrit, vehementer precatus ut è veſtigio ſuſtollerentur. Hoc cùm ille, prout *Cæſari* iniquum & inhoneſtum, negaſſet, Judæi humum proni, neque ſpatio quinque dierum & noctium loco movendi jacuerunt; die verò ſexto, eis ſe pro tribunali reſponſurum præ ſe ferens, ex improviſo eos armato milite circundedit, internecionem minitatus, modò ab importunis iſtiuſmodi precibus non deſiſterent. Hiſce auditis Judæi de novo ſe pronos faciunt, & denudatis collis clamant, malle ſe nece turpiſſimâ perire, quàm pati leges ſuas adeo impiè violari. Horum ergo obſtinatam & inflexibilem conſtantiam expertus *Pilatus*, imagines *Cæſaream* reducendas curavit. In hunc modum *Joſephus*: aliter verò *Philo* rem habet. *Pilatus*, inquit ille, aurea quædam ſcuta non tam in honorem *Tiberii*, quàm ut Judæos vexaret apud ædes *Herodis* dedicavit. Eis neque inſculpta fuit effigies aliqua, neque quidpiam Judæorum Lege prohibitum; ſed ejus nomen duntaxat qui dedicarat, nec non ejus cui dedicaretur. Quum res verò apud plebem innoteſceret, & pervulgata eſſet, mittunt ſtatim aliquos dignioris notæ & ordinis qui *Pilatum* interpellarent, ut ſalvis patriis legibus, innovationem hanc averteret. *Pilato* verò (qui vel naturâ cerebroſior & inexorandus fuit) hæc obſtinatò negante, præ ſe ferunt Judæi ac ſi *Cæſarem* appellarent. Is equidem de hac re ſolicitus, ne in iſta appellatione anſam porrò arriperent ſe repetundarum, rapinæ, homicidii, truculentiſſimæ ſævitiæ, aliorumque id genus criminum coram *Cæſare* reum peragendi; multum anxiè in ſe vacillans, verecundiam ſanè habuit id irritum faciendi, quod adeò ſolenni pompâ dedicarat; nec equidem ei in corde fuit plebi morem gerere. Interim Judæi libellos precum *Tiberio* mittunt, è quibus is certior factus, tam quæ *Pilatus* fecerat, quàm quæ interminatus fuerat, graviter eum audaciæ & importunæ inſolentię arguit & increpuit, jubens porrò ut ſcuta illico amoverentur. Amota itaque ſunt & *Cæſaream* reportata. In hunc modum *Philo*. Mirum ſane duos ejuſdem Gentis, rem genti ſuæ adeo

Philo in legat. ad Cajum.

Digitized by Google

ANN. CHRIS. 33

adeo magni momenti, nec non ſeculo ſuo adeo proximam & noviſſimam, tam variè nobis retuliſſe. *Philo* in ipſo tempore, ut videtur, floruit; *Joſephus* triginta circiter annos infra. Lectori penès eſt utri fidem fecerit: cujus itidem arbitrio relinquimus diſcrepantiam inter *Euſebium* qui rem hanc à Chriſti morte, & *Baronium* qui eam circiter tres annos antè Chriſti Baptiſmum ponit. Videtur *Baronius* rem anticipaſſe, ad primum annum *Pilati* eam referens, quam è *Philone* conſtat factam poſt multa alia ejus inter Judæos perpetrata ſcelera. *Euſebius* interim, ſi in eo feſellerit, quòd rem adeo diu poſt Chriſti mortem rejecit; in hoc tamen excuſandus, quòd indicium nobis præbuit, quàm citò iſti qui *Cæſarem* Chriſto anteferrent, *Cæſarem* etiam ad nauſeam experti ſint, imaginem ejus *Hieroſolymis* erectam aſpicientes.

De Jacobo, an eſſet Hieroſolymitanus Antiſtes, necne.

Auctores iſti ſupra memorati etiamſi in re ſupra dicta diſſentientes, in hac tamen uti & alii plerique, conveniunt. Ita enim *Euſebius. Eccleſiæ Hieroſolymarum primus Epiſcopus ab Apoſtolis ordinatus Jacobus frater Domini.* Baronius fuſius eum narrat à *Petro ordinatum: cathedram ejus poſteris ſervatam & in ſacris habitam: laminam auream eum in caput, more Summi Sacerdotis ſub Lege, geſtaſſe:* (unde obiter infulæ uſum conjectat.) *eum unicum licere Sanctum Sanctorum petere: à vino & carne abſtinuiſſe: Nazaritam fuiſſe, genuaque ejus continuò inter orandum inflexione, obducto callo, obtorpuiſſe:* & multa id genus nugarum, quibus firmandis plurimos Autores citat; adeo ut communi magis ſenſui quàm famæ acceptum referri oportet, quod non in omnem vaniſſimam credulitatem laberemur. Quæſtio ſanè, an *Jacobus* Hieroſolymitanus uſpiam Præſul ordinaretur, ventilatione digna eſt, quæ tamen infra nobis loca quædam in Actis Apoſtolorum diſcuſſuris opportuniùs cedet. Sed quod ad infularum prototypum, & ſtupidam populi verſus cathedram devotionem, cæteraque omnia iſtiuſmodi figmenta ſpectat; equidem ſuperſtitionis petulantiæ ignarus is eſt, qui ex qua incude hæc fabrefacta ſint non novit: nec non ſat otii ei ſuppetit, qui in examinanda harum rerum veritate operam navarit; multo magis ei qui fidem eis quantulam quantulam habuerit.

ANN. CHRIS. 33.

Digitized by Google

ANN. CHRIS. 34. TIBER. 19.

CHRISTIANA, JUDAICA ET ROMANA HISTORIA,

AD

Annum CHRISTI XXXIV.

TIBERII XIX.

Mundi 3961.

Coſſ. { *Sergio Sulpitio Galbâ.*
L. Cornelio Sullâ. }

Computatio Chronologica.

AD juſtam computationem annorum ſalutis noſtræ, oporteret fortaſſis à menſe Septembris Æram incipere, (in illo enim menſe credibile eſt Chriſtum natum fuiſſe) ac proinde annus Chriſti triceſimus quartus non niſi à quatuor menſibus poſt effuſionem Spiritus Sancti ingrueret. Veruntamen quoniam epocha temporum rerumve geſtarum quas noſtra quælibet hiſtoria narrat, vix hinc omnino petenda eſt, & quoniam Scriptores Romani annos urbis ſuæ conditæ, nec non Chriſtiani redemptionis ſuæ, à menſe *Januario* plerumque incipiunt; idcirco iſtiuſmodi computationem ſequi æquius duximus, (nè dicam ad id cogimur) propter innumera & accommoda Scriptorum tam *Romanorum* quàm *Chriſtianorum* adminicula quibus hanc computationem ſequuti ſuppeditemur; quovis alio temporum calculo jam impoſſibili ferè facto, & prorſus impervio. Verum quod narratiunculas ſpectat, quæ apud *Acta Apoſtolorum* paſſim occurrunt; certè Spiritus Sanctus non adeo accuratam temporum ſeriem digeſſit, ac rerum ipſarum hiſtoriam nobis dignatus eſt. Haud equidem diffitendum, quin catena chronologica à mundi creatione, ad Chriſti crucifixionem (quæ temporum conſummatio vocatur) affabrè ſatis & exactè per ſacram Hiſtoriam ſparſim connectitur; ab inde tamen non ita, nec equidem adeò neceſſarium videtur. Hunc librum igitur *Actorum Apoſtolorum* in Annales reducere, uti opus eſſet perdifficile, ita in conjectura ſola deſineret, eò quòd Spiritus Sanctus parcè admodum, vel haud omnino nobis filum porrectat, Chriſti morte jam peractâ, cujus ergô potiſſimum temporum ſeriem & ſucceſſionem accurare ei viſum fuit. Res itaque & geſta quæque intra annos ipſis proprios & aptos (quantum fieri poteſt) redigere conantibus nobis, cum pace doctorum, conjectare liceat, utut non abſque omni fundamento atque argumentis probabilibus id fiet: & quantumvis in hoc alto Chronologiæ ſilentio, quandoque claudicare neceſſe erit; ſperamus tamen multorum annorum ſimul compagem connectere, etiamſi ſingula ad ſingula ſua tempora ſigillatim affigere nequeamus.

Exem-

ANN. CHRIS. 34. TIBER. 19.

Exemplum habemus hiſtoriam de eligendis ſeptem Diaconis, quam mox tractaturi ſumus. Haud poſſibile eſſet temporis momentum eruere quo id fieret. Fortè evenit anno Chriſti triceſimo tertio nondum exacto, ſcil. ante menſem *Septembris* ab aſſumptione proximum; fortean inter menſem *Septembris* & *Januarii*; vel fortè poſt menſem *Januarii* ineuntis anni. Æquè nobis incertum eſſet quoad unaquæque hæc temporum puncta, modò in hac ſingula actione ſeorſim calculanda operam navaremus. Et verò quum de converſione *Pauli* inquirendi nobis occaſio fuerit, tùm aliquid certum fortaſſis quoad tempus eligendi Diaconos occurret; atque exin ſuppetet nobis calculandi ratio & norma, quæ eventa omnia ſpectet à Spiritus Sancti deſcenſu ad converſionem *Pauli*. Et quavis narratiunculâ à fine *Cap.* ſecundi ad initium noni, quaſi in unum faſciculum colligatâ, non opus erit ut adeo prorſus fluctuemus, quin in aliqua temporum periodo pedem figeremus.

CAP. VI.

VERS. 1. *Ortum eſt murmur Græcorum.*

Gr. τῶν Ἑλληνιστῶν: quod itidem uſui eſt, *Cap.* 9:29. & 11:20. Atque inter eruditos diſceptatum, Græcoſne cum Judæis, an Judæos cum Græcis degentes ſignificet: h. e. utrum Græcos cultui Judaico proſelytos, an Judæos Græcâ linguâ uſos: de his accipiendum, & non de illis videtur, ob has potiſſimum rationes.

I. Proſelyti Græci (quos nonnulli ſentiunt Helleniſtas fuiſſe) nominatim dicuntur Ἕλληνες, *Joann.* 12:20. Nec non οἱ Ἑλληνικοὶ, *Joſeph. Antiquit.* lib. 18. cap. 4. non *Helleniſtæ*.

II. Forma vocis *Helleniſtæ* propriè magis innuere videtur *Judæum* Græcis ἐμφυτευτὸν, non vice verſâ.

III. Sicuti Ἰουδαῖοι & Ἕλληνες ubique paſſim apud Sacram Scripturam Gentem Judaicam, & Græcam diſtinguunt; ſic nimirum *Hebræi* & *Helleniſtæ* aliquid diverſum hîc loci ſignificent neceſſe eſt.

IV. Si per Ἑλληνιστῶν Græci Proſelyti intelligendi eſſent, ſatiùs fuiſſet eis oppoſuiſſe τοὺς Ἰουδαίους, non τοὺς Ἑβραίους.

V. Ab initio hujus libri hucuſque, Eccleſiam è Judæis præſertim conflari liquet; ſic *Cap.* 2:5, 22. & *Cap.* 3:12. Et utcunque inter eos Proſelytorum fit mentio, vix credibile tamen eſt eos tot fuiſſe, ut ſeptem Diaconos in eorum miniſtrationem requirerent.

ANN. CHRIS. 34. TIBER. 19.

VI. *Nicolaus*, unus ex iis ſeptem, nominatim dicitur *Proſelytus ex Antiochia*: quod abſurdum videretur, modò tota actio Proſelytos duntaxat ſpectaret.

Ex his itaque & pluribus aliis quæ, ſi opus eſſet, allegari poſſint, inferre licet, *Helleniſtas* hoſce, Judæos fuiſſe Græcæ diſperſionis, Græcæ Gentis conſuetudine & linguâ uſos, titulo *diſperſionis Occidentalis* diſtinguendos; non ſolùm reſpectu regionum ſitûs, ſed ut ab iis præſertim diſtinguerentur qui ex *Orientali captivitate* eſſent, h. e. qui ab *Aſſyriis* olim & *Perſis* abducerentur; nec non ut qui linguâ Occiduâ uſi ſunt. *Murmur* itaque illud *Helleniſtarum contra Hebræos ortum*, murmur erat *Judæorum* Helleniſtarum contra *Judæos* Hebræos. Judæi erant uterque; ſed *Helleniſtæ* & *Hebræi* pro diverſitate patriæ & linguarum dicti: *Hebræi*, qui *Judæam* vel diſperſionem Orientalem; *Helleniſtæ*, qui plagas Occidentales coluerunt. In hunc ſenſum redit illud de *Paulo* dictum, *Cap.* 9:29. *Loquebatur & diſceptabat* πρὸς τοὺς Ἑλληνιστάς, h. e. Græcâ linguâ uſus eſt, *Tarſo* nempe oriundus, ubi Græcorum Scholæ celebrabantur. Sic etiam *Cap.* 11:19, 20. *Qui diſperſi fuerant, nemini loquebantur ſermonem Dei niſi Judæis ſolis.* Interea verò *Helleniſtis* loquebantur apud *Antiochiam*: h. e. ipſi quidem Helleniſtæ nati, ſive Judæi, *Cypro* & *Cyrene* Græcis coloniis oriundi, *Antiochenſibus* patrio more loquebantur.

Deſpicerentur in miniſterio quotidiano.

Scil. in quotidiana eleemoſinarum diſtributione; quod ex ipſo textu, & ratione loci manifeſtò conſtat. Sunt tamen qui hæc paſſivè ſumpta velint, ac ſi viduæ (mulieres enim antehac etiam Chriſto miniſtrarant) à miniſterio Apoſtolis ferendo arcerentur.

VERS. 2. *Itaque duodecim illi advocatâ multitudine Diſcipulorum.*

Ne hic putes advocatam univerſam Diſcipulorum multitudinem, (qui jam in tot millia creviſſent) quin potiùs totum duntaxat Preſbyterii cœtum & collegium, Diſcipulorum ſcil. *centum atque octo* de quibus ſuprà. Etenim I. quam ſupervacaneum eſſet decies fortaſſis mille hominum in unum cogi, in negotio eligendi ſex tantum vel ſeptem viros? Et II. quam impoſſibile ut iſtiuſmodi electio unanimis fieret, quum propter diſtantiam & diverſitatem tam Gentium quàm linguarum alii aliis adeo invicem ignoti eſſent; & quum ex præceptis quibuſdam offenſiunculis ortæ jam eſſent querelæ & murmura? III. Oportuit eos quorum erat provincia eligendi ſeptem Diaconos, *adhibitâ inſpectione deligere è ſeipſis*

viros

Digitized by Google

ANN. CHRIS. 34. TIBER. 19.

viros ſeptem Spiritu Sancto plenos. Verùm de vulgo & grege credentium hujuſmodi viros excerpere difficillimum, quidni impoſſibile fuit? Nobis enim haud conſtat, Spiritum Sanctum in alios quoſcunque niſi in illos *centum & viginti* deſcendiſſe: neque ſanè, etiamſi in mandatis detur quoad eligendos, ut ſint *viri bonæ famæ*, ſive *teſtimonio & ſapientiâ* ornati, exinde colligi oportet, ac ſi aliquis ex eis *centum & octo* in una vel altera re defeciſſet: denotat tantùm inter eos fuiſſe donorum & virtutum gradus ac diverſitatem.

VERS. 3. *Septem viros.*

Videtur iſte numerus reſpicere ſeptem Gentes, inter quas diſſipati fuerant iſti Orientales Judæi, qui murmur primò excitarant: videlicet, *Cappadocum*, *Ponticorum*, *Aſiaticorum*, *Phrygum*, *Pamphyliorum*, *Romanorum*, & *Cretenſium*.

De Diaconorum functione & officio.

I. Non ad prædicationem verbi, ſed res pauperum curandas primitùs deſignabantur: quemadmodum enim cauſa eos eligendi, erat pauperum querela & *murmur*, ita nimirum neceſſe eſt ut eos eligendi finis eſſet pauperum cura & inſpectio. Haud inficias eundum, quin ſeptem iſti (ſaltem ex eis *Stephanus* & *Philippus*) æquè concionatores eſſent Euangelici, ac pauperum procuratores: verum credibile eſt eos munere iſto miniſteriali priùs donatos, quàm ad Diaconatum eligerentur. Hi enim, teſte *Epiphanio*, nec non ratione ipsâ, è numero erant eorum ſeptuaginta, vel ſaltem *centum & octo*, qui Chriſti latus, dum is in vivis eſſet, aſſiduè preſſiſſent. Et ſic ab ipſo, non ab Apoſtolis, in miniſteriale munus aſcripti, poſtea verò in Diaconatum aſſumebantur. Textus quidem eos *Spiritu Sancto plenos* ſubindicat, priuſquam per manuum impoſitionem ad hujuſmodi officium ſeligerentur, ac proinde cum è numero *centum & viginti* ipſi eſſent, proculdubio in commune cum eis Spiritu Sancto induti fuerant.

II. Menſæ illæ quibus miniſtrandis ordinarentur Diaconi, menſæ communes, non ſacræ erant. Etenim I. Apoſtoli *ἀντίστασιν* quid inter menſarum miniſtrationem & verbi prædicationem innuunt, *verſ.* 2. id nunquam feciſſent, modò menſarum miniſtratio idem prorſus cum Sacræ Synaxeos celebratione ſonaret. II. Id quod Diaconorum curæ commiſſum habemus, Apoſtoli conſultò detrectant, ne nimium ipſis negotium faceſſeret, quod de Euchariſtiæ celebratione ſupponi non debet. III. Ad Euchariſtiæ ſacra peragenda affatim proviſum jam fuerat, adeo ut plurium ordinatione impræſens opus non eſſet:

ANN. CHRIS. 34. TIBER. 19.

III. Diaconorum officium in his conſtitit, ut pauperum multiplici indigentiæ proſpicerent, publicis collectionibus incumberent, eaſque pro horum vel illorum inopia, fideli manu diſpenſarent. Unde mirari quidem non eſt, Apoſtolos in horum electione & ordinatione ſolicitos adeo & percautos fuiſſe: quoad hujuſmodi enim negotia, Apoſtolorum vices ſupplere debuerunt, Eccleſiæ theſaurarii fiunt, & ab eorum fide incorrupta, & aſſidua manu pendere neceſſe eſt pauperum ſuppeditationem: ergo quid mirum modò de iis adeo ſtrictè præcautum ſit, ut eſſent viri melioris famæ, *teſtimonio ornati*, &c. Quin porrò quum hi diverſis cum linguis & Gentibus rem habituri eſſent, oportuit eos *Spiritu Sancto plenos* fore, quò iſtiuſmodi officio feliciùs fungerentur.

VERS. 5. *Prochorum.*

Liber vitam Joannis Euangeliſtæ continens, ipſi falſo adſcriptus.

De *Prochoro*, *Nicanore*, *Timone* & *Parmenâ* nihil prorſus apud Sacram Scripturam occurrit. Liber iſte qui *Prochori* nomen præ ſe fert, cui titulus, *vita*, *miracula & aſſumptio Joannis Euangeliſtæ*, non iniquè hoc ſtigmate inuritur apud *Bibliothec. Patr.* Tom. 7. *Hiſtoria hæc apocrypha eſt*, *fabuloſa*, *& indigna prorſus quæ legatur.* Autor ſe unum è Papicolis fuiſſe prodit, è ſigno crucis, & deſcenſu locali *cap.* 3. è diſceptatione inter *Linum* & *Domitianum* circa Chriſti adventum, è *Joanne Port. Lat. cap.* 10. multiſque aliis teſtimoniis indubiis, ut ut ſub larva ſua naſum ſibimet emunxerit, ac ſi tutò deliteſceret, dum in initio capitis primi, *Petrum* introducit *Joanni* palmas porrigentem ut *Apoſtolorum* Principi. Sed ne quis iſtiuſmodi librum perlegendo operam atque oleum perdat, è *cap.* 20. exemplar nugarum habeat, ubi *Joannem* narrat Epiſtolam Diabolo hominis obſeſſi ergô ſcripſiſſe, atque literarum vi eum ejeciſſe.

Nicolaum Proſelytum Antiochenſem.

Hunc nonnulli conjectant Sectæ Nicolaitarum Magiſtrum, vel ſaltem anſam eis præbuiſſe, *Apocal.* Cap. 2:6, 15. *Iren.* lib. 1. cap. 27. *Euſeb.* lib. 3. cap. 29. Secta erat quæ doctrinas de bonorum communitate & libertate Chriſtianâ in omnimodam ſpurcitiem & vitiorum licentiam pravè interpretata eſt. Verum an hicce *Nicolaus* rem adeo malè detorſerit primus, an qui ſe ejus aſſeclas profitebantur, (prout Sadducæi olim dogma ſanum ſatis à *Sadoco* traditum in peſtiferam hæreſin perver-

Digitized by Google

ANN. CHRIS. 34. TIBER. 19.

perverterant) ut in dubio eſt, ſic noſtrâ non refert hîc loci ulteriùs diſquirere.

Vers. 7. *Multa turba Sacerdotum auſcultabat fidei.*

Non poſſum non mirari *Bezæ* audaciam, tam hîc loci quàm alibi paſſim conſpicuam. Is ſinceritatem Sacræ Paginæ ſuſpicari mallet, quam ut tot Sacerdotes in fidem adduci poſſe crederet: interea verò ne unicum quidem inter tot Græca exemplaria in adverſum producit. Temeritas ſanè ſeveriſſimè corripienda, quâ cum is ſenſum loci non capiat, vel aliquid difficultatis ſuboleat, vel interpretationem quandam putidulam ſomniet, mox Sacris Scripturis vim feret, earumque puritatem ſuſpectam oſcitanter habebit, potius quàm ipſe pravam ſuam opinionem miſſam fecerit. Venerabili quidem æſtimatione, nec immeritò, hunc virum habet Eccleſia Dei; utinam verò hæc licentia interpretandi, ſibimet audacter nimium aſſumpta & arrogata, non tam Judæis quàm Papicolis anſam præbuiſſet, ſacro textui, & Euangelii doctrinis oblatrandi; quod malo fato dudum experti ſumus.

Vers. 9. *Synagoga quæ dicitur Libertinorum.*

Hoc eſt, Judæorum qui ingenui vel nati cives erant, (prout de *Paulo* videre eſt, *Actor.* 22:28.) filii eorum qui civitate *Romanâ* donati fuerant. Qui ex ſervis liberi facti vel manumiſſi ſunt, *Liberti* dicuntur; horum filii in hac libertate nati, *Libertini.*

Vers. 15. *Faciem ejus tanquam faciem Angeli.*

Stephanus ab alumnis *Synagogæ Libertinorum* blaſphemiæ in *Moſem* & Templum reus peragitur; quòd rituum & loci abolitionem prædicaſſet: revera tamen ea duntaxat reſumit quæ *Moſes* olim atque *Angelus* prædixerant, *Deuter.* 28:32. *Dan.* 9. Hinc adeo effulſit & emicuit, ac ſi alter eſſet *Moſes* vel *Angelus.*

CAP. VII.

Vers. 2. *Viri fratres.*

Hoc τὸ *viri* redundat. Sic *Geneſ.* 13:8. *Viri fratres ſumus.* Angl. *Fratres ſumus.* Sic *verſ.* 26. hujus *Capitis.*

Quum eſſet in Meſopotamia.

ANN. CHRIS. 34. TIBER. 19.

Chaldæa etiam *Meſopotamiæ* annumerari ſolet. Sic *Plin. Nat. Hiſt.* lib. 6. cap. 26. *Babylon Chaldaicarum Gentium caput, diu ſummam claritatem obtinuit in toto orbe, propter quam reliqua pars Meſopotamiæ Aſſyriæque Babylonia appellata eſt.* Et poſtea. *Sunt etiamnum in Meſopotamia oppida, Hipparenum, Chaldæorum & hoc, ſicut Babylon.* His mox ſubjicit. *Orcheni quoque, tertia Chaldæorum doctrina, in eodem ſitu locantur.*

Vers. 3. *Et dixit ei, Exi è terra tua.*

Sunt qui inextricabili penè ſe nodo nectunt, perperam hæc referentes ad *Geneſ.* 12:1. ac ſi de eadem re, eodemque tempore hæc dicta eſſent. Diſtingui tamen debent, ut quæ duplicem vocationem *Abrahami* ſubinnuunt: unam in *Chaldæa*, alteram apud *Charras.* In *Chaldæa* Deus ei viſus jubet ut *è terra & à cognatione ſua exiret;* aſt de patria domo relinquenda nihil adhuc præſcriptum; imò eam ſecum conduxerat, *Geneſ.* 11:31. Subinnuit Spiritus Sanctus *Abrahamum* hoc iter ſuſcepiſſe ſub auſpicio patris ſui *Teræ*; quaſi is monito recepto, in eo primus moviſſet. Ex his equidem ad minimum conſtat, *Teram* ad Deum verum feliciter converſum, patrio ſolo atque idolis nuncium penitus remiſiſſe, dum promptus adeo & paratus ſit *Abrahamo* cœlitùs vocato ſe comitem dare. *Abrahamum* verò hîc præcipuè evocatum fuiſſe palam fit, non modò è *Stephani* verbis, & Joſuæ *Cap.* 24:2. verum & Judæorum haud pauci rem non diffitentur. In hunc modum *Aben Ezra* in *Geneſ.* 12:1. *Jehovah Abrahamo apud Ur Chaldæorum edixit ut patriam relinqueret.* Deus verò eum à *Charris* vocans, jubet ut jam *patriam domum* (eo modo quo ſupra, *terram ſuam & cognationem*) deſereret. Fratrem itaque *Nachorem*, uti & univerſam patriam familiam à tergo reliquit. Hæc modò adverterint Interpretes, vix tot nodi occurrerent, vel circa ætatem *Teræ*, naſcente *Abrahamo*, vel circa *Abrahami* peregrinationem; uti nec tanta eſſet ambiguitas vocis ויאמר, *Geneſ.* 12:1. Res equidem libro Geneſeos narrata, perſpicuâ ſerie & continuatâ ſatis, connecti videtur, atque in hujuſmodi paraphraſin faciliùs ſolvenda. Jehovah apud *Ur Chaldæorum* Abrahamo viſus dixit ei, *Exi è terra tua & cognatione tuâ*; at patriam tecum familiam in terram quam indigitaturus tibi ſum, conducas. De hac re cum *Abrahamus Teram* patrem moneret, is etiam juſſui paret, nec non unà cum *Abrahamo*, *Loto* & *Sarâ*, ab *Ur* ad *Charras* profecti, iſtic loci pedes ſtiterunt. Verum quum *Terah* pater

ANN. CHRIS. 34. TIBER. 19.

Charris diem obiiſſet, Deus *Abrahamo* de novo edixit, Exi è terra tua & cognatione tuâ, quin etiam relictâ jam patriâ domo, in terram *Canaaniticam* proficiſcaris.

Jam verò ut captiunculæ ne minimæ quidem locus eſſet, quoniam tam *Ur Chaldæorum* quàm *Charræ*, patria & cognatio *Abrahami* appellantur, *Stephanus* utramque in *Meſopotamia*, uti ſuprà annotatum, poſuit.

Vers. 5. *Ne veſtigium quidem pedis.*

Ejuſmodi phraſiuncula apud *Deuter.* 2:5. Etiamſi tota terra *Canaanitica Abrahamo* promiſſa eſſet, ut ſepulturæ tamen locum ſibi pretio acquireret, adigebatur.

Vers. 6. *Et malè accipietur annis quadringentis.*

Duplex annorum ſumma, quoad *Abrahami* ſemen apud Sacram Scripturam paſſim occurrit, annorum ſcil. quadringentorum, & triginta ſupra quadringentos, *Geneſ.* 15:13. *Exod.* 12:40. Numerandi ſunt anni 430. à tempore promiſſi *Abrahamo* facti, ad reductionem ex *Ægypto:* anni verò 400. à quinto *Iſaaci* ad ſupradictam periodum; tùm enim ei (irridente *Iſmaële*) perſecutiones in *Abrahami* ſemen impingendæ, ortum ſuum & initium habuerunt; ſemen, inquam, illud quod ſpatio annorum 400. peregrinum prorſus & inquilinum, in terra aliena tam *Canaanis* quàm *Ægypti* adverſa admodum pateretur. Conſule LXX. ad *Exod.* 12:40.

Vers. 7. *Et ſervient mihi in loco iſto.*

Hæc, prout à *Stephano* citantur, ſpeciem habent quaſi *Abrahamo* dicta eſſent, quum ea Deus nonniſi annis poſt quadringentis *Moſi* loquutus ſit. Βραχυλογία quidem in rebus notiſſimis Spiritui Sancto non inuſitata. Vide *Matth.* 1:12. 1 *Paralip.* 1:36. *Marc.* 1:2, 3. &c.

Vers. 14. *Septuaginta quinque animæ.*

Moſes familiam *Jacobi*, quæ in *Ægyptum* deſcendit, recenſens, ſeptuaginta animas ſcribit, *Geneſ.* 46:27. *Exod.* 1:5. *Deuter.* 10:22. *Stephanus* verò numerum auget, & *quinque ſupra ſeptuaginta* hic addit, LXX. ſequutus, qui locis ſupra citatis ejuſdem numeri mentionem habent. Hunc numerum implent additis quinque liberis *Joſephi*, quos *Moſes* non memorarat, è libro *Paralipomenon*, qui tamen ad primam profectionem Iſraëliticam nondum naſcerentur. Horum nomina, *Machir*, *Gilead*, *Shutelah*, *Taben*, & *Eden*. Rationem hujuſmodi computationis alibi videſis, *Harmon. Euang. ad Luc.* 3:36.

Vers. 16. *Et tranſlati in Sichemum.*

Obſcuriorem hunc locum reddidit βραχυλογία iterum. Suprà *Stephanus* plura quàm ipſe *Moſes* loquutus, ſenſum difficilem, hîc vero pauciora, perplexiorem fecit. Narrat *Moſes Jacobum Hebrone* ſepultum; *Stephanus* quaſi in *Sichemo*: *Moſes* refert *Jacobum* terram emiſſe ex *Emore* patre *Sichemi*; *Abrahamum Stephanus*. Imò denique hîc videtur *Jacobum* unà cum duodecim filiis uno eodemque ſepulchro conditos fuiſſe, nec non ſepulturæ loci acquiſitionem tam *Abrahamo*, quam *Jacobo* aſcriptam unam eandemque haberi debere. Interea verò *Moſes* & *Stephanus* nullo modo inter ſe diſſentiunt; ſolummodò quòd *Stephanus* breviori quodam loquendi modo in re omnibus nota uſus, unico quaſi verbo ſententiæ locum ſupplet, ex proprio linguæ idiomate, quod quicunque tunc temporis audivere, facilè intellexerunt.

Et tranſlati fuerunt in Sichemum.] *Syrus* atque *Arabs* hæc ad *Jacobum* unicum referentes, numero ſingulari reddunt; perperam quàm *Moſes*, qui diſertis verbis narrat eum *Hebroni* ſepultum, *Geneſ.* 50:13. *Hebroni* etiam ſepultos *Jacobi* filios narrat *Joſephus*, *Antiquit.* lib. 2. cap. 4. Imò iſtic antè ſepultos, quam eorum frater *Joſephus*; transferebantur illuc quamprimum fato perfuncti eſſent, dum *Joſephi* exequiæ uſque ad exodum Iſraeliticam ex *Ægypto* procraſtinatæ erant.

Verumenimvero haud credibile quidem eſt, *Stephanum*, virum adeo *Spiritu Sancto plenum*, vix quidpiam temerè affirmaturum, à quovis idiota vel pueruIo redarguendum, ſuppoſito quod Patriarchæ reliquias ſuas *Hebroni* mandaſſent: multo minùs quum coram Synedrio & Doctorum cœtu cauſam ageret, qui mox eum in lapſu deprehendiſſent, modo in re adeo vulgariter notâ hallucinatus eſſet. Procul igitur omni dubio *Sichemus*, omnium Patriarcharum ſepulturæ locus vulgo habebatur. Quemadmodum enim, dum *Moſes* oſſa duntaxat *Joſephi* illuc conducta refert, *Exod.* 13:19. R. *Solomon* probè ſatis inde annotarit, *hinc colligendum eſſe*, *oſſa omnium Patriarcharum unà illuc tranſlata*: pari modo, quantumvis mentionem habemus unici *Joſephi Sichemo* ſepulti, *Joſ.* 24:32. facilis tamen conjectura eſſet, etiam tacente *Stephano*, iſtic loci eos omnes, ut communi ſepulchro reconditos fuiſſe. Harum equidem oſſa ex *Ægypto* tranſlata, etiamſi non dixiſſet *Stephanus*, res ipſa probat. Etenim

I. Omnibus eadem fuit cauſa cum *Joſepho*, quare

Digitized by Google

ANN. CHRIS. 34. TIBER. 19.

quare id eis in votis eſſet, ſive fidem in promiſſo conſideremus, ſive jus & proprietatem in terram Canaaniticam, ſive ſpem reſurrectionis.

II. Reliquæ Tribus eundem Patriarchis ſuis honorem tribuerunt, quem *Joſepho* ſua. Quum itaque *Joſephi* Tribus in memoriam ejus, oſſa ex *Ægypto* tranſvehenda curarit; haud dubium eſt quin reliquæ Tribus idem in Patriarcharum ſuorum memoriam procuraturę eſſent.

III. His mantiſſæ loco addendum, quàm neceſſarium videtur, ut Eccleſiæ Iſraëliticæ Patres, qui & terræ Canaaniticæ hæredes erant, è terra ſervitudinis exportati, apud ſuos requieſcerent.

Porrò, ſicuti eorum oſſa ex *Ægypto* tranſlata fuiſſe credibile eſt; ſic haud minùs apud *Sichemum* unà cum *Joſepho* recondita, ex his liquet.

I. Ratio non aſſignanda eſt quare eorum oſſa quæ ſimul ex *Ægypto* transferebantur, non uno etiam ſepulturæ loco reconderentur.

II. Cùm ſummo pretio haberentur *Joſephi* oſſa, ſepulchrum itaque iis paratum, reliquis Patriarcharum non ineptum aut inidoneum videretur.

III. Tota Iſraëlitarum gens *Sichemum* à *Joſua* convocata, illuc ſe recipit, ubi initâ terræ poſſeſſione, is fœdus inter eos & Deum percuſſit. Quapropter veriſimilius admodum videtur, Patriarcharum oſſa iſthic loci depoſita fuiſſe, quàm apud *Hebronem*, cui *Joſuam* interfuiſſe nullibi ſcribitur, niſi ad urbem radicitus evellendam.

Quare verò *Stephanus* factâ mentione ſepulchrorum *Jacobi* & filiorum, etiamſi adeo longo locorum ſpatio diſſitorum, hiſtoriam tamen tam ſtrictè connecteret, ut tam pater quàm filii uno eodemque tumulo ſepulti viderentur; hæc fortaſſis in cauſa ſunt.

I. Quoniam duplicem numerum adeo inter ſe inæqualem tractaturus, (h. e. unicum *Jacobum* & duodecim ſuos filios) in animo habuit potiorem numerum priùs tranſigere.

II. Singulari numero pro plurali utitur, *ſepulchro* pro *ſepulchris*, apud Sacram Scripturam uſitatiſſimum.

III. Ellipſis fit: deficit ſcil. conjunctio *vau*, ſive *&*, Sacrâ etiam Paginâ frequentiſſimum, 1 *Sam.* 6: 19. *Pſalm.* 133: 3. 2 *Reg.* 23: 8. cum multis aliis. Quocirca utcunque adeo conciſè & curſim res narret, inter eos tamen qui tam hiſtoriam quàm hebraiſmos probè callerent, hæc dicendi brevitas nullam omnino obſcuritatem peperit; quin in hunc ſenſum loquutus facilè exiſtimari poſſit: *Jacob obiit & Patres noſtri, & tranſlati ſunt in Sichemum, & poſiti ſunt in ſepulchris, in illo quod Abrahamus emit pretio argenti, & in illo quod emptum eſt à filiis Emmor patre Sichem.*

ANN. CHRIS. 34. TIBER. 19.

VERS. 20. *Valde venuſtus.*

Gr. ἀϛεῖ۞ τῷ Θεῷ, modo ſupernaturali natus, matre jam vetulâ, & quaſi annos parturiendi ſuperegreſſâ.

VERS. 22. *Et inſtitutus eſt Moſes in omni ſapientia Ægyptiorum.*

Hæc ſubjicit *Stephanus*, quaſi ex neceſſaria conſequentia liberalis, ingenuæ & regiæ educationis *Moſi* conceſſæ.

VERS. 23. *Ut verò expletum eſt ei quadraginta annorum tempus.*

Sunt qui affirmant Moſem quadraginta annos apud aulam Pharaonis, quadraginta apud Midianitas, quadraginta itidem in deſerto exegiſſe. Tanchum in *Exod.* 2.

VERS. 43. *Imò bajulaſtis tabernaculum Molochi.*

I. Apud Amos verba ſic ſe habent, *Cap.* 5: 26. ונשאתם את סכות מלככם ראת כיון צלמיכם. Hæc in *futuro* interpretati ſunt R. R. *Kimchi* & *Jarchi*, ut quæ tam pœnas minentur, quàm culpam exprobrent: q. d. *Noluiſtis bajulare præcepta Domini, quare bajulaturi eſtis idola veſtra una in captivitatem, quæ inimici veſtri in humeros veſtros poſituri ſunt.* Hæc verborum interpretatio haud parùm fortaſſis nobis arriſiſſet, niſi quòd *Stephanus* ea jam non in *futuro* reddidit, ſed in *præterito*, *Bajulaſtis*, vel *ſuſtuliſtis*, &c.

II. Res eſt in inveſtigatione admodum difficilis, ætatem definitè diſtinguere quâ in hujuſmodi idololatriam lapſi Iſraëlitæ ſint. Detur modò id non intra quadraginta annos accidiſſe, quibus in deſerto verſati ſunt, tum facilior nobis conjecturæ locus fiet. Id verò ſupponere haud iniquum videtur ex ipſo ſcopo ſermonis quem *Stephanus* hìc loci habet. Etenim I. narrat *verſ.* 41. eos *vitulum ſibi aureum feciſſe*, propter quod *Deus eos tradidit ad ſerviendum exercitui cœli.* Unde equidem palam eſt, idololatriam vitulo factam non eam fuiſſe de qua in hoc commate loquutus eſt, ſcil. neque idololatriam *Molocho* neque *Remphani* exhibitam, ſed iſtiuſmodi, quæ hujus cauſa exiſtimari debet, & propter quam in hunc idolorum cultum à Deo tradebantur. II. Vindictam divinam tradendo eos in idolorum cultum, ſub hoc duplici lemmate, oſtendere videtur,

Digitized by Google

ANN. CHRIS. 34. TIBER. 19.

detur, I. Quod Dei veri cultum in deſerto neglexiſſent: *Victimas & oblationes num obtuliſtis mihi annis quadraginta in deſerto?* II. Quòd idola poſthac colenda ſibimet aſſumpſiſſent: ac proinde in hunc ferè ſenſum verba ſe ſolvent: *O domus Iſraëlis! noluiſtis mihi victimas & oblationes offerre ſpatio quadraginta annorum in deſerto, & poſtea tamen idolis, imò toti exercitui cælorum immolare ſatis habuiſtis.*

III. *Tabernaculum Molochi* apud *Amoſ.* סכות מלככם : quod nonnulli vertunt, *Siccuth Regem veſtrum*: al. *Tabernaculum Regis veſtri*: al. *Regi veſtro obſequium*: quaſi derivatum à voce הסכת, *Deuter.* 27:9. Vide *Aben Ezr.* in loc. & *Kimchi in Michol.* LXX. à Bibliis non punctatis legunt *Succoth*, i. e. *Tabernaculum.* Hos *Stephanus* ſequutus, ſenſum non adeo imminuit ac illuſtrat.

Molech verò, ſive *Moloch*, Ammonitarum idolum fuit, 1 *Reg.* 11:7. Iſraëlitis ſpeciatim interdictum, *Levit.* 18:21. & 20:2. cui tamen crebrò immolarunt, 2 *Paralip.* 28:3. *Jerem.* 7:31. Huic ipſe *Solomon* excelſum extruxit ſuper montem Olivarum juxta *Hieroſolymas*, 1 *Reg.* 11:7. Interjecit vallis *Topheti*, ſive vallis filiorum *Hinnom*, 2 *Reg.* 23:10. Idolum, atque ejus cultum apud Rabbinos in hunc modum deſcriptum videre eſt. *R. R. noſtri beatæ memoriæ dicunt: Etiamſi nullæ non idolorum ædes Hieroſolymis ædificarentur, Molechum tamen extra urbis mœnia colebant. Effigies ejus excavata, intra ſeptem cancellos locum habuit. Si quis farinam ei obtulerit, huic aperiebatur primus cancellus: qui turtures, ſive columbas, ſecundus: qui agnum, tertius: qui arietem, quartus: qui vitulum, quintus: qui bovem, ſextus: ſi quis filium immolarit, huic ſeptimus ac penitiſſimus pandebatur. Facies ei vitulo ſimilis, manus expanſæ ad inſtar cujuſdam aliquid comprenſuri. Hunc cùm ſuper focum poſuiſſent, ſacrificuli puerulum idoli brachiis admotum, calore extenſiſſimo conficiunt.* D. *Kimchi* in 2 *Reg.* 23:10. *Effigies erat ænea, quæ quum ſuppoſitis flammis candeſceret, puerulus brachiis expanſis admotus torretur: ſacrificulis interea tympanorum ſtrepitu infantium ejulatus infuſcantibus, ne parentes, auditis filiorum lamentis miſericordiâ commoti eſſent. Hinc Tophet dictum, à Toph, quod tympanum ſignificat.* Vide *R. Solom.* in *Jerem.* 7:31.

Ex hoc ſeptiplici cancello (datâ modo rei veritate) conjectari poſſit quid vult illud *Molechi tabernaculum*: nec non fortaſſis, quid vult Propheta, dum eum *Siccuth*, h. e. *Deum opertum* vocat: utpote qui intra tot cancellos delituit acceſſu invius. Et ſic LXX. reddendo clauſulam iſtam, *Suſtuliſtis Siccuth*, ſive *opertum Regem veſtrum*, in, *Portaſtis tabernaculum Molechi*, rem quaſi interpretati ſunt: q. d. Suſtuliſtis tabernaculum idoli adeo inter vos plurimi habiti, ac ſi eſſet ſummus Rex. Verumenimvero iſte *Molechus*, ſive *Molochus*, ſive *Milchom*, ſive *Malcham*, (hæc enim nominum variatio unum atque idem ſignificat) alibi etiam ſenſu quidem proprio & peculiari *Baal* dicitur: confer *Jerem.* 7:31. cum *Cap.* 19:5. Hoc ideo notatu dignius, quòd aliis paſſim locis illuſtrandis uſui fuerit, ubi vox *Baal* ſola occurrerit, prout 1 *Reg.* 16:33, 34. & 18:19. Nec equidem abs re erit, facinus illud *Baal-peori* commiſſum, (quo unà conſpiraſſe Iſraëlitæ dicuntur) de liberis *Molecho* immolatis interpretari: cui etiam favet illud apud Pſalmiſtam, *Et comederunt ſacrificia mortuorum*, *Pſalm.* 106:28. h. e. ſacrificia eodem temporis oblata, quo filii *Molecho* immolarentur. Credibile itaque eſt, quod circiter exitum annorum quadraginta quibus in deſerto erraſſent, (Deo interim litare nil penſi habentes) horribile illud piaculum verſus *Molechum* primò fecerunt; quod deinceps confeſtim à poſſeſſione terræ reiteratum videmus, *Pſalm.* 106:35, 36, 37. *Judic.* 2:13.

ANN. CHRIS. 34. TIBER. 19.

IV. *Et ſidus Dei veſtri Remphanis*] Locus hic difficillimus, non propter diſcrepantiam verborum *Stephani*, & Prophetæ *Amoſi* duntaxat, ſed propter ipſam etiam rei obſcuritatem. *Amos* habet, *Chijun imagines veſtras ſidus Dei veſtri.* Quæritur hic primo, quid vult iſta vox *Chijun*; ſitne nomen cujuſdam idoli proprium, an appellativum, atque alio ſenſui accommodandum. Hoc poſtremum mihi potiùs arridet; etiamſi non me latet id à pluri mis ſumi, ut idoli nomen proprium, aut *Herculis*, qui apud Ægyptios dici ſolet *Chon*: aut *Saturni*, qui apud Arabes nomen habuit *Chevan.* Vide *Aben Ezr.* in *Amoſ.* Et *Bezam* in loc.

Duo equidem ſunt tam ex *Amoſo*, quàm *Stephano* colligenda, quæ in explicationem hujuſce loci plurimum conducunt.

I. Affirmat *Stephanus*, Deum eos *tradidiſſe ut toti exercitui cælorum inſervirent.* Verum ſi vox *Chijun* unicum tantum idolum, ſive planetam ſignificarit, is minùs dixiſſe videretur quam res eſſet; cum omnium idolorum cultum innuiſſe præ ſe tulerit.

II. *Amos* habet *Chijun Tzalmekem*, numero plur. &, ut videtur, ſubſtantivè poſitum, non per appoſitionem. Etenim modo *Chijun* ſingulum idolum denotet, improprium eſſet dicere *Chijun imagines veſtras*, ac ſi de pluribus loqueretur.

Ego itaque, cum pace doctiorum, vocem *Chijun* libenter appellativè acciperem pro *ordine & diſpoſitione imaginum*, h. e. quod τύπους, uti vocat *Stephanus*, ſeu repræſentationes habuerunt

Digitized by Google

buerunt totius exercitûs cœli in una *ſerie* ſive *acie* diſpoſitas, (vide *Ezech.* 8: 10.) ſtellis aliiſque id genus figuris variegatas, quæ hunc vel illum planetam, ſive conſtellationem repræſentarunt: quod etiam ſubinnuiſſe Prophetam credo: Suſtuliſtis *Siccuth Regem veſtrum*, imo imaginum veſtrarum ſtruem: ſcil. ſiderum veſtrorum, Deorum quos vobiſmet feciſtis. E quibus oſtendit Iſraëlitas, (cum in mente habuiſſent exercitum cœli figuris & repræſentationibus depictum cultu divino proſequi) unam omnium quaſi compagem ſtruxiſſe, quæ pro formarum varietate, varias conſtellationes & planetas ſimul & ſemel exhibuit: hanc vocat *Chijun Tzalmekem*, h. e. *ſeriem*, ſive *ordinem* & *diſpoſitionem imaginum*. Vide 2 *Reg.* 23: 4, 5.

V. Vox equidem *Remphan* obſcura ſatis eſt, & conjecturarum plena. LXX. reddunt *Chijun* per Ῥαιφὰν, in una fortean literulæ parte decepti, prout conjectat *Buxtorfius*, legerunt ר pro כ & ſic ריון pro כיון. *Beza* id deditâ operâ factum putat, eò quod per רפא Ῥεφὰ, i. e. *Gigantem*, indigitari *Hercules* videtur: & dubitat tamen annon oporteat potiùs legi Ῥεμμὸν quam Ῥεμφὰν, reſpectu nempe habito ad Deum Syriorum, 2 *Reg.* 5: 18. Sed quid diutiùs in aliorum conjecturis morer? Auctores ipſos, ſi vacat, petat lector. Mihi quidem videtur *Stephanum* I. in hoc vocabulo τὰς LXX. aliquali modo ſequutum fuiſſe, uti & in toto commate; id quod adeo uſitatum habemus paſſim in N. Inſtrumento, ut ſupervacaneum eſſet ultra probatum iri. Nec non II. Credibile eſt eum literulam vocabulo addidiſſe, vel ſaltem ſyllabarum nonnihil immutaſſe, ſecus quam apud τὰς LXX. occurrit, quò meliùs Prophetæ mente elucidatiore factâ, ipſe rem apertiùs diceret. Vox itaque Ῥεμφὰν componi videtur, aut ex vocabulo partim Græco, partim Hebraico, aut è duobus Hebraicis ſimul, & ſic vel ſignificare *altum lumen* ex רם & φαίνω, vel *altam repræſentationem* ex רם & פנים, quod probabilius. Quemadmodum enim Propheta per vocem iſtam *Chijun* totam idolorum & *exercitus cœli* fabricam, quam populus idolis deditus, ſibimet compingendam curaſſet, ſubinnuit; pari modo *Stephanus* ad eandem metam rectà collineans, vocem Ῥαιφὰν, quam apud τὰς LXX. reperit, in vocem Ῥεμφὰν immutat, quæ aut per *altam* φάσιν, aut per *altam repræſentationem* reddi poſſit, per quam totam iſtam cœlorum compagem exprimit, quam etiam eorum Numen vocat, utpote qui ſidera omnia & exercitum cœli ſimul & ſemel adorarunt. Unde τὸ ἄςρον num. ſing. pro plur. unum pro multis.

VI. *Itaque transferam vos ultra Babylonem.*] Apud *Amoſum* tam *Hebr.* quam *Gr.* habemus *ultra Damaſcum*. Quod ideo *Stephanus* in *Babylonem* immutaſſe videtur, quoniam ut in initio Capitis *Abrahami* diſceſſum ex iſtis partibus narraſſet, ita hîc è contra oſtenderet populum iſtum ob crimen idololatriæ in iſtas terræ plagas reductum fuiſſe.

CAP. VIII.

VERS. 1. *Orta eſt in illo die perſecutio magna.*

Perſecutio.

Cruenta hoſtium ſitis adeo non *Stephani* ſanguine reſtinguitur, ut vehementiùs inardeſceret. Vis argumentorum ejus adeo Synagogam *Libertinorum*, *Cyrenæorum*, *Alexandrinorum*, & *Cilicenſium* afflixerat, ut pro rei faſtidio atrociùs infremerent; uti & libera iſta reprehenſionis aſperitas quâ is populum immoriturus vexarat, *Actor.* 7: 51, 52, 53. adeo intus viſcera diſcruciat, ut diutiùs pati nec poſſent nec vellent: præſertim cum ritibus Moſaicis & Templo, prout eum incuſarant, exitum ſuum denunciaſſet, cæco zelo inſani, non *Stephanum* duntaxat, ſed ad unum omnes ejuſdem, quam vocant, hæreſeos & blaſphemiæ participes, è vivis ſuſtuliſſe conati ſunt. Hinc in Eccleſiam *Hieroſolymitanam* orta eſt rabidiſſima perſecutio, utpote quæ tam urbem ipſam, quam ritus Moſaicos penitus delendos prædicaret.

Hujus tragœdiæ *Saulus* præcipuas partes egit; loca omnia diligenter ſcrutatus, unumquemque utriuſque ſexûs captum vinculis dedit, atque omni cruciatuum genere puniendos curavit. Id de eo *Lucas* narrat, *Actor.* 8: 3. Id de ſeipſo ultrò fatetur, *Actor.* 22: 4. & 26: 11. E quibus ſanè conſtat *Luciani* epiſtolam, quæ de corpore *Stephani* reperto tractat, fictitiam eſſe & mendaciis plenam. Hæc *Gamalielem* fidem Chriſtianam vehementer amplexum præ ſe fert; imò de exequiis *Stephani* perſolvendis ſolicitum; nec non *Nicodemum* a Judæis, Synagoga ejectum hoſpitio ſuo cœpiſſe tradit: ſed quanta cum fraude, ex eo liquet quòd *Saulus* ad pedes ejus enutritum ſe agnoſcat.

Etenim quis ſanus crederet, Diſcipulum partes iſtas adeo ſævè inſectaturum, à quibus Magiſter ſuus ſtetit? Vel ſaltem modò id fecerit, quis crederet *Gamalielem* præ aliis ſoſpitem & incolumem evaſurum, cùm omnia ſua perfugia & latibula Diſcipulo innoteſcerent? Ut verbo dicam, quis denique crederet *Paulum*, dum capitis ſui cauſam egit, inſtitutionem ſuam *Gamalieli* acceptam referre, cum invidia *Gamalielis* in fidem aſcripti, in ſui ipſius perniciem redundaret? Hoc ſanè eſſet Magiſtrum

 ſuum

Digitized by Google

ſuum periculis ſubjicere, è quibus interim emergendis ipſe nullam omnino ſpem haberet.

Vers. 1. *Et omnes diſperſi ſunt, præter Apoſtolos.*

E tenebris perſecutionum, (ſic diſponente Deo) lux propagatæ fidei effulſit. Dum fugâ aliquot ſibi ipſis ſalutem quærunt, aliis fidem & Euangelium propinant. *Orta eſt in illo die*, inquit Lucas, *perſecutio magna adverſus Eccleſiam quæ erat Hieroſolymis, & omnes diſperſi ſunt per regiones Judææ & Samariæ, præter Apoſtolos.* Quemadmodum Apoſtoli non ſine mira Dei providentia incolumes in ipſo hoſtium meditullio conſervantur, ſic reliqui haud fruſtra longinquiùs diſperſi ſunt. Plurimos enim *Judæam*, *Samariam*, *Damaſcum*, *Phœniciam*, *Cyprum* & *Syriam* peragraſſe, tam hîc loci quàm alibi patet; verùm de longinquiore peregrinatione cùm apud Sacras Scripturas ſit altum ſilentium, quicquid ampliùs apud quoſvis alios Scriptores occurrit, mera videtur vel conjectura, vel fabulæ. Quinimò dato nonnullos in remotiores quaſdam mundi plagas ex occaſione diſperſos, haud veriſimile tamen eſt quemvis eorum evitandæ perſecutionis ergò (nullo alio urgente negotio) adeo procul ab *Hieroſolymis* expatiatum fuiſſe, ut aut *Angliæ* aut *Galliæ* oras appelleret. Quidni, inquiunt nonnulli, in Euangelio fuſiùs promulgando eò uſque peregrinati ſint? Verum I. è ſacro textu liquet, diſperſos Judæis duntaxat Euangelii ſalutem porrexiſſe; & credibile quidem eſt vix Judæorum quempiam apud has mundi partes verſatum fuiſſe. II. Narrant Legendæ, *Mariam Magdalenam*, *Martham* & *Joſephum Arimathæum* cum multis aliis huc uſque profectos; horum interim vocatio ad Miniſterium nondum conſtat.

Hos tamen atque alios itinerum comites ferunt, uſque *Maſſiliam* apud *Gallos*, *Aquas Sextias* apud *Provinciam*, *Glaſconiam* apud *Anglos*, & plures neſcio quas regiones perveniſſe, quorum ſi geſta & peregrinationes è putidulis Legendis tranſcriberem, penes equidem eſſet lectoris judicium, quam nugabundè fabulati ſunt, interea verò inutile ei negotium faceſſerem. Noſtrâ refert magis quærere quinam hi eſſent, & quorumnam hiſtoriam Euangeliſta proſequitur, dicendo *eos omnes diſperſos* fuiſſe, & *Cap.* 11: 19. *Uſque ad Phœniciam perveniſſe*, &c. Procul omni dubio tota Eccleſia quæ *Hieroſolymis* tùm erat, non hîc intelligi debet, ea enim ex multis millibus conflata fuit; ſed iſti centum atque octo qui unum cum *Apoſtolis* cœtum & collegium conſtituerant.

ANN. CHRIS. 34. TIBER. 19.

Etenim I. ſcopus erat *Lucæ* ab initio libri, illorum centum ac viginti hiſtoriam texere.

II. Nominato ſtatim *Philippo*, oſtendit quales ille vult, quos *omnes* narrat diſperſos fuiſſe.

III. Dicit eos *circuire* & *euangelizari*. Vox tamen ’ευαγγελιζόμενοι non niſi Miniſtros & qui à ſacris ſunt, ſpectat.

IV. Iſte ordo hominum perſecutionibus ſpeciatim obnoxius exiſtimandus eſt.

V. Erant quidem è fidelium vulgo *Hieroſolymis* reperti, dum *Saulus* iſtic moratus eſt & in eos ſæviit, *verſ.* 3. interea verò *omnes* quorum mentionem *Lucas* fecit, *diſperſi* fuerunt.

Vers. 5. *In urbem Samariæ.*

Samaria hîc loci, uti & alibi paſſim in N. Teſtamento, non pro civitate, ſed totâ regione accipienda eſt. *Philippus cùm deveniſſet in urbem Samariæ*: h e. in Metropolim iſtius regionis, *Sichemum*. Ita *Joſephus*, *Antiquit.* lib. 11. cap. 8. Σαμαρεῖται μητρόπολιν τότε τὴν Σίκημα ἔχοντες. Et rurſus ibid. Ἑβραῖοι μὲν εἶναι, χρηματίζειν δὲ οἱ ἐν Σικίμοις Σιδώνιοι. Hæc *Joſephi* Interpres Latinè ſic reddidit. *Illis* [Samaritis] *dicentibus Hebræos ſe eſſe; ſed Sichemitas vocari à Sidoniis.* Sed quàm rectè, an *Joſephus* non potius velit, *Samaritas ſe Hebræos dixiſſe, dum Sidonii appellantur Sichemis degentes:* uti & annon lucri ergô ſe ita exiſtimari ambierunt, penès eruditos relinquimus. Urbem hanc *Joannes* vocat *Sychar*, non *Sichem*, *Cap.* 4: 5. non quòd labefactari textum ſuſpicari debemus, prout nonnulli conjecturam fecerunt; verum credibile eſt Judæos, conſulto in Samaritanorum opprobrium, ut qui eis infenſiſſimi erant, verbum iſtiuſmodi pronunciaſſe, ac ſi eos ebrioſorum notâ inurerent, fortean ab Iſaja ſumptum, *Cap.* 28: 1. *Væ ebrioſis Ephraimi.* Sichem enim erat *Ephraimi* Metropolis.

Vers. 6. *Attendebat autem turba*, &c.

Samaria in fidem converſa.

Dominus noſter J. C. tam in mandatis dederat, quàm exemplo ſuo Apoſtolos monuerat, ut apud *Hieroſolymas* primò, proximè apud *Judæam*, dein *Samariam* Euangelium promulgarent. Sic ille fecit, *Joann.* 1. & 2. & 4. Id eis præcepit *Actor.* 1: 8. Atque huic illi jam in hac re morem gerunt, *Actor.* 8. *Philippus* unus è ſeptem Diaconis, unà cum cæteris 108. peregrè profectus, negotium Euangelii propagandi ſuſcepit, atque Domini ſui mandatis & exemplo fretus, *Samariam* ſe confert,

Digitized by Google

ANN. CHRIS. 34. TIBER. 19.

confert, iſti populo, quantumvis Judæis inimico, ſalutem edicens. A tribus plus minùs annis antehac, Chriſtus ipſe illìc agebat, *Joann.* 4. adeo ut, utrùm ex memoria rerum, quas ipſe adeo nuper docuerat, an ſingulari manu Dei, *Philippum* ſecundante; certum eſt eum ſecundis avibus doctrinas iſthic & miracula edidiſſe, urbe ipsâ penè univerſim credente, & ſalutari lavacro intinctâ.

VERS. 13. *Simon verò & ipſe credidit.*

Simon Magus.

Is qui præſtigiis ſuis vulgi oculos diu præſtrinxerat, ad ſtupenda *Philippi* miracula jam attonitus hæret. Hæc quum vi quâdam magicâ, ſuâ admodum potentiore, effecta ſuſpicatus eſſet, ut rem expiſcaretur, artemque quovis modo ediſceret, gratiam cum *Philippo* ardentiùs captat, & ſub larva credendi Baptiſmo intingitur: nec enim melioris notæ fuiſſe *Simonis* fidem credibile eſt.

Etenim *Petrum* & *Joannem* expertus, in tantum *Philippo* ſuperiores, quantum *Philippus* ipſi erat, (ad Apoſtolos enim ſolos pertinuit Spiritus Sancti largitio) interiorem animi nequitiam affatim prodit. Primò, oblatis pecuniis virtutes Apoſtolicas ſibi acquiſiviſſe ſperavit: tum ironicè & naſo ſuſpenſo, reſipiſcentiæ monitus Apoſtolorum interceſſiones rogat: id enim ſcommate tantùm & ſannis dictum videtur, *verſ.* 24. *Deprecamini vos pro me apud Dominum.* Denique extremis viribus Euangelium oppugnat.

Scortum ſecum ubique conduxit, *Helenam* dictam, vel, ut alii, *Selenen* de *Tyro.* Huic fortaſſis haud ineptè accommodari poſſit quod apud librum *Apocal.* occurrit, *Cap.* 2:20. de *Jezabele quæ dicit ſe Prophetiſſam.* Quemadmodum enim *Simon* in hoc *Achabo* non abſimilis fuit, quòd *Samariâ* oriundus eſſet; ita *Helena* par *Jezabeli*, quòd *Tyro* nata. Haud multum equidem in doctrinis ſuis diſſimiles. *Jezabel* ſcortandi, & ſacrificia idolis immolata comedendi, licentiam docuit; *Helena* utique, ut ad libitum viverent, nec Legis minaci ſanctione abſterriti eſſent, quin è gratia *Simonis* ſalutem expectent. Plures hujuſmodi doctrinarum & opinionum *Hydras* ex hac *Lerna* Hæreſeos depromptas, hic Satanæ primogenitus evomuit & effutiit. E. gr. *Se in Judæa fuiſſe Dei Filium, in Samaria Deum Patrem, in aliis Gentibus Spiritum Sanctum. Helenam parturiiſſe Angelos. Angelos fabricaſſe mundum. Se Helenæ gratiâ cælitus deſcendiſſe, utpote quæ perdita eſſet ovis apud Euangelium dicta; imò illa ipſa Helena cui Troja excidium ſuum acceptum fert.* Plura hujuſmodi putidæ blaſphemiæ videſis apud *Irenæum*, *Epiphanium*, *Auguſtinum*, *Philaſtrium* & alios.

Hiſtorici *Magum* hunc è *Samaria* Romam uſque ſequuti ſunt. Ubi *Petrum* cum eo, quoad miraculorum dona & virtutes certantem, eumque inter litigandum coram *Nerone*, tam damno quàm probro affectum narrant. Hiſtoriæ veritas ſuo loco perpendetur.

ANN. CHRIS. 34. TIBER. 19.

VERS. 17. *Et receperunt illi Spiritum Sanctum.*

Apoſtoli *Hieroſolymis* manentes, de *Samaria* in fidem converſâ lætum nuncium accipiunt, eòque loci *Petrum* & *Joannem* maturè dimittunt: quâ ratione hos, & non alios è duodecim, haud liquidò conſtat. Si quis hinc *Petro* ſuprematum ſomniarit, meminerit *Joannem* ei parem & participem eſſe. Huc cum devenerint, preces fundunt, factâque manuum impoſitione, neophyti Spiritum Sanctum recipiunt. Hinc aſtruunt nonnulli Hierarchiæ jus & confirmandi ritus. Ita quidem *Baronius* ordinem Hierarchicum ab hoc tempore inſtitutum notat, dum *Philippus* Diaconus eo modo credentes baptizando initiat, quo Apoſtolicam juriſdictionem intactam relinqueret, ut qui novit manuum impoſitionem Apoſtolis ſolis concreditam. Eodem modo *Rhemiſtæ* tam Hierarchiam, quam manuum impoſitionem in ſuis annotationibus ad hunc locum vendicant. *Modò Philippus Apoſtolus fuiſſet, inquit D. Beda, tùm ei fas fuiſſet manus ſuas impoſuiſſe, quo Spiritum Sanctum reciperent. Id quod nemini liceat niſi ſolis Epiſcopis. Etiamſi enim ſacrificulis fas ſit baptizare, & baptizatos chriſmate ab Epiſcopis priùs ſacrato, inungere: frontem autem cum eodem chriſmate ſignare nefas eis omnino eſt, quoniam ad Epiſcopos duntaxat ſpectat, quum ii baptizatis Spiritum Sanctum contulerint.* Huic teſtimonio è *Beda* citato ipſi ſubjungunt: *Manuum itaque impoſitio unà cum precibus hic loci dictis (iiſdem proculdubio, quibus in iſto negotio Eccleſia jam uſui habet) Sacramenti confirmationis adminiſtratio exiſtimari debet.*

Verùm ut ſerio perpendat lector duplicem hanc quæſtionem velim, & tùm quàm rectè hæc inferunt, penès ejus judicium eſto.

I. Utrum Apoſtolatûs ordo & dignitas non cum ipſis Apoſtolis, nunquam amplius imitanda, in perpetuum deſiiſſe cenſenda eſt? Præter enim id quod ex electione *Matthiæ* colligi poſſit, habemus porrò quæ rem ulteriùs probent. I. Finis eos eligendi Apoſtolis peculiaris erat, qui nullis poſthac accommodari poſſit. Eligebantur ut cum Chriſto mane-

rent,

Digitized by Google

ANN. CHRIS. 34. TIBER. 19.

rent, *Marc.* 3: 14. ut reſurrectionis ejus oculati teſtes eſſent, *Actor.* 1:22. & 2:32. & 10:41. ut qui tam actis ejus quàm crucifixioni interfuiſſent. Hinc *Paulus* Apoſtolatum ſuum vendicans, in hoc unico tanquam Apoſtolis perquam neceſſario gloriatus eſt, quòd *Dominum viderat*, 1 *Cor.* 9: 1. nec non vocationem ſuam illuſtrans, hoc ſpeciatim addit, *ſe juſtum illum vidiſſe, ac vocem ex ore ipſius audiiſſe*, Actor. 22: 14.

II. Ipſe *Apoſtolorum* titulus ab alio omni ordine diſtinguitur, nec promiſcuo uſu haberi ſe feret. Non diffitendum, quin quoad verbi vim, aliis quibuſque Euangelii Miniſtris prædicatum dimiſſis aptari poſſit: verùm ſic jam poſtulat idiotiſmus, quem norunt docti, ut *Apoſtolorum* ordini duntaxat, prout paſſim apud N. Teſtamentum in uſu venit, hic titulus affigi ſolet.

III. Varia ſunt ſacri miniſterii genera à *Paulo* enumerata, quæ Chriſtus antè aſſumptionem ſuam in Eccleſia reliquerat, *Epheſ.* 4: 11. 1 *Cor.* 12:28. Nemo tamen eſt qui hæc omnia ſucceſſione immutanda, eoque ordine perpetuari per ſecula debere, ſuſpicatus eſt: etenim peractâ tantum primâ annorum centuriâ à Chriſti natalibus, ubi Gentium reperiendi erant Prophetæ, Euangeliſtæ, vel poteſtates, vel dona ſanationum? Jam ſi hujuſmodi dona extraordinaria pro hîc & nunc tantùm, futuris ſeculis nequaquam perpetuanda, indulgebantur, quanto magis id de extraordinario Apoſtolorum ordine & miniſterio ſupponi debet?

IV. Parallelum illud vulgò factum inter duodecim Patriarchas (Tribuum nempe Iſraëliticarum capita) & duodecim Apoſtolos, non ſolùm ex numero obſervandum, ſed etiam ex viginti quatuor iſtis Presbyteris, *Apoc.* 4: 4. nec non portis & fundamentis novæ *Hieroſolymæ*, *Apocal.* 21: 12, 14. ordinem Apoſtolorum æquè non perennari probat, ac iſtum Patriarcharum, qui nullâ ſucceſſione inſigniebatur. Ex his itaque (modò alia non eſſent) ſat conſtat, quàm abſurdum eſſet Presbyterorum ſubordinationem Epiſcopis aſtruere, è ſubordinatione *Philippi* ad Apoſtolos, atque exinde colligere Epiſcopos Apoſtolorum vices ſubiiſſe.

Et jam ad ſecundam quæſtionem rei quam præ manibus habemus, haud prorſus alienam devenimus: ſcil. utrùm Apoſtoli manus ſuas uſpiam impoſuere, niſi quum aliquem ad officium in Eccleſia fungendum, h. e. ad ſacra ſecernerent. Sunt equidem qui Spiritum Sanctum Samaritanis hic loci, & aliis alibi, per manuum impoſitionem collatum, ad tutandam confirmationem, univerſis promiſcuè adminiſtrandam adducunt. Interea verò Apoſtolos id non omnino in mente habuiſſe, argumenta quæ ſequuntur affatim probabunt.

I. Spiritus Sanctus hîc loci non ordinariam ſanctificationem & confirmationem in gratia piis omnibus communem denotat, ſed dona extraordinaria, linguarum ſcil. prophetiæ & iſtiuſmodi, aliquibus ſpeciatim indulta. Notandum eſt, phraſin iſtam, *Spiritum Sanctum*, dum non immediatè tertiam perſonam Sacro-ſanctæ & individuæ Trinitatis ſpectat, *Rabbinicum* quid ſonare, eorum ſcriptis vulgatiſſimum, quo dona extraordinaria ſemper indigitari ſolent; quod & ubique paſſim apud Sacras Scripturas obſervandum eſt, nec in alio quovis ſenſu accipi omnino oportet.

II. Ex ipſa rei hiſtoria ſatius patet. Notatu dignum eſt ex *Actor.* 19: 6. quum Euangeliſta *Paulum* per modum impoſitionis manuum Epheſis factæ, Spiritum Sanctum contuliſſe dixiſſet, quò explicatiùs ſe redderet, dona extraordinaria ſubjungit, *loquebantur linguis & prophetabant*. Nec de *Simone Mago* credibile eſt, quin dum ad acquirendum Spiritum Sanctum aurum ſuum porrexit, fructus hujus impoſitionis conſpicuos & viſibiles præ oculis habuit. Sanctificans verò & confirmans Dei gratia interna eſt & inviſibilis. Id ii qui è Circumciſione erant planè perſenſiſſe dicuntur, quum in Gentes effuſum eſſet donum Spiritus Sancti, *Actor.* 10: 45. *Audiebant enim eos loquentes linguis & magnificantes Deum.*

III. Quum extra omnem controverſiæ aleam jam jactum ſit, dona per impoſitionem manuum collata, fuiſſe extraordinaria; haud magis dubium videtur ea aliquibus tantùm, & non cunctis fidelibus promiſcuè & indiſcriminatim conceſſa. Alioquin I. neceſſe eſſet, *Simonem* etiam *Magum* iſtiuſmodi virtutibus in commune donatum ſupponere; quod nullus adhuc ſuppoſuit. Quum enim adeo amicâ familiaritate uſus eſſet cum *Philippo* & Apoſtolis, (inter alios multos, baptizatus, & nondum improbâ ſuâ fraude detectus) donorum iſtiuſmodi portiunculam, præ aliis potiorem, ſibimet acquiſiviſſe poterat, modò ea in commune diſpertiebantur.

II. Id etiam manuum impoſitionem fœminis perneceſſariam concluderet: quod abſurdum quidem eſt. Fatendum ſanè, mulieres quaſdam donis hiſce extraordinariis indutas fuiſſe; hoc verò non per manuum impoſitionem, ſed cœlitùs & afflatu divino conceditur.

Totius igitur rei hiſtoria rectiùs perpenſâ, palàm erit Apoſtolos, non cuivis *Samaritano* promiſcuè manus ſuas impoſuiſſe, ſed ſelectis aliquibus viris: nec equidem ſelectis eis, eo fine ut in gratia confirmati eſſent, ſed ut jus ad

ſacra

Digitized by Google

ANN. CHRIS. 34. TIBER. 19.

ſacra haberent, iiſque perfungendis ut pares eſſent, Spiritu Sancto donati ſunt.

Vers. 26. *Quæ eſt deſerta.*

Αὕτη, non ad *Gazam*, ſed ad viam *Gazæ* ducentem referri debet. Sic *Arab.* & *Syr.* rectè quidem, quum non niſi una eſſet *Gaza*, & via per deſertum jaceret.

Vers. 27. *Ecce quidam Æthiops.*

Duplex *Cush* ſive *Æthiopia* occurrit, tum apud Sacras Scripturas, *Arabiæ* una, altera *Africæ*; cum apud *Homerum*, *Odyſſ.* 1. verùm an in eiſdem conſentiant, dubium. *Homerus* Æthiopiam memorat Orientalem & Occidentalem; Sacræ Scripturæ Orientalem & Auſtralem. Æthiopem hunc ex *Africa* oriundum conjiciunt Interpretes; jure quidem, eò quod *Candaces* nomen apud Scriptores Ethnicos uſitatiſſimum habemus.

Vers. 33. *Seculum autem ejus quis enarrabit?*

Quoad hanc partem prophetiæ *Iſaïcæ*, quam Eunuchus præ manu habuit, toto cœlo errarunt Judæi; quinetiam circa hanc clauſulam haud minima lis inter Chriſtianos jactatur. E Judæis ſunt qui hæc *Joſiam* ſpectare; alii qui univerſum populum Iſraëliticum contendunt: nobis autem extra litis aleam poſitum à Spiritu Sancto habemus, de quo potiſſimum intelligenda ſunt. Verum quoad hujuſce clauſulæ explicationem, ſunt inter Scriptores Chriſtianos qui de ineffanda Chriſti generatione æternâ, alii qui de inenarranda ejus incarnatione, ſive naturâ humanâ divinæ hypoſtaticè adunatâ, interpretati ſunt; nec deſunt qui ad mirandam Eccleſiæ & fidelium generationem eam accommodant, eò quod ſequitur, *quoniam tollitur è terra vita ejus*; dum interim creſcit & exaucta indies eſt fidelium turba ſive *generatio*. Mihi tamen videtur vocem γενεὰν, uti & Hebr. דור, ſeculum illud ſpeciatim ſignificare, quo Chriſtus in terris egit. Sic paſſim apud Sacras Scripturas uſurpari ſolet. Vide *Geneſ.* 6:9. *Actor.* 13:36. cui ſuffragantur tum Chaldæum, tum alia Gloſſaria Hebraica. In hujuſmodi itaque ſenſum ſe ſolvit hæcce clauſula. Abripiebatur à carcere ad tribunal, à tribunali ad carnificinam, & (prout apud τὺς LXX. ampliatur phraſis) *in depreſſione ipſius & humili ſtatu judicium ejus ſublatum eſt.* Et quis ſanè proterviam iſtius ſeculi enarrabit? Seculum erat apud N. Teſtamentum, *viperoſum*, *adulterum*, *improbum*, *pervicax* & *perverſum* crebro dictum; durè adeo, iniquè, improbè Chriſtum tractans, ut è terra viventium eum tolleret.

ANN. CHRIS. 34. TIBER. 19.

Vers. 39. *Perrexit igitur Eunuchus in via ſua gaudens.*

Dorotheus in Synopſi (ſi qua ei fides) ultra de *Eunucho* narrat, quod in *Arabia* ad inſulam *Trapobanen*, & Mare Rubrum Euangelio promulgato, martyrio illîc coronatur, & ſepulchrum habet, *Biblioth. Patr.* tom. 6. Credat qui vult. Id in ſuperſtitionis natura eſſe expertus ſum, ut quemvis in Novo Inſtrumento laudatum, mox ut Euangelii præconem eum celebrent, ſæpè infulâ condecorent, ſemper martyrio.

CAP. IX.

Pauli converſio.

Sub hoc tempus, prout infra fuſius oſtendetur, is in Eccleſiæ amplexus venit. Vir quidem, imò *portentum* quoddam *mirificum*, (ita enim etymon nominis apud * nonnullos ſonat) in quo omnia tam quoad gratię inopiam quàm plenitudinem notatu digna concurrunt. In impietate nulli ſecundus, niſi quòd in ea non ad finem uſque perſtiterit; in pietate par optimis, imò vel ſummis Apoſtolis. In quo prava & vitiata natura, nec non ſanctificans Dei gratia partes ſuas alternis vicibus præter modum egit. *Tarſo* oriundus, civitate *Ciliciæ* Romanis immuni; ipſe etiam civis natus. Parentes ei utrinque Judæi; unde *Hebræus ex Hebræis* dictus, i. e. Hebræis tam patre quàm matre ſatus. E ſtirpe *Benjamitica*, quæ à prima *Jeroboami* defectione à partibus Tribûs Judæ ſemper ſtetit, atque exinde genealogias ſuas pariter publicis tabulis aſſervatas habuit. Pro duplici ejus relatione duplex nomen tulit: *Sauli*, tanquam Hebræus natu; *Pauli*, ut Romæ municeps. *Tarſi* ſcholis enutritus, quas *Strabo* celebrat, ut quæ ne *Athenis* ipſis locum cedunt. Iſthic, tam literis Græcis, quàm eorum Philoſophiæ & Poëtis operam dedit. Conſtat eum Poëtas verſatum ſatis, quòd *Epimenidem*, *Aratum* & *Menandrum* paſſim in ſcriptis ejus laudatos habemus. Iſthinc ad Academiam *Hieroſolymitanam* migravit, quò Theologiam, Legeſque Judaicas penitus calleret. Præceptorem habuit *Gamalielem* virum egregium, atque meritiſſimâ veneratione apud omnes acceptum. *Super multos æquales in genere ſuo profecit, quum vehementior æmulator eſſet traditionum quas à Patribus acceperat.* A teneris annis arti mechanicæ deditus, conficiendis tentoriis incubuit; iſtiuſmodi opificio ſtudiis per vices interpoſito.

* *Hieron.*

2 Cor. 11: 22. *Phil.* 3: 5. *Rom.* 11: 1.

Tit. 1:12. *Act.* 17: 28. 1. *Cor.* 15: 33. *Actor.* 22: 3.

Gal. 1: 14. *Act.* 18: 3.

ANN. CHRIS. 34. TIBER. 19.

poſito. Id equidem Judæorum ſtudioſiſſimis in uſu fuit, tam ut otium & ignaviam effugerent, quam ut victum ſibimet honeſtiùs pararent. R. *Juda* eximius ille Cabaliſta, nomen & artem *Hhajat*, ſartoris ſive ſutoris geſſit.

Hunc vero eruditum virum, quaſi ornatiùs deſipientem, zelotem hunc, ſplendidiùs inſanum, ſuſpicimus. Probitatem colere dum ſe credit, rabidiſſimè inſectatur, & in aſſidua veritatis indagatione miſerrimè errat.

Act. 8: 3. & 22: 4. *Saulus verò*, inquit Lucas, *vaſtabat Eccleſiam, iens domatim, & tractos viros ac mulieres tradebat in cuſtodiam conjiciendos.* Theſes ſuas ſanguine inſcripſit, & contraſentientes *Act.* 26: 11. nece plectendi ſunt. Nec ſatis ei fuit intra *Hieroſolymarum*, vel certè totius Judææ limites rabiem ſuam evomere; quin & urbes exteras percurſat, eas nempe quæ propter Synagogas Judæorum ibidem coactas, ſedi metropoliticæ, ejuſque placitis, paratum obſequium habent. Inter eas, *Damaſcum*, mandatis fretus, petit; puſillam Eccleſiam iſtic perfugium quæritantem vexaturus. Iter iſtuc facturo, Chriſtus de cœlo obviam venit, atque ex leone jam agnum factum, (ne is ultra captivos duceret) captivum ducit. Quâ re tam quoad textum quàm rei hiſtoriam, hæc præſertim notatu digna occurrunt.

I. Famoſiſſimum Chriſtianæ religionis hoſtem, egregium ejuſdem apud Gentes Doctorem evaſiſſe; eo ut mirifico ſui exemplo, divinam erga flagitioſiſſimos Gentium peccatores clementiam & miſericordiam luculentiùs prædicaret.

II. Singulare exemplum, quoad eximiam quandam vim & energiam in converſione peccatoris, quale nec antea unquam fuit, nec poſthac futurum eſt. Verum, I. neceſſe ei fuit ut Chriſtum videret, prout *verſ.* 17. Apoſtolici enim ordinis ratio id poſtulavit, quod *Jeſum Chriſtum Dominum vidiſſent*, 1 *Cor.* 9:1. & II. haud ſupervacaneum erat, Chriſtum ei formâ adeo tremendâ & terribili ſe exhibuiſſe, quò tam ſuperbiam ejus retunderet, quàm futuris Eccleſiæ hoſtibus in terrorem eſſet.

III. Obſervandum eſt Chriſtum Dominum palàm ſe *Paulo* feciſſe, non adeo quoad perſonam immediatè, ac quoad majeſtatem & gloriam; nec (excepto quod irradiationem iſtam coruſcam ſenſit quâ percuſſus cæcutiit) oculis eum adeo corporeis, ac mente & internâ acie percepiſſe.

IV. Locus erat *Damaſco* proximus, ex qua olim infenſiſſimus hoſtis quem Iſraëlitæ unquam experti fuerant, originem traxit, 2 *Reg.* 11:3. *Amoſ.* 1:3. collat. cum *Geneſ.* 14:15.

V. Rei narratio adeo liquidè conſtat, ut fruſtra eſſet in ea ulterius hærere. Sunt tamen hîc quædam quaſi obiter & in tranſcurſu annotanda. I. Quod plura equidem de cœlo dicta erant, quàm quæ Euangeliſta hîc loci memorat. Teſtis ipſe *Paulus* qui alibi rem narrat, *Actor.* 26: 16, 17, 18. more Sacris Scripturis non inſolito, quæ rem totam hic iſtic ſparſim narrant, non niſi ſudore & opera ſtudioſorum ſigillatim enucleandam. II. Dicitur *Cap.* 9:7. viros qui cum *Saulo* iter faciebant *vocem audiiſſe*: & *Cap.* 22:9. *vocem non audiiſſe*: h. e. vocem *Pauli* Chriſtum alloquentis acceperunt, ſed non Chriſti *Paulum*: vel ſaltem, etiamſi ſonus vocis cœlitùs emiſſæ eos attigerit, articulatim tamen eam non audiverunt. III. Dictum porrò eſt *Cap.* 9:7. viros iſtos *mutos conſtitiſſe*: *Cap.* vero 26:14. *in terram decidiſſe*: iſta igitur vox εἱστήκεισαν ad eos non procedentes, non verò in terram decidentes, referri debet; h. e. adeo attoniti ſteterunt, ut ne pedem ultra movere poſſent.

ANN. CHRIS. 34. TIBER. 19.

De anno & tempore converſionis Paulinæ.

Sunt qui *Paulum* in triduo iſto quo oculis captus, jejunio & orationi incubuit, *Cap.* 9:9. in tertium cœlorum tum raptum conjectant, atque illîc in Euangelii myſteriis tunc temporis edoctum & inſtitutum, 2 *Cor.* 12. Hanc conjecturam ut ſuſtentarent, *Paulum* non ante annum à Chriſto aſſumpto ſeptimum, Chriſtianam fidem amplexum fingunt: quod eâ mente fingunt, quò meliùs ſecundam Epiſt. ad *Corinth.* intra ſpatium annorum quatuordecim, à prima converſione ſcriptam, evincerent: id enim annorum ſpatium & non ampliùs, ipſe inter extaſin ſuam & Epiſtolæ ſcriptionem ponit, 2 *Cor.* 12:2. Pro conceſſo interim ſumunt, *Paulum*, ſub triduum iſtud quo viſu captus fuit, in cœlos raptum. Utraque hæc conjectura, ut ut primo intuitu ſpeciem veritatis præ ſe ferat, rectiùs tamen perpendenti futilis omnino & nullius momenti evaſura eſt. Id fortaſſis primam opinioni de *Paulo* ſub iſtud triduum in cœlos rapto, anſam & originem dedit, quòd is Euangelii notitiâ adeo feſtinatò imbutus eſſet, ut concionatoris officio mox fungeretur.

Verùm in hac difficultate ſolvendâ haud neceſſe eſt ut ad hæc fugiamus. Etenim primò, etiamſi procul omni dubio eſt, eum Euangelii notitiam cepiſſe, *non ab homine nec alio edoctum, niſi retegente Jeſu Chriſto*, Gal. 1:12. nil vetat tamen quominus iſtiuſmodi revelatio ei non adhuc in cœlos rapto permiſſa eſſet: tribus enim modis potiſſimùm Deus Prophetis olim mentem ſuam revelare ſolet; vel per ſomnia, vel per viſiones, vel denique per ſubitaneam quandam ac immediatam inſpirationem

Digitized by Google

ANN. CHRIS. 34. TIBER. 19.

tionem, quæ paſſim *ſuſurratio in aurem* dicitur, 1 *Sam*. 9:15, 17. 2 *Reg*. 20:4. Extaſis verò, omnium inuſitatior & rariſſima erat. Paulus itaque facillimè per hunc vel illum modum revelationis, Euangelii miſteria attigiſſe poſſit; quod eo veriſimilius videtur, quo diſertis verbis is *viſionem* habuiſſe dicitur, *Actor*. 9:12. Secundò, de ſeipſo narrat, quod *dum precaretur in Templo Hieroſolymis, ipſe extra ſe raperetur*, *Actor*. 22:17. Hoc ei contigiſſe in ſecundo *Claudii* (cum aſportaret eleemoſynas *Hieroſolymis*, à fidelibus extraneis ſubminiſtratas, *Actor*. 11:30.) hinc liquet, quod in illa extaſi à Deo monitum ſe meminit, ut *longinquius proficiſceretur Gentibus* prædicatum, *Actor*. 22:21. Et certè *Antiochiam* ab *Hieroſolymis* reverſus, ad illud negotium ſpeciatim ab Eccleſia deſignatur, jubente id Spiritu Sancto, *Actor*. 13:2. Ab illo verò tempore ad tempus quo ſecundam Epiſt. ad *Corinth*. ſcripſit, ſpatium annorum quatuordecim excurriſſe, fuſius oſtendemus, priuſquam hanc rem dimittimus. Interea verò imprimis conſtat *Paulum* non in initio converſionis ſuæ in cœlos raptum fuiſſe; nec dein neceſſe eſt, ut tempus converſionis per ſex vel ſeptem annos ſerius aſſignaretur, quo ſpatium annorum quatuordecim ad Epiſtolæ iſtius ſcriptionem reſpectu extâſeos, conſummatum eſſet. Miſſa igitur perplexâ multarum conjecturarum diverſitate, quoad tempus converſionis Paulinæ, tutius in hac re enucleanda videtur, gradatim & per hujuſmodi collectanea procedere.

I. Notatu dignum eſt, quod fames iſta ab *Agabo* prædicta, ſub *Claudio Cæſare*, *Actor*. 11:28. atque ad ejus imperii ſecundum annum, Judæam pervaſit. Teſtem habemus *Dionem Caſſium*, qui ſub Conſulatu *Claudii* II. & *Caii Largi*, h. e. *Claudii Cæſaris* ſecundo, λίμον ἰσχυρὸν memorat, ab Interprete ſuo redditum *famem ingentem*, *Dion*, lib. 60. Is ſane de *Roma* duntaxat loquitur, quæ ob rationem *Tibridis* fluvii tunc temporis navigiis inepti, victuique importando præpediti, gravi annonâ conflictabatur. Λιμοῦ τε ἰσχυροῦ γενομένου οὐ μόνον τῆς ἐν τῷ τότε παρόντι ἀφθονίας τῶν τροφῶν, ἀλλὰ καὶ τῆς ἐς πάντα τὸν μετὰ ταῦτα αἰῶνα πρόνοιαν ἐποιήσατο, &c. i. e. *Claudius portu inſtaurato, & purgato amne, non ſolùm fami quæ tum ſævit, ſed ut ne in futuro unquam ſæviret proſpexit*. Verumtamen *Suetonius* eandem rem narrans, famis rabiem non *Tiberi* fluvio, non portui imputat, ſed diutinæ ſterilitati & meſſis inopiæ, quam longiùs pervagatam, quàm *Romam* ſolam, dicit. *Arctiore autem annonâ ob aſſiduas ſterilitates*, &c. in *Claud*. cap. 18. Joſephus, *Antiquit*. lib. 20. cap. 2. famem hanc apud Judæam miſerè graſſatam ſcribit; cui ſublevaſſe narrat *Helenam Adiabenorum* Reginam dotariam, & *Izatem* filium, qui eò temporis regnavit. Illa quidem propriâ perſonâ *Hieroſolymis* tunc agens, hic verò à regni ſui finibus, copiam annonæ ſubminiſtrarunt; in Judæorum Religionem ambo aſcripti, & *Izatis* præputio amputato. Hinc *Euſebius* famem hanc in quartum *Claudii*, & à morte *Herodis Agrippæ* rejecit; quoniam ex *Joſepho* notat *Agrippam*, fame nondum ingruente, mortuum, qui tamen nonniſi ad tertium *Claudii* diem obiit. Verùm quòd ad *Joſephum* ſpectat, fruſtra ex eo definitionem temporis & anni quærimus: una ſanè narratiuncula alteram ſubſequitur; aſt quoad chronologiam vacillat. De *Izate* equidem hæc habet. Quum primùm regnum ſuſcepiſſet, ægrè admodum tulit fratres ſuos natu majores vinctos teneri, quò ipſi tranquillior in regnum aditus præſtaretur; hinc quidem iniquum & impium habuit fratres vel neci vel vinculis damnari; illinc verò intutum, eos liberos & ſui juris permittere: medium igitur aliquid excogitans, obſides eos *Claudio Cæſari* datos, *Romam* legavit. Poſt hæc porrò narrat *Izatem* imperio donatum præputium mox amputaſſe, & *Helenam* matrem, *Hieroſolymis* profectam, civitati graviſſimâ annonæ penuriâ afflictæ, ſuppetias tuliſſe. Verùm quo anno *Claudii* hæc geſta eſſent, *Joſephus* non ſcribit; eo ut fas nobis eſt *Izatem* conjicere, regnum ſuum primo *Claudii* auſpicatum fuiſſe, & *Helenam* matrem, in ſecundo *Hieroſolymas* profectam, æquo jure quo *Euſebius* hæc omnia ad annum quartum rejecerit.

II. Obſervandum porrò eſt, *Paulum*, graſſante fame, *Hieroſolymas* contendiſſe, ut corrogatas pecunias famelicis fratribus, Eccleſiæ nomine diſpertiret, & tunc temporis, *dum in Templo precaretur, extra ſe raptus fuit*, *Actor*. 22:17. Quinetiam in illa extaſi ad tertium cœlorum raptus, 2 *Cor*. 12. Haud equidem inficias eundum, quin ex ordine & ſerie rerum, prout Euangeliſta eas narrat, hallucinari facilius poſſit incurioſus lector, ac ſi extaſis iſta *Paulo* obtigiſſet in primo itinere, à converſione ejus immediatè, *Hieroſolymas* ſuſcepto; cujus etiam itineris mentionem habemus, *Actor*. 9:28. & *Gal*. 1:18. *Paulus* enim *Actor*. 22:6. &c. converſione ſuâ narratâ, [quomodo *Ananias* ei miſſus, Baptiſmo intinxit, &c.] proximè ſubjungit *verſ*. 17. *Evenit autem mihi reverſo Hieroſolymas, quum precarer in Templo, ut raperer extra me*. Hæc quidem ſpeciem præbent quaſi tum primo à converſione *Hieroſolymas* adiiſſet. Verumenimvero præterea quòd Sacris Scripturis non inuſitatum eſt rerum ſeriem eo modo contexere, ut in eodem quaſi tempore accidiſſe videantur, quæ per longa intervalla à ſe

ANN. CHRIS. 34. TIBER. 19.

diſſita eventum habuerunt: vide *Matth.* 19: 1. *Luc.* 4: 13, 14. *Actor.* 9: 20, 21, 26, 27. Apoſtolus in oratione habita *Actor.* 22. in animo habuit, partim ut inſontem ſe & innoxium præſtaret quoad crimen ei delatum, ac ſi Templum prophanaſſet; præcipuè verò ut authoritatem ſibi commiſſam evinceret, quâ jure ei cum Gentibus negotium eſſet, unde binam ipſi delegationem factam oſtendit; hanc, ut Euangelium prædicaret; illam, ut id etiam inter Gentes prædicaret; atque ea propter tempora converſionis ſuæ & extaſeos adeo proximè connectit, non quòd reverà una alteram immediatè ſequeretur. Ab hoc itaque nodo extricati, conſideratis inſuper quæ ſupra dicta ſunt, Deum nempe *Paulum*, dum in Templo extra ſe raperetur, ad Gentes amandaſſe, eumque id negotium, quamprimum *Antiochiam* veniſſet, attendiſſe; concludamus neceſſe eſt, extaſin hanc in *Templo*, ad ſecundum *Claudii* eveniſſe, atque in hac ipſa extaſi ad tertium cœlorum raptum fuiſſe, cum ſecundæ extaſeos mentio nullibi occurrerit.

III. Credibile eſt *Paulum* extra ſe raptum fuiſſe, circiter annos quatuordecim antequam ſecundam *Epiſtolam ad Corinthios* ſcripſit, 2 *Cor.* 12: 2. Dicendo enim πρὸ ἐτῶν, *ante* vel *juxta annos quatuordecim*, ne putemus eum indefinitè loquutum, tùm enim ſupervacaneum fuiſſet temporis mentionem omnino feciſſe; verum circiter illud quatuordecim annorum ſpatium, quod utcunque parum, tamen non multum excedit.

IV. Is in *Macedonia* agebat, quum Epiſtolam iſtam ad *Corinthios* miſerit: quod liquet è multis quæ ibidem occurrunt. Vide 2 *Cor.* 1: 16. & 2: 13. & 7: 5. & 9: 2, 4. Iſthuc nempe perfugerat, ut turbas *Epheſi* motas evaderet, *Actor.* 20: 1. ubi apud ſeipſum *decretum mortis habuiſſe* videbatur, 2 *Cor.* 1: 9.

V. Annis igitur quatuordecim enumeratis à ſecundo *Claudii* (quo anno *Paulus* extra ſe raptus fuit) in ſecundum *Neronis* devenimus: dein collectis temporum ſegmentis, quæ ſparſim apud *Acta Apoſtolorum* occurrunt, non ſolùm ea cum hac computatione concurrere, verùm aliqualem etiam ei lucem afferre videbimus. Sic primò, ſtatuit ſecum *Paulus*, poſtquam *Hieroſolymis* fuerit, etiam *Romam* videre, *Actor.* 19: 21. Hinc colligenda eſt mors *Claudii*. Dato enim *Claudium* Judæos omnes *Româ* decreto exegiſſe: quod tam Sacræ Scripturæ notant, *Actor.* 18: 2. quàm *Suetonius* in *Claud.* cap. 25. (nec eum iſtius edicti pœnituiſſe uſpiam conſtat) haud credibile quidem eſt, *Paulum*, modo *Claudius* adhuc in vivis eſſet, *Romæ* iter meditari: illìc enim adeſſe, nonniſi ſub periculo capitis, potuit,

ANN. CHRIS. 34. TIBER. 19.

nec in unicum fortaſſis Judæum, quicum verſaretur, incidere. Probabile igitur eſt *Claudium* diem ſuum obiiſſe, & *Neronem* jam rerum potitum, cùm *Paulus* Romam ſe profecturum palàm enunciet. Temporis itaque interſtitium ab hoc anno, ad annum quo *Hieroſolymis* captum eum habemus, in hunc modum æſtimari oportet. Poſtquam *Romæ* iter ſe facturum dixiſſet, in *Aſia* pauliſper moratur, *Actor.* 19: 22. Verum quantillum temporis illic ſubſtiterit, tam è *verſu* anteced. quàm ſeq. palam eſt. Etenim *verſu* antecedenti, is *Macedoniam* verſus, & ſic porrò *Hieroſolymas* quaſi jam perrecturus videtur. Illuc fortaſſis ob feſtum Tabernaculorum menſe Septembris celebrandum, iter ſuum citatiùs acceleravit. Apud *Epheſum* verò vitæ diſcrimen ſubit, *Actor.* 19: 23, 24. &c. Ex quo, itinere ad tempus fraudatur, inops viatici tantæ peregrinationi neceſſarii, ad incitas redactus, vitæ & libertati tutandæ (utraque enim intentabatur) operam dedit. Circa medium menſem Octobris, exiit primus annus *Neronis*; quo tempore credibile eſt *Paulum Macedoniam* attigiſſe; ubi dum maneret ſecundam Epiſtolam ad *Corinthios* ſcribit: quod ex ſubſcriptione *Græcâ*, *Syrâ*, *Arabicâ*, aliiſque Verſionibus (utcunque alibi errarunt) clarum ſatis & indubium eſt. Et tamen modo id *Baronio* daremus Epiſtolam hanc fuiſſe *Nicopoli* datam, non multum intereſt in hac re, qua non de loco quæritur, ſed tempore; quoad tempus verò, nulla eſt differentia ſupra menſem unum vel alterum. *Paulo* Nicopolim paululum temporis hiberna agente, & ineunte menſe Januarii, trimeſtri itinere per *Græciam* ſuſcepto, aſtat ferè Paſchatis feſtum, *Actor.* 20: 3, 6. Paſchali hebdomade peractâ, *Hieroſolymas* petit, quo eum ducit hiſtoriæ ordo. Iſthinc circa exitum Septembris vel ingruente *Solenni jejunio*, *Actor.* 27: 9. navem conſcendit *Romam* devehendus. Hæc ad annum ſecundum *Neronis* jam exeuntem locari debent. Huic calculandi modo accommodari debet illud, *Actor.* 24: 27. *Biennio autem completo accepit ſucceſſorem Felix Portium Feſtum.* Non de biennio ab incarceratione *Pauli* intelligi debet; id quidem omni fundamento caret: nec de biennio à quo *Felix* Judææ præpoſitus fuerat; ille enim multis annis provinciam iſtam procurarat: *Actor.* 24: 10. ſed de biennio à quo *Nero Cæſar* regnum auſpicabatur, h. e. cum ſediſſet *Nero* duobus annis. Sacra Pagina haud raro calculos ſuos ab æra non nominata ponit: prout videre eſt *Ezech.* 1: 1. 2 *Sam.* 15: 7. 2 *Paralip.* 22: 2. quinimo ut in iſto ſenſu hæc ſumi debeant, fuſius, ſi opus eſſet, è *Joſepho* oſtendi poſſet, *Antiquit.* lib. 20. cap. 7. &c.

Fixâ igitur temporis periodo quâ *Paulus* Hiero-

ANN. CHRIS. 34 TIBER. 19.

Hieroſolymis deprenſus, in vinculis conjiceretur, viz. ſecundo *Neronis*, prout *Euſebius* cum aliis rectè definierunt, uti & Epiſtola ſecunda ad *Corinthios* ineunte hoc anno ſcripta, nec non anni quatuordecim, de quibus 2 *Cor.* 12:2. ubertim confirmant.

VI. Neceſſe nobis erit retro ab hoc anno ad Concilium *Hieroſolymitanum* calculos agere, & quantum in nobis eſt, ſummam temporis quod inter iſtas duas periodos jacet, ex Apoſtolorum ſive motionibus, ſive ſtationibus, quarum mentionem habemus à *Cap.* 15. *Actor.* ad 20. colligere. Vel ſaltem ut conſpicua magis, & faciliori methodo procedamus, videamus quid unicuique anno, prout nobis obvium ſit, apponi debet.

Paulus unà cum *Judâ*, *Silâ*, & *Barnabâ* ab Hieroſolymis *Antiochiam* venit, *Actor.* 15:20.

Judas cum *Sila* iſtic pauliſper manent, *verſ.* 33. *Paulus* diutius, *verſ.* 35. quin & is ipſe à non multis diebus poſt abſcedit, *verſ.* 36, 40.

Paulus Syriam & *Ciliciam* confirmandis Eccleſiis peragratur, *verſ.* 41.

Derben & *Lyſtram* venit, *Cap.* 16:1.

Urbes pertranſiens, Apoſtolorum conſtitutiones eis ſervandas tradit, *verſ.* 4.

Dein univerſam *Phrygiam*, nec non regionem *Galaticam*, verſ. 6. hiſce itineribus perſolvendis integrum annum concedimus. Nec equidem brevius ſpatium permittent ejus ſtationes, locorum diſtantia, & negotia ubique inter itinerandum perficienda.

Peragrata *Galatiâ* Myſiam venit, *Actor.* 16:7. *Troadem*, verſ. 8. *Samothraciam*, *Neapolin*, & *Philippos*, verſ. 11, 12.

Philippis per aliquot dies commoratur, *verſ.* 13, 16, 18.

Dein *Amphipolim* & *Apolloniam* pertranſit, *Cap.* 17:1.

Theſſalonicam petens, iſtic per tria Sabbata tranquillè agit, *verſ.* 2. Poſt hæc inſectatus, *verſ.* 5. Berœam fugit, & multos lucratur, *verſ.* 10, 12.

Iſthinc *Athenas* contendit, *verſ.* 15. ubi *Silam* & *Timotheum* præſtolatur, *verſ.* 16.

Corinthum inde, *Actor.* 18:1. Huic profectioni, & geſtis inter proficiſcendum, dimidium anni (nec minùs) permittimus.

Corinthi agit annum & ſex menſes, *verſ.* 11. Et ſic triennium habemus à Concilio Hieroſolymitano completum.

Poſt hæc, utcunque perſecutione gravatus, per aliquot dies ibidem moras trahit, *verſ.* 18.

Tùm *Epheſum* adnavigat, ubi non diu agit, *verſ.* 19. Inde *Cæſaream*, inde *Hieroſolymas*, inde *Antiochiam*, ubi aliquantiſper moratus, *verſ.* 22, 23. totam regionem *Galatiæ* & *Phrygiæ* ordine percurrit, *verſ.* 23. Ad hæc longinqua itinera, nec non multifarias res peragendas, requiritur (ad minimum) annus integer.

Pervolitatâ *Phrygiâ* Epheſum redit, *Cap.* 19:1. Ibi ſpatio triennii permanſit, *verſ.* 8, 10, 21, 22. & *Cap.* 20:31.

Poſt hæc *Macedoniam* profectus, *Actor.* 20:1. iſthinc ineunte ſecundo *Neronis* ſecundam Epiſtolam ad *Corinthios* ſcribit. Datis itaque annis ſeptem integris à Concilio Hieroſolymitano, in quibus Apoſtolus tot regiones diſcurrerit, (nec equidem pauciores ſupponendi ſunt, quum ex iis quatuor anni & ſex menſes apud *Corinthum* & *Epheſum* elapſi ſint) palàm inde erit Concilium *Hieroſolymis* coactum ſub nono *Claudii* fuiſſe. *Paulus* verò ipſe annos ſeptendecim enumerat à converſione ſua ad celebrationem Concilii, *Gal.* 1:18. & 2:1. quibus annis ſeptendecim retro numeratis à nono *Claudii*, apparet extra omnem controverſiam, *Paulum*, proximo anno ab aſſumptione Chriſti, in fidelium cœtum aſcriptum fuiſſe. Id utique ſequente tabulâ luculentius conſtabit.

Anni Chriſti	*Tiberii.*
33	18 *Chriſtus* aſſumitur.
34	19 *Paulus* convertitur.
35	20 *Arabiam* petit.
36	21 Hieroſolymas venit.
37	22
38	1 *Caii Cæſaris.*
39	2
40	3
41	4
42	1 *Claudii Cæſaris.*
43	2 Fames ſæviit, *Actor.* 11:28. *Paulus* in tertium cœlorum raptus.
44	3
45	4
46	5
47	6
48	7

Digitized by Google

Anni Chriſti	Tiberii.
49	8
50	9 Concilium Hieroſolymis coactum: *Paulus Antiochiam, Syriam, Ciliciam*, &c. pertranſit.
51	10 Dimidio anni, *Beræam*, *Athenas*, *Theſſalonicam* diſcurrit; altero dimidio *Corintho* manet.
52	11 *Corintho* adhuc.
53	12 *Phrygiam*, *Galatiam*, *Antiochiam*, *Hieroſolymas*, *Cæſaream*, *Epheſum*, *Corinthum* peragrat.
54	13 *Epheſi* manet.
55	14 *Epheſi* adhuc.
56	1 *Neronis. Paulus Epheſis* manet.
57	2 Secundam Epiſt. ad *Corinthios* ſcribit.

Ex his facultas nobis aliquali modo fit, res iſtas ad ſua tempora reducendi quæ alioquin incerto fluitaſſe videbantur, electionem nempe Diaconorum, *Stephani* martyrium, *Samariæ* & Eunuchi converſionem ad fidem, quæ omnia ineunte anno proximo ab aſſumptione Chriſti, eveniſſe videntur.

PARS II.

HISTORIA ROMANA.

Vellejus Paterculus.

* *Dion ſub his Coſſ.*

TIberius etiamnum ruri ſe continet, ſed non *Capreis*. Romam quidem accedit, & ad quartum lapidem progreſſus urbi quaſi imminet, ſed non ingreditur. Primum *Romæ* aditum attentat, quum, prout apud *Suetonium*, * *Semel triremi uſque ad proximos Naumachiæ hortos ſubvectus eſt*. Proſpectis verò muris reverſus eſt; qua de cauſa, incertum. Primum quod de eo occurrit tam apud *Dionem* quàm *Suetonium*, Coſſ. *Sergio Sulp. Galbâ*, & *L. Cornelio Sullâ*, eſt de filia *Druſi* (nomen non dicunt) nuptum datâ; nec non *Juliâ* & *Druſillâ Germanici* filiis. *Druſilla L. Caſſio*, *Julia* verò *M. Vinicio*. Is filius fuit *M. Vinicii*, cui *Paterculus* brevem ſuam, ſed optimam Romanarum rerum Hiſtoriam dicavit. Sanè temporum vicinitas vix non ſuaderet eundem eum fuiſſe *Vinicium*: excepto quòd *Paterculus* eum ut Conſulem ſalutat, anno quo Hiſtoriam ſcripſit, h. e. (prout *Dion* etiam cum ipſo teſtatur) anno U. C. 783. anno proximo à Chriſti Baptiſmo. Noſter verò *Vinicius Tiberii* gener, narrante *Tacito*, Equeſtris tantùm Ordinis fuit, Conſulis tamen filius. Verum felix hoc ævum, quòd in eo floruit egregius ille vir, Hiſtoriæ Scriptor nulli ſecundus, univerſæ eruditorum nationi auctor probatiſſimus. Campania oriundum teſtatur ſe, in initio libri, ubi de bello *Italico* ſub *Sylla* & *Mario* tractat. Sed imparem fateor quemvis, qui ſtirpem ejus vel laudes deprædicet. Habeat itaque lector, quæ ipſe de ſe poſteris tradidit. *Neque ego verecundiâ, domeſtici ſanguinis gloriæ, dum verum refero, ſubtraham. Quippe multum Minatii Magi atavi mei, Aſculanenſis tribuendum eſt memoriæ, qui nepos Decii Magi, Campanorum Principis celeberrimi, & fideliſſimi viri, tantam hoc bello Romanis fidem præſtitit, ut cum legione quam ipſe in Hirpinis conſcripſerat, Herculaneum ſimul cum Tito Didio caperet; Pompeios cum L. Sulla oppugnaret, Coſamque occuparet. Cujus de virtutibus cum alii, tum maximè dilucidèque Quintus Hortenſius in Annalibus ſuis retulit. Cujus pietati, plenam Pop. Rom. gratiam retulit, ipſum viritim civitate donando, duos filios ejus creando Prætores.* Avus ei fuit C. Velleius, Cn. Pompeii, Bruti, ac Tironis Præfectus Fabrorum, de quo hæc habet: *Quod alieno teſtimonium redderem in eo non fraudabo avum meum: quippe*

* *in Tiber. cap. 72.*

ANN. CHRIS. 34. TIBER. 19.

quippe Cajus Velleius, &c. *vir nulli ſecundus in Campania, digreſſu Neronis*, (is Tiberii pater erat) *à Neapoli* (*cujus ob ſingularem cum eo amicitiam partium adjutor fuerat*) *gravis jam ætate & corpore, comes eſſe non poſſet, gladio ſe ipſe transfixit.* De patris ſui, uti & ſua ipſius ſorte junctim, hæc innuit. *Hoc tempus* (ſcil. tempore quo *Auguſtus* Tiberium adoptarat) *me functum ante Tribunatu caſtrorum, Tiberii Cæſaris militem fecit: quippe protinus ab adoptione, miſſus cum eo Præfectus equitum in Germania, ſucceſſor officii patris mei, cæleſtiſſimorum ejus operum, per annos continuos novem Præfectus, aut Legatus, ſpectator & pro captu mediocritatis meæ, adjutor fui.* Et paulò poſt. *Habuit in hoc quoque bello mediocritas noſtra ſpecioſi miniſtri locum. Finita equeſtri militia, deſignatus Quæſtor, nec dum Senator æquatus Senatoribus; & jam deſignatis Tribunis plebis, partem exercitus ab urbe traditi ab Auguſto perduxi ad filium. In Quæſtura deinde, remiſſa ſorte Provinciæ, Legatus ejuſdem ad eundem miſſus fui.*

Participem habuit tam in negotiis quàm honoribus fratrem ſuum *Magium Celerem Velleianum*, qui *Tiberio* bellum *Dalmaticum* gerenti ſtipendia fecit: à quo triumphos agente honoribus afficitur; ipſe unà cum fratre ſuo in Ordinem Prætorium aſcriptus. *Paterculus* inter ſcribendum hanc Hiſtoriæ Romanæ Epitomen quæ ad noſtras uſque manus pervenit, majoris cujuſdam ſuſcepti operis mentionem haud raram facit; quod is *juſtum opus* & *juſta volumina* paſſim vocat. Verum proh dolor! adeo iniqua nobis fortuna & temporis vetuſtas tam eximium opus invidit, ut mancam admodum & mutilam etiam ipſam Epitomen ploramus. Id quidem eſt compendiorum fatum, ut quævis epitome prolixiora volumina abſorbeat. Adeo in nos obtinuit tædium & faſtidium legendi, ut quicquid breviùs ſcriptum ſit, eò eſt delectabilius. Verumenimvero ſub tanti damni infortunio, gratulemur id, quantillum ſit, è temporis faucibus nobis ereptum, fruſtum quidem Hiſtoriæ, ſed adeo elaboratum & concinnum, ut univerſa fere lingua Romana, ſaltem quoad ſuaviloquium pondere conjunctum, facundiam cum veritate, preſſam & ſuccinctam ſcribendi rationem, varietate tamen ornatam, vix ſimile habeat.

Turbæ Romæ motæ circa rem fœnerationis.

Tacit. Annal.

Multùm in hoc anno civitatem vexavit fœnerandi rigor; malum quidem nimio in uſu, & tamen Reipublicæ nimis neceſſarium. Frequens & vetus ſeditionum cauſa & origo, utcunque ſeveris olim legibus ei quoquomodo obniterentur. Primo quidem fœnori dabantur pecuniæ ad libidinem locupletium, tam ſemper incertam quam ſæpiùs immodicam. Dein, duodecim tabulis ſancitum eſt, ne quis unciario fœnore amplius exerceret, quod apud Anglos rationem habet denarii unius pro duodecim. Poſtea, rogatione Tribunitia ad ſemiuncias redacta, denique prorſus vetita omnimoda uſura. Noxiæ tamen iſtiuſmodi herbæ, etiamſi averruncatæ, radices ſemper novas agunt, & tam per divitum ſordes, & pauperum importunam inopiam repullulant.

Gracchus itaque Prætor, cui ea quæſtio evenerat, multum ipſe anxius propter multitudinem periclitantium, ad ſenatum non minùs anxium (neque enim quiſquam tali culpâ vacuus) rem retulit. Præda ſanè famelico & rapaci *Tiberio* gratiſſima, cum tot ſummi viri, ſanctione legum obnoxii, bonorum omnium fiſco redigendorum diſcrimen ſubiiſſent. Trepidi Patres veniam à *Cæſare* petunt; eiſque ea conceſſa, annus in poſterum & ſex menſes dati ſunt, quibus ſecundum juſſa legis, rationes familiares quiſque componerent. Hinc inopia rei nummariæ, commoto & exagitato ſimul omnium ære alieno. Inde multa concurſatio & tumultus circa agrorum emptionem, quæ olim querelis iſtiuſmodi remedio quæſita fuerat. Huic opem tulit *Cæſar*, facta mutuandi copia ſine uſuris per triennium.

Tiberii continua immanitas.

Exiguam iſtam humanitatem quam ſupra diximus, belluinâ feritate mox deturpat: Majeſtatis enim poſtulatur *Conſidius proculus*, qui nullo pavore diem natalem celebrans, raptus in Curiam, pariterque damnatus interfectuſque eſt. Sorori *Sanciæ* aquâ & igni interdictum. *Pompeia Macrina* in exilium ſtatuitur, cujus pater & frater damnati manus ſibi ipſis intulerunt. Cæſorum tamen ſtrages hoc anno numerum omnem excedit. Cunctos ſocietatis *Sejani* accuſatos necari jubet. „Et „jam, inquit *Tacitus*, jacuit immenſa ſtra„ges, omnis ſexus, omnis ætas, illuſtres, „ignobiles, diſperſi aut aggregati. Neque „propinquis aut amicis adſiſtere, illacry„mare, ne viſere quidem diutiùs dabatur. „Sed circumjecti cuſtodes, & in mœrorem „cujuſque intenti, corpora putrefacta ad„ſectabantur, donec in Tiberim traheren„tur, ubi fluitantia aut ripis adpulſa non cre„mare quiſquam, non contingere.

In tantum ceſſarat humanitas, ut miſericordiâ etiam mortuis negata, vindictâ ſibi ipſi ſuperſtes eſſet, nec in extrema ultione ſatiata. Non accuſatoribus quam accuſatis meliùs ceſſit; illos quaſi ex lege talionis morte plectens, atque ex utriſque immanitati ſuæ pabulum quærens. Mirum ſanè eſt & (niſi quòd divinam nemeſin urbi iſti cruentiſſimæ meritò offenſam ſuſpicere debemus) præter modum

dum mirandum videretur, populum adeo mutuò in ſe furentem & rabidùm eſſe; populum eò ex antecedenti infeliciorem, quo Tyrannum habuerint communi omnium internecioni inhiantem. Nec aptiora quidem tyrannidi ſuæ inſtrumenta ſperaſſe potuit: quos cum in mutui cidium adeo pronos expertus ſit, ſpartam quam nactus eſt ornavit; accuſationes ſponte inter ſe illatas adeo ſtudioſe fovit, ut leges rogaret, è quibus uberior accuſandi facultas oriretur. Eò tandem ventum eſt, ut capite piandum cenſeretur, ſi quis ad *Auguſti* ſtatuam cecidiſſet; ſi quis lupanaria vel latrinas ingreſſus, annulum vel nummum geſſerit *Cæſaris* effigie impreſſum.

Iniquiſſima accuſatio.

Dubium quidem eſt utrùm infelicius per accuſationes futiles & nullius momenti perire, an per probroſas magis, ſed perfidas omnino, fictas & ementitas. Id *Sexto Mario* accidit, viro ſanè Principi ſuo amico ſatis, ſed non reciprocè. Homo erat opum & honorum plenus; in hac re verò vanæ oſtentationis notâ meritò inurendus. Alicui è vicinis quondam infenſus, blandè eum ad lares ſuos vocatum, biduo convivam detinuit: quo temporis ſpatio hoſpitis ædes diruit primò, & tum ampliatas ædificat. Iſte verò poſt biduum, domum reverſus mutatas ædes videt: ociùs hæc facta ſtupet, lætatur, autoris tamen inſcius. Tandem *Marius* hæc ſe feciſſe profatur, quo viderit quanta ſibi facultas eſſet, ei bonum vel malum inferre prout meruerit. Proh *Marium* ſupinum, & ad lubricas ſuas res cæcum nimis! Noſtine *Tiberium* æquè tibi ſuperiorem? Tene & tua ab illius arbitrio prorſus pendere? Id ſerio eum ſors adverſa edocuit, quod per jocum didiciſſe vicinum voluit. Etenim cum ei eſſet filia pulcherrima, quam flagrantiùs intueri cœpit *Cæſar*; ſuboluit pater, filiamque occultò magis & remotiùs ſeponens, ſtupro cavit. *Tiberius* rem prout in ſe erat autumans, amorem & libidinem fruſtratam in odium vertit & vindictæ ſtudium. *Marius* itaque filiam inceſtaſſe defertur, qui unà cum filia damnatus, de Tarpeio monte dejicitur.

Infelix tam vitâ quàm morte.

Luctuoſa ætas, quâ nihil tutum, nihil ſecurum, quâ nec taciturnitas nec innocentia quempiam protegebat, cùm perinde eſſet accuſare, ac accuſari, atque omnia ad libitum truculentiſſimi Principis ferrentur. Nemo fere qui vel non culpæ laqueo captus eſſet, vel qui ſemel captus, incolumis evaſit. *Tiberii* diſplicentia mortis præſaga, amicitia haud minùs. Accuſanti & accuſato haud impar ſors. Nec commodiùs norunt nonnulli mortem effugere, quàm ſponte moriendo; ſive aliorum ſævitiam feliciùs eluctari, quàm in ſeipſos ſæviendo. Equidem Romanæ fortitudinis præcipua pars ſemper exiſtimari ſolet, manus ſuas in ſe injicere: eò tamen hujuſce ævi malignitas crevit, ut ad id faciendum multos neceſſario coëgit. Id malum, ut quod minus eſſet, eligunt; præſens fatum ſubeunt, pejora anticipaturi. Utrinque nobis exemplum occurrit, *Aſinius Gallus*, & *Nerva*. *Gallus* à tribus ante annis Legatus *Tiberio* miſſus, benigniſſimo hoſpitio excipitur; eòdem verò temporis, literis ad Senatum datis, læſæ majeſtatis poſtulatur. Proh tyrannorum blanditias! proh amaras dapes! rem tum inſolitam cum inhumanam! ut quis uno eodemque tempore lautè exceptus, hilari & feſtivo animo ad epulas *Cæſaris* diſcumbens, coram Senatu ab eodem ipſo *Cæſare* delatus damnaretur. Lictor illuc eum ad vincula trahendum mittitur, ubi nuper Legati honorem & opus perſolvit. Miſerrimus homo, fruſtra eſſe vitam precari autumans, citiſſimam mortem obnixè rogavit; ſed fruſtra illam. In deliciis enim fuit crudeli huic monſtro, non hominum carnificina ſolum, ſed eorum vita miſeriis protracta. Unde cuidam longâ tormentorum diverſitate vexato, & fœdum carcerem pertæſo, cùm feſtinatam mortem precatus eſſet reſpondit, *Nondum tecum in gratiam redii.* In hunc modum cum *Aſinio Gallo* agitur; vitam egit morte minùs eligendam. *Noluit Cæſar* ei adeò bene eſſe, ut acceleratâ nece ejus iram & odium evaſerit. Vinctus itaque ſtrictiſſimè obſervatur, non metu fugæ, ſed nè illatis ſibi manibus, ſeipſum nimis maturè ſubduceret. Omni conſuetudini interdicitur: nemini aditus permittitur, niſi flagrioni cuidam, tantillum ei victûs indies ſubminiſtraturo, quantum vitæ miſerrimæ diutius trahendæ ſufficeret. Vis ei vivendi facta eſt, atque eo fine victum ſuſcipere adigitur. Hujuſmodi vitam, modo vita vocari debeat, tranſegit vir nuper ſummi ordinis, tot miſeriarum onuſtus, ut nihil niſi mortem per triennium optaret. Tandem verò lege ſibi impoſitâ ne victum ampliùs ſumeret, fame mortem ultrò conſciſcit, fremente interim *Tiberio*, quòd antequam coram convinceretur, evaſerat.

Haud multò poſt *Cocceius Nerva*, continuus Principis, non quemadmodum *Gallus* miſeriarum pertæſus, ſed futurorum malorum omine territus, ſtatu integro, corpore illæſo, moriendi conſilium cœpit. Quod ut *Tiberio* cognitum, aſſidere, cauſas requirere, addere preces, fateri poſtremò, *grave conſcientiæ*, *grave famæ ſuæ*, *ſi proximus amicorum*, *nullis moriendi rationibus vitam fugeret.* Averſatus ſermonem *Nerva*, cibi abſtinentiam conjunxit obſtinatò moriturus.

Flebilis

ANN. CHRIS. 34. TIBER. 19.

Flebilis exitus Agrippinæ & Druſi.

Haud meliori fato ſuccubuerunt *Agrippina* & *Druſus*, uxor & filius *Germanici*, mater & frater *Caji* proximè Imperio potituri; quidni ipſius *Tiberii* nurus & nepos. Hi ambo à quatuor annis antea incuſati cuſtodiâ adhuc retinebantur. Vulgò ſuſpicati ſunt *Sejanum* (quem *Cæſar* in ſtirpis *Germanicæ* exitium conſultò promoverat) hanc accuſationem inceptaſſe, & *Tiberii* animum primò in affines & agnatos ſuos malè affeciſſe. Verùm quum mortuo *Sejano* in hos adhuc furentem experti ſint, tum rei odium in *Cæſarem* ipſum apprimè rediit: nativæ Principis crudelitati acceptum id referentes, quod infeliciſſimo huic pari, matri & filio, adjudicatum eſſet. *Druſus* fame extinguendus addicitur, qui tamen miſerandis alimentis, mandendo è cubili tomento, nonum ad diem flebilem vitam ſuſtinuit. Neque hîc perſtitit crudelitas, quin idoneum ſepulturæ locum defuncto negat: imo non eum puduit coram Senatu in opprobrium memoriæ, convitiis neſcio quibus, & fictis criminationibus extinctum laceſſere; dictaque & imprecationes, quas famelicus iſte & vitæ exſpes in *Tiberium* effuderat, recitandas curare. Proh viſu & auditu horrendum! ut ferre potuerit Pop. Rom. filium *Germanici*, nuper eis in deliciis, fœdæ & turpiſſimæ neci traditum, avumque ejus in publicum promentem rem adeo inhoneſtè factam, utpote quem iſtiuſmodi facinorum nec pudet nec piget.

Facile jam fuit *Agrippinæ*, *Druſi* miſerrimæ matri, de ſe prorſus actum & conclamatum eſſe, ex nece filii ſtatuere. Nec diu quidem fuit, quin illa eiſdem infamiæ notis, eodemque necis genere ſupprimitur. Negatis enim alimentis, adſimulatur finis qui videretur ſponte ſumptus. (Proh finem indignum fœminæ iſtius ſeculi verè nobiliſſimæ!) In eam etiamſi mortuam *Tiberius* fœdiſſimis criminationibus exarſit, impudicitiam arguens, & *Aſinium Gallum* adulterum, ejuſque morte ad tædium vitæ compulſam, & voluntate extinctam. Ipſi cum filio ſepultura generi congrua denegatur, humili quodam & incognito loco reconditis: quam rem Pop. Rom. ægrè tulit. Jactat interim *Cæſar* & clementiæ ſuæ grates arrogat, quod non laqueo ſtrangulata, neque in Gemonias projecta foret. Et cùm eodem diè defuncta eſſet, quo biennio ante, *Sejanus* pœnas luiſſet, actæ ob id grates, decretumque ut quintodecimo Kal. Novembris, utriuſque necis die, per omnes annos donum *Jovi* ſacraretur.

Hæc omnia *Cajus Agrippinæ filius* natu ſecundus, & *Druſi* frater, æqui bonique conſuluiſſe videtur: lætus partim quoſvis Imperii æmulatores extingui, quo certiorem ipſi regnandi viam præſtarent: partim diſſimulandi arte peritus, quâ vix ipſi *Tiberio* locum ceſſit. Hoc anno *Cajus Claudiam* nupſit, filiam *M. Silani*, à quo optimos mores didiciſſe poterat, ſi vellet. Poſtea vero, uxorem ſibi haud imparem, improbæque indoli ſuæ non ineptam duxit, *Enniam*, *Macroni* primò nuptam, ab ipſo tamen in *Caji* amplexus ultro deditam, tam ut *Caji* mores quàm ſuas nuptias violaret.

Innumeri alii trucidantur.

Agrippinæ cædes (quod vix credibile eſt) *Plancinæ* mortem traxit: fœmina erat in nihilo *Agrippinæ* ſimilis, niſi *Tiberii* irâ, & miſerando exitu. Hæc mortem *Germanici* palam lætata eſt, luctibus funeſtâ alias universâ civitate. Id quàm ægrè tulit *Agrippina*, viro adeo egregio orbata, quis novit niſi qui ipſiſſimam lugubrem indignationem ſenſit? *Tiberius* vero *Plancinæ* infenſa vindictæ prætextum habuit populo non ingratum. Verùm *Agrippinæ*, dum in vivis eſſet, voluptatem invidens quam ex infortunio inimicæ ſuæ captaret, nollet *Plancinam*, ut ut cuſtodiâ vinctam, publicâ morte afficere, donec *Agrippina* è vivis ſublata eſſet: hanc igitur cæſam, alteram ſequi oportet, quæ tamen manu ſuâ carnificem evaſit.

Innumeram denique cæſorum ſtragem hoc anno factam, è *Dione* accipe. *Tot Patricii, ut alios taceam, ſub Tiberio enecti, ut Provinciarum Procuratores ſorte miſſi, per triennium nonnulli, per ſexennium alii præfecturas ſuas tenerent, deficientibus qui eis ſuccederent.*

CHRISTIANA, JUDAICA ET ROMANA HISTORIA,

AD

Annum CHRISTI XXXV.

TIBERII XX.

Mundi 3962. U. C. 787.

Coſſ. { *L. Vitellio.*
P. Fabio Priſco, ſeu Perſico. }

PARS I.

RES ROMANÆ.

Obſequium oblatum haud gratè acceptum.

DE ſtatu & rebus Eccleſiæ hoc anno geſtis, nihil neque apud *Lucam*, neque alibi paſſim apud Sacras Scripturas occurrit; excepto quod è ſcriptis *Pauli* de ſeipſo loquentis colligi poſſit: ut nempe, vel apud *Arabiam*, vel apud *Damaſcum*, ſeu potiùs utramque alternatim hoc anno verſatus eſt. Proculdubio Eccleſia (hoſte ejus peſſimo jam in amicum verſo) tranquillius ſe habuit, emollito tanti inſectatoris odio; imo ſub indefeſſa ejus miniſterii opera & ſtudio, creſcit & exaucta eſt. Ea igitur in pacis ſuæ fruitione impræſens omiſſa, tranſeamus iterum in Hiſtoriam Romanam.

Tiberio jam viceſimum Imperii annum attingenti, Conſules *L. Vitellius*, & *P. Fabius Priſcus*, alterum regni decennium officiosè decernunt & celebrant; more quidem *Auguſto Cæſari* olim facto, cùm decennium unum vel alterum impleviſſet: *Tiberio* vero haud pari ratione præſtandum. Civitas ſanè inhumaniſſimum Principem per tot annos experta, ex ejus tyrannidis tædio (ut mihi videtur) liberationem potiùs quam ulteriorem ſubjectionem ſuſpirâſſe poterat. Verùm id jugum exoptare inſimulant, cui diſcutiendo impares ſe ſuſpicati ſunt; & ut ampliùs regnaret, obnixè eum rogant, quem invitis eis id ultro facturum norunt. Ea eſt humani generis fœda & projecta ſervilitas, ut turpiter adulando gratiam captare ſtudeant, ubi obluctari non audent. Conſules obſequii ſui ſuperfluè & incaſſum præſtiti mercedem haud immeritam reportant. Feſtum quidem, inquit *Dion*, ex ea occaſione ſolitum celebrarunt, & pœnas dabant. Non morte plectuntur, (*Vitellium* enim ſequente anno Judæâ agentem habemus) ſed aliis modis vexantur, ſpecie fortaſſis aliorum criminum, revera autem ut

eorum

Digitized by Google

ANN. CHRIS. 35. TIBER. 20.

eorum audaciam retunderet. Etenim dum illi id in ſe recipiunt, ut Imperium Principi ſuis ſuffragiis prolongarent, tacitè ſubinnuunt, ac ſi is pro eorum nutu, non ſuo jure regnaret. Poſtea vero pœnis edocti ſunt, *Tiberium* ex ſuo, non eorum arbitrio, pendere.

Fœda crudelitas.

Venæ urbis dudum infectæ ſanguinem adhuc ebulliunt. *Tacitus cædem* vocat *continuam: Dion* addit, ne unicum accuſari, qui non damnaretur. Nonnulli ex literis *Tiberii*; alii incuſante *Macrone*, (de quo infra) reliqui è leviuſcula ſuſpicione tantùm. Aliquot carnificis manu, multi ſuâ enecti, ſecedente interim ab urbe *Tiberio*, ac ſi verecundiam ſcelerum qualem qualem haberet. Inter eos qui ſuâ manu cecidere, occurrit *Pomponius Labeo* cum *Praxea* conjuge. Is *Mœſiæ* Præfectus, Provinciæ malè adminiſtratæ reus agitur; ex quo venis abruptis ſanguinem effudit. Hunc uxor pari fato æmulata eſt. Id genus exitum ſubeunt *Mamercus Scaurus* & uxor *Sexitia:* diverſa vero accuſatio, & necis cauſa. *Scaurus* majeſtatis olim poſtulatus, multoque cum vitæ diſcrimine elapſus, jam rurſus de adulterio *Livillæ* & Magorum ſacris quæſtionem ſubit, addito criminibus libello in *Tiberium* ſcripto. Tragœdia enim ab eo facta, cui titulus *Atreus.* Atreum introducit unum è ſubditis ſuis hortantem verbis *Euripidis*, ut *veniam daret Principis inſcitiæ.* Tiberius etiamſi haud ſibimet inſcitiæ conſcius, id tamen in ſe accepit, quo ſpecioſiorem prætextum haberet: *Cum Scaurus*, inquit, *mibi truculentum Atreum induerit, faciam ut ipſe etiam ſibi induat Ajacem.* Quod poſtea de eo actum eſt. *Scaurus* enim morte ſuâ damnationem anteit, hortante *Sexitia* uxore, quæ incitamentum mortis & particeps fuit. Inter hæc tamen ſpectatu non minùs dira quàm crebra, aliquid ſolatii fuit, delatores videre eandem cum accuſatis ruinam ſortitos. Eo enim delationum peſtis urbem invaſerat, ut penè omnes infecerat. Id equidem experti ſunt *Servilius* & *Cornelius*, qui *Scaurum*, uti & *Abudius Rufo*, qui *Lentulum Getulicum* accuſaſſent; hi poſtmodum damnati, urbe exigebantur. Is *Lentulus Getulicus* tunc temporis *Germaniæ* legiones curabat: *Sejani* amicitiis oneratur, utpote qui ejus filium generum ſuum deſtinaſſet. Auſus ille literas ſuas ad *Cæſarem* dare, quibus affinitatem ſibi cum *Sejano* haud ſponte, ſed conſilio *Tiberii* cœptam oſtendit; & adeò non ſummiſſè ſe habet, ut audacter Principem quaſi ad firmandum fœdus vocat, quo is cæterarum rerum potiretur, ipſe Provinciam retineret. Tanti ei fuit ut militibus & armis circumdatus cauſam ſuam ageret. Ea enim propter, utcunque *Tiberium* adeo petulanter laceſſerit, incolumis manſit, dum Princeps publicum odium, & extremam ætatem ſecum reputaret, magiſque famâ quàm vi ſtare res ſuas.

Eodem anno in *Græcia* exortus eſt qui *Druſi* perſonam in ſe recepit; vir certè expers prudentiæ, qui tantum Principem tamdiu delituiſſe poſſe crederet; nec communi opinione territus eſſet, quum fere omnes *Druſum*, annuente ipſo *Tiberio*, inediâ periiſſe cenſerent. Conjuratos habuit haud multùm ſeipſo cautiores. Urbes enim *Græciæ* & *Ioniæ* intra ſe receptum eum armis ſuppeditarunt; quinetiam vix non *Syriam* illiuſque Provinciæ vires inopinanter occupavit. Sed detectum eum prehendunt, & ad Tiberium mittunt.

Hoc anno portentum quoddam memoratur. Phœnix in *Ægypto* viſus, (*Dion* biennio ſerius rem rejicit) materiam præbet doctiſſimis inter Græcos Philoſophos, multa ſuper ea re diſſertandi; conjecturas ſuas ad Reipublicæ vel Principis fatum accommodantes, prout diverſimodè ſomniarunt. Imò vero in poſteris ſeculis apud Chriſtianos allegatur ut reſurrectionis Chriſti emblema.

PARS II.

RES JUDAICÆ.

Commotio apud Judæam: ejus cauſa Pilatus.

PRæter turbas ſupra dictas, ex occaſione imaginum *Cæſaris* quas *Pilatus* urbi induxerat, *Joſephus* alias memorat, quas iſte juratus Judæorum hoſtis datâ operâ accendit. Eas *Euſebius* huic anno ſubjecit: atque ab ejus authoritate quoad Chronologiam accipiat lector. *Pilatus* Genti iſti quam tùm procurabat, ſemper infenſus, omnem anſam eos irritandi arripuit, quò tumultuantes honeſtiùs opprimeret. Ingentem itaque aquæductum inceptans, quo aquas per ducenta ſtadia, h. e. viginti quinque millia paſſuum, uſque *Hieroſolymas* adduceret, (ita quidem *Joſephus* in uno loco menſuram ponit; alibi vero ſibi ipſi non conſtans, quadringenta ſtadia enumerat) huic operi perficiendo *Corban* ſeu Gazophylacium ſacrum violat. Plebs huic rei plurimùm indignata, turmatim concurrere, tam opus quàm ipſum *Pilatum* vituperare; ſubolentes aquæductum non tam eorum beneficio ſuſceptum, quàm ut conſcientias gravaret, quæ antiquos ritus & jura violari nequaquam paterentur. *Pilatus*, ſubornatis aliquibus militibus, communi habitu, non militari ſagulo amictis, juſſit ut fuſtes ſub tunica occultantes, turbæ ſe immiſcerent. Hi in populum inconditè tumultuantem, indicio facto, impetu improviſo ruunt, indiſcriminatim tam ſeditioſos quam alios fuſtibus cædentes, donec enectis nonnullis, cæteri vulneribus ſaucii diſſipati eſſent. Ita rem refert *Joſephus*, *Antiquit.* lib. 18. cap. 4. & de *Bell. Jud.* lib. 2. cap. 14. Hiſtoriam recitat *Baronius*: verum præter quòd ad annum primum *Pilati* ponit, vel ſaltem in medio relinquit, haud inutile erit hæc paſſim animadvertere. I. *Baronius* ſcribit aquæductum inceptum ad 300. ſtadia, quum iſte numerus nullibi apud *Joſephum* occurrit, quin in uno loco ducenta, in alio quadringenta numerantur. II. *Joſephus* ad proximam rem in hunc modum tranſit. Κἀν τούτῳ κατήγορος Ἡρώδου, &c. *de Bell. Jud.* lib. 2. cap. 15. i. e. *Eò temporis Agrippa Herodis accuſator*, &c. *Baronius* vertit, *Atque ab hoc accuſator Herodis Agrippa*, &c. quâ verſione non ſolùm Æram omiſit, cui nititur tam *Joſephus* quàm *Euſebius*; verum etiam ſpeciem habent verba, ac ſi *Agrippa* de hac re *Pilati Romam* petiiſſet.

Ad hunc annum viceſimum *Tiberii*, Joſephus etiam *Philippum* Tetrarcham fato ſuo functum memorat; quod tamen ſubjicit tempori quo *Vitellius* Syriæ procurationem obtinuiſſet; atque id non niſi ſubſequenti anno locari debet. Verùm quoad iſtiuſmodi tranſpoſitiones, *Joſepho* veniam damus. Is *Philippus Trachonitidis*, *Gaulonitidis* & *Batanææ* Tetrarcha apud urbem *Juliæ* occumbens, ſplendidiſſimis exequiis parentatur. Erat quidem Tetrarchatus Syriæ adjectus, vectigalia verò ad propriam ditionem tuendam reſervantur.

CHRI-

CHRISTIANA, JUDAICA ET ROMANA HISTORIA,

AD

Annum CHRISTI XXXVI.

TIBERII XXI.

Mundi 3963. U. C. 788.

Coſſ. { *C. Ceſtio Gallo.* / *M. Servilio Rufo.* }

PARS I.

Res Judæorum. Vitellius eis favet.

V*Itellius* nuper Conſul, hoc anno Proconſul *Syriæ* factus, non ſolum *Syriam*, ſed Judæam etiam Syriæ adjectam procuravit. Vir foris magis quàm domi æſtimatus, cui juventus egregia & ſpei plena, ſenectus infamis & probroſa. Dum exteris regionibus præficeretur, magnificus & liberalis: *Romæ* vero ſordido obſequio uſus. Tempore Paſchali *Hieroſolymas* petit: dubium an ut rem novam, iſtius feſti ſolennia ſpectaret, an ut uno quaſi intuitu Provinciæ illius vim & multitudinem, ex occaſione feſti ibidem coactam, luſtraturus, faciliùs inter eos mandata expediret. Utcunque erat, adeo ei arriſit lauta iſthic receptio, ut jura vectigalium frugibus impoſita, ultro relaxaret. Quin & Sacerdotibus permiſit ſacras veſtes, quæ nuper ſub Romanorum cuſtodia erant, apud ſeipſos ſervare. *Hyrcanus* enim eo nomine primus, extructâ turri Templo contiguâ, ubi ipſe & ſucceſſores ejus diu degerunt, ſacra illìc reponi curavit; loco nempe aptiſſimo, quo Templum ingreſſuri promptè eis indui, civitatem verò petentes exui poſſint. Poſt hæc, *Herodes* Rex turrim occupat, & ſplendidè inſtauratam titulo *Antoniæ*, in honorem magni *Antonii*, inſignit. In ſe tùm recepit ſacrorum cuſtodiam: quod idem poſt eum fecit *Archelaus* filius. Pariter Romani, deturbato *Archelao*, regnoque ejus in ſe reſumpto, veſtimenta ſacra apud ſe ſervarunt; reponentes ea ſub ſigillis Sacerdotum & theſaurariorum; lychno illìc quotidie accenſo, excubitoris curâ. Septiduo ante feſtorum quorumvis ſolennia, veſtes à cuſtode turris in Sacerdotum manus tradebantur, eo quod impuris Gentilium manibus tractatas luſtrari oportuit. Primo die feſti eas induunt, ſecundo redditæ eôdem loci reponi ſolent. *Vitellius* autem cuncta in Sacerdotum manus, prout antiquior mos erat, ultro conceſſit. Hoc anno *Joſephus*, alias *Cajaphas* dictus, Sacerdotio privatur. Et ſic unum ex iniquiſſimis Domini noſtri judicibus damnatum habemus: ſequente vero anno, ſub eodem *Vitellio*, alterum eorum pœnas luentem infra videbimus.

ANN. CHRIS. 36. TIBER. 21.

ANN. CHRIS. 36. TIBER. 21.

PARS II.

Res Imperii Romani. Parthi turbas movent.

AD hunc annum *Euſebius* in ſuo *Chronico* Sejani rabiem in Judæos poſuit, quæ tamen multis annis ante evenerat. Nec non ad eundem annum *Herodis* iram in *Petrum* & *Jacobum* collocat; quæ vero nonniſi multis annis poſt quærenda eſt. Denique ad hunc annum Maſſæus in ſuo *Chronico*, * Beatæ Virginis aſſumptionem notat; quæ ſanè an unquam facta eſt, nemo novit. Res primo ſub revelationis authoritate mundo obtruſa: ſed quàm revera ſuperſtitio mollitie & feriarum nimiâ cupidine enutrita, primùm commenta eſt, dein credulitas & conſuetudo veriſimilem fecit. Sibi ipſi quoad temporis certitudinem nullatenus conſtat; lite adeo incertâ agitata, quo tempore potiſſimum contigerit, ut haud mirum ſanè ſit, ſi res ipſa jam tandem in dubium vocata ſit. Miſſam itaque facimus, donec ſuo loco & ſecundùm Rubricam *Euſebii*, quem honeſtiùs ſequi poſſumus, rurſus occurrerit. Ad certiora itaque & vero magis accedentia tranſeamus. *Phraates* olim *Parthorum* Rex, *Vononem* filium ſuum obſidem *Auguſto* Imperatori tradiderat. Hunc porro *Auguſtus* Parthorum rogatu in regnum remiſit. In primordiis regni, ſubditi eum plurimis pendunt, flocci poſtea; atque è ſolio moventes, regiâ majeſtate *Artabanum* induunt. Is metu *Germanici* Romanis fidus; eo verò mortuo, *Armeniam* ambit, & defuncto Rege *Artaxid*, filium ſuum natu maximum *Arſacen* occupando imperio dimiſit. Præterea gazam *Syriâ* & *Cilicia* à *Vonone* relictam repoſcit. Imò veteres *Perſarum* & *Macedonum* terminos, quidni omnia quæ vel *Cyrus*, vel *Alexander* olim poſſederant, ut ſua arrogat. Hujuſmodi faſtidioſam irritationem haud in uſu Romanis fuit diu pati; nec impune ei erit, utcunque ex ſpe inermis *Tiberii* ſenectutis animum cepiſſet. Interea temporis *Sinnaces*, & *Abdus*, aliique nobiles *Parthi*, metu ne ex temeritate *Artabani* res ſuæ peſſum irent, clàm *Romam* petentes, *Tiberio* rem produnt. *Cæſar*, *Artabani* audaciam lætus obviam fieri, *Phraaten*, alterum *Phraatis* filium, obſidem etiam olim *Romæ* relictum, precibus Magnatum cedit, ornat, & ad avitam Majeſtatem accingit. Hoc modo *Artabanus* par pari vix non expertus eſt, ſuam ditionem periclitatus, dum alienam invaſerit. Rex verò cognitis inſidiis, *Abdum* ſpecie amicitiæ ad epulas vocatum, lento veneno enecat. *Sinnacen* diſſimulatione & donis moratur. *Phraates* Rex recens miſſus, dum omiſſo cultu Romano, cui per tot annos inſueverat, inſtituta *Parthorum* ſumit, patriis moribus impar apud *Syriam* morbo abſumptus eſt. Tacit.

* in Chron. mundi, lib. 8.

Sed non *Tiberius* omiſit incepta; *Tiridatem* ſanguinis ejusdem, æmulum *Artabano*, regno Parthico inveſtit; eoque ad id vi recipiendum miſſo, literis *Mithridatem* Iberiæ Regem incitat, ut *Armeniam* involans, *Arſacem* anguſtiis redigeret, cui ſuppetias laturus *Artabanus*, Tiridati copiam fecerit, faciliùs Parthorum regnum aucupandi. Quò tutius hæc res peragеretur, *Tiberius* *Mithridatem* fratri ſuo *Pharaſmani*, inter quos ſimultates vetuſtæ flagraſſent, conciliat: utrumque ad arma in *Artabanum* capeſſenda provocat. Hoc uterque ſuſcipiunt; ſimul magnis copiis *Armeniam* irrumpunt, corruptis miniſtris *Arſacem* trucidant, urbemque *Artaxatam* potiuntur. Quæ poſtquam *Artabano* cognita, filium *Orodem* ad ulciſcendum & opes ferendum parat. Contra *Pharaſmanes* Albanis & Sarmatis in partes ſuas receptis, & cum *Hiberis* ſuis locorum potitus, viâ Caſpiâ *Sarmatas* in Armenios raptim effundit, dum qui *Parthorum* auxilio adventabant, facilè arcebantur. Interim *Orodes* *Pharaſmanem* uſque progreſſus, nec ulterius procedere permiſſus, ad pugnam, adequitatis caſtris, vocatur. Utrinque acies horribili vi & impetu conſeritur. Inter quæ *Pharaſmanes* *Orodeſque* clamore, telis, equis concurrunt. Inſtantiùs *Pharaſmanes*, nam vulnus per galeam *Orodi* adegit; nec iterare valuit prælatus equo, & fortiſſimis ſatellitum protegentibus ſaucium. Fama quidem occiſi falſo credita, *Parthos* exterruit, victoriamque conceſſere. Nec tamen omnino fefellit fama, ex vulnere enim certa, etſi lentior, mors ſequuta eſt. Solicita mens *Artabano* ex perditis filiis, & quatientium regnorum diſcrimine, totam molem ultimi regni cogit, quæ rebus adeo adverſis vix omnino ſufficeret. Interim *Vitellius*, quem Cæſar jam Orienti præfecerat, contractis *Syriæ* legionibus, & ſubdito rumore quaſi *Meſopotamiam* invaſurus, metum Romani belli fecit, armaque *Artabani* aliò divertit. Rex enim ſuſpicatus quò tot parati

milites

Digitized by Google

ANN. CHRIS. 36. TIBER. 21.

milites tenderent, præſertim cùm ſubditi etiam malè affecti, olim ad defectionem proni, jam ſperato *Romæ* auxilio animum ſuſtulerint, aſſumptis quibuſdam deploratæ fortunæ viris, in *Scythiam* fugit; ſperans inſuper *Parthos*, abſentibus æquos magis, ad pœnitentiam mutari poſſe. Nec eum fefellit ſpes, prout infra videre eſt. Interea verò temporis *Vitellius Tiridatem* incruentâ Majeſtate donavit.

Tiberius adhuc crudelis & effrons.

Cæſar Antium jam egit, adeo prope urbem, ut interjectu aliquot horarum literas accipere & reſcribere poſſit. Nihil ei ſenectus, quam *Parthorum* Rex deſpexerat, nihil cædes hactenus patratæ animum leniunt, quin *Sejani* amicos peſſimè inſectatur, perinde habens eorum crimina, an incerta, an obſoleta & abolita eſſent. Eo metu *Fulcinius Trio* accuſatores ingruentes haud perpeſſus, manu ſuâ diem accelerat; ſupremis tabulis multa atrocia relinquens, quæ tam in *Cæſarem* quàm in *Macronem* compoſuerat. Ea quidem occultarant hæredes carnificis metu, quæ tamen cùm ad *Tiberii* aures perveniſſent, recitari juſſit, probra oſtentans, & contemptor ſuæ infamiæ. Præter hunc alii etiam conviciis eum laceſſunt, quos, etiamſi haud ægrè eos ferre ſimularit, vix unquam impunè paſſus eſt. Hinc *Paconianus* in carcere, ob carmina illic in Principem factitata, ſtrangulatus eſt. Eadem fortaſſis ſunt quę *Suetonius* memorat.

Aſper & immitis, breviter, vis omnia dicam?
Diſpeream, ſi te mater amare poteſt, &c.

Granius Martianus, *Trebellienus Rufus*, & *Poppæus Sabinus* accuſati mortem ſuâ manu oppetiere; *Tatius Gratianus* Præturâ functus, lege Prætorianâ ad extremum ſupplicium damnatur, & utcunque non ſua, carnificis tamen manu extinguitur.

CHRI-

Digitized by Google

CHRISTIANA, JUDAICA ET ROMANA HISTORIA,

AD

Annum CHRISTI XXXVII.

TIBERII XXII.

Mundi 3964. U. C. 789.

Coſſ. { *L. Quinto Plautio.*
Sexto Papinio, ſeu Papirio.

CAP. IX.

VERS. 23. *Expletis autem multis diebus*, &c.

Chronologiæ ratio habita.

PAulum in anno Chriſti 34 converſum ſupra annotavimus. Is de ſeipſo teſtatur, quod triennio poſt *Hieroſolymas* aſcendit, *Gal.* 1: 18. Abſumpto eo tempore apud *Damaſcum*, *Arabiam*, & *Damaſcum* iterum, prout de ſe verſ. præced. narrat. Verum quamdiu hîc vel illîc commoratus eſt, ut difficile eſſet dicere, ſic nihili eſt quærere, quum integram ſummam habemus in rotundo triennio. Verùm quum nulla apud *Lucam* occurrerit mentio itineris in *Arabiam* facti, quin is loqui videtur ac ſi *Paulus* quamprimum *Damaſco* abſcederet, *Hieroſolymas* petiiſſet: equidem ſupra oſtendimus, ut tam illi quàm aliis Euangeliſtis in uſu eſt, in rebus narratis nonnunquam longiùs à ſe diſſitis, tranſitiones breviſſimas facere: etiam ipſe *Paulus* loco ſupra citato rem palam facit, h. e. *Lucæ* breviorem narratiunculam explet & explicat. Paulus nempe à converſione ſua *Damaſcum* adveniens prædicare cœpit, *magiſque invaleſcebat, & confundebat Judæos qui habitabant Damaſci, demonſtrans Jeſum eſſe Chriſtum*, *Actor.* 9: 22. A *Damaſco* mox *Arabiam* petit, (ejuſdem jam ditionis cum *Damaſco* ſub *Areta* Rege) ibi parumper moratus in *Damaſcum* rediit: ubi Judæi conſilium eum perimendi ineuntes, urbis Præfectum ſub *Areta* exſtimulant, ut cuſtodibus portas admotis invigilaret nè effugeret. *Paulus* verò per murum in ſporta demittitur, *Actor.* 9: 25. 2 *Cor.* 11: 33.

Infra oſtendemus quomodo in hoc anno, inter *Aretam* Arabiæ Regem & *Herodem* Tetrarcham, bello accingitur: adeo ut credibile ſit *Paulum* apud *Damaſci* Præfectum à Judæis traduci, ac ſi inter ingruentes hoſce belli æſtus emiſſarius & explorator, advenerat, Regi larvatus hoſtis; atque iſtiuſmodi calumniis Præfecti inimicitias accendunt. Et hoc equidem (modò ex ipſius *Pauli* calculatione non liquidò ſatis conſtaret) pleniùs oſtendet hunc fuiſſe annum ſpeciatim, quo *Paulus* vitæ ſuæ & ſaluti conſulturus *Damaſco* effugit, & *Hieroſolymas* advolavit.

VERS. 26.

Digitized by Google

ANN. CHRIS. 37. TIBER. 22.

Vers. 26. *Quum verò Saulus adveniſſet Hieroſolymas*, &c.

Urgebat occaſio eundi *Hieroſolymas*, (prout de ſe ipſe teſtatur) ut *Petrum* viſeret, *Gal.* 1:18. Ἱϛορῆσαι Πέτρον. Non quò *Petro* primas deferret, (prout ſomniarunt Papicolæ) nihil enim inter eum, *Jacobum* & *Joannem* quoad dignitatem officii vel ordinis diſtare indicat, *Gal.* 2:9. Quinimo id genus venerationi *Petro* ferendæ adeo alienum ſe prodit, ut *in os ei reſtiterit* & redarguerit, *Gal.* 2:11. Id igitur negotii cum *Petro* habuit, ut & viſeret, & meliùs ei innoteſceret, (ea enim videtur vis verbi ἱϛορῆσαι) quod eò magis optavit, quò *Petrum* novit Miniſtrum Circumciſionis, *Gal.* 2:8. dum ipſe ad Præputii miniſterium deſignatus eſſet: nec non inter eos quodammodo conveniſſe videbatur propter immenſam gratiæ indulgentiam utrique factam; huic, poſt abjuratum Chriſtum, redintegrato; illi, poſtquam Eccleſiam lancinaſſet, in amplexus Chriſti recepto.

Sed omnes timebant eum, non credentes eum eſſe Diſcipulum.

Hinc conjectant nonnulli, *Paulum* immediatè à converſione ſua, priuſquam *Arabiam* contenderet, *Hieroſolymas* petiiſſe: alioquin quare converſionem ejus in dubium vocarent, ut rem prorſus novam & incognitam; cùm non ſolùm per triennii ſpatium Euangelium prædicaſſet, verùm etiam converſionis ſuæ prodigium *non in angulo geſtum fuiſſe* affirmet, *Actor.* 26:26.

Verùm, huic nodo ſolvendo perpendi debent, I. Maxima inter *Hieroſolymas* & *Damaſcum* loci diſtantia. II. Simultates inter *Herodem* & *Aretam* natæ, quæ mutua commercia interpellare facilè poſſint. III. Perſecutio Judæam adhuc infeſtans, quæ Diſcipulos *Damaſci* degentes abſterruit, ne *Hieroſolymas* peterent. IV. Juſta rerum ſuſpicio quæ Diſcipulorum animas *Hieroſolymis* meritò poſſederit. Quantumvis enim, ut ſupra annotavimus, Eccleſiam tam *Hieroſolymis* quàm alibi agentem, tranquilliùs ſe habuiſſe, cùm ſemel *Paulus* nuper acerbiſſimus hoſtis, in ejus partes tranſiiſſet, haud inde ſequitur tamen Eccleſiæ perſecutionem priùs deſiiſſe, quàm *Paulus* urbem attigiſſet, atque idcirco haud mirum ſi Diſcipuli iſtic loci & temporis eſſent paulò cautiores.

Vers. 27. *Barnabas autem acceptum eum duxit*, &c.

Unde *Barnabas* præ cæteris de *Paulo* certior fieret, conjectari vix poſſit. Fortean is, prout alii omnes Euangelii præcones, (exceptis Apoſtolis) metu perſecutionis peregrè profectus inter itinerandum *Damaſcum* vel *Arabiam* pervenit, ubi rei certitudinem edoctus, cauſam ejus tuetur. Utcunque ſit; haud notatu indignum eſt, illum ipſum *Barnabam* qui *Paulo* ſocius futurus eſſet tam itinerum quàm laborum miniſterii, nunc primò eum in notitiam & ſocietatem Apoſtolorum introduxiſſe. Credibile eſt inter eos olim fuiſſe aliquid neceſſitudinis, quum ambo eſſent Græcizantes Judæi, hic *Ciliciæ*, ille *Cypri*, apud Hieroſolymas tamen pariter literis imbuti. Verùm ut ut res ſit, certè digitus Dei quodammodò hic ſuſpici debet, quòd is potiſſimum *Paulum* in Eccleſiam Hieroſolymitanam ſuâ operâ aſcripſerit, quîcum poſtea ſortiretur ad Gentes Euangelii miniſterium.

ANN. CHRIS. 37. TIBER. 22.

Duxit ad Apoſtolos.

Scil. ad *Petrum* & *Jacobum* *Minorem*: alios enim ſe vidiſſe quoſquam negat, *Gal.* 1:18. Incertum ubi cæteri eſſent. Haud in urbe; alioquin haud poſſibile erat *Paulum* per ſpatium quindecim dierum, quo iſthic moratus eſt, eos non vidiſſe. Fortean ruri agebant, Eccleſias fundaturi, dum *Petrus* unà cum *Jacobo*, h. e. præcipui Circumciſionis miniſtri, *Hieroſolymis* manentes, Eccleſiam illic procurarunt. *Petrum* verò & *Jacobum* præcipuos fuiſſe Miniſtros Circumciſionis, peculiari modo ſic dictos; uti & quâ ratione potiſſimùm iſta ſpecialis diſpenſatio ab aliis diſtinguenda eſſet, fuſiùs σὺν Θεῷ infra oſtendetur. Interea tamen notari debet, quàm oppoſitè ſe habet hic ipſe locus, ad primatum & præcedentiam inter Apoſtolos, à nonnullis jactatam. Cum enim ſint qui *Jacobum* ut Hieroſolymitanum Epiſcopum ſemper notant; videmus hîc loci *Petrum* æqualem & eandem cum eo claſſem tenere; & rurſus, cùm plurimi *Petrum* celebrent tanquam Apoſtolorum principem, habemus eum hîc, duntaxat *Jacobo* parem.

Apparet itaque perſecutionem cum *Stephano* ortam duraſſe uſque dum *Paulus Hieroſolymas* venit. Id tam ex meticuloſa Diſcipulorum de eo ſuſpicione liquet, quàm ex iſta clauſula *verſ.* 31. *Eccleſiæ tùm pacem habentes*, &c.

II. Duravit perſecutio (ut ex temporum computatione noviſſimè facta patet) ſpatio triennii & ſex menſium, numerum annorum ſcil. apud Sacram Paginam frequentiſſimè celebratum.

III. Turba, ſeu vulgus credentium, non obſtante perſecutione, *Hieroſolymis* manet, uti ſupra dictum. Miniſtri duntaxat, ſeu Euangelii

Digitized by Google

ANN. CHRIS. 37. TIBER. 22.

Euangelii præcones, latiùs ſe proripiunt, exceptis ſemper Apoſtolis.

IV. Nonnulli ex iis, deferveſcente pauliſper perſecutione, *Hieroſolymis* jam reverſi erant: quod ex *Barnaba* iſtic tunc temporis agente, conſtat. Et de iſtiuſmodi viris præſertim, vox hic *Diſcipulorum* intelligi debet, *verſ.* 26. *Saulus tentabat ſe propriùs adjungere Diſcipulis.*

V. Denique abſfuerunt tùm decem Apoſtoli, non metu perſecutionis, ſed ut Euangelio latiùs promulgato, Eccleſias quaquaverſùm fundarent.

Et expoſuit eis quomodo in via vidiſſet Dominum.

Scil. *Barnabas* eis expoſuit. Sunt tamen qui de *Paulo* accipientes, verba in hunc modum vertunt. *Barnabas eum duxit ad Apoſtolos, & ille* (ſcil. *Paulus*) *expoſuit eis*, &c.

VERS. 28. *Et cum eis fuit intrans & exiens.*

Rectè Beza, *cum eis verſabatur*: Hebraiſmus: ſic 1 *Sam.* 18:13. *Actor.* 1:21. Quantum temporis cum eis verſatus eſt, ipſe *Paulus* indicat: ſpatium nempe quindecim dierum, *Gal.* 1:18. ubi phraſiunculam *intrandi* & *exeundi* ipſe per alia explicuit, *Permanſi apud eum per dies quindecim.*

VERS. 29. *Et diſceptabat adverſus Græcos.*

Gr. Πρὸς τοὺς Ἑλληνιστάς, *contra Helleniſtas.* Id ulteriùs nobis confirmat quod ſupra diximus: ſcil. per *Helleniſtas* non intelligi debere Græcos religionem Judaicam amplexos, ſed *Judæos* ſub Græca ditione natos vel degentes. Etenim I. haud credibile eſt Græcorum Proſelytos adeo Judaiſmum zelari, ut, Judæis nihil in *Paulum* moventibus, ipſi ejus necem ſpirarint, ac ut in Judaiſmi hoſtem & apoſtatam præ aliis truculentiſſimè exarſerint. II. Nec meliùs conſtat cur ipſe *Paulus* in illos potiùs quàm in Judæos diſputandi anſam arriperet, quum horum confutatio adeo perneceſſaria videretur. Nec III. veriſimile ſanè eſt Græcos alienigenas & inquilinos auſuros Judæum, ſpectantibus Judæis, in urbe *Hieroſolymarum* inceſſere, Judæis interim ipſis nihil in eum molientibus. Procul igitur omni dubio eſt, *Helleniſtas* hoc loco dictos, non alios eſſe, quàm Judæos è Græca diſperſione, Græcâ linguâ uſos; quibuſcum diſceptare *Paulus* eò opportuniùs habuit, quò ii apud Gentes verſati, quaſi per antiperiſtaſin quandam fervidiore Judaiſmi zelo æſtuarent; nec non ipſe eorum lingua a teneris imbutus fuiſſet.

Quod tempora & periodos rerum ſpectat quas huic *Pauli* hiſtoriæ ſubnexas habemus, haud adeò certè ſe habent, ut de anno quo evenerunt indubiè determinari queat. E. gr. de anno quo Petrus *Æneam* a valetudine, & *Dorcadem* à morte reſtituit; quo *Cornelium* Chriſtianiſmo donavit, & id genus alia. Optimè de eis conjectari licet, rebus quaſi retro computatis in hunc modum. I. Certum eſt, famem ab *Agabo* prædictam (prout ſupra oſtendimus) ſecundo *Claudii* deſæviiſſe. Unde II. credibile eſt prædictionem iſtam primo *Claudii* factam; annus is fuit, vel ſaltem anni pars, quo *Paulus* & *Barnabas* unà *Antiochiæ* verſati ſunt, *Actor.* 11:26. III. In ultimo *Caji* probabile eſt, *Antiochiam* primò Euangelium amplexam *Barnabam* iſthuc veniſſe, atque iter ad *Tarſum* ſuſcepiſſe, ut *Saulum requireret*, *Actor.* 11: 20, 21, 22, 23, 24, 25. Et IV. tertio igitur *Caji*, (h. e. Imperii ejus penultimo) credibile eſt Petrum ea geſſiſſe cum *Ænea*, *Dorcade*, & *Cornelio.* Atque ea propter ad iſtum annum rejecimus earum rerum explicationem, *Romanam* interim & *Judaicam* hiſtoriam intertexentes, donec eò deventum ſit.

Digitized by Google

ANN. CHRIS. 37. TIBER. 23.

ANN. CHRIS. 37. TIBER. 24.

PARS II.

HISTORIA ROMANA.

Ardet adhuc Bellum Parthicum.

Tiridates regni quidem potitur, ſed in eo nec non incertâ vulgi opinione lubricus & inſtabilis. Volentibus *Parthis* oppida quædam *Parthica* recepit; certantibus gaudio qui *Artabanum* inter *Scythas* eductum ob ſævitiam execrati, come *Tiridatis* ingenium Romanas per artes ſperabant. Conſtituto die quo regni ſolennia capeſſeret, literas *Phraatis* & *Hieronis*, qui validiſſimas præfecturas obtinebant, accipit, brevem moram precantium: placitumque opperiri viros præpollentes. Atque interim *Cteſiphontem* (ſedem Imperii) petit. Sed ubi diem ex die prolatabant, multis coram & approbantibus, *Surena* patrio more *Tiridatem* inſigni regio evinxit. *Phraates* verò & *Hiero*, & ſiqui alii, delectum capiendo diademati diem non concelebraverant, pars metu, quidam invidiâ in *Abdageſem*, qui tùm aulâ & novo Rege potiebatur; alii proculdubio conjurationem priùs meditati ad *Artabanum* vertêre. Iſque in *Hircania* repertus eſt, illuvie obſitus, & alimenta arcu expediens. Primò quidem, ac ſi dolus pararetur, territus: ubi data fides reddendæ dominationi veniſſe, adlevatur animum. Tùm *Hiero* pueritiam *Tiridatis* increpat, externâ mollitie imbellem; neque penès *Arſacidem* imperium, ſed inane nomen: vim in *Abdageſis* domo: veterem Regem iniquè depulſum queſtus, ultrò poſcit. *Artabanus* his ſuaſus auxilia (quæ potuit) concire properans, ad ſua recuperanda pergit: neque exuerat pædorem, ut vulgus miſeratione adverteret. Non fraus, non preces, nihil omiſſum quo ambiguos illiceret, prompti firmarentur. Sed quid tanta cautione & apparatu opus? quum *Tiridates* propinqua *Seleuciæ* adventantem eum audiens, prætextu armorum vis cogendæ, *Syriam* fugit, atque æquè manu ſupinâ regnum amiſit quâ obtinuerat.

Tacit. Annal.

Artabanus Romam obſides mittit.

Tiberius imparem ſe ſuſpicatus *Artabani* ſufflaminem ponere, quominus amiſſum regnum reciperet, ultrò amicitias offert; metu ne Romano Imperio arma illa ſucceſſu freta negotium faceſſerent. Interea vero Rex belli moleſtias pertæſus, nec equidem ignarus quanti eſſet, *Romæ* vim provocare, utramque aurem paci propoſitæ cedit. Huic maturandæ is *Vitellio* apud pontem in id ipſum negotium extructum, obviam fecit. Hi utrinque ſatellitio ſuo circumdati fœdera invicem feriunt: eoſque ambos *Herodes* Tetrarcha apud tentorium magnificâ arte ſuper amnem erectum lautè & regio apparatu excepit. Propediem verò *Artabanus* filium ſuum *Darium*. Tiberio obſidem mittit: unà etiam *Eleazarum* quendam, natione Judæum, procerum valde, ſeptem cubita altum, aliaque plurima, eximii pretii, munus dat.

Turbæ apud Cappadociam motæ.

Per idem tempus *Calitarum* natio, *Cappadoci Archelao* ſubjecta, quia Romano more deferre cenſus, pati tributa adigebatur, in juga *Tauri* montis abſceſſit, locorumque ingenio ſeſe contra imbelles Regis copias tutabatur: donec *M. Trebellius* Legatus à *Vitellio* Præſide *Syriæ*, cum quatuor millibus legionariorum & delectis auxiliis miſſus, duos colles quos Barbari inſederant (minori *Cadra*, alteri *Davara* nomen) operibus circumdedit, & erumpere auſos ferro, alteros ſiti ad deditionem coëgit.

Romæ ulteriores cædes patratæ.

Hæc equidem, utcunque longinquiùs facta eſſent quàm quæ Remp. Rom. afficerent, urbs tamen ipſa peſſimè intra ſe habuit. Nec vetuit ſanguis hujuſmodi bellis emiſſus, quin pro inſatiatâ Principis truculentiâ etiam in intimis civitatis adhuc ſtillaret. Etenim *L. Aruſeius* morte afficitur. *C. Galba*, duo *Blæſii* & *Æmilia Lepida* finem vitæ ſuâ manu poſuere. Sed horribile id fuit, quod *Vibu-*

ANN. CHRIS. 37. TIBER. 22.

leno Agrippæ Equiti Rom. factum; qui cùm peroraſſent accuſatores, in ipſa Curia deprompptum ſinu venenum hauſit; (apud *Dionem* fertur ex annulo ſuo id exuxiſſe,) prolapſuſque & moribundus, feſtinatis lictorum manibus in carcerem raptus eſt, fauceſque jam exanimis laqueo vexatæ.

Mala omina.

Profuſionem ſanguinis excipit portentoſa inundatio. Creſcente enim præter modum *Tyбride*, plateæ ipſæ naves ferunt. Quin furente contrario elemento, urbs inſuper pejora patitur. Gravis ignis eam invaſit, deuſtâ parte *Circi* quæ *Aventino* contigua, ipſoque *Aventino*: cui reſtituendo *Cæſar* è proprio fiſco pretium exolvit: *Millies Seſtertium*, inquit *Tacitus*, h. e. ſecundum nummos Angl. Octingenta millia libr. Sterl. demptis millibus novendecim. Nummorum pretium fortaſſis Imperatorum ſcriniis non inuſitatum, quorum amplæ ditiones ampliſſimos reditus ſuppeditarunt; *Tiberii* tamen parcimoniam, ut videtur, multum excedens, ut qui plura ſemper avebat, quàm quibus ſupplendis tam vaſtum Imperium ſufficeret. Quamobrem ſicut notatu non indignum eſt, quàm immane in hac re diſtet *Dion* à *Tacito*, uti & *Dionis* interpres ab ipſo Autore; ſic veriſimilius videtur (perpenſis modò ſordibus *Cæſaris*) id quod *Dion* retulit. Referente enim *Tacito*, nummorum pretium ad ſummam octingentorum millium libr. demptis millibus novendecim; *Dion* adeo infra rem dicit, ut novendecim millia libr. tanquam ſummum munificentiæ ſupputare videatur. *Tiberius*, inquit ille, donum dedit *Διχιλίας καὶ πεντακοσίας μυριάδας*, h. e. 2500. Seſtertia, quæ 19000. lib. plus minùs valent. Et tamen *Dionis* interpres textu relicto, *Tacitum* adeo immane diſcrepantem ſequutus eſt.

ANN. CHRIS. 37. TIBER. 22.

PARS III.

HISTORIA JUDAICA.

Tumultus Samariâ moti: Pilatus procuratione exutus.

DUdum de *Pontio Pilato* mentionem fecimus. Mirum ſanè, ferum iſtum & ſævum hominem non citiùs nobis triſtem quandam rerum materiam præbuiſſe. Procuratio ejus penè ad decennium provecta extremum jam trahit. Aſt exitum ſuum horribili facinore inſignit, adeo equidem infami, ut propter id Magiſtratu abdicatur.

Joſeph. Antiquit. lib. 18. cap. 10. Vide Egeſipp. de excid. Hieroſ. lib. 1. c. 5.

Impoſtor quidam *Samariæ* agens, (fortean *Simon Magus*) palpato populo, præ ſe tulit vaſa quædam ſancta, apud montem *Gerizzim* propriâ *Moſis* manu recondita, eis oſtenſurum. Credula plebs ad villam quandam *Tirathabam* dictam, turmatim concurſant, ſacras haſce reliquias, expleto ſemel numero, unà viſuri. *Pilatus* interim milite ſuo occupatis aditibus plebem inopinantem premit; cæſis multis, captis aliis, cæteris fugam capeſſentibus. Captorum principes obtruncat. *Samaritarum* primores *Pilatum* coram *Vitellio* de hac re poſtulant. Hunc *Vitellius* (amicum ſuum *Marcellum* in Præfecturam *Judææ* ſubſtituens) *Romam*, coram *Cæſare* criminum cauſam acturum, amandat. Priùs verò quàm *Pilatus* Romam veniſſet, *Tiberius* è rebus humanis exceſſit. Et tamen *Euſebius* teſtimonium illud de Chriſti morte, reſurrectione, aliiſque ejus geſtis mirabilibus, *Cæſari* a Pilato exhibitum, ad ſequentem annum rejecit. Res quidem in ſe dubia; quoad eventum minus credibilis. Etenim primò, demus ultrò *Pilatum* ea de Chriſto teſtatum fuiſſe, (quod ſanè haud ita liquidò conſtat quin probatione egeat) attamen ſecundò, literæ quas in confirmationem rei citat * *Hegeſippus*, diverſæ omnino ſunt ab autographis quæ apud *Tertullianum* (& ex eo apud *Euſebium*) occurrunt: id ex inſcriptione liquet, *Claudio* nempe, non *Tiberio*, facta. Tertio, indubium modò eſſet *Pilatum* in hunc modum *Tiberio* ſcripſiſſe, nec non has ipſas fuiſſe literas quas *Tertullianus* inſpexerat, vix tamen id erat in natura Principis, ut virtuti cujuſpiam, etiamſi illuſtriſſimæ, meritas grates rependeret. Quin porrò quartò & ultimo, (id quod rem totam incertiſſimæ fidei probat, & fabulæ notam impingit) vulgariter

* *In Anecephal. Biblioth. Patr. tom. 7.*

Digitized by Google

ANN. CHRIS. 37. TIBER. 22.

gariter narrant rem in Senatum ab ipſo *Cæſare* relatam, appoſito ſuo ipſius ſuffragio, ut Chriſtus Diis aſcriberetur, & cultus Chriſtianus inter eorum ſacra locum haberet: Senatum verò non ſine faſtidio rem detrectaſſe, eo quòd *Pilatus* Cæſari primò, non Senatui detulerat. Verùm perpenſis iis quæ de ſtatu & rebus Imperii ſupra notavimus, cum multis aliis ejuſmodi quæ paſſim apud Scriptores occurrunt, palam erit Senatores cujuſcunque nominis adeo metu tyranni ſerviliter ſubactos, ut contra ejus juſſa etiam vel hiſcere nequaquam auderent. Poſthæc, *Pilatus* (prout * *Euſebius* è Romanorum ſcriptis narrat) plurima adverſa paſſus, more Romano, ſuum ipſe jugulum petit. * *Caſſiodorus* facta hæc ſcribit Coſſ. *Publicolâ* & *Nervâ*, nec non, ut fert fama, apud *Viennam*.

* *Chron. ad Ann. Chriſt.* 41.
* *Chron.*

Agrippa Romam profectus.

Is patrem habuit *Ariſtobulum*, ab *Herode* patre olim occiſum. Vir quidem fortunæ ludibria expertus & experturus. *Romæ* dudum vixerat, amicitiis *Druſi* è *Tiberio* nati diu uſus. Sumptuoſæ amicitiæ! quibus ſuſtentandis ipſe purpurâ fulget aliis ubique munificus. Mortuo *Druſo*, flacceſcunt præſentes fortunę & futuri ſpes; adeò ut paupertate & ære alieno preſſus Roma ſecedat. *Judæam* petens, apud arcem quandam in ditione *Idumææ* ſitam, mærore, & dedecoris faſtidio gravis, ſeâ conſpectu hominum occultat. Hujus uxor *Cyprus*, prenſatâ diu *Herodiade*, tandem ab *Herode* obtinuit, ut *Tiberiadem* miſſus, urbiſque iſtius Magiſtratui inſcriptus, publicum demenſum adipiſceretur. Verùm ortæ inter eum & *Herodem* ſimultates ſeceſſum iſthinc præcipitant. *Flaccum* eo temporis *Syriæ* Procuratorem ſibique olim amicum petit. Illìc parumper verſatum, *Ariſtobulus* frater, tam è *Flacci* gratiâ quàm loco movet. Dein *Ptolomaim* profectus, *Italiam* meditatur; ſed æris inopia moras ei aliquantiſper injecit: quod cum conflaſſet, navemque ad ſuſcipiendum iter conſcendiſſet, propter nummos *Tiberii* fiſco ſolvendos rurſum ab *Herennio Capitone Jamniæ* Præfecto detinetur. Proh miſerum eum! ad quantas anguſtias redactum! fruſtra dimiſſionem ſperat, niſi ſolutâ pecuniâ: fruſtra itineris neceſſaria, ſi ſolverit. Quid inſuper? In ſe quidem cepit æs manè numeraturum, noctu verò ſublevatâ anchorâ, furtim *Alexandriam* ſe rapit, ubi ab *Alexandro* Alabarchâ quinque talentis viatico idoneis mutuò acceptis, hoc anno (i. e. uti ſcribit *Joſephus*, anno qui *Tiberii* mortem præceſſit) *Italiam* rurſus adnavigat. Obiter notandum, *Alabarcham* haud eſſe nomen cujusvis proprium, ſed appellativum, iiſque omnibus commune, qui apud *Alexandriam* Judæis præficerentur. Ita enim apud *Joſephum* videre eſt: uno loco dicitur *Alabarcha* ſive *Alabarchus*, alibi Ἀλαβαρχῶν & Ἀλαβαρχήσας, titulo iſto communiter ornatus, cuicunque id muneris obtigerit. Detur hìc quoad etymologiam conjecturæ venia. Vox componi videtur ex Arabico articulo *Al*, quem ſingulis nominibus præfixum habent, & voce Copticâ *Abrech*, quæ apud eos honorem & dignitatem ſignificat, uti ex præconio iſto coram *Joſepho* facto liquet, *Geneſ.* 41: 43. quod etiam alibi notavimus.

ANN. CHRIS. 37. TIBER. 22.

Agrippa Puteolos appulſus, *Capreas* mittit, qui ejus nomine *Cæſarem* ſalutent, & veniam adeundi impetrent. *Tiberius* eum primò benignè receptum, literis ab *Herennio Capitone* datis duriùs tractavit. Etenim certior de *Agrippa* factus, quàm turpiter ſe *Jamnius* & fiſco furtim ſubduxerat, omnem ei acceſſum interdixit, donec pecuniam numeraret. Hæc eum anxiè mordent: *Tiberium* novit nullo modo fraudandum; nec id ſubterfugium *Capreis* ſperare potuit, quod *Jamnius* occurrerat. A *Cæſaris* nutu pendebant & vita & fortunæ, nec audebat diſplicentiæ ejus periculum facere moras nectendo. De *Antonia* igitur *Germanici* matre, veteri *Berenices* Agrippæ matris amicâ, ære contracto, pecuniam fiſco debitam ſolvit. Redintegratâ Principis gratiâ, eò amicitiæ, ut in *Caji* nepotis & regni hæredis neceſſitudinem, interpellante ipſo *Tiberio*, adduceretur.

Agrippa in carcerem miſſus.

Felix quidem *Agrippa*, modò hìc ſiſteret fortuna! *Cajo* in deliciis, nec non *Tiberio* in ſpeciem charus, *Antoniam* inſuper, & *Claudium* Imperio olim potiturum amicos habuit, ſed ſibi ipſi iniquus. Accidit enim quondam, ut is liberiùs cum *Cajo* verſatus, (ſuæne ſpei an *Cajo* adblandituros) votum ſibi infauſtum ederet. *Utinam*, inquit, *accelerato Tiberii die extremo*, *Cajus ſummam rerum attingeret!* Hæc *Eutychus* unus è libertis ſubaudiens, ad tempus in ſe retinuit. Poſt verò furti poſtulatus, & coram *Piſone* urbis Prætore rogatus, quare fugam arriperet: reſpondit ſe magna *Cæſari* proditurum, quæ ipſius vitam ſpectarent. *Piſo* eum vinculis nexum *Tiberio* mittit, à quo tamen non mox ad examen vocatur. *Agrippa* interim an verborum ſuorum oblitus, an *Eutychum* eis aſtitiſſe haud conſcius, nec de ſe omnino ſolicitus, ac ſi in ipſum ulla accuſatio intentaretur, an ſaltem, quò audentior, eò minùs in noxa eſſe putaretur; pro certo eſt, is veterem ſoſpitatricem *Antoniam* ſæpius prenſat, ut interpellante ipſa, *Tiberius* in liberti examen citiùs deſcenderet. *Cæſar*, etiamſi rem olfeciſſet, moras lubens traxit, non tam in *Agrippæ* quàm *Caji* gratiam,

 quem

Digitized by Google

ANN. CHRIS. 37. TIBER. 22.

quem etiam culpæ affinem novit. Tandem verò, quaſi nimiâ *Antoniæ* inſtantiâ ægrè victus, *Dii Deæque teſtes mihi ſint*, inquit, *quicquid jam fecero, tua potiſſimum, ô Antonia, id efflagitavit importunitas.* Tunc coram ſiſti *Eutychum* jubet: qui quum iſtiuſmodi verba, aliaque nigrioris notæ *Cajo* dicta, præſente ipſo, *Agrippæ* imputaſſet; *Tiberius* Macroni indicat, ut eum vinculis daret. *Macro* arctiùs vinciendum *Eutychum* ad ſeverius examen putat. *Cæſar* verò exurgit, & tacto *Agrippa*, *Non iſtum*, inquit, *ſed hunc volo.* Quem verò? inquit *Macro*. *Agrippam* dico. Tunc tandem expertus eſt *Agrippa*, quam præcipiti fato res ſuas peſſum egiſſet, & fruſtra eum ſupplex orare, cujus ſupplicium nuper rogarat. *Cæſar* enim haud adeo ægrè *Eutychum* ad examen vocarat, ac jam in *Agrippam* inflexibilis fit. Porrò vinculis datur, atque (ut ut purpuris cinctum) in carcerem mittunt. Is *Thaumaſto*, uni è *Caji* famulis amphoram aquæ plenam geſtanti obviam facit; ex eo, multa ſiti uſtus, hauſtulum petit; nec non id refrigerii promptè ſubminiſtraturo promittit, modò Dii hiſce infortuniis felicem exitum fecerint, eum huic opportuno munuſculo mercedem reportaturum: quod poſtea ei amplè ſucceſſit.

Thraſyllus Mathematicus.

Is olim *Tiberio* devinctus propter artem Aſtrologicam, cujus ſe peritum ſatis, vivo adhuc *Cæſare Auguſto*, cum multo ſuæ vitæ diſcrimine apud *Rhodum* oſtenderat. Etenim *Tiberius* Chaldæorum ſcientiæ fautor, ſolitudine & otio apud *Rhodum* olim fretus, ei adipiſcendæ incubuit, aliis partim ſibi accitis, partim ultro advolantibus, qui iſtiuſmodi artes callerent. Eos experiri ſolitus eſt, modo quidem periculis pleno, ſed iſtiuſmodi flagrionibus non indigno. Quoties ſuper negotio conſultaret, edita domûs parte, ac liberti unius conſcientia utebatur. Libertus literarum ignarus, corpore valido, per avia ac dirupta (nam ſaxis domus imminet) præibat eum cujus artem experiri *Cæſar* ſtatuerat: & regredientem, ſi vanitatis, aut fraudum ſuſpicio inceſſerat, in ſubjectum mare præcipitabat, ne index arcani exiſteret. Igitur *Thraſyllus* iiſdem rupibus inductus, poſtquam percontantem commoverat, imperium ipſi, & futura ſolerter patefaciens, interrogatur an ſuam quoque genitalem horam compeiſſet, quem tum annum, qualem diem haberet. Ille poſitus ſyderum, ac ſpatia dimenſus hærere primò, dein paveſcere, & quantum introſpiceret, magis ac magis trepidus, admirationis ac motus plenus, poſtremò exclamat ambiguum ſibi, & propè ultimum diſcrimen inſtare. Tum complexus eum *Tiberius*, præſcium periculorum, & incolumem fore gratatur; quæque dixerat, oraculi vice accipiens, inter intimos amicorum tenet.

In hoc anno, ſecundum *Dionem*, *Thraſyllus* (ac ſi eſſet *Tiberii* prodromus) diem ſuum obiit: in hoc unico mendacio, dum ſuprema traheret, felicior, quam per totum anteactæ vitæ curriculum, modò aliquid uſpiam veri prædixerat. Etenim ſimulatâ Magiæ vi, *Tiberio* animum dedit ac ſi per decennium diutiùs viveret: ex quo remiſſior is factus, non adeo nonnullorum fata præcipitat, quin inopinanter mortuum eum evaſerunt.

Bellum natum inter Aretam & Herodem Reges.

Veteres inter *Aretam* Arabiæ petroſæ Regem, & *Herodem* ſimultates eò olim agitabantur, ut cominùs pugnatum ſit. *Herodes* enim repudiata uxore, Aretæ filia, *Herodiadem* (ut ut *Philippo* fratri priùs deſponſatam) nupſit. Huic rei indignatus *Aretas*, ultionem meditatur. Occaſionem bellandi quærit, occupata ditione quadam, de qua lites inter ſe antehac moviſſent. Acie decernunt, qua *Herodis* exercitus proteritur: idque ex inſidiis transfugarum quorundam, qui à *Philippo* fratre defecti in *Herodis* partes tranſierant. *Et hic*, inquit Joſephus, *à plurimis obſervatum eſt, Herodis militem tantâ internecione deletum, ita ordinante divinâ nemeſi, ne iniquiſſima Joannis Baptiſtæ cædes impunè patrata videretur.*

Nec equidem notatu minus indignum eſt, quòd iidem ipſi qui huic ſtragi copiam fecerunt, eodem ſolo nati eſſent, quo improba iſta *Herodias*, prima horum omnium malorum ductrix, tam in trucidando Baptiſta, quàm in fovendis hiſce ipſis ſimultatibus. *Herodes* clade ſemel accepta, & mitioris fortunæ in futuro dubius, criminum fortaſſis vi & metu preſſus, *Tiberium* literis gravi querela refertis interpellat. Is an *Aretæ* fortuna, an audacia motus ciendi intra Imperii limites infenſus, *Vitellii* Syriæ Procuratoris ignaviam miſſis literis objurgat, inſuper jubens, ut inſtaurato bello, vel vivum Regem vinctum, vel obtruncati caput *Romam* mittendum curaret. Verùm ingruente jam bello, *Tiberius* necem alii intentans, ipſe diem ſuum claudit: quod infra fuſiùs liquebit. Annus quo *Herodi* primò infeliciter pugnatum eſt, haud multùm nobis refert, dum ex rerum ſequela pro certo habemus, hunc ipſum annum eſſe, quo in novam belli rabiem utrinque accinctum eſt.

CHRI-

Digitized by Google

ANN. CHRIS. 38. TIBER. 23. CALIG. 1.

ANN. CHRIS. 38. TIBER. 23. CALIG. 1.

ROMANA ET JUDAICA HISTORIA,

AD

Annum CHRISTI XXXVIII.

TIBERII XXIII.

nec non

CAJI CALIGULÆ I.

Mundi 3965. U. C. 790.

Coſſ. { *Cn. Proculo Acerronio.* *C. Pontio Nigrino.* }

PARS I.

HISTORIA ROMANA.

Macro ad omnia turpiſſimus.

VIr nequam in quantum poſſet: eoque nequior factus, quò gratia Cæſarum crevit, & creſcendi ſpem auxit. Eum *Tiberius* primò fovit, ut qui *Sejanum* odit, improbum quidem hunc, ſed improbum illum magis. Subverſo *Sejano*, vix quempiam tulit ſui æmulum. Sejani vices ſubiit, Prætorianorum militum Præfecturâ, quidni & *Cæſaris* gratia, pravaque morum protervia, ac ſi eſſet ei honorum, fortunæ, vitiorumque hæres ex aſſe. *Tiberio* ad omnia natus aptus, prout *Sejani* ſucceſſorem decuit. Suapte naturâ ferox, nonnunquam præter ipſius Tyranni votum. Sedulus *Sejani* amicorum explorator, horumque ſubjugandorum prætextu, in quoſvis vel ipſi moleſtos, vel obſequii difficiles ſecurè laſciviit. Teſtes *Cn. Domitius*, & *Vibius Marſus*. Hi unà cum Albucilla *Satrii* ſecundi uxore, adulterio gravati, de conjurata etiam Principis nece poſtulantur. Interea vero nullæ *Cæſaris* literæ accuſationi apponuntur; indicium unici *Macronis* odii & invidiæ. *Albucilla*, an ſibi malè conſcia, an propter *Macronis* inimicitias animo diffiſa, ſemet vulnerat, ſed irrito ictu, Senatûs juſſu in carcerem fertur. *Graſidius* & *Fregellanus*, dicti ejus ſtuprorum miniſtri, ille in inſulam deportatur, hic Ordinem Senatorium amittit: iiſdem etiam pœnis in *Lælium Balbum* decretis. Id quidem à lætantibus, quia *Balbus* truci eloquentia habebatur promptus adverſum inſontes. *Domitius* & *Marſus* pari noxa (ſi Diis placet) onuſti, defenſionem meditantes pro-

ANN. CHRIS. 38. TIBER. 23. CALIG. 1.

produxere vitam; partim obveniente *Tiberii* exitu, partim illuſiva Thraſylli prædictione, ſpem longævioris diei *Tiberio* præbente, feliciùs evaſere. Non ita *L. Arruntius:* Is ejuſmodi criminationibus laceſſitus, *Macronis* inimicitias adeo indignè tulit, præconcepto inſuper de *Cajo* (quum is Imperii potiretur) malo omine, ut perinde habuit *Tiberium* effugere, dum *Cajus* eum excepturus eſſet. Atque idcirco cunctationem & moras ſuadentibus amicis, *Sibi ſatis ætatis*, inquit: *neque aliud pœnitendum, quàm quod inter ludibria & pericula, anxiam ſenectam toleraviſſet, diu Sejano, nunc Macroni, ſemper alicui potentium inviſus, non culpâ, ſed ut flagitiorum impatiens. Sanè paucos & ſupremos Principis dies poſſe vitari: quem ad modum evaſurum imminentis juventam? An cum Tiberius poſt tantam rerum experientiam, vi dominationis convulſus & mutatus ſit; Cajum Cæſarem vix finitâ pueritiâ, ignarum omnium, aut peſſimis innutritum, meliora capeſſiturum Macrone duce? qui ut deterior ad opprimendum Sejanum delectus, plura per ſcelera Remp. conflictaviſſet. Proſpectare jam ſe acrius ſervitium; eoque fugere ſimul acta, & inſtantia.* Hæc vatis in modum dictitans (flebile dictu!) venas reſolvit. *Tacit.*

Verùm, ut ut *Macro* tam ſuis ipſius explendis inimicitiis, quàm ſatianda *Cæſaris* tyrannide operam navat, haud minore obſequio *Cajum* juvenem, quàm *Tiberium* ſeneſcentem proſequitur. Hujus gratiam captans, ut præſentes fortunas; illius, ut de futuro tutas præſtaret. Nullam curam omiſit qua *Cajum* in *Tiberii* gratiam & ultra proveheret, & provectum, altius actis radicibus tuto firmaret. Unum obſequii exemplum, æternæ nominis infamiæ ſe dedit: ſcil. *Enniam Thraſyllam* conjugem ſuam, primo in laſcivos *Caji* amplexus pelliciens, dein à ſe dimiſſam, principi in nuptias conceſſit. Gnarum hoc *Tiberio*, nec adeo eum obcæcarat ſenectus, quin abditas *Macronis* ambages percipiens, *occidentem ab eo deſeri*, & *orientem ſpectari* exprobravit.

ANN. CHRIS. 38. TIBER. 23. CALIG. 1.

Mulier infamoſiſſima.

Quum de *Macronis* uxore, ſeipſam proſtituente, mentionem habuimus, haud abs re erit, matrem *Sext. Papinii* uno hiſtoriæ filo texere. An is ipſe erat *Papinius* noviſſimi anni conſul, an ejus filius, an prorſus alius, haud multum nobis refert. Parente ſanè infeliciſſimus, ut cujus libidini, exitium ſuum acceptum tulit; eadem nempe tam occaſûs quàm ortûs cauſa & origo. Iſta mariti repudium jam pridem paſſa, ad filium ſe recepit, quem aſſentationibus & luxu, juvenem ad ea perpulit, quorum effugium non niſi morte inveniret. Credibile eſt eum ad inceſtum inſaniiſſe: & enim jacto ejus in præceps corpore cum repentinum & informem ſibi exitum delegiſſet, cauſa ad matrem referebatur, ex qua accuſata in Senatu, urbe in decem annos prohibita eſt, donec minor filius lubricum juventæ exiret.

PARS II.

HISTORIA JUDAICA.

Belli apparatus in Aretam Regem.

Vitellius literis à Cæſare in *Aretam* acceptis, metu magis *Tiberii*, quàm *Herodis* partium fautor, bellum ſuſcepit. Delectu itaque facto, exercitum in *Herodis* ſuppetias ducturus, *Judæam* pertranſire in animo habuit. Judæi interim, quorum religio erat imaginum quarumcunque, quibus tamen Romani militis vexilla ornari ſolent, vituperium, ſupplices orant, & ſuperatâ *Vitellii* clementiâ, aliò divertunt. Solummodò ipſe unà *Herode* & amicorum nonnullis ſtipatus, *Hieroſolymas* venit, ubi ſacris factis, *Jonathanem* Pontificatu deturbat, ſuffecto in locum *Theophilo* fratre. Id ad feſtum quoddam *Judaicum* factum narrat *Joſephus*, nec feſtum tamen nominat. Utcunque, *Vitellius* tridui iſtic moras trahens, *Tiberium* diem ſuum obiiſſe per literas novit. Penès itaque lectorem eſt, an feſtum hoc

cenſeat

Digitized by Google

ANN. CHRIS. 38. TIBER. 23.

cenſeat Paſcha an Pentecoſten. E Romanis Scriptoribus liquet *Cæſarem* fato functum medio menſis *Martii*; & vix credibile eſt rem iſtiuſmodi momenti adeo tardè advectam, ut non niſi ad feſtum Pentecoſtes, h. e. ſpatio ferè trimeſtri, *Syriæ* Præfectum, vel gentes Orientales pertigerit. Oportuit ſanè totius Imperii munia, novo Principi fidelitatis juramento quamprimum obſtringi, ne ex procraſtinatione res peſſum irent: id quod *Vitellius* accepta ſemel *Tiberii* morte extemplò fecit. Et tamen, haud magis credibile eſt, nuncios rei tantâ feſtinatione advolare poſſe, ut tantillo temporis ſpatio (quod à medio menſis *Martii*, ad medium feſti Paſchatis intererat) ab urbe *Roma* ad *Hieroſolymas* uſque perlata eſſet.

Verumenimverò *Vitellius* de re certior factus, militem in ſtativa reductum in hiberna quæ nuper reliquerat, diſponit: incertus ſcil. An *Cajus* à partibus *Herodis* contra *Aretam* ſtaret. Gaudet ſanè hanc armorum intercapedinem Arabum Rex, quam tamen ipſe aliquali mòdo prædixerat. Etenim acceptis literis, *Vitellium* aciem in ſe formidabilem paraviſſe, conſulto prius Magorum cœtu, *Vires iſtæ*, inquit, *quantumvis in me coactæ*, *Arabiam nequicquam pertingent: unus enim vel alter ducum ſuprema trahiturus eſt, ſive is qui bellum jubet, ſive is qui ſuſcipit, vel ſaltem is cujus ergò indicitur:* h. e. aut ipſe Tiberius, aut Vitellius, aut *Herodes* Rex.

ANN. CHRIS. 38. TIBER. 23.

Omen etiam Agrippæ vincto factum.

Occurrit apud eundem *Joſephum*, Tiberii mortis præſagium *Agrippæ* indultum. Is, dum inter alios præ regiis foribus ſtetit vinculis conſtrictus, animique anxius arbori innixus eſt, advolans noctua arbori inſedit. Hanc conſpicatus unus e vinctis natione *Germanus*, rogat, quis iſte purpuratus arbori innixus? & *Agrippam* audiens, libertatem ei, ſummos honores, & res ſecundas prædixit; nec non ut ex ave iſta ſecundò viſa diem ſuum ſupremum plus minus quatriduo poſt expectet. Atque in hunc modum cæca & credula ſuperſtitio *Tiberii* fata ex avibus conjectat, à Phœnice ad bubonem uſque.

HISTORIA ROMANA iterum.

Tiberij ultima.

BIs omnino toto ſeceſſus tempore Romam redire conatus eſt. Sed re infecta. Ultimò, atque id non diu antequam è vivis exceſſit, via Appia ad ſeptimum lapidem profectus, hujuſmodi oſtento territus rediit. * Ei in oblectamentis ſerpens draco, quem ex conſuetudine manu ſua cibaturus, cùm conſumptum à formicis inveniſſet, monitus eſt ut vim multitudinis caveret. Rediens itaque properè Campaniam, *Aſturæ* in languorem incidit: quo paulùm levatus, Circeios pertendit: inde *Miſenum* devectus, nihil ex ordine quotidiano prætermitteret, ne convivia quidem, ac cæteras voluptates. An pro aſſueto gulæ luxu, an ſimulatione uſus, an *Thraſylli* prædictioni fiſus, id fecit, dubium. Medicorum artem ſemper irriſit, ſcommate eos urens, qui à triginta ætatis annis non nôrunt quid corpori ſuo utile, quid noxium ſit, quin aliorum conſiliis indigeant.

* *Vide Suet. in Tib. Ner.*

Succeſſorem deliberat.

Deficientibus jam naturæ viribus, de ſucceſſore anxius hæret. *Druſo* genitum cogitavit nondum pubertatem ingreſſum; *Germanici* filium vulgi ſtudiis fretum nimis; *Claudii* mentem bonarum artium ſtudiis imminutam & emollitam. Modò primum vel poſtremum ſtatueret, metuit prudentiæ labem; ſuæque ipſius memoriæ ſtudium vetuit, ne *Germanici* filius rerum potiretur. Sin extra domum quæreret, verebatur ne ipſum nomen *Cæſarum* peſſundaret. Præ ſe tulit quidem curam Reipublicæ, ſed revera ſibi nomen in poſteros, & ſuorum gloriam captavit. Verùm ſpecie piæ in Rempublicam curæ, jubet ut Diis litaretur, auſpicio facto, (dirigente interim ipſo) ut qui ſe manè primus ſalutarit, regni faſces capeſſeret. Signum ſanè ejus in poſteros ſtudii, quum in re graviſſimi momenti, nugis ſe dederit! Affectu quidem in *Tiberium* juvenem pronus, aſtutiâ in *Cajum*, nepotes ambo. *Illum* quidem Imperium adeptum cupit, nec tamen *hunc* prorſus exortem voluit. Inter unum atque alterum hæſitans ſibimet omnino cavit. Interim *Cajo* (Diis ita, ſi placet, ordinantibus) ſors obtigit, atque is hæres dictus, etiamſi eum in Reipublicæ perniciem natum ſuſpexerat. Hæreditatis partem *Tiberio* juveni legat, quem tamen ſemel ulnis complexum, non ſine lachrymis prædixit, perfidâ *Caji* manu olim trucidandum. Proh monſtroſam vafritiem! quæ nepotem eo conſilio in exitium prodit, quo ex turpiſſimis *Caji* flagitiis ipſe honeſtior videretur. Hoc nimirum ejus in Rempublicam ſtudium, ſucceſſorem relinquere qui omnimodâ

Digitized by Google

ANN. CHRIS. 38. TIBER. 23.

vitiorum maculâ labefactatus palam faceret, *Tiberium* non fuiſſe inter mortales execratiſſimum. Et tamen ſpecioſum *Cajo* conſilium dat, tam probitatis in rebus publicis adminiſtrandis, quâ ipſe omnino defecerat, quàm pietatis in fovendo *Tiberio* juvene; id quod ut nequaquam ſperavit, ita perinde habuit an fecerit, nec ne.

Moritur.

Indicium appropinquantis fati *Cajo* & *Macroni* dedit Medicus quidam arte inſignis, nomine *Charicles*, dolo uſus. Is dum convivio cum *Cæſare* diſcubuit, velut propria ad negotia digrediens, & per ſpeciem officii manum complexus, pulſum venarum tentat. Neque verò *Tiberium* fefellit: ille enim rem perſpectam intus premens inſtaurari epulas jubet, *Chariclem* ulteriùs diſcumbere hortatus. Is verò quamprimum evaſit, labi ſpiritum *Tiberii*, nec ultra biduum duraturum, *Macroni* cæteriſque ſolem orientem expectantibus firmavit. Inde cuncta novo Imperatori parantur, ſperato ſenis ſupremo anhelitu. *Tiberius* verò ſimulare in vita ſolitus, nec in extremis deſiit: etenim cum intercluſa anima mortalitatem expleviſſe creditus ſit, & cum multo gratantium concurſu ad capeſſenda Imperii primordia *Cajus Cæſar* egrederetur, ecce repente adfertur, redire *Tiberio* vocem & viſum, vocarique qui recreandæ defectioni cibum adferrent. *Macro* nuper *Tiberio* in omni crudelitatis officio devinctus, in ipſum Principem jam artem convertit, & loco cibi, pulvino os obturat, vel, ut alii, injectu multæ veſtis opprimi ſenem jubet. Variè equidem de modo exitûs ſcriptum eſt: nonnulli, ut ſupra; alii venenum ei à *Cajo* datum; alii in remiſſione fortuitæ febris cibum deſideranti negatum. Sunt qui dicunt eum ſubito vocatis miniſtris, & nemine reſpondente, conſurrexiſſe, nec procul à lecto deficientibus viribus concidiſſe. Quæ omnia à *Suetonio* notantur. Nec multum refert quem finem vitæ fecit: pulvinum faucibus injectum plurimi cenſent; quod quidem, cùm anteactæ vitæ adeo congruum eſſet, mirum eſt eum tam diu effugiſſe. Obiit decimo ſeptimo Calend. *Aprilis*, h. e. decimo ſexto menſis *Martii*; ſecundùm *Dionem* verò, die ſeptimo. Cujus anni quod reliquum eſt, in *Caji* Cæſaris primum cenſeri debet.

CAJUS CÆSAR.

Exceſſit nequam Princeps, à nequiore exceptus. *Cajus Germanici* optimi patris peſſimus filius. Is populi gratiam parentis memoriæ debitam tenuit, donec ſuis ipſe turpiſſimis moribus ultro eam alienavit. *Caligulæ* cognomen habuit, ex militari habitu ſumptum, quem caſtris, quibus natus & enutritus fuerat, geſſit. Propter ipſum natalium locum militibus charus, donec brutâ quadam uſus barbarie exoſum ſe dedit. Mirum eſt deteriorem *Tiberio* inter mortales naſci poſſe: at non latuit naſutum iſtum, qualis futurus eſſet *Cajus*, & quantum ſuæ famæ interfuit hujus inaudita morum pravitas. Sunt qui naturæ vitium, in ſævam nutricem, *Preſſillam* Campaniâ oriundam, rejiciunt. Hujus gentis fœminarum mos erat, papillas erinacei ſanguine inungere, quo nativam quaſi feritatem infantuli imbiberent. Superavit hæc mulier (ſaltem quoad patriam barbariem) etiam ſuæ gentis fœminas, utcunque aliis ferociores: mammis hirſutis nota, nec non in re militari, quam ipſe Romanus miles, haud minùs exercita. Semel dum *Caligulam* lactavit, aſtante puerulo offenſa, eum membratim diſcerpit, atque effuſo ſanguine illitos uberes *Cajo* ſugendos præbet. Hunc inſuper id genus efferâ morum indole à cunis imbutum, excepit immanior ſchola, & truculentior inſtituendi modus. *Tiberii* enim mores edoctus, atque exemplo fretus, è bono malus factus eſſet, multo magis è malo pejor. Simulandi tamen artem ab anteceſſore adeo ad unguem didicerat, ut ſceleſtam hanc mentis indolem, non ſolùm dum in vivis eſſet *Tiberius*, ſed & poſt adeptum Imperium aliquandiu obtegit. Verum eſt, ſagaciſſimus ſenex, cui artem ſimulatoriam acceptam referre debuit, ita prorſus perſpexerat, ut aliquoties prædicarit, *exitio ſuo omniumque, Cajum vivere, & ſe natricem* (ſerpentis id genus) *Pop. Rom. Phaetontem orbi educare.* * Quod utique tam ipſi quàm aliis ceſſit. *Tiberio* enim adhuc ſpiritum trahenti pulvinum injici jubens, ipſe manu ſua fauces oppreſſit; liberto qui ad atrocitatem facinoris exclamaverat, confeſtim in crucem acto. Quid Reſp. pateretur infra habebimus.

ANN. CHRIS. 38. CALIG. 1.

* *Vid. Suet. in Cajo Cæſ.*

Tiberius quaſi poſt mortem tyrannus.

Facilis conjectura eſt Cæſaris morte lætari populum, exacerbatum ſcil. priſtinæ crudelitatis memoria. Pars *Tiberium in Tiberim* clamitant; alii uncum & Gemonias minantur; omnes eò petulantiùs invecti, quo metu tyranni nuper ne hiſcere auderent. Eos commovit non modo anteactæ tyrannidis memoria, ſed etiam recens atrocitas, (ac ſi etiam mortuo principe, ſuperſtes adhuc eſſet horrenda crudelitas.) * Nam cùm Senatus-conſulto cautum eſſet, ut pœna damnatorum in decimum ſemper diem differretur, fortè accidit, ut quorundam ſupplicii dies is eſſet, quo nuntiatum de *Tiberio* erat. Hos implorantes hominum fidem, quia, abſente adhuc *Cajo*,

* *Vid. Suet. in Tiber.*

Digitized by Google

ANN. CHRIS. 38. CALIG. I.

Cajo, nemo exſtabat qui adiri interpellarique poſſet, cuſtodes, ne quid adverſus conſtitutum facerent, ſtrangulaverunt

Agrippa periculo proximus libertate donatur.

Agrippa communem lætitiam ſortitus, pro ultima malorum viciſſitudine, inani terriculamento caſu vexatur. *Marſyas* enim *Agrippæ* libertus, *Tiberii* mortem in urbe vulgò jactatam accipiens, rem Domino referre feſtinus diſcedit. Hunc inter alios Thermas profecturum deprendens linguâ Hebræâ alloquitur, *Leo occubuit.* Agrippa ſummâ lætitiâ affectus, centurioni cuſtodi ſuo quærenti quid rei eſſet, apertè narrat. Is etiam de ea re admodum lætatus, libertatem *Agrippæ* ſponte permittit. Veſperi autem inter cœnandum fama eos de novo terret, *Tiberium* vivere, imò & urbem brevi viſurum. Pœnituit utrumque (Centurionem magis) importuni gaudii, quod ſoli *Agrippæ* tamen impræſens triſtius ceſſit. Eum enim Centurio (quaſi ex officio) catenis revinctum, duriori cuſtodiæ tradit: donec proximo mane, novi Imperatoris literæ, anteceſſoris mortem firmant, & *Agrippæ* ampliationem, reditumque in proprias ædes jubent.

Cajus Romam venit.

Reliquias *Tiberii* à militibus in urbem tranſvectas, *Cajus* ſolenni admodum pompâ, funebrique oratione parentavit. In animo erat *Agrippam* eodem die quo urbem intravit, in gratiam receptum libertate donaſſe, ſed ab *Antonia* monitus aliquantiſper ſe cohibuit, ne populum ſuſpicio ureret, *Tiberii* mortem *Cajo* exoptatam nimis, inimico ejus adeo in ſubitas amicitias recepto. Verum non multò poſt miſit *Cæſar* qui in libertatem eum, atque ad aulam vocarent: ubi veſte regiâ ornatus, nec non catenâ ferreâ in auream ejuſdem ponderis versâ, Rex Tetrarchiarum *Philippi* & *Lyſaniæ* coronatur. Hic ille eſt Rex *Agrippa* qui, cæſo *Jacobo*, Petrum vinculis dedit, *Herodis* cognomine inſignis, *Actor.* 12.

Cajus ſimulandi artifex.

In primordiis regni populum captat: turpiſſimis moribus adeò ſpecioſè ſubtectis, ut plebs mutatam rerum faciem (uti ſperabant) effuſo gaudio recipiunt, & per tres primos menſes ſupra centum ſexaginta millia victimarum cæſa traduntur. Lachrymæ ad *Tiberii* exequias miſſæ, ſpecioſa erga parentes defunctos & ſuperſtites ſorores pietas, ficta in Senatum blandiloquia, & in plebem urbanitas; Legatorum ſolutio, vinctorum ampliatio, criminibus facilis venia, bonarum legum reſtitutio, &c. populum adeo oblectant, ut obliti ſtatim ſive è qua ſchola ſimulandi artem edoctus ille fuerat, ſive quàm facillimè tam grandis honorum accumulatio mentem leviſſimi genii & educationis depravare poſſet, *Cajum* ſibimet ſolutâ feſtivitate gratulantur; alterum *Germanicum* ſe habere geſtientes, quoniam filium habent: ac ſi poſſibile eſſet bonum Principem eis à *Tiberio* legari.

Nec tamen adeo in occulto ſe gerit, quin ſagaciorum plurimi per omnes larvas eum dignoſcunt. Etenim haud diu in urbe verſatus, teſtamentum *Tiberii* irritum facit, & cohærede regni vacato, jus arbitriumque omnium penès ſe unicum aſſumpſit. Verùm legata omnia à *Tiberio* relicta, adjectis ſponte donativis munificè perſolvit; ſignum ſanè *Cajum* voluntatem *Tiberii* eâ ſolum ratione antiquare velle, quâ juvenem *Tiberium* hæreditatis ſuæ parte emungeret. Eo itaque è participatione Imperii detruſo, (ſubornato in id Senatu, *Macronis* curâ) *Cajus* propter *Germanici* patris priſtinæ virtutis memoriam, ſpemque de eo conceptam, omni applauſu & acclamatione recipitur. Nec intra *Romæ* aut *Italiæ* limites ſolum, ſed per univerſum fere humanum genus perfuſum eſt gaudium. Quævis regni provincia ob ſperata auſpicia lætata eſt. Quævis ditio, civitas, oppidum in commune omen bacchatur. Undique altaria extructa, oblationes, victimæ, feriæ, Bacchanalia, epulæ, ludi, tripudia, læta ora, laureata capita, modulatæ linguæ, hilares animi ſe produnt; ac ſi totus terrarum orbis extra ſe raptus, nec non extra omnem infelicitatis aleam poſitus, tranquillè ſe per ſecula habiturus eſſet. Hæc modò è tumulo proſpexiſſe poſſit *Tiberius*, vah quàm deceptum populum, & ſcenico Principe deluſum irriſiſſet! ſpatio ſeptem menſium continuatur hæc ſupina feſtivitas, quo recens Princeps adeo æqua moderatione, & comitate urbana ſe geſſit, ut ipſiſſimam Virtutem actu inter eos deſcendiſſe autumarint.

Ut verò menſe octavo in adverſam valetudinem incidit, omnia in luctum verſa ſunt, mœſti homines, fœminæ in planctus ſolutæ, ac ſi mundi machina jam quaſſata eſſet. Cantica in ejulatus, ludi in juſtitiorum dies, & vota ob ſalutem *Cæſaris* mutantur. Nec defuerunt qui capita ſua titulo propoſito voverent. Proh populum falſis gaudiis lactatum miſeratione dignum! Nec mirum ſanè eſt eos in tantum falli, ac Principem in tantum fefelliſſe poſſe. Quis enim talia ſpectando errorem iſtum non erraſſet? Et quis talem fucum feciſſe potuit, niſi alter *Cajus* Tiberii artibus ad amuſſim inſtructus? Non ſolum legata ex teſtamento *Tiberii*, ſed & *Juliæ Auguſtæ* quod detentum ab eo fuerat, ſumma fide perſolvit, deque ſuo munificè elargitus. Matris fratriſque cineres manu ſua in urnas recondidit,

Digitized by Google

ANN. CHRIS. 38. CALIG. 1. didit transferendos eos tempeſtate turbidâ accurans, quò magis pietas emineret, iiſque inferias annuâ religione inſtituit. In memoriam patris, (quem ſub ſqualida oblivione periiſſe indignum fuiſſet) menſem Septembrem *Germanicum* appellavit, proximè *Auguſto* in ordine Calendario apponi jubens. *Antoniæ* aviæ, quicquid unquam honorum *Livia Auguſta* cepiſſet, uno Senatus-conſulto congeſſit. *Suet.* Patruum *Claudium*, ad id tempus Eq. Rom. collegam ſibi in Conſulatu aſſumpſit. Fratrem & jure cohæredem *Tiberium* die virilis togæ adoptavit, futura ſpe lactans, quem de præſenti fortuna dejecerat; appellavitque eum *Principem juventutis*, inanis tituli blanditiis oblectans, quem à ſolido principatu deturbarat. Sororibus amplos honores fecit. Sed (quod infra videndum eſt) inceſtu magis, quam fraterno affectu flagrans. Auctor eis fuit, ut in omnibus ſacramentis adjiceretur, *Neque me liberoſque meos chariores habeo, quàm Cajum & ſorores ejus.* Item in relationibus Conſulum: *Quod bonum felixque ſit, Cajo & ſororibus ejus.* Pari popularitate damnatos relegatoſque reſtituit, damnatâ iniquitate fori. Incentiva ad libidines & fœdos mores urbe ſubmovit. Criminum in ſe privatim admiſſorum gratiam fecit: anteceſſorum damna ſupplevit: ut vix mirum, modo univerſa Reſp. ægrotante tali Principe, & ipſa ægrotarit.

Cajus larvas ſeponit.

Ne diutius in ſimulata vitæ parte hæreamus; videamus qualem ſe revera oſtendit. Reſtitutâ enim valetudine, adeo ſe prodit, ut parum inde convaluerit Reſpublica. Initium malæ adminiſtrationis, in nimia levitate, ludis, & profuſâ æris decoctione viſum eſt; progreſſus, in belluinis libidinibus, efferata & immani tyrannide, ſanguine ſubditorum ad libitum emiſſo. Et ſanè quod ad convivia ſpectat, ludos, munera gladiatoria, beſtiarum pugnas, (urſarum nempe quadringentæ, & totidem ferarum Africanarum eodem tempore) quod ad muſicæ conventûs ſpectacula, ſeveram animadverſionem, ne quis ea impunè neglexerit, & in hiſce omnibus infandam prodigalitatem (decoctis ſupra viginti millionibus ſpatio trium annorum & minus) levia quidem ſunt, & vix non in virtutum numero cenſenda, præ monſtroſis ſceleribus, quibus cæteram vitæ partem dehoneſtavit.

Caji crudelitas.

Convaleſcit Imperator, quod in Reip. morbum, & ſubditorum necem vertit. Interna enim jam naturæ ſævities, aliquandiu repreſſa, effrænis erumpit. *P. Afranius Petitus*, plebeius, & *Atanius Secundus* Equeſtris Ordinis, ægrotante Principe, fictane aſſentatione, an ſpe mercedis, juramento in ſe receperant; hic, ſalvo Cæſare, caput devovere; ille, gladiatorium munus perſolvere. *Cajus* redintegrata valetudine, de hujuſmodi votis certior factus, ſpecie evitandi perjurii, ab utroque exegit. Serò eos pœnituit vanę adulationis, ut qui mercedem obſequii inexpectatam reportarunt. Porrò nobilem *Silanum* ſocrum (ſpecioſiore quadam ſimulatione uſus) fœdè tractavit. Odii cauſam non habuit, niſi duplicem illum inter mortales amicitię nexum, affinitatem & virtutes. Hunc indignè inſectatus perpulit, ut fauces novacula ſecaret. Claudiam *Silani* filiam ſibi deſponſatam dimiſit; & *Corneliam Oreſtillam* nuptias cum *Calpurnio Piſone* conſummaturam, cum is nuptiali cœnæ intereſſet, ad ſe duci jubet, nec non poſt menſem unum vel alterum repudiatam *Piſoni* remittit.

Tiberii Juvenis flebilis exitus.

Et jam hauſto nonnullorum ſanguine, urit Tyrannum atrocior ſitis. Fratrem ſuum, Imperii comitem, & jure adoptionis filium, *Tiberium* culpæ vacuum, patrimonio prius (irrito *Tiberii* ſenis teſtamento) exutum, vitâ etiam orbandum ſtatuit. Id quod utcunque ſenex olim præſenſerat, nihil tamen ei curæ fuit juvenem à *Caji* inſidiis tutum præſtare. Is itaque in Principem cauſatur, vel quod procurante eo ipſe ægrotarat, vel quod dum ægrotaret, is lætabatur, vel ſaltem Imperatoris necem intenderat. Leviſſima ſanè accuſandi anſa, quæ tanto Principi lethalis fieret! mori eum tamen ſtatutum eſt, idque modo moriendi intolerabili. Manu enim ſua perire juſſus, quantumvis è Tribunorum, Centurionum, vel aliorum quorumvis militum grege carnificem rogavit, impetrare nequiit: ſuſtentandæ ſcil. dignitatis ergò, ut quæ à vulgari manu labefactaretur. Fruſtra itaque cervicem à quovis aſtante feriendam nudavit: nemo enim capitis ſui metu id auſus fuit. Nec ultra miſerando Principi indultum eſt, quam ut expeditiori modo moriendi inſtructus, lethali ictu ſibimet incuſſo citiſſimè oppeteret. Quo ſemel facto, *Cæſar* metu regni participis & æmuli liberatus, in alios ſe vertit, eos nempe qui vel amico & ſaniori conſilio, vel alio quovis modo pravis ejus cupiditatibus adverſarentur. Verum de his infra.

N. B. Cajus Cæſar, quoad poſteriorem hujuſce anni partem aſſumpto ſibimet collega *Claudio*, Conſulatum geſſit; eorum tamen nomina nollem inſerere, ne interturbaretur ordo & nexus hiſtoriæ.

ROMA-

Digitized by Google

ANN. CHRIS. 39. CALIG. 2.

ANN CHRIS. 39. CALIG. 2.

ROMANA ET JUDAICA HISTORIA,

AD Annum CHRISTI XXXIX.

CAJI CALIGULÆ II.

Mundi 3966. U. C. 791.

Coſſ. { *M. Aquilâ Juliano.* / *P. Nonio Aſprenate.* }

PARS I.

HISTORIA ROMANA.

Roma ſævis afflicta.

INeuntem annum horrendum omen inſignit. Primo enim menſis *Januarii*, Machaon ſervus, aras *Jovis Capitolini* aſcendens, ibique plurima in urbem dira vaticinatus, catuli primò, (quem ſecum habebat) dein ſuo ipſius ſanguine ædes conſpergit. Nec equidem fefellit præſagium. Etenim *Cajus* ſe totum in crudelia addixit, etiam inter jocos ferox. Innumeras gladiationes juſſit, atque id non viritim ſolummodo, ſed frequenti turbâ inter ſe commiſſa, horribilem ſtragem fecit. Sex ſupra viginti Equites Rom. inter iſtiuſmodi fatales ludos occumbunt; ridente interim Tyranno, cruentâque eorum cæde delectato. Unum ex Equeſtri Ordine in arenam detruſit, victoremque evaſurum, unà cum patre ſuo, nec non amicorum pleriſque uno loculo compreſſis, ſuffocari juſſit. Deficiente ſemel damnatorum numero, quoſdam qui ſpectatum venerant, feris objiciendos præcepit, abſciſſis primò linguis, ne planctus aut querelas ederent. Verum enimvero inter hæc omnia popularitatem affectat, fœdiſſimis his factis meliora miſcendo quæ plebem captarent. Adaucto Equitum numero, immunitatibus populo conceſſis, congiariis profuſâ manu datis, nonnullos eâ mente palpat, quâ plauſibiliori crudelitate in alios effrænè magis inſæviret.

De Macronis exitu.

Æquum ſanè eſt, ut qui alios iniquâ morte oppreſſit, ipſe iniquiore perderetur. Parem jam ſibimet crudelitatis mercedem reportat quam aliis porrexerat. Necis tamen cauſa vix non miſericordiam ſuadet.

Digitized by Google

ANN. CHRIS. 39. CALIG. 2

Supra dictum eſt *Macronem* ſummâ operâ & ſtudio *Caji* res apud *Tiberium* procuraſſe, adeoque totum ex *Caji* nutu pependiſſe, ut nec uxorem Principi interdixerit, quin in amplexus ejus ultro eam conceſſerit. Nec equidem ei res ſummas adepto obſervantiam remiſit. Verum quod nuper turpi adulatione, & ſordidiſſimis obſequiis *Cajo* obtinuit, id ei ſanioribus conſiliis firmaviſſe ſtuduit. Hinc *Cæſarem* inter pocula & commeſſationes ſtertentem (ut quod nec tutum ei, nec decorum eſſet) libere objurgat. Quin & nimio riſu & levitate effuſum, ridiculâ quavis geſticulatione uſum (dum ludis interfuit) vehementer corripit; quidni in omne indignum facinus adeo apertâ reprehenſione invehitur, ut Princeps tandem conſilia & objurgationes pertæſus, interfici monitorem juſſit. Fertur *Macronem*, uti etiam *Enniam*, (ejusne an *Caji* uxorem) eidem fato quo nuper *Tiberius* juvenis, ſuccubuiſſe: ſuoſque ſibi ipſis, ex Imperatoris ſententia, carnifices factos. Exitus vitæ ſanè nec huic nec iſti immeritus, ſed quem non debuit *Cajus* omnium mortalium iis inflixiſſe.

ANN. CHRIS. 39. CALIG. 2

Apud *Philonem* quidem *M. Silani* mors à morte *Macronis* locum habet: nos verò autorem *Dionem* ſequuti, aliter. Nec ſanè in rebus levioris momenti operæ pretium eſt quæſtionem agere.

PARS II.

HISTORIA JUDAICA.

Afflicta Judæorum res apud Alexandriam.

SEdit hoc anno (uti & diu antea) Ægypti Præfectus, *Flaccus Avilius*, vir equidem, imperante *Tiberio*, Præfecturæ haud indignus; decedente eo, vix ſui compos. Acceptâ enim *Tiberii* morte, nec non *Cajum* ad Imperii ſummam evectum, metu hujus, dolore iſtius, planè obrutus, totum ſe, quoad res ſuas, deſperationi; quoad Remp. incuriæ & oſcitationi tradidit. Flevit indies amiciſſimi ſui *Tiberii* obitum, eoque magis quò iſtiuſmodi doloris ſocium non habuit. Horrebat animus *Caji* inimicitias, ſibimet nempe aliquali modo conſcius, partim quòd à *Tiberio* juvene ſtetiſſet, præſertim verò, quod *Agrippinæ* Caji matris neci ſuffragium tuliſſet. Acceptâ itaque tam adoleſcentis *Tiberii*, quàm *Macronis* ſui, miſerrima clade, ſpem omnem quam (è *Macrone* potiſſimum) conceperat, deploratus abjecit; & triſtis, iracundus, omnique anguſtia oppreſſus, tam res ſuas quàm publicas inſuper omnino habuit. Eos omnes quibuſcum veteres amicitias coluerat, perfidiæ & inſidiarum ſuſpectos dimiſit: alios quibuſcum longæ ſimultates habebantur, in gratiam redintegratos, ad ſecretiora conſilia recepit. Horum ductui ſupinè ſe tradit. Is nempe qui *Ægyptum* nuper haud malè adminiſtrarat, in omne fœdum prolapſus jam eſt, quod vel prava aliorum conſilia, vel mentis ſuæ protervitas & perturbatio dictitare potuerint. His monitus, Imperatoris gratiam captandi anſam arripuit, ſanguinolentam ſanè & inhumanam, ſed quæ peſſimorum homuncionum odio & inimicitiis arriſit, nec non meticuloſæ Præfecti ignaviæ accommoda ſatis videbatur.

Noſti, inquiunt, *Cajum* Judæis infen„ſum, *Alexandrinis* verò benevolum & „peramicum. Hanc Spartam quam na„ctus es orna. Detur modò licentia *in Ju*„dæos ſæviendi; nil ſanè vel Principi gra„tius, vel tibi ipſi felicius ceſſurum. *Flaccus* ſibimet ſoli charus, nec alterius cujuſpiam, quin unicæ ſalutis ſuæ ſolicitus, malevolis hujuſmodi conſiliis facillimam aurem præbet: atque exinde Judæos primò occultè infeſtans, iniquis dein judiciis pro tribunali opprimens, poſtremò apertum ſe & acerrimum hoſtem palam profeſſus eſt.

Agrippa apud Alexandriam turbas invitè & inexpectatò movet.

Accenditur Præfecti ira atque odium in Judæos ſycophantarum dolis, qui occaſionem (ut putant) nacti iniquè eos inſectabantur. *Agrippa* non ita pridem rerum & honorum inops, ab *Alexandria* receſſerat: jam verò ampliore fortunâ ditatus, atque ad capeſſendum regnum profecturus, illuc divertit,

Digitized by Google

ANN. CHRIS. 39. CALIG. 2.

ſuadente id *Cajo*, quò tutius iter perficeret. Urbem privatim, (ſaltem in quantum grandem adeo & illuſtris notæ virum decuit) ingreſſus eſt. Hunc conjurati Judæorum hoſtes obſervant, nec non adventus cauſam peſſime interpretati, malignè traducunt, ac ſi is *Flaccum* contumeliâ affecerit, Provinciam ſuam uſurpans, numeroſiore clientelâ quam Præfectus ipſe ſtipatus, adeoque ſolenni obſequio apud plebem exceptus, ut meritò ſibi cavere debeat, ne nimium ſibi arrogans hicce novitius Rex, Præfectum probro in præſens, poſtea damno affecerit. Is hujuſmodi ſuſurronibus facilem nimis aurem præbens, nil tamen aperte in Regem attentat, metu Imperatoris *Agrippæ* plurimum amici. Præſentem itaque ore tenus blanditiis palpat, dum abſentis famam lædit, animumque iis clam addit, qui Regem palàm & ex profeſſo probris laceſſunt. Hinc *Agrippa* (nil mali ab eis meritus) per civitatem paſſim, apud ludos, plateas, privatas ædes, atque univerſam tam hiſtrionum quàm cantillatorum turbam, plebeculæ dicteriis vexatus, publico ſcommate inuritur.

De mente quodam capto, ab inſaniente turba in ſpectaculum ducto.

Ex hac ſupina Præfecti tolerantia,* & diſſimulatione dixerim, an nefariâ potius inſtigatione, plebs (in mala nimium in ſe prona) inſolentior jam facta, amentiæ ſuæ ſpecimen dedit, abſurdum an invidiæ plenum magis, penès lectorem eſt. In urbe erat quidam infimæ ſortis & mente captus, cui nomen *Charabas*. Is noctes dieſque (tam frigore quàm æſtu) nudus incedens, commune erat puerorum juvenumque ludibrium. Hunc, inſana plebs foro tractum, ſublimè in ſuggeſto collocant omnibus conſpicuum: dein diademate chartaceo cinctum, pro ſtola regia tegete indutum, longâque arundine (ſceptri loco) ornatum, ſolenni quadam vanitate Regem eum ſalutant. Regem (ſi Diis placet) uti inſanienti plebeculæ parem ſatis, ita Præſidis *Flacci*, hæc omnia ad libitum populi oſcitanter permittentis, repræſentationem non inidoneam. Mimo huic Regi, fictitiâ adeo majeſtate inſtructo, & ridiculâ quâdam pompâ coram exhibito, aſtitere juvenum turba baculis armata, ſatellitum ſpeciem præ ſe ferens. Pergenti qui obviam fecerunt, quidam obſequium præſtant, alii vindictam petunt, nonnulli de Reip. negotiis conſilium inſimulant, omnes denique junctâ vociferatione, *vivere* eum & *valere* jubent: titulo *Mare* ornant, quod lingua *Syr.* (*Agrippæ* quidem patriâ & vernacula) *Dominum* ſonat: indicium ei, in cujus potiſſimùm caput hujuſmodi convitia librata eſſent. Et jam cogitet ſecum lector, uter inſaniret magis, miſerrimus ille & phreneticus vir, an lymphatior civium turba. Proh inſulſam plebem, quæ Regem illuſtrem, Senatui Rom. quin & Principi amicum, in deliciis habitum tot ſannis exciperet! Proh magis inſulſum Præfectum, qui & ipſe horum omnium otioſus ſpectator impunè permitteret!

Nec forte abs re hîc loci erit, de Judæis pauca animadvertere, quorum ſerio luctui ceſſit hæc jocorum ſcena. Quidni ex hac ludicra ficti Regis pompa, coronâ, veſte, ſceptro ad ludibrium factis, in mentem occurrerit, indubitati ſui Regis & Redemptoris ingratiſſima receptio; ubi etiam illius *Barabbæ* nomen huic noſtri *Charabæ* (quoad ſoni ſimilitudinem) haud inepte reſpondet.

Ulterius debacchantur Alexandrini.

Qui Judæorum novum Regem, annuente *Flacco*, cum tali irriſione, ut ſupra, tractarunt, hi eorundem Deo Opt. Max. pro immani ſua audacia, ultra inſultant Synagogas inceſſunt, eiſque ſimulachra haud magis *Alexandrinus* chare, quam Judæis exoſe habita, obtrudere conantur. Hi ſunt quos ſpectat *Hoſeas* Propheta, *Cap.* 3:4. Adhuc neque Dei veri, neque alieni prorſus cultores, à ſimulachris abhorrent, odio interim habentes illum, qui Dei viventis, omniumque creatoris imago eſt & & χαρακτήρ.

Temeratis in hunc modum Judæorum Synagogis aliiſque locis ſacris, Judæi plurimùm ſoliciti ſunt, non ſuipſorum ſolummodo & concivium cauſâ, ſed & univerſæ gentis Judaicæ, ne per Ægyptum ubique, imò per totius terrarum orbis Imperium, hæc in exemplum fierent, atque exhinc Judæorum hoſtes eodem modo in eos graſſandi anſam arriperent. Et profectò quot damnis iſta *Alexandrinorum* commotio regiones longinquas affecerit, infra dicturus ſum.

Cajus inter Deorum numina aſcribi affectat.

Motuum, quos ſupra diximus, autor haud minimus haberi debet ipſe Princeps, ita ſe *Romæ* gerens, ut, quantumvis in humani generis opprobrium vixerit, in Deorum tamen ordinem referri ambiret, ſemet in impia hujuſmodi & ſtupidiſſima arrogantia, arguto hoc ſophiſmate obſtinate obfirmans: viz. cum paſtores & pecorum duces, à grege & armento ſuo tam diſpari gradu & ordine diſtingui ſolent; quanto magis ipſe cum humano generi præpoſitus ſit, non in hominum numero, ſed Deorum apponi meruerit. Huic ambitioni ſuæ ex improba mente primò ortæ, dein aſſentatorum blandimentis fotæ, atque immenſis viribus ſubnixæ, adeo inſolenter indulſit, ut vix ullum Numen invocari pateretur

Digitized by Google

ANN. CHRIS. 39. CALIG. 2.

teretur niſi ſuum ſolum, Diis omnibus quaſi in ſe unitis, & ſibimet ſoli appropriatis. Quinetiam variato habitu, pro libitu ſuo variat Numen. Hodie pellem leoninam & fuſtem aureum geſtans, *Herculem* ſe jactat: cras, pelle caprina, & conto, perſonatum vult *Bacchum*. Dein variegato quodam redimiculo, *Caſtorem* & *Pollucem* præ ſe fert. Radiante autem corona aurea cinctus, unà arcu & ſagittis ornatus, *Apollinem*; caduceo, *Mercurium*; gladio & galea, *Martem* ſe præſtat. In hoc verò Numine repræſentando, ſtricto enſe, & paludamento horridus, ſicariorum turba ſtipatus, adeo malè Deum aut aliquid divinum exhibuit, ut populus terrore perculſus, fœdum aliquod & atrox facinus, cacodæmone & orco dignum, inter iſta ſolennia ſemper expectaret. Sæpe inter *Caſtorem* & *Pollucem* conſiſtens, LATIALEM JOVEM conſalutari ſe offerret. Interdum verò cum *Jove* ipſo ſecretò fabularetur, modo inſuſurrans, modo comminantis voce uſus, ſe à Latinis in Græcos eum relegaturum. Nec equidem iniqua admodum commutatio fuiſſet, modò id feciſſet. Etenim præclariora numinum ſimulachra è *Græcia* apportari juſſit, quibus capite dempto, ſuum ipſius imponi curavit. In Templo ſimulacrum ſtabat aureum ad vivum factum, amiciebaturque quotidie veſte quali ipſe uteretur. Hoſtiæ ei factæ haud minus inſolentes quàm ipſum Numen: pavones ſcil. phaſianæ, aliæque id genus aves, ſummi pretii & rariſſimè inventæ. Ita futilis & vana res eſt homuncio à Deo derelictus, ſuique arbitrio permiſſus, ut tum præſertim ſe Deum fingat, cùm in Satanæ naturam vix non transformatus ſit. Memorabile quidem eſt *Galli* cujuſdam ſubruſtici dictum, qui Imperatori Deorum mimo ſubridens, & propterea ab eo rogatus, quid is de Numine ſuo putaret, audacter ſatis (& tamen, quod mirum eſt, impunè) reſpondit, *Videris quidem mihi maxima fatuitas*.

Res Judæorum apud Alexandriam ad ultimas miſerias redactæ.

Facilis jam conjectura eſt, in quantum Judæorum (Dei veri cultorum) incommodum redierint hujuſmodi Principis nequiſſimi mores, quàm facilis jam præda eis fiunt, qui tam viribus quàm odio & invidia freti, hanc anſam arripiunt. Non enim domi ſolùm, pro turpi adulatorum more, ſuſtentatur impietas Principis, quin foris etiam longè lateque fama rei diffunditur, lætantibus eis quorum in religione erat Deorum multitudo, quòd novum Imperatoris Numen Diis cæteris accenſeretur. Actum interim eſt de Judæorum gente, τῇ πολυθεότητι apprimè infenſa; de Judæis *Alexandrinis* præſertim. Hos enim cùm eorum jurati hoſtes diu afflixiſſent, ulteriorem occaſionem nacti, nollent re infectâ amittere. *Flaccus* quidem atrocius vexando Judæos *Cæſaris* gratiam initurum ſe ſperat: nec non plebs Alexandrina duplici adjutorio ſubnixa, vehementius invicem ſe animant; hinc Præfecti exemplo, illinc Principis.

ANN. CHRIS. 39. CALIG. 2.

In primis itaque *Flaccus* Judæos Synagogis omnibus & προσευχαῖς ſuis, h. e. (quantum in eo fuit) religione ſua & Dei cultu ſpoliatos, dein jurum omnium municipalium beneficio privavit, pronunciatis eis exteris & alienæ gentis: permiſſa *Alexandrinis* inſolentiſſima licentia quovis modo & quibuſvis injuriis in Judæos laſcivire. Hinc illæ lachrymæ.

Tertia plus minus urbis pars è Judæis conflata erat. Hos omnes, diremptis eorum bonis, dein tectis exutos in locum urbis adeo anguſtum coarctant, ut vix ſpatium movendi digitum, multò minùs aciem inſtruendi eis relinqueretur. Hinc fames eis & victûs inopia. Innumeris labiis nè unum fruſtulum, nulla omnino malorum ſeu querelarum medela. Abundavit urbs, ſed quid hoc Judæis aqua & igne interdictis? Ex hac arctata famelicorum turba, furtim ſe nonnulli abripiunt, hinc illinc per littora, per urbem palabundi, miſerrimæ vitæ incerta ſuſtentacula quæritantes. Verùm haud meliori fato, ſed citiori tantùm. Ubivis enim inventi (nec erant miſeris latibula) prehenſi ſtatim, aut lapidibus obruti, aut fuſtibus contuſi, aut vivicomburio damnati necabantur. Sæpè vir cum conjuge & liberis, nec non integro famulitio, in hunc modum acervatim cæſi. Hos flammarum fumo ſuffocandos curant, cùm deeſſet materia qua integrè cremarentur. Alios funibus per vicos ad mortem uſque pertractos, fruſtulatim diſcindunt. Synagogæ incendiis ruunt, participes ruinæ habentes contiguas ædes. Demoliuntur tecta, unaque internecione tandem univerſi ſuccumbunt.

Horum omnium malorum autorem ac ducem ſe fecit *Flaccus*, non tolerando ſolùm, ſed manu ſuâ actu in eos debacchando. Duodequadraginta eorum Seniores (Synedrii enim conſeſſum *Imp. Auguſtus* eis permiſerat) prehenſos, manibuſque à tergo conſtrictis, per vicos primò per ludibrium rapi, dein virgis cædi (uſque ad mortem nonnullos, alios ut miſerrimam vitam ægriùs producant) juſſit. Specie inquirendi in Judæorum arma, (ſubornatâ ſeditionis movendæ famâ) militibus peculandi anſam dedit, fecitque quo eorum bona & facultates impunè abriperent. Apud *Flaccum* valuit neque ætatis neque ſexûs ratio, quin uno impetu in hunc vel illum, ex leviſſima quavis occaſione petulanter deſævîit; diebus, ne feſtis quidem, à carnificina abſtinens, nec ab atrociſſimo quovis tormento-

rum

Digitized by Google

ANN. CHRIS. 39. CALIG. 2.

rum genere abhorrens. N. B. Hìc ſe aperit primò Divina Nemeſis, à tempore quo Judæi *ſanguinem juſti illius in ſe & filios ſuos* malè precati ſint. Quid quod ex ipſa *Alexandria* nonnulli in trucidando Proto-martyre ſuam operam navarant, *Actor.* 6:9.

Agrippa ſceptro ſuo potitus.

Haud credibile eſt *Agrippam* diu apud *Alexandriam* (hoſpiti adeo ingratam) moras traxiſſe, cum regni faſces eum expectarent. Et tamen, ſuis oris appulſus, haud minùs indignè (indignitate eo minùs tolerabili factâ, quò à ſorore germana adeo indignè) excipitur. *Herodias*, inceſta *Herodis* Tetrarchæ conjux, olim fratri ſuo *Agrippæ* in adverſis benefica, jam ad res ejus ſecundas fit invida. Mulier ſanè aliorum malis ſemper gaviſa, capiti ſuo ſpinas jam nectit. Angit ſeſe animi ex inopinata hac fratris ſui ſorte. Iſne qui adeo nuper anguſtiſſimæ fortunæ erat, ære alieno gravis, patriâ, conjuge, propinquis, ex mera egeſtatis verecundia, extorris: is qui nec ſolvendo eſſet quod mutuò acceperat, nec ultra æris conflandi ſpem habuit, iſne regni pompa ornatus, ſplendidoque ſatellitio ſtipatus (pro ridicula fortunæ viciſſitudine) adeo tantum ab ipſo mutatus, in patriam reverterit? Ægrè hæc tulit æmula ac faſtuoſa mulier, nec (etiamſi in fratre) diutiùs feret. Ex invidia itaque *Agrippæ*, ſeu potiùs ſuæ ſortis faſtidio, maritum jurgiis petit, oblatrans, obſtrepera. Videat, inquit, quot honorum faſtigia *Agrippa* ille attigit, dum iſte puſillus, hebes, ſtupidus, dedecorum patiens majora non ambiat, quæ tamen, itinere *Romam* ſuſcepto, facillimè attingenda eſſent: quin experrectus jam tandem nullis neque ſumptibus, neque labori pepercerit, quo voti compos fiat. Vir interim aſſidua hujuſmodi vociferatione victus, *Romam* una cum conjuge ad prenſandum *Cajum* ægrè ſe recipit. *Agrippa* verò ſuſcepti itineris & cauſarum conſcius, haud domi otioſus ceſſat. Quæ autem eorum congreſſum, cauſæ diſceptationem, atque exitum ſpectant, in annum ſequentem rejicienda reſtant.

PARS III.

HISTORIA ROMANA.

Cajus adeo Deo diſſimilis ut κακοδαίμονα ſe prodat.

VIdimus ſupra ſcenicam *Caji* Deitatem. Habeamus jam hominem, prout revera ſe præbuit. Hominem dixerim, an humani generis labem? Cui nequiorem nulla antehac ſecula tulerunt, qui in id tantum vixiſſe viſus eſt, quo indicium faceret quid poterit flagitioſiſſima impietas, cùm ad ſummum rerum faſtigium eveheretur. Mirum ſanè eſſet (niſi quòd poſt ſpretum adeo Numen, nihil mirum videri debeat) quàm ex propoſito majorum omnium, ſororum, cognatorum, cæterarumque neceſſitudinum famam impeteret. *D. Auguſtum* inceſti, *Liviam* ignobilitatis nota urebat. De *Tiberio* prædicabat quæ meruit: Matrem ſuam ſpuriam dixit. Nec denique erat vel ipſi affine aliquid, vel familiæ decus, quod non fœdiſſimis hujuſmodi convitiis conſpurcaret. Sed quid verba querimur, dum res geſtæ adeo præter modum excedunt? Sororibus ſtupri conſuetudinem fecit, quas tamen à ſe priùs vitiatas, aliis proſtravit. Inter has *Druſillam* præſertim (& ad mortem uſque) deperiit. Ex ea mortua lucrum apiſcitur, prout dum in vivis eſſet, voluptates. Conjux quidem erat *M. Lepidi*; fratris verò *Caji* ſcortum: & quam dum vixit ſcortum habuit, poſt mortem Deam eſſe juſſit. Altaria ei conſtructa, vota facta, ſacratæ dies, ſubornato interim *Livio Geminio*, qui religioſè juraret, ſe eam vidiſſe cœlitùs aſſumptam, & in albo Numinum referri. Numen ædepol antehac *Romæ* ignotum, niſi parem dixeris *Cæſarem* fratrem; numen tamen haud minùs in cœlo ſuo grave & moleſtum, quàm id quod *Cajus* in terris egit. Vitio vertebantur tam lugendi defunctam, quàm lætandi ritus: adeo ut ex hoc perdi-

ANN. CHRIS. 39. CALIG. 2.

tiſſimo dilemmate vix quiſquam quali quali cautela uſus ſalvus evaſiſſe potuerit. Riſiſſe, laviſſe, vel quævis gaudii indicia prodidiſſe, lethale erat, cum Principis ſoror & ſuavium è vivis exceſſerit; dum interim fleviſſe, aut ut defunctam luxiſſe, eodem rediit, cum inter Deas immortales cenſeri eam *Cæſar* juſſiſſet. Hinc lucri acceſſio, quum tam lugendo mortalem, quam gratulando immortalem criminibus pariter nexi, Principis fiſcum (profuſiſſimo luxu vix non exhauſtum) ditiorem reddunt: Hi, pactis muneribus, capita ſua redimentes, alii, bonorum ſuorum confiſcatione, dum capitis pœnas luunt.

At at defuncta ſorore, noluit libidini modum dare, præſertim cùm adeo facile ei eſſet matrimonia quot & qualiacunque pro libitu ſuo contrahere. *Lolliam Paulinam*, *Cajo Memmio* exercitûs regenti nuptam, ſubitò ex provincia evocatam, conjunxit ſibi, ea ratione ſolum motus, facta ſcil. mentione aviæ ut quondam pulcherrimæ. Hanc verò brevi miſſam facit, interdicto cujuſquam in perpetuum coitu. Dein *Cæſoniam*, neque facie inſigni, neque ætate integra, matremque jam ex alio viro trium filiarum, ſed luxuriæ & laſciviæ perditæ (fortean ex ſimilitudine morum) ardentiùs amavit. Hanc ſæpè chlamyde, peltaque & galea ornatam, militibus oſtendit, amicis verò etiam nudam; variata mulieris forma, utrinque ſexui incongrua, cum vel beſtiæ, vel maſculi ſpeciem præ ſe tulerit. Ex ea natam habuit *Juliam Druſillam*. Hanc per omnia Dearum templa circumferens, *Minervæ* gremio impoſuit, alendamque & inſtituendam commendavit. Sed levia hæc & frigida videntur, comparata eis quæ ſequuntur. Plurimos Senatorii Ordinis clam interemptos, citare nihilominus ut vivos perſeveravit, paucos poſt dies voluntaria morte periiſſe mentitus. Alios virgis cædit, ita tamen ut mortem evaſerint; quos, inter vapulandum, militum pedibus ſubjici juſſit, quo firmius verberaturi inſiſterent. In hunc modum quoſvis utriuſque ſortis tractavit. Inquietatus ſemel fremitu gratuita in *Circo* loca occupantium omnes fuſtibus abegit: eliſique per eum tumultum viginti ampliùs Equites Rom. totidem matronæ, ſuper innumeram turbam cæteram. Multos ſenio confectos, alioſque patres familiarum notos, debilitate aliqua inſignes, rabidis feris laniandos ſubjecit, ut de inutili iſto hominum genere terras exoneraret; ac nonnunquam horreis præcluſis populo famem indixit. Cum ad ſaginam ferarum pecudes rariùs compararentur, ex noxiis laniandos adnotavit. Multos honeſti ordinis, deformatos priùs ſtigmatum notis, ad metalla, aut ad beſtias condemnavit, aut beſtiarum more quadrupedes cavea coërcuit, aut medios ſerra diſſecuit. Parentes ſupplicio filiorum intereſſe cogebat: quorum uni valetudinem excuſanti, lecticam miſit; alium è ſpectaculo pœnæ, epulis ſtatim exhibuit. Curatorem munerum ac venationum per continuos dies in conſpectu ſuo catenis verberatum, non priùs occidit, quàm offenſus putrefacti cerebri odore. Equitem Rom. objectum feris, cùm ſe innocentem proclamaſſet, reduxit, abſciſſaque lingua rurſus induxit. Revocatum quendam a vetere exilio ſciſcitatus quidnam ibi facere conſueſſet: reſpondente eo per adulationem, *Deos ſemper oravi, ut, quod evenit, periret Tiberius, & tu imperares*; opinans ſibi quoque exules ſuos mortem imprecari, miſit circum inſulas qui univerſos contrucidarent. Decimo quoque die numerum puniendorum ex cuſtodia ſubſcribens, *Rationem ſe purgare* dicebat. Non temerè in quenquam niſi crebris & minutis ictibus animadverti paſſus eſt, perpetuo notoque jam præcepto, *ita fieri ut ſe mori ſentiat:* innumera morte ita quaſi in unam coacervata, dum occidendos etiam inter mortem vivere cogebat, quo ſub acerbiſſimis torminibus animam efflarent.

Suet. in vit. C. Caſ. Cal.

Suet. ubi ſupr.

Suet. ubi ſupr.

ANN. CHRIS. 39. CALIG. 2.

CHRI-

Digitized by Google

ANN CHRIS. 40. CALIG. 3.

CHRISTIANA, JUDAICA ET ROMANA HISTORIA, AD Annum CHRISTI XL.

CAJI CALIGULÆ III.

Mundi 3967. U. C. 792.

Coſſ. { *Cajo Cæſare II.* / *L. Apronio Celiano ſive Ceſtiano.* }

CAP. IX.

VERS. 32. *Factum autem eſt, ut Petrus dum per omnes pertranſiret*, &c.

CRedibile eſt *Petrum*, ea ratione iter illud ſuſcepiſſe, qua Eccleſias, quas Euangelii prædicatores paſſim in diſperſione ſua fundarant, conſtitueret & confirmaret. Id equidem Eccleſiis hiſce recens fundatis, apprimè erat neceſſarium, ut verbi Miniſtris ac Paſtoribus ſuppeditarentur. His autem ſupplendis nequaquam ſuffecerunt ii qui huc paſſim venerant. Horum officii ratio poſtulavit, ut non diu iſtic manerent, eò quòd promulgandi Euangelii cura longinquiùs peregrinandi eis neceſſitatem impoſuit. Par itaque fuit Apoſtolos ipſos veſtigia eorum premere, alioſque per impoſitionem ſuarum manuum in ſacris initiandos curare; qui non ſolùm in paſtorale officium ab Apoſtolis inſtituti, ſed etiam Spiritu Sancto donati, (cujuſmodi donis impertiendis non potis erant iſti Euangelii prædicatores) fidei propagandæ feliciorem operam darent. Atque hanc ob cauſam fortaſſis obſervare eſt, decem è duodecim Apoſtolis (ut ſupra notatum eſt) ab urbe abfuiſſe, tempore quo *Paulus* illuc advenerit: profecti nempe erant ad Eccleſias recens fundatas ſtato miniſterio inſtituendas.

In hanc rem *Petrus*, aucto Eccleſiarum numero, iter ſuum nunc temporis aggreditur; quidni etiam ut eas conſolaretur, confirmaret, animoſque eis adderet?

Per omnes.

H. e. per loca omnia priori *verſu* notata, *Judæam* ſcil. *Galilæam*, & *Samariam*; excepto quòd illìc de locis propriè ſic dictis accipiendum eſt; hîc verò, prout ex voce πάντων, quæ eſt maſculini generis, conſtat, ad iſtorum locorum incolas referri debet. Errat itaque *Baronius*, dum ſuper hunc verſum, nec non ex hoc ipſo vocabulo aſtruere conatur, *Petrum*, per hoc tempus peregrè agentem, ſedis

Digitized by Google

ANN. CHRIS. 40. CALIG. 3.

ſedis Epiſcopalis apud *Antiochiam* fundamenta jeciſſe. Ejus verba hæc ſunt. *Intentus enim* ipſe Lucas, ut apparet, miracula inſigniora à Petro edita memoriæ commendare, cæteras ejus res geſtas in hac luſtratione Provinciæ obvolutas ſilentio prætermiſit, & inter alia, inſtitutionem Eccleſiæ Antiochenæ, quam hoc ipſo anno ab eo fuiſſe erectam, Majorum teſtificatione facilè demonſtrabimus.*

Baron. Tom. 1. pag. 269.

Inter *Majores*, quos vocat, unum, ſi non unicum, habet *Euſebium*, eadem ferè in hac re narrantem, excepto quòd rem refert, ac ſi locum haberet imperante adhuc *Tiberio*. * Is enim *Petrum* narrat, *Eccleſiam Antiochiæ* fundaſſe, atque illîc ſediſſe ſpatium annorum 25. Caveat lector, ne in ſingulam hujuſce hiſtoriæ particulam pedem ſuum impingat, & priuſquam fidem ei fecerit, in hiſce nodis præſertim reſcindendis ſtudium ſuum pauliſper impendat.

* *Euſeb. ad ann. Chriſti 38. Pariſ. 1511.*

I. Haud in textu reperiendum eſt, *Petrum* inter hanc peregrinationem, Antiochiam attigiſſe: verba enim Eccleſias ſolummodò in *Judæa*, *Galilæa* & *Samaria* fundatas ſpectant. Quid rei itaque cum *Antiochia* longinquiori admodum regione poſitâ? Incertiſſimæ ſanè interpretationis ſunt verba iſta, *per omnes*, ſi ad loca *verſu* antecedenti notata præfiniri non debeant.

II. Dubio procul eſt, ne Eccleſiam quidem etiamnum apud *Antiochiam* (multò minùs Epiſcopi ſedem) fundatam fuiſſe. Nullam habemus mentionem Eccleſiæ iſtic inſtitutæ, niſi in *Actor*. 11. quod in ſequentem annum rejici debet. Nemo enim inter doctos uſpiam ſuſpicatus eſt, hiſtoriæ ſeriem à proprio ſuo loco tranſpoſitam eſſe.

III. Quam ἀσύςατον videtur, *Petrum* apud *Hieroſolymas* in vincula conjectum, *Actor* 12. eodem temporis in regione longiùs diſſita Epiſcopatum tenuiſſe! multò minus credibile eſt, (quin, ut verum dicam, impoſſibile omnino eſt) eum Antiochiæ ſediſſe annos 25. & totidem *Romæ*, & tamen non ante ſecundum *Claudii* illuc primò appuliſſe. *Baronius* quidem rem hoc duplici nodo implicitam fore, ſibi conſcius, haud levem operam dat ſe extricando, ita tamen, ut (quoad priorem) *Euſebio*, authori ſuo præcipuo, labeculam aſperſerit, depravari eum agnoſcens; nec (quoad poſteriorem) multò meliùs ei proſpexiſſe videtur. Cùm enim *Euſebius* diſertis verbis affirmet *Petrum ibi ſediſſe*, huic gloſſam ſuam attexuit probus hîc Paraphraſtes noſter, dicendo id nil prohibere, etiamſi *Petrus* nunquam illuc adveniſſet. Apud *Baronium* enim, *Petrus* Eccleſiarum & Epiſcopatuum creator habetur; ſi ipſe dixerit factum eſt, ex ejus verbo exurgit Metropolitana, ſeu Epiſcopi ſedes, quacunque mundi plagâ ipſe eò temporis verſatus eſſet. Verùm ne oleum atque operam perdamus in re nihili, perpendat, ſi placet, lector *Baronis* argumenta nudè propoſita.

ANN. CHRIS. 40. CALIG. 3.

Arg. I. *Petrus (quod ſui muneris erat univerſo gregi proſpicere) regiones Hieroſolymus circumpoſitas peragrans, Eccleſias viſitabat.* Hoc ſanè alterum in ſe nodum nectit, & fortean perplexiorem: ſpeciem enim præ ſe fert, ac ſi *Paulus* aliorum negotiis ſe immiſcuerit, eaſdem Eccleſias viſitando.

Baron. Tom. 1. pag. 269.

Arg. II. *Petrus tam optatâ, & tam opportunâ à Deo præſtitâ Eccleſiæ ſuæ tranquillitate*, ibid. *peragravit omnes Eccleſias in Syria erectas*, pag. 271. Verùm hic etiam à textu vagatus, hiſtoriam ex ſuopte cerebro cudit.

Arg. III. *Petrus, ubicunque ageret, ſuâ quâ pollèbat authoritate, ſedem aliquam Epiſcopalem, ſive Patriarchalem, inſtituendam præſtare potuit.* Probari hæc priùs oportet, quàm quod ex iis aſtrui contendit *Baronius*, veriſimile conſtabit. *Id. p. 272.*

Arg. IV. *Quoad numerum annorum 25. quibus Petrum ſediſſe Antiochiæ dicitur; in Euſebii Chronicon mendum irrepſiſſe certum eſt. Sed verè ponitur numerus annorum 25. quibus Romæ eum ſediſſe oſtendit.* Sed dic, ſodes, modò *illud* in quæſtionem vocari fas ſit, quidni & *hoc*? *Baron. ubi ſup.*

Arg. V. *Hierarchicus ordo, quem Chriſtus in ſua Eccleſia ſervari voluit, haud pati poſſe videtur, ut in prima ſede alius quiſquam quam primus Apoſtolus ſederet Epiſcopus.* *Baron. ubi ſup.*

Quæri equidem haud immeritò hîc poteſt, de ipſo *ordine Hierarchico*, an tale quid primitùs omnino extiterit: dein, an Apoſtoli *Petro* primas detulerint: præterea, an Eccleſiæ *Antiochenſi* aſcribenda eſſet dignitas ſupra quam humano jure ſortita eſſet: an denique iſtic loci Eccleſia tum temporis fundaretur. Quæ tamen omnia, modò extra aleam quæſtionis ponerentur, non impedirent quominus concluſio ex eis à *Baronio* illata, abſurda & nullius ſequelæ videretur.

Arg. VI. Poſtremum argumentum exemplorum authoritate ſubnititur, quæ tamen omnia in unico Concilio *Romæ* habito determinari videntur: aſt, *amicus Plato*, *amicus Ariſtoteles*, *magis amica veritas*. Quod reſponſiones ejus ſpectat, primò ad *Euſebium*, qui *Evodium* nominat *Antiochiæ* primum Antiſtitem; dein ad *Ignatium*, qui eum illic præpoſitum affirmat, non unius, ſed plurium Apoſtolorum ſuffragiis; denique ad *Onuphrium*, qui *Petrum* dicit priùs *Romæ* ſediſſe quam *Antiochiæ*: conſulat lector quiſquis vult; nobis non licet eſſe tam otioſis.

Lyddæ

Digitized by Google

Lyddæ.

Videtur hæc civitas eadem cum *Lod*, 1 *Paralip*. 8:12. ſita in Tribu Benjamiticâ, cujus mentio occurrit, *Ezr*. 2:33.

VERS. 35. *Et Sarona.*

Heb. *Sharon*. Vallis erat feraciſſima Sacris Paginis paſſim celebrata, 1 *Paralip*. 27:29. *Iſaj*. 33:9. *Cant*. 1:2. &c. ubi à Targumiſta redditur *Hortus Edenis*, & à LXX. Πεδίον, *campus*, ſive *planities*. Patet ex articulo quî eſt maſculini generis, non eſſe urbis nomen. Eundem articulum habent LXX. *Iſaj*. 33:9. Occurrit mentio *Sharonis* trans-Jordanini, 1 *Paralip*. 5:16. Hujus incolæ erant *Gileaditæ*. Unde credibile eſt, vocem *Sharon*, de locis campeſtribus (ubicunque poſitis) vulgariter uſam.

VERS. 36. *Tabitha, quæ, ſi interpreteris, dicitur Dorcas.*

Tabitha apud Syros, & *Dorcas* apud Græcos, *cervam* ſeu *damam* ſignificat; vel, prout *Beza* reddidit, *capream*. Atque ea propter videtur *Lucas* ita eam hoc loco interpretatum fuiſſe, quoniam credibile eſt *Tabitham* fuiſſe Græciſſantem Judæam, atque exhinc διώνυμον, inter Hebræos Syriaco nomine, inter Græcos Græco appellatam.

VERS. 37. *Quam cùm laviſſent.*

Utrùm in communi uſu apud Judæos erat, ut mortui priùs lavarentur, quàm eorum exequiæ perſolverentur, prout ab hoc exemplo conjectarunt nonnulli; aut an inter eorum ritus receptum erat, tanquam ſignum & argumentum futuræ reſurrectionis, prout alii, non noſtrum eſt hîc loci diſquirere. Haud prætermittendum tamen eſt, quòd qui poſteriori conjecturæ favent, eam ad *Pauli* verba applicant, ac ſi is huic conſuetudini reſpectum habens, *Corinthios* ſpe reſurrectionis arguit, 1 *Cor*. 15:29. Τί ποιήσουσιν οἱ βαπτιζόμενοι ὑπὲρ τῶν νεκρῶν; *Quid facient qui ablutione utuntur ſuper mortuis?* q. d. *Cui bono mortuorum corpora ablueruntur, niſi ut per hunc ritum ſuſtentaretur ſpes reſurrectionis?* Verùm ex connexione *verſ*. 30. videtur aliud prorſus intendere. *Baptizari* itaque ὑπὲρ νεκρῶν (pace doctiorum) nihil aliud ſignificat quam *Martyrii baptiſmate tingi*, i. e. mortem obire, veræ religionis ergô. Conſule *Matth*. 20:22, 23. *Luc*. 12:50. In hunc ergo ſenſum argumentum ſpectat: *Si omnino mortui non ſuſcitantur, quid facient ii qui* Martyrii baptiſmate *abluti ſunt?* vel qui ad mortem uſque fidem Chriſtianam propugnarunt. Quare pro mortuis abluti ſunt? Quare etiam nos (quoad id genus martyrii) periclitamur omni momento? Cur illi ſuppliciis afficerentur, noſve quâvis horâ medio omnium diſcriminum verſaremur, modò non ſperanda eſſet mortuorum reſuſcitatio? Et ſic vox ὑπὲρ non hîc ſignificat, *vice*, vel *ſupra*, ſed *pro*, h. e. *in tali ſenſu*, v. g. *in tali ſenſu quo vox* baptizati *nonnunquam accipitur*, ſcil. *occiſi*, ſive *martyrio affecti*. Atque ſic uſurpata eſt vox ὑπὲρ apud *Plut*. in *Fab*. Παρέδωκεν ὁ Φάβιος τῷ Μινυκίῳ τὴν δύναμιν ὑπὲρ τοῦ μὴ μάχεσθαι. *Fabius Minucio vires tradidit* eâ conditione *ut non pugnarent*.

Poſuerunt eam in cœnaculo.

Videtur hoc *cœnaculum*, fidelium cœtibus ſacrum; cùm *Dorcadem* non infimæ fuiſſe ſortis conſtat, eò quòd *adeo dives eſſet bonorum operum, & eleemoſynarum quas præſtabat*. Deditâ itaque operâ mortuam ἐν ὑπερῴῳ collocant, ut advenienti *Petro*, ac virtutem divinam edenti, teſtis adeſſet fidelium cœtus. Noluit verò *Petrus* (causâ quidem nobis ignotâ) ut eò temporis turba ſpectaret, *verſ*. 40.

CAP. X.

Præmiſſa quædam de Cornelio in Eccleſiam aſcripto.

I. Diffuſo jam Euangelii præconio per univerſos Judaicæ Gentis limites, *Canaanem* ſcil. *Judæam*, *Samariam* & *Galilæam*, nec non ad ultimos eorum fines pervagato, quid reſtat niſi ut *intergerini parietis ſeptum ſolveretur*, Genteſque Euangelii participes fierent? Quod factum eſt in hoc Capite; Deo ita ordinante, ut dirutâ penitus maceriâ, vetus iſta diſtinctio, quam ipſe olim inter Judæos ac Gentes ſacram fecerat, jam prorſus evaneſceret.

II. Paries hicce intergerinus ex his duobus præſertim conſtitiſſe videtur, viz. *ritu Circumciſionis*, & præſcriptis *de cibis*. Illa tempore *Abrahami*, Geneſ. 17. hæc vero *Jacobi*, Geneſ. 32:32. Atque horum reſpectu accidit, ut qui ex *Circumciſione erant* adeo cum *Petro* Hieroſolymas reverſo, rem hanc novam expoſtularint. Malè nempe ſe habent, eum *ad viros præputium habentes introiſſe, & unà cum eis ediſſe*, Cap. 11:3. Ex his maximè Judæi à Gentibus diſtinguendi videbantur. Quòd ad alios ritus ſpectat, non adeo diſtinctionis ergô præſcripti forſan erant, ac potiùs quò inter ſe uniti magis, uniformem Deo cultum præſtarent. Verùm ex his duobus id quod præcipuè diſcriminavit, erat *ciborum* delectus, & ſtatu-

Digitized by Google

ANN. CHRIS. 40. CALIG. 3.

tum *victuum* genus. Univerſum enim *Abrahami* ſemen præputio amputabatur, & ſic quoad iſtum ritum, nullum erat diſcrimen inter *Iſmaëlitam*, & *Judæum*: verum in ciborum abſtinentia apparuit *Judæorum* ſingularitas, ita ut id *Iſraëlitæ* fiat proprium, ut ita dicam, *quarto modo*.

III. Hinc ſequitur, nihil æquum magis aut divino fundamento innixius videri, quam quòd libera quorumvis ciborum permiſſio, liberam cum quavis Gente conſuetudinem denotaret. Conceſſo nempe uno, conceditur & alterum.

IV. Ampliatæ hujus gratiæ primitias ſenſit *Cornelius*, vir jam pridem in Deum converſus, nondum verò in Eccleſiam Iſraëliticam cooptatus; qui, cùm civis Romanus eſſet, homo militaris, & Centurionum ordini aſcriptus, haud multam cum religione rem habuiſſe videretur. En tamen iſtum (præ aliis) Gentium primitias factum! quo inſignius nobis Deus exemplum præberet, ſe nullum omnino perſonarum reſpectum habere.

V. Ab annis jam plus bis mille, h. e. à prima linguarum confuſione, repudiatæ Gentes tenebris ſuffundebantur; nec non peccato, ſuperſtitioni, idolorumque cultui addictæ, Deo extraneæ, cœtui Iſraëlitico alienę, Satanæque mancipia (is enim hactenus toto terrarum orbi, demptâ unicâ Iſraëlitarum terrâ, imperitarat) ad hoc uſque ævum perſtiterant.

VI. Satanæ imperium jam apud Gentes maturuit, cùm Romani, h. e. totius terrarum orbis Imperii potiatur is qui vi & armis auſus eſt ſe pro Deo obtrudere. Id *Cajum* feciſſe ſupra oſtendimus. Verumenimverò memorantibus nobis *Cajum* iſtum Deum ſe venditantem, idque eo ipſo tempore quo Gentes verum Dei cultum amplecti ceperunt; menti occurrit idolum illud primo-primum *Babeli* extructum, quod apud *Hieroſol. Targ.* deſcriptum habemus. Ita enim Paraphraſtes deficientem populum urbem iſtam idololatricam ædificaturum (ſuo more) pleniùs narrat, *Geneſ.* 11:4. *Nam dixerant*, *Agedum extruamus nobis urbem & turrim*, *cujus faſtigium aſſurgat in cælum*, *ejuſque medio ſacellum*, *nec non idolum in eo poſitum*, *manu armatum gladio*, *quo nos tutos præſtarit*, *ne diſpergamur in faciem totius terræ*. Uti neque abs re fortaſſis erit, ex eadem occaſione *Caji* Deum ſe jactantis, atque hoc in ipſo Dei Templo (prout infra videbimus) longius parum in futura ſecula jam naſcentis Eccleſiæ oculos dirigere; cum *homo ille peccati*, improbi potius *Caligulæ*, quàm D. Petri vices gerens, ſe adorandum perhibet, *efferens ſe ſuper omne quod vocatur Deus*.

VII. Gentium converſionis (fidem amplexato *Cornelio*) auctorem *Petrum* habemus; non quaſi is primatu quodam, ſive Epiſcopatu univerſali donatus eſſet, ſed ut ſub eo Circumciſionis Miniſtro (peculiari quodam modo ſic dicto) Gentium aſcriptio in Eccleſiam apud Judaizantes Chriſtianos melius audiret.

ANN. CHRIS. 40. CALIG. 3.

VIII. Huic etiam negotio *Petrus* ſe jampridem à Jeſu Chriſto particulatim deſignatum affirmat, *Actor.* 15:7. Quod factum ſupponimus, quum primum traditæ ei eſſent *claves regni cælorum*, Matth. 16: 19. h. e. committeretur ei poteſtas adaperiendi fores Euangelii, hactenùs Gentibus præcluſas: nec non *ligandi* & *ſolvendi*, quoad uſum & continuationem Legis Moſaicæ, quam inter Gentes (poſt receptum Euangelium) partim retinendam, partim antiquandam præcepit, prout dictitabat ei Spiritus Sanctus, quod etiam in cœlo ratum habebatur. Atque hunc quidem eſſe proprium, genuinum, & ſenſum incoactum loci hujus adeo variè apud Doctores ventilati, nullus dubitabit, qui vel novit quid vult iſta phraſiuncula *Regnum cælorum* apud Sacram Scripturam, vel quid ſonat *ligare* & *ſolvere* apud Scriptores Judaicos.

VERS. 1. *In Cæſarea.*

Olim dicta erat *Turris Stratonis*: recèns verò ab *Herode* condita in honorem *Cæſaris Auguſti*, Cæſareæ nomen tulit. Urbs maritima, inter *Joppam* & *Doras* ſita, prout *Joſephus* qui fuſius eam depingit.

Ex Coborte quæ vocatur Italica.

Haud operæ pretium erit de hac quæſtionem agere, an *Cobors* eſſet quam vulgò vocarunt *Ferratam*, an quam *Divitem*, an quam *Voluntariorum*, vel alio quovis titulo diſtinctam norunt. Mihi videtur, locum iſtum quo eò temporis *Cornelius* ſtationem ſuam habuit, indicium eſſe quid Euangeliſta his verbis velit. Apud *Cæſaream* potiſſimum commorari ſolebant Proconſules Romani, *Actor.* 23:23,24. Id eis ſuaſit tum oppidi amœnitas, cùm accommodi portus. Credibile itaque eſt *Cobortem Italicam* non aliam fuiſſe, quàm ſatellitium Proconſulis perſonæ proprium, ſive *Cobortem Prætoriam*, ex *Italia* profectam, tam in Proconſulis quàm urbis præſidium poſitam.

VERS. 2. *Virpius*, &c.

Gr. Ἐυσεβὴς. Vir Deum verum colens: idolorum abhorrens: qui Deum non adeo oſtentatione externâ, ac vero cordis affectu veneratus eſt.

Præſtans

Digitized by Google

Præſtans multas eleemoſynas populo.

Populo ſcil. *Judaico*; cui eleemoſynæ, tametſi ab Ethnico præſtitæ, non impuræ habebantur. Huc fortean dictum illud D. N. Jeſu Chriſti, referri debet, *Luc.* 11:41. *Imò ea quæ penès vos ſunt, date in eleemoſynam, & ecce omnia erunt vobis pura.* Unde probabile eſt, *eleemoſynas* apud Scriptores Judaicos ſæpiſſimè, quidni apud *Syr.* & *Arab.* in hoc loco, voce צדקה, i. e. *juſtitiæ*, denotari. Erant enim de natura rerum quæ *juſtæ* & *puræ* habebantur, ut ut ab impuro, h. e. ethnico præſtarentur.

Et aſſiduè Deum precaretur.

Beza hanc clauſulam ad initium *verſus* ſequentis rejecit, atque id, uti ipſe ait, ex authoritate cujuſdam exemplaris à ſe conſulti. Cum eo convenit *Arab.* nec non explicatiorem verborum ſenſum ex iſta connexione ſomniarunt. Fruſtra verò: à ſcopo enim errant, & à mente Spiritus Sancti, qui *Cornelii* aſſiduam & habitualem animi pietatem, (prout *verſ.* 4.) non eam quæ ex occaſione viſionis ſubitum ſuum ortum habuerit, oſtendiſſe videtur.

VERS. 3. *Vidit per viſionem manifeſtè.*

Vox φανερῶς indicat *Cornelium* non hæc per ſomnum, ſed vigilante oculo vidiſſe. Erant enim iſtiuſmodi viſiones interdum per ſomnum factæ, *Geneſ.* 20: 3. & 28 : 12. *Job.* 4: 13.

Circa horam nonam.

Horam ſcil. pomeridiani ſacrificii, apud nos horam tertiam poſt meridiem. *Cornelius*, etiamſi nondum in Eccleſiam Judaicam ritu Circumciſionis aſcriptus, eorum tamen cultûs modum formamque ſuſceperat.

VERS. 9. *Ut precaretur.*

Circa horam meridianam, orandi tempus vulgò Judæis dictum *Minchah gedolah*. Ita etiam interpretati ſunt illud *Danielis*, *Cap.* 6:10. nec non *Pſalm.* 55 : 17. *Oravit Daniel ter in die.* Hoc eſt inquit *R. Saadias* cum *R. Solom. Manè, veſperi, & ad Mincham.* Rurſus, *Veſperi, manè, atque meridie meditabor.* R. Solom. *Veſperi, manè, & ad Mincham, tria tempora orationis.* Mincham verò in hunc modum apud Rabbinicos deſcriptam habemus. *Minchah gedolah initium eſt jugis ſacrificii, inter duas veſperas, vergente jam ſole, ab hora ſexta ad noctem uſque.* Inquiunt nonnulli, *ab hora ſexta & dimidio*; h. e. (ſecundùm phraſin quę præ manibus nobis eſt) *circa horam ſextam.* Non quòd ex iſta computandi ratione ſupponendum ſit Judæos ſe ad juge ſacrificium accingere ſolitos horâ ſemper ſextâ, vel dimidio poſt; verùm quod ad eam horam fas eis erat (ſi modò poſtularet rerum neceſſitas) ad id ſe accingere. Quum enim alia eſſent ſacrificia nonnunquam jugi adjicienda, Paſchale ſcil. vel alia hujuſmodi; tum ſanè neceſſe erat ut maturiùs exordirentur. Ab ea hora ergo fas eis erat ſe in rem accingere. A qua hora ad noctem uſque numerarunt בין בערבים, *inter duas veſperas*, idque ad literam Legis, *Exod.* 12:6. *Numer.* 28:4. In hunc ſenſum accipiendum illud eſt, 1 *Reg.* 18: 29. *Fuit verò cùm præteriiſſet meridies, ut Prophetas agerent uſque dum offertur Minchah.* Non quaſi id fecerint ad ipſum tempus quo actu immolandum eſſet ſacrificium, uti ex ſequentibus patet, ſed ad tempus Minchæ, eo ſcil. ſenſu quo ſupra rem explicuimus. Huc facit iſta vocabulorum diſtinctio, hìc לעלות, & *verſ.* 36. בעלות, quæ notatu non indigna eſt.

Ex quibus probabile eſt, *Petrum* circa ſextam horam oratum ſe recipiendo, Judæorum morem ſequutum fuiſſe; qui, ut ut tamdiu Chriſtianâ fide imbutus, nondum tamen ab eorum ritibus prorſus abſcederat: quod nec reliqui Apoſtoli adhuc fecerant, uti alibi oſtendimus.

VERS. 10. *Incidit in eum ecſtaſis.*

Gr. Ἐπέπεσεν ἐπ' αὐτὸν ἔκςασις. Sic etiam *Cap.* 22: 17. γενέσθαι με ἐν ἐκςάσει, *& eſſem in ecſtaſi.* Sublimior erat præ aliis revelationum gradus, cum extra ſe quiſpiam in cœlos raperetur, (ita enim *Paulus* de ſe loquitur, 2 *Cor.* 12:2.) & cùm totus eſſet à Spiritu correptus, (ita etiam de ſe loquitur *Joannes*, *Apocal.* 1:10.) h. e. cùm diruptis quaſi (pro ea vice) corporis repagulis, proximèque ad ſeparatarum animarum ſtatum quis accedens, Deo frueretur. Vario quidem & multiplici modo dignatus eſt Deus ſe mentemque ſuam antiquitus revelare. I. Per ſomnia. II. Per apparitiones conſpicuè & viſibiliter factas. III. Per viſiones dormienti indultas. IV. Per vocem cœlitùs emiſſam. V. Per Urim. VI. Per inflatum, ſive inſpirationem. VII. Per *ecſtaſim*, ſive mentis exceſſum: modum ſanè (cuicunque eum dignatus eſt Deus indulgere) omnium exoptatiſſimum. Atque huic poſtremo revelandi modo referri videtur ſopor iſte altus *Adamo* à Domino immiſſus, *Geneſ.* 2:21.

VERS. 12. *Quadrupedia terræ, & feræ.*

Heb. בהמה & חיה, *pecora & feræ*: ita enim frequens occurrit diſtinctio apud Sacrum Codicem.

VERS. 15.

Digitized by Google

ANN. CHRIS. 40. CALIG. 3.

VERS. 15. *Tu ne pro pollutis habeto.*

Gr. Μὴ κοίνυ, *ne polluito*, i. e. *ne pro pollutis habeto*, verſ. 28. Solent non rarò ſancti Scriptores id ſenſu effectivo, ſive activo exprimere quod declarativum tantum vellent. Sic *Geneſ.* 41 : 13. *Me reſtituit in ſtatum meum, illum vero ſuſpendit.* Ezech. 43: 3. *Veniens ad perdendam civitatem.* Sacerdos *mundum* vel *immundum fecit leproſum*, Levit. 13: 6, 8. h. e. pronunciavit eum *mundum* vel *immundum*; uti in Verſione *Angl.* i. e. docuit quis *immundus* eſſet: ſic *Cap.* 14: 17. In hunc ſenſum ſpectat regula de *ligando* & *ſolvendo*, *Matth.* 16:19. & 18 : 18. ut ſcil. docerent quid *ligatum*, quid *ſolutum*, quid אסור & quid מותר, uti loquuntur Judæi, quid licitum vel quid illicitum haberi debeat.

VERS. 28. *Vos ſcitis Judæo nefas eſſe propius adjungere ſe*, &c.

Gr. Κολλᾶσθαι ἢ προσέρχεσθαι ἀλλοφύλῳ. Verba hæc non ſic accipienda ſunt, ac ſi Judæi nullam omnino rem haberent cum Ethnicis: fas enim eis erat una ambulare, colloquium habere, ac mutuo commercio aſtringi. Nec ſanè aliter fieri potuit, cùm Judæi ubique terrarum apud tot Gentes diſperſi erant, Genteſque undique *Hieroſolymas* frequentabant mercandi ergô, *Nehem.* 13: 16. Verumenimvero nefas erat Judæo, ut cum Ethnico familiari aliquâ conſuetudine uteretur, quod vox κολλᾶσθαι ſubinnuit. V. gr. non ei permiſſum erat, vel cum Ethnico cibum capere, vel ejus tectum intrare: & de hac re potiſſimùm ii qui è Circumciſione erant, *Petro* Hieroſolymas reverſo litem intendunt, *Cap.* 11: 3. *Ad viros præputium habentes introiſti, & unà edisti cum eis.*

Sed mihi oſtendit Deus, ne quem pollutum vel impurum hominem dicerem.

Viſio equidem nihil niſi quadrupedia terræ, feras, reptilia & volucres cœli exhibuit; per quam tamen haud ineptè admonitum ſe novit, omne etiam diſcrimen inter homines, ſaltem quoad munditiem ac immunditiem ſublatum jam iri, eò quòd totum quod inter eos diſcrimen antiquitus fuerat, originem ſuam habuit in ciborum delectu. Diſtinguebat ſe *Iſraël* ab aliis omnibus, ac peculiarem ſe populum primò venditabat, *non comedendo nervos mutuos qui ſunt ad acetabulum femoris*, Geneſ. 32: 32. Non me latet quin ſemen *Abrahami* ab aliis omnibus ex Circumciſionis ritu diſcriminabatur; ex hoc verò cœpit populus *Iſraëliticus* ab ipſo ſemine *Abrahami* ſpecialiori notâ diſtingui. Neque obſervatu indignum eſt, ſingularem hunc ritum tùm primùm locum habuiſſe, cum *Jacobo* inditum eſſet *Iſraëlis* nomen.

ANN. CHRIS. 40. CALIG. 3.

Non inficias eundum eſt, Iſraëlitas ab eſu *nervorum qui ſunt ad acetabulum femoris* abſtinuiſſe, non quòd immundos cenſerent, ſed in piam rei memoriam quæ *Jacobo* acciderat. Ex hac tamen conſuetudine longo annorum ſpatio ſe ab aliis omnibus diſcriminabant, donec plures alii ritus, aliorumque ciborum delectus inſigniorem admodùm diſtinctionem effecerint.

Porrò fatendum ſanè eſt, beſtiarum diſtinctionem (mundarum ſc. & immundarum) etiam ſeculo antediluviano decerni, *Geneſ.* 7: 8. Hæc tamen *ſacrificia* omnino non *eſcam* ſpectabant. Antediluviani enim nil niſi herbis & frugibus terræ veſcebantur, donec benigniſſimus Deus omne animantium genus quod eſui aptum erat, *Noæ* permiſerit. Atque in hoc libero ciborum uſu indulgebatur mundus, uſque dum Lex apud montem *Sinaïticum* promulgata erat, excepto quòd *Iſraëlita* nervos qui ſunt ad acetabulum femoris non comederet. Hunc ciborum communem uſum Judæi ſibimet, temporibus *Meſſiæ*, quaſi ex poſtliminio rurſus permittendum, uno ore profitentur; quod nos primò factum fuiſſe aſſerimus, ex hac viſione *Petri*, & ſic deinceps. Hîc primò *Petrus* jus ſuum *ligandi* & *ſolvendi* à Chriſto (porrectis ei *clavibus Regni cælorum*) commiſſum exeruit: quam utique clauſulam hæc ipſa actio adeo plenè planèque illuſtrat, ut mirum quidem ſit, vel minimam de ea re litem moveri. Etenim,

I. Hîc *Regni cælorum* ortum & originem ſuſpicimus. Cùm gentes tam diu neglectæ, ignorantiâ obſitæ, idolorumque cultui penitùs deditæ, jam tandem fidem amplexæ, indiſcriminatim cum Judæis in Eccleſiam *Dei* cooptarentur; cùm non Iſraëlitam ſolum, ſed è *quavis Gente acceptum ei eſſe* conſtet, *quemvis qui Deum timeat, & operetur juſtitiæ.* Hîc *Regni cælorum* primordia, creſcentis indies ad *Hieroſolymarum* excidium; quo die adeo omnibus numeris abſoluta erat Gentium Eccleſia, ut æmulam non haberet, nullis abinde relictis ſive *Eccleſiæ* ſive *Reipublicæ* Judaicæ veſtigiis, quin funditus utrinque eorum natio everſa eſt.

II. Hîc itidem *Petrus*, clavibus *Regni* uſus, fores (antehac Gentiliſmo occluſas) reſerare ſe accingit. *Petrus*, inquam, unicus (pro hac vice ſaltem) claviger, cui ſolum poteſtas hactenus commiſſa fuerat, Gentes adeundi. Quantumvis enim cæteri Apoſtoli ex hâc libertate *Petro* permiſſâ, officio ſuo fungentes, plures indies fidei amplexandæ perſuaſos, in *Regni cælorum* album admiſerint,

Digitized by Google

ANN. CHRIS. 40. CALIG. 3.

rint, à *Petro* tamen omnium primo atque ab eo unico aperiuntur fores, quæ ſemel apertæ, nec rurſum claudebantur, nec claudi oportet ad finem ſeculi. In hoc, fateor, conſtat *Petri* prioritas, (ſi modò prioritas dicenda ſit) quæ quàm ineptè Pontificatui Romano accommodari poſſit, cæcus eſt qui non viderit.

III. Hic ſolvit id *Petrus*, quod præ aliis omnibus in tota *Moſaica* politia traditis, morumve Judaicorum mole uſui aſcriptis, ſtrictiſſimo nexu ligatum fuerat; diſcrimen ſcil. rerum tam *mundarum quàm immundarum*, eorum Lege expreſſim præſcriptum. Quod cum *in terra ſolvatur*, in *cælis* utique *ſolutum* ſit. Cœlitùs enim *ſolvendi* jus ſuum noviſſimè acceperat. Id primò declarativè docet *Petrus*, nihil abhinc profanum impurumve haberi oſtendens, doctrinæ auctoritatem de cœlo firmatam prædicans; dein praxi ſuâ, h. e. præputium habentes adeundo, unàque cum eis comedendo, doctrinam ſuſtentat. *Solvendi* & *ligandi* vocabula ſenſu D. N. (uti & Scriptorum Judaicorum, è quibus præſertim *Chriſtus* phraſiologiam hanc mutuò acceperat) non tam perſonas quàm res ſpectat. *Petro* enim dicit Ὃ ἐὰν δήσῃς, & ὃ ἐὰν λύσῃς. Ὃ, non ὃν, *quodcunque ſolveris*, non *quemcunque*: quod idem reliquis Apoſtolis dictum videmus, Ὅσα ἐὰν δήσητε, *Matth.* 18: 18. N. B. ὅσα non ὅσους, *quæcunque*, non *quoſcunque*. Unde palàm eſt, quantumvis Judæi unà cum Gentilibus in unum jam fidelium cœtum *ſolverentur*, objectum tamen hujuſce *ſolutionis* à *Petro* exercitæ, propriè ſic dictum, legem fuiſſe, & *ligandi ſolvendique* præſcripta. In hunc modum de eſu ciborum cenſendum eſt. Verum equidem eſt, liberè ſolvebantur Judæi, ut quovis eſculento jam ad libitum veſcerentur; interea verò *ſolutio* hæc non adeo eorum perſonas, ac legem quâ contra hoc vel illud ciborum genus cautum eis fuerat, reſpexiſſe videtur; quod non alio jure fieri potuit, quàm per Euangelii prædicationem, docendo & enunciando libertatem Euangelicam.

Jam verò, ut ut *Petro* ſoli, nullique præterea committerentur *claves Regni cælorum*; certo certius tamen eſt, etiam reliquis Apoſtolis demandatam fuiſſe *ligandi* & *ſolvendi* poteſtatem: quâ inſuper ornari ſupponendi itidem ſunt quivis Euangelii præcones; imò verò eodem quoque ſenſu, jure ſcil. docendi quid *ſolutum*, quid *ligatum*, quid licitum, quid illicitum haberi debeat: at modo equidem diverſo. Apoſtoli enim perpetuo & infallibili Spiritu moniti, partem hanc vel illam Legis *Moſaicæ*, h. e. Circumciſionis, ſacrificiorum, purificationum, aliorumque id genus rituum vim & uſum abrogandum denunciarunt; quod nullatenus licuiſſet, niſi hominibus tali Spiritu imbutis: neceſſe enim eſt eodem eos Spiritu Prophetico afflari, qui Legi abrogandæ, ac qui condendæ jus ſibi vendicare auſi ſint.

ANN. CHRIS. 40. CALIG. 3.

Notatu itaque apprimè digna eſt *Cornelii* in Eccleſiam ſuſcepti ratio; utpote qui Gentium quaſi primitiæ habendus eſt, in quo porrò tot res inſignioris notæ (quas ſupra habuimus, plureſque adjicere facillimum eſſet) concurriſſe videntur. Ipſa temporis ratio haud inſuper habenda eſt; idque æquo lectori huic ipſi anno apponendum conſtabit, præſertim conceſſo eo quod ſuprà poſtulavimus, celebrem nempe iſtam annonæ caritatem ad ſecundum *Claudii* eveniſſe. Quod eò obſervatu dignius videtur, quo nonnulli clauſulam apud *Dan.* 9: 27. ex mala temporum calculatione, de converſione *Cornelii* pravè interpretati ſunt. Iſti enim haud altiùs inquirentes quàm in Textum, prout in *Verſ. Angl.* redditum habent, (quæ tamen Verſio Autographi mentem haud feliciter ſequuta eſt) ſupponunt *Chriſtum* circiter medium poſtremi ſeptennii paſſum fuiſſe, h. e. elapſo jam triennio & anni dimidio, excurrente ſcil. ultimo ſeptennio, cujus finem verſus, *Cornelium* noſtrum converſum opinati ſunt; ac conſequenter, ſeptuagies ſeptem illos annos periodum ſuam habuiſſe, non in morte *Chriſti*, ſed in receptione *Cornelii* ad fidem Chriſtianam. Opinio ſanè eſt haud refutatione digna, modò daretur otium, ut quę tam pravæ Textûs interpretationi, quàm falſo temporum calculo ſubnixa videtur.

Vers. 30. *Nudius quartus eram jejunus*, &c.

Gr. Ἀπὸ τετάρτης ἡμέρας μέχρι ταύτης τῆς ὥρας ἤμην νηστεύων, *A quarta die abhinc ad hanc uſque horam eram jejunus*. Quod ſpeciem præ ſe fert, ac ſi *Cornelius* ſpatio jam quatridui jejunium celebrarat, uti fecerat *Paulus* recens converſus per totum triduum, *Actor.* 9: 9. Verùm haud multùm refert an verba in iſtum ſenſum, an in vulgarem accipiamus: h. e. *Cornelium* nudius quartus ad hanc diei horam jejunium egiſſe, ad illam ſcil. diei horam, quâ is eò temporis *Petrum* alloquebatur: niſi fortè ex eo aliquid colligere debemus, Judæis nempe in more eſſe diebus ſuis ſolemnibus nil niſi ad horam meridianam comedere; atque iis in hac re morem geſſiſſe ipſum *Cornelium*. Ex quibus veriſimile eſt *Petrum* circa horam meridianam *Cornelii* ædes attigiſſe; uti etiam nuncios à *Cornelio* miſſos, circa eandem diei horam *Petri* fores appulſaſſe: indicium ſanè, *Cæſaream* itineris ſeſquidiei ſpatio à *Joppa* diſtitaſſe.

Digitized by Google

ANN. CHRIS. 40. CALIG. 3.

VERS. 15. *Tu ne pro pollutis habeto.*

Gr. Μὴ κοίνου, *ne polluito*, i. e. *ne pro pollutis habeto*, verſ. 28. Solent non rarò ſancti Scriptores id ſenſu effectivo, ſive activo exprimere quod declarativum tantum vellent. Sic *Geneſ.* 41:13. *Me reſtituit in ſtatum meum, illum vero ſuſpendit.* Ezech. 43:3. *Veniens ad perdendam civitatem.* Sacerdos *mundum* vel *immundum fecit leproſum*, Levit. 13:6, 8. h. e. pronunciavit eum *mundum* vel *immundum*; uti in Verſione *Angl.* i. e. docuit quis *immundus* eſſet: ſic *Cap.* 14:17. In hunc ſenſum ſpectat regula de *ligando* & *ſolvendo*, *Matth.* 16:19. & 18:18. ut ſcil. docerent quid *ligatum*, quid *ſolutum*, quid אסור & quid מותר, uti loquuntur Judæi, quid licitum vel quid illicitum haberi debeat.

VERS. 28. *Vos ſcitis Judæo nefas eſſe propius adjungere ſe*, &c.

Gr. Κολλᾶσθαι ἢ προσέρχεσθαι ἀλλοφύλῳ. Verba hæc non ſic accipienda ſunt, ac ſi Judæi nullam omnino rem haberent cum Ethnicis: fas enim eis erat una ambulare, colloquium habere, ac mutuo commercio aſtringi. Nec ſanè aliter fieri potuit, cùm Judæi ubique terrarum apud tot Gentes diſperſi erant, Genteſque undique *Hieroſolymas* frequentabant mercandi ergô, *Nehem.* 13:16. Verumenimvero nefas erat Judæo, ut cum Ethnico familiari aliquâ conſuetudine uteretur, quod vox κολλᾶσθαι ſubinnuit. V. gr. non ei permiſſum erat, vel cum Ethnico cibum capere, vel ejus tectum intrare: & de hac re potiſſimùm ii qui è Circumciſione erant, *Petro* Hieroſolymas reverſo litem intendunt, *Cap.* 11:3. *Ad viros præputium habentes introiſti, & unà ediſti cum eis.*

Sed mihi oſtendit Deus, ne quem pollutum vel impurum hominem dicerem.

Viſio equidem nihil niſi quadrupedia terræ, feras, reptilia & volucres cœli exhibuit; per quam tamen haud ineptè admonitum ſe novit, omne etiam diſcrimen inter homines, ſaltem quoad munditiem ac immunditiem ſublatum jam iri, eò quòd totum quod inter eos diſcrimen antiquitùs fuerat, originem ſuam habuit in ciborum delectu. Diſtinguebat ſe *Iſraël* ab aliis omnibus, ac peculiarem ſe populum primò venditabat, *non comedendo nervos mutuos qui ſunt ad acetabulum femoris*, Geneſ. 32:32. Non me latet quin ſemen *Abrahami* ab aliis omnibus ex Circumciſionis ritu diſcriminabatur; ex hoc verò cœpit populus *Iſraëliticus* ab ipſo ſemine *Abrahami* ſpecialiori notâ diſtingui. Neque obſervatu indignum eſt, ſingularem hunc ritum tùm primùm locum habuiſſe, cum *Jacobo* inditum eſſet *Iſraëlis* nomen. ANN. CHRIS. 40. CALIG. 3.

Non inficias eundum eſt, Iſraëlitas ab eſu *nervorum qui ſunt ad acetabulum femoris* abſtinuiſſe, non quòd immundos cenſerent, ſed in piam rei memoriam quæ *Jacobo* acciderat. Ex hac tamen conſuetudine longo annorum ſpatio ſe ab aliis omnibus diſcriminabant, donec plures alii ritus, aliorumque ciborum delectus inſigniorem admodùm diſtinctionem effecerint.

Porrò fatendum ſanè eſt, beſtiarum diſtinctionem (mundarum ſc. & immundarum) etiam ſeculo antediluviano decerni, *Geneſ.* 7:8. Hæc tamen *ſacrificia* omnino non *eſcam* ſpectabant. Antediluviani enim nil niſi herbis & frugibus terræ veſcebantur, donec benigniſſimus Deus omne animantium genus quod eſui aptum erat, *Noæ* permiſerit. Atque in hoc libero ciborum uſu indulgebatur mundus, uſque dum Lex apud montem *Sinaïticum* promulgata erat, excepto quòd *Iſraëlita* nervos qui ſunt ad acetabulum femoris non comederet. Hunc ciborum communem uſum Judæi ſibimet, temporibus *Meſſiæ*, quaſi ex poſtliminio rurſus permittendum, uno ore profitentur; quod nos primò factum fuiſſe aſſerimus, ex hac viſione *Petri*, & ſic deinceps. Hîc primò *Petrus* jus ſuum *ligandi* & *ſolvendi* à Chriſto (porrectis ei *clavibus Regni cælorum*) commiſſum exeruit: quam utique clauſulam hæc ipſa actio adeo plenè planèque illuſtrat, ut mirum quidem ſit, vel minimam de ea re litem moveri. Etenim,

I. Hîc *Regni cælorum* ortum & originem ſuſpicimus. Cùm gentes tam diu neglectæ, ignorantiâ obſitæ, idolorumque cultui penitùs deditæ, jam tandem fidem amplexæ, indiſcriminatim cum Judæis in Eccleſiam *Dei* cooptarentur; cùm non Iſraëlitam ſolum, ſed è *quavis Gente acceptum ei eſſe* conſtet, *quemvis qui Deum timeat, & operetur juſtitiæ*. Hîc *Regni cælorum* primordia, creſcentis indies ad *Hieroſolymarum* excidium; quo die adeo omnibus numeris abſoluta erat Gentium Eccleſia, ut æmulam non haberet, nullis abinde relictis ſive *Eccleſiæ* ſive *Reipublicæ* Judaicæ veſtigiis, quin funditus utrinque eorum natio everſa eſt.

II. Hîc itidem *Petrus*, clavibus *Regni* uſus, fores (antehac Gentiliſmo occluſas) reſerare ſe accingit. *Petrus*, inquam, unicus (pro hac vice ſaltem) claviger, cui ſolum poteſtas hactenus commiſſa fuerat, Gentes adeundi. Quantumvis enim cæteri Apoſtoli ex hâc libertate *Petro* permiſſâ, officio ſuo fungentes, plures indies fidei amplexandæ perſuaſos, in *Regni cælorum* album admiſerint,

Digitized by Google

ANN. CHRIS. 40. CALIG. 3.

rint, à *Petro* tamen omnium primo atque ab eo unico aperiuntur fores, quæ ſemel apertæ, nec rurſum claudebantur, nec claudi oportet ad finem ſeculi. In hoc, fateor, conſtat *Petri* prioritas, (ſi modò prioritas dicenda ſit) quæ quàm ineptè Pontificatui Romano accommodari poſſit, cæcus eſt qui non viderit.

III. Hic ſolvit id *Petrus*, quod præ aliis omnibus in tota *Moſaica* politia traditis, morumve Judaicorum mole uſui aſcriptis, ſtrictiſſimo nexu ligatum fuerat; diſcrimen ſcil. rerum tam *mundarum quàm immundarum*, eorum Lege expreſſim præſcriptum. Quod cum *in terra ſolvatur*, in *cœlis* utique *ſolutum* ſit. Cœlitùs enim *ſolvendi* jus ſuum noviſſimè acceperat. Id primò declarativè docet *Petrus*, nihil abhinc profanum impurumve haberi oſtendens, doctrinæ auctoritatem de cœlo firmatam prædicans; dein praxi ſuâ, h. e. præputium habentes adeundo, unàque cum eis comedendo, doctrinam ſuſtentat. *Solvendi* & *ligandi* vocabula ſenſu D. N. (uti & Scriptorum Judaicorum, è quibus præſertim *Chriſtus* phraſiologiam hanc mutuò acceperat) non tam perſonas quàm res ſpectat. *Petro* enim dicit Ὃ ἐὰν δήσῃς, & ὃ ἐὰν λύσῃς. Ὃ, non ὃν, *quodcunque ſolveris*, non *quemcunque*: quod idem reliquis Apoſtolis dictum videmus, Ὅσα ἐὰν δήσητε, *Matth.* 18: 18. N. B. ὅσα non ὅσυς, *quæcunque*, non *quoſcunque*. Unde palàm eſt, quantumvis Judæi unà cum Gentilibus in unum jam fidelium cœtum *ſolverentur*, objectum tamen hujuſce *ſolutionis* à *Petro* exercitæ, propriè ſic dictum, legem fuiſſe, & *ligandi ſolvendique* præſcripta. In hunc modum de eſu ciborum cenſendum eſt. Verum equidem eſt, liberè ſolvebantur Judæi, ut quovis eſculento jam ad libitum veſcerentur; interea verò *ſolutio* hæc non adeo eorum perſonas, ac legem quâ contra hoc vel illud ciborum genus cautum eis fuerat, reſpexiſſe videtur; quod non alio jure fieri potuit, quàm per Euangelii prædicationem, docendo & enunciando libertatem Euangelicam.

Jam verò, ut ut *Petro* ſoli, nullique præterea committerentur *claves Regni cœlorum*; certo certius tamen eſt, etiam reliquis Apoſtolis demandatam fuiſſe *ligandi* & *ſolvendi* poteſtatem: quâ inſuper ornari ſupponendi itidem ſunt quivis Euangelii præcones; imò verò eodem quoque ſenſu, jure ſcil. docendi quid *ſolutum*, quid *ligatum*, quid licitum, quid illicitum haberi debeat: at modo equidem diverſo. Apoſtoli enim perpetuo & infallibili Spiritu moniti, partem hanc vel illam Legis *Moſaicæ*, h. e. Circumciſionis, ſacrificiorum, purificationum, aliorumque id genus rituum vim & uſum abrogandum denunciarunt; quod nullatenus licuiſſet, niſi hominibus tali Spiritu imbutis: neceſſe enim eſt eodem eos Spiritu Prophetico afflari, qui Legi abrogandæ, ac qui condendæ jus ſibi vendicare auſi ſint.

ANN. CHRIS. 40. CALIG. 3.

Notatu itaque apprimè digna eſt *Cornelii* in Eccleſiam ſuſcepti ratio; utpote qui Gentium quaſi primitiæ habendus eſt, in quo porrò tot res inſignioris notæ (quas ſupra habuimus, pluresque adjicere facillimum eſſet) concurriſſe videntur. Ipſa temporis ratio haud inſuper habenda eſt; idque æquo lectori huic ipſi anno apponendum conſtabit, præſertim conceſſo eo quod ſuprà poſtulavimus, celebrem nempe iſtam annonæ caritatem ad ſecundum *Claudii* eveniſſe. Quod eò obſervatu dignius videtur, quo nonnulli clauſulam apud *Dan.* 9: 27. ex mala temporum calculatione, de converſione *Cornelii* pravè interpretati ſunt. Iſti enim haud altiùs inquirentes quàm in Textum, prout in *Verſ. Angl.* redditum habent, (quæ tamen Verſio Autographi mentem haud feliciter ſequuta eſt) ſupponunt *Chriſtum* circiter medium poſtremi ſeptennii paſſum fuiſſe, h. e. elapſo jam triennio & anni dimidio, excurrente ſcil. ultimo ſeptennio, cujus finem verſus, *Cornelium* noſtrum converſum opinati ſunt; ac conſequenter, ſeptuagies ſeptem illos annos periodum ſuam habuiſſe, non in morte *Chriſti*, ſed in receptione *Cornelii* ad fidem Chriſtianam. Opinio ſanè eſt haud refutatione digna, modò daretur otium, ut quę tam pravæ Textûs interpretationi, quàm falſo temporum calculo ſubnixa videtur.

VERS. 30. *Nudius quartus eram jejunus*, &c.

Gr. Ἀπὸ τετάρτης ἡμέρας μέχρι ταύτης τῆς ὥρας ἤμην νηστεύων, *A quarta die abhinc ad hanc uſque horam eram jejunus.* Quod ſpeciem præ ſe fert, ac ſi *Cornelius* ſpatio jam quatridui jejunium celebrarat, uti fecerat *Paulus* recens converſus per totum triduum, *Actor.* 9: 9. Verùm haud multùm refert an verba in iſtum ſenſum, an in vulgarem accipiamus: h. e. *Cornelium* nudius quartus ad hanc diei horam jejunium egiſſe, ad illam ſcil. diei horam, quâ is eò temporis *Petrum* alloquebatur: niſi fortè ex eo aliquid colligere debemus, Judæis nempe in more eſſe diebus ſuis ſolemnibus nil niſi ad horam meridianam comedere; atque iis in hac re morem geſſiſſe ipſum *Cornelium.* Ex quibus veriſimile eſt *Petrum* circa horam meridianam *Cornelii* ædes attigiſſe; uti etiam nuncios à *Cornelio* miſſos, circa eandem diei horam *Petri* fores appulſaſſe: indicium ſanè, *Cæſaream* itineris ſeſquidiei ſpatio à *Joppa* diſtitaſſe.

Digitized by Google

ANN. CHRIS. 40. CALIG. 3.

VERS. 36. *Sermo quem miſit Deus*, &c.

Putat *Beza* hunc verſum ad præcedentem referendum, atque in hunc ſenſum ſimul reddendum: videl. *Nunc verè deprehendo Deum non reſpicere in perſonam; ſed in quavis Gente acceptum ei eſſe quemvis qui eum timeat & operetur juſtitiæ. Quem ſermonem ſignificavit filiis Iſraëlis per Moſem & Prophetas, per eos euangelizans pacem per Jeſum Chriſtum.* Hujus conjecturæ cauſam allegat, quod alioquin abſurdum videretur, *Petrum* affirmaſſe *Cornelium* & ſocios *ſermonem noviſſe*, cum eâ ratione potiſſimum ad eos miſſus fuerat, quâ id iis prædicaret. Verumenimvero eo potiùs ſenſu accipienda videntur hæc verba, quo *Verſ. Angl.* interpretata eſt, *Sermonem quem miſit Deus*, &c. *Sermonem*, inquam, *noviſtis.* Notum enim omnibus fuit, & totam undique *Judæam* rei fama pervaſerat, Jeſum prædicaſſe, pacemque & id genus ſimilia Euangelizatum fuiſſe; quem tamen innumeri homines, etiamſi & prædicantem audiverunt, & quid prædicavit norunt, nollent pro *Meſſia* ſuo ſuſpicere, vel ejus reſuſcitationi è mortuis fidem habere. De his itaque præſertim fidem *Cornelio* faciundis miſſum fuiſſe *Petrum* ſupponimus: *Jeſum* ſcil. fuiſſe reverà *Meſſiam*, & è mortuis indubiè reſuſcitatum; non ut narraret *Jeſum* euangelizatum fuiſſe: id enim ipſe unaque omnes cum eo jampridem norunt.

VERS. 44. *Illapſus eſt Spiritus Sanctus in omnes qui audiebant hunc ſermonem.*

Hîc ſecundò confirmatur Gentium receptio intra Eccleſiæ amplexus, Deo ipſo atteſtante *Petri* doctrinam, nihilque abhinc *commune* ſive *immundum* haberi debere ſignaculo ſuo cœlitùs dato, certiores eos faciente. Effuſo enim Spiritu Sancto tam in *præputium habentes*, quàm in *circumciſionem*, palàm factum eſt, Deum nullo poſthac diſcrimine unum ab altero diſtingui velle. Hactenus quidem è Sacris Scripturis patet Deum dona Spiritus Sancti extraordinaria adeo intra *Judææ* limites ſolos dignatum fuiſſe, ut ii ex hac indubitata rei certitudine ſecurè ſibimet perſuaſerint, non aliter fieri per futura ſæcula; imò verò adeo nullum omnino Ethnicum Spiritu Sancto donatum iri putarunt, ut id vix Judæorum aliquis, extra terram *Canaanticam* peregrè agens, ſperare debeat. Hîc itaque cum præ oculis haberent, Gentes Spiritu Sancto æquè dignatas, ac ipſos Judæos, non poterant non conjecturam facere, Gentium diſcriminationem jam prorſus evanituram, Deumque inter Ethnicos (quos Spiritu Prophetico adeo inſigniter ornarat) Eccleſiæ ſuæ fundamenta jacturum.

VERS. 47. *Num quis aquam prohibere poteſt*, &c.

Hæc verba *Petri* reſpicere videntur illa Chriſti, *Matth.* 28:19. *Profecti ergo docete omnes Gentes, baptizantes eos*, &c. quibus non intelligi oportet, ac ſi nulli omninò baptizari deberent, niſi qui prius edocti ac inſtituti eſſent. Hoc tantùm vult *Chriſtus*: cum hactenùs permiſſum Diſcipulis fuerit, non aliis niſi Judæis ſolum, nonniſi *perditis ovibus è domo Iſraëlis*, Euangelium annunciare, intereà verò Judæi, Jeſum interficiendo, miſericordiæ ſe indignos reddiderint, omnique oblatæ gratiæ beneficio ſe abalienarint: ulterior inde Apoſtolis conceſſa eſt facultas, inter Gentes prædicandi, eaſque (ſpreto à Judæis Euangelio, *Chriſtoque* ejuſdem Authore occiſo) Baptiſmi ritu in Eccleſiam recipiendi. Huc ſpectant *Petri* verba, ex occaſione ſcil. *Cornelii* ad fidem converſi. Is enim dona in communi cum Judæis, etiam Gentibus indulta perſpiciens, exinde infert, nihil eis impedimento fore, quin Baptiſmo ſignari oportet, & baptizari eos jubet: baptizari ſcil. ſive miniſterio quorundam qui *Petrum* unà à *Joppa* comitati fuerant, in ſacris dudum initiati; ſive cum ipſe eos baptizaturus eſſet, parari ea jubet quæ in Baptiſmi ritu eſſent neceſſaria.

CAP. XI.

ISta quæ in hoc *Cap.* ad hunc eundem annum (quo ſuprà) reduci debent, videl. ad *verſ.* 19. repetitio tantùm ſunt rerum præcedenti *Cap.* geſtarum; atque idcirco non hic loci diſcutienda.

PARS

ANN. CHRIS. 40. CALIG. 3.

ANN. CHRIS. 40. CALIG. 3.

PARS II.

HISTORIA ROMANA.

Cajus adhuc crudelitate ſuâ perſiſtit.

INEUNTE hoc anno, *Cajus* Conſulatum ſecundò iniit, menſiſque unius ſpatio geſſit; dein verò *Apronio* Collegę ſuo aliquandiu commiſſis faſcibus, *Sabinum Maximum* tandem muneri ſubſtituit. Id conſilio factum ſaniore, ut videtur, quam quod ex ſuopte ingenio excogitari potuit: etenim ſummo Reip. Magiſtratu ex tot mutationibus leviter factis in hunc modum concuſſo & debilitato, ſuum Imperium ſtabilius evaſit. Solitâ ſanè morum atrocitate tam in Conſulatu, quàm abdicato eo, ſe gerit; eò tamen intolerabilior factus, quo cruentiſſimæ ſævitiæ inexplebilem avaritiam, fœdumque opprimendi ſtudium adjunxit. Omnia jam, ut inquit *Dion*, cæde & ſanguine miſcentur. Damnati Patriciorum plurimi. Hi gladiatorum præda facti, alii deceſſoris *Tiberii* juſſu, vinculis dati, jam ad ultimum ſupplicium tradebantur. Totus fuit in diſplicendo populo, quem etiam ſibimet indies infenſiorem expertus eſt. Diſplicentiæ cauſas (heu quam leves!) inſimulat, tum quòd populus vel non frequentandis ſpectaculis, vel ſaltem non ſtatutis eis temporibus quæ ipſe edixerat, adeſſe vacarent: interdum fremeret, quòd ii eoſdem ludos quos ipſe approbarat, non æquè applauderent: imò denique quòd ipſum ſemel laudando, Auguſtum juniorem appellitaſſent. Has plebeculæ offenſas cauſatus (proh obſtinatam petulantiſſimi hominis pervicaciam!) omni in eos cædium genere debacchatus eſt. In ipſis theatris plurimos, domum revertentes alios; nonnullos intra proprias ædes interfici juſſit: turbæ adeò præter modum infenſus, ut *Pop. Rom. unam cervicem* optaret, *quo uno ictu eum decollaret*. Queri etiam palàm de conditione ſuorum temporum ſolebat, quòd *nullis calamitatibus publicis inſignirentur*. *Auguſti* Principatum *clade Varianâ*; *Tiberii*, ruinâ ſpectaculorum apud *Fidenas*, & ſtrage hominum viginti millium, memorabilem factum; ſui oblivionem imminere proſperitate rerum. Verùm ut tam verba quàm facta atrociſſima ſummatim complectar, (det veniam lector, mòdo hæc parùm confuſiùs diſpoſita habeat) tragicum illud vulgò jactabat, *Oderint dum metuant*. Sed quid hæc referam? cum non irritatus ſolum atque irâ percitus, verùm inter epulas ac laſcivos amplexus, ſanguinem meditaretur. Sæpè in conſpectu prandentis vel comeſſantis ſeriæ quæſtiones per tormenta habebantur, epulis interim cruore inſontium madentibus. Lautiore convivio (quo etiam convivas habuit ambos Conſules) ſubitò in cachinnos effuſus, Conſulibus qui juxta cubabant quidnam rideret blandè quærentibus, *Quid* inquit, *niſi uno meo nutu jugulari veſtrum quemcunque ſtatim poſſe?* Quoties uxoris vel amiculæ collum exoſcularetur, crudeli joco addebat, *Tam bona cervix, ſimul ac juſſero, demetur*. Hæc ſæpiùs jocantem, crudeliora ſeriò perpetraſſe docet fœda experientia. Is olim *Tiberio* turpiſſimas labes aſpergere ſolitus, auremque eis præbere, qui ei convitiando acriùs inſtarent, derepentè in ejuſdem laudes vehementer converſus, durè eos increpuit, qui Principi obtrectare auſi fuerant, utcunque ipſe pro libitu ſuo (cui quidlibet dicendi jus & fas eſſet) ſive laudandi, ſive vituperandi licentiam ſibimet aſſumeret. Dein, prolato eorum nominum catalogo, qui, imperante *Tiberio*, ſuppliciis afficiebantur, fabam in Senatum cudit; hos delationum inſimulans, illos teſtimoniorum, omnes denique ſententiæ ab iis iniquius illatæ: quibus confirmandis libellos protulit, quos in primordiis regni (tempore melioris ſpei) crematos ſimulaverat; poſtremò, inclementi & minaciſſimâ oratione coram Senatu habitâ, datâque lege quâ Principis obtrectatio in læſæ Majeſtatis crimen abiret, ſubitò ſe tum è Senatu, cum ex Urbe proripuit. Cogitet hîc ſecum lector, quam ſolici-

ANN. CHRIS. 40. CALIG. 3.

tos poſt ſe reliquit Senatores, in hac re ſive factorum ſive verborum reos. Quid eis faciendum, quò intacti & incolumes evaſerint? Unicum (proh!) ſuppetit remedium, turpiſſima adulatio. Hanc in proximis comitiis abjectis animis præſtant; laudatâ *Cæſaris* pietate & juſtitiâ, gratè ei acceptum referentes, vitæ ſuæ conceſſum beneficium: decretiſque ſacrificiis clementiæ ejus annuatim eo die immolandis, ſperant ſe per hujuſmodi abſurdas aſſentationes abſurdiorem Principis iram permulſuros. Verùm quàm fruſtra meliorem in ſe animum, ſive votis, ſive victimis, ſive laudibus conati ſint, infra habebimus.

Factum inhumaniſſimum.

Inter alia quæ de ſceleſtiſſimo Principe narrantur, memorabilius id fuit quod in *Eſium Proculum* decrevit. Hic ob nullum aliud crimen, quàm venuſtiorem corporis formam, capitis pœnas luit. Is enim ob egregiam corporis amplitudinem & ſpeciem *Coloſſeros* dictus. Hunc à ſpectaculis detractum repentè, & in arenam deductum gladiatoribus commiſit: biſque victorem conſtringi ſine mora Tyrannus juſſit, & pannis obſitum vicatim circumduci, ac mulieribus oſtendi, deinde jugulari. Tantùm huic monſtro cum feris commune erat, ut pulchritudinem humanam odio haberet.

Cajus luxurioſis & immodicis profuſionibus præ aliis clarus.

In hunc modum *Cæſar* erga homines inhumanus, haud minùs belluinè ſe gerens (diverſo tamen flagitiorum genere) cum fœminis rem habuit, ſtupratis non ſolùm ſororibus, ſed & præcipuis quibuſvis *Romæ* matronis. Suus ſibiipſi leno factus, ſatiandis libidinibus ipſe in hunc modum operam dedit. Illuſtriores, quas novit, fœminas plerumque cum maritis ad cœnam vocatas, præterque pedes ſuos tranſeuntes, diligenter ac lentè, mercantium more, conſiderabat; etiam faciem manu allevans, ſi quæ pudore ſubmitterent. Quoties deinde libuiſſet, egreſſus triclinio, cum maximè placitam ſevocaſſet, paulò poſt, recentibus adhuc laſciviæ notis reverſus, vel laudabat palàm, vel vituperabat. Quin & inter hunc liberrimum fœminarum delectum (belluis turpior) fœdâ interim παιδεραςίᾳ non ſe abſtineret.

Verumenimvero ne in hujuſmodi ſpurcitiis enarrandis diutiùs hæreamus, tranſeundum ad alia vaniſſimæ profuſionis vitia magis tolerabilia. Sumptus fecit (pro Imperii immenſitate, ingenti reditu, præfractoque ſuo arbitrio) quos ante hæc nemo, novum balnearum uſum commentus, & portentoſiſſima genera liborum, nec non pretioſiſſimas margaritas aceto liquefactas ſorberet. Ne fiſcus denique non exhauriretur, nummos non mediocris ſummæ, è faſtigio turris per aliquot dies ſparſit in plebem. His adde fabrificia miræ molis extructa, quæ tam vanam oſtentationem aggrediendo, quàm rerum viriumque immenſitatem perficiendo demonſtrarunt. Complanata ſunt foſſuris montium juga, campi montibus aggere æquati, exciſæ rupes duriſſimi ſilicis, jactæque interdum moles infeſto ac profundo mari, adducta cæmenti & ruderis multâ congerie, quâ terram firmam & fundamentorum capacem efficeret. Id potiſſimùm ſtudioſe attentat, quod fieri impoſſibile haberetur, atque incredibili quidem celeritate, cùm moræ culpa capite lueretur.

ANN. CHRIS. 40. CALIG. 3.

Novum atque inauditum pontium ut & navigiorum genus.

Inter hæc ſumptuoſiſſima opera meritò adnumerari debet Pons inter *Bajas* & *Puteolanas* moles extructus. Inter has intervallum erat ſinu maris interjectum, ſpatio plus trium milliarium. Voluit *Cæſar* ultrò citroque per hunc ſinum maris tam equo quàm curriculo vehi. Dubium ſanè unde hæc vana mentis deliberatio primum ſuum ortum haberet; nec noſtrâ admodum refert. Exiſtimarunt plerique talem ab eo pontem excogitatum æmulatione *Xerxis*, qui *Helleſpontum* contabularat. Alii, ut *Germaniam* ac *Britanniam* quibus imminebat, alicujus immenſi operis famâ territaret. Ab interioribus tamen proditum, *Cajum* id feciſſe, quòd *Thraſyllus* Mathematicus *Tiberio* prædixiſſet, *non magis Cajum imperaturum, quàm per Bajanum ſinum equis diſcurſurum.* Alteram adhuc cauſam conjectat *Dion*; cum ſcil. Senatus (pro abjectiſſimo ſuo obſequio) Ovationem ei, h. e. leviorem quendam triumphandi modum decreviſſet, is inſuper habuit viâ ſolitâ Urbem intrare, atque ea propter, excogitato iſtiuſmodi ponte, per maris ſinum equo inveheretur. Contractis itaque undique onerariis navibus, & ordine duplici ad anchoras collocatis, ſuperjectoque aggere terreno, ac directo in *Appiæ viæ* formam, pontem ſpatio trium millium & ſexcentorum fere paſſuum fabricari fecit, perque iſtam viam ſuper naves ſtratam, quaſi per terram firmam ad inſulam ſe equo tranſmittebat. (videat hîc lector virum verè Pontificem Romanum!) Paratâ in hunc modum viâ, non ſine impenſis profuſiſſimis ad iter illud inſolentiſſimum ſe accingit. Loricâ itaque armatus, (quàm *Alexandrum* olim poſſediſſe jactitabat) purpureâ chlamyde, gladio & peltâ, quercicâque coronâ inſignis, litato priùs *Neptuno*, Diiſque & Deabus alteris, non prætermiſſâ etiam *Deâ Invidiâ*, ne pons iſte pejus ſuccederet, equo inſidens prodiit, comitante Prætorianorum agmine, iterque (antehac inauditum) inceptat. Poſtridie curriculo diſcurrit,

ſtipante

Digitized by Google

ANN. CHRIS. 40. CALIG. 3.

ſtipante in eſſedis amicorum cohorte, præter armatorum militum plebiſque ſpectatricis innumeram turbam. Inter alios fertur *Darium*, puerum ex Parthorum obſidibus, rhedam præcurriſſe. Peractis hiſce ambulandi, equitandi, curruque diſcurrendi ſolennibus, *Cæſar* ſuggeſtum (ſuper hunc pontem ex propoſito factum) aſcendit, ibique putidulâ oratione tam geſtis ſuis, quam militum opificumque curâ in hac re collaudatis, his congiarium ampliſſimum dedit; nocte inſuper, ut & ſequente die nepotinis comeſſationibus, ac ſumptuoſis epulis decoctâ. Cœnacula ad eam rem eò loci extruenda, eiſque aquam per fiſtulas artificiosè perducendam curarat, quantam ſcil. poſtularet iſtius temporis feſtorum neceſſitas. Sed quid noctem dixerim, cum is qui mare adeò in terram mutavit, noctem faciliùs in diem inverterit? indicium equidem, tum quàm immanè ſtulteſcit homuncio laxatis ſemel rectæ rationis habenis, tum quid poſſit effrænata vanitas quæ viribus atque opibus ſcatet. Navibus, quas fabricando ponti conjunxerat, formâ lunæ falcatæ diſpoſitis, falcatam viam fecerat, adeò ut noctu accenſis undique innumeris focis, tam ſuper pontem, quàm in littore, id quod interdiu via publica habebatur, de nocte ſpeciem ferret Circi, ſeu Amphitheatri. Inter hæc (& mirum equidem fuiſſet *Cajum* nullo atroci aut cruentato facinore actionem clauſiſſe) innumeros è littore ad ſe invitatos repentè præcipitavit, quorum pleroſque gubernacula apprehendentes contis remiſque detruſit in mare.

Pari porrò oſtentatione fabricavit & naves Liburnicas, quibus delicatiùs ſe habens, littora peragraret. In eis enim magnâ thermarum, etiam vitium & pomiferarum arborum varietate inſtructus, ſibiipſi videbatur (prout ſuprà pontis artificio de mari terram effecerat) jam navigantem etiam terram ſecum aſportaſſe.

Caji ſordes & cupiditas.

Mirùm equidem minùs videtur, *Cæſarem* ex tot profuſionibus ad inopiam redactum, quam unde tam diu ſuppeditaretur. Verùm exhauſtus tandem atque egenus ad rapinas ſe vertit: & vario calumniarum genere reos peragens, eoſque ad ſupplicium addicens, bonis exuit, quæ in fiſcum ſuum ducit. Ex hac cauſa capite plectuntur *Calviſius Sabinus*, *Titius Rufus*, & *Junius Priſcus*, haud alio crimine graves, quàm quòd locupletiores eſſent. Sed quid unum vel alterum hîc memorem? cùm ſuper quadraginta reos ſemel ex diverſis criminibus unâ ſententiâ condemnarit, gloriatus expergefactæ ſomno *Cæſoniæ*, *quantum is egiſſet dum ea meridiaret.* Aſt non ſuffecit criminandi materia. Immenſis profuſionibus neceſſariæ erant variæ ſupplendi artes. Vectigalia itaque nova atque inaudita, exactiones & portoria exercet. Pro eduliis quæ totâ Urbe vænirent, pro litibus atque judiciis ubicunque conceptis, quidni ex gerulorum diurnis quæſtibus, imò ex capturis proſtitutarum, quantum quæque uno concubitu mereret, tributi aliquid extorquebatur. Civitatem Romanam pretio emere eos de novo adegit, quorum Majores ſibi ſuiſque anteà impetraſſent. Plurimis, qui teſtamentis ſuis hæredem eum nuncuparant, macteas venenatas miſit, quo citiùs legata occuparet. Hæc non *Romæ* tantum, verùm inopiâ preſſus, per *Galliarum* etiam, *Hiſpaniæque* ditiones expilandi artificia exercuit. Damnatarum ſororum ornamenta, ſupellectilem, etiam ſervos divendidit; imò, invitatus lucro, gemmas diademati affixas, trabeas denique atque ornamenta olim ad *Auguſtum*, *Antonium*, *Juliam Antoniam*, cæteroſque è ſtirpe *Cæſarum* attinentia. Ac ne quod non manubiarum genus experiretur, lupanar in Palatio conſtituit, fœminis iſtic cujuſvis ordinis ac gradûs prolatis; miſſiſque inſuper circùm fora & Baſilicas nomenclatoribus, ad invitandos in libidinem juvenes ſeneſque, quo *Cæſaris* reditus magis adjuvarent. Ne quidem ex luſu aleæ compendium ſpernens, plus mendacio, atque etiam perjurio lucrabatur. Et quondam proximo colluſori demandatâ vice ſuâ, progreſſus in atrium domûs, cum prætereuntes duos Equites Rom. locupletes ſine mora corripi confiſcarique juſſiſſet, exultans rediit, gloriatus *ſe nunquam proſperiore aleâ uſum.* Semel inter ludendum ſponſionem paratam non habens diſceſſit, multiſque Patriciis carnifici traditis mox ad ſocios redit, eis ſubſannans, quòd *iſti paucis fortean denariis lucrifaciendis inſtarent, dum ipſe breviſſimo ſpatio ſexcenta millia HS. adeptus eſſet.* (*Sueton. ubi ſupra.*)

Verùm ut ut plurimos nummorum cupidine, ſanè alios aliis de cauſis morti addixit. *Lentulum Getulicum*, quòd militibus charus eſſet; *Lepidum*, ob ſtupratas ſorores quas ipſe repudiarat. Harum unam (*Agrippinam* ſcil.) cogit, ut *Lepidi* oſſa in urnam collecta ſinu ſuo *Romam* apportet. Servum ob detractam lectis argenteam laminam carnifici confeſtim tradidit, ut manibus abſciſſis, atque ante pectus è collo pendentibus, præcedente titulo, qui pœnæ cauſam indicaret, per cœtus circumduceretur. *Senecam* ob præcellens eloquium (ſeipſo enim facundiorem pati non potuit) damnatum, amiculæ ſuæ precibus ægrè exoratus remiſit. Verùm *Domitius Afer* feliciſſimo quodam dolo uſus incolumem ſe præſtitit. Is enim, vir celebratiſſimæ in dicendo facundiæ, jam in jus vocabatur. Hunc *Cæſar*, lucubratiſſimâ oratione in eum

ANN. CHRIS. 40. CALIG. 3.

eum habitâ, tam de cauſa, quàm facundiæ fama dejeciſſe voluit; eumque accuratiore ſtilo reſponſurum avidè ſperavit: quod tamen ſi feciſſet, malè ei procul omni dubio ad capitis pœnam uſque ceſſiſſet. Interea verò *Domitius* ſimulandi ſatis artifex, mutus omnino, & quaſi inſuperabili Principis perorandi arte captus & attonitus hæſit, & vice cauſam ſuam agendi, *Cæſaris* orationem ad verbum recenſuit, ſimulans ſe adeò regiâ eloquentiâ raptum & delectatum, ut diſcriminis ſui planè oblitus videretur. Denique ad Imperatoris pedes provolutus, vitam ſummiſsè deprecabatur, profeſſus ſe *Cajum* jam magis ut *Rhetorem*, quàm ut *Cæſarem* ſuſpicere & vereri. Hujuſmodi blandimentis clementior factus Princeps, iram in faſtum & inanem gloriam vertit, gloriatus ſe *Domitio* dicendi arte præcelluiſſe; dum interim lætaretur magis *Domitius*, ſe optimè ſimulando tutum evaſiſſe.

PARS III.

HISTORIA JUDAICA.

Herodes unà cum Herodiade coram Cæſare ſe ſiſtunt.

PRODIT jam pro Hiſtoriæ ordine ac ſerie *Herodias*, mulier quidem ipſomet *Cajo* (ſi fieri poſſit) truculentior, quæ plures interfeciſſe cenſeri debet, cædendo unum *Joannem Baptiſtam*, quàm vel ſævus iſte Imperator, qui tot hominum millia ſuppliciis affecerat. Par utique ſanguinarium, aliis omnibus, utriuſque ſexûs, crudelitate infamius. Hanc, uti & *Herodem* ſuum (abſit conjugem dicere) *Romam* adnavigaturos, captandæ *Cæſaris* gratiæ, ditioniſque (ſi poſſibile eſſet) ampliandæ ergô, ſupra oſtendimus. *Agrippa* itineris atque ex æmulatione in ſe natâ ſuſcepti gnarus, metu ne rerum ſuarum ſecurus nimiùm, diſpendii quid pateretur, (cùm ipſe eundi vel otium vel animum non haberet) ſervum ſuum *Fortunatum* literis ad Imperatorem datis ablegat. *Bajis* Cæſarem unà accedunt tam *Herodes* cum conjuge, quàm *Agrippæ* literæ, quæ *Herodem* graviter incuſarunt, partim de amicitiis olim *Sejano* præſtitis *Romæ*, & *Artabano Parthiæ*; partim de inſtruendo domi armamentario, ad apparandam vim militum ſepties millium idoneo: quæ omnia accumulatim perpenſa defectionis ſuſpicionem facilè ei inurerent. *Herodes* contrahendorum armorum ex proprio ore reus factus, graviorem *Cajo* de cæteris ſuſpicionem auxit; quocirca ad *Lugdunum Celtarum* perpetuo exilii decreto relegatur. Hæc uxori accepta referre debuit, ut quæ ad majora aſpirando præſentia amiſerit.

In animo habuit *Cajus* clementiùs tractaviſſe *Herodiadem* fratris ſui gratiâ: ea verò ſpretâ *Cæſaris* benevolentiâ, maluit mariti infortuniis comitem ſe dare; noluit enim, cùm ipſa præcipuè in malorum cauſa eſſet, quin in iiſdem diſcriminibus lubens verſaretur. *Cæſar* itaque omnes amplitudines, jura & ditiones quibus *Herodem* exuerat, *Agrippæ* (id viro & fœminâ ægriùs ſtomachantibus) plenè conceſſit. Sed mittamus eos, in exilio ſeram & inutilem pœnitentiam acturos, quòd *Baptiſtam* probiora eis ſuadentem adeò flocci pependerant.

Judæorum res apud Alexandriam etiamnum afflictæ.

Vertendum jam à *Roma* ad *Alexandriam*, ubi Judæos præcedenti anno peſſimè ſe habentes, haud meliorem ſortem per hoc tempus nactos videbimus. Etenim oppreſſis, expilatis, tantâque internecione (procurante *Flacco*) occiſis iis unum ſuperfuit remedium, morbo vix non deterius; ut *Cæſari* ſcil. ſupplices libellos darent, quos tamen non aliâ ullâ viâ deferri licuit, quam per *Flacci*, inimiciſſimi Procuratoris, manus. Is itaque obnixè rogatus ut literas eorum nomine ad *Cæſarem* mittendas curaret, promptiſſimè in ſe recepit, ſed peſſimâ fide. Literis enim apud ſe detentis & prorſus ſuppreſſis, (fuco interim facto, ac ſi eas officioſè dimiſiſſet) Judæi dum benignius à *Cajo* reſponſum præſtolantur, malo dolo

ANN. CHRIS. 40. CALIG. 3.

dolo fraudati de miſerrima ſua ſpe & expectatione deciderunt. Tandem verò *Romam* venit *Agrippa* Judæis olim amicus, necnon in *Flaccum* (durè nuper ab eo tractatus) veterum ſimultatum plenus. Is Judæorum rerum (quantum licuit) patronus & propugnator, *Flaccum* graviſſimis criminibus petit.

Flaccus jam præceps ruit.

Cæſar itaque (utrùm *Agrippæ* literis ſuaſus, an eò impellente divinâ Nemeſi, an aliâ quâvis causâ motus) *Baſſum* Centurionum unum ad prehendendum *Flaccum* miſit. Is motuum metu, noctu urbem ſubintrat, & militem quendam obviam in tenebris factum, interrogat ubinam ageret Tribunus Cohortis, quem de adventu ſuo ejuſque cauſis certiorem factum, in auxilium (ſi opus eſſet) occultò vocaret. Ab eo intelligit Tribunum unà cum *Flacco* apud *Stephanionem* unum è *Tiberii* libertis tùm cœnaturum. Illuc ſe clanculùm recepit, introque priùs miſſo uno è militibus ſuis, qui ſervulorum veſte indutus, ſeque famulis immiſcens, convivarum numerum exploraret, ipſe derepentè in cœnaculum ruit, nulloque negotio *Flaccum* in vincula conjectum ſecum abduxit. Cogitet hîc lector, quàm diverſo mentis affectu agitantur ex hac re, tum *Flaccus*, cum Judęi. His equidem inſtabat ſcenopegia, olim celebrari ſolita: verùm cum hujus feſti ſolennia diu interpellaſſet communis afflictio, ex inopinatis *Flacci* miſeriis aliquantiſper oblectabantur. Ingruente verò hyeme, is *Romam* abreptus, pro tribunali agitur, damnatur, necnon ad inſulam *Andriam* perpetuo exilio relegatur: ubi quid de illo ulteriùs actum, habebimus ſuo loco.

Judæi apud Alexandriam, etiam adhuc malè ſe habent.

Semoto in hunc modum hoſtium acerrimo, *Româ* prodit, qui Judæis (ſi fieri poſſit) infeſtiorem ſe præbuit. *Helicon* is dictus, *Tiberii*, dum in vivis eſſet, & jam *Caji* aſſecla. Vir, ut videtur, *Cajo* natus, qui Principis gratiæ (quam jampridem haud incaſſum captarat) ulteriùs amplianda ergô, omne ſuum ingenium animumque applicuit, Judæorum tam Gentem, quàm cultum & religionem calumniando. Hunc nuncii ab Alexandria miſſi appellantes, ad acerbiora exſtimulant. Muneribus cum impræſens palpant, ampliora polliciti; modò odio eos quo inceptarat, proſequi pergeret. Quod fecit ſanè, impetu eò ardentiore uſus, quò non ſolùm præſenti mercede donatum, ſed plenioris etiam præmii ſpe lactatum ſe ſenſit. Proh miſerrimam Gentem adeò univerſim proditam, nec interim inimicorum ſuorum gnaram! Tandem verò certiùs moniti, innumeram ſupplicum turbam *Romam* accelerant, tam qui *Heliconis* animum lenirent, quàm *Cæſarem* exorarent, eumque de iniquiſſimis ſuis miſeriis certiorem facerent. Verum equidem eſt, legationem hanc nonniſi ſequenti anno effectam dari. Aſt cùm narret *Philo* eos tempore brumali iter ſuum inceptaſſe, haud abſurda videbitur ſuſcepti itineris mentio intra hunc annum, cujus negotium & exitus ad inſequentem referri debeat.

ANN. CHRIS. 40. CALIG. 3.

CHRI-

Digitized by Google

ANN. CHRIS. 41. CALIG. 4.

CHRISTIANA, JUDAICA ET ROMANA HISTORIA,

AD

Annum CHRISTI XLI.

CAJI CALIGULÆ IV.

Mundi 3968. U. C. 793.

Conſ. {*Cajo Calig.* III. *ſolo.*

CAP. XI.

VERS. 19. *Cæterum qui diſperſi fuerant*, &c.

ANNO *Caji Caligulæ* IV. Salut. Human. XLI. credibile eſt, *Antiochiam* fide Chriſtianâ donatam: *Barnabam* iſtuc loci ab *Hieroſolymis* miſſum, eo fine ut promulgato Euangelio cives ad fidem converteret; dein ad *Tarſum* profectum quæritando *Saulo*, atque iſthic repertum *Antiochiam* ſecum adduxiſſe; ubi ſpatio totius anni ſimul verſati, Euangelium prædicabant. Annum volo, non quem jam tractamus, ſed proximè ſequentem, h. e. primum *Claudii*, in quo *Agabus* Propheta celebrem iſtam annonæ caritatem prædixit, quæ ſecundo *Claudii* graſſata eſt, prout ſuprà oſtendimus. Atque hinc fas ſit colligere annorum ſummam, quâ Euangelii præcones, à *Stephani* morte diſperſi, Dei Verbum ubique paſſim prædicarant. Scilicet, ſexennium fere ultro citroque profecti, muneriſque Euangelici ſatagentes, peragratâ primò terrâ *Judaica*, *Samariticâ*, & *Galilæa*, dein ad *Phœniciam*, *Cyprum*, & *Syriam* iter fecerunt; Judæis tamen ſolùm, ac præterea nullis, novi fœderis gratiam offerre hactenus dignati.

VERS. 20. *Erant autem quidam Cyprii & Cyrenenſes.*

Hoc eſt, *Cypro*, vel *Cyrene* oriundi, *Hieroſolymis* verò vel aliis quibuſvis partibus terræ *Canaaniticæ* educati, & eò temporis degentes. Hujuſmodi cenſendi ſunt *Simon*, *Alexander* ac *Rufus*, Marc. 15: 21. uti & *Barnabas*, Actor. 4: 36.

Locuti ſunt Græcis.

Gr. *Helleniſtis.* Vox hîc *Græcorum* non omnino opponitur voci *Judæorum* præced. comm. Verùm continuatur rei narratio. *Verſ.* præced. habemus Euangelium inter Judæos apud *Phœniciam*, *Cyprum* & *Antiochiam* prædicatum: hoc *verſ.* prædicati Euangelii (ſaltem apud Judæos *Antiochenos*) felices proventus,

Digitized by Google

ANN. CHRIS. 41. CALIG. 4.

tus, ubi tot homines fidem amplexabantur. In illo narratur Diſcipulos *Antiochiam* veniſſe, atque illic ſolis Judæis prædicaſſe; in hoc oſtenditur tum quinam præſertim ii erant qui *Antiochiam* venerunt, cum apud quoſnam præſertim Euangelium prædicarunt, *Helleniſtas* ſcil. qui in eodem ſenſu, quo ſuprà, intelligi debent. *Helleniſtas* eos vocat, h. e. *Judæos* apud *Antiochiam* degentes, & civitate donatos; erat enim iſta *Syro-Græcorum* urbs.

VERS. 22. *Emiſerunt igitur Barnabam.*

Barnabas quatenus *Cypro* oriundus, inter *Helleniſtarum* numerum cenſendus eſt, Apoſtoli Gentium coadjutor & comes; vir qui ad urbem Ethnicam mitteretur aptus natus. Is itaque iſtuc adveniens, turbamque innumeram tam Gentium quàm Judæorum ad fidem converſam comperiens, *Tarſum* illico ſe confert, quò *Gentium Doctorem Antiochiam* adduceret, ubi (pro officii ſui ratione) ſalutarem Dei gratiam Gentibus propinaret.

PARS II.

HISTORIA JUDAICA.

Damna apud Jamniam Judæis inflicta.

ARdeſcit jam ipſa *Judææ* regio, intra cujus viſcera perrepſit malum, *Hieroſolymarum* urbem mox pervaſurum. Legati ab *Alexandria*, Judæorum nomine, noviſſimo anno miſſi, ſuis malis remedium *Romæ* procurando ſoliciti, calamitatum Gentem & patriam ſuam penitiùs ingruentium famam accipiunt. Harum cauſa & origo fertur, *Capito* quidam, vectigalium exactor apud Judæos *Româ* miſſus. Vir erat, cùm primum id munus capeſſeret, egenus & rerum inops. Verùm (ut ſolet id genus hominum è ſordibus natum) iniquiſſimis depeculationibus ditatior factus, veritusque ne expilandi artium reus coram *Cæſare*, accuſantibus Judæis, ageretur, ipſe eos calumniandi anſam primus arriperet. Apud *Jamniam* (ubi is eò temporis agebat) promiſcuè habitabant tam Judæi, quàm advenæ, ſeu Gentiles. *Capito* itaque advenarum partibus ſe clam immiſcens, operam navat, ut ii *Cæſari* altare (hunc enim pro numine ſe habendum juſſiſſe acceperant) extruendum ſuſciperent. Novit iſte vaferrimus, Judæos id iniquiſſimè laturos, turbaſque potiùs ſuſcitaturos, quàm Legem ſuam adeo impiè temerari paterentur. Hinc criminandi materiam; atque ex hac re anſam nactus, Judæis ob ſpretam *Cæſaris* majeſtatem, & conculcatum numen, negotium faceſſeret. Nec eum fefellit ſpes & conſilium: altari enim derepentè extructo, tumultuantes Judæi eidem mox demoliendo catervatim accurrunt. Deſæviunt, Ethnici Judæoſque coram *Capitone*, criminationibus accerſunt. Is, jampridem conſilii particeps, rem in judicio cognitam ad *Cæſarem* per literas defert. Hunc in ſe, Judæis alioquin infenſum ſatis, exaggerato eorum contumeliæ crimine, adeò malâ fraude irritat, ut facilè ad omnem crudelitatem in eos excercendam paratum habuerit.

Turbæ apud Hieroſolymas, & alibi, ex occaſione incepti Cæſaris ſimulachri motæ.

Capitone hæc in Judæos mordaciter ſcribente, *Cæſar* ſuapte naturâ iræ plenus, aliorumque Sycophantarum figmentis, (cauſâ præſertim contempti ſui numinis nefariâ jam manu obtrudendi) acerbior factus, ſæviſſima in Judæos decernit, quæ vel eorum pervicaciam contuderint, vel obſtinatam Gentem funditùs everſam ultimâ ſtrage affecerint. Literis itaque *Petronio* Procuratori Judææ datis jubet, ut loco aræ lapideæ quam Judæi apud *Jamniam* diruerant, is coloſſum aureum, ſui imaginem, Templo *Hieroſolymitano* collocandum fabricari curaret. Et porrò, ne Judæorum protervitas præpedimento

ANN. CHRIS. 41. CALIG. 4.

Joſephus in hac re narranda à Philone plurimum diſſidet. Ille enim Petronium in hanc rem à Cæſare conſultò miſſum; hic verò eum Judæâ eò temporis agentem ſubinnuit. Ille hæc, ſementis tempore; hic verò meſſis facta narrat. Refert ille, Judæos Petronium ſupplices adiiſſe, apud Ptolemaidem & Tiberiadem; hic, apud Phœniciam. Et ſic de ſimilibus; quæ benevolus Lector, utrumque Autorem conſulendo faciliùs perſentiet; fidem interim Philoni potiùs habiturus, utpote qui Regiam Aulam, ubi hæc peragebantur, per id tempus frequentabat: quanquam haud diffitendum ſanè eſt, cum hiſtoriam ſuam floſculis (neſcio quibus) rhetoricis plus conſperſiſſe, quam iſtiuſmodi ſcriptorem decuit.

mento ei eſſet, exercitum quem Orienti præſidium fecerat, ſecum adduceret, quo tumultuantes Judæos reprimeret, & ſimulachrum *Cæſareum* divinis officiis colendum, invitis iis, propugnaret. Quid jam Judæis agendum reſtat? Imò quid ipſi *Petronio?* Modò *Cæſaris* juſſa inſuper habuerit, capitis ſui diſcrimen ſubiturus eſt; modò perfecerit, actum equidem eſt de univerſo populo Judaico. Novit ille eos emorituros potiùs, quam Idolum permiſerint, nec tamen impunè ſe evaſurum, modò id non eis obtruſerit. Anceps itaque animi, medium quid ſtatuit. Jubenti *Cajo* non obſequi, dum ſibimet conſulit, non auſus eſt; & tamen, Judæorum gratiâ, moras aliquantiſper trahendo, ſperat dum fabricaretur ſtatua, mutari poſſe vel *Cæſaris* animum, ut mandata reſciderit, vel Judæorum ſaltem ut ſimulachro fabricando non adeò protervè reſtiterint. Statuæ itaque negotium ſculptoribus *Sidoniis* mandat, eo fine partim, ne fremerent Judæi, conſpectâ *Petronii* humanitate, cùm nollet ſimulachrum exſculpi eorum conſpectu: partim etiam, ut *Cæſar* rem æqui bonique conſuleret, certior à viatoribus factus, opus pro certo inceptum iri.

Re verò à Judæis ſubolfactâ, ad *Petronium* in *Phœniciâ* tùm agentem tumultuoſe accurrunt; turba incondita, utriuſque ſexûs, cujuſvis ætatis, ſummæ atque infimæ ſortis, lachrymis effuſi, planctibuſque miſerrimâ voce editis, obnixè eum rogant, ut vel ab incepto deſineret, vel ſaltem (quò tam fœdo atque execrando facinori nequaquam ſuperſint) unâ omnes internecione confeſtim deleret. Interea *Petronius* blandè eos alloqui, hortari, monere, minas addere; ſed fruſtrà omnia. Mallent Judæi carnificum manibus colla ſubjicere, quam temeratum adeò Dei ſui cultum, & profanatam religionem pati. Id itaque tandem ab emollito Procuratore extorquent, ut promitteret ſe ultra nequaquam procedere, donec ii *Cæſarem* ſupplicibus libellis, mediante ipſo, exoratum irent.

His pollicitationibus placati, domum ſe recipiunt, frugibus colligendis operam navant, gratiſque animis accepto præſenti beneficio, meliora de futuro ſperant. Narrat adhæc *Joſephus*, ſubitum imbrem, dum de hac re Judæi cum *Petronio* diſceptarent (ſudo licet aëre, nulliſque pluviæ ſignis præcurrentibus) depluiſſe: Deo, inquit ille, cœlitus atteſtante æquiſſimam ſupplicum cauſam, perque illud inſolitum miraculum ſupernè Præfectum movente ut eis faveret.

Literæ à Petronio ad Cæſarem miſſæ.

Petronius itaque Judæorum & promiſſi ſui memor, *Cæſarem* literis (quâ licuit audaciâ) extemplò petit. In his repræſentat juſſæ rei incommoda; univerſæ ſcil. Gentis excidium, ingentis & lautiſſimi reditûs, vectigalium jure corraſi jacturam, Imperii virium & gloriæ imminutionem, itineris denique quod in *Alexandriam* meditaretur, præpeditionem & damnum. Monet eum Judæos ſuarum rerum deſperatiſſimos, arva ſua jampridem reliquiſſe inculta, publiciſque negotiis omnino abſtinuiſſe; atque inde ſequuturam annonæ caritatem, quæ regiones conterminas peſſimè afflictura eſſet. His atque aliis id genus argumentis uſus, quantumvis in ſe quidem validiſſimis, Principem tamen ſuapte naturâ inflexibilem, praviſque nonnullorum conſiliis, obſtinatiorem factum nequaquam movit. Par Sycophantarum utramque Imperatoris aurem occuparat; hic *Helicon Ægypto* natus, (de quo ſupra) *Aſcalonita* alter, *Apelles* dictus. Hi ambo *Cajum* indies in Judæos exagitant, ſtimuloſque iræ jampridem conceptæ, aſſiduâ criminatione ſubdunt. Proh ſceleſtiſſimos nebulones, ex aliorum exitio fortunarum ſuarum fabros! Deo utique ſic viſum eſt, iſtiuſmodi flagris ſceleratam Gentem cædi, quæ tamen ipſe poſtea in ignem conjici, utrique juſſerit. Et ſic de his utriſque actum fuiſſe fertur. *Apelles*, jubente *Cajo*, (quem ſanguinariis artibus ipſe olim infecerat) jugulatoribus traditur; *Helicon*, imperante *Claudio*, occiditur.

Agrippa Judæorum cauſam ſuſtentat.

Rex *Agrippa* veteri conſuetudine Judæis charus, *Romæ* per hoc tempus agens, in eorum patrocinatione (fiduciâ quâ licuit cum Imperatore uſus) operam navat. Hic verò haud bene inter ſe conveniunt *Joſephus*, ac *Philo* (uti ſanè eandem rem diverſimodè narrantes ferè ſemper obſervari debent.) Refert *Joſephus*, Agrippam, acceptâ Gentis ſuæ anguſtiarum famâ, *Cajum* ad lautiſſimum convivium vocaſſe; ubi cum *Cæſar*, effuſis poculis hilarior factus, ultro ſe *Agrippæ* facturum promiſerit, quodcunque petierit, autumans eum ampliorem ſibimet ſortem rogaturum; cumque *Agrippa* è contra nil majus poſtularit, quam ut *Cæſar* Judæis ſacrum Dei ſui cultum impunè permitteret, eoſque à metu ſimulachri liberaret; is modeſtiâ hominis captus, votis lubens accedit, Judæiſque ſe melius conſulturum ſpem ei fecit; donec *Petronii* literis de novo exacerbatus, vindictam rurſus meditaretur. In hunc modum *Joſephus*, aliter *Philo*. Hic enim narrat *Petronii* literas *Cajum* prius attigiſſe, quam Judæorum cauſam *Agrippa* in ſe recepiſſet. Et porrò, quòd *Agrippa* more ſuo obſequium *Cæſari* præſtans, torveque eum ſe intuentem, nec minus Judæis interminantem expertus, tanto

Digitized by Google

ANN. CHRIS. 41. CALIG. 4.

tanto horrore perculſus erat, ut deliquium paſſus, vix per bidui ſpatium ad ſe rediret. Dein verò is animi parùm fidentior, Imperatorem literis petit nervoſis ſanè, atque tot argumentis, Judæorum causâ fretis, ut ægrè tandem ab eo (vix ſe ab ira in ſupplicem temperante) obtineret revocari mandatum, ne ſtatuæ ſculptura ulteriùs procederet. De hac itaque re *Cæſar Petronio* reſcribit, cum hac doloſa conditione tamen, (ne Judæi integrum haberent gaudium) viz. ſi cui animus fuerit, in aliquavis urbe vel loco (demptis ſolùm *Hieroſolymis*) *Cæſari* ſimulachrum vovere, ne quis ei moleſtias præbeat; ſin præbeat, capite plectatur. Putatur hæc novis motibus ciendis ex propoſito ſcripta. Credibile erat, haud deeſſe poſſe, qui Judæis malè conſulentes, non tam in honorem *Cæſaris* quàm iis invidiam ſimulachro moliendo operam ſuam impenderint; nec interim ſibi temperare poſſe Judæos, quin obſtinatiſſimè idolum, ubivis compererint, averſaturi ſint, quum id non ratione loci, ſed ipſiſſimi idoli, peroſum haberent: nec denique de Imperatore dubitari debuit, quin hanc occaſionem nactus, Gentem ſæviſſimo bello adactam ſtudioſè opprimeret. Sed nondum tempus Judaicæ πανολεθρίας inſtabat. Viſum igitur Deo eſt, ut nemo inter hoſtes acerrimos opus illud inceptaret: uti neque Coloſſo iſti, quem *Romæ* fabricandum, Temploque *Hieroſolymitano* furtim collocandum *Cæſar* deſignarat, colophonem addi permitteret; quin opus illud nefarium, vel Principis nece, (quæ ſequente anno obrigit) vel alio aliquo præpedimento incaſſum dedit.

Flaccus Avilius in exilio peremptus.

Suprà diximus *Flaccum* ad inſulam *Andriam* relegatum. Is itaque inſulæ oris appulſus, memor iſthic deliciarum quas tulerat *Italiæ* & *Ægypti* nativa amœnitas, quibus jam longum ſuum vale dicturus eſſet; memor ſortis ſuæ quam felix fortuna olim ditaverat, quamque jam exul miſerrimus pro ſordibus & ſolitudine commutaturus eſſet, in lachrymas effunditur. Nec poſtea vires vel animum reſumeret, quin quò diutiùs exilii mala paſſum, eò magis depreſſum & debilitatum ſe perſentiſcit. Horrore itaque & œſtro percitus, ſi qua *Philoni* fides, evitato hominum conſortio, nemora ac ſylvas diſcurrens, ſeipſum miſerrimè afflixit. Interdum nocte intempeſtâ, ſomno experrectus, atque è cubili exiliens, cœlum intueretur, & ab imo pectore ingemiſcens clamaret, Βασιλεῦ Θεῶν καὶ ἀνθρώπων, ȣ̓κ ἀρὰ τȣ̃ τῶν Ἰȣδαίων ἔθνȣς ἀμελῶς ἔχεις. *O tu Deorum atque hominum Rex, certè Judæorum Gentem haud inſuper habuiſti!*

In hunc modum mœſtiſſimam vitam traxit, donec *Cæſaris* tandem juſſu mortem oppetiit. Etenim *Cajus* inſomnem ſemel & inquietam noctem agens, inter alia ſecum reputat, quàm optimè ſe haberent qui ad inſulas relegati, per feliciſſimum ſeceſſum & ſolitudinem, ſemetipſis imperturbatè fruerentur. Horum itaque tranquillitatis & otii invidiâ motus, utpote qui exulandi beneficio potiùs uſi, quàm ſupplicio affecti eſſent, proximo mane crudelem in eos ſententiam tulit, juſſitque ut ſine mora interficerentur. Inter hos *Flaccus*, omnium primus, neci addicitur. Huic amandantur carnifices, quos in primo conſpectu (eorum negotium & juſſa ſuſpicatus) effugiſſe conatus eſt: ſed ſero nimis; ſtatim enim, tam divina Nemeſi, quàm feris jugulatoribus deprenſus, plurimis vulneribus ſaucius occubuit.

Legati Judæorum nomine ab Alexandria miſſi, coram Imperatore ſe ſiſtunt.

Res Judæorum apud *Alexandriam* hactenus peſſum eunt; nec ſperandum eis omnino malis ſuis remedium, non obturato adhuc eorum fonte. Hunc duplicem fuiſſe palàm eſt: hinc iniquiſſimas Sycophantarum delationes; illinc inſitum illud odium quo *Cæſaris* pectus ſponte in Judæos flagrabat. Hi itaque duplici huic obici amovendo intenti, aliquot è ſuis *Romam* mittendos conſtituunt, qui libellis ſupplicibus animum Principis emolliendum curarent. Hos numero tres, (prout *Joſephus*) quinque, (prout *Philo*, ipſe etiam eorum unus) iter ſuum inceptaſſe ſupra oſtendimus. Habeamus jam legationis progreſſum & exitum.

Legati *Cæſarem* campo Martio eò temporis agentem primo accedunt; ubi benigniùs pro hac vice recepti, & blandiore quadam pollicitatione dimiſſi, ſperarunt res ſuas non ſolùm maturiùs, ſed feliciùs fortaſſis peractum iri. Aſt ſecùs omninò cecidit. Paulò enim poſt, *Cajus* ſe mari *Puteolos* transfert; ubi Legati iſtuc eum inſequuti, triſtem patriæ ſuæ ſtatum, formatæque imaginis famam primùm accipiunt. De *Puteolis* verò *Cæſarem Romam* reverſum de novo compellant. Is eos vultu torvo, rictuque oris ad probrum compoſito rogat, *Voſne homunciones miſerrimi numen meum ſpernere, Deumque veſtrum anonymum colere?* Quæ cùm dixiſſet, manibus in cœlum faſtuoſè protenſis, venerandum JEHOVÆ nomen non ſine ſanna & ſcommate pronunciat. Hæc malè in Judæos affecti, ut fauſtum felixque victoriæ omen, lætis animis accipiunt. Tandem verò *Cæſar*, cùm Legati eum de loco in locum deſultoriè moventem veſtigiis hærentes indefeſſo urgerent, (poſtquam notatis aliquibus cubiculi ſordibus, famulo-

Digitized by Google

ANN. CHRIS. 41. CALIG. 4.

famulorum incuriam objurgarat) probroſè eos interrogat, *Quid audio? An vobis porcorum carne veſci nefas eſt?* Turbâ ſuper hæc riſum excitante, *Cæſar* Judæos reſponſum laturos turgidè interpellat, *Quænam (ſi Diis placeat) immunitates eæ ſunt quas civitati veſtræ precamini?* Replicaturis eis iterum ſe aliò proripit, & ſtatim reverſus, *Jam*, inquit, *quid mecum vultis?* Sed rem ſuam enunciaturis rurſus ſe alior ſum divertit, & mox placidiori vultu regreſſus, *Hi*, inquit, *haud adeò inter improbos cenſeri debent, ac infelices & miſeros, dum numen meum deſpectui habeant.* Quæ cùm dixiſſet, jubet diſcedere. Atque in hunc modum (& quantum ex *Philone* conſtat) evanuit lactata Judæorum ſpes & expectatio. Dubium verò eſt, an integra nobis, an mutila tantùm rei narratiuncula apud *Philonem* extiterit. Nullum ſanè alium negotiationis exitum memoriæ proditum hodiè habemus; niſi quod credibile eſt Judæos *palinodiæ* libellum quendam in *Cæſaris* manus tradidiſſe, vetuſtate tamen & injuriâ temporum nobis ereptum. Refert *Euſebius* quinque libros à *Philone* ſcriptos, qui tam Judæorum res afflictiſſimas, quàm *Caji* rabiem narrant. Horum duo tantùm apud nos extant, contra *Flaccum* unus, de *legatione ad Imperatorem* alter; cæteri fortaſſis *palinodiam* aliaque ejuſdem argumenti tractabant.

De Apione.

Supra dictum eſt tres vel quinque utriuſque partis legatos (de numero enim inter *Joſephum* & *Philonem* haud bene convenit) ab *Alexandria* miſſos. Ex his fama nobis duos præſertim tranſmiſit, alterum alteri adverſum; hunc *Apionem* Græcum, illum *Philonem* Judæum; memorabilioris notæ ambos, ſcriptiſque ſuis ad hæc uſque ſecula doctis non ignotos.

Apion, natione *Ægyptius*, apud *Oaſin* extremam *Ægypti* oram natus, *Alexandriâ* tamen oriundum ſe jactitat. *Græcorum* quidem Philoſophiâ imbutus, magis tamen ad oſtentationem quàm revera doctus. Hic, cùm ei non ſufficeret Judæos coram Imperatore criminari, conſtructâ rerum *Ægyptiarum* Hiſtoriâ, fortiter calumniatus, infami eos notâ impoſterùm inurendos curavit.

Joſeph. contr. Apionem, lib. 2.

Hunc librum *Joſephus* duplici libello in eum excuſo, acerbiùs perſtringit. *Nonnulla*, inquit, *ab aliis excerpta, quædam frigidè admodum, calumnianter alia, plurima inſulsè ſcripta.* Porrò, veteratoris hujus haud vulgaris exitus apud *Joſephum* in hunc modum deſcribitur. *Videtur*, inquit, *debitas ſacrilegi oris (etiam præter patriæ ſuæ inſtituta & mores) pœnas dediſſe. Ulceratis enim pudendis, præputium amputari neceſſe habuit, nec tamen hujuſmodi remedio ſublevatur omninò, quin putredine tandem exeſus, inter acutiſſimos dolores fœdum & miſerrimum diem obiit.*

ANN. CHRIS. 41. CALIG. 4.

De Philone Judæo.

Philo, natione *Judæus*, ortu *Alexandrinus*, ex proſapia & ſtirpe ſacerdotali, *Alexandri Alabarchæ* frater, omni eruditionis genere excultus, literarum tam Græcarum quam Hebraicarum præ aliis omnibus utrâvis Gente peritus. Ex hac ſcientiæ mixtura enata ei eſt compta in ſcriptis, nitidaque, quæ paſſim obſervanda eſt, verborum elegantia. Is Theologiam per Philoſophiam explicare ſolitus, vel potiùs Philoſophiam è Theologia eruendi ſtudioſus, hanc inhoneſtiorem reddidit, atque iſtam nequaquam ornavit. Hinc allegoriarum pruritu adeò affectus, ut & Textus ipſe iſtiuſmodi interpretamentis perplexior fieret, & Theologia ſuccedentibus ſeculis conſpurcatior. Uſus ſanè eſt ſuavi, blando, facilique ſcribendi eloquio, *Athenis* ipſis non indigno. *Alexandriâ* enim (*Græcorum* urbe) oriundus, naturâ partim, partim operoſâ lucubratione, Græcæ linguæ apicem, quoad verborum copiam & delectum attigerat. *Verborum* adeò non inops videtur, ut ſæpiùs redundet, effuſamque potiùs quàm liberalem affluentiam prodat, oſtendens quid poſſet dicere cùm poſtularet occaſio, tot dicendo cùm daretur nulla. Brevi omnia, corde equidem Philoſophiæ magis quàm Sacræ Paginæ ſtudioſus, ore verò, Rhetorices magis quàm Philoſophiæ. Quem ſcribendi acumen ſolers potiùs quàm grave & ſolidum juvat, rem tractatam non ſequutus quò ratio ipſa, & rei natura duxerit, ſed trahens potiùs quò vaga mens, cerebrique ſomnia laſcivè vocarint. Hinc allegoriarum copia, quibus etiam ſemel conceptis iſtiuſmodi fidem habuit, ut ipſe ſibimet videretur nonnunquam effudiſſe myſteria *, ne Sacræ Scripturæ parciturus, modò cerebelli ſui conceptibus non omninò afflarit. * v. pag. 89.

Hunc haud ita multò poſt culpabili affectatione ſequuti ſunt Patres & Scriptores Eccleſiaſtici, tam ſuam quàm lectorum operam ludentes. Sive quòd is omnium primus annotata in Sacram Scripturam tentaret, ſive potiùs quòd *Philonem* primò in hunc modum ſcribentem repererint; certum ſanè eſt, eum Chriſtianis Scriptoribus diu plurimùm arriſiſſe: quorum nonnulli eum adeò ad amuſſim imitari ambiebant, ut Sacra Volumina alioquin in ſe perſpicua, fœdè obſcurarint, obductâque allegoriarum ſuarum fuligine minùs ſincera præbuerint. Scriptores Hebraici (quod ii ſatis norunt qui eorum ſcripta verſarunt) pro more ſuo ſublimiùs ſe ferunt, quàm ſolent Chriſtiani. *Philo* itaque noſter, cùm

eſſet

Digitized by Google

ANN. CHRIS. 41 CALIG. 4.

eſſet natione *Judæus*, & pro eorum more altiora omninò & recondita neſcio quæ aſpiraret; præterea, cùm eſſet *Græcorum* ſapientiâ inſtitutus, eorumque Philoſophiam præ aliis gentis ſuæ & calleret & ſaperet, altiùs adhuc ſe rapit, nec non (demptâ ſolùm *Therapeutarum* Sectâ, de qua infra fuſiùs dicendum erit) ſcribendi faſtigium petit, quod nulli antea audebant; nec debuerunt ſanè poſteri id attentaſſe, qui tamen inſolitam hanc viam præmonſtrantem eum, abſurdiſſimâ æmulatione ſequuti ſunt. Veniam det lector, modò *Philonem* in aliquibus myſticè & allegoricè ludentem indigitarim.

Videat itaque quid de *Verbo Dei inviſibili* deblaterat. (*a*) Quoad numerorum ſomnia Pythagoricum ſe prodit. (*b*) Numero ſpeciatim ſeptenario ſe admodùm delectat, (*c*) *Therapeutarum* more, (*d*) à quibus Theologiam ſuam in multis hauſiſſe haud dubium eſt.

(*a*) Pag. 5. & 24. & 169. 152.
(*b*) p. 8. 15. 16. 31.
(*c*) p. 32. 33.
(*d*) p. 695.

. Humanarum rerum fata ab aſtris pendere cenſet, (*e*) ſtellaſque vix non intellectu præditas, (*f*) imò animantia ſpiritu immortali donata prædicat. (*g*) Subinnuit porrò, Deum cùm genus humanum conderet, coadjutores quoſdam & collegas ſibimet adjunxiſſe. (*h*) Ait Deum diem ſeptimum ſacrum feſtumque conſtituiſſe, non unicæ Genti ſolùm, ſed univerſis; utpote qui vocari mereret *populorum feſtivitas & natales mundi*. (*i*) Diſtinguit inter *Adamum formatum & factum*, *terreſtrem & ſupernum*. (*k*) Abſurda (neſcio quæ) aſſerit de duplici natura hominibus inſita, tam bona quàm mala. (*l*) Et tamen, cùm libuerit, ad ſobriam magis rectamque loquendi normam ſe revocat. (*m*)

(*e*) p. 9.
(*f*) p. 12. 168.
(*g*) p. 222.
(*h*) p. 12.
(*i*) p. 5.
(*k*) p. 43.
(*l*) p. 57. 61.
(*m*) p. 68.

Credit animam ſuam nonnunquam extra ſe rapi, miraque quædam, profunda & recondita eo temporis ſpeculari, quæ poſtea (de Trinitate præſertim) ſcriptis mandat, (*n*) myſteriorum jactabundus. (*o*) Verùm quod mirum eſt, atque apud Judæos ferè inauditum, affirmat *fidem eſſe omnium oblationem Deo gratiſſimam*. (*p*).

(*n*) p. 8.
(*o*) p. 94.
(*p*) p. 94.

Joſepho Patriarchæ catechreſticum loquendi morem attribuit, quem caſtigandi licentiam pro libitu ſuo in ſe recipit. (*q*) De exitu *Moſis* verba faciens, hæc habet, Ὀυκ ἐκλείπων προσίθεται, &c. *Non aggregatur deficiens, prout alii: ei enim neque additur quid, neque diminuitur; virtute verò ejuſdem efficacis verbi quo conderetur mundus, ipſe tranſlatus emigravit.* (*r*)

(*q*) p. 100.
(*r*) p. 102.

Rurſus *Joſephum* Patriarcham immodeſtiùs & inficetiùs quàm par eſt tractat. (*s*) Mallet profanus quàm non naſutus haberi, atque in Patriarcham inſultare, potiùs quàm perirent allegoriarum nugæ.

(*s*) p. 122. 152.

Ait *Aaronem* fratri ſuo *Moſi* manus impoſuiſſe; (*t*) nec non *Abelem* quantumvis occiſum etiam adhuc in vivis eſſe. (*u*) Simile quid occurrit, *Hebr.* 11.

(*t*) p. 116.

Aſſerit Deum ad inſtar Paſtoris ac Regis, cuncta in hoc mundo juſtiſſimâ manu adminiſtrare, Προστησάμενος τὸν ὀρθὸν αὐτοῦ λόγον πρωτόγονον υἱὸν, ὃς τὴν ἐπιμέλειαν τῆς ἱερᾶς ταύτης ἀγέλης, οἷά τις μεγάλου βασιλέως ὕπαρχος διαδέξεται, *Rectum ſuum verbum*, h. e. *Filium ſuum primogenitum eis præficiens, qui ſacri gregis curam in ſe ſuſcipiet, haud abſimilis inclyti cujuſdam Regis vicario.* (*x*)

(*u*) p. 127.
(*x*) p. 152.

Adeò probè ſe doctum gloriatur, ut ἐγκυκλοπαιδείαν ſibimet ſcriptiſque ſuis arrogare non erubeſcat. (*y*) Angelos vocat (Græcorum more) *Genios*, & *Heroas*, quos in ſublimiore parte aëris ætheri proximâ formatos, (*z*) atque iſtic circumvolitantes fingit. (*z*)

(*y*) p. 161.
(*z*) p. 168. 221. 222.

Allegorizandi anſa ad impietatem uſque captatâ, *Paradiſi* Hiſtoriam, (dummodò literali ſenſu acceperis) ut nugas & fabulam ridet. (*a*) Rabbinicum quoddam commentum habet, de prima inventione Muſices. (*b*) Verſionem LXXII. κατὰ πόδας ſequutus eſt. (*c*) *Deum* atque ejus *Sapientiam* fingit tum patrem tum matrem, è quibus junctim (non humano tamen more) procreari mundum ſomniavit. (*d*) Locum iſtum *Prov.* 8:22. vertit, *Jehovah creavit me ante opera ſua: neceſſe enim eſt*, inquit, *ut quæcunque generantur, minora natu eſſent communi ſuâ matre, atque omnium conſervatrice*. (*e*) *Jethronem* ſcurriliter tractat. (*f*) *Lothi* uxorem in lapidem converſam prædicat. (*g*) Spectaculis interfuiſſe ſe non diffitetur. (*h*) *Iſaacum* cenſet ſeptennem priùs natum quam ablactaretur. Dialogos memorat à ſe compoſitos ſub perſonis *Iſaaci* & *Iſmaelis*, *Deuter.* XXXIII. vocat cum Rabbini Ὠδὴν μείζονα, *Canticum majus*. (*i*)

(*a*) p. 170.
(*b*) 180.
(*c*) p. 160. 179. 218. 245. 255.
(*d*) p. 190.
(*e*) Ibid.
(*f*) p. 191.
(*g*) p. 205.
(*h*) p. 206.
(*i*) p. 213. 179.

Jacobum dum pro *Joſepho* vota ſua faceret hæc loquentem inducit, Τιὲ ηὐξαμένος νεώτατος πρός με ἀνάστρεψον, *Fili mi noviſſimè qui incrementum accepiſti, ad me revertere*. (*k*) Incertum ubinam loci hæc verba occurrunt. Ait Spiritum Dei eſſe immortalem ſcientiam. (*l*) Tractat de *Primogenito*, & *Secundogenito Dei*, h. e. de *Verbo* & *Mundo*.

(*k*) p. 214.
(*l*) p. 223.
(*m*) p. 232.

Liberum arbitrium, comparatis ſaltem humanis actionibus cum plantarum & brutorum effectis, affirmat. (*n*) *Joſephum* iterum audacter corripit. (*o*)

(*n*) p. 234.
(*o*) p. 241.

Fabellam de avibus & beſtiis cudit, ac ſi eâdem olim linguâ inter ſe uſæ, mutuorumque conceptuum participes factæ, tandem linguarum beneficio exutæ eſſent, eò quòd ſupplices olim orabant, ut renovatâ ſemper (more ſerpentium) ætate ſuâ, nunquam ſeneſcerent. (*p*)

(*p*) p. 251.

Verùm de his ſatis ſuperque dictum. Nec ampliùs addendum reſtat, niſi memorabilius

Digitized by Google

ANN. CHRIS. 41. CALIG. 4.

illud apopthegma (referente *Joſepho* *) Philoni aſcriptum, dum in eum & ſocios bacchаretur *Cæſar. Bono*, inquit, *animo ſimus, verbis quidem nobis Imperator inſultat, at factis Deo.*

* *Antiq.* lib. 18. c. 10.

ANN. CHRIS. 41. CALIG. 4.

PARS III.

HISTORIA ROMANA.

Caji ineptiæ & crudelitas.

IN hoc anno *C. Cæſar*, quaſi in *Brittannia* bellum perpetraturus ad Oceanum tendit, ubi navim pauliſper conſcendens, ſubito littus repetiit, & aciem dirigerent jubet, h. e. ut conchas legerent, galeaſque & ſinus replerent. His ſpoliis onuſtis *Romam* rediit, Oceanumque triumphatum inſulsè gloriatus, Senatum una internecione delendum vix & ne vix ſecum ſtatuerat, quod ritus divinos alioſque honores ei nondum decreverant. Verùm levi occaſione motus, ad mitiora revocatur. Is miniſtrum ſævitiæ fovit, *Protogenem* dictum: huic duos libellos tradiderat in ſecretis ſervandos, diverſo titulo, alteri GLADIUS, alteri PUGIO index erat. Ambo notas & nomina continebant morti deſtinatorum. Is ſemel palatium ingreſſus, nec ſine turpi obſequio à ſenatu receptus, inter alios ſpeciatim à *Scribonio Proculo* blandius ſalutatur. Hunc torvè intuitus, *Quare*, inquit, *tu, qui Dominum tali odio habes, mihi officium præſtares.* His Senatu in rabiem acto, hominemque plerique adorientes, membratim dilacerant. Arriſit *Cæſari* facinoris inuſitata atrocitas, ſuæ ipſius indoli adeo affinis. Hæc recuperatæ Principis gratiæ occaſio.

Vide *Sueton.*

Occiderunt hoc anno, jubente *Cæſare*, *Ptolemæus* Regis *Jubæ* filius, nimiarum opum crimine; *Caſſius Bacillinus* planè nullo. Hujus etiam parens, quod ſupplicio filii intereſſe non ferret. Turpi blandiloquio evaſit *L. Vitellius* noviſſimus *Syriæ* Procurator; turpi ſanè quod iſtiuſmodi beſtiam permulcendo ſufficeret.

Verumenimverò intolerabili ſolœciſmo iſte homo omnium nequiſſimus cultum divinum pertinaciùs affectando, cujuslibet Numinis ſpeciem præ ſe tulit; mutato indumento Deitatem pro arbitrio mutabat. Hodie Deum marem, cras fœminam æmulatus, in utroque ſexu diverſimoda forma veſtitum ſe præbuit. Nunc *Jovem*, interdum *Junonem*, *Martem* ſæpius, nonnunquam *Venerem*, *Neptunum*, *Apollinem*, *Herculem*, & *Dianam* variatis vicibus oſtentavit, ſub multiformi interim Deorum & Dearum ſpecie reverà Diabolum ſe præſtans. Ædem ſacram ſibimet condidit, dicavitque, nec non in Capitolio locum, quo familiari magis uteretur conſuetudine cum *Jove*. Verum haud benè, ut videtur, *Jovi* cum *Cæſare* diu quidem convenit. *Cæſar* enim ſede ſua mox immutata, templum propria domo numini ſuo ſacrandum parat, metu ne dum ſacra cum *Jove* ſortiretur, vota fere omnia Deo Patri (numine interim ſuo inſuper habito) indies perſolverentur. Horum itaque ſolicitus, non modo ædem ſibimet ſoli extruxit, quin in animo habuit, *Jovis Olympici* ſimulachrum ad ſui ipſius ſimilitudinem effictum in ædis ſuæ adyto poſuiſſe: *Jovis* quidem ſtatuam, ſed ſui imaginem; *Olympici* truncum, ſed caput & ora *Cæſaris*. Verùm in hac re ſpe ſuâ fraudatum narrant. Navis, quam aſportando è *Græciâ* ſimulachro miſit, de cœlo tacta; necnon cùm quis fabricandæ imagini manum admoveret, horriſono ſtatim cachinno inviſibili quodam ore excitato, abſterrentur opifices, & ab incepto tandem deſiſtunt. Omen mehercle auſis adeò ridiculis perquam accommodum! His ita malè ſuccedentibus, ad alias artes ſe confert. Occupatâ enim parte templi *Caſtori* & *Polluci* ſacri, ſuis ædibus contigua, ita commodè ædificium diſpoſuit, ut medio inter *Geminos Fratres* pateret aditus, quos idcircò *Janitores ſuos*, dum ſe *Dialem*, nominat. Hujus novitii numinis ſacris initiandos admiſit patruum ſuum *Claudium*, amiculam *Cæſoniam*, & ditiſſimos quoſque,

Digitized by Google

ANN. CHRIS. 42. CALIG. 5.

quoſque, corraſo ingenti nummorum pretio, ab obſequioſis Aulicis ſacra iſta ambientibus. Imò verò, ſemet ſibimet conſtituto Pontifice, equum etiam (ne quis abſurdiora olim excogitarit) in ſacerdotali munere ſocium comitemque aſſumpſit. Quid multis? non Deorum perſonas ſolummodo, quin tonitruum crepitus, & micantia fulgura imitatus, in Jovem ſæpius Homericum illud denunciaret, *Aut tu rapias me, aut ego te.* Atque in hunc modum conflata erat, rebus ab invicem abſurdiſſimè contrariis, Cæſaris Aula. Hinc templum, illinc lupanar. Hic *Cajus* Deum ſe præbet, illic beſtiam: ſtupratis virginibus, pædicatis pueris, temeratis matronis, univerſo fere Pop. Rom. rebus ſuis boniſque emuncto, Imperatore interim nummorum inhoneſtâ congerie more belluino volutante.

ANN. CHRIS. 42. CALIG. 5.

CHRISTIANA, JUDAICA ET ROMANA HISTORIA

AD

Annum CHRISTI XLII.

CAJI CALIGULÆ V.

CLAUDII I.

Mundi 3969. U. C. 794.

Coſſ. { *Cajo Cæſare* IV.
Cn. Sentio Saturnino. }

PARS I.

HISTORIA ROMANA.

Conjurati de cæde Caji inter ſe deliberant.

IN hunc modum bacchantem Imperatorem haud diu feret Reſpublica; nec ſiccam mortem tyrannus ſubditorum ſanguine adeo inique effuſo toties conſperſus ſperare debuit. Conſulatum iniit hoc anno cum *Cn. Sentio*, brevem quidem & citò exiturum. Detectâ enim unâ atque alterâ conſpiratione, duo tandem conſilium communicaverunt, perfeceruntque, non ſine conſcientiâ plurimorum quibus nec defuere animus nec opes. Inter Conjuratos primas tenuerunt *Caſſius Chæreas*, & *Cornelius Sabinus*, incepto aſpirantibus aliis haud ignoti nominis, *Calliſto* ſc. & *Eparcho*, *Regulo*, & *Minutiano*. Cauſa maturandæ cædis quam ſemel conceperant hæc fuit.

In more erat, ut dum in Urbe ederentur cujuſdam generis ſpectacula, Pop. Rom. aliquid ab Imperatoribus ſupplex peteret, quod negare non ſolent. Rogant itaque per hoc tempus vectigalium ſublevamen, & ut gratia

ANN. CHRIS. 42. CALIG. 5.

via quædam tributorum onera benignius amoveret. His *Cæſar* adeò non annuit, ut ſupplicum pleroſque interfici jubens, capiti ſuo exitium ex eorum ſuppliciis feſtinatiùs acceleraret. Fremit populus, eiſque frementibus, conjurati *Cæſarem* in illa die adoriendum cenſent, quo adeò palam conſtat, neque ipſius indolem, neque populi preces, neque patriæ mores & jura vetare poſſe, quo minus ſævus adhuc rigiduſque iniquiſſimorum vectigalium exactor perſtiterit.

Porrò, præter has publicas irritati populi cauſas, privatæ nonnullorum ſimultates, ob injurias propriis perſonis factas, acerrimè in Principem ſtimularunt. *Minutianum* ſc. ob chariſſimi amici *Lepidi* necem, & metum ſuæ; *Caſſium Chæream*, ob convitiorum diutinam petulantiam, quâ indies laceſſebatur. Is enim cùm Tribunus eſſet Cohortis Prætoriæ, virque ad illud vel aliud quodvis munus fungendum haud animi impar, ut mollis tamen & effœminatus vituperabatur. Unde ſignum more militum petenti, *Cajus* aut *Priapum*, aut *Venerem* daret; manumque cum oſculandam offerret, obſcœnum in modum formatam commotamque faſtidioſè porrigeret. Adde quòd, augendam ad invidiam, *Chæreâ* ſemper ſontium carnifice facto, ſolebat *Cæſar* intereſſe ſuppliciorum ſpectator, cujus cum metu inclementius reos tractarit, is ſimulatâ miſeratione punitos defleret, duriſſimam ſortem lugeret, nummoſque interdum eis porrigens, totum rei odium in *Chæream* conjiceret. Hæc intus hominem urunt, & ad ulciſcendum tam ſe quam Rempublicam ardentiùs urgent; quod tamen ut proſperè efficeret, quærenda primùm conjuratorum manus, dein præſtolanda opportunitas. Tentat imprimis *Clementem* Præfectum Prætorii, nec non *Papinium* Principis libertum. Hos monet ut Remp. malis, ſe à populi odio, ut peſſimorum conſiliorum hactenus autores aut ſocii, tyranni cæde liberarent. „ *Cajus* „ quidem, inquit, nefanda jubet; nos mandata conficimus. Illi, jubentis turpitudo; „ nobis juſſa capeſſendi reſtat infame nomen. „ Is ferociendi animum cepit è noſtro obſequio; Imperii faſces in Reip. exitium hæ „ noſtræ manus ſummittunt; crudelitati „ fomitem (ſi Diis placet) miniſtraturæ, donec deficiente materiâ, tandem in noſmetipſos ſæviturus eſt. Quin patriam & animas liberemus ultrò, ſceleribus quæ turpi „ noſtro obſequio hactenus expleri permiſimus, finem audacter faciamus, culpæ „ hactenus idcircò nimium affines, quod & „ ipſi juſſa perfecimus, & inulta adhuc toleramus. His & ſimilibus tam conſciæ mentis, quam communis periculi ſtimulis perciti, conſilium promptè communicaverunt. Verùm *Clemens* metu ne an lubricâ fide, nec propoſiti ſecretive tenax, nec conſiliorum diu ſocius, rem in propatulo prodit. Nullus ergò jam cunctandi locus, maturanda cædes ne detectis inſidiis, ipſi autores ruerent. *Sabinum* itaque, immò & *Minutianum* quantumvis *Cajo* agnatum, rei participes factos, promptos & paratos comperiunt, temporeque opportuno operam ſtrenuè navaturos.

ANN. CHRIS. 42. CALIG. 5.

Cajus interficitur.

Chæreas verò morarum pertæſus ſæpè in animo habuit, *Cæſarem* è faſtigio Capitolii congiarium populo dividentem præcipitem egiſſe; abſtinuit tamen, partim metu ne cadendo mortem non oppeteret, partim conſciorum hortatu, ut ad proximum feſtum cædem differret, quo feriantium turbâ obtecti, eum tutiùs opprimerent. Inſtat tandem ludorum tempus, lapſoque jam triduo, priuſquam adoriendi daretur anſa, die quarto, h. e. ultimo ludorum, nono Cal. Febr. conjurati in cædem telis animiſque parati conſurgunt. Mane primo, populus tam melioris quam infimæ ſortis ad ſpectacula ſe confert, ſedes ſibimet certatim arripientes. Introeuntem *Cæſarem*, perque teſtudinem plebis ægrè tranſeuntem omnes avidè ſpectant, perduelles præſertim. Is diem ſacrificando auſpicatus, & *Aſprenatem* Senatorii Ordinis caſu ſanguine reſperſum cernens, ad riſum movetur; ſed malo fortaſſis ſuo omine. Factâ immolatione, ſatellitio cinctus ſcenam expectat. Mimus partem quam *Neoptolemus* olim in interficiendo *Priamo* ſuſtinuit, recitavit; alii ſanguinem evomunt, eâ copiâ ut cruore ſcena abundaret; indigitantibus quaſi tragœdis, quale fatum Principis capiti proximè impenderet, propriâque perſonâ mox repreſentaretur. Horum ſui fati ominum ſpectator uſque ad horam quaſi ſeptimam, & cunctatus an ad prandium ſurgeret, marcente adhuc ſtomacho pridiani cibi onere, tandem hortante *Aſprenate* perduellionis ſocio, ad balnea egreditur mente redeundi ad ſpectacula, ſumpto prandio. Surgente *Cajo*, ſubmovetur turba, quâ repellendâ etiam conjurationis conſcii, ſimulato obſequio officioſiſſimè ſe ſatagunt. Tranſeunti per cryptam occurrit *Chæreas*, ſignumque petens, nec ſine probro (ut ſolet) receptus, cervicem gladio cæſim graviter percuſſit, præmiſsâ voce HOC AGE. Accepto vulnere ferunt *Cæſarem* neque clamitare, neque oppugnare auſum, fugam intentâſſe: ſed *Cornelio Sabino* ex adverſo pectus trajiciente, humi denique pronus, repetitis percuſſorum ictibus, haud paucioribus quam triginta vulneribus conficitur.

De

ANN. CHRIS. 42. CALIG. 5.

De Caji necem immediatè ſequentibus.

Utile quidem Reipublicæ interfici tyrannum; verùm haud impunè patrandum. Procellæ, quamvis citiſſimè excitatæ, haud repentè pacantur. Primi in Imperatoris auxilium accurrunt Germani milites, truces naturâ, eòque truculentiores, quò feritatis mercedem à *Cajo* ſæpiùs reportarant. Hi, acceptâ parricidii famâ, percuſſores quærunt, nec ſine inſontium nece temerè graſſantur. E conjuratis verò *Aſprenas* primus, quia primùm obviam factus, gladio enecatur. Is erat, qui cædis ſuæ omen nuper acceperat, cruore immolantium (ut ſuprà dictum eſt) adeò infauſtè conſperſus. Proximè cecidit *Barbarus Norbanus*, nec non *Antejus* cæſi Principis truncum officiosè inſpectans. Res in theatro vulgata, variè pro variis hominum affectibus recipitur. Ægrè credunt nonnulli, ut quod eſſet nimis lætum; alii, ut qui nollent ſpectaculorum, omniſque effuſiſſimæ licentiæ autorem ſibimet adeò immaturè ereptum. Irrumpente verò milite, atque obtruncata cæſorum capita oſtentante, unà expalleſcunt omnes, metu ne ipſi unâ internecione ſtatim perderentur. Hoſce motus compoſuit *Aruntius*, qui pullatâ veſte incedens, & *Cæſarem* pro certo interemptum lugere profeſſus, milites ſubmonuit, mortuo Principe nil ampliùs ſperare; ex quo veriti ne populi odium in ſe tanquam tyranni vindices verteretur, gladiis in vaginas reconditis ſpontè ſecedunt, animoſque trepidantium ſecuros præſtant. Haud minùs feliciter populum foro tumultuantem ſedavit *Valerius Aſiaticus*, qui undique concurrentibus, & ſciſcitantibus, *Quis hoc patravit? Quis perduellium Cæſarem percuſſit?* audaci ore reſpondit, *Utinam is egò eſſem! Utinam id ipſe feciſſem!* Ex quo plebe generosâ viri fortitudine attonitâ, ultrò à motibus abſtinuit.

Deliberatur de futuri regiminis forma.

Amoto Principe, fluctuarunt omnium animi, incerti quo modo quaque ſub forma dehinc res publicæ adminiſtrarentur. Senatu in Capitolium convocato, jactata eſt quæſtio, an jure antiquo res ſummæ ad populum redirent, an Monarchiam adhuc paterentur. Nuperorum tyrannorum recens memoria nonnullos abſterruit, dum alii mallent ab unius quàm plurium arbitriis pendere; incerti etiam iſti, dum ſingulum velint, quemnam ex Optimatium numero ad Imperium ſelegerint. *Sentius*, qui eo tempore Conſulatum ſolus geſſit, à populo ſtetit, & regiminis Democratici partes tuebatur, amotâ à ſe ſuſpicione, dum quantumvis tùm ſolus faſcium potitus, noluit rerum ſummam in ſe aſſumere. Attamen nullâ ſuper ea re determinatione factâ, Senatus dimittitur, civitate interim plenâ hominum diversè ſentientium haud parùm nutante. Nec ſanè levis erat momenti adeò benè de futuris conſulere, ut inter nullam (ſi poſſit) & nimiam licentiam modum tenerent.

De Claudio.

Republicâ in hunc modum agitatâ, interque unam vel alteram regiminis formam vacillante, caſu quodam (eis nequaquàm ita opinantibus) occurrit qui rerum ſummam moderaretur. *Claudius* occiſi Principis avunculus, rumore cædis exterritus, (etſi haud gravioris culpæ, quàm affinitatis cum *Cæſare*, ſibimet conſcius) ad proximum ſolarium prorepſerat, interque prætenta foribus vela ſe abdiderat. Latentem diſcurrens *Gratus* quidam gregarius miles, prædam, an conjuratorum aliquem inveſtigaturus, animadverſis pedibus, ſtudio ſciſcitandi quiſnam eſſet, agnovit, extractumque & præ metu ad genua ſibi accidentem, *Imperatorem* ſalutavit. Hinc ad alios commilitones fluctuantes perduxit. Ab his lecticâ impoſitus, & quia ſervi diffugerant, ſuccollantibus, in caſtra delatus eſt, triſtis ac trepidus, miſerante obviâ turbâ, quaſi ad pœnam raperetur inſons. Receptus intra vallum, inter excubias militum pernoctavit, aliquantò minore ſpe quàm fiduciâ. Vide *Suet. in. Tib. Claud.*

Intereà verò Conſules cum Senatu aſſerturi communem libertatem, audito quid inter ſe molituri eſſent milites, ad *Claudium* mittunt, & ut Imperii ambitu ſepoſito, ne ultra Reip. negotium faceſſeret monent: ſatis ſuperque Dominorum tyrannidem pertæſi non ampliùs paterentur, parati tranquillitatem communem vindicare, nulli dubitantes, quin ſi affectando Imperio perſtiterit, ultores Deos experturus eſſet. Hæc ei *Verranius* unà & *Brachus*, à Senatu miſſi, non ſine omni verborum lenocinio tradunt, orantes obteſtanteſque ne ſe Senatui difficilem præberet, qui res in priſtinum ſtatum revocaturi, Imperatorem diutiùs nec poſtularent, nec ferrent. Verùm conſpectò exercitu, pronâque in *Claudium* militum acie, oratione ultra limites à Senatu præfinitos temerè ampliatâ, officiosè ab eo petunt, ut modò Imperium capeſſere in ſe ſtatuiſſet, à Senatûs Populique Romani ſuffragiis potiùs, quàm inconditis militum acclamationibus id auſpicaretur.

Claudius inter hæc animi anxius, nec dum armorum viribus militumve animis

ANN. CHRIS. 42. CALIG. 5.

omninò confiſus, amicorum inſuper incertus, & quantumvis dominandi cupidus, laborum tamen diſcriminumque in eo occupando impatiens, leniori reſponſo impræſens legatos dimiſit.

Cæſoniæ cum infantulo cædes.

Claudium verò inter proprios animi & militum motus pendulum, & vel quid ſecum ſtatueret, vel quibus potiſſimùm modis ſtatuta exequeretur variè æſtuantem mittamus pauliſper, ad *Cajum* nuper cæſum reverſi, qui plures habuit, & chariores fati ſui participes, quàm eſſet *Aſprenas*, aliique quos ſuprà confectos memoravimus. Etenim *Chæreas*, haud unius cæde Reipublicæ ſe ſatis conſuluiſſe cenſens, nec officium perſolviſſe, niſi quicquid *Caji* reliquum erat deleretur, *Lupum*, unum ex Tribunis militum miſit, qui *Cæſoniam Caji* uxorem unàque infantulum ab ea prognatum mactaret. Sunt qui hanc volunt malorum omnium quæ *Cæſarem* dehoneſtarant ductricem, iiſque incantamentis uſam, quibus maritum eò impietatis laſcivè adegerat. Alii verò ferunt eam *Cæſarem* vitiis quibuſque peſſimis in ſe alioquin pronum, haud rarò monuiſſe, atque in meliora flexiſſe ſæpiùs conatam. Utrùm hoc vel illud verum, *Chæream* parùm refert, quin ſi improba, improbitatis mercedem portatura eſt; ſin proba, dum improbi tamen Principis ſit conjux, interfici oportet. *Lupus* itaque ad eam miſſus, invenit humi jacentem, mariti amplexibus nexam, cruore ſqualentem, nec non lachrymis ſuis madidam, quæ conſpecto percuſſore, pectus laniandum ultrò perhibens, uno eodemque cum infantulo ictu opprimitur. Miſerandum viſu! Par Principum, heri Imperio & opibus, ſummoque rerum faſtigio præ aliis omnibus illuſtre & eximium; hodiè infra turpiſſimam mortalium ſortem, inhoneſtâ morte (fortean haud immeritâ) detruſum!

Claudius Imperium capeſſit.

Id quod incondita gregariorum militum turba *Claudio* per fas & nefas decreverat, Rex *Agrippa*, conſilii promptus, ſubdolè inter Senatum & Principem negotiando, Reipublicæ tranquilliùs, *Claudioque* tutiùs effecit. Hunc enim clàm aggreſſus, animique incertum, & vix non Senatui morem geſturum comperiens, vehementer hortatur, ut ſpartam quam nactus eſt ornaret, ultròque oblatam rerum ſummam nequaquàm deſpiceret. Indè ad Senatum ſe confert, ubi ſciſcitanti quid rei eis eſſet cum *Claudio*, totam rem narrant, implorato prorsùs ipſius conſilio & ope. *Agrippa* quidem, ſibimet ſuiſque magis quàm Reipublicæ vel *Claudio* conſulturus, omnia eis blandiſſimè promittit, quæ maturandis conſiliis in ſe eſſet. Verùm collectis ſuffragiis, belloque in Senatu decreto, quo libertatem communem (ſi non alio modo) propugnarent, inſtat *Agrippa* verſutè an ſicut res erat, arma numeroſque militum, *Claudium* Imperatorem ſalutantium amplificat; è contrà Senatûs vires imparatas, puſillas, paucas, inexpertas oſtendit, adeò ut cum nihil eis periculoſius ſit, quàm rem acie decerni, annon ſatiùs videretur ex æquo & bono cum *Claudio* amicè paciſci, propoſitis hiſce vel alteris conditionibus, quas (ſi ita iis placeret) inter utroſque nuncium ſe tranſacturum profitetur. Huic ſententiæ accedit Senatus, quorum rogatu *Agrippa* negotium in ſe recipit; ſuo utique commodo, an eorum quorum clientelam ſuſceperat, ipſi viderint. Etenim cùm *Caji* nuper defuncti pravæ cupidines, fœdaque ab eo perpetrata homicidia *Agrippæ* vulgò accepta referebantur, modò ſuperior emerſerit Senatus, haud dubitat quin malè ſibimet regnoque ſuo ceſſuræ res ſint; ſin aſtutiùs peragendo, Imperii adipiſcendi anſam *Claudio* porrexerit, tuta tùm rerum fundamenta jacturum pro ſe novit. Nec credibile eſt ſenatum pro ſagaciſſima ſua Sapientia hæc omnia non præſenſiſſe: verùm imparis armorum vis ſibimet conſcii, honeſtius duxerunt, res nobili quodam compromiſſo, mediante adeò inſigni Principe, in tranquillo ponere. Is itaque ad *Claudium* reverſus per omnia obteſtatur, ne fruſtra tempus contereret, quin Senatu jam tam animis quàm viribus fracto, ipſe experrectus rerum potiretur. Hortanti ſe dedit *Claudius*, miſitque armatos qui à Senatu expoſcerent ſalutati Imperatoris ratificationem. Eò res jam in Senatu devenerat, ut unum rectorem, haud tamen nominatim adhuc, decreverant: ægrè nempe contendentibus *Caji* percuſſoribus, ne *Claudius* ſpeciatim deligeretur. Inſtante verò milite, & *Claudium* uno ore conclamante, crepitantium armorum metu Senatus eum *Cæſarem* dixerunt.

De Claudii moribus in primordiis Imperii.

Sumpto Imperio, *Agrippa* de clementiâ in Senatum *Cæſarem* apprimè admonuit, paucis tantùm è conjuratorum in *Cajum* numero exceptis. Horum *Chæreas* cum *Sabino* qui *Cajum*, nec non *Lupus* qui *Cæſoniam* cum infantulo occiderunt, nullum *Claudio* obſequium præſtare, ne ad mortem uſque Imperatorem eum ſalutare dignati ſunt. Diverſis animis vitâ fungebantur: *Chæreas* audacter & more Romano,

Digitized by Google

ANN. CHRIS. 42. CALIG. 5.

mano, uno ſecuris ictu, ut qui libenter morti obviam proceſſiſſe videbatur; *Lupus* luctuosè & muliebriter, plures ictûs paſſus, collum quaſi contrahens, ut qui mortem effugiſſe ſtudebat. *Sabinus* verò culpandâ temeritate, quantumvis & vitæ & fortunis *Claudii* clementiâ redditus, noluit à ſociorum ſorte divelli, quin ferro ſponte in viſcera miſſo ad eorum manes feſtinatâ nece ſe confert. In hunc modum *Cæſar* primordia regni ornavit, tam miſericordiæ quàm ſeveritatis prudenti mixturâ, ſubditorum animos & debitâ reverentiâ, & amore integro attemperaſſe conatus.

Patrem habuit *Druſum Liviæ* filium, per omne ferè pueritiæ atque adoleſcentiæ tempus variis & tenacibus morbis conflictatus, ut, animo ſimul & corpore hebetato, mulierum præſertim & nutricum conſuetudine uteretur. Hinc iſta mollities & luxus ſemper; hinc mens muliercularum conſiliis pronior, & interdum flexa. Annum egit præter-propter quinquagenarium cùm Imperium iniit; ætate quidem & judicio provectus, verùm timiditate & diffidentiâ, frequenti crapulâ & temulentiâ, nec non peſſimis conſiliis inhabilis factus.

Suet. ubi ſupra.

Imperio ſtabilito, nihil antiquius duxit quàm id biduum quo de mutando Reip. ſtatu hæſitatum erat, memoriæ eximere: omnium itaque dictorum factorumque in eo veniam & oblivionem in perpetuum ſanxit ac præſtitit. Nec tamen ſe adeò inſidiarum expertem cenſuit, quin ſtricto examine explorari omnes qui coram accederent, juſſit, ne telis latentibus aliquando oppeteretur. Quæſtio enim nuper mota de abolendo regimine Imperatorio, & noviſſimè de ſe excludendo, tametſi regiminis formam continuarint, adeò altâ mente reponebatur, ut nollet omninò niſi armatis ſpiculatoribus circundatus ſalutatores coram admittere, neque eos ſanè, niſi ſcrutatoribus priùs appoſitis, eiſque acerbiſſimis.

Initiis regni ſe lenem comemque præbuit, ita ut etiam iſti qui ſub *Tiberio* vel *Caligulâ* probris eum olim laceſſerant (quod certè captandæ tùm gratiæ ergô plurimi fecerant) impunè ſe habuerint, donec novis quodammodò criminibus deprehenſi, & tùm certè graviſſimas tum horum tum veterum pœnas dederunt. Mulctas iniquè à *Cajo* impoſitas remiſit, acta ejus illicita omnia reſcidit, inſontes è vinculis liberari, & exules reſtitui juſſit: venena in plurimorum Patriciorum necem parata, uti & libellum quo perdendorum nomina inſcribebantur, quem *Cajus* ad flammas jeciſſe olim ſimularat, jam recens inventum, ad Senatum detulit, & reverà cremari curavit. Noluit divinis ritibus coli, neque concitatis iſtiuſmodi acclamationibus, quibus plebs Imperatores proſequi ſolebat, ſalutari geſtiit; omni moderatione, clementiâ & benignitate uſus, donec improbæ tandem *Meſſalinæ*, aliarumque maleficarum artibus truculentior factus, nec non diutinis gladiatorum ſpectaculis in pejora mutatus, ſanguine ſe nimiùm delectari prodidit. *Juliam* & *Agrippinam* à *Cajo* fratre primùm ſtupratas, dein in exilium miſſas revocavit, earumque res & bona omnia à deceſſore direpta reſtituit. Harum verò *Julia*, procurante *Meſſalinâ*, (cui propter nimiam pulchritudinem & denegatum obſequium inviſa, uti & haud caſtæ conſuetudinis cum *Claudio* ſuſpecta habebatur) in exilium ſecundò relegata, nece immaturâ tandem opprimitur.

Infauſta quidem hæc Imperii omina, cùm *Cæſaris* neptis, quidni & plurimùm dilecta, per Uxoris invidiam poſſit perire, invidiam ſuperare non poſſit. Signum ſanè in quot mala pertrahi poſſit inconſultus & meticuloſus Princeps, cum ab Uxore incitatus in conſanguineam, immò verò amaſiam ſæva adeò jubere flecteretur. Sed, ut diximus, non ſolùm hortante *Meſſalinâ*, verùm cruentis ſpectaculis diu delectatus, mentem ſanguinolentis conſiliis paulatim imbutam atrociſſimis tandem facinoribus exercuit. Spectacula pluriſariam edidit, & multiplicia; interdum beſtias cum beſtiis committendo, duodecim ſc. camelos cum totidem equis; urſarum ter centum cum totidem feris Africanis. Nonnunquam beſtias cum hominibus, hominesque dum alii alios gladiis miſerè confoderent ſpectaret, ſævum & ſanguinarium naturâ ſe prodens, quem juvit adeò ludis horribilibus viſu tanto cum ſtudio & delectatione ſemper intereſſe.

Digitized by Google

ANN. CHRIS. 42. CALIG. 5.

PARS II.

HISTORIA CHRISTIANA.

CAP. XI.

VERS. 26. *Et Diſcipuli nominarentur primum Antiochiæ Chriſtiani.*

AMplexo ſemel fidem *Cornelio* cum ſociis, Eccleſia tam Gentium quàm Judæorum receptrix ſit, atque inde non ſolùm uno vinculo connexa, verùm uno etiam fragrantiſſimo nomine (h. e. *Chriſtiano*) communiter inſignita: nomine (ſi conjectari fas ſit ab *Iſaj.* 65: 15.) ab ipſo Domino & Servatore noſtro olim indito; eo equidem fine, quo *Judæorum* & *Gentium* inviſis appellationibus, per quas antiquitùs inter ſe diſcriminarentur, futurâ deſuetudine exoleſcentibus, conſopitæ exhinc jacerent priſtinæ ſimultates, atque in hâc ſuaviſſima denominatione, utriſque communi, per omnia ſecula feliciſſimè abſorberentur. Hæc in hoc anno fieri Hiſtoriæ nexus ſuadet; quod faciliùs lectori conſtabit, modò animadverterit, annum proximè ſequentem, referente *D. Lucâ*, annum eſſe annonæ caritate infamem, qui etiam ordine narrandi immediatè ſuccedit. Conſule *Actor.* 11: 26, 27, 28.

Norunt qui Sacram Paginam verſarunt, quibus præſertim nominibus Chriſtiani antehac ſe invicem ornarunt. Vocantur paſſim (a) *Diſcipuli*, (b) *Credentes*, (c) *Eccleſia*, (d) *Viri religioſi*, (e) *Fratres*, &c. Inter Judæos verò Chriſtianæ fidei hoſtes non ſine ſcommate faſtidii pleno, nuncupari omninò ſolent, (f) *Secta Nazarenorum.* Solus *Epiphanius* novam appellationem, neque apud antiquiores inventam, nec à poſteris laudatam, è ſuo cerebro cudit, *Jeſſæos* eos nominans.

(a) *Act.* 6: 1 & 9: 1. (b) *Act.* 5: 14. (c) *Act.* 8: 1. (d) *Act.* 8: 2. (e) *Act.* 9: 29. & 1 *Cor.* 15: 6. (f) *Act.* 24: 5.

Priuſquàm, inquit, Chriſtianorum *nomen ſibimet aſſumpſerant*, (g) Jeſſæi *vocabantur*; *an à* Jeſſe *Davidis patre, ex quo orta eſt B. Virgo Maria*, Chriſti *mater*; *an à* Jeſu, *Servatoris noſtri proprio nomine, incertum. Occurrit tamen apud* Philonem, *libro cui titulus*, Περὶ Ἰεσσαίων, *ubi de eorum Politiâ, laudibus & Monaſteriis* lacu Marianâ (*vulgò* Mareoti *dictâ*) *ſitis tractans, non de aliis aliquibus, niſi de Chriſtianis, loquutus æſtimari debet.* Hæc ille: nec certè aliter ſentiunt tam Patrum, quàm recentiorum Scriptorum plurimi, ſaltem quoad homines, tametſi de eorum nomine inter ſe litigant. *Romaniſtæ* ad unum omnes citra quæſtionem volunt *Philonem*, libro quem citat *Epiphanius*, (is certè vel quoad titulum errat, vel duplicem librum ſub uno titulo complexus eſt) de *Chriſtianis Monachis* mentionem feciſſe; atque hinc *Vitæ Monaſticæ* antiquum jus & normam adeò fidenter deprædicant, ut nihil eis abſurdius videatur quàm de re hæſitare. Fatendum eſt, nonnullos eximii nominis Patres huic Papicolarum ſententiæ aliqualem umbram prætexuiſſe; immò verò horum quos memorat *Philo*, vitæ atque inſtitutorum ratio non adeò ab aliquibus Monachis Papiſticis abhorrere videtur, quin longiorem diſquiſitionem mereri poſſit, utpote quæ antiquitatis, aliarumque rerum nonnullius momenti præ ſe ferat.

(g) *Epiphan. l.* 1. *adverſ. Nazaræos.*

Hæc itaque adnotavit *Euſebius* (h) ut antiquitùs tradita. *Ferunt*, inquit ille, *Marcum apud Ægyptios Evangelium illud prædicaſſe, quod poſtea ſcripſit, primaque Eccleſiarum fundamenta apud Alexandriam jeciſſe, ubi tot credentium millia, tam virorum quàm mulierum, vitam egerunt* δι' ἀσκήσεως φιλοσοφωτάτης καὶ σφοδροτάτης, *admodum Philoſophicè & ſeveriſſimè exercitam, adeò ut Philo ipſe eorum mores, conventus & convivia denotaſſe non dedignatus ſit.* Et propter hanc Chriſtianorum apud *Alexandriam* deſcriptionem (inquit D. Hieronymus) (i) *Philo Judæus, natione Alexandrinus, de genere Sacerdotum, idcircò à nobis inter Scriptores Eccleſiaſticos ponitur, quia librum de prima Marci Evangeliſtæ apud Alexandriam ſcribens Eccleſiæ, in noſtrorum laude verſatus eſt.*

His ſuffragantur *Cedrenus* (k) *Nicephorus*, (l) *Sixtus Senenſis*, (m) *Bellarminus*, (n) *Poſſe-*

(h) *Hiſt. Eccl. l.* 2. *c.* 15. (i) *De ſcriptor. Eccleſ.* tom. 1. pag. 102. (k) *Lib.* 2. *cap.* 16, 17. (l) *Bibl. Sanct. l.* in *Voce Philo.* (m) *Lib.* 2. *c.* 1. *de Monachis.* (n) *Apparat. ſac. in Voce Philo.*

Digitized by Google

ANN. CHRIS. 42. CALIG. 5.

Poſſevinus cum aliis. Horum poſtremus ſententiæ hujus adeò acerrimus eſt propugnator, ut *Magdeburgenſes*, alioſque omnes aliter ſentientes perſtringens, à probris temperare non potuerit. His itaque diſcutiendis quærendum I. An Eccleſiam omninò apud *Alexandriam* fundari conſtat antequàm *Philo* librum ſuum perſcripſerit. II. An ii quos *Philo* iſtiuſmodi vitæ inſtituta apud *Alexandriam* colentes memorat, in Chriſtianorum albo deſcribi debuerint.

Quod primum ſpectat, perpendat lector, quot annis jam natus *Philo* æſtimari debet. Superiori anno, dum legatione apud *Romam* fungeretur, conſtat eum perſenem fuiſſe, & collegis majorem natu, prout de ſe narrat. (o) *Nobis*, inquit, *primo aſpectu à Cæſare præter ſpem benigniùs receptis, aſtantes putarunt res noſtras meliùs fortaſſis exituras; ego verò tùm annis cum judicio provectior*, &c. Perſpectâ itaque *Philonis* ſenectute, quærendum dein tempus quo Scriptores Eccleſiaſtici *Marcum* Euangeliſtam narrant *Ægyptum* & *Alexandriam* primùm veniſſe. *Euſebius* (quem in hâc re unicum ſequimur) ad tertium *Claudii* hæc poſuit, his verbis: *Marcus Euangeliſta interpres Petri, Ægypto & Alexandriæ Chriſtum annunciat.* Verùm enim verò in tertio *Claudii* palàm eſt quatuor plures annos ætati *Philonis* adnumerari debere. Addendum præterea aliquod temporis ſpatium, idque haud admodum breve, quo à prima *D. Marci* prædicatione formarentur Eccleſiarum tam ædificia quàm inſtituta, exercitia & mores. His debitò perpenſis, cogitet lector, an credibile ſit *Philonem* adeò grandem natu priuſquàm hæc fierent, duplicem poſtea libellum de *Eſſenis* & *Therapeutis* exarare potuiſſe. Verùm his rationum momentis non ſolùm innixi, quod ſecundam quæſtionem ſpectat, ipſum *Philonem* conſulamus eos deſcribentem, à quibus nonnulli *Vitam Monaſticam* originem ſuam primitùs duxiſſe clamitant.

(o) *In Legat. ad Cajum.*

PARS III.

HISTORIA JUDAICA.

De Therapeutis.

,, DIcuntur *Therapeutæ*, inquit ille, & *Therapeutides*, quòd θεραπευτικὴν, h. e. ſanandi artem callerent multis nominibus ſalubriorem, quàm quæ in urbibus attingi poterat. Hæc enim corpora tantùm, illa
,, verò animas verſatur--- ſive quòd è natura &
,, legibus divinis edocti eſſent θεραπεύειν τὸ ὄν
,, *colere eum qui eſt.*---- Qui ad hoc vitæ
,, inſtitutum ſe recipiunt, haud temerè qui-
,, dem, vel alio quovis impulſore id faciunt,
,, ſed rerum cœleſtium amore & zelo flagran-
,, tes (Bacchantium & Corybantium more,
,, numine ſuo afflatorum) à ſe rapiuntur,
,, donec id quod cupidiſſimè ardent attige-
,, runt. Tùm pro flagrantiſſimâ ſuâ rerum
,, immortalium cupidine, ad hanc vitam
,, caducam mortuos ſe exiſtimantes, res ſuas,
,, bonaque omnia mundana, ſive liberis,
,, ſive cognatis, eiſve deficientibus, amicis
,, hiſce vel alteris, voluntariâ ceſſione im-
,, pertiunt---- Rebus ſuis in hunc modum
,, aliò conceſſis, earumque omne genus ille-
,, cebris à ſe amotis, ſecedunt nunquam re-
,, vocandi, relictis fratribus, liberis, uxo-
,, ribus, parentibus, cognatis, omnibuſ-
,, que aliis neceſſitudinibus, vale in æternum
,, dictis.---- Nec equidem in alia quævis
,, oppida ſive urbes migrant, ---- ſed extra
,, muros, ſive in hortis, ſive locis deſertis
,, ſolitudinem amplexi, non ex hominum
,, odio, verùm quò homines diverſæ ſortis
,, & diſcrepantis ingenii (quorum ſodali-
,, tium non adeò ſibimet utile aut accommo-
,, dum exiſtimant) honeſtè aufugerent. Hoc
,, genus hominum quamplurimis mundi
,, plagis ſparſim verſatur.---- *Ægypti* præſer-
,, tim partibus quæ in *Nomos* diſtribui ſolent,
,, & *Alexandriæ* adjacent.

,, Verùm ex hac *Therapeutarum* Sectâ, qui
,, præ aliis egregii, optimèque morati ſunt,
,, è quavis regione ſelecti, in unam colo-

Καθάπερ οἱ Βακχευόμενοι καὶ κορυβαντιῶντες ἐνθουσιάζουσιν.

Digitized by Google

ANN. CHRIS. 42. CALIG. 5.

„ niam tanquam patriam ſuam communem
„ ſe recipiunt, juxta nempè *lacum Maria-*
„ *nam* ad collem haud aſpero aſcenſu accli-
„ vem, tam ſalubriori climate quàm tuto
„ receptaculo inſignem. --- Horum tecta
„ humilis quidem & vilioris formæ, in aſtus
„ ſolis, ſive aſperitatem frigoris tantùm fabre-
„ facta, non (ut in civitatibus) contigua, eò
„ quòd iſtiuſmodi vicinitas ſolitudinem am-
„ plexis ingrata eſſet & incongrua: nec ta-
„ men adeò longè à ſe diſſita, quin mutuo
„ conſortio uti, opemque & auxilium
„ contra prædonum incurſus ab invicem ad-
„ ferre potuerint. Ad ſingulos ſingulatim
„ pertinet ædes ſacra, quam * *Sacellum*,
„ ſeu *Monaſterium* vocant; quo * *ſolitariè*
„ *agentes* ſacra ſua perſolvunt, nullis iſtuc
„ intromiſſis eduliis, aliiſve quibuſvis cor-
„ porum ſuſtentaculis, ſed Lege tantùm di-
„ vinâ, ſacro-ſanctis Prophetarum oraculis
„ hymniſque & canticis cœleſtibus, & id ge-
„ nus aliis, quæ rerum divinarum ſcientiæ
„ augendæ, mentiſque in Deum flammæ
„ exſuſcitandæ inſervirent. Deum itaque
„ contemplando adeò indefeſſè inhærent, ut
„ etiam inter dormiendum nil niſi divina ver-
„ ſantur; immò verò horum nonnulli, &
„ per ipſa ſomnia, profundiora quædam
„ Philoſophiæ arcana effari ſolent. Bis in-
„ dies, h. e. manè & veſperi, ad ortum &
„ occaſum ſolis, preces ſuas fundunt; toto
„ temporis interſtitio contemplatione occu-
„ pati, ſtudioque S. Scripturarum, quibus
„ allegorizandis plurimùm incumbunt, ut
„ qui res myſticas etiam in Textu alioquin in
„ ſe plano & perſpicuo involutas credunt. In
„ hunc finem Commentarios priſcorum
„ Sectæ ſuæ faventium apud ſe recondunt.
„ Hymnos etiam Pſalmoſque in Dei laudes
„ inter ſe compoſitos decantant. Hujuſ-
„ modi perſolvendis officiis ſenos ſingulæ
„ hebdomadæ dies devovent, nemine inte-
„ rim extra cellulæ ſuæ limites, ne pede
„ uno exſpatiante. Die verò ſeptimo, uno
„ cœtu coacti, proque uniuſcujusque ætate
„ ordine ſedentes, modeſtè ſe & cum omni
„ taciturnitate componunt, brachiis intra
„ tunicas involutis, dextrâ pectori, &
„ ſiniſtrâ lateri admotâ.

* Σεμνεῖον καὶ Μοναστήριον.
* Μονούμενοι.

„ In hunc modum congreſſis, prodit ali-
„ quis ex eorum ſenioribus, qui Sectæ ſuæ
„ myſteria præ aliis callet. Is concionem
„ inceptat, cæteris altè ſilentibus, annuen-
„ tibus tantùm capita, vel oculos moven-
„ tibus. * Loco ſacrorum communi bifa-
„ riàm diſpertito, hinc ſedent viri, illinc
„ mulieres. Per totam ſeptimanam victum
„ nequaquam ſumunt, niſi à ſolis occaſu.
„ Nonnulli per triduum, alii per ſenos dies
„ jejunando ſe macerant. Die ſeptimo per-
„ actis ſacris ſolennibus, ad cœnam ſe reci-
„ piunt. Veſcuntur panem cum ſale tan-
„ tùm, addito nonnunquam hyſſopi faſci-
„ culo. Potum non habent niſi gelidam
„ aquam. Veſte ſordidâ in æſtum, ſive hye-
„ mem accommodâ ſe induunt. Finitâ
„ quâvis ſeptimâ hebdomadâ (numero ſc.
„ ſeptenario inter eos plurimis habito) unâ
„ convivantur. Huic convivio interſunt
„ aniculæ quædam, ſolæ verò quæ cæliba-
„ tum profeſſæ ſint religionis ergò. Menſæ
„ aſtantes primò preces effundunt; dein be-
„ nedictionem cibo precati, unà accum-
„ bunt, hinc viri, illinc fœminæ, mi-
„ niſtrantibus interim adoleſcentibus, ea-
„ dem Sectæ initiatis.

* Κοινὸν σεμνεῖον.

ANN. CHRIS. 42. CALIG. 5.

„ Convivii apparatum lautiorem nolunt,
„ quàm panem uſitatum ſale & hyſſopo con-
„ ditum; nec aliò bibitur, quàm (uti ſolet)
„ ex fonte limpido. Dum menſæ accumbi-
„ tur, nequaquam garriunt, niſi quæſtio-
„ nem fortè vel ponendo vel ſolvendo, ta-
„ centibus interim cæteris, varioque corpo-
„ rum geſtu indicantibus, an rem ſive in-
„ telligant, ſive approbent, ſive adhuc in
„ dubio habeant.

„ In interpretatione S. Scripturarum
„ allegoricè ludunt. Quæſtionem propo-
„ ſitam dum explicat & determinat convi-
„ vantium præſes, communi plauſu recipi-
„ tur; perorato ſermone, hymnum vel à ſe
„ vel ab antiquis compoſitum decantat; id
„ quod cæteri ſuis etiam vicibus faciunt.
„ Peractis hiſce, menſâque ab adoleſcen-
„ tibus amotâ, ſurgunt omnes ſaltantque,
„ ſeorſim pauliſper fœminæ à viris, dein
„ junctim, Iſraëlitarum ad mare rubrum
„ tripudiantium celebratâ memoriâ. In hunc
„ modum contritâ nocte, *verſus ſolem pri-
„ mo ortu lucentem facies convertunt, ubi
„ felicem diem, veritatis notitiam, ſcien-
„ tiæque incrementum precati, ſinguli ad
„ cellulas ſuas ſe ſedulò recipiunt.

In hunc modum habemus *Philonem* Therapeutas ſui ſæculi deſcribentem. Ex quo apparet eos quantumvis (ut ſupra dictum) in Chriſtianorum album à nonnullis aſcriptos, Chriſtianorum tamen nec volam nec veſtigium præ ſe ferre, quin Sectam potiùs fuiſſe inter ipſos Judæos natam. Perpendat modò lector, hujus Sectæ deſcriptorem, religione Judæum, Chriſtianis abhorrentem, horum tamen ritus cultumque laudibus ſuis ornaſſe, horum expoſitiones, quoad allegorizandi morem plurimùm affectaſſe; hos etiam affirmaſſe commentarios ejuſdem tenoris non paucos ab anteceſſoribus traditos diu apud ſe reſervaſſe; numeroque ſeptenario (quem & ipſe *Philo* plurimis habuit) haud parùm delectari. Hæc omnia ſat ſuperque monſtra-

Digitized by Google

monſtrabunt, eos adeò non Chriſtianos fuiſſe ut Secta eſſent planè Judaica.

De rebus Judæorum tam apud Alexandriam quàm Babyloniam.

Caji Caligulæ mors, præſertim verò *Claudii* edictum, (de quo infrà dicendum) Judæorum res paulò tranquilliores dedit tam in *Judæa*, quàm *Alexandria*, ſed non ita inter *Babylonicos*. Erepto tyranno, evanuit pavor iſte & conſternatio, quæ ob ſimulachrum honori Principis juſſum & deſignatum totam ferè *Judæam* pervaſerat. Neque adeò in anguſtiis hærere ſe ſenſerunt Judæi apud *Alexandriam*, quin, etiamſi gliſcentibus adhuc inter ſe motibus, *Alexandrini* haud rarò eos adorirentur; mortuo tamen jam præcipuo hoſtium fautore & impulſore, Judæi audentiores facti, vim vi repellere non verentur.

Verumenimverò apud *Babyloniam* ſecus ſe res habent. Judæis hìc loci degentibus impendet pernicies ſub feliciori rerum impræſens ſucceſſu aliquantiſper larvata. Inſtat Divina *Nemeſis* nequicquam placanda, donec in excidio populi quâvis regione palabundi ſe tandem ſatiarit. Hi equidem, non ut iſti, (quos ſuprà memoravimus) per hoſtium inſolentiam invitè & immeritò ærumnis oppreſſi, ſed ultrò urgente ſuo fato exitium in ſe trahunt.

De Judæis inter Babylonicos rebellantibus.

Apud *Neardæam* (Judæorum *Babyloniam* incolentium ſedem & Academiam) par erat fratrum, quorum nomina, *Aſinæus*, & *Anilæus*, ſive, ut in idiomate Hebraico, *Chaſinai*, & *Chanilai*. Hos eorum mater (patre è vivis ſublato) magiſtro tradiderat, qui conſuendis carbaſis, naviumque armamentis operam navabat. Verùm delicti cujusdam pœnas non immeritas dantes, magiſtri verbera adeò indignè tulerunt, ut non illud ſolùm, ſed etiam omne ſervitutis jugum excutere in ſe ſtatuerint. Ablatis itaque quotquot apud herum erant armis, in inſulam ſecedunt *Euphrate* fluvio cinctam, ibique vexillis defixis, ſe ſuorumque libertatem vindicaturos denunciant. His turmatim accurrit ingens adoleſcentum colluvies, infimæ ſortis & effrænis audaciæ, qui blandâ neſcio quâ rerum ſpe lactati, communi præſidio ſe muniunt. Circumjacentibus villis tributum perſcribunt, quod metu perduellium, numero & apparatu gravium, detrectare nullo modo audebant. Hujus morbi principiis occurrendi cupidus *Babyloniæ* Præfectus, clam eos die Sabbati, quem norat Judæis ſacrum, eorumque ſuperſtitioni plurimùm ſiſus, inſtructâ acie adortus eſt. Verùm ferox juvenum turba (non adeò religioni dedita, quin Sabbatum communi omnium ſaluti facilè poſtponerent) audacter ſe ad pugnam accingunt, hoſtemque haud tale quid ſuſpicantem in fugam conjiciunt.

Intereà verò *Artabanus Parthorum* Rex, acceptâ recentis hujus exercitûs eorumque ducum famâ, & ſecum reputans eos rebus fortaſſe ſuis haud inutiles fore, par fratrum, incolumi commeatu promiſſo, ad ſe accerſit. Veniunt & more regio recipiuntur. Nec ſineret Rex *Aſinæum* perfidâ manu opprimi, cùm id *Abdagaſis* Parthicorum militum dux clam perficiendum in ſe ſuſcepiſſet. Incolumem verò, muneribus regiis onuſtum, & *Babyloniæ* Præfecturâ nobilitatum domum remiſit. Is itaque tam poteſtatis quàm honorum acceſſione quotidianâ auctus, tum *Babylonicis* tum *Parthis* charus, univerſæ *Meſopotamiæ* tandem dominatur. Atque in hunc modum rerum potiti fratres, ſpatio annorum quindecim florent vigentque. Tandem verò nefandum ſcelus ab *Anilæo* perpetratum omnia perturbat. Is enim trucidato uno ex Optimatibus Parthicis, quò conjugis thoro tranquilliùs uteretur, non ſolum nuptias cum eâ contraxit, verùm in avitorum idolorum cultu oſcitanter permiſit. Hinc amicorum primarii dupliciter infenſi, tum quòd mulierem ethnicam in conjugium acceperit, tum quòd idolorum cultum indulgere ei perſtiterit. *Anilæum* itaque hac de re graviter monent, quorum præcipuus necem ſuam ſalubrioris amicitiæ mercedem reportat. Cæteri *Aſinæum* appellant, poſtulantque ut jura patrioſque ritus acriter vindicaret. Is fratre *Anilæo* ſcelerum admonito, veneno inficitur, procurante uxore *Parthicâ*, quo maritus omni cenſurâ ſuperior, rerum ſummam ſolus moderaretur. *Anilæus* porrò Præfecturæ in hunc modum unicè potitus, *Mithridatis* (is *Artabani* Regis gener) ditionem infeſtat: ipſum *Mithridatem* talia non opinantem captum ducit, èque militum rabie vix & ne vix incolumem ereptum, domum tandem remiſit. *Mithridates* contumelioſè ſe & duriter tractatum non oblitus, (nudum enim aſinoque impoſitum in caſtris deridiculo eum habuerant) inſtigatrice præſertim conjuge, iræ & vindictæ plenâ, vires quas potuit cogit, cum *Anilæo* dimicat, eumque proſternit. *Anilæus* verò fuga ſe ægrè eripiens, diſcinctam perditorum hominum turbam conflat, qua direptis ſparſim *Babyloniæ* oppidis, pro arbitrio graſſatur: donec tandem *Babylonici* opportunum tempus nacti, impetu in hoſtem facto, tam militum copias, quàm ducem *Anilæum* unâ internecione conficiunt.

Atque in hunc modum jugo quod Judæi *Babyloni-*

Digitized by Google

ANN. CHRIS. 43. CLAUD. 2.

Babylonicorum collis nuper injecerant feliciter excuſſo, *Babylonici* in *Judæos* ſævire, malaque eis rependere animum appellunt. *Judæi Seleuciam* incolumitatis ergò migrantes, ſpatio quinquennii iſtìc tranquillè ſe habent. Verùm peſtis *Babylonè* graſſata, Judæorum reliquias iſtìc loci hactenùs commorantium, *Seleuciam* impellit, ubi, Deo ita ordinante; in unam quaſi carnificinam coacti videbantur. Etenim lite inter *Græcos* primò *Syroſque* iſtìc degentes ortâ, qua *Syri*, *Judæis* opem ſuppeditantibus, ſuperiores evaſere, tandem *Syri* cum *Græcis* redintegrati, junctim *Judæos* adoriuntur, eorumque quinquaginta millia horribili ſtrage enecant. Habet hìc lector Divinæ *Nemeſeos* grande exemplum, in *Judæos* ſecundò exercitæ, à crucifixione *Domini vitæ*.

ANN. CHRIS. 43. CLAUD. 2.

CHRISTIANA, JUDAICA ET ROMANA HISTORIA

AD Annum CHRISTI XLIII.

CLAUDII II.

Mundi 3970. U. C. 795.

Coſſ. { *Claudio II.* / *C. Largo.* }

CAP. XI.

VERS. 28. *Famem magnam futuram in toto terrarum orbe: quæ facta etiam fuit ſub Claudio Cæſare.*

SUprà oſtendimus, non ſolùm ex *Dione* rerum Romanarum Hiſtorico, verùm etiam conjecturis aliunde non temerè factis, hujuſce *Famis* prædictionem ſecundo *Claudii* adimpletam fuiſſe. Hæc, an deficiente imbre, an quâvis aliâ de causâ orta, nobis non liquet. *Suetonius* arctiorem annonam *ob aſſiduas ſterilitates* notat, eiſque terram per aliquot annos laboraſſe haud dubium eſt.

Hoc anno, credibile eſt, *Helenam Adiabenorum* Reginam *Hieroſolymas* viſiſſe; fortunatam quidem civium ſuſtentatricem, quæ frumentum è *Cypro* & *Alexandriâ* ſuis ſumptibus advectum, plurimis alioquin fame perituris ſubminiſtravit.

VERS. 30. *Mittentes ad Seniores per manus Barnabæ & Sauli.*

De Paulo in tertium cælorum rapto.

Etiamſi in hòc Capite *D. Paulus Judæam* in genere tantùm *ſublevandis fratribus* miſſus dicitur, non *Hieroſolymas* ſpeciatim aſcendiſſe; ſupra tamen probavimus, eum in hoc ipſo itinere, dum in Templo precaretur, ecſtaſin paſſum, *Actor.* 22: 17. & proinde *in tertium uſque cælum raptum*, prout de ſe teſtatur, 2 *Cor.* 12: 2. *Novi hominem in Chriſto ante annos quatuordecim*, &c. ubi etiam *Angelum Satanæ* miſſum, qui eum *colaphis cæderet*; Deumque ei de hac re preces ſuas fundenti benigniùs reſpondentem fuſiùs narrat. Quæ omnia σὺν Θεῷ ſuo loco explicatiùs habebimus.

Hoc

Digitized by Google

ANN. CHRIS. 43. CLAUD. 2.

Hoc anno Petrus non fuit Romæ.

Pontificii hoc anno *Petrum* & fuiſſe *Romæ*, *Romæque* ſedem Epiſcopalem primò fundaſſe acriter contendunt. *Baronius* diſertè affirmat, communem eſſe omnium ſententiam, *Petrum* hoc anno (ſecundo nempe *Claudii*) *Romam* veniſſe. Et quo major dictis fides aſtrueretur, *Euſebii Chronicon* citat, unàque *Hieronymum de Scriptoribus Eccleſiaſticis*, alios porro jactitans, de hoc ipſo tempore eadem adnotaſſe, nullumque de ea re dubitandi locum relictum jam eſſe.

Huic equidem quæſtioni diſcutiendæ prolixius inſiſtere quanquam haud ſuâ naturâ adeò operæ pretium videtur: cum Pontificii tamen, huic fundamento plurimum innixi, tot tantaque ſuperſtruere conati ſint, rationum momenta fas ſit inquirere. Dato ſane *Petrum* & fuiſſe *Romanum Epiſcopum*, & in hoc anno *Romam* veniſſe, quid inde lucri portabit vir bonus prudenſque? Verumenimverò cum exhinc aſtruere contendant inſulſi quidam homines *Papæ Primatum*, Papicolarum illud deliramentum, judicent paulò æqui bonique lectores, quid quod huic cauſæ tantillum favebit, ex hac duplici diſquiſitione erui poſſit.

I. An credibile ſit *Petrum* Epiſcopatum ullatenùs *Romæ* geſſiſſe.

II. An fieri poſſit ut *Petrus* hoc anno *Romam* veniret, atque illìc ſedem Epiſcopalem inſtitueret, modò eos ſequamur, qui in hoc ipſo itinere deſcribendo ſe ſatagerunt.

Primò, quid *Petro*, (cui concreditum erat *Euangelium Circumciſionis*) quid ei ſodes cum Præputio, ſaltem ut cum iis vivere, cum iis mori delegerit? Fas ei equidem fuit, dum itineraretur, incircumciſis promiſcuè Euangelium propinaviſſe, id quod *Paulus* etiam *Præputii Miniſter*, inter circumciſos paſſim dignatus eſt; verum apud eos commorari, pedem figere, cum iis vivere, apud eos mori, nec aliis veriſimile, nec in ipſo *Petro* honeſtum aut laudabile videretur.

Secundò, ſuppoſito *Petrum* fuiſſe *Romæ*, eo ſaltem ſenſu quo ſupponi id volunt Pontificii, tum S. Paginæ deeſſet unum è capitibus ſaluti noſtræ apprime neceſſariis, & quo majus non habet fides Chriſtiana. Quot enim primaria fidei dogmata deduxerunt Papicolæ ex hac unica propoſitione, *Petrus fuit Epiſcopus Romanus?* Hinc Papæ primatus; hinc Cathedræ Romanæ infallibilitas hinc ligandi & ſolvendi claves; hinc extra Eccleſiam Romanam ſalutem nequicquam ſperari aſſeritur, aliaque id genus innumera, quæ huic unico dogmati originem ſuam acceptam referre debent. Quàm incredibile vero eſt, I. Spiritum Sanctum, qui Sacrum Codicem in hominum ſalutem exarari curavit, dogma aliquod tot tantiſque fidei articulis fœtum, ſubticuiſſe velle? II. Prætereà, an credibile magis eſt, *D. Lucam*, cum *Apoſtolorum Acta* perſcribere in ſe ſuſceperit, de hoc *Petri* itinere, à quo plura & majora penderent, quam à reliquis ferè omnibus Apoſtolorum actis, mentionem ne minimam quidem feciſſe poſſe?

Omnem fidem ſuperat, *Lucam* de *Philippo Azoti* agente, & *Cæſaream* contendente, (prout *Actor.* 8: 40.) de *Saulo Tarſum* petente, (prout *Actor.* 9: 30.) de *Barnabâ* iſtìc loci *Saulo* obviam eunte, & pleriſque aliis, huic itineri comparatis, planè minutiis differentem, intactum interim præteriiſſe id quod præſertim narrari oportuit; h. e. *Petri* ad *Romam* iter, adeò grandis momenti iter, quale nemo antehac mortalium ſuſceperat, nedum ſuſcipiet, modò is revera ſuſcepit. Nec tertiò, vero omninò ſimile eſt, *Paulum* dum tot *Romæ* ſalutandos ſigillatim recitet, tot à *Roma* reſalutantes commemoret, *Petrum* utrinque omiſiſſe. Ubi gentium ſe haberet *Petrus*, cum tot fidelium amiciſſimæ ſalutationes adeò reciprocè miſſæ & remiſſæ eſſent? Dormivitne, an in fermento jacuit? Quid (ſi Diis placet) de eo ſtatuendum, niſi quod fortè tum *Romæ* non eſſet?

Satis verò ſuperque de hac quæſtione dictum. Negant plurimi egregii nominis, argumentiſque haud facilè labefactandis conjecturam firmarunt. Videamus jam ſi non aliquo modo ipſum nutarit fundamentum; h. e. an fieri potuit, ut *Petrus* hoc anno *Romam* veniret; quod ſecundò diſcutiendum reſtat.

Fatendum ſanè ſciolorum quorundam inſulſum gregem, ut cum Eccleſia nimirum crederent, primarium fidei *Romanæ* articulum (h. e. *Petrum* 25. *annos Romæ Epiſcopum ſediſſe*) ad amuſſim tenerent, temporum ſeriem nequaquam computaſſe, pleno avidoque hauſtu ingurgitantes quævis abſurdiſſima, & nominatim illud fidei illorum inſolenter obtruſum, *Petrum* ſcil. *à Concilio Hieroſolymitano* [Actor. 15.] *Romam profectum*, *atque illic*, *poſtquam viginti quinque annos ſediſſet*, *mortem obiiſſe, anno Neronis ultimo*. Intereà vero palam eſt, à Concilio *Hieroſolymitano* ad ultimum *Neronis* haud excurriſſe viginti annos. Hinc alii non tam obeſæ naris, aptiorem (uti putant) æram excogitarunt, quâ *D. Petri* Pontificatum inchoari oportet; eamque petunt ex Hiſtoria quæ *Actor.* Cap. 12. occurrit. Illic enim, interempto *Jacobo Minore*, habemus *Petrum* juſſu *Herodis* vinculis datum, dein ab Angelo ſolutum, atque ad ædes *Joannis Marci* ductum; ubi cum in Diſcipulorum

ANN. CHRIS. 43. CLAUD. 2.

cœtu ibidem coacto, rem totam narraſſet de eo porrò dicitur, quod *egreſſus*, *profectus eſt in alium locum*: h. e. (inquiunt nonnulli, quorum dictis quis ſanus non fidem habuerit?) *Romam abiit*; quod & ſecundo *Claudii* factum volunt. Longum ſanè iter, & vaferrimè ſuſceptum! Quis non *Romam* fugeret, ut à periculis *Hieroſolymitanis* ſe ſalvum præſtaret? *Romam*, inquam, quæ, uti ex ſupra dictis conſtat & infrà dicendis pleniùs conſtabit, apta nata (eo temporis præſertim) videbatur Epiſcopi ſedem, ſi quis eam auſpicaretur, ambabus ulnis amplecti.

ANN. CHRI. 43. CLAUD. 2.

Verum dato, ſed non conceſſo, *Petrum Romam* diſceſſiſſe tempore quo *profectus in alium locum* dicitur, *Actor.* 12. ut conſtet tamen quàm incredibile ſaltem, ſi non impoſſibile ſit, hoc in ſecundo *Claudii* eveniſſe, haud abs re erit, Hiſtoriam è *Joſepho* recitare, quæ *Agrippam* memorat *Româ* reducem, & *Hieroſolymis* agentem, ubi *Jacobum* confecit, *Petrumque* in carcerem detruſit.

PARS II.

HISTORIA JUDAICA.

De Herode Agrippâ Hieroſolymas reverſo.

IMperator *Claudius* ope & auxilio *Agrippæ* Imperium ſe adeptum haud immemor, noluit grates ſe ſuâque amplitudine dignas non rependere. Hinc Principatum quem *Cajus* ei antea præſtiterat, diplomate ſuo confirmat & ampliat, adjectis præterea ditionibus, *Judaicâ* & *Samaritide*, quas olim *Herodes* avus (à quo etiam nomen ſuum cepiſſe videtur) procurarat. *Abilenen* prætereà, regionemque adjacentem, & quæcunque eſſent in *Libano* monte (olim *Lyſaniæ* Tetrarchatum) *Agrippæ* ultrò ceſſit. Fœdere cum eo publicitùs percuſſo, cujus fœderis articulos æneis tabulis inſcribendos, tabulaſque medio foro ſuſpendendas curavit.

Gliſcebant jam in *Alexandria* motus civiles. Etenim *Judæi*, imperante *Cajo Græcorum* quotidianis inſultibus vexati, ab ejus morte fiduciam recipiunt, armiſque hoſtium impetus retundere ſe accingunt. *Claudius* literis ſuis *Ægypti* Præfecto jubet, ut ſeditionem amoveret. Nec non, mediantibus *Agrippâ*, una & *Herode Chalcidis* Rege, Judæorum cauſam, tam apud *Syros*, quam *Alexandrinos* edicto tuebatur. Extat edictum ejuſdem tenoris per totum Orbis Romani Imperium Judæorum cauſâ miſſum, his titulis inſignitum. *Tib. Claud. Cæſar, Aug. Germanicus, Pont. Max. Trib. Pleb. ſive Tribunitiæ poteſtatis Conſul deſignatus* II.

His (inquit *Joſephus*) edictis toto terrarum Orbe pervulgatis, *Cæſar* de populo *Judaico* bene perſuaſum ſe oſtendit. Interea verò *Agrippam* Regno & honoribus auctum, domum remiſit; literis ad Provinciarum Præfectos datis, quibus debita ei officia præſtari jubet. Is itaque felicibus adeò rerum auſpiciis lætus, ad Regnum confeſtim ſe recipit, venienſque *Hieroſolymas*, ſacra illic omnia gratulabundus perſolvit, omiſſo nullo ritu patrio, & Lege præſcripto. Hinc *Nazaræos* non paucos tonderi curavit. Immo verò catenam auream, quam *Cajus* dederat (mutatâ ejuſdem ponderis ferreâ, qua regiæ manus non ita pridem ligatæ fuerant) * intra ſeptum Templi * ἐντὸς περιβόλου.
ſupra Gazophylacium in utriuſque ſuæ fortunæ memoriam ſuſpendit. Atque in hunc modum ſacris Deo ritè peractis, *Theophilum Anani* filium Pontificatu ſemovit, *Simone Boethi*, cui cognomen *Cantharas*, in vices *Antiq. l. 19. c. 4.*
ſubſtituto, prout teſtatur *Joſephus*.

Petrus non in ſecundo Claudii ad carcerem miſſus.

His quæ ex *Joſepho* recitavimus apponamus paucula, quæ *Actor.* 12. occurrunt; utriſque nempe juxta ſe poſitis, aptiorem rei conjecturam inde facturi. *Ceterum per id tempus, injectis Rex Herodes manibus, infeſtavit non-*

Digitized by Google

ANN. CHRIS. 43. CLAUD. 2.

nonnullos ex Eccleſia. Interemit autem Jacobum fratrem Joannis gladio. Et cùm vidiſſet hæc placere Judæis, perrexit comprehendere etiam Petrum. (erant autem dies Azymorum.)

Advertat modò, lector, peculiarem quandam temporis circumſtantiam in utraque hiſtoriâ ſubindicatam. *Claudium* ſecundò jam Conſulem deſignatum *Joſephus* narrat. *Jacobum*, Paſchate nondùm celebrato, occiſum teſtatur *Lucas*. Suppoſito itaque *Petrum* in vincula priùs conjectum, quàm hujuſce anni feſtum Paſchale (quàm ſerò cunque contigerit) perageretur; ſupponi ſanè oportet tot tantaque inter menſem *Januarium* (quo ineunte, *Claudius* Conſulatum ſuum ſecundò iniit) & Paſchatis feſtum tranſacta, quot quantaque in anguſto adeò temporis interſtitio effecta iri nequaquàm poterant. Etenim, *Claudium* ad iſtiuſmodi Edictum trahi, idque promulgare; *Agrippam* Regem iter ſuum inſtruere, amicis *Romæ* tot & tanti nominis vale ſuum dicere, *Hieroſolymas* attingere, ſacra ſua, rituſque patrios peragere, nonnullos ex Eccleſia prehendere, *Jacobum* (fortean latitantem) exquirere, repertum conficere, *Petrum* captum ire, & in carcerem detrudere, atque hæc omnia in iſto temporis ſpatio quod initium menſis *Januarii*, & feſtum Paſchale interjacet, vix cuiquam poſſibile videbitur, ſentienti ſaltem quàm lentè ſe moveant ingentium corporum, Regum nimirum & Principum, moles. Quis credat *Claudium*, Conſulatûs ſui primordiis (h. e. ineunte menſe *Januario*) poſthabitis aliis quibuſcunque Imperii negotiis, *Judæorum* clientelam in ſe ſuſcepturum? Certè Conſulis officii ratio poſtulat, ut civitatis *Romanæ*, immò verò totius *Italiæ* res procuraret priùs, quàm *Hieroſolymarum* ſtatim vel *Alexandriæ*, tam longè à *Roma* diſtantium negotiis adeò præter officium ſe immiſceret, idque Judæorum cauſa, Gentis equidem tum abjectiſſimæ, ſummoque deſpectui habitæ. Verùm demus (ſi placet) *Claudium* die Conſulatûs ſui primo edictum ſanxiſſe, ſecundo promulgaſſe, tertio *Agrippam* dimiſiſſe; attamen tanto viro permittendum crederem aliquod temporis ſpatium, quo (ut ſuprà innuimus) adeò longum iter pararet, vale ſuum tot neceſſitudinibus diceret, ventum fortean velis ſecundum opperiretur, navigando Oceano *Judææ* oras appelleret. Dein appulſo eo, & arenâ potito, neceſſe eſt ut vir tot recentibus honoribus onuſtus, per regnum ſuum iter ad *Hieroſolymas* facturum, honeſto apparatu incederet; & cùm urbem pertigerit, res ſuas diſponeret, victimas mactaret, ritibuſque Lege præſcriptis perfungeretur. Hæc omnia tranſigi debent nondum prehenſo *Jacobo*, qui tamen ante Paſchatis feſtum (per quot dies incertum) gladio conficitur. Hæc modò æquâ trutinâ perpendat quiſpiam, an ſcil. hæc omnia tantillo temporis fieri poſſent, & tùm quid in hac cauſa ſentiat liberè pronunciet.

Verumenimverò nonnullos etiam inter ipſos *Romanenſes* appello, qui *Petrum Romam* iviſſe, ibique ſedem Epiſcopalem fundaſſe ſecundo *Claudii* negant. *Salmeronem* teſtor, qui in *Actor.* 12. *Petrum* quarto *Claudii Romam* profectum & tradit ipſe, & *Comeſtorem*, *Nauclerum*, nec non *Petrum de Natalibus* ſibimet ſuffragantes deprædicat. Quinetiam *Simeon Metaphraſtes*, etiamſi *Petrum* hoc anno ab *Hieroſolymis*, metu *Herodis* ſecedentem, loca plurima peragrantem, Eccleſias paſſim inſtituentem, eiſque Antiſtites præficientem narret, quòd *Romam* tamen attinet, ne verbum quidem; quin eum *Hieroſolymis* reducem Paſchate proximè ſequenti præſtat. Hinc eum *Surius*, ſive quis *Surii* Annotator, unà cum *Baronio*, quantumvis alibi ſat ſuperque ab utriſque laudatum, probris lacerant, mentiendi labe conſpergunt, fide non dignum clamitant, eò quod diverſa in hâc re, quàm quæ ipſi vellent, opinatus ſit.

His itaque argumentis freti, *Jacobi* necem in ſequentem annum fidenter retulimus, utpotè quæ ante hujuſce anni feſtum Paſchale contigiſſe non potuit. Huc pariter prout ordo & rerum ſeries poſtulat, *Petri* vincula, & fugam incolumitatis ergô, ſeu quavis alia de cauſa ſeceſſum rejecimus. Quem quoniam Pontificii *Romam* uſque fugientem perduxerunt, fuſiùs de ea re infrà tractabimus.

ANN. CHRIS. 43. CLAUD. 2.

ANN. CHRIS. 43. CLAUD. 2.

PARS III.

HISTORIA ROMANA.

DEficientes *Mauros Suetonius Paulinus*, & poſt eum *Cn. Sidius Geta* ſubegit. Hic hoſtem per arenam ægrè inſecutus, exercitum vix non perdiderat aquarum inopiâ. Verùm ope & auxilio perfugæ cujuſdam *Mauri* arte magicâ tincti, ingentem pluviam nactus, non ſuum ſolummodò militem ſuſtentat, verùm hoſtem etiam oſtento territum ſubvertit. Per hoc tempus *Cæſar Mauritaniam* diviſit in *Tingritaniam* & *Cæſarienſem*.

Claudius interim gladiatoria munera pluriſariam & multiplicia exhibuit, quibus ceciderunt innumeri tum ſervi tum liberti, qui Imperante *Cajo*, dominos ſuos haud ita pridem incuſarant. Is curâ admodum præpoſterâ *D. Auguſti* ſtatuam ſuo loco movendam juſſit, ne ſævis gladiatorum dimicationibus interſit, dum ipſe feris iſtiuſmodi ſpectaculis præter modum oblectatur, quæ ſimulachro ſenſûs experti diſplicitura ſuſpicatus eſt. Horum uſu diutino ſævus & ſanguinarius redditur; conſiliis verò *Meſſalinæ*, quâ nequiorem non tulit humanum genus, inſtimulante præterea peſtiferâ ſycophantarum turbâ, ſævior factus. *Cajus Appius Silanus* inceſtu *Meſſalinæ* privignæ ſuæ abhorrens, morte mulctatur. Incitatur in eum *Claudius* à *Narciſſo Cæſaris* liberto, fingente ſe per ſomnium *Appium* vidiſſe, Imperatorem gladio ſuffodientem. Perempto *Silano*, populus ſpem omnem quoad *Claudium* abjiciens, eâdem tyrannidis notâ, quâ noviſſimorum deceſſorum fama labefactaretur, notâ inurunt. Unde *Annius Vincianus*, & *Tutius Camillus Scribonianus* cum aliis pleriſque *Cæſari* inſidias ſtruunt: militibus verò in incepto fallentibus, mortem ſibimet, horrentes carnificem, manu ſuâ conſciſcunt.

Intereà verò *Meſſalina* & *Narciſſus* cum ſuis aſſeclis ſtultiſſimâ Imperatoris vecordiâ, pro libitu ſuo abutentes, plurimos utriuſque ſexûs ſortiſque tam celſioris quàm infimæ, nobiles atque ignobiles, quibuſcunque ſtomacharentur, fictis criminationibus nexos ad miſerrimas neces damnari cauſarunt. Inter hos refertur *Arria*, *Cæcinnæ* uxor, fortitudinis verè Romanæ exemplum nunquam non memorandum. Hæc maritum conſpicata timidum, tremebundum, atque in ſe manus ſuas ferre abhorrentem, ipſa ferrum ſtrinxit, pectus ſuum perfodit, & pugionem extrahens cruore madidum marito porrexit, addens hanc vocem, *Pæte, non dolet*. Et nunc (inquit Autor meus, eò res devenerant, ut nihil honorificum magis haberetur, quam ſi quis noſſet mortem audacter oppetere & more Romano: in tantam feritatem formarant diutina ſanguinis conſuetudo, peſſimaque conſilia, virum alioquin naturâ ſuâ lenem & manſuetum, levem verò & inconſultum!

CHRI-

Digitized by Google

ANN. CHRIS. 44. CLAUD. 3.

ANN. CHRIS. 44. CLAUD. 3.

CHRISTIANA, JUDAICA ET ROMANA HISTORIA,

AD

Annum CHRISTI XLIV.

CLAUDII III.

Mundi 3971. U. C. 796.

Coſſ. { *Claudio Cæſare III.* / *L. Vitellio.* }

CAP. XII.

VERS. 2. *Et occidit Jacobum.*

Martyrium Jacobi Majoris.

Iam tempus illud quo *Jacobus Major* interiit attigimus. Cum enim *Agrippa* anno proximè elapſo in *Judæam* veniſſet, ut ex *Joſepho* didicimus, nec veroſimile foret hoc ab eo ante feſta Paſchalia committendum eſſe homicidium, ut circumſtantiæ nobis indicarunt, rectè omnino hoc anno ipſius contigiſſe mortem dixerimus. Jam *circa illud tempus*, inquit *Lucas*, *Herodes Rex*, [Syriacus Textus addit, *qui dicitur Agrippa*] *extendit manum ſuam ut vexaret quoſdam Judæos, occiditque Jacobum fratrem Joannis gladio.* Prima verba, *circa illud tempus*, dicta in priori Capite, *verſ.* 28. connotant indicantque tempora *Claudii Cæſaris*. Quid autem *Agrippam* in Eccleſiam concitarit, non explicatur. Non immeritò tamen quis exiſtimarit, concitatum eum in Eccleſiam fuiſſe nimio in ritus *Moſaicos* zelo, cujus mentionem facit *Joſephus*. De martyrio autem *Jacobi* hinc nato ea tantùm dicemus quæ Textus ipſe proponit, *Et occidit Jacobum fratrem Joannis gladio.* Addititias enim omnes circumſtantias aliis in Authoribus obvias, vanis futilibuſque commentis annumeramus: cujuſmodi ſunt quæ commemorat *Euſebius* ex *Clementis Hypotipoſeo*, de accuſatore ipſius, qui *Jacobi* morientis conſtantiam contemplatus, & fidem confeſſus, cum eo martyrium paſſus eſt. Ejuſcemodi pariter puta quæ narrat *Epiphanius*, qui virginem deceſſiſſe affirmat: & quæ refert *Surius* anilibus fabulis & commentis multùm deditus: hic enim affirmat corpus ipſius poſt mortem navi a *Cteſiphone* ſociiſque Epiſcopis fuiſſe impoſitum in *Hiſpaniam* devehendum; navem ſex dierum ſpatio ſine Navarcho, ſine acu magnetica ſolâ cadaveris quaſi directione eò navigaſſe; corpus in terram demiſſum, in aëre fuiſſe ſublatum, avectumque ad locum duobus milliaribus diſſitum, ubi ſepultum fuit. *Cteſiphonem* ſocioſque ad illud ab Angelo fuiſſe conductos; multaque

Tom. 2. Julii 25.

ANN. CHRIS. 44. CLAUD. 3.

taque alia anilia prorſus commenta, quibus vel legendis, vel commemorandis inutiliter tempus impenderetur.

Symbolum Apoſtolorum.

De Inſtitut. Cleric. l. 2. cap. 56. extat in Auctario ad Biblioth. Patrum. col. 620.

„ Symbolum hâc occaſione, inquit *Rabanus Maurus*, quemadmodum Majores „ noſtri nobis tradiderunt, factum eſt. Cùm „ Diſcipuli poſt Chriſti in cœlum aſcen„ ſum à Spiritu Sancto incenſi eſſent, man„ datumque à Domino accepiſſent ut omni„ bus nationibus Euangelium prædicarent, „ jam priuſquam ab invicem ſepararentur, „ commune primùm futuræ prædica„ tionis quaſi argumentum proponere vo„ luerunt, ne procul variiſque in locis ab „ invicem diſſiti, variæ diſcrepantiaque ad „ Chriſti fidem invitatis annunciarent. Cùm „ igitur ſimul conveniſſent, pleni que Spi„ ritu Sancto eſſent breve prædicationis „ futuræ argumentum in medium adduxe„ runt, collatis invicem ſententiis; hocque „ credentibus tradendum ſtatuunt, Symbolumque vocant. Ita ille, variique alii, qui non materiam tantùm Symboli ab Apoſtolis fuiſſe propoſitam volunt, ſed dictata etiam ipſamet ab ipſis verba.

Dixit enim *Petrus*, inquiunt illi, *Credo in Deum Patrem omnipotentem.*

Joannes, *Creatorem cœli & terræ.*

Jacobus, *Et in Jeſum Chriſtum Filium ejus unicum Dominum noſtrum.*

Andreas, *Qui conceptus eſt de Spiritu Sancto natus ex Maria Virgine.*

Philippus, *Paſſus ſub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, & ſepultus.*

Thomas, *Deſcendit ad inferos, tertia die reſurrexit à mortuis.*

Bartholomæus, *Aſcendit ad cælos, ſedet ad dextram Dei Patris omnipotentis.*

Matthæus, *Indè venturus eſt judicare vivos & mortuos.*

Jacobus filius Alphæi, *Credo in Spiritum Sanctum, Sanctam Eccleſiam Catholicam.*

Simon Zelotes, *Communionem Sanctorum, remiſſionem peccatorum.*

Judas frater Jacobi, *Carnis reſurrectionem.*

Matthias, *Vitam æternam. Amen.*

Tom. 10. col. 849. Ita Concio decimaquinta ſupra centeſimam *de Tempore*, Auguſtino aſcripta. Sed patet ipſius reipſa non eſſe, quod hic *deſcenſus ad inferos mentio* fiat, de quo in ejus Libro *de Fide & Symbolo* ne verbum quidem.

Hæc autem Traditio, ſi tam vera, quam accurata foret, ſuum in Chronologia locum mereretur, ſub hoc præſertim tempus ante mortem *Jacobi*: Symbolum enim & ipſe una cum aliis juxta hanc Traditionem ſuum dedit. Sed quod hæc opinio de *Symbolo* particulatim modo ſupradicto à quovis ſingillatim Apoſtolo confecto falſa ſit, hiſce argumentis oſtendi poteſt.

Pol. in Symbol. Primò enim verba hæc, *Eccleſia Catholica*, neque uſurpantur in ullis Apoſtolorum Scriptis, neque probabile eſt niſi poſt tempora Apoſtolorum uſitata fuiſſe, quando Eccleſia in omnes terræ partes diſperſa eſt.

Secundò, articulus hic *Deſcendit ad inferos*, minime agnoſcitur à Symboli Nicæni fabricatoribus, nec ab ullo antiquiſſimorum poſt Apoſtolos Patrum, dum articulos Symboli enumerant. Hujuſce rei exempla varia vide in *Polani Syntagmate*, lib. 6. cap. 21. pag. 410.

Tertiò, ſi materia verbaque Symboli ab ipſis Apoſtolis ſuppeditata fuiſſent, cur una cum reliquis Canonicis Scripturis non annumeratur?

Quartò, dum ſuam quiſque quaſi micam modo ſuperiùs dicto confert, tanta obſervatur inæqualitas, ut ipſa contributio dubia meritò ſuſpectaque eſſe videatur.

Quintò, Summa articulorum Religionis Chriſtianæ ab Apoſtolis traditæ, quibus conformiter alii docerent, duobus capitibus conſtat, *fide*, & *amore*, 2. *Timoth.* 1: 13. Symbolum autem *fidem tantùm proponit. Potius igitur*, inquit *Perkinſius*, *putarim*, *Apoſtolicum dici Symbolum quia paucis complectitur præcipua primariaque Religionis capita, quæ Apoſtoli tractaverunt & propoſuerunt.*

Traditiones.

Confecto ab ipſis ante ſeparationem Symbolo adjunxit *Baronius* derivatas ab iiſdem Traditiones. *Sicut Symbolo*, inquit, *ita etiam aliis abſque Scriptura Traditionibus Eccleſiæ impertitis diviſerunt ſibi, ad quas ſinguli proficiſcerentur orbis terræ provincias.*

Seſſ. 4. decret. 1. extat tom. 4. Concil. Part. 2. Has Traditiones Concilium Tridentinum dividit *in Traditiones ab Apoſtolis, Chriſti ore acceptas*, atque *inde traditas ab ipſis Apoſtolis ad noſtra uſque tempora, dictante illis Spiritu Sancto.* Haſque Patres ii ejuſdem cum Scripturis authoritatis eſſe volunt, atque Anathema Concilium iis dicit, qui ſcientes ac volentes eas contemnent. Hocque Anathema omninò mererentur, ſi certò illi ſcirent iſtas Traditiones ab hujuſcemodi fontibus eſſe derivatas. *Bellarminus* Traditiones altioris adhuc originis eſſe vult. *Traditiones enim*, inquit ille, *divinæ ſunt, Apoſtolicæ, atque Eccleſiaſticæ. Divinæ eæ ſunt quæ à Chriſto ipſo Apoſtolos docente acceptæ ſunt, quæ tamen in Scripturis reperiri nequeant: cujuſ-*

Lib. 4. de verbo non ſcripto, cap. 2. extat Tom. 1. pag. 166.

Digitized by Google

ANN. CHRIS. 44. CLAUD. 3.

cujuſcemodi ſunt eæ quæ materiam & formam Sacramentorum ſpectant. Apoſtolicæ eæ ſunt quas Apoſtoli non abſque auxilio Spiritus Sancti inſtituerunt, quæ tamen ipſorum in Epiſtolis non reperiuntur. Eccleſiaſticæ Traditiones proprie loquendo antiquæ quædam conſuetudines ſunt aut ab Antiſtitibus, aut à populo inchoatæ, quæ paulatim tacito populi conſenſu vim legis obtinuerunt. His capitibus, maxime duobus primis, hæc com plexus eſt: perpetuam *Mariæ* virginitatem, Librorum Canonicorum numerum, Baptiſmum infantium, aquæ prius Baptiſmo benedictionem, injunctionem ut Satanæ renuncient, ejuſque operibus, ſignationem eorundem ſigno crucis, inunctionem eorundem oleo, non rebaptizationem hæreticorum, Quadrageſima, Septimanam Rogationum, inferiores ordines in Eccleſia, cultum imaginum, &c. quibus alii addunt oblationem ſacramenti Altaris, invocationem Sanctorum, preces pro mortuis, primatum, Confirmationem, Ordines, Matrimonium, Pœnitentiam, Extremam Unctionem, merita, neceſſitatem Satisfactionis, Confeſſionem Auricularem, &c. Has Controverſias ut prætercam, quas tot viri eruditi à *Bellarmino* quantumvis invito ſub initium hujus quæſtionis enumerati diſcuſſerunt, ratio ipſa ſenſuſque communis de eo judicent quod propius ad hanc diſſertationem ſpectat, de tempore ſcilicet acceptarum harumce Traditionum, ſive hoc, ſive alio quovis. Atque hic primum animadvertat lector, hoc tempore nihil Novi Teſtamenti fuiſſe conſcriptum, præter Euangelia *Matthæi*, & *Marci*, ſi tamen reipſa hoc ea tempore ſcripta fuerint. Tum judicet quam à ratione alienum ſit aſſerere, non ſcriptas Eccleſiæ Traditiones tum datas fuiſſe, cùm integrum fere Teſtamentum Novum adhuc conſcribendum erat. Aut pone, ſi velis, has Traditiones in Concilio *Hieroſolymitano* fuiſſe propoſitas, quod multis poſt annis contigit, cùm omnes ſimul Apoſtoli convenerant, regulaſque, quas ſequeretur, Eccleſiæ proponebant; aut ſi mavis, ſub tempus quo captus eſt *Paulus Hieroſolymis*, cùm omnes rurſus Apoſtolos una conveniſſe fingere tibi poteris, tum utrumvis tempus leligatur, eadem ſemper conſequentur abſurda: nihil enim amplius quàm nunc, aut paulò tantùm plus conſcriptum fuit. Quàm autem rationi abſonum videtur, quòd Apoſtoli non ſcriptas Traditiones tanquam regulas Eccleſiæ darent, cùm omnes Epiſtolas ſuas ut regulas Eccleſiæ præſcribendas ſcribendas adhuc haberent: ſi Eccleſiam non ſcriptis Traditionibus gubernari volebant, cur poſtea ſcriberent? ſi Scriptis ſuis, cur Traditiones non ſcriptas proponerent? At acutior quis reſponderet, eas ipſos reliquiſſe Eccleſiæ Traditiones, quæ ſcriptis conſignandæ non erant. Sed ſepoſito omni præjudicio, æquus rerum æſtimator ſecum reputet, an alicujus hæc momenti reſponſio ſit. An enim ullatenus veroſimile eſt ſciviſſe eos Apoſtolos quæ *Paulus* Epiſtolis ſuis commiſſurus non eſſet, aut propoſituros eos ejuſcemodi res tanquam Traditiones, cùm vix dum ſcirent, utrùm Apoſtolus Gentium necne futurus eſſet: quin etiam neſciebant adhuc utrum Epiſtolas necne ullas ſcripturus eſſet, nedum quas conſcripturus foret. Hìc igitur uniuſcujuſque conſcientiam ſenſumque communem appello.

Ibid. cap. 9.

Vid. Whitaker de S. Script. Controv. 1. q. 9. cap. 5.

VERS. 3. *Proceſſit ut Petrum etiam caperet*, &c.

Petri incarceratio, & liberatio.

Jacobi mortem ſecuta eſt *Petri* incarceratio; ſed martyrii ipſius tempus nondum advenerat. Cum *Agrippa* eum detinendum curaſſet, morte eum affici niſi poſt Paſcha noluit, vel quia ſanctum illud feſtum ſanguinis humani effuſione polluere nolebat; vel quia *Petrum* diutius affligere volebat, gratiuſque quid Judæis præſtare ob longam ejus arctamque incarcerationem; vel quia potius à tumultu ſibi metuebat, ſi in tanta populi affluentia eum occidiſſet. A quatuor igitur militum quaternionibus, aut à ſexdecim militibus, ut Textus *Syriacus* habet, qui alternis, ut apparet, vicibus ipſius cuſtodiæ invigilabant: per quatuor enim noctis vigilias, duo proxime ipſi aſtabant, duo ad januam: præter hos duos, duoſque ſuccedentes ſibi alternis vicibus cuſtodes, duobus catenis ligatus erat, ac ſi verum eſt quod quidam aſſerunt, duo etiam excubitores, ut certius teneretur, iiſdem colligabantur: felices prorſus, qui harum catenarum participes facti ſunt; quæ, ſi *Surio* credimus, miracula patrabant, gratiam diffundebant, ſanctitatem producebant, morbos curabant, Dæmones terrebant, Chriſtianos defendebant. *Conſervatæ*, inquit ille, *à quibuſdam Herodis famulis in Chriſtum credentibus, progreſſuque temporis ſacrarum inſtar reliquiarum Conſtantinopoli ſepoſitæ, ubi adhuc, vel ille, quod potiùs putem, mentitur, extant.*

Sanct. in Act. 12.

Sanct. ubi ſupra ex Chryſoſt.

Aug. 8. cap. 18. 19. 20.

Ea ipſa nocte quæ deſignatam *Petri* mortem præceſſit, cùm ſuos inter cuſtodes altum is dormiret, expergefactus eſt, ſolutus, atque ab Angelo liberatus. *Baronius* magnam in eo vim ponit, quòd tota pro ipſo in carcere detento Eccleſia oraret: quod in nullius gratiam factum fuerat. Hinc ipſius Primatum omninò deducendum vult, quòd totus Grex pro univerſali Paſtore ſuo oraret;

Annal. ad ann.

cùm

Digitized by Google

ANN. CHRIS. 44. CLAUD. 3.

cùm rationes hujuſce loquendi modi has tantùm duas eſſe conſtet: primò, ut manifeſtum fieret Eccleſiam oraſſe pro ipſo, dum ipſe dormiret; cùm enim primæ quietis parti indulſiſſet, hac ipſa nocte, domum *Joannis* & *Marci* ſe contulit, qui nondum lectis ingreſſi orationi vacabant: ſecundo quia hac *Petri* liberatione effectus precum oſtendebatur. Dubium non eſt quin conſtantes etiam funderentur ad Deum preces à tota Eccleſia pro *Jacobo* æque ac pro *Petro* dum ipſe in carcere foret, quamvis res ipſa non exprimatur, quia effectu preces corruerunt. Adde quod Athei impiique homines illudere atque inſultare Chriſtianis potuiſſent, quòd tota Eccleſia fruſtra oraſſet.

Angelus *Petruſque* jam ſolutus duas vigilias præterierunt, perveneruntque ad portam ferream. Quidam *has vigilias* duos eſſe carceres volunt, vocemque φυλακὴ paſſive ſumi pro locis in quibus homines detinebantur, *Petrumque* fuiſſe in carcere ultra illos duos, ut in viliore ac ſecuriore loco. Alii aſſerunt *vigiliarum* nomine excubitores ipſos eſſe intelligendos, carceremque extra civitatem fuiſſe inter, aut intra duos extimos muros. Poſterior hæc acceptio longe veroſimilior eſt, tum ob Græcæ vocis ſignificationem, tum quia tres muros commemorat *Joſephus* circa civitatem *Hieroſolymitanam*, variaſque in quovis muro turres. Adde quod hinc miraculum illuſtrius fit. *Petrus* enim non ſuos tantùm quaterniones ad oſtium carceris effugit, ſed duos etiam ad murorum portas excubitores; ſecunda autem porta, ſcilicet ferrea, ſponte ſuâ patuit. Securus jam omnis periculi *Petrus*, atque ab Angelo derelictus, petiit domum *Mariæ* matris *Joannis* & *Marci*, ubi cùm *Rhoda* ex ipſius ad oſtium pulſatione ac loquela conſtanter *Petrum* eſſe aſſeruiſſet, tota mox *congregatio* intulit ipſius eſſe Angelum. Quædam de hac illatione ambiguitas occurrit. Quidam de tutelari Angelo intelligi hunc locum volunt; unde manifeſtum fieri ajunt, ſuam unicuique homini aſſignatum eſſe Angelum tutelarem. Sed primò,

Vide. Baron.

Chryſoſt. in loc. hom. 27.

Legimus interdum de Angelo multos homines comitante.

Secundò, interdum de multis Angelis unicum hominem comitantibus.

Tertiò, ſi ratione hîc agere liceat, ſi ſuus cuivis homini Angelus ex Dei præſcripto præſit, quid facit Angelus ille ante pupilli ſui nativitatem? ac præſertim quid Angeli omnes, præter *Adami*, & *Evæ*, aliorumque paucorum per aliquot centena ſæcula, priuſquàm mundus impleretur?

Vide. Salmeron. in loc.

Alii itaque hunc locum intelligunt de nuncio, quem Diſcipuli exiſtimabant ad eos miſſum à *Petro* cujuſpiam negotii cauſa. Sed hæc opinio facile inde confutatur, quòd *Rhoda Petri* vocem agnoverit.

ANN. CHRIS. 44. CLAUD. 3.

Tertia quoque opinio eſt æque improbabilis, atque duæ priores. Quidam enim ajunt Diſcipulos exiſtimaſſe, Angelum hac pulſatione voceque ipſis indicare voluiſſe mortem Petri proximam; quem propterea ipſius Angelum dixerunt. Sancti enim, ajunt, de aliorum Sanctorum obitu ejuſcemodi revelationibus admoneri aliquando ſolebant. Judæi quidem in Scriptis ſuis ſæpè mentionem faciunt *Samaelis* Angeli mortis; ſed eum idcircò ita vocant, quòd mortem infligeret, non quod prædiceret. Atque exempla quidem in Hiſtoria Eccleſiaſtica quædam habemus hominis unius alterius mortem ejuſcemodi revelationibus, ſeu apparitionibus internoſcentis: ſed quia Hiſtoriæ iſtæ dubiæ admodum ſunt, nihilque ſimile Scriptura exhibet, hæc interpretatio nullo nititur fundamento.

Facilis itaque maximeque proprius horum verborum ſenſus, *Angelus ejus eſt*, hic eſſe videtur, quòd Angelum quemdam intellexerint, qui aſſumpta *Petri* forma, ei perſimilis præ foribus ſtaret.

VERS. 17. *In alium locum ſeceſſit.*

Quò ſeceſſerit ignoratur, quòd *Scriptura* id non revelarit. *Romam* Pontificii in hunc locum iviſſe volunt: quod omnino à ratione alienum, ut ſuperius inſinuavi, mihi videtur, idque pluribus, ſi operæ pretium foret, oſtendi poſſet. Potius exiſtimarim hoc tempore profectum eum eſſe *Antiochiam*, quàm ad locum valde diſſitum. Fingere enim mihi ullum tempus nequeo, quo ipſe & *Paulus Antiochiæ* convenerint, *Pauluſque* ipſum reprehenderit, *Gal.* 2:11. niſi hæc hoc ipſo contigiſſe tempore admittamus. Vero ſimillimum enim eſt *Petrum* vitæ ſervandæ cauſa fugientem, ex *Herodis* dominiis ſalutis cauſa egreſſurum. Quo autem, potiùs quàm *Antiochiam*, confugeret, ubi non loci tantùm diſtantia, ſed & peculiari Eccleſiæ illîc recens natæ curâ, ac providentiâ tutus foret.

VERS. 21. *Et die quodam Herodes regio apparatu indutus.*

Geſta *Herodis Agrippæ* poſt ipſius *Româ Hieroſolymas* reditum, modumque mortis multis deſcribit *Joſephus*. Illius itaque in Judaica noſtra Hiſtoria veſtigiis inſiſtemus.

Digitized by Google

ANN. CHRIS. 44. CLAUD. 3.

PARS I.

HISTORIA ROMANA.

Geſta quædam Claudii hoc anno.

ANnus Romanus fere totus impendebatur diebus feſtis & ſacrificiis, ut hodieque impenditur, magno negotiorum perficiendorum impedimento. Quare *Claudius* jam Conſul multos ejuſcemodi dies abrogavit, reſiduoſque, quoad licuit, contraxit; multa, quæ *Cajus* ſtulte abalienarat, reſtitui ſibi curavit, multaque etiam perperam ab ipſo facta emendavit. *Lyciam* in ſervitutem redegit, quia quodam in tumultu *Romani* quidam ibi perierant: eamque *Pamphyliæ* adjunxit. Libertatemque Legato *Lyciano*, qui *Romam* negotiorum cauſa venerat, abſtulit, quod Latinè non norit. Non expediebat enim, ajebat, *Romanis* eum annumerari, qui Romanam linguam non intelligeret. Multiſque aliis alias ob cauſas libertatem abſtulit. Contra tamen prodige omninò, tum ipſe, tum *Meſſalina*, nec non qui apud utrumque maxime florebant gratia, Romanam libertatem, aliaque officia numeratâ pecuniâ conferebant, adeo ut ejus rei rationem in *Campo Martio* dare coactus fuerit. Hoc anno in *Campo* ludos quoſdam Gladiatorios exhibuit.

Luxuria incontinentiaque Meſſalinæ Imperatricis.

Luxurioſam, plenamque immunditia vitam agebat, variaſque alias mulieres ad eadem etiam crimina cogebat. Quin etiam mulieres quaſdam in ipſo maritorum conſpectu committere adulterium voluit. Quæ autem impiis adeo mandatis parebant, has & præmiis & honoribus cumulabat: quæ autem parere nolebant, has oderat, earumque in exitium invigilabat. Impudicos hoſce mores diu *Claudium* celavit: ipſi interim puellas procurabat, dum ipſamet interim, quibus vellet, frueretur; èque medio tollendos curabàt, quos tantam turpitudinem *Claudio* revelaturos ſuſpicabatur: hacque inducta ſuſpicione, *Catonium juſtum* occidit, ne quid ipſe detegeret, ambaſque *Julias* alias in ſpeciem ob cauſas.

Hoc anno Eques Romanus morte punitus eſt, quaſi cujuſdam in Imperatorem conſpirationis reus.

Expeditio in Angliam.

Hoc anno, magno ſanè labore, *Aulus Plautius* exercitum in Magnam Britanniam duxit. Quidam enim *Bericus* ob ſeditionem inde expulſus *Claudium* induxerat, ut exercitum iſthuc mitteret: ſed ægre milites illuc ex *Gallia* proficiſci volebant, quòd non æquis animis ferrent alterum ſe in orbem pugnandi gratiâ duci. *Narciſſi* à *Claudio* ad exercitum miſſi oratione magis excanduerunt, ita ut *Io Saturnalia* inſonarent, paratique forent ad rebellandum: ſed tandem libentes *Plautium* ſecuti ſunt. Exercitum ipſe ſuum tres in partes ipſe diviſit, ut ſi inde repellerentur milites, hac aut illac irrumperent. Contrarios in tranſitu ventos paſſi ſunt: ſed magnâ animorum conſtantia adverſæ hujus fortunæ patientes ſeſe exhibuere, quòd ſplendida flamma ab Ortu in Occaſum decurrens viam ipſis quaſi indicaret. In inſulam nemine contra ſtante deſcenderunt. *Britanni* enim eorum adventus ſecuri eos minime expectabant. Iis autem jam in inſulam ingreſſis, quòd ad reſiſtendum parati non eſſent, in nemora, locaque paludoſa ſeſe receperunt: hac ſpe freti, quod *Romani* continua inſecutione tandem fatigati, re infecta redituri forent. In hos tandem magnis exantlatis laboribus *Plautius* incidit, vicitque primum *Cataratacum*, tùm *Jogodumnum*, duos *Cynobellini* non ita pridem mortui filios.

Quibus fugientibus, homagium admiſit à

ANN. CHRIS. 44. CLAUD. 3.

magna parte *Bodunorum* qui *Catuellanis* ſubditi erant: variis enim jam Regibus *Britanni* parebant. Relictis illic præſidiariis, caſtra movit ad fluvium, quem *Britanni* trajici ab eo abſque ponte non potuiſſe exiſtimarant. Quare negligentiùs ad obverſam ripam caſtrametati ſunt. Sed *Plautius Germanos* quoſdam milites trajiciendis natatu fluviis aſſuetos emiſit, qui ſubito hoſtes invaſerunt, homines tamen ipſos non læſerunt, ſed equos tantùm currus ipſorum tracturos, unde grave ipſis damnum intulerunt.

Gloceſtria, Oxon. Bucking. Hartford. Vide Cambd. Brittan. Κιλτῶν.

Tum trans fluvium miſit *Flavium Veſpaſianum*, qui poſtea Imperator fuit, *Sabinumque* ipſius fratrem, qui trajecto fluvio multos ſubito hoſtium occiderunt. Reliqui tamen non aufugere, ſed pugnam commiſere poſtero die, dubiaque pugnæ alea fuit, donec *C. Sidius Geta*, qui fere jam captus erat, tantâ ſe fortitudine geſſit, ut victoriam honoreſque triumphales etiam non Conſul obtinuerit.

Jam ad fluvium *Tameſim*, qua in mare prolabitur, æſtuſque maritimos præaltos patitur, *Britanni* confugere, locorumque commodiorum gnari flumen facile trajecerunt: quos inſecuti *Romani* in periculo erant, cùm *Germani* rurſus fluvium natatu, aliique per pontem ſuperius conſtructum tranſierunt, magnamque *Britannorum* undique jam impetitorum ſtragem fecere: ſed dum inſequerentur hoſtem, in paludibus quibuſdam multos ſuorum amiſere.

Hoc commotus infortunio, *Britannorumque* ob mortem *Jogodumni* creſcente indies cum majore belli apparatu furore, bellum ulteriùs *Plautius* proſecutus non eſt; ſed ubi recepta loca præſidiis muniiſſet, *Claudium* accivit: ita enim hic juſſerat, ubi de ſumma rerum ageretur. *Claudius* his acceptis nunciis, parat ſe ad expeditionem, ſecumque inter alia plurima Elephantos varios ducit, ac prope *Tameſin*, trajecto fluvio, pugnavit, & vicit *Camalodunum*, præcipuam *Cynobellinorum* civitatem capit, *Britannos* exarmat, victos regendos, & reliquos à *Plautio* vincendos relinquit. Quibus peractis, *Romam* is regreditur: ubi Senatus *Britannici* ei titulum confert, triumphoſque ipſi & ſtatuas, ut & *Meſſalinæ* honores decernit.

ANN CHRIS. 44. CLAUD. 3.

Meretricium Meſſalinæ factum.

Illa quidem omni indigna erat honore, ſed timor, adulandique prurigo merita non reſpiciunt. Inter varia, continuataque adulteria, *Mneſterum* quendam ludionem adamavit. Is ex intimis *Caji* fuerat, ſed non melioris propterea notæ. Hunc verbis, promiſſis, donis ad illicitum concubitum ſollicitat, ſed fruſtra, non quod ulla ipſi probitatis ſcintilla ineſſet, ſed metu *Claudii* neve eum offenderet. Cum impudens fœmina fruſtra omnem moveri à ſe lapidem animadverteret, *Claudium* adit, rogatque, ut juberet, *Mneſterum* exequi quicquid ipſa vellet. Tum ſecurus omnis eventûs, *Mneſterus* adulterium cum Imperatrice tam intrepide exercuit, quàm ſi ſpeciali Imperatoris mandato hac in re obediiſſet. Idemque ſcelus cum multis aliis *Meſſalina* admiſit. Eoque impudentiæ demùm meretriciis hiſce amoribus progreſſa eſt, ut cùm Senatus, ut quam abhorreret à *Cajo* oſtenderet, ærea omnia illius numiſmata colliquanda curaſſet, ex iiſdem *Mneſteri* imagines conflari illa juſſerit.

PARS III.

Digitized by Google

ANN. CHRIS. 44. CLAUD. 3.

PARS III.

HISTORIA JUDAICA.

Agrippæ geſta Hieroſolymis, poſtquam Româ rediiſſet.

AGrippa anno proximè elapſo *Hieroſolymas* rediit, ubi, ut ſuperiùs vidimus, varia multiplici cæremonia peregit, Summam Sacerdotem dignitate dimovit, *Jacobum* occidit, *Petrum* in carcerem conjecit, tributum quoque quoddam incolis Urbis *Hieroſolymitanæ* remiſit, quòd laute ab iis, conſpicuiſque benevolentiæ teſtimoniis habitus fuiſſet. Literas à *Petronio* obtinuit ad incolas *Dor*, ut ſtatua *Cæſaris* amoveretur, quam ſeditioſi quidam in ipſorum Synagoga collocarant. *Cantharam* rurſus à Summo Sacerdotio amovit, cui *Matthiam* ſubſtituit. *Silam* equis Præfectum in carcerem miſit, quòd liberius loqueretur de præſtitis ipſi à ſe cum adverſa adhuc fortuna luctante officiis: ſed feſtivo nativitatis die eum rurſus libertate donavit. Munire *Hieroſolymas* cœpit: ſed *Marſus Syriæ* jam Gubernator *Petronio* ſubſtitutus, litteras à *Claudio* obtinuit, quibus ferax hoc ſuſpicionum opus prohiberetur. Leges patrias diligenter obſervabat, magnamque tum curam, tum pecuniam non exiguam ſacrificiis impendit. A quodam tamen *Simone*, qui Doctoris ſibi officium aſſumpſerat, exprobratum ipſi eſt, quod nec pius eſſet, nec idoneus qui in Templum veniret. Quem *Simonem Cæſarea* accitum, & hac ſuper re rogatum non modò non punivit, ſed & præmio donatum dimiſit. Magnifica quædam *Beryti* conſtruxit, puta Theatrum, Amphitheatrum, Balnea, Porticus, aliaque ejuſcemodi, ſeptingentoſque condemnatos homines totidem contra ſtantibus oppoſuit, qui grato ipſi ſpectaculo mutuis ſeſe cladibus confecerunt. Inde *Tiberiadem Galilææ* ſe contulit, quo multi Reges eum inviſuri convenerant. Huc pariter acceſſit *Marſus Syriæ* Gubernator: qui cum tot ſimul Reges, quinque enim erant, animadvertiſſet, rerum novarum metu ad ſuum quemque populum redire juſſit. *Herodes* poſtea *Cæſaream* deſcendit, ubi ludos ac ſpectacula in honorem *Cæſaris* exhibuit. Secundo autem die, cùm magnificas induiſſet veſtes, quibus ſolares radii magno ſplendore repercuterentur, ab adulatoribus Deus ſalutatus eſt, qui una omnes voce exclamarunt, *Miſerere noſtri: hactenus te ut hominem reveriti ſumus, deinceps humanis infirmitatibus te altiorem agnoſcemus.* Miſerrimus hic Rex deteſtandam hanc adulationem non reprehendit, ſed in ea ſibi complacuit: nec diu poſt *Bubonem* ipſe ſuum aſpexit, quem *Germanus* mortis ipſius omen fuiſſe prædixerat. Diriſſimis itaque ventris torminibus ſubitò correptus eſt. Quare ad amicos converſus in hæc verba prorupit: *Ecce*, inquit, *quem Deum putatis, ad mortem is deſtinatus eſt; fatumque meum manifeſte confutabit nuperam veſtram mendacemque adulationem: qui enim à vobis ut immortalis cultus ſum, morti jam ſuccumbo.* Morbo itaque doloribuſque in momenta creſcentibus, mors proximè aderat. Quare in palatium vectus eſt, populo interim aſſumptis ciliciis humi, ut pro eo oraret, proſtrato. Quod cùm ille animadvertiſſet, lacrymas cohibere non potuit: atque ita quinto poſt die ſpiritum emiſit annos natus quatuor ſupra quinquaginta, cumque regnaſſet ſeptem annos, quatuor ſub *Cajo*, & tres ſub *Claudio*. Filium 17. annorum poſt ſe reliquit, *Agrippam* quoque nomine, treſque filias, *Berenicem*, *Mariamnam*, & *Druſillam*. Priuſquàm mors ejus divulgaretur, frater ipſius Princeps *Chalcidis*, & *Chelchias* ſummus ſub Rege Præfectus, *Silam* è medio ſuſtulerunt.

Forte hac hiſtoria Simonem Petrum ſpectat.

Digitized by Google

INDEX

Rerum præcipuarum quæ in Commentariis in Acta Apoſtolorum habentur.

CAPUT I. 747
Narratur Chriſti reſuſcitatio, unà cum multiplici apparitione poſt reſurrectionem. Pag. 748
Theſes nonnullæ ad redarguendos Judæos ſuper regnum Chriſti in terris viſibile & mundanum, ut & Chiliaſtas omnes, qui in multis cum ipſis Judæis conſentire videntur. 751
Quot è Chriſti Diſcipulis aſcenſum ejus oculis ſuis ſpectarunt. 752
De anno Chriſti quo aſſumptus fuit. ibid.
Æra mundi quâ Chriſti mors, reſurrectio & aſſumptio contigerunt. ibid.
Quanti conſtituit ſpatium itineris Sabbatici. 753
Animadverſiones quædam in electionem Matthiæ. 758
CAP. II. 759
Tempus & ratio feſti Pentecoſtes de quo in hoc Capite. ibid.
Dies Pentecoſte, quo Spiritus Sanctus deſcendit, fuit primus dies hebdomadis. 760
De linguarum donis. 764
Brevi notantur quæ paſſim in Chriſti concione occurrunt. 767
CAP. III. 768
Porta Templi ſpecioſa. 769
Porticus Solomonis. ibid.
Tempora refrigerationis. ibid.
CAP. IV. 771
De bonorum communitate. 774
CAP. V. ibid.
Mentiri in Spiritum Sanctum. 775
Petri umbra. 776
Theudas. 777
CAP. VI. 787
De Diaconorum functione & officio. 788
Liber vitam Joannis Evangeliſtæ continens ipſi falſo adſcriptus. ibid.
CAP. VII. verſ. 14. *Septuaginta quinque animæ.* 790
Tabernaculum Molochi. 791
CAP. VIII. *Perſecutio.* 793
Samaria in fidem converſa. 794
Simon Magus. 795
CAP. IX. *Pauli converſio.* 797
De anno & tempore converſionis Paulinæ. 798
Chronologiæ ratio habita. 812
CAP. X. *Quædam de Cornelio in Eccleſiam aſcripto.* 833
Cohors Italica. 834
CAP. XI. verſ. 26. *Et Diſcipuli nominarentur primùm Antiochiæ Chriſtiani.* 856
De Paulo in tertium cœlorum rapto. 860
CAP. XII. *Martyrium Jacobi Majoris.* 866
Symbolum Apoſtolorum. ibid.
Traditiones. ibid.
Petri incarceratio & liberatio. 867

HORÆ

HORÆ HEBRAICÆ
ET
TALMUDICÆ
IN
EPISTOLAM
S. PAULI
AD
ROMANOS.

Digitized by Google

Digitized by Google

HORÆ HEBRAICÆ ET TALMUDICÆ IN EPISTOLAM S. PAULI AD ROMANOS.

C A P. III.

Vers. 12. Πάντες ἐξέκλιναν, &c.

CAP. III. VERS. 12. HÆc & quæ ſequuntur habes in Verſione Græcâ, Pſalmo decimo quarto: addita quidem ad contextum Hebræum, quod nec iſtis Interpretibus alienum, nec Interpretibus ordinariis in Synagogis. Obſervavimus alibi, Lectori Legis & Prophetarum in Synagogis aſtare ſolitum Interpretem, qui Hebraicè lecta redderet populo linguâ vernacula; frequentiſſimumque fuiſſe iſtis Interpretibus exſpatiari, atque in verba lecta commentari & concionari: cujus rei exempla aliqua produximus; quod & obſervare licet in Targumiſtis Chaldaicis.

II. Interpretes Græcos idem feciſſe ad iſtum Pſalmum, parum dubitamus, & res ipſa loquitur; obſervato præſertim ſubjecto, de quo ibi diſſeritur. Sed notetur obiter, quod ubicunque occurrit aliquid in Sacra Scriptura, vel terrificum, vel vituperabile, vel minax, applicatur illud vulgariter à Judæis ad Ethnicos; quod inſtantiis infinitis poſſet illuſtrari. Nacti ergò iſti Interpretes tale ſubjectum in illo Pſalmo, & pro more Gentis ad Ethnicos applicantes, ex aliis Sacri Codicis locis dicta congerunt, quæ eodem ſpectare vel credunt vel volunt, & ſat ſuperque miſeros Gentiles diris characteribus onerant & ſtigmatizant: nam ad eos omnia iſta pertinere Judæi non dubitant, ſi non indubitè credant.

III. Apoſtolus allegationes eorum pedetentim ſequitur, verba exſcribit, veritatem rei approbat, falſitatem autem applicationis improbat, *verſ.* 19. q. d. Vos Judæi talia ad Gentiles ſolos applicatis, ac ſi nihil ad vos pertinentia; ac pariter Interpretes veſtri numeroſa hæc, intento in illos oculo, accumularunt; verum noſcendum eſt quod quæcunque Lex dicit, iis dicit qui ſunt ſub Lege.

C A P. VIII.

Vers. 19. Ἡ γὰρ ἀποκαραδοκία τῆς κτίσεως. CAP. VIII. VERS. 19.

APpendet ipſiſſimæ huic periochæ duplex clavis, quæ totam reſerat in ſenſum facilem planumque ſatis.

Prima eſt praſeologia iſta Πᾶσα κτίσις, *verſ.* 22. quæ bis occurrit alibi in N. Teſtamento, videlicet *Marc.* 16:15. Κηρύξατε τὸ εὐαγγέλιον πάσῃ τῇ κτίσει, Et *Coloſſ.* 1:23. Ευαγſελίχ τοῦ κηρυχθέντος πάσῃ τῇ κτίσει. Jam verò quid utrobique locorum ſibi velit πᾶσα κτίσις, patet ſatis, nempè omnes Gentes vel mundum Ethnicum. Nam quod apud *Marcum* eſt, Κηρύξατε εὐαγγέλιον πάσῃ τῇ κτίσει, apud *Mattbæum* eſt, Μαθητεύσατε πάντα τὰ ἔθνη διδάσκοντες. Ipſiſſima hoc in loco phraſeologia ipſiſſimam iſtam ſibi vendicat interpretationem.

Obſervavimus etiam ad locum iſtum *Marci*, phraſin כל הבריות, quæ idem ſonat quod πᾶσα κτίσις, à Judæis applicari ad Gentiles, idque in antitheſin ad Iſraëlem.

Secunda eſt vox iſta ματαιότητι, *verſ.* 20. quæ quidem oon malè redditur *vanitas*; ſed malè applicatur iſta vanitas ad ſtatum creaturę

eva-

evaneſcentem, mutabilem, atque interitui obnoxium. Nam ματαιότης non tam evanidam externi ſtatûs conditionem denotat, quàm internam vanitatem & futilitatem mentis. Sic de Gentilibus loquens Apoſtolus, (de quibus & hìc ſermo,) inquit, Ἐματαιώθησαν, inquit, ἐν τοῖς διαλογισμοῖς αὐτῶν, *Rom.* 1:21. Et Ἔθνη περιπατεῖ ἐν ματαιότητι τοῦ νοὸς αὐτῶν, *Epheſ.* 4:17. Sic Γινώσκει τοὺς διαλογισμοὺς τῶν σοφῶν ὅτι μάταιοι εἰσὶ, 1 *Cor.* 3:20.

Quibus & hoc licet addere, quòd per totam periocham videtur fieri alluſio ad ſervitutem & liberationem Iſraëlitarum ex *Ægypto*, & fieri collatio inter Eccleſiam Iſraëliticam & Gentilitiam. Cùm liberaturus eſſet Deus Iſraëlem ex ſervitute, vendicat ſibi eum pro filio ſuo, primogenitoque, *Exod.* 4:22. Atque avidè pariter jam expectat populus Gentilis, talem erga atque intra ſe revelationem filiorum Dei. Norunt benè Romani ad quos Apoſtolus ſcribit, quot & quantæ prædictiones & promiſſiones publicaret Deus per Prophetas, de filiis inter Gentes ſibi congregandis atque adoptandis; revelationemque & productionem iſtorum filiorum exerto quaſi collo expectat jam totus mundus Gentilitius.

VERS. 20. Τῇ γὰρ ματαιότητι ἡ κτίσις ὑπετάγη, &c.

Vanitati mentis ſubjectus eſt mundus Ethnicus; ſed quomodo? οὐχ ἑκοῦσα, ἀλλὰ διὰ τὸν ὑποτάξαντα.

Nonne dicere licet, ἐματαιώθη ἑκοῦσα, ſed ὑπετάγη ματαιότητι οὐχ ἑκοῦσα? Nam repetamus Ethniciſmum à prima ſua origine, id eſt, à confuſione linguarum ob inceptam turrim Babylonicam. Sunt quidem aliqua quæ riſum fortè moveant in Gloſſis Targumiſtarum ſuper eâ re, *Geneſ.* 11. at quoad rei ſummam & ſcopum, ſunt quæ perpenſionem merentur.

Targ. Hieroſ. & Jonath. *Dixerunt, Venite, & ædificemus nobis civitatem & turrim, & caput ejus pertingat uſque ad ſummitatem cælorum*, ונעביד לן בנוידה בית סגדו בראשיה, *& faciamus nobis in ea domum adorationis in faſtigio ejus, & ponamus gladium in manu ejus, ut conſerat contra acies prælium, priuſquàm diſpergamur de ſuperficie terræ.*

Ride, ſi lubet, commentum de Idolo cum gladio, &c. at certè non aberrant multùm à ſcopo, cùm innuunt ſtructam eſſe hanc turrim ob Idololatriam: & ſic *Thalmudici* in *Sanhedrin*, fol. 109. 1. *Traditio: R. Nathan dicit*, כולם לשם ע״ז נתכוונו, *Omnes intenti erant ad Idololatriam.*

Atque inde eſt quòd vulgo dicant, *Quod iſti generationi nulla ſit portio in mundo futuro.* Et certè ſeveritas vindictæ (confuſio linguarum, per quam periit à mundo vera religio) arguit, in ſummo gradu ab iis eſſe peccatum in nefando iſto cœpto. Ad Idololatriam propenſi erant volentes & ſponte ſuâ; at quòd iſti vanitati ſubjecti fuerint, erat ex juſta indignatione & vindicta Dei. Succubuit totus mundus ſub Ethniciſmo à confuſione linguarum ad introductionem Euangelii inter omnes Gentes, annis bis millenis & ampliùs, & in miſerrimâ hâc ejus conditione quis non obſervaverit iratum Deum?

VERS. 21. Ἐλευθερωθήσεται ἀπὸ τῆς δουλείας τῆς φθορᾶς.

Φθορὰ Sacris Paginis eſt nonnunquam, imò non raro, *Corruptio peccaminoſa*, ut 2 *Pet.* 1:4. Φθορὰ ἐν ἐπιθυμίᾳ, *Corruptio per concupiſcentiam.* Sic 2 *Cor.* 11:3. Φθαρῇ τὰ νοήματα ὑμῶν, *Corrumpantur cogitationes veſtræ.* 1 *Cor.* 15:33. Φθείρουσιν ἤθη χρηστὰ, &c. *Corrumpunt bonos mores colloquia prava*, &c.

Ut ſenſus Apoſtoli hic videatur: Liberabitur aliquandò mundus Ethnicus à jugo & ſervitute corruptionis peccaminoſæ, ſervitute ſcilicet libidinum & pravorum affectuum, ſub qua tam longo ſpatio ſuccubuit, in libertatem nobilem qua fruuntur Filii Dei.

VERS. 22. Πᾶσα ἡ κτίσις συστενάζει, &c.

Si quæratur, quomodo ſuſpiravit & parturiit mundus Gentilitius: dicant illi, qui hæc de fabrica mundi intelligunt, quomodo illa ſuſpirat & parturit. Phraſin mutuatitiam & alluſivam agnoſcant illi neceſſe eſt. Verùm ad ſenſum, quem nos concipimus, literalis conſtructio poteſt admitti.

CAP. XI.

ANtequam ad interpretationem hujus Capitis nos accingamus, liceat hæc pauca quærere.

I. An Gens Judaica quoad generaliorem majoremque ejus maſſam ante tempora apparentis in carne *Chriſti*, non fuerit excæcata & rejecta? Novimus rejectionem ejus aſſignari vulgò horrendo ejus ſceleri in interemptione Chriſti, & perſecutioni Euangelii & Apoſtolorum, facinoribus rejectionem Gentis ſat ſuperque demerentibus: at nonne ea rejecta & excæcata antè?

Erant γεννήματα ἐχιδνῶν, cùm primò appareret *Baptiſta*; quod idem quidem ſonat quod ſemen ſerpentis.

Concionatur iis Salvator per parabolas, *ne videant, ne audiant, ne convertantur, ne remittantur iis peccata*, *Marc.* 4:11, 12. Quæ ſuſpicionem excitare poſſunt, rejectam fuiſſe Gentem, cui Chriſtus ex inſtituto concionatur eâ formâ & oratoriâ, *ut non convertantur.*

Si

Digitized by Google

CAP. XI. VERS. 1. Si illi Judæi eſſent, ad quos *Petrus* dictat primam ſuam Epiſtolam, (quod quis negat?) tùm pondus ſuum habent illa *Cap.* 2: 10. *Quondam eratis non populus.*

II. Non rationi & Scripturæ eſt valdè conſonum opinari, rejectam fuiſſe iſtam Gentem propter receptas vanas impiaſque ſuas Traditiones.

Reproba Gens certè, cujus religio irrita fecit præcepta Dei; reproba Gens, quæ Deum fruſtrà coluit per præcepta hominum, *Matth.* 15. & per talia quidem præcepta hominum, per quæ fermentati, imò venenati ſunt odio & blaſphemiâ in verum *Meſſiam* & puram veritatem Dei, *Iſaj.* 29: 13. *Quoniam timor hujus populi erga me docetur per præcepta hominum, ergò peribit ſapientia Sapientum*, &c.

Nonne ab hac origine originem rejectionis Gentis benè derivaveris? Et quo magis illi Traditionibus ſuis faſcinati, eò magis a Deo ſeparati, obdurati, rejecti: ut retro reſpicere videatur Apoſtolus ad tempora ante trucidationem *Chriſti*, cùm agit de Gentis rejectione.

III. Nonne perlatum & prædicatum fuerat Euangelium decem Tribubus, æquè ac Judæis, cùm Apoſtolus hanc Epiſtolam ſcriberet? Cujus rei deciſio ad explicationem hujus Capitis aliquid facere videtur, quia in toto Capite de Judæis ſingulatim nulla eſt mentio, ſed de *Iſraële*.

Prædicatum erat Euangelium ante excidium *Hieroſolymitanum* toti orbi, *Matth.* 24: 14. & nonne decem Tribubus æquè ac aliis Gentibus? Pro affirmativa facit, quòd *Jacobus* Epiſtolam ταῖς δώδεκα φυλαῖς dictet, decem iſtis æquè ac duabus aliis. Ad nullos autem ſcribunt Apoſtoli, niſi ad quos jam pervenerat Euangelium.

VERS. 1. Μὴ ἀπώσατο ὁ Θεὸς τὸν λαὸν αὐτοῦ.

Obſervare licet, quid ſibi proponat Apoſtolus diſſertandum, nempè non de vocatione univerſæ Gentis, ſed de *non rejectione* univerſæ Gentis. Num Deus ita rejecit populum ſuum, ut totum rejecerit? Μὴ γένοιτο. Nam ego *Iſraëlita*, atque ego non rejectus.

Ἐκ φυλῆς Βενιαμίν.

Sic *Philipp.* 3: 5. Jaſpis margarita, cui inſcriptum nomen *Benjaminis* in Rationali, primum eſt fundamentum in nova *Hieroſolyma*, *Apocal.* 21: 19. in memoriam, ut videtur, hujus *Benjamitæ*, maximi fundatoris Eccleſiç Gentilitiæ.

Hieroſ. Peah, fol. 15. 3. & *Kiddushin*, fol. 60. 2. *Excidit aliquando Jaſpis Benjaminis è Rationali, & eſt deperdita. Cùmque ſimilem ei haberet Damah Ben Nethinah, pactum eſt cum eo de ea emenda centum denariis*, &c.

Pars II.

VERS. 2. Ὡς ἐντυγχάνει. CAP. XI. VERS. 2, 3, 4.

Lev. Gerſ. in 1 *Reg.* 19. *Supplicat Elias Deo, ut vindictam ſumat pro malis quæ perpetrarant Iſraëlitæ.*

VERS. 3. Τὰ θυσιαστήριά σου κατέσκαψαν.

Altaria tua. Quænam tandem altaria illa Dei quæ diruerant *Iſraëlitæ* in *Samaritide?* Salvum tunc temporis erat Altare in Templo, & quodnam aliud Altare Dei? *R. Solom.* in 1 *Reg.* 19. *Altaria hæc erant altaria privata erecta nomini Dei.* Tale illud *Cap.* 18: 30. *Inſtauravit Elias altare dirutum.*

Erecta quidem erant במות, *excelſa* Idolis, aſt erecta etiam quædam Deo; idque licitè, ut concedunt Judæi, ante extructum Templum, atque uſitata poſteà; ſed eorum uſus vitio verſus, quippè quòd adeundum fuerat Altare ſolum quod in Templo. Illicitè quidem ſtructa hæc Altaria inter duas Tribus *Judæ* & *Benjaminis*, quippè quòd iis pateret aditus ad Altare *Hieroſolymitanum*: at non adeò illicitè apud decem Tribus intra regnum *Samariticum*, quibus aditus talis omninò interclusus.

Quære ergò, an *Elias* Excelſa vel Altaria in *Judæa*, dicata licèt vero Deo, vocare voluerit *Altaria Dei?* cùm tamen ſic dicata in *Samaria* vocarit *Altaria tua*.

VERS. 4. Τῇ Βάαλ.

Dicant hic illi, qui corrigenda volunt Biblia Hebræa per Verſionem Græcam, quique afflatos Spiritu Prophetico volunt iſtos Interpretes, an illi hîc errent, an *Paulus?* Nam ſic illi in 1 *Reg.* 19: 18. Καὶ καταλείψεις ἐν Ἰσραὴλ ἑπτὰ χιλιάδας ἀνδρῶν, πάντα γόνατα ἃ οὐκ ὤκλασαν γόνυ τῷ Βάαλ. Sic Editio *Romana* & *Alexand.* Apoſtolus autem, Κατέλιπον ἐμαυτῷ ἑπτακισχιλίους ἄνδρας, οἵτινες οὐκ ἔκαμψαν γόνυ τῇ Βααλ.

Omittamus diſcrepantiam inter καταλείψεις & κατέλιπον, quæ non minuta, atque de articulo ſolùm τῷ aut τῇ ſit examen.

Introduxerat *Achabus Baal*, Idolum *Tyrium*, in *Iſraëlem*, 1 *Reg.* 16: 31. Et num tantum ſeptem millia hominum erant in *Iſraële* δεκαφύλῳ, qui non adorarunt iſtum *Baal?* Erant forſan ſeptuaginta millia, imò forſan ſepties ſeptuaginta millia. Nam perpende hiſtoriam 2 *Reg.* 10: 21. & patebit, cultores *Baal* iſtius non adeò numeroſos fuiſſe, ut ad multa millia aſſurgeret numerus, forſan non ad multas centurias.

Et quidnam tandem valuiſſet, non coluiſſe *Baal Achabi*, ſi interim colerent vitulos *Jeroboami?*

Digitized by Google

CAP. IX. VERS. 4, 5. *boami?* Ipſe *Jehu*, qui eradicavit *Baal* & *Baalitas* ex *Iſraële*, non receſſit tamen à peccato *Jeroboam*, vitulis aureis. Et quidnam magni loquutus fuerat ὁ Χρηματισμὸς, ſi dixerat, Reliqui mihi ſeptem millia hominum qui non coluerunt τὸν Βάαλ *Tyriorum*, qui tamen cum tota Gente colunt vitulos? Exciderat ipſe *Elias Baalitas*, antequàm ad eum perveniret hic Χρηματισμὸς, & magnam rem quidem fecerat; at parum erat, ſi totus *Iſraël Baalem* iſtum adhuc coleret, exceptis tantùm ſeptem millibus.

Per τῇ Βάαλ ergò Apoſtolus docet intelligendum eſſe non τῇ εἰκόνι Βάαλ, ſed τῇ δαμάλει Βάαλ, *Vitulæ Baal.* Nam *Baal* fuiſſe generale nomen Idolorum fatebuntur omnes. Et quod ſequitur 1 *Reg.* 19:18. *Atque omne os quod ei non dedit oſculum*, illucidationem recipit ex *Hoſ.* 13:2. *Oſculentur Vitulos.*

Vituli *Jeroboami* vocantur Δαμάλεις genere fœminino.

1 *Reg.* 12:28. Ἐποίησε δύο δαμάλεις χρυσάς.

Joſeph. Antiquit. lib. 8. cap. 3. Δύο ποιήσας (*Jeroboamus*) δαμάλεις χρυσάς τίθησι τὰς δαμάλεις, &c.

Et vice plurium, ſatis in τῇ Βάαλ commentatur ipſe Liber *Tobiæ* in Cap. 1:5. Καὶ πᾶσαι αἱ Φυλαὶ αἱ συναποστᾶσαι ἔθυον τῇ Βάαλ τῇ δαμάλει.

Huc itaque recidunt verba Dei ad *Eliam*: Reliqui mihi vel reſervavi ſeptem millia hominum, qui ſe intactos reſervarunt à communi Gentis Idololatria, adoratione τῆς Βάαλ, *Juvencæ Jeroboami.*

Vers. 5. Οὕτως καὶ ἐν τῷ νῦν καιρῷ λεῖμμα, &c.

Quamvis ſupponamus, rejectam fuiſſe Gentem Judæorum quoad generaliorem ejus maſſam ante tempora *Chriſti*, non dubitamus tamen in omnibus ſeculis fuiſſe λεῖμμα κατ' ἐκλογὴν χάριτος, in iſto præſertim, cùm allucefceret *Chriſtus* & Euangelium.

De vocatione Λείμματος iſto ſeculo & tempore, quo Apoſtolus ſcriberet, & non de vocatione totius Gentis olim futura, quid clarius dici poteſt, quàm quod his verbis dicitur, ἐν τῷ νῦν καιρῷ?

Adverte Apoſtoli argumentationem: Num Deus abjecit populum ſuum? Non, nam ego *Iſraëlita*, & non me abjecit. Et ſicut in diebus *Eliæ* erat λεῖμμα, ſic etiam eſt ἐν τῷ νῦν καιρῷ. Quàm malè hæc arguerent vocationem Gentis poſt plurima ſecula olim futuram! At ſupponatur rejectam, excæcatam, obduratam eſſe Gentem ante tempora *Chriſti* & Apoſtoli; tùm leniter molliterque fluet hæc argumentatio: Eſto, rejectam fuiſſe Gentem quoad maſſam ejus per aliquot retrò ſecula: num verò adeò rejecta, ut nulla ſpes Judæo? Nequaquam: nam ἐν τῷ νῦν καιρῷ ἐστι λεῖμμα, ſicut erat in diebus *Eliæ*; & ego de eo unus. CAP. IX. VERS. 8, 10.

Vers. 8. Ἔδωκεν αὐτοῖς ὁ Θεὸς πνεῦμα κατανύξεως.

Sic Græci Interpretes, *Iſaj.* 28:10. Πεπότικεν ὑμᾶς Κύριος πνεύματι κατανύξεως. Latet difficultas in voce κατανύξεως, quæ propriè *compunctionem* ſonat, longiſſimè ab animo Prophetæ & Apoſtoli.

I. Interpretes Græci, quicunque tandem Judæorum illi fuerint, ſenſum aliquando de ſuo fingunt, eumque non rarò alieniſſimum à veritate Hebræa. Et Græca vocabula frequentiſſimè adhibent, ſenſu alieniſſimo à vulgari idiomate Græcorum. Infinitis inſtantiis demonſtrari poſſet & hoc & illud, ſi eſſet hîc locus.

II. Vocabulum hoc, quod præ manibus, in ſenſum ſuum cudunt alienum a vulgari, radicemque ejus ſive κατανύττω faciant, ſive κατανυγίω, ſive aliqualiter vocem νὺξ reſpiciant, ſenſum ei & ſignificationem tribuunt, ut denotet ſilentium, attonitionem, ſtuporem.

Geneſ. 27:28. Κατανυχθέντος τοῦ Ἰσαάκ, (quam clauſulam interſerunt de ſuo) æquè reddas, *Attonito* aut *ſtupefacto Iſaaco*, ac *compuncto.*

Pſalm. 60:5. Ἐπότισας ἡμᾶς οἶνον κατανύξεως. Hebr. יין תרעלה, *Vino horroris.* Ita ut interpretatio vocis κατανύξεως apud eos ab ipſis petenda ſit, atque hoc in loco à voce Hebræâ תרדמה apud Prophetam, potius quàm à quovis Lexico Græco.

Vers. 10. Τὸν νῶτον αὐτῶν διαπαντὸς σύγκαμψον

Græcos Interpretes Apoſtolus ſequitur, atque illi morem ſuum Paraphraſticum vel alluſivum. Hebræa habent ומתניהם תמיד המעד, *Lumbos eorum fac continuò nutare*; & ſic reddit *Chald. Paraph.* At illi: *Tergum eorum incurva*; quò etiam inclinant *Syr.* & *Arab.* Verum quidem eſt, quòd illi qui lumbis ſunt debiles & laborantes, incedunt incurvati & trementes: at forſan alluſum eſt ab iis ad *Deuter.* 25:2, 3. ubi reus plagis cædendus incurvandus eſt, quo etiam alludi videtur *Pſalm.* 1:5. *Impius non exurget*, vel ſtabit *in judicio.* Alluditur ſæpiuſculè à Græcis Interpretibus ad mores Gentis ſuæ, imo non raro ad Traditiones Gentis ſuæ; unde & hîc alluſionem ſuſpicari licet eò magis. Qualiſnam verſio (quoniam de flagellatione eſt ſermo) eſt iſta *Prov.* 27:22. Ἐὰν μαστιγοῖς ἄφρονα ἐν μέσῳ συνεδρίῳ, pro, *Si contuderis ſtultum in mortario.*

HORÆ

Digitized by Google

HORÆ HEBRAICÆ
E T
TALMUDICÆ
IMPENSÆ IN
EPISTOLAM PRIMAM
S. PAULI
A D
CORINTHIOS.
Quibus adjuncta ſunt quædam Capita de Uſu Bibliorum in Conventibus Judæorum Sacris, deque Bibliorum verſionibus, potiſſimum Septuaginta Interpretum.

Digitized by Google

Honoratiſſimo Doctiſſimoque Viro

D.no GULIELMO MAURITIO,

Equiti Aurato, Sacræ Regiæ Majeſtati à Secretioribus Scriptis & Conſiliis.

VIR HONORATISSIME,

Continuatus Solœciſmus videri meritò poteſt totum illud quod à me actum eſt in hoc Opere: nempe cùm Epiſtolam tam abſtruſam explicare aggreſſa ſit manus tam imperita, cùm res tam difficiles tractaret modo tam compendioſo, & cùm chartulas haſce tam impolitas dicare auſit viro tam perſpicaci & erudito. Quarum rerum rationes quas reddam?

Novi equidem inter illa δυσνόητά τινα *quæ habentur in Epiſtolis Paulinis,* 2 Pet. 3: 16. *non minutam partem ſibi vendicare hanc, quam tractamus, primam ad Corinthios; varietate rerum tractatarum nulli ſecundam, & difficultate ſtyli in iis tractandis omnium quidem primam. Tremenda certè hæc, at ſimul allicientia, atque animum cognitionis Sacrarum Scripturarum avidum eò acriùs ad ſtudium provocantia, quò iſta difficiliora. Ita ut nec arrogantiæ foret nec temeritatis, quòd in his obſcuris me exercuerim; ſed animi ſtudioſi, ad ſcientiam Scripturarum anhelantis, atque inquieti aliquantum, ſi in locis difficilioribus non haberet ubi pedem figeret. Quid fructûs reportarim, non dico, præter hoc tantùm, quòd non pœnitet laboris; nam mihi ipſi ſatisfeci aliquantum: an & aliis idem fecero, penès me non eſt judicare. Non offenſurum ſpero ex hoc ipſo, quòd ſi erratur, erratur tantùm circa res hiſtoricas, (quales ſunt pleræque iſtæ quæ difficultatem hîc creant) ubi non impingitur in Analogiam fidei, aut doctrinam Eccleſiæ.*

Quod eruditiſſimis oculis tuis rudia hæc mea proponantur primùm, Vir Clariſſime, non ex audacia eſt, ſed ex officio, & gratitudine, & obligatione. Novi ſatis nihil à tenuitate mea cudi aut formari poſſe, quod literaturâ ſummâ illâ quâ inſigniter & ſplendidiſſimè fulges, dignum eſſe poſſit. At cum ſumma tua humanitate, quâ æquè fulges, res mihi eſt & hiſce chartis. Accedunt illæ illam veneraturæ, eique gratias quàm poſſum maximas acturæ, ob favorem, ſubſidium, patrocinium illud quo me ſublevare & ſolari dignata eſt, cùm adverſis premerer, & res meæ forent in anguſtia. Succurriſti, Vir Celeberrime, & manum auxiliatricem exporrexiſti ignotus etiam, etiam ignoto, idque ſponte tuâ & non rogatus, idque cum omni ſedulitate, curâ & affectu. Oh! quanta debeo humanitati iſti, & quid reddam? Votivum monumentum eſto hoc quale quale litterarium. Inſcripto magno nomine tuo, ſine ut vivat & glorietur, & teſtetur univerſis debitam obſervantiam, officium & gratitudinem,

VIR HONORATISSIME,

Ex Aula S. Catharinæ Cantabr.
Veſperiis Comitiorum,
Jul. 4. 1664.

Clientis tui humillimi devinctiſſimique

JOH. LIGHTFOOT.

O B-

Digitized by Google

OBSERVATIONES

de ipſa

CORINTHO.

SIta erat *Corinthus* in Iſthmo quinque millium ſpatio *Ægeum* mare ab *Ionio* ſubmovente, anguſto tramite *Helladi Peloponneſon* annectente, *Pomp. Mela*, lib. 2. cap. 3.

Solin. cap. 13. In Iſthmo *Delubrum Neptuni*, & ludi quinquennales Iſthmiaci, ea propter, ut fertur, inſtituti, quòd finibus quinque *Peloponneſi* oræ abluuntur. Hoc ſpectaculum per *Cypſelum* tyrannum intermiſſum *Corinthii* Olympiade quadrageſimâ nona ſolennitati priſtinæ reddiderunt.

Plin. lib. 4. cap. 4. *Strab.* lib. 8. Anguſtiarum Iſthmi termini, hinc *Lechæa*, *Cenchrææ* illinc. *Cenchrearum* portus ad negotiationes Aſianas, *Lechæus* ad Italicas. *Cenchrearum* portus diſtabat ab urbe ad LXX. ſtadia. *Lechæus* jacet ſub urbe.

Anguſtias perfodere navigabili alveo tentavêre *Demetrius* Rex, Dictator *Cæſar*, *C. Princeps*, & *Domitius Nero* infauſto exitu.

Mela ubi antè: *Corinthus* ex ſumma arce quam *Acrocorinthon* appellant, maria utraque contuetur. *Euſebius in Chron.* Urbs iſta, olim *Ephyra* dicta, condita eſt à *Siſypho*, eo tempore quo *Othniel* Dux Judexque foret Hebræorum. *Diod. Sicul.* lib. 19. Inde arx *Siſyphium* Corinthi, de nomine conditoris.

Euſeb. ubi antè: A deſcenſu *Heraclidarum* in *Peloponneſum* erat civitas ſub Regibus longâ ſerie, exinde ſub Principibus annuis. *Herodot.* lib. 5. cap. 42. Tandem ſub *Cypſelo* tyrannidem occupante, & poſt eum ſub *Periandro* ejus filio, & longo temporis interſtitio; *Strabo* ubi antè, ſub *Philippo*, quorum conatus adjuverunt *Corinthii*, Romanoſque pro eo ita deſpexerunt, ut quidam in legatos eorum domum ſuam prætereuntes auſi ſint cœnum defundere: pro quo peccato, aliiſque flagitiis, miſſo à Romanis exercitu, *Corinthus* eſt à *L. Mummio* everſa.

Dion Caſſ. lib. 43. Ea cùm diu deſerta jacuiſſet, inſtaurata eſt à *Jul. Cæſare*, qui & *Carthaginem* eodem tempore inſtauravit: & in utraſque, urbes olim ſplendidas & illuſtres, colonias Romanorum deduxit, præſertim *Libertinorum*.

Strabo ubi antè: Illi cùm rudera amoliri cœpiſſent, ſimulque ſepulchra effodiſſent, teſtacea opera plurima, atque etiam ærea multa invenerunt, quorum admirati artificium, nullum ſepulchrum non effoderunt, magnaque id genus rerum copiâ potiti, iiſque magno divenditis, Romam impleverunt, *Necrocorinthiis*, ſic enim appellabant quæ ſepulchris erant ablata opera, maximè teſtacea. Et cùm urbem vaſtaret *Mummius*, inventæ ſunt tabulæ pictæ admirandi artificii, & Romam allatæ. Maximè enim *Corinthi* & *Sicyone* pingendi ac fingendi, aliæque id genus artes ſunt auctæ.

Situs

Situs urbis jam inſtauratæ talis. Mons celſus, cujus perpendiculum III. ſtadiorum & dimidii. Aſcenſus eſt XXX. ſtad. In verticem deſinit acutum. Monti nomen *Acrocorinthus.* Ad ipſam radicem *Acrocorinthi* urbs jacet. Circulus urbis vel XL. ſtadia æquabat, muroque fuit munita urbs, quantum ejus mons denudaverat: mœnibus ipſa etiam includebatur *Acrocorinthus*, quâ muro muniri poterat: Et nobis aſcendentibus, (*Strabonis* ſunt verba) rudera apparebant antiquæ urbis, ita ut univerſus ambitus fuerit ad LXXXV. ſtadia.

In ſummo mons vertice fanum habuit *Veneris*; fanum adeò locuples, ὥστε πλείους ἢ χιλίας ἱεροδούλους ἐκέκτητο ἑταίρας, ut plures quàm mille habuerit ſacrorum famulas meretrices, quas Deæ viri mulieresque dedicarunt.

Herodot. lib. 5. cap. 92. Fuerat olim in urbe veteri fanum *Junonis*, quò congregatas omnes fœminas Corinthiacas, *Periander* tyrannus per ſatellites detractis veſtibus ſine diſcriminatione denudavit, veſteſque earum in foveam quandam comportatas, *Meliſſæ* uxori ſuæ defunctæ (cum qua defuncta ipſe coierat) concremavit.

Hiſtoria de prima fundatione Eccleſiæ Euangelicæ in hac urbe, *Actor.* 18. planum facit plurimos illic fuiſſe Judæos, & unam ſaltem eorum Synagogam, ſi non plures.

HORÆ

Digitized by Google

HORÆ HEBRAICÆ ET TALMUDICÆ IMPENSÆ IN EPISTOLAM PRIMAM *S. PAULI* AD CORINTHIOS.

CAP. I.

VERS. 1. Παῦλος.

CAP. I. VERS. 1.

QUi & *Saulus*. Duplex ei nomen pro duplici ejus relatione. Hebræum *Saulus*, ut Hebræo. Romanum *Paulus*, ut Romano.

Vulgare erat in Gente Judaica, ut inter *Judæos* nomine Judaico nuncuparentur; aſt inter *Ethnicos*, alio.

Vel ſcilicet eodem in linguam Ethnicam verſo: ut *Tabitha* Judæis, erat Græciſſantibus *Dorcas*: & *Thomas* Hebræis, erat Græcis *Didymus*: & fortè *Silas* Judæis, erat Romanis *Tertius*, *Rom.* 16:22. à שׁלישׁ: & *Jaſon*, *Secundus*: confer *Rom.* 16:21. cum *Actor.* 20:4.

Vel nomine aliquo diverſo: ut *Herodes* Lucæ, *Actor.* 12:1. eſt Joſepho *Agrippa*: & *Joannes*, eſt etiam *Marcus*, *Actor.* 12:12.

Hinc *Gloſſ.* in *Maymon.* in *Cerushin*, cap. 3. *Duo fortè ſunt ei nomina, Judaicum ſcilicet, atque illud quo eum appellant* הלועות, *ii qui non ſunt Judæi.*

Atque illud, *Hieroſ. Gittin*, fol. 43. 2. *Iſraëlitæ extra terram Iſraëliticam nomina habent ſicut nomina Gentilium.*

Imò audi quid dicant in eodem Tractatu, fol. 45. 3. de Judæis etiam in terra *Iſraëlitica* degentibus. *Fortè duæ ſunt ei uxores, una in Judæa, altera in Galilæa. Et fortè duo ſunt ei nomina, unum in Judæa, alterum in Galilæa. Si nomen ſuum quo in Judæa vocatur, ſubſcribat, ut eam dimittat quæ eſt in Galilæa; vel nomen quo in Galilæa vocatur, ut eam dimittat quæ eſt in Judæa, divortium non eſt.*

CAP. I. VERS. 2, 5.

Non mirum ergò, ſi *Saulus* extra terram *Iſraëliticam* natus, & donatus civitate *Romanâ*, nomen *Romanum* haberet conjunctum cum nomine ſuo *Judaico*. Atque obſervationem meretur, eum jam Apoſtolum Gentilium factum, Gentili nomine ſuo ſe nuncupare ſemper, *Judaico* nunquam: *Lucamque* ejus Acta proſequentem, *Saulum* eum vocare dum inter *Judæos* eſt ſcena hiſtoriæ; at *Paulum*, dum inter *Ethnicos*.

VERS. 2. Ἡγιασμένοις ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ.

Opponi videtur τοῖς Ἡγιασμένοις ἐν νόμῳ, aut reſpicere legem iſtam, *Deuter.* 23:1. 2. &c. de excluſione quamplurimorum ab Eccleſia Dei: quod non ita ſit ſub *Chriſto*.

Κλητοῖς ἁγίοις.

Linguâ LXX. Interpretum מקרא קדשׁ ita redditur, *Levit.* 23:2. Αἱ ἑορταὶ Κυρίου ἃς καλέσετε αὐτὰς κλητὰς ἁγίας. *Verſ.* 3. Σάββατα ἀνάπαυσις κλητὴ ἁγία τῷ Κυρίῳ. Vide & *verſ.* 4, 7, 8. &c.

Ἡγιασμένοι ἐν Χριστῷ generale eſt, quod ſubdividitur in κλητοὺς ἁγίους, *verè ſanctos*, & ἐπικαλουμένους τὸ ὄνομα Κυρίου, *profeſſione ſanctos*.

VERS. 5. Ἐν παντὶ λόγῳ καὶ πάσῃ γνώσει.

Id eſt, *Donis linguarum & Prophetandi*. Hæc commate ſequenti vocat Μαρτύριον τοῦ Χριστοῦ, teſtimonium ſcilicet quo aſtruitur *Jeſum* eſſe verum *Meſſiam*, cùm talia dona

fuerit

Digitized by Google

CAP. I. VERS. 12. fuerit largitus. Sic *Apocal.* 19: 10. *Teſtimonium Jeſu eſt Spiritus Prophetiæ*; non ſolùm doctrina quam edit Propheta, ſed ipſum donum Prophetandi. Et 1 *Joann.* 5: 8. *Spiritus & aqua & ſanguis* teſtimonium de *Christo* perhibent in terra. *Spiritus* vel donum Prophetiæ, *Aqua* vel Baptiſmus, & *Sanguis* vel martyrium: nam cùm ita affluerent dona extraordinaria Spiritus, confluerentque tam infinitæ turbæ ad Baptiſmum in nomine *Jeſu*, plurimique pro iſto nomine ſubirent martyrium; indubitatum teſtimonium eſt, eum verum eſſe *Meſſiam*.

VERS. 12. Ἐγὼ μὲν εἰμι Παύλȣ, &c.

Ad originem hujus ſchiſmatis inveſtigandam, recurri poteſt ad bipartitionem hujus Eccleſiæ, in *Judæos* converſos & *Gentiles*, quæ patet ex ejus hiſtoria, *Actor.* 18. Pars Gentilitia fortè *Pauli* nomen efferebat, & *Apollo*; Judaica *Cephæ* & *Christi*. Utraque iterum bipartita. Quidam de parte Gentilitia *Paulum* aut ſolum, aut certè præ omnibus aliis ſunt reveriti, ut patrem, Apoſtolum primum, qui inter eos introduxit Euangelium, utcunque planè, humili ſtylo, & non ſecundùm ſapientiam ac artem humanam prædicantem: quidam autem *Apollo* ei prætulerunt, ut Doctorem profundiorem, elegantiorem, & magis comptum. Vide *Actor.* 18: 24. Hinc copioſa iſta diſſertatio Apoſtoli de ipſiſſimo hoc concionandi modo à *Cap.* 1: 17. ad *Cap.* 4: 6. ubi dicit ſe iſta figurâ quâdam tranſtuliſſe ad ſeipſum & *Apollo*.

Ἐγὼ ϳ Κηφᾶ.

Non diſputabimus hîc, an *Petrus* unquam fuerit *Corinthi*: nam etiam ii ipſi qui eum aliquando ibi fuiſſe aſſerunt, negant tamen eum ibi unquam fuiſſe ante enatum hoc ſchiſma. Unde ergo Secta ejus nomine? Probabiliorem rationem vix adduxeris, quàm quòd Miniſtrum eum Circumciſionis amplecterentur hi exiſtentes de Circumciſione, potiùs quàm Miniſtrum Præputii. Exemplum ſumamus ab ipſo *Marco*, *Petri* filio, aut Diſcipulo, 1 *Pet.* 5: 13. Ille comes *Paulo* & *Barnabæ* electus in peregrinatione ſua inter Gentes, confeſtim ab iis receſſit, & rediit *Hieroſolymas*, *Actor.* 13: 13. Et quare tandem? Ego hanc cauſam adduxerim, quam corrige ſi diſplicet, nempè quòd ille lateri Miniſtri Circumciſionis *Petri* olim adhærens, non probaret quæ agerent Miniſtri hi Præputii inter Gentiles; at meliùs edoctus tandem, rediit ad *Paulum*. Sic & hi *Corinthii*, & Judæi quidem omnes, ubique converſi, nimiùm quidem ubique adhuc judaizantes, quàm promptiùs nomina ſua celeberrimo iſti Miniſtro Circumciſionis dederent, quàm Miniſtro aut Miniſtris Præputii? At quare non *Jacobo* aut *Joanni* qui æquè erant Miniſtri Circumciſionis? I. *Petrus* erat Apoſtolus Circumciſionis *extra terram* Iſraëliticam, *Jacobus* autem *intra*; aptiuſque videbatur Judæis hiſce *Corinthiacis*, extra terram *Iſraëliticam* poſitis, anteſignanum Apoſtolum extra terram ſibi eligere, quàm illum qui intra. Aſt, inquies, *Joannes* etiam erat Apoſtolus Circumciſionis extra terram iſtam, æquè ac *Petrus*; propiorque ille *Corintho*, in *Aſia* verſatus, quàm *Petrus* qui in *Chaldæa*. Verè quidem: at II. *Petrus* Miniſter erat inter Circumciſionem puriſſimi nominis, *Hebræos* ſcil. cùm *Joannes* foret inter *Helleniſtas*: imò inter Hebræos puriſſimi ſanguinis, *Babylonicos* ſcilicet; imò inter Circumciſionem latiſſimi ſenſus, inter *decem Tribus* ſcilicet, æquè ac inter Judæos. Quibus adde III. quòd *Petrus* duobus aliis Apoſtolis Circumciſionis in hoc præemineret, quòd illi ſoli commiſſæ fuerint *claves Regni cœlorum*, id eſt, quòd ille oſtium primus aperuerit, Euangeliumque introduxerit inter Gentiles. Hiſce omnibus obſervationibus ſimul accumulatis, non mirum eſt ſi Judæi hi *Corinthiaci*, in aliis plurimis judaizantes, ut patet ex hac Epiſtola, cùm ſe vellent ſub aliquo Apoſtolo conſcribere; non mirum eſt, inquam, ſi ſe ſub *Petro* conſcriberent Apoſtolo Circumciſionis, potiùs quàm ſub *Paulo* Miniſtro Gentilium; ſub *Petro* Apoſtolo extra-terraneo, quàm *Jacobo*, qui non; ſub *Petro* Apoſtolo Hebræorum puriſſimorum & Circumciſionis pleniſſimo nomine, quàm ſub *Joanne* Apoſtolo *Helleniſtarum*. Imò non mirum, ſi Gentiles Chriſtiani vel *Corinthiaci*, vel alibi locorum, cùm ſe vellent ſub aliquo peculiari Apoſtolo conſcribere; non mirum eſt, inquam, ſi *Petrum* potiùs reſpicerent qui primus Euangelium introduxit inter Gentiles, quàm quemvis alium qui Euangelium in hunc aut illum locum peculiarem introduxit. Sic orta videtur ſententia iſta de *Primatu Petri*: apud Judæo-Chriſtianos, ob peculiare diſcrimen Miniſterii ejus inter Circumciſionem: apud Gentili-Chriſtianos, ob introductionem ſuam Euangelii inter Gentiles.

Ἐγὼ δὲ Χριςȣ̃.

Si qui forent inter *Corinthios* qui Baptiſmo *Joannis* ſolùm baptizati eſſent, prout erant inter *Epheſios*, *Actor.* 19: 4. non mirum ſi dicerent illi, Ἐγὼ ϳ Χριςȣ̃, *Ego ſum Meſſiæ*, non noſcentes adhuc *Jeſum Nazarenum*, illum eſſe. At detur, omnes meliùs edoctos à *Paulo* aut *Apollo*; cùm tamen adhuc ad Judaiſmum plurimi inclinarent, ſuſpicari licet eos dicere *Ego ſum Chriſti*, vel *Meſſiæ*, eo ſenſu quo olim

Digitized by Google

CAP. I. VERS. 14,17,20. olim eruditi ſumus de *Meſſia*; unumquemque ſcilicet ſub eo unico duce conſcribendum & ſubjiciendum, non ſub aliquo ab eo deputato, vel vices gerente.

VERS. 14. Κρίσπον.

Nomen *Criſpus* etiam Thalmudicis eſt in uſu.

Hieroſ. Jevamoth, fol. 2. 3. *Dicit R. Aibular*, נגרי קריספי *Nigri Criſpi.*

Ibid. fol. 12. 2. אמר ר' קרוספי, *Dicit R. Criſpus.*

Γαΐον.

Si *Gajus*, vel *Cajus* iſte, ad quem ſcripta eſt Epiſtola tertia *Joannis*, fuerit *Gajus Corinthiacus*, quod maximè probabile, collato *Rom.* 16: 23. cum commate ſeptimo iſtius Epiſtolæ; tùm videtur *Joannes* Epiſtolam ſuam primam ſcripſiſſe ad *Corinthios. Scripſi*, inquit, *Eccleſiæ*. Cuinam? Eccleſiæ certè alicui particulari, & ubi reſedit ipſe *Gajus*. Quænam autem Epiſtola iſta quam ſcripſit? Primam inter ſuas, quis non æquius dixerit, quam periiſſe iſtam quam ſcripſit? Et hæc ſi vera, *Diotrephem* requiras in Eccleſia *Corinthiaca* primipilarem in ſchiſmate. Sed hæc ſub ferula.

VERS. 17. Οὐ γὰρ ἀπέστειλέ με Χριστὸς βαπτίζειν.

Non conſtitutus eſt *Paulus* Baptiſta inter Gentiles, ſicut *Joannes Baptiſta* inter Judæos; nec par quidem erat hujus & illius munus. Judæi etiam ab incunabulis inſtructi erant in doctrina de *Meſſia*, & in articulis religionis, ita ut non multum operæ impendere *Joanni* opus eſſet, ut eos ad Baptiſmum in nomine *Meſſiæ* jam adventantis, & Euangelicæ fidei receptionem præpararet. At quantum *Paulo* inſumendum inter Gentiles, qui ne quidem unquam, vel de *Chriſto*, vel de vero Deo inaudierant! Concionatur ergò ille aſſiduè, & guttatim quaſi inſtillat iis doctrinam religionis; & non exigui laboris eſt eos ad menſuram cognitionis baptizabilem, ut ita dicere liceat, pedetentim ducere. *Gajum*, *Criſpum*, *Stephanam*, Judæos ipſe baptizat, qui confeſtim & labore parvo in doctrina Euangelica erudiebantur; aſt alios qui tardiùs ad ejus cognitionem matureſcebant, aliis Miniſtris committit baptizandos, cùm eos comperirent jam idoneos.

VERS. 20. Ποῦ σοφός; ποῦ γραμματεύς; ποῦ συζητητής.

Bereſh. Rabba, ſect. 24. *Deus oſtendit Adamo.*

דור דור ודורשיו, *Unamquamque generationem*, καὶ συζητητὰς αὐτῆς. CAP. I. VERS. 20,21.

דור דור וחכמיו, *Unamquamque generationem*, καὶ σοφοὺς αὐτῆς. CAP. II. VERS. 6.

דור דור וסופריו, *Unamquamque generationem*, καὶ γραμματεῖς αὐτῆς.

דור דור ומנהיגיו, *Unamquamque generationem*, καὶ ἡγουμένους αὐτῆς.

Recitantur hæc aliqua cum variatione in *Avodah Zarah*, fol. 5. 1.

Σοφός, חכם qui docuit alios.

Γραμματεὺς, סופר quivis literatus ut diſtinctus à plebe; ac præcipuè quivis Pater Traditionum.

Συζητητὴς, דרש vel דרשן qui profundiùs eſt concionatus atque interpretatus Legem.

VERS. 21. Ἐν σοφίᾳ τοῦ Θεοῦ οὐκ ἔγνω ὁ κόσμος διὰ τῆς σοφίας τὸν Θεόν.

Id eſt, Mundus in Theologia ſua non potuit per ſapientiam ſuam ſcire Deum.

Σοφία τοῦ Θεοῦ hìc non intelligenda eſt ſapientia iſta quæ Deum habuit authorem, ſed quæ Deum habuit objectum: reddendaque eſt *Sapientia circa Deum.* Erat apud Ethnicos Σοφία τῆς φύσεως, *Sapientia* circa res naturales; & Σοφία τοῦ Θεοῦ, *Sapientia circa Deum*, id eſt, Theologia. *At mundus in ſua Theologia non potuit per ſapientiam ſcire Deum.*

CAP. II.

VERS. 6. Σοφίαν δὲ οὐ τοῦ αἰῶνος τούτου.

QUadruplicem ſapientiam memorat Apoſtolus.

I. *Ethnicam* vel Philoſophorum, *Cap.* 1: 22. quæ vulgò חכמה יונית, *Sapientia Græca* audiit apud Judæos: quæque adeò apud eos viluit, ut hæc duo ſub eadem maledictione conſociarent. *Maledictus ſit ille qui alit porcos; & maledictus ſit ille qui filium ſuum docet Sapientiam Græcam*, Bava kama, fol. 82. 2.

II. *Sapientiam Judaicam*, *Scribarum & Phariſæorum*, *qui crucifixerunt Chriſtum*, verſ. 8.

III. *Sapientiam Euangelicam*, verſ. 7.

IV. *Sapientiam* τοῦ αἰῶνος τούτου, diſtinctam, ut videtur, à reliquis, ubi τοῦ αἰῶνος τούτου eo ſenſu accipienda eſt, quo העולם הזה ut opponitur τῷ העולם הבא. Et loquitur de ſapientia ultima & ſuprema, quam aſſequi quis potuit ἐν αἰῶνι τούτῳ ante revelatum Euangelium in adventu *Chriſti*, qui erat Αἰὼν ὁ μέλλων. Et hoc eſt quod agit Apoſtolus, nempè ut oſtendat ſummam, imò ſaniſſimam ſapientiam ſeculorum antecedentium non conferendam ullo modo eſſe cum ſplendore ſapientiæ Euangelicæ.

CAP. II. VERS. 9. VERS. 9. Ἃ ὀφθαλμὸς οὐκ εἶδε, &c.

CAP. III. VERS. 1, 12. *Babyl. Sanhedr.* fol. 99. 1. *Dicit R. Chaja bar Abba, Dicit R. Jochanan, Omnes Prophetæ non prophetarunt niſi de diebus Meſſiæ.* אבל לעולם הבא לעבלם הוא, *At quòd ad mundum futurum, oculus non vidit, ô Deus, præter te*, &c.

Recitantur hæc in *Shabb.* fol. 63. 1. ſub alia occaſione. Ubi *Gloſſ. Oculi Prophetarum non potuerunt hæc videre.*

Vides hîc diſtingui à *Rabbino* inter *Dies Meſſiæ*, & *Mundum futurum*; quod & aliquando fit ab aliis: at vulgatiſſimè etiam confunduntur. Videſque quâ ratione, imò quâ neceſſitate adactus fuerit ad hanc diſtinctionem: nempè quòd quædam ſuppoſuerit repoſita expectantibus Deum, quæ nunquam viderunt oculi Prophetarum. At videntur, inquit, Prophetæ bona dierum *Meſſiæ*: ergò repoſita iſta ſunt in mundum futurum, poſt dies *Meſſiæ*. Diſce à *Paulo*, ô Rabbine, clariorem longè eſſe revelationem ſub Euangelio, quàm aſſequuti ſunt Prophetæ.

CAP. III.

VERS. 1. Ὡς νηπίοις.

HEbræis תינוקות. Hinc vulgatiſſimum illud, תינוקות של בית רבן, *Puerili in Schola.*

Chetubb. fol. 50. 1. *Rabb dixit* τῷ *Rabb Samuel Bar Shillath*, [Ludimagiſtro] *Puerulum ſexennem recipe, eique cibum præbe ſicut bovi.* Gloſſ. *Ciba eum Lege, ſicut bovem cibas quem ſaginas.*

שיהא אדם מתגלגל עם בנו עד י״ב שנה, *Placidè agat homo cum filio ſuo ad annum ejus duodecimum.* Gloſſ. *Si diſcere renuat, placidè cum eo agat & verbis mollibus*, &c.

VERS. 12. Ξύλα, χόρτον, καλάμην.

Apoſtolum de doctrinis agere planum eſt ex contextu.

I. Supponit hos ædificatores, quamvis non adeò benè ædificantes, animo tamen non malo ſeipſos iſti operi addixiſſe: *verſ.* 15. *Ipſe ſalvabitur.*

II. Per varias harum rerum ſpecies, aurum, argentum, lignum, fœnum, ſtipulam, non varium tantùm docendi modum intelligas, ſed varias ipſas doctrinarum ſpecies. Nam ſi omnes eandem veritatem doctrinamque propoſuiſſent, minùs fuiſſet ſi omnes eam non eodem modo enuntiaſſent: at dum alii *aurum, argentum, lignum*, doctrinam pretioſam, puram, ſolidam proferunt; alii *fœnum, ſtipulam*, vilem, leviorem & nullius pretii aut ſoliditatis: ipſæ doctrinæ erant diverſæ, & erant quæ examen ignis pati poſſent, & quæ non.

III. Erant qui micas Judaiſmi inter populum ſpargerent: at hoc non ut ex profeſſo dimicantes contra Euangelium, ſed ex ignorantia, & quod ſimplicitatem Euangelicam non adhuc ſatis intelligerent. Has atque hujuſmodi doctrinas *fœnum & ſtipulam* vocat *Paulus*, igne abſumendas: at dum illi interea qui talia docuiſſent, evadere poſſent, quia non ex malitia veritatem oppugnarant, ſed ex ignorantia propinarant falſitatem.

CAP. III. VERS. 13. VERS. 13. Ἡ γὰρ ἡμέρα δηλώσει, ὅτι ἐν πυρὶ ἀποκαλύπτεται.

Duo cujuſque opus ſunt retectura, *Dies* & *Ignis*: quæ utraque non male intelligas de Verbo Dei omnia manifeſtante, & probante: nam lux Euangelica frequentiſſimè vocatur *Dies*, & Lex divina *Ignis*, *Deuter.* 33. 2.

At mallem ego hìc loci per *Diem* & *Ignem* intelligere *Diem Domini* brevi venturum, atque *Ignem* divinæ indignationis effundendum in Gentem Judaicam. Atque ad hæc eò magis ſum adductus, quòd de die & igne iſto adeo frequens occurrat commemoratio in Paginis Sacris.

Cùm ergo forent qui Judaiſmum ſuperſtruerent ſuper fundamentum Euangelicum, idque ex imperitia & ignorantia ſimplicitatis Euangelii; [nam de talibus loquitur hìc Apoſtolus] prædicit & comminatur appropinquare Diem Ignemque Domini in Judæos, à quo non revelanda ſolùm erat iſtius ſuperſtructionis ineptia & inconſiſtentia, ſed & ea ipſa ſuperſtructio peritura.

Hoc ſenſu loci recepto, plana fiunt omnia quæ loquitur Apoſtolus in hac periocha. Ignis ille probabit doctrinas, Euangelicæne ſint, annon. Si cujus opus aut doctrina examen ignis iſtius feret, mercedem ille accipiet de ſana doctrina: ſi cujuſvis doctrina non feret, ſed abſumatur, detrimentum ille patietur de oleo & operâ perditis, ipſe verò ſalvabitur; aſt hoc ut probatus per ignem.

Vis parallelum doctrinæ atque ædificationis ſtramineę de qua *Paulus*?

Bav. Bathr. fol. 60. 2. *Tradunt Rabbini*, לא יסור אדם את ביתו בסיר, *Ne oblinat quiſquam domum ſuam calce.* ואם ערידך בו חול או תבן מותר, *At ſi cum calce commiſceat arenam & ſtramen, permiſſum eſt.*

Traditio tempora reſpicit poſt exciſum Templum, cùm præ luctu ob fatale iſtud exci-

Digitized by Google

CAP. IV. excidium non permiſſum eſt parietes dealbari,
VERS. ſed nigrore ſquallere, ut colore lugentibus
6, 8. convenienti. Simplici ergò calce non permiſſum eſt parietes dealbare, ne coruſcarent nimiùm: at ſi intermixta forent arena & ſtramen, quibus albedo calcis obfuſcaretur, tunc permittitur. O doctrinam verè ſtramineam, de ſuperſtructione straminea, & quæ aptiſſimam exhibet imaginem doctrinarum iſtarum Judaicarum, de quibus Apoſtolus, ſplendòrem Euangelii obnubilantium!

C A P. IV.

Vers. 6. Μετεσχημάτισα εἰς ἐμαυτὸν καὶ Ἀπολλώ.

ET quare non ad ſeipſum & *Cepham?* Ex hoc ipſo loco, ſi non aliunde probari poſſet, patet *Petrum* non docuiſſe *Corinthi*. Agit ex inſtituto Apoſtolus, de præcipuis ipſorum Miniſtris; & excedit fidem, voluiſſe eum præterire *Petrum*, ſi *Petrus* apud eos fuiſſet concionatus.

Cùm ait ſe in *figura hæc tranſtuliſſe ad ſeipſum & Apollo*, nominum & perſonarum mutationem non intelligit, nec aliorum nomina in perſonam ſuam & *Apollo* transfert, ne quemquam nominatim carpat; [qui ſenſus huic loco vulgò affigitur] ſed figuratio quâ utitur hæc eſt: nempè dum de prædicatione Euangelii loquitur, plana, rudi, & à ſapientia humana quàm remotâ; & è contra, de eleganti, exculta & profundiori: hæc ego, inquit, hoc in ſchemate ad meipſum tranſtuli & *Apollo*; priorem concionandi modum ad meipſum, poſteriorem ad *Apollo*.

Vers. 8. Ἤδη κεκορεσμένοι ἐστὲ, &c.

Acris ſarcaſmus, jactantiam *Corinthiorum* caſtigans, qui obliti fuerant à quibus privilegia iſta Euangelica, de quibus jam ſuperbierunt, primùm acceperant. Ditati erant donis ſpiritualibus; regnarunt, ipſis judicibus in culmine uſque dignitatis ac felicitatis Euangelicæ, idque *abſque nobis*, inquit Apoſtolus, ac ſi nihil ob iſta privilegia nobis deberetis. Atqui, *ô utinam regnaretis*, atque adeò feliciter ac benè vobis foret reverà, ut nos vobiſcum regnaremus, aliquamque felicitatem in promotione hac veſtra, aliquamque apud vos æſtimationem ſortiremur!

C A P. V.

Vers. 1. Ὥστε γυναῖκά τινα τοῦ πατρὸς ἔχειν. CAP. V. VERS. 1, 2.

NOn matrem ſuam, ſed uxorem patris ſui, qui & adhuc erat in vivis, ut videtur ex Epiſtola ad hos *Corinthios* ſecunda, *Cap.* 7: 12. *Scripſi vobis, non ejus reſpectu qui injuriâ affecerat, nec ejus reſpectu qui injuriâ affectus erat.* Is qui injuriâ affecerat, planè erat hic inceſtuoſus; nam de cauſa iſta loqui illìc Apoſtolum vix negabitur. Et quiſnam ille qui injuriâ affectus? Pater abſque dubio: vivus jam certè, & non defunctus; nam vix de eo mortuo diceretur, quod injuriâ hoc facinore ſit affectus.

Vers. 2. Καὶ ὑμεῖς πεφυσιωμένοι ἐστέ.

Mirum quidem eſt quod non luxerint, at quòd de tali ſcelere inflati forent & gloriarentur, ut *verſ.* 6. eſt monſtratum. Aſt undenam tam ſtultus & nefandus tumor?

I. Forſan ex ſtudio partium atque acrimoniâ contentionum, exultante parte adverſa in iſtam in qua tam gravis lapſus contigerat.

II. Forſan ex malè concepta libertate Euangelii, de hac re triumpharunt, ac ſi Euangelium contra Legem talem licentiam introduxiſſet.

III. Aut videri poteſt, partem inceſtuoſi non fuiſſe Chriſtianum, ſed aut Ethnicum, aut infidelem Judæum: matrem autem fuiſſe ad Chriſtianiſmum converſam; ſic & ipſum filium. Atque hinc receſſionem uxoris à marito infideli, & conjugium cum filio credente. Inde *Corinthiorum* gloriatio, non ob hoc merè quod filius novercam duxiſſet, (nam illud opinari foret ridiculum) ſed quòd ita prævaluerat Euangelium, ut vel uxorem à marito infideli ſegregaret.

Καὶ οὐχὶ μᾶλλον ἐπενθήσατε, ἵνα ἐξαρθῇ.

Veſtrûm erat, ô *Corinthii*, precibus & jejuniis Deum oraſſe, ut is è medio veſtri hominem adeò ſceleſtum tolleret, ſi modò ille non reſipiſceret: *at vos eſtis inflati*, &c. Πενθεῖν hoc in loco videtur ad ſenſum תענית extendere apud Hebræos.

Sanhedr. cap. 7. hal. 4. *Iſti ſunt lapidandi:* הבא על האם ועל אשת האב, *Is qui coit cum matre ſua, vel cum uxore patris ſui. Qui coit cum matre, reus eſt,* [dupliciter] *& quia mater ejus eſt, & quia patris uxor. Qui coit cum uxore patris ſui, reus eſt,* [dupliciter] *& quia uxor patris eſt, & quia uxor alterius; in*

Digitized by Google

CAP. V. VERS. 4, 5.

vivis ſitne ejus pater, an defunctus; & ſitne ea uxor patris ex deſponſatione, an ex maritatione. Vide etiam *Maymon.* in *Iſſure Biah*, cap. 1. & 2.

In *Cherithuth*, cap. 1. hal. 1. adjudicatur hoc ipſum peccatum exciſioni. לו' כריתות בתורה, *Triginta ſex ſunt exciſiones in Lege*, [vel triginta ſex qui excidendi] הבא על האם ועל אשת אב, *Is qui coit cum matre ſua, aut cum uxore patris ſui*, &c.

Mirum videri certè poſſit, unum idemque facinus ad *lapidationem* adjudicari, quæ per *Synhedrium* infligebatur, & ad *exciſionem*, quæ per *manum Dei*. Aſt audi Gloſſatorem. *Omnes iſtæ exciſiones*, inquit, *ſunt de præſumptuosè factis*, בלא התראה, *ubi non erat prævia admonitio*, aut proteſtatio: *at verò ſi fuerit prævia admonitio, quædam ex iis ad ſtrangulationem adjudicantur, quædam ad lapidationem. At ſi ex ignorantia hæc perpetrentur, ſacrificium pro peccato requiritur.*

Exciſio [כרת] erat per manum immediatam Dei; quam exciſionem meruerat hic nefarius ſummo gradu: nam facinus hoc ab eo perpetratum fuiſſe ex ignorantia, ridiculum foret imaginari.

VERS. 5. Παραδοῦναι τῷ Σατανᾷ.

§. De Excommunicatione apud Judæos pauca. An excommunicare & tradere Satanæ illis fuerint idem.

De Excommunicatione apud Judæos dicturo, pauca primùm dicenda ſunt de נזיפה, *Correptione*, quæ *Babylonicis* eadem erat cum Excommunicatione.

Babyl. Moed Katon, fol. 16. 1. אין נזיפה פחות מן ימים: *Correptio non eſt minus quàm in ſeptiduum: ſicut dicitur, Si pater ejus in faciem ejus conſputaverit, nonne pudefiet ſeptem diebus?* Numer. 12:14. *Rabb. Chaſda dicit*, נדוישלנו כנזיפה שלהן, *Excommunicatio noſtra* [in *Babylonia*] *eſt ſicut correptio eorum* [in terra *Iſraëlitica.*]

Exempla hæc ibi adducuntur.

R. Simeon filius Rabbi [Judæ] *& Bar Kaphra ſederunt legentes, cùmque difficilis nimis eſſet locus quem legerunt, dixit* R. Simeon τῷ *Bar Kaphra, Opus hìc eſt Rabbi interprete. Cui Bar Kaphra, Et quidnam dicere hac in re poteſt Rabbi? Abiit* R. Simeon, *& patri ſuo hoc dixit, qui ideò ſuccenſuit. Venit Bar Kaphra eum viſitatum. Dixit ei, O Bar Kaphra, ego te non novi. Novit ille quid ſibi is vellet:* נהג נזיפותא, *ſubiit ergo correptionem triginta diebus.*

Et rurſus: *Præcepit aliquando Rabbi, ne Magiſtri Diſcipulos ſuos doceant in plateis; verba iſta myſticè huc applicans, Ambitus femorum tuorum ſunt ſicut monilia*, Cant. 7:1. *Prout femur eſt in abſcondito, ſic verba Legis in abſcondito. Prodiit R. Chaija*, [ר' חייא] *& duos filios fratris ſui docuit in platea, Rabb ſcilicet, & Barbar Channah. Audiit hoc Rabbi, & ſuccenſuit. Venit R. Chaija eum viſitatum. Dicit ei*, עייא, O *Aija, quiſnam leget tibi in platea?* [*Gloſſ.* vocavit eum עייא, *Aija* per contemptum: *Quiſnam leget tibi in platea*, eſt ac ſi dixiſſet, *Hinc abi*] *Novit ille quare in eum verba talia effunderet: ſuſcepit ergò* נזיפה *correptionem per triginta dies.*

CAP. V. VERS. 5.

Hæſitat de hac re *R. Aſher*, quare *Bar Kaphra* & *R. Chaija* triginta diebus correptioni iſti ſe ſubderent, cùm ea ultra ſeptem dies ſe non extenderet: de qua re quæ diſputet, videat lector, ſi vacat.

Differentia inter נזיפה *Increpationem*, & נידוי *Excommunicationem*, hæc erat.

I. Increpatio vel correptio iſta opus non habuit abſolutione; Excommunicatio habuit.

II. Quamvis ſe domi contineret ille qui tali correptione erat ictus, nec in publicum prodiret, velut homo pudefactus; à ſocietate ejus tamen non abſtinuerunt alii. Coram illo qui eum iſto fulmine percuſſerat non comparuit, nec in publico verſatus eſt; cuivis tamen ad eum domi ſe conferre licuit. Sic dicitur *R. Chaija* triginta iſtis diebus τὸν *Rabb* docuiſſe domi.

Correptio, [נזיפה] inquiunt Magiſtri, *eſt cùm vir quis illuſtris alium corripit, dicens, Quàm impudens eſt N. vel aliquid iſtiuſmodi. Conditio autem hominis ita correpti hæc eſt. Abſcondit ſe, & domi continet ut pudefactus, ne faciem ejus videat qui eum pudefecit, nec coram eo ſtet aperto capite. Diminuat etiam de riſu ſuo, & de verbis ſuis, & de negotiis ſuis, & ſe contriſtet coram videntibus. At non opus eſt ut ab hominibus ſe retrahat, quin cum iis comedat & bibat, & eos ſalutet. Nec opus eſt ut eum placet qui illum increpavit, nec opus habet abſolutione: ſed cùm correptionem in ſe ſuſceperit, tempuſque excurrerit, ſolutus eſt.*

Confer cum hac נזיפה verba Apoſtoli, 1 *Timoth.* 5:1. Πρεσβυτέρῳ μὴ ἐπιπλήξῃς, &c.

Et jam ut ad Excommunicationem ipſam tranſeamus,

I. Excogitata & inventa eſt Excommunicatio apud Judæos, ſi quid vident oculi noſtri, ut pœna eſſet iſtorum delictorum quibus nulla alia pœna decernitur, vel in Paginis Sacris, vel Traditionibus. Vix credo ego eum apud Judæos excommunicatum fuiſſe, cujus offenſioni aſſignabatur apertè vel à Lege, vel à Patribus Traditionum, pœna vel exciſionis, vel mortis, vel flagellationis, vel reſtitutionis dupli aut quadrupli, &c. At verò in rebus iſtis de quibus nulla talis deſignatio pœnæ, quid agendum? Peccata erant pœnâ digna: nullam pœnam ex iſtis quæ nominata ſunt, aſſig-

Digitized by Google

aſſignant iis vel Lex, vel Scribæ. At certè providendum eſt ne talia perpetrentur impunè. Hinc inventa Excommunicatio, ut pœna generalis iſtiuſmodi delictorum. Res ipſa, nî fallamur, hoc loquitur, perpenſis iis propter quæ fit Excommunicatio.

II. Cauſæ aut rationes Excommunicationis generaliùs duæ erant; nempe לממונא *ob pecuniam*, & לאפיקרותא *ob Epicuriſmum*.

Occurrit hæc diſtinctio in *Babyl. Moed Katon*, fol. 16. 1. ubi fuſè agitur de Excommunicatione, & unde plurima petimus de hoc ſubjecto.

Excommunicatio *ob nummum* erat, non cùm quis alteri debens pecuniam non ſolveret; nam patuit actio contra eum judicialis: at cùm in judicium vocatus, & à Conſeſſu ad ſolutionem adjudicatus, tamen non ſolveret.

Quid ſibi velit אפיקרותא, diſcere licet ex definitione *Epicuri*.

Sanhedr. fol. 99. 2. *Epicurus eſt qui ſpernit verba Dei. Epicurus eſt qui ſpernit Diſcipulos Sapientum.*

Aruch : אפקר *eſt qui loquitur linguâ malâ; iſte eſt Epicurus.*

Thalmudicis אפקר *præſumptuoſum* denotat, *diſſolutum, hominem ad nullam normam compoſitum.* Inde אפיקירום, *Exlex, diſſolutus, intra leges Scribarum non circumſcriptus.*

Megill. fol. 25. 2. פקרו מינים à *Gloſſatore* redditur העיזו פניהם, *Obduraverunt facies ſuas Hæretici.*

Moed Katon, fol. 16. 1. מתפקר בשליחא דבי דינא, *Gloſſ.* reddit, *Convitiatur nuntio Synhedrii.*

Particulariùs.

Orach Chajim, cap. 359. *Dicit Rambam b. m. Ob viginti quatuor cauſas excommunicant vel virum, vel fœminam: & hi ſunt excommunicandi.*

1. *Qui vilifacit Sapientem, etiam poſt ejus mortem.*

2. *Qui vilifacit nuntium Synhedrii.*

3. *Qui collegam ſuum vocat ſervum.*

4. *Qui vilipendit verbum unum Scribarum; non opus eſt dicere, Qui vilipendit Legem.*

5. *Qui ad diem à Conſeſſu ſibi ſtatutum non comparet.*

6. *Qui in ſe non ſuſcipit judicium Conſeſſus, excommunicant eum uſque dum ſuſcipiat.*

7. *Qui apud ſe retinet rem aliquam noxiam: e. g. Canem trucem, aut ſcalam confractam: excommunicant eum uſque dum rem amoveat.*

8. *Qui vendit fundum ſuum Ethnico: excommunicant eum, uſque dum ipſe in ſe ſuſcipiat omnem injuriam quæ inde evenire poteſt Iſraëlitæ vicino ſuo.*

9. *Qui teſtimonium perhibet contra Iſraëlitam coram tribunali ethnico, & teſtimonio iſto pecuniam torquet ab eo: excommunicant eum uſque dum rependat.*

10. *Sacerdos lanio, qui portionem non dividit alteri Sacerdoti: excommunicant eum uſque dum det.*

11. *Qui diem feſtum ſecundum captivitatis profanat, etiamſi ſit ſecundum conſuetudinem.* De hoc die vide *Maymon.* in *Kiddush Hodesh*, cap. 5.

12. *Qui opus aliquod ſervile facit veſperiis Paſchatis a meridie.*

13. *Qui nomen Dei inaniter memorat, vel in juramento, vel in verbis.*

14. *Qui populum adigit ad comedendum ſacra extra limites.*

15. *Qui populum adigit ad profanationem nominis Dei.*

16. *Qui annum aut menſes intercalat extra terram Iſraëliticam.*

17. *Qui ſcandalum objicit cæco.*

18. *Qui populum impedit à præſtando præcepto.*

19. *Lanio qui diſcerptam beſtiam offert.*

20. *Lanio qui cultrum ſuum non oſtendit Sapienti approbandum.*

21. *Qui obdurat ſe contra ſcientiam.*

22. *Qui dimiſit uxorem, & tamen comparticipationem cum ea habet, & negotiationem.*

23. *Sapiens qui eſt malæ famæ.*

24. *Qui eum excommunicat qui excommunicationem non meretur.*

Hæc etiam habes apud Clariſſ. *Buxtorf.* in *Lexic. Thalm.* in voce נדוי.

Quò intentiùs has Excommunicationis cauſas rationeſque intueor, eò magis in ſententia mea perſto, inventam fuiſſe Excommunicationem ut pœnam pro delictis iſtis, quibus nulla pœnæ ſpecies definita vel per Legem, vel per Canones Traditionales. Perpende eas ſingulatim, & forſan mecum cogitabis.

III. Ille in quem procedendum erat Excommunicatione, citatus primò erat, & dies ei indictus quo compareret, miſſo ad eum nuntio à Conſeſſu, qui & de die eum certum faceret, & de perſonis coram quibus comparendum.

Moed Katon, Fol. 16. 1. מתרין ביה שני וחמישי ושני, *Indicunt ei ſecundum hebdomadæ*, [quo die conſeſſum eſt in Curia, & conventum in Synagoga] *& quintum hebdomadæ*, [quo itidem die conventum & conſeſſum eſt] *& ſecundum hebdomadæ ſequentis.* Si die primùm indicto non compareret, expectant uſque ad ſecundò indictum, & ad tertiò indictum. Hoc autem erat cùm cauſa foret pecuniaria. אבל לאפיקרותא לאלתר *At ſi ob Epicuriſmum foret*, [ſi die primùm indicto non compareret] *ſine mora eum excommunicant.*

Digitized by Google

CAP. V. VERS. 5.

IV. Primò percuſſerunt eum ſimplici Excommunicatione, quam נידוי *Niddui* vocant, in qua non erat abſoluta maledictio.

Piske הראש in *Moed Katon*, art. 55. נידוי סתם אין בו קללה, *In Niddui non erat abſolutè maledictio: nam dixerunt tantùm,* יהא נידוי, *Sit N. ſub excommunicatione.*

V. Excommunicatio hæc erat in triginta dies.

Hieroſ. Moed Katon, fol. 81. 3. אין נידוי פחות משלשים, *Excommunicatio* [Niddui] *non erat minùs quàm in triginta dies: ſicut dicitur, Uſque ad menſem, Uſque dum exeat caro per nares veſtras*, Numer. 11:20.

Si verò excommunicatus intra iſtud tempus excommunicantes placaret, abſolvunt eum illicò.

VI. Si verò in perverſitate ſua perſiſteret, finitis triginta diebus eum iterum excommunicant, מנדין ומקללין אותו, *additâ etiam maledictione*: & hæc ſecunda Excommunicatio vocabatur שמתא *Shammata.*

Babyl. Moed Katon, ubi priùs: מנלן דמשמתינן, *Unde eſt quòd Shammatizamus? Inde quòd ſcriptum eſt, Maledicite Meroz, Jud.* 5:23.

Rabbenu Asher in loc. fol. 34. 2. *Barak Shammatizavit Meroz: ſicut ſcriptum eſt, Maledicite Meroz: quod &* נידוי *Excommunicatio eſt, &* קללה *Maledictio: nam in voce* ארור *eſt & excommunicatio & maledictio.*

VII. Publicarunt offenſam ejus in Synagoga.

Moed Katon ubi antè פרטין חתאיה בציבורא, *Particulatim publicamus crimen ejus in Synagoga.* Gloſſ. *Concivibus ejus dixerunt, Ob hanc & hanc cauſam nos eum Shammatizamus.*

VIII. Si in perverſitate ſua adhuc per hos triginta dies etiam perſiſteret, מחרימין אותו, *Anathematizarunt eum.*

Moed Katon ubi antè: מנדין ושונין לאחר ל׳ ומחרימין לאחר ס׳: *Excommunicant eum, & poſt triginta dies iterum excommunicant,* [Shammatizant] *& poſt ſexaginta Anathematizant.*

Rabbenu Asher ubi prius: *Anathematizant dicendo, Sit ſub Anathemate. Et hoc longè gravius eſt quàm vel Niddui vel Shammatha: nam in hoc eſt & excommunicatio, & maledictio, & probibitio uſûs quorumvis hominum, niſi in iis rebus ſolùm quæ ad vitam ſuſtentandam pertinent: & non Anathematizant, niſi cùm ſe obduraverit contra Conſeſſum ſemel iterumque.*

IX. Rationem horum proceſſuum reddunt in *Moed Katon* loco allegato, his verbis.

Unde eſt quòd nuntium ei mittunt à Conſeſſu מבר? *Quia ſcriptum eſt, Et miſit Moſes ad Dathanem & Abiramum.*

Unde eſt quòd ad judicium citant? Quia ſcriptum eſt, Et dixit Moſes Coracho, Tu & cœtus omnis tuus præſto ſitis.

Unde quòd coram viro aliquo magno & eminenti? Quia ſcriptum eſt, Coram Domino.

Unde quòd coram N. vel tali viro? Quia ſcriptum eſt, Tu, atque illi, atque Aaron.

Unde quòd indicunt ei tempus ſtatutum comparendi? Quia ſcriptum eſt, Præſto ſitis cras.

Unde quòd de tempore in tempus? Quia ſcriptum eſt, Vocarunt ibi Pharaonem Regem Ægypti ſtrepitum, tranſiit tempus ſtatutum, Hierem. 46.17.

Unde quòd Shammatizant? Quia ſcriptum eſt, Maledicite Meroz.

Unde quòd Anathematizant? Quia ſcriptum eſt, Maledicite.

Unde quòd maledictus eſt qui cum eo edit & bibit, & ſtat intra quatuor cubitos ab eo? Quia ſcriptum eſt, ישביא q.d. *Sedentes ejus, vel cum ea*, Judic. 5:23.

Unde quòd crimina ejus publicant in Synagoga? Quia ſcriptum eſt, Quia non venerunt ad auxilium Domini.

Unde quòd bona ejus in fiſcum referunt? Quia ſcriptum eſt, Quicunque non venerit intra triduum ſecundùm conſilium Principum & Seniorum, perdetur omnis ſubſtantia ejus, Ezr. 10:8.

Unde quòd contendimus cum eo, & maledicimus ei, & percutimus, & crines ejus vellicamus, & adjuramus eum? Quia ſcriptum, Et contendi cum illis, & maledixi iis, & nonnullos ex iis percuſſi, & crines convulſi, Nehem. 13:25.

Unde quòd ligamus conſtringimuſque eum? [*Gloſſ.* Manibus pedibuſque, atque ad columnam, ut flagelletur] *Quia ſcriptum eſt, Aut ad mortem, aut exilium, aut confiſcationem bonorum, aut incarcerationem*, Ezr. 7:26.

Vides Excommunicationem apud Judæos penicillo ipſo Judaicò pictam à capite ad calcem: & jam an ea, ipſis judicibus, fuerit *traditio in manus Satanæ*, ulterioris eſt diſquiſitionis, & quidem obſcurioris. In terminis minimè occurrit aliquid tale dictum de Excommunicatione; & an eo ſenſu occurrat, judicet lector ex iis quæ dicuntur de conditione excommunicati.

I. *Piske* הראש in *Moed Katon*, cap. 3. וזה דין המנודה, *Hæc eſt conditio excommunicati. Non edunt nec bibunt cum eo, nec ſedent intra quatuor cubitos ab eo:* [*uxore & liberis & famulus exceptis, quibus permiſſum eſt juxta eum ſedere.*] *Cùm gratias agunt,* [ad cibum]

eum

Digitized by Google

CAP. V. VERS. 2. *eum non conjungunt in gratiarum actione, nec eum adhibent ad rem quamvis quæ eget decemviratu. At cuivis licet cum eo colloqui, & conducit is operarios, & conducitur ipſe in operarium.*

II. Quoad ea quæ religionem ſpectabant.

I. Adierunt excommunicati Templum, ſicut & alii.

Middoth, cap. 2. hal. 2. *Omnes qui intrant in Templum ſecundùm conſuetudinem, ingrediuntur viâ dextrâ ac circumeunt, egrediunturque ſiniſtrâ, excepto eo cui aliquid accidit, qui circumambulabat ad ſiniſtram.*

Interrogatus, Quid tibi quòd ad ſiniſtram circumeas? Reſpondit, Quia ego ſum excommunicatus, שאני כנודה. *Cui alter, Ille qui hanc Ædem habitat indet cordi tuo ut auſcultes verba ſociorum tuorum.*

II. *Orach Chajim* ubi antè. *Traditio eſt:* מנודה שונה ושונין לו: *Excommunicatus exponit Traditiones, atque exponunt ei. Anathematizatus non exponit aliis, nec exponunt ei; aſt ipſe exponit ſecum, ne obliviſcatur doctrinæ ſuæ.*

Piske הראש ubi ſuprà, artic. 51. *Excommunicato permittitur negotiari in Lege: aſt Anathematizato prohibetur. Verùm ille exponit ſecum.*

III. Thalmudicos evolvens ſæpiſſimè obſervabit, *Excommunicatum* & *Lugentem mortuos* iiſdem conditionibus in rebus quamplurimis ſubjici, imò *Lugentem* pejoribus.

Piske Harosh ubi antè, artic. 51. *Lugens & Excommunicatus prohibentur tonderi. Lugens tenetur ad velandum caput; Excommunicatus non. Lugens die primo privatur Phylacteriis; Excommunicatus non. Lugenti prohibetur ſalutatio; Excommunicato permittitur: multò magis licet cum eo colloqui. Lugenti prohibetur ne negotietur in Lege; Excommunicato permittitur. At Anathematizato prohibetur verſari in Lege; verùm ille exponit ſibiipſi, & facit ipſe ſibi tabernulam pro victu ſuo. Lugens tenetur ad ſciſſionem veſtimenti; Excommunicatus non. Lugenti prohibetur ne faciat aliquod opus; Excommunicato permittitur. Lugenti prohibetur ne ſe lavet; Excommunicato permittitur. Lugens non induit ſandalia; Excommunicatus induit. Lugens non coit cum uxore; Excommunicatus coit*, &c.

Ex dictis videtur concludi poſſe ex una parte, Excommunicationem apud Judæos vix ſonuiſſe *tradi Satanæ*, & adſunt etiam nonnullæ rationes, quibus videtur concludi pariter poſſe, *tradi Satanæ* hîc apud Apoſtolum non ſonare *Excommunicationem.* Detur excommunicatum & ejectum ab Eccleſia rejici etiam à Deo, & in manus *Satanæ* quidem tradi: hoc non eſt illud quod penſi jam noſtri eſt penſitare; ſed an vel *Paulus* per *tradatur Satanæ*, vel *Corinthii* intellexerint Excommunicationem. Nos negativum amplectimur ob haſce rationes.

CAP. V. VERS. 2, 3. I. Quia nulla ratio reddi poteſt, cur Apoſtolus, rejecto vulgari & notiſſimo *Excommunicationis* vocabulo, ad aliud confugeret ignotiſſimum, obſcuriſſimum.

II. Facinus hujus ſcelerati erat ſupra Excommunicationem; & parvum erat hominem tam nefarium excommunicari. Mortem ille meruit, ut obſervavimus, duplo triplovè; & extraordinario iſti ſceleri congruentius erat, ut extraordinaria aliqua aptaretur pœna, quàm vulgatiſſima iſta Excommunicationis.

III. Eccur tam vehementi conſilio atque inſtigatione uteretur Apoſtolus, ad incitandam Eccleſiam ut excommunicarent adeò merentem Excommunicationem? Num res tam difficulter apud eos impetranda Excommunicatio? Quid opus præſentiâ Spiritûs *Pauli* in re quibuſvis Miniſtris Eccleſiæ delegata? Quid opus tam ſolenni determinatione ἤδη κέκρικα, in re de qua fateretur quilibet mereri eum Excommunicationem?

IV. *Tradi Satanæ* erat εἰς ὄλεθρον σαρκός. At quidnam ad illud valere potuit Excommunicatio apud hominem in libidines ſuas juratum? Fieri forſan potuit, inquies, ut eã talem ſortiretur effectum. At retorqueo ego, cùm Apoſtolus ait εἰς ὄλεθρον σαρκὸς, non de fortuito effectu loquitur, ſed de indubitato.

His ducti rationibus, ut alias omittamus, cum iis in ſententiam imus, qui de miraculoſa actione locum interpretantur, de reali ſcilicet traditione perſonæ hujus in manus & poteſtatem *Satanæ*, ut ab eo flagellaretur, & morbis, torturis & terroribus cruciaretur. Atque huc optimè concinunt & phraſeologiæ circa hanc rem adhibitæ ab Apoſtolo, & rei ipſius circumſtantiæ.

VERS. 3. Ἤδη κέκρικα ὡς παρών.

Tradere Satanæ nunquam memoratur in Scriptura, niſi cùm adeſſet poteſtas Apoſtolica, ut hîc & 1 *Tim.* 1:20. Et poteſtas iſta Apoſtolica miraculosè feriendi obſtinatos, aut nefariè peccantes, quâvis pœnâ, uſitatè ab iis non exerebatur, niſi coram in os, ut à *Petro* in *Ananiam* & *Saphiram*, & à *Paulo* in *Elymam:* itemque, ut veriſimillimum, in *Hymenæum* & *Alexandrum.* Hîc tamen longè diſtans & remotus, judicavi, inquit, & decrevi, à longinquo poteſtatem iſtam meam in hunc ſceleratum exercere, ac ſi præſens eſſem & coram in os: quod quidem non uſitatè fit; at ſcelus hoc etiam non uſitatum. In hunc ſenſum reddenda eſt iſta clauſula, καὶ τοῦ πνεύματός μου, *i. e.* Spiritu meo Apoſtolico, vel dono Spiritûs mihi conceſſo. Sic

Spiritus

Digitized by Google

CAP. V. VERS. 3, 9. *Spiritus Eliæ habitabat ſuper Elizæum*, 2 *Reg.* 2: 15. id eſt, Spiritus *Eliæ* propheticus. III. Clauſulamque iſtam, Ἐν τῷ ὀνόματι τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, confer cum eadem Phraſiologia, *Actor.* 3: 6. cum ſcilicet edendum erat miraculum. Itemque IV. vox Δύναμις uſitatiſſimè in Euangeliis ad miracula refertur; de poteſtate diſciplinaria uſurpatur rariſſimè, ſi omninò.

Diſcurſum noſtrum de Excommunicatione apud Judæos concludamus Traditione inter eos receptâ, quam vide, ſi lubet.

Shabb. fol. 110. 1. חויא דרבנן טרקיה דלית ליה אסותא, *Si ſerpens Rabbinorum quemvis memorderit, non eſt ei medela. Bar Kasba in Pumbeditha morſus fuit à ſerpente Rabbinorum, & nulla ei medela.* Gloſſ. *Quia tranſgreſſus fuerat contra Excommunicationem Sapientum; ideò cùm morſus foret à ſerpente, nulla ei ſanatio.*

VERS. 9. Ἔγραψα ὑμῖν ἐν τῇ ἐπιστολῇ.

In Epiſtola? Quanam?

I. Aoriſtus Ἔγραψα etiam *ſcripſeram* reddi poteſt abſque ulla injuriâ Grammaticæ. *Scripſeram in hac Epiſtola, Ne commiſceamini*, &c. antequam ad me perveniret hujus ſceleris fama: at nunc iſtud audiens, ſtylum magis acuo, arctiorique prohibitione vos conſtringo, *Nè* ſcilicet *cum talibus comedatis.*

II. Miſerat Apoſtolus *Timotheum* ad *Corinthios* antequam hanc Epiſtolam ſcriberet, *Cap.* 4: 17. & veriſimile eſt eum aliquam Epiſtolam per eum miſiſſe, in qua ſic ſcripſerat. Aſt ad Apoſtolum accedentibus *Stephano*, *Fortunato* & *Achaico*, totumque ſtatum Eccleſiæ *Corinthiacæ* ei pandentibus, literaſque quæſtioneſque ei ab Eccleſia reddentibus, cùm adhuc, quod norunt ii, *Timotheus* ad *Corinthum* non perveniſſet; ille hâc Epiſtolâ iſtam complectitur & ſupprimit: & ſi iſtam intercidiſſe dixeris, vere quidem aliqualiter dixeris, quia ad nos non pervenit exactum exemplar iſtius Epiſtolæ; at non verè etiam aliqualiter, quia omnia in Epiſtola iſta comprehenſa, in hac habemus, & multa præterea.

Μὴ συναναμίγνυσθαι.

I. Planum eſt Apoſtolum altiùs hic inſurgere, atque arctiori monitione eos obligare, quàm fecerat antè. Scripſerat ante Μὴ συναναμίγνυσθαι, jam ſcribit Μὴ συνεσθίειν.

II. Planum etiam eſt, verba eum ſua collimare in profanos Chriſtianos, non in Ethnicos, & nunc & cùm ſcriberet anteà. Nam erant inter Chriſtianos ab Ethniciſmo converſos abſque dubio aliqui, quorum parentes aut filii aut cognati non adhuc converſi, in Idololatria, avaritiâ & ſcortationibus volutabantur. Jam verò non erat Chriſtiano obliviſcendum omnium harum neceſſitudinum: nec erga eos abjicienda omnis familiaritas & officium. CAP. V. VERS. 9.

III. Vox συναναμίγνυσθαι *neceſſitudinem aliquam interiorem denotat*, inquit *Camerarius*; quod quidem aliqualiter verum eſt, diſtinctâ iſtâ neceſſitudine interiori in magis conjunctam & minùs.

Συναναμίξις converſatiò iſta reputanda eſt, & neceſſitudo, quam inire Judæo licuit cum Judæo, & non cum Ethnico: ad cujus normam, ut maximè notam, loqui Apoſtolum vix poteſt dubitari.

I. Negotiatio & mercatura permiſſa eſt Judæo cum Ethnico; ſub hac tamen atque aliis nonnullis iſtiuſmodi cautionibus: לפני אידיהן של עא״ג׳ ימים, *Triduò ante dies feſtos Ethnicorum prohibitum eſt cum iis dare & accipere, mutuò dare aut mutuò aſſumere, reddere aut repetere*, &c. *Avodah Zarah*, cap. 1. Hanc ſub ſignificatione vocis συναναμίγνυσθαι cadere vix credo.

II. Unà & ad eandem menſam conveſci erat συναναμίγνυσθαι, quod certè ſatis patet ex ſtricta talis convictus cum Ethnico prohibitione. Phariſæus in foro & nundinis negotiari voluit cum plebeio; at noluit cum eo conveſci. Sic voluit plebeius cum Ethnico mercaturam exercere; ſed noluit cum eo comedere. Apoſtolus ergò voces συναναμίγνυσθαι & συνεσθίειν non inter ſe opponit; ſed συνεσθίειν proponit ut gradum quendam συναναμίξεως. Nam,

III. Erat, quod vel communi experientiâ obſervari poteſt, neceſſitudo longè interior, quàm nuda talis comeſtio; ea nempe quæ à Juriſtis Judæorum vocatur שותפות *Comparticipatio* in mercatura aut negotiatione; atque ea quæ à nobis vocatur *Deputatio*: utraque Judæo prohibita cum Gentili.

Babyl. Sanhedr. fol. 63. 2. אסור לאדם שיעשה שותפות עם הגוי, *Prohibitum eſt homini comparticipationem inire cum Ethnico, ne fortè aliquàndo oporteat jurare, & cogatur jurare per Idolum ejus.*

Maimon. Shilluchin, &c. cap. 2. אין הגוי נעשה שליח *Ethnicus non fit nuntius*, vel deputatus, *pro re quavis: nec fit Iſraëlita deputatus pro Ethnico.*

IV. Conjunctior & adhuc erat neceſſitudo ex contracto matrimonio & affinitate: hanc συγκαταμίξιν vocant LXX. *Joſ.* 23: 12.

Et jam non arduum admodùm eſt ſenſum Apoſtoli expiſcari: quem ſume hac Paraphraſi. Scripſi vobis in Epiſtola, ne interiori aliquâ familiaritate aut neceſſitudine commiſceamini cum ſcortatoribus: quod non intellexi tam de ſcortatoribus Ethnicis, quàm de iis qui vocantur Fratres aut Chriſtiani. Jam verò & idem

Digitized by Google

CAP. V. VERS. 12. CAP. VI. VERS. 1. idem ſcribo, ne tali familiaritate cum iis aliiſque ejuſdem ſtigmatis, ut avaris & Idololatris commiſceamini; imò ne eâ quæ remotiſſima, nempè comeſtione cum homine iſtiuſmodi ad eandem menſam.

VERS. 12. Τί γάρ μοι καὶ τοὺς ἔξω κρίνειν.

Hæſitare hîc forſan potes de verſione & ſenſu vulgò receptis. *Beza: Quid meâ intereſt?* Gallic. *Qu'ai-je affaire de juger?* Ital. *Che appartienni à me giudicare?* Novi ſatis Phraſeologiam τί μοι frequentiſſimè hoc ſenſu occurrere: at quærere hinc meritò licet, ſi nihil tuâ intereſt, ô ſanctiſſime Apoſtole, eos judicare qui ſunt extrà, quare judicaſti *Elymam* cæcitate, & *Hymenæum* & *Alexandrum* traditione in manus *Satanæ*, Apoſtatas jam factos, & non alios quàm extraneos?

Quid ſi ergò verba in hunc ſenſum redderentur, *Quare enim mihi conceditur judicare etiam de iis qui foris ſunt?* id eſt, Apoſtolicâ meâ authoritate etiam Ethnicum percutere divinâ aliquâ plagâ, ſi ille inſanabiliter hoſtis & blaſphemator Euangelii, quod feci cum *Elyma*, &c. Quare hoc mihi conceditur, niſi ut immedicabilia talia vulnera enſe recidam? Et nonne vos quoque intra ſphæram veſtram eos judicatis qui intùs ſunt? Jam verò eos qui foris ſunt, quos ego ſic judico & percutio, Deus judicat & percutit, & vindictâ ſuâ cenſuræ meæ ſuffragatur. Καὶ ἐξαρεῖτε, Pari modo & vos, quod in vobis eſt facientes, poteſtis per manum iſtam Dei tollere hunc, alioſque iſtiuſmodi nefarios. Negligi non poteſt quin obſervetur Ἐξαρεῖτε futuri eſſe temporis, & non temerè reddenda eſt alio tempore. Totam Periochen ergò hac Paraphraſi explicamus: Mihi datur à Deo etiam eos qui extrà ſunt judicare; & nonne vos etiam de iis qui intùs ſunt judicatis? Eos verò qui extrà ſunt quos ego judico, Deus ipſe judicat; & vos etiam pari judicio poteſtis impium hunc è medio veſtri tollere. Lxx. in *Deuter.* 17: 7. Ἐξαρεῖς τὸν πονηρὸν ἐξ ὑμῶν αὐτῶν, alibique frequentiſſimè.

CAP. VI.

VERS. 1. Κρίνεσθαι ἐπὶ τῶν ἀδίκων.

NOn poſſumus non hic primò verba *Titi Imperatoris* in medium proferre, ad ſeditioſos in *Hieroſolyma* obſeſſos ſic diſſertantis. Πρῶτον μὲν ὑμῖν τὴν τε χώραν ἔδομεν νέμεσθαι, καὶ βασιλεῖς ὁμοφύλους ἐπεστήσαμεν. Ἔπειτα τοὺς πατρίους νόμους ἐτηρήσαμεν, καὶ ζῆν οὐ μόνον καθ' ἑαυτοὺς, ἀλλὰ καὶ τοὺς ἄλλους ἐπετρέψαμεν ὡς ἐβούλεσθε, *Joſeph. de Bell.* lib. 6. cap. 34.

Judæos propriis legibus ſub Romano Imperio jam vixiſſe, clarius eſt quàm ut demonſtratione indigeat: & teſtibus Gemariſtis, judicia pecuniara, vel περὶ τῶν βιωτικῶν, ab iis ablata non ſunt ante tempora *Simeonis Ben Jochai, Hieroſ. Sanhedr.* fol. 24. 2. Jam dicas mihi velim, an non Judæis ad Chriſtianiſmum converſis eadem permiſſa? Exemplum ſumamus in Eccleſia hac *Corinthiaca.* Conſtitit ea ex Judæis, & Gentilibus jam converſis. Judæi dum non credentes in Synagoga ſua habuerunt בד״ של ג׳ *Conſeſſum Triumviralem* qui judicarent περὶ τῶν βιωτικῶν, idque permittente Imperio Romano, tranſlati jam ſunt in Synagogam vel Congregationem Chriſtianam, & cum iis Gentiles qui credunt. Num iis à Romanis negatum in Congregatione Chriſtiana, quod conceſſum in Synagoga? I. Nulla omninò adhuc excitata erat in Chriſtianos perſecutio à Romanis, cùm Apoſtolus hæc ſcriberet: nam excurrebant anni non pauci antequàm *Nero* in iſtam nequitiam prorumperet. II. Parùm curæ Romanis fuit diſtinguere inter Synagogam Judæorum Judaizantem, & Synagogam Judæorum Chriſtianizantem: illudque *Gallionis*, ut res ſe habuit, *Vos ipſi videritis, judex ego horum eſſe nolo*, Actor. 18: 15. Ipſis *de nominibus & rebus Legis ſuæ* liberum erat ut judicarent.

Digniſſimi ergò reprehenſione erant hi *Corinthii*, quos penès erat apud ſeipſos judicia talia liberè exercere, in ſcandalum tamen Euangelii & Chriſtiani nominis ad tribunalia Ethnica confugerunt.

VERS. 2. Οὐκ οἴδατε ὅτι οἱ ἅγιοι τὸν κόσμον κρινοῦσι. CAP. VI. VERS. 1, 2.

In bifidam gloſſam torquetur hic locus.

A *Chiliaſtis*, in ſenſum neſcio quem, quem mallem apud ipſos requiras, quàm à me expectes.

Ab aliis, in hanc ſententiam, *Sanctos in extremo Judicio Chriſto fore aſſeſſores, ejuſque judicium approbaturos.* Et huc adducunt verba iſta Salvatoris, *Matth.* 19: 28. *Luc.* 22: 30. *Cùm ſederit Filius Hominis in throno gloriæ ſuæ, ſedebitis & vos in thronis duodecim, &c.*

Miror commata illuſtris adeò & notandi thematis, qualia ſunt illud quod jam tractamus, illudque quod adducitur, adeò à proprio & genuino ſenſu alienari; quod dictum velim pace Doctorum.

Trutinemus primùm verba Salvatoris.

I. Parùm quidem Logicè ſic arguitur, [ſi verba iſta eo ſenſu quem volunt forent ſumenda] *Vos duodecim ſedebitis in duodecim*

Digitized by Google

CAP. VI. VERS. 2. *thronis*, *judicantes duodecim Tribus Iſraëlis.* Ergò omnes Sancti judicabunt mundum, ut aſſeſſores *Chriſti*, in extremo Judicio. Quam aſperitatem ſic emolliunt. *Quod illis dixit, omnibus dixit qui eos fuerint imitati*, Primaſius. *Hic erit aliqua Apoſtolorum ſupra reliquos Sanctos eminentia*, Beza. Sic & alii quamplurimi.

II. Aſt aderat *Judas* cùm proferrentur hæc verba à Salvatore: & nonne ille etiam intra numerum iſtum duodenarium concludendus? Verùm hoc omiſſo, aderant plures etiam cùm ille hæc diceret, qui eum ſequuti fuerant in regeneratione; & ſi omnes illi, omneſque Sancti in toto terrarum orbe futuri, intra iſtud privilegium aſſeſſionis cum Chriſto forent concludendi, cur reſtringitur numerus tantùm ad duodenarium? *Vos duodecim*, id eſt, omnes Sancti, *judicabitis duodecim Tribus Iſraëlis*, id eſt, totum mundum, eſt gloſſa adeo ſpinoſa, ut digitis quidem meis ſit omninò intractabilis.

III. Senſum verborum exhibuimus ſuo loco. Per ſeſſionem ſcilicet *Chriſti in throno gloriæ ſuæ* non intelligendum eſſe tribunal ejus in extremo Judicio, ſed cùm adventurus foret in gloria vindictæ ſuæ in Gentem Judaicam, tùm non perſonas, ſed doctrinam duodecim Apoſtolorum Gentem iſtam nequiſſimam judicaturam ac damnaturam.

Et quod ad ipſam ſententiam de Sanctis *Chriſto* aſſeſſuris.

I. Nihil planius eſt in Scriptura, quàm quòd omnes *ſtabunt ante* tribunal *Chriſti*, 2 *Cor.* 5:10. tam oves quàm hirci, *Matth.* 25:32. &c. Mentio quidem occurrit de regnando cum *Chriſto*; ſed nuſpiam de judicando cum *Chriſto* in die judicii.

II. Quàm nihil illud ſonat, *Sancti approbabunt judicium Chriſti?* Num ob hoc erigendi ſunt throni, ut iis inſidentes approbent judicium? Ipſi quidem Diaboli & damnati non poterunt non juſtitiam ejus fateri.

III. Et qualis, quæſo, hæc argumentatio? Sancti in die extremo approbabunt judicium & ſententiam Chriſti: ergò vos poteſtis judicare de iis quæ ſpectant hanc vitam.

Nos ergò nequaquam dubitamus, ſenſum verborum horum, *Nonne noſtis quòd Sancti judicabunt mundum?* planiſſimè hunc eſſe, *Nonne noſtis quòd Chriſtiani futuri ſunt Magiſtratus & Judices in mundo?* Quod clariſſimè liquet ex hiſce obſervatis.

I. Vox Ἅγιοι commate præcedenti, omnes Chriſtianos denotat, ut oppoſitos *Infidelibus* Chriſtianiſmum non profitentibus. Hos autem omnes cum *Chriſto* mundum judicaturos, non fatebuntur ſententiæ iſtius ſuffragatores: & reddatur tùm ratio, cur vox hoc in commate diverſo ſenſu & ſtrictiori ſumenda ſit, quàm eadem vox in præcedenti. CAP. VI. VERS.

II. Loquitur Apoſtolus ut de re nota, & ex confeſſo, οὐκ οἴδατε. Aſt unde hoc notum vel noſcendum, Chriſtianos futuros Magiſtratus & Judices mundi? Facillimè apertiſſimèque è *Daniele*, Cap. 7:18, 27. ubi cùm exciderentur quatuor Monarchiæ Ethnicæ quæ mundum ſub tyrannide ſua tamdiu rexerant, transferendum tandem erat regimen & dominatio & imperium ſub toto cœlo ad populum *Sanctorum* Excelſi. Quo ſenſu & quâ latitudine ſumenda ſit vox *Sanctorum*, ex antitheſi diſcas in iſto Capite quàm planiſſimè. Regimen & dominatio & imperium ſub toto cœlo fuerat antea Ethnicorum: at ſub regno *Chriſti*, *Sanctorum*, id eſt, Chriſtianorum. 2, 3.

III. Quadrat hic ſenſus optimè cum argumento Apoſtoli. Ne putetis illicitum de litibus inter vos emergentibus inter vos dijudicare, neu confugiendo ad tribunalia Ethnica contumeliam Euangelio impingatis: nam advertite quid prædictum à *Daniele*, quod benè noſtis, *Sanctos* ſcilicet, id eſt, *Chriſtianos* olim dominatione & regimine totius mundi potituros, prout jam diu potiti ſunt potiunturque Ethnici Si olim jus iis erit dominandi, certe vobis hodie fas eſt de litibus determinare.

IV. Congruit cum ſenſu hujus loci illud quod dicitur ab *Apocalypte*, Cap. 20:4. Quòd cùm ligaſſet *Chriſtus* Satanam, ne Gentiles ulterius deciperet, uti fecerat antè per Idola, oracula, &c. eriguntur throni, & datur judicium illis qui in iis ſedent, poteſtas ſcilicet & authoritas judicandi & regendi & magiſtratum exercendi.

VERS. 3. Οὐκ οἴδατε ὅτι Ἀγγέλους κρινοῦμεν;

Non dicit ut antè, *Sancti* judicabunt Angelos; ſed *Nos* judicabimus. Per *Angelos*, Diabolos intelligi fatentur omnes. Aſt omnes certè *Sancti*, [ſecundùm latitudinem iſtius vocis, commatibus præcedentibus] id eſt, Chriſtianiſmum profeſſi non judicabunt Diabolos. Nec intelligenda eſt hæc judicatio Angelorum in die extremo. At loquitur Apoſtolus de Miniſtris Euangelii, ſeipſo aliiſque, qui per prædicationem Euangelii nominiſque *Chriſti*, Diabolos oraculis Idoliſque ſuis ſpoliaturi erant, adorationibus ſuis privaturi, ſedibus expulſuri, & dominio exuturi. Adeò ſub dominatione Chriſtiana ſubjecturus eſt Deus totum mundum, ut Magiſtratus Chriſtiani judicaturi ſint homines, & Miniſtri Euangelii Diabolos: & vos de litibus quibuſdam trivialibus non inter vos dijudicare?

Digitized by Google

CAP. VI. VERS. 4.

VERS. 4. Βιωτικὰ μὲν ἂν κριτήρια, &c.

Ut diſtinguerentur judicia apud Judæos in דיני ממנות, *Judicia pecuniaria*, *&* דיני נפשות, *Judicia capitalia*, cuivis notum. An κριτήρια βιωτικὰ & דיני ממנות fuerint convertenda, non diſputamus. Certè ſub דיני ממנות, uti opponuntur לדיני נפשות, *Judiciis capitalibus*, comprehenſa ſunt omnia Judicia infrà capitalia. Hinc illud quod obſervamus alibi, *Judicia capitalia ablata ſunt ab Iſraële quadraginta annis ante exciſum Templum*, Hieroſ. Sanhedr. fol. 24. 2. *Et Judicia pecuniaria ablata ſunt ab Iſraële in diebus Simeonis Ben Jochai*, ibid. col. 1.

Τοὺς ἐξουθενημένους ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ.

I. *Viliſſimos*, vel *maximè contemptibiles* hîc interpretari, quod faciunt Verſiones nonnullæ, duriuſculum certè eſt & incongruum. Quid? Inopes & ex eleemoſynis, aut labore aſpero victum quæritantes, judiciis præfici? Unde talibus vel peritia judicandi, vel otium? Quàm promptum iis lucro proprio conſulere potiùs, quàm juſto judicio? Et quis non ſpreverit tales Judices?

Referenda eſt ergò vox Ἐξουθενημένους, non ad infimos de plebe, ſed ad infimos de claſſe judiciaria.

II. Claſſis iſta hos ordines habuit in ſubſelliis Judaicis, ſecundùm quorum morem & diſpoſitionem loqui Apoſtolum eſt vero ſimillimum.

1. Erat *Synhedrium Magnum* è Senioribus conſtans LXXI.

2. Erat *Synhedrium viginti-triumvirale* in civitatibus nobilioribus.

3. Erat בד"של ג', *Conſeſſus triumviralis* in unaquaque Synagoga.

4. Erat בד"של מומחין, *Conſeſſus Authorizatus* vel Authenticus.

5. Erat בד"שאינן מומחין, *Conſeſſus non Authorizatus*: Ἐξουθενημένος, *non Authenticus*.

III. Diſtinguimus primò inter בד"של שלשה, *Conſeſſum Triumviralem* conſtitutum in unaquaque Synagoga, & בד"מומחין, *Conſeſſum Authorizatum*, utcunque de tribus hominibus etiam conſiſtentem. Nam Conſeſſus triumviralis in unaquaque Synagoga conſtitit ex tribus Senioribus, ritè & per impoſitionem manuum promotis ad Presbyteratum: at בית דין מומחין, Conſeſſus iſte quem *Authorizatum* dicimus, non ſemper conſtitit ex hominibus per ordinationem ad Presbyteratum promotis, ſed non rarò ex hominibus diplomate aliquo ſpeciali, à *Synhedrio* iis conceſſo, authoritatem in his vel illis rebus dijudicandi recipientibus. Conſtitit plerumque ex חבירים *Collegis Sapientum*, viris quidem doctis & ſcholaribus, ſed qui non adhuc cooptati forent in ordinem & claſſem Presbyterorum.

Et munera utplurimùm τῶν מומחין erant diverſa à muneribus & officiis Conſeſsûs triumviralis. Illius erat judicare de rebus pecuniariis, de injuriis, &c. Horum, judicare de primogenitis pecorum offerendis Domino, an labe carerent necne, (vid. *Becoroth*, fol. 48. 1.) de Amuletis fœminarum geſtandis aut non geſtandis Sabbato, *Shabb.* fol. 57. &c. de cultris lanionum, an liciti annon; & de rebus variis ejuſdem farinæ.

IV. Cùm vocabula בד"שאינן מומחין, reddimus *Conſeſſum non Authenticum*, ideò ita dictum intelligimus, non quòd judicia & determinationes iſtiuſmodi Conſeſſus non valerent; ſed quòd Conſeſſus ipſe authoritatem ſuam non reciperet à *Synhedrio*, ſed ab iis eligeretur inter quos pendebat controverſia.

Bava Mezia, fol. 32. 1. *Rabb Nachman dicit: Vidua* [ſi quid de dote ſua vendere velit] *non opus habet* בד"של מומחין, *Conſeſſu Authorizatorum; ſed opus habet* בד"של הדיוטות, *Conſeſſu Idiotarum*, vel hominum privatorum.

Maymon. in אישות, cap. 17. hæc citans ſic habet. *Vidua, viduatane ſit poſt matrimonium, an poſt deſponſationem, juramento aſtringitur, & fundum mariti ſui vendit* [in alimoniam ſcilicet ſuam] *vel in Conſeſſu* מומחין *Authorizatorum, vel in Conſeſſu* שאינן מומחין *non Authorizatorum. Iſte autem Conſeſſus eſt, cùm tres viri adſunt, honeſti & periti in æſtimatione fundi.*

Ad hunc uſitatiſſimum Judæis Conſeſſum reſpicere videtur Apoſtolus hoc in loco, & modum lites ſuas finiendi *Corinthiis* præſcribere, notum, facilem & abſque ſumptu.

Conſeſſum מומחין non incongruè vocare poſſis τοὺς αὐθεντημένους: hunc שאינן מומחין vocat ille ἐξουθενημένους, non *viles* aut *contemptibiles*, ſed *non Authorizatos*.

Hortatur ergò, ut ſi quando emergant inter eos lites de rebus pecuniariis, aliiſve, neutiquam ad tribunalia Ethnica confugiant; quin potius inter ſeipſos homines aliquos privatos eligant, in iſtiuſmodi rebus judices ac arbitros.

Sanhedr. fol. 3. 1. דיני ממנות בשלשה הדיוטות, *Judicia pecuniaria poſſunt eſſe per tres homines privatos*: גזילות וחבלות בג" מומחין, *Judicia de raptis & damnis per tres Authorizatos.*

Jevamoth, fol. 101. 1. *Præceptum de diſcalceatione leviri tres Judices requirit*: אפילו שלשתן הדיוטות, *etiamſi tres iſti ſint homines privati.*

Rambam in loc. הדיוטות אינן חכמים, *Privati,*

Privati, i. e. *qui non erant Sapientes.* Et *R. Solom. Qui non erant de Conſeſſu Seniorum in urbe ſua*; & tamen in iſta cauſa potuerunt eſſe Judices.

A Deo iſti quos in ea re judicare oportuit, vocantur זקנים, *Seniores*, Deuter. 25:9. *Accedet ad eum uxor fratris ſui in conſpectu Seniorum*, &c. Et à *Thalmudicis* vocantur *Judices* דינין, & tamen poterant eſſe homines privati.

Plurima etiam dicunt iidem Patres Traditionum de actore & reo, judices vel arbitros ſibiipſis eligentibus, de litibus ſuis deciſuros; utque teneantur litigantes ſententiæ eorum ſe ſubjicere, ſit licèt forma judicandi non omninò ſecundùm formam ſtatuti.

Exempli gratiâ. Requirebantur tres Judices ad determinandum de litibus pecuniariis, iique per canonem & ſtatutum, Seniores vel Presbyteri facti per legitimam ordinationem. At licuit litigantibus, ſi vellent, unum talem tantùm ſibi arbitrum vel judicem eligere, vel tres privatos & non Presbyteros.

Sanhedr. fol. 5. 1. *Tradunt Rabbini: Judicia pecuniaria ſunt per tres.* ואם היה מומחה לרבים דן אפילו יחידי, *At ſi ſit authorizatus, poteſt judicare ſolus. Dicit Rabh Nachman: Sicut ego judico de rebus pecuniariis ſolus. Et ſic dicit R. Chaija: Sicut ego judico de rebus pecuniariis ſolus.*

Imò ſi ſit *electus à litigantibus*, potuit judicare ſolus: nam hoc obtinuit, אם קיבלו עלידהו, *Si in ſe ſuſceperunt* judicio unius iſtius Senioris, aut trium iſtorum privatorum ſe ſubjicere, oportuit ſubjici; & valuit judicium.

De hac re agit utrumque *Thalmud* ſatis copioſè in Codice *Sanhedrin*, cap. 1.

Ex *Babylonio* hæc ſume loco jam allegato.

Rabh Nachman judicavit, & erravit in judicio. Acceſſit ergò ad Rabh Joſeph, à quo hæc audiit. אם קיבלוך עלידהו לא תשלם, *Si in ſe ſuſceperunt tuo judicio ſtare, non teneris ad ſolutionem damni*, &c.

Et aliquantò poſt. *Rabban Simeon ben Gamaliel dicit:* הדין בשלשה ופשרה בשנים *Judicium eſt per tres, & arbitratio* vel reconciliatio *per duos. Et melior eſt vis reconciliationis, quamvis judicii: nam duobus judicantibus, poſſunt litigantes ab eorum ſententia recedere; at verò cùm duo arbitri litem componunt, non poſſunt litigantes ab eorum ſententia recedere.*

Ratio utriuſque eſt, quia duo Judices non erant juſtus Conſeſſus. Si ergò ii judicare vellent ex officio, non valuit eorum judicium; at ſi ſpeciatim pro arbitris eligerentur à litigantibus, valuit. Nam ut Gloſſa, *A ſententia duorum qui litem componunt non poſſunt litigantes recedere, nam eos elegerunt.*

Hoc etiam ex *Hieroſolymitano*, fol. 18. 1. *R. Abbu ſedit judicans ſolus Cæſareæ. Dixerunt ei Diſcipuli ejus, Nonne Rabbi hoc nos docuit? Ne quis judicet ſolus. Reſpondit iis, Cùm me videritis ſedentem ſolum, & tamen ad me accederetis, eſtis ac illi qui judicem ſibi recipiunt.*

VERS. 12. Πάντα μοι ἔξεστιν, &c.

Tranſit jam Apoſtolus ad aliud thema, agitque tacitè contra peſtem iſtam, in Eccleſia nimis graſſantem, facinoroſam hæreſin *Nicolaitarum*, quæ ad comedenda Idolothyta ſuaſit, & fornicationem.

I. Sectam *Nicolaitarum* à *Nicolao*, de ſeptem Diaconis uno, cognominationem ſuam hauſiſſe qui negaverit, næ ille toti Antiquitati videretur certè contrariari. Et tamen inter ipſos Antiquos non ſatis eſt de re conſenſum. Audeantur Authores, & in partes eos iviſſe comperies, an a facto *Nicolai* emanarit hæreſis, an à quodam dicto. Quid ſi à neutro? At à verbo ניכולה *Nicolah* deductum ſit Sectæ nomen; quod denotat *Comedamus.* Nam ut vox Hebræa נאכל *Chaldæis* tranſiret in ניכול, quis non novit? Et cùm nequiſſimis iſtis homuncionibus nihil antiquius foret, quàm ſeſe mutuò ad comedenda Idolothyta animare, dicentes invicem aliiſque, quod conjectari licet, ניכולה, *Nicolah*, *Comedamus*; quàm aptiſſimè inde ab Orthodoxis denominari poterant *Nicolaitæ? Targ.* in *Iſaj.* 22:13. אמרין ניכול בסר.

II. Undecunque Sectæ nomen, vix dicas an horrenda ea magis, an miranda. Nam cùm nuperrimè decreverit *Synodus Hieroſolymitana* contra comeſtionem Idolothytorum, & ſcortationem, *Actor.* 15. ſtupendum eſt exortum illicò eſſe genus hominum, eorumque Euangelium profitentium, qui ipſi omni audaciâ in contrarium irent, alioſque omni nixu ac induſtriâ excitarent ad comedendum Idolothyta & fornicandum.

III. Præterquàm quòd prætextu libertatis Chriſtianæ uſi abuſique ſunt nefarii iſti in rebus hiſce nequiſſimis peragendis, argumenta etiam excogitarunt nequitiæ ſuæ velandæ, audaciæque tutandæ accommodata; quæ ordine perſtringit Apoſtolus. Primum eſt illud, Πάντα μοι ἔξεστιν, quæ quamvis de ſeipſo optimè dicere potuit Paulus, *Omnia mihi licent*, ut *Cap.* 10:23. tacitè tamen videtur ipſorum verba & argumentationem inſuſurrare: quibus etiam reſpondet, *At omnia tamen non expediunt: at ego non ſubigar ſub cujuſvis poteſtate.*

Secundum eſt, *Venter deſtinatur eſcis.* Idolothyta ſunt eſcæ: ergò. Reſpondet, *Deus & hunc*

Digitized by Google

CAP. VI. VERS. 16. CAP. VII. VERS. 3, 5. *hunc & has deſtruet*. De anima ergò pręcipuè eſt curandum, non de iſtis rebus quæ peritura. Et detur ventrem deſtinari eſcis; at corpus tamen non deſtinatur fornicationi, ſed Domino.

Vers. 16. Ἔσονται γὰρ, φησὶν, οἱ δύο εἰς σάρκα μίαν.

Bereshith Rabb. ſect. 18. *Eruntque illi duo in carnem unam*, מקום ששניהם בשר אחד, *In loco ſcilicet iſto ubi conficiunt carnem tantùm unam.* Quæ aptior eſt Gloſſa, quàm primo aſpectu reputares, & quam reſpicit Apoſtolus planiſſimè hoc in loco. Verba iſta apud *Moſen* juſtum matrimonium reſpiciunt; at flectit ea Apoſtolus ad carnalem etiam copulam cum ſcorto. Unde neceſſe eſt ut verba *Moſis* hoc ſenſu accipias: Relinquet ergò vir patrem & matrem, & adhærebit uxori, & erunt illi duo [tantùm] in carnem unam: i. e. Illi inter ſe tantùm carnaliter copulabuntur, & non cum quovis vel quavis alia.

CAP. VII.

Vers. 3. Τὴν ὀφειλομένην εὔνοιαν.

QUid vulgò hîc intelligi ſoleat, ſatis eſt notum. Quamvis enim vox Ἔυνοια omnia mutua convictûs officia includat, vides quònam ſe applicet Apoſtolus, *verſ.* 5. idque non ſine ratione, cùm ridicula multa ſerio de re iſta præſcripſerint Judæorum Magiſtri; aliquando tempora concubitûs ſtatuta definientes; aliquando votum abſtinentiæ permittentes. Prohibet modeſtia nugas eorum referre. Mallem lector eos ipſos adeat, quàm ut charta noſtra iis commaculetur. Hæc pauca tantùm non poſſumus non in medium proferre, ut pateat aliquantum ratio quare Apoſtolus de hac re agat:

Chetubb. cap. 5. hal. 6. *Concubitus de quo mentio in Lege hic eſt. Generoſis qui nec mercaturam nec opus aliquod aliud exercent, unaquaque die. Operarius bis in hebdomada--- Diſcipulis Sapientum unaquâque veſperâ Sabbati.*

Vers. 5. Μὴ ἀποστερεῖτε ἀλλήλους, &c.

Ibid. *Qui voto uxorem conſtringit à concubitu, ſecundùm Scholam Shammæanam, illud faciat in duas hebdomadas: ſecundùm Hillelianam, in unam tantùm.*

Rambam in locum. *Obſervet votum hoc ſuum per ſeptimanam unam tantùm. Quòd ſi ulteriùs velit, dimittat eam, & reddat dotem.*

At dicunt, Exeant Scholares ad diſcendam Legem, etiam abſque permiſſione uxorum, per triginta dies. Hæc quidem ſunt verba R. Eliezaris. *At ſecundùm Sapientes, per biennium licet vel triennium; & Traditio eſt ſecundùm Sapientes.* CAP. VII. VERS. 6.

Exempla habes quorundam longè limites hoſce excedentium, in *Gemara* ad locum allegatum, quem vide.

Concludit *Rambamus*, [de plebe ſcilicet] *Scito quòd penès uxorem eſt retinere maritum, ne eat ad mare, vel in exercitum, niſi in propinquo, ne ſcilicet defraudaretur debito concubitu. Reſtringere etiam eum illa poteſt ne tranſeat ab uno opificio in aliud, ne inde diminuatur concubitus ejus, ſtudio Legis ſolùm excepto.*

Vers. 6. Οὐ κατ' ἐπιταγήν.

Συγγνώμη & ἐπιταγή aliqualiter reſpondent verbis iſtis apud Patres Traditionum uſitatiſſimis, רשות & חובה. Jam verò illi matrimonium ſevero præcepto præſcriptum volunt.

Maimon. in אישות, cap. 15. *Vir mandatur de generatione & multiplicatione, ſed non fœmina. Et quandonam venit vir ſub hoc mandato? Ab ætate ſedecim aut ſeptemdecim annorum. Quod ſi viginti annos exceſſerit non ductâ uxore, ecce is violat & inane reddit præceptum affirmativum. At verò ſi ſit ſtudioſus in Lege, atque in ea verſans, ſique metuat ſibi à matrimonio, ne cura de alenda uxore impediat ſtudium ejus in Lege, licet ei adhuc morari. Quia qui occupatus eſt in præceptis, liber eſt ab iſto præcepto; multò magis is qui verſatur in ſtudio Legis. Is cujus animus verſatus eſt in Lege ſemper, ut* Ben Azzai, *atque ei incumbit omnibus diebus ſuis, ſi uxorem non ducat, in manu ejus non eſt iniquitas. At ſi in eum prævaleat affectus, uxorem ducat, etiamſi ſint ei jam liberi, ne incidat in malas cogitationes.*

Jevamoth, cap. 6. hal. 6. *Ne ſe cohibeat vir à generatione & multiplicatione, niſi jam ſint ei liberi.*

Gemara in loc. *Si ſint ei liberi, à generatione & multiplicatione ſe cohibeat, ab uxore autem ducenda ne ſe cohibeat--- Prohibitum eſt ei eſſe abſque uxore, quia dicitur, Non bonum eſt homini ut ſit ſolus.*

Ibid. fol. 63. 2. *Quicunque ſe non addicit generationi ac multiplicationi, idem eſt cum homicida--- Eſt ac ſi diminueret de imagine Dei,* &c.

Determinat ergò Apoſtolus contra Scholas Judaicas, non obligari hominem ex lege ad matrimonium, ſed ſui juris in hac re eſſe, ut contrahat vel non, prout ſe experiretur continentem, vel ſecùs. Dixerunt illi, Præceptum

Digitized by Google

CAP.VII. VERS. 9. eſt ut unuſquiſque uxorem ducat: at dicit ille, *Præceptum non habeo.*

VERS. 9. Κρεῖσσον γάρ ἐστι γαμῆσαι ἢ πυροῦσθαι.

Ut percipias ſenſum vocis πυροῦσθαι, audi hiſtoriam.

Kiddushin, fol. 81. 1. *Adductæ fuerunt captivæ quædam fœminæ ad Nehardeam, ac diſpoſitæ in domo tnque* ὑπερῴῳ *Rabb Amrami.* אשקולו דרגא מקמידו, *Scalam*, vel gradus *amoverunt*, [ne fœminæ deſcenderent, nam illic recluſæ ſunt donec redimerentur] *Prætereunte unâ earum juxta feneſtram, effulſit lux venuſtiſſimæ formæ ejus in domum. Amramus* [formâ fœminæ captus] *admovit gradus iterùm, quos decem homines admovere vix poterant.* [ut ad fœminam aſcenderet] כי מטא לפלגא דרגא איפשח, *Cùm ad medium graduum jam aſcenderat, pedes ſuos dilatavit,* [& fixus ſtetit cum pravo iſto affectu colluctans ut eum vinceret] רמא קלא נורא בי עמרם, *Atque elatâ voce exclamavit incendium* [apud nos *Anglos*, *Fire Fire*] *in domo Amrami.* [*Gloſſ.* Hoc fecit ideo ut concurrentibus eò vicinis, à cœpto ſuo, atque ab iſto affectu deſiſteret præ pudore] *Concurrunt ad eum Rabbini; &* [nihil incendii aut flammæ videntes] *probro nos affeciſti, ajunt. Quibus ille. Præſtat ut probro afficiamini in domo Amrami in hoc mundo, quàm ut probro à me afficiamini in mundo futuro. Adjuravit ille pravum iſtum affectum ut ex ſe exiret, atque ex eo is exiit ſicut columna ignis. Cui ille, Tu es ignis, & ego caro; nihilominùs tamen ego in te prævalui.*

VERS. 10. Οὐκ ἐγὼ, ἀλλ' ὁ Κύριος.

Atque è converſo, *verſ.* 12. Ἐγὼ λέγω, οὐχ ὁ Κύριος.

I. Perpende primùm diſtinctionem iſtam in Scholis uſitatiſſimam, inter קרא, & סברא.

Bava Bathr. fol. 8. 2. *Mors per gladium pejor eſt quàm mors per peſtem.* איבעית אימא קרא איבעית אימא סברא. *Si vis proferam Textum Scripturæ* [ad hoc probandum.] *Si vis proferam rationem, vel opinionem meam. Si vis proferam opinionem: Illa abominabilem reddit; at non hæc. Si vis proferam Scripturam: Pretioſa in oculis Domini eſt mors* [*peſtis*] *ſanctorum ſuorum.*

Fames eſt pejor gladio. איבעית אימא סברא, *Si vis proferam opinionem: Fames diu affligit, gladius non.* איבעית אימא קרא *Si vis proferam Scripturam: Meliùs eſt morientibus à gladio quàm à fame.*

Zevachin, fol. 2. 1. *Holocauſtum quod mactatur non ſub notione propria, ſanguis ejus non eſt ſpargendus ſub notione non propria.* איבעית אימא סברא איבעית אימא קרא, *Si vis proferam opinionem* vel rationem meam. *Si vis proferam textum Scripturæ.* Et plurima hujuſmodi. CAP.VII. VERS.10.

II. Et jam confer verba Apoſtoli: *Hæc ego non dico*, ſed *Dominus*: id eſt, Hæc non eſt nuda ſententia mea; ſed ſic dicit Scriptura. Atque è converſo, *Hæc ego dico, non Dominus:* id eſt, Hæc eſt ſententia mea, quamvis non adſit Textus aliquis Scripturæ, qui ſic dicit planis verbis. Sic ſeipſum explicat *Cap.* 9: 8. *Num hæc ego dico, & non Lex?*

Γυναῖκα ἀπὸ ἀνδρὸς μὴ χωρισθῆναι.

Nec ſine ratione gravi & de hac re admonet, cùm & apud Judæos & apud Gentiles laxa nimiùm foret opinio de firmitate vinculi conjugalis: & laxior quidem apud Judæos quam Gentiles.

I. Cogita primùm apud eos tolerationem τῶν מיאונין, quam habe ipſorum verbis.

Maymon. Geruſh. cap. 11. *Si quis ducat puellulam, eaque poſteà nolit maritum ſuum, repudiare eum poteſt, & ab eo diſcedere, & non opus habet libello repudii.*

Hinc hæc formula גט מיאון, *Libelli hujus repudii, ſi requireretur.*

Die hebdomadis N. Menſis N. Anni N. Repudiavit N. filia N. coram nobis, & dixit, Mater mea aut fratres mei me deceperunt atque conjugarunt, aut deſponſarunt, cùm puellula forem, τῷ *N. filio N. Aſt ego nunc animum meum patefacio coram vobis, quòd eum nolo,* &c.

II. Erat & apud eos diſceſſio ex mutuo conſenſu.

Bereſh. Rabb. ſect. 17. *Vir bonus habuit uxorem bonam: aſt ideò quòd non haberent liberos,* גרשו זה את זה, *mutuò ſe dimiſerunt. Duxit vir iſte bonus uxorem malam, atque ea illum reddidit malum. Nupſit fœmina iſta bona marito malo, atque ea illum reddidit bonum.*

Eandem licentiam attribuunt etiam Ethnicis.

Id. ſect. 18. *R. Jochanan dicit, Filii Noachi non habent divortia; at* גראו זה את זה, *mutuò ſe dimittunt.*

III. Ut omittamus diſceſſionem uxoris à marito ob cauſas libidinoſas, ut diſceſſit *Herodias* à *Philippo* conjuganda *Herodi*, & *Druſilla* ab *Azizo*, & nupſit *Felici*, *Joſeph. Antiq.* lib. 20. cap. 5. potuit uxor perverſa cogere maritum ut eam dimitteret.

Maymon. in אישות cap. 14. *Uxor quæ refugit concubitum mariti, vocatur* מורדת *Rebellis. Et quærunt ab ea, quare ea adeò rebellis*

Digitized by Google

CAP.VII. VERS. 11, 14.

rebellis. Si reſpondeat, Ego eum ſperno, & non poſſum concubitum ejus perpetit; cogunt eum illam dimittere pro tempore. Imò,

Beresh. Rabba, ubi noviſſimè. *R. Jochanan dicit, Uxor poteſt maritum dimittere.*

Diſceſſiones ergò iſtas omninò prohibet Apoſtolus: & cum *verſ.* 11. dicit, Ἐὰν δὲ χωρισθῇ, eas non tam tolerat quàm eventuras ſupponit, & contra omnes quidem cavet quantum fieri poteſt regulis ſubſequentibus, *Maneat cœlebs, aut viro reconciliator.*

VERS. 11. Τῷ ἀνδρὶ καταλλαγήτω.

Confer *Deuter.* 24:4. Nam hîc non diſſolvitur vinculum quod illic factum.

Jevamoth, fol. 90. 2. בטלו מבוטל, *Evacuat, Evacuatur: verba ſunt Rabbi.* [*Gloſſ.* Mittit maritus libellum divortii uxori. Si aut ipſe poſteà accedit ad uxorem, aut ad eam nuntium mittit, dicendo, Libellus divortii quem ad te miſi nullus ſit, nullus eſt.] *Traditio. Olim Conſeſſum coëgit alio in loco, qui evacuaret libellum, & rem uxori non fecit notam. Statuit Gamaliel Senior, ne hoc facerent, quippè quòd aliquando uxor retractationem libelli ignorans, nubit alteri, & ſic filios habet ſpurios.*

En tibi καταλλαγὴν etiam poſt divortium; [at de divortio non loquitur Apoſtolus hoc in loco] & tamen praxi ſuâ oſtenderunt Judæi ſe opinari ſolutum eſſe vinculum matrimoniale per quodvis divortium, nam admiſerunt ſecundas nuptias.

VERS. 14. Τὰ τέκνα ὑμῶν νῦν ἅγιά ἐστι.

Ἀκάθαρτα & Ἅγια non illegitimationem & legitimationem denotant, ſed Ethniciſmum, & Chriſtianiſmum. Eſt quidem hæc Traditio apud Judæos.

Maymon. Iſſure Biah, cap. 12. *Filius ex conjugio illegitimo* [id eſt, illegitimo propter conſanguinitatem] *eſt filius viri quoad omnia, & reputandus eſt pro Iſraëlita, quamvis ſit nothus.* ובן מן הגויה אינו בנו, *At filius Ethnicâ genitus, non eſt ejus filius.* Ubi *Gloſſ: Non vocatur filius viri, ſed filius fœminæ.*

At non in hoc cardine vertitur præſens diſſertatio Apoſtoli, an ſcilicet filius ex parentibus, quorum unus erat Chriſtianus, alter Ethnicus, ſit legitima proles; ſed an Chriſtiana proles.

Nam ſatis notum eſt vocem קדושים Ἅγιοι frequentiſſimè ſumi pro profitentibus Chriſtianiſmum, & ſic occurrit vox קדושה apud *Thalmudicos* pari ſenſu.

Jevamoth, fol. 42. 1. *Vir & uxor Proſelyti facti, per nonaginta dies à ſe invicem ſeparantur, ut dijudicari poſſit* בין זרע שנורע בקדושה לזרע: שלא נזרע בקדושה, *Inter prolem genitam in ſanctitate, & prolem genitam extra ſanctitatem.*

Chetubb. fol. 44. 1. *Proſelytiſſæ quacum Proſelytiſſa etiam facta eſt filia ſua, ſi mœchetur filia, iſta* [poſt deſponſationem] *ſtrangulanda eſt.* היתה הורתה שלא בקדושה ולידתה בקדושה, *At ſi eam concepit extra ſanctitatem, peperit autem in ſanctitate, tum lapidanda eſt.*

Maymon. Iſſure Biah, cap. 15. *Proſelytiſſa quæ nupta eſt Proſelyto, filiumque generat,* אפילו הורתה ולידתה בקדושה, *quamvis & conceptio ejus & partus ejus ſint in ſanctitate, tamen permiſſum ei ducere ſpuriam.*

Vides primo aſpectu quid ſibi velit phraſiologia *in ſanctitate.* Proles genita extra ſanctitatem erat proles genita dum parentes adhuc forent Ethnici: *intra ſanctitatem*, cùm jam facti eſſent Proſelyti.

Eodem ſenſu Apoſtolus. Liberi veſtri geniti ſunt in ſanctitate, id eſt, intra Chriſtianiſmum, ſi vel pater vel mater ſit Chriſtianus. Atque ipſi liberi ſunt *ſancti*, id eſt, Chriſtiani.

Ethnici à Judæis reputabantur pro immundis, adeòque quidem immundis, ut non poſſent immunditiam contrahere, imò non à re immundiſſima, ſepulchro, *Hieroſ. Peſachin*, fol. 36. 2. Hinc τέκνα Ethnica erant iis Ἀκάθαρτα, & Judæorum Ἅγια. Ad quem ſenſum Genti notiſſimum alludit Apoſtolus hiſce verbis.

CAP.VII. VERS. 14, 18, 19.

VERS. 18. Μὴ ἐπισπάσθω.

Thalmudicis אל ימשך ערלתו.

Beresh. Rabb. fol. 46. *Circumciſio quater aut quinquies iteretur, ſi quiſpiam ſit toties* משוך Ἐπισπασθεὶς.

Hieroſ. Jevamoth, fol. 9. 1. *Multi erant in diebus Ben Cozbæ,* שמשכו ערלתם, *qui retraxerant præputium, qui iterum circumcidebantur.*

R. Niſſim in *Jevamoth*, fol. 428. 2. תניא משוך צריך למול, *Traditio. Is qui retracti eſt præputii, eſt iterum circumcidendus. Interpretatio vocis* משוך [ἐπισπασθεὶς] *hæc eſt, Si poſtquàm circumciſus fuerat, retrahitur præputium, vel per homines, vel per aliquam ægritudinem. Multi fuerunt in diebus Ben Cozbæ, qui circumciſi fuerant* שמשכום באונס, *quorum præputium per vim retraxerant in civitate Betar. At prævaluit Ben Cozba, & regnavit annos duos & dimidium. Atque illi ſunt iterùm circumciſi in diebus ejus.*

VERS. 19. Ἡ περιτομὴ οὐδέν ἐστι.

Inter plura quæ hîc dici poſſent, duo tantùm

Digitized by Google

tùm obſervabimus, unum ex ipſa praxi Judæorum, alterum de præcipuo fine Circumciſionis.

I. Miraberis forſan, ô lector, audiens nonnullos Judæos ſemper inceſſiſſe præputiatos, imò nonnullos Sacerdotes non circumciſos miniſtraſſe ad Altare, idque abſque cujuſvis querela, & quidem ſine ſua culpa. At hoc fatentur ipſi Patres Traditionum.

Occurrit frequentiſſimè apud *Thalmudicos* mentio τοῦ ישראל ערל, *Iſraëlitæ præputiati*, & τοῦ כהן ערל, *Sacerdotis præputiati.*

Hieroſ. Peſachin, fol. 36. 2. *R. Jochanan nomine R. Benajæ dicit, Aſpergunt* על ישראל ערל, *ſuper Iſraëlitam præputiatum.*

Zevachin, cap. 2. hal. 1. *Omnia ſacrificia quorum ſanguis excipitur ab alieno, lugente* ערל *Sacerdote præputiato*, &c. *non approbantur. R. Simeon dicit, Approbantur.*

Hieroſ. ubi antè. *R. Lazar nomine R. Haninæ dicit, Hiſtoria eſt* בכהן ערל, *de Sacerdote præputiato, qui ſanguinem ſparſit ad Altare, atque approbatæ fuerunt ſparſiones ejus.*

Gloſſ. in *Zevachin. Sacerdos præputiatus eſt Sacerdos, cujus fratres mortui ſunt ex Circumciſione.*

Aruch ex *Cholin. Iſraëlita præputiatus eſt, cujus fratres mortui ſunt ex Circumciſione: & tamen is eſt Iſraëlita*, quamvis præputiatus. *Aſtricti enim non ſunt Iſraëlitæ ad præcepta præſtanda ubi mors certò inſequetur: nam dicitur, Leges, quas ſi obſervaverit homo, vivet in iis, non ut moriatur in iis.*

Hinc ſi filius primus, ſecundus, tertius, morerentur ex Circumciſione, poſteà nati non circumcidebantur, ſed ſemper erant præputiati, & tamen *Iſraëlitæ* quoad omnia, Sacerdotes quoad omnia.

Hieroſ. Jevam. fol. 7. 4. *R. Nathan dicit, Profectus ſum Cæſaream Cappadociæ, eratque illic fœmina quæ mares pepererat, qui mortui fuerant ex Circumciſione, primus, ſecundus, tertius: quartum ad me adduxerunt, inſpexique ego eum, & non vidi in eo ſanguinem fœderis. Monuit ut eum permitterent aliquantiſper non circumciſum, & permiſerunt*, &c.

Dicas mihi jam, Judæe, an Circumciſio *aliquid* ſit, præſertim an tanti ſit, vel ad juſtificationem, vel ad ſanctificationem, quanti tu eam æſtimas? cùm *Iſraëlita* potuerit eſſe verus *Iſraëlita*, Sacerdos verus Sacerdos, abſque Circumciſione.

II. *Circumciſio nihil eſt* ratione habitâ temporis, jam enim evanuerat, adimpleto præcipuè ejus fine ob quem fuerat inſtituta. Iſtum finem exhibet Apoſtolus in verbis iſtis, *Rom.* 4: 11. Σφραγῖδα τῆς δικαιοσύνης τῆς πίστεως τῆς ἐν ἀκροβυστίᾳ. At vereor, ne à pleriſque Verſionibus non ſatis aptentur ad finem Circumciſionis, & ſcopum Apoſtoli, dum ab iis interſeritur aliquid de ſuo.

Gallica ſic. *Sceau de la juſtice de foi, laquelle il avoit durant le prépuce.*

Ital. *Segno della giuſtitia della fede, laquale fu nella circoncisione.*

Syr. וחתמא דכאנותא דהיכנותה.
Et ſigillum juſtitiæ fidei ſuæ.

Arab. *Juſtitiæ fidei* אלדי כאן *quæ fuit in præputio.*

Aliæ in eundem ſenſum, ac ſi Circumciſio daretur *Abrahamo* in ſigillum juſtitiæ iſtius quam ille habuit, dum adhuc foret præputiatus; quod non negabimus aliqualiter verum eſſe: at credimus Circumciſionem longè aliò præcipuè reſpexiſſe.

Liceat mihi verba ſic reddere. *Et ſignum accepit Circumciſionis ſigillum juſtitiæ fidei quæ futura in præputio. Quæ futura* dico, non *quæ fuerat:* non *quæ fuerat Abrahamo* adhuc præputiato, ſed *quæ futura* ſemini ejus præputiato, id eſt, Gentilibus, fidem olim *Abrahami* imitaturis.

Nam adverte benè quâ occaſione inſtituta *Abrahamo* Circumciſio, ponens tibi ante oculos hiſtoriam ejus, *Geneſ.* 17.

Fit primò ei hæc promiſſio: *Multarum Gentium eris tu pater*; [quonam ſenſu explicat Apoſtolus iſto Capite] & ſubinde ſubjungitur duplex ſigillum rei corroborandæ; immutatio ſcilicet nominis *Abrami* in *Abrahamum*; & inſtitutio Circumciſionis, *verſ.* 4. *Ecce mihi tecum eſt fœdus, eris tu pater multarum Gentium.* Quare vocatum eſt nomen ejus *Abrahamus?* In ſigillationem hujus promiſſionis, *Tu pater eris multarum Gentium.* Et quare inſtituta ei Circumciſio? In ſigillationem ejuſdem promiſſionis, *Tu pater eris multarum Gentium.* Ita ut hic ſit ſenſus Apoſtoli, inſtitutioni Circumciſionis congruentiſſimus. Accepit ſignum Circumciſionis ſigillum juſtitiæ fidei, quam olim erat Incircumciſio [vel Gentiles] habitura & adeptura.

Duplex ſemen erat *Abrahamo*; Naturale, Judæorum; & Fidele, Gentilium credentium. Signatur Naturale ſigno Circumciſionis: primò quidem in ſui diſtinctionem ab omnibus aliis Gentibus, dum eæ non adhuc forent ſemen *Abrahami*; at præcipuè in memoriam juſtificationis Gentium per fidem, cùm tandem forent ejus ſemen. Ceſſatura ergò meritò erat Circumciſio, cùm introducerentur Gentiles ad fidem, quippè quòd tunc finem ſuum ultimum ac præcipuum obtinuerat, & exinde ἡ περιτομὴ οὐδὲν.

VERS. 23.

CAP.VII. VERS. 23, 26.

Vers. 23. Μὴ γίνεσθε δοῦλοι ἀνθρώπων.

Quæro, an dicat hæc Apoſtolus directè & ex ſenſu ſuo, an per modum objectionis, cui reſpondet commate ſequenti? De ſeipſis ſic objicere ſoliti erant Judæi ob libertatem per redemptionem ex *Ægypto* partam, ita ut nullo modo *non liberi* audire tolerarent, *Joann.* 8:33.

Kiddushin, fol. 22. 2. *Rabban Jochanan Ben Zaccai dixit, Dicit Dominus benedictus, Auris quæ audiit vocem meam ſuper montem Sinai quo tempore dixi, Nam mihi ſunt ſervi filii Iſraëlis, & non ſervi ſervorum, proficiſcitur autem & acquirit ſibi Dominum; perforator.*

Fortè eodem tumore laborabant recentes hi Chriſtiani, qui forte ſervili erant, non adhuc de vero ſenſu libertatis Euangelicæ eruditi. Aut ſcrupulus iis hæſit, an licitùm Chriſtiano ſervire Ethnico, Atheo, Idololatræ, &c. Quales moventur quæſtiones à Magiſtris: *An vendendus Iſraëlita in ſervum Ethnico? An ſervus Iſraëlita eâdem ſervitute premendus, quâ Canaanæus?*

Si directè loquatur Apoſtolus, non de ſervis ſpeciatim ſermonem habet, ſed de univerſis Chriſtianis. Et longè ab eo abeſt relationem inter Dominos & ſervos tollere: ſed Chriſtianos omnes monet, ne pravis hominum libidinibus & voluntatibus inſerviant, ſed illi qui eos pretio redemit.

Vers. 26. Διὰ τὴν ἐνεστῶσαν ἀνάγκην.

Et mox, *verſ.* 29. Ὁ καιρὸς συνεσταλμένος τὸ λοιπόν ἐστι.

Scitati ſunt Apoſtolum *Corinthii* per Epiſtolam in cauſa matrimonii, ut videtur ex ejus reſponſione.

I. De conjugiis inter fidelem & infidelem continuandis aut non continuandis.

II. De connubiis virginum aut cœlibum.

Jam verò unde iis in hoc poſteriori oriretur ſcrupulus, eſt obſcurius. Inter Judæo-Chriſtianos oriri potuit ſcrupulus, an cœlibi liceret abſtinere à connubio, quia apud Gentem iſtam, ut obſervavimus, matrimonium præceperunt ex lege. At ſi quæſtio foret, an liceret virgini aut cœlibi matrimonium contrahere, [nam reſpondet Apoſtolus οὐχ ἥμαρτες, ac ſi quæreretur potiùs an liceret nubere, quàm an liceret non nubere] tunc vix conjicias unde oriretur, niſi ἐξ ἐνεστώσης ἀνάγκης.

Docet Apoſtolus noſter, prohibuiſſe quoſdam matrimonium, 1 *Tim.* 4: 3. At quonam prætextu? Vel ſub hoc, quòd puritati Euangelii repugnare matrimonium blaterarent, ut *Saturninus* apud *Irenæum*, lib. 1. cap. 22. vel quòd matrimonium fugerent ob impendentes calamitates. *Probibent matrimonium*, inquit Apoſtolus, *& jubent abſtinere à cibis.*

CAP.VII. VERS. 26.

Audi *Gemariſtas* paululùm.

Bava Bathra, fol. 60. 7. *Ex quo exciſum eſt Templum ſecundum, multiplicati ſunt Phariſæi* [Separatiſtæ] *in Iſraële, qui non ederent carnem, nec biberent vinum. Quibus R. Joſua, Quare, ô filii mei, non editis carnem, nec bibitis vinum? Et illi, Num nos carnem edemus de qua ſoliti ſumus offerre in Altari, & jam periit? Et vinum bibemus de quo libare ſoliti ſumus ſuper Altare, & jam deſiit? --- Cùm dominaretur Imperium impium Iſraëli, decerneretque contra eos aſpera, ceſſareque ab iis faceret Legem & Præceptum, nec eos permitteret circumcidere filios, dixerunt R. Joſuæ, Æquum eſt ut ſtatuamus apud nos, ut non contrahamus matrimonium, nec generemus filios*, &c.

En tibi paratos & juratos ferè in perpetuam abſtinentiam à matrimonio ob calamitates: ſuſpicor & à pari cauſa hæſitaſſe nonnullos Chriſtianos temporibus Apoſtolorum. Prædixerat Salvator aſperrima futura iſta tempora quæ anteceſſura erant excidium *Hieroſolymitanum*, *Matth.* 24. idque non intra limites *Judææ* tantùm; ſed *Judicium exorſurum à Templo Dei* ubivis terrarum, 1 *Pet.* 4: 17. & *Diem tentationis venturum ſuper univerſum orbem*, Apocal. 3: 10. Ita ut prædictione iſta Eccleſiis notâ, & temporibus in iſtas calamitates jam nutantibus, non mirum eſt ſi ſolicitudo & anxietas de talibus anguſtiis invaderet Chriſtianos, & plurimos cœlibes deterreret à matrimonio.

CAP. VIII.

CAP. VIII. VERS. 1, 4.

Vers. 1. Οἴδαμεν ὅτι πάντες γνῶσιν ἔχομεν.

Γνῶσις de quâ hîc Apoſtolus, eſt notitia libertatis Euangelicæ: at verba hæc *ironicè* proferuntur, ac ſi dixiſſet: Concluditur ab omnibus, ſe ſatis ſcire libertatem iſtam Euangelicam, atque indè prorumpunt nonnulli in res quæ non conveniunt. Notitia iſta inflat, audaces reddit, conſcientias aliorum negligit; & qui hoc ſenſu aliquid noſſe ſibi videtur, nondum quicquam novit ſicut oportet noſſe.

Vers. 4. Οὐδὲν εἴδωλον ἐν κόσμῳ.

Scimus quòd nullum Idolum eſt in mundo: id eſt, Repræſentatio Dei. Εἴδωλον, ut docent Lexicographi, eſt ὁμοίωμα, εἰκὼν, σημεῖον, χαρακ-

CAP. VIII. VERS. 10. χαρακτήριον, σκιοειδὲς. Idola quidem ſunt in mundo, lignea, ſaxea, aurea, argentea, &c. at ὐδὲν εἴδωλον, nulla eſt, nulla fieri poteſt repræſentatio aut figura Dei. Induit Apoſtolus adhuc, ut ego quidem arbitror, perſonam eorum qui nihil ſcrupuli poſuerunt in comedendis Idolothytis. Ac ſi dixiſſet, Vos dicitis, Novimus quòd nulla repræſentatio Dei eſt in mundo, & eſt tantùm Deus unus, &c. Sculptilia ergò & varia iſta Idola mera ſunt figmenta humani erroris, & victimas iis offerre eſt merum commentum hominum. Nihil in iis ſacri, aut religionis, quia nihil in iis repræſentationis Dei. Nos ergò ſub Euangelica libertate à comedendis iſtis carnibus abſtinebimus, quas ſtultitia tantùm humana à communi uſu alienavit; & truncis & ſtipitibus obtulit, quæ nihil Dei in ſe habent, ſed creantur tantùm ab eadem ſtultitia humana? Vera quidem quæ dicitis; ſed malè applicata, atque *omnes hanc ſcientiam non habent.* Aut ſi reddas, *Idolum nihil eſt in mundo*, ſenſus redit eodem.

VERS. 10. Ἐν εἰδωλείῳ κατακείμενον.

Confer iſta *Talmudiſtarum.*

Sanhedr. fol. 61. 2. העובד ע״ז מאהבה ומיראה, *Qui adorat Idolum amore aut timore, Rabba dicit, Immunis eſt. Abai dicit, Reus eſt, quia colit illud. Rabba dicit, Immunis eſt.* אי קבליה עליה באלוה אין, *Si concipiat illud pro Deo, ita eſt, reus eſt;* ואי לא לא, *Si non, non.*

Et paulo poſt. *Si ſupponat Idoleum eſſe Synagogam, & adoret Idolum*, הרי לבו לשמים, *Ecce cor ejus eſt erga Deum.* אלא דחזא אנדרטא, *At ſi videat ſtatuam, & adoret eam, ſi pro Deo eam concipiat, reus eſt* מזיד *ut præſumptuosè agens. At ſi non concipiat eam pro Deo,* לא כלום הוא, *nihil eſt omninò.*

Gloſſ. *Ecce cor ejus eſt erga Deum: etiamſi noverit quòd domus iſta eſt Idoleum, atque ipſe in eo adorat Deum, nullum eſt crimen*, &c.

Si videat ſtatuam, qualem erigere ſolent pro effigie Regis, & adorat eam, non ſub notione Idoli, ſed in honorem Regis, nihil eſt.

Hieronymus à Sancta Fide Periocham hanc Thalmudicam citat, lib. 2. contra Judæos, cap. 2. his verbis. *Dicunt in libro Sanhedrin, Si quis adoraverit Idolum amore vel timore, immunis eſt. Et gloſſat* Rabbi Solomon: *Amore intelligitur, ut ſi aliquis Dominus rogaverit ſervum ut ejus amore adoret: timore, ut ſi minatus ei fuerit niſi fecerit. Attamen* R. Moſes *de Ægypto gloſſat aliter, dicens, quòd amore intelligitur, ut ſi fuerit philocaptus à pulchritudine imaginis illius Idoli: timore verò, ut ſi timuerit ne Idolum noceat ei, ut ſervitores ejus opinantur quòd poteſt prodeſſe vel obeſſe, & quòd ſi in tali caſu adorat, immunis eſt.*

Egregiam verò Scholam & doctrinam! Ut alias omittamus, adverte iſtud, quod & apud hos Corinthios valuit: אם לא קבליה עליה כאלוה, *Si non Idolum agnoſcat ſub notione Dei, nihil eſt. Idolum nihil eſt*, dixerunt & hi: ergò in Idoleo verſari, Idolotytha comedere nihil eſt: nam ego nihil Deitatis agnoſco in Idolo, novi lignum eſſe aut lapidem, &c. At verò, inquit Apoſtolus, I. Utcunque Idolum ipſum ſit lignum & lapis, ea tamen quæ ei offeruntur, offeruntur Dæmonibus, *Cap.* 10:20. Atque II. utcunque tu tibi videris adeò ſapere, ut de Idolo judices ut de re nihili, in omnibus tamen non eſt adeò accuratum judicium: & tu exemplo tuo alios animas ut Idolothyta comedant, etiam ſub notione Idolothytorum.

CAP. VIII. VERS. 11. Δι' ὃν Χριστὸς ἀπέθανεν.

Ipſiſſimo eodem argumento medioque utitur, *Rom.* 14: 15. verbaque ejus qualitatem perſonæ reſpiciunt, potiùs quàm perſonam ipſam nudè conſideratam. Ac ſi dixiſſet: Pro conſcientiis infirmis & trementibus ad Verbum Dei, pro preſſis & gementibus ſub jugo & gravamine Legis, pro ſudantibus & anhelantibus in viis Domini, ut fidem retineant & bonam conſcientiam; pro talibus mortuus eſt *Chriſtus:* & tu talem cibo tuo perdes? Mortuus eſt ille ut juga iſta ſolveret, & conſcientias ponderibus iſtis depreſſas levaret; & tu tales cibo tuo perdes?

CAP. IX.

CAP. IX. VERS. 1. Οὐκ εἰμὶ ἐλεύθερος;

VAriant hîc Interpretes nonnulli in verſionibus ſuis ordinem clauſularum, & legunt οὐκ εἰμὶ ἐλεύθερος; & ſubinde οὐκ εἰμὶ ἀπόστολος; hinc abſque dubio moti, quòd majus ſit eſſe Apoſtolum quàm eſſe liberum; & verum ordinem ſe ſervaſſe ſunt opinati, ſi à gradu inferiori procederetur ad ſuperiorem. At animadvertendum iis fuerat, *Paulum* non nudè hîc agere de libertate Chriſtiana, ſed libertate Apoſtolica: quod & patet ſatis *verſ.* 5. Nec accuratiori uti potuit ille methodo ad rem ſuam, quàm Apoſtolum ſe primùm aſtruendo, & exindè libertatem ſuam Apoſtolicam.

Acturus eſt de libertate vel licentiâ ſuâ alimoniam efflagitandi ſibi uxorique, & familiæ, ſi adeſſent modò, ob miniſtrationem ſuam in Euangelio inter Ethnicos; quod fecerunt *Petrus* & reliqui Apoſtoli inter Judæos. Statutum

CAP. IX. VERS. 1, 3, 13. tum olim erat à Juriſtis Judæorum, Decimas à Gentilibus non exigendas accipiendaſque; alimoniam ab Ethnicis non efflagitandam; & ne Judæus ſe Ethnico quoquam modo devinctum ſummitteret. Quod & eò magis apud eos invaluit, quòd de hiſce rebus non fuerit in Lege aliqua permiſſio, vel ſaltem quòd de iis foret in Lege altum ſilentium. Litem hæc ei non ciere non potuerunt de alimonia ſua inter Ethnicos, dum iis euangelizaret.

Eò igitur confugit Apoſtolus noſter Miniſter Præputii, ut ab Apoſtolica ſua poteſtate ſe defenderet apud eos qui de hac re ei litem moverant, *verſ. 3.* Detur ſtatutum fuiſſe per leges traditionales, de non recipienda alimonia ab Ethnicis; imo daretur, ſic ſtatutum à Lege *Moſaica:* at ego Apoſtolus, ego liber ab iſtiuſmodi legibus, imò penès me eſt poteſtas Ethnicis converſis pro lege inſtituendi, ut prędicantes Euangelium ſuſtententur ex Euangelio.

Ὀυχὶ Ἰησοῦν Χριστὸν ἑώρακα;

Bis vidit *Paulus* Dominum. I. In itinere ſuo ad *Damaſcum*, cum deſignaretur in Apoſtolum. II. In ecſtaſi *Hieroſolymis*, cum deſignaretur in Apoſtolum Gentium, *Actor.* 22:21. Solus ille inter Apoſtolos Dominum vidit poſt aſcenſionem.

VERS. 3. Ἡ ἐμὴ ἀπολογία, &c.

Apologia ipſa ſequitur, *Annon licet nobis*, &c. uſque ad *verſ.* 15. Neceſſitas Apologiæ erat, quod incuſaretur à quibuſdam de accipiendo victu ab Eccleſiis Ethnicis ob ſuam Euangelizationem; vel torvo vultu obſervaretur à cavillatoribus, reciperet, necne. Hinc applicatio ejus ad opus mechanicum, quo ſuſtentetur & victum acquirat: non quod non liceret alimoniam à Gentilibus exigere; ſed quod nollet, ut os Judæorum contrà latrantium obturaret. Inde verba iſta, *verſ.* 19, 20. *Liber ego ab omnibus, & tamen omnium factus ſum ſervus; Judæis ut Judæus*, &c. Confer 3. *Joann.* verſ. 7. *Nihil acceperunt à Gentilibus.*

VERS. 13. Οἱ τῷ θυσιαστηρίῳ προσεδρεύοντες.

Diſtinguit inter ἱερὰ ἐργαζομένους, & προσεδρεύοντας τῷ θυσιαστηρίῳ: nam erant qui ſacris operarentur, præter eos qui deſervierunt ad altare: de quibus vide *Shekalim*, cap. 5. Inter alios fuerunt המתלעים את העצים, *Ii qui evermicularunt ligna* apponenda altari, qui labe aliquâ tacti & infecti, non idonei fuerunt ut miniſtrarent ad altare: at huic muneri ſunt deputati, & nutriti ex ſacratis, *Middoth*, cap. 2. hal. 5. CAP. IX. VERS. 13, 21, 27.

Προσεδρεύοντες τῷ θυσιαστηρίῳ, *Aſſidentes altari*, non proprio & ſtrictiſſimo ſenſu: nam nemini licuit intra Atrium ſedere niſi Regi ſoli, *Joma*, fol. 69. 2. ſed *obſidentes altare*, atque undique circa illud fuſi in ejus miniſterium; hi in ejus decinerationem, illi mactantes, iſti ſanguinem ſpargentes, iſti fruſta victimarum in altari diſponentes, &c. de quibus vide *Tamid*, cap. 3. hal. 1. &c.

Denotat etiam Προσεδρεύω, *Inſidiari*; quod & applicari poteſt ad æmulam iſtam ſedulitatem qua altari quaſi inſidiati ſunt olim contendentes quiſnam primus illud aſcenderet cineres amoturus, & focum diſpoſiturus, &c. de qua re hæc referuntur in *Joma*, fol. 22. 1. *Olim quicunque voluit altare decinerare*, [manè] *decineravit. Cùm verò multi in rem iſtam contenderent, cucurrerunt & aſcenderunt per* כבש *aſcenſum altaris*, &c. *Erat aliquando cùm duo æquo curſu contenderent, & aſcenderent per aſcenſum altaris, & unus alterum impelleret, ita ut caderet & confringeretur crus ejus*, &c.

VERS. 21. Τοῖς ἀνόμοις ὡς ἄνομος.

Diſtinxit, ut videtur commate præcedenti, inter *Judæos*, & eos *qui ſub Lege:* quod de Judæis in genere, & de Phariſæis in ſpecie intelligi poteſt, quippe quod Phariſæi ſeſe magis Legi ſubjicere videbantur, quàm Gens reliqua. At per ἀνόμοις, an Sadducæos velit, qui legibus Phariſæorum omnino contrariabantur, an Ethnicos, quære. Quomodo ſe conformem Ethnicis præbere potuerit, non facile eſt judicare. Judæis Phariſæis, Sadducæis in aliquibus conformari potuit abſque ſcandalo, ut eos lucraretur: hoc ſolùm de Sadducæis intellecto, quod in ritibus conformitas eſt intelligenda, non in hæreſi circa reſurrectionem.

VERS. 27. Μήπως ἀδόκιμος γένωμαι.

Ἀδόκιμος benè reddere poteſt vocem פסול Magiſtris uſitatiſſimam, præſertim vero ut ea opponitur voci כשר: nam כשר δόκιμον denotavit, rem nempe vel perſonam approbatam, idoneam: פסול è contrario ἀδόκιμον, non probatam, non idoneam.

Digitized by Google

CAP. X. VERS. 2, 4, 8.

CAP. X.

VERS. 2. Καὶ πάντες εἰς τὸν Μωυσῆν ἐβαπτίζοντο.

CIrcumciſi jam recens fuerant ante exitum ex *Ægypto*: nam cùm in eos cauſetur Deus per Prophetam, quod mores *Ægyptiorum* atque eorum Idola colerent, *Ezech.* 20: 7, 8. pluſquam probabile eſt eos Circumciſionem, ut & alia Dei inſtituta neglexiſſe, & ſeſe conformes *Ægyptiis* in omnibus eorum irreligioſis ritibus exhibuiſſe. Unde & peculiari præcepto cavit Deus, cùm inſtitueret Paſcha, ut ante ejus comeſtionem unuſquiſque circumcideretur, *Exod.* 12:48. Quod & præſtitum fuiſſe liquet ex *Joſ.* 5:4. *Omnes exeuntes ex Ægypto circumcidebantur.*

Circumciſioni additur Baptiſmus in nube & mari, & poſterius ſigillum non tulit prius, ſed ſuperinduxit novam obligationem: non circumcidebantur in *Moſen*, ſed baptizabantur in *Moſen*. Fatentur ipſi Judæi, baptizatos eos fuiſſe ad montem *Sinai*, ex verbis iſtis, *Exod.* 19: 10. At altiùs rem repetit Apoſtolus, ut typos Sacramentorum Euangelicorum oſtendat & divinos fuiſſe, atque etiam miraculoſos.

VERS. 4. Ἐκ πνευματικῆς ἀκολουθούσης πέτρας.

Non quod ipſa rupes in *Horeb* eos ſit inſecuta, ſed quòd rivi aquarum fluentium è rupe eos inſequerentur, atque in ſtagna ſunt collecti ubicunque illi ſunt caſtrametati. Hinc Schema illud Rhetoricum Prophetis uſitatiſſimum, *Dabo in eremo ſtagna aquarum*, cùm de irrigatione Gentium per Euangelium & Spiritum eſt ſermo.

R. Solom. in *Numer.* 20: 2. *Per omnes quadraginta annos erat iis puteus.*

Targ. Jonath. de puteo altero, *Numer.* 21: 18. *Ex quo datus eſt illis puteus in Mattanah, iterùm factus eſt illis in torrentes inundantes vehementes, iterùmque aſcendebat in cacumina montium, & deſcendebat cum illis in valles*, &c.

VERS. 8. Εἰκοσιτρεῖς χιλιάδες.

At *Numer.* 25. eſt, *Viginti quatuor millia.*

Hieroſ. Sotah, fol. 21. 4. *Viginti quatuor mille iſti qui perierunt ob Baal-Peorem*, &c.

Babyl. Sanhedr. fol. 106. 1. *Venit Bileamus ut mercedem reportaret de viginti quatuor millibus qui perierant.*

Unde ergo *Paulo*, *Viginti tres mille tantùm?* Ut illud omittamus, quod non inuſitatum eſt Sacris Paginis, cùm eadem hiſtoria recitatur duobus in locis, aliquid diverſi introducere in enumeratione, vel rerum, vel hominum, vel annorum, idque non ſine ſumma ratione: confer 2 *Reg.* 8: 26. cum 2 *Paral.* 22: 2. & 2 *Reg.* 24: 8. cum 2 *Paral.* 36: 9. & plurima iſtiuſmodi.

CAP. X. VERS. 8, 10.

Videamus quid de hac hiſtoria *Thalmudiſtæ*.

De ea agunt *Sanhedr.* fol. 33. 1. & fol. 64. 1. & fol. 82. 2. & fol. 106. 1. alibique in hunc ſenſum.

In verba iſta Dei ad *Moſen*, קח את כל ראשי העם, *Accipe omnia capita populi, & ſuſpende eos coram ſole*, ſic commentantur, *Accipe omnes Primates populi, atque eos conſtitue Judices, ut judicent & occidant omnes qui tranſgreſſi ſunt cum Baal-Peore.— Si populus peccavit, capita populi quid peccarunt? Dicit Rabh Judah, Dicit Rabh, Dixit Deus Moſi, Divide illis Conſeſſus tribunales. Quare? Quia non judicant duos uno die.*

Jam carpe *Paulum*, ô Judæe, ſi lubet, & habet ille etiam à tuis quod reſpondeat.

I. Non dicit ille quòd viginti tres mille omnes fuerint, qui ceciderunt in cauſa *Baal-Peoris*; ſed dicit quòd viginti tres mille ceciderunt *uno die*.

II. Patet ſatis, Deum duplici uſum fuiſſe vindictâ in peccantes, per Judices ſcilicet, & per peſtem.

III. Jam verò dicunt tui, quòd *non licet uni Conſeſſui duos judicare uno die.* Vel detur [quod etiam à tuis conceditur] quòd licet duos judicare & occidere, modò ſit eodem genere mortis: quotnam, quæſo, erecti ſunt Conſeſſus? vel quotnam dies inſumpti in occidendis mille hominibus ſub iſta cautione? *Unus Conſeſſus unum tantùm occidito, aut ad ſummum duos uno die.*

Loquitur ergò Apoſtolus noſter cum vulgo: & non definitè viginti tria millia ad unum, ſed viginti tria millia ad minimùm periiſſe dicit, cùm ſecundùm vulgarem iſtum Canonem, vix credibile ſit mille homines à Conſeſſibus interfectos, uno Conſeſſu unum tantùm, aut duos ad ſummùm, unius diei ſpatio interficiente.

Levitæ numerati illicò à plaga *Baal-Peorica*, exacto calculo tot fuerunt, quot hìc numerat Apoſtolus, *Numer.* 26: 62. Sic periit die uno numerus æqualis toti Tribui *Leviticæ*.

VERS. 10. Ὑπὸ τοῦ ὀλοθρευτοῦ.

Malos Angelos Judæi vocant מלאכי חבלה, *Angelos* ὀλοθρευτὰς: bonos מלאכי שרת, *Angelos* λειτουργικὰς. At quæro ego, an Apoſtolus hoc ſenſu loquatur hoc loco.

Nam

Digitized by Google

CAP. X. VERS. 10, 11.

Nam ubinam comperire eſt populum ab Angelo malo perditum & occiſum? Periit quidem peſte, idque in plaga ob *Baal-Peorem*, de qua Apoſtolus antè: at hîc diſtinguit ab iſto genere mortis, perditionem eorum *per diſperditorem*. Alludi itaque mihi videtur ab Apoſtolo, ad notionem Judæis uſitatiſſimam de *Angelo mortis*, Perditore magno, *Samaël* ab iis dicto, de quo inter plurima quæ referuntur, nos hoc tantùm adducamus.

Bava Mezia, fol. 36. 2. Proponitur quæſtio, de vacca tradita cuſtodi mercede conducto, ut eam providè & fideliter ſervet. Errat ea in paludem, atque ibi moritur בדרכה more uſitato, id eſt, morte non violentâ: quæritur quouſque cuſtos ſit damnas. Et determinatur, quod ſi periiſſet à lupis devorata, vel à furibus abacta & cæſa, reus tùm foret cuſtos ob negligentiam. At hoc, inquiunt, erat opus מלאך המות, *Angeli mortis*. Nam, inquiunt, שבקה מלאך המות בביתי דגנבא הוה קיימא, *Si Angelus mortis eam ſiviſſet, vixiſſet ea etiam in domo furis*. Et *Gloſſ.* מלאך המות נמי בבית השוכר קטיל לה, *Angelus mortis potuit eam interficere etiam in domo ejus qui cuſtodem conduxit.*

Vides ut *Angelo mortis* adſcribant, cùm non conſtat de cauſa aliqua violenta, nota & ordinaria, & evidenti genere mortis. Sic Apoſtolus hoc in loco notos & evidentes mortis modos memorat, ſerpentes, peſtem, *verſ.* 8, 9. & jam loquitur de communi genere mortis [& non de evidenti aliqua plaga] quo periit tota turba murmurantium, *Numer.* 14. intra annos quadraginta. Periiſſe eos dicit ὑπὸ τοῦ ὀλοθρευτοῦ, à magno iſto diſperditore, *Angelo mortis.*

VERS. 11. Εἰς οὓς τὰ τέλη τῶν αἰώνων, &c.

Dicit τὰ τέλη τῶν αἰώνων, non τὰ τέλη τοῦ κόσμου.

Αἰὼν Scripturæ eſt vulgatiſſimè ſæculum Judaicum. Quo ſenſu Circumciſio, Paſcha rituſque alii *Moſaici* dicuntur eſſe לעולם, εἰς αἰῶνα. Sic Diſcipuli, *Matth.* 24: 3. quærunt à *Chriſto* περὶ τῆς συντελείας τοῦ αἰῶνος, atque reſpondet ille de excidio *Hieroſolymitano*. Eodem ſenſu redderem ego verba Apoſtoli, *Tit.* 1: 2. *Ad ſpem vitæ æternæ, quam promiſit Deus* πρὸ χρόνων αἰωνίων, *ante tempora ſeculorum* Judaicorum: i. e. Deus promiſit vitam æternam ante Oeconomiam *Moſaicam*: ea ergò non expectanda ex operibus Legis *Moſaicæ*.

Sic ergò Apoſtolus hoc in loco. Hæc quæ tranſacta ſunt in initio ſæculorum Judaicorum, in exemplum vobis ſcripta ſunt, in quos devenerunt fines iſtorum ſeculorum. Et par initium fini, & finis initio. Utrumque quadraginta annorum, utrumque tentationis & incredulitatis, atque utrumque deſinens in excidio incredulorum: illud in exitio pereuntium in eremo, hoc in exitio incredulorum, in excidio Urbis & Gentis.

CAP. X. VERS. 16, 17.

VERS. 16. Τὸ ποτήριον τῆς εὐλογίας.

כוס הברכה. Sic vocabatur poculum illud in Paſchate, ſuper quod actæ ſunt gratiæ poſt cibum, & in quo Salvator inſtituit poculum Euchariſticum, de qua re fusè diximus ad *Matth.* 26: 27. Cùm ergò Apoſtolus poculum Cœnæ Dominicæ eodem nomine inſigniat, quo Judæi ſuum, & ad primam ejus inſtitutionem recurrit, continuatam ſuper illud eſſe a Chriſtianis gratiarum actionem innuit, licèt alia jam ſub notione.

Sic procedit ejus argumentatio. Sicut nos in comeſtione panis & potatione poculi Euchariſtici communicamus de corpore & ſanguine Chriſti; ita in comeſtione Idolothytorum communicatur de & cum Idolo. Vos communicatis de ſanguine Chriſti: ergò fugite ab Idololatria. Sapientibus loquor; vos judicate de argumento. Nam obſignat vos ipſa participatio Euchariſtiæ contra Idololatriam & Idolothyta.

VERS. 17. Οἱ γὰρ πάντες ἐκ τοῦ ἑνὸς ἄρτου μετέχομεν.

Modus argumentationis, *Omnes nos ſumus unum corpus, quia participamus de uno pane*, in mentem revocat illud quod apud Judæos vocabatur עירוב *commixtio*, vel κοινωνία. Cujus modum & ſenſum diſce ex

Maymon. in עירובין cap. 1. *Ex verbis Scribarum*, inquit, *probibitum eſt vicinis incedere* [Sabbato] ברשות היחיד, *in loco uni appropriato, ubi eſt diviſio in babitationes, niſi omnes vicini veſpere Sabbati* יעקבו *κοινωνίαν ineant --- Statuit ergò* [*Solomon*, nam eum hujus Traditionis & moris authorem faciunt] *ut quilibet locus uni appropriatus, ibi ubi eſt diviſio in babitationes, & recipit illic quilibet babitantium locum proprium ſibi, relinquiturque etiam locus aliquis ibi communis omnibus, ita ut omnes æquum jus in eo babeant, veluti atrium multarum domorum, quod reputatur locus jure omnibus communis: atque unuſquiſque locus quem quilibet babet ſibi proprium, reputatur* רשות היחיד, *locus proprius: probibeturque ne geſtet quicquam è loco ſibi proprio in locum omnibus communem*, [Sabbato ſcilicet] *ſed utatur quilibet loco ſibi appropriato ſolùm* עד שיערבו כולן, *uſque dum omnes ineant communionem.*

במה הוא העירוב, *At quomodò fit iſta communio?* יתעתרבו במאכל אחד, *Con-*

ſociantur

CAP. X. VERS. 17, 19, 21, 25.

ſociantur in cibo uno, quem parant veſpere Sabbati. *Quaſi dicerent*, כולנו מעורבין ואוכל אחד לכולנו, *Omnes nos conſociamur, & cibus unus eſt nobis omnibus: nec quiſquam è nobis proprietatem ſegregat à vicino; ſed ſicut jus nobis omnibus æquum eſt in loco hoc qui relinquitur communis omnibus, ſic jus nobis omnibus æquum eſt in loco quem ſibi quiſque recipit pro proprio.*

Et עירוב *Conſociatio quam faciunt inter ſe habitantes in eodem atrio, vocatur* עירובי הצרות, *κοινωνίαι atriorum: atque ea quam faciunt inter ſe habitantes in eadem porticu* aut veſtibulo, *aut quam faciunt inter ſe cives ejuſdem civitatis, vocatur* שיתוף, *Comparticipatio.*

Non conſociant in atriis, אלא בפת שלימה בלבד, *niſi cùm torta integra. Sit licèt panis piſturæ totius Seæ, ſi non ſit integer, non ineunt conſociationem cum eâ. At verò ſi ſit integer, ſit licèt quantitatis tantùm Aſſarii, conſociationem ineunt cum eo.*

Quomodo κοινωνίαν ineunt in atriis? נוטין חלה אחת שלימה, *Requirunt ab unaquaque domo quæ in atrio, molam vel panem unum integrum, quem reponunt in vaſe uno, inque domo aliqua quæ in atrio, ſit licet horreum aut ſtabulum*, &c. Et benedicit quidam è cœtu, & ſic omnes una comedunt, &c.

Confer hæc cum verbis Apoſtoli, atque ea argumentationem ejus non illuſtrant modò, ſed & roborant. Si *Iſraëlitis* uſitatum foret in unum corpus politicum vel œconomicum coaleſcere per comeſtionem panum plurium ab hoc & illo ſimul congeſtorum, nos multò magis in unum corpus conſociamur ex comeſtione unius ejuſdemque panis ab uno Salvatore nobis inſtituto.

VERS. 19. Τί οὖν φημι;

ומה אני אומר Scholis uſitatiſſimum: i. e. Hoc ego volo vel concludo. Sitve Idolum aliquid vel non, ſitve Idolothytum aliquid vel non; at certè ea quæ Gentes Idolis offerunt, offerunt Dæmoniis.

VERS. 21. Τραπέζα Κυρίου.

שולחן גבוה *Thalmudicis* non infrequens, pro *altari*.

VERS. 25. Ἐν μακέλλῳ.

De quæſtione non admodum ab hac, de qua hîc agit Apoſtolus, remota agunt Gemariſtæ in *Cholin*, fol 95. 1. quouſque nempè licuerit in macello carnem coëmere, idque ab Ethnico, ubi poſſet eſſe ſuſpicio de טריפה diſcerpta: & adducitur hiſtoria de quodam carnem talem dilaceratam coëmente ab Ethnico: ſuper quem caſum *dicit Rabbi*, הבשביל שוטה זה, *Num propter ſtultum hunc; qui fecit quod non decuit,* נאסר כל מקולין *omnia macella prohibebimus?* Vide locum, ſi lubet vacatque.

CAP. X. VERS. 25. CAP. XI. VERS. 4.

Μηδὲν ἀνακρίνοντες διὰ τὴν συνείδησιν.

Innumerabilibus ferè ſcrupulis in conviviis ſuis vexabantur Judæi quoad rem comedendam, ut & quoad ſocietatem quâcum eſt comeſtum, & de modo comedendi. De fructibus & oleribus menſæ appoſitis quærendum illis erat, an forent eâ ritè decimata, an ex *Truma* aut aliàs ſacrata, an profana; an munda, aut pollutione atque immunditiâ aliquâ tacta, &c. & de carne appoſita, an ea de Idolothytis, de dilaceratis, de ſuffocatis, aut non ſecundùm normam canonicam mactatis, &c. Quæ omnia dubia abolevit libertas Euangelica quoad conſcientiam propriam, pro viſo hoc, ne ſcandalum aut offendiculum objiciatur coram conſcientia aliena, infirma & nutante.

CAP. XI.

VERS. 4. Προσευχόμενος ἢ προφητεύων κατὰ κεφαλῆς ἔχων.

MOs erat Judæorum, ut non orarent niſi priùs velato capite; idque hac ratione, ut hoc ritu demonſtrarent ſe reverentes & pudefactos coram Deo, atque indignos qui apertâ facie in eum reſpicerent.

Maymon. in *Tephillah*, cap. 5. *Sapientes, Diſcipuli Sapientum ne orent niſi velati.* Gloſſ. in *Shabb.* fol. 12. 2. מתעטף מאימת שכינה, *Velat ſe præ reverentia erga Deum.*

Piske Toſaph. in *Menachoth*, Num. 150. כהנים המתעטפים כשעולים לדוכן, *Sacerdotes velant ſe cùm aſcendunt in ſuggeſtum.*

Avoth R. Nathan, cap. 6. *Nicodemus in Scholam abiit,* והתעטף והתפלל, *& velavit ſe, & oravit.*

Erachin, fol. 2. 2. קטן היודע להתעטף, *Puerulus cùm novit velare ſe,* חייב בציצית, *tenetur ad fimbrias peniculamentarias.*

Maymon. in *Jeſudei Torah*, cap. 1. *Moſes in monte Sinai vidit Deum* כש״ץ עטוף, *ſicut Angelum Eccleſiæ velatum.*

Rationem velationis hujus duplicem expiſcari potes ex verbis hiſce Rabbinorum.

Shabb. fol. 12. 1. *Cùm quis ingreditur ut viſitet ægrotum, ne ſedeat ſuper lectum, nec ſuper cathedram;* אלא מתעטף, *ſed velet ſe, & ſedeat coram eo: nam Deus eſt ſuper cervical ægrotantis.*

Ubi

Digitized by Google

Ubi *Gloſſ.* ,מתעטף מאימת שכינה *Velat ſe præ terrore Dei*, [vel reverentiâ erga Deum] *ſicut homo qui ſedet* באים ואין פונה לצדדין, *in timore*, *& non reſpicit hàc aut illàc.*

Taanith, fol. 14. 2. *Diſcipuli Sapientum* [in jejuniis ſolennibus] *velant ſe*, *ſedentque*, *ut lugentes & excommunicati* כבני אדם הנוזפין למקום, *ſicut qui increpati ſunt à Deo:* nempè ut pudefacti ob iſtam increpationem. Sic נזיף, ille qui increpatus fuit à grandi aliquo Rabbino, *domi ſe continuit ut pudefactus*, *nec coram eo ſtetit qui eum pudefecerat capite detecto.*

Obſervare licet, *Onkeloſium* reddere ביד רמה, *Manu elatâ*, per ברישׁ גלי, *Capite detecto:* ut *Exod.* 14: 1. *Iſraëlitæ* exierunt ex *Ægypto capite detecto*, i. e. fidenter, non timidè, aut ut pudefacti.

Et *Numer.* 15: 30. Anima quæ quicquam delicti commiſerit ברישׁ גלי, *capite detecto*, i. e. audacter atque impudenter.

Sic & *Jonath.* in *Judic.* 5: 1. Redierunt Sapientes ad ſedendum in Synagogis ברישׁ גלי, *capite detecto*, i. e. non metuentes ab inimicis, aut pudefacti.

Velarunt ergo ſe viri inter orandum, partim in ſignum reverentiæ erga Deum, partim ut demonſtrarent ſe pudefactos coram Deo, & indignos qui in eum reſpicerent. Quâ in re judaizaſſe adhuc hoſce *Corinthios*, quamvis ad Chriſtianiſmum jam converſos, ſatis patet ex caſtigatione Apoſtoli.

De modo velandi, vide *Moed Katon*, fol. 15. 1. & 24. 1. & *Aruch*, in עטף & נב

VERS. 5. Πᾶσα δὲ γυνὴ.

I. Fœminarum mos erat, iſque ſeveris Canonibus iis præſcriptus, ne in publicum prodirent niſi facie velatâ.

Maymon. in אישות, cap. 24. *Hæc ſi agat mulier*, *tranſgreditur Legem Judaicam*; *ſi in plateam exeat*, *vel in veſtibulum apertum*, *capite non cooperto*, ואין עליה רדיד, *& non ſit ſuper eam velum*, *ſicut ſuper omnes fœminas*, *etiamſi capilli ejus obvolvantur peplo.*

Chetubb. fol. 72. 1. אי זו היא דת יהודית, *Quænam eſt Lex Judaica? Ne prodeat fœmina diſcooperto capite. Fundatur hoc in Lege: nam dicitur*, [de uxore ſuſpecta] *Sacerdos diſcooperiet caput ejus*, [Numer. 5: 18.] *Et Traditio eſt Scholæ R. Iſmaëlis*, *quòd hinc monentur filiæ Iſraëlis*, *ne prodeant non velato capite.*

Shabb. fol. 80. 1. *Fœminæ modeſtæ fuco colorant oculum unum.* Gloſſ. *Fœminæ modeſtæ prodierunt velatæ*, *& non diſcooperuerunt niſi oculum unum*, *ut cernerent*, *iſtumque oculum colorarunt.*

Bava Kama; fol. 90. 2. *Quidam caput fœminæ denudavit in platea. Venit ea queſtum coram R. Akiba*; *atque is hominem mulctavit quadringentis Zuzæis.*

II. At verò fœminæ, utcunque velatæ in plateis, tamen cùm ad ſacra accederent, velamina ſua amoverunt, atque facies expoſuerunt nudatas, idque non ex levitate, ſed ex religione.

Kiddushin, fol. 81. 1. סקבא דשתא רגלא, *Scabies anni ſunt tria feſta.*

Gloſſa. *Tria feſta* [Paſcha, Pentecoſte, & Scenopegia] *ſunt rupturæ anni ratione conſociationis virorum & fœminarum*, *& propter tranſgreſſiones: quippè quòd diebus feſtorum iſtorum congregati ſunt hi & hæ unà ad audiendum conciones*, *atque alter in alterius jactant lumina vultus. Et dicunt quidem quòd ob hanc cauſam ſoliti ſunt jejunare poſt Paſcha & Pentecoſten.*

Unde promptè colligi poteſt, quòd in Synagogis non ita promiſcuè & confuſè convenirent ac conſiderent viri ac fœminæ, nec ſe invicem ita intuerentur, ac in Atriis Templi ac *Hieroſolymis*, cùm adeo innumerabiles turbæ ad feſta concurrerent: ſed quòd fœminæ ſeorſim & ſecluſæ à viris ſederint, ubi ea quæ peracta ſunt in Synagoga audire & conſpicere poſſent, ipſæ tamen extra conſpectum. Quem morem retinuiſſe primævas iſtas Chriſtianorum Eccleſias, pluribus, nec malè aſtruit *Baronius.*

Cùm ergò ſic à mulieribus ſeorſim conventum foret, non mirum eſt ſi velamina facierum amoverent, ipſæ extra conſpectum virorum jam exiſtentes, & remotâ cauſa velationis, quæ quidem erat, ne à viris conſpicerentur. Minimè ergò objurgat Apoſtolus hanc facierum nudationem abſolutè conſideratam; ſed latet aliquid aliud. Nam,

III. Non publicos ſacros cœtus ſolùm reſpicit hæc commonefactio Apoſtoli, ſed & ad ea pertinet quæ à viris fœminiſque in domibus ſuis atque interioribus conclavibus peracta fuerunt: nam & ibi ritus hoſce adhibuerunt, cùm privatim orarent aut tractarent ſacra, æquè ac in cœtibus publicis.

Hieroſ. Avodah Zarah, fol. 40. 1. *Rabban Gamaliel* itinerans, atque à quodam obviàm eunte interrogatus de quodam voto, deſcendit ab equo ונתעטף, *& velavit ſe*, *& conſedit*, *& ſolvit votum.*

Sic *R. Judah Bar Allai*, veſpere Sabbati cùm in domo ſua ſe componeret ad obviandum atque excipiendum Sabbatum, *attulerunt ei aquam calefactam*, *iſque faciem lavit & manus & pedes.* והתעטף בשדין מצוין, *& velans ſe ſindone variegatâ*, *conſedit*, *& fuit ſimilis Angelo Domini Exercituum.*

Sic in exemplo *Nicodemi* nuper allato, abiit

Digitized by Google

abiit ille in Scholam ſuam ſolus & privatim, & *ſe velavit & oravit.*

Sic viri privatim: & fœminæ etiam è contra nudatis faciebus privatim. Ratio prioris redditur, nempè velati erant viri ob reverentiam erga Deum, & ut pudefacti coram Deo: at quare non velatæ etiam fœminæ, ratio obſcurior.

Generalior facilè reddi poteſt, nempè שאשה פטורה ממצוה, *quòd fœmina ſoluta* vel *immunis foret à præcepto*, id eſt, à plurimis ritibus, quibus ſubjiciebantur viri, ut à geſtatione fimbriarum & Phylacteriorum, ab his aut illis orationum formis & occaſionibus, & plurimis cæremoniis & legibus ad quas viri tenebantur.

In *Menachoth*, fol. 43. 2. *Dicit R. Meir, Tenetur vir quilibet ad has tres benedictiones unoquoque die. Benedictus ſit Deus, quia non fecit me Ethnicum, quia non fecit me fœminam, quia non fecit me* בור *ſtupidum* vel indoctum. At *Rabh Acha Bar Jacob* cùm audiret filium ſuum dicentem, *Benedictus ſit Deus, quia non fecit me* בור *rudem*, de re hæſitavit: & hac ratione, interprete *Gloſſatore*, ענוי ואשה הואיל ויא בני כצוה נינהו, *Quia Ethnicus & fœmina non ſunt capaces præcepti: at* בור *rudis vel indoctus eſt capax. Meritò ergò benedicitur, quòd Deus non fecerit eum Ethnicum, aut fœminam.*

Per hunc Canonem, quòd *fœmina ſoluta foret à præcepto*, eximebatur ea à velatione faciei inter ſacra, cùm illud præceptum viros reſpiceret. & non fœminas: at ſi rationem exemptionis hujus magis particularem requiras, quamnam invenies? In æquilibrio ferè eſt an Canoniſtæ fœminas exemerint à velatione, quòd eas magni, vel quod parvi æſtimarent. In aliis, fœminam ponunt infra dignitatem & extra neceſſitatem obſervantiæ horum aut illorum rituum; & an in hac re etiam idem cenſuerint, an quòd è contra plus attribuerint venuſtati facierum muliebrium quàm virilium, juſta eſt quæſtio. Sed ſive hac ſive illac res inclinet, & huic & illi optimè quadrat correctio & commonefactio Apoſtoli, ut patebit in ſequentibus.

καταισχύνει τὴν κεφαλὴν.

Dedecorat caput? Quodnam? Illud quod humeris geſtat? An illud cui ſubjicitur? ut Chriſto vir, viro fœmina. De poſteriori præcipuè intelligendum eſſe Apoſtolum, patet ex commate præcedenti, & ex toto quidem contextu. Nam cuinam fini adducuntur ea, *verſ.* 3. *Vellem vos ſcire quòd caput fœminæ vir*, &c. niſi ut applicentur, & ad rem Apoſtoli faciant commatibus inſequentibus?

Nec eſt tamen ſubjectio fœminæ & ſuperioritas viri totum illud per & propter quod concludit Apoſtolus, fœminæ non orandum niſi velatæ, viro autem è contrà. Nam ſi ſic ab eo argueretur: Ne oret fœmina niſi cooperto capite, quia ea ſubjecta eſt viro, argui etiam pariter poſſet: Ne oret vir niſi capite cooperto, quia is ſubjectus eſt *Chriſto*.

Vereor ne ſenſum hujus loci, in ſe quidem ſatis obſcuri, obſcuraverit magis interpretatio iſta quæ velationem fœminarum hoc in loco ſupponit ut ſignum ſubjectionis fœminæ ſub marito. Sic Primaſius: *Mulier debet habere velamen, quod oſtendat humilem & viro eſſe ſubjectam.* Carthuſian. *Ratio autem velationis mulierum eſt, quia ſubjectæ ſunt viris*, &c. Beza: *Velamen accipe, quo ſignificatur uxorem eſſe in viri poteſtate.* Camerarius: *Velum, quo ſignificetur alterius eam poteſtati ſubjectam eſſe.* Et plurimi in eundem ſenſum. At verò liceat quærere,

I. Ubinam, quæſo, proponitur velamen, ut ſignum talis ſubjectionis? Signum quidem veræ modeſtiæ exhibetur, *Geneſ.* 24: 65. & ſimulatæ, *Geneſ.* 38: 14. aſt ubinam ſubjectionis?

II. Dati ſunt capilli aviæ noſtræ *Evæ* pro velamine [ut clare aſſerit Apoſtolus hoc in loco] à primo creationis ſuæ momento, priuſquàm ea ſubjiceretur marito, audiretque illud, *Ille tibi dominabitur*, imo antequam maritaretur *Adamo*.

III. Non agit Apoſtolus de uxoribus ſolùm, ſed de fœminis in genere, uxoreſne eæ ſint, an virgines, an viduæ.

IV. Sequitur fœminam ſemper & ubique obligatio ſubjectionis erga maritum; num ſemper & ubique portare ſecum debet velamen, ut ſubjectionis iſtius ſignum? Num neceſſariò velànda dum res familiæ curat? Num in horto, in agris, ſola ambulans, aut cum familia? Liquet ſatis Apoſtolum agere de velatione ſolùm cùm verſaretur in ſacris, & reſpici aliquid quod attinet ad fœminam reſpectu Dei potiùs, quàm reſpectu mariti. Et quamvis non negaverimus velationem fœminę fuiſſe ſignum aliquod ſubjectionis ſuæ erga maritum, negamus tamen velationem, de qua hìc Apoſtolus, eò reſpexiſſe.

V. Judæi rationem velationis fœminæ pudefactionem aſſignant.

Bereshith Rabb. ſect. 17. *Quare vir in publicum prodit capite non cooperto; fœminæ autem cooperto? R. Joſua dicit, Eſt ſicut cum quis tranſgreditur & pudeſit: ea ergò prodit capite obtecto.* En velamen, ſignum pudefactionis quidem, at ſubjectionis neutiquam: & pudefactionem fœminæ inde petunt, quod ea primum peccatum introduxerit in mundum.

Velationem ergo fœminæ ad ſacra requirit Apoſto-

Digitized by Google

CAP. XI. VERS. 5, 6.

Apoſtolus, eâdem notione & ratione quâ viri ſe velarunt, nempè ob reverentiam coram Deo. At certè quæri poſſet, an ille tam velationem fœminarum urgeat, quàm velationem virorum redarguat. Utcunque, aptiſſimo hoc argumento contrarium iſtum ritum, & virorum ſtultitiam benè caſtigat. Ac ſi dixiſſet: Nonne perpenditis quòd vir eſt δόξα Θεοῦ, at mulier tantùm δόξα ἀνδρός, quòd fœmina facta eſt propter virum, quod vir eſt caput fœminæ; & tùm, quàm ridiculum eſt viros velamine uti cùm orant, ob reverentiam & pudefactionem coram Deo; & fœminas non uti, quarum gloria eſt minor: Γυνὴ δόξα ἀνδρός. Sic *R. Solom.* in *Iſaj.* 44: 13. כתפארת אדם, *Sicut gloriam viri: id eſt*, inquit, *ſicut fœminam, quæ eſt gloria mariti*, Vide & *Targum.*

Καταισχύνει τὴν κεφαλὴν. קלות ראש *Thalmudicis* eſt *levitas* aut *irreverentia:* & ſi phraſiologiam Græcam eodem ſenſu redderes, ac ſi eſſet מקיל ראשו vel מקילה ראשה, non multùm errares vel à Grammatica vel à veritate. At altiùs aſſurgit ſenſus: Vir orans velatus ut pudefactus de facie ſua coram Deo, dedecorat caput ſuum *Chriſtum*, qui faciem geſtarit ſimilem maſculam & virilem; præcipuèque munus *Chriſti* dedecorat, per quem acceſſionem ad Deum habemus cum fiducia. Et fœmina orans non velata, ac ſi faciei ſuæ eam non puderet, caput ſuum virum dedecorat, dum ea tam formoſa præ eo videri vult, cùm quidem ſit tantùm gloria viri, vir autem ſit gloria Dei.

Vers. 6. Καὶ κειράσθω.

Si non veletur, tondeatur. Imò potiùs, inquies, incedat paſſis crinibus; nam ii pro velamine ei dati ſunt à natura. Num hoc patietur Apoſtolus, aut Gens ulla non barbara? Nequaquàm. Dicit ille capillos fœminæ datos pro velamine, & tamen aliud requirit velamen; in memoriam revocans primitivam rationem cur fœminæ à natura detur velamen capillorum, nempè ut ſit in ſignum reverentiæ, humiliationis & pudefactionis ſuæ coram Deo. Fœminis crines ſuos in nodos & vittas colligi & colligari permittit Apoſtolus, quod in Gentibus omnibus non efferatis factum; imò contrarium vix toleraret. At ſi aliqua fœmina adeò immemor & oblita ſit, cur à natura conceſſum ſit ſibi velamen capillorum, adeòque venuſtati ac faciei ſuæ fidens, ut orans velamen, ſignum reverentiæ ſuæ erga Deum, amoveat, amoveat etiam, inquit, naturale illud iſtius reverentiæ ſignum, velamen capillorum.

CAP. XI. VERS. 10.

Vers. 10. Διὰ τοῦτο ὀφείλει ἡ γυνὴ ἐξουσίαν ἔχειν, &c.

Illud quod vulgò hîc obtinet, eſt, ut per ἐξουσίαν intelligatur *velamen* ſignum poteſtatis ſupra ſe, vel ſuæ ſubjectionis. At quærendum eſt an ἐξουσίαν ἔχειν non propriè, imò ſemper denotet poteſtatem *penès ſe* habere, non poteſtatem *ſupra ſe*, ut *Matth.* 7: 29. *Joann.* 19: 10. 1 *Cor.* 7: 37. & 9: 4. & aliàs infinities.

Διὰ τοὺς Ἀγγέλους.

Propter Angelos? Quoſnam? Num propter bonos Angelos, an malos? An propter Miniſtros? Novit lector quæ dicuntur in hunc ſenſum & illum, quæ non recitabimus.

I. Ego certè ſi per ἐξουσίαν intelligerem *velum*, per ἀγγέλους intelligerem *Diabolos*, qui *Angeli* vocantur in ipſiſſima hac Epiſtola, *Cap.* 6: 3. Et ſi Apoſtolum de publicis ſolùm conventibus hîc agere opinarer, verba ejus in hunc ſenſum redderem: Mulier in publico Eccleſiæ conventu faciem velatam habere debet *propter Diabolos*, ne ſcilicet illi ex expanſa facierum muliebrium venuſtate viros irretiant, atque eos in facies fœminarum inhiare, & laſcivis oculis eas intueri incitent, dum cœlum intueri oporteret potiùs atque intentos eſſe rebus divinis.

II. Aut ſi per *Angelos* intelligendi ſunt *Miniſtri*, optimè quadrat interpretatio noſtra, quæ velamen ſignum facit pudefactionis & reverentiæ coram Deo: non ſubjectionis erga maritum. Non logicè magis certè hoc ſonat: Velandæ ſunt fœminæ in ſacris, ut pudefactæ coram Deo: ergò velentur coram iis qui ſunt Miniſtri Dei; quàm illud, Fœminæ velandæ ſunt in ſacris, quia ſubjectæ ſunt maritis: ergò velentur coram Miniſtris.

III. Aut ſi ſumamus *Angelos* ſenſu maximè proprio, id eſt, pro Angelis bonis, & phraſiologiæ ἐξουσίαν ἔχειν tribuamus etiam ſenſum ſuum maximè proprium, id eſt, poteſtatem *penès ſe* habere; tùm liceret locum hoc modo interpretari: Fœmina poteſtatem capitis ſui penès ſe non habet διὰ τὸν Θεὸν, reſpectu Dei; ſed velanda eſt propter reverentiam erga Deum: at poteſtatem capitis ſui habet penès ſe, de ſe non velanda διὰ τοὺς Ἀγγέλους, reſpectu Angelorum; nam iis ab ea non debetur talis religioſa reverentia.

IV. Aſt arbitror ego Apoſtolum aliò reſpicere, &

I. Eum non ſenſu ſuo hîc loqui, ſed aliquid inter Judæos uſitatum citare: non tam normam aliquam fœminis Chriſtianis dictare, quàm morem Judaicum, in confirmatio-

Digitized by Google

nem eorum quæ immediatè antè dixerat, proferre.

II. Dixerat fœminam eſſe gloriam viri, fuiſſe ex viro, conditam fuiſſe propter virum, &c. Et hoc teſtari poteſt illud quod apud Judæos: Mulier debet penès ſe habere poteſtatem capitis ſui propter Angelos.

III. Jam verò erant apud eos שילוחי קדושים, *Angeli vel nuntii deſponſationum*, qui ab hoc aut illo deputati erant ad deſponſandam deputandi uxorem: de quibus Angelis copioſe agitur à Magiſtris ſparſimque, præſertim verò vide *Kiddushin*, cap. 2. cujus initium, איש מקדש בו ובשילוחו, *Vir deſponſat ſibi uxorem vel per ſe, vel per Angelum ſuum*, aut deputatum.

IV. Jam verò quamvis velationem facierum muliebrium in plateis, & requirerent Canones Magiſtrorum, & conſuetudo Gentis comprobaret; permiſſum eſt tamen fœminis faciès nudare, ornare, venuſtare in ordine ad honeſtum matrimonium: quod & ratio ipſa firmat, & mos Gentis, & docent Rabbini.

V. Huc ſpectare videtur ratiocinatio Apoſtoli hoc in loco: *Creata eſt fœmina propter virum*, verſ. 9. quod & ipſiſſimo veſtro, ô Judæi, aſtruitur conſenſu, cùm decernitis quod mulier poteſtatem penès ſe habet, & habere debet ſuper caput proprium propter Angelos deſponſationum. Nudet faciem, ſi velit, ut venuſta appareat; velet, ſi velit, ut modeſta. Poteſtatem liberam penès ſe habet, ut deſponſationem ſuam promoveat nuptiaſque, ut ob virum eſſet, cùm propter virum fuerit creata.

VI. Verum quidem eſt obtinuiſſe illud præcipue, quod immediatè ferè ſequitur poſt verba nuper allegata: מצוה בו יותר מבשילוחו, *Præcipitur ut per ſeipſum quis fœminam deſponſet, potiùs quam per deputatum ſuum*; illudque quod illico, *Ne quis fœminam deſponſet priuſquàm eam viderit*, *Kiddush.* fol. 41. 9. At frequentiſſimè tamen factum eſt, ut poſtquàm quis fœminam viderit, per Angelos aut deputatos ſuos eam ſibi deſponſaret, vel modeſtiâ ſuâ vel neceſſitate aliquâ eum cogente.

VII. Hinc videtur Apoſtolus de *Angelis* iſtis mentionem facere potiùs quàm de viris eos in rem iſtam deputantibus: idque ut rem quam agit fortiùs roboret aſtruatque. Quaſi dicat: Fœmina non ſolùm poteſtatem capitis ſui habet, ut faciem ſuam denudet coram eo qui futurus eſt ejus maritus, ſed & coram iis qui ab eo miſſi & deputati ſunt ut eam deſponſent. Et ex hac ipſa re liquet, inquit, quòd fœmina creata eſt propter virum, quod ea, ut ob virum eſſet, poteſtatem talem habeat faciem detegendi coram Angelis iſtis qui ad eam deſponſandam accedunt, cùm aliter pro more Gentis non liceret. Reticet Apoſtolus vocem *deſponſationum* קדושים, & dicit *propter Angelos* ſolùm, non *propter Angelos deſponſationum*: nam ex ipſo ſcopo diſſertationis ſuæ illud facilè ſubintelligeretur, cùm in verbis immediatè antecedentibus dicit, *Fœmina creata eſt propter virum.* Sic & *Thalmudici* frequentiſſime ſimplicem vocem שילוחים *Angelos* adhibent, cùm ſemel notum fecerint ſe de deſponſationibus loqui.

VERS. 14. Ἀνὴρ ἐὰν κομᾷ, &c.

Sive Apoſtolus prolixos crines virorum reprehendat, ex occaſione oblata cùm diſſereret de prolixis crinibus fœminarum, ſive [quod non improbabile] quòd judaizantes hi *Corinthii*, *Naziræatum* adhuc amplecterentur, & crines ob iſtam rationem alerent; ſatis confirmatur illud quod dicit, *Quod natura ipſa docet quòd viro comatum eſſe dedecori eſt*, ex hoc quod muliebre eſt. Erant quidem variæ Gentes quæ erant comatæ, ut καρηκομόωντες Ἀχαιοὶ apud *Homerum*, *Gallia comata* apud Hiſtoricos, &c. at an in hoc ſequuti ſint lumen naturæ, an potiùs id fecerunt ex feritate, aut ut terribiliores viderentur hoſtibus, meritò quæritur.

Unde ergò, inquies, nutritio comæ in *Naziræatu*, idque ex præcepto divino? *Reſp.* Fuit humiliationis ſpecimen, atque abnegationis ſui, ut & erat abſtinentia à vino & uvis. Religioſum quendam ſquallorem, ut ita dicam, præ ſe tulit, & vilificationem ſui.

Falluntur ergò plurimùm, qui *Abſalomum* comatum ex ſuperbia inceſſiſſe arbitrantur, cùm ita quidem inceſſerit ob votum [fictum ſaltem] *Naziræatûs*. Veriſſimè *Hieroſolymitani* in *Nazir*, fol. 51. 2. אבשלום נזיר עולם היה, *Abſalomus*, inquiunt, *fuit Naziræus perpetuus*. Veriſſimè, inquam, in hoc quòd *Naziræum* eum aſſerant: at de perpetuitate voti ejus hîc non diſputabimus. Vide 2 *Sam.* 15: 7, 8.

Eſt apud *Tacitum*, *Hiſtor.* lib. 4. cap. 14. Votarius nequam, iſti non diſpar, *Civilis*, de quo ſic ille: *Civilis, barbaro voto, poſt cœpta adverſus Romanos arma, propexum rutilatumque crinem, patratâ demùm cæde Legionum, depoſuit.*

Judæi ſi non voto *Naziræatûs* aſtricti, ſe tondebant frequentiſſime: atque utcunque aliis temporibus, certè nunquam non ante feſtum, idque in honorem adventantis feſti. Unde major ſuſpicio hîc oriri poteſt, *Corinthios* hoſce promiſſis ſuis capillis *Naziræatum* fuiſſe profeſſos.

Moed Katon, cap. 3. hal. 1. *Hi tondent ſe in*

Digitized by Google

in ipſo feſto: is qui venit à loco ethnico, iſque qui è carcere, & excommunicatus qui ſolvitur ab excommunicatione ſua.

Senſus Traditionis hic eſt. His qui ante feſtum aliquâ neceſſitate detenti fuerunt, ut non potuerint tonderi, tonderi licet in ipſo feſto: at ſi non impediret aliqua talis neceſſitas, tondebantur ante feſtum, & vulgò ipſis veſperiis feſti.

Piske Toſaph. ad *Moed Katon*, art. 78. *Cùm quis non tondetur veſperiis diei feſti, ſed tribus diebus antè, non patet eum tonſum fuiſſe in honorem feſti.*

Non poſſumus hìc omittere hanc hiſtoriam.

Hieroſ. Avodah Zarah, fol. 41. 1. *Peregrinus quidam, qui Tonſor erat, necnon Aſtrologus, vidit per Aſtrologiam ſuam quòd Judæi fuſuri erant ſanguinem ejus.* [quod de Proſelytiſmo ejus intelligendum erat, nempè cùm eum circumciderent] *Cùm ergò ad eum accederet Judæus aliquis ut tonderetur, ille eum jugulavit. Et quotnam jugulavit? R. Lazar Ben Joſe dicit, Octoginta. R. Joſe Ben R. Bon dicit, Trecentos.*

VERS. 15. Ἡ κόμη ἀντὶ περιβολαίου δέδοται.

Babyl. Chetubb. fol. 66. 2. Filia *Nicodemi* miſerè jam depauperata, ad *Rabban Jochananem* accedens ut eum alloqueretur, נתעטפה בשערה, *velavit ſe capillis ſuis, & coram eo ſtetit.* Non aderat pauperculæ velamen aliud: uſa eſt ergò eo quod à natura datum; & uſa eſt, [ut ſigno dicam an] ut inſtrumento & ſpecimine modeſtiæ & verecundiæ.

VERS. 21. Ἕκαςος τὸ ἴδιον δεῖπνον προλαμβάνει.

I. Miror *Agapas* de quibus *Sanctus Judas*, *verſ.* 12. apud Interpretes hinc ſuam expoſitionem recepiſſe. *In illis conviviis*, inquit *Beza*, *quæ Agapas vocabant, ſolitos etiam fuiſſe Sacram Domini Cœnam uſurpare, liquet ex* 1 Cor. 11. *de qua re agitur in Tertull. Apologet.* cap. 39. *& in aliis Veterum Scriptis.* Sic ille ad *Actor.* 2:42.

Atque in hunc locum: *Tranſit Apoſtolus*, inquit, *ad alterum hujus tractationis caput, nempè Cœnæ Domini adminiſtrationem, cui adjunctæ tunc erant Agapæ*, &c. Et in verſum ſequentem: *Agapas, quamvis diu, & quidem laudabiliter, authoribus ipſis Apoſtolis, in Eccleſiis uſurpatas, tamen propter abuſum tollendas cenſet Apoſtolus.*

Sic etiam Baronius: *Perſeverabat adhuc in Eccleſia laudatiſſimæ rei uſus, ut quod Chriſtus ultimâ cœnâ fecerat, ac in ſui memoriam ut facerent ſuos monuerat, Chriſtiani convenientes in Eccleſiam unà cœnarent, ſimulque Sacratiſſimam perciperent Euchariſtiam: quod tamen cùm Corinthii non ut decebat explerent, Paulus jure redarguit.*

Qui convivia talia charitativa olim in Eccleſia adhibita fuiſſe unà cum Euchariſtia negaverit, is certè toti Antiquitati contradixerit: at an ea *Agapæ* iſtæ fuerint de quibus Apoſtolus *Judas*, an ea vel *Chriſtum* vel Apoſtolos habuerint authores, & an hæc *Corinthiaca* talia fuerint, ſi quis dubitaverit, nec ſine cauſa id facit, nec ſine probabilitate contrarium credat.

Audi de his *Corinthiacis Sedulium. Apud Corinthios*, inquit, *quondam, ut alii aſſerunt, prava invaluit conſuetudo, Eccleſias paſſim dehoneſtare conviviis, in quibus veſcebantur ante Dominicam Oblationem; quam cœnam noctibus adoriebantur, cùmque divites ebrii ad Euchariſtiam venirent, vexabantur inopes fame. Mos verò iſte, ut referunt, de Gentili adhuc ſuperſtitione veniebat.* Nota illud [ego *de Judaica ſuperſtitione dixerim*] ipſiſſima eadem apud *Primaſium*.

II. Si liceat bona cum vetuſtatis venia libere loqui quid nobis videatur de *Agapis*, de quibus Apoſtolus *Judas*, paucis ſic habe.

Agapas iſtas arbitramur fuiſſe cùm exciperentur peregrini hoſpitio, in ſingulis Eccleſiis, idque ſumptibus Eccleſiæ: tralatamque opinamur laudabilem hanc conſuetudinem à Synagogis Judæorum.

Gloſſ. *in Bava Bathra*, fol. 3. 2. *In Synagogis nec edunt nec bibunt*, &c. *Erat tamen prope Synagogam locus, in quo ſoliti ſunt viatores dormire & edere.* Hinc illud in *Peſachin*, fol. 101. 1. ubi quæritur quare conſecrant diem [quod uſitatum ſuper poculum vini] in Synagoga: & reſpondetur, לאפוקי אורחים ידי חובתן, *Ut & viatores officio ſuo fungantur, qui edunt & bibunt & convivantur in Synagoga.* Hic quærit *Gloſſator*, an licitum ſit edere & bibere in Synagogis, cùm aperto Canone ſit prohibitum, *Megill.* fol. 28. 1. & tandem inter alia hæc reſpondet: חדרים סמוכים לבית הכנסת קרי בי כנישתא, *Conclavia quæ erant contigua Synagogæ, vocantur etiam Synagogæ, atque inde viatores audierunt conſecrationem.* Erat ergò vel propinquum, vel contiguum Synagogæ Xenodocheum quoddam, quo communibus Synagogæ ſumptibus excipiebantur hoſpitio viatores & peregrinantes. Confer *Actor.* 18:7.

Jam verò traductam fuiſſe in Eccleſiam Chriſtianam tantæ charitatis conſuetudinem, plurima ſunt quæ ſuadent: ut & has peregrinorum receptiones, *Agapas* iſtas fuiſſe, de quibus *Sanctus Judas* in terminis, & *Petrus* eodem ſenſu, licet non in terminis, 2 *Pet.* 2.

Digitized by Google

I. Cum imitatæ fuerint Eccleſiæ Apoſtolicæ in omnibus fere mores Synagogarum laudabiles, quod fuſiùs demonſtrari poſſet, ſi eſſet locus; minimè opinandum eſt, prætermiſſum ab iis eſſe morem hunc tam pium, tam Chriſtianum, tam neceſſarium. Repeto, *tam neceſſarium*. Nam

II. Cùm hìc illic peregrinarentur Apoſtoli, & Diſcipuli euangelizantes, pauperes ſatis, & ex temporum iniquitate, & ex ipſo præcepto Salvatoris; cùmque tunc temporis ob profeſſionem Euangelii ſedibus propriis exularent non pauci; efflagitavit honor Euangelii, neceſſitas rei, & pietas charitaſque Chriſtiana, ut ſubſidio aliquo tali ſublevarentur.

III. Cùm dicitur *Gajus Hoſpes totius Eccleſiæ, Rom.* 16: 23. vix alio ſenſu hoc accipias, quàm quòd deputatus fuerit per Eccleſiam publico Xenodocheo: ubi munere ſuo adeò laudabiliter eſt functus, ut teſtimonium encomiaſticum reportaret, ſi is idem *Gajus*, quod probabile, à *Sancto Joanne* in Epiſtola ſua tertia, *verſ.* 5.

IV. Cùm mentio fiat de *viduis lavantibus pedes peregrinorum*, 1. *Tim.* 5: 10. cùmque *Phœbe* dicatur Διάκονος τῆς Ἐκκλησίας τῆς ἐν Κεγχρεαῖς, *Rom.* 16: 1. ut alias omittamus quæ dicuntur multùm *laboraſſe in Domino*; vix meliorem ſenſum hiſce characteribus aptaveris, quàm quòd miniſtraverint in publico iſto Xenodocheo de quo loquimur.

V. Et congruit hic ſenſus optimè præ omnibus aliis cum loco *Judæ* allegato, ut & iſto *Petri*, qui & eandem rem agit. Nam loquitur *Judas* de apoſtatis hæreticis, ſeductoribus, bipedum nequiſſimis, quos ait eſſe σπιλάδας ἐν ἀγάπαις: & num putas hos fuiſſe ex eadem Eccleſia, ubi ſic convivabantur? Num hi ad *Agapas*, ſi modò eæ appendices Cœnæ Dominicæ, abſque quovis ſcrupulo admiſſi? Nam dicit *Judas*, Ἀφόβως ἑαυτοὺς ποιμαίνοντες, &c. Quanto probabilius eſt, hos peregrinos exiſtimare ignotos, ſub forma fidelium circumvagantes, atque communi Eccleſiæ hoſpitio receptos, atque illìc errores ſuos diſſeminantes, idque eo audaciùs, quò ipſimet ignotiores: Procul à nobis eſt negare uſitatas fuiſſe *Agapas* quaſdam ut appendices Cœnæ Dominicæ ſæculis Eccleſiæ vetuſtioribus: at an temporibus Apoſtolorum, quærimus; & an *Judas* tales velit, maximè dubitamus; & tales hic indigitari ab Apoſtolo, minimè credimus. Longè aliud reſpexerunt, ni egregiè fallamur, convivationes iſtæ *Corinthiorum* ante Euchariſtiam; & vereor, ne dum tremendis commentariis *Periocham* hanc de Cœna Dominica adeò exagitant quidam, ut indè moti & territi nonnulli Sacramentum hoc omninò fugiant ut lethale quid, & quod noli tangere; vereor, inquam, ne culpam & errorem *Corinthiorum* hac in re non acu tangant, & illud ἀναξίως non ad proprium eorum crimen reducant.

Credimus Judaicam partem hujus Eccleſiæ, quamvis ad Euangelium converſam, aliquid tamen veteris ſui fermenti retinuiſſe; & ut in aliis rebus, ita etiam in hac de Euchariſtia, judaizaſſe; de proprio ejus fine adeò graviter errantes, ut eam appendicem tantùm Paſchatis fuiſſe putarent, aut novam aliquam & ſuperadditam formam commemorationis exitûs ex *Ægypto*. In quem errorem incidere, iis præſertim qui in Judaiſmum adeò erant propenſi, erat promptius, & quòd in pane & vino inſtitueretur, quæ aderant in Paſchate, & quòd ab ipſis incunabulis hoc imbiberant, *Meſſiam, cùm advenerit, nihil rituum Moſaicorum vel exterminaturum vel immutaturum; aſt omnes in ſplendidiorem formam & pompam promoturum atque evecturum.* Hoc errore erraſſe hos *Corinthios* circa Euchariſtiam, hæc obſervata planum reddunt, quæ innuit Apoſtolus, & in hoc & commatibus inſequentibus; de quibus ſuo ordine, ut occurrunt. Et primum hoc quod ſub manibus perpendamus.

I. Sole clarius eſt, Apoſtolum *Corinthios* ob ipſiſſimas has cœnas acriter reprehendere. Ob ipſiſſimas, inquam, cœnas, & non ob abuſum ſolùm in cœnis accidentem: nam ἴδιον δεῖπνον vocat, *propriam cœnam*, quæ comedenda domi, ſi quis adeò famelicus ante Euchariſtiam, ut non potuerit abſtinere: cœnam quæ in Eccleſiam importata, dehoneſtavit Eccleſiam. Perpende hæc, & cogita an hæ *Agapæ* iſtæ fuerint quę ſupponuntur.

II. Religioſum quid in hiſce cœnis poſuerunt *Corinthii*, cùm eas importarent in Eccleſiam. At quidnam illud? Umbram ſcilicet & memoriam Paſchatizationis ſic retinuerunt, & libentiſſimè exemplum *Chriſti* in cœna antecedanea ſunt imitati, ut Judaiſmo ſuo hac in re inſervirent liberiùs: imò Euchariſtiam in eandem commemorationem cum Paſchate inſtitutam fuiſſe ſomniarunt. Epidemicum erat inter Judæos ad Euangelium converſos, ut Chriſtianiſmum amplexarentur, at Judaiſmum non abdicarent: imò Euangelica, quantùm fieri poterat, ad Judaica traducerent.

Ὃς δὲ μεθύει.

Non eſt, quod novimus, qui ὃς μὲν πεινᾷ non ad pauperes applicet, & ὃς δὲ μεθύει ad divites; quod & nos aliquando credidimus; at videntur potiùs ad variam Gentem applicanda; Μεθύει ad Judæos in *procœniis* ſuis paſchatizantes ante Euchariſtiam; & Πεινᾷ ad Gentiles, non tam ex paupertate aut neceſſitate

Digitized by Google

CAP. XI. VERS. 21,23. ceſſitate inediam iſtam patientes, quàm quòd cœnam talem præcedaneam nollent amplecti, utpotè quæ Judaiſmum redoleret.

Molliùs interpretari licet vocem Μεθύειν, quàm ut ad extremam ebrietatem extendatur. Nam omnibus notum eſt, quid שכר ſibi velit in *Geneſ.* 43. ult. & *Cantic.* 5: 1. ubi LXX. Ἐμεθύσθησαν μετ᾽ αὐτοῦ, & Μεθύσθητε ἀδελφοί. Quod ſi ſenſum vocis ignominioſum ei tribuere hic velis, non multum diſſonat a larga iſta ingurgitatione vini quæ tolerabatur, & à quibuſdam adhibebatur in ſuis Paſchatizationibus. At videtur Apoſtolus in ipſum uſum rei invehi, in ipſas ſcilicet cœnas, potiùs quàm abuſum: nam ſi cœnarum iſtarum crapula illud fuiſſet quod præcipuè criminatur, in rem iſtam nervos redargutionis ſuæ intendiſſet fortiùs; at de ea, ultra hanc vocem, ne ſyllabâ quidem una.

Credimus ergo contraria hæc ὃς μὲν πεινᾷ, ὃς δὲ μεθύει, ſic intelligenda. Judaica pars Eccleſiæ nullo modo voluit ad Euchariſtiam accedere abſque cœna atque convivatione præcedanea ac Paſchativa, ubi lautè & affluenter excipiebantur, & ederunt & biberunt, καὶ ἐμέθυον, atque ad ſaturitatem & hilaritatem ſunt provecti; cùm Gentilitia pars è contrà iſtam Judaizationem horrens, & procœnia talia refugiens, πεινᾷ adhuc, & jejuna ad Sacramentum accedit, hoc eſt, non cœnata. Et hanc eſſe veram cauſam enormitatis iſtius arbitramur, quam corrigit Apoſtolus *verſ.* 33. nempè quod nollent alius alium expectare: pars Gentilitia non expectare uſque dum Judaica tempus ſuum, quantumcunque illud foret, cœnando inſumpſiſſet.

Vers. 23. Ἐγὼ γὰρ παρέλαβον ἀπὸ τοῦ Κυρίου.

Unde opus habet Apoſtolus ut huc recurrat? Num de inſtitutione Euchariſtiæ dubitarunt *Corinthii?* An de authoritate Apoſtoli inſtitutionem iſtam iis tradentis? Nec hoc nec illud: nam ad Euchariſtiam convenerunt, idque ex traditione Apoſtoli. At ille eos huc revocat hâc ratione, ut ex verbis *Chriſti* qui Cœnam ſuam inſtituerat, & ex verbis ſuis quibus inſtitutionem iſtam iis tradiderat, obſervarent, ſcopum & finem iſtius inſtitutionis fuiſſe commemorationem mortis *Chriſti*, non commemorationem aliquam Paſchalem.

I. Dixiſſe nempè *Chriſtum*, *Hoc eſt corpus meum*, *Hic eſt ſanguis meus*, ut doceret panem & vinum alio jam reſpicere quàm reſpexerant cùm adhiberentur in Paſchate. In illo panis Azymus acceleratam eorum liberationem ex *Ægypto* deſignabat, & vinum gaudium eorum ob iſtam liberationem: at in Euchariſtia panis corpus Domini fractum, & vinum ſanguinem ejus effuſum. CAP. XI. VERS.

II. Dixiſſe etiam de vino, quod eſt *Novum* 25. *Teſtamentum* in ſanguine ſuo: & quid ei ergò cum Paſchate *Veteris Teſtamenti?*

III. Dixiſſe denique ſuper utrumque, *Hoc facite in commemorationem mei. In commemorationem mei*, non in commemorationem Paſchatis, aut rei alicujus alterius.

Vers. 25. Τοῦτο τὸ ποτήριον, &c.

Tropicè hic loqui Salvatorem ſatis probatum eſt olim à quamplurimis.

At obſervare licet & hoc ulteriùs.

Iſtud poculum quo uſus eſt *Chriſtus*, fuiſſe aquâ mixtum, ſi modo ille vulgarem Gentis morem hoc in re retinuerit; quod minimè dubitandum. De more Gentis diximus ad *Matth.* 26: 27. hoc tantùm indè jam repetentes. *Babyl. Berachoth*, fol. 50. 2. *Suffragantur Sapientes* R. Eliezaro, *Non benedicendum eſſe ſuper poculum benedictionis, donec ei immiſceatur aqua.*

Hoc notamus, ut demonſtretur harmonia inter ſanguinem ſacramentalem, ut ita dicamus, Veteris Teſtamenti, & hunc ſacramentalem Novi; pariterque inter hunc ſacramentalem Novi, atque ipſum ſanguinem *Chriſti*.

I. In pactione veteris fœderis, *Exod.* 24. erat ſanguis mixtus aquâ, *Hebr.* 9: 19. & in hac ſanctione novi, vinum etiam mixtum aquâ.

II. E latere *Chriſti* cum ſanguine fluxit aqua, *Joann.* 19: 34. inſolitè, præternaturaliter, & ut reſponderet typo.

Matthæus & *Marcus* verba Salvatoris exhibent, Τοῦτό ἐστι τὸ αἷμά μου τὸ τῆς καινῆς διαθήκης. *Paulus*, & *Pauli* comes *Lucas*, Τοῦτο τὸ ποτήριον ἡ καινὴ διαθήκη ἐν τῷ ἐμῷ αἵματι, in eundem ſenſum, eumque magis explicatum. Et hic iterùm conferamus ſanctionem veteris fœderis, *Exod.* 24.

I. Adhibetur in iſta hiſtoria tropica locutio, cùm dicitur quod *Moſes* ſanguinem ſparſit *ſuper totum populum*, id eſt, ſuper duodecim columnas ab eo erectas, ad repræſentandum duodecim Tribus, *verſ.* 4. ſic & hoc loco, *Hic eſt ſanguis meus*, id eſt, repræſentatio ſanguinis mei.

II. De ſanguine tùm ſparſo dici potuit, Hic eſt ſanguis *Chriſti* veteris vel primi Teſtamenti. Ipſe ſanguis tunc & exindè repræſentabat ſanguinem *Chriſti*, quia ſub Veteri Teſtamento futura erat de tempore in tempus effuſio ſanguinis. At jam vinum eſt repræſentatio ſanguinis *Chriſti*, quia exindè ceſſatura erat effuſio ſanguinis iſtiuſmodi.

Digitized by Google

III. Non ſancitum erat vetus fœdus in ſanguine Agni Paſchalis in *Ægypto*, ſed in ſanguine taurorum & hircorum in eremo. Ratioque erat, quia cùm inſtitueretur Paſcha, non promulgatæ fuerant leges & articuli de quibus fœdus erat incundum.: at cùm ea ederentur ſcriberenturque, tùm ſancitum eſt fœdus. Pari modo *Chriſtus* in inſtitutione Baptiſmi non ſancit novum fœdus: erat Baptiſmus *initium Euangelii*, *Marc.* 1: 1. at cùm tradidiſſet doctrinam atque articulos Euangelii, tùm ſancit *Novum Teſtamentum*.

Ἡ καινὴ διαθήκη.

Hieroſ. Peah; fol. 17 2. אי זו היא מתנה, *Quidnam eſt donatio? Ecce omnia mea data ſunt τῷ N. ex hoc tempore.* אי זו היא דייתיקי, *Quidnam eſt διαθήκη?* תהא לי להיות ולעמוד ואם מתי ינתנו נכסי לפלוני, *Mea mihi ſunto, & permanento: cùm verò morior, ſunto τῷ N.* Sic Apoſt. *Hebr.* 9: 16. Ὅπυ γὰρ διαθήκη, θάνατον ἀνάγκη φέρεσθαι τῦ διαθεμένυ, &c.

I. Hoc poculum non ſolùm eſt ſignum ſanguinis *Chriſti*, nec ſolùm ſigillum ut Sacramentum, ſed & ipſiſſima ſanctio N. Teſtamenti, id eſt, totius Euangelicæ adminiſtrationis: non ſolùm ſanctio fœderis, ſed ſanctio fœderis ſub Euangelica adminiſtratione. Exinde ceſſatio Judaiſmi. Sic ſanguis iſte, *Exod.* 24. non erat ſolùm ſanctio fœderis gratiæ, & ſanctio fœderis de peculiaritate populi *Iſraëlitici*, ſed harum rerum ſanctio ſub tali œconomia.

II. Dum ergò Sacramentum hoc recipimus, profitemur & proteſtamur contra œconomias & religiones omnes alias, præter Euangelicam. Hinc temporibus aſcenſionem *Chriſti* immediatè ſubſequentibus tam frequens Euchariſtiæ communicatio; ut illi nempè qui jam recens fuerant à Judaiſmo converſi, per uſum Sacramenti hujus Judaiſmum ſe ſuum abnegare oſtenderent, atque Euangelicam fidem atque œconomiam profiteri.

III. Communio itaque noſtra in hoc Sacramento non tam eſt ſpiritualis quàm externa & declarativa, communis & conjunctæ noſtræ profeſſionis fidei Chriſtianæ. Procul à nobis abeſt, negare eſſe ſpiritualem communionem Sanctis cum Deo, atque inter ſe in uſu Euchariſtiæ: imò aſſerimus eſſe propinquiſſimam inter verè credentes & Deum. At quænam eſt iſta ſpiritualis communio Sanctorum inter ſe? Mutuus amor, cor unum, mutuæ preces, &c. At & eandem communionem exercere poſſunt, exercentque, cùm conveniunt ad quamlibet aliam partem divini cultus. Eandem rem agere poſſunt, aguntque, cùm ſunt à ſe invicem diſtantes. Communio ergò eorum in hoc Sacramento, quæ diſtinctè *Communio Euchariſtica* denominetur, eſt quòd conveniunt, atque externo hoc ſigno palàm & junctis animis profitentur ſe uniri in ſacro uno nodo & vinculo religionis Chriſtianæ, religiones omnes alias abdicantes.

IV. Cùm igitur in aliqua Eccleſia accedimus ad Euchariſtiam, non ſolum cum iſto cœtu communicamus, quocum tunc temporis conſociamur, ſed cum tota Eccleſia Catholica in profeſſione veræ religionis Euangelicæ.

VERS. 26. Τὸν θάνατον τῦ Κυρίυ καταγγέλλετε.

Notum eſt quid fuerit הגדה in Cœna Paſchali, enuntiatio ſcilicet magnalium Dei in liberatione populi ex *Ægypto*. Eandem, ut videtur, retentam voluerunt judaizantes hi *Corinthii* in Cœna Dominica, ac ſi in iſtam commemorationem ſolùm inſtituta & ſuperaddita fuerit Euchariſtia. Vox καταγγέλλετε optimè reſpondet voci הגדה; & dum eos monet Apoſtolus, mortem Chriſti illud eſſe quod erat annuntiandum, colligi poteſt eos de hac re erraſſe, ac reſpexiſſe aliò.

VERS. 27. Ἀναξίως.

Explicat ſeipſum Apoſtolus *verſ.* 29. ubi & de hoc commate agemus.

VERS. 28. Δοκιμαζέτω δὲ ἄνθρωπος, &c.

Dixerat anteà *verſ.* 19. Ἵνα οἱ δόκιμοι φανεροὶ γένωνται: & eodem ſenſu dicit δοκιμαζέτω hoc in loco. Non tam *ſe exploret* vel *examinet*, quàm *ſe approbet*, id eſt, approbatum, fide & doctrinâ Chriſtiana ſe exhibeat. Sic *Cap.* 16: 3. Οὓς ἐὰν δοκιμάσητε, *Quoſcunque approbaveritis*. Occurrit & vox eodem ſenſu frequentiſſimè.

VERS. 29. Μὴ διακρίνων τὸ σῶμα τῦ Κυρίυ.

Hoc de proprio actu intellectûs eſt intelligendum: de vero ſcilicet judicio, de natura & ſignificatione Sacramenti. Si dictum quidem foret, Μὴ διακρίνων τὸν Κύριον, reddi poſſet eodem ſenſu, quo *Non novit Dominum*, id eſt, non amat, non timet, non veneratur. At cum dicitur, Μὴ διακρίνων τὸ σῶμα, planè agitur de actu intellectus: *Non rectè dijudicat de corpore Domini*. Et hic error gravis judaizantium horum *Corinthiorum*, qui nihil videre voluerunt de corpore *Chriſti* in Euchariſtia, aut de morte ejus, intentis nimium oculis eorum in commemorationem Paſchalem

Digitized by Google

CAP. XI. VERS. 29. lem. Vetus fermentum Judaiſmi in novo hoc Paſchate Euchariſtiæ retinuerunt: & hæc erat eorum participatio Sacramenti *ἀναξίως*, utpotè ſcopum & finem ei aſſignantium indignum longe & nimis humilem. Sunt, proh dolor, inter Chriſtianos qui *ἀναξίως* quidem accedunt ad hoc Sacramentum; at an hoc *ἀναξίως Corinthiorum* aptè ad eos applicetur, ego multùm dubito. Liceat tenuitati meæ liberè hoc fari, bona cum bonorum & piorum venia, quod vereor, ne hæc diſſertatio Apoſtoli, quæ judaizantes præcipuè caſtigavit, ſeverè nimis ad Chriſtianos nequaquàm judaizantes applicetur; ſaltem ne non a quamplurimis Interpretibus ad proprium ejus ſcopum applicetur.

De hiſce *Corinthiis ἀναξίως*, ſenſu de quo diximus, Euchariſtiam recipientibus, duo dira loquitur Apoſtolus.

I Quod Ἔνοχοι fierent *τοῦ σώματος καὶ τοῦ αἵματος τοῦ Κυρίου*, *verſ.* 27.

Cum hoc confero illud ejuſdem Apoſtoli, *Hebr*. 10: 29. *Conculcavit Filium Dei, & ſanguinem Teſtamenti profanum duxit, per quem ſanctificatus eſt* ipſe Filius Dei: & *Hebr.* 6 6. *Crucifigunt rurſus ſibi Filium Dei, καὶ παραδειγματίζοντες*. De quibuſnam eſt ſermo? Non de omnibus Chriſtianis non exactè ad normam Evangelicam ambulantibus, [quamvis illi quidem ignominiose nimium *Chriſtum* habeant tractentque] ſed de relabentibus atque apoſtatizantibus ab Euangelio ad Judaiſmum: quo inclinarunt nimis hi *Corinthii*; & ut ab eodem reatu tempeſtivè caveant, admonentur. Nam cùm quis Euangelium profeſſus, adeò ad Judaiſmum nutaret, ut ſanguinem *Chriſti* ſubordinaret Paſchati, & nihil majus in eo agnoſceret, quàm quod agnoſceretur in ſanguine agni & aliorum ſacrificiorum, nempè quod mera foret commemoratio, & nihil aliud; heu quam ille ſanguinem iſtum æterni fœderis viliſecit! Ἔνοχος ille *τοῦ αἵματος Κυρίου*, qui ſanguinis iſtius effuſioni aſſentitur, & morti ejus ſuffragatur ut in *meram umbram* inflictæ, & nihil aliud; quod fecerunt iſti.

II. Quod ederent & biberent *κρίμα ἑαυτοῖς*, *Judicium ſibiipſis*. Quodnam autem illud judicium, declaratur *verſ.* 30. *Multi ſunt ægroti*, &c. Acre nimis eſt cùm vertunt nonnulli *κρίμα* per *damnationem*, cùm apertiſſimè dicat Apoſtolus, *verſ.* 32. quod *Κρινόμενοι παιδευόμεθα, ἵνα μὴ κατακριθῶμεν*.

Sic prout in initio œconomiæ *Moſaicæ* honorem Sabbati vindicavit Deus nece colligentis ligna, & honorem cultûs in Tabernaculo nece *Nadabi* & *Abihu*, & honorem nominis ſui lapidatione blaſphemantis: ſic paria monumenta vindictæ ſuæ erexit in initio œconomiæ Euangelicæ in tremendo exitio *Ananiæ* & *Sapphiræ*, pro injuria & contumelia Spiritui Sancto illata; in traditione quorumdam in manus *Satanæ*, pro contemptu & inimicitia contra Euangelium; in hoc judicio, pro abuſu Euchariſtiæ; in nece quorumdam per peſtem ob *Nicolaitiſmum*, Apocal. 2:23. &c.

CAP. XI. VERS. 33. Vers. 33. Ἀλλήλους ἐκδέχεσθε.

Non quòd procœnia iſta judaizantium toleret, & Gentilitiam partem Eccleſiæ expectare præcipiat dum Judaica pars ita cœnet; ſed damnatis anteà totaliter procœniis iſtis Paſchativis, etiam partium ſtudium vult tolli, & ut ſimul & concorditer omnes ad Euchariſtiam accedant, non diviſim & per partes & contentiones.

CAP. XII.

CAP. XII. VERS. 3. Vers. 3. Λέγει ἀνάθεμα Ἰησοῦν.

Circumvagabantur Judæi quamplurimi, magi, exorciſtæ, præſtigiatores, qui ſe Spiritu Sancto donatos jactarent, plurima docerent & miracula ederent, & tamen *Jeſum* Dominum noſtrum dicerent *Anathema*. At certi eſtote vos, inquit Apoſtolus, hoſce homines non loqui, non agere, non agi Spiritu Dei: *Nam nemo Spiritu Dei loquens dicit Jeſum Anathema*. Ex altera etiam parte negavit tota quidem Gens Judaica Spiritum Sanctum Gentilibus. *Spiritus Sanctus*, inquiunt, *non habitat ſuper quemquam extra terram Iſraëliticam*. Vide *R. Solom.* in *Jon*. 1. Hinc illud, *Actor.* 10: 45. Fideles qui erant ex Circumciſione obſtupuerunt, quòd *etiam in Gentiles* effuſum eſſet donum Spiritûs Sancti.

At, inquit Apoſtolus, cùm Gentiles fateantur *Jeſum* eſſe Dominum, hoc non faciunt niſi per Spiritum Sanctum. Et ſic inſtruit ille Chriſtianos, ne decipiantur ſpiritibus doloſis & magicis Judæorum; atque os pariter obturat Judæorum, ne donari Spiritum Sanctum negent Gentilibus Chriſtianis.

Babyl. Sanhedr. fol. 109. 2. *Joſua Ben Perachiæ* אפיק ת' שיפורי ושמתיה, *produxit quadringentas tubas, atque anathematizavit Jeſum.*

VERS. 8. Vers. 8. Λόγος σοφίας, &c.

Cùm Apoſtolus hoc ipſo in Capite ter dona Spiritûs enumeret, non fruſtrà forſan fuerit ea parallela ſiſtere, eo ipſo ordine quo ille ea recitat ordinatque.

Vers.

Digitized by Google

CAP. XII. VERS. 8.

VERS.	VERS.
8 Δίδοται	Ἔπειτα δυνάμεις.
Λόγος σοφίας.	Εἶτα χαρίσματα ἰαμάτων.
Λόγος γνώσεως.	Ἀντιλήψεις.
9. Πίστις.	Κυβερνήσεις.
Χαρίσματα ἰαμάτων.	Γένη γλωσσῶν.
Ἐνεργήματα δυνάμεων.	29. Μὴ πάντες
Προφητεία.	Ἀπόστολοι.
Διάκρισις πνευμάτων.	Προφῆται.
10. Γένη γλωσσῶν.	Διδάσκαλοι.
Ἑρμηνεία γλωσσῶν.	30. Δυνάμεις.
28. Οὓς μὲν ἔθετο	Χαρίσματα ἰαμάτων.
Πρῶτον Ἀποστόλους.	Γλώσσαις λαλοῦσι.
Δεύτερον Προφήτας.	Διερμηνεύουσι.
Τρίτον Διδασκάλους.	

Non adeò curioſi erimus, ut omnia ex parallelo poſita ipſiſſima eadem eſſe ſtatuamus, cùm ordinem ipſe *Paulus* ſuum inverterit de χαρίσμασιν ἰαμάτων & δυνάμεων, *verſ.* 9. & 28, 30. Non tamen adeò negligentes eſſe poſſumus, quin ordinem ejus aliquantùm obſervemus, ut aliquid indè expiſcari poſſimus.

Λόγον σοφίας ergò attribuimus Ἀποστόλοις, quia illi totum myſterium profundiſſimæ ſapientiæ Dei de *Chriſto* & ſalute humanâ, divinâ claritudine patefecerunt. De qua re Apoſtolus noſter frequentiſſimè.

Λόγον γνώσεως attribuimus Προφήταις, cognitionem ſcilicet futurorum.

At quomodo applicamus πίστιν Διδασκάλοις?

Per πίστιν hoc in loco non intelligendam eſſe fidem juſtificantem, conceditur, ut opinor, ab omnibus, idque meritò, cùm Apoſtolus hìc agat ſolùm de donis Spiritûs extraordinariis. Nec poſſum ego quidem eam intelligere de *fide miraculorum*. Non de fide edendi miracula, quia ſpeciatim & ſeorſim numerantur δυνάμεις & χαρίσματα ἰαμάτων: nec de fide credendi miraculis, quia de modis & perſonis hìc eſt ſermo activè Euangelium propagantibus, non paſſivè illud recipientibus.

Per *Fidem* ergò ego intelligerem *Fiduciam*, id eſt, ſanctam audaciam, confidentiam & magnanimitatem, qua armati erant ſanctiſſimi iſti præcones Euangelii, ita ut à nulla re, à nulla perſona potuerint terreri. Vide *Actor.* 4: 13. præſertim verò *verſ.* 29, 31. Et hoc ſenſu optimè attribui poteſt πίστις τοῖς Διδασκάλοις.

Δυνάμεις & χαρίσματα ἰαμάτων facillimè & diſtinguuntur & intelliguntur. Ea iterum ita diſtincta habes, *Marc.* 6: 5. & 16: 17, 18.

Ἀντιλήψεις illi erant, ut eſt probabile, qui comitati ſunt Apoſtolos, atque baptizarunt ab iis converſos, atque huc illuc ſunt ab lis miſſi ad loca ad quæ ipſi accedere, aliis rebus occupati, nequiverunt: ut *Marcus*, *Timotheus*, *Titus*, &c. *Thalmudici Levitas* aliquando vocant מסעדי לכהנים, Ἀντιλήψεις ἱερέων.

Προφητεία & Ἀντιλήψεις ex parallelo ſiſtuntur juxta ordinem Apoſtoli, atque optimè quidem conveniunt, ſi *Prophetiam* pro concionando ſumas: quod fit frequentiſſimè.

Κυβερνήσεις etiam & Διακρίσεις πνευμάτων ſtant parallelæ: & unam eandemque rem eas denotare ego vix dubito. At Κυβερνήσεις mihi hoc in loco non *Gubernationes* ſonat, aut facultatem regendi; ſed *altam & profundam ſolertiam* ſonat: quo ſenſu occurrit apud Lxx. Interpretes ſemel iterùmque, & reſpondet voci Hebrææ תחבלות.

Prov. 1: 5. נבון תחבלות יקנה, Lxx. Ὁ νοήμων κυβέρνησιν κτήσεται. Verſ. interlin. *Intelligens conſilia ſolertia poſſidebit. Aben Ezra*, תחבלות ענין עצה ומחשבה, *Tabbuloth conſilium denotat, & excogitationem.* Vide & *Kimch* & *R. Solom.* in loc.

Ibid. cap. 11. 14. באין תחבלות יפל עם, Lxx Οἷς μὴ ὑπάρχει κυβέρνησις, πίπτουσι. Quid ſibi vox velit facilè colligas ex antitheſi in ſequentibus. ותשועה ברב יועץ, Σωτηρία δὲ ὑπάρχει ἐν πολλῇ βουλῇ.

Ibid. cap. 24. 6. בתחבלות תעשה לך מלחמה, Lxx. Μετὰ κυβερνήσεως γίνεται πόλεμος. Vulgò, *Cùm diſpoſitione initur bellum.*

Διάκρισις πνευμάτων erat dijudicatio inter ſpiritus magicos & diabolicos eorumque operationes, & inter operationes & eloquia Spiritus Sancti. Nam plurimi tunc temporis Pſeudo-Prophetæ prodierant in mundum, 1 *Joann.* 4: 1. idque κατ' ἐνέργειαν τοῦ Σατανᾶ ἐν πάσῃ δυνάμει καὶ σημείοις καὶ τέρασι ψεύδους, ita ut facile non foret, ferè dixeram impoſſibile foret, inter eorum miranda diſtinguere, & vera miracula Spiritûs Sancti. At miſertus ſuorum clementiſſimus Deus, inter alia dona Spiritûs Sancti in ædificationem Eccleſiæ effu-

Digitized by Google

CAP. XIII. VERS. 1.

effuſa, hoc etiam quibuſdam eſt largitus, ut dijudicare poſſent de Spiritibus Propheticis, verine illi ac divini, an falſi & diabolici. Profundam hanc ſolertiam ſub hac voce κυβερνήσεις indigitari ſuadet non parùm ordo Apoſtoli, vocis ſignificatio, & res ipſa. Nam cùm inter omnia dona Spiritûs vix fuerit ullum vel utilius vel magis neceſſarium quam hæc dijudicatio ſpirituum, vix illum omiſſurum arbitror in enumeratione ſua ſecunda. At ubi mentionem ejus comperies, ſi non in iſta voce?

C A P. XIII.

Vers. 1. Γλώσσαις τῶν Ἀγγέλων.

Bava Bathra, fol. 134. 8. *Rabban Jochanan Ben Zaccai non omiſit*, שיחת שדים ושיחת דקלים ושיחת מלאכי השרת, *ſermonem* vel colloquium *Dæmonum*, *Palmarum & Angelorum*; quin illud didicerat. Gloſſ. *Sermonem Dæmonum ut eos exorcizet, & Angelorum ut eos adjuret.* Loquitur Apoſtolus pro conceptu Gentis.

Κύμβαλον ἀλαλάζον.

Κύμβαλον *Thalmudicis* eſt צלצל, de quo ſic illi.

Erachin, fol. 13. 2. ואסף במצלתים להשמיע, *Et Aſaph cum cymbalis ſonoris.* 1 *Paral.* 25. מצלתים הרי הוו, *Tintinnabula duo fuerunt.* [ut liquet ex numero duali] כיון דחדא עבידתא עבדי וחד גברא עביד בדו קרי להו חד, *Cùm verò opus unum præſtarent, unuſque homo id præſtaret, dicuntur unum.*

Aruch, *Erant duo globuli ex ære, atque hunc in illum contuderunt.*

Jam verò κύμβαλον ἀλαλάζον erat, cùm contunderentur duo hi globuli abſque ullo Muſicæ vel modo vel tono, ſed ſono inculto, incondito atque ululante, *Marc.* 5:38. Κλαίοντας καὶ ἀλαλάζοντας.

Obſervare licet, in his inſtantiis quæ comparantur cum charitate, & pro nihilo ſunt, ſi charitas abſit, quòd Apoſtolus ea memoret quæ nobiliſſimæ æſtimationis erant apud Gentem Judaicam, ut etiam pretioſiſſima quæ ab iis nominari poſſent, cum hoc precioſiori conferrentur, & præ eo vileſcerent.

I. Λαλεῖν γλώσσαις τῶν ἀνθρώπων iis Interpretibus, eſt *loqui linguis ſeptuaginta Gentium*, aut ſaltem loqui linguis Gentium multarum. Sic in laudem *Mardochei* referunt, quòd linguas calleret ſeptuaginta Gentium; & à Patribus *Synhedrii* requirunt ut ſint plurimarum linguarum periti, *ne Synhedrium quicquam audiat per Interpretem*, *Maymon.* in *Sanhedr.* cap. 2.

II. Λαλεῖν γλώσσαις Ἀγγέλων. Ob hoc ſingulari encomio *Jochananem Ben Zaccai* celebrant in exemplo allegato.

III. Εἰδεῖν μυστήρια πάντα, &c. Sic illi de eodem loco citato: *Octoginta Diſcipuli erant Hilleli Seniori. Triginta qui digni erant, ſuper quos habitaret Spiritus Sanctus, ſicut ſuper Moſen. Triginta digni, pro quibus Sol curſum ſiſteret, ut Joſuæ. Viginti erant mediani. Maximus omnium Jonathan Ben Uzziel; minimus Rabban Jochanan Ben Zaccai. Ille non omiſit* [quin calleret] *Scripturam, Miſhnam, Gemaram, Idiotiſmos Legis & Scribarum, Traditiones, Illuſtrationes, Comparationes, Æqualitates, Gematrias, Parabolas*, &c.

IV. Ὄρη μεθιστάνειν. Hac phraſiologiâ, *Impoſſibilia ferè præſtare* denotarunt, ut obſervavimus ad *Matth.* 21:21. עקר טורי, *Bava Bathra*, fol. 3. 2.

C A P. XIV.

CAP. XIV. VERS. 2.

Vers. 2. Ὁ γὰρ λαλῶν γλώσσῃ.

Loquens linguâ? Quanam? Non futilem comperies eſſe hanc quæſtionem, his perpenſis.

I. Non eſt qui cum ratione inficias iverit, totam hanc Eccleſiam *Corinthiacam* unam eandemque linguam calluiſſe *Corinthiacam*, vel *Græcam*: ut & agi hîc ab Apoſtolo de Miniſtris iſtius Eccleſiæ, & non de advenis. Jam verò incredibile videtur Miniſtrum aliquem iſtius Eccleſiæ, *Arabicâ*, *Ægyptiacâ*, *Armenicâ*, aliâve quâvis linguâ ignotâ publicè in Eccleſia uti velle, è qua ne minimus quidem fructus vel Eccleſiæ accreſcere potuit, vel ipſi Miniſtro. Nam quamvis errores ſuos, eoſque non leves haberent hi Miniſtri, libenter tamen eos ſtultitiæ meræ non incuſaremus, ac ſi linguâ ignotâ loquentes ob nullam rationem; nec oſtentationis, ac ſi loquentes tantùm ob vanam gloriam. Et quamvis non negemus neceſſarium fuiſſe ut dona iſta miranda Spiritûs Sancti coram omni populo manifeſtarentur in honorem largientis; at vix credimus quod inaniter & in nullum commodum.

II. Dicit Apoſtolus, *verſ.* 4. Ὁ λαλῶν γλώσσῃ ἑαυτὸν οἰκοδομεῖ: quod quî facere potuit, ex iſtis linguis, cùm potuerit ipſiſſima eadem vernaculè protuliſſe, atque eundem ſibi meruiſſe ædificationis fructum?

III. Tolerat Apoſtolus linguam ignotam, ſi adeſſet Interpres. At vix credo tolerare eum, ut quis garriret *Scythicè*, *Parthicè*, *Arabicè*, &c. cùm ipſe potuerit eadem *Corinthiacè* protuliſſe, & abſque moleſtia Eccleſiæ & Interpretis.

Opinamur ergò, nec ſine ratione, linguam

Digitized by Google

CAP. XIV. VERS. 2.

iſtam ignotam quâ uſi ſunt iſti, vel abuſi potiùs, in Eccleſia fuiſſe linguam *Hebræam*, quæ jam olim à communi & vernaculo uſu deſueverat, at jam donante Spiritu Sancto reddita eſt Miniſtris Eccleſiæ, idque neceſſariò atque in commodum Eccleſiæ. Non quærimus quot linguis ignotis loqui potuerint, ſed quot in Eccleſia fuerint loquuti, & credimus quòd *Hebræa* tantùm.

Quàm neceſſaria fuerit lingua iſtâ Miniſtris, non eſt qui dubitet. Et hinc eſt quòd Apoſtolus permittit loqui linguâ [hâc, ut opinamur] ignotâ, ſi afforet Interpres, quia non caruit ſuâ utilitate. Utilitas inde emerſit tum loquenti, dum linguam jam calleret, & profundiùs intelligeret originalem; tum etiam audientibus, dum verè redderentur ea quæ myſtica iſta & ſacroſancta lingua in ſe contineret.

Fundamenta jam jaciebantur Eccleſiarum, & religionis in Eccleſiis; & non minima pars penſi miniſterialis tunc temporis erat, Doctrinam Euangelicam, & perſonam & actiones & paſſiones *Chriſti* aſtruere è Veteri Teſtamento. Jam verò Textus Originalis erat vulgò ignotus; Verſio LXX. Interpretum erat in locis infinitis mendoſa; *Targum* in Prophetas vagum & judaïzans; *Targum* in Legem adhuc omninò nullum: ita ut impoſſibile foret mentem Dei in Textu Sacro pandere abſque dono immediato Spiritus, peritiam & linguæ & ſenſus perfectam plenamque impertiente, ut indè jacerentur fundamenta fidei ex Scripturis, & propagaretur verus Scripturarum ſenſus abſque vel errore, vel humano commento.

Dicit Apoſtolus, *Oret ut interpretetur*, *verſ.* 13. & interpretatio numeratur inter dona Spiritûs extraordinaria. Jam verò ſupponatur eum *Latinè*, *Arabicè*, *Perſicè* loquutum; vel ipſe intellexit ea quæ loquutus eſt, vel non: ſi non, tum quàm longè ille ab ædificando ſeipſum! & tamen dicit Apoſtolus, Ὁ λαλῶν γλώσσῃ ἑαυτὸν οἰκοδομεῖ. Si intellexit, tum quàm facile ei erat ea reddere *Corinthiacè*! Sunt plurimi jam ſtudio docti, qui poſſunt linguas iſtas in *Corinthiacam* vel *Græcam* transferre abſque extraordinario iſto dono interpretationis immediatè effuſo à Spiritu Sancto. At ſupponatur illud quod nos ſupponimus, loquutum eum linguâ *Hebræâ*, Textum Sacrum linguâ originali vel legiſſe, vel citaſſe, & phraſiologiis Prophetarum vel concionatum fuiſſe vel precatum; ad interpretationem ſatis non erat, nuda verba nudis verbis reddere, ſed ſenſum & medullam linguæ Propheticæ intelligere, & verbis aptis, vivacibus, & ſecundum mentem Dei ſelectis, myſteria eorum planè & plenè enucleare: quod divinâ arte faciunt Euangeliſtæ & Apoſtoli in Scriptis ſuis.

Audi judicium Judæorum de juſta interpretatione Textûs Sacri.

In *Babyl. Kiddushin*, fol. 49. 1. agitur de modo deſponſandi fœminam. Inter alia hæc occurrunt, ת"ר על מנת שאני קריינא, *Tradunt Rabbini, Si dicat, Deſponſator tu mihi, ſi ego legero. Si tres verſiculos legerit in Synagoga, ecce ea deſponſatur.* R. Judah *dicit, Non, donec legat & interpretetur.* יתרגם מדעתיה, *An interpretari licet ex ſenſu ſuo? At Traditio hæc eſt*, R. Juda *dicit*, המתרגם פסוק כצורתו, *Ille qui interpretatur verſum ſecundùm formam ſuam, ecce eſt mendax. Si quid ei addat, ecce eſt convitiator & blaſphemus. Quodnam ergò Targum?* Vel, qualis adhibenda interpretatio? *Targum noſtrum.*

Gloſſ. המתרגם פסוק כצורתו, *Qui interpretatur verſum ſecundùm formam ſuam, id eſt, ſecundùm ſonum litteralem.* Exempli gratiâ, לא תענה על ריב, *Exod.* 23: 2. *Qui interpretatur*, לא תסהיד על דינא, *Non teſtaberis contra judicium, mendax eſt: nam præcipit ut producatur judicium* in lucem. Sic autem interpretetur: Non cohibebis te à docendo *quempiam à te quærentem in judicio.* Sic reddit *Onkelos.*

[*Si quid addat ei*] *Si dicat, Quia datur licentia aliquid addendi, ego addam ubicunque libuerit; ille vilipendit Deum, & verba ejus immutat. Nam Onkelos ubicunque addidit, non addidit de ſenſu ſuo. Nam Targum iſtud datum eſt in monte Sinai; & cùm ejus obliti forent, venit ille, & reſtituit. Et* Rab. Chananeel *verba iſta, Qui interpretatur verſum ſecundum formam ſuam, explicat per hoc exemplum:* ויראו את אלהי ישראל, *Exod.* 24: 10. *Qui ſic reddiderit*, וחזו ית אלהא דישראל *Et viderunt Deum Iſraëlis; mendax eſt: nam nemo Deum viderit, & vivet. Et ille ei addet qui reddiderit*, וחזו ית מלאכא דאלהא, *Et viderunt Angelum Dei: nam gloriam Dei tribuit Angelo. At ſic interpretetur*, וחזו ית יקרא דאלהא, *Et viderunt gloriam Dei Iſraëlis.* Sic *Onkelos* iterum.

Tam grande opus reputant interpretari Textum Sacrum: & hæc quæ dicta ſunt lucem forſan aliquam præbebunt circa donum interpretationis.

Quamvis autem tam utilis neceſſariuſque foret linguæ *Hebrææ* uſus apud hos Miniſtros, erat tamen & abuſus aliquis quem caſtigat Apoſtolus; nempè quod eâ uterentur non in ædificationem, & abſque Interprete: & dum preſſius porrò rem intueor, ſuſpicor eos in hac re judaïzaſſe; quod & in aliis eos feciſſe obſervavimus antè: atque uſum linguæ *Hebrææ*, quamvis vulgo ignotæ, in Eccleſia retinuiſſe, conſuetudinem ſequutos Synagogæ. Ubi

I. Non

Digitized by Google

CAP. XIV. VERS. 2.

I. Non lecta eſt Scriptura niſi in Textu *Hebræo*; imò, ut nos credimus, in Synagogis etiam *Helleniſtarum*, ut de iſta re diſputamus alibi.

II. Orationes publicæ in Synagogis fuſæ etiam ſunt *Hebraicè*, unâ aut aliâ exceptâ quæ *Chaldaicè*.

Gloſſ. in *Beracboth*, fol. 3. 1. *Soliti ſunt recitare orationem, cujus initium* קדיש *poſt concionem: nam aderat ibi vulgus, qui non intellexit linguam ſanctam. Hanc ergò orationem compoſuerunt linguâ Chaldaicâ, ut omnes intelligerent:* cæteras non intellexerunt.

III. Is qui è cathedra docuit vel concionatus eſt, *Hebraicè* loquutus eſt, & per Interpretem.

Gloſſ. in *Joma*, fol. 20. 2. *Aſtitit Interpres coram Doctore qui concionatus eſt:* חכם לוחש לו לשון עברית, *Et Doctor inſuſurravit ei in aurem Hebraicè, atque ille populo reddidit vernaculè.*

Et refertur ibi hiſtoria in *Gemara*, de *Rabb*, qui aſtitit Interpres *R. Phillæ*; cùmque *R. Philla* diceret, קרא גבר, *Canit Gallus*, *Rabb* reddidit, קרא גברא, cùm reddendum foret קרא תרנגולא. Hinc mentio frequentiſſima in Paginis Thalmudicis de של פלוני & אמוריה מתורגמניה של פלוני, *Interprete hujus & illius Doctoris.*

Dum hæc cogito uſitata in Synagogis Judæorum, me ninique magnam partem Eccleſiæ *Corinthiacæ* conſtitiſſe ex Judæis, non poſſum non ſuſpicari & Miniſtros eorum eâdem linguâ uſos pro veteri more: hunc nempè legiſſe Scripturam ex Textu *Hebræo*, illum oraſſe, vel concionatum eſſe linguâ *Hebræâ*, pro conſuetudine uſitata in Synagogis. Quam rem quidem tolerat Apoſtolus, modò adſit Interpres, uti etiam in Synagogis eſt factum, quia lingua iſta myſteriorum plena per idoneum Interpretem reddita, quamplurimùm conferre potuit ad ædificationem Eccleſiæ.

Suſpicor etiam eos judaizaſſe in confuſa vocum ſuarum commixtione: quod videtur ab iis factum, ex eo quòd monet Apoſtolus ut loquantur *viciſſim*, *verſ.* 27. & non mixtim. Unde autem confuſionem iſtam haurire potuerint, ex his judica.

Megill. fol. 21. 2. *Tradunt Rabbini. In Lege unus legit, & unus interpretatur: & ne unus legat, & duo interpretentur. Aſt in Prophetis unus legit, & duo interpretantur: at ne duo legant, & duo interpretentur. Atque in Hallel & in Libro Eſtheræ decem legere poſſunt, & decem interpretari.*

Gloſſ. *Ne unus legat in Lege, & duo interpretentur: multò minùs duo legant. Ratioque eſt, quia duæ voces ſimul non audiuntur. At in Prophetis unus legat, & duo interpretentur, quia interpretatio erat fœminarum & plebis gratiâ, quæ non intellexerunt linguam ſanctam. Atque neceſſe erat ut auſcultarent interpretationi Legis, ut intelligerent præcepta. At verò de interpretatione Prophetarum non erant adeò accurati.*

CAP. XIV. VERS. 3, 5.

VERS. 3. Ὁ δὲ προφητεύων.

Vocabulum Προφητεύειν tria comprehendit, *Pſalmodiam*, *Doctrinam*, & *Revelationem*, ut *verſ.* 26.

I. *Prophetare* ſumitur pro *Pſallere*, vel laudes Dei celebrare.

1 *Sam.* 10: 5. Occurret tibi chorus Prophetarum cum tympano, tibiâ & citharâ, והמה מתנבאים, *Et ipſi prophetabunt:* ubi *Chald.* ואינון משבחין, *Et ipſi pſallent* vel *laudabunt.* Et *Cap.* 19: 24, 25. ואזל מיזל ומשבח, *Et perrexit pſallens. Et exuit veſtem ſuam,* [regalem] ושבח, *& cantavit.*

Ex hac vocis *prophetandi* ſignificatione intelligas quo ſenſu fœmina dicatur *prophetare*, Cap. 11: 5. hoc eſt, *pſallere*. Nam quod illìc ab Apoſtolo dicitur, *Vir orans aut prophetans*, & *fœmina orans aut prophetans*, hoc Capite explicatur cùm dicit, *Orabo & pſallam.*

II. *Prophetare* eſt concionari, vel *doctrinam habere*, ut *verſ.* 26. Hinc *Chaldæus* נביא *Prophetam* ſemper ferè reddit ספרא *Scribam*, vel doctum, docentem.

Cùm vulgatiſſimè de iis qui donis extraordinariis inſtructi erant, dicatur quod *linguis loquuti ſunt & prophetarunt*, in *Actor.* 10: 46. dicitur quòd *linguis loquuti ſunt & magnificarunt Deum.* Pro *prophetarunt* dicitur *magnificarunt Deum:* idque hiſce duobus modis, vel laudando Deum, vel prædicando & magnalia Dei enuntiando, *Actor.* 2: 11.

III. *Prophetare* eſt aliquid ex divina revelatione prædicere vel docere: quod *verſ.* 26. profertur, *Revelationem habet.* Temporibus iſtis erant qui Spiritu revelationis afflati, vel futura prædicerent, ut *Agabus* famem, *Actor.* 11: 28. & vincula *Pauli*, *Actor.* 21: 10. vel mentem Dei Eccleſiæ patefecerunt de hac aut illa re agenda aut non agenda, ut *Actor.* 13: 2. Prophetis *Antiochenis*, ſegregent *Paulum* & *Barnabam*, &c.

VERS. 5. Θέλω δὲ πάντας ὑμᾶς λαλεῖν γλώσσαις.

Non tam optantis eſt, quàm dirigentis. Ac ſi dixiſſet, Non reſtringo vos ad prophetandum ſolùm, utcunque ea dixerim quæ *verſ.* 1, 2, 3. ſed volo & hortor ut loquamini linguis cùm convenit, at magis ut prophetetis. Dixerat anteà *linguâ* numero ſingulari, *verſ.* 2, 4. quia loquebatur de homine ſingulari;

Digitized by Google

CAP. XIV. VERS. 15, 16.

lari: jam dicit *linguis* numero plurali, ipſiſſimo eodem ſenſu, niſi quòd loquatur de pluribus loquentibus.

Num ergò hoc vult vel ſuadet Apoſtolus, vel optat, ſi ſit optio? Velim vos omnes linguâ *Punicâ*, *Ægyptiacâ*, *Æthiopicâ*, *Scythicâ*, aliiſque ignotis in Eccleſia loqui? Cogita ſeriò cuinam hoc potuerit eſſe fini. At ſi de *Hebræa* intelligas, finis patet.

Vers. 15. Τί οὖν ἐϛι;

Apoſtolus Græcè reddit phraſiologiam מאי Scholis tritiſſimam.

Babyl. Chetubb. fol. 39. 1. *Interrogavit Rabba τὸν Abai*, בא עליה ונתארסה מהו, *Ingreditur vir ad fœminam cùm deſponſatur: quid tùm?* vel quid in iſta cauſa eſt ſtatuendum?

Ibid. fol. 61. 1. *Uxor dicit, Lactabo infantem: at maritus dicit, Non lactabis. Auſcultant fœminæ. At maritus dicit ut lactet, & uxor, Non.* מהו *Quid tùm agendum?*

Bava Mezia, fol. 24. 2 *Incedit quis in platea, atque invenit crumenam:* מהו, *quid ei agendum? Ecce ei cedit. At venit Iſraëlita, & ſigna ejus aliqua dat:* מהו, τί ἐϛι *quid tùm eſt ſtatuendum?*

Jevamoth, fol. 25. 1 לימדנו רבינו, *Doceat nos Magiſter noſter*, כהן בעל מום מהו שישא את כפיו, *Sacerdos labe tactus* τί ἐϛι *ut elevet manus* ad benedicendum populo? i. e. Quid de eo ſtatuendum? An elevet manus necne? Et ſequitur ubique quæſtionis determinatio.

In eundem ſenſum Apoſtolus hoc in loco, τί οὖν ἐϛι; quid ergo agendum eſt in hac cauſa circa uſum linguæ ignotæ? Determinat: *Orabo ſpiritu, & orabo intelligentia.*

Sic *verſ.* 26. Τί ἐϛιν ἀδελφοί; *Quid in hac cauſa eſt agendum, cùm unuſquiſque Pſalmum habet, doctrinam habet*, &c. Determinat: *Omnia fiant in ædificationem.*

Προσεύξομαι τῷ πνεύματι, &c.

Orabo ſpiritu, i. e. in demonſtratione donorum ſpiritualium: & *Orabo intelligentia*, i. e. ut intelligar ab aliis.

Vers. 16. Ὁ ἀναπληρῶν τὸν τόπον τοῦ ἰδιώτου.

הדיוט. Vox Rabbinis uſitatiſſima.

Bab. Mezia, fol. 104. 1. ר׳ם היה דורש לשון הדיוט, *R. Meir expoſuit*, vel determinavit, *ſecundùm linguam privatam. Sic & R. Juda. Et Hillel ſenex. Et R. Jochanan Ben Korchah*, &c. Gloſſ. *Soliti ſunt privati ſcribere aliter quam ſecundùm normam Sapientum.* Illic חכם & הדיוט, *Sapiens* & Ἰδιώτης opponuntur.

CAP. XIV. VERS. 16, 21.

Sic opponuntur כהנים הדיוטות, *Sacerdotes privati* Sacerdotibus ordinis dignioris: &, quod obſervavimus antè, הדיוטות Ἰδιῶται, opponuntur לדיינין *Judicibus.*

In 1 *Sam.* 18:23. איש רש ונקלה, *Homo pauper & contemptibilis* Targumiſtæ eſt גבר מסכן והדיוט.

Secundum hanc vocis Ἰδιώτου apud Judæos acceptationem, contra diſtingui hoc in loco ab Apoſtolo videntur membra Eccleſiæ a Miniſtris, privati à publicis. Sic in variis iſtis Φρατρίαις Liturgiam Paſchalem celebrantibus erat unus qui benedixit, recitavit, diſtribuit, & quaſi publicum egit pro iſta vice & occaſione Miniſtrum, & reliqui omnes erant Ἰδιῶται vel privati: ita etiam in Synagogis *Angelus Eccleſiæ* publico functus eſt miniſterio, & reliqui erant ut privati. Erant quidem inter eos qui revera non erant privati, ſed Judices & Magiſtratus, & docti; at quoad præſentem iſtam actionem ἀνεπλήρουν τὸν τόπον, (quod non de ſeſſione in ſedilibus inferioribus intelligas, ſed de præſenti eorum capacitate) ſupplerunt locum, vel ſuſtinuerunt conditionem privatorum quoad actionem præſentem, ut hominum contradiſtinctorum à publico Miniſtro. Ἰδιώτης quidem occurrit pro plebejo, aut indocto, *verſ.* 23. quod tamen nequaquàm impedit quominus hoc in loco ſumatur ſenſu allato.

Πῶς ἐρεῖ τὸ Ἀμήν, &c.

Unius erat orare vel gratias agere, omnium reſpondere *Amen.*

Beracoth, cap. 8. hal. 8. *Reſpondent Amen poſt Iſraëlitam benedicentem, non poſt Cuthæum*, &c. At

Hieroſ. Berac. fol. 12. 3. *Non reſponderunt* ולא אמן יתומה, *Amen orphanum*, אמן חטופה, *nec Amen raptum*, &c.

Amen orphanum erat cùm diceretur *Amen*, atque is qui dixit non perpendit aut novit quare vel ad quid ſic reſponderet. Eodem ſenſu eſt מזמורא יתומא, *Pſalmus orphanus* in *Babyl. Avodah Zarah*, fol. 24. 2. id eſt, Pſalmus cui nec nomen authoris inſcribitur, nec occaſio compingendi. יתמא *Thalmudicis* aliquando eſt *fatuus*, vel imperitus: ſic eſto, ſi placet, in hacce phraſiologia. Tale eſt *Amen* de quo Apoſtolus hoc in loco, cum ſcilicet quis *Amen* reſponderet fatuè rei non intellectæ.

Vers. 21. Ἐν τῷ νόμῳ γέγραπται.

In Lege, id eſt, *in Scriptura*: in antitheſi ad דבריהם *verba Scribarum.* Nam uſitatiſſima erat iſta diſtinctio in Scholis. זה מתורה, *Hoc diſcimus ex Lege*, & זה מדבריהם, *Hoc ex verbis Scribarum.*

Toſapht. in *Jevamoth*, cap. 1. דברי תורה

CAP. XIV. VERS. 21, 26, 27. תורה אין צריכין חיזוק, *Verba Legis* [i. e. Scripturæ] *non opus habent confirmatione.* דברי סופרים צריכין חיזוק, *At verba Scribarum opus habent confirmatione.*

In *Babyl. Sanhedr.* fol. 91. 2. Prophetæ priores & poſteriores, & Hagiographa ſingulatim inſigniuntur nomine Legis, ita ut ulteriori illuſtratione non ſit opus.

Unde aſtruitur reſurrectio mortuorum è Lege? Ex verbis iſtis, אז יבנה, *Joſ.* 8: 30. בנה לא נאמר, *Tunc ædificavit*, *non dicitur* [tempore præterito] ſed יבנה, *ædificabit* [tempore futuro] מכאן לתחיית המתים מן התורה, *Hinc aſtruitur reſurrectio mortuorum è Lege.*

Unde aſtruitur reſurrectio mortuorum è Lege? Inde quod dicitur, Beati ſunt qui habitant in domo tua; עוד יהללוך, *Te ſemper laudabunt*, Pſalm. 84: 4. הללוך לא נאמר, *Non dicitur, Te laudant; ſed* יהללוך, *Te laudabunt. Hinc aſtruitur reſurrectio mortuorum è Lege.*

Unde aſtruitur reſurrectio mortuorum è Lege? Inde quod dicitur, Vocem ſuam efferent vigiles tui; קול יחדיו ירננו, *Voce cantabunt ſimul*, *Eſaj.* 52: 8. רננו לא נאמר, *Cantant non dicitur, ſed* ירננו *Cantabunt. Hinc aſtruitur reſurrectio mortuorum è Lege.*

En tibi Prophetas priores inſignitos nomine *Legis*, inter quos Liber *Joſuæ*; & poſteriores, inter quos Liber *Eſajæ*; & Hagiographa, inter quæ Liber *Pſalmorum*.

VERS. 26. Ἕκαστος ὑμῶν ψαλμὸν ἔχει.

Id eſt, Cùm convenitis in unum, hic vult tempus cultumque inſumi maximè in pſalmodia, ille in concionando, &c. Hic pſalmodiam præfert, ille linguam, ille prædicationem, &c.

VERS. 27. Κατὰ δύο, ἢ τὸ πλεῖστον τρεῖς.

Uſum linguæ ignotæ, ut vides, permittit Apoſtolus, & quæro ego iterum cujuſnam? Obſervetur illud quod dicit *verſ.* 22. *Linguæ ſunt in ſignum, non iis qui credunt, ſed iis qui non credunt*: & niſi probaveris fuiſſe in Eccleſia eos qui non crederent, quod implicat, vix crediderim ego permiſiſſe eum linguarum ignotarum uſum ſub aliqua tali notione, præſertim verò cùm immediatè anteà dixerat, *Fiant omnia in ædificationem.* At ſuppone quod nos ſupponimus de lingua Hebræa, & res quadrabit.

Dicit de ſeipſo ſanctiſſimus hic noſter, *Cap.* 9: 20. *Judæis factus ſum Judæus ut lucrarer Judæos*; quod & hic ab eo factum videtur: at nec hîc, nec uſpiam alibi, niſi in ædificationem, & ut eos lucretur. Ablactari noluerunt illi à veteri conſuetudine Synagogæ quoad uſum linguæ Hebrææ in ſacris, & impræſentiarum placitum eorum is iis indulget; nec inaniter, cùm ex uſu iſtius linguæ ædificari poſſent auditores, aſtante fido Interprete: quod in aliis linguis fieri non potuit quicquam magis, quàm ſi linguâ *Corinthiacâ* omnia fuiſſent prolata. CAP. XIV. VERS. 29, 30, 35.

Si linguâ quis loquatur, fiat per binos, &c. Unus legat Scripturam linguâ Hebræâ, alter oret, tertius concionetur. Nam ſecundùm has ſpecies cultus divini optimè diſtribuas perſonas, non ut omnes eandem rem agant.

VERS. 29. Προφῆται δὲ δύο ἢ τρεῖς λαλείτωσαν.

Unus pſallat qui ψαλμὸν ἔχει; alius doceat qui διδαχὴν ἔχει; & ſi tertius παράκλησιν vel παραμυθίαν ἔχει, *verſ.* 3. & is proferat.

VERS. 30. Ἐὰν δὲ ἄλλῳ ἀποκαλυφθῇ καθημένῳ

Frequentiſſimum eſt illud de Doctoribus Judæorum, היה יושב *ſedit*, quod non tam hoc nudè ſibi vult, *fuit ſedens*, quàm *docuit è ſede docentis*, vel *ſedit docens* vel docturus; ita ut quidem *ſedit* & *docuit* converterentur. Exempla apud *Thalmudicos* ſunt infinita. Eodem ſenſu Apoſtolus: Si cui Miniſtro qui inter eos qui docent, ſedem habet, quicquam ſit revelatum, &c. non revelatum eo ipſo inſtante: ſed ſi dicat ſe accepiſſe revelationem aliquam à Deo, tùm ὁ πρῶτος σιγάτω, ſileat is qui ψαλμὸν ἔχει, & huic cedat.

VERS. 35. Αἰσχρὸν γάρ ἐστι γυναιξὶν ἐν ἐκκλησίᾳ λαλεῖν.

Confer illud,

Megillah, fol. 23. 1. *Tradunt Rabbini*, הכל עולין למנין שבעה, *Quilibet connumeratur intra numerum ſeptem*, [iſtorum qui legerunt in Synagogis Sabbato] ואפילו קטן ואפילו אשה, *Etiam puerulus, etiam fœmina. Verùm dicunt Sapientes, Mulier ne legat in Lege* מפני כבוד ציבור, *propter honorem Synagogæ*. Nota illud: Dedecori erat Eccleſiæ, ſi fœmina in ea legeret; quod vel puerulo, vel etiam ſervo permiſſum: multò magis ſi ea partem aliquam muneris miniſterialis uſurparet. Uſitatum etiam erat ut hic aut ille aſſidens docentem interrogaret de hoc aut illo articulo: at & hoc etiam fœminis prohibet Apoſtolus, idque ſub hac ratione, *quia fœminis non permittitur loqui, ſed ut ſubditæ ſint viris*, verſ. 34. Permiſſum eſt iis reſpondere *Amen* cum aliis, & cantare

Digitized by Google

CAP. XV. VERS. 5, 7, 8. cum Eccleſia; at aliquid ſeorſim loqui prohibitum.

C A P. XV.

Vers. 5. Καὶ ὅτι ὤφθη Κηφᾷ.

PRoficiſcenti ſcilicet *Emmaunta.* Vide quæ diximus ad *Marc.* 16.

Vers. 6. Ἔπειτα ὤφθη ἐπάνω πεντακοσίοις ἀδελφοῖς ἐφάπαξ.

In monte Galilææ, *Matth.* 28: 16. Ubi additur ab Euangeliſta, Οἱ δὲ ἐδίστασαν: quod cautiùs intelligendum, non quòd quidam ex undecim jam tùm de ejus reſurrectione dubitarent, nam & ipſe *Thomas* anteà crediderat; ſed quòd nonnulli de cœtu iſto, cum undecim ibi congregato, dubitarent. Comma ergò iſtud non ſolùm congruum, ſed & neceſſarium eſt, ut reddas, *Videntes autem eum*, [undecim Diſcipuli] *adoraverunt eum*; *alii verò dubitarunt.* Non *quidam* ex undecim, ſed *alii* de cœtu.

Vers. 7. Ἔπειτα ὤφθη Ἰακώβῳ.

Cuinam *Jacobo*? *Zebedæi* filio, an *Alphæi*? Probabilius eſt *Alphæi Jacobum* intelligendum, & quòd in vivis is jam foret cùm *Paulus* hæc ſcriberet, & quòd videatur *Apoſtolus* ex inſtituto agere de apparitione *Chriſti* exhibita *Petro*, & *Jacobo* Miniſtro Circumciſionis, & ſibiipſi Miniſtro Præputii. Vide hiſtoriam de *Jacobo* quodam, Diſcipulo, ut vocatur, *Jeſu*, *Avodah Zarah*, fol. 16. 2. & 27. 2.

Vers. 8. Ὥσπερ τῷ ἐκτρώματι, &c.

נפל *Job.* 3: 16. Septuaginta Interpretibus eſt Ἔκτρωμα: & quod notandum, reddunt illi, נפל טמון, Ἔκτρωμα ἐκπορευόμενον ἐκ μήτρας μητρός; cùm vox טמון videatur potiùs contrarium denotare: nempè eum nunquam ex utero matris exiiſſe, ſed illîc ſemper abſcondi. Sic *Chald.* נכלא דטמוע במעינא.

Hinc vox מפלת *Thalmudicis* uſitatiſſima pro fœmina abortiente. *Cherithuth*, cap. 1. hal. 3. המפלת כמין בהמה·חיה ועוף *Fœmina abortiens* & pariens, *in figura jumenti, feræ, aut avis.* המפלת סנדל או שליא אושפיר מרוקם, *Abortiens* & pariens, *Sandalium*, *Secundinam aut molam figuratam*, &c. *Numer.* 12: 12. ὡσεὶ ἔκτρωμα ἐκπορευόμενον ἐκ μήτρας μητρὸς, καὶ κατεσθίει τὸ ἥμισυ τῶν σαρκῶν αὐτῆς.

Quaſi diceret Apoſtolus: Quantùm ego ab Apoſtolo? Quantùm maſſa aliqua informis

CAP. XV. VERS. 20, 29. deformiſve, abortivo partu edita, differt à forma humana. Aptiùs, nî me fallat conjectura, clariùſque verba *Anglicè* reddas, *As to a thing born out of due form*, quam ut redduntur, *As to one born out of due time.* Παιδίον μὴ ἐξεικονισμένον, LXX. in *Exod.* 21: 22.

Vers. 20. Ἀπαρχὴ τῶν κεκοιμημένων.

Quamvis reſurrectio *Chriſti* cum quibuſvis primitiis comparata harmoniam cum iis habeat optimam, maximè tamen convenit cum oblatione manipuli עומר vulgò dicti, non ſolùm quoad rem ipſam, ſed & quoad circumſtantiam temporis: nam primò erat Paſcha, & dies inſequens erat Sabbaticus, & die iſtum inſequente offerebantur iſtæ primitiæ. Sic *Paſcha noſtrum Chriſtus* eſt *crucifixus.* Dies crucifixionem ejus inſequens erat Sabbatum: & die illud inſequente reſurrexit ille *primitiæ dormientium.*

Vers. 29. Οἱ βαπτιζόμενοι ὑπὲρ τῶν νεκρῶν.

I. Hoc ſenſu verba optimè intelligas: *Alioquin quid facient illi qui ſubeunt martyrium, & baptizantur eo ſenſu quo Baptiſmus mortem denotat per martyrium, ſi omninò mortui non reſuſcitantur?* Nam

I. *Baptiſmum* pro martyrio ſumi patet ſatis, *Matth.* 20: 22, 23.

II. Vide quàm optimè huic ſenſui conveniat connexio commatis inſequentis. Quid facient illi qui martyrium ſubierunt ſubeuntve, ſi non ſit relurrectio? Τί καὶ ἡμεῖς κινδυνεύομεν; *Et quare nos etiam indies atque omni momento pericliitamur ad martyrium?*

III. Arguit à morientibus in *Chriſto*, id eſt, in fide Chriſtiana, *verſ.* 18. & num credas omittere eum velle argumentum à morientibus *pro* fide Chriſtiana?

IV. Dicit Τί ποιήσουσιν; non ποιοῦσιν. Non quid ſibi volunt vel denotant, vel ſignificant per hoc quod baptizantur, &c. ſed *quid facient*, aut quid de illis fiet? Corpora ſua tradiderunt martyrio, & quid de illis fiet ſi corpora non reſurgant? Sic *Jerem.* 5. ult. מה תעשו לאחריתה, *Quid facietis in fine?* id eſt, Quid de vobis fiet?

Non latet in verbis, quoad hunc ſenſum quem proponimus, ſenſus aliquis, niſi in phraſiologia ὑπὲρ τῶν νεκρῶν, quam illuſtremus pari.

Baptizarunt Judæi Proſelytum לשם גר, ſub notione vel in nomine Proſelyti; & ſervum manumittendum לשם משוחרר, ſub notione vel in nomine libertini. Jam verò cùm diceretur, *N. Baptizatus eſt* לגר *in Proſelytum*, *N. baptizatus eſt* למשוחרר, *in libertinum*;

Digitized by Google

CAP. XV. VERS. 29, 31.

timum; nonne aptè hæc Græcè proferuntur, Ὁ δεῖνα βαπτίζεται ὑπὲρ προσηλύτου, ὑπὲρ ἐλευθέρου.

II. Si alienior videatur redditio vocis ὑπὲρ hoc ſenſu, ſupponatur Apoſtolum loqui de ablutione & purificatione Judæis inſtituta poſt contactum mortui, & erit redditio propinquior. Super eam legem ſic *R. Bechai*. *Qui tangit mortuum, purificandus eſt aquâ purificationis cum cineribus, ſcilicet vaccæ rufæ, quæ purificat pollutum à mortuo. Unde ortus eſt nobis mos lavandi manus, quando venimus à mortuo:* רמז למי פרה, *quod innuit aquam vaccæ rufæ,* והוא גם כן רמז לתחיית המתים, *atque innuit etiam reſurrectionem mortuorum.* Quonam autem illud modo? Audi *Zohar* ſuper rem iſtam, fol. 86. 4. *Spiritus immunditiei habitat ſuper homines propter mortuos.* מאי אסוותא, *Quodnam autem eſt iis remedium? Illud quod ſcribitur,* ואל עפרם ישובון, *Et ad pulverem ſuum redibunt, id eſt, ad pulverem uſtulatæ vaccæ rufæ, quo purificantur. --- Et recedit ſpiritus immunditiei, & effunditur Spiritus alius ſanctus. Dedit Deus Iſraëli conſilium ut uterentur omnimodis remediis, quo obtineant vitam mundi futuri, ſcilicet ut puri inveniantur in hoc mundo, & ſancti in mundum futurum. De quibus ſcribitur, Conſpergam ſuper vos aquam puram, & purificabimini,* Ezech. 36.

Omittere illud non poſſumus in *Babyl. Moed Katon*, fol. 27. 2. *Ab antiquo in more fuit vaſcula baptizare ſuper fœminas in menſtruis ſuis morientes;* מטבילן את הכלים על גבי נדות, *de qua re erubuerunt fœminæ menſtruoſæ viventes. Statuerunt ergò ut baptizarent ſuper omnes fœminas ob honorem fœminarum menſtruoſarum viventium. Ab antiquo baptizarunt ſuper viros profluvioſos defunctos: quâ re pudefacti ſunt profluvioſi viventes. Statuerunt ergò ut baptizarent ſuper omnes viros in honorem profluvioſorum viventium.*

VERS. 31. Νὴ τὴν ὑμετέραν καύχησιν ἣν ἔχω, &c.

Illud quod aſſerit Apoſtolus hoc eſt, ſe quotidiè mori, hoc eſt, proculcari, contemptum pati, periculum ſubire, mortem expectare. Atque hoc ita eſſe appello, inquit, veſtram, ô *Corinthii*, gloriationem. At quonam ſenſu intelligenda iſta gloriatio? Non gloriatio Apoſtoli de iis; nam tùm aptiùs diceretur ἡμετέραν καύχησιν, quàm ὑμετέραν. Nec erat quidem, rebus ut tunc ſtantibus, cur Apoſtolus de iis gloriaretur. Nec intelligenda eſt gloriatio eorum in Apoſtolo; nam heu! quàm nimiùm apud eos ille viluit! Gloriatio ergò quam innuit, erat gloriatio eorum *contra* ipſum; & hanc obteſtatur appellatque. Indies, inquit, ego morior, ſpernor, proculcor, periclitor. In hujus rei teſtimonium obteſtor appelloque ipſiſſimam veſtram contra me gloriationem: quam quidem ego pro gloriatione mea in *Jeſu Chriſto* habeo. Veſtrûm non erat in me gloriari: at verò cùm illud faciatis, ego in hoc contemptu & contumelia glorior.

CAP. XV. VERS. 31.

VERS. 32. Εἰ κατὰ ἄνθρωπον ἐθηριομάχησα.

Hoc eſt grande iſtud periculum de quo agit, 2 *Cor.* 1: 8, 9. quod nequaquàm intelligendum de tumultu apud *Epheſinos* per *Demetrium* excitato; nam ſcripta eſt hæc Epiſtola ante iſtum tumultum: ſed ſecundùm litteram, quòd Apoſtolus in theatro fuerit realiter objectus feris. Nec huic ſententiæ obſtat quod *Lucas* acta *Pauli* referens, hiſtoriam hanc tam memorabilem omiſerit, cùm & alias quamplurimas omiſerat: nec quod pugnantes cum beſtiis, alii forent ab objectis ad beſtias; cùm & poſterioribus etiam foret cum iis pugnandum, aut abſque ulla ſpe pereundum: ſed ei è contra hæc duo ſuffragantur.

I. Quòd in tumultu *Demetrii* amicos ſe *Paulo* exhiberent *Aſiarchæ*, *Actor.* 19: 31. id eſt, Sacerdotes iſti inter Ethnicos, quorum munus erat ludos theatricos edere in honorem Deorum.

Euſeb. Eccleſ. Hiſt. lib. 4. cap. 15. Ἠρώτων τὸν Ἀσιάρχην Φίλιππον ἵνα ἐπαφῇ τῷ Πολυκάρπῳ λέοντα. Ὁ δὲ ἔφη μὴ εἶναι ἔξον αὐτῷ, ἐπειδὴ πεπληρώκει τὰ κυνηγέσια. *Rogarunt Philippum Aſiarcham* [Interpres reddit *Munerarium*] *ut leonem in Polycarpum emitteret. Ille verò reſpondit, Non licere ſibi, quoniam jam ferarum certamina confecta eſſent.*

Iidem erant & *Phœniciarchæ* & *Syriarchæ*, Novell. 89. ad finem, &c. Jam verò unde tandem hi *Aſiarchæ* amici facti *Paulo*? An ut amplectentes Euangelium? Quare ergò adhuc *Aſiarchæ*? Sed videtur potiùs *Paulum* cum beſtiis commiſſum, mirando & ſtupendo aliquo modo fuiſſe ſervatum, ita ut ipſi *Aſiarchæ* viſo miraculo, in admirationem rei traherentur, atque in benevolentiam erga eum.

II. Quidnam aliud ſibi vult Κατὰ ἄνθρωπον ἐθηριομάχησα, quàm, Pugnavi cum beſtiis eo modo quo homines pugnant cum beſtiis? Vel, Pugnavi cum beſtiis hoc ipſo corpore humano. Et quod addit ἐν Ἐφέσῳ, clariorem adhuc reddit ſenſum, eumque multò magis reſtringit ad litteram. Si enim intelligendum ſic foret, Pugnavi *Epheſi* cum *Demetrio* & ſuis, ac ſi cum beſtiis, aptiùs longè fuiſſet exemplum adduxiſſe lapidationis ſuæ in *Lyſtra*, *Actor.* 14: 19. flagellationis ſuæ *Philippis*,

Digitized by Google

CAP. XV. VERS. 36, 45.

lippis, *Actor.* 16. &c. Nam in tumultu *Demetriano Epheſi* non comperis eum vel ictum unum, ferè dixeram, vel periculum ullum, paſſum fuiſſe vel ſubiiſſe. Vim quidem aliquam paſſi ſunt *Gajus* & *Ariſtarchus* in theatrum protracti, beſtiis forſan illicò objiciendi: at lege relegeque totam hiſtoriam, *Actor.* 19. & ne gry quidem ullius injuriæ, quàm in perſona ſua tunc temporis paſſus eſt *Paulus*.

VERS. 36. Ἄφρον.

שוטה.

Gloſſ. in *Taanith*, fol. 17. 1. *Reſpondit Rabban Jochanan Ben Zaccai Baithuſæis*, [reſurrectionem mortuorum etiam negantibus] *& dixit*, שוטים מניין לכם, Ἄφρονες, *unde hoc vobis*, &c.

VERS. 45. Οὕτω καὶ γέγραπται, &c.

De priori non dubitatur: nam ſcribitur *Geneſ.* 2:7. At ubi poſterius? Per totum Codicem Sacrum: indè ipſi Judæi tot & tanta de *Spiritu Meſſiæ*, & de *Meſſia vivificante*.

Ὁ ἔσχατος Ἀδὰμ εἰς πνεῦμα ζωοποιοῦν.

Job. 19: 25. אני ידעתי גאלי חי ואחרון על עפר יקום. Videtur mihi *Jobus* hoc in loco in verbis אחרון על עפר יקום, in eundem ſenſum loqui cum Ὁ ἔσχατος Ἀδάμ. De priori *Adamo* dictum eſt, עפר אתה ואל עפר תשוב, *Pulvis es, & in pulverem reverteris. Et novi ego*, inquit, *Jobus, quòd Redemptor meus vivit, & ille exurget de pulvere alter, vel poſterior, & ego videbo Dominum ex eadem qua ego carne*, &c. incarnationem innuens Meſſiæ.

Εἰς πνεῦμα ζωοποιοῦν. *Spiritus Dei incubabat faciei aquarum*, *Geneſ.* 1: 2. זה רוחו של מלך המשיח, *Hic eſt ſpiritus Regis Meſſiæ*. Sic Judæi frequentiſſimè.

Itemque, משיח עתיד ליחין ישני עפר, *Meſſias vivificabit dormientes in pulvere.*

Præteriri abſque obſervatione non poteſt, quânam authoritate applicet *Paulus* verba iſta *Pſalmi* 102. *Tu in principio, Domine, fundaſti terram*, &c. *Hebr.* 1:10. ad *Meſſiam*, ut Deitatem & dignitatem ejus aſtruat. At falleris, ô *Paule*, diceret Hebræus; hæc ad Deum Patrem applicanda ſunt, non ad *Meſſiam*. Habet Apoſtolus quod retorqueat ex ipſa Judaicæ Gentis confeſſione. Vos agnoſcitis Spiritum illum qui præſens erat & præerat Creationi, fuiſſe *Spiritum Meſſiæ*.

Præteriri etiam abſque obſervatione non debet, *Adamum*, receptâ jam ab eo promiſſione *Chriſti* & creditâ, uxorem ſuam nominaſſe *Chavam*, id eſt, *Vitam*. Sic Lxx. Καὶ ἐκάλεσεν Ἀδὰμ τὸ ὄνομα τῆς γυναικὸς αὐτοῦ ζωή, *Geneſ.* 3: 20. Quid? illam nuncupari *vitam* quæ mortem introduxit? At ſenſit *Adamus*, τὸν ἔσχατον Ἀδὰμ in promiſſione ſibi exhibitum, eſſe πνεῦμα ζωοποιοῦν, & meliorem vitam introduxiſſe animæ, & tandem introducturum corporis. Hinc illud *Joann.* 1:4. Ἐν αὐτῷ ζωὴ ἦν.

CAP. XV. VERS. 47, 55. CAP. XVI. VERS. 1.

VERS. 47. Ὁ δεύτερος ἄνθρωπος ὁ Κύριος.

Geneſ. 4: 1. *Evah* concepit & peperit *Cainum*, & dixit קניתי איש את יהוה, *Poſſedi* vel obtinui τὸν ἄνθρωπον τὸν Κύριον, id eſt, ut ipſe Dominus fiat homo. Nam ſic liceat mihi vertere his nixo rationibus.

I. Quòd interpretatio hæc ſit ſine ulla omninò torſione particulæ את, imò ſit ſecundùm ſignificationem & uſum ejus maximè proprium.

II. Quòd abſque dubio reſpexerit *Evah* promiſſionem *Chriſti*, cùm denominaret filium; ſicut promiſſionem reſpexerat *Adamus* in denominatione *Evæ*.

VERS. 55. Ποῦ σου, θάνατε, &c.

Hoſ. 13: 14. אהי דבריך מות, Lxx. Ποῦ ἡ δίκη σου, θάνατε; & *Aben Ezra*, יש אומרים הפוך כמו איה, *Sunt qui invertunt vocem* אהי, *acſi eſſet* איה, *ubi:* והנכו כאומרו אהי מלכך איפוא הוא. *Et verè, ſicut dicitur*, אהי מלכך, *verſ.* 10. *Ubi eſt Rex tuus?* ubi *Chald.* אן מלכך [non, *Ero Rex tuus*, ſed] *Ubi Rex tuus?*

Ita ut propriè & germanè verterint Græci Interpretes, & Apoſtolus poſt eos אהי, ποῦ.

דבריך apud Prophetam à Targumiſta & Rabbinis redditur in ſenſum *Verbi:* at quidam, ut fatetur *Kimchius*, agnoſcunt ſenſum *Peſtis*, idque meritiſſimè, quia cum eo conjungitur vox קטב, prout דבר & קטב conjunguntur *Pſalm.* 91. Ubi vide *Targ.* & *R. Solom.* & cum iis confer Interpretes Græcos.

CAP. XVI.

VERS. 1. Περὶ δὲ τῆς λογίας τῆς εἰς τοὺς ἁγίους.

NI plurimùm ego fallar, מגבת חכמים *Hieroſolymitanis* pari ſenſu denotat τὴν λογίαν εἰς τοὺς σοφούς.

In *Horajoth*, fol. 48. 1. hæc extat hiſtoria.

R. Eliezer, R. Joſua, & R. Akiba aſcenderunt ad Cholath Antiochiæ, על עסק מגבת חכמים, *negotiantes in collecta pro Sapientibus. Erat illîc quidam Abba Juda, qui Legem præſtitit oculo bono. In paupertatem jam redactus*

cùm

Digitized by Google

CAP. XVI. VERS. 2.

cùm videret Rabbinos, dejecto erat animo. Domum ſe contulit mœſto vultu. Dixit ei uxor, Quare languet vultus tuus? Reſpondit, Advenerunt Rabbini, & ego quid faciam non novi. Dicit ea illi, Reliquus eſt tibi ager unus: abi, & dimidium ejus divendito, & dato illis. Quod & fecit. Cùmque illi diſceſſiſſent, abiit ille aratum in dimidio agri ſui, ac invenit theſaurum grandem, &c.

Hæc libentiùs protulimus, ut obſervetur collectas in exteris regionibus inter Judæos factas fuiſſe pro *Rabbinis* pauperioribus habitantibus *Judæam*, eo modo quo factæ ſunt in exteris regionibus inter Chriſtianos pro Judæis pauperibus ad Chriſtianiſmum converſis in *Judæa*.

VERS. 2. κατὰ μίαν σαββάτων.

בחד בשבת.

I. Iſte dies ubique jam celebrabatur pro Sabbato Chriſtiano: & quod ſine obſervatione non eſt prætereundum, quantum liquet ex Scriptura, nuſpiam eſt de re iſta diſputatum. Controverſum eſt de Circumciſione aliiſque Judaicæ Religionis apicibus retinendis, vel non retinendis; at nuſpiam, quod legimus, de immutatione Sabbati. Erant quidem de Judæis ad Euangelium converſis, qui, ut in aliis nonnullis rebus, ſaporem aliquem veteris ſui Judaiſmi retinuerunt, ita & in obſervatione dierum, *Rom.* 14: 5. *Gal.* 4: 10. at non rejecto aut neglecto Die Dominico. Illum celebrarunt, nec quidquam ſcrupuli, quod appareт, de ea re agitantes; at & veteres ſuos dies feſtos retentos voluerunt: & non diſputârunt omninò an celebrandus Dies Dominicus, ſed an non celebrandum etiam Sabbatum Judaicum. Sic admiſerunt Baptiſmum; ſed piguit non admittere etiam Circumciſionem. Sic & in aliis quibuſdam Judaiſmi articulis, non rejicientes Euangelium, ſed ſuperinducentes etiam aliquid Judaiſmi. *Quemadmodum ordinavi in Eccleſiis Galatiæ*, inquit Apoſtolus, *ita & vos facite, primo quoque die hebdomadis*, &c. & tamen de iiſdem *Galatis* dicit idem Apoſtolus, *Dies & obſervatis & menſes:* non quòd Sabbatum Chriſtianum reſpuerent, ſed & quod & Sabbata Judaica retinerent.

II. Authoritate ſuâ ſatis ſeipſum commendabat *Dies Dominicus:* nec de inſtitutione ejus dubitari omninò potuit à converſis Gentilibus, quippè qui Sabbatum aliud norant nunquam, vel ſaltem agnoverant: nec quidem à Judæis converſis, ſi modò *Jeſum* pro vero *Meſſia* agnoverint; quippè quòd in Scholis ſuis didicerant, *Meſſiam* novam Legem laturum, prout *Moſes* tulerat veterem. Illud etiam quod ab incunabulis imbiberant, *Meſſiam* non aboliturum inſtituta *Moſis*, ſed altiùs provecturum, & ſplendidiora redditurum, quamvis ſcrupulum apud eos movere potuerit de abolitione Sabbati Judaici, nullum tamen movere potuit de ſuperinductione Sabbati Chriſtiani.

III. In controverſia iſta de immutatione Sabbati à Judaico in Chriſtianum; quam ſine cauſa proſequuntur nimiùm nonnulli, ſilentium illi Sacrarum Paginarum de inſtitutione Diei Dominicæ pro rei negatione habent, ac ſi minimè credenda ea foret, quia planis verbis non effertur.

Inter plurima quæ in iſta cauſa dicuntur, nos hæc etiam pauca interſeramus.

I. Sileri quidem à Sacro Textu de re iſta, dum ſtruitur ſcena rerum Chriſtianarum in *Judæa*, mentione tantùm habitâ ab Euangeliſtis de apparitionibus *Chriſti* primâ die hebdomadæ; eâ ſcilicet quâ reſurrexit à mortuis, & primâ hebdomadæ inſequentis, *Joann.* 20: 26. At cùm transfertur ſcena ad Gentes, tunc apertiſſima ejus eſt mentio, hoc ſcilicet in loco & *Actor.* 20: 7. & *Apocal.* 1: 10.

II. Præcipua namque curâ de mentione Sabbati hæc fuit, ut de iſto Sabbato memoria foret, quod inter Eccleſias Gentilitias futurum erat, & duraturum erat in perpetuum. Et de iſto mentio fit planiſſimè in hiſtoria iſtarum Eccleſiarum.

III. Silentium ergò antecedens nequaquàm arguit Apoſtolos & Diſcipulos in *Judæa* ad fidem converſos non celebraſſe Diem Dominicum, vel non eum ex inſtitutione divina coluiſſe; ſed jure meritoque reſervatur ejus mentio ad locum ſuum aptiſſimum, in hiſtoria ſcilicet Eccleſiarum Gentilium.

Θησαυρίζων.

Hæc enim ſunt veræ opes in cœlo reconditæ, &c. *Beza*. Cujus verbis anſam nobis præbentibus, addamus & hæc pauca ejuſdem thematis.

Babyl. Chetubb. fol. 66. 2. *Acceſſit fœmina quædam ad Rabban Jochananem Ben Zaccai, dixitque, Dignare mihi, Domine, alimoniam. Cui ille, Et quænam tu, ô filia mea? Ego, inquit illa, ſum filia Nicodemi Ben Gorionis. Et ille, O filia, quid fit de opibus familiæ patris tui? Reſpondit ea;* ר׳ לא כרין מתלין מתלא בירוש׳ מלח ממון חסר, *O Rabbi, nonne hoc proverbio utuntur Hieroſolymis? Sal divitiarum eſt earum defectus.* ואמרי לה חסד, *Aſt aſſiſtentes dixerunt ei, At miſericordia*, vel eleemoſyna, *eſt earum ſal.*

Gloſſ. *Quicunque vult condire divitias ſuas, id eſt, efficere ut non marceſcant, eroget eas in eleemoſynas, & defectus divitiarum ex tali cauſa oriens eſt earum ſalitio.*

CAP. XVI. VERS. 5, 8, 9.

VERS. 5. Μακεδονίαν γὰρ διέρχομαι.

In partes itur de horum verborum ſenſu & verſione: & hîc quidem vertitur totus cardo controverſiæ de loco unde ſcripta hæc Epiſtola.

Sunt qui in hunc ſenſum reddunt, *Ego ſum jam pertranſiens Macedoniam*; quod abſque dubio fecit ille, quicunque is fuit, qui primus verba iſta fini Epiſtolæ attexuit, Πρὸς Κορινθίους πρώτη ἐγράφη ἀπὸ Φιλίππων: & idem faciant illi neceſſe eſt, qui indè eam miſſam arbitrantur.

At *Vulgat*. & Interpr. interlin. *Nam pertranſibo Macedoniam*, tempore futuro, veriùs optimèque: nam miſſam fuiſſe hanc Epiſtolam *Epheſò*, fidem hæc planè faciunt, aliaque.

I. Quòd *Corinthios* ſalutat Apoſtolus nomine *Eccleſiarum Aſiaticarum*: quod minimè eum facturum eſt probabile, ſi jam exiſteret ille in *Macedonia*. At detur eum quàm nuperrimè ex *Aſia* adventantem, ſalutationes iſtarum Eccleſiarum ſecum tuliſſe; æquè improbabile eſt, eum illos nomine Eccleſiarum *Macedonicarum* noluiſſe etiam ſalutare.

II. Patet eum hanc Epiſtolam ſcripſiſſe antequàm perveniret in *Macedoniam*, ex iis quæ dicit Epiſtolâ ſecundâ, *Cap*. 2: 12. 13. & *Cap*. 7: 5, 6, 7. Nam *Troade* cùm non occurreret ei *Titus*, quem unà cum *Stephana*, *Fortunato* & *Achaico Corinthum* miſerat cum hac Epiſtola, nec adhuc ſcire poſſet quem fructum apud *Corinthios* ea reportaviſſet; acceleravit ille iter in *Macedoniam*: atque illuc cùm adveniret, nec ibi reperiret *Titum*, inquieto aliquandiu ſtetit animo, donec tandem adveniret *Titus* nuntius bonorum.

III. Dicit *verſ*. 8. Ἐπιμενῶ δὲ ἐν Ἐφέσῳ, quaſi diceret, Hîc *Epheſi*, ubi jam ſum, permanebo uſque ad Pentecoſten.

VERS. 8. Ἐπιμενῶ δὲ ἐν Ἐφέσῳ.

An ad tempus à ſe præfinitum [Pentecoſten ſcilicet] *Epheſi* permaneret, an eum citiùs inde pelleret tumultus *Demetrii*, latet in incerto. Indè pulſum excepit *Macedonia*, ut refertur *Actor*. 20. ubi quamvis inter ejus peregrinationes nulla habeatur mentio itineris ejus ad *Corinthum*, illuc tamen eſt profectus, dum ſocii ejus præirent ad *Troada*, atque illum ibi expectarent.

VERS. 9. Θύρα γάρ μοι ἀνέῳγε, &c.

Vide *Actor*. 19: 17, 18, 19, 20.

CAP. XVI. VERS. 10, 19.

VERS. 10. Ἐὰν δὲ ἔλθῃ Τιμόθεος.

Decepit hic locus eum iterùm qui ὑπογραφῇ huic Epiſtolæ ſuffixit; ex cujus commento miſſus eſt *Timotheus* unà cum *Stephana*, *Fortunato* & *Achaico* Epiſtolam perlaturus ad *Corinthios*. Non levi errore: nam miſſus quidem eſt *Timotheus*, ſed ab *Epheſò* in *Macedoniam* cum *Eraſto*, *Actor*. 19: 22. inviſurus quidem *Corinthios* in reditu ſuo, ſed minimè illuc ex inſtituto Apoſtoli miſſus è *Macedonia*: quod ſomniat ille.

VERS. 19. Σὺν τῇ κατ' οἶκον αὐτῶν Ἐκκλησίᾳ.

Sic etiam de iis dicitur, cùm *Romam* rediiſſent, quòd Eccleſiam haberent in domo ſua, *Rom*. 16: 5. Diciturque idem de *Philemone*, *Philem*. *verſ*. 2. & vide *Coloſſ*. 4: 15. At quo ſenſu hoc intelligendum, eſt obſcurius.

I. Forſan erant in domo *Aquilæ* nonnulli qui cum eo commigrarant *Roma*, pulſi indè edicto *Cæſaris*; atque cum eo in eadem domo, dum in exilio ſuo forent, diverſabantur. At quid tùm dicendum de iis cùm *Romam* rediiſſent ad domum ſuam? Itemque quid dicendum de Eccleſia in domo *Philemonis*?

II. Aut forſan erat Aquila *hoſpes Eccleſiæ*, qualis erat *Gajus Corinthi*, in cujus domo erant alii aliæque, muneri iſti cum eo deſignati. Et eodem forſan officio functus eſt *Romæ* cùm rediret. Eodemque forſan *Philemon Coloſſis*: atque indè illud Apoſtoli ad eum, *Para mihi hoſpitium*, *verſ*. 22. At hæc omnia incertiora: nec eſt in conſpectu quidem, ubi pedem figamus. Liceat ergò aliam conjecturam etiam addere.

III. Sat notùm eſt quidnam apud Judæos fuerit בית מדרש, *Beth Midraſh*, *Schola Theologica* vel Sacellum, & quidnam diſcriminis inter eam, & בית הכנסת, *Synagogam*.

Vocabatur autem *Beth Midraſh*, etiam בי רבנן, *Be Rabbanan*, *Schola Rabbinorum*. Et quæritur in *Megill*. fol. 28. 2. מאי בי רבנן ביתא דרבנן, *Quid eſt Schola Rabbinorum? Eſt domus Rabbinorum*. Ubi *Gloſſa*, *Quare vocant* בתי מדרשות, *Scholas Theologicas Be Rabbanan? Nempè quia eſt domus eorum in quemlibet uſum*. Agitur illic loci à *Gemariſtis* de Synagogis uſui ſacro deſignatis, & quouſque liceat iis vel jam florentibus, vel delapſis, quoad uſus ſacros antiquitatis, uti ad uſus communes: & de *Beth Midraſh*, quæ cognata admodùm Synagogæ, concluditur, ut vides, quòd eſt quaſi ipſa domus Rabbini in

ea

Digitized by Google

ea docentis, & ab eo adhibenda in uſum quemlibet.

Mentio τῆς בי רבנן vel *Beth Midraſh*, ipſaque res de qua jam agimus, memoriam ſuſcitat τῆς בי אבידן, *Be Abidan*, de qua *Thalmudici*; at ſenſu quidem duplici varioque.

Occurrit ejus mentio in *Babyl. Avodah Zarah*, fol. 17. 2. ubi denotat fanum Ethnicum.

Examinatur *R. Eliezer Ben Parta à Magiſtratu Romano, atque inter alia ab eo hoc quæritur*, מ״ט לא אתית לבי אבידן, *Quare non adiiſti fanum? Reſpondit ille, Ego ſenex ſum, & veritus ſum mihi, ne vos me pedibus conculcaretis. Cui alter, Num unquam quiſquam ſenex proculcatus? Evenit miraculum; nam eo ipſo die proculcabatur ſenex quidam.* Ubi *Gloſſ*, בי אבידן, *Be Abidan eſt domus* vel fanum *ubi comedunt & bibunt in honorem Idoli*, ומזבלין זיבול לע״ז, *& ſtercorant ſtercus* [id eſt, ſacrificant] *Idolo*, &c.

Aſt in *Shabb.* fol. 116. 1. occurrit ſenſu alio.

ספרי דבי אבידן וגו׳, *Libros τῆς Be Abidan num eripiunt ab incendio, aut non eripiunt?* אין ולא, *Etiam & non*; id eſt, aliquando eripiunt, aliquando non. Quinam autem fuerint Libri τῆς *Be Abidan*, edocet gloſſema his verbis: ספרים כהבו להם מינים להתווכח עם ישראל, *Libros ſcripſerunt ſibi Hæretici diſputationum contra Judæos*, ומקום שמתווכחים שם קרי ליה בי אבידן, *& locus in quo diſputatur, vocatur Be Abidan.* Per *Hæreticos intelligi Chriſtianos minimè eſt dubitandum*, *& Be Abidan* hoc in loco non ſumi pro fano Ethnico, liquet ſatis ex ſequentibus. *Rabb*, inquiunt, *non ivit in Be Abidan, multò minùs* לבי נצרפי, *in fanum Ethnicum. Samuel ivit in fanum Ethnicum; ſed non ivit in Be Abidan.* Dixerunt *Rabbæ*, מ״ט לא אתית לבי אבידן, *Quare non adiiſti τῷ Be Abidan? Reſpondet ille, Palma quædam eſt in via, atque obſtat mihi. Eradicabimus eam, inquiunt illi. Locus ejus, ait ille, difficilis eſt mihi.* Gloſſ. *Veriti ſunt Rabb & Rabba ire in Be Abidan, ne inter diſputandum inſurgerent in eos, atque interimerent.*

Et jam ut ad rem noſtram redeamus, quid prohibet quominùs opinemur, domum *Aquilæ Epheſi Romæque, Philemoniſque Coloſſis*, tali uſui inſerviiſſe, prælectionibus ſcilicet aliquando ſacris, & diſputationibus vel cum Judæis, vel inter Chriſtianos: non quòd negligeretur publica conventio in Eccleſia; ſed quòd numerus aliquis ex Eccleſia, forſan totus cœtus Miniſtrorum Doctorumque huc conveniret, reliquique qui ad myſteria Euangelica magis anhelarent: ubi tractabantur articuli atque apices fidei obſcuriores, & diſputatum eſt, ſi res efflagitaret, vel inter ſe, vel contra Judæos.

VERS. 22. Εἴ τις οὐ φιλεῖ τὸν Κύριον Ἰησοῦν Χριστὸν, ἤτω Ἀνάθεμα Μαρὰν ἀθά.

Vox *Anathema* idem quidem ſonat quod Hebræis חרם, uti copioſiſſimè videre eſt [ut exempla omnia alia omittamus] apud Lxx. Interpretes in Capite ultimo *Levitici* cum *Hebræo* collato.

Et ſumitur quidem vocabulum triplici potiſſimùm ſenſu in Scriptura Sacra: quod annotat Author *Aruch* in voce חרם, idque ex Authore *Toſaphoth* ad Tractatum *Erachin*, cap. 4.

I. חרמי כהנים, *Anathema vel devotum Sacerdotibus*, hoc eſt, aliquid quod ſacratum Deo neceſſariò ceſſerit Sacerdotibus.

Babyl. Erachin, fol. 28. 2. חרמי כהנים אין להם פדיון, *Anathemata Sacerdotum non admittunt redemptionem, ſed danda ſunt Sacerdotibus pro Trumah*, vel oblatione.

II. חרמי גבוה, *Anathema vel devotum Altiſſimo.* Cujus exempla habes, *Levit* 26: 27, 28, &c. Ubi ſic Lxx. Πᾶν ἀνάθεμα ἅγιον ἔσαι τῷ Κυρίῳ. In *Babyl. Nedarim*, fol. 18. 2. vocatur חרם של שמים.

III. חרם אשר יחרם מן האדם, *Anathema quod anathematizatur ex hominibus*: de hoc *Levit*. 27: 29. Ubi ſic iterùm Lxx. Πᾶς ὃ ἐὰν ἀνατεθῇ ἀπὸ τῶν ἀνθρώπων, οὐ λυτρωθήσεται, ἀλλὰ θανάτῳ θανατωθήσεται. *Omne Anathema aut devotum ex hominibus, non redimetur, ſed morte morietur.*

Quidnam autem eſt *Anathema ex hominibus?*

Reſpondit Author *Toſaphtoth*, א״ו חייבי מיתות בד״, *Damnatus ad mortem à Synhedrio.*

R. Solom. *Cùm morti devoverit Iſraëlita ſervum aut famulam ſuam Canaanæos.*

R. Menahemius. *Cùm exitio devoverint bellantes Iſraëlitæ hoſtes ſuos, ſi modò devicerint, ut ab illis factum eſt*, Numer. 21.

Babyl. Chetubb. fol. 37. 2 *Unde eſt quòd cùm eductus eſt aliquis capite à Synhedrio damnatus, ad ſubeundam mortem, prodit alter intercedens & dicens, Perſolvam ego pro ejus redemptione; unde, inquam, eſt quòd fruſtrà hæc dicit? Indè nempe, quia ſcriptum eſt, Omne Anathema ex hominibus non redimetur, ſed morte mulctabitur.*

Si ergò primævam & propriam Anathematis hujus naturam inquiramus, fuit certè deſtinatio hominis alicujus noxii ad certiſſimam mortem & exitium.

Hinc illud *Chald. Paraphr.* in *Iſaj.* 43. ult. ubi pro אתנה יעקב לחרם, *Tradam Jacob*

Digitized by Google

CAP. XVI. VERS. 22.

CAP. XVI. VERS. 22.

Jacob in Anathema, reddit ille אמסר לקטלא, *Tradam ut occidatur.*

Et jam quòd ad voces *Maran-atha*, convenit inter quamplurimos Commentatores, hanc phraſiologiam eſſe quandam formam Excommunicationis, eamque ſummam & graviſſimam. *Sic ſignatur*, inquiunt, *ſpecies extremi Anathematis; ac ſi diceretur, Maledictus eſto ad adventum atque in adventu Domini.*

Hanc *tertiam* Excommunicationis apud Judæos ſpeciem eſſe aſſerunt, atque idem ſonare cum שמתא opinantur, & in eundem ſenſum interpretantur שם אתא, *Deus venit.*

Mihi verò pace tantorum virorum liberè effari liceat quid in hac re ſentiam.

I. Non comperi inter legendum uſpiam locorum, quæſiverim licèt ſedulò, apud ullos Scriptores Judaicos quos evolvi, ubi ſemel occurrat *Maran-atha* pro forma Excommunicationis: nec inveni apud ullum Scriptorem Chriſtianum vel minimum indicium quo monſtraretur ubinam loci aut quo in Authore Hebræo inveniatur iſta phraſiologia tali ſenſu. Imò ut ulteriùs eloquar quod res eſt, non memini me apud aliquem Scriptorem, vel Thalmudicum vel Rabbinicum, phraſin hanc *Maran-atha* in aliquo omninò ſenſu inveniſſe, unquam uſquam.

II. At tacitè fatentur Commentatores iſti, de quibus mentio, *Maranatha* quidem ſyllabicè non occurrere apud Scriptores Hebræos; at שמתא quod idem ſonat, occurrere frequentiſſimè: & ſic interpretantur שם אתא, *Deus venit.*

Verùm prætermiſſo hoc quòd hæc interpretatio ignorationem videtur prodere verbi שמת, aliud etymon vocabuli שמתא adducunt *Thalmudici*, quibus vox illa & ſatis trita & magis nota.

Babyl. Moed Katon, fol. 16. מאי שמתא, *Quid ſignificat Shammatha? Reſpondit Rabba*, שם מיתה, *Sham metha illìc eſt mors. Reſpondit Samuel*, שם תהא *vel* היתי, *Ibi ſit vel illuc adveniat mors: ſicut ſcriptum eſt, Veniet in domum furis maledictio, & vaſtabit eam*, Zach. 5. Hæc illi atque alia; at nulla apud ipſos mentio τοῦ שם אתא

Quid ſibi per *Maranatha* velit Apoſtolus, faciliùs inveſtigabimus, cùm priùs hoc obſervaverimus, Apoſtolum in Judæos incredulos, Domini *Jeſu* atque ejus Euangelii inimicos acerrimos, aciem atque ictum iſtius Anathematis ac maledictionis præcipuè intendere: quod non poſſum non opinari quatuor hiſce inductus rationibus.

I. Quòd Judæi, præ omnibus mortalibus, Dominum *Jeſum* non amaverint, non ament. Docet hoc fuſiſſimè Sacra Pagina: docet hoc infelix experientia. Pagani *Jeſum* non amant quidem, quia non norunt; at quia non norunt, etiam non oderunt. *Jeſum* quidem non amant Turcæ, eo modo quo Chriſtiani; at non oderunt etiam, eo modo quo Judæi.

II. Quòd linguâ hîc loquatur & dialecto Judaicâ, iſtâ nempè phraſi Syriacâ *Maranatha*. Græcè loquutus fuerat per totam Epiſtolam, Græcè loquitur per omnes Epiſtolas: quod autem hîc Judaicè, extra omnem controverſiam, ipſum de Judæis loqui res ipſa loquitur.

III. Judæi ſoli ex omnibus mortalibus dixerunt *Jeſum Anathema*: [vide *Cap.* 12: 1.] meritò ergò Anathemate eos præ omnibus mortalibus percutit Apoſtolus, par pari referens.

IV. Huc adduco, vel potiùs huc adducit ipſe Apoſtolus verba illa *Iſajæ*, Cap. 65: 15. *Relinquetis nomen veſtrum electis meis in execrationem.*

Huc etiam adduci poteſt illud *Malachiæ*, Cap. 4. quo concluditur Vetus Teſtamentum, פן אבוא והכיתי את הארץ חרם, *Ne veniam & percutiam terram Anathemate. Ne veniam*, hoc idem eſt quod dicit Apoſtolus, *Maranatha, Dominus venit. Et percutiam Anathemate*, idem quod in hoc commate, *Eſto Anathema.* In quoſnam comminatio apud Prophetam? In incredulos Judæos. In eoſdem & comminatio & maledictio hæc Apoſtoli, & ex ipſiſſimis (ut videtur) Prophetæ verbis deſumpta.

Et jam facillimè eruas ſenſum vocis *Maranatha.*

Magna & terrifica loquitur Scriptura Sacra de adventu *Chriſti* ad ſumendas pœnas de Judæorum Gente ob non amatum, imò exoſum *Chriſtum*, & conculcatum Euangelium. Vocatur adventus ejus in regno ſuo, in nubibus, in gloria; quod obſervamus alibi: ut longè promptius mihi ſit phraſiologiam hanc *Maranatha*, hoc eſt, *Dominus noſter venit*, ex communi hoc & Scripturæ uſitatiſſimo loquendi modo in hunc ſenſum interpretari, quàm ad Judaicam neſcio quam formulam confugere, quæ & apud Judæos omninò quidem non habeatur.

ADDEN-

Digitized by Google

ADDENDA
ad
CAP. XIV.

UT lucis aliquid addatur iis quæ diximus ad *Cap.* 14. circa uſum linguæ ignotæ, non incongruum duximus paucis diſſerere ad diſcutiendam quæſtionem iſtam, *Quorumnam Bibliorum uſus obtineret in conventibus Judæorum ſacris*, quam huc rejecimus, ne interrumperetur continuatio Commentarii.

CAP. I.

De Hebræis & Helleniſtis.

CUm inter *Helleniſtas* diſtinguitur, & *Hebræos*, *Actor.* 6:1. obſcuritatis minùs ſecum ferre videtur, quàm cùm diſtinguitur inter *Helleniſtas* & *Judæos*, *Actor.* 11:20. nam *Helleniſtas* fuiſſe *Judæos* conſenſum eſt ferè inter omnes.

Ratio diſtinctionis peti poteſt, vel ab eorum diſperſione, vel ab eorum lingua. Διασπορὰ τῶν Ἑλλήνων, *Joann.* 7:35. planè diſtingui poteſt, ἀπὸ τῆς διασπορᾶς τῶν Βαβυλωνίων. Judæi diſperſi per victorias & colonias *Græcorum*, à Judæis diſperſis per captivitatem *Babylonicam*, & dominium *Perſicum*.

At petitur diſcriminatio potiùs ab eorum linguâ: quippè quòd *Hebræi* dicti fuerint illi, quibus vernacula erat lingua *Hebræa*, hoc eſt, *Syra* vel *Chaldaica*; *Helleniſtæ* autem, quibus lingua *Græca*.

Sub titulo *Hebræorum* nemo non diſpoſuerit *Palæſtinæos*, *Babylonicos*, *Aſſyrios*, *Syros*, qui noverit quænam lingua omnibus iſtis regionibus fuerit vernacula & communis: præſertim qui noverit omnes iſtas regiones ab ipſis *Thalmudicis* diſponi ferè ſub eadem claſſe & cognatione morum ac privilegiorum, æquè ac ſub eadem lingua. Hinc iſta apud eos, & iſtiuſmodi.

Quicunque habitat in Babylonia, eſt ac ſi habitaret in terra Iſraëlis, Babyl. Chetubb. fol. 3. 1.

Omnis terra extranea vocatur מדינת הים, *Ethnica, exceptâ Babyloniâ*, R. Solom. in *Gittim*, cap. 1. ubi per בבל, *Babyloniam*, omnes regiones iſtas intelligunt, ad quas deportata & abducta eſt Captivitas *Babylonica*.

Et hæc quoque de *Syria*, Gittim, fol. 8. 1. *Quoad tria Syria erat par terræ Iſraëliticæ: tenebatur ad decimas & annum ſeptimum: illuc ire poteras in puritate: & coëmens fundum in Syria, erat ac ſi coëmeret in ſuburbanis Hieroſolymæ.*

Syria quoad judicia quædam, eſt ſicut terra Iſraëlitica, Rambam in *Demai*, cap. 6.

Shevith, cap. 6. hal. 6. *Exportant* [fructus anni ſeptimi] *in Syriam, ſed non ad extra terram:* nota *Syriam* non reputari *extra terram*, ſed in rebus variis uniri cum *Palæſtina*; & varia adduci poſſent iſtiuſmodi, & de *Syria*, & de *Babylonia*.

Jam ergò cùm de *Helleniſtis* eſt ſermo, harum regionum & hujus linguæ Judæi ſunt ab iis diſtinguendi; non negato tamen quòd & inter hos hic illic fuerint etiam *Helleniſtæ*, ut *Synagoga Alexandrina Hieroſolymis*, illi *Cæſareæ* qui apud *Thalm. Hieroſ. Sotah*, cap. 7. *Phylacteria ſua recitarunt Helleniſticè*; atque illi *Antiochiæ*, de quibus mentio in loco *Actorum* allegato.

Nemini dubium eſt, linguam *Syram* fuiſſe vernaculam totius *Syriæ*; & tamen quis dubitaverit qui hiſtoriam *Syro-Græcorum* legerit, fuiſſe plurimos in *Syria* quibus lingua vernacula erat *Græca*. Atque hinc facillima ſolutio nodi iſtius, *Actor.* 11. Diſcipuli diſperſi, euangelizantes, invenerunt in *Antiochia* quoſdam *Helleniſtas*, quibus ſcilicet vernacula lingua erat *Græca*, inter *Judæos*, quibus vernacula erat *Syra*.

CAP. II.

De Hebræis in Babylonia & regionibus adjacentibus.

NUmeratur populus è *Babylone* redux, *Ezr.* 2. computaturque ſumma totalis 42360. *verſ.* 64. Et tamen non aſſurgit numerus familiarum illìc ſingulatim numeratarum ultra 30000. Ita ut 12000. iſti qui intra ſummam totalem comprehenduntur, & tamen non numerantur familiatim, vel plebei fuerint & nullius nominis, vel qui genealogiam ſuam non potuerunt derivare, ut *verſ.* 62. vel forſan non pauci eorum erant de *decem Tribubus*.

Digitized by Google

At quanta turba Judæorum in *Babylonia* adhuc permanſerit, cùm numerus iſte ad antiquam patriam ſuam remearet, ex hiſce duobus, ut alia omittantur, conjectêris.

I. Quòd de *viginti quatuor Ephemeriis* Sacerdotum non redirent niſi quatuor, *Taanith*, fol. 68. 1. ut obſervant *Hieroſolymitani*, idque bene ex *Ezr.* 2:36. &c. Et quamvis proportionem longè minorem in reliquo populo concipias, excedet tamen longè numerus commorantium numerum redeuntium.

II. Radices egerat populus in *Babylonia*, & LXX. anni captivitatis oblivionem propriæ patriæ ferè induxerunt. Juſſi fuerant à Deo domos ſibi ædificare, plantare paradiſos, & ſeſe ad diutinam illîc loci habitationem componere, *Jerem.* 29:5,6. tranſiitque tandem neceſſitas in complacentiam, & ſedes nacti quietas, commodas & lucroſas, meliùs eſſe illîc judicarunt, quàm in patriam redire incultam, & periculis plenam & penuriâ.

Hinc diſputant Magiſtri, an totus iſte cœtus qui aſcendit cum *Ezra*, non aſcenderit coactus: כר סבר אפרושי אפרושינהו ומנפשיהו, *Babyl. Kiddushin*, fol. 69. 2. Et *Magiſter unus opinatur, quòd ſeparando ſe ſepararunt, & voluntariè aſcenderunt. Magiſter alter*, בעל כרהיהו אסוקינהו, quòd coactos abduxerit. Nam ut Gloſſa, *Babylone commorantes quiete potiti ſunt; aſt Hieroſolymam aſcendentes paupertate preſſi ſunt, atque ommimodo labore & timore à circumhabitantibus.*

De commorantibus hæc ipſi Judæi.

I. Quòd purior ſanguis Judæorum in *Babylonia* remanſit, quàm erat aſcendentium, *Ibid.* fol. 71. 1. quippè quòd *Ezra* fæcem populi ſecum abduxerit, & *Babyloniam reliquerit puram uti farinam*, i. e. ut *Gloſſ. Omnes impuri ſanguinis ille indè abduxit ſecum.*

Inde illud, כל הארצות עיסה לא״י וא״י עיסה לבבל, *Omnes terræ ſunt ut maſſa mixta* vel impura, *comparatæ cum terra Iſraëlitica; & terra Iſraëlitica eſt ut maſſa mixta, comparata cum Babylonia*, viz. quoad puritatem ſanguinis.

II. Quòd generoſior ſanguis ſtirpis *Davidicæ* remanſerit in *Babylonia*, quàm qui aſcenderit in Familia *Hilleliana*: quippè quòd illa fuerit de ſemine maſculo, hæc de fœmineo, *Juchaſ.* fol. 89. 1. *Babyl. Chetubb.* fol. 3. 1.

III. Imò hoc apud eos obtinuit temporibus Thalmudicis: *Probibetur exire è Babylonia in terram aliam, etiam à Pombeditha ad Be Cubi: & quemdam qui ivit à Pombeditha ad Be Cubi, Rabb Joſeph excommunicavit.*

Et ſi ſpecimen aliquod proponeremus numeroſitatis Judæorum terram iſtam incolentium, ſub iſtis temporibus tres eorum Academias poſſemus perluſtrare, *Naardeenſem, Soranam*, & *Pombedithanam*, ut & varia alia loca Rabbinis celebria, qualia ſunt,

Bethdoli, ubi R. *Nehemia*, Jevam. fol. 122. 1. quæ & *Bedeli* vocatur, *ibid.* fol. 115. 1.

Fluvius Pekod, ubi *R. Jacob*, *Zevach.* fol. 6. 1.

Bagdat, ubi *R. Channah*, *Zevach.* fol. 9. 1.

Coronia, ubi *R. Chaijah*, *Jevam.* fol. 67. 1.

Oppidum Mabazia, ubi Doctores, *Pombedithanis* pares, *Chetubb.* fol. 4. 1. & fol. 55. 1. Sed *Thalmudicorum* Geographiam aliqualem introducamus regionum in *Babylonia* ubi Judæorum habitatio.

Kiddushin, fol. 71. 2. *Dicit Rabb Papa ſenex, nomine τȣ̃ Rabb.*

בבל בריאה, *Babylonia ſana eſt*, מישון מתה, *Mæſon mortua.* מדי חולה, *Media ægrotat*, עילם נוססים, *Perſia eſt expirans.* Hoc eſt, interprete Gloſſatore, *In Babylonia Judæi ſunt puri ſanguinis; in Mæſon omnes ſunt ſpurii; in Media multi puri ſanguinis, multi non; in Perſia plurimi non puri ſanguinis, & pauci qui puri.*

Pergunt, עד היכן היא בבל, *Quouſque extenditur Babylonia? Rabb dicit* עד נהר עזק, *Uſque ad fluvium Azeck. Samuel dicit*, עד נהר יואני, *Uſque ad fluvium Juani.*

Et quouſque ſupra, juxta Diglath? Rabb dicit, עד בגדא ואונה, *Uſque ad Bagdaam & Avanam. Samuel dicit*, עד מושכני, *Uſque ad Muſcani. At Muſcani ipſa non eſt intra terminum. Verùm R. Chaija Bar Abba dicit, quòd Samuel dicit, quod Muſcani eſt ſicut captivitas* [id eſt, *Pombeditha*] *quoad genealogias. Ad Muſcani ergò intelligendum ita eſt, ut Muſcani ſit intra terminum.*

Infra, juxta Diglath quouſque? Ad Apamiam inferiorem: nam duæ erant Apamiæ, una ſuperior, alia inferior. In una Judæi puri ſanguinis, in altera non: & inter eas erat ſpatium 4000. *paſſuum.*

Supra, juxta Euphraten quouſque? Rabb dicit, עד אקרא דתולבנקני, *Uſque ad Acram Tulbankanæ. Samuel dicit, Uſque ad pontem Euphratis. R. Jochanan dicit, Uſque ad tranſitum* דגיזמא *Gizmæ.*

A fluvio *Azek*: indè forſan *Azochis* oppidum, de quo *Plinius*, lib. 6. cap. 27.

נהר יואני, *Fluvius Juani* vel *Joani*, forſan idem eſt cum *Oena* apud *Marcellinum.*

דיגלת, *Diglath. Tigris quâ tardior fuit Diglito, unde concitatur: à celeritate Tigris incipit vocari*, *Plin.* lib. 6. cap. 27.

De *Apamia*, *Ptol.* & *Plinius.*

תולבנקני,

Digitized by Google

תולבנקני, *Tulbankana*. Inter civitates juxta *Euphratis* partem, *Ptolomæo* eſt Θελϐερκάνη in grad. 38. 30. 35. 30.

His omnibus quæ dicta ſunt addi etiam poteſt, quòd in *Notitia Imperii*, ſub diſpoſitione viri ſpectabilis Ducis *Oſrhoëne*, fuerint *Equites promoti indigenæ Synæ Judæorum*; & quòd apud *Plinium* in regionibus hiſce de quibus nobis eſt ſermo, fuerit regio dicta *Palæſtina*, quæ an Judæos incolas non ſapiant, conjecturæ relinquimus.

Addatur & illud *Marcellini. Prope locum ubi major pars Euphratis in rivos diffinditur multifidos, in hoc tractu civitas ob muros humiles ab incolis Judæis deſerta iratorum manu militum conflagravit*, *Ammian. Marcellin.* lib. 24.

C A P. III.

In iiſdem regionibus ſedes decem Tribuum.

SEdes decem Tribuum face Scripturarum & Thalmudicorum inveſtigantes, eas in *Aſſyria* ſitas comperimus, & *Babylonia* & regionibus conterminis; diſpoſitas ſub captivitate ſua in ipſiſſimis iiſdem terris, in quibus diſponendas decreverat conſilium divinum, duas etiam Tribus, cùm eandem ſortem forent illæ ſubituræ; ut illæ quæ contiguæ fuerant in terra ſua, contiguæ etiam forent in terra aliena; & ut quas univerat Deus in promiſſione vocationis ſuæ olim futuræ, unitæ etiam forent in iiſdem ſedibus, ut unà vocarentur.

Eas è terra ſua captivas avectas *diſpoſuit Rex Aſſyriæ in Halach & Chabor, juxta fluvium Gozan, & in civitatibus Medorum*, 2 *Reg.* 17:6 & 18:11.

Thalmudici de locis nominatis ſic commentantur.

Babyl. Jevamoth, fol. 16. 2. *R. Abba Bar Chana dicit:*

חלח זה חלואות, *Halabh eſt Halvaoth.*

חבור זה הדייב, *Habor eſt Adiabene.*

נהר גוזן זה גינזק, *Fluvius Gozan eſt Ginzak.* Bereſh. Rabba, ſect. 33. *R. Akibah concionatur in Ginzak in Media.*

ערי מדי זו חמדן וחברותיה, *Civitates Medorum ſunt Chemdam & ſociæ ejus. At ſunt qui dicunt*, נהר וחברותיה, *Nibar & ſociæ. Quænam ſunt iſtæ ſociæ? Samuel dicit*, מושכי *Muſechi*, חידקי *Hidki*, דומקי *Domki.*

Repetuntur & hæc alibi, idque cum hac nominum variatione.

Kiddushin, fol. 72. 1. חלח זו חלזון, *Chalab eſt Chalzon.*

ערי מדי זו תמדן, *Civitates Medorum ſunt Tamdan, & ſociæ. At ſunt qui dicunt* נהוונד, *Nehvanad & ſociæ.*

Quænam iſtæ ſociæ? Samuel dicit, Oppida מושכי *Mushchi*, חוסקי *Chuski*, & רומקי *Romki.*

De redditione חלח *Chalah* quamvis non accuratè conveniat inter *Gemariſtas*, nunc per הלואות interpretantes, nunc per חלזון; de ſitu tamen loci non diſſentiunt, cùm utrobique eum adjungunt *Adiabene*. Et loco noviſſimè citato ſic applicant verba iſta *Danielis*, ותלת עילעין בפומה בין שניהא, *Et tres coſtæ inter dentes ejus*, Dan. 7:5. *R. Jochanane interpretante*, *ſunt* חלזון *Chalzon*, והדייב & *Adiabene*, ונציבין & *Neſibis.*

Quæro an חלזון non pravè ſcribatur pro חלוון, [ex ſimilitudine literarum *Vau* & *Zain*] quæ & propiùs accedit ad הלואות, & utraque convenit cum Ἀλκανὶς, quæ civitas erat in *Meſopotamia*, apud *Ptol.* in grad. οδ´ ιδ´ 74. 15. λε´ ς γ´ 35. 20.

Ptol. Tab. 4. *Aſiæ de ſitu Meſopot.* Apud eundem fluvius Χαϐώρας memoriam geſtat τῆς *Chabor*, & Χαλκίτης, τῆς *Chalah*, & Γαυζάνιτις τῦ *Gozan.*

הדייב *Adiab* fluvius, unde regio *Adiabene* famæ notiſſimæ, Vid. *Ammian. Marcellin.* lib. 23.

Hæc Judæi de primis ſedibus decem Tribuum, ubi & eas in ſæcula ſubſequentia reſediſſe, adeò apud eos conſtitit, ut apud *Thalmudicos*, חוששין לקדושין שמא [illegible] השבטים הוא, *Jevamoth*, ubi antè: *Cavetur de deſponſationibus, ne ineantur cum aliquo de decem Tribubus.*

Et *Gloſſ.* ibid. בדוכתייהו הוו רובא כי' שבטים, *In locis illis erant plurimi de decem Tribubus.*

Et dum accuratè provident Magiſtri ut conſerventur ſtirpes puri ſanguinis, nominantque loca plurima in *Babylonia* & regionibus adjacentibus, ubi erant familiæ puri ſanguinis, & ubi non puri, digitum intendunt ut in alios, ſic etiam in decem tribus illîc reſidentes; ut impuri ſanguinis, & cum quibus non commiſcendum.

Jam verò ſi adeò notæ fuerint ſedes, urbes, regiones decem Tribuum temporibus *Thalmudicorum*, multò magis temporibus Apoſtolorum quæ propiùs abfuerunt à prima earum captivitate. Non latuit ergò populus iſte tunc temporis in terrâ neſcio quâ incognitâ, [quòd de eo nunc concipitur] quin quòd ad eum pervenerit Euangelizatio Apoſtolica, ſicut ad alias nationes. Indubitatè hoc dixeris fide *Sancti Jacobi*, qui ad totum Δωδεκάφυλον dictat Epiſtolam: itemque *Apocalyptæ*, apud quem obſignantur Tribus duodecim, *Cap.* 7. Atque idem arguunt verba Salvatoris de duode-

duodecim Apoſtolis judicaturis duodecim Tribus, innuentia omnes eas duodecim Euangelii ſonum audiiſſe, de cujus vel receptione vel rejectione futurum erat iſtud judicium. Sub hac notione, nì multùm fallar, intelligendus eſt Apoſtolus agens de vocatione *Iſraëlis*, *Rom.* 11. non Judæorum ſolùm, ſed *totius Iſraëlis* Δωδεκαφύλου. Atque hoc eſt myſterium illud de quo *verſ.* 25. nempè quòd obduratio vel *cæcitas evenit Iſraëli* ἀπὸ μέρους, *partitè* vel *diviſim*. Excæcabantur primùm decem Tribus, & aliquot annorum centuriis poſt duæ Tribus: & hæ & iſtæ ſub iſto ſtatu, donec plenitudo Gentium introiret, intrante jam Euangelio, & ſic omnis *Iſraël* Δωδεκάφυλος, ii nempè qui λεῖμμα erant κατ' ἐκλογὴν χάριτος, *verſ.* 5. eſt ſalvatus. Nam verba iſta, Ἄχρις οὗ τὸ πλήρωμα τῶν ἐθνῶν εἰσέλθῃ, non ita intelligenda ſunt, ac ſi expectanda foret collectio ultimi manipuli meſſis Gentilitiæ ante vocationem iſtam totius *Iſraëlis:* ſed opponuntur raræ iſti acceſſioni Ethnicorum ad veram Religionem ante prædicationem Euangelii. Nam tunc temporis guttatim tantùm & rariſſimis ſtillicidiis ad Eccleſiam ſunt additi: aſt intrante Euangelio, pleno flumine confluxerunt, καὶ ἐν ὅλῳ τῷ πληρώματι τῶν ἐθνῶν. Et ſic [quod grande myſterium] excæcatæ primùm Gentes, & poſt eas excæcatæ decem Tribus, poſtque illas excæcatæ duæ Tribus, ſub miſera iſta conditione ſuccubuerunt, donec tandem omnes per Euangelium illuminarentur, & in unum corpus coaleſcerent. Et Apoſtolum de ſuis temporibus loqui, cum jam recens ad Gentes perlatum foret Euangelium, ipſe ſatis notum ratumque facit per verba iſta, Ἐν τῷ νῦν καιρῷ, *verſ.* 5.

CAP. IV.

Petrus euangelizans in Babylonia.

UNiverſo itaque terrarum orbe ita diviſo, in *Iſraëlitas* & *Gentiles*, Iſraëlitiſque iterum in *decem Tribus* & *Judæos*, Judæiſque rurſus in *Hebræos* & *Helleniſtas*, Hebræiſque in eos qui *intra terram Iſraëliticam* habitarunt, & qui *extrà*; obſervari indè aliquid poteſt quod ſpectat ad Hiſtoriam Euangelicam, Apoſtolicamque.

I. Atque hoc primùm, quoad quatuor Euangeliſtas, ſcripſiſſe nempè *Matthæum* pro *Hebræis intra terram Iſraëliticam*, & *Syriam*; *Marcum* pro *Hebræis extra terram* in *Babylonia* & *Aſſyria*, ubi etiam *decem Tribus*; *Joannem* pro *Helleniſtis*; *Lucam* pro *Gentilibus*.

II. Deinde, cùm celebrentur tres Apoſtoli Circumciſionis, *Jacobus*, *Petrus*, & *Joannes*, *Gal.* 2:9. hinc Diœceſin unicuique benè diſtribuas; *Palæſtinam* & quæ ei contigua & connumerata, *Syriam Jacobo*; *Babyloniam* & *Aſſyriam Petro*, & *Helleniſtas*, *Aſianos* præſertim, ulterioreſque *Joanni*.

Babyloniam, inquam, & *Aſſyriam Petro:* quod & ipſe firmat, cùm Epiſtolam ſuam primam dictat à *Babylone*, & in ſecunda, סיחתו כבבל, vide *Kiddushin*, fol. 71. 2. *Idiomate utitur Babylonico*. Crederes vocem *Boſor* prolatam pro *Beor*, *Cap.* 2:15. vel ſolœciſmum *Petri* fuiſſe, vel errorem Librariorum: ſed *Chaldaiſmum* ſapit, & planè docet quænam ea *Babylon* foret ubi jam tùm *Petrus*.

Chaldæis vulgare erat ש in ע immutare, & vice verſâ ע in ש: ש in ע, ut שפם *Shepham* in עפמיא *Apamiam*, *Numer.* 34: 10, 11. [ubi vide *Targ. Samarit. Hieroſ.* & *Jonath.*] שטר *libellus contractuum* in עיטור apud *Thalmudicos*: & varia iſtiuſmodi.

Et ע in ש aut ס, ut in עד *teſtis*, עהר, *He* tantum interpoſita; & עד *uſque*, *Samaritis* in סעד pari interpoſitione. Si ערק *dividere* eſt etiam סרק, & לועה *maxilla* eſt etiam ליסה: & plurima ejuſdem variationis, quę obſervata palàm teſtabuntur *Petrum* in *Babylone Chaldaica* fuiſſe, & *Chaldaicè* loquutum fuiſſe, cùm diceret בסור pro בעור, *Boſor* pro *Beor*.

Nec erat in toto terrarum orbe regio ulla in qua congruentius & officio ſuo conſonantius euangelizare potuit magnus ille Circumciſionis Apoſtolus, quàm in *Babylonia* & locis adjacentibus, ubi *Hebræi* puriſſimi ſanguinis, & ubi *decem Tribus*, *Circumciſio* pleno nomine.

Hucuſque inveſtigavimus Hebræos, vel Judæos iſtos quibus vernacula lingua erat *Syra* vel *Chaldaica*, *Palæſtinæos* ſcilicet *Syros*, *Aſſyrios*, *Babylonios* & *Meſopotamianos*, atque infinitum numerum *Iſraëlitarum* de decem Tribubus inter hos ſparſorum eâdem linguâ etiam utentium. Videamus jam breviter quorumnam Bibliorum uſus in horum Synagogis.

CAP. V.

Biblia Hebræa lecta in Synagogis Hebræorum.

DEfuerunt, inquiunt *Hieroſolymitani*, *Taanith*, fol. 56. 1. *Res quinque ſub Templo ſecundo, quæ adfuerunt primo: Ignis de cælo, Arca, Urim & Thummim, Oleum unctionis, & Spiritus Sanctus*, vel Spiritus

Pro-

Digitized by Google

Prophetiæ :addatur etiam, *& lingua Hebræa*, lingua Prophetica. De Spiritu Prophetiæ hæc etiam Babylonici, *Sotah*, fol. 24. 2. *A morte Prophetarum poſteriorum, Haggæi, Zachariæ & Malachiæ ceſſavit ab Iſraële Spiritus Sanctus.* In prima quidem generatione à reditu è *Babylone* viguiſſe dotem Propheticam teſtantur ſatis iſti Prophetæ, & quidem quamplurimi alii, ſi Magiſtris credimus Traditionum : nam ſic illi, *Hieroſ. Megill.* fol. 70. 4. *Inter octoginta Seniores qui dimicabant contra ſtatutum Eſtheræ & Mardochæi de feſto Purim, ac ſi foret innovatio in Lege, plures quàm triginta erant Prophetæ.* At extinctâ illâ generatione, evanuit etiam donum Prophetiæ, nec apparuit ampliùs ante auroram Evangelii. Huc ſpectant illa *Joann.* 7:39. *Ουπω ἦν πνεῦμα ἅγιον. Actor.* 19:2. *Ἀλλ' οὐδὲ εἰ πνεῦμα ἅγιόν ἐστιν, ἠκούσαμεν*

An continuatus fuerit vernaculus uſus linguæ Hebrææ in prima iſta generatione, prout continuatum eſt donum Prophetiæ, non diſputabimus. Hoc certè præterire non poſſumus, Libros iſtos Sacri Canonis qui ſcripti ſunt in illa generatione, *Paralipomenon* ſcilicet, *Ezræ*, *Nehemiæ*, *Eſtheræ*, *Haggæi*, *Zachariæ*, *Malachiæ*, [paucis tantùm in Libro *Ezræ* exceptis] omnes ſcriptos fuiſſe *Hebraicè*.

Fueritne lingua Hebræa tunc temporis lingua vulgaris, necne, abſque omni dubio ſæculis ſubſequentibus *Syra* vel *Chaldaica* illis fuit vernacula & in *Babylonia* & *Palæſtina*: & tamen *Biblia Hebræa* lecta ſunt in eorum Synagogis, non intellecta à vulgo, at reddita in linguam ejus vulgarem *Chaldaicam* ab interprete.

In prima iſta generatione ita factum fuiſſe aſſerunt *Gemariſtæ*, dum verba iſta *Nehem.* 8:8. ſic explicant : *Megill.* fol. 3. 1. *Nedarim*, fol. 37. 2. *Legerunt in Lege Dei* במקרא, *in Textu Hebræo* מפורש זה תרגום, *explanatè, id eſt, cum Targum.*

In ſæculis omnibus ſubſequentibus hæc obtinuerunt.

Maſſech. Sopher. cap. 1. hal. 6. *Si quis ſcribat Libros Sacros quâvis linguâ vel quovis charactere, non tamen leget in iis* [publicè in Synagoga] עד שהם כתובי אשורית, *niſi ſcribantur Hebraicè.*

Hieroſ. Megill. fol. 74. 4. *R. Samuel Bar Rabb Iſaac ivit in Synagogam, & vidit Miniſtrum iſtum interpretantem, & non quemvis ei aſtantem pro Interprete. Dicit ei, Prohibitum hoc tibi eſt: nam ſicut Lex data eſt per Mediatorem, ſic etiam tractanda eſt cum Mediatore.* Hinc tot & tam accurati Canones de Interprete in Synagogis.

Babyl. Megill. fol. 23. 2. *Qui legit in Lege, non legat Interpreti plus vice unâ, quàm verſiculum unum.* Gloſſ. *ne erret Interpres.*

Ibid. fol. 25. 1. *Factum Reuben legitur, at non interpretatur.* [paſſivo ſenſu vocem adhibeamus] *Factum Tamar legitur & interpretatur. Hiſtoria prima de Vitulo aureo legitur & interpretatur : ſecunda legitur, ſed non interpretatur.*

Gloſſ. *Hiſtoria iſta quam ipſe Aaron refert de Vitulo, vocatur hiſtoria Vituli ſecunda. Inea ſunt hæc verba*, ויצא העגל הזה, *Et prodiit hic vitulus. Non ergò interpretatur iſta hiſtoria, ne erret vulgus, & dicat, Aliquid rei erat quod ex ſeipſo prodiret. Sed ipſum Textum Hebræum non intellexerunt.* Notetur illud.

Pergunt *Gemariſtæ*. *R. Chaninah Ben Gamaliel ivit ad Chabul, atque audiens illic Miniſtrum Synagogæ legentem verba iſta*, ויהי בשכן ישראל, Geneſ. 35:2. *dixit Interpreti, Sile, & ne interpreteris; & laudarunt eum Sapientes.*

Plurima iſtiuſmodi poſſent proferri, quibus planum evadit, Textum Hebræum lectum fuiſſe in Synagogis *Hebræorum*, hoc eſt *Babyloniorum* & *Palæſtinorum*, & quorumcunque lingua vernacula erat *Syra* vel *Chaldaica*: ſed an in *Helleniſtarum*, ulteriùs quærendum.

CAP. VI.

Quid Judæi de Verſionibus.

Canones iſti, de lectione ac interpretatione, quos citavimus, an *Judæos*, *Palæſtinæos* & *Babylonios* ſolùm obligant, annon & Judæos alios totamque Gentem ubique ſparſam. In utroque *Thalmude* ſunt iſti Canones; & prout aliæ omnes Traditiones in iſto Codice compactæ totam Gentem obligant, niſi ubi ratio temporum & diverſitas locorum diſpenſant; ſic quare non hæ etiam de lectione Legis & Prophetarum in Synagogis ex Textu Hebræo?

Zelo & veneratione ſummâ ferebatur univerſa Gens Judaica erga Textum Hebræum, quem negligere in Synagogis illis erat religio. Lectus eſt iſte in Synagogis Hebræorum, & redditus frequentiſſimè ipſiſſimis verbis *Onkeloſi* & *Jonathanis:* & cur non potiùs Targumiſtæ ipſi lecti & res acta per pauciores? Quia nullo modo negligendus eſt Textus Originarius : & quare in hac refrigeſcerent *Helleniſtæ* magis quam *Hebræi*. Quis dixerit.

Quò magis ergò zelo & honore proſequebantur Textum Hebræum, eò minùs grata illis Verſio ejus in linguam aliam.

Nam tantùm honoris, virtutis & dignitatis à Textu Sacro deceſſiſſe ſunt arbitrati, in quantum receſſum eſt ab iſta lingua, aut ab iſtis litteris.

I. In iſto Canone, כתבי הקדש מטמאים את

את הידים, *Libri Sacri polluunt manus:* quo, ut ajunt, dignitas iſtorum Librorum aſtruitur, ſi fiat aliqua immutatio linguæ vel characterum, in tantum eorum nobilitatem diminutam credunt, *Jadaim*, cap. 4. hal. 5. Nam *Targum ſi ſcribatur Hebraicè, & Hebræa ſi ſcribantur Targumicè, & ſcriptura transamnanſt, non polluunt manus: & quidem Libri iſti non polluunt manus, niſi ſcribantur Hebraicè.*

II. Diſputatur, *Shabb.* fol. 115. 1. *An liceat Libros Sacros eripere ab incendio Sabbato*, cùm illud fieri non potuerit abſque aliquo labore. Et eos Hebraicè ſcriptos eripiendos eſſe concluditur abſque omni ſcrupulo: at verò ſi aliâ linguâ vel aliis characteribus, tum dubitatur. Imò *R. Joſe* dicit, *Non eripiendi ſunt omninò.*

III. Diſputatur ulteriùs, אם מותר לאבדן ביד, ſi Libri Sacri ita ſcripti ad manus tuas pervenerint, num liceat propriâ manu perdere, vel diſſecando, vel lacerando, vel in ignem immittendo; & concluditur quidem negativè: quod tamen idem valet ac ſi affirmativum determinaretur: *Reponantur*, inquiunt, *in loco aliquo fœdo, ubi à ſeipſis abſumantur.*

Et narratur de *Rabban Gamaliele* primo, quòd cùm ad eum afferretur ספר איוב תרגום *Liber Jobi Targumizatus*, juſſit ut ſub ſtrue lapidum ſupprimeretur. Quod & exemplum urget Rabbinus quidam poſteà ad abnepotem ejus *Gamalielem*, ut & ille *Librum Jobi Targumizatum* quem in manibus habuit, defoderet etiam abſumendum.

Liber Jobi Targumizatus erat Liber iſte verſus in linguam *Chaldaicam* linguam Gentis vernaculam, linguam in qua reddebantur Lex & Prophetæ in Synagogis; & tamen Verſionem iſtius Libri [qui quidem non legebatur in Synagogis] etiam linguâ iſtâ editam nullo modo tolerarunt, multò minùs toleraturi Verſionem Legis & Prophetarum in linguam remotiorem & magis ethnicam.

Hiſce perpenſis ſuſpicari meritò licet, Judæos non adeò honorificè de Verſione aliqua ſenſiſſe, ut abjectis Bibliis Hebræis, eam eorum vice ſibi deſponſarent. Et quid illis de Verſione Græca τῶν LXX. ut vocatur, videri potuerit, vel viſum fuerit, paucis, quantùm fieri poteſt, inveſtigemus.

CAP. VII.

Collatio Hiſtoriæ τῶν LXX. *quæ apud Joſephum, & quæ apud Thalmudicos.*

Recitatione opus non habet hiſtoria quæ apud *Joſephum* & *Ariſtæam* omnibus ſatis nota. A qua immane quantum diſtat illa quæ apud *Thalmudicos*, quam ex *Maſſecheth Sopherim*, cap. 1. verbatim ſic exſcribimus.

מעשה בחמשה זקנים שכתבו
לתלמי המלך את התורה יונית
והיה היום קשה לישראל כיום
שנעשה העגל : שלא היתה
תורה יכולה להתרגם כל
צרכה : שוב מעשה בתלמי
המלך שכנס שבעים ושנים
זקנים והושיבם בשבעים ושנים
בתים : ולא גלה להם על מה
כנסם נכנס לכל אחד ואחד
מהם אמר להם כתבו לי תורת
משה רבכם : נתן המקום עצה
בלב כל אחד ואחד והסכימו
דעתן לדעת אחת וכתבו תורה
בפני עצמה ושלשה עשר דבר
שינו בה :

Hiſtoria eſt de quinque Presbyteris qui tranſcripſerunt Legem Ptolemæi Regis gratiâ Græcè. Et acerbus fuit iſte dies Iſraëli, ſicut dies quo conflatus eſt Vitulus aureus, quia Lex non potuit verti ſecundùm omnia ei requiſita. Eſtque rurſùs hiſtoria de Ptolemæo Rege, quòd congregavit LXXII. *Presbyteros, & diſpoſuit eos in* LXXII. *domunculis; at non revelavit iis quare eos congregarat. Verùm ingreſſus ad unumquemque eorum, dixit iis, Exſcribite mihi Legem Moſis Magiſtri veſtri. Indidit Deus cordi uniuſcujuſque conſilium, ita ut animi eorum in unum convenirent. Et exſcripſerunt ei Legem per ſeipſam: at tredecim loca in ea immutarunt.*

Pari modo hiſtoriam narrat *Thalmud Babylonicum* in *Megillah*, hoc tantùm excepto, quòd non ſit mentio de quinque Presbyteris; ut & quòd deſit hæc clauſula, *Exſcripſerunt ei Legem per ſeipſam.*

I. Splendida loquitur *Joſephus* de literis à Rege datis ad Pontificem Interpretes accerſentibus, de donariis ad *Eleazarum* miſſis, aliiſque ſacratis Templo, de plurimis talentis à *Ptolemæo* profuſis in redemptionem Judæorum, de honorariis in Interpretes collatis: quæ omnia, ſecundùm calculos *Joſephi* & *Ariſtææ*, in tantam ſummam aſſurgunt, ut cum ratione credas totam Bibliothecam *Alexandrinam* tanti non conſtitiſſe, imò totum annuum vectigal *Ægypti* vix valuiſſe tanti.

Aſt apud *Thalmudicos* de hiſce omnibus altum ſilentium: & tamen non ſolent illi vel animis vel elocutione carere, cùm aliquid enuntiandum eſt in gloriam propriæ Gentis. Non ſilent illi de donariis *Monobazi* & *Helenæ*, *Nicano-*

Digitized by Google

Nicanoris, *Ben Kattin*, &c. de donis Principum Rabbinis ſuis vel datis vel miſſis; at de immenſis hiſce ſumptibus *Ptolemæi*, ne ſyllaba quidem una.

II. Apud *Joſephum* accerſuntur Interpretes per literas, idque ſub ea notione ut interpretentur. Aſt apud *Thalmudicos* convocantur, ignorantes prorſus quid ab iis agendum.

III. Apud *Joſephum* vertunt [Legem ſaltem] Græcè; apud *Thalmudicos* in obſcuro eſt an verterint omninò.

De quinque Presbyteris quidem dicitur in terminis, quòd כתבה יונית, *tranſcripſerunt Græcè*, id eſt, verterunt, ut vox quæ ſequitur, לתרגם, ſatis explicat: at de Lxx. nihil tale; verùm hoc tantùm, שכתבו תורה בפני עצמה, *Quòd tranſcripſerunt Legem per ſeipſam, & tredecim loca in ea immutarunt*.

Eſt quidem in introductione *Babyloniorum* ad narrationem ſuam, quo cogites eos innuere LXXII. vertiſſe *Græcè*.

Megill. fol. 9. 1. *Magiſtri noſtri*, inquiunt, *non permiſerunt ut tranſcriberentur Libri Sacri niſi Græcè. Et eſt Traditio. R. Judah dicit, Cùm permiſerunt Græcè, non permiſerunt niſi de Libro Legis tantùm*, ומשום מעשה דתלמי המלך, *idque propter quod occurrit apud Ptol. Regem.* Vel eſto ut redditur à nonnullis, *Unde eſt ortum opus apud Ptol. Regem.*

Verùm ſi dixerit quiſquam, tranſcripſiſſe quidem eos Græcè, Textum ſcilicet Hebræum *literis* Græcis, & non *vertiſſe*, ex *Thalmudicis* vix refutaveris: præſertim cùm diſtinguant illi alibi inter exſcriptionem בכל לשון, *Shabb.* fol. 115. 1. *quâvis lingua*, id eſt, characteribus cujuſvis linguæ; & exſcriptionem תרגום בכל לשון, *per verſionem in quamvis linguam*: cùmque exhibitio & editio duplicis Textûs Hebraici in Hexaplis & Octaplis *Origenis*, *Epiphan. Hær.* 63. Δι' Ἑβραϊκῶν καὶ Ἑλληνικῶν στοιχείων, videatur Exemplari ſuo non caruiſſe, in quo exſcriptus fuit ipſe Textus Hebræus literis Græcis.

Quid tandem vult illud, כתבו תורה בפני עצמה, *Exſcripſerunt Legem per ſeipſam?* Vel hoc certè, Tranſcripſerunt Legem tantùm, & non reliquos Codices; vel potiùs, Tranſcripſerunt ipſiſſimam Legem Hebraicam Hebraicè, & non verterunt.

Exſcripſerunt, inquiunt, *Legem per ſeipſam; at tredecim loca in ea immutarunt.* Poſterioris clauſulæ examen lucem præbebit priori, & ſuffragabitur dicenti, quòd apud *Thalmudicos* non patet quòd Lxx. verterint omninò, ſed quòd tranſcripſerint ſolùm Hebraica Græcè.

C A P. VIII.

De tredecim locis immutatis.

Thalmud utrumque, ut & alii Rabbini qui hiſtoriam narrant de LXXII. Senioribus, hoc ſemper addunt, *Quòd tredecim loca in Lege immutarunt*, quæ & enumerant. Jam verò cùm non inveniantur variationes iſtæ in Verſione Græca, à pleriſque exploſa eſt hiſtoria ut merum figmentum; cùm quidem immutatio non foret in Verſione, ſed in tranſcriptione Hebraica.

Res ipſa loquatur.

Scripſerunt, inquiunt, אלהים ברא בראשית, *Deus creavit in principio*, Geneſ. 1: 1. non בראשית ברא אלהים, *Ne diceret Rex, Bereshith eſt Deus, & duæ poteſtates erant, & prior creavit poſteriorem.* Vide *Gloſſ.* in *Megill.* fol. 9. 1.

Jam verò in Verſione Græca impoſſibile erat ut oriretur talis ſcrupulus, ſed ſolum ex Textu Hebræo. Et neceſſe eſt ut immutatio emendans reputetur eſſe in ipſis vocibus Hebræis.

Scripſerunt, ותשחק שרה בקרוביה, *Et riſit Sarah inter vicinos ſuos*, Genes. 18: 12. pro בקרבה, *intra ſeipſam.*

Scripſerunt, לא חמד אחד מהם נשאתי, *Deſiderabile quicquam ab iis non abſtuli*, Numer. 16: 15. pro חמור אחד, *Aſinum unum.*

Jam quiſnam dubitaverit immutationem in ipſis verbis Hebræis fuiſſe factam? In priori ex affinitate vocum, in poſteriori ex ſimilitudine literarum.

At vice plurium ſit exemplum hoc unum.

Scripſerunt, וישלח את זאטוטי בני ישראל, *Exod.* 24: 5. pro את נערי. Jam ſi quæratur, an ipſam vocem זאטוטי ſcripſerint, an ſenſum ejus linguâ Græcâ; ipſiſſimam iſtam vocem ab iis ſcriptam fuiſſe teſtantur *Gemariſtæ Hieroſolymitani* in hac hiſtoria.

Tres libri, inquiunt illi, *reperti ſunt in Atrio Templi. In uno eorum ſcriptum erat*, מעון קדם, Deuter. 33: 27. *In duobus* מעונה. *Duos iſtos receperunt, & rejecerunt tertium. In uno ſcriptum erat*, וישלח את זאטוטי בני ישראל. *In duobus*, וישלח את נערי בני ישראל. *Duos iſtos receperunt, & rejecerunt tertium. In uno ſcriptum erat*, תשע היא. *In duobus*, אחד עשרה היא, *Duos illos receperunt, & rejecerunt tertium.*

Jam quæratur. Qualianam, quæſo, duo iſta Exemplaria in quibus ſcriptum מעונה & נערי & אחד עשרה? Hebræa abſ-

que omni controverſia: ſic & illud omni procul dubio in quo ſcriptum, & ואשוי & מעין & חשע.

Non eſt ergò cur Traditio iſta de tredecim locis immutatis tam malè audiat, & pro figmento haberetur, ideò quòd tredecim iſtæ variationes non inveniantur in Verſione Græca: nam planè agunt *Thalmudici* de LXXII. non vertentibus ex Hebræo, ſed tranſcribentibus ipſiſſima Hebræa.

Addamus & introductionem *Hieroſolymitanorum* ad hanc hiſtoriam, *Megill.* fol. 71. 4. *Hieroſolymitani*, inquiunt illi, *ſcripſerunt* ירושלם ירושלימה צפון צפונה תימן תימנה, id eſt, immutarunt ſcriptionem vocabulorum horum Hebraicorum: atque immediatè addunt, יג׳ דברו׳ שינו חכמים להלמי המלך, *Tredecim loca immutarunt Sapientes pro Ptolemæo Rege:* quod etiam intelligendum eſt de immutatione in ipſis vocabulis Hebræis; aliter non quadrat hoc cum præcedentibus.

CAP. IX.

Quali pretio videatur Verſio LXX. *viralis, ut vulgò vocatur, fuiſſe apud Judæos.*

SIc latet in incerto an *Thalmudici* ullam agnoſcant Verſionem Septuaginta duorum omninò. Detur ergò, eos θεοπνευςίαν perſonis iſtis attribuere, ex hoc quòd diſſitæ, tamen in unum animum ſenſumque conſpirarent; minimè tamen ſequetur indè quicquam honoris ab illis Verſioni huic quæ ſub iſto nomine circumfertur, tributum.

Halitum Traditionum Judaicarum promptius longè eſt in ea deprehendere, quàm afflatum ullum Spiritûs Sancti. Et quamvis in pretio certè Genti fuerint ſuæ Traditiones, atque earum patrocinandarum causâ inſerta in Verſione videantur plurima quæ iis favent, hæc tamen nequaquàm apud eos adeò obtinuerunt, ut Verſionem fonti Hebræo præponerent, atque iſto abjecto illam ſibi eligerent; quin Textui Hebræo honorem ſemper ſuum reſervarent.

Quid docti inter eos de Verſione Græca judicare potuerint, ex hoc aliqualiter conjicias, quòd vel ipſe Chriſtianus ſeriis oculis eam legens & perſpiciens, plurima in ea obſervare poteſt, quibus detegat quibus conſiliis, cautionibus, aſtutiis exarata fuerit iſta Verſio: præſertim verò præ oculis ſimul habens mores, Traditiones, ſcita, ſtatum Judaicæ Gentis, ad quæ frequentiſſimè alluditur & reſpicitur ab iſtis Interpretibus. Exemplo uno & altero res illuſtretur quoad Traditiones.

Geneſ. 20: 18. Ὅτι συγκλείων συνέκλεισε Κύριος ἔξωθεν πᾶσαν μήτραν. Unde inſertio vocis ἔξωθεν? Concordat cum Traditione, quòd obſtructi fuerunt uteri contra coitum, *Bava Kama*, fol. 92. 1.

Exod. 24: 10. Εἶδον τὸν τόπον οὗ εἱστήκει ὁ Θεὸς τοῦ Ἰσραὴλ, pro εἶδον τὸν Θεὸν τοῦ Ἰσραήλ. Confer *Kiddushin*, fol 49. 1. Ubi *Gloſſ. R. Hananael* dicit, *Qui reddiderit* ויראו את אלהי ישראל, Viderunt Deum Iſraëlis, *mendax eſt*, &c.

Deuter. 30:6. Καὶ περικαθαριεῖ Κύριος τὴν καρδίαν σου. Et *Joſ.* 5:4. Ὃν δὲ τρόπον περιεκάθαρεν Ἰησοῦς τοὺς υἱοὺς Ἰσραήλ, pro περιέτεμεν: ſenſu inclinante nimiùm ad nugacia Magiſtrorum encomia Circumciſionis.

Unde hauſta iſta? *Joſ.* 21: 42. & 24: 30. Ἐκεῖ ἔθηκαν μετ' αὐτοῦ [Ἰησοῦ] εἰς τὸ μνῆμα εἰς ὃ ἔθαψαν αὐτὸν ἐκεῖ τὰς μαχαίρας πετρίνας, &c. Et 2 *Sam.* 21: 11. Καὶ ἐξελύθησαν καὶ κατέλαβεν αὐτοὺς Δὰν υἱὸς Ἰωὰ ἐκ τῶν ἀπογόνων τῶν γιγάντων.

1 *Sam.* 1: 21. additur clauſula, καὶ πάσας τὰς δεκάτας τῆς γῆς αὐτοῦ, ſecundùm Canones Gentis de offerendis decimis in feſto.

2 *Reg.* 2: 1. *Cùm Deus levare vellet Eliam in turbine*, ὡς εἰς οὐρανὸν, ſic *verſ.* 11. cum ſententia Gentis de aſcenſione *Eliæ*, quàm proximè ad cœlum, non in ipſum cœlum, *Succah*, fol. 5. 1.

1 *Paral.* 9: 31. Τοῦ Ματθία τοῦ μεγάλου ἱερέως: Ex celebri fama חביתי כהן גדול. Vidè *Menachoth*, cap. 11. hal. 3. alibique frequentiſſimè.

Pſalm. 2: 12. Δράξασθε παιδείας, pro נשקו בר, *Sanhedr.* fol. 92. 1. *Bar nihil aliud ſignificat niſi Legem: ſicut dicitur*, נשקו בר.

Plura omittimus ejuſdem notæ & ſuſpicionis, quæ ſunt non pauca.

II. Obſervare licet apud *Hieroſolymitanos*, Verſionem *Aquilæ* Græcam aliquoties citatam, at τῶν LXX. nunquam.

Shabb. fol. 8. 2. תרגם עקילס אסטו טכריאה, *Aquila reddit* בתי נפש, *Iſaj.* 3: 20. Στομοχίεια.

Joma, fol. 41. 1. תרגם עקילס לקבל נברשתא לקבל לספרם, *Aquila reddit*, לקבל נברשתא, Dan. 5: 5. *contra lampadas.*

Megill. fol. 73. 2. הוא ינהגנו עלמות, [*Pſalm.* 48: 15.] תרגם עקילס אתאנסיא, *Aquila reddit* Ἀθανασία.

Succah, fol. 54. 4. פרי עץ הדר, [*Levit.* 23: 40.] *Dicit R. Tanchuma*, תרגם עקילס עץ הידור, *Aquila reddit* עץ ὕδωρ, ſi in interpretatione non fallat conjectura.

Vide

Vide & *Bereſh. Rabb.* fol. 14. 2. & fol. 19. 1. &c.

At non memini me allegatam inveniſſe vel clauſulam unam ex Verſione τῶν Lxx. in toto *Thalmude* vel hoc vel illo.

Adjiciatur & illud, quod *Sanhedr.* fol. 100. 2. *Liber Ben Syræ* eſt Liber prohibitus; & tamen eum citatum comperias in *Thalmude* utroque, *Hieroſ. Berac.* fol. 11. 2. ubi videtur eſſe Liber *Syracidæ*: aſt aliter, *Babyl. Chetubb.* fol. 110. 2. *Chagig.* fol. 13. 1. *Batbra*, fol. 98. 2. præſertim *Sanhedr.* ubi antè. At non memini, inquam, me allegatam comperiiſſe Verſionem τῶν Lxx. ullibi locorum, & vix credo talem allegationem non obſervatam me præterlabi potuiſſe. Quæ res ſuſpicionem magis auget, Judæos iſtos Verſionem talem haud agnoviſſe, & tranſcriptionem τῶν Lxx. intellexiſſe non de Verſione, ſed de exſcriptione ipſiſſimi Textûs Hebraici. Et quòd ad verſionem ipſam de qua loquimur, quo erga eam animo fuerint, ex hoc aliqualiter diſcas, quòd aliâ allegatâ, hanc non citent omninò.

III. Norunt ſatis Judæi, Verſionem Græcam non exaratam fuiſſe pro Judæis, ſed pro Ethnicis: atque eorum operâ factam qui ad illud opus inviti acceſſerint, nec quicquam tale toleraſſent, ſi penès ipſos fuiſſet impediiſſe. Jam verò quâ fide tale quid præſtitum fuerit, res ipſa loquitur; & norunt hoc ſatis Judæi, qui norunt ſatis quali animo erga Ethnicos foret tota Gens Judaica.

Nullo ergò argumento quis perſuaſerit, Verſionem iſtam fuiſſe puram & accuratam Verſionem, exactè ſecundùm veritatem Hebraicam quam in manibus habuerunt Interpretes; differentias autem quas nunc deprehendimus in Bibliis noſtris, ortas fuiſſe indè quòd Judæi Textum Hebræum pro libitu depravarint. Nam nunquam crediderim ego, Magiſtros quoſvis Judæorum velle Biblia pura, intemerata, exacta exhibere Ethnicis in Verſione Græca, & Textum interpolatum, pravum, corruptum obtrudere ſuis.

Et judices ipſos appellemus hac in cauſa.

I. In *Geneſ.* 2: 2. Græca habent Συνετέλεσεν ὁ Θεὸς ἐν τῇ ἡμέρᾳ ἕκτῃ. Num ipſiſſimo eo ſenſu erat in Exemplari quo uſi ſunt Interpretes? *Immutarunt*, inquiunt *Gemariſtæ*, *& ſcripſerunt* ויכל ביום הששי, Gloſſ. *Ne diceretur quòd Deus aliquid operatus eſt Sabbato.* In Exemplari eorum Hebræo erat, uti eſt in noſtris, ויכל ביום השביעי: aſt illi immutarunt in tranſcripto Hebræo de quo diximus, & ſic Interpretes in Verſione Græca.

II. In *Exod.* 12: 40. Græca habent, Ἡ δὲ κατοίκησις τῶν υἱῶν Ἰσραὴλ ἣν κατῴκησαν ἐν γῇ Αἰγύπτῳ καὶ ἐν Χαναὰν, &c. Num ita legerunt Interpretes in Exemplari ſuo Hebræo? Non. *Immutarunt*, inquiunt *Thalmudici*, *& ſcripſerunt* בארץ מצרים ובארץ כנען. In Exemplari quod in eorum manibus, aberat ובארץ כנען: aſt illi addiderunt de proprio. Gloſſ. *Ne diceretur mendacium, Scriptum eſt in Lege veſtra: nam ecce Kabath erat inter deſcendentes in Ægyptum. Et ſi omnes annos numeres Kabathi, Amrami & Moſis, non aſſurgunt ad* 400.

III. In *Numer.* 16: 15. Græca habent, Οὐκ ἐπιθύμημα οὐδενὸς αὐτῶν εἴληφα. Num חמר ſcriptum in Exemplari quo uſi ſunt Lxx? Non. Eſt immutatio, inquiunt Magiſtri: nam ſcriptum erat חמר, atque illi in חמד tranſtulerunt. Gloſſ. *Ne diceretur, Aſinum fortè non abſtulit; at deſiderabile aliquid aliud abſtulit.* Ex ungue leonem.

Hæc dicta ſunto ad aſtruendum, non *Heterodoxum* admodùm eſſe ſupponere Verſionem Græcam non lectam fuiſſe in Synagogis *Helleniſtarum*, ſed Textum Hebræum, ita ut in Synagogis *Hebræorum*. Et jam quæ in contrariam partem dicuntur, perpendamus paucis.

CAP. X.

Quæ objiciuntur pro affirmativa.

Objicitur primò illud in *Hieroſ. Sotah*, cap. 7. *R. Levi ivit Cæſaream, audienſque eos legentes lectionem* שמע, Deuter. 6. *Græcè, voluit impedire ipſos. R. Joſe id animadvertens, iraſcebatur, dicens, Qui non poteſt legere Hebraicè, num non omninò leget? Imò legat quâcunque linguâ quam intelligit & novit, & ſic officio ſuo ſatisfecerit.* Sic redduntur verba à viro doctiſſimo.

At non agit *Gemara* de lectione Legis in Synagogis, ſed de recitatione Periocharum Phylactericarum, inter quas prima erat שמע ישראל, *Deuter.* 6. Vox igitur קורין per recitationem reddenda eſt, non per *lectionem*. Quo ſenſu vox קרא occurrit apud Magiſtros frequentiſſimè, ut *Babyl. Megill.* fol. 17. 1. קוראה על פה, *Recitat Librum Eſtheræ oraliter*, id eſt, abſque Libro. *Biccurim*, fol. 86. 1. *Olim unuſquiſque qui potuit* לקרות, *recitare*, [Periocham iſtam in oblatione primitiarum uſitatam, *Deuter.* 26.] קרא, *recitavit. Et qui non potuit recitare*, מקרין אותו, *docuerunt eum recitare*: vel recitarunt pro eo.

II. Urgetur exemplum illud & hiſtoria de lectione Legis & Prophetarum in Synagoga

goga *Antiochena Piſidiæ*, *Actor.* 13: 5. cui non opus eſt ut aliquid aliud reſpondeatur quàm quod petit quæſtionem.

III. Additur & illud *Tertulliani*, *Apologet.* cap. 18. *Sed & Judæi palàm lectitant, vectigalis libertas vulgò auditur* [vel additur] *ſingulis Sabbatis.*

Reſp. Detur *Tertullianum* loqui de Verſione Græca, quod non admodùm patet: quod actum eſt ſub *Severo* non concludit & illud actum fuiſſe ſub temporibus Apoſtolorum; præſertim verò cùm *Severus* erga Judæos fuerit ſecundùm ſenſum nominis ſui admodùm ſeverus, ut docet *Baronius*, & olim *Spartianus*: ſub quo obſervari Sabbata à Judæis non potuerunt niſi ſub vectigali. Et detur lectum tùm ab iis *Romæ* [ut ſcenam rei deſcribit *Gloſſator* in *Tertull.*] fuiſſe Verſionem Græcam, erat & illud ſub vectigali; non ex electione populi, ſed ex pura coactione.

IV. Adducitur illud *Juſtini Martyris*, *Orat. Parænet.* ad *Græcos*, Εἰ δέ τις φάσκοι μὴ ἡμῖν τὰς βίβλους ταύτας, ἀλλὰ Ἰουδαίοις προσήκειν διὰ τὸ ἔτι καὶ νῦν ἐν ταῖς συναγωγαῖς αὐτῶν σώζεσθαι.

Et Apolog. 2. Ἔμειναν αἱ βίβλοι καὶ παρ' Αἰγυπτίοις μέχει τοῦ δεῦρο, καὶ πανταχοῦ παρὰ πᾶσίν εἰσιν Ἰουδαίοις, οἱ καὶ ἀναγινώσκοντες οὐ συνιᾶσι.

V. Aſt inſtar omnium eſt illud, quòd *Philo* & *Joſephus* ſequuntur Verſionem Græcam, quòdque [quod majus] Amanuenſes Sacri in N. Teſt. in allegationibus ſuis è Veteri deſumptis. Ergò abſque dubio, inquiunt, frequens & vulgaris erat iſta Verſio in Synagogis atque hominum manibus, atque abſque dubio ſummæ apud Judæos authoritatis, imò, ut videtur, divinæ. Hæc ſunt argumenta quæ maximi ponderis ſunt in iſtam partem.

Ut ergò ad omnia reſpondeatur ſimul, exſpatiemur paululùm in hac diſquiſitione.

CAP. XI.

Quibus authoribus & conſiliis prodiiſſe Verſionem Græcam, quæ obtinet ſub nomine LXX. *poſſit eſſe probabile.*

I. ELaborata & edita abſque dubio non erat Judæorum gratiâ, ſed Ethnicorum. Teſtem hîc habemus *Joſephum* in hiſtoria ſua de Lxx. quem detur veracem eſſe in iſta narratione, quidnam *Ptolemæum* movit ut tam avidè Verſionem efflagitaret, tam immenſis ſumptibus tantillum volumen coëmeret? An religio? An adornandæ Bibliothecæ ſtudium? Iſto fuco rem colorat *Joſephus*: at tertium, idque longè veroſimilius, dictabit ratio. Nam *Ægyptum* tunc temporis infinitâ Judæorum multitudine refertam fuiſſe, docent Scriptores & Judæi & Ethnici. Et quidnam potuit Rex prudens, & ſibi regnoque ſuo cavens, aliud agere quàm mores & inſtituta iſtius Gentis penitiùs introſpicere, an cum pace & ſecuritate regni ſui conſiſterent, cùm populus iſte moribus & legibus omnium aliarum Gentium contrariaretur. Cùm ergò Legem eorum, quæ totam eorum Religionem, Politiam, Oeconomiamque comprehenderet, Hebraicè ſcriptam, nec examinare potuerit nec intelligere, neceſſe habuit ut in linguam ſuam vulgarem transferri curaret. Hinc orta, ut ſupponere benè licet, Verſio *quinque Presbyterorum*, & ne fraus & colluſio aliqua ſubreperet, congregatio LXXII. *Seniorum.* Et nonne ſuſpicionem redolet, quòd congregaret eos prorsùs ignorantes quid agendum? Nam cur *Thalmudicis* pro ſuis ſcribentibus, quàm *Joſepho* pro Ethnicis, non credendum potiùs, dictet ratio. Et ſi quid veri ſit in narratione, quod ſeparatim concluſerit congregatos in totidem conclavibus, redolet illud & eandem ſuſpicionem eò magis.

II. Detur eos vertiſſe Græcè; quod, ut vidimus, eſt in ambiguo: at de Libris *Moſis* eſt ſermo tantùm apud *Gemariſtas*, & de Lege tantùm apud *Joſephum*. Quinam ergò reliquos Libros Sacri Voluminis verterunt? Abſque authore forſan eſt, ſi dicamus *Synhedrium Hieroſolymitanum*, at non abſque ratione. Nam

III. Implorabant ubique Judæi per orbem diſperſi, iique in regionibus quamplurimis numero infiniti, ut propriis legibus viverent regerenturque, & quidem non niſi iſtis legibus voluerunt vivere. At quiſnam Princeps hoc concederet, ignorans omninò quænam forent iſtæ Leges? Viderunt mores & ritus eorum eſſe univerſis Gentibus contrarios: videndum eſt annon etiam tranquillitati regnorum ſuorum ſint contrarii. Ipſa iſta ſuſpicio non potuit non verſionem legum iſtarum in linguam vulgarem requirere, & extorquere etiam à nolentibus. Non potuit ergò *Synhedrium Magnum* ſaniùs ſapientiùſque ſaluti & incolumitati & religioni totius Gentis conſulere, quàm Libros ſuos Sacros vertendo in linguam Græcam, ut ſcirent omnes quidnam eſſet quod profiterentur. Non videre non potuerunt, eos, ipſis etiam invitis, vulgari linguâ tandem prodituros, nec prohiberi poſſe quin manibus Ethnicorum ubique tererentur. Satiùs longè ergò eſſe, ut ſua curâ & authori-

Digitized by Google

authoritate prodeat Verſio, quæ ſit ſecundùm placita ſua, quàm ut hìc illìc prodeat hæc & illa quæ forſan in opprobrium cederet Textui Sacro, aut in periculum aut ignominiam Genti, aut nimis propalaret myſteria ſacra inter Ethnicos. Hiſce authoribus atque hiſce rationibus, ut ingenuè fatear, credo ego exaratam fuiſſe Verſionem iſtam quæ circumvagatur ſub nomine LXX. Nec deſunt in ipſa Verſione quæ tale conſilium in ejus editione innuunt. Nam

IV. Oculo vel lippienti conſpicuum ſatis eſſe poteſt, elaboratam & adornatam eam fuiſſe majori cum cautela, quàm conſcientiâ, aſtute potiùs quam ſincerè. I. Ut quantum fieri potuit, Codices Sacri abſque opprobrio forent, & cavillatione Ethnicorum. II. Ut emollirentur quædam quæ Genti Judaicæ poſſent officere vel quoad pacem, vel quoad famam ſuam, quæve offenſionem poterant parere Gentilibus. III. Ut myſteria & nuda veritas Librorum Sacrorum quam minimè, quoad fieri poterat, patefierent Ethnicis. Quæ omnia tam innumeris exemplis demonſtrari poſſent, ut nullam dubitandi anſam ea de re poſt ſe relinquant.

His & hujuſmodi cautionibus & aſtutiis exarata eſt iſta Verſio, in qua minùs curæ erat vertentibus ut prodiret interpretatio ſincera & germana; ſed proviſum præcipuè, ut Gentilibus quidvis obtruderetur modò abſque periculo, & Judaicæ Genti conſuleretur de ejus gloria & incolumitate: & liceat bona cum venia quid ex animo ſentiam eloqui. Inter varia Exemplaria & Editiones Verſionis hujus quæ circumferuntur, ego iſtud Exemplar non æſtimo pro maximè genuino, quod proximè accedit ad Textum Hebræum, ſed quod proximè accedit ad mentem vertentium in hujuſmodi cautionibus.

Dicitur, ut vidimus antè, quòd cùm quinque Presbyteri vertiſſent Legem, *Acerbus fuit iſte dies Iſraeli, ſicut dies quo conflatus eſt Vitulus aureus.* Et quare? *Quia Lex non potuit verti ſecundùm omnia et convenientia.* Num hinc dolor, quòd non verteretur nec verti potuerit clarè & exactè & dilucidè ſatis, ut Ethnici plenam & apertam lucem ejus viderent? Quis hoc crediderit in optione & votis fuiſſe unquam Judæorum? Aſt indè mœror potiùs, ne non callidè ſatis & cautè & aſtutè vertiſſent iſti quinque, prout agendum erat cum Gentilibus.

De ea re proviſum eſt ſatis in hac Verſione, omnes nervos ſuos intendentibus authoribus, & ingenia, ut pro placitis ſuis prodiret talis qualem voluerunt, & propoſito ſuo inſerviret & quoad ſeipſos & quoad Gentes. Hanc ſanxerunt & authoritate ſuâ roborarunt, non ut Verſionem puram & commendandam ſuis, ſed ut idoneam ſatis ad obturanda ora & ſatisfaciendum curioſitati Ethnicorum, & ne quis ſuorum aliam moliretur, in qua cautiones & proviſa iſta non ſatis obſervarentur.

Hanc repoſuerunt in Synhedriis & Synagogis ſuis, ut in promptu eſſet, & oſtenderetur Ethnicis ut ſymbolum & teſſera Legis, Fidei & Religionis Judaicæ, ſi quando res & neceſſitas tale quid efflagitaret.

Concedimus ergò *Juſtino Martyri*, Verſionem iſtam fuiſſe in Synagogis & manibus Judæorum; at non ex eo concluſeris quòd lecta fuerit in Synagoga vice Textûs Hebræi. Concedemus etiam *Tertulliano*, Verſionem iſtam lectam fuiſſe *Romæ* ætate ſuâ in Synagogis Judæorum; ſed cogente iſtâ ſuſpicione de qua diximus, nempè ut omnibus innoteſceret qualiſnam foret Judæorum Lex & Religio, an conſiſteret cum regimine *Romano*. Quæſtio noſtra eſt, an *Helleniſtæ* ſibi eligerent lectionem Græcæ Verſionis, neglecto Textu Hebræo; & cùm utplurimùm viverent illi legibus & inſtitutis ſuis, vix uſpiam oſtenderis, præſertim temporibus Apoſtolorum, de quibus nos loquimur, vel antecedentibus, coactos eos fuiſſe illum rejicere, atque iſtam legere.

Et quod de *Philone* & *Joſepho* objicitur, nihil mirum eſt, ſi illi pro Ethnicis ſcribentes Verſionem iſtam ſequerentur, quæ ex inſtituto exarata fuit pro Ethnicis.

At maximi ponderis eſt illud quod objicitur de Euangeliſtis & Apoſtolis, Verſionem iſtam amplectentibus in allegationibus ſuis ex Veteri Teſtamento. Ad quod facillima eſt reſponſio: nempè cum duplici hominum genere rem fuiſſe Scriptoribus iſtis Sacris, cum Judæis & Gentilibus. Utrorumque manibus terebatur Volumen Novi Teſtamenti. Examinare cupit Gentilis allegationes quæ adducuntur ex Teſt. Veteri. Aſt Hebraica non callens, quònam ei refugiendum eſt, niſi ad Græcam Verſionem quam intelligit? Ita ut non tantùm ἐκ συγκαταβάσεως foret, quòd Scriptores illi Sacri Verſionem Græcam ſequerentur, ſed ex pura neceſſitate; nam aliter impoſſibile erat ut allegationes eorum ex Lege & Prophetis à Gentilibus examinarentur. Et ſi Judæus in manu habens Novum Teſtamentum queratur & cavilletur, quòd receditur in allegationibus à Textu Hebræo; in promptu adeſt quod reſpondeatur: Hæc ipſa Verſio quæ citatur, ipſiſſima veſtra eſt quam vos exaraſtis, edidiſtis, & mundo propoſuiſtis ut ſymbolum & teſſeram Legis

gis & Religionis veſtræ, ut ipſiſſima Biblia veſtra.

Si ex inſtituto plenariam diſquiſitionem de iſta Verſione aggrederemur, poſſent forſan omnia hæc quæ dicta ſunt, variis inſtantiis, rationibus modiſque fuſiùs demonſtrari. Sed hæc ſufficiant impræſentiarum. Excitata eſt hæc diſſertatio ex mentione linguæ ignotæ, *Cap.* 14. quam nos ſupponimus fuiſſe *Hebræam*, adhibitam anteà in Synagoga iſta Helleniſtica *Corinthiorum*, & quam retinere illi voluerunt, ad Euangelium jam converſi; donum linguarum eo modo quo alia etiam privilegia & inſtituta Euangelii ad Judaiſmum nimis detorquentes; & eò magis linguâ ignotâ utentes, quòd cœlitùs conceſſum foret linguarum donum in finem dono ipſi planè contrarium, illud infeliciter pervertentes & non requirentes, non admittentes jam Interpretem, [quod antè ab iis factum] ac ſi arbitrarentur dediſſe Deum linguas ignotas, ut ignotæ forent omnibus, præter eos quibus eæ datæ.

In his quæ dixi de Verſione Græca, atque ejus non-lectione inter Helleniſtas, contra-ſentientes novi me habere viros doctiſſimos, & olim quidem ipſe fui in contraria ſententia. Unde faciliùs, ut ſpero, perſuadebitur lectori, me non hæc ex ſtudio contentionis dixiſſe, ſed ex quanta quanta poſſum ſeria rei diſquiſitione, cogitationibus ſæpiùs iteratis, atque intimo deſiderio inveſtigandæ veritatis.

INDEX CAPITUM.

CAPUT I. *De Hebræis & Helleniſtis.* 929
CAP. II. *De Hebræis in Babylonia & regionibus adjacentibus.* ibid.
CAP. III. *In iiſdem regionibus ſedes decem Tribuum.* 931
CAP. IV. *Petrus evangelizans in Babylonia.* 932
CAP. V. *Biblia Hebræa lecta in Synagogis Hebræorum.* ibid.
CAP. VI. *Quid Judæi de Verſionibus.* 933
CAP. VII. *Collatio Hiſtoriæ τῶν LXX. quæ apud Joſephum, & quæ apud Thalmudicos.* 934
CAP. VIII. *De tredecim locis immutatis.* 935
CAP. IX. *Quali pretio videatur Verſio LXX. viralis, ut vulgò vocatur, fuiſſe apud Judæos.* 936
CAP. X. *Quæ objiciuntur pro affirmativa.* 937
CAP. XI. *Quibus authoribus & conſiliis prodiiſſe Verſionem Græcam, quæ extinet ſub nomine LXX. poſſit eſſe probabile.* 938

INDEX

INDEX
Locorum Scripturæ quæ in II. Volumine citantur & explicantur.

EX VETERI TESTAMENTO.

Geneſis.

Cap. 1: 2. 693
2: 2. 738
2:19. ibid.
3:20. 600, 924
9: 1. 924
12: 1. 789
: 6. 713
21:23. 714
30:15. 647
35:21. 410
49:10. 611, 720
:22. 613
50: 5. 713

Exodus.

Cap. 12: 15. 692
16: 6, 24. 465
17:16. 398
21: 2. 708
:32. 376
23:17. 463
38: 8. 449

Leviticus.

Cap. 1: 4. 613
3: 2. 602
4: 4. ibid.
6:27. ibid.
7:27. 735
12: 4. 497
: 5, 6. 563
19:17. 343
: 23. 663, 951
20:10. 634
23:10. 512
:11. 319
:15. 692
:16. 759
:40. 349
24:14. 718

Numeri.

Cap. 6: 3. 490
9:10. 421
12:16. 175
14: 1. ibid.
20: 1. ibid.
22:16. 741
29:29. 122
34: 7. 219
:11. 222

35: 3. 238

Deuteronomium.

Cap. 1:20, 21. 175
2:23. 171
7:53. 634
11:29. 399
:29, 30. 713
16: 2. 464
: 7. 633
: 8. 692
:14. 380
:16. 463
18:18. 33
21:23. 389
22:22. 345
27: 9. 615
32: 8. 506
:22. 681
33:25. 237
34: 3. 205

Joſua.

Cap. 2: 22. 204
3: 4. 754
:16. 235
6:29. 205
11: 5. 221
12:23. 233
14: 1. 399
17:11. 216
18:12. 184
19: 399
:29. 219
:35. 223, 224
20: 7. 223

Judices.

Cap. 1:16. 205
:27. 216
:31. 219
4: 2. 333, 428
16: 3. 178
9:48. 418
13:17. 741

1 Samuelis.

Cap. 1: 1. 203
4:18. 677
7: 6. 771
31:10. 216

2 Samuelis.

Cap. 15:32. 570
:23. 667
21:19. 491

1 Regum.

Cap. 1:33, 38. 189
9:11, 12. 414
:18. 174, 415
:27. 172
12:30. 716
17: 6. 420
18:28. 716

2 Regum.

Cap. 4:29. 514
5:17. 511
25: 8, 9. 139

1 Paralipomenon.

Cap. 1:36. 506
3:15. 249
4:23. 540

2 Paralipomenon.

Cap. 3:10. 678
21:12. 491
22: 2. 248
26: 6. 181
32: 5. 189

Ezra.

Cap. 2:33. 420
4: 3. 768

Nehemias.

Cap. 3: 3. 190
11:35. 426
12:17. 486

Jobus.

Cap. 1:22. 540
2:13. 648
6: 6. 540
19:25. 924
29:25. 648

Pſalmi.

Pſalm. 2:11. 622
16: 3. 355
22: 1. 467
30: 1. 645
48: 3. 187
63: 1. 401
75: 6. 178
78:60. 235

82: 6. 646
106:28. 792
109: 8. 660
110: 3. 696 730
118:22. 773
121: 6. 129

Proverbia.

Cap. 25: 7. 540

Eccleſiaſtes.

Cap. 12:11. 643

Canticum Canticorum.

Cap. 4: 8. 220
:16. 121

Iſajas.

Cap. 2: 2. 557
: 3. 751
: 4. 642
3:16. 653,688
8: 2 362
:18. 660
10:34. 274
11: 1. 650
: 2. 702,250
: 4. 81
: 6. 764
14:12. 519
19:19. 616
21:12. 12
26:19. 655
:20. 623
28:12. 769
:16. 335
40: 5. 695
42: 1. 622
53: 8. 325
60:18. 764
63:2,3. 127
: 4. 455
65: 5. 272
:15. 928
:17. 682
:20. 642, 47
:25. 764
66: 7,8. 459
: 12. 764
:24. 695,440

Jeremias.

Cap. 4:22. 682
7:32. 200
19: 2. 200
25:10. 342
52:12. 139

Threni.

Cap. 2: 8. 193

Ezechiel.

Cap. 18:17. 663
27:17. 724
:27. 420
30:15,16. 398
37: 9. 121
40: 2. 187
45:18,19. 441
47:19. 174

Daniel.

Cap. 2:44. 752
7: 8,25. ibid.
: 9,10. 347
:11,12. ibid.
:13,19. 623, 718
:13,14. 263
:14,27. 752
:18,27. 89, 899
9:24. 265
:26,27. 701
:27. 265
12: 7. 123

Hoſea.

Cap. 4:10. 734
10:14. 231

Amos.

Cap. 9:12. 732

Micha.

Cap. 5: 4. 601
: 5. 312

Habacuc.

Cap. 2: 4. 632
3: 2. 633

Zephania.

Cap. 3: 9. 764
:10. 721

Haggai.

Cap. 2:10. 608
:11. 238

Zacharia.

Cap. 9: 1. 723
11. 641
: 8. 39, 285
14: 4. 95
:16. 99

Malachia.

Cap. 2: 7. 238
4: 5. 602
6. 340, 928

Maccabæorum I.

Cap. 4:52. 644

EX NOVO TESTAMENTO.

Matthæus.

Cap. 2:20. 169
3: 5. 404
4:17. 262
:13. 227
5:40. 674
6:32. 169
10: 5. 170
:14. 75
:27. 281
11:19. 771
:21. 236
12:39. 634
:42. 258
15:39. 411
16:14. 601
:19. 834
:28. 681
17:11. 770
:24. 277
18:15. 285
19:28. 447, 493
21:45. 451
23:25. 528
24: 3. 534, 905
:19. 552
26:29. 730
:63. 623
:73. 232
27: 3. 758
:34. 675
:46. 767
:65. 559
28: 1. 759

Marcus.

Cap. 1: 6. 403
3: 8. 397
:21. 15
4:11. 169
6:13. 304
7:24. 414
:31. 417
8:10. 411
11: 1. 409
12: 7. 649
:41. 405
:42. 289

Lucas.

Cap. 2:44. 613
3:11. 315
:23. 752
4:33. 536
5: 1. 222
:33. 525
6: 1. 759
10:31,32. 207
:33. 615
11:41. 296, 835
12:30. 169
:58. 288
15:22. 558
18:12. 309
22:30. 893

23:54. 15
24:13. 203
:23, 24. 467

Joannes.

Cap. 2:22. 204
3: 4. 827
:16, 17. 169
:25. 269
4: 5. 212
:29. 748
5:31. 630
6: 1. 222
7:27. 261
:39. 933
8:20. 407
11:51. 35
12:19. 611
13:23, 24. 378
16:13. 662, 344
:24. 448
17:11. 216
18:28. 759
:31. 370
19:11. 692
:14. 463
:19. 759
20:22, 23. 65
21: 1. 222

Acta Apoſtolorum.

Cap. 1:12. 200
:18. 384
2:36. 248
3:21. 340
4: 1. 558
5:34. 530
6: 1. 929
7:16. 510
8:37. 248
9:29. 787
:36. 602
10:45. 915
11: 2. 654
:19, 20. 705
:20. 929
:28. 799
13:13. 884
:15. 521
:42. 280
:47. 699
15: 7. 486
:21. 521
16:15, 33. 267
19: 2. 633, 933
:31. 923
21:16. 486
23: 2, 4. 140
: 5. 651
:31. 215
24:27. 800

Epiſt. ad Rom.

Cap. 1:17. 665
3:19. 611
4:11. 900
8:15. 460
:22. 468
11: 5. 642
:25. ibid. 932
16: 1. 91
: 5. 926
:23. 912

Ad Corinthios I.

Cap. 1:17. 14
5:11. 285
:13. 169
6: 2. 84, 263
: 2, 3. 279
9: 1. 723
10:11. 682
11:21. 704
12:28. 73
14: 4. 71
15:29, 42. 833
:32. 83
16:22. 248

Ad Corinthios II.

Cap. 5:17. 138
11:23. 687
:24. 316
:25. 102
12: 2. 564, 800
: 7. 561

Epiſtola ad Galatas.

Cap. 3:19. 717
4: 6. 460
: 9. 681

Epiſt. ad Epheſios.

Cap. 4:11. 73, 530

Epiſt. ad Colloſſenſes.

Cap. 1:23. 60
2:20. 681
4:15. 926

Ad Theſſalonicenſes I.

Cap. 2:15, 16. 152

Ad Theſſalonicenſes II.

Cap. 2:3. 664
:6. 364

Ad Timoth. I.

Cap. 3: 7. 169
:13. 279
4: 3. 733
5: 1. 888
: 3. 741
:10. 912
:17. 85, 512

Ad Timoth. II.

Cap. 3: 1. 106

: 8. 507
4:10. 103
:13. 97

Epiſt. ad Titum.

Cap. 1: 2. 534, 905
3:13. 295

Ad Philemonem Epiſt.

verſ. 2. 926

Epiſt. ad Hebræos.

Cap. 1. 622
6: 6. 915
9:19. 677, 914
10:29. 915
:34. 665
12:23. 541
:26. 681

Epiſt. Jacobi.

Cap. 4: 4. 634
5: 9. 682
:14. 304, 444
:17. 510

Epiſt. Petri I

Cap. 3:20, 21. 274
4: 7. 682
:17. 364

Epiſt. Petri II.

Cap. 3: 9. 553
:10. 681
:13. 447
:15. 682

Epiſt. Joannis I.

Cap. 2: 2. 169, 611
:16. 276, 304
:18. 682
:22. 248
4:15. ibid.
5: 8. 884
:16. 532

Epiſt. Joannis III.

verſ. 6. 295

Epiſt. Judæ.

verſ. 9. 507

Apocalypſis.

Cap. 1: 7. 682
3: 5. 495
6: 9. 546
:12, 13. 681
:16. 563
11: 1. 752
:19. 608
12: 8, 9. 520
13: 3. 495
: 4. 673
19:10. 884
20: 4. 8
21:12, 14. 758
:19. 877
22: 2. 682

I N D E X

Rerum quæ in hoc Volumine habentur.

A.

Arone peccante in confeſſione Vituli aurei quare populus triplici morte puniatur. 271
ejus propter meritum columna in deſerto data creditur à Judæis. 625
l quomodo à fratre Caino occiſus. 57
plurimæ civitates & regiones eo nomine inſigniuntur. 476
meth & Almon una eademque civitas. 203
& אבא quomodo inter ſe differant. 460
lene ejuſque ſitus. 475
atharis ſub nomine intelligere ſolebant Judæi Urim & Thummim. 439
אב erat luctus poſt ſepulturam demortui in dies triginta. 311
utio immundorum & Baptiſmus Proſelyti quomodo differant 268
ejus notio in Baptiſmo Joannis differt à noſtra. ibid.
minatio deſolationis quomodo in Sancto poni cœperit. 115
ahamum per opera juſtificatum credeban[t] Judæi. 95
benedictus fuit benedictionibus ſeptem. 282
quare à Deo ſit punitus, ſecundum Thalmudicos. 295
quando & quare Hebræus fuerit dictus. 426
non dedit illud primus poſteritati. 427
ejus filium eſſe judicabant Judæi ſatis ad participationem Regni Cœlorum. 610
ejus filios ſe eſſe ſemper gloriabantur Judæi. 636
quare ei collatum ſit Sacerdotium à Semo ablatum. 696
primus fuit vocatus Hebræus. 704
eum coluiſſe verum Deum dum Terachus coleret idola credunt Judæi 710
an diſceſſerit Charrane ante vel poſt mortem Terachi. 711
an fuerit maximus vel minimus natu inter fratres. ibid.
quibuſnam conditionibus greges ſuos paverit & familias ſuas habuerit in terra Canaanitide. 714
ejus vocatio duplex, una in Chaldæa, altera ad Charras. 789
ei duplex ſemen. 900
ſalom an ex ſuperbia comatus inceſſerit. 910
ſinthium in Apocalypſi eſt peſtifera hæreſium eluvies. 121
אבו quidnam ſignificet apud Thalmudicos. 667
ſſini fœminas in Genealogiis ſuis non nominant. 721
ademia Judæorum à Jabneh ad Usham transferur. 182
ademiæ erant omnes civitates Levitarum. 238
celeberrimæ Judæorum ubinam fuerint. 723
ademias tres habuerunt Judæi apud Chaldæos. 114
edere ad Deum nemo poteſt niſi in ejus Lege. 661
umbere (inter) & ſedere ad menſam quænam differentia apud Judæos. 377
ſignum libertatis erat apud illos. ibid.
iis non licuit guſtare quidquam antequam ille qui fregerit panem guſtaverit. 697
Acetum erat potus vulgaris militum Romanorum. 563
Achabus primus Beelzebul in Iſraëlem introduxit. 526
Achanis anathemati aſſueti erant Galilæi. 232
Achores Deus apud Syreniacos an ſit Beelzebul. 526
Achzib ſive Ecdicpa oppidum. 218
Acon eſt Ptolemais. ibid.
reputatur ſecundum partes vel pro terra Ethnica, vel Iſraëlitica. ibid.
Acra mons ubinam. 188
Acta Apoſtolorum ſpecialius ſpectant Petrum & Paulum. 747
Adam qua parte diei ſepultus. 57
quando fuerit lapſus. ibid.
ejus juſtitia in quibus differat à noſtra. 96
Sacrificavit eodem loco quo poſtea Abraham. 192
fuit ſemel & iterum ſepultus ſecundum Thalmudicos. 207
ei primo incubuit cultus Sabbati duplici ſub lege. 321
eum lapſum eſſe ipſa die ſuæ creationis credebat vulgus Judæorum. 637
poſt tres horas peccato peracto promiſſiones vitæ accepit. 761
qua hora diei has promiſſiones accepit. ibid.
quare vocaverit uxorem ſuam Evam. 924
ejus veſtimenta: vide veſtimenta.
Adam civitas in Peræa. 235
Adar ſecundum quid. 669
quare introductum. ibid.
Ἅδης apud Græcos ſignificat ſtatum mortuorum ad gaudia vel pœnas depoſitorum. 549, 564, 695, 767.
Adida nomine erant plura inter Judæos loca. 926
Ἀδικεῖν quid ſignificet. 543
Adminiſtratio Fœderis Gratiæ ſub V. Teſtamento. 110
fuit irritum factum a Judæis conflando Vitulum aureum. ibid.
Adoleſcentula quandonam filia vocari cœperit apud Judæos. 443
Adonidis fanum prophanatum eſt ab Imperatore Hadriano. 208
Adoptionis doctrina proprio ſenſu erat ſcholis Judaicis ignota. 460
Adventus Chriſti ad vindictam quomodo deſcribantur in prophetiis. 447
Chriſti triplex. 681
in nubibus quid ſignificet. 682
in regno quid ſignificet. ibid.
Meſſiæ V. Meſſias.
Adulter eodem morbo & eodem momento moriebatur cum uxore per aquas amaras explorata. 634
ſecun-

ſecund…
non…
Adultera no…
ipſi ig…
ejus…
gen…
quare…
Adulteraru…
Adulterii in…
ſum.
tam ſ…
ejus ir…
cum…
ve.
Ægroti un…
Ægyptis a…
noluerun…
Ægyptus t…
præc…
voca…
præt…
eâ n…
Æneas qu…
Æra Gra…
dæos in…
mund…
con…
Chri…
Æthiopia…
Affectus n…
homine…
malo…
Afflictiones…
propte…
Agapæ qua…
quale…
an ap…
אגדה qu…
Agadici ap…
Ager Fullo…
Ἀγγαρεύειν…
Agitatio p…
celebrar…
Agnatos v…
Agni ab H…
eos qu…
Agnus Paſ…
ejus…
mo…
quæn…
poſt e…
fuit m…
& jug…
eum c…
ſtis…
aliqu…
Ju…

Pars

ſecundum Thalmudicos uxorem adulterii ſuſpectam non potuit explorare. 634
Adultera non ſemper morte puniebatur. 251
ipſi ignoſcere potuit maritus ſi vellet. ibid.
ejus Hiſtoria apud Euangeliſtam Joannem an ſit genuina. 633
quare videatur omiſſa in quibuſdam codicibus. ibid.
Adulterarum pro vario caſu varia ſupplicia. 634
Adulterii in cauſa repudium non eſt præceptum, ſed permiſſum. 292
tam ſpirituale quam carnale apud Judæos. 395
ejus in cauſa leges divinæ. ibid.
cum eſſent detecta vir potuit uxorem vel repudiare vel morte mulctare. 346
Ægroti unctii apud Hebræos. 112
Ægyptii artem magicam in terram alienam tranſportari noluerunt. 323
Ægyptus tempore Chriſti habuit infinitos Judæos. 4
præcipue Alexandria. ibid.
vocari ſolet Roma, & quare. 124
præter modum repleta tempore Chriſti. 260
eâ non eſt fertilior terra. 441
Æneas quo anno à Petro ſanatus admodum incertum. 814
Æra Græcorum etiam ſub Imperio Romano apud Judæos in uſu. 741
mundi qua Chriſti mors, reſurrectio & aſcenſio contigerit. 752
Chriſtiana à menſe Septembri oportet incipere. 786
Æthiopia duplex, Arabiæ una, altera Africæ. 797
Affectus malus à quonam tempore incipiat prævalere in homine. 639
malos Phariſæi vocabant Dæmonia. 739
Afflictiones Congregationis propter quas jejunant Judæi. 553
propter quas homo ſingularis. ibid.
Agapæ quænam fuerint. 97
quales fuerint in primitiva Eccleſia. 911
an appendices Cœnæ Dominicæ. 912
אגדה quid ſignificet apud Thalmudicos. 521
Agadici apud Judæos, eorumque munus. ibid.
Ager Fullonis undenam ſic fuerit dictus. 621
Ἀγγαρεύειν quid proprie ſignificet. 295
Agitatio primitiarum manipuli coram Jehova quando celebrari ſolet. 759
Agnatos vocare fratres ſæpius ſolet Scriptura. 756
Agni ab Hebron, arietes à Moab, proverbium Judæorum. 207
eos quomodo decimarent Judæi. ibid.
Agnus Paſchalis quomodo præparandus. 50
ejus in Atrium Templi introductionis mactandique modus. 376
quænam ad ejus uſum requirebantur. 377
poſt eum comeſum ad quid tenebantur Judæi. 463
fuit minima pars iſtius feſtivitatis. 460
& juge ſacrificium quomodo differant. 559
eum comederunt Judæi eo ipſo tempore quo & Chriſtus. 670
aliquando poſt Agnum Paſchalem quare comederint Judæi. ibid.
quo tempore fuerit comeſtus. 759
Agri fundum eadem appellatione in ipſa urbe vel pago donari inuſitatum eſt in Sacris Scripturis. 754
Agrippæ domus altior Atrio Templi. 99
ejus laus. 102
Ariſtobuli filius varia fortuna. 817
à Cajo è catenis liberatur & magna pompa Rex conſtituitur. 823
Aila ubinam fuerit ſita. 422
Αἰὼν quid ſignificet in Sacris. 534
eſt vulgariſſime ſeculum Judæorum. 905
Ἀκελδαμα quare ſic fuerit dicta. 690
ibi Judas à Diabolo fuit præcipitatus. ibid.
Akiba Rabbi Turni Ruſi Romani viduam in uxorem ducit. 139
Præſes fuit Synhedrii apud Jabnem. 142
habuit Diſcipulos viginti quatuor mille. 140.
Alabarchæ dicebantur, qui apud Alexandriam Judæis præficerentur. 817
undenam hoc nomen ſit deductum. ibid.
Alexander Magnus trucidat Judæos. 4
Alexandrini quare dicantur ærarii. 198
eorum Synagoga quæ erat Hieroſolymis. 709
Synagogis Judæorum ſimulachra obtrudere conantur. 827
Allegorizandi mos Scripturæ indagini valde inutilis. 148
unde eum Patres didicerint. 149
tales Scripturæ explicationes valde amabant Judæi. 521
Almon & Baburim una eademque civitas. 203
Alphæus & Cleophas idem. 59, 756
habuit tres filios Apoſtolos. 756
Altare deſcribitur. 196
ejus baſis quonam verſus. ibid.
eſſe ſolium divinæ gloriæ dicebant Judæi. 546
eo ſine Templo in initio uſi ſunt Judæi ex Babylonia reduces. 891
Ethnicu ſacrificiis pollutum Judæi diruebant. 593
quando decinerarunt unoquoque die. 675
quando in die Expiationis. ibid.
quando in tribus feſtis. ibid.
quædam privata fuerunt Judæis. 877
Amanah eſt mons Hor. 219
fluvius ejus nominis. 220
Amazias quare non numeretur à Matthæo. 249
Amen apud Judæos nunquam intra Templum fuit recitatum. 139, 302.
juramentum valde uſitatum Judæis. 282
hac formula Chriſtus ſummo jure utitur. ibid.
Judæi raro ſubjunxerunt precibus privatis. 302
à nullo niſi à Chriſto in initio vocis adhibetur, ab omnibus autem in fine. 603
quid ſignificet. ibid.
poſt preces omnes dicere debebant. 920
orphanum quale apud Hebræos. ibid.
Amici maritorum primâ nocte dormierunt eodem loco cum ſponſo & ſponſa. 232
ex quibus illi eligebantur. ibid.
Amphitheatrum Hierichuntinum, in quo Herodis teſtamentum

Digitized by Google

mentum fuit apertum. 205
Anabaptiſmus non fuit tempore Apoſtolorum. 82
quamvis ibi fuiſſet, indè tamen non ſequeretur argumentum ad noſtra tempora. ibid.
Anabaptiſtæ quid ſentiant de pædobaptiſmo. 267
Anagnoſtes quinam fuerint apud Judæos. 13
Ananias Summus Pontifex à Quadrato Præſide Syriæ mittitur vinctus Romam. 735
Rabbi Sagan Sacerdotum valdè celebris apud Thalmudicos. 668
& Sapphyra qua autoritate à Petro morti traditi. 679
an fuerit ex numero eorum in quos effuſus eſt Spiritus Sanctus. 703
an potuerit Paulo dare Spiritum Sanctum. 724
Sapphyræ maritus an habuerit locum inter Miniſtros Euangelii. 775
Anathema quando à Judæis indictum. 890
idem ſonat quod Hebræis חרם. 927
quo ſenſu uſurpetur in Sacra Scriptura. ibid.
Anathematizati bona in fiſcum referebantur. 890
Anathemati traditus debet ſibi ipſi exponere Legem. 891
Angeli mali quomodo appellentur à Judæis. 904
deſponſationum quinam apud Judæos. 910
ſæpè dicuntur Verbi Divini Miniſtri & Prophetæ. 717
an aliquid illis cum diſpoſitione Legis. ibid.
Angeli Eccleſiæ fuerunt etiam apud Judæos. 20, 279
mortis & Michaël diſſertantes de tranſlatione animæ Moſis. 117
Angeli 70. præfecti 70. nationibus mundi. 506
non potuerunt peccare minus cum peccarent, quam ex malitia & ſuperbia. 637
Angelos linguam Syriacam intelligere negant Judæi. 252
aliquando induere formam hujus vel illius hominis receptum apud Judæos. 724
inter & Spiritus & Dæmones diſtinguunt Judæi. 567
Angelus Eccleſiæ quid ſignificet. 119
mortis quiſnam. 526
apud Judæos eſt Sammael, ejuſque poteſtas. 656, 905
ejus regimini traditas eſſe nationes mundi volunt Judæi. ibid.
an antè apparitionem Zachariæ unquam intraverit in Templum primum vel ſecundum. 490
Angina acerbiſſima mors à Judæis reputatur. 313
quare venerit in mundum ſecundum Rabbinos. 522
Anglia quomodo ſubacta à Romanis. 108
iterùm deficit. ibid.
Angliæ res tempore Neronis. ibid.
Animas mortui per triduum corpus circumvolutare credunt Judæi. 43, 649
juſtorum poſt mortem diſponunt Scholæ Judaicæ ſub triplici phraſiologia. 546
præexiſtere credunt Judæi. 638
eſſe immortales dicebant Sadducæi. 739
אנינות erat luctus in die funeris tantùm, uſque dum efferretur funus. 311
Annas non potuit judicialiter quidquam de Chriſto pronuntiare ſolus. 669
Annas quare vocetur Ἀρχιερεὺς in Novo Teſtamento. 502
quare non fuerit cum reliquis in aula Cajaphæ. 676
Annulo Cæſaris effigiem impreſſo lupanaria ingredi capite plectendum erat tempore Tiberii. 804
Annulos Sabbato geſtare prohibitum apud Judæos. 366
figebant Judæi in margine menſæ, quibus eam ſuſpendebant, & quare. 659
Anni intercalatio quando à Judæa in Galilæam dimota. 182
totius diſtinctio ſecundùm Judæos. 618
Anni quot à morte Neronis ad initium regni Veſpaſiani excurrerint. 138
Romani ut & Chriſtiani quare à Januario incipiant. 789
quot interceſſerint inter mortem Chriſti & excidium Hieroſolymitanum. 256
ſæpius in Sacris pro quovis die ſupputandi. 749
Anno duodecimo initiabant Judæi pueros ad jejunandum. 499
Annorum ſumma duplex in Sacris quoad Abrahami ſemen. 790
Annum intercalare extra Judæam non licuit. 176
ſuum non compleverunt plerique Summi Pontifices ſub Templo ſecundo. 668
Annus trigeſimus celebris. 9
intercalaris 68. vide etiam Intercalaris.
mundi quid ſignificet apud Thalmudicos. 352
אנשי מעמד quinam dicantur apud Rabbinos. 769
Antediluviani nil niſi fatis & frugibus veſcebantur. 836
Antemurale in Templo ſacratius erat quam Atrium Gentium. 192
Ἀντὶ frequentiſſimè quid ſignificet. 601
Antichriſtus quinam dicantur. 81
ſecundus primo multò pejor. 122
integer conſtituitur ex Judaiſmo & Papatu. 149
ejus ſtirps an in gratiam reverſura ſit. 152
non perdetur priuſquam Judæi reverterint. 752
æquali rabie Judæos converſos proſequetur, quà diu Eccleſiam Chriſtianam vexaverat. 752
Antigonus Cabalam accepit à Simeone Juſto. 211
ejus mors prædicta à quodam ſene. 213
Antiochena Eccleſia quo tempore fuerit fundata. 832
an Petrum habuerit primum Epiſcopum. ibid.
Antiochia. 72
fuit colonia Græca. 730
Antiochus typus Antichriſti. 123
Epiphanes acerrimus hoſtis Judæorum. 591
profanavit Templum & Altare, & ceſſare fecit ſacrificium. ibid.
Antipatris ubinam ſita valdè incertum. 214
Antitypon trium feſtorum ſolemnium Judaicorum habes in Chriſto. 257
Antonia turris ab Hircano Aſmonæo extructa ubinam fuerit ſita. 771
Herodes grandibus impenſis inſtauravit eam. ibid.
Antonius Imperator Proſelytus juſtitiæ factus. 145

'Ανώγεον Græcis eſt locus primâ contignatione ſublimior. 755
Apamiæ mare nihil aliud fuit niſi collectio aquarum ad fontes Jordanis. 221
& Pamia ſunt diverſa loca & longè diſſita à ſe invicem. ibid.
'Απήγξατο an ſemper ſupponat laqueum. 690
Aperientes vocabant Judæi docentes legem. 532
Apex quid ſit tam in Sacris quam apud Thalmudicos. 150
Apocalypſis quando à Joanne conſcriptus. 118
prædicit res Eccleſiæ uſque ad ſeculorum conſummationem. ibid.
rem unam iterum atque iterum phraſi diverſa recenſet. ibid.
alludit plurimum ad Judæorum mores & dogmata. ibid.
totum terrarum orbem ſpectat. 128
nec res nec tempora indigitat, de quibus anteà Daniel tractarat, ſed à quo finivit hic iſte incepit. 752
'Απὸ μέρους non tantùm ſignificat ex parte, ſed diviſim. 642
Apoſtaſia & peccatum in Spiritum Sanctum quomodò differant.
Apoſtoli fuere duodecim, & quare. 20, 758
ſoli Spiritum Sanctum conferebant. 69
baptizarunt Judæos in nomine Jeſu. 269
Gentes in nomine Patris, Filii & Spiritûs Sancti. 270
Sæpiſſimè loquuntur ſecundum receptam opinionem Judæorum. 510
cùm emitterentur primò ad euangelizandum inſtabat hiems. 516
an ante mortem Chriſti aliquid docuerint quod non verbatim ex ipſius ore hauſerant. 685
cum reliquis Judæis ſomniarunt de Regno Chriſti terreno. 687
aſt quale non facile eſt determinare. ibid.
potuerunt dare donum linguarum. 693
Gentium duo nati in regionibus Gentilium. 702
Spiritum Sanctificationis impertierunt nunquam. ibid.
à quibuſnam baptizati. 724
quocunque proficiſcebantur uxores circumducebant. ibid.
an ſoli in die Pentecoſtes acceperint donum linguarum, an verò etiam Diſcipuli. 763
an manus ſuas uſpiam alicui impoſuere, niſi cum aliquem ad ſacra ſecernerent. 796
an Petro primas detulerint. 832
Apoſtolis ſe invicem ordinare per impoſitionem manuum non licuit. 758
Apoſtolorum pars fuit ex decem Tribubus, quamvis Galilæi. 14
dignitas & prærogativa ſupra reliquos Diſcipulos. 693
poteſtas. 84
proprium erat per impoſitionem manuum largiri Spiritum Sanctum. 720
Apoſtolatus ordo an non cum ipſis Apoſtolis deſierit. 795
Apoſtolica dona ſupra ſeculum primum ſperari non debuerunt. 118
poteſtas miraculoſè feriendi obſtinatos qualis. 891
Apoſtolici ordinis ratio poſtulavit Dominum Chriſtum videre. 798
Apparitiones Chriſti variæ poſt reſurrectionem. 749
Aqua haurienda octavo die feſto ſcenopegiæ. 632
in victimis aliquando cum ſanguine mixta. 677
Aquæ amaræ dabantur mulieri ſuſpectæ in Porta Nicanoris. 194
Hierichuntis quænam. 205
Merom: vide Merom.
ubi natant piſces immundi cum mundis edulio coquendo an fuerint idoneæ apud Judæos. 222
viventes qualeſnam dicebantur in Euangelio. 615
amaræ quando non explorabant uxorem adulterii ſuſpectam. 634
ſigna quæ videbantur in uxore poſt earum potationem. ibid.
amaræ quibus mulieres adulterii ſuſpectæ explorabantur quando ceſſarint. 634
non erant adhibendæ niſi in re dubia. 635
Aquarum cura Sacerdoti in Veteri Teſtamento demandata. 129
porta in Templo ubi & cui uſui. 194
canalis apud Judæos non debuit per cœmeteria derivari 240
congregatio qualis in quibus baptizabantur. 267
applicatio neceſſariò eſt de eſſentia Baptiſmi. 269
Aquas ad amaras adducere an ſemper debuerit vir uxorem ob ſuſpicionem adulterii diſputatur apud Thalmudicos. 345
Aquæductus à fonte Etam in Templum convectus. 194
talem per ducenta ſtadia perficere conatur Pilatus. 808
Aquila Proſelytus ejuſque Verſio. 144
Aquilæ Romanorum non fuerunt vexilla. 88
Arabia tempore Apoſtolorum ejuſdem ditionis fuit cum Damaſco. 812
Arampṫha ubinam fuerit ſita. 235
Arare non licuit Judæis niſi ſecundum regulam traditionalem. 239
Arbel Galilææ civitas. 231
Arbor ſtigmate rubro pudefacta quid ſignificaret apud Judæos. 239
frugifera non leviter ſuccidi debuit à Judæis. 535
Arbores non permiſerunt Judæi intra viginti quinque cubitos ab urbe. 239
Arca an fuerit in Templo ſecundo. 607
an fuerit à Joſia occultata ante captivitatem Babylonicam. 608
per quot annos reſederit in Kirjatjearim. 771
ſpatio viginti annorum ſpreta prorſus & deſpecta fuit ab Iſraëlitis. ibid.
Arculam aromatum tenebatur maritus uxori præbere pro portione dotis. 457
Archelaus Viennam relegatur. 6
Aramæa lingua & Syriaca quomodo diſtinguantur. 705

Digitized by Google

Aream horrei non permiſerunt Judæi intra quinquaginta cubitos ab urbe. 239
Area in ſpelunca ſepulchrali Judæorum cui uſui. 240
Argob ejuſque ſitus. 473
Aromatico unguento rarius ungebantur pedes Judæorum. 652
Ars magica apud Rabbinos quàm plurimum in uſu. 366
Arſelæ Iſraëlitæ Hiſtoria. 198
Artabani Regis extrema paupertas. 815
  regnum amiſſum recuperat. ibid.
  filium ſuum Darium Tiberio obſidem mittit. ibid.
Arx Antonia à qua parte Templi. 192
Ἀρχεῖον *Hieroſolymæ.* 259
Ἀρχιερεὺς *quid ſub ea voce comprehendatur.* ibid.
Ἀρχισυνάγωγος *quinam apud Judæos dicebatur.* 279
  ab Epiſcopo Synagogæ diſtinguitur. 310
Ἄρχων *apud Judæos erat Judex in infimis Synhedriis.* 288
Aſa Rex quare à Deo podagra fuerit punitus. 295
Aſcalon & Gerar una eademque civitas. 181
  duplex. ibid.
  nova condita ab Ezra Sacerdote. ibid.
  erat partim intra, partim extra terram Iſraëliticam. ibid.
Aſcendere in aliquam partem ſuperiorem domus ſolebant Judæi cum tractarent de Lege extra Synagogam. 689
Aſcenſum Chriſti quot ex ejus Diſcipulis oculis ſpectarunt. 752
Aſdodæa lingua an Samaritica vel potius Arabica. 584
  ejus proprius ſitus. 217
Aſeritica Tribus dives metallis. 239
Aſia undenam nomen hoc fuerit adepta. 430
Aſiarchæ quinam dicebantur. 923
Aſini conductor quibus conditionibus tenebatur apud Judæos. 349
Aſmodæus Dæmon apud Judæos quiſnam. 526
Aſmonæorum domus Hieroſolymæ. 187
  iſtius familiæ occaſus fuit ortus familiæ Hillelianæ. 256
Aſnappar an fuerit idem cum Sennacherib. 584
Aſperſio aquæ in Baptiſmo quare nobis ſufficiat. 269
Aſphaltitis ſcema. 402
Aſſarii duo conſtituunt Pondium. 289
Aſſeſſio Apoſtolorum in 12. thronis quomodo intelligenda. 347
Aſſyriaca lingua vocata fuit lingua ſancta. 705
  quomodo diſtinguatur ab Hebræa & Syriaca. ibid.
Aſſyriacis literis ſcriptam eſſe Legem longè ſanior Thalmudicorum eſt ſententia. 284
Aſtharoth Karnaim non eſt nomen regionis, ſed peculiaris loci. 472
Atria quædam Hieroſolymis quare ſuper petras ædificata. 197
Atrium Gentium deſcribitur. 192
  Nazíræorum in Templo. 193
  ipſum Templi quale. 195
  Hieroſolymis quo congregata ſunt urbes ut teſtarentur de novilunio. 197
  extra Mulierum Atrium ſanguinem ſacrificii pro tranſgreſſione offerre non licuit. 307
  mulierum quare ſic vocetur. 407
Atrium Gentium quare ſic vocetur. ibid.
  in Atrio Iſraëlis nemini præter Regem ſedere licuit. 553, 903
  ejus intima pars quomodo vocetur. 591
  ſecundum Judæos erat caſtra divinæ præſentiæ. 718
את *ad deſcribendum primum & ultimum uſurpare ſolebant Judæi.* 119
Avæi ubinam habitaverint. 171, 399
  eorum regio ubinam finiebatur. 399
Avaritia animum obfuſcat magnis tenebris. 304
Ave dicere in more erat apud Judæos. 117
Auguſtus Cæſar quando mortuus. 56
  quot annorum tunc fuerit Chriſtus. ibid.
  obiit eodem die quo quondam primum Conſulatum inierat. 255
  quamdiu vixerit. ibid.
  quamdiu regnaverit. ibid.
  ejus regiminis initium à quo tempore numerandum. 495
  Gemariſtæ quando illud incipere dicant. ibid.
  cenſum populi quoties exegerit. 496
  ejus laus apud Romanos. 780
  Tiberium ea mente ſibi ſucceſſorem aſciviſſe dicitur, ut ex ejus vitiis virtutes ſuæ eluceſcerent. ibid.
Aulæa ſeparantia Sanctum & Sanctum Sanctorum. 387
Auranitis regio ubinam fuerit ſita. 235
  undenam denominationem ſuam deduxerit. 474
Auricularis Confeſſio. Vide *Confeſſio.*
Auſtrales Rabbini. Vide *Rabbini.*
Auſtrum ſumitur in Scripturis pro Judæa. 179
Axioma Judæorum circa numeros paritate aliqua ſeſe contingentes. 250
Azazel hircus quibus cæremoniis è rupe dejectus. 210
אזוב *an ſit hyſſopus.* 675
  ejus variæ ſpecies. ibid.
Azyma in Cœna Paſchali Judæi non ſumpſerunt ultimò. 379, 500.
  Samaritanorum Judæis erant permiſſa. 614

B

ב *quare ab illa litera incipiat Hiſtoria creationis.* 324
B*Aal Shaliſhah citius maturefecit fruges quam omnes reliquæ regiones in terra Iſraëlis.* 581
Baal ſæpius in Sacris vocatur Moloch. 792
  Peor forſan idem. ibid.
  Achabi erat idolum Tyrium. 877
  fuit generale nomen idolorum. 878
Baalamitæ eorumque doctrina. 733
Baalath. Vide *Kirjath jearim.*
Babylon Petro obtigit in partitione muneris Apoſtolici. 114
Babylonia, & quid per eam ſæpius ſignificetur. 474
  an ſit Meſopotamia. 710
  quare à Judæis non fuerit vocata terra Ethnica. 929
  ejus Judæi puriores quam Judæi terræ Iſraëliticæ. 930
  in quibus locis Judæi ibinam habitaverint. ibid.

Babylo-

Babylonica terra. Vide *Terra.*
Babylonius apud Judæos dicebatur unusquiſque qui ſe indecore habebat. 198
Babylonicum Thalmud. Vide *Thalmud.*
Baculo in itinere ſemper uti ſolebant Judæi. 314
Baburim & Almon una eademque civitas. 203
Baithuſæi quibus inter Judæos annumerandi. 148
undenam originem habeant. 273
& Sadducæi an conveniant in omnibus. 738
eorum doctrina de reſurrectione. ibid.
unde hauſerit originem hæc Secta inter Judæos ibid.
Balneum Veneris Acone. 218
Balzamum benedicere ſolebant Hierichuntini. 206
Baptiſmus à Joanne non inchoatus, ſed mutatus. 6, 265
ejus uſus ſub Veteri Teſtamento. 6, 8
ejus receptio unde tam prompta tempore Joannis Baptiſtæ, undeque tantus hominum confluxus. 7, 265
Veteris Teſtamenti & Joannis in quibus diſcrepabant. 8
ejus finis. ibid.
teſſera & pignus ſalutis. 114
in quem finem inſtitutus. ibid.
ejus inſtitutio pro Sacramento Euangelico fuit in manu Joannis Baptiſtæ, & quare. 265
ejus uſus ſub Veteri Teſtamento in eundem finem quo nunc apud Chriſtianos obtinet. ibid.
à quo primum uſurpatus. ibid.
per eum inter alia Iſraël in fœdus introductus. ibid.
in deſerto uſurpatus. ibid.
in nomine fœminæ. 266
etiam plerumque cum parentibus parvulos baptizarunt. ibid.
diſtantia quæ intercedebat inter Baptiſmum & Circumciſionem. ibid.
à quo inſtitutus ambigitur. ibid.
Synhedrium non quærit ex Joanne de ratione Baptiſmi, ſed de autoritate baptizantis. 267
quare apud Novum Teſtamentum non præſcribatur accuratiori regula quinam baptizandi. ibid.
quomodo Joannes Baptiſta baptizaverit. ibid.
quomodo Proſelytus baptizabatur apud Judæos. 268
quomodo proſelyta. ibid.
totum corpus intingere debebant. ibid.
Proſelyti quomodo differat ab ablutione immundi. ibid.
quomodo differat à Baptiſmo Joannis. 269
Johannis fuit per immerſionem corporis. ibid.
differt ablutionis notio in eo à noſtra. ibid.
aſperſio aquæ in eo nobis ſufficit. ibid.
Apoſtoli quomodo Baptiſaverunt Judæos. ibid.
quomodo Gentes. 270
ejus ſunt varii fines. 391
habet ſua privilegia. ibid.
infantum ad quid ſit neceſſaria in Eccleſia. ibid.
obligat recipientes ad articulos fœderis. ibid.
Joannis eſt porta œconomiæ Euangelicæ. 435
ejus tenor è diametro contrariatur Judaiſmo. 610
in ejus inſtitutione Chriſtus non ſancit Novum Fœdus. 914
pro martyrio ſumitur. 922
in quo nomine ſolebant baptizare Judæi. ibid.
an ſtatim ab eo unusquiſque fidelium tempore Apoſtolorum fuerit indutus linguarum & Prophetiæ donis. 767
Baptiſta quo anni tempore natus. 3
ejus miniſterium fuit principium Euangelii. 6
quando miniſterium inceperit. 7
cum baptizare inciperet, Chriſtum jam veniſſe ſcivit. 10
quot menſes prædicavit. 12, 29.
ubinam & quamdiu incarceratus. 32
quomodo ſit Elias. 490
an fuerit Eremita & ſe à ſocietate hominum abſtraxerit. 494
an Prophetam egerit ante annum trigeſimum. 495
Vide *Joannes.*
Baptizare quiſnam potuerit apud Judæos. 14
Baptizari ſignificat Baptiſmate martyrii tingi. 833
ὑπὲρ τῶν νεκρῶν. ibid.
Baptizati quare fuerint Iſraëlitæ ad montem Sinai. 904
Baptizatio Judæorum aſperrima cultus pars. 42
Baptizatum fuit inter Judæos in initio Euangelii in nomine Jeſu. 696
inter Gentes in nomine Patris, Filii & Spiritus Sancti. ibid.
Bar Ba ſæpius clamatum ab inſidentibus turribus in obſidione Hieroſolymitana. 385
Barbari quare omnes Gentes à Græcis dicebantur. 741
Bar-nabas unde deducatur incertum. 702
Bar Naphi dicitur Meſſias apud Thalmudicos. 732
Barſabas quid ſignificet non promptum eſt diſcernere. 691
& Barnabas multum inter ſe differunt. 758
Bartholomæus unus Diſcipulorum Chriſti idem qui Nathanael. 312
ſignificat filium Thalmai. 313
Bartimæus quid ſignificaverit. 450
Bath Kol quid apud Thalmudicos. 147, 275
quid de illo judicandum. 275
ſub duobus capitibus reducitur omnis illorum Hiſtoria. 276
Battologiæ Ethnicorum exemplum. 299
ejuſdem vitii rei ſunt etiam Judæi. 300
Bava ben Buta ejuſque conſilium circa Templum Herodi datum. 259, 608
Beatitudines viginti pronuntiantur in libro Pſalmorum. 282
Beelzebul quid ſignificet apud Judæos. 25, 323
tempore Chriſti an fuerit in rerum natura. 526
eſt nomen in opprobrium idoli à Judæis excogitatum. 716
Belata ſepultus eſt Joſeph. 712
Bellum Judaicum quando inceperit. 98, 113
ubinam. 102
civile Judæorum admodum horrendum. 317
ejus Fundamentum. Vide *fundamentum.*

lus rivus vitri fertilis. 217
n Coziba ſe Meſſiam eſſe dicit Judæoſque ſeducit. 143
Satbda vocatur Chriſtus à Thalmudicis. 261, 323
nedictio unoquoque Sabbato addita ſuper Ephemeriam, quæ functa erat officio ſuo. 663
nedictiones quare Chriſtus primò prædicaverit. 20
quomodo ab Iſraëlitis pronuntiatæ. ibid.
quibus uti ſolebant Judæi in nuptiis multæ erant. 606
Benedictionibus Samaritanorum Judæis amen reſpondere licuit. 615
neficium accipere à Samaritanis Judæi nolebant. 615
renice regis Agrippæ ſoror periclitatur. 115
ruræa multoties apud Rabbinos celebrata quænam fuerit. 618
ſtia vocatur Roma Imperialis. 133
ſtiarum diſtinctio in mundas & immundas quomodò fuerit ante deluvium. 836
ſtiis quomodo aquam præbebant Judæi die Sabbati. 536
thabara quomodo in quibuſdam codicibus transferit in Bethamara. 575
quomodo in Bethania. ibid.
ubi Joannes erat baptizans, ejuſque ſitus. ibid.
thania ejuſque ſitus. 43, 202, 409.
undenam ſic dicta. 202
fuit una pars Montis Oliveti. 409, 410
& Tabernæ eſt unus idemque locus. 410
eſt locus aſſumptionis Chriſti in cœlos. 754
in Sacris ſemper ſignificat ipſum oppidum, non ejus tractus. ibid.
tharamptha ubinam ſita. 236
th Balti apud Thalmudicos ubinam. 474
th-Barah ejuſque ſitus. 577
th Chadudo deſertum ubinam. 210
th Cherem ubinam. ibid.
thel aliquando vocatur Bethaven. 185
ultimus Benjamitidis terminus verſus Ephraimitida. 593
thesda unde dicta. 18
ubinam ſita. 190
ejus inveſtigatio undenam inchoanda. 588
th Chian eſt Scythopolis. 216
ejus fructus ſuaviſſimi omnium in terra Iſraëlitica. ibid.
veſtimenta linea tenuiſſima ibidem confecta ſunt. ibid.
th Gubrim ejuſque ſitus. 419
th jaazek quid Hieroſolymis. 197
thlehem ubinam. 208
de ea civitate quare altum apud Judæos ſilentium. ibid.
Meſſiam ibi natum fatentur Gemariſtæ Hieroſolymitani. ibid.
Adonidis fano profanata eſt ab Imperatore Adriano. ibid.
th Maron ubinam fuerit ſita. 593
th-Meon prope Tiberiada. 226
Beth-Midras in ſuperiori domus parte erat ſepoſita ad conventionem Diſcipulorum Rabbinorum. 689
Beth-Mokad porta. 195
Bethoron duplex. 184
ubinam fuerit ſita. 424
Bethphage ubinam ſita. 44, 198
quid ſignificet. 198, 202
& Bethania non eſt unus idemque locus. 199
non videtur fuiſſe oppidum, ſed Montis Oliveti tractus. ibid. 409
Villa inter Hieroſolymas & Bethaniam ſita. 754
Bethshan fuit Scythopolis. 576
Vide *Scythopolis.*
Bethſaida ubinam fuerit ſita. 235, 329.
Beth-Tar ſive Bitter urbs famoſiſſima apud Thalmudicos. 208
Betyræ filii ab Herode non occiſi. 259
cathedras primas in Synhedrio occuparunt. ibid.
Bezæ mos in explicandis obſcuris. 105
ejus audacia & magna temeritas circa Scripturam. 789
Bezetha mons. 189
בי אבידן *qualis apud Thalmudicos.* 927
Bibere metaphoricè ſumptum apud omnes in Scholis Judæorum erat in ore. 626
Biblia à Judæis nec ante nec poſt nativitatem Chriſti ſunt corrupta. 150
an ſint punctata à Judæis Tiberienſibus. 228
Græca lecta fuiſſe in Synagogis Helleniſtarum concipitur vulgo. 728
quorumnam uſus obtineret in conventibus Sacris Judæorum. 929
ביעור *quid apud Thalmudicos.* 170
Bilgæ Ephemeria Sacerdotalis in locum poſteriorem fuit rejecta. 487
בין בערבים *quâ hora diei fuerit apud Judæos.* 835
בירה *quid apud Thalmudicos deſignaverit.* 408, 496
quid & quando in eo prælegebatur. ibid.
Bitterenſis civitas cum innumeris Judæorum millibus deperditur. 143
Blaſphemia Judæorum circa Legem. 31
Thalmudicorum circa Dominum Jeſum. 603
Blaſphemiam per mortem expiari credebant Judæi. 25
audiens tenetur ſcindere veſtimenta. 383
Blaſphemus lapidandus erat. 53, 646
circa ejus definitionem variant Thalmudici. 646, 718
בן השמשות *quid Judæi per illud intelligant.* 307
בני עליה *quinam dicebantur apud Judæos.* 689
Boanerges quare Chriſti Diſcipuli ſic dicebantur. 439
Boodicia Anglorum Regina. 108
Bos in Paſchate comedendus vocatur Paſcha. 759
quando debuit comedi. ibid.
Boves quiſnam in Templum introduxerit. 11
quem in uſum in Paſchate. 464, 670
erant ex debito iſtius feſti. ibid.
Bozra & Bezer differunt. 235
בריוה *quid ſignificet apud Thalmudicos.* 468
Britannia. Vide *Anglia.*

Cabul

CAbul J… cordi…
Cadavera no… *bitos ab ur…*
Cadesh quid. *ejuſque…* *fuit dup…*
Cadesh Barne…
Cadmonæi qu…
Cadytis. Vi…
Cæſarea an… *ubinam…* *apud e…* *nos.* *qua occ…* *Philipp…* *caput f…* *Philip…* *olim d…*
Cæſareenſes…
Cæſarum ſti…
Chagra unat…
Cajaphas per… *ideo no…* *ſuſpica…* *Sacerd…*
Cainam un…
Cajus Calig… *quot a…* *ejus e…* *in ini…* *poſtea…* *Tieri…* *in De…*
Calce ſimpli…
Calceos ſolv… *eos int…* *uſus d…* *ungeb…* *fer…*
Calendariu…
Calvaria.
Camera C… *quæa…*
Cana ubin… *in in…*
Canaan qu… *vocata.* *& P…* *tun…*
Canaan Pa… *travit.* *quan…*
Cananæas…

Digitized by Google

C.

CAbul Judæorum civitas deſtructa eſt propter diſcordiam. 652
Cadavera non permiſerunt Judæi intra quinquaginta cubitos ab urbe. 239
Cadesh quid. 175
ejuſque varia nomina. 425
fuit duplex. 176
Cadesh Barnea bis caſtrametati ſunt Iſraëlitæ. ibid.
Cadmonæi quinam fuerint apud Canaanitas. 429
Cadytis. Vide Hieroſolyma.
Cæſarea an ſit Ekron. 213
ubinam fuerit ſita. ibid.
apud eam lis primò orta inter Judæos & Romanos. 115
qua occaſione id factum. ibid.
Philippi ubinam condita. 221
caput fuit primæ Paleſtinæ. 400
Philippi in regione Decapolitana. 420
olim dicta Turris Stratonis. 834
Cæſareenſes Doctores. 70
Cæſarum ſtirps in Nerone prorſus extincta eſt. 137
Chagra unam fuerit ſita.
Cajaphas per aliquot annos fuit Pontifex. 651
ideo non accepit donum Prophetiæ. ibid.
ſuſpicatus eſt Jeſum eſſe Meſſiam. 651
Sacerdotio privatur. 809
Cainam unquam fuiſſe in textu Moſis incredibile eſt. 504
Cajus Caligula quando regnum ſuum auſpicatus eſt. 750
quot annos, menſes & dies regnaverit. ibid.
ejus educatio. 823
in initio optimus Princeps. ibid.
poſtea peſſimus. 824
Tiberium fratrem & Imperii cohæredem occidit. 825
in Deorum numerum vult aſcribi. 827
Calce ſimplici non licet Judæis parietes dealbare. 887
Calceos ſolvere ſervi ſignum eſt. 10
eos inter & ſandalia fuit diſcrimen. 315
uſus delicatioris fuerunt calcei. ibid.
ungebant fœminæ Hieroſolymitanæ unguento odorifero ut allicerent juvenes ad laſciviam. 652
Calendarium Judaicum à Rabbi Hillele perſcriptum. 146
Calvaria. 196
Camera Conſiliariorum in Templo cui uſui. 195
quædam in ipſo Templo à Mago condita. 366
Cana ubinam ſita valdè incertum eſt. 234, 579
in incerto eſt quænam ſit ejus vocis prima litera. 579
Canaan quæ regio terræ Canaanitidis ſpeciali nomine ſic vocata. 333
& Phœnicia apud Septuaginta aliquando convertuntur. 420
Canaan Paleſtinam pergens in quam partem primum intravit. 428
quænam loca extra Paleſtinam occupaverit. ibid.
Cananæas in uxores aſſumere an prohibitum ante ingreſſum in terram Canaan. 248
Cananæi vocantur omnes ſervi apud Judæos è quacunque gente Ethnica. 275, 420
quare ſic vocentur ſeptem illæ gentes quæ perdendæ erant. 333
Cananæum ſervum manumittere an Judæo licuerit. 709
Candaces Reginæ regnum ubinam fuerit. 721
nomen apud Ethnicos ſcriptores uſitatiſſimum. 797
Candelæ lux interdiu aut multæ candelæ nocte lucentes ſignificabant in ea domo eſſe convivium Circumciſionis. 237
lucentes in ſuperliminari tempore perſecutionis noverunt Judæi quod illic foret convivium nuptiale. ibid.
quamvis poſtea perſecutio ceſſaret, ea conſuetudo tamen remanſit. ibid.
Canes ſolebant Judæi Ethnicos appellare. 31, 106, 333
Canem niſi catena ligatum Judæis nutrire non licuit. 308
Canticum in mundo quando fuerit primum.
quomodo Judæi diſtribuere ſolebant. 35
poſt quartum poculum cœnæ Paſchalis. 381
Capernaum ubinam. 227, 417
horrenda quædam in eo peracta. 579
duplex fuit. ibid.
Caphar Hananiæ medium Galilææ. 216
Chittaia civitas eſt eadem cum Zittim. 226
Tſemah ejuſque ſitus. 419
Capillos in publicum pandere atque è vittis ſolvere fœminæ Judaicæ indecorum. 653
Capitalia judicia undenam à Judæis adempta quadraginta annis ante exciſionem. 671, 370
non ſunt Judæis à Romanis erepta, ſed ipſi per oſcitantiam & ſtolidam lenitatem eam amiſerunt. ibid.
ad ea in cauſa homicidii nunquam rediit Synhedrium in Conclave Hagazith. 672
dum illa ceſſarent Hieroſolymis etiam extincta ſunt in omnibus aliis Synhedriis. ibid.
Capite qui plectebatur apud patres ſepeliri non poterat. 56
Cappadocia apud Talmudicos eſt Damiata. 398
Capreoli in Africam à Diocletiano miſſi poſt triginta annos revertuntur. 228
Caphthorim quare Septuaginta Interpretes reddiderint Καππάδοκες. 677
Captivitates in tres migravit Iſraël. 717
Captivitatis Babylonicæ ſeptuaginta anni undenam initium ſumpſerint. 255
Caput per ſuum jurare uſitatiſſimum apud Judæos. 329
Carmelith quid apud Thalmudicos. 186
Carmelus non tantum mons eſt, ſed montanus tractus. 217
civitas ejuſdem nominis olim Ecbatana. ibid.
fluvius. ibid.
Carnem comedere aliqui Pharizæi prohibuerunt quum deſtrueretur Templum ſecundum. 733
Caro ſacra fit polluta exportando extra mœnia Hieroſolymæ. 202
Carthaginem inter & Lilybæum Ciciliæ diſtantia. 741
à Julio Cæſare inſtaurata. 881
Caſiotis regio Edomæorum, & ſpeciatim Amalekitarum. 398

Caſtellum Davidis. Vide Sion.
Caſtigationum portiones tres quomodo à Deo ſecundum Judæos diviſæ ſunt. 730
Caſtor & Pollux deſcribuntur. 102
apparent Romanis ad lacum Regillum, ſuntque cauſa victoriæ. 742
ejus feſtum contemnunt juvenes Meſſenii. ibid.
quomodo effigiantur. ibid.
creditum eſt hos eſſe Numina navigantibus propitia. ibid.
Caſtra Iſraëlitarum in eremo quadraturam duodecim milliarium excepiſſe receptiſſimum eſt apud Judæos 206
tria erant Hieroſolymis. 385, 718
Caſtrametatio Iſraëlitarum in deſerto. 688
Cathechiſatio puerorum in Synagogis Judæorum. 281
Cathedræ aureæ Alexandriæ pro Synhedrio magno. 356
Cathedram Petri Romæ fuiſſe erectam hallucinatio eſt. 721
Cedri duæ in Monte Oliveti, ſub quarum una erant quatuor tabernæ, ex altera produxerunt unoquoque menſe quadraginta Seas columbarum. 201
Cedrum plantabant Judæi cum infans naſceretur. 209
ejus exciſio fuit cauſa exciſionis urbis Bethar. ibid.
Cellula Joannis Baptiſtæ adhuc oſtenditur peregrinantibus in deſerto. 403
Cenderia palus ubinam. 217
Cenſum populi quoties Auguſtus exegerit. 496
Cepham interpretari Petram quare addiderit Euangeliſta. 602
Cerinthi Hæreſis. 76
Ceſtius Syriæ Procurator Hieroſolymæ majorem partem flammis miſcet. 115
Ceſtus fluvius ubinam fuerit. 728
Ceturæ filii ex Abrahamo dicuntur habitaſſe Orientalem plagam mundi. 258
Chananæa mulier ubinam Chriſtum fuerit precata. 414
Chagiga Paſchalis deſcribitur. 670
erat pro lætitia & exhilaratione. ibid.
proprium tempus ejus adducendæ. ibid.
hoc primum, & deinde agnum aliquando comedebant. 670
diei decimi quarti multis numeris non adeo abſoluta eſt ac diei decimi quinti. ibid.
diei decimi quarti non eſt de officio. ibid.
non potuit pellere Sabbatum. 671
Chalamith in quo habitabant hoſtes Iſraëlis, ubinam. 593
Chaldæa etiam Meſopotamiæ annumerari ſolet. 789
Chaldæi etiam dicuntur Meſopotami. 710
Chaldæis familiare erat ש *&* צ *permutare.* 932
Chaldaica lingua à reditu ex Babylone fuit Judæis vernacula. 619
à quibus Gentibus loquebatur. 765
Chamats mare à Diocletiano Imperatore adornatum. 221
eſt idem cum mari Appamiæ. ibid.
Chamats civitas ubinam fuerit ſita. 224
Gadaræ quare vocetur. 225
חמרים *quinam dicebantur.* 271
חבלו *quales dolores denotet.* 455
חכמת יונות *ſumitur à magiſtris pro quavis Sapientia Ethnica.* 741
Chedor-Laomero quomodo regio Pentopolitana fuerit ſubjecta. 427
חגיגה *quidnam vocare ſolent Judæi tempore Paſchatis.* 463
חג הפסח *lingua vulgari Judæorum quid ſignificet.* 657
Chephanioth quid ſit apud Thalmudicos. 594
Cherith torrens ejuſque ſitus. 420
Cherubini in Templo Solomonæo quando alter in alterius faciem reſpexerit. 678
quando inceperint reſpicere parietes. ibid.
Chevan dicebatur Saturnus apud Arabes. 792
Chijum an ſit nomen cujuſdam idoli proprium, an vero appellativum. 792
חלבי *nomen frequens apud Thalmudicos occurrit.* 674
חלוק *quid fuerit apud Judæos.* 461
Chinneret maris Tiberiadis nomen quare tranſiverit in Geneſar. 222
Chittim eſt Italia ſive Roma. 31, 122
Chon dicebatur Hercules apud Ægyptios. 792
Chorazim ubinam fuerit ſita. 236
videtur fuiſſe Cana & regiuncula quædam ei adjacens. ibid.
Choreph hyems apud Phænices dedit nomen Europæ. 595
עיירות *&* כפרים, כרכים *quomodo à ſe invicem diſtinguantur.* 437
Chriſti judicium à Judæis hora inſolita pronuntiatum. 465
corpus à reſurrectione ſpirituale redditum. 687
Euangelizationi quare magis contradictum quam Johannis. 701
aſcenſus quem Diſcipuli oculis ſpectarunt. 752
computati miniſterii publici ejus à quo anno incipienda. 752
Chriſto bis fuit propinatum in Golgotha. 675
Chriſtum non eſſe verum Meſſiam quia dogmata ſolverit traditionalia. 282
noſcendum ante excidium Hieroſolymitanum fatentur Judæi ex prophetiis. 454
ante ſua tempora natum fatentur Thalmudici. 629
cum Judæis in fidem converſis terræque Cananiticæ reducibus viſibili modo olim cohabiturum credunt nonnulli. 751
Chriſtus Hebrone conceptus. 2
quo tempore anni natus. 3, 255
quo tempore diei natus. ibid.
quamdiu vixerit. ibid.
mittitur in Ægyptum ad populares ſuos. 5
quamdiu ibi verſatus fuerit. ibid.
erat quatuordecim annorum cum Herodes moritur. 5

duodecim

Chriſtus duodecim annorum erat, cum inter Doctores doctrinæ ſuæ ſpecimen dedit. ibid.
artem fabrilem exercuit. 6, 262
quando baptizatus. 7, 255, 257
quando miniſterium inceperit. ibid.
tentatus ſicut Eva. 10, 276
ſe Prophetam oſtendit. 13
eſt magnus Eccleſiæ Doctor. 20
Ben Satdæ blaſphemè à Judæis dicitur. 25
ejus mala à Judæis deſcripta. 56
nos lavit qualis phraſis ſub N. Teſtamento. 105
major Legiſlator quam Moſes, major Sacerdos quàm Aaron, major Rex & Sacerdos quam Melchiſedek. 110
quamdiu in terris vixerit. 255
typicam Paſchatis & Pentecoſtis æquitatem adimplevit. 257
ejus profectionis in Ægyptum inveniuntur veſtigia apud Thalmudicos. 261
eodem modo in Sacerdotium initiatus quo Sacerdotes Levitici. 275
tot annos vixit in terris, quot regnavit David Hieroſolymis. ibid.
à Baptiſmo ad crucem egit tres annos & dimidium. ibid.
quo tempore anni tentatus à Diabolo. 276
quo jure in Synagogis Judæorum concionatus ſit, cum eſſet filius fabri. 281
permiſſionem Moſaicam de repudiis non abrogavit. 292
non damnavit omnes orationes in Synagoga. 299
utplurimum ſe Judæorum moribus modo licitis conformem reddere voluit. 300
dando orationem Dominicam non enervat alias preces. 130
mutavit nomen tribus interioris ſuæ familiaritatis Diſcipulis. 312
locutus eſt ſecundum captum vel potius deceptionem vulgi. 326
cum vulgo ſemper & ubique loquitur. ibid. 510
nunquam limites terræ Iſraëlitic æ exceſſit. 414
an fuerit transfiguratus in monte Tabor. 447
qua hora diei fuerit crucifixus. 465
quem locum capeſſere potuit inter Doctores Legis Hieroſolymis. 500
nullibi in Synagogis legit niſi Nazarethæ. 509
an in Gethſemane viſibiliter à Diabolo aggreſſus. 560
an ibidem habuerit apprehenſionem iræ divinæ. 562, 655
eſt natus anno trigeſimo quinto Herodis. 607
an in feſtis Judæorum practicaverit omnes ritus à Scribis excogitatos. 609
Diabolum in agonia ſua non debuit vincere per potentiam divinam. ibid.
in Gazith à Judæis morti adjudicatus. 672
quomodo ſecundum Judæos morti traditus. 682
quo anno Tiberii reſurrexerit. ibid.
poſt mortem nunquam Diſcipulis apparuit niſi ex inopinato, una apparitione excepta. ibid.
antitypus in reſpondendo quibuſdam typis ipſum effigiantibus, non ad ipſum diem typi adimpletionem ejus reſtrinxit, ſed rejecit in diem ſequentem. 693
Chriſtus ut blaſphemans à Judæis ſæpius accuſatus, quare non fuit damnatus. 718
ſecundum Judæos quando venturus in nubibus cæli. ibid.
quando pauper & equitans in aſino. ibid.
an eo fine ſit indutus Spiritu Sancto, ut jus vocandi Diſcipulos haberet. 748
quomodo mandata ſua per Spiritum Sanctum Diſcipulis dederit. ibid.
cui poſt reſurrectionem primus apparuerit. 799
quare tam multa poſt reſurrectionem ediderit ſigna. ibid.
quando mandata ſua dederit Apoſtolis. 748
quando iis dederit Spiritum Sanctum. ibid.
non proprio ore, ſed dictante Spiritu Sancto iis mandata communicavit. ibid.
quo anno aſſumtus eſt. 752
paſſus fuit die decimo quinto menſis Niſan. 760
una & Antichriſtus eoſdem fere natales habent. 780
an unquam à Tiberio Cæſare Diis adſcriptus. 817
Chriſtiana Eccleſia. Vide *Eccleſia.*
Chriſtiani Romanis inviſi. 107
ut à Judæis diſtinguerentur neceſſe erat. 390
quare Pellam aufugerunt ab obſidione Hieroſolymitana. 419
Chriſtianorum turba erat penè innumera cùm Chriſtus in cælum aſcenderet. 757
Chriſtianus Magiſtratus prædictus. 894
חרם *quo ſenſu veniat.* 927
Chronologia rerum geſtarum à Paulo. 800
חרף *hiems erat dimidium menſis Chiſleu, totus Tebeth, & dimidium Shebat.* 646
Chronologica catena à mundi creatione ad. Chriſti crucifixionem ſatis exacta. 786
חרש *quiſnam apud Judæos.* 492
חשאים *quinam fuerint.* 405
חוקים *qualia apud Judæos ſignificarent præcepta.* 488
חולדה *hujus nominis erant duæ Portæ in Templo Hieroſolymitano.* 698
nunquam deſtruenda donec eas renovaturus ſit Deus. ibid.
חופה *quidnam apud Judæos.* 310
Chus ſive Æthiopia duplex, Arabiæ una, altera Africæ. 797
Cibi in abſtinentia apparuit Judæorum ſingularitas. 834
Ciborum delectus quando ceperit initium apud Judæos. 836
Cibum geſtare feſtis diebus fas non erat Judæis ante meridiem. 767
Communem uſum ſibi temporibus Meſſiæ, poſtliminio rurſus permittendum dicunt Judæi. ibid.
Cineres vaccæ rufæ erant ſumme purificatrices. 199
Cingulis (in) ſolebant reponere nummos Judæi. 314
Circuitio ephemeriarum apud Sacerdotes fuit duplex. 487
Circumcidendus eſt ſervus etiam invitus. 268
quomodo Proſelytus. 268

Circumcidere non licuit apud Judæos niſi interdiu. 226
Circumciſio perquam neceſſaria apud Judæos. 100
  Judæis à Romanis interdicta cauſa fuit magnorum motuum. 143
  tempore perſecutionis à Judæis per ſonum molarum ſignificata, & quomodo. 237
  eſt ſigillum veritatis divinæ & quomodo. 391
  quomodo vocetur ſigillum juſtitiæ fidei. ibid.
  pellit Sabbatum. 629
  quater aut quinquies aliquando iteranda. 899
  ab Iſraëlitis in Ægypto fuit neglecta. 904
Circumciſionem fœderis operum ſignum putabant. 100
  quare Moſes Judæis de novo dederit. 629
Circumciſionis verba adhibita dum circumciditur infans. 391
Ciſtas in Templo pro ſemiſiclo Judæi vocabant tubas & quare. 351
Ciſtulæ Corbanicæ multæ fuerunt in Templo. 405
Citreum malum geſtare debent Judæi in feſto Scenopegiæ. 629
Civis apud Judæos dicebatur, qui per duodecim menſes in civitate habitaverat. 277
Civitas Palmarum quare Hiericho dicatur. 206
  refugii. 208
  via illuc ducens ad minimum erat 32. cubitorum lata. ibid.
  cui eſt murus, & non mœnia, domus contiguæ erant pro mœnibus apud Judæos. 223
  qualiſnam apud eos vocetur. 238
Civitates cinctæ muris ſunt ſanctiores quam tota terra Iſraëlis. 512
  Levitarum. Vide Levita.
Civitatis magnæ incolæ poterant Sabbato ambulare per totam civitatem apud Judæos. 224
כיון quid in nuda & nativa ſua ſignificatione denotet. 716
  nomen idolo incongruentiſſimum. ibid.
Claudii quo tempore magna fames per orbem fuerit incertum. 72
Claudius quando mortuus. 83
  quando regnum ſuum auſpicatus eſt. 750
  quot annos, menſes & dies regnaverit. ibid.
Claves regni cœlorum à Chriſto accepit Petrus ut oſtium fidei atque Euangelii aperiret Gentibus. 681, 732
  quid ſignificent in Sacris. 834
Cleophas fuit pater quatuor Apoſtolorum. 566
  & Alphæus idem. 59
Codices Genealogici apud Judæos poſt captivitatem Babylonicam. 248
Cœlum ſæpius ſignificat Judaicam Eccleſiam. 37, 520
  quid in Apocalypſi. 125
  pro Deo uſitatiſſime ſumitur in Sacris. 263
  Judaicum deſcribitur. 367
  ſupremum & Paradiſus apud Judæos non differunt. 564
  novum vocantur tempora excidium Hieroſolymitanum ſubſequentia. 682
Cœmeteria apud Judæos extra urbem. 240
  poſt iſtum locum canalis aquarum non fuit deducenda. ibid.
  ubinam fuerint in civitatibus Leviticis. 703
  Vide Sepulcra.
Cœna Paſchalis Judæorum deſcribitur. 378
  ſacra habuit reſpectum ad Novum Teſtamentum. 559
  huic etiam interfuit Judas. 761
Cœnâ Paſchali nondum peractâ non licuit alicui diſcedere. 381
Cœnaculum eligebant Judæi eruditi ut de Religione diſceptarent. 62, 438
Cœnæ pro more Judæorum erant lautiores exeunte jam ſabbato. 652
Cœnam inſtituit Chriſtus poſt peractum Paſcha Judæorum. 761
Cognitio Chriſti à morte jam reſuſcitati quouſque ſe extendat. 456
Cohors quare fuerit Romanorum inter Æliam & Hierichunta. 523
Cohortes variæ apud Romanos, earumque nomina. 834
Colaphum impingens alicui ſolidum ei dare tenebatur juxta Thalmudicos. 294
Collectæ quales à Judæis factæ. 925
Collegæ Rabbinorum quinam apud Thalmudicos. 271
Collybiſtæ quinam fuerint apud Judæos. 350
Colorare unum oculum ſolebant fœminæ Judaicæ. 907
Columba aurea quare inſederit ſummitati ſceptri Salomonis. 503
Columbarium non debuit condi intra quinquaginta cubitos ab urbe. 239
Columbas in ſacrificiis puerperæ quinam vel ad ſacrificium pro peccato vel in holocauſtum diſtingueret, diſputant Magiſtri. 498
Columna veritatis vocatur Synhedrium Judæorum. 91
Columnæ à Judæis in ſepulcris juſtorum extructæ. 360
Combuſturus vaccam rufam quo die ſegregandus. 389
Comedere in immunditia non licuit. 458
  circa eam rem admodum curioſi ſunt canones Judæorum. 519
  qui comedebant apud Judæos, aliquid miniſtranti relinquere debebant. 624
  quomodo ſolebant Judæi. 659
Comeſtiones ſacræ fuerunt variæ ſub Lege. 559
Comitari ad funus quilibet Judæorum obligatur. 311
Commixtio Atriorum quid ſit apud Judæos, & quem in finem inventa. 466
Commotio Judæorum cauſa incendii Templi Hieroſolymitani. 139
  horribilis facta tempore Hadriani circa Cyrenem. 143
Communio inter Judæos quotuplex. 88
  noſtra in Sacramento Euchariſtiæ qualis. 914
  quouſque ſe extendat. ibid.
Compenſationes in negotio ſacrificiorum diebus feſtis quales apud Judæos. 692
Computum ſeptimanarum à Paſchate ad Pentecoſten à qua die ſumſerit initium. 692
Concilium Sacerdotum quodnam fuerit. 372
Concionatores apud Judæos ſedere ſolebant. 728
  apud Judæos ſemper Hebraicè loquebantur & per interpre-

Digitized by Google

terpretem. 919
Concionatori in pulpitis Judæorum uſitatum erat variare & invertere textum Scripturæ ut ad propoſitum accommodaret. 717
Conclave lignorum in Templo. 19, 195
  leproſorum. 19, 366
  vini & olei. ibid.
  Gazith in Templo, & quando Synhedrium inde receſſerit. 371
  Conſiliariorum & quare ſic dictum. ibid. 467
  Corbanicum cui uſui fuerit deſtinatum. 406
  Summi Pontificis quodnam fuerit. 466
  quare ſic vocaretur. ibid.
  lavantium in Templo cui uſui deſtinatum. 620
  Gazith erat ex dimidia parte intra Sanctum, ex dimidia extra. 671
  aſtrinxit Seniores ad puniendum homicidas. ibid.
  an poſtquam receſſerint unquam redierint ad illud. 672
  quare ſic fuerit dictum. 673
Concubitus leges apud Judæos. 897
Confeſſio Auricularis Joannis Baptiſtæ nunquam facta. 270
Confeſſionem requirebant Judæi à condemnato ante lapidationem. 718
  qua de cauſa id factum. ibid.
Confeſſor primus in Eccleſia Chriſtiana quiſnam fuerit. 641
Confirmandi ritum unde Pontificii deducant. 795
Conjugiis (de) Sacerdotum apud Judæos quam maxima cura & cautione proviſum fuit. 488
Conſeſſus Rabbinorum à Synhedrio diſtinguendus. 237
Conſeſſus triumviralis in qualibet Synagoga, ejuſque officium. 279
  de quibuſnam rebus ille agat. 372
  viginti triumviralis agit de pœna capitali. ibid.
  tres erant in templo. 500
  vigintitriumviralis in Templo ubinam fuerit. 591
Conſeſſus judiciarii quando ſederunt in civitatibus Judæorum. 239
  ex cujus inſtitutione illud factum. ibid.
Conſiliarii quinam apud Judæos dicebantur. 467
Conſilium Hieroſolymitanum. 78
Conſiſtorium Sacerdotum. 67
Conſolationem Iſraelis expectabant omnes Judæi. 498
Conſolationis dies vocantur dies Meſſiæ apud Scriptores Hebræos. 661
Conſolantibus lugentem non licuit aliquid fari antequam ſilentium rumperet ipſe lugens. 648
Conſolationum lugentium apud Rabbinos ſpecimen. ibid.
Conſortium privatum per horam permiſerunt Judæi ante nuptias. 232
Conſuetudo Judæorum circa lectionem prophetarum in Synagogis. 436
Conventui ab Herode convocato quinam interfuerint. 260
Converſio univerſalis Judæorum an ſit unquam expectanda. 642
Converſio Judæorum ultimis temporibus ubinam ſit eventura. 752
  Vide Judæi.
Converſionem decem Tribuum ſub Meſſia negant acriter nonnulli Gemariſtæ. 643
Convivatio nuptialis apud Judæos continuata eſt per totum ſeptiduum. 605
Convivium nuptiale ex præcepto erat.
  ante Euchariſtiam undenam ducant originem. 911
  an tales apud Corinthios. 912
Coponius ſucceſſor Archelai. 6
Corah cum ſuis Calendis uniuſcujuſque menſis volutat Gehenna. 661
Corban deſcribitur. 31
  variæ apud Judæos. 405
  porta. Vide Porta.
Corcaphalium quid ſignificet apud Thalmudicos. 442
Cordicus Dæmon apud Rabbinos exagitat ebrios ex muſto. 694
Coriariam officinam non permiſerunt Judæi intra quinquaginta cubitos ab urbe. 239
  a qua parte urbis debuerit eſſe ſita. ibid.
Corinthi fata. 79
  ejus deſcriptio. 881
  olim Ephyra fuit dicta. ibid.
  condita eſt a Siſypho & quo tempore. ibid.
  quale habuerit regimen. ibid.
  à L. Mummio everſa. ibid.
  inſtaurata à Julio Cæſare. ibid.
  ejus Epiſtolæ. Vide Epiſtolæ.
Cornelium quo anno Petrus Chriſtianis adſcripſit haud certum. 814
Coronæ aureæ apud mulieres Judaicas in uſu in Hieroſolyma recordatione. 146
Coronis quare à Luca non addatur ad Orationem Dominicam. 525
Cornu Blaſphemum apud Danielem non Antichriſtum notat ſed Antiochum. 752
Corpora fame & frigore cruciare non inſolens apud Judæos. 461
Corpus non pro omni immunditie lavabant Judæi. 445
  ſuum quare Salvator vocaverit Templum. 607
  meum hoc eſt quare Chriſtus dixerit in Euchariſtia. 913
  Chriſti. Vide Chriſtus.
Corrumpere edulium publice quid ſignificet apud Judæos. 562
Corvi immites erga pullos. 533
Crania trecenta parvulorum ſuper unum lapidem inventa. 209
Creatio nova vocantur tempora & rerum ſtatus excidium Hieroſolymitanum ſubſequentia. 682
Cretica lingua diffuſa per univerſam Græciam. 765
Credulitati omnimodæ deluſionis dedita erat Gens Judaica. 276
Crinem alicui qui evellebat, ſolvere tenebatur juxta Thalmudicos quadraginta Zuzæos. 294
כרת erat pœna per immediatam manum Dei infligenda. 888
Cruces apud Romanos ſemper pro Prætorio in promptu erant. 56

Crucifixio Chriſti eadem horâ qua peccatum Adami contigit. 761

Crumēna cum ſua in Templum intrare apud Judæos nulli licuit. 453

Crura apprehendere adorantibus apud Judæos in more erat. 448

Cubitus duplex apud Judæos, commune & ſacrum, eorumque longitudo. 754

כוכין *vocatur locus ubi corpus ponebatur in ſepultura Judæorum.* 678

menſura ejus. ibid.

כהונת *quænam ſic dicta fuerint apud Thalmudicos.*

כך *quid apud Thalmudicos.* 240

Cultri ſacri ubinam in Templo repoſiti. 196

כוס הבשורה *quale poculum apud Judæos.* 606

חברכה *quale poculum.* 905

Cusbitarum nomen apud Judæos erat odioſum & ignominioſum. 584

Cuthæi apud Hebræos ſunt tam Chriſtiani quam Samaritani. 66, 664

ſed proprie Samaritani. 213

quid Judæi per illorum regnum intelligant. 579

Cymbalum æneum in Templo. 198

Cyprus Judæis repleta. 74

Cyrenius quare in Syriam miſſus. 5

Cenſorem agens an non ex aſtutia familiam Davidicam in unum congregaverit. 496

Cyrenis undenam ita denominati. 709

Cyrus quando laxaverit Hebræos è Babylonia. 607

D.

Daciarii quinam vocentur apud Judæos. 555

Dæmones ejicere non poterant Judæi qui erant immiſſi à Deo. 326

tres à Judæis vocati principes Dæmoniorum. 626

infligere plagas receptiſſimum erat apud Judæos. 536

iſti peſſimi apud Judæos qui dominabantur in Idolis. 323

Dæmonia ſolebant Judæi vocare omnia vitia. 516

Dæmoniacorum magnus numerus tempore Chriſti quid indigitet. 312

Dæmoniacus quomodo à Thalmudicis deſcribatur. 308

Dæmonis obſeſſio apud Judæos. 33

Dæmonium habere apud Judæos aliquando ſignificat inſanire. 637

Dalmanutha ubinam fuerit ſita. 411, 413

Damiata. Vide *Cappadocia.*

Damnatis à Synhedrio ſolebant dare poculum vini myrrha aut thure miſti. 675

Damnatorum pœna apud Romanos ex Senatuſconſulto per decem dies differri debuit. 822

Damnatum Judæi non ſepeliebant in ſepulcris patrum ſuorum. 719

non plangebant, ſed lugebant tantum. ibid.

Damnatus cum ad ſupplicium educeretur quoties reducendus ſi pro ſeipſo Apologiam volebat facere. 718

quo ſordidius à Synhedrio ſepultus & minus defletus, eo magis ſecundum Judæos ei ceſſit in remiſſionem peccatorum. 719

Daniel prædictiones ſuas claudit ubi Apocalypſis incipit. 118

rem unam iterum atque ſæpius phraſi diverſa recenſet. ibid.

eum è mortuis reſuſcitatum futurum Meſſiam nonnemo ſuſpicatur. 335

nihil prophetavit ultra Hieroſolymitanum excidium à Tito factum. 751

ubinam fuerit quando erectum & adoratum fuit ſimulacrum Nebucadnezaris. 704

Daphne vocatur à Talmudicis urbs Riblah. 220

Darath quid apud Talmudicos ſignificet. 149

David ſacrificavit in area Araunæ eodem loco quo antea Adam cum crearetur. 192

tot annos regnavit Hieroſolymis quot vixit Chriſtus in terris. 275

mortuus eſt in Pentecoſte. 696

Davidis ſtirpis familiæ duæ recenſentur in Novo Teſtamento. 496

Thalmudici etiam tertiam addunt. ibid.

Decapitatio quomodo apud Judæos peracta. 724

turpius erat mortis genus. ibid.

per gladium in quos adhibita apud Judæos. ibid.

Decapolis ejuſque regio ubinam fuerit ſita. 417

quænam urbes in ea regione numerandæ. ibid.

erat intra terram Iſraëliticam, ſed habitata à Gentibus. 419

Decateſſares Matthæi etiamſi ad amuſſim non quadrent, ei vitio tamen verti non debet. 250

Decimæ ubinam & pro quibus ſolutæ. 91

quare Levitis olim fuerint aſſignatæ. 635

pauperum in agris dabant ter die. 298

mane, & quare. ibid.

meridie. ibid.

veſperi. ibid.

quouſquè ſe extenderint apud Judæos. 359

olerum erant tantum inſtitutionis Eccleſiaſticæ. ibid.

non exhibebantur extra terram Iſraëliticam. 418

Decimata quæ non erant comedens reus erat mortis. 553

Decreta Synhedrii an autoritative valerent inter Judæos in regionibus extraneis. 723

Deductio ſponſæ in domum ſponſi quomodo peragebatur. 269

Defectio Judæorum à Religione Chriſtiana. 90

Deitatem Meſſiæ maxima cum pertinacia negant Thalmudici. 622

Demai fructus. 239

Denario numero plurimum gaviſa eſt gens Judaica. 369

Denarius quanti valoris erat apud Judæos. 289

aureus exceſſit argenteo vigeſies quater. 348

& Zuz idem apud Rabbinos. 444

de ducentis loqui valde celebre erat apud Judæos. ibid.

Cæſareanus non fuit ejuſdem formæ cum illo Judæorum. 452

abſolute poſitus ſemper eſt argenteus. ibid.

Denudare ſolebant Judæi lapidandum, & quando. 718

Deſcenſio Chriſti ad inferos quomodo intelligenda. 564

Deſertum paſſim in Scripturis vocantur Gentes. 125

Vide *Eremus.*

Digitized by Google

Deſertum Zin. Vide *Zin.*
Deſponſata non potuit dimitti abſque libello repudii. 251
quotuplici modo fœmina apud Judæos deſponſabatur. ibid.
eſt uxor iſtius viri quamvis non in domum ejus introducta. ibid.
Deſponſationes ſuas & divortia etiam habuerunt Samaritani. 615
Deum videre & gloriam ejus videre pro eodem ſumitur apud Thalmudicos. 657
Deus Judæos plerumque abdicavit antequam Hieroſolymam in hoſtium manus dedit. 152
an fuerit iratus & indignatus Chriſto in Gethſemane. 561
creavit hominem ut obediret creatori. 665
Deuteronomii liber non eſt ab eodem Interprete Græco tranſlatus, qui tranſtulit libros Geneſeos & Exodi. 712
Diaboli apparitio horrenda aptiſſima ad quaſſandos animos. 561
primum peccatum quodnam fuerit. 637
Diabolus duplici genere humanum genus perdidit. 131
quare vocetur Princeps mundi ſecundum Thalmudicos. 656
quando dicatur fuiſſe Judicatus. 666
etiam vocatur Angelus. 909
Diaconatus officium ex Eccleſia Judaica in Chriſtianam tranſlata. 708
Diaconi ſeptem quare in initio Evangelii electi. 788
Vide *Eleemoſinarii.*
primi an electi ex numero centum & viginti Diſcipulorum. 708
in Synagogis Judaicis à Rabbinis conſtituebantur. ibid.
Diaconorum apud Judæos officium. 65, 788
quando illud munus inceperit. 91
Diaconos unaquæque Synagoga tantum habebat tres. 708
quiſnam primos Chriſtianorum elegerit. ibid.
Διαθήκη *quomodo à Judæis definiatur.* 914
Dialectus Galilæorum plurimum diſcrepabat à Judaica. 232
Hieroſolymitana in vocibus ab א *incipientibus eam decurtare ſolet.* 646
Didrachma Jovi Capitolino ſolvere cogebantur Judæi. 141
ejus ſolutionem prorogabant Judæi aliquando in annum ſequentem. 341
Dies Expiationis præcipuus ritus quiſnam fuerit. 651
Dies Meſſiæ ſunt dies regni cœlorum. 11
Synagogici. 30
Dies dominica ubinam primum fuerit celebrata. 60, 760
noviſſimi quo ſenſu paſſim in Veteri & Novo Teſtamento uſurpentur. 63
Domini ſumitur variè. 81, 447, 682
Nicanoris quid in Calendario Judaico. 194
quibus in Synagogis conventum eſt. 280
nuptiales apud Hebræos erant ſeptem. 311
& ſponſæ triginta. ibid.
hebdomadis quomodo numerare ſoleant Judæi. 389
Dies Chriſtianorum quinam ſic vocentur apud Judæos. 390
excidii Hieroſolymitani adhuc dum incerta tempore Chriſti. 455
azymorum ponunt Euangeliſtæ ex ſententia Rabbinorum. 457
Filii Hominis quinam dicebantur. 552
tertius celeberrimæ obſervationis apud Judæos. 566
ultimi. Vide *Ultimi.*
manipuli an ſit numerandus intra quinquaginta dies à Paſchate ad Pentecoſten. 692
Dominica etiam ab Apoſtolis celebrata. 693
poteſtatis Chriſti quiſnam fuerit. 696
Dominica an vocanda ſit Sabbatum. 731
authoritate ſua ſeipſam ſatis commendat. 925
an ſit ex inſtitutione divina. ibid.
Dieta ejuſque menſura. 421
Difficultates in ſuis Epiſtolis enodare quare Paulus noluerit. 116
Δικαιώματα *quænam præcepta in Sacris ſic vocentur.* 488
Dilectio quare à Salvatore ſæpius vocetur novum præceptum. 663
Diluculi diſtinctio qualiſnam fuerit apud Rabbinos. 467
Diluvio (a) ad promiſſionem Abrahamo datam quot anni. 753
דנין *quid ſignificare ſoleat apud Thalmudicos.* 384
Diocletianus Imperator quale nomen habeat in Thalmude. 145
fieri curavit Chamath mare. 221
an fuerit antea porcarius. 228
Diræ Judæorum contra eos qui computant tempora Meſſiæ. 258
Diſceſſio conjugalis apud Judæos poterat fieri ex mutuo conſenſu. 898
Diſcipuli Chriſti in Thalmude noti. 66, 309
Sapientum quinam à Thalmudicis dicebantur. 271
præſente Chriſto nullam perſecutionem paſſi ſunt, abſente omnimodam. 310
quinam ſiant inter Chriſtianos. 291
Sapientum in itinere de Lege colloqui tenebantur. 567
Moſis quinam fuerint apud Judæos. 641
ut eligerent ſibi Magiſtrum apud Judæos in more erat. 664
Chriſti à Zelotis tripliciter periclitabantur. 665
habuerunt poſt ejus reſurrectionem poteſtatem feriendi rebelles morte, aut plaga aliqua corporali. 679
Chriſti à quibuſnam baptizati. 724
120 an etiam in die Pentecoſtis acceperint donum linguarum. 763
Hieroſolymis diſperſi an in Angliam & Galliam venerint. 794
Diſcipulo licuit apud Rabbinos Magiſtrum Legem prælegentem de dubio quovis publice interrogare. 501
apud Judæos prohibitum fuit docere intra duodecim mille paſſus à Magiſtro. 594
Diſcipulorum omnium pedes an lavaret Chriſtus, an vero tantum

tantum aliquos. 658
Chriſti opinio de Meſſia. ibid.
habitationes ubinam fuerint. 680
Diſcipulos ſemper conciſe docere debebant Judæi. 712
Diſcipulus quinam à Judæis ſic vocaretur. 530
cujuſvis ſapientis vocatur filius ejus. 660
Diſcrepantia morum Galilæorum à Judæis. 232
Diſcumbentes comedere & reclinati in latus ſiniſtrum ſolebant Judæi. 659
Diſpenſatio Moſaica fuit ſpecialis fœderis gratiæ adminiſtratio. 151
Diſtributio apud Judæos debebatur inter pauperes de injuſte partis. 555
Ditiſſimi tres quinam Hieroſolymis cùm Titus eam urbem obſideret. 609
Divortia quam copioſe ac curioſe à Thalmudicis deſcripta. 290
Vide *Repudiare.*
Docere Legem etiam in plateis ſolebant Judæi. 512
Doctores Eccleſiæ apud Judæos. 20
Legis, eorumque variæ claſſes apud Judæos. 521
Judæorum docebant in nomine alicujus Patris Traditionum. 540
Divina vindicta perſequitur Judæos. 317
Docti Rabbini quinque qui judicarunt coram Sapientibus. 426
Dogmata abominanda Judæorum. 38
Dolores Meſſiæ quam maximos futuros ſomniant Judæi. 454
Dominatio omnis in Eccleſia quæ datur, datur ex Lege. 279
Domos mercede non elocabant Hieroſolymitani venientibus ad feſta. 185, 697
Domus Agrippæ altior atriis Templi. 99
Domus nulla apud Judæos altiùs Synagoga culminare debuit. 280
Viduitatis filiæ. 413
ſponſationis filii quomodo ædificanda. ibid.
in quo Maria accepit Angeli nuntium primo in Dalmatiam deinde in agro Lauretano tranſlata fingitur à Baronio. 577
Dona extraordinaria Spiritus Sancti quouſque duraverint. 135
quare jam non amplius ſuperſint in Eccleſia. ibid.
Dorcadem quo anno vitæ reſtituerit Petrus haud adeo certum. 814
Δῶρον *valde uſitatum verbum apud Rabbinos.* 446
Doſytheus Hæreſiarcha etiam apud Thalmudicos notus. 148
דרשה *Rabbinorum quid ſit.* 623
Doſthai Samaritanorum pſeudo-Apoſtolus. 584
Doxologia ordinaria Judæorum poſt preces. 302
Dumah Angelus qui à Judæis præficitur mortuis. 549

E.

Ebal montis ſitus. 586, 713.
Ebion Hæreſiarcha etiam apud Thalmudicos notus. 148
Ecbatana nunc Carmelus. Vide *Carmelus.*
Eccleſia qualis dicebatur apud Judæos 35
Chriſtiana in initiis Euangelii etiam habuit aliquam poteſtatem politicam. 85
habuit proprium regimen. 279
ſub Euangelio formata dicitur Hieroſolymæ. 133
Eccleſia quando inceperit eſſe ſub adminiſtratione Novi Teſtamenti & non ſub Judaicâ Veteris. 663
Eccleſia Cathedralis Alexandriæ admodum ſumptuoſa. 260
celeberrima. 723
in ea ſedebant Judæi omnes confuſè, ſed unuſquiſque artifex cum profeſſoribus ejuſdem artificii. 261
Eccleſiâ (ex) ejectum bonis ſuis ſpoliarunt Judæi. 664
Eccleſiæ Apoſtolicæ imitatæ ſunt in omnibus ferè mores Synagogarum. 912
Ecdippa ſive Achzib oppidum. 219
Edere metaphoricè ſumptum apud omnes in Scholis Judæorum erat in ore. 626
Edom communi acceptione inter Hebræos Romam ſonat. 127, 477
Chriſtianum Occidentale. 477
Edom. Vide *Idumæa.*
Edomæi dicuntur Romani. 782
quam maxime in execratione erant apud Judæos. 783
Edulcorati quinam dicebantur apud Judæos. 694
Edulia quænam apud Judæos dicebantur prohibita. 331
quænam immunda. ibid.
Effuſio Spiritus Sancti & Legis promulgatio eodem die factæ ſunt, nempe Sabbato Judaico & Chriſtiano. 760
Εἴδωλον *quid.* 901
Ejectio Samaritanorum à Judæis. Vide *Samaritani.*
Ejectus è tota congregatione Iſraëlis an unquam fuerit readmiſſus. 664
Ekron an ſit Cæſarea. 213
Ἔκστασις *quid ſit.* 835
Ekſtaſis, qua Deus Prophetis voluntatem ſuam ſignificabat, inuſitatior & rariſſima erat. 799
Ekſtaſeos in afflatis Spiritu Sancto diverſi gradus deſcribuntur. 119
Eleemoſyna pauperibus reddenda ex benè partis. 556
ſecreto præſtita ejuſque laus. 298
Eleemoſyna tametſi ab Ethnico præſtita à populo Judaico non habebantur impura. 835
Eleemoſinæ datæ à Judæis antequam preces in Templo funde-

funderent. 47
Eleemoſinæ laus uſusque multiplex. 296
Eleemoſinam pro pauperibus ab aliquo exigebant cum per 30. *dies in civitate habitaverat.* 277
plurimum ad juſtificationem conferre docebant Judæi. 296
Camſtro publico, & quem in uſum omnibus dandam. ibid.
in arcam publicam pauperibus iſtius urbis diſtribuendam. ibid.
quando hæc colligebatur, quando diſtribuebatur. ibid.
Eleemoſinam ex agro dabant Judæi quadruplicem. 298
angulum agri non demeſſum. ibid.
Manipulos in agro relictos. ibid.
Reliquias vindemiationis. ibid.
decimas pauperum. ibid.
Eleemoſinarii in qualibet Synagoga tres. 279
duo ad colligendum, tertius ad diſtribuendum. ibid.
duo fratres ad illud officium non eligebantur. ibid.
erant literati & ſtudioſi. ibid.
Eleemoſinas quomodo Judæi ordinarie dare ſolebant. 297
dicunt Judæi valere ad juſtificationem, ad expiationem, imo ad omnia. 529
imò ſolebant illas vocare juſtificationem. ibid.
Elementa (per) ſæpius intelliguntur Moſaica. 681
Eli à morte ad pœnitentiam Iſraëlis quot fuerint anni. 771
Eli Mariæ pater quare neceſſarius in Genealogia Chriſti. 250
Eliæ apparitiones apud Judæos meræ ſunt illuſiones. 276
adventum expectant Judæi quam maximè. 339
plurima de illo ſomnia Judæorum. ibid.
quænam ab illo reſtitutum iri credebant. 340
Eliam invocare ſolebant miſeri. 57
Eliam Præcurſorem Meſſiæ omnia difficilia enucleaturum credebant Judæi. 441
Eliam eſſe Angelum fœderis æſtimant Judæi. 724
Elias primus Ethnicorum Propheta. 33
& Moſes quare in transfiguratione Chriſti viſi. ibid.
Elias Propheta an à corvis fuerit ſuſtentatus. 420
quoties memoretur in Sacris Veteris Teſtamenti. 491
Thisbites nunquam vocatur Propheta. ibid.
Quare vocatus Thisbites. ibid.
Eliſabeta Zachariæ mater quare ſe per quinque menſes occultaverit. 2
Eliſæi in ſepulcro homo qui jactus erat quare non manſerit. 719
Eliſæus mutat aquas fontis antea ſterilitatis cauſam in fructiferas. 204
Ἕλληνες *dicti ſunt Gentiles omnes à Judæis, quia Græci præ omnibus Gentibus præcellebant linguâ & literaturâ.* 741
Ἑλληνισταὶ *an ſint Græci cum Judæis, an Judæi cum Græcis degentes.* 787
Elymas quâ autoritate à Paulo excæcatus. 679
Emenſuratio latitudinis terræ Iſraëliticæ intra Jordanem. 422
Emiſſarius hircus die Expiationis. Vide *Azazel.*
Emmaus ubinam. 203, 479
Emporium conſtans & perpetuum erat in Templo Judæorum. 350
Encænia Judæorum. 39
celebrabantur per totam regionem. 645
Encæniorum origo apud Judæos undenam petenda. 644
quare & quot hoc in feſto lucernæ accenſæ. 645
celebratio unicuique, imo & pauperibus incubuit. ibid.
Engannim ejuſque ſitus. 478
Engedi ubinam. 174
Enochi prophetia fuit traditio vulgatiſſima inter Judæos. 117
Ἑορτὴ *quo ſenſu ſemper apud Sacras Paginas occurrat.* 657
Ephemeriarum capita apud Sacerdotes erant viginti quatuor. 259
unaquæque habebat ſua capita familiarum. ibid.
inſtitutio ſub Templo primo. 486
ſub Templo ſecundo. ibid.
ex quibus conſtabant. ibid.
Omnes in feſtis ſimul miniſtrabant. 487
Ejus partitio in domos patrum. 488
Ephraim oppidum. 185, 593
Porta Hieroſolymæ. 191
Epicurei quinam dicti apud Judæos. 81
Iſraëlitæ quinam dicantur apud Thalmudicos. 295
Epicurus quinam dicebatur apud Judæos. 889
Epiſcopi quinam apud Judæos. 20, 90, 150
vox & officium è Judæorum Magiſtris determinari debet. 43, 209, 279
Epiſcopi an Apoſtolorum loca & vices ſuppleant. 758
Epiſtola ad Corinthios Prima undenam miſſa. 926
Secunda quando fuerit ſcripta. 799
Paulus erat in Macedonia cùm hanc conſcriberet. 800
ad Galatas unde ſcripta. 103
Laodicenſis. 106
Prima ad Theſſalonicenſes omnium Epiſtolarum prima. 80
fuit ſcripta Corinthi. ibid.
uti & Secunda. 81
Prima ad Timotheum ubinam ſcripta. 89
earum Apographa non Autographa miſit Paulus. 97
ad Hebræos à Paulo ſcripta. 109
qua Lingua. 110
Epiſtolæ Judæorum quomodo ſcriptæ. 68

Epitheta votorum ſunt apud Judæos pro ipſis votis. 332
Ἐπιτοαυτὸ *quid ſignificet in Sacris.* 768
Epocha duplex perſecutionis Eccleſiæ Apoſtolicæ. 664
Meſſiæ à reſurrectione. 316
Epulæ quædam dabantur apud Judæos in domo demortui. 311
Epulonis divitis non eſt Hiſtoria ſed Parabola. 545
ejus ſcopus eſt demonſtrare perditionem Judæorum non credentium. ibid.
Eques ſemper apud Judæos erat paratus cum damnatus ad mortem educeretur: & quare. 718
Eradicator montium quid ſignificet apud Thalmudicos. 354
Eremi generatio & Judæorum ſententia de illis. 626
Terræ Canaanitidos non erant oppidis aut urbibus vacuæ. 262
Eremus quid ſignificet in Sacra Pagina. 401
Judæ & Judææ quomodo diſtinguantur. ibid.
Judææ ubi Joannes Baptiſta. 403
Eruditi filii nobilium à Judæis vocabantur. 79
Eſajas quare à Manaſſe Rege ſecuri diſſectus aut ſerra. 657
concludit ſe intra Cedrum. ibid.
Eſavum ſcortatorem putant Judæi. 111
Eſſeni quinam. 174
vel Eſſæi undenam ſic fuerint dicti. 541
ſucceſſerunt Kenæis in eremo Judæ. 581
an agnoſcerent reſurrectionem corporis obſcurum eſt. 739
Eſtheræ liber ab omnibus Judæis in feſto Purim non eodem tempore legebatur. 238
Ethan fons. Vide *Fons.*
Ethnica quare non exiſtimata fuit immunda per puerperium. 497
Proſelytiſſa facta cum ſit gravida filius non opus habet baptiſmo. 266
Ethnici à Judæis canes vocabantur. 31
quare baptizandi in nomine Patris, &c. 61
in Atrio ſecundo Templi non poterant venire. 101
Ethnici apud Prophetas frequentiſſimè vocantur eremus. 403
ſecundum Judæos quomodò fiant filii Dei. 601
ſacrificium non eſt niſi holocauſtum. 654
aliquando mittebant ſacrificia Hieroſolymam. ibid.
Talis comedens Paſcha Hieroſolymis, occiditur. 655
convertendi apud Prophetas vocantur filii Zionis. 491
Ethniciſmus repullulat cum germinat Papatus. 133
Ethnico per legem licuit ducere in uxorem matrem ſuam aut ſororem ex matre quæ proſelytizantur ſecundum Rabbinos. 610
Ethnicorum ſpes ex proſelytis qui Judaiſmum amplectebantur. 152
Ethnicos pro fratribus non reputabant Judæi. 344
à Meſſia vaſtandos & conculcandos docent Judæi. 611
Eva eodem fere modo tentata quo Chriſtus in carne fuit. 276
habet capillos ſuos pro velamine. 908
Evangelii lux vocatur frequentiſſime dies. 886
tempore omnia nova facta ſunt. 133
Legis maledictio antiquatur. 134
Evangeliſtæ quare non omnia omnes ſcripſerunt. 449
quare non plura dicant de Chriſto nato ut myſterium publicum. 6
Evangelium quando inceperit prædicari. 7
Matthæi non eſt ſcriptum Hebraice. 110
amplecti dicitur renaſci. 132
Evangelium Matthei Hebraicum in Bibliotheca Cæſarienſi tempore Hieronymi. 259
quare in illam linguam tranſlatum. ibid.
Evangelium prædicatum eſt omnibus duodecim Tribubus ante exciſas Hieroſolymas. 347, 643
quare initium ſuum ſumpſerit in eremo. 403
Evangelium docet procedendum eſſe à fide in Deum ad fidem in Chriſtum. 665
in hoc revelatur Juſtitia Dei juſtificans ibid.
ejus magnum Myſterium. ibid.
Euchariſtia quomodo Agno Paſchali ſucceſſerit. 266
Euchariſtiæ communicatio tam frequens quare fuerit temporibus aſcenſionem Chriſti immedate ſubſequentibus. 914
Euchariſtiam Chriſtiani judaizantes ut appendicem Paſchatis putarunt. 912
Europa nomen ſuum primitus deduxit à frigore. 595
Examen de Sacerdotibus quomodo habitum. 372
Excidii judaici jam appropinquantis ſigna aut prædicta. 112
Hieroſolymitani diem quare adeo celatum voluit divina Sapientia. 456
Excidium Urbis Hieroſolymæ. 136
Excidium Hieroſolymæ & ſtatus Judaici deſcribitur in Sacris ac ſi excidium foret totius univerſi. 681
Exciſio Hieroſolymæ vocatur Regnum Chriſti. 552
Excommunicare & tradere Satanæ an apud Judæos erat idem. 888
quali modo apud Judæos perageretur. ibid.
Excommunicati erant in atrio Gentium. 192
Excommunicati conditio. 890
Excommunicatio fiebat apud Judæos ob 24. cauſas. 888
differentia inter eam & increpationem. ibid.
Abſolutione opus habuit. ibid.

quare

Digitized by Google

quare fuerit excogitata apud Judæos. 888
quinam eâ pœnâ affecti. ibid.
Excommunicatione cum quis feriretur tubâ canebatur. 297
Excommunicatus potuit adire Templum ſicut alii. 891
Exhibitio Miſericordiæ qualiſnam apud Judæos. 368
Exorciſmus Judæorum non erat tam ejectio Dæmonum quam deluſio populi. 324
ad Dæmonum expulſionem valde erat in uſu apud Judæos. 326
Ἐξουσίαν ἔχειν quid ſignificet. 909
Expectatio Judæorum de Meſſia ejuſque dapibus. 625
Expiationis dies. Vide Dies.
Explicare Scripturas quomodo in Synagogis ſolerent Judæi. 521
Exploratio uxoris ſuſpectæ quomodo ceſſaverit. 672
Extra quiſnam dicebatur apud Judæos. 12
Extranei à Judæis omnes Ethnici vocabantur. 441
quinam inter illos eo nomine inſigniebantur. ibid.
Ἐξώτη quid ſignificet. 25
Ezechielis tempore aliquos reſuſcitatos & remortuos credunt Judæi. 132
Ezekiah Rex gladium affixit oſtio Beth Midrash, & quare. 215
quare primus æneum Serpentem contuderit ſecundum Thalmudicos. 237
Ezra inſtituit formulam dicendi à ſeculo in ſeculum, & quare. 273
quod fuerit Malachias opinantur Judæi. ibid.
inſtituit ut Judæi diebus ſecundo & quinto in Synagogis convenirent. 280
dedit Legi ſcripturam & linguam. 283
fecem populi ſecum abduxit è Babylonia. 930
fuit receptor Traditionum viceſimus ſecundus. 689
ejus Synhedrium conſtitit ex centum & viginti Preſbyteris. ibid.
ante tempora ejus licuit Judæis uxorem ducere quavis die, at non poſt. 604

F.

Fabulis Ethnicorum dedit occaſio Paraboliſmus Judæorum. 326
Fames ab Agabo prædicta etiam apud Ethnicos Scriptores nota. 799
quo anno Claudii fuerit. ibid.
ſecundum Thalmudicos erat pejor gladio. 898
Fana quinque famoſiora. 180
Faſciculorum Quaſſatio. Vide Quaſſatio.
Faſciculos palmarum & ſalicum geſtare debebant Judæi in feſto Scenopegiæ. 629
Felicis Præfecti ingenium. 102
Fermentum apud Thalmudicos dicuntur affectus mali. 334
è domibus amovere quando ſolebant Judæi. 459
Feſta aliqua quæ erant unius diei in terra Canaan erant duorum dierum in Captivitate. 691
quare hoc ita à Magiſtris fuerit inſtitutum. ibid.
pro idololatricis habita à Thalmudicis. 328
Feſti Tabernaculorum ſolennitates. 36
Feſtis diebus haud fas fuit cibum vel potum guſtare niſi ad ſummam meridiem. 767
omnibus in diebus Judæis interdicebatur ne ultra bis mille cubita expatiarentur. 755
Feſto die aliquem accuſare illicitum erat apud Judæos. 53
Feſtum Expiationis unde originem ſumpſerit. 257
Hebdomadarum undenam nomen ſuum fuerit ſortitum. 464
Scenopegiæ. Vide Scenopegiæ.
Ficubus in agris ſigna appenſa quid ſignificaverint. 239
Ficus vix protrudebat in Palæſtina folia ante feſtum Paſchatis. 352
ejus variæ ſpecies memorantur apud Thalmudicos. ibid.
Fideles omnes orarunt in nomine Meſſiæ. 666
Fidem doctrinæ ſuæ mutuati Scribæ à traditionibus. 305
Fides in Sacris aliquando fiduciam denotat. 916
Fidicines in Templo an Levitæ an Iſraëlitæ. 480
Figmenta Judæorum plurima eſſe audita ab Hieroſolymis uſque ad Hierichuntem. 204
Figmentum de Meſſia Ben Joſeph quando excogitatum. 678
de Meſſia Ben Joſeph vel de Meſſia Ben Ephraim à quibuſnam ſit excogitatum à Samaritanis an verò à Judæis. 720
Filii apud Judæos officium erat lavare patris manus, faciem & pedes. 658
Filii Iſraëlis, Hieroſolymæ, Sionis frequentiſſime apud Prophetas ſunt Gentiles convertendi ad Chriſtum. 626
ſummorum ſacerdotum quinam ſic vocarentur. 502
Filiis thalami apud Judæos in nuptiis erant ſeptem dies convivii. 310
Filios Abrahami, Iſaaci & Jacobi ſe eſſe ſemper gloriantur Judæi. 636
Filium fœminæ alienigenæ an liceat circumcidere Sabbato. 629
hominis ſæpiſſime ſe ipſum vocat Chriſtus: at rarò ita vocatur ab aliis. 718
Filium ſecundam Trinitatis perſonam carnem aſſumere congruum erat. 1

Digitized by Google

Filius Dei eodem honore veſtitus quoad Novi Teſtamenti adminiſtrationem, quo Pater quoad Veteris. 321
Filius Dei & Meſſias convertuntur ipſis fatentibus Judæis. 622
hominis cum Chriſtus ſeipſum dicat, quid tum ſignificare voluerit. 335
apud Judæos coram judice à matre accuſatus quod inordinatè calcitraret, dum eſſet in utero. 639
Ethnica genitus qualis habitus apud Judæos. 899
filiorum apud Judæos pro filio habetur. 249
tempore Vitellii patrem ab altera parte militans occidit. 137
vocatur Diſcipulus cujuſvis. 660
Finis Palæſtinæ quid apud Plinium. 177
Flaccus Avilius acerrimus Judæorum hoſtis. 826
Judæos Alexandrinos ſuis Synagogis ſpoliat. 828
etiam jurium omnium municipalium privavit beneficio. ibid.
Flagellari juxta Thalmudicos debebat qui in vanum juraret. 292
Flamma quouſque feratur. 206
Flammæ ſignales in Monte Oliveti in ſignum ſtatæ Neomeniæ. 201
Florus Judææ Præfectus. 98
fovet diſſidia inter Judæos & Romanos. 115
Fluvii quatuor ambiunt terram Iſraëlitarum. 172
Fluvius Sabbaticus an fuerit in Judæa. 416
Fœderis Veteris & Novi ſanctio quomodo differant. 381
Fœderis Gratiæ adminiſtratio ſub Veteri Teſtamento. 110
hoc irritum factum à Judæis conflando Vitulum aureum. 16
Fœdus vetus an ſancitum in ſanguine Agni Paſchalis. 914
duplex tranſegit Deus cum Patribus Veteris Teſtamenti. 151
Diſpenſatio Moſaica fuit ſpecialis Fœderis Gratiæ adminiſtratio. 16
Fœmina Iſraëlitica omnis eſt nupta abſque prævia deſponſatione. 251
profluvio laborans abluebatur in collectione aquarum. 267
ex arbitrio & voto Phariſaiſmum amplectebatur. 271
Phariſæa qualiſnam diceretur apud Judæos. 270
quæ fœmellam & poſtea abortivum parit an debeat offerre duo ſacrificia, an tantum unum. 565
Fœminæ capite velato foras progrediebantur. 86
Galilææ ſteriles propter immerſionem ob immunditiem. 269
qualeſnam Phariſaiſmum ut plurimum amplecterentur, & quare. 271
immunes à quamplurimis ritibus Judæorum. 271
non tenentur ad recitanda Phylacteria, nec ad geſtanda. ibid.
an quoquam munere fungerentur in Templo. 499
Hieroſolymitanæ calceos ungebant unguento odorifero ut allicerent juvenes ad laſciviam. 652
è Campania papillas erinacei ſanguine inungunt, quò nativam quaſi feritatem infantulis imbiberent. 822
Judaicæ non prodibant in publicum niſi facie velatâ. 907
cum ad ſacra accedunt velamina ſua amovent. ibid.
apud Judæos à plurimis præceptis erant ſolutæ. 908
Fœminam deſponſare antequam viderit non licuit apud Judæos. 910
Fœminarum Paſcha erat arbitrarium reſpectû comparitionis Hieroſolymis. 500
Fœminas Sacra Scriptura rariſſimè inter numeros hominum recenſet. 757
Fœminis Manus non ſunt impoſitæ ab Apoſtolis. 796
in Synagogis publicè Legem legere non eſt permiſſum. 921
Fœnus in quibus rebus conſtitit apud Judæos. 369
quomodo Romæ fuerit per tempora limitatum. 803
Fons juxta Hierichuntem langueſcere faciens omnes fructus terræ. 204
ſalutaris circa Emmaunta. 479
Siloami atque ejus rivi. 588
antiquum ejus nomen Gihon. ibid.
Etam in via Hebronem inter & Hieruſalem. 589
An inde promanent aquæ per tubos uſque ad magnam Piſcinam Hieroſolymitanam. ibid.
vel potiùs uſque ad Templum. ibid.
Fontes in viis ad civitates refugii ſine ponte omnes debebant eſſe. 208
omnes deficiunt in terra Judæorum. 621
Foras quid Judæi per illud indigitare ſolebant. 441
Forma ſcribendi donationem dotalem apud Judæos. 232
verbi in Baptiſmo triplex legitur in Novo Teſtamento. 269
Formula Judæorum in citandis Prophetis. 435
Formulæ votorum apud Judæos in uſu. 332
loquendi quas adhibuerunt fœminæ vel conſolantes vel lugentes. 649
Formulas orationum ſtruere ſolebant Rabbini. 300
Fornicatio quædam erat inter Judæos, quia licita ipſis videbatur. 734

inter

inter Ethnicos habita eſt pro indifferenti. 734
plus quàm una apud Judæos. ibid.
Fornicationem parvi faciebant Judæi. 78
Fortitudinis Romanæ præcipua pars ſemper æſtimata fuit manus ſuas in ſe injicere. 804
Foſſor puteorum quale officium apud Sacerdotes Iſraëlis. 609
Fractio panis an ſignificet unquam apud Judæos totum prandium vel totam cœnam. 697
nunquam apud veteres Hebræos pro communi convictu uſurpatur. 768
non poteſt ſeparari à cœnâ Dominicâ. ibid.
Frangere panem eſt phraſiologia Judæis uſitatiſſima à more Gentis uſitatiſſimo. 696
à tali fractione inceptum eſt prandium apud illos. 697
illud non licuit antequam ad benedictionem proferatur Amen ab ore omnium accubantium. ibid.
Sabbato debuerunt ſuper duos panes. ibid.
Frater quiſnam apud Judæos. Præfat. Harmon. Euangel.
Fratrem inter & proximum quomodo diſtinguant Scholæ Judaicæ. 285
quinam eo nomine veniant ſub Euangelio. ibid.
Fratres Chriſti. 57
Fructibus quibuſnam utendum in ſacris diſputatum apud Judæos. 328
Fructus doctrinæ Chriſti. 764
arborum communis juris quinam apud Judæos. 350
uſui ſacro devotos Jerichuntini communes faciebant. 206
Sabbato decidentes Judæis comedere non licuit. ibid.
Genneſaritis Hieroſolymis in feſtis quare non fuerint. 227
Fundamentum belli Judæorum cum Romanis fuit quod rejecerunt ſacrificium Cæſaris. 654
Fur dicebatur apud Judæos qui clam ſurripit opes cujuſquam poſſeſſore ignorante. 643
Futura quomodo Chriſtus præſciverit. 456

G.

G*Abbata an reddat Hebraicè Lithoſtraten.* 674
Gabrielem nuptiis Adami & Evæ interfuiſſe ſomniant Judæi. 605
גר יון *in Templo quid fuerit apud Thalmudicos.* 407
Gadara duplex. 225
una ad littus maris Mediterranei, altera in Peræa. ibid.
Gadara & Gergaſa quomodo inter ſe differant. 308
fuit urbs Decapolitanæ regionis. 418
erat Ethnici juris. ibid.
Gadaræ lacus facit pecori ex eo potanti perdere pilos. 225
Galba Cæſar quot menſes & dies regnaverit. 750
ejus imperium. 137
Galilæa prima Chriſtum audivit. 13
quomodo Judæis repleta. ibid.
à Veſpaſiano devaſtata. 136
dividitur in ſuperiorem, inferiorem, & vallem. 140, 215.
quatuor continuit Tribus. 216
Gentium vocabatur Hazor civitas. 221
ejus mare. 222.
erat terra fluens lacte & melle. 404
etiam ſub ſe comprehendit Peræam. 472
quare in ſuperiorem & inferiorem fuerit diſtincta. 578
ſuperior emphaticè aliquando vocatur Galilæa. ibid.
Galilææ nomen notiſſimum ante ortum Samariæ. 223
ejus incolæ à reditu Babylonico quinam fuerint. ibid.
Galilæorum quorumdam mores diſcrepant à Judæis. ibid.
etiam dialectus diſcrepat. ibid.
ritus circa nuptias. ibid.
Galilæos devaſtandos credunt Judæi tempore adventus Meſſiæ. 437
Galilæus votum generalibus terminis concipiens non obligabatur. 232
Galli ante cantum iter ingredi Judæo non licuit. 382
Gallicinium diſtinguunt Judæi in cantum primum, ſecundum, & tertium. 660
diſtinctio illa etiam nota apud alias Gentes. ibid.
Gallio Senecæ frater. 80
Gallos alere Hieroſolymæ non licuit. 186, 382
Sacerdotibus non licuit per totam terram Iſraëliticam. 382
Gallum & gallinam ante ſponſum ducunt Judæi. 178
Gallus ex ſententia Synhedrii lapidatus ob interfectum ab eo puerulum. 382
Gamala ubinam ſita fuerit. 236
Gamaliel primarius Magiſtratus tempore mortis Chriſti. 53
fautor Apoſtolorum, & Senecæ frater. 65
primus præſedit in Synhedrio Jamnienſi. 181
Præſes Synhedrii Jabnæ. 142
loco dejicitur, & qua de cauſa. ibid.
Pauli præceptor etiam egit in Jafne. 300
erat Præfectus Synhedrii cum examen ſubiret Chriſtus. 373
(Rabban) fuit è Tribu Judæ. 557
receptor Traditionum triceſimus quintus. 703
quare vocatur Νομοδιδάσκαλος. ibid.
quando obierit. ibid.
Chriſtianiſmum minimè fuit amplexus. 793
Gamalielis laus. 101

Gamalielis familiæ permiſerunt Rabbini addiſcere ſapientiam Græcam. 706
& quare. ibid.
vita, mors, obſequiæ funebres. 777
tempore prodiit Oratio iſta quæ vocata eſt Oratio contra Hæreticos inter Judæos nota. 704
Gamalitica & Gaulanitis, earumque ſitus. 473
Gareb collis eſt Calvaria. 190
Gaudi ſive Gauri diſtantia à Sicilia. 741
Gaulonitis fuit in Peræa. 236
Gaza. 179
duplex in Sacris, altera Epraimitica, altera Philiſtæorum. 721
non niſi una erat. 797
Gazith Conclave. 194
camera ſola vim addit ſententiæ ab inferioribus judicibus prolatæ. 198
Gazophylacia tredecim diverſi uſus, quælibet habentia titula varia. 193
Gazophylacium Judæorum ubinam fuerit in Templo. 406
habuit tredecim ciſtas corbanicas. 635
Geber vel Gabara ſuperior, quæ ſupra Galilæam. 231
Gebenna quid. in Præfat. Harmon. Euangel.
& Paradiſus quantum diſtent ſecundum Judæos. 549
Gehinnum nominare ſolent Judæi locum damnatorum. 286
Gelu occurrere poterat tempore Paſchatis Hieroſolymæ ſecundum ſuppoſitionem Judæorum. 669
Gemara Babylonica & Tractatus Middoth in Conclavibus Templi diſponendis variant. 194
Gemariſtæ Hieroſolymitani de Meſſia. 7
ex quibus primitus oriundi. 145
quinam apud Thalmudicos ita dicantur. ibid.
Hieroſolymitani Meſſiam ante ſua tempora natum Bethlehemi fatentur. 257, 208.
Genealogia Chriſti perquam neceſſaria. 3
Matthæi & Lucæ non in eundem finem inſtituuntur. 9
Chriſti duplex. 250
vel ut ſemen mulieris, id eſt homo. ibid.
vel ut ſemen Davidis, id eſt Rex. ibid.
Genealogiæ nunquam finiendæ quales erant. 90
Genealogici Codices. 248
Matthæus inde hauſit tertiam ſuam decateſſerada. ibid.
Genneſaritis regio erat valdè fertilis. 227
ejus fructus Hieroſolymis in feſtis non debebant eſſe. ibid.
Genneſariticus lacus undenam fuerit dictus. 222
Deo dilectus creditur à Judæis præ omnibus lacubus. ibid.
juxta quam Tribum fuerit ſitus. ibid.
Gentes ſparſim in Scripturis deſertum vocantur. 125
Gentiles Judæi per Baptiſmum in Eccleſiam Judaicam admiſerunt. 435
æſtimabantur à Judæis pro mortuis. 518
perſonaliter aliquando adierunt Templum Hieroſolymitanum & adorarunt. 654
miſerunt aliquando Hieroſolymam dona, oblationes. ſacrificia. ibid.
cum è carcere Satanæ liberantur eſt indicium victoriæ Chriſti. 666
quomodo à Judæis fuerint dicti. 741
à Judæis vocati ſunt יונים. ibid.
Gentilibus Euangelium prædicare quando Deus Paulo mandaverit. 800
Gentilis religioni Judaicæ jam factus Proſelytus poterat matrimonium contrahere cum cognatis etiam conſanguinitate proximis, cum ſorore, vel ſi velit cum matre. 734
Gentilium edulia comedere, modò Idolo non eſſent oblata, licuit Judæo. 614
Gentium Epocha incepit ab excidio Hieroſolymarum. 133
Atrium. Vide *Atrium.*
vocatio debuit fieri ante Urbis excidium. 454
Rejectio. Vide *Rejectio.*
à Gentium rejectione ad effuſionem Spiritus tempore Pentecoſtes ſunt anni bis mille & trecenti. 764
converſionis autor quare Petrus fuerit. 834
quamdiu fuerint à Deo repudiatæ. ibid.
Genua apprehendere adorantibus in more erat. 449
Gerah quanti valoris fuerit apud Judæos. 289
Gerar eadem civitas quæ Aſcalon. 180
Geraris terra ſterilis. 171
Gergeſa civitas erat propè Gadaram. 225
ejus incolæ tempore Joſuæ ſe in Africam contulerunt. 227
Gergeſenorum regio latioris erat ſignificationis quam Gadarenorum. 442
undenam hoc nomen primò fuerit ſortita. ibid.
Gerizim montis ſitus. 713, 586
quare à Samaritanis dicatur mons benedictionis. 615
an fuerit mundatus aquis diluvii. 617
in Templum extructum in æmulationem & invidiam Hieroſolymitani. 615
Gethſemane ubinam ſita. 202
undenam illud nomen. ibid.
Gezer eſt Gadara. 225
Ghus Chalab eſt urbs in Aſeritide. 593
celebris ob oleum pretioſiſſimum. ibid.
Gibeah ubinam ſita. 203
Gibon. 189
Gilead mons ubinam. 481
Gilgal qualis locus, & quotuplex eſt Galilæa. ibid. 233

Gla-

Gladius quo quis apud Judæos decollatur, ſimul cum eo ſepelitur. 719
Gloria Chriſti vocatur ejus judicium contra Judæos. 347
Gloriam Dei videre quare reddiderint Targumiſtæ ſemper. 657
Gloriam divinam non habitare extra terram Iſraëliticam axioma eſt Judæorum. 767
Γλωσσόκομον quid ſignificaverit apud Græcos. 653
Gog & Magog quinam. 131
Gog & Magog, ejuſque bellum ante adventum Meſſiæ. 454
Gog apud Ezechielem nihil aliud eſt quàm Imperium Græcum. 591
Golan urbs præcipua Peræa. 235
גולה quinam apud Judæos vulgò vocabantur. 707
נומרין quid ſignificare ſoleat apud Thalmudicos. 384
Gonorrhæus homo non inundabatur niſi in fonte. 267
גוף eſt repoſitorium apud Judæos, in quo repoſitæ ſunt omnes animæ, quæ erant naſcendæ, & jam creatæ à formatione mundi. 638
duplex eſſe dicitur, unum in quo ſunt animæ Iſraëlitarum, alterum in quo ſunt animæ Gentilium. ibid.
tertium cum novis animabus creandum in diebus Meſſiæ. ibid.
Gophna Judææ, an Samaritidi aſſignanda ſit incertum. 211
Græca lingua apud Judæos in pretio erat. 253
& in uſu. 110
ſecundùm illos erat elegantior quàm Syriaca. 705
in Academia plerùmque uſurpata fuit. 110
Cæſareæ etiam apud ipſos Rabbinos fuit quaſi vernacula. 259
eam docere filios ſuos bello Titi prohibuerunt Magiſtri. 706
erat in uſu apud omnes ferè Gentes Orientales. 254
quomodo per totum orbem propagata. 110
Græcè ſolummodò Lex pro Ptolemæo traducta eſt. 738
Græci Interpretes in Verſione ſua aliquando favent Traditionibus Judaicis. 677
& quidem ſæpiùs in injuriam Sacri Textûs. 602
illorum audacia. 711
quare quinque additítios in poſteris Jacobi ſelegerint potiùs ex filiis Joſephi, quàm cujuſquam aliùs. 713
an Iſaj. 53. intellexerint de morte & reſurrectione Chriſti. 722
non rarò ſolent nomina locorum aliter reddere quàm ſunt in Textu Hebræo. 415
vocabula frequentiſſimè adhibent ſenſu alieniſſimo à vulgari idiomate Græco. 878
alludunt ſæpè ad mores Gentis ſuæ. ibid.
Græci omnes Gentes præter ſuam vocarunt Barbaros; & quare. 741
& Judæi cùm inter ſe diſtinguuntur, quid per Græcos intelligendum. 707
Græcorum inſolentia contra Templum. 591
Græcos (per) ſæpiſſimè apud Apoſtolum denotantur Gentiles. 630
ii per totum terrarum orbem diſperſi erant tempore Chriſti. ibid.
quia cæteris Gentibus præcellebant, lingua & literatura Græca Scriptura à Judæis dicebatur elegantiſſima. 741
Græcum Imperium multas calamitates intulit Genti Judaicæ. 591
Γραμματεὺς quid generaliùs apud Judæos ſignificet. 259
quinam apud Judæos. 885
Gratiarum actio apud Judæos quomodo peragenda cùm plures conveſcuntur. 334
Guardianus Monachorum Montem Oliveti inhabitantium, Chriſtum aſino inſidentem unaquaque die Palmarum imitatur. 199
Guſtabant Judæi manè nihil. 694
Gymnaſia quando apud Judæos formata fuerint. 145

H.

Habitare in tentoriolis debebant Judæi per ſeptem dies in feſto Scenopegiæ. 620
Hadrianus vineam contra Bitter conficit ex cæſis hominum cadaveribus. 144
Hæreſes aliquantiſper ſopitæ crebriùs reſuſcitantur. 778
ſemel accenſæ difficillimè extinguuntur. 779
à Judæis patrocinium nactæ ſunt primis temporibus, vel ex eorum radicibus germinarunt. 148
Hæretici Iſraëlitici ex præcepto occidendi. 295
qui ſe ſeparant à moribus Synagogæ, ſecundùm Judæos deſcendunt in Gehennam. 661
Hæreticos quoſnam Judæi vocent. 704
הגדה quid fuerit in Cœna Paſchali. 914
Hagiographa quare à Judæis κατ' ἐξοχὴν dicantur Scriptura. 569
Hagiographorum lectio in Synagogis Judæorum non erat permiſſa. 150
Hai oppidum. 185
Hallel magnum quid ſit apud Judæos. 249
illud ſolebant canere in feſto Scenopegiæ. ibid.
Hallel quot & quibus diebus in anno recitabat vir aliquis ſingularis inter Iſraëlitas. 691
& quot & quibus in Captivitate. ibid.
Hallelujah quomodò uſurpatum à Judæis. 130
Hananeel turris. 190
Happarva Conclave in Templo ubi, & cui uſui. 195
Haran an fuerit primogenitus inter filios Terachi. 711
Harmonia inter ſanguinem Sacramentalem Veteris & Novi Teſtamenti. 913
Hauran mons, è cujus vertice factum eſt indicium novi anni per flammas elevatas. 474
Hazar quid ſignificet in Sacris. 171
Hazerim ubinam fuerit. 398
Hazor civitas vocabatur Galilæa Gentium. 221
Hebdomadis dies quomodò numerare ſoleant Judæi. Vide Dies.
Hebræâ linguâ an fuerit primitùs ſcripta Lex. 283
per ſcriptionem talem quid Rabbini plerumque intelligant. 284
Hebræi à quo tempore illud nomen fuerint ſortiti. 427
an omnes ita dicti fuerint quibus lingua Syriaca vel Aramæa erat vernacula. 705
vox illa ſignificationem admiſit ſub Templo ſecundo aliam ab ea, quàm antè & ſub Templo primo. 704

quid ſignificabat ſub Veteri Teſtamento. 704
quid ſub Novo. ibid.
quinam ita dicebantur tempore Chriſti. 707
Hebræorum Epiſtola à Paulo ſcripta. 109
ad quoſnam peculiariter ſit ſcripta. 707
qualeſnam hi fuerint. 109
quare potiùs Hebræi quam Judæi vocentur. ibid.
quâ linguâ hæc Epiſtola ſcripta. 110
Hebraica lingua apud Euangeliſtas eſt trans-Euphrateenſis vel Chaldaica. 619, 674
ea, Syriaca, & Aſſyriaca lingua quomodò diſtinguantur. 705
fuit neceſſaria primis Miniſtris N. Teſtamenti. 918
à vulgo tempore Chriſti non fuit intellecta. 252, 933
Hebron ubinam. 207
illìc Circumciſio inſtituta, item & Baptiſmus. 3
fuit dignitate Jerichunti proxima. 207
ſic dicta ob paria ibi anteà ſepulta. ibid.
quare Judæi eò vertere oculos debuerint, antequam mactarent ſacrificium matutinum. ibid.
in ea natus fuit Joannes Baptiſta. 262
illìc quatuor paria hominum ſepulta dicunt Judæi. 712
illìcque ſepulti à Joſepho dicuntur omnes Jacobi filii. 790
Hederis (de) palmarum uſitatis etiam non rarò in Paſchate quid dicant Magiſtri. 654
Helena Adiabenorum Regina copiam annonæ Judæis ſubminiſtrat. 799
in Judæorum religionem adſcribitur. ibid.
Helleniſtæ an ſint iidem cum Proſelytis. 706
quinam propriè ſic vocati. 65, 71, 606, 707
an hi uterentur Bibliis Græcis in Synagogis. 706
non callebant omnino linguam Hebræam. 707
an omnes Judæi qui non callebant Hebraicè ſic ſunt dicti. ibid.
ſic dicuntur in Sacris Judæi è Græcâ diſperſione. 814
diſcriminatio eorum undenam petatur. ibid.
an fuerint Judæi in dubium vocant aliqui. 705, 929
eorum Synagoga. 65
Hercules apud Ægyptios dicebatur Chon. 792
Hermon vocatur Mons Nivis. 220
erat juxta fontes Jordanis. 583
Herodes Magnus trucidavit Synhedrium. 1, 209
Templum reparavit. ibid.
cujus conſilio id condidit. 608
& quouſque perfecerit. 590
ultimo regni ſui anno infantes Bethleemiticos occidit. 5
quomodò ad regnum pervenerit. ibid.
quare reſtaurationem Synhedrii anteà interfecti non impediverit. ibid.
condit Cæſaream in honorem Cæſaris. 214
ejus regni anno 35. Servator natus eſt. 256
per quot annos regnaverit. ibid.
Synhedrium occidiſſe quomodò eſt intelligendum. 259
occidit omnes Rabbinos, uno tantùm excepto. ibid.
amovit omnem familiam Aſmonæam, & qua de cauſa. ibid.
quare Rabbinos occidere fuerit coactus. ibid.
fuit fidei Sadducææ. 328
ſub ejus Tetrarchia fuit & Galilæa & Peræa. 582
ejus ira in Petrum & Jacobum quo anno collocanda. 810
Herodiani quinam fuerunt & dicebantur tempore Chriſti. 19, 354
Herodium qua de re conditum. 582
illìc Herodes qui condidit illud humatus. ibid.
Herus ſervum tot plagis verberabat, quot volebat. 534
Hevah quare Adam vocaverit uxorem ſuam. 600
Hiel Jehoſaphati filius reſtaurat Hierichunta. 205
Hierarchicus ordo à quo tempore ſecundùm Pontificios conſtitutus. 795
Hierichuntina regio, atque Urbis ſitus. 204
quare vocatur Palmarum Civitas. 205
fuit ſecunda urbs ab Hieroſolyma, eique dignitate proxima. ibid. & 403
ejus reſtaurator. 205
ejus Statio erat duodecim mille virorum. ibid.
ejus viri celebres ob ſex ab iis peracta. 206
Hieroſolyma urbs. 185
unde ſic dicta ſecundùm Thalmudicos. ibid.
erat diviſa inter Tribum Judæ, & Benjaminis. ibid.
quare Sancta præ aliis urbibus. 186
mortui in ea non pernoctabant. ibid.
an ſit Septicollis incertum. ibid.
an Sion partem Urbis Aquilonarem occupaverit. 187
Inferior & Superior. 197
Caput fuit Palæſtinæ Secundæ. 400
an Herodoto ſit Cadytis. 408
ab ea diſcedere an Judæis licuerit tempore Paſchatis per ſeptiduum. 499
inter eam & Hierichunta via erat admodum periculoſa. 523
habuit 480. Synagogas. 709
quando Paulus eò venerit. 98
quando obſidione cincta. 138
quo anno Veſpaſiani fuerit capta. 686
quo die vaſtata incertum. 454
illius excidium frequenter exprimitur in Scriptura, ac ſi excidium eſſet totius orbis. 367
quomodò eam mulieres deflere ſolent. 146
illius vaſtationis quænam fuerit cauſa Judæi quærunt. 557
eò proficiſci Imperator Hadrianus Judæis prohibet, imò & à monte quovis proſpicere. 144
ſecundùm Judæos erat Caſtra Iſraëlis. 718
Hieroſolyma de cœlo deſcendens phraſis eſt apud Judæos uſitatiſſima. 133
ſpiritualis eſt Eccleſia ſub Euangelio formata. ibid.
Hieroſolymitana Statio erat viginti quatuor mille virorum. 205
Hieroſolymitana dialectus. Vide Dialectus.
Hieroſolymitani Thalmudici Verſionem Aquilæ citarunt, at nunquam τῶν Septuaginta. 936
Hillel Præſes Synhedrii per quadraginta annos. 5
ejus laus. 6
diſputat cum Sammæo. ibid.
ejus Schola victrix, & quomodò. ibid.

Digitized by Google

tenuit Principatum per annos quadraginta. 257
qua de cauſa ad eum fuit promotus. 373
fuit, ut creditum eſt, è ſtirpe Davidis. 256
Cathedram Hieroſolymitanam capeſſivit annis centum ante excidium Urbis. ibid.
obſcuravit ſplendorem omnium familiarum Davidis. 257
Rabbi Juda Sanctus ex hac familia quaſi pro Meſſia habitus. ibid.
Hillelianæ familiæ qua occaſione ortus fuerit. 256
Hinnom vallis. 190
ubinam. 200
Hippicus turris. 191
Hippo erat urbs Decapolitanæ regionis. 418
fuit Ethnici juris. ibid.
eſt eadem cum Suſitha. ibid. & 226
Hippodromo in Hierichuntino fuere concluſi Magnates Judæorum ab Herode. 205
Hircanus deſtruxit Templum in monte Gerizim. 212
Hircum emiſſarium ablaturus, in Atrium ingrediebatur, quamvis immundus. 192
in eremum deducere non debuit Iſraëlita. 198
quibus cæremoniis die Expiationis è rupe dejectus. 210
Hiſtoriæ quamplurimæ N. Teſtamenti quomodò interpretandæ. 301
Holocauſta in comparitione Paſchali tota ceſſerunt Deo. 464
Homicida quiſnam erat apud Judæos. in Præfatione Harm. Euang.
Homicida duplex apud Judæos. 286
Homicida incautus habitabat gratis in una ex ſex civitatibus refugii; in reliquis Levitarum civitatibus non ita. 238
Homines decem ceſſantes à mundanis conſtituunt Synagogam. 238
Homines picti quinam apud Judæos dicebantur. 360
Homines quibus modis factos eſſe Filios Dei Judæi autumarunt. 600
Homines ignoti quonam in caſu à Sacerdotibus credendi. 630
Homines quidam à Diabolo fuerunt ſtrangulati. 690
Hominum ſacrificationes quando primùm ſublatæ. 716
Homo creatus à Deo ut obediret Creatori. 665
à Deo derelictus futilis res eſt. 828
ſingularis ob quas afflictiones jejunaret. 553
etiam jejuniis ſe devovebat. ibid.
Hor Mons ſive Amanah ubinam. 219
eſt & Fluvius ejuſdem nominis. 220
Hora tertia. Vide Tertia.
nona. Vide Nona.
Horæ Canonicæ undenam probentur à Pontificiis. 769
Horam circa meridianam erat orandi tempus Judæis dictum Mincha Gedola. 835
Hordei ſatio quando apud Judæos cœperit. 319, 618
ea ſi non maturuerant tempore Paſchatis quid factum à Judæis. 328
quare à Judæis ſparſa in deductione ſponſæ. 604
Horti in Gethſemane etiam Thalmudiſtæ mentionem faciunt. 52
Hieroſolymæ non erant permiſſi. 186
quare facere non licuerit. 382
Hortos habuerunt Judæorum Magiſtri circa Hieroſolymam. 667
etiam in Monte Oliveto. ibid.
ſed non intra Urbem. ibid.
Hortus Hieroſolymitanis in quo naſcebantur pergrandes ficus. 201
Hoſanna vocantur faſciculi ramorum. 349
Hoſtiæ an ante earum mactationem alicubi fuerint lotæ. 619
Huldæ Porta in Atrio. 192
Hur tradunt Rabbini martyrium ſubiiſſe, ideò quòd contradiceret Vitulo aureo. 644, 717
Hymenæus & Phyletus quâ autoritate à Paulo Satanæ traditi. 679
Hymnos canere coronis erat convivii Paſchalis. 52
Hymnum cantare quare debeant Judæi comedentes Paſcha. 459
qualis ille fuerit. ibid.
Hypoſtatica unio Chriſti, ejuſque prærogativa. 455
Hyſſopus habet varias ſpecies. 675

I.

' circa varia Thalmudicorum nugamenta. 149
Jabneh habuit Synhedrium ante & poſt vaſtatas Hieroſolymas. 141, 181
inclaruit Academiæ ſedibus. 181
trecentas habuit Scholarium claſſes. ibid.
תלמיד & יחיד inter quænam differentia. 529
Jacobus ubinam congreſſus fuerit cum fratre Eſavo. 576
in eo tractu colluctatus cum Angelo. ibid.
eum cum primogenitura ſpeciali contractu etiam ſpeluncam Machpelah coëmiſſe ſomniant Judæi. 713
ei primus uſus Baptiſmi adſcribitur. 265
Jacobus Alphæi eſt idem qui vocatur Minor. 756
apud veteres clarus frequenter fuit ſub titulo Hieroſolymitani Epiſcopi. ibid.
ſed erroneè. ibid.
Apoſtolus Circumciſionis intra terram Iſraëliticam. 884
quando mortuus. 100
Jacobus frater Domini Eccleſiæ Hieroſolymorum primus Epiſcopus ab Apoſtolis ordinatus. 785
Jaſna habet Synhedrium. 69, 371
Jaïrus Archiſynagogus fuit Capernaumi. 310
Jannes & Jambres hiſtoria à Paulo non traditur ut vera. 507
Jarmoch aquæ non ſunt aptæ ad aſperſionem immundorum. 173
Jaſon erat Romanis Secundus dictus. 883
Jaſpis margarita quare ſit primum fundamentum in nova Hieroſolyma. 877
quare Tribûs Benjamiticæ proprius. 134
Ἰδιῶται quinam dicebantur apud Græcos & Hebræos. 773
Ἰδιώτης vox Rabbinis uſitatiſſima, & quid ſignificabat. 701, 920
Idoleo (in) an liceat adorare diſputant Thalmudici. 902
Idololatriæ convitiari pro religione habitum apud Judæos. 322

 circa

circa eam quædam erant prohibita eſui, quædam prohibita uſui. 734
Idolum primum in orbe terrarum quale fuerit ſecundùm Rabbinos. 834
Idumæa Judaica. 171
quomodo Judæis fuerit adjuncta. 397
ſub Veteri Teſtamento & ſub Novo non eſt eadem. 398
Nova olim Avæorum regio. 399
ejus latitudo. ibid.
ejus Caput. 400
quare fuerit vocata Palæſtina Salutaris. ibid.
Idumæi non erant Religione Judæi. 399
Jechiel & Hiel eſt idem vir. 205
Jechonias quare ſolus ex omnibus Joſiæ poſteris à Matthæo nominetur. 249
quomodò Salathielem dicatur genuiſſe. ibid.
Jejunantes nec ſe unxerunt, nec lavarunt. 303
Jejunare ſolent Judæi poſt Paſcha & Pentecoſten. 907
Jejunarunt religioſiores Judæi die ſecundo & quinto hebdomadæ. 726
Jejunia publica. 74
eorum ritus apud Judæos. 299
ea ſibi indicebant Judæi, ut felicia adipiſcerentur inſomnia. 365
& ob multas alias cauſas. 55
ſuper quæ Sol non occidebat, non erant jejunia. ibid.
Jejunia Phariſæorum, eorumque fabulæ. 309
bis unaquaque ſeptimanâ jejunabant. ibid.
ea ſibi indixerunt, ut felicia adipiſcerentur inſomnia. ibid.
Sabbato ea de cauſa jejunare licet, quod aliàs non permiſſum. ibid.
ut deſideria ſua aſſequerentur. ibid.
& mala intentata propellerent. ibid.
Jeremias in ordine Prophetarum obtinuit olim primum locum. 385
& quare. 568
Jericho regio & civitas. Vide *Hiericho*.
Jeſhanah urbs prope Zipporim. 230
Jeſu nomen quare toties nomini Chriſti ſuperaddatur in N. Teſtamento. 248
Jeſum eſſe Meſſiam non novit Joannes Baptiſta quando baptizare inciperet. 269
fuiſſe verum Meſſiam Patres Synhedrii vel cognoverunt, vel ſaltem ſuſpicionem habuerunt. 649
magnum prædicant Thalmudici. 323
Jeſus. Vide *Chriſtus*.
Jethro fuit primus Proſelytus Legis. 258
Jezebelitæ eorumque doctrina. 733
Ignatius Martyr an vixerit tempore Chriſti. 34
Illiterato in Synagogis concionari non licuit. 281
Imagines in urbem Hieroſolymam erigit Pilatus. 784
Immerſio in Baptiſmo quare nobis jam non eſt neceſſaria. 269
non eſt de eſſentia Baptiſmi. ibid.
in purificatione Judæi aliquandò tollere conati ſunt. ibid.
Immortalitas animæ negata tempore Ezræ. 738
Immundi apud Judæos in platearum medio ibant, exceptis feſtis. 140
diverſimodè mixtim habitare non poterant. 551
Immundi ablutio an valeret ſi veſtitus in aquas ingrederetur. 268
Immunditiès apud Judæos erat vel major, vel minor. 454
Immundum inter & profanum quænam diſtinctio apud Judæos. 331
Immundus à cadavere Montem Templi non debuit ingredi. 589
unde ille menſurandus. ibid.
Imperatorum tempora, quæ Chriſti mortem & Hieroſolymarum excidium interciderunt numerata ſecundùm Imperatores Romanos. 750
Imperii Romani initium unde computandum non caret ambiguitate. 495
Imperium illud quartum apud Danielem cum Romano nihil habet. 752
Imperium perenne apud eundem Prophetam qualenam ſit. ibid.
Impii etiam adhuc in vivis ſecundùm Rabbinos vocantur mortui. 711
Impoſitio manuum. 74
apud Judæos intra terram Iſraëliticam ſolummodò licuit. ibid.
tempore Apoſtolorum extra terram Iſraëlis facta. ibid.
in promotione Presbyterorum vix erat uſitata ſub Templo primo. 726
Incantationes quàm maximè apud Judæos in uſu. 147
Incarcerati quare vocantur diluvio Noachi perempti. 114
Incarceratus ubinam Paſcha comedere debuerit. 198
Incendii Porta in Templo ubi & cui uſui. 195
Incendium Romæ. 197
Inclinatio lectorum apud Judæos ex quo mortuus effertur ex atrio domûs. 311
undenam ille mos apud illos obtinuerit. ibid.
Incolæ Galilææ & Perææ à reditu Babylonico quinam fuerint. 232
Increpatio & Excommunicatio quomodo differant. 888
Indumentis octodecim veſtiebantur Judæi a capite ad calcem. 516
Infans ante triceſimum ætatis diem moriens quomodò ſepeliretur à Judæis. 424, 514
illum in utero matris jam animatum & viventem ſe poſſe irregulariter gerere, atque aliquid facere quod non vacaret culpâ autumant Judæi. 639
Infantium Judæorum 300. cerebra ſuper unum lapidem eliſa. 144
Inferi apud Latinos comprehendunt & ſedes beatorum, & damnatorum. 549
ad eos quomodo Chriſtus deſcenderit. 564
Inhumanitas maritorum apud Judæos in conjuges. 345
Inimico ignoſcere quoties tenebantur Judæi. 344
Inoculare apud Hierichuntinos in uſu fuit. 206
Inſcriptiones Gazophylaciorum in Templo. 193
Inſomniorum Interpretes apud Judæos quamplurimi. 366
Intercalare. Vide *Annus*.
Intercalatio anni ob tria facta eſt. 320

propter

Digitized by Google

propter fructus arborum qualiſnam ea fuerit. 352
reſpexit potiſſimùm ſolennitatem Paſchalem. 669
Interpres in qualibet Synagoga linguarum peritus, ejuſque officium. 280, 509
Interpretatio quomodò numeretur inter dona Spiritûs Sancti extraordinaria. 918
Textûs Sacri grande opus apud Judæos. ibid.
Interpretes Septuaginta plura nomina addiderunt propria quæ non ſunt in Textu Hebræo. 505
animo non ſincero ad illud opus ſe accinxerunt. ibid.
Vide Græci Interpretes.
Inteſtinorum ex ægritudine, axioma Judæorum eſt, plurimi Juſtorum mortui ſunt. 725
Invertere Textum Scripturæ ut ad propoſitum accommodarent ſolebant Judæi in Synagogis. 717
Inundatio Romæ Tiberi admodùm creſcente. 816
Joanna filia Retibi celebris præſtigiatrix apud Judæos. 240
præcipuè circa puerperium. ibid.
Joannes Baptiſta fuit Hebrone natus. 262, 403
circa feſtum Paſchatis. 262
ſemeſtre ante Chriſtum. ibid.
Pontificii dicunt eum egiſſe vitam eremiticam. ibid.
migravit ab eremo in eremum. 403
quando miniſterium ſuum inchoaverit. 256, 403
habuit autoritatem inſtituendi Baptiſmum. 265
quare Judæi de illo dubitarent an eſſet verus Meſſias. 258
quomodò docuerit ſuos Diſcipulos orare. 303
domus incunabulorum ejus adhuc oſtenditur peregrinantibus. 403
Joannes de quo eſt mentio in Actis eſt Rabban Jochanan ben Zaccai. 700
Joannes ſcripſit Euangelium pro Helleniſtis. 932
ille & Jacobus quare dicti Boanerges. 439
nec ille nec Petrus aufugerunt cùm Chriſtus prehenderetur. 679
tres ejus Epiſtolæ quando ſcriptæ. 117
prima videtur à Laodicea ſcripta. ibid.
an illam ſcripſerit ad Corinthios. 805
Joash quare a Matthæo non numeretur in Genealogia Chriſti. 249
Jobi Liber quare non ponatur primo loco in Scripturis. 569
targumizatus qualis dicebatur. 934
Jochanan pronuntiatione Græcâ tripliciter profertur Luc. 3. 602
Jochanan R. Ben Zaccai quo anno Præſes fuerit Scholæ Jabneenſis. 181
Cæſaris partes agit Hieroſolymæ. 141
conſilium dat de non potandis aquis amaris ampliùs. 634
Jod tranſlatum è nomine Sarai in nomen Jehoſhua fabulantur Judæi. 282
Jonas in ventre ceti è mari Phœnicio in mare rubrum ductus. 172
Jonathan Ben Uzziel Chaldæus Paraphraſtes quando vixerit. 6
circa tempora Chriſti omnes Prophetas Chaldaicè reddidit. 252
יונים vocati ſunt Gentiles à Judæis, quia Græci cæteris Gentibus præcellebant linguâ & literaturâ. 741
יונית ſæpiſſimè uſurpant Rabbini pro Gentibus. 630
Joppe. 69
an ſit finis Palæſtinæ. 176
Jordanes ejuſque ſitus. 404
latitudo admodùm mediocris circa Hierichunta. ibid.
an ſit æſtimandus limes terræ Iſraëliticæ. ibid.
non eſt ſupra Hierichunta. ibid.
ejus curſus. 576
ejus aquæ non ſunt aptæ ad adſperſionem immundorum. 173
ei fons duplex malè aſſignatur à Tabulis. 220
quomodo bis memoretur in definiendis limitibus Tribûs Nephthaliticæ. ibid.
Jordanis trajectus. Vide Trajectus.
Jordanitica ſcapha quare fuerit immunda. 223
Joſeh & Joſephus an ſit unum idemque nomen. 758
ei quinque liberi in Ægypto nati. 790
Joſeph & Maria ubinam in Ægypto peregrinati fuerint. 261
per quæ media ibi vixerint. ibid.
Joſeph ab Arimathæa fuit Sacerdos. 467
Joſephi in ſemine malus affectus dominari non potuit. 289
Joſephus in Galilæa præcipuus Romanorum oppugnator. 136
in vincula conjicitur. ibid.
Veſpaſianum Imperio potiturum prædicit. ibid.
ejus teſtimonium de Chriſto dubitatur an ſit ipſius. 701
ſæpiùs quoad Chronologiam dormitat. 778
Joſua filius Nun decem jura traditur dediſſe Iſraëli. 278
ejus ſepultura. 481
Iſaacus & Jacobus quibus conditionibus greges ſuos paverint, & familias ſuas habuerint in terra Canaanitide. 714
Iſraël quare in Ægypto ducentis & decem annis afflictus. 295
vulgariſſimè intelligitur à Judæis de Judæis ſolùm, in contradiſtinctione ad decem Tribus. 687
inter alia per Baptiſmum in fœdus introductus. 265
per tria in fœdus miſſus. ibid.
fuit diviſus in viginti quatuor Stationatus. 487
Iſraëlita non debuit hircum emiſſarium in eremum deducere. 198
Iſraëlitam morte plectere horrendum erat apud Judæos. 681
qui prodit in manus Ethnicorum nullam habet portionem in mundo futuro. 691
mortuum Babylone quomodo Judæi deflere ſolebant. 223
Iſraëlitæ non licuit agrum poſſeſſionis ſuæ vendere in terra Iſraëlitica, niſi coacto per ſuam paupertatem. 702
Iſraëlitæ ſoli abſque Sacerdotibus poterant conſtituere Synhedrium. 373
preces privatas ut funderent quouſque irent in Templo. 553

Digitized by Google

Iſraëlitæ de decem Tribubus acceperunt Euangelium à Petro. 681
Iſraëlitarum caſtra. Vide *Caſtra.*
Iſraëlitica terra non incongruè bipartitur in Galilæam & Judæam. 223
Iſſachar Tribûs proprius ſitûs locus. 216
Iter Sabbaticum conſtabat ſeptem ſtadiis & dimidio. 569, 570
erat menſuratum undequaque extra urbes. 409
Iturea ubinam fuerit ſita. 474
Jubilæa quot habuerint Judæi. 36
quare tali anno Chriſtus moriatur. ibid.
Jubilæi initium à quo menſe. 257
per octoginta quinque duraturus eſt mundus. 258
Juda (Rabbi) Sanctus è familia Hilleliana celebris apud Judæos, & quaſi pro Meſſia habitus. 144, 257
Judæ Epiſtola quando conſcripta. 116
Judæa diſpertitur in Montanam, Planitiem, & Vallem. 141, 176
ejus limes utrinque mare. 173
facies. 176
menſura. 177
à Veſpaſiano oppugnata. 137
ora ejus Borealis. 184
ejus regio Auſtralis intra Idumæam. 399
ejus montanum quare eximendum à decimatione. ibid.
magna illius pars exſecta ſub Templo ſecundo. 171
Judæi quare tantùm in nomine Jeſu baptizati. 61, 696
quare ita occæcati, ut Chriſtum non cognoverint. 6
multi artem magicam exercebant. 74
eorum artes contra propagationem Euangelii. ibid.
filios ad opificium aliquod applicabant, etiamſi ſtudiis operam darent. 79, 798
vocantur Antichriſtus. 81, 151
ſub Romano Imperio propriis legibus ſuam Religionem tuebantur. 85, 893
eorum ſententia de adventu Meſſiæ. 8
de ejus redemptione. 12
ſolebant Ethnicos canes appellare. 31
benedicere debebant Deum quotidie ob tres cauſas. 908
quomodò fundebant preces. 85
Jeſum dicebant anathema. 87
& dicebant ſoli ex omnibus nationibus. 928
eorum mores. 101
vitia. 112
ægrotos ungunt. ibid.
ſæpiùs duplex habebant nomen. 883
quàm frequentiſſimè ſe tondebant. 910
quare ſemper erant velato capite. 906
aliqui ſemper inceſſerunt præputiati. 900
præ aliis omnibus perſequebantur Chriſtianos. 113
multi eorum è captivitate Babylonica reverti noluerunt. 114, 930
qui cum Ezra aſcenderunt an aſcenderint coacti. 930
eorum vicies mille die Sabbati ad Cæſaream cæſi. 115
in N. Teſtamento è ſuis ipſorum Scriptis ſæpiùs redarguuntur. 171
Judæi Meſſiam nondum veniſſe ex Imperio Romanorum probant. 126
eorum cogitata de tempore Meſſiæ. 131
tempore Ezechielis aliquos reſuſcitatos & remortuos credunt. 132
eorum ſtatus poſt Hieroſolymam exciſam. 136, 146
& Religio. 146
edicto vetantur ne ſacris ſe initient. 143
eorum odium contra Chriſtianum nomen. 147
veritatem Scripturarum non adulterarunt. 149
neque etiam id facere potuerunt, & quare. ibid.
eorum figmenta, plurima eſſe audita ab Hieroſolymis uſque ad Hierichunta. 204
examen habuerunt tribus diebus de ſponſo & ſponſa ante nuptias. 232
eis tempore Chriſti notior fuit linguâ Hebræa quàm Chaldæa. 252
parùm erant amici librorum linguâ non ſuâ ſcriptorum. 254
eorum diſcriminationes in varias claſſes. 271
quare adeò libenter habitant intra terram Iſraëliticam. 419
diſtinguunt inter Spiritus, & Dæmonia, & Angelos bonos. 535
eorum apologia pro Templo Herodis. 608
eorum odium. Vide *Odium.*
à ſervitute ſemper fuerunt averſiſſimi. 636
errabant toto cœlo circa veram & ſalvificam fidem. 665
etiam circa verum modum & formalem cauſam juſtificationis. ibid.
eorum ſententia de judicio Gentium ſub Meſſia. 666
tempore mortis Chriſti aliquem morte afficere potuerunt. 672
cùm tractarent de Lege & rebus Religionis, ſolebant aſcendere in aliquam partem ſuperiorem domûs. 689
cùm à Græcis diſtinguuntur, quid per Græcos intelligendum. 707
nullum omninò Filium Dei agnoſcere volunt. 720
fœminas in Genealogiis eorum non nominant. 721
eorum figmenta circa Iſaj. 53. ibid.
eorum ſupplicium quod à Chriſto illis ſupervenit, comparatur cum ſupplicio quo illi affecerunt Chriſtum. 750
etiam ſub Imperio Romano annos ſupputarunt per Æra Græcorum. 741
idque dicunt eſſe ſecundùm Legem Moſis & Iſraëlis. ibid.
eis ubivis regionum diſperſis Lex non præcepit ut propter feſtum Pentecoſtes Hieroſolymam peterent. 764
ex quibus maximè à Gentibus diſtinguebantur. 833
quid cum Ethnicis in communi conſortio facere poterant, quid non. 836
poterant cum Samaritànis habere commercium. 614
eorum rejectio. 22
quare fuerint rejecti. 877
rejecti & in reprobum ſenſum dati etiam ante adventum Chriſti. 152, 274

Digitized by Google

eorum futura converſio. 151
an univerſa Gens aliquando redintegrabitur. ibid.
an eorum vocatio ad plenitudinem Gentium ſit rejicienda. 152
quomodò à Deo rejecti & iterùm reaſſumendi, & quando. 878
Vide *Converſio.*
peccatis Ethnicos exceſſerant. 391
Orientales diſperſi inter ſeptem Gentes. 788
Judæorum Cyrenenſium quænam lingua fuerit vernacula. 709
Alexandrinorum miſerrimæ calamitates. 833
Judæus ab Ethnico ſemper diſtingui debuit. 390
ei qui vult intrare in Regnum Meſſiæ Baptiſmus abſolute neceſſarius. 610
tempore Trajani in Cyprum venire ei non licuit, & quare. 727
ei tribunal Ethnicum appellari rarius erat. 740
Judas quo die proditionem cum Phariſæis tranſegit. 374, 760
quando ei nomen Iſcariotæ inditum. 313
quid illud ſignificaverit apud Thalmudicos. ibid.
ad Paſcha atque Euchariſtiam adfuit. 381
an ejus pedes Chriſtus etiam laverit. 658
an propriâ manu fauces ſuas laqueo eliſit. 690, 757
in aerem raptus à Diabolo, ibique ſtrangulatus. 50, 384, 758.
Judas Galilæus ejuſque dogmata. 115
quomodo vocetur Galilæus. 472
Secta Theudæ dedit originem. 778
Judex & Senior quomodò inter ſe differant. 552
ſeptem requiſita in recto judice. ibid.
apud Judæos in Conſeſſu inferiori de re aliqua dubitans, aſcendit Hieroſolymam ut audiat determinationem Synhedrii in re iſta. 623
Judicare de capite nocte Judæis non licuit. 383
de nulla re die feſto illis licuit. ibid.
de capitalibus eodem die licuit ad abſolutionem, non ad condemnationem. 384
de pecuniis etiam ad condemnationem eodem die licuit. ibid.
judicandi poteſtas etiam in pecuniariis rebus quando Judæis adempta. 143
Judices quintuplices fuerunt apud Judæos. 895
quinam fuerint circa hæreditatem. 533
eorum inſtrumenta apud Judæos. 297
Judicia Judæorum. in Præfat. Harm. Euang.
capitalia Judæi ordiebantur à parte defenſoria, & non à parte accuſatoria. 669
in iis omnibus licuit pro parte defenſoria agere, non pro parte accuſatoria. ibid.
non ſunt Judæis à Romanis abrepta. 671
qua de cauſa ceſſarint inter Judæos. ibid. 672
tempore Apoſtolorum nondùm erant abrepta è manibus Synhedrii. 723
qualia poſt excidium Templi. 371
pecuniaria quando à Judæis ablata. 893
quomodo Judæi diſtinguere ſolebant. 895
mulctativa quænam dicebantur apud eos. 671
quando illa ceſſaverint. ibid.
Judicii Domus. 85
Judicium finitum & occiſionem inter parùm moræ interpoſuerunt Judæi. 465
Chriſti in ingreſſu ejus in imperium Euangelicum. 347
Jugum Regni Cœlorum in quo conſiſtat. 264
Julias duplex. 235
Juramentum temerarium pàrùm curarunt Thalmudiſtæ. 292
Juramentum ab illis in quatuor diſtribuitur claſſes. ibid.
promiſſorium quale. ibid.
vanum quod ab illis dicatur. ibid.
de depoſito. ibid.
teſtimoniale coram judice. ibid.
per creaturas pro conſuetudine habebant Thalmudici. 293
Jurare ſolent Judæi tactis Phylacteriis. 357
Jus vitæ & necis quando à Judæis ablatum. 55
Juſti quinam vocentur apud Judæos. 541
eos in diebus Meſſiæ ſecundùm Judæos Deus ſuſcitabit ex mortuis. 363
ſunt duplicis generis: vel juſti tantùm, vel juſti perfectè. ibid.
perfectè an ſint meliores pœnitentibus. 542
Juſtorum claſſes ſeptem qui vident faciem Domini. 564
Juſtorum animas ſub throno Majeſtatis Divinæ recondi credebant Judæi. 120
Animæ. Vide *Animæ.*
Juſtificatio ex operibus Legis fermentum Phariſæorum. 262
per juſtitiam alterius à Judæorum dogmatibus quàm maximè aliena erat. 96
Juſtitia Adami in quibus differat à noſtra. ibid.
Chriſti juſtificans prædicta ſub Veteri Teſtamento. 665
perſonalis & inhærens. ibid.
Izates Adiabenorum Rex Judæis copiam annonæ ſubminiſtrat. 779
in eorum Religionem admittitur. ibid.

K.

קרמים *apud Thalmudicos ſæpiùs indicant Proſelytos.* 899
קרא *inter &* סברא *quomodò diſtinguant Thalmudici.* 898
קראים, חיצונים & חכמים *quænam differentia apud Judæos.* 441
Karaitæ vix jam reperiuntur apud Judæos. 148
quinam apud Judæos per illos intelligebantur. 273
חרף (in) & קור *diſtinguunt Magiſtri menſes hyemales.* 646
קשיא & ניתא *diſtinctio celebris apud Judæos.* 438
Κα[illegible] *quid ſignificet in Sacris.* 778
קדר *quid ſignificet apud Thalmudicos.* 667
vox iſta quomodò fuerit adhibita in primæva denominatione torrentis Kedron. ibid.
Kedron. ibid.
torrens erat circa Montem Oliveti. 199

Digitized by Google

Kedron an vocetur à multitudine cedrorum ibi creſcentium. 667
Kenæi & Kenizzæi quinam fuerint apud Canaanitas. 429
à Paraphraſte Chaldaico vocantur Salmæi. 581
Keni erat circa immunditiem locus duplicis conditionis. 580
Κεφαλαιῶν quid ſignificet. 452
כרת ſignificat vindictam per manum Dei infligendam. 287
Keri & Cetib an non faciat immutationem in Lege. 284
unde illud compactum. 285
קימורת quid Rabbini per illud exprimere ſoleant. 770
Kiponus Porta in Templo. 192
Kiriath-Jearim ubinam. 203
Kirmionis aquæ non ſunt aptæ ad aſperſionem immundorum. 173
Kishon an ſit fluvius Carmelus diſputatur. 217
Κόλλυβος lucroſus reditus nummulario penſus. 351
קונם quid ſignificet apud Thalmudicos. 332
Κορβᾶν apud Judæos eſt uſitata voti formula. 332
& juramentum indiſſolubile. 359
Kordicus apud Thalmudicos eſt Dæmon qui dominatur in nimiùm vini novi bibentibus. 340
Κόσμος quid in Sacris ſignificet. 534
& αἰὼν quomodò diſtinguantur in Sacris. ibid.
quomodò in Profanis. ibid.
Κῶμαι, πόλεις, & κωμοπόλεις quomodò differant apud Judæos. 437
Κρῆτες Actor. 2. non ſunt Cretenſes, vel incolæ inſulæ Cretæ. 585
Κρίτης apud Judæos erat Judex in ſummo Synhedrio. 288
Κύμβαλον quid ſit. 917

L.

LAbrum in Templo Hieroſolymitano ubinam fuerit. 196
Lætitia quare ſit tam magna in feſto Scenopegiæ. 628
Λαλιὰ & λόγος quomodò debeant diſtingui. 637
Lamentatricem unam habebat pauperrimus Iſraëlitarum, uxore demortuâ. 310
Lampades in deductione ſponſæ in domum ſponſi. 368
Laodicenſis Epiſtola. 106
Lapidandi quomodò denudandi ante lapidationem. 386
& quando. 718
quinam erant apud Judæos. 646
Lapidandus erat apud Hebræos, qui coibat cum matre ſua. 887
Lapidati etiam ſuſpendebantur. 66, 718
Lapidatio quomodò & ubi peracta. 66, 354, 385, 718
loculi feretralis Judæi morientis in Excommunicatione. 330
ejus locus erat duplici hominis ſtaturâ altus. 718
illius rei quinam fuerint. ibid.
Lapides ubinam ab Iſraële erecti poſt tranſitum è Jordane. 233
ſacratos ad uſum communem non adhibebant Judæi. 593
quando fuerint in Atrio Templi (quod aliàs inuſitatum) tempore Chriſti. 638
Lapis quo quis lapidatur ſimul cum eo ſepelitur. 719
unuſquiſque in Gilgale & Jordane erectus æſtimatur ponderis quadraginta Satorum. 207
Latro ſecundùm Maimonidem eſt qui aufert opes alterius apertè & violenter. 643
Lavantium Conclave in Templo ubi & cui uſui. 195
Lavare manus antequàm comederent Phariſæorum proprium. 272
pedes & manus debebant Judæi ante unctionem. 653
ſuperiores inferiorum pedes res eſt inuſitata apud Judæos. 658
uxoris officium erat, ut & faciem & manus mariti. ibid.
ut & filii erga patrem. ibid.
mortuos an ſemper ſolebant Judæi. 833
idque an fuerit factum in ſpem reſurrectionis futuræ. ibid.
Lavari quinam ſolebant in Betheſda. 620
Lazari nomen undenam videatur deſumptum. 545
hoc nomen appoſitè in Parabola Mendici. 40
Lectos non conduxerunt Hieroſolymis adventantes ad feſtum. 697
Lectulorum depreſſio lugentium propter mortuum quid ſibi voluerit apud Thalmudicos. 648
Legem ritualem morali adverſam reddunt Judæi. 104
& moralem fœderi gratiæ. ibid.
in ea, ſed non ex ea vixiſſent, & quomodò. ibid.
ſcriptam duplici modo explicabant Judæi. 521
eodem modo & Legem oralem. ibid.
Legenda Thalmudicorum. 197
Legionem nominare ſolebant Judæi, cùm magnum numerum eloqui vellent. 442
cœtum immundum per illud ſignificare ſolent Thalmudici. ibid.
Legumina quare à Judæis ſparſa in deductione ſponſæ. 604
Lepra inter omnes immunditias hominum fuit ſumma. 306
mirum quòd Sacerdos de ea judicans non lædebatur. ibid.
quænam ſecundùm Judæos in mundatione peragenda. ibid.
an fuerit medicabilis niſi per miraculum. 512
Leproſi quomodò habiti apud Judæos. 17
habebant ſuum Conclave in Atrio mulierum. 306
in eorum purificatione quare paſſeribus uti debuerint Judæi. 532
cum aliis immundis non debebant habitare. 551
tranſgredientes cancellos ſuos vapulabant plagis quadraginta. ibid.
quænam ſint caſtra è quibus ejiciendi. ibid.
Leproſus purificabatur in Porta Nicanoris. 194
Λεπτὰ, eorumque valor. 289
fuere minutiſſima inter numiſmata Hebræorum. ibid.
Levita ſecundò evocabatur ad lectionem Legis die Sabbati. 280
non eſt pars neceſſaria Synhedrii. 68
an ei licuerit agrum poſſidere in terra Iſraëlitica, qui non foret de agris urbium Leviticarum. 702
Levitæ anno quinquageſimo emeriti. 37, 491
eorum civitates. 237
ſuburbana. ibid

Levitæ

Digitized by Google

erant omnes civitates eorum civitates refugii. 238
quomodò tamen diſtinguebantur à ſex illis à Deo conſtitutis. ibid.
omnes erant Academiæ civitates. ibid.
iis non tantum in Templo miniſtrantibus, ſed omnibus etiam in Academia ſtudentibus Decimæ ſunt conceſſæ. ibid.
ob labem non fuerunt inidonei. 491
quotnam in locis excubias agerent in Templo. 559
ſi dormirent in iis, veſtimenta eorum comburere Præfecto licuit. ibid.
eis fas erat agros ſibi nummis acquirere. 774
Levitica Tribus. Vide *Tribus.*
Lex erat via, veritas & vita apud Judæos. 661
non eſt veritas ſumma & ultima. ibid.
docet fidem, nempè ut credamus in Deum. 665
in hac ſolummodo revelatur juſtitia Dei damnans. ibid.
ſecundum Judæos diſpoſuit Iſraëlitas in ſtatum Angelicum. 717
ſæpius vocatur ignis. 886
quo tempore è monte Sinai fuerit tradita. 760
eam qui dicunt non cœlitus datam, ſecundum Judæos non habent partem in futuro ſæculo. 772
in ejus lectione tantum unus Lector & unus Interpres poterat eſſe. 919
ejus interpretatio ex mente Judæorum. 20
Legiſlatoris. ibid.
inſervit Fœderi Gratiæ. 104
neminem ſervare poteſt. ibid.
juſtificationis via, non cauſa eſt. ibid.
quare confirmata in manibus Judæorum. 232
an fuerit primitus ſcripta ſcripturâ Samariticâ. 283
ejus ſcriptura & lingua per Ezram data. ibid.
quare à Judæis dicatur tradita tacitè. 532
ejus verba mulieri tradere, aut de iis cum illa diſputare, Judæorum Doctoribus non licuit. 918
eam ſtantes diſcebant à diebus Moſis ad Rabban Gamalielem. 500
etiam in Synagogis ſtantes debebant legere. 508
Prophetis & Hagiographis præferebant. ibid.
Lex de heterogeneis in terra ſerendis quouſque ſe extenderit. 239
Talionis cur à Deo Iſraëli fuerit data. 294
de Naziraeatu an non reſpexerit ſtatum Adami, dum eſſet innocuus. 490
Rabbi Meir quid ſit. 436
Libamina eodem momento, quo ſacrificia, offerre non erat neceſſarium. 288
Libani albedo nomen ei dedit. 595
Libatio aquæ quid in feſto Scenopegiæ. 190
ſecundum Judæos præfigurat effuſionem Spiritus Sancti. 632
in Altari cum vino quo tempore anni fuerit peracta. 628
Libellus repudii duodecim lineis conſcribi debet. 291
ejus formula. ibid.
quomodo uxori debuerit tradi, & à quo. 292
clanculum poterat dari, & quomodo id fiebat. 251
Liber Legis non ſolummodo vocatur Pentateuchus, ſed Eptateuchus, & Octateuchus. 568
à duobus Rabbinis mutuâ colluctatione dilaceratur. 147
Liberos ob peccata quædam parentum natos eſſe mancos, tortos, aliquâ parte ſui mutilos, erat doctrina in Scholis Judaicis non rara. 638
qua de cauſa id introduxerint. ibid.
Λιβερτῖνοι *quinam dicantur in Novo Teſtamento.* 709, 789
apud Judæos cogniti. 65
Libri Legis tres in Atrio repoſiti 285
Ligare quo ſenſu apud Judæos uſurpetur. 32
& ſolvere apud Thalmudicos de rebus, non de perſonis dicebatur. 336
Ligna non debebant colligi in cœmiteriis Judæorum. 290
importare die feſto ex agro licuit. 462
Lignorum Conclave ubi & cui uſui in Templo. 195
erat duplex. ibid.
Lignum in quo quis ſuſpenditur, cum eo ſepelitur. 719
Limes terræ Iſraëliticæ fuit intra iter triduanum ab Hieroſolyma. 421
Lingua Hebræa qualis dicta fuerit in principio. 705
qualis poſt captivitatem Babylonicam ibid.
Aſſyriaca quænam vocatur tempore Chriſti. ibid.
Græca Judæis magis erat odio quam pretio. 706
Lycaonica quænam fuerit dictu difficile. 731
Syra affectat literam u *in ſyllaba prima.* 732
Linguæ tres apud Judæos in uſu. 65
Linguarum dono quotnam ipſo die effuſionis Spiritûs Sancti dotati ſunt. 693
Literatos ad erudiendum populum ſemper elegit Deus. 135
Litoſtrotos an fuerit idem quod Conclave Gazith. 673
Loca de quibus nationes mundi non poſſunt convitiari Iſraëli. 713
Veteris Teſtamenti à Chiliaſtis contorta quonam propriè ſpectent. 752
Locum privatum inter & locum publicum diſtinctio reſpectu Sabbati. 622
Locuſtæ cum Iſraële in Babyloniam migrarunt. 172
in Apocalypſi ſunt Religioſi Ordines. 122
eſui idoneæ. 264
in eſcam erat vilior cibus apud Judæos. 436
tempore roris cæcutire dicuntur. ibid.
Locuſtarum mundarum ſpecies ſunt octingentæ. ibid.
Lod & Lydda non differunt. 182
ubinam fuerit ſita. 426
Λόγος *quid ſonet apud Authores profanos.* 747
Lolienus & Papus fratres martyrio interfecti. 426
Lotio manuum apud Judæos perquam neceſſaria. 31
eam cum vilipendit Judæus, excommunicatur. 330
à quibus & quando primum inter Judæos inſtituta ambigitur. 331

Digitized by Google

inter eam & merſionem diſtinguebant illi. 445
ejus Solomonem autorem credunt. 528
Lotio veſtium. Vide Veſtium lotio.
Lotionem pedum Apoſtolorum an Chriſtus ad Cœnam Paſchalem rejecerit. 381
Lucanus Poëta nepos Senecæ, ejuſque vitia. 113
Lucas quando Euangelium conſcripſerit. 1
ejus Genealogia & Matthæi non in eundem finem inſtituuntur. 9
ſcripſit Euangelium cum Paulo agens. 115
illud pro Gentilibus ſcripſit. 932
undenam aſſecutus fuerit omnia quæ in eo dicuntur. 685
an omnia ſcripſerit quæ fecit Jeſus. 749
Lucem majorem luce Legis non norunt Judæi. 600
Lucernæ quare & quot accenſæ in feſto Encæniorum. 645
Luciani Epiſtola circa Gamalielem adulterata & conficta. 777
Lucius Cyrenenſis an non fuerit Lucas Euangeliſta. 73
Luctûs Judæorum ſigna. 28
tres primi dies erant ſeveriores. 649
quid in illis prohibitum. ibid.
quid in ſeptem prioribus diebus prohibitum. ibid.
quid in triginta primis diebus prohibitum. ibid.
Luctus pro demortuo à Scholis Judaicis duplex ſtatuitur. 311
in ſepultura damnatorum apud Judæos non erat niſi in corde. 719
Lucum quomodò Abraham plantavit in Beerſheba. 714
Lugendi ritus apud Judæos. 648
Lugens apud Judæos ſub pejore conditione quam Excommunicatus. 891
ob demortuum à multis abſtinere debebat. 311
prohibetur, ut & filii, & ſervi, & jumenta, opus ſuum facere. ibid.
ſedet ſummus. 648
circa eum quare Moſes non dederit traditionem Judæis. 641
Lugentes erant in Atrio Gentium. 192
quare ſepties ſtabant & ſedebant cum redirent à ſepulcro. 648
Lugere apertè productos ad ſupplicium Judæis non licuit. 386
Luminaria in cœlis obſcurata ſæpius ſignificant ecclypſin Imperii, & deteriorem Reſpublica ſtatum. 122
Luminum titulis inſignire ſolent Judæi Rabbinos ſuos & Doctores ſuos. 635
Luporum rapacitas deſcribitur apud Judæos. 305
Lux futurum nomen Meſſiæ dicunt Rabbini. 635
Luz oſſiculum in ſpina dorſi eſt ſecundum Judæos origo & ſemen reſurrectionis. 649
Lydda vicus. 182
poſt Jabnen & Bitteram apud Judæos primas tulit. 145
habet Synhedrium. 70
& Lodicea eſt eadem civitas. 426
eadem videtur cum Lod in Tribu Benjamitica. 833

M

Macello (in) carnem coemere quouſque licuit Judæo. 906
Machærunte caſtello fuit incarceratus Joannes Baptiſta. 582
hoc caſtellum fuit ultimus terminus terræ Iſraëliticæ verſus Moabitim. 583
Macpelah ſepulcretum juxta Hebronem quare ſic dictum. 207
Macro vir nequam in quantum poſſet, Tiberio Cæſari charus. 819
uxorem ſuam Cajo Imperatori in nuptias conceſſit. 820
Mactatio ſacrificiorum per quemlibet ritè fiebat. 535
מאר quid denotet. 522
Magdala civitas. 226
ejus ſitus. 413
Zebaim deſtructa eſt propter adulteria. 652
Magdalam & Hieroſolymam parum diſtitiſſe oſtenditur. ibid.
Magi quinam. 4
illi cùm venerint quot annorum fuerit Chriſtus. ibid.
ex qua natione fuerint. 258
quid illa vox in Sacris ſemper ſignificet. ibid.
Magiæ ſtudium quo tempore præcipuè in uſu apud Judæos. 147
Magicis artibus ſub Templo ſecundo præter modum dedita erat Gens Judaica. 276
Magiſtri lectionis textualis eorumque officium apud Judæos. 522
doctrinæ Miſhnicæ. ibid.
Thalmudis eorumque officium. ibid.
Magiſtros præſentes quomodo Judæi alloqui fuerint ſoliti. 554
Magog locus in Cœloſyria. 133
Magorum vox ſemper pro veneficis & malis artibus deditis venit in Sacra Scriptura. 258
Malachiam fuiſſe Ezram opinantur Judæi. 273
inter illum & Meſſiam ullum Prophetam non expectarunt Judæi. 601
Malchus nomen uſitatiſſimum inter Judæos. 667
Maledictiones quare Iſraëlis ſingulatim denuntiatæ à monte, at benedictiones non ita. 282
quomodò ab Iſraëlitis pronuntiatæ. 20
Μαμμωνᾶ ἀδικίας dicuntur etiam divitiæ benè partæ. 543
iniquitatis quid. ibid.
Manaen quiſnam. 73
Manaſſem occidiſſe Eſajam ut videtur non improbant Gemariſtæ. 657
Manducatio Meſſiæ quid ſignificet apud Judæos. 627
Manipulos colligarunt Jerichuntini ante oblatum manipulum, & quare. 216
Manipulus hordei primitialis è Judæa ſolummodò petendus. 176
primitialis undenam demeſſus fuerit. 199

non

Digitized by Google

non adducebatur niſi à loco qui eſt prope Hieroſolymam. 211, 587
at ſi ibi non matureſceret à loco quovis adduci potuit. 587
quo die feſti fuerit oblatus. 692
Manna inter dapes Meſſiæ expectant Judæi. 625
Manus quare lavabant Judæi quando veniebant à mortuo. 923
Manuum impoſitione collata linguarum & Prophetiæ dona. 135
earum lotio apud Judæos perquam neceſſaria. 31
Maphtir quiſnam apud Judæos. 13
Mappa ad oſtium expanſa quid ſignificaret apud Judæos. 237
eo tempore itinerantes eam domum intrabant. ibid.
Maran atha quare non interpretetur Paulus. 87
quid ſignificaverit apud Judæos. ibid.
an ſit forma Excommunicationis. 728
vox hæc non invenitur apud Thalmudicos vel Rabbinicos. ibid.
Marcus ſcripſit Euangelium cum Petro agens. 115
præ reliquis Euangeliſtis accuratius temporis ordinem & narrationis ſeriem ſervat. ibid.
ſcripſit pro Judæis extra terram Iſraëliticam. 932
quare receſſerit à Paulo & Barnaba. 884
Mardochæus ſecundum Judæos callebat linguas ſeptuaginta gentium 917
Mare arenoſum. 172
algoſum. ibid.
Apamiæ. ibid.
Sodomiticum. 173
in eo nemo potuit ſubmergi. 342
Tiberiadis proprium erat Tribui Nephthaliticæ. 278
ſed tamen in eo piſcari cuivis licuit. ibid.
Jonium quouſque ſe extenderit. 582
Mare ſtilo Prophetico multitudinem populi ſonat. 121
Mari in Mediterraneo intra triduum ante Sabbatum navigare Judæis non licuit. 176
Maria ſeptem ambiunt terram Iſraëliticam. 172
Maria quare ad Elizabetham profecta ſit. 2
aliquomodo cum Thamare conferri poteſt. 3
Maria Magdalena fuit ſoror Lazari. 23, 388, 652
unde Magdalena. 23, 388
cùm amplexabatur pedes Chriſti quid intenderit. 678
quo die unxerit pedes Chriſti. 760
ejus aſſumptio quo anno ſecundum Pontificios contigerit. 810
cùm Chriſtus moreretur jam erat vidua. 57
martyrio defuncta. 498, 756
Mariæ virginis peccatum. 25
Maricus quidam vir infimæ plebis tempore Vitellii ſe Deum eſſe ſimulat. 137
Martha nomen muliebre frequentiſſime occurrit apud Thalmudicos. 647
Maſoretharum cura circa Scripturam. 149
Μαθητεύειν quid apud Judæos ſignificet. 61
Matrem Chriſti ſe curaturum jam ante paſſionem videtur Joannes promiſiſſe. 450
Matres legitimæ Sacerdotum quænam fuerint. 230
Matrimonium inter præcepta Judaica. 87
quo prætextu aliqui prohibuerunt. 901
quinam prohibuerint in œconomia Judaica. 733
intra gradus prohibitos fornicationem vocabant Judæi. 734
id adeò adverſabantur illi, ut nonnullas adjudicarent morti. ibid.
contrahere poterat Gentilis cum quovis. Vide Gentilis.
Matthæi Genealogia & Lucæ non in eundem finem inſtituuntur. 9
Matthæus quiſnam fuerit ante vocationem. 17
primus Euangelium ſcripſit. 18
ſcripſit pro Judæis intra terram Iſraeliticam. 932
declarat Chriſtum ut ſemen Davidis. 250
quanam lingua Euangelium ſuum ſcripſerit. 252
Matthiæ in electionem ad Apoſtolatum animadverſiones. 758
Matutino tempore Sabbati. Vide Sabbatum.
Mea quanti valebat apud Judæos. 289
Medicus quidam ſemper ſtatutus erat in Templo. 516
Mel diſtillans à palmis & à ficubus. 404
ſilveſtre quale vocetur. ibid.
Melchiſedek quare panem & vinum Abrahamo obtulerit. 427
Melita inſula ubinam. 740
undenam nomen fuerit ſortita. 741
ejus incolæ quare dicantur barbari. ibid.
ejus civitates. 740
ejus diſtantia à Lilybæa. 741
fuit olim ſub ditione Carthaginenſium, à quibus forſan illud nomen habuit. ibid.
Menahem Propheta Herodi adhuc puero regnum prædicit. 725
ejus laus. 6
Mendæ quot in aliqua parte Bibliorum deleebant eſſe, ex quo nefas eſſet apud Judæos eam partem Bibliorum verſari. 150
Mendicantium uſitata verba apud Judæos. 640
Menſa ordinaria Phariſæorum. 649
Menſæ quales eſſent, quibus miniſtrandis ordinabantur Diaconi. 788
Menſarum diverſitas apud Judæos. 659
Menſes tres erat ſpatium quo detegebant Judæi an fœmina eſſet gravida. 493
Menſuræ quibus Thalmudici ſolent uti. 421
omnes in Templo erant accumulatæ præter unam Summi Pontificis. 514
quare illa non fuerit accumulata. ibid.
Mereri quid apud Patres ſignificet. 778
Meribah & Cadesh Barnea una eademque civitas. 175
Meroë Caput regni Æthiopici. 721
Merom aqua eſt lacus Samochonitis. 221
Merſionem manuum inter & lotionem diſtinguebant Judæi. 445

Digitized by Google

Meſſiæ tempus malè audit apud Thalmudiſtas. 106
- temporibus ſex civitatibus refugii adhuc tres addendas ſomniant Judæi, & ubinam. 288
- de modo ortûs plurimum cæcutit Gens Judaica. 261
- ad adventum immutandam rerum faciem credebant Judæi. 268
- tempora Prophetæ ut mundum novum deſcribunt. ibid.
- adventus duplex ſtatuitur pro ratione fidei à Judæis. 349
- de adventu doctrina Judaica. 364
- adventus eſt initium mundi futuri. 435
- præcipuum officium ſecundum Judæos, non eſt doctrina, ſed reductio Captivitatis Iſraëlis. 502
- duplicem manifeſtationem concipiunt Judæi. 630
- primam in Bethlebema, in qua nihil memorabile ab eo peragendum. ibid.
- ſecundam è loco omnibus penitus ignoto, in qua iſtius Gentis expectatio. ibid.
- in diebus ſecundum Judæos non erit meritum vel demeritum. 639
- manifeſtatio & excidium Templi quod parum diſtarent credebant Judæi. 650
- maximum opus ſecundum expectationem Judæorum quid ſit. 651
- tempus & annos definiunt Judæorum Magiſtri. 656
- vox an reperiatur in Libris Moſis. 616
- nomen quomodo apud Samaritanos innotuerit. 618
- cognitionem ex Lege & Prophetis ſub Templo primo expiſcare erat res ardua. 661
- perſonam & officium ignorarunt Judæi, ſed non quod Jeſus eſſet Meſſias. 702
- Regnum. Vide *Regnum*.

Meſſias Hebrone conceptus. 2
- aderit ſecundum Judæos, ſi reſipuerit Iſraël vel uno die. 262
- & Filius Dei convertuntur, ipſis fatentibus Judæis. 388, 622
- quare à ſeipſo non poſſit operari. 622
- ſecundum Judæos vivificabit dormientes in pulvere. 924
- ne agnoſcatur genuinus Filius Dei cavent Judæi. 729
- quo die hebdomadæ venturus ſit diſputatur apud Judæos. 339
- Ben Joſeph ſecundum Judæos eſt occidendus. 687
- an ſolus ſit regnaturus, an verò aliquos Reges vel poſt, vel ſub ſe ſit ſubſtituturus. ibid.
- eum futurum unum de mortuis ſupponunt Traditiones. ibid.
- Vide *Figmentum de Meſſia*.

Meſſias falſos aut omninò non, aut vix reperies ante adventum veri Meſſiæ. 644
- quare tunc temporis nullus eò impudentiæ aſcenderit, cum poſtea quamplurimi fuerint. ibid.

Meſſiis de duobus quid ſentiendum. 687
- quinam illi duo fuerint, & quomodo nominati. ibid.
- an illi ſimul ſunt regnaturi, & ubinam. ibid.
- an verò ſucceſſivè. ibid.

Meſſiam ſolummodò Iſraëlitas redempturum Judæi credebant. 12
- nulla miracula editurum dicebant. 25
- ſecularem pompam introducturum falſò credebant. 132
- in Monte Oliveto plurimum verſaturum credunt. 201
- vocare Filium Davidis ſolebant omnes Judæi. 248
- Ben Joſeph quare poſtea ab illis excogitatus. ibid.
- fuiſſe natum ante ſua tempora confitentur Gemariſtæ. 257
- non diu ante excidium Hieroſolymæ naſcendum fatentur Judæi. 274
- novam Legem editurum credebant. 282
- Chriſtum non eſſe Meſſiam dicebant, quia dogmata ſolvebat traditionalia. ibid.
- potius è mortuis, quam è vivis futurum credebant. 335
- producturum aquam credunt, ſicut Moſes. 632
- oriundum è Tribu Judæ an ex Libris Moſis probari poſſit. 720
- cum Judæis redintegratis Hieroſolymis, & terræ Canaanææ reducibus viſibili modo habitaturum credunt Judæi. 751
- nihil rituum Moſaicorum immutaturum credebant. 912

Meſſio manipuli primitialis quando & quomodo facienda. 676
- hoc opus pellit Sabbatum. ibid.
- ſed tamen cum aliqua differentia meſſionis. ibid.

Meſſis initium apud Judæos à Sacerdotum Templique Præfectorum juſſu pendebat. 127
- hordeaceæ initium erat à medio menſis Niſan. 618

Metallica vaſa. Vide *Vaſa*.

Metallofodinis inſigniter nobilitata erat terra Iſraëlitica. 239

Metere non licuit Judæis niſi ſecundum regulam traditionalem. 239

Μετεμψύχωσιν quomodo crediderint Judæi. 638

Methodus divinæ inſtitutionis apud Iſraëlitas. 238

Michael & Angelus mortis diſſertantes de tranſlatione Moſis animæ referunt Thalmudici. 117
- illius hiſtoria contendentis cum Diabolo de corpore Moſis à Juda Apoſtolo non narratur ut indubitatè vera. 507
- eum nuptiis Adami & Evæ interfuiſſe ſomniant Judæi. 605

מקרא quid ſit. 521

Middim Joſ. 15:62, LXX. Interpretes vertunt Ἀινών. 581

Middoth Tractatus & Gemara Babylonica in Conclavibus in Atrio Templi diſponendis variant. 194

מדרש quid vocare ſoleant Judæi. 521

Migdal Eder fuit pluribus locis. 411

Migra-

Migratio Synbedrii è Templo ad Tabernas, atque à Tabernis in Hieroſolymam. 700
Millenarii ſpatio ſolent Judæi tempora Meſſiæ deſcribere. 131
Millia quot hominum ob Baal Peorem perierint. 904
Milliare Judaicum conſtitit ex ſeptem ſtadiis & ſemi. 647
Milliaria Thalmudicorum. 421
Millo. 189
כוכחן *quinam dicebantur in Conſeſſu judiciali Judæorum.* 895
מיכרא *quid apud Targumiſtas ſoleat ſignificare.* 599
Mincha magna quænam ſit. 697
  parva quænam. ibid.
  Gedola quale tempus orandi fuerit apud Rabbinos. 835
Miniſter publicus in qualibet Synagoga, ejuſque officium. 279
  non ipſe legit Legem, ſed alios ad legendum evocabat. ibid.
  in tecto domus excelſæ ſexies tubâ canebat, ut de introitu Sabbati cognoſcerent. 316
  erat cuſtos Librorum Sacrorum. 509
Miniſteria varia reliquit Chriſtus in Eccleſia. 796
  hæc omnia non debebant in perpetuum manere. ibid.
Miniſterium Eccleſiæ Euangelicæ ubi conſtitutum. 20
  Eccleſiæ Iſraëliticæ non conſiſtebat in Prophetis, ſed in Sacerdotibus & Levitis. 238
Miniſtri quomodo ſegregandi. 74
  Circumciſionis tres inter Apoſtolos. 114
  multi circa Altare occupati. 903
Miniſtrorum officium in Eccleſia primitiva. 97
Miracula ſemper prædicabant Rabbini. 197
  facta die mortis R. Jehudah. 229
  Judæi rebelles non debebant expectare. 325
  quomodo operatus fuerit Chriſtus. 456
Miraculorum dona etiam Diſcipulis Joannis conceſſa. 448
Miriami fontis vim ſanatricem adſcribunt Judæi. 621
Miſcna plurimum contulit obduratæ Judæorum mentis perpetuandæ. 148
  quid vocare ſoleant Judæi. 521
  eam R. Jehuda congeſſit. 195
  quo tempore illud factum incertum eſt. ibid.
  ejus Interpretes Gemariſtæ. ibid.
  Hieroſolymitanam inter & Babylonicam unde natæ differentiæ. 229
Miſnajoth compoſuit & in unum volumen compegit R. Jehuda. 229
Miſſa malè à Pontificiis adſtructa. 74
Mizaar mons, ejuſque ſitus. 583
ממונה *ejuſque officium apud Judæos.* 502
  eſt idem qui סגן 667
Mnaſon quomodo dicatur in Actis antiquus Diſcipulus. 486
Modi varii quo Deus olim mentem ſuam revelabat Prophetis. 835
Modus accubitûs uſitatus apud Hebræos. 659
  apud Romanos. ibid.
Molam collo appenſam habere adagium Judæorum. 550
Molechus & Baal Peor an ſint idem idolum. 715
  & Rempham an non fuerint duo. ibid.
  quiſnam & qualis fuerit hic Deus. ibid.
  Æneus exiſtens habuit faciem vitulinam, manus expanſas inſtar hominis manus aperientis, ut aliquid ab aliquo accipiat. 716
  ejus ſacrificia deſcribuntur. ibid.
  an ſint ad imitationem Abrahami. ibid.
  an Iſraëlitæ tale quid actitarint in eremo. ibid.
  quando ejus tabernaculum bajularint non adeo facile eſt determinare. 791
  fuit Ammonitarum idolum. 792
  ejus effigies cultuſque deſcribuntur. ibid.
  hinc fuit dictum Topheth. ibid.
  Milcbom & Malcham idem ſignificant. ibid.
  ſæpius dicitur Baal. ibid.
Momentum quantum temporis ſit ſecundum Rabbinos. 508
Monarchia quinta quænam fuerit. 255, 780
  Babylonica inchoata. 255
  RoKana inchoata. ibid.
Monarchiæ quatuor quænam. 263
  ante adventum Chriſti finem ſortitæ ſunt. 3, 126
  quinque. 3
Monoceros non intravit in Arcam juxta Rabbinos. 413
Mons regalis. 178
  igneſcens Imperium Babylonicum. 121
  Olivetus. Vide *Olivetus.*
  Hor. Vide *Hor.*
  Nivis vocatur Hermon. 220
  Templi ſecundum Judæos erant Caſtra Levitarum. 718
  quomodo eum ingredi non licuit. 314
  eum cum calceis ingredi cuiquam non licuit. 408
  nec cum nummis ligatis in ſindone ſua. 698
  nec cum crumena à tergo appenſa. ibid.
Monumenta publica proſapiarum fuere apud Judæos poſt captivitatem Babylonicam. 247
מפלה *quid Thalmudicis.* 922
Morbi aliqui Sabbato curari non debuerunt. 322
Morbos infantum inuſitatos Judæi tribuebant peccato parentum. 39
  graviores tribuebant malis ſpiritibus. 340
Morbus quidam à Judæis pro obſeſſione Dæmonis reputatus. 33
Mordechæus apud Thalmudicos vocatur aliquis peritus linguarum & ſignorum. 491
Mori per dormire exprimere vulgatiſſimum erat apud Judæos. 311
Moriah mons. 191
Mors à Rabbinis per artes magicas aliquibus prædicta. 367
  ei adjudicare duos eodem die Judæis non licuit. 385
  ſecunda phraſiuncula eſt Judæis uſitatiſſima. 132
  omnis, cujus eſt mentio in Lege ſimpliciter, non alia erat apud Judæos quam ſtrangulatio. 634

Chriſti non fuit pœna peccati, ſed ſummus apex obedientiæ. 695
qualis apud Judæos Angelo mortis adſcripta. 905
Mortarium æneum cui uſui in Templo. 198
Mortes quatuor à Synhedrio inflictas credunt Judæi non ceſſaſſe cum Synhedrio. 741
quomodo executæ. ibid.
Mortui quare Hebrone ſepulti. 207
Mortuos omnes ſuſcitandos intra montem Oliveti *Rabbinorum opinio eſt.* 201
Babylonis quomodo Judæi plangere ſolebant. 223
eorum reſurrectio negabatur in diebus Ezræ. 273
quomodo a Judæis probetur contra Sadducæos. 617
plangere ſummi officii erat apud Judæos. 311
ſuſpendebant Judæi, non vivos. 386
quoſnam vocare ſolebant. 518
Morti tradere quid in Euangelio. 59
Mortis genera nongenta & tria creata ſunt in mundo juxta Thalmudicos. 313
Mortuum cadaver vel unâ nocte intra muros Hieroſolymitanos quieſcere nefas erat. 141
ſepelire intra terminos ſuburbanorum Levitarum non licuit, & quare. 238
præcepti qualeſnam Judæi vocare ſolebant. 564
Mortuus per triduum cognoſcitur, poſteà vultus immutatur. 43
præcepti fuit Chriſtus ſecundum Judæos. 564
quo dedecoroſius cum eo actum, eo magis pro eo expiatum. ibid.
משיך *quiſnam dicebatur apud Judæos.* 899
משוהררים *quinam dicebantur apud Judæos.* 708
Moſes primus Judæorum Propheta. 33
& Elias quare in transfiguratione Chriſti. ibid.
per nubem ſanctificatus dicitur à Judæis. 87
ter quadraginta dies jejunio peregit. 508
cum venturum cum Elia, cum Elias advenerit, fingunt Judæi. 517
ipſum etiam à Pythoniſſa cum Samuele excitatum credunt. ibid.
ſecundum illos habuit decem nomina. 531
in quali veſtitu miniſtraverit. 563
quare futuram non habuerint veſtes ejus. ibid.
an ſcripſerit totum Pentateuchum. 568
an aliqui iſtorum Librorum ſcripti ſint illius calamo. ibid.
dedit Circumciſionem Iſraëli, ut dignoſcerent naturam Sabbati. 629
ejus Diſcipuli quinam fuerint. 641
fuit iratus de tribus rebus, & abſcondita eſt ab eo traditio. ibid.
habuit velum ſolum ſuum ſub Templo primo. 661
dupliciter ſub ſecundo. ibid.
inter ejus & Samuelis tempora rariores erant Prophetæ. ibid.
quot annos miniſtravit Iſraëli. 714
donatus fuit Spiritu Prophetiæ in aula Pharaonis. ibid.
fuit conceptus cum mater annum ætatis ſuæ ageret centeſimum & trigeſimum. ibid.
fuit natus abſque dolore matris. ibid.
ejus Libros quare Sadducæi ſolum admiſerint. 738
fuit quadraginta annos in deſerto. 791
quadraginta annos in aula Pharaonis. 714, 791
quadraginta annos apud Midianitas. 791
ejus Lex Templo nondum ſubverſo quodammodo ſubſiſtere debuit. 768
מצוה & הורה *quomodo apud Judæos differebant.* 453
Mulctæ quinque ſolvebantur pro injuriis diverſis. 294
Mulier peccatrix qualiſnam dicebatur apud Judæos. 515
Mulieres quædam gravidæ in Atriis ſupra petram ædificatis adductæ ut ibi parerent, & quare. 197
Mulieris calcaneum aſpicere, idem reputabatur apud Judæos, ac ejus uterum aſpicere. 289
caput qui denudabat in publico, tenebatur ei dare quadringentos Zuzæos juxta Thalmudicos. 294
Mulierum Atrium quare ſic vocetur. 407
Mundi apud Judæos ad latera ædium in plateis ibant. 140
diebus feſtis contrà. ibid.
Mundities ſumma requirebatur ad aſpergendum aquâ purificativâ. 197
Mundum futurum vocabant Judæi tempora Meſſiæ. 364
Mundus, quid Judæi per illum intelligebant. 12, 611
vetus vocatur Judaica Politia in S. Literis. 114
ſecundum Judæos duraturus eſt per ſex mille annos. 258
frequentiſſimè in Sacris ſumitur pro mundo Ethnico. 534
eum renovandum ſub adventu Meſſiæ ſomniarunt Judæi. 601
de quo primariò à Spiritu Sancto fuit erudiendus. 666
à creatione mundi ad diluvium quot anni. 753
Muri omnes Atrii erant alti, excepto Orientali. 453
Myſterium magnum Euangelii. 665
Dei eſt electorum vocatio. 123

N.

N*Aim an fuerit juxta Thabor.* 477
in Iſſacharitide. ibid.
Nais ubinam. 22
נאמן *apud Judæorum Juriſtas denotat talem cujus verbum & teſtimonium in re quavis acceptandum & approbandum.* 630
Napſik (per) Samaritana Verſio intelligit Peluſium. 585
Nardus quibus conſtet. 456
נשים *quare vocentur mulieres.* 757
Natalitia celebrata partem cultûs idololatrici ducunt Scholæ Judaicæ. 328
Nathaniel unus Diſcipulorum Chriſti idem qui Bartholomæus. 312
Nationes mundi quinam ſint dicti apud Thalmudicos. 611

Digitized by Google

à Meſſia vaſtandas & conculcandas eſſe docent Judæi. ibid.
traditas fuiſſe regimini Angelorum tradunt Rabbini. 656
Navet Judæorum ubinam. 593
Nazareth ejuſque ſitus. 578
quomodo ſcribendum ſit. ibid.
Nazarethæ vixit Chriſtus viginti ſex aut ſeptem annos. 277
נזיפה *quomodo apud Judæos fuerit peracta.* Vide *Increpatio.*
נזיר *quid ſignificet apud Hebræos.* 261
Naziræatum aſſumebant innumeri apud Judæos proprio voto. 492
Naziræo quare tam ſeverè probibeatur totalis uſus vitis. 490
Naziræorum Atrium in Templo. 193
Νεανίας *an meram adoleſcentiam denotet, an verò etiam ſtrenuitatem.* 719
Neapolis olim Sichem. 212
Necro Corinthium quid. 881
Necromantes quinam apud Judæos dicebatur. 312
Negotiatio Judæo cum Ethnico eſt permiſſa ſub aliquibus conditionibus. 892
Nemeſis divina in Judæos lata quadrat cum criminibus eorum. 750
Nero Cæſar quando regnum ſuum auſpicatus eſt. 750
quot annos & menſes regnaverit. ibid.
quando matrem occiderit. 98
ſua manu quare necem præcipitaverit. 137
in eo Cæſarum ſtirps prorſus extincta eſt. ibid.
regni ejus initium. 113
Nicanoris porta, alias Orientalis porta Atrii Iſraëlis. 193
de ea editum eſſe miraculum, ideoque non eſt de ære in aurum mutatum. 194
Dies quid in Calendario Judaico ſignificet. ibid.
Nicodemi nomen undenam à Judæis deductum. 608
numeratur inter tres locupletiſſimos Judæorum cùm Titus obſideret Hieroſolymam. 609
Nicodemo aquarum cura demandata erat. 119
Nicodemus quiſnam. 11
Nicolaitarum Doctrina. 91, 111, 733
Secta undenam nomen & fœdam ſuam doctrinam traxerit. 708
quid ſenſerit de libertate Chriſtiana. 781
originem habet à Nicolao. 896
Nicopoli videtur ſcripta Epiſtola ad Titum. 92
נידוי *erat Excommunicatio in triginta dies.* 890
ניחא & קשיא *diſtinctio valde uſitata apud Judæorum Scholaſticos.* 438
Niſan menſis celebris. 7
Nitſots porta & camera in Templo ubi & cui uſui. 195
Nives occurrere poterant tempore Paſchatis Hieroſolymæ ſecundum ſuppoſitionem Judæorum. 669
Nivis Mons eſt Hermon. 220
Noah ſacrificavit eodem loco quo poſtea David in area Araunæ. 192
Noba ſita in Benjamitide. 203
Tabernaculum Dei aliquo tempore ibi reſedit. 203
Nocte judicare de capite non licuit. 383
Noctes in tres partes dividebant Judæi. 330
Noctu aliquem accuſare illicitum erat apud Judæos. 63
Nomen hoc vel illud inditum filiis apud Judæos ob varias rationes. 494
Νόμικος *quinam ſic vocetur in Novo Teſtamento.* 502
an ſit idem qui Νομοδιδάσκαλος. ibid. 530
erant oppoſiti Sadducæis. 530
Nomina dare Filiis quando ſolebant Judæi. 494
Meſſiæ apud Scriptores Hebræos. 662
an ſignificent perſonas abſque ſexuum diſcriminatione. 757
magnam habere efficaciam credebant Judæi. 773
Nona hora Judæorum erat hora ordinaria ut ſacrificii ſic etiam orationii. 697
Noſſe pro agnoſcere non inuſitatum eſt in Sacris Paginis. 736
Nova adducere ſuſpectioni obnoxium. 246
Novilunia accuratiſſimè obſervavit R. Gamaliel. 142
quomodo ſint ſignificata iis qui fuerunt in Captivitate. 201
Novilunii determinatio pertinuit ad Synhedrium. 372
teſtimonium ejuſque Φάσιν *non recipiebant Patres niſi à Synhedrio.* 635
Noviſſimæ dies quænam in ſacris dicantur. 557
Novum cælum, nova creatio. Vide *Cælum, Creatio.*
Nox quæ ſanctificatur in feſtum tenetur ad hymnum. 459
quomodo ab Hebræis vocetur Lux. 565
Nubes præcurrens Iſraëlem in deſerto ad deprimendos colles & elevandas valles. 502
Nuces ſpargere erat teſtimonium virginis nuptæ apud Rabbinos. 456
Nudus incedere in platea ſecundum Rabbinos execrabile coram Deo. 741
Numeri paritate aliqua ſe contingentes ad unum reducere ſolent Judæi. 250
Numerus Judæorum confluentium ad Paſcha. 653
Nummi Decimarum in feſtis quid cum illis agebant. 408
Nummo Cæſaris effigie impreſſo lupanaria ingredi morte piandum erat tempore Tiberii. 804
Nummularii quomodo in Templo. 11
Nummus Cozbenſis Hieroſolymitanus qualis fuerit. 452
Judæorum quibus effigiebus inſignitus. 453
Nuptiæ Judæorum. 10
inter gradus prohibitos vocantur fornicatio. 78
non erant abſque prævia deſponſatione. 368
quomodo apud Judæos celebratæ. 604
Nuptiarum tempore hilaritas Judæorum. 310
Nuptias intra aliquod feſtum adhibere prohibuerunt Magiſtri. 605
Nuptiis intereſſe habebatur apud Judæos inter opera miſericordiæ. 368
Nutans capite lugens indicat ſe conſolare ſeipſum ut recedant conſolatores. 648

Digitized by Google

O

OBlatio aſcendens & deſcendens quid ſignificet apud Thalmudicos. 498
Judæorum per totum octiduum feſti Scenopegiæ. 628
Oblationis porta in Templo ubi & cui uſui. 195
Obligationes patris in educatione filii ſecundum Judæos 444
Occiſio per gladium inter Judæos gravior quam ſtrangulatio. 724
Octavus dies feſti Scenopegiæ an fuerit maximus ex inſtitutione divina. 631
non erat incluſus intra feſtum, ſed feſtum per ſe ſeparatim. ibid.
ejus ſolennia & ritus. ibid.
Oculus malus quid ſignificaverit apud Judæos. 147
bonus Judæis idem eſt ac animus benignus. 304
malus idem ac animus avarus. ibid.
non ſimplex vel malus quid apud Judæos ſignificaverit. 527
Odia inter Scholam Shammæanam & Hillelianam. 317
Odium Judæorum contra Samaritanos. 614
Oeconomia nova in Eccleſia poſt Hieroſolymam deſtructam. 138
Offerre de pecoribus communibus majus erat, quam de Decimis aut primogenitis. 464
Officiarium Dei vocabant Judæi Summum Pontificem. 722
populi, Præſidem Synhedrii. ibid.
Οἶνον καὶ σίκερα quomodo differant. 490
Olera recipere in exitu ſeptimi anni quidam Rabbi permiſit, & qua de cauſa. 237
Oleum aromatibus conditum capiti illinere ſolitum erat apud Judæos. 375
Oliveti diſtantia ab Hieroſolymis erat quinque ſtadiorum. 688
Olivetus mons. 200
multa tam in Scripturis quam apud Thalmudicos induit nomina. 199
Oneirocritici permulti apud Judæos. 147
Onias conſtruxit Templum in Ægypto ſumptuoſum. 4, 260, 615
quis & qualiſnam ille fuerit. 615
Ono ubinam fuerit ſita. 426
'Ονόματα (per) quare Græci mares deſignare ſolebant. 757
Operariis merces ſua debuit dari tempore ſuo, neque potuit detineri. 348
apud Judæos comedere licuit de iis rebus in quibus operantur. 625
Opes ſeducentium quando inter Judæos redigebantur in fiſcum. 724
Oppidum Maſculorum. 178
Ophla ſive Ophel. 191
'Οψὲ totam noctem denotat. 389
quid ſonet apud Autores Græcos. 759
Opus Chriſti peragendum pro Patre in terris erat varium. 665
præcipuum & à quo pendebant omnia reliqua erat ut perſolveret juſtitiam obedientialem Deo. ibid.
Ora Septentrionalis Galilææ deſcripta. 219
Orabant Judæi in plateis & quando. 299
Oraculum Carmeli Dei conſultum à Veſpaſiano. 217
'Ωραία quid Actor. 3: 2. 193
Orare in Synagogis amabant Judæi. 298
Deum dicunt Judæi. 513
& quidnam. ibid.
non ſupplicatorie ſed autoritative. 513
quomodo Joannes Baptiſta docuerit ſuos Diſcipulos. 525
ſemper debent Judæi velato capite. 906
Spiritu quid ſit Apoſtolo. 920
Orarunt omnes fideles in nomine Meſſiæ. 666
Oratio Dominica eſt forma precationum. 38
an à nullis fundenda niſi à revera fideli. 301
bis à Servatore tradita. 303
quare illud factum. ibid.
non ſolummodo à Sanctis debet uſurpari. 38
veſpertina apud Judæos an à ſingulis neceſſario perſolvenda. 142
in qua non eſt mentio regni Dei juxta Thalmudicos non eſt Oratio. 302
veſpertina cujus qualitatis, arbitrariæ an ex officio diſputabant Judæi. 501
matutina eſt uſque ad horam quartam. 697
Minchæ eſt uſque ad veſperam. ibid.
Oratione (In) quænam circumſtantiæ requirantur à Judæis. 298
Orationem multiplicans ſecundum Judæos auditur. 300
Dominicam qua autoritate nos noſtris ſubjungimus. 301
Orationes omnes in Synagoga non damnavit Chriſtus. 299
perſuaſum Judæis erat Orationes Synagogæ certò eſſe exauditas. ibid.
ſtatas habebant Judæi numero octodecim. 300
quando primum in ordinem redactæ. ibid.
Epitome iſtarum Orationum. ibid.
numero plurali etiam cum eſſent ſoli, Judæi proferebant. 301
fundere ſilenter tempore ſacrificii jugis debebant Judæi. 490
Judæorum quotidianæ & ordinariæ conſiſtebant in benedictionibus. 525
jejunii quales. ibid.
quotidianæ apud Judæos quare ſint octodecim. 729
publicæ in Synagogis fuſæ ſunt Hebraicè. 919
Orationum formam diverſam ab Orationibus Judaicis docuit Baptiſta diſcipulos. 525
Orbis terrarum dimenſio per Jul. Cæſarem quo tempore abſoluta. 495
quid ab emenſoribus iſtis ſit peractum. ibid.
Orbo civitas fuiſſe dicitur prope Bethſheanem. 420
Ordinatio Presbyterorum. Vide Presbyteri.
Ordo miniſterii quotidiani Sacerdotum. 488
Hiſtoriæ in Scriptura non neceſſario determinat de tempore Hiſtoriæ. 711
Hierarchicus. Vide Hierarchicus.

Oriens

Oriens quidnam ordinariè ſignificet in Sacrâ Scripturâ. 258
Orontis fluvius undenam nomen ſuum deducat. 474
Os Paſchatis ſi quis fregerat apud Judæos, vapulabat quadraginta plagis. 677
debebat comburi die decimo ſexto. ibid.
at ſi Sabbatum in hunc diem, tum comburebatur ſequenti. ibid.
Oſcula omnia dicunt Judæi eſſe oſcula fatuitatis præter tria. 562
Oſculari Diſcipulum Magiſtro erat uſitatum apud Judæos. 382
caput ſignum ultimi amoris apud Judæos. 450
Oſſa fugitivi ſi in civitate refugii moreretur ſuis reddebantur poſt mortem Pontificis. 208
duodecim Patriacharum relata eſſe ex Ægypto in Canaanitidem receptum eſt vulgo inter Judæos. 712, 790
Oſtium in omni tecto habebant Judæi. 438
Otho Cæſar quot dies regnaverit. 750
breve imperium ejusque mors. 137
Ovilia Judæorum duo habebant oſtia. 643
quem in uſum. ibid.

P.

Pacificatio inter vicinos quanti apud Judæos habeatur. 282
Pacis ergo Magiſtri quædam permittebant alias prohibita. 734
Pædobaptiſmus quare nobis nec præcepto nec exemplo ſit commendatus. 8
probatur. 63, 114
notus in Eccleſia Judaica. 267
à Chriſto Eccleſiæ Novi Teſtamenti non debuit rurſus præcipi. ibid.
Vide *Baptiſmus infantum.*
Pagida rivus ſive Belus vitri fertilis. 217
פאר *quid dicebatur apud Judæos.* 624
Palæſtina dividitur in tres regiones, Judæam, Galilæam, & transjordanem. 140
prima, ſecunda, tertia quæ eſt ſalutaris. 399
ſalutaris quare ſic fuerit dicta. 400
Palmarum civitas quare Hiericho vocetur. 205
Palus Cendevia. 217
Pamias & Apamia ſunt diverſa loca & longè diſſita à ſe invicem. 221
Paneas fons Jordanis. 220
Panis in Cœna Paſchali apud Judæos ante benedictionem debuit frangi. 379
ſæpius apud Scriptores Judaicos ſumitur pro doctrina. 626
fractio. Vide *Fractio.*
Papatus ſub quinta tuba exoritur. 122
vincula Satanæ ſolvit. 133
Papiæ nomen apud Thalmudicos. 148
quiſnam fuerit. 149
Papus & Lolienus. Vide *Lolienus.*
Parabolis Chriſtus utitur more Judæorum. 25
quare ſemper utatur Chriſtus. 326
Paraboliſmus Judæorum dedit occaſionem fabulis Ethnicorum. 326
Paradiſos habuerunt Judæorum Magnates circa Hieroſolymam. 667
Paradiſus & Gehenna quantum diſtent ſecundum Judæos. 549
& cœlum ſupremum apud Judæos non differunt. 465
Paranymphi apud Judæos duo & ad quid conſtituti. 605
Paranymphus Sponſi toto tempore nuptiarum pro eo teſtis eſſe non potuit. 612
quindecim dierum antè feſtum. 687
Paras apud Judæos erat ſpatium quindecim dierum ante feſtum. 687
Paraſanga & Parſa eſt eadem menſura. 421
Paraſcheve quare vocetur dies Sabbatum antecedens. 465
Paries intergerinus inter Sanctum & inter Sanctum Sanctorum non fuit in Templo ſecundo. 387
inter Judæos & Gentes ex quibus rebus conſtiterit. 833
Parſa Judæorum continet intra ſe quatuor milliaria. 421
Partis (de) injuſtè diſtributio debebatur inter pauperes. 555
Parvula quamdiu filia vocabatur apud Judæos. 443
Parvulos etiam plerumque cum parentibus baptizarunt Judæi. 266
Parvulus quamdiu immunis ſe præſentando in Templo ad tria feſta. 196
Parvulus quando ſit capax mundi futuri diſputant Judæi. 554
Paſcha ſuum edit Chriſtus eodem die quo Judæi. 50
an ſit mactandum nomine incarcerati ſingulatim. 198
extrà Hieroſolymam comedere nullo modo licuit. ibid.
fœminarum erat ex arbitrio. 271
fœminarum. Vide *Fœmina.*
an pellat Sabbatum nec ne. 373
an cedat Sabbato. 458
denotat vel ipſum agnum, vel tempus comeſtionis agni. ibid.
in immunditie comedere quando Judæis licuit. 458
ubinam mactari debuerit. 459
inter primi menſis & ſecundi quodnam diſcrimen. ibid.
comedentes tenebantur ad pernoctationem intra Hieroſolymam. 460
minus quodnam vocare ſolebant Judæi. 464
apud Euangeliſtas non ſemper ſignificat agnum Paſchalem. 670
Paſcha (ante) triginta dies de ritibus iſtius feſti interrogant & diſſerunt Judæi. 624
Paſchalis dies prima vocatur Sabbatum. 758
Paſchata Chriſti quatuor diverſa à Johanne Euangeliſta memorata. 619
Romæ comederunt aliqui. 704
non ſunt comedenda niſi Hieroſolymis. ibid.
Paſchatis in Cœna multa fari mos erat apud Judæos. 52

Digitized by Google

veſperiis opera ſervilia non faciebant Galilæi. 232
Judæi è contra. ibid.
& Pentecoſtis æquitatem typicam adimplevit Chriſtus. 257
& Pentecoſtes feſta erant concatenata. 319
tempore hordea ſi non matura erant quid factum à Judæis. 320
in atrium introductionis. Vide *Agnus Paſchalis.*
Cœna apud Judæos exordium ſumpſit à poculo vini. 378
primus dies vocatur Sabbatum. 513
Bos. Vide *Bos.*
Paſſeres in Templo venales Leproſorum ergò. 532
quare in eorum purificatione iis uterentur. ibid.
Paſtores quinam apud Judæos in eorum Synagogis dicebantur. 279
tres apud Zachariam quinam fuere. 641, 285
quomodo hi dicantur exciſi. 642
Paſtoris officium multifariam è nomine Barſabas poteſt intelligi. 758
Pater noſter qui es in cœlis notiſſima apud Judæos phraſiologia. 301
Pater noſter etiam apud Judæos in uſu. 38
Pater concedens bona filiis ſuis apud Judæos ab iis nutriri debuit. 231
apud Judæos dicebatur non ſolum is qui generaverat, ſed etiam qui educaverat. 503
Patmos deſcribitur. 118
Patres unde morem allegoriſandi didicerint. 149
Synhedrii convicti fuerunt Chriſtum reverà reſurrexiſſe. 701
Patriarchæ ſepulti ſunt in ipſiſſimo iſto loco, ubi prima manſio Abrahami in terra Canaanitide. 714
Patris uxorem ducere dupliciter apud Judæos capitale erat. 84
Patrum traditionum memoria veneranda apud Judæos. 285
Pauli Epiſtola ad Romanos Græcè ſcripta. 254
ad quoſnam ſpecialiter ſit ſcripta. 707
itinera & peregrinationes ad prædicandum Euangelium. 800
Chronologia circa hanc rem. ibid.
Paulini ſtuprum quandò contigerit. 784
Paulus ſcripſit Epiſtolam ad Hebræos, & quando. 109
qua autoritate excæcaverit Elymam. 679
tradiderit Satanæ Hymenæum & Phyletum. ibid.
Tarſenſis quare ſeipſum vocet Hebræum. 707
an viderit perſonam Chriſti, an gloriam tantum. 723
an oculis corporum, an in viſione tantum. ibid.
duplex nomen tulit, vel ut Hebræus, vel ut Romæ municeps. 797
quo tempore poſt converſionem ſuam in tertium cœlum fuerit raptus. 798
quo tempore iter Romæ fuerit meditatus. 800
proximo anno ab aſſumptione Chriſti in fidelium cœtum aſcriptus fuit. 801
quare Petrum videre voluerit. 813
ſolus Dominum vidit poſt aſcenſionem. 903
fuit in theatro realiter objectus feris. 923
Pauperes mundi quinam dicebantur apud Judæos. 297, 611
etiam futuros in diebus Meſſiæ fatentur Judæi. 457
Pauperrimus Iſraëlita tenebatur ad comedendum Paſcha. 375
Peccata quatuor atrociſſima Judæorum poſt aſcenſionem Chriſti in cœlos. 115
ob quæ Templum primum eſt vaſtatum. 360
ob quæ Templum ſecundum eſt vaſtatum. ibid.
Peccati doctrina optimè depingitur per doctrinam lepræ ſub Lege. 303
Peccatores quinam per excellentiam dicti apud Judæos. 438
Peccatum in Spiritum Sanctum Judæi non judicabant irremiſſibile. 25
Mariæ Virginis. ibid.
in Spiritum Sanctum & Apoſtaſia quomodo differant. 532
commiſſum ab iis qui ſteterunt coram monte Sinai per Vitulum aureum credunt Judæi cauſam generationis liberorum & mortis. 646
Pecora non debuerunt paſci in cœmeteriis apud Judæos. 240
ante mactationem potare ſolebant Judæi. 401
eremi, quænam illi ſic vocare ſolebant. ibid.
apud Judæos quouſque procedant cum prodeunt paſtum. 644
Pecudes mactandæ debebant ſubire examen Mumcheh. 676
Pecunia apud Judæos in uſu tunc temporis ejuſque valor. 289
Pedes exoſculari ſæpius ſolebant Judæi. 390
ungere. Vide *Ungere.*
lavare. Vide *Lavare.*
nunquam loti ſunt ſub notione purificationis legalis. 658
Pella Urbs Decapolitana. 419
huc quare Chriſtiani aufugerint ab obſidione Hieroſolymitana. ibid.
Pellam an migrarint Chriſtiani Hieroſolymam deſerentes. 115
Peluſium apud Thalmudicos vocatur Cappadocia. 398
Pentecoſte lætitiæ tempus. 63
quot dies duravit. 64
quare feſtum hebdomadum. 319
vox hoc ſignificatu in uſum aſſumpta eſt à Judæis Græcizantibus. 691
conſtabat tantum de die uno feriato in terra Iſraëlis. ibid.
at in exteris regionibus quot dies. ibid.
quamvis primus dies ſolum eſſet feriatus, continuatum tamen eſt feſtum in ſeptiduum. 692
à qua die Paſchatis inceperit computum ſeptimanarum ad hoc feſtum. ibid.
an dies manipuli ſit numerandus necne. ibid.
in quem diem hebdomadæ inciderit ordinariò. ibid.
in quem diem hoc anno quo effuſus eſt Spiritus Sanctus.

Digitized by Google

ctus. 692
an hoc ipſo die effuſus ſit Spiritus Sanctus, an verò die ſequenti. ibid.
pendebat à die agitationis primitiarum manipuli. 760
Pentecoſten (ante) primitias offerre Judæo non licuit. 352
Pentecoſtes dies apud Judæos Sabbato non erat aſtricta. 513
computatio non à mane, ſed à veſpera inchoari debuit. 759
tempus. ibid.
feſtum laxius quodammodo & ſolutius celebrari ſolebat. 766
Pera apud Judæos in quem fuerit uſum. 444
Peræa an à Judæis etiam vocetur Galilæa. 471
quænam regio proprie ſic vocetur. ibid.
Peræa incolæ à reditu Babylonico quinam fuerint. 232
Peram collo apponunt paſtores in qua victualia reponunt. 315
Peregrini ubinam apud Judæos recepti. 97
Perfectos vocabant Judæi, qui omnia vendebant & dabant pauperibus. 346
Periandri tyranni facinora. 882
Περίχωρος quid apud Euangeliſtas, & an idem apud Thalmudicos. 265
Perizæi quinam ſic fuerint vocati. 429
Perſecutio Eccleſiæ Apoſtolicæ duplex & antè & poſt apoſtaſiam Judæorum. 664
cum Stephano orta quamdiu duravit. 813
Perſica lingua ſecundum ipſos Judæos erat elegantior quam Aramæa. 705
Perſico ab imperio nihil incommodi paſſum eſt Templum Judæorum. 591
Peſtis quando reputabatur eſſe inter Iſraëlitas. 218
Petram bis percutiens Moſes ſecundum Thalmudicos produxit primo ſanguinem, deinde aquam. 677
Petrus unus è Diſcipulis Emmaunta euntibus. 59
an Romanus Epiſcopus. 113
ejus prima Epiſtola quando ſcripta incertum. ibid.
ſecunda Epiſtola quando ſcripta. 116
januam Euangelii debuit aperire Gentibus. 337
an fuerit maximus natu inter Diſcipulos. 560
quare primus in Catalogo Apoſtolorum. ibid.
quare Chriſti ſermones frequenter ad ipſum directi. ibid.
in Babylonia verſans prædicavit Iſraëlitis in iſtis regionibus diſperſis. 643
qua autoritate fulmine ferierit Ananiam & Saphiram. 679
& Joannes non aufugerunt cum Chriſtus reprehenderetur. ibid.
quare primas partes in tota fere Hiſtoria Apoſtolorum agat. 689
primarius miniſter fuit Circumciſionis, & quare. 690
accepit claves regni cælorum ut primus aperiret januam Euangelii Gentilibus. 732
fuit unus è duobus diſcipulis Emmauntem proficiſcentibus. 749
quare fere ſolus nominetur in Actis Apoſtolorum in rebus ad Judæos ſpectantibus. 756
quare præ reliquis Apoſtolis adeò celebratur in primordiis Euangelii. 757
tempore Pentecoſtes non ſolus fuit locutus. 767
quando ſecundum Baronium ſedis Epiſcopalis fundamenta apud Antiochiam jecerit, & per 25. annos ibi ſedem fixerit. 831
an per totidem annos ſederit Romæ. ibid.
quare fuerit autor primæ converſionis Gentium. 834
circa horam ſextam orans Judæorum morem ſequitur. 835
an unquam fuerit Corynthi. 884
fuit Apoſtolus Circumciſionis extra terram Iſraëliticam. ibid.
ſolus habuit claves regni cælorum. ibid.
euangelizavit in Babylonia. 932
Petrus & Apollonius Tyaneus uno eodemque tempore fuerunt in Babylone. 721
Pharao imponit coronam ſuam capiti Moſis. 714
Phariſæi plus honoris tribuebant Pentateucho, quam reliquis libris Sacri Codicis. 738
à Sadducæis dicteriis excipiuntur, & quare. 148
aſſerunt pœnitentiam eſſe neceſſariam ad receptionem Meſſiæ. 262
valde ingenioſi in proprium commodum. 358
apud Euangeliſtam Joannem ſunt utplurimum Synhedrium. 640
multum valebant apud populum. ibid.
Phariſæorum ingenium. 21
optimi, peſſimi hominum erant. 273
Phariſæos inter & Scribas diſtinguere non eſt facile. 529
Phariſæus non poterat eſſe Publicanus. 17
non deducitur à voce פרש quod ſignificat exponere. 270
ſed à פרש quod ſignificat ſeparare. 271
ex arbitrio & voto Phariſaiſmum amplectebatur. ibid.
Sichemita qualis. 272
percuſſus qualis. ibid.
ſanguinem eliciens quare. 273
mortarii qualis. ibid.
qui dicit noſcam quid ſit officium meum & præſtabo, qualis. ibid.
timoris, qualis. ibid.
amoris, qualis. ibid.
Phariſaicæ Sectæ Judæi jam plerumque ſunt æmuli. 148
ejus ſpecies ad minimum ſeptem ſunt. ibid.
jacta fundamenta jam tempore Ezræ. 272
in Sectas varias tandem diviſa eſt hæc Secta. ibid.
Phariſaiſmus non eſt ſimul & ſemel natus, ſed diuturnæ admodum conceptionis. 272
tempus quando illud nomen natum. ibid.
Phialæ in Apocal. ſunt inter obſcuriora. 128
Philiſtæos mœruiſſe Samſonem per viginti annos poſt mortem ejus ſomniant Judæi. 677
Phineaſum (poſt) quæritur an fuerit oraculum per Urim &

Digitized by Google

& Thummim. 699
fuit defectus Prophetiæ in Summis Sacerdotibus uſque ad tempora Samuelis. ibid.
Phœnicia æquè erat mediterranea ac maritima. 416
& Canaan apud Septuaginta aliquando convertuntur. 420
Phœnix in Ægypto viſus tempore Tiberii. 807
Phraſeologia Pauli Gamalielis Diſcipulum ſapit. 110
Phraſes Novi Teſtamenti non ſunt interpretandæ ex noſtris notionibus. 301
Phraſiologiæ Novi Teſtamenti optime poſſunt intelligi ab iis qui eas ore audierunt. 507
Phylacteria Judæorum. 46, 110
recitare eſt in ſe ſuſcipere regnum cœlorum. 264
intra juſtum tempus recitari debebant. 299
eorum uſus apud Judæos. 356
Chriſtum ea geſtaſſe non eſt improbabile. 357
recitanda a prima aurorâ ad horam tertiam. 383, 697
recitare Helleniſticè an Judæis fuerit permiſſum. 707
Phylacteriis (cum) capiti affixis inter ſepulcra ambulare Judæis non licuit. 238
Phylacteriorum novem ciſtæ circa Bethar inventæ. 209
Phyletus. Vide Hymeneus.
Pigæ aquæ non ſunt aptæ ad aſperſionem immundorum. 173
Pii tum ante tum poſt Legem latam ob fidem ſolummodo inſignes. 111
Pilatus imagines Cæſaris intra urbem Hieroſolymarum deportatas erexit. 784
rogatu Judæorum eas Cæſaream reducendas curat. ibid.
gazophylacium ſacrum Judæorum violat. 808
per decennium Judæorum Procurator. 816
multos Samaritanos trucidat. ibid.
à Samaritanis accuſatus, & plurima adverſa paſſus ipſe ſuum jugulum petit. 817
Pinum plantare apud Judæos in more fuit cum infantula naſceretur. 209
Piſces cum Iſraële in Babylonem migrarunt. 172
Piſcina Betheſdæ facta per Solomonem. 18
Solomonis & Betheſda eſt una eademque. 588
Shelahh & Piſcina Shiloahh. ibid.
Shiloami an ſic vocari poſſit. ibid.
quando vim ſanandi primum receperit. 621
Piſcium porta Hieroſolymæ. 190
Plagarum numerus apud Judæos quadraginta. 534
ſed duplicato crimine duplicabatur numerus. ibid.
Planities Moreh an ſit Sichem. 714
an Abrahamus eam coemerit nec ne. ibid.
Platea ſuperior Hieroſolymæ erat habitatio alienigenarum. 196
ducens à Templo verſus Olivetum. 409
Plateæ Hieroſolymitanæ verrebantur quotidie. 408
Plorare cum quis capite plectebatur apud Judæos illicitum erat. 57
Pluvia tripliciter diſtinguebatur à Judæis. 496
Pluvia primitiva & ſerotina quando videri ſolebant in Iſraële. 511
nunquam fuit viſa interdiu per totum illud tempus quo ædificaretur Templum Herodis. 608
per artes Magicas à Rabbinis impetrata. 367
Pluviæ decretum credebant Judæi conſignari in feſto Tabernaculorum. 334
Pocula duplicata ebibere Judæo non licuit. 398
quatuor vini in feſto Paſchali erant ebibenda. 380
benedictionis quænam à Judæis vocarentur. ibid.
Poculum vini ad ſanctificandum ingreſſum Sabbati dextra manu ſumendum. 298
Trumæ quid ſignificet apud Magiſtros. 604
vini portabant Judæi ante ſponſam in deductione ejus. ibid.
in Euchariſtia eſt ipſiſſima ſanctio Novi Teſtamenti. 914
Pœnitentes an ſint meliores perfectè juſtis. 542
Pœnitentia male definita à ſcholis Phariſaicis. 262
aptiſſima eſt Evangelio doctrina. ibid.
apud Judæos in orali confeſſione conſiſtere æſtimabatur. 263
ſecundum Judæos reſcindit decretum Judicis determinatum contra hominem. 657
Πόλεις & κῶμαι & κωμοπόλεις quomodo differant. 437
Pollutio. Vide Immunditiès Judæorum.
Polygamiam permiſerunt Thalmudici. 290
Pomeridianum tempus Sabbati. Vide Sabbatum.
Pompa offerentium primitias. 411
Pompejus Magnus ejuſque victoriæ. 126
פותר הו quale ſit apud Thalmudicos veſtimenti genus. 698
Pons Jacobi inter lacum Samochonitin & Genneſariticum, ſecundum aliquos. 576
ſed potius circa Bethshan. 577
Pontifex Summus per quam viam ingrederetur in Sanctum Sanctorum. 388
ſeptem diebus ante diem expiationis ſeparatus è domo propria. 627
Pontificatum (ad) non erat quiſpiam ritè promotus, niſi antea fuerat Sagan. 668
Pontificatus apud Judæos aliquem non reddebat Prophetam. 650
quando expiraverit. 651
Pontificem ſummum ex improviſo occidens nunquam è civitate refugii exire poterat. 208
inter & Sacerdotem quodnam diſcriminis fuerit quoad executionem officii ſacerdotalis. 651
quare Judæi adjurent ut ritè præſtet opus diei expiationis. 740
Pontifices ſummi quotnam fuerint ſub Templo primo. 371, 668
quotnam ſub Templo ſecundo. ibid. ibid.
aliquando erant indoctiſſimi. 668
Pontificis ſummi inſcitia aliquando apud Judæos. 259
Pontificum matres in civitatibus refugii ob cædem concluſos ſolebant victu & veſtitu fovere. 208
Poppea Neronis uxor amica Judæorum. 99
Populus dividitur in Iſraëlitas, & nationes mundi. 169
terræ quoſnam Judæi ſic vocare ſolebant. 271
Porcos alere apud Judæos erat maledictio & infamia. 27, 308

qua

Digitized by Google

qua de cauſa. ibid.
per Legem tamen non fuit vetitum. ibid.
Porta cum ad conſeſſum refertur quid ſibi velit. 372
fontis Hieroſolymæ ubinam ſita & unde ſic fuerit vocata. 589
aquarum Hieroſolymæ. 590
Sacerdotis quænam fuerit valdè obſcurum. ibid.
Huldæ. ibid.
muri Orientalis Suſan. 591
non erat ejuſdem altitudinis cum cæteris, & quare. ibid.
ſpecioſa introitum aperuit in Atrium ſecundum ſive Judæorum. 769
Portæ ſub nomine plurima exprimere ſolet Sacra Scriptura. 305
Portenta quædam viſa ante bellum Judaicum. 136
ſub imperio Vitellii. 137
Porticus regalis in Templo ubinam & à quo nomen illud acceperit. 590
Solomonis. 65. ibid
quare ſic dicebatur. 769
Orientalis. 591
Solomonis erat Orientalis. 698
Regia erat Auſtralis. ibid.
ſub hoc nomine poteſt comprehendi totum Atrium Gentium. ibid.
quare ita vocetur. ibid.
Portio anguli in agro qualis & quota pauperibus relinquenda. 239
Poteſtas Diſcipulorum ligandi & ſolvendi erat circa articulos & deciſiones Legis. 678
donandi Spiritum Sanctum quando Apoſtolis à Chriſto conceſſa fuerit. 679
Potum guſtare ante meridiem non licuit Judæis feſtis diebus. 767
Potus tradi ſolitus capite plectendis apud Judæos. 386
Præco anteibat fontem. 56
damnatum præcedens quid clamaverit. 718
Præconio publico notabant Judæi in Synagogis obſtinatos in peccatis. 343
Prædicatio Joannis eſt porta Oeconomiæ Euangelicæ. 435
Prædones permulti Hieroſolymis ante ejus excidium. 386
Præexiſtentiam animarum ſecundum nonnullos credebant Judæi. 638
Præfecturam (in) Synhedrii quinam eligebatur. 373
Præfectus Synhedrii ejuſque officium. 373
Montis Templi quomodo differat à Præfecto Templi 559
Prægnans an ſit mulier poſt 90. dies deprehendi poteſt. 3
Prælector apud Judæos non clarâ voce effatus eſt, ſed leni ſuſurro in Scholis. 281
Prælectori in Scholis Judæorum uſitatum erat variare & invertere textum Scripturæ ut ad propoſitum accommodaret. 717
Præſcientia futurorum in Chriſto fluxit ab unctione Spiritûs Sancti. 456
Præſentia divina quando migraverit à Propitiatorio ſub primo Templo. 608
Præſes & vice-Præſes Synhedrii quomodo à Judæis vocati. 106
Synhedrii migrans de urbe in urbem etiam Synhedrium migravit. 142
ejus officium. 722
Præſidem Synhedrii vocabant Judæi officiarium populi. ibid.
Præſidia Romana apud Judæos. 425
Præſidis ſine licentia nullus ordinabatur ad Presbyteratum apud Judæos. 726
Præſtigiatores famoſi apud Judæos carcere plectebantur. 132
Precantium geſtus apud Judæos. 40
Precari quomodo ſoleant Judæi. 85
Precatio Judæorum contra Hæreticos. 74
Precatiuncula à Judæis Syriacè concepta nè Angeli illam intelligant. 252
Preces Judæorum novemdecim quovis die. 74, 250
pro omnibus fundendæ contra Judæorum doctrinam erant. 91
fundere in Synagogis Judæorum erat Angeli Eccleſiæ officium. 280.
Vide Orationes.
piorum apud Judæos quomodo peractæ. 368.
Presbyter ab antiquo Diſcipulos ordinabat, ſed poſtea id immutatum eſt & quando. 726
Presbyteri ut diſtincti à primariis Sacerdotum & Scribis quinam fuerint apud Euangeliſtas. 557
24. in Apocalypſi quoſnam repræſentent. 120, 758
apud Judæos. 91
Presbyterorum ordinatio per ſecula quomodo fiebat. 726
munus etiam politicum. 91
Primitiæ ab Apamia quare à Sacerdotibus receptæ. 221
Gentium ad Chriſtum undenam venerint & cujus poſteri fuerint. 258
Primitias ante Pentecoſten afferre non licuit. 211
Primogeniti omnes coram Deo ſiſtendi non erant. 497
ſed ſolummodo illi qui erant idonei Sacerdoti. ibid.
quando & quo pretio redimendi. ibid.
ſiſtebantur tunc temporis in porta Atrii Orientali. 498
Primogenitus & minor natu quomodo patris dividerent bona. 533
Princeps peccans apud Judæos flagellatur in conſeſſu triumvirali. 226
mundi phraſeologia Scriptoribus Judaicis non ignota, & quo ſenſu 656
Principium & finis quid apud Judæos ſæpiſſimè ſignificet. 636
Privilegia ſua Judæis ſervare voluit Chriſtus. 315
Probaticæ ſitus Hieroſolymæ. 587
Prochori Liber de vita Joannis Euangeliſtæ apocryphus eſt & fabuloſus. 788
Procœnia habebant Judæi ante Euchariſtiam. 913
Gentiles iſtam Judaizationem abhorrebant. ibid.
Procœnium Corinthiorum quale fuerit. 704
Proconſules Romani apud Cæſaream potiſſimum commorari ſolebant. 834
Profanum inter & immundum quænam diſtinctio apud Judæos. 331
Profluvio laboranti fœminæ remedia apud Judæos. 443
Profluvioſorum cancelli ſunt atrium domûs. 551
Progenies Judæorum purior in Babylonia quam in ipſa Judæa. 630
Prognatio Chriſti quare à Matthæo deducatur ad Joſephum.

Digitized by Google

ſephum. 250
Prohibebant Judæi quædam alias permittenda propter mores Amorrhæorum. 734
Promiſſa Dei per Prophetas qualia præcipue fuerunt. 770
Promiſſio Chriſti per Prophetas conſideranda ſub duplici notione. 250
Promotio ad Presbyteratum apud Judæos erat per triumviratum. 720
Propheta nullus tempore Chriſti per quatuor centurias apparuit donatus eo Spiritu à Deo. 606
Chriſtus è cælo declaratus. 33
non erat ordinarius Doctor Iſraëlitarum, ſed ſolummodo ex occaſione. 135
ſummus quando Chriſtus fuerit obſignatus. 338
per quatuor annorum centurias ante natum Chriſtum ne unus quidem fuit eo nomine dignus. 499
Prophetæ non ſemper erant aſſidui concionatores. 725
quomodo mandata ſua à Deo acceperint. 748
quando in linguam Chaldaicam traducti. 18
in ſcholis ſuis accuratè diſcipulos ſuos de Meſſia ejuſque adventu & regno erudiebant. 238
orti è Rachabe ſecundum Thalmudicos. 248
ſub Templo primo propriam ſolum habuerunt obſcuritatem. 661
dupliciter ſub ſecundo. ibid.
Prophetarum ſub nomine etiam includuntur à Judæis libri Hiſtorici. 649
libri dicebantur octo apud Judæos. 568
Prophetas quomodo Judæi in Synagogis legere conſueverant. 436
Judæi Hagiographis anteponebant, legi poſtponebant. 508
publicè in Synagogis legens quot verſus legere tenetur. ibid.
reſuſcitandos fore in adventu Meſſiæ credunt Judæi. 601
Προφητεύειν *quid comprehendat.* 919
Prophetia donata per impoſitionem manuum Apoſtolorum qualiſnam fuerit. 569
Prophetias Apocalypſeos ad ſpecialia quædam tempora accommodare periculoſum. 128
Prophetis quibus modis olim mentem ſuam revelavit Deus. 798
Proſapia Chriſti poſt captivitatem Babylonicam quomodo ab Euangeliſtis reſciri potuerit. 9
Proſelyta quomodo baptiſabatur apud Judæos. 268
Proſelyti facti vir & uxor per nonaginta dies à ſe invicem ſeparabantur, & quare. 251
Judæorum per Baptiſmum intromiſſi in Eccleſiam. 265
non ſunt recepti in diebus Davidis & Solomonis. 266
quomodo baptiſabantur. 267
admiſſio res non levis erat apud Judæos. ibid.
peſſimè audiunt apud Thalmudicos. 358
eodem die Paſcha comedunt quo Proſelyti facti. 459
Proſelytos Phariſæi ſolummodo captabant lucri cauſa. 358
quomodo Judæi baptiſare ſolebant. 392
Proſelytus quis jam factus reputabatur apud Judæos ut parvulus jam natus. 610
ejus cognati quos habuit ante, jam non ſunt cognati. ibid.
Proſelytus aliquis factus per dies à muliere etiam Proſelyta ſeparari debuit. 3
inquilinus. 70
Legis quiſnam primus fuerit. 258
qui circumciſus eſt, & non baptiſatus, quid de illo ſentiant Judæi. 266
Προσφάγιον *quid ſignificet.* 680
Proximum inter & fratrem quomodo diſtinguant Scholæ Judaicæ. 285
eo nomine non gaudebant advenæ nec Ethnici apud Judæos. ibid.
eo nomine quinam veniant ſub Euangelio. 286, 523
Proximus quiſnam apud Judæos. in Præfatione Harmoniæ Euangelicæ.
Prutæ duæ conſtituunt quadrantem. 289
Prutah fuit minutiſſimum inter numiſmata Hebræorum. ibid.
erat merè Judaicum, & non Romanum. ibid.
Pſalmum ſecundum de quo doctores Judaici interpretentur. 774
Pſalmum 110. *applicant Judæi ad Abrahamum.* 557
Pſalmus 92. *ab Adamo compoſitus.* 321
occurſuum qualiſnam dicebatur apud Judæos. 366
quivis qui Autoris titulum non præ ſe fert cui adſcribendus. 774
orphanus qualis dicebatur apud Thalmudicos. 920
Pſephinus turris. 191
Pſeudo-Chriſti cum præſtigiis multi circa occaſum Judæorum. 367
Pſeudo-Chriſtorum quare tantus fuerit numerus circa tempora Chriſti. 258
Pſeudo-Propheta in Apocalypſi vocatur Roma Papalis. 133
à quibus & quando morti tradendus. 537
Πτερύγιον *Templi quid dicebatur.* 277
Ptolemais ſeparabat Phœniciam à terra Iſraëlitica. 217
deſcribitur. 218
reputatur pro terra Ethnica. ibid.
imo & pro terra Iſraëlitica. ibid.
Publicanatus cum Rabbinatu conſiſtere non poterat. 555
Publicani & fures eodem modo habiti apud Judæos. 18
valdè exoſi Judaicæ Genti. 295
undenam illis talis ignominia inuſta. 296
apud Judæos non erant idonei ad teſtandum in re qualibet. 502
& quare. 555
Publicanorum ordines. ibid.
Publicanos Judæi non reputarunt intra ſocietatem religioſam. 344
Pudefactus apud Judæos quomodo ſe debuerit gerere. 888

Puel-

Digitized by Google

Puellula poterat maritum repudiare abſque libello repudii. 898
Puer natus in Judæa qui habebat duo pectora. 480
an talis duplicis portionis è bonis patrum hæres. 481
Pueri quidam Hieroſolymis atriis ſupra petram ædificatis incluſi & quare. 197
quomodo in lege à principio educandi. 351
Pueros à primis annis docebant Judæi canere Hoſanna. 351
Puerpera purificabatur in porta Nicanoris. 194
quæ non fiebat immunda per puerperium qualiſnam fuerit. 497
Puerperæ columbas ſuas in ſacrificium dandas reſervabant dum aſcenderent ad feſtum. 288
Puerperis & profluvio laborantibus oblatio pro purificatione erant columbæ. 351
Pugna cruenta inter Hillelianos & Schammæanos. 740
Pulverem excutere apud Judæos inuſitatum. 75
terræ Ethnicæ ex contactu inquinare dicunt Thalmudici. 315
Purificatio leproſorum quomodo peragebatur juxta Thalmudicos. 306
Purificationes Phariſæorum. 272
variæ apud Judæos, earumque ritus. 651
Puteoli urbs emporium maximum habet ſtationes navium manu conſtructas. 742
Pythonici deſcriptio ſecundum Judæos. 536

Q.

QUadrantes quatuor apud Hebræos conſtituunt pondion pecuniæ. 289
erat minimum Numiſmatum Romanorum. ibid.
Quadratura quadringentarum Parſarum fuit terra Iſraelitica. 421
Quadraturam duodecim milliarium excepiſſe caſtra Judæorum receptiſſimum eſt apud Thalmudicos. 206
Quæſtiones circa hæreditatem quorum erat apud Judæos dirimere. 533
Quartana Italica vini inebriare dicebatur apud Judæos. 219
in Epulis Sacris ebibenda ſemper erat. ibid.
Quaſſatio faſciculorum in feſto Scenopegiæ quid ſignificaverit. 350
Quintanæ quinque Legis quomodo diſtinguebantur à Judæis. 509
cum à Miniſtro Synagogæ ſeponerentur quomodo illud factum. ibid.

R.

רב *quid ſignificet.* 106
Rabban nota honoris eſt præ aliis omnibus quibus geſſierunt Judæorum doctores ſummè egregia. 777
& Rabbi quando vocari cœperint Judæorum Magiſtri. 6
Rabbi titulus quando primum inceperit. 357
differentia inter Rab, Rabbi, & Rabban. ibid.
quinam eo titulo ſalutari ſolebant. ibid.
bone dicere non ſolebant Judæi præſenti Magiſtro. 554
Rabbini inſignioris notæ qui Jabnæ R. Joacham aſſederunt. 141
poſt exciſam Hieroſolymam raro inter ſe concordes. 147
etiamſi alicujus Synhedrii Præſides erant, tamen habebant ſuos conſeſſus particulares. 237
Auſtrales quinam ſic fuerint dicti. 400
Cæſareæ Philippi ſunt frequentiſſimæ & celeberrimæ memoriæ in utroque Thalmude. 707
Rabbinorum traditio de ordine Prophetarum. 384
capita unguentis humectare ſolenne apud Judæos in Babylone. 457
Rabbinum diſcedentem aliquatenus comitari pro officio habitum. 295
Rachabem Principi alicui Iſraëlitico elocatam fatentur Judæi. 248
quot Prophetæ ex illa orti. ibid.
an fuerit è ſeptem Gentibus Cananæorum, an verò peregrina ibi habitans. ibid.
an Joſuæ fuerit nupta. ibid.
ראיה *quid ſignificet apud Judæos.* 463
Ραφὰ *non ſignificat gigantem, ſed debile aliquid potius & infirmum.* 716
eſt nomen in opprobrium Idoli excogitatum. ibid.
an ſignificet Copticè Saturnus. ibid.
quomodo tranſierit in Ρεμφάν. ibid.
Raka. in Præfat. Harmon. Euangel.
vox contemnentis ſummo contemtu apud Judæos uſitatiſſima. 286
Rakkath urbs munita tempore Joſuæ eſt Tiberias. 223
de ſitu ejus non omnes conveniunt. 224
Rama quotuplex. 203
Ramæ nomen habuerunt plurima loca apud Rabbinos, & quare. 234
Ramathaim Zophim ubinam. 203
Rebellium verbera apud Judæos qualia fuerint. 101
Recumbere in epulis ſacris ſemper ſolebant Judæi. 377
Refugii civitates. 208
via illuc ducens ad minimum erat 32. cubitorum lata. ibid.
Regenerationem aliqualem fieri per Proſelytiſmum agnoverunt Judæi, ſed contemptibilem & reptantem humi. 610
Regi, niſi Judæus eſſet, ſubjici illicitum credebant Judæi. 46
Regia Hieroſolymæ. 187
Regio maris ubinam apud Judæos. 171
Auſtralis. 179
Regni cœlorum ſub Novo Teſtamento ortus & origo prima. 836
ejus claves quales fuerint, & quis primus ejus uſus. ibid.
Regnum Chriſti etiam à Diſcipulis malè intellectum. 42
Chriſti deſcribitur. 132
cœlorum & regnum Dei una eademque res. 263, 609
quando ſumſerit initium. ibid.
eſt phraſiologia deſumpta ex Prophetiis. ibid.

denotat exhibitionem & manifeſtationem Meſſiæ. 263
cælorum denotat reſurrectionem Chriſti devictis morte & Satanâ. ibid.
vindictam ejus in Gentem Judaicam. ibid.
quæ eſt nobiliſſima manifeſtatio. 264
Dominium per ſceptrum Euangelicum inter Gentes. ibid.
eſt phraſiologia nota apud Scriptores Judaicos. ibid.
Judæi per illud intelligere videntur internum Dei amorem. ibid.
etiam Judæi revelationem Meſſiæ per regnum cælorum deſcribunt. ibid.
Meſſiæ à reſurrectione mortuorum exorſurum credebant Judæi. 335, 388
terrenum etiam Diſcipuli Chriſti expectabant. 342
cælorum eſt tempus expectatum adventûs Meſſiæ. 601
Regnum Dei duplici ſenſu occurrit in Sacris Paginis. 551
qualis de eo conceptus in Scholis Judaicis. ibid.
Regula juxta quas tractandus peccans frater. 35
Rejectio univerſæ gentis Judæorum non decuit fieri. 642
Gentium initium cepit à confuſione linguarum. 764
Reipublicæ negotia quænam dicebantur apud Judæos. 624
Religio Chriſtiana à Nerone repreſſa. 107
Judæorum poſt Urbem Hieroſolymam exciſam. 146
traditionalis Judæorum fuit ruina iſtius gentis. 651
Religioſi tam docti quam indocti erant apud Judæos. 271
Religioſorum antiquorum mos apud Judæos. 694
Religioſus ſtultus perdit mundum erat proverbium Judæorum. 270
Reliquiæ Judæorum congregatæ ante excidium Urbis. 642
Remphan fuerunt figuræ aliquæ luminaria quædam cæleſtia effigiantes. 716
quid ſit non niſi conjecturis poteſt aſſequi. 793
Renaſci dicitur Euangelium amplecti. 132
Renovandum mundum in adventu Meſſiæ credunt Judæi. 347
Rephaim quinam ſic fuerint dicti. 430
Repudiare uxorem juxta Thalmudicos multas ob cauſas Judæo licuit. 290
ſine libello repudii id facere non licuit. 291
reluctante marito non poteſt, aſt uxor velit nolit repudiatur. ibid.
in cauſa adulterii non eſt præceptum, ſed permiſſum. 292
Repudii permiſſionem Judæi ut privilegium jactant. 41
Res reperta publico præconio quamdiu debuerit manifeſtari. 421
Reſurrectio quibuſnam conceſſa & negata à Judæis 81
mortuorum contra Sadducæos probatur. 617
prædicta de tempore Meſſiæ qualiſnam fuerit. 623
fuit indicium Chriſtum non eſſe merum hominem. 730
Chriſti eſt diluculum & aurora novi mundi. ibid.
ejuſque circumſtantiæ deſcribuntur. 737
mortuorum apud Judæos univerſos exceptis Sadducæis obtinuit. 772
à Judæis è Lege aſtructa. 921
Chriſti cum quibus primitiis optimè conveniat. 922
Sanctorum in adventu Meſſiæ ſecundum Judæos. 601
Reſurrectionem mortuorum negabant Sadducæi. 273
illi non erant primi qui illud negaverant. ibid.
undenam execrandum illud dogma videatur originem ſumpſiſſe. ibid.
Reſurrectionis ſpem Judæi iis abſciderunt, qui Judaiſmum abrenuntiarent. 148
Chriſti cum omnibus circumſtantiis analyſis. 749
Reverentia Judæorum circa Templum & Synagogam etiam devaſtatam. 451
Rex è moneta recepta apud Judæos dijudicabatur. 46
Rhinocorura Fluvius. 398
Riblah Daphne redditur à Thalmudiſtis. 220
ריס *quid ſignificet apud Thalmudicos.* 421
Ritus circa matrimonium obſervati in deductione ſponſæ. 604
Rivi aquarum fluentium è monte Horeb inſequuntur Iſraëlitas in caſtrametationibus. 904
Roma incenſa à Chriſtianis dicebatur. 107, 112
duplici modo Antichriſtus eſt. 122
vocatur Sodoma & Ægyptus, & quare. 124
deſcribitur ſub ſpecie Beſtiæ. 125
Papiſtica eſt Myſterium Iniquitatis. ibid.
Babylon quia Idololatriæ parens. 129
cum imperio vocatur πᾶσα οἰκουμένη. 277
omnes civitates præ illa ſordebant. ibid.
Satanæ ſedes. ibid.
quo tempore condita. 779
à condita Urbe ad mortem Chriſti ſunt 785. anni. ibid.
quando ſe dederit ſub Conſulum regimine. ibid.
in Monarchiam quomodo iterum prolapſa fuit. ibid.
Romæ quiſnam primus Euangelium prædicaverit. 96
victoriæ. 126
Romani ante perſecutiones parum diſtinguebant inter Judæos & Chriſtianos. 85
vindemiarunt per ſeptennium circa Bethar abſque ſtercoratione, & qua occaſione. 209
aliqui miſſi ad Rabban Gamalielem, ut de Lege Judaica ſciſcitarent. 219
permiſerunt Judaicas Synagogas regimine ſuo uti. 279
Synhedrium autoritate ſuâ deveſtierunt. 370
à Januario annos incipiebant. 781
Romanorum Præfecti apud Judæos. 5
mos cum crucifigendis. 385
Romanos vulgò in ſcriptis ſuis Judæi vocant Idumæos. 732
Regum forma apud eos duravit 243. annos. 779
Romanum Imperium eſt quintum à quatuor Danielis diſtinctum. 118
Ros Chriſti eſt virtus ejus vivificans mortuos 730
ריס *eſt jactus arcus, & quare ſic vocetur ſtadium.* 647

Sab-

S

Sabbati ſanctificatio. 15
die epulari ſolebant Judæi. 16
exitus. ibid.
Chriſtiani initium. 97
Veſpera. Vide Veſpera.
matutino tempore conveniebant in Synagogis Judæi. 731
pomeridiano tempore in Beth Midras. ibid.
de immutatione nuſquam à Judæis eſt diſputatum. 925
iter. 44
Sabbatici itineris ſpatium quanti conſtiterit. 753
Sabbaticum iter ſunt octo ſtadia. 200
Vide Iter.
undenam primam ſuam originem traxerit. 754
Sabbaticum iter. 688
qui ejus limites tranſgrediebatur vapulabat. ibid.
ejus limitis ſpatium non determinat Lex. ibid.
Sapientes quomodo definierint. ibid.
Sabbaticus fluvius. Vide fluvius.
Sabbato ſpicas vellere expreſſa conſtitutione prohibitum. 19
etiam ſecundum conſtitutiones Judaicas ſanare licuit. ibid.
per totam noctem docebant Judæi. 97
decidentes fructus Judæis comedere non licuit. 206
apud Judæos civitatis magnæ incolæ poterant ambulare per totam civitatem parvam, at non contra. 224
vitanda ſervilia opera triginta novem principaliora. 250
ד in ר formans reus eſt Judæus. 283
luxuriari pro religione habitum à Judæis. 319
ante peractas in Synagoga preces aliquid guſtare non licuit. 320
ſpeculum inſpicere mulieribus apud Judæos non licet. 337
vel literulam ſcribere prohibetur. 384
ter convivari maximæ utilitatis apud Judæos. 455
emplaſtrum ungere pro ægrotis licuit. 524
lautiores ſolebant eſſe menſæ Judæorum. 539
etiam metiebatur manipulus primitialis, & quomodo. 676
licet ambulare per totam civitatem, ſit licet ſpatioſa ſicut Niniveh. 688
licet & incedere extra civitatem ad bismille cubitos. ibid.
quando hoc primum ita fuerit determinatum. ibid.
an liceat Judæo ſacros libros ex incendio eripere. 934
Sabbatum quando incipiebat apud Judæos. 15
quando ſe Judæi ad illud præparari cœperunt. ibid.
δευτεροπρῶτον. 19,319,513
à Judæis convivio concluſum. 307

ejus limites proprii. ibid.
coluiſſet Adam ſi permanſiſſet innocuus. 321
memoratum ante hiſtoriam lapſus Adami. ibid.
etiam poſt lapſum coluit Adam. ibid.
quare ſub poteſtate Chriſti. 201
quare tranſlatum in diem reſurrectionis Chriſti. 390
Judæorum quando primum inſtitutum. ibid.
ut daretur Chriſtianis diverſum ab illo Judæorum erat neceſſe. 390
quomodo probaverint Judæi Turno Ruſo. 416
an cedat Paſchati. 458
antecedens dies quare vocetur Paraſcheve. 465
à quibuſnam pellatur. 629
circa illud quare Moſes traditiones non dederit Judæis. 641
quare dicebatur Dies Paſchatis. 759
binum evenit in illa hebdomada, qua Chriſtus paſſus eſt. ibid.
primus dies Paſchatis ſic vocatus. ibid.
inter Paſcha & Pentecoſten quomodo vocabant Judæi. ibid.
Sacerdos non eſt pars neceſſaria Synhedrii. 68
labe tactus atro veſtitus erat. 194
abſque labe albo. ibid.
Sacerdotem cultro perfodit ſuper Altare. 195
primo evocabatur ad lectionem Legis. 280
Summus anteibat dignitate Præfectum Synhedrii. 373
Sacerdotem ſubſtituebant Judæi veſperiis diei expiationis qui officio fungeretur ſi Pontifici immundities invaderet. 501
miniſtrantem in immunditia fratres Sacerdotes fuſtibus excerebrabant. 664, 511
inter & Summum Pontificem quodnam diſcriminis fuerit quoad executionem officii Sacerdotalis. 651
Sacerdotes labe infecti ſcrutabantur ligna an immunia eſſent à vermibus. 193
varias ſubierunt criminationes apud Judæos. 259
plebei qui eruditione ſcholaſtica carerent. ibid.
regulis quibuſdam tantum edocebantur ad munus ſorte decretum. ibid.
idiotæ vel privati quinam dicebantur apud Judæos. ibid.
Ephemeriarum capita erant viginti quatuor. ibid.
capita familiarum in unaquaque ephemeria. ibid.
præfecti variis officiis in Templo. 259
vel Levitæ cooptati in Summum Synhedrium. ibid.
anno trigeſimo antè Synhedrium Magnum ſe ſiſtebant ut examinarentur & ſacris initiarentur. 262
ſoliti erant in ſummitatem Templi aliquando aſcendere. 277
Summi quotnam fuerint ſub Teſtamento primo. Vide Pontifex.
vocantur ſæpius Conſiliarii. 467
ob annos non fuerunt idonei. 491
ob labem fuerunt inidonei. ibid.

Digitized by Google

quotnam in locis excubias agerent in Templo. 559
& patres Synhedrii convicti fuerunt Chriſtum revera reſurrexiſſe. 701
aliqui præputiati miniſtrarunt ad Altare. 900
non erant inter Galilæos. 232
Sacerdotibus Judæorum non licuit gallos alere. 186
non tantum in Templo miniſtrantibus, ſed etiam in Academia ſtudentibus Decimæ conceſſæ. ibid.
oblatio dari non debuit ab Iſraëlitis, & quare. 259
hi tamen etiam vices ad Altare pro ſorte ſubierunt. ibid.
etiam quamvis pauperes. ibid.
fuit proprium conſeſſus Synhedrii. 371
Sacerdotis Summi vox in die expiationis uſque ad Hierichunta fuit audita. 204
peragenda circa mulierem adulterii ſuſpectam. 635
Sacerdotiſſa quænam apud Thalmudicos ſic dicta. 488
Sacerdotum claſſes. 2
ſortilegia. ibid.
fratrum octoginta paria duxerunt in uxores octoginta paria ſororum Sacerdotiſſarum unâ nocte in Gopbna. 212
& omnium Prophetarum propriè erat inſtruere populum apud Iſraëlitas. 238
dignior gradus fuit quadruplex, præter Summum Pontificem & ejus vicarium. 259
claſſes aliquando è quinque millibus conſtabant. 772
numerus in immenſum quantum creverit. 488
Sacra Scriptura rem omnem non eodem loco, ſed ſparſim narrat, & quare. 798
haud rarò calculos ſuos ab æra non nominata ponit. 800
Sacramenta quonam ſenſu ſigilla ſint dicenda. 391
duo Novi Fœderis fluxerunt è latere Chriſti. 677
Novi Teſtamenti dum recipimus quid profiteamur. 917
Sacramento infans obligatur. 100
Sacrificationes hominum. Vide *Hominum*.
Sacrificia à Sacerdotibus aliquando repudiata. 288
particularium non illico ad Altare deducebantur. ibid.
Ethnici aliquando mittebant Hieroſolymam, ſed non niſi holocauſtum. 654
fuiſſe oblata in pactione fœderis Dei cum Iſraële certiſſimum eſt. 715
ſpontanea & oblationes voluntariæ in eremo non ſunt oblata. ibid.
Sacrificium matutinum mactandum cum Hebronem è turribus Templi videre poſſent. 207
juge quamprimum fuit oblatum. 714
an fuerit continuatum poſt fatale decretum de non intrando terram. 715
an canones de eo dati ſunt in monte Sinai. 714
סכות כלככם quid ſit. 792
Sadducæi quibus argumentis negabant reſurrectionem. 355
etiam habebant Scribas & Doctores ſuos. 530
qui inter Judæos an omnes libros Veteris Teſtamenti excepto Moſe rejecerint. 616
nullum articulum fidei aut religionis admittere voluerunt, qui non elici poterat è libris Moſis. 617
quare orarent & jejunarent, cum non crederent reſurrectionem. 737
Sadducæiſmi fundamenta jacta diebus Ezræ. 272
Sadducæorum ſpecies ad minimum duæ. 148
origo undenam petenda. 273
mentio apud Euangeliſtam Joannem omninò nulla. 640
denominatio eſt à Sadoco quodam Diſcipulo Antigoni Sochæi. 737
Secta non eſt nata antè ſecundam & tertiam poſt Sadocum generationem. ibid.
ſententia qualis fuerit de Angelis. 739
Sadocus à quo Sadducæi denominationem acceperunt, an negaverit reſurrectionem. 737
an rejecerit libros Sacræ Scripturæ præter Pentateuchum. ibid.
Sagan Pontificis Maximi quaſi vices geſſit. 140
quo gradu apud Judæos. 501
ejus officium apud Thalmudicos. 502
כגן eſt idem qui ככונה. 667
neceſſe erat ut eſſet non indoctus. 668
Salem ejuſque ſitus. 580
Salices in feſto Scenopegiæ juxta latera Altaris poſitæ. 201
Salis Conclave in Templo ubi & cui uſui. 195
Sallitio pecorum ad Altare. 449
Salomon quot annorum fuerit cum litem inter duas pellices diremerit. 5
ſecundum Judæos habebat poteſtatem ſuper Dæmonia. 679
Salomonis porticus ubinam. 65
Saltatione in feſtivitatibus publicis Judæi ſolebant exprimere hilaritatem ſuam. 328
ea erat præcipua pars feſtivitatis in feſto Scenopegiæ. ibid.
Salutare alios quibus non licuit apud Judæos. 519
Samael Angelus mortis tripliciter olim errabit. 235
Samaria nomen Urbis. 212
tandem dicta Sebaſte. ibid.
bis colonis plantata. 584
Metropolis quænam civitas fuerit tempore Apoſtolorum. 719
paſſim in Novo Teſtamento non pro Urbe, ſed pro totâ regione ſumenda eſt. 799
Samaritani Judæis exoſi. 66
propriè dicti ubinam hodie degunt. 212
alii pro Ethnicis, alii pro Iſraëlitis inter Judæos habebantur. ibid.
non habent החע, ſed pro iis utuntur א. 213
ſe jactabant filios Patriarchæ Jacobi. 314
plus quam Ethnici ardebant odiis in Judæos. ibid.
imò plus quam in Ethnicos. ibid.
Legem amplexi ſunt ſed variatam plurimis. ibid.
imò & dialectum ſolummodo ob odium Judæorum ſæpiſſimè immutarunt. ibid.

parum

Digitized by Google

parum aut nihil abſfuerunt ab Idololatris utcunque ſe Legi Moſis ſtudere dicerent. ibid.
à Judæis dicebantur Cuthæi, & quare. 584
etiam habuerunt deſponſationes ſuas & divortia. 615
falſificaverunt verba Moſis. ibid.
an omnes fuerint de fide Sadducæa. 616
qualem de Meſſia conceptum habuerint non facile eſt dicere. 618
à Judæis ejiciebantur à tota congregatione Iſraëlis. 664
hodierni gloriantur de ſepulchris 70. Seniorum. 713
an expectarint Meſſiam oriundum de ſanguine Samaritico. 720
nullum articulum fidei admittunt qui non fundabatur in libris Moſis. ibid.
an fuerint Sadducæi. 739
Samaritanorum in pagis an poſſent pernoctare Judæi. 518
Samaritanus quis. 66
Pentateuchi textus an ſecutus ſit verſionem Græcam. 738
Samariticâ ſcripturâ an primitus fuerit ſcripta Lex. 283
& quando. 284
Samariticæ Verſionis Pentateuchi vitia. 585
non eâ vetuſtate caneſcit, quâ coronatur à nonnullis. ibid.
Samaritis interjacet inter Judæam & Galilæam. 215
duas continuit Tribus. 216
Samirato quare Iſraëlitam circumcidere non licuerit. 614
Sammael apud Judæos eſt Angelus mortis, ejuſque poteſtas. 656
decepit Evam. ibid.
colluctatus fuit cum Jacobo. ibid.
Samochonitis Jordanem parvum recepit, magnum emiſit. 221
varia ſortitur nomina. ibid.
Samſon quot annos judicaverit Iſraëlem. 729
Samuel quare primus è Prophetis poſt Moſem recenſeatur. 770
Sanctio Novi Fœderis & Veteris quomodò differunt. 381
Sanctos poſſe facere miracula credebant Judæi. 64
in die judicii Chriſto aſſeſſuros ac judicium ejus approbaturos multi credunt. 347
Sandalea inter & calceos fuit diſcrimen. 315
uſûs durioris atque utilioris fuerunt. ibid.
undenam conficiebantur. ibid.
Sanguinem ſacrificii manu ſiniſtra ad Altare adducere non licuit. 298
neceſſarium eſſe ut quis ſit Filius Dei judicarunt Judæi. 600
Sanguinis comeſtionem quam maximè horrebat Judæus. 735
quare hoc quinquies in Sacris prohibeatur ſecundum Magiſtros. ibid.
ſubtiles eorum circa hanc rem diſtinctiones. ibid.
Sanguis qui fuerat ſemel apud Judæos in uſum ſacrum dicatus, non potuit adhiberi in uſum communem ſine tranſgreſſione. 667
meus hic eſt *quare Chriſtus dixit in Eucharistia.* 913
quare ſub Vet. Teſtamento repræſentabat ſanguinem Chriſti. ibid.
per totam terram Ægypti an per Moſen diffuſus ſit. 129
Saphyra. Vide *Ananias.*
Sapiens quinam à Judæis vocaretur in Synhedrio, ejuſque munus. 521
Sapientes quinam apud Judæos. 20
magni duo requirebantur in urbe ad conſtituendum Synhedrium. 501
Sapientia Græca ſumitur à Magiſtris pro quavis Literatura Ethnicâ. 741
Saporis regis mentio in Thalmude. 228
Sara an fuerit filia Haranis fratris Abrahami. 711
quot annis fuerit Abrahamo junior. ibid.
Saraceni dicti à verbo Saracon, Oriens. 429
Sareptæ ſitus. 477
Sarona & Sharon videtur uſurpari de locis campeſtribus ubicunque poſitis. 833
Saronis mentio frequens apud Thalmudicos. 70
Satanæ imperium quando apud Gentes maturuit. 834
Satanas quomodo Chriſtum fuerit adortus. 10
quomodo ſolutus. 132
ſic vocatur Roma imperialis. 133
Saturnus à Phœnicibus vocatur Iſraël. 716
deſcribitur. ibid.
dicebatur Chevan apud Arabes. 792
Saulus quare habuerit nomen Romanum. 883
Saxum Rabbi Chaninæ per angelos Hieruſalem apportatum. 578
Scala Tyriorum ubinam. 219
Scapha Jordanitica quare fuerit immunda. 223
Scaturiginis Conclave ubi & cui uſui in Templo. 194
Scema temporum cum Chriſtus naſceretur. 254
Scenopegiæ feſtum ejuſque ritus. 349, 629
feſto Deus ſecundum Judæos determinat de pluviis futuris anno ſequenti. 631
in feſto hauriebant aquas è fonte Siloami. 190
feſto natum Chriſtum credibile eſt. 257
quare id ita fieri debuerit. ibid.
Schola Theologica & Synagoga quomodo differant. 83, 926
Scholæ Prophetarum quomodo apud Judæos fuerint conſtitutæ. 238
Judæorum præter Synagogas, & quid in iis peractum. 281
Chriſtus in iis tam bene quam in Synagogis concionatus eſt. ibid.
Schythopolis olim fuit Bethshan. 418
fuit una ex urbibus Decapolitanis, quamvis cis Jordanem. ibid.
ejus incolæ. ibid.
initium Galilææ. 216
Schythopolitana ditio. 576
Scriba fuit generale nomen omnium Doctorum apud Hebræos. 520

quid in prima originatione vox illa ſignificaverit. ibid.
Scribæ quinam apud Prophetas. 20
populi, ſub iis comprehenduntur in Synhedriis omnes qui non fuerunt è Clero. 259
duo gratias agere Deo poſt menſam tenebantur ſingulatim. 260
Samaritanorum quoſnam Judæi per illos intelligebant. ibid.
generalius quinam per eos denotabantur. 259
ſingularius quinam per illos denotabantur. 260
Patres Traditionum audiunt. ibid.
ingenioſi valde in proprium commodum. 358
præcipuè vocantur Patres Synhedrii. 520
qui erant in Synhedrio, ſed non de Synhedrio. ibid.
varii extra Synhedrium. 521
plus honoris tribuebant Pentateucho, quam reliquis Libris Sacri Codicis. 738
Scribas inter & Phariſæos diſtinguere non eſt facile. 529
Scriptura Græca elegantiſſima dicebatur à Judæis. 741
Scriptura Sacra non eſt lecta niſi in Textu Hebræo in omnibus Synagogis. 919
Scriptura (in) ſecundum Rabbinos non eſt prius & poſterius. 711
Seæ aquarum quadraginta erant neceſſariæ ad ablutionem immundi. 267
Sebaſte fuit olim Samaria. 719
Σεβόμενοι an ſint iidem cum Proſelytis. 706
Sectæ in Palæſtinâ poſt Hieroſolymam exciſam. 148
Seculum præſens & futurum termini valde in uſu apud Thalmudicos. 324
Securi percutere tempore Chriſti uſitatior necis inflictio erat. 132
Sedentes docere ſolebant Judæi. 37, 921
Sedere (inter) & accumbere ad menſam quænam differentia apud Judæos. 377
Sedilia diſcipulorum ſapientum quotnam. 501
Seipſum vendere non debebat Judæus palam, nec in ſemita, ſed clam. 637
Selaa quanti valebat apud Judæos. 289
pendebat 384. grana hordeacea. 376
Semiciclum annuatim ſolvebant Judæi. 34
poſt exciſum Templum etiam Jovi Capitolino ſolvere coacti ſunt. ibid.
Seminare quando ſolebant Judæi. 440
Seminiflui reſervabant ſacrificia dum aſcenderent ad feſtum. 288
Seminis parabola cognita apud Judæos. 26
Semiſſes duo conſtituunt aſſarium. 289
Semo an terra Canaan fuerit hereditaria. 427
Seneca Philoſophus Neronis præceptor, ejuſque vitia. 113
Seniores etiam apud Hebræos noti. 20
Urbis quid ſignificaverit in Sacris. 372
octoginta dimicarunt contra ſtatutum Eſtheræ de feſto Purim. 933
Seniori uni an licuerit judicare. 552
quomodo differat à Judice. ibid.
Sennacheribi exercitus Bethorone periit. 184
eum œconomium fuiſſe autumant Judæi. 584
Sententiæ Novi Teſtamenti quomodo optime poſſint intelligi. 507
Separatiſtæ hodierni unde ducant originem. 272
Sepelire apud Judæos in civitate non licuit. 22
neque in Suburbiis civitatis Levitarum. ibid.
pauperes mortuos tenebatur apud Judæos, qui per novem menſes in ea civitate habitaverat. 277
Sepharad ubinam fuerit ſita. 477
Septembri menſe natus eſt Chriſtus. 257
reliqua hujus menſis Vide in menſe Tiſri Hebræorum.
Septuaginta fuerunt Seniores populi & non Septuaginta duo. 518
juvenci oblati in feſto ſcenopegiæ pro ſeptuaginta nationibus mundi. 631
ſecundum Thalmudicos tredecim loca immutarunt in Lege. 935
Sepulchreta Judæorum deſcribuntur. 678
duo parata à Synhedrio unum occiſis gladio & ſtrangulatis, alterum lapidatis ac combuſtis. 389, 719
Sepulcra quare dealbata. 47, 360
eorum qui capite plectebantur. 56
erant vel vulgaria, vel nobiliora. 240
extraordinaria quænam apud Judæos dicebantur. ibid.
nobiliora non modico ſumptu in petris exciſa. ibid.
octo erant ordinarie in qualibet ſpelunca. 240
apud Judæos erant vel profunda, vel picta. 359
non erant prope urbes. 424
quantum diſtare debebant à civitatibus Leviticis. ibid.
debebant ab urbibus diſtare octo ſtadia. 582
Sepultura omnium Patriarcharum an fuerit in Schechemo. 712
quare de hac re altum apud Judæos ſilentium. ibid.
Seraphim ſunt Angeli ignei. 657
Serpentem æneum a Moſe in aëra jactatum credunt Judæi. 611
Servi in famulitium admiſſi baptizabantur. 268
immunes erant à quamplurimis ritibus Judæorum. 271
non tenentur ad recitanda Phylacteria nec ad geſtanda. ibid.
omnes è quacunque Gente Ethnica quare à Judæis vocentur Cananæi. 275
Judæi quo tempore anni aurem terebrarunt. 624
Servire Deo quomodo debeamus. 273
Servorum Cananæorum emptio quomodo fiebat apud Judæos. 274
Servus Hebræorum quare per aurem terebrandus potius quam per aliquam aliam corporis partem. 264
alicujus etiam invitus eſt circumcidendus. 266
Cananæus. Vide Cananæus.
manumiſſus quinam dicebatur apud Judæos. 708

qui

Digitized by Google

qui vendebatur à Synhedrio propter furtum. 708
quanam differentia inter illos. ibid.
Severus Oppidorum melioris notæ apud Judæos præſidia funditus evertit. 143
Shallum filius Joſiæ quiſnam fuerit à Thalmudicis diſputatur. 249
Shammæana Schola non permiſit dimittere uxorem niſi propter adulterium. 290
Shammæus cædem ab Herode contra Rabbinos intentatam prædixit. 259
Shammai laus. 6
diſputat cum Hillele. ibid.
ejuſque Diſcipuli conſpirant in Hillelem. ibid.
Shammata an ſit idem cum Maranatha. 928
quid ſignificet. ibid.
Shammatizatio an ejecerit ex tota congregatione Iſraëlis. 664
שמתא, *ſecunda excommunicatio apud Judæos:* 890
Sharon vel Sarona. 183
Shelah & Siloah an ſit unus idemque lacus. 588
Shibta apud Judæos qualis morbus. 34
Dæmon apud Judæos iis nocet qui non lavant manus antè cibum. 331
Shizor oppidum in Galilæa. 231
Sibbecheum mare. 221
Sichar ſive Sichem etiam dicta eſt Neapolis. 212
cur ſcriptum Sichar, & non Sichem. 586
Sichem fuit cor & ſedes regionis Samaritanæ. 719
omnium Patriarcharum ſepultura. 790
Sichin Judæorum civitas deſtructa eſt propter artes magicas. 652
Sichor quare fluvius Ægypti fuerit dictus. 398
Siclum argenteum ejuſque valor. 50
Siclus ejuſque valor apud Thalmudicos. 341
Sigillum Dei quid vocare ſoleant Judæi. 624
Signa Judæi rebelles non debebant expectare. 325
petere & dare ſolebant Rabbini. 446
temporum antè adventum Meſſiæ ſecundùm Judæos. 454
quare ediderit Chriſtus quæ reſurrectionem confirmant. 749
Signum primum & ultimum in Sacris Litteris eſt circa ſerpentem. 741
שלוחי *deſignant nuntios vices mittentis gerentes.* 312
Silas & Silvanus unus idemque vir. 727
Judæis erat Romanis Tertius. 883
Siloam ubinam fuerit. 38
ſtagnum & fons. 190
vocabatur regio Betheſda adjacens. 535
fons. Vide Fons.
Simeon qui Chriſtum in Templo excepit an fuerit filius Hillelis. 498
Simeon Juſtus Summus Sacerdos propriam mortem prædicit. 2
ejus tempore in partes itum eſt Iſraëli. 212
ejus laus. 274
Simeonitis ſita fuit intra Judæam. 399
Similæ optimæ ubinam. 209
Simon quare Petrus dictus fuerit à Chriſto. 439
Canaanites *quare ſic vocetur.* 756
Simon Magus à Joſepho deſcriptus. 66
Samaritanos ad apoſtaſiam ſeduxit. 314
pro quonam eum æſtimarint Samaritæ. 720
fuiſſe genere Samaritanum vulgò obtinet. ibid.
ejus doctrina inter Judæos. ibid.
inter Samaritanos. ibid.
eum Romæ in aëra volitaſſe fabula eſt. 721
ſtatuam ei Romæ fuiſſe erectam hallucinatio eſt. ibid.
ſcortum ſecum ubique conduxit. 795
horrenda ejus doctrina. ibid.
an fuerit Romæ, ibique cum Petro de dono miraculorum certaverit. ibid.
Simon Tyrannus cum ſuis rebus deſperatis in ſpeluncas ſe confert. 197
Simoniani. 67
Sin in Sacris an ſit Peluſium. 398
Sinapi Parabola cognita apud Judæos. 26
שין״ *quid apud Thalmudicos.* 171
Sindone uti ſolebant Judæi. 460
Sinus Abrahæ Phraſis Judaica eſt. 40
quid ſignificet apud Judæos. 547
Sion an Hieroſolymæ partem Urbis aquilonarem occupaverit. 187
vocatur ſemper Urbs ſuperior poſt reditum è Babylone. ibid.
Sirbonis lacus. 175
unde originem ducat. 176
Συλλογοκαρδία *quid ut plurimum in Scripturâ denotet.* 345
Socoh. 211
Sodoma ubi in Tabulis collocanda ſit. 173
quando perierit. 174
Roma vocatur, & quare. 124
Sol tempore Joſuæ ſtetit per horas triginta ſex, & quare. 325
Soles (inter) quale ſpatium Judæi ſic vocarunt. 565
Solomonis tempore in Judaiſmum coaluiſſe exterorum centum quinquaginta tria millia. 152
Solvere quo ſenſu apud Judæos uſurpetur. 32
& ligare non de perſonis, ſed de rebus dicitur apud Thalmudicos. 336
Somniorum venditores apud Judæos permulti. 147
Somnus Adamo à Deo immiſſus quare fuerit. 835
Sontes cum inſontibus non ſepeliebant Judæi. 719
Sonum Templi cùm aperiretur, fingunt Judæi eſſe auditum uſque ad Hierichunta. 204
שפרים, *eorumque variæ claſſes apud Judæos.* 520
Σοφὸς *quinam apud Judæos.* 885
Sortilegium quomodo fuerit inſtitutum circa miniſterium Sacerdotale. 489
factum octavo die feſti Scenopegiæ qua de cauſa. 631
שוטרים *erant curantes de menſuris & ponderibus.* 288
Speluncæ quam plurimæ Hieroſolymis. 197
quamplurimæ in terrâ Judæorum. 240
Zedekiæ menſuræ non paucorum milliarium. ibid. 475
hæ omnes an fuerint opera naturæ vel humanæ induſtriæ. ibid.
Speltam quando ſeminare inceperint Judæi. 618

Spiritum Sanctum non poſſe cadere in Ethnicos credebant Judæi. 71, 915
eſſe ablatum poſt tempora Prophetarum dicunt. 82
Meſſiæ ſatis agnoſcunt Judæi. 392
qua de cauſa primariò acceperint Apoſtoli. 679
Sanctificationis Apoſtoli impertierunt nunquam. 720
ſed ſolummodò Spiritum Sanctum in donis ſuis extraordinariis linguarum & Prophetiæ. ibid.
Spiritum Sanctum quando Chriſtus dederit Diſcipulis ſuis. 749
quinam eum acceperint die reſurrectionis Dominicæ. 763
Spiritum malum & ſpiritum immundum diſtinguunt Judæi. 536
quemnam ſic vocare ſolerent. ibid.
Spiritûs Sancti dona extraordinaria quare olim in Eccleſia neceſſaria. 135
quare jam non ſint neceſſaria. ibid.
opus eſt punctatio Bibliorum. 229
effuſio. Vide *Effuſio.*
largitio ad ſolos Apoſtolos pertinuit. 795
Spiritus Sanctus vocatur ſeptem Spiritus more Judæorum. 119
diſceſſit ab Iſraële poſt mortem Malachiæ. 275, 601, 633
in N. Teſtamento quare ſæpiſſimè ſecutus Verſionem τῶν LXX. 506
ſæpiſſimè vult lectorem recurrere ad hiſtoriam originalem. 507
narrando hiſtorias Judæis notas non ſemper rem tradit pro certa. ibid.
quomodo mundum redarguit de peccato. 665
miſſus eſt à Filio inſtructor. 666
an effuſus ſit in Diſcipulos ipſo die Pentecoſtis. 692
quare Hieroſolymis fuerit datus. 751
cùm non immediatè tertiam perſonam Deitatis ſignificat Rabbiniſcum quid ſonat. 796
Spiritus Prophetiæ quando ceſſaverit. 933
diſcretionis in Eccleſia qualis fuerit. 916
Spiritûs prætextus plurimos errores invexit. 86
Spiritus immundi quare ita vocentur. 312
ſingularius quid per illos indigitatur. ibid.
apud Judæos ſunt ii, quibus creatæ ſunt animæ, at quibus non creatum eſt corpus. 567
Sponſæ dies thalami erant triginta. 310
tam diuque vocabatur ſponſa. ibid.
obvians de via cedere debebat. 604
Sponſus & ſponſa cum educebantur apud Judæos gallum habuerunt antè ſe. 178
Spurium qui aliquem vocaverat apud Rabbinos quadraginta plagis plectebatur. 287
Sputare in oculum debebant fœminæ quæ muſſitabant ſuper oculum ægrum. 639
Sputum oculo illinire prohibitum erat Sabbato. 639
שׁוֹבִינא *quinam dicebantur apud Targumiſtas.* 605
Stagna varia Hieroſolymis. 197
Stantes orabant Judæi. 298
in Synagogis debebant legere Legem. 508
Statio Hieroſolymitana erat viginti quatuor mille virorum. 205
apud Judæos eſt locus ubi à ſepulcro redeuntes circumſtant lugentem ut ſolentur. 424
Stationarii viri in Templo quinam fuerint. 769
Status Judæorum poſt Hieroſolymam exciſam. 136, 146
Status templi Zorobabeliani. 608
Stella Chriſti quando apparuerit. 4
Magis viſa qualis fuerit. 258
Stephanus ob quodnam crimen fuerit damnatus à Judæis. 718
an formali aliqua ſententia Synhedrii ſit damnatus, an verò tumultuaria turbæ violentia trucidatus. 719
Stercus erat nomen generale à Judæis Idolis inditum. 323, 527
Stipulatio bonæ conſcientiæ eſt Baptiſmus. 114
Stirpes quæ è Babylone aſcenderunt. 247
Στρατηγοὶ τοῦ ἱεροῦ *quinam fuerint dicti.* 558
Stultus quid. In Præfat. Harmon. Euangel.
ubique apud Solomonem eſt improbus & reprobus. 287
Subſellionum ordines apud Judæos. 358
Suburbana Levitarum. Vide *Levita.*
civitatis ſunt mille cubiti. 688
Succah qualis locus apud Thalmudicos. 201
Sudarium quo quis ſtrangulatur ſimul cum eo ſepelitur. 719
Suffitum facere quomodo ſolebant Sacerdotes in Templo. 489
Summi Pontifices duo ſimul non poterant eſſe apud Judæos. 501
Summum Pontificem vocabant Judæi Officiarium Dei. 722
Summus Pontifex. Vide *Pontifex.*
ejus officium. 722
potuit eſſe illiteratus, ſed non plebejus. 701
Συναλιζόμενος *undenam deducendum.* 686
Συγχρῶνται *quid ſignificet in Euangelio.* 614
Superintendens quiſnam apud Judæos. 150
Superſtitio Judæorum tam in rebus religionis, quàm in novis artibus. 365
Superſtitionis Romanæ natura. 797
Suppedaneum quare Judæi fecerint Hirco emiſſario. 198
conſtructum erat à monte Templi ad montem Olivarum, & quem in uſum. 199
Surge *dicere infirmo poſt applicata remedia ſolebant Judæi.* 443
Suſan porta in Atrio quare ſic dicta. 193
Suſith. Vide *Hippo.*
Suſpendendum quando ad ſuſpenſionem adegerint Judæi. 385
Suſpendere manè damnatos Judæi nunquam voluerunt. 465
Suſpenſus abſque ſepultura pernoctare apud Judæos non debuit. 389
Συζητητὴς *quinam apud Judæos.* 885
Sycaminos producit Galilæa inferior, aſt ſuperior non. 578
Sycophantarum mos. 503
Symmachus etiam apud Thalmudicos notus. 148
Synagoga quælibet habebat domum judicii. 85
unaquæque habebat ſuum interpretem. 135
unaquæque habebat domum libri & domum doctrinæ. 197
Alexandrinorum. ibid.

Liber-

Digitized by Google

Libertinorum. 198
à quibus hominibus conſtituta. 238
apud Judæos nullibi fuit formata niſi ubi decem eſſent literati ex profeſſo ſtudioſi Legis. 278
quare decem tales requirebantur. 279
qualibet habebat conſeſſum triumviralem, ejuſque officium. ibid.
Ἀρχισυνάγωγος. ibid.
publicus Synagogæ Miniſter ejuſque officium. ibid.
Angelus Eccleſiæ. ibid.
Diaconi tres in qualibet Synagoga, & quomodo vocabantur. ibid.
interpres Linguarum peritus, ejuſque officium. 280
ſtatis orationum temporibus Judæi eam frequentare debuerunt. ibid.
unaquaque habebat tubam ſuam. 297
unaquaque habebat tres Magiſtratus, qui judicabant de rebus litigioſis intra Synagogam emergentibus. 316
fuit Hieroſolymis intra Templum. 500
Synagogæ 460. *erant in Urbe Hieroſolymitana.* 140, 197, 709
ubinam antiquitus ædificabantur. 280
poſtea canonibus ſtatutum ut in altiori urbis loco ædificarentur. ibid.
quibus diebus in iis conventum eſt. ibid.
nulla domus altiùs culminare debuit. ibid.
Judæorum ſedi Metropolitanæ obſequium debent. 798
Synagogam ædificare non erat inuſitatum uni homini. 514
ab uſu ſacro an liceret alienare in communem. 709
Synagoge (in) catechiſatio puerorum. 281
an licitum fuerit edere & bibere. 911
Synhedria duo Jafnæ & Lyddæ. 69
inferiora de difficilioribus judicare non poterant. 198
non fuerunt in Idumæa. 400
Synhedrii Senatorum nomina nota in N. Teſtamento. 68
auctoritas uſque ad excidium ſarta & tecta permanſit. 85
varia ſedes. 371
ſedes quare fuerit propè Altare. 546
in oſtio quare ſteterit quidam cùm damnatus educeretur. 718
in manus tradita ſunt quatuor genera mortis. 724
Synhedrium quid. In Præfat. Harmon. Euangel.
quotuplex in Templo. 5
ubinam Chriſtus inter doctores ſuæ ſapientiæ ſpecimina ediderit. ibid.
ejus poteſtas quamdiu duraverit. ibid.
Herodes quare illud non impediverit. ibid.
viginti-Triumvirale ubi ſederit Hieroſolymæ. 192
Judæorum ſedit in Conclavi Gazith. 194
quando excuſſum fuerit è Conclavi Gazith. ibid. 371
Judæorum permiſſu Romanorum eodem fere jure utebatur poſt ac ante urbem exciſam. 141
fuit Jabnæ coactum. ibid.
quomodo huc vel illuc ſedes mutaverit. 142
quando Tiberiadem migraverit. 145
viginti-Triumvirale ad minimum unum fuit Hierichunte. 206
viam ad civitates refugii accommodare debuit. 208
conſtitit è Sacerdotibus, Levitis, &c.
Levitis atque Iſraëlitis. 259
à Joanne non quæſivit per nuntium de ratione Baptiſmi, ſed de autoritate baptizantis. 267
judiciale duplex apud Judæos eſſe non veriſimile. 286, 371
lapidat loculum feretralem uniuſcujuſque qui moritur in excommunicatione. 330
Magnum quare conſtiterit è Senioribus ſeptuaginta uno. 356
quando inceperit non ampliùs judicare de capitalibus. 370
quo vel unus morte mulctatur intra ſeptuaginta annos vocatur deſtructorium. ibid.
an ſederit in Templo, an verò in Urbe, cùm de capite Chriſti ageretur. 371
viginti-Triumvirale quare vocetur Summi Sacerdotis. 373
quod aliquem morti adjudicavit iſto die nihil guſtare debuit. 383
quando ſederit apud Judæos. 462
Magnum minus viginti tribus in ſeſſione conſtare non debuit. ibid.
quomodo poterat vendere aliquem è Judæis. 637
quomodo aliquem è Gentibus. ibid.
aliquando conſtitit de Sadducæis. 640
an ritè proceſſum ſit ſi non adeſſet completus numerus ſeptuaginta unius. 669
quot requirebantur ad minimum præſentes dum duraret ſeſſio. ibid.
quando migravit ex Templo & ſedit in Tabernis. 671
quamvis ceſſavit à die quo exciſum eſt Templum, tamen non ceſſarunt quatuor mortes. 672
Ezræ conſtitit ex centum & viginti Presbyteris. 689
nec erat Synhedrium ſtatum in civitate abſque hoc numero. ibid.
quodnam eorum fuit munus. ibid.
Septuaginta virorum nullibi terrarum erat præter Hieroſolymitanum. 723
ejus decreta an valerent autoritativè inter Judæos in regionibus extraneis. ibid.
apud omnes ubique Judæos fuit in magnâ veneratione. ibid.
ad hoc pertinuit judicium capitis in re heterodoxiæ. 723
in ſemicirculo ſedebat. 773
Syri ז *Hebræorum in* ד *mutare ſolent.* 219
Syria Judæis admodum fuit repleta. 16
par terræ Iſraëliticæ quoad tria.. 529
Syriacâ linguâ preces ſuas fundere Judæo non licuit. 252
ob rationem valdè ridiculam. ibid.
& Aramæa quomodo diſtinguantur. 705
fuit vernacula terræ Iſraëliticæ. ibid.
tempore Chriſti tantùm erat Judæis vernacula. 766
Syrophœnicia & Phœnicia mediterranea an ſit idem locus. 416

Digitized by Google

T.

TAbernacula è pellibus. 79
Tabernaculi fabrica eodem modo quo in Epiſtola ad Hebræos in Thalmude deſcripta. 111
opus quando fuerit abſolutum. 645
Tabernaculorum feſtum. Vide *Scenopegia.*
Tabernaculum aliquando reſedit Nobæ. 203
inde ad Gibeonem poſtea fuit tranſlatum. ibid.
per quale cubitum admenſurari ſolitum. 754
Taberna ad murum Orientalem Montis Domûs, locus ubi Synhedrium congregatum fuit. 115
locus in Templo Hieroſolymitano ubi perpetuo emebant & vendebant. 350
ubinam in Templo & cui uſui deſtinatæ. 591
Tabernæ filiorum Canaan quando fuerint vaſtatæ. 409
eſt unus idemque locus cum Bethania. 410
Tabitha videtur fuiſſe Græciſſans Judæa, ideoque binominis. 833
Tabitham interpretari Dorcam quare addiderit Evangeliſta. 602
Tadmor qualiſnam fuerit locus in eremo. 415
Talentum apud Judæos quot valeret minas. 556
טלית quid apud Thalmudicos. 294
תלמידי חכמים. Vide *Diſcipuli Sapientum.*
Tamar & Engedi idem. 174
Τάξεις quid fuerit in Templo ſecundo. 387
Targum ſecundùm Rabbinos datum fuit in Monte Sinai. 918
Targumiſtæ ſæpiùs aliter reddunt nomina locorum quàm ſunt in textu Hebræo. 415
Tarmudæi quinam apud Thalmudicos. 174
Tarſenſium civium laus circa ſtudium Philoſophiæ. 709
Tarſis Scholæ ne Athenis quidem locum cedebant. 797
תשלומין ſive Compenſationes quid Judæi vocare ſoleant. 692
Taurus mons undenam nomen traduxerit. 594
Tedi porta quare nullius uſûs. 192
Tekoa primam laudem meretur quoad oleum. 210
Tempeſtates cœli admodum obſervabant Judæi. 334
Templi Hieroſolymitani longitudo & latitudo. 196
montem quomodo ingredi non licuit. 314
ſecundi ſtatus. 591
deficientia in eo. ibid.
portæ aperuerunt ſe ſponte ſua quadraginta annis ante excidium. 641
Templo ſecundo quinque defuerunt quæ adfuerunt primo. 275
Templum in Ægypto per Oniam conſtructum. 9
Veneris ampliſſimum Corinthi. 79
in monte Gerizim quamdiu floruerit. 212
aurei vituli ubinam ſitum fuerit. 221
Hieroſolymitanum quare ab Herode fuerit reſtauratum. 259
aratro foſſum. 363
deſtruendum non ignorarunt Rabbini tempore Chriſti. 641
Herodis abſolutum ſub Geſſio Floro Procuratore. 590
ſed Atria & Porticus non ante ultima tempora Neronis. 591
Herodianum eſt de quo loquitur Chriſtus in Evangeliis, & non Zorobabelianum. 607
intra quot annorum ſpatium ædificatum. ibid.
Zorobabelianum intra quot annorum ſpatium ædificatum. ibid.
ſecundum, & quænam in eo defuerunt. ibid.
per quot annos ſteterit. 668
Judæi rarò ſine moneta ſunt ingreſſi. 698
idque vel in eleemoſynam, vel in ſpontaneam oblationem Gazophylacio. ibid.
à Solomone quando conſtructum. 753
à Tito quando combuſtum. ibid.
eodem die quo antea ſub rabie Babylonica. ibid.
Dianæ. 88
Dianæ Pergææ ubinam fuerit. 728
Tempora noviſſima quænam dicantur. 81
Ultima. Vide *Tempora.*
adventus Meſſiæ ut impiiſſimè deſcribuntur à Judæis. 722
Meſſiæ à Judæis præfinita cum eis Chriſti noſtri exactè quadrant. 765
Tempore orationis Synagogam præterire Judæo non licuit. 280
niſi haberet Phylacteria in capite. ibid.
Temporis ſeries non adeò accuratè à Spiritu Sancto digeſtus in Actis Apoſtolorum. 786
Tempus orationis tintinnabulo circa Templum Judæis innotuit. 489
lugendi ſecundùm Magiſtros erant triginta dies. 648
præciſum recitandi Phylacteria. 697
Tenebræ dicuntur Diabolus apud Judæos. 562
quæ mundo ethnico incubuerunt undenam ortæ. 694
Tentoria decem erecta à Judæis die expiationum, & quem in uſum. 210
veſtimentis & ramis facere ſolebant Judæi. 349
extra Hieruſalem fixa ob multitudinem populi tempore feſti Scenopegiæ. 633
Tentoriolo alieno uti licuit in feſto Scenopegiæ. 629
quatuordecies in eo debuit comedere ſecundùm legem Scribarum. ibid.
Tephillim. Vide *Phylacteria.*
Terachus ſecundùm Judæos tradidit Abrahamum filium Nimrodo in clibanum igneum projiciendum. 710
an fuerit Idololatra uſque ad finem vitæ. 710
ad verum Deum fuit converſus. 789
Terra à Judæis dividitur vel in terram Iſraëlis, vel in extra terram. 169
Iſraëlitica duplex. ibid.
decem Sanctitatibus ſanctificata præ omnibus aliis terris. 170
ejus prærogativa. ibid.
Samaritica munda reputata apud Judæos. ibid.
in Apocalypſi paſſim mundum notat. 125
viventium qualiſnam apud Thalmudicos. 237
Ethnica æque immunda eſt ac ſepulcretum. 316
Iſraëlitica ejuſque inhabitatio quare adeo deſiderata a Judæis. 419

Babylonica

Digitized by Google

Babylonica apud Judæos eodem gradu ſanctitatis erat, quo Iſraëlitica. 630
Terrenum regnum. Vide Regnum.
Tertiam ante horam diebus Sabbati & feſtis inſuetum Judæis guſtare quidquam. 694
Teſtamento Chriſtus legat pacem Diſcipulis ſuis. 764
Teſtamentum Vetus quomodo fuerit ſancitum. 381
Teſtes pro damnato recepti & auditi etiam cum ad ſupplicium educeretur. 718
  contra damnatum à præcone qui eum præcedebat debebant nominari. ibid.
  debebat unus eorum lapidandum projicere in lumbos. ibid.
  in judicio terrebant Judæi gravi hortatu & monebant ad veracitatem. 670
Teſtimonia quænam ſint quòd fœmina ſit nupta virgo. 456
  quomodo dividerentur apud Judæos. 461
Teſtis falſus in quibuſnam caſibus reputandus. 383
  lex talionis quando iis rependenda. ibid.
  proprius in judicio quivis non poterat eſſe apud Judæos. 630
Textum Sacræ Scripturæ ſemper in Scholis Judæorum Hebraicè proferebant. 732
Thabor mons qui jam oſtenditur peregrinantibus non eſt verus Thabor. 478
  in limite diſterminante Iſacharitin à Zebuloniti. 578
תחבלות quid ſignificet in Sacris. 916
תלמיד & יחיד inter quænam ſit differentia. 529
Thalamus Judæorum è pino & cedro confectus. 209
Thalmud Hieroſolymitanum qua lingua conſcriptum. 705
  utrumque plurimum contulit obduratæ Judæorum menti perpetuandæ. 148
  Babylonicum quando fuerit abſolutum. 149
  Hieroſolymitanum R. Jochanan compoſuit. 145
  quo tempore illud factum. ibid.
Thalmudica adducere odio obnoxium Chriſtianis. 246
  à cerrimi ſunt Hoſtes J. Chriſti. ibid.
Thalmudicorum nugacitas & utilitas. 246
Thalmudicum ſtudium perquam neceſſarium ad intellectum Novi Teſtamenti. 245
  quare tam malè illud audit apud omnes. ibid.
  utilitas ab illo reportata. ibid.
Thamar aliquo modo cum Maria matre Chriſti conferri poteſt. 3
Theophilus quiſnam fuerit valde incertum. 486
Therma quot adhuc ſuperſint ab aquis diluvii. 223
  Thalmud Hieroſolymitanum ibi fuit conſcriptum. 227
Theſauri ſacri apud Judæos multiplices. 405
Theſaurus publicus Templi ubi repoſitus. 195
Thephillim. 46
Theudas impoſtor de quo Joſephus, an ſit idem cum Theuda de quo in Actis. 704
  quidam Magus à Procuratore Fado trucidatur. 777
Thomas Apoſtolus an & quando acceperit donum extraordinarium Spiritûs Sancti. 680
תורה & מצוה quomodo apud Judæos differebant. 453
Thraſyllus Mathematicus Tiberio charus moritur. 818
Tiberiadem quando migraverit Synhedrium. 145
Tiberiadis mare eſt lacus Geneſariticus. 222
  Deo dilectum creditur præ omnibus lacubus à Judæis, & quare. ibid.
Tiberias urbs munita tempore Joſuæ eadem eſt cum Rakkath. 223
  hoc nomen urbi impoſitum ab Herode Tetrarcha. 224, 227
  de ſitu hujus urbis non omnes conveniunt. 224
  ejus Therma. 225
  purificata quondam fuit ob macella quædam in ejus plateis. 226
Tiberii mores turpiſſimi. 780
  ejus vita & imperium. ibid.
  quo ejus anno Chriſtus fuerit cruci affixus. 781
  mores immani quotidie crudeliores erant. 803
Tiridates poſt evictos hoſtes regno potitur. 815
Tiberii mortis præſagium Agrippæ indultum. 821
  mors qualis fuerit admodum incertum eſt. 822
Tiberius Cæſar quando regnum ſuum auſpicatus eſt. 750
  quot annos, menſes & dies ſederit. ibid.
Tibias ad minimum duas pro uxore demortua præbebit pauperrimus inter Iſraëlitas. 310
Timothei laus. 78
Timotheus non potuit dona extraordinaria impertire. 135
Tiridates poſt evictos hoſtes regno potitur. 815
Tyri menſis ejuſque feſta. 627
  pluribus de cauſis inſignis fuit. 3
  hoc menſe natus eſt Chriſtus. 257
  nobilitatus fuit hic menſis olim,
  creatione mundi,
  nativitate primorum Patrum,
  reparatis tabulis Legis,
  dedicatione Templi,
  triplici ſolemnitate feſtorum. ibid.
  etiam ab hoc menſe initium Jubilæi. ibid.
Tiſbbi quid ſignificet apud Judæos. 491
Titus Veſpaſianus Hieroſolymam obſidione cingit. 138
  quando eam funditus everterit. 750
Tondebantur Judæi vulgò in veſperiis feſti. 628
Tondere ſe intra feſtum quinam obligabantur. 651
Tonſura & lotio veſtium ſub claſſe purificationum neceſſariæ æſtimabantur apud Judæos. 651
Tophet à tympanis in ſacrificiis Molochi dictum. 792
Trachonitis ejuſque ſitus. 473
Tradere Satanæ an ſignificet aliquid plus quam excommunicare. 679
  quidnam phraſiologia iſta ſonuerit in auribus Judæorum. ibid.
Traditionalis religio Judæorum. Vide Religio.
  pleræque Pontificiorum ex Judaiſmo ſunt derivata. 149
Traditiones Judæorum execrabiles. 81
  ridiculæ Judæorum à quo tempore. 146
  æſtimant Thalmudici præ verbo divino. 330
Traditiones antiquaverant præceptum de mutua dilectione

magna ex parte. 663
legi præſtare dicebant. 260
Traditionum Patres quare Scribæ dicebantur. 260
Traditionum ſuarum Judæi perquàm tenaces. 446
conceptionem ad tempora Ezræ referunt. 272
Trajectus Jordanis celebriores. 575
Tranſgreſſores in Gebenna quieſcunt Sabbato ſecundum Thalmudicos. 417
Transjordanica regio quomodo ab Iſraële exeunte ex Ægypto fuerit diviſa. 473
Tranſire in via compendium atrium Templi magnum apud Judæos peccatum. 451
Tribus decem an ad felicitatem regni Meſſiæ admittendi Thalmudici diſputant. 687
Levitica non patraverat idololatriam in eremo. 715
Tributa ſolvere apud Judæos tenebatur, qui per annum in ea civitate habitaverat. 277
Tribuum duodecim proprius ſitus. 216
Tripudium in feſto Scenopegiæ quando celebratum. 193
Triticum quando ſeminare inceperunt Judæi. 618
Tronus gloriæ Chriſti vocatur ejus Judicium in Gentem Judaicam. 347
Trophimus à Paulo introductus fuit in Atrium Mulierum. 655
Truma de comburenda in Uſha determinabatur. 231
Trumam ob ſex dubia ſolent comburere. 316
Tryphon Judæus forte eſt R. Tarphon. 144
Tſemach David ben Cozibam Meſſiæ perſonam præ ſe fert. 143
Tſipporis urbs in Galilæa primas tenuit. ibid.
Tſok rupes unde dejiciebatur Hircus Azazel die expiationis. 210
Tubæ ſeptem in Apocalypſi generalem temporum proſpe-
Tubam ſuam habebat unaquaque Synagoga. 297
ctum præbent uſque ad finem mundi. 121
Tumuli in viis ad civitates refugii non debebant eſſe. 208
Turba Romæ mota circa rem fœnerationis. 803
Turbatio Chriſti in agonia fuit ex apprehenſione furoris & inſultus diaboli, ſed an etiam Dei irati incertum. 655
Turni Rufi infenſiſſimi Judæorum inimici uxor Proſelyta facta eſt. 139
Turnus Rufus templi fundum aratro ſubegit. ibid.
Turres tres Hieroſolymæ quare Titus demoliri voluerit. 139
Tyri nomine ſunt inſignita varia oppida. 234
ea canebatur ad introitum annium & quando hoc inceperit. 297
ea canebatur ſexies ad introitum uniuscujuſque Sabbati. 298
צדקה *quid ſignificaverit, quid verò tempore Chriſti.* 296

V.

V*Acca rufa quomodo & per quam viam ad comburendum ſit educta.* 199
ubi & quomodo à Summo Sacerdote combuſta. 454
Vaccæ decapitatio ex quo ceſſavit inter Judæos. 671
eſt per triumviratum apud Judæos. 726
Vado ad Patrem *de Chriſto plus valet quàm* Vado in cœlum. 665
Væ vigeſies pronuntiatur in libro Jeſajæ. 282
Vallis Hinnom. 200
erat communis totius Urbis ſentina. ibid.
Jehoshaphat. ibid.
Variare textum Scripturæ. Vide *Invertere.*
Variæ lectiones an non faciant immutationem in lege. 284
Vas aliquod aceti quare fuerit poſitum juxta crucem Chriſti. 675
Vaſa metallica (circa) quare Moſes non dederit traditionem. 641
Vendere ſeipſos poterant Judæi, ſed non ſemper. 637
quando id fuerit licitum. ibid.
quando non. ibid.
ubinam ſeipſos vendere debebant. ibid.
Velamen an ſit ſignum ſubjectionis apud Judæos. 908
Vellejus Paterculus quando vixit. 802
Veneficæ octoginta eodem die Aſcalone ſuſpenſæ. 181
Veneris Balneum Acone. 218
Templum ampliſſimum Corinthi. 79
Venientes in mundum omnes tranſeunt coram Deo ſecundum Rabbinos. 593
Venire apud Judæos ſæpiſſimè ſignificat docere. 540
Verbum Domini quàm ſæpiſſime à Targumiſtis adhibetur. 599
Veritas à Judæis dicitur ſigillum Dei. 624
Verſio Græca ejuſque autoritas. 505
diverſis Autoribus eſt exarata. ibid.
neque id ſatis fidè. ibid.
Samaritica. Vide *Samaritica Verſio.*
Græca an ſecuta ſit Verſionem Samaritanam, an contra. 738
majore cum cautela quàm conſcientia elaborata. 939
quem in finem id fecerint Interpretes. ibid.
qualia exemplaria hujus Verſionis ſunt maximè genuina. ibid.
quare à Judæis adornata. ibid.
an fuerit unquam lecta in Synagogis Judæorum. ibid.
quare eâ uſi fuerint Scriptores Novi Teſtamenti. ibid.
quo pretio fuerit apud Judæos. 936
non fuit exarata pro Judæis. 937
Veſpaſianus anno Chriſti 67. in Judæam venit. 136
contra Vitellium ad Imperium occupandum ſe accingit. 137
ejus milites Romam diripiunt, Capitolium incendiis petunt. ibid.
quamdiu regnaverit. 750
Veſpera Sabbati homo ſuos in domo de tribus debebat monere. 564
Judæis vocabatur Lux. 565
Veſperiis Paſchatis opera ſervilia faciebant Judæi. 232
at Galilæi non faciebant. ibid.
Veſtes ſcindere quando debebant Judæi. 232

Veſtes

Digitized by Google

Veſtes Sacræ ſub ditione Romanorum quando reconditæ 772
Vitellius eas in cuſtodiam Judæorum integrè reſtituit. ibid.
quomodo aſſervatæ. 809
Veſtimenta Adami ex qua materia fuerint confecta. 436
Veſtimento ſimplici uti pro re religioſa habitum à nonnullis Judæorum. 502
Veſtire pauperes ſinebantur, qui per ſex menſes in ea civitate habitaverant. 277
Veſtium lotio & tonſura ſub claſſe purificationum neceſſariæ æſtimabantur apud Judæos. 651
Via ad ſepulcrum quare menſuram non habuerit. 424
publica non erat ducenda per Cæmiteria apud Judæos. 240
apud Judæos cubitorum ſedecim latitudine. 305
privata cubitorum quatuor. ibid.
Viarum latitudo apud Judæos. 424
privatarum viarum. ibid.
publicarum. ibid.
ad civitates refugii. ibid.
Regis. ibid
varia diſtinctio apud Judæos. 424
Victima innumera cæſa ſub initium Imperii Caji Caligulæ. 823
Victimæ à qua parte Altaris mactatæ. 196
non ſunt mactatæ ante lucem auroræ. 676
Victoriæ Chriſti quodnam fuerit primum indicium. 666
quodnam ſecundum. ibid.
Victualia Samaritanorum an ſint munda diſputatur inter Judæos. 212
Samaritanorum permiſſa erant Judæis. 614
Videre Meſſiam quid Judæi per id intelligant. 539
Vidua qualis publicis ſumptibus apud Judæos alenda. 91
vel dimiſſa, poſt quot menſium ſpatium renubere poterat apud Judæos. 251
in Euangelio in qua Ciſta projecerit nummos. 406
apud Judæos nubit die hebdomadis quinto. 604
apud Judæos tamdiu ſuſtentabatur de bonis defuncti, quamdiu vidua erat, donec recipiat dotem ſuam. 674
Vigilia apud Judæos eſt tertia pars noctis. 330
Villa vocabatur apud Judæos in qua non erat Synagoga. 238
Vindicta in Gentem Judaicam eſt nobiliſſima manifeſtatio regni cœlorum. 264
Chriſti in Judæos quomodo vocatur in Sacris. 367
divina tradit Iſraëlitas in Idolorum cultum. 792
Vineam Domini ſe eſſe gloriabantur Judæi. 451
quadriennis debebat eſſe antequam dabat fructum. ibid.
hujus anni fructus ſacri, & quid cum illis agendum. ibid.
præputiata qualiſnam dicebatur. ibid.
Vino quonam utendum in Sacris diſputatum inter Judæos. 328
Vinum thure mixtum dabant Judæi damnatis, & quare. 56
Sharonicum nobilis famæ. 183
quale prohibitum, qualeve licitum apud Judæos. 212
præcepti quale apud Thalmudicos. 490
vetus vocabant Judæi vinum trium annorum. 512
in oculo indere Sabbato non licuit, at ponere ſuper ſupercilia licuit. 639
bibere aliqui Phariſæi prohibebant cum deſtrueretur Templum ſecundum. 733
ingurgitare ſe vino tolerabant Judæi in ſuis Paſchatiſationibus. 913
quare ſub Novo Teſtamento eſt repræſentatio ſanguinis Chriſti. ibid.
in omni feſto apud Judæos erat neceſſarium. 379
in feſto Paſchali quatuor pocula erant ebibenda. 380
idque vini rubidi. ibid.
aqua eo debuit immiſceri. ibid.
Vir fœminam non debebat apud Judæos ſequi, imò non propriam uxorem. 649
ſecundum Judæos mandatur de generatione & multiplicatione ſed non fœmina. 897
quo ætatis anno. ibid.
Auſtralis & vir Galilæus quid apud Thalmudicos. 145
Virgo apud Judæos nubit die hebdomadis quarto. 604
Viri otii quinam ſic vocabantur apud Judæos. 278
duo quare adhibiti in ſepultura infantis. 424
rarius ſalutarunt fœminas apud Judæos. 492
operum quinam ſic dicerentur apud Judæos. 541
Vita exhibita in promiſſione Chriſti propoſita eſt vitæ quam Judæi jactarunt in Lege. 600
Vitellii Imperium breve, ejuſque mors. 137
ejus regnandi tempus portentis infame fuit. ibid.
juventus egregia, ſenectus infamis. 809
favet Judæis. ibid.
Vitellius Jonathanem Pontificatu deturbat. 820
Cæſar quamdiu regnaverit. 750
Vites quam vineam conſtituant, deque earum ordinibus. 239
Vitis an non fuerit arbor in Paradiſo quæ prohibita fuit Adamo. 490
Vitrea vaſa in nuptiis frangere ſolent Judæi. 310
Vituli aurei pœna quouſque ſe in poſteros extenderit. 715
Vitulus aureus Judæos qui ad montem Sinai ſteterunt alias non morituros, reddidit morti obnoxios. 717
Vivere niſi in Lege Dei nemo poteſt. 661
Vivicomburium quale ſupplicium apud Judæos. in Præfatione Harmoniæ Euangelicæ.
Ultima tempora vocantur abjectio Judæorum. 447
Ultimi dies & ultima tempora quænam vocentur in Sacris. 682
Unctio Sabbato permittitur quoad vivum, non quoad mortuum. 467
ægrotorum apud Judæos erat in uſu. 112
eaque duplex. ibid.
erat medicinalis. 444
Spiritûs ſuper Chriſtum, & quid ab ea fluxit. 456
Unctione capitis nihil à magica diſtante utebantur Judæi. 304

Digitized by Google

Unctionem Chriſti quare omnes Diſcipuli indignè tulerunt. 457
Ungere pedes ante Paſcha in uſu erat apud Judæos. 43
oleo vulgatiſſimum apud Judæos. 652
aſt unguento aromatico rarius. ibid.
Vocatio Gentium valde ingrata auribus Judæorum. 511
Judæorum an ad plenitudinem Gentium ſit rejicienda. 152
Vocem cœlitus emiſſam prædicabant Judæi ſemper. 147
non invenis inter datam Legem & baptizatum Chriſtum. 275
Volucres cum Iſraële in Babyloniam migrarunt. 172
Volucrum porta Hieroſolymæ. 190
Voluntas Dei revelata vocatur veritas. 637
maximè ita vocatur voluntas revelata in Evangelio. ibid.
Vota apud Judæos erant vel conſecrationis, vel obligationis. 332
Judæorum antiquaverant præceptum de mutua dilectione. 663
Votum generalibus terminis concipiens Galilæus non obligabatur. 232
Judæorum Sapientes ſolvere poterant. 740
Vox ſummi Sacerdotis uſque ad Hierichunta audita in die Expiationis. 204
Ὑπερῷον *quid fuerit.* 689
an fuerit Beth Midraſh hujus vel illius Rabbini. ibid.
eſt locus totius ædis ſupremus & altiſſimus. 755
Urbium tripartita diſtinctio apud Judæos, vel ſunt mœnibus cinctæ à tempore Joſuæ, vel civitates magnæ, vel villæ. 238
Urbs apud Judæos ubi fœminæ non niſi mares pariebant. 178
Usha civitas. 231
ibi de Truma comburenda determinabatur. ibid.
Uſura omnimodo apud Romanos aliquando vetita. 803
Vulgi ſecundum captum vel potius deceptionem propoſuit Parabolas Chriſtus. 326
Uxor etiam poteſt maritum dimittere. 899
ſi eſculenta mariti nimiâ ſalſedine aut toſtione conficiat, ea eſt dimittenda. 291
dimitti non potuit niſi dato Libello repudii. ibid.
adulterii ſuſpecta quomodo fuerit probata. 634
Uxore formoſiorem ſi viderit, uxorem dimittat. 291
Uxorem primam niſi ob adulterium dimitti noluerunt Judæi. 290
repudiare multas ob cauſas juxta Thalmudicos Judæis licuit. ibid.
ingredientem nudatâ cervice videre, & non dimittere, hominis mali erat apud Judæos. 290
morte mulctatam ob adulterium apud Thalmudicos non reperies. 346
adulterii ſuſpectam quando potarunt Judæi. 624
Uxoris officium erat apud Judæos lavare pedes, manus & faciem mariti. 658

X.

Χαφεναθὰ *quidnam fuerit apud Judæos.* 594
Χαῖρε *dicere ſemper in more fuit apud Judæos.* 390
Xenodochea primorum Chriſtianorum cui uſui inſervierint. 911
Xylophorica tempora Sacerdotum populi novem fuere. 248
Xyſtus Hieroſolymæ. 187

Z.

Zabulonitica Tribûs proprius ſitûs locus. 217
זכר *vox adeo Rabbinis uſitata quid ſignificet.* 778
זכר *quare viri vocentur.* 757
Zachariam è ſtirpe Abiæ fuiſſe vix credibile eſt. 2
ſurdus & mutus factus quid ſignificaverit. ibid.
Zacharias quinam à Judæis occiſus. 361
de ejus ſanguine mira narrant Judæi. ibid.
Zadok quidam Antigoni Sochæi Diſcipulus originem dedit Sadducæis. 273
Zalmon an ſit idem locus cum Dalmanutha. 414
duplex. ibid.
Zarephath ubinam fuerit ſita. 476
Zarethan civitas non fuit in Peræa. 235
Zarthanah & Zaretan eſt eadem civitas. ibid.
Zeboim mons intra Judæam, ſed ubinam incertum. 211
Zedechiæ ſpelunca menſuræ non paucorum milliarium. 240
Zelotæ tranſgredientem propriis manibus immediate interficiebant. 664
eorum deſcriptio. ibid.
eorum zelus cauſa multorum malorum & effuſionis ſanguinis. 665
jus quouſque ſe extenderit tempore Chriſti. 511
eorum principiis multi Judæi erant infecti, de Ethnicis poteſtatibus non obtemperando. 114
obedientiam & tributum Romano Principi denegarunt. 355
Ζηλωτὴς *non melioris fuit notæ quam Publicanus.* 313
Zelus Judæorum erga textum Hebræum. 933
זכורה *quid ſit apud Hebræos.* 663
Zenonis domus qualiſnam fuerit. 471
Ziddim civitas eſt eadem cum Caphar Chittaia. 227
Zin deſertum undenam ſic fuerit vocatum. 425
Zion fuit à parte Hieroſolymæ Aquilonari. 588
Zipporis fuit urbs maxima Galilææ. 229
quare ſic vocetur. ibid.
urbs valde celebris tam ob res bellicas, quam ob Academias. ibid.
in ea Synagogæ quam plurimæ fuerunt. ibid.
Zipporitana Archiva Jeshanah repoſita. 230
Zoan locus excellens in Ægypto poſt Hebronem conditus. 207
Zohar libri primi auctores. 144
Zophim mons circa Hieroſolymam quare ſic dicebatur. 202
Zuz apud Thalmudicos cujus fuerit valoris. 289
& Denarius idem apud Rabbinos. 444
Zuzim quænam loca olim habitarunt. 473

F I N I S.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

magna ex parte. 663
legi præſtare dicebant. 260
Traditionum Patres quare Scribæ dicebantur. 260
Traditionum ſuarum Judæi perquàm tenaces. 446
conceptionem ad tempora Ezræ referunt. 272
Trajectus Jordanis celebriores. 575
Tranſgreſſores in Gehenna quieſcunt Sabbato ſecundum Thalmudicos. 417
Transjordanica regio quomodo ab Iſraële exeunte ex Ægypto fuerit diviſa. 473
Tranſire in via compendium atrium Templi magnum apud Judæos peccatum. 451
Tribus decem an ad felicitatem regni Meſſiæ admittendi Thalmudici diſputant. 687
Levitica non patraverat idololatriam in eremo. 715
Tributa ſolvere apud Judæos tenebatur, qui per annum in ea civitate habitaverat. 277
Tribuum duodecim proprius ſitus. 216
Tripudium in feſto Scenopegiæ quando celebratum. 193
Triticum quando ſeminare inceperunt Judæi. 618
Tronus gloriæ Chriſti vocatur ejus Judicium in Gentem Judaicam. 347
Trophimus à Paulo introductus fuit in Atrium Mulierum. 655
Truma de comburenda in Uſha determinabatur. 231
Trumam ob ſex dubia ſolent comburere. 316
Tryphon Judæus forte eſt R. Tarphon. 144
Tſemach David ben Cozibam Meſſiæ perſonam præ ſe fert. 143
Tſipporis urbs in Galilæa primas tenuit. ibid.
Tſok rupes unde dejiciebatur Hircus Azazel die expirationis. 210
Tubæ ſeptem in Apocalypſi generalem temporum proſpe-
Tubam ſuam habebat unaquaque Synagoga. 297
ctum præbent uſque ad finem mundi. 121
Tumuli in viis ad civitates refugii non debebant eſſe. 208
Turbæ Romæ motæ circa rem fœnerationis. 803
Turbatio Chriſti in agonia fuit ex apprehenſione furoris & inſultus diaboli, ſed an etiam Dei irati incertum. 655
Turni Rufi infenſiſſimi Judæorum inimici uxor Proſelyta facta eſt. 139
Turnus Rufus templi fundum aratro ſubegit. ibid.
Turres tres Hieroſolymæ quare Titus demoliri voluerit. 139
Tyri nomine ſunt inſignita varia oppida. 234
ea canebatur ad introit annium & quando hoc inceperit. 297
ea canebatur ſexies ad introitum uniuſcujuſque Sabbati. 298
צדקה quid ſignificaverit, quid verò tempore Chriſti. 296

V.

Vacca rufa quomodo & per quam viam ad comburendum ſit educta. 199
ubi & quomodo à Summo Sacerdote combuſta. 454
Vaccæ decapitatio ex quo ceſſavit inter Judæos. 671
eſt per triumviratum apud Judæos. 726
Vado ad Patrem de Chriſto plus valet quàm Vado in cœlum. 665
Væ vigeſies pronuntiatur in libro Jeſajæ. 282
Vallis Hinnom. 200
erat communis totius Urbis ſentina. ibid.
Jehoshaphat. ibid.
Variare textum Scripturæ. Vide Invertere.
Variæ lectiones an non faciant immutationem in lege. 284
Vas aliquod aceti quare fuerit poſitum juxta crucem Chriſti. 675
Vaſa metallica (circa) quare Moſes non dederit traditionem. 641
Vendere ſeipſos poterant Judæi, ſed non ſemper. 637
quando id fuerit licitum. ibid.
quando non. ibid.
ubinam ſeipſos vendere debebant. ibid.
Velamen an ſit ſignum ſubjectionis apud Judæos. 908
Vellejus Paterculus quando vixit. 802
Veneficæ octoginta eodem die Aſcalone ſuſpenſæ. 181
Veneris Balneum Acone. 218
Templum ampliſſimum Corinthi. 79
Venientes in mundum omnes tranſeunt coram Deo ſecundum Rabbinos. 593
Venire apud Judæos ſæpiſſimè ſignificat docere. 540
Verbum Domini quàm ſæpiſſimè à Targumiſtis adhibetur. 599
Veritas à Judæis dicitur ſigillum Dei. 624
Verſio Græca ejuſque autoritas. 505
diverſis Autoribus eſt exarata. ibid.
neque id ſatis fidè. ibid.
Samaritica. Vide Samaritica Verſio.
Græca an ſecuta ſit Verſionem Samaritanam, an contra. 738
majore cum cautela quàm conſcientia elaborata. 939
quem in finem id fecerint Interpretes. ibid.
qualia exemplaria hujus Verſionis ſunt maximè genuina. ibid.
quare à Judæis adornata. ibid.
an fuerit unquam lecta in Synagogis Judæorum. ibid.
quare eâ uſi fuerint Scriptores Novi Teſtamenti. ibid.
quo pretio fuerit apud Judæos. 936
non fuit exarata pro Judæis. 937
Veſpaſianus anno Chriſti 67. in Judæam venit. 136
contra Vitellium ad Imperium occupandum ſe accingit. 137
ejus milites Romam diripiunt, Capitolium incendiis petunt. ibid.
quamdiu regnaverit. 750
Veſpera Sabbati homo ſuos in domo de tribus debebat monere. 564
Judæis vocabatur Lux. 565
Veſperiis Paſchatis opera ſervilia faciebant Judæi. 232
at Galilæi non faciebant. ibid.
Veſtes ſcindere quando debebant Judæi. 232

Digitized by Google

Veſtes Sacræ ſub ditione Romanorum quando reconditæ 772
Vitellius eas in cuſtodiam Judæorum integrè reſtituit. ibid.
quomodo aſſervatæ. 809
Veſtimenta Adami ex qua materia fuerint confecta. 436
Veſtimento ſimplici uti pro re religioſa habitum à nonnullis Judæorum. 502
Veſtire pauperes ſinebantur, qui per ſex menſes in ea civitate habitaverant. 277
Veſtium lotio & tonſura ſub claſſe purificationum neceſſariæ æſtimabantur apud Judæos. 651
Via ad ſepulcrum quare menſuram non habuerit. 424
publica non erat ducenda per Cæmiteria apud Judæos. 240
apud Judæos cubitorum ſedecim latitudine. 305
privata cubitorum quatuor. ibid.
Viarum latitudo apud Judæos. 424
privatarum viarum. ibid.
publicarum. ibid.
ad civitates refugii. ibid.
Regis. ibid
varia diſtinctio apud Judæos. 424
Victima innumera cæſa ſub initium Imperii Caji Caligulæ. 823
Victimæ à qua parte Altaris mactatæ. 196
non ſunt mactatæ ante lucem auroræ. 676
Victoriæ Chriſti quodnam fuerit primum indicium. 666
quodnam ſecundum. ibid.
Victualia Samaritanorum an ſint munda diſputatur inter Judæos. 212
Samaritanorum permiſſa erant Judæis. 614
Videre Meſſiam quid Judæi per id intelligant. 539
Vidua qualis publicis ſumptibus apud Judæos alenda. 91
vel dimiſſa, poſt quot menſium ſpatium renubere poterat apud Judæos. 251
in Euangelio in qua Ciſta projecerit nummos. 406
apud Judæos nubit die hebdomadis quinto. 604
apud Judæos tamdiu ſuſtentabatur de bonis defuncti, quamdiu vidua erat, donec recipiat dotem ſuam. 674
Vigilia apud Judæos eſt tertia pars noctis. 330
Villa vocabatur apud Judæos in qua non erat Synagoga. 238
Vindicta in Gentem Judaicam eſt nobiliſſima manifeſtatio regni cœlorum. 264
Chriſti in Judæos quomodo vocatur in Sacris. 367
divina tradit Iſraëlitas in Idolorum cultum. 792
Vineam Domini ſe eſſe gloriabantur Judæi. 451
quadriennis debebat eſſe antequam dabat fructum. ibid.
hujus anni fructus ſacri, & quid cum illis agendum. ibid.
præputiata qualiſnam dicebatur. ibid.
Vino quonam utendum in Sacris diſputatum inter Judæos. 328
Vinum thure mixtum dabant Judæi damnatis, & quare. 56
Sharonicum nobilis famæ. 183
quale probibitum, qualeve licitum apud Judæos. 212
præcepti quale apud Thalmudicos. 490
vetus vocabant Judæi vinum trium annorum. 512
in oculo indere Sabbato non licuit, at ponere ſuper ſupercilia licuit. 639
bibere aliqui Phariſæi prohibebant cum deſtrueretur Templum ſecundum. 733
ingurgitare ſe vino tolerabant Judæi in ſuis Paſchatiſationibus. 913
quare ſub Novo Teſtamento eſt repræſentatio ſanguinis Chriſti. ibid.
in omni feſto apud Judæos erat neceſſarium. 379
in feſto Paſchali quatuor pocula erant ebibenda. 380
idque vini rubidi. ibid.
aqua eo debuit inmiſceri. ibid.
Vir fœminam non debebat apud Judæos ſequi, imò non propriam uxorem. 649
ſecundum Judæos mandatur de generatione & multiplicatione ſed non fœmina. 897
quo ætatis anno. ibid.
Auſtralis & vir Galilæus quid apud Thalmudicos. 145
Virgo apud Judæos nubit die hebdomadis quarto. 604
Viri otii quinam ſic vocabantur apud Judæos. 278
duo quare adhibiti in ſepultura infantis. 424
rarius ſalutarunt fœminas apud Judæos. 492
operum quinam ſic dicerentur apud Judæos. 541
Vita exhibita in promiſſione Chriſti propoſita eſt vitæ quam Judæi jactarunt in Lege. 600
Vitellii Imperium breve, ejuſque mors. 137
ejus regnandi tempus portentis infame fuit. ibid.
juventus egregia, ſenectus infamis. 809
fuvet Judæis. ibid.
Vitellius Jonathanem Pontificatu deturbat. 820
Cæſar quamdiu regnaverit. 750
Vites quam vineam conſtituant, deque earum ordinibus. 239
Vitis an non fuerit arbor in Paradiſo quæ prohibita fuit Adamo. 490
Vitrea vaſa in nuptiis frangere ſolent Judæi. 310
Vituli aurei pœna quouſque ſe in poſteros extenderit. 715
Vitulus aureus Judæos qui ad montem Sinai ſteterunt alias non morituros, reddidit morti obnoxios. 717
Vivere niſi in Lege Dei nemo poteſt. 661
Vivicomburium quale ſupplicium apud Judæos. in Præfatione Harmoniæ Euangelicæ.
Ultima tempora vocantur abjectio Judæorum. 447
Ultimi dies & ultima tempora quænam vocentur in Sacris. 682
Unctio Sabbato permittitur quoad vivum, non quoad mortuum. 467
ægrotorum apud Judæos erat in uſu. 112
eaque duplex. ibid.
erat medicinalis. 444
Spiritûs ſuper Chriſtum, & quid ab ea fluxit. 456
Unctione capitis nihil à magica diſtante utebantur Judæi. 304

Digitized by Google

Vnctionem Chriſti quare omnes Diſcipuli indignè tulerunt. 457
Vngere pedes ante Paſcha in uſu erat apud Judæos. 43
- *oleo vulgatiſſimum apud Judæos.* 652
- *aſt unguento aromatico rarius.* ibid.

Vocatio Gentium valde ingrata auribus Judæorum. 511
- *Judæorum an ad plenitudinem Gentium ſit rejicienda.* 152

Vocem cœlitus emiſſam prædicabant Judæi ſemper. 147
- *non inveniſ inter datam Legem & baptizatum Chriſtum.* 275

Volucres cum Iſraële in Babyloniam migrarunt. 172
Volucrum porta Hieroſolymæ. 190
Voluntas Dei revelata vocatur veritas. 637
- *maximè ita vocatur voluntas revelata in Euangelio.* ibid.

Vota apud Judæos erant vel conſecrationis, vel obligationis. 332
- *Judæorum antiquaverant præceptum de mutua dilectione.* 663

Votum generalibus terminis concipiens Galilæus non obligabatur. 232
- *Judæorum Sapientes ſolvere poterant.* 740

Vox ſummi Sacerdotis uſque ad Hierichunta audita in die Expiationis. 204
Ὑπερῷον *quid fuerit.* 689
- *an fuerit Beth Midraſh hujus vel illius Rabbini.* ibid.
- *eſt locus totius ædis ſupremus & altiſſimus.* 755

Vrbium tripartita diſtinctio apud Judæos, vel ſunt mœnibus cinctæ à tempore Joſuæ, vel civitates magnæ, vel villæ. 238
Vrbs apud Judæos ubi fœminæ non niſi mares pariebant. 178
Vsha civitas. 231
- *ibi de Truma comburenda determinabatur.* ibid.

Vſura omnimodo apud Romanos aliquando vetita. 803
Vulgi ſecundum captum vel potius deceptionem propoſuit Parabolas Chriſtus. 326
Vxor etiam poteſt maritum dimittere. 899
- *ſi eſculenta mariti nimiâ ſalſedine aut toſtione conficiat, ea eſt dimittenda.* 291
- *dimitti non potuit niſi dato Libello repudii.* ibid.
- *adulterii ſuſpecta quomodo fuerit probata.* 634

Vxore formoſiorem ſi viderit, uxorem dimittat. 291
Vxorem primam niſi ob adulterium dimitti noluerunt Judæi. 290
- *repudiare multas ob cauſas juxta Thalmudicos Judæis licuit.* ibid.
- *ingredientem nudatâ cervice videre, & non dimittere, hominis mali erat apud Judæos.* 290
- *morte mulctatam ob adulterium apud Thalmudicos non reperies.* 346
- *adulterii ſuſpectam quando potarunt Judæi.* 624

Vxoris officium erat apud Judæos lavare pedes, manus & faciem mariti. 658

X.

Χαφεναθὰ *quidnam fuerit apud Judæos.* 594
Χαῖρε *dicere ſemper in more fuit apud Judæos.* 390
Xenodochea primorum Chriſtianorum cui uſui inſervierint. 911
Xylophorica tempora Sacerdotum populi novem fuere. 248
Xyſtus Hieroſolymæ. 187

Z.

ZAbulonitica Tribûs proprius ſitûs locus. 217
זכרה *vox adeo Rabbinis uſitata quid ſignificet.* 778
זכר *quare viri vocentur.* 757
Zachariam è ſtirpe Abiæ fuiſſe vix credibile eſt. 2
- *ſurdus & mutus factus quid ſignificaverit.* ibid.

Zacharias quinam à Judæis occiſus. 361
- *de ejus ſanguine mira narrant Judæi.* ibid.

Zadok quidam Antigoni Sochæi Diſcipulus originem dedit Sadducæis. 273
Zalmon an ſit idem locus cum Dalmanutha. 414
- *duplex.* ibid.

Zarephath ubinam fuerit ſita. 476
Zarethan civitas non fuit in Peræa. 235
Zarthanah & Zaretan eſt eadem civitas. ibid.
Zeboim mons intra Judæam, ſed ubinam incertum. 211
Zedechiæ ſpelunca menſuræ non paucorum milliarium. 240
Zelotæ tranſgredientem propriis manibus immediate interficiebant. 664
- *eorum deſcriptio.* ibid.
- *eorum zelus cauſa multorum malorum & effuſionis ſanguinis.* 665
- *jus quouſque ſe extenderit tempore Chriſti.* 511
- *eorum principiis multi Judæi erant infecti, de Ethnicis poteſtatibus non obtemperando.* 114
- *obedientiam & tributum Romano Principi denegarunt.* 355

Ζηλωτὴς *non melioris fuit notæ quam Publicanus.* 313
Zelus Judæorum erga textum Hebræum. 933
זכורה *quid ſit apud Hebræos.* 663
Zenonis domus qualiſnam fuerit. 471
Ziddim civitas eſt eadem cum Caphar Chittaia. 227
Zin deſertum undenam ſic fuerit vocatum. 425
Zion fuit à parte Hieroſolymæ Aquilonari. 588
Zipporis fuit urbs maxima Galilææ. 229
- *quare ſic vocetur.* ibid.
- *urbs valde celebris tam ob res bellicas, quam ob Academias.* ibid.
- *in ea Synagogæ quam plurimæ fuerunt.* ibid.

Zipporitana Archiva Jeshanah repoſita. 230
Zoan locus excellens in Ægypto poſt Hebronem conditus. 207
Zohar libri primi auctores. 144
Zophim mons circa Hieroſolymam quare ſic dicebatur. 202
Zuz apud Thalmudicos cujus fuerit valoris. 289
- *& Denarius idem apud Rabbinos.* 444

Zuzim quænam loca olim habitarunt. 473

F I N I S.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google